1007/c
Suppl
CASTELLUS

copy
this has variations in catchwords and headings
from 8703 & 31158.
8703 & typesetting

A.I.n

Rule on tp differs
Different setting of preface
Catchwords Castelli Lexic Med
Different ornament at end

8703
~~[illegible]~~
31158
~~[illegible]~~
} dupls.

BARTHOLOMÆI

CASTELLI LEXICON MEDICUM GRÆCO-LATINUM,

ANTE

A JACOBO PANCRATIO BRUNONE

ITERATO EDITUM,

NUNC DENUO AB EODEM ET ALIIS PLURIMIS NOVIS ACCESSIONIBUS LOCUPLETATUM ET IN MULTIS CORRECTUM.

EDITIO NOVA ACCURATISSIMA.

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCXLVI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LECTORI S.

COMMUNIS Scientiarum omnium ſors eſt & conditio, ut tot fertilium ingeniorum lucubrationibus nova incrementa capiant. Et ſi cuiquam alii, hac in parte præ reliquis ſibi arrogare aliquid fas eſt, jure id medicæ arti erit licitum. Nullis quippe Sapientum effatorum limitibus illa clauſa eſt, ſed in totum univerſæ naturæ campum excurrit, & quidquid omni ſtudio & ſagacitate conquiſivit, ea tot experimentis, & inde eductis rationibus perveſtigat & rimatur intimius: Unde plurima nova ex tam vaſto rerum oceano tanta ſagacium animorum cura prolici neceſſe eſt. Et hæc tam copioſa rerum indies inventarum ſoboles, nova certe, quibus aliis proponantur, poſtulat nomina, quod facile admittent omnes, qui etiam rerum cognitarum copiam, vocum hactenus receptarum penum excedere cognoſcunt: Prout igitur quilibet rem ſuam, vel propter naturæ affinitatem, vel quamcumque convenientiam, appellare amat, ita rebus novis antiqua vel applicat, vel nova comminiſcitur nomina. Non accuſabimus nunc, cui mederi non poſſumus licentiam, qua tot novæ barbaræ vulgo voces præter neceſſitatem in ſcientias ad obſcurandum eas, introductæ ſunt: Medicinam quoque tale aliquid expertam eſſe, illa probant vocabulorum monſtra, quibus ſuam jactabundi ſolent obvelare chymici, ita (an jure, neſcio) dicti, imperitiam: Sed quicquid horum ſit, ferendum eſt, quod mutari non poteſt, & adeo magis cogitandum de eo fuit, quomodo diſcentium ſuccurreretur diligentiæ, quam qua ratione libertati ingeniorum nullis legibus circumſeptæ, meta ſcriberetur. Nec novum hoc eſt inſtitutum, præcipue inter Medicorum filios, qui ante ſe docentium explicarunt linguam, Galenus Hippocratis in loquendo novam ubertatem peculiari libro evolvit, quod idem Erotianum præſtitiſſe, notum eſt, & plures alios, & præcipue Anutium Foëſium; Joannes vero Rhodius in Lexico Scriboniano non largi tantum loquendi formulas, ſed univerſæ antiquitatis Latinæ fere expoſuit. Noſtra ætate manifeſtior id exigebat medicæ artis ſtatus & ratio, ubi in tot peculiares abibat ſectas & diſciplinas, quæ omnes nova augmenta oſtentant ſua, hinc ſingulæ fere partes ſuos etiam interpretes nactæ ſunt. Præter enim illos, qui vel integræ artis propriis nominibus explicandis occupati fuerunt, ut Joannes Gorræus, Otto Brunsfelſius, Guilielmus Rheginus, & alii præprimis chymiatrica Martinum Rulandum, Gerardum Donæum, Leonhardum Turneiſerum, Guilelmum Ionſtonum, Jo. Chriſtoph. Sommerhovium oſtendit; de morborum ſynonymis Henricus Bebelius egit, & Joannes Manardus; plantarum varia nomina Joannes Bauhinus egregie collegit, ſimplicium catalogum Fridericus Mullerus exhibuit, pharmaceuticum lexicon Jo. Helfricus Iunken compilavit; & in aliis alii præclaram laudem ſunt promeriti, quos ſingulos enumerare hujus loci non eſt. Quæ ad univerſam artem ſpectant, ſibi explicanda ſumpſit BARTHOLOMÆUS CASTELLUS laudabili ſtudio, quem elegit JACOBUS PANCRATIUS BRUNO,

Profeſſor dum viveret Altdorfinus haut incelebris, ut ſuis novis obſervationibus jugi diligentia augeret & continuaret tam felici ſucceſſu, ut poſt annorum aliquot excurſum, omnia prioris editionis exempla divenderentur, quod obſervans vir ſedulus, non deſtitit, novis collectis plurimis adnotationibus locupletare ſuam operam, aliorum etiam ſtudio, & collatis ſymbolis adjutus, adeo, ut novam editionem jam prælo paraſſet, quæ jure ſuo pro locupletiſſimo in hoc genere libro haberi debet; ſed morte præventus luci exponere publice minus potuit, quam tibi, BENEVOLE LECTOR, *nunc exhibemus, ne quid communi uſu deſtinatum, maximeque proficuum pereat, Tu illis fruere, & ne quid obſcurum ſit, expreſſas in textu literarum notas, ita explicandas intellige*

Ex Hippocrate.

A. L. & Aq.	h. e.	De Aëre Locis & Aquis.
L. I. H.		Locis in homine.
R. V. I. A.		Ratione victus in acutis.
M. Mul.		Morbis mulierum.

Ex Galeno.

U. P.	De Uſu partium.
L. A.	Locis Affectis.
Al. fac.	Alimentorum Facultatibus.
S. F.	Simplicium Facultatibus.
M. M.	Methodo Medendi.
C. M. S. L.	Compoſitione medicamentorum ſecundum loca.
C. M. P. G.	Compoſitione medicamentorum per genera.
c. 1. 2. 3. &c.	Commentum 1. 2. vel 3. in aliquem librum Hippocratis.

Ex Ariſtotele.

H. A.	De Hiſtoria Animalium.
P. A.	Partibus Animalium.

E Plinio.

H. N.	Hiſtoria Naturalis.

E Veſalio & Spigelio.

H. C. F.	De Humani Corporis Fabrica.

E Libavio.

S. A. Ch.	Syntagma Arcanorum Chymicorum.

E Rolfinkio.

O. & M. M. Sp.	Ordo & Methodus Medicinæ Specialis.
Ch. I. A. F. R.	Chymia in Artis formam redacta.

E Lindeno.

S. M.	Selecta Medica.

E Franciſco de le Boë Sylvio.

Pr. M.	Praxis Medica.
Th. Ch.	Theatrum Chymicum.

E Dogmatibus Medicinæ Generalis à me editis.

P. C. D. P.	Pars. Caput. Dogma. Pagina.

A & Ω!

LEXICON MEDICUM.

A.

A α. inter literas omnium primam eſſe, pueris notiſſimum. In Sacro N. Teſtamenti Codice attribui Deo Salvatori noſtro, omnibus Chriſtianis perſpectum eſt & eſſe debet. Quam ſignificationem Raymundus Lullius tranſtulit etiam in ſuam Practicam, applicando ad inſtrumentum memorativum, uti patet ex *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 137. Vocatur hæc litera Græcis *Alpha*, cui opponitur *Omega*. Utraque litera exponitur myſtice: illa de principio vitæ reſtitutæ longæ loco perpetuæ; hæc de vitæ fine, a Gerh. Dorneo *in Philoſophia Chymica Theatr. Chym. Vol. I. p.* 469. *A.* & *Ab* etiam in principio nominum Medicorum occurrens negationem aliquam importare docuit Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. lib. I. Tit.* 2. *quæſt.* 10. *n.* 16. quemadmodum & Græcum α particulam στερητικὴν, h. e. privativam, vel negativam eſſe ex Grammaticis conſtat, & multa in hoc Lexico ſeqq. nomina ſatis ſuperque confirmabunt.

AABAM, vocatur a Chymicis quibuſdam *Plumbum*. Rulandus *in Lexic. Chymic.*

ABABTISTON, ἀβάπτιστον, ſcil. *Trepanum* (uſitatius, quam *Abaptiſta*, ſubintelligendo *Terebella*) vide infra *Terebella*.

ABAISIR, i. e. *Spodium*. Müller *in Lex. M.*

ABALIENATUS, idem quod *corruptus*. Uſurpatur de parte totaliter deſtructa, & ſui remotionem poſtulante apud Scribon. Larg. ex recenſione Joh. Rhodii *compoſ. vel n.* 227. Dicitur & de ſenſuum internorum & externorum corruptione, *n.* 180. Quemadmodum & *alienari* ſimpliciter ſumitur pro *corrumpi*, apud Celſ. *l.* 5. *cap.* 26. *l.* 7. *c.* 16. *l.* 8. *c.* 10. Scribon. *n.* 20. Vid. Rhodii *Lexicon Scribonianum*.

ABARNAHAS, terminus Spagyricus, præſertim in negotio tranſmutationis metallorum, denotans *Lunam plenam Magneſia*, vel ipſam *Magneſiam* & vocatur *Abarnahas perfectum*: item *Ovum ruffum*; in Senioris Zadith filii Hamullis Chymia, *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 205. *ſeq.* & 449.

ABARTAMEN, id eſt, *Plumbum*. Ruland. *in Lex.*

ABARTICULATIO, ἀπάρθρωσις, idem, quod *Dearticulatio*, Gr. διάρθρωσις, id eſt, ea naturalis oſſium per articulationem conjunctio; quæ evidentem motum habet, ad differentiam *Coarticulationis*, Gr. συνάρθρωσις dictæ, qua indicatur ea oſſium naturalis commiſſio, quæ exiguum obſcurumque, aliquando nullum motum præ ſe fert, ex Gal. *com.* 2. *in Hipp. de artic. t.* 8. Jungatur Foëſ. *in Oecon. Hippocr. p.* 69.

ABAS, idem, quod *Tinea*, Arab. Saphatum, teſtimonio P. Sorbait *Medic. Pract. Tract.* 6. *c.* 14. *in princip. p.* 757. quamvis autoritatem omiſerit.

ABBREVIATIO, Gr. βράχυνσις, vel βραχυσμὸς, quid communiter ſignificet, ex aliis Lexicis quoque conſtat. Hujuſmodi *abbreviationes* in Scriptura Medicis eſſe uſi atiſſimas, patet ex eorum ſcriptis, præſertim e formulis remediorum. Dicitur & *Abbreviatura*. Legatur de his Joh. Theod. Schenk. *de præſcrib. medic. formul. p. m.* 84. Alias *abbreviatio* quoque uſurpatur Spagyrice de *proceſſu* quodam breviori, v. g. *Philoſophia Adrop* a Guidone a Monte *in Deſcriptione illius. Theatr. Chym. Vol. VI. pag.* 557. 558. Jung. Libav. *in Apoc. Hermet. part. poſter. T. II. oper. p.* 348.

ABDITUS, pro *inditus*, vel *abſconditus* accipitur apud Scribon. Larg. *n.* 132. *abditum* veſica, pro veſicæ incluſum. Celſus *Medicin. l.* 1. *in præfat. p. m.* 4. *abditas* vocat cauſſas minus evidentes & morbos continentes, in quibus requiritur, ex quibus noſtra corpora ſint, quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat, quarum tamen notitiam nec ſemper poſſibilem, nec etiam neceſſariam eſſe e Th. Sydenham demonſtravit Theod. Janſon ab Almeloveen *in Invent. Novantiq. p.* 99. 100.

ABDOMEN, ab *abdendo*, communiter idem eſt, quod *imus venter*. Græce γαστὴρ, præſertim Ariſtoteli *l.* 1. *Hiſt. an. c.* 13. vocatur, qui ſuperius quidem cartilagine enſiformi, ad latera coſtis ſpuriis, interius ſepto tranſverſo, inferius autem oſſibus pubis circumſcribitur, ac dividitur in partem ſupremam, quam in ſpecie ἐπιγάστριον, *Epigaſtrium*, nominant, cujus latera ſub coſtis ſpuriis & cartilagineis *Hypochondria* dicuntur; in partem mediam, quæ eſt *regio umbilicalis*, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν, Hipp. 2. *aph.* 35. cujus latera *Ilia* appellantur: & in partem infirmam ſeu *Hypogaſtrium*, ὑπογάστριον, Hippocr. ἦτρον d.l. cujus latera *Inguina*, Græce βουβῶνες, vocantur; Ejus vero pars piloſa, αἱ ὑπὲρ τὰ αἰδοῖα τρίχωσις, *Pubes* nominatur. Damnavit vocabulum *Abdomen* Caſp. Bauhinus *in Theatr. Anat. lib.* 1. *c.* 1. ſed abſque addita ratione, more videlicet judicis, haud dubie reſpiciens ad loca Plinii *Lib.* 2. *hiſt. nat. c.* 37. & *lib.* 8. *c.* 51. ubi vocab. hoc ſcrophis & ſuibus adjudicavit. Conſentit Spigel. *l.* 1. *de H. C. F. c.* 3. Verum nihilominus defendi poſſe autoritate Celſi *l.* 4. *c.* 1. *fin.* recte judicavit Joh. Ant. van der Linden, *Medic. Phyſiolog. l.* 2. *c.* 4. *art.* 1. §. 1. *p.* 38. quem ibidem de hoc vocabulo prolixius differentem legere, ſi libet, licet. Strictius quoque aliquando *Abdomen* ſumi poſſe, vel pro parte anteriori imi ventris, vel pro communibus & propriis membrorum ad ſtabulum nutritionis & officinam procreationis ſpectantium integumentis, vel pro hypogaſtrio & ſumine, nolumus præfracte impugnare.

ABDUCTIO, ἄπαγμα vel ἀπόκλασμα, idem, quod *Abruptio*, eſt *fracturæ ſpecies*, quæ prope articulum per totam oſſium craſſitudinem fit, ita ut a ſeſe plurimum diſtent. Quales fracturæ a recentioribus καυληδὸν *caulatim facta fractura* nuncupantur, teſte Gal. *com.* 3. *in Hipp. de iis, quæ in medic. fiunt t.* 31. Jungatur Foëſ. *Oec. pag.* 67. *Abducere* etiam pro *bibere* ſumtum legitur apud Scribon. *n.* 122. notante Rhodio *in Lex. Scribon.* Alias Muſculi *Abductores* vel *Abducentes* vocantur in Anatomicis, qui a corpore vel parte vicina membrum vel partem ſemovent, v. g. *Abductores* manuum, digitorum, pedum &c. vide Barthol. & alios. His opponuntur *Adductores* vel *Adducentes*, qui admovent.

ABEBÆOS, ἀβέβαιος, Lat. *infirmus*, debilis, *inconſtans* dicitur apud Hippocr. *de ſignis* 2. *aph.* 37. adde Dieterich. *Iatrei Hippocr. n.* 1.

ABESAMUM eſt *Lutum Rotæ*. Ruland. & Guilielm. Iohnſon *in Lex. Chym.*

ABESTUS, idem, quod *Asbeſtus*, de quo inferius. Videtur Lectio mendoſa. Ruland. *d. loc.* Dicitur & *Albeſten*, *ibid.*

ABESUM, id eſt, *Calx viva*. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

ABEVACUATIO, ἀποκένωσις, h. e. partialis evacuatio. Vide *Cenoſis*.

ABICUM, idem quod *Coopertorium*. Rul. & Iohnſ. *d. l.*

ABIT vel ABOIT, id eſt, *Ceruſſa*. Rul.

ABLACTATIO, ἀπογαλακτισμὸς, vocatur, cum fœtus a lacte materno depellitur, legitur apud Hipp. *de dentitione*, *ed. Lind. II.* 11. vid. Foëſ. *p.* 72.

ABLATIO, ἀφαίρεσις, triplicem in Medicina habet ſignificationem: prima eſt Hippocratis, quando *in lib. de flatib. III.* 13. definivit per additionem & *ablationem*; additionem eorum, quæ deficiunt; *ablationem* horum, quæ excedunt, & hæc omnes evacuationum & remotionum ſpecies complectitur. In ſpecie tamen uſurpavit de ſubtractione victus, 1. *aph.* 19. de ſanguinis e venis remotione, 7. *aph.* 53. *Coac. t.* 360. Jungatur Foëſ. *d. l. p.* 110. Dieter. *Iatrei n.* 133. Altera eſt Galeni *l. de morbor. temp. c.* 6. ubi ſignificat *tempus remiſſionis* poſt paroxyſmum, ſive ad integritatem veniat, ſive non. Vocatur & *Intervallum*. Vide *Dialeimma*. Tertia eſt Chymica, denotatque *abſtractionem* per partem ſuperiorem, variiſque modis perficitur. In ſiccis, quæ lenius adhærent, derſio fieri poteſt per pedem leporinum, vel ſimilia: quædam penna, cultellis auferimus: quædam detergimus adſtricto panno, vel ſcopis, iiſque ſetaceis, ferreis, ligneis, &c. Rul. & Iohnſon. *in Lex.* Eſt & ſignificatio ἀφαιρέσεως peculiaris apud Hippocr. *de dec. orn. V.* 22. & *rapinam* notat, ſed eſt extra pomœria artis Medicæ.

ABLUENTIA vocantur medicamenta, quæ & *Abſtergentia*, ῥύπτοντα καὶ ἀποπλύνοντα dicuntur, quæ ſuccum mordicationem facientem, præſertim in inteſtinis, leniendo ſecum educunt, & mordicationis fiunt medela, Galen. *l.* 2. *de Simpl. fac. c.* 12. Hæc *adſtringentibus* opponuntur, *l.* 1. *d. t. c.* 37. *Abſtergentia* vel *Detergentia* duum alias ſunt generum: Alia detergunt ſordes, quæ ſaltem ſunt in ſuperficie, & hæc proprie *Abluentia* dicuntur; alia, quæ etiam ſordes in materia impactas detergunt, quæ rectius *Detergentia* vocantur, Fallop. *de Med. purg. ſimpl. c.* 10. *Tom. I. Oper. p.* 55.

ABLUTIO, ἀπόνιψις, καταίκλυσμὸς, alia eſt *externa*, quæ fit in balneis, ſive totius corporis, ſive certorum ſaltem membrorum: alia *interna*, ad quam Veteres magnam copiam ſeri lactis propinare ſoliti ſunt, cujus meminit Gal. *de ſal. diæt. t.* 18. alia eſt *Chymica*, quæ eſt exaltatio crebris infuſionibus res immundas *abluens* & ad puritatem reducens. Eſtque vel Imbibitio, vel Cohobatio, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* In negotio tranſmutationis metallorum quæ & qualis dicatur *Ablutio*, legatur *in Operibus Mineralibus* Joh. Iſaaci *c.* 26. *Th. Chym. Vol. III. p.* 435. quamvis adeo obſcure, ut vix queas intelligere, quid velit. Paulo aliter *in Roſario abbreviato*, *ibid. p.* 654. *Abluere* eſt inhumare, deſtillare & calcinare. Jungatur & David. Lagnæi *Harmonia Chymica Vol. IV. p.* 749. *ſeqq.* & 764. Pertinet quoque huc *Ablutio Latonis* ænigmatica, & fit per Lac Virginis, h. e. per Mercurium Philoſophorum reſolutum, ſeu reductum, qui & Azoth dicitur & Aqua permanens. Libav. *Synt. Arcan. Chym. l.* 7. *c.* 8.

ABNELECTEN, id eſt, *Alumen*. Dicitur & *Asfor*. Rul. *in Lex. Chym.*

ABOIT, vide *Abit*, i. e. *Ceruſſa*. Dicitur & *Alkarat*. V. Idem.

ABOLITIO *pulſus*, ἀσφυξία, vide *Aſphyxia. Pulſus.*

ABOLLAM ſignificat veſtimenti genus, quod Æſchylum inveniſſe ſcribit Theodor. Janſſon ab Almeloveen *in Rer. inventar. Onomaſtico p.* 1.

ABOMASUM, Barth. *Abomaſus*, ἤνυςρον, vide *Enyſtron.*

ABOMINATIO, ἀποσιτία, idem ſignificat, quod *Faſtidium ciborum*, & differt ab Inappetentia: illud vocabulum uſurpavit P. M. de Caldera *Tom. II. Oper. p.* 105. D. Jung. Joh. Anglicus *Roſ. Angl. p. m.* 328.

ABORTUS, ABORSUS, indiſcriminatim accipiuntur, quamvis ex Nonnio Marcello differentiam aliquam ponat Dieterich. *in Iatr. n.* 202. *Aborſum* dicens fœtus corruptelam, quæ fit in primis menſibus: *Abortum* vero, quæ prope tempus. Caſp. Barthius *Adverſ. l.* 38. *c.* 15. vix Latinum eſſe vocabulum *Aborſus judicat.* Et cui bono hæc λεπτολογία? Græce dicitur, ἄμβλωσις, ἐκτρωσμὸς, φθορὰ, ἀποφθορὰ, διαφθορὰ, ἐκβολὴ, ἐξάμβλωσις. Eſt vero nihil aliud, quam fœtus imperfecti vel immaturi excluſio a cauſſis internis vel externis violentis inducta. Pleraſque *abortus* cauſſas enumeravit Galen. *c.* 2. *in l.* 3. *Epidem. t.* 8. Medicamenta *abortum* promoventia Græcis dicuntur ἀμβλωτικὰ, φθόρια, ἐκβόλια, ἀποφθόρια: An licitum ſit talibus uti medicamentis ad provocandum abortum propter aliquem caſum, aut vitæ periculum, prolixe ventilavit Caſp. Reies *Camp. Elyſ. quæſt.* 51. Jungatur & Dieterich. *d. l.*

ABRABAX, vox Magica, quæ & *Abraxas*, dies anni literis numeralibus comprehendens. Libav. *in Exam. Philoſ. novæ Crollianæ Tom. IV. Oper. p.* 55.

ABRACADABRA eſt vox caballiſtica & magica, quam Serenus loco amuleti commendavit in curanda febre ſemitertiana, *in ſua Medicina metrica c.* 52. modum vero utendi ulterius declaravit Robert. Keuchenius, *in not. ad h. l. pag.* 175. *ſeq.* Plura etiam de hac voce legantur apud eundem *in proleg. p.* 59. Verum apage has aniles & diabolicas περιεργίας. Nobis Chriſtianis abominanda hæc characterologica ſunto. Satius enim eſt, morte crudeliſſima mori, quam per execranda & vetita remedia ſanitatem acquirere. Igitur chartam & characteres ſubnecti collo, quicquid inſcribatur, cum Chryſoſtomo & Auguſtino ſtatuimus, meram eſſe idololatriam, ſi ignorantes fecerint: ſortilegium vero, ſi illud illi conceſſerint, qui noverunt interdictum, nec eo minus fidem ſuperſtitionibus adhibent; libet ejuſdem cordatam ἐπίκρισιν lectu notatuque digniſſimam *p.* 65. traditam annectere.

ABRASAXAS, *Baſilidis* eſſe dicitur character, qui circulo inſcriptus muſcas abigit, ſi credere fas eſt: unde fortaſſis Serenus ſuum *Abracadabra* deduxit. Libav. *defenſ. Syntagm. contra Scheunem. I. c.* 2. *in Tom. III. Oper. p.* 4.

ABRASIO, ξυσματώδης διάθεσις, eſt ſuperficiaria quædam partium membranearum exulceratio, ita ut quædam ſecedant ramenta, quemadmodum in ſpecie *abraſionis* in inteſtinis meminit, ejuſque noxam exponit Galen. *c.* 3. *de rat. vict. in ac. t.* 33.

ABRASUM, ἀπόσυρμα, vide *Apoſyrma.*

ABRIC, id eſt, *Sulphur*. Dicitur & *Kibit*, *Kibut*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ABRUPTIO, vide *Abductio.*

ABSCEDENTIA, ſive *quæ abſceſſerunt*, τὰ ἀφιστάντα vocat Hippocr. omnia, quæ, cum corpus ſecundum naturam ſeſe habeat, vel unita aliis partibus ſunt, vel congrua: cum præter naturam affectum eſt, unionem vel contactum non amplius ſervant. Ita Hipp. oſſa in ulceribus annuis & chronicis abſcedere dixit 6. *aphor.* 45. Huc pertinent etiam Expanſa, de quibus ſuo loco Gal. *c.* 2. *de iis, quæ in medic. t.* 25.

ABSCESSIO, ἀπόστασις, inter alias ſignificationes hanc quoque recipit, quod denotet continuitatis vel contiguitatis ſolutionem, quæ fieri ſolet plerumque in criſi imperfecta a materia morbifica ad aliam partem vergente & collecta. Quo pertinent *aphoriſmi* 31. 32. 74. *ſect.* 4. & 2. *prognoſt. t.* 34. 65. Alias vocabulum *Abſceſſio* latius quoque acceptum legitur apud eund. Hippocr. & Galenum, quatenus denotat tranſitum unius febris in aliam, *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 21. vel omnis generis evacuationes, morbis acutis ſupervenientes, *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 39. & *l.* 1. *Ep. ſ.* 2. *t.* 8. ubi Galen. *in Comm.* cum additione appellat ἀπόστασιν κατ' ἔκρουν, *abſceſſionem cum effluxu.* Plura vide apud Dieterich. *Iatr. n.* 93. quamvis in eo mihi videatur hallucinatus, dum in Galenum cenſoria virgula uſus eſt, ideo, quod vocabulo *Abſceſſionis* plane inuſitatam & Hippocratis menti adverſam ſignificationem attribuerit, *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 68. quaſi perfectam criſin *apoſtaſis*, *metaſtaſis* vero imperfectam *d. textu* notaret, quod tamen ex ipſo commentario evinci nequit. Quin potius mihi videtur Gal. *ibidem* demonſtrare diſtinctos ſolutionis modos in morbis acutis contingentes, videlicet 1. per evacuationem manifeſtam, quæ eſt criſis perfecta. 2. per *abſceſſum* ad partem ignobiliorem, ceu imperfectam criſin. 3. per metaſtaſin ſive tranſmutationem in morbum lentum ſive chronicum, minus tamen periculoſum, qui ſucceſſive, cauſſa peccante per loca convenientia educta, ſolvitur.

ABSCESSUS, ἀπόστημα, præter illas ſignificationes, quas cum Abſceſſionis vocabulo communes habet, utplurimum denotat tumorem præter naturam, cujus materia collecta vel ob caloris vitalis debilitatem degenerat aut in pus, aut in ſaniem; aut certo quodam *folliculo* & membrana incluſa vel ſpeciem pultis, ut in *Atheromate*: vel mellis, ut in *Meliceride*: vel ſevi, ut in *Steatomate*, præ ſe fert. Hinc diſtinctio inter *Abſceſſus ſine & cum folliculo* introducta fuit. Interdum etiam in *abſceſſibus* reperiuntur carbones, teſtæ, amurca, lutum, lapides, & aliæ id genus corporum proprietates, quæ omnes toto genere ſunt præter naturam. Hier. Fabr.

ab Aquapend. *de Operat. Chirurg. p. m.* 142. *Edit. Patavin.*

ABSCISSIO, ἀποκοπὴ, quadruplicem habet ſignificationem. I. *Exitum morbi*, qui citra declinationem terminatur, vel propter ægrotantium imbecillitatem, vel propter cauſſæ morbificæ vehementiam & ferociam, quando ſupra vires exiſtit, quod lethalium morborum eſt proprium. Galen. *l. de tot. morb. temp. c.* 1. & 5. II. Significat *ſpeciem fracturæ oſſis*, quæ & ἀπόθραυσις vocatur, cum oſſis pars abſcinditur & detrahitur; vel reſectæ alicujus partis mollioris, nervi videlicet, aut tenuis particulæ genæ, aut præputii, ex 6. *aph.* 19. & 7. *aph.* 29. Vocatur & διακοπή. Jung. Foeſ. *Oec. p.* 74. III. Dicitur *Abſciſſio* de *vocis obſcuritate* & interceptione, apud Dioſcor. *l.* 2. *c.* 146. unde & Celſus *vocem abſciſſam* vel ſuppreſſam vocavit. Scribon. Larg. *n.* 72. 100. Adde Rhod. *in Lex. Scrib.* Dicitur & *vocis amputatio* apud Cæl. Aurelian. *l.* 2. *de morb. chron. c.* 6. IV. *Abſciſſionis* vox etiam ſumitur pro *operatione chirurgica*, qua pars quædam corrupta vel alia materia vitioſa inſtrumento ſecante reſcinditur, apud Hildan. *in Centuriis Obſervationum*, alioſque Autores.

ABSCONSIO, idem, quod *Sinus*. Græce κόλπος, Latine etiam *Caverna* dicitur, quamvis nonnulli dicunt, *abſconſionem* eſſe, quod penetrat ſub cute, & ſeparatur ab eo cutis, *Cavernam* illud, quod concavat inflectiturque ſub cute, & dilatatur in ea. Illam Græci in ſpecie dicunt ῥακώδη, *lacernoſum ſinum*, attritæ videlicet veſti lacernæque ſimilem. Hanc vero ὑπόνομα, *cuniculoſum.* Ingraſſias *in Avic. de Tum. p. n. Tract.* 1. *c.* 1. *p. m.* 81.

ABSORBEO, ἀναπίνω. Vide *Anapinoma. Abſorbentia*, ἀναπίνοντα, dicuntur medicamenta, quæ ſiccitate ſua terreſtri ſalia acria & acida in humoribus corporis humani hærentia imbibunt, unde & *Imbibentia* vocantur. An vero recte Aperientibus annumerentur, uti fecit Dn. D. Waldſchmidt *Inſtit. l.* 5. *c.* 16. §. 12. aliis ventilandum relinquimus, nobis per accidens talia dicenda eſſe videtur.

ABSTEMIUS proprie ſignificat illum, qui vino abſtinet, unde & Græcis ἄοινος. An vero etiam lata ſignificatio, quam Blancardus *in Lexico ſuo* ipſi tribuit, quod is, qui cibis & potu a Medico interdictis ſe abſtinet, autoritate nitatur, nobis non conſtat.

ABSTERGENTIA, vide *Abluentia.* Recentiores e Carteſianis principiis vim *abſtergentem* in aſperis duriuſculis pectinatis & ſcopalibus particulis ſordes abradendo auferentibus conſiſtere volunt.

ABSTINENTIA, ἀσιτία, νηστεία, dicitur plerumque de cibo & potu, eſtque debita alimentorum intermiſſio & carentia, quæ duplex eſſe poteſt: alia omnimoda & *totalis*, quæ Græcis etiam λιμοκτονία dicitur, Galen. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 61. alia *particularis*, quo pertinet *victus tenuiſſimus*, & *tenuis*, quando æger, non niſi, quod oportet, aſſumit. Celſ. *l.* 2. *c.* 16. Rolfink. *Ord. & Med. Medic. Comment. l.* 14. *ſect.* 1. *c.* 6. *Dogm. noſtra Medicinæ General. Part. V. c.* 2. *dogm.* 10. Scrib. Larg. *n.* 6. Rhod. *in Lex.* Dicitur & *Abſtinentia*, generaliter de omni re. Scrib. *n.* 52. & 122.

ABSTRACTICIUS, vel *Abſtractivus*, nonnullis hodiernis Chymicis vocatur Spiritus & vegetabilibus paratus, quatenus opponitur Spiritibus per fermentationem productis. Et locum habet in illis plantis, quæ multo abundant ſale volatili. Ita Spiritus Cochleariæ *abſtractivus* melior eſt eo, qui per fermentationem paratur. Legitur vero hoc vocabulum apud Dan. Ludovici *Pharmac. diſſert.* 1. *p.* 457.

ABVACUATIO, ἀποκένωσις, denotat *largiorem evacuationem*, corpori plus æquo plethorico cacochymico convenientem, quando præſertim palindromia materiæ peccantis urget, ex Galen. *art. parv. c.* 96. vertente ita Græcum vocabulum Nicol. Leoniceno. Alias Latinum eſt inuſitatum.

ABUNDANTIA, ABUNDANS, περίσσωσις, περισσός. Vide *Periſſos*, *Periſſoſis.* Significatio etiam ex aliis Lexicis jam nota eſſe debet.

ABUSUS, κατάχρησις, quid ſignificet, aliunde etiam notum eſt. *Abuſus* rerum non naturalium ut & medicamentorum chirurgicarumque operationum ſunt cauſſæ procatarcticæ morborum. Vide paſſim *Inſtitutiones Medicas.*

ABYSSUS, ἄβυσσος, proprie ſignificat infinitam aquarum congeriem, quæ fundum non habet. Tropice vero etiam pro materia prima accipitur a Guil. Menenſ. *tract. Aurei velleris l.* 1. *c.* 7. *in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 274. Eſt & terminus Paracelſiſtarum myſticus, quo denotatur proximum receptaculum ſeminalis materiæ cavum, ſolidum, utplurimum humidum, quia & ſemina ſunt ſpiritualia & humida, propter quæ omnia ſunt facta. Libav. *in Exam. Philoſoph. vivent. Tom. IV. p.* 139.

ACACOS, ἄκακος, ſumtum legitur de morbo nullum vitæ periculum conjunctum habente a D. Pechlino *l.* 1. *Obſ. Phyſ. Med. Obſ.* 71. *p.* 188. & in ſpecie *de Aphthis puerorum.*

ACADEMIA quid ſignificet, aliunde debet conſtare; locum videlicet publicum docentium & diſcentium artes nobiliores & ſcientias: *Academia* vero *Paracelſi* dicitur *univerſa Natura*, per quam Deus ſeſe cernendum præbet tam potentem, tamque ſapientem, modo quæramus eum. Dornæus *de Genealog. mineral. c.* 7. *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 576.

ACÆRIA, ἀκαιρία, *Acæros*, ἄκαιρος, ſignificat *importunitatem* & *intempeſtivum.* Vide *Importunitas.*

ACAHI eſt *Aqua Aluminis.* Dicitur & *Achahi*; item *Feſeol.* Rul. *in Lex.*

ACAID eſt *Acetum* vel *Acetoſum.* Rul. & Ionhſon. *in Lex. Chym.*

ACALAI, id eſt, *Sal.* Dicitur & *Alet.* Iidem.

ACALCUM, id eſt, *Stannum*, Jupiter. Mül. L. M.

ACAMA-

ACAMATOS, ἀκάματος, media eſt omnium membrorum figura, quaſi *ſine fatigatione* dixeris, eaque optima. Galen. *l.* 2. *de mot. muſc. c.* 1. Occurrit & apud Hippocr. *c.* 1. *de fract. t.* 16. ubi mendoſe nonnulli ἄκαμπτος legerunt, animadvertente Foëſ. *Oec. p.* 15.

ACANOR, *Furnus Philoſophorum.* Müll. *L. M.*

ACANTHA, ἄκανθα, generaliter ſignificat *ſpinam* qualemcunque: preſſius ſi ſumatur, animalium quorundam, ut Echinorum piſcium notat *aculeos*. Hinc piſcis quidam *Galeus* ad differentiam aliorum Galeorum vocatur *Acanthias*, ἀκανθίας, *Aculeatus*, *Spinoſus*, a duobus aculeis, quos in dorſo habet. Rondelet. *l.* 13. *de piſc. c.* 2. de Galeo vero vide infra in GA. In ſpecie vero *Acantha* etiam dicitur *ſpina dorſi*, ſeu potius vertebrarum dorſi proceſſus in id facti, ut violentiam extrinſecus incidentium & medullæ damnum parantium retundant. Gal. *l.* 12. *de V. P. c.* 15. Junge *Comment.* Caſp. Hofm. *ad h. l. n.*921. Dicitur alias ῥάχις. Vide infra *Rhachis*. Derivatio Blancardi ab ἀκὴ & ἀνθίστημι commentitia & inepta videtur. Cum ἀνθίστημι jam ſit verbum compoſitum, in nomine vero *Acantha* ne veſtigium quidem verbi ἵστημι obſervare liceat.

ACANTHABOLOS, ἀκανθάβολος, dicitur Æginetæ *l.* 6. *c.* 32. inſtrumentum chirurgicum pro extrahendis ſpiculis, ſpinis piſcium, turundis, pilis, &c. quod Celſus *Volſellam* dixit *l.* 7. *c.* 30. Ejus delineatio habere apud Scultetum *Armam. Chirurg. Tab. II. Fig. I.* Recurvum quoque aliud *Acanthaboli* nomine ad faucium chirurgiam commodum exhibet idem ex Aquapend. *Tab. X. Figur. I.*

ACANTHIS, ἀκανθὶς, vide *Carduelis*.

ACARDIOS, ἀκάρδιος q. d. *Lat. Secors*, *Excors*, qui ignavus, timidus, imbecilliſque eſt, quemadmodum cor reaſſumere dicuntur ii, qui ad rem fortem obeundam excitantur. Gal. *l.* 3. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 4.

ACARI eſt animalculum minimum, quod juxta Ariſtot. in cera gignitur. Alii vero tribuunt hoc nomen *pediculis* ſub cute & cuticula latitantibus, qui *Cirrones*, vel *Cyrones* vulgo dicuntur. Aldrov. *l.* 5. *de Inſect. c.* 4. Nic. Piſo *de morb. cogn. & cur. l.* 1. *c.* 4.

ACARNAN, ἀκαρνάν, ἄχαρνος, ἄχαρνα, *Acarne*, eſt piſcis *Orpho* ſimilis ratione carnis: colore vero differt, cum ſit albus, ſquamis argenteis. Carne eſt candidiſſima, facile concoquitur, diſtribuitur, & bonum ſuccum gignit. Rondelet. *l.* 5. *de piſc. c.* 20. Aldrov. *l.* 2. *h. tit. c.* 10.

ACATALEPSIA, ἀκαταληψία, *incertitudinem* in cognoſcendo ſignificat: Ejus contrarium κατάληψις. Galen. *l. de ſect. c.* 5.

ACATASTATOS, ἀκατάστατος, dicitur *Inconſtans*, uſurpaturque de febribus apud Hippocr. quæ nihil certi neque in periodis, neque in urinis retinent, ſed ſemper variant. 4. *de R. V. I. A. t.* 52. De horrore *Coac. t.* 584. De urina *l.* 1. *prorrhet. com.* 1. *t.* 31. *Coac. t.* 198. De tempore *l. de Humor. VII.* 15. De morbis in genere 3. *aphor.* 8. Junge Foëſ. *Oec. p.* 15. Dieter. *num.* 26.

ACATHARSIA, ἀκαθαρσία, *impuritatem humorum non purgatorum*, ſordes & illuviem, ipſam etiam intermiſſam purgationem ſignificat apud Hipp. *l.* 3. *de Morb. II.* 2. *& III.* 3. *c.* 3. *de fract. t.* 33. adde Foëſ. *d. l. p.* 14.

ACAZDIR, id eſt, *Stannum.* Dicitur & *Alkain*, *Alomba*. Rul. & Iohnſ. *d. l.*

ACCATEM, ACCATUM, id eſt, *Aurichalcum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ACCELERATORES vocantur muſculi penis ab ipſius urethræ parte ſuperiore, dum ſub oſſibus pubis progreditur, procedentes, qui etiam venas cavernoſi corporis urethræ coarctant, quemadmodum legitur *in Supplementis Actor. Eruditor. Lipſ. Tom. II. ſect. XI. p.* 507. *&* 510. ex Guilielmi Cowper Chirurgi Angli *Myotomia reformata cap.* 5. *& appendice.*

ACCESSIO, παροξυσμὸς, eſt deterius tempus totius in morbis intermittentibus periodi. Frequentius autem apud Latinos in uſu eſt vocabulum *Paroxyſmus*, de quo ſuo loco. Dicitur & *Exacerbatio. Acceſſio* quoque idem ac ἐπισημασία, ſcil. proprium in febribus intermittentibus invaſionis febrilis ſpecificæ ſymptoma. Vide Rhod. *in Lexic. Scrib. Acceſſio*, Græce ἀρχὴ καὶ ἐπισημασία, dicitur primi paroxyſmi εἰσβολὴ vel *invaſio*, ſeu tempus illud indiviſibile, quo humor morbum faciens vel fovens moveri incipit. Ionſton. *Synt. Med. P. II. l.* 1. *tit.* 1. *c.* 1.

ACCIB, id eſt, *Plumbum.* Rul. & Iohnſ.

ACCIDENS, συμβεβηκὸς, in genere notat omne id, quod ſubſtantiæ opponitur. Specialiter vero in Medicina ſumitur pro omni eo, quicquid corporis diſpoſitionem neceſſario ſequitur, ſive illud ſecundum, ſive præter naturam fuerit. Aliquando vero, & quidem recte, ſtrictius ſi accipitur, ea, quæ ſanorum diſpoſitionem conſequuntur, *Accidentia* vocantur. Galen. *l.* 1. *Meth. med. c.* 9. Unde licet Interpretes Latini etiam de rebus p. n. uſi ſint vocabulo *Accidentis*, in Græco tamen textu nunquam non occurrit vocabulum σύμπτωμα. *Non accidentia*, οὐχ ὑπάρχοντα, Græce a recentioribus vocari ἀσυμβεβηκότα, quæ non exiſtunt, quamvis exiſtere poſſent, ut, dolore vacare, & hujuſmodi alia, ſcripſit quidem Gal. *comm.* 1. *in prognoſt. Hipp. t.* 27. verum in nullo Autore hoc reperire licet, neque in aliquo Lexico invenitur.

ACCIPITER, ἱέραξ, vocabulum haud expers æquivocationis. Vel enim ſignificat genus *avis rapacis*, voracis, acuto viſu præditæ, de cujus variis ſpeciebus, uſuque in Medicina legatur Ulyſſ. Aldrovand. *l.* 4. *Ornitholog. & l.* 5. Adde Schröder. *l.* 5. *cl.* 2. *p.* 313. vel ſignificat piſcem, ut eſt apud Athen. *l.* 7. *c.* 38. *& l.* 8. *c.* 9. qui etiam *Milvus* dicitur, de quo Rondelet. *l.* 10. *de piſc. c.* 8. Aldrov. *h. tit. l.* 2. *c.* 5. Vel in Chirurgicis ita vocatur *faſciæ* vel deligationis ſpecies naſo deſtinata, vel cum duabus vel tribus faſciis, Gal. *de faſciis n.* 46. 47. *&* 53. Reliquæ

liquæ ſignificationes, videlicet, quod vir quidam illuſtris, qui primus Cereri templum poſuiſſe fertur ex Antonio Liberali *in Metamorph. Accipitris* nomen habuerit; & quod ſpecies tormentorum bellicorum, quæ hodieque vernacule *Musket*, Ital. *Moſchetti* appellantur, *Accipitris* quoque nomine venerint, non ſunt hujus loci.

ACCOMMODATUS, ἰσκεῖ@, dicitur de eo, quod in unoquoque corporis membro, & figura, & colore, & magnitudine optime ſeſe habet. Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 2. Dieter. *n.* 605.

ACCRETIO, vide *Augmentatio*.

ACCUBITUS dicitur, quando aliquis cum alio in uno lecto concumbit, abſque tamen congreſſu venereo: Et de hoc diſputat Joh. Bapt. de Lamzweerde *in Hiſtor. molarum uteri*, an virgo vel vidua ſolo *accubitu* concipere poſſit, *c.* 21. *p.* 181.

ACCURATORIA vocatur Lullio Synopſis vel Epitome de lapide Philoſophico, *in Theatr. Chym. Vol. III. p.* 72.

ACCUSATIO, idem, quod *Indicatio*, quatenus denunciare videtur Medico, quid ſibi faciundum ſit juxta Methodum medicinalem. Mich. Gavaſſetius *de Indic. curat. c.* 4. *p. m.* 50.

ACEDIA, ἀκηδίη, *incuriam*, neglectionem ſignificat, a κῆδος, cura. Quid vero ſignificet apud Hipp. *l. de Glandul. IIX.* 11. non adeo evidenter liquet. Interpretes reddiderunt per magnum tædium & moleſtiam. Foëſ. legit ἀκιδίη *p.* 15.

ACEPHALOS, ἀκέφαλος, proprie ſignificat *monſtrum ſine capite*, ſive *capite carens*; Quod vero naturaliter populi tales fuerint aut hodieque ſint, de quibus apud Plin. *l.* 5. *H. N. c.* 8. & alios, merito hodieque pro fabula habetur. Jung. Zacchiæ *Quæſt. Med. Legal. l.* 7. *Tit.* 1. *q.* 1. *n.* 35. De monſtris vero *Acephalis* Obſervationes collectas lege etiam apud Bonet. *Medic. Septentrional. Collatit. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 1. *p.* 15. *ſeqq.*

ACERATOS, ἀκήρατος, h. e. *incorruptus*, ſincerus, purus. Uſurpatur de humore apud Hipp. *l. de Affect. XLVI.* 6. Dicitur & ἀκηράσιος, ἀκήρεος, i. e. *incorruptibilis*, Foëſ. *p.* 16.

ACERBUS, στρυφνὸς, vide *Stryphnos*.

ACERIDES, ἀκηρίδες (male ἀγκηρίδες, monente Foëſ. *p.* 16. & C. Hofmanno *in notis ἀντικεῖτοις ad Gal.* 3. *de iis q. in med. t.* 14.) vocarunt *Emplaſtra*, *quæ carent cera*. Tale etiam legitur apud Gal. 4. *de C. M. P.G. c.* 14. *fin.* Talis eſt compoſitio decantatiſſima, quæ *Emplaſtrum Norimbergenſe* & *Irnſingerianum* ab autore vocatur.

ACEROSUS, idem, quod *Furfuraceus*, πιθυρίας, Epitheton panis viliſſimi, qui omnium minime nutrit. Dicitur & *Canicaceus* a *canicis*, ſive furfure farinaceo. Ionſton. *Synt. Med. p.* 45.

ACESIS, ἄκεσις, idem, quod ἄκος, *medelam*, *curationem* ſignificat. Hippocr. *de præcept. l.* 3. *VI.* 10. Verbum ἀκέεσθαι, *mederi*, ſanare, quod legitur 1. *de fract. t.* 34. Hinc & ἄκεστος, *ſanabilis*, vocatur, quo aliquoties uſus Hipp. ut & oppoſito ἀνήκεστος, *incurabilis*, 3. *de artic. t.* 103. Foëſ. *d. l.* ἄκεσις quoque dicitur Medicis ſpecies *Chryſocollæ factitiæ* ex pueri urina, quæ medicinæ uſibus inſervit. Gorr. *in definit. ex Plin. l.* 33. *c.* 5. item Aceſia, ἀκεσία, ſanatio, & ἀκεστὸν, quod ſanationi conducit. Erotianus.

ACESTORIS, ἀκεστορὶς, dicitur *medicatrix*, Hippocr. *l. de flat. l.* 8. & contracte ἀκεστρὶς pro *obſtetrice* ponitur, *l. de Carn. in fin.*

ACESTRA, ἄκεστρα, acum ſignificat, ſicut ex *Onomaſtico Latino-Græc.* Vulcanii demonſtrat Rhodius *in Diſſert. de Acia c.* 10. *p.* 133. unde ἀκεστὴς *ſartorem* notat, ſicut e loco Xenophontis conſtat, *p.* 134.

ACETABULUM, κοτύλη, κοτυληδὼν, variis gaudet ſignificationibus. I. & quidem generalius denotat *oſſis cavitatem* alterius oſſis caput profundius excipientem. Gal. *de Oſſib. in proœm.* Specialius vero applicatur cavitati, quæ eſt in extrema cervicis ſcapulæ parte, caput brachii excipiens. Galen. *c.* 1. *de artic.* 1. 21. Græcis ὠμοκοτύλην, h. e. *humeri acetabulum* dici teſtatur Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 52. Huic in inferioribus reſpondet ſinus profundior oſſis coxæ, qui femoris caput globoſum excipit, itidem ſpecialiſſime *Acetabulum* vel *Cotyle* dictus a Ruffo *l.* 3. *de partib. c.* 5. Mundinus *in Anat. pyxidem* appellavit. Papias *vertebram*, quia in ea caput femoris vertitur. Linden. *d. l.* §. 107. II. *Acetabula*, *Cotyledones*, κοτυληδόνες ab Anatomicis veteribus & recentioribus carneæ moli vel glanduloſæ, quæ in homine *placentæ uterinæ* vel *hepatis uterini* nomine venit, unanimiter attributa ſunt. Quid vero proprie in illa carnea mole vocabulum *Acetabula* denotet, nondum ſatis liquet. Ex Hipp. 5. *aph.* 45. nihil certi determinari poſſe videtur, num ipſam totam placentam, an vero vaſorum umbilicalium inſertionem in illam voluerit intellectam? quantum quidem ex Erotiano licet colligere, æque ac Diocles intelligit in utroque latere uteri cavitatem, in qua fœtus nutriatur, quod minus placet Erotiano in κοτυληδόνες, quem vide. Gal. *in lib. de diſſect. matric. c.* 10. & *aliis in locis* ſtatuit, *Acetabula* eſſe vaſorum, quæ ad matrices perveniunt, orificia in uteri cavitatem hiantia, quamvis in humano genere potius *Acetabulares eminentias* quaſdam (κοτυληδονώδεις ἐξοχὰς,) ſaltem adeſſe ſtatuat, quales etiam recto inteſtino in hæmorrhoidibus eſſe ſolent. Reliquas veterum ſententias collegit Hier. Fabr. ab Aquapendente *de form. fœt. c.* 4. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 350. *ſeq.* Dieterich. *Iatr. n.* 472. Ex recentioribus Harveus *in Additamentis Exercitationum de generat. anim. tit. de Acetabulis*, dixit, eſſe cellulas plurimas exiguæ capacitatis, per carnoſam ſubſtantiam diſperſas, atque albumine ſive materia mucilaginea refertas, magnitudine ſpongiæ majoris, loculamenta non excedentes, inque ſingulas earum totidem vaſorum umbilicalium ramulos tenuiſſimos profunde penetrare, & in iis alimentum

fœtui

fœtui recondi. An quoque in humano genere *Acetabula* vere occurrant, & olim & hodieque in controverſiam venit, ita, ut ex utraque parte celebres Anatomici & Medici ſteterint & adhuc ſtent, quam litem noſtram facere nec loci hujus eſt, nec inſtituti concedit ratio. III. *Acetabulum*, κοτύλη, ὀξύβαφον, ἐμβάφιον quoque *menſuram pharmaceuticam* liquidorum ſignificat: verum & hic de quantitatis certa determinatione diſcrepantes Autorum ſententias videre licet apud Lindenum *Select. Medic. Exerc. XVI.* §. 100. *ſeqq.* Rhodius *in Diſſ. de Ponder. & Menſ. ad finem* ſcribit: *Acetabulum* continere olei drachmas 18. vini ʒij & ℈xij Mellis ʒiij ℈9. P. Zacchias ex Plinio menſuram quindecim drachmarum eſſe ſcripſit. *Quæſt. Medico-Legal. l.* 5. *tit.* 4. *quæſt.* 2. *n.* 19. IV. *Acetabulum* & *Cotiledon* de plantis quoque quibuſdam dici ex Dioſcoride & Fuchſio teſtatur Bauhin. *Pinac. l.* 7. *ſ.* 8. & 9. *p. m.* 285. 287. Vide plura de vocabulo κοτύλη & κοτυληδόνες apud Foëſ. *Oecon. p.* 350. *ſeq.*

ACETARIA vocantur opſonia vel condimenta, quæcunque cruda cum aceto, oleo & ſale manduntur, Gall. *Salade d'herbes.* Quod Brunfelſ. *in ſuo Onomaſtico* exiſtimet, Græcis ὀξύβαφον dici, non videtur accurate dictum. Hoc enim nomen pertinet vel ad vaſculum, in quod acetum infundebatur ad intingendos cibos, vel ad menſuras, Cotylæ quartam partem, i. e. 24. drachmas ſignificans.

ACETOSA eſt nomen plantæ notiſſimæ apud Botanicos. Deinde nonnullis Chymicis vocabulum hoc tribuitur cum adjectivo *Eſurina* Spiritui Veneris, uti legitur in Morley *Collect. Chym. Leidenſ. c.* 497.

ACETUM, ὄξος, dicitur proprie liquor aciditate terreſtriori ac fixiori impraegnatus. Schröder. *Pharmacop. Medico-Chym. l.* 4. *cl.* 2. *n.* 368. Fr. Hofm. *in clavi ad Schröder. h. l.* De hujus natura & viribus prolixe diſſeruit Galen. *l.* 1. *de ſimpl. fac. c.* 17. *ſeqq.* Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 21. Jul. Alexand. *l.* 18. *Salubr. c.* 8. Bruyerin. *de re cibaria l.* 10. *c.* 3. Generationem vel confectionem *aceti* ex recentioribus egregie deſcripſit etiam Thomas Williſ. *de fermentat. c.* 7. Martin. Kerger. *h. t. ſect.* 1. *c.* 10. *p.* 96. *ſeqq.* Ex Noviſſimis Nobiliſſ. D. D. Joh. Bohn. Lipſienſ. Acad. Prof. Publ. celeberrimus, *in Diſſertat. Chymico-Phyſic. IX.* §. 26. *ſeqq.* ſtatuens, fieri *Acetum* mediante fermentatione peculiari, non quidem deſtruente ſulphureas particulas, ſed potius involvente & tartareas ſalinas acidas magis magiſque recludente & in fluorem cogente; unde & *Acetum* Tartarus liquidus, & Tartarus rurſus *Acetum* ſolidum & ſiccum recte dici poſſit. Jungatur & Nob. D. D. Wedelius *Ph. Acroam. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 6. *Acetum portatile* dicitur Tartarus albus ablutus ſiccatus & decies in *aceto* acerrimo infuſus, cujus proceſſus videatur *in Collectan. Chym. Leidenſ.* Chriſt. Love Morley *c.* 6. *p.* 3. In Chymicis *Acetum* etiam de variis rebus prædicatur. *Acetum Philoſophorum* dicitur *aqua Mercurialis*, quam alias *Lac Virginis* appellant, quo metalla ſolvi perhibent. Sine hoc nihil ſolvitur, nihil deſtillatur, nihil fermentatur. Circa materiam, ex qua fiat, diſcrepant Autores; Alii cum Theophraſto vitriolum; alii teſtitudines marinas per ſublimationem & deſtillationem; alii aquam pluvialem ſupra Antimonium putrefactam; alii mel & ſalem Tartari eſſe dixerunt. Rul. & Iohnſ. *in Lexic. Schröder. d. l. l.* 2. *c.* 5. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Compoſiti magis *Aceti* Philoſophorum ſalibus acidis ſulphuris & aluminis aucti deſcriptionem tradidit Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 13. *p.* 157. Alii Mercurium ipſum poſuerunt, qui & *acetum acerrimum* & *fortiſſimum* aliquoties appellatur a Dav. Lagneo *Harmon. Chym. in cap.* 1. *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 719. 721. 725. &c. *Acetum Chymicorum metallicum* fieri ex rore Majali, vel hydromelite addito ſtibio loco fermenti notavit Libavius *Syntagm. Arc. Chym. l.* 6. *c.* 8. & *l.* 7. *c.* 22. Deſcriptionem etiam *Aceti* omnia ſolventis ex Iſaaco tradidit *l.* 8. *c.* 9. Ex hac varietate deſcriptionum an certum effectum ſperare aut promittere licebit, mihi ſane non videtur. *Acetum radicale* eſt *acetum* deſtillatum ex ſua radice vel matrice: Dicitur etiam Aqua ſolvens, Dorn. Rul. & Iohnſ. Vel *Acetum radicatum* nonnullis eſt liquor ille acerrimus *aceti*, qui abſtracto phlegmate in fundo reſtat. Fit ex Cryſtallis fecum *aceti* deſtillando per retortam cum cohobiis: vel *acetum* vini bonum impone in retortam, deſtilla lento igne phlegma, refunde hoc capiti mortuo ſæpius, & digere in fimo, tandem deſtilla: Et primo quod erit ſeorſim, cape, quod poſterius igni fortiſſimo prolicitum prodit, eſt *acetum radicatum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Acetum amineum* eſt album. Iohnſ. *Acetorum* in Pharmaceuticis uſualium, qua ſimplicium, qua compoſitorum, hiſtoriam & catalogum vide *in Diſpenſatoriis Norimbergenſi, Auguſtano, Londinenſi, aliiſque,* nec non in Schröd. *l.* 2. *c.* 47. Jac. le Mort *Pharmac. Medico-Phyſica c.* 20. *p. m.* 146. *ſeqq. Acetum Eſurinum* Zwölferi eſt ſpiritus Veneris Cryſtallis viridis æris paratus, de cujus examine legatur idem *Chym. Med. Phyſ. c.* 17. *p.* 214. Deſcriptiones diverſas Aceti Antimonii juxta D. de Mort, Febvre & Wreeſwyk, videre licet in D. Helvici Iunken *Lexico Chymico-Pharmaceut. Part.* 1. *ſtatim ab initio pag.* 1. 2. 3. nec non Acetum deſtillatum parandi modos *p.* 3. & 4. Verbum *Acetare* legitur apud Apulejum *de medicam. herbar. c.* 3. quod expoſuit Gabr. Humelberg. in acredinem verti, qualis eſt in *aceto.* Item ſignificat commovere, agitari. *comm. ad ill. loc. p.* 49.

ACHARISTUM, ἀχάριστον, dicitur confectio contra catarrhos a cauſſa frigida & difficilem reſpirationem, ita vocata, quod ſit gratis & ſine munere danda, cujus deſcriptio extat *in Antidotario* Nicolai, *operibus Meſuæ annexo fol. mihi* 371.

ACHATES, ἀχάτης, dicitur gemma, quæ ex fluvio Siciliæ ejuſdem nominis, in quo primum reperta fuit, nomen adepta, coloribus & rerum imaginibus, quas ab ipſa natura formatas repræſentat, valde varians. Ejus virtutes dicuntur eſſe, venenis reſiſtere, præſertim viperino, ſitim ſedare, viſui prodeſſe, reddere facundum & diſer-

tum.

tum. Plura de *Achatis* hiſtoria & variis ſpeciebus leguntur apud Andr. Chioccum *in Muſæo Calceolariano ſect. III. p. 246. ſeqq.* pluribus.

ACHEIR, ἄχειρ, vide *Demanus.*

ACHILLEUS, ἀχίλλειος, ἀχιλλητς, epitheton denotans *magnum*, plenum & optimum. Deſumtum ab *Achille* quodam, qui agricola Babronius fuiſſe dicitur. Legitur apud Hipp. *l.* 3. *de morb. XXX.* 4. *& XXXI.* 4. & apud Theophraſt. *hiſt. pl. l.* 8. *c.* 10. *de cauſſ. plant. l.* 3. *c.* 26. *&* 27. vide & Foëſ. *Oec. p.* 114.

ACHLYS, ἀχλὺς, vel ſignificat *aëris caliginem*, & turbationem, cujus craſſamentum eſt medium inter nebulam & nubem, craſſius nebula & nube tenuius. Gal. *c.* 2. *in* 1. *prorrhet. Hipp. t.* 11. Vel in ſpecie ita dicitur *oculorum caligo* quædam & obtenebratio, ex levi & ſuperficiaria exulceratione nata, nigrum pupillæ occupans. Galen. *in def. Medic.* & Aëtio *l.* 3. *tetrab.* 2. *c.* 25. In qua ſignificatione acceptum legitur & apud Hipp. *l.* 2. *Prorrhet. XXIIX.* 33. Dicitur & ἀχλυώδεις τῶν ὀφθαλμῶν *Coac. t.* 218. cui opponitur ἡ καθαρότης, *puritas* oculorum, *t.* 217. Ægri quoque ἀχλυώδεις, *Caliginoſi*, vocantur, quorum oculi tenebris & caligine obducuntur. *Coac. t.* 35. Venti quoque talem *caliginem* inferentes vocantur ἀχλυώδεις. 3. *aph.* 5. Metaphorice etiam ἀχλὺς ſive *caligo* utero attributa legitur *l.* 2. *de morb. mul. LVII.* 2. Confer ad Foëſ. *p.* 115. Dieter. *num.* 144. Linden. *Sel. Med. Ex. IV.* §. 92. Erotianus definit: Ἀχλὺς λέγεται ποιότης ἀμαύρωσις καὶ σκοτία περὶ τοὺς ὀφθαλμούς. Ἀχλὺς dicitur quædam obſcuritas & caligo oculorum. *in voce* ἀχλυώδεις.

ACHMADIUM, *Achimadium*, corruptum ex Arabico *Achman* vel *Achiman* vocabulum denotans *Antimonium.* Fallop. *tr. de metall. & foſſil. c.* 29. *p. Tom. I. Op. p. m.* 332.

ACHNE, ἄχνη, ſignificat I. *lintei ramentum*, aut *lanuginem* deraſam, ex qua penicilli & turundæ vulnerariæ aut concepta linamenta fieri ſolent. In qua ſignificatione aliquoties legitur apud Hipp. *in Mochlico ſtatim in principio* 2. *de artic. t.* 45. *l.* 1. *de morb. mul. XXXV.* 3. *l.* 2. *h. t. LXI.* 17. conf. Erotianus. II. tribuitur hoc nomen ἄχνη *ſordibus oculi* inſtar lanuginis inareſcentibus *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 23. Unde & ἀχνώδες ὄμμα, i. e. *lanuginoſus* oculus vocatur, *Coac. t.* 225. quamvis alii ἀχλυώδες legant. III. dicitur etiam de tenui aquarum & *maris aſpergine* vel ſpuma, *l. de intern. aff. I.* 21. Adde Foëſ. *d. l.*

ACHORES, ἀχῶρες, vocantur *manantia ulcera cutis* in capite & genis infantum plurimis ac minimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus tenuis & glutinoſa effluit ſanies. Huic morbo affinis eſt *Favus* & *Cerion*, de quibus infra ſuis literis. Vide Gal. *l.* 1. *de Comp. Med. ſec. loc. c.* 8. Jung. Sennert. *Med. Pr. l. V. Part. I. c.* 32. Generantur *Achores* ex ſalſo nitroſoque ſucco cum portionibus glutinoſis mixto, quem pituitam ſalſam vocavit Paulus Barbette *Chir. Part. III. l.* 2. *c.* 2. Videatur & Foëſ. *p.* 116. *ſeq.* Vocatur & ab aliis *Cruſta*, *Lactea*, *Lactumen*, *Tinea*, præſertim, ſi *Achores* diutius durent & tardius ad curationem diſponantur. Vide *Tinea.* Walther. *in Sylv. Medic. p.* 14. *& p.* 789. ubi plures Autores collegit, quibus ex noviſſimis jungi poterit Ionken. *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſ.* 2. *c.* 2. *p.* 810. *ſeq.*

ACHORISTOS, ἀχώριστος, h. e. *inſeparabilis.* Dicitur de accidentibus, ſymptomatibus, & ſignis, quæ diſpoſitionem ſecundum vel præter naturam ſemper comitantur. Ita mollities humidi, durities ſicci dicuntur *inſeparabilia.* Galen. *l.* 2. *de Temp. c.* 4. Ita actionum integritas eſt ſanitatis accidens *inſeparabile.* Dolor lateris punctorius ſymptoma inflammationis pleuræ, quæ alias Pleuritis vocatur, *inſeparabile*, *&c.*

ACHROI, ἄχροοι, fere iidem, qui λειφαιμοι dicuntur, *decolores* homines, pallidi & ſanguine defecti, apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 115. cujus textus notatu digni expoſitionem dedimus *in Remoris ac Impedimentis Purgationis Ex. IV. & V.* in ſpecie vero horum vocabulorum explicationem legere licet *Ex. IV. th.* 29. 30. Cauſſæ hujus coloris defectus poſſunt eſſe variæ, cum quidam *exſangues* eſſe poſſint & decolores a nativitate; quidam vi morbi; alii ob nimiam evacuationem prægreſſam.

ACHYRON, ἄχυρον, *paleam*, *feſtucam*, præſertim frumentorum ſignificat, Hipp. *I. Prognoſt. t.* 123. *de nat. mul. XXIX.* 63. 166. Sed & exterius putamen in ſemine cucumeris ita vocatur, *l.* 2. *de diæt. XIV.* 17. Hinc ἀχυρώδης ἄρτος, *panis aceroſus*, vocatur, qui plurimas habet *paleas* admixtas, vel ſolis *paleis* conſtat. Foëſ. *p.* 116. & ἀχύρωσις dicitur *ratio commiſcendi paleas cum argilla* aliove luto ab hirundinibus nidum ita conficientibus excogitata. Aldrov. *l.* 17. *Ornith. c.* 16.

ACIA legitur quidem apud Corn. Celſum *l.* 5. *de medic. c.* 26. de glutinatione vulnerum attribuens ſuturæ & fibulæ, quæ utraque applicanda labiis vulnerum, ut non tantum cutem, verum etiam aliquid de carne apprehendant, quo fortius hæreant, nec cutem abrumpant. Et utramque optimam eſſe ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori inſideat. Quid vero vocabulum hoc ſignificet, non certo conſtat. Guil. Pantinus *in Not. ad h. l. p. m.* 435. fortaſſis acu legendum eſſe putat. Verum quomodo acus mollis dicenda? Barthol. Caſtell. expoſuit per filum per foramen acus trajectum, quo vel partes corporis diſſectas inter ſe committere, vel caput faſciæ ſubjectis partibus aſſuere conſuevimus, provocans ad filum & nodum, ῥάμμα καὶ ἅμμα, apud Gal. *C.* 2. *de iis*, *q. in med. f. t.* 7. Adde Foëſ. *p.* 550. Enimvero licet hæc expoſitio ſuturæ applicari poſſet, minus tamen ad fibulam quadrare videtur. Quomodo Joh. Jacob. Chifletius *in libell. de Acia Celſi propriæ ſignificationi reſtituta*; & Joh. Rhodius *in Diſſertatione de Acia ad Celſi mentem*, qui magno apparatu omnia congeſſit, quæ modo aliqua ratione huc faciunt.

ACICYS, ἄκικυς, vocatur *infirmus*, debilis, cui κῖκυς, h. e. *robur* ad motionem non ineſt. Legitur apud Hipp. *l.* 4. *de morb. XVI.* 28. Junge Foeſ. *p.* 16.

ACIDA *Bilis*, vide *Bilis atra* & *Melancholia.*

ACIDA *Pituita*, vide *Pituita.*

ACIDITATIO, vocatur ſymptoma ventriculi, quando vinum aſſumtum in illo acorem contrahit, quod in hypochondriacis contingit. Phil. Hoechſtetter. *Part. II. Obſervat. rar. Dec. V. Caſu I. in Schol. & Caſu II. in Schol.*

ACIDNOS, ἄκιδνος, quaſi ἄκινος, idem, quod ἄκικυς, *infirmum*, virium alacritate privatum ſignificat apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XXVII.* 3. *de nat. pueri XXXVII.* 5. *præcept. VII.* 14. Junge Foeſ. *d. l.*

ACIDULÆ (Græcum Latino reſpondens apud veteres non occurrit: comprehendi tamen debent ſub iis aquis, quas Hipp. *l. de A. Loc. & Aq.* vocat τὰ πηγαῖα ὕδατα, item ἀλυκὰ, & Gal. *l.* 1. *art. cur. ad Glauc. c.* 9. & alibi, τὰ ὕδατα ἁλμώδη, νιτρώδη, θειώδη, marinas, nitroſas, ſulphureas &c.) ſunt aquæ medicatæ metallicæ actu frigidæ (ad differentiam *Thermarum*, de quibus infra *in lit. T.*) acidi magis vel minus ſaporis, mineralibus plerumque ferri, vitrioli, nitri, aluminis, quandoque etiam auri eſſentiis in terræ abyſſo imprægnatæ. Duo igitur iis inſunt: Mineralis ſubſtantia, ceu pars potior: & Phlegmatis liquor, ſeu aqua ſubſtantiæ minerali vehiculum præbens. Schröder. *Pharm. Medico-chym. l.* 3. *c.* 3. Eſſentiam mineralium conſiſtere in ſubtiliſſimis mineralium variorum particulis & ſpiritibus ex actione & reactione in Martem vel pugnam ortis, quæ cauſſa etiam, quod acidulæ ſint potandæ ex ipſo vivifico fonte, vel ſcaturigine ipſa, recte docet Pr. Hofm. *in clav. ad h. Schrôd. l. p.* 144. Dividuntur in *Naturales*, quas Galenus appellat αὐτοφυῆ, ſponte natas, *l.* 1. *de S. F. c.* 17. Hipp. *v. l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 19. ὕδατα ἄτεχνα, aquas arte carentes; & *Artificiales* ſive artifi ioſas, τεχνικῶς κατασκευασθέντα, Gal. *comm. ad d. l. Hipp.* Schröder. *d. l. c.* 17. Fr. Hofmannus *in Clav. ad h. l.* Hiſtoriam & catalogum variarum *Acidularum* videre licet apud Tabernamontan. in ſuo vernaculo libro, *Theſaurus Aquarum* inſcripto, ut & Joh. Weker. *Antidotar. Spec. l.* 1. *ſect.* 3. ubi ſub nomine *Balnearum* & internas acidulas complectitur. In ſpecie de *Acidulis* Helvetiæ legatur Joh. Jac. Wagnerus *in Hiſtor. Helvetiæ Curioſ. ſect.* 3. *art.* 8. *p.* 103. *ſeqq.* Ex recentioribus Arcanum *Acidularum* prodere tentavit Petr. Giurius, uti extat in *Actis Erud. Lipſ.* 1682.

ACIDUS, ὀξὺς, quid ſignificet, ſenſibus magis perſpectum eſt, quam ut verbis exprimi commode poſſit. Ejus tamen hodieque in medicina frequentior applicatio tricas peperit non paucas. Quas ut breviter pro inſtituti ratione expediamus, *Acidum* accipitur vel de qualitate quadam guſtatili, qua præternaturali, in humoribus, alimentis, medicamentis occurrente, cujus virtus juxta Galenum quidem conſiſtit in hoc, quod mordicet abſque calefactione, & vis fermentandi quoque inſit, *l.* 1. *de S. Fac. c.* 37. item, quod natum ſit incidere, extenuare, dividere, farctuque liberare, perpurgare citra excalfactionem, *l.* 5. *c.* 26. Enimvero inſufficiens hæc eſt enumeratio. Hinc recentiores recte quoque *Acido* cuidam tribuerunt vim congelandi, coagulandi, figendi, incraſſandi, obſtruendi, fermentationem cohibendi, & ita frigus totius corporis, pallorem & infirmitatem efficiendi, quatenus nimirum *Acidum aliud* in fixis, vitriolaceis, aluminoſis portionibus; *aliud* vero in nitroſis, volatilibus conſiſtit. Vel ex principiis Philoſophiæ Carteſianæ *Acidorum* particulæ, modo gladiolis, modo novaculis, modo acubus & aculeis, modo etiam cuneolis aſſimilantur, unde & *Antacidla* varia eſſe debent. Dolæus *Encyclopæd. Med. l.* 1. *c.* 3. §. 19. *p.* 53. Vel ſumitur pro principio quodam ſalino conſtitutivo & ſubſtantiali omnium corporum naturalium, ita ut una cum altero, quod *Alkali* appellant, ad conſtitutionem rerum naturalium in initiis earum tum in mixti partibus concurrere nonnulli modernorum docuerint, quæ ſententia etiam tantum invenit applauſum, ut in multorum ſcriptis Medicis nil niſi *Acidum* & *Alcali* ferme legatur; Imo non modo naturalium rerum, ſed & præternaturalium, morborum puta cauſſarumque morbificarum originem ex illis duobus deducere non veriti ſint. Qua de cauſſa etiam palmaria Medicinæ objecta & Architectonica Naturæ inſtrumenta appellata fuerint. Enimvero quantis commentum hoc ingenioſum adhuc ſcateat tenebris obſcuriſſimis, evidentiſſimis contra quandoque contradictionibus, cuilibet, cujus animus novitatis vanæ cupidine non præoccupatus & occæcatus fuerit, legenti recentiorum, videlicet Takenii, Swalbe, Davidis de Beke, Barneri, aliorumque ſcripta, nullo negotio patebit: ita ut idem judicium, quod Galenus quondam de Chryſippi ſcriptis tulit, de his quoque ferre ſalva veritate liceat: Oportet ter & quater multo cum otio, ſtudioque & diligentia non mediocri perlegere, atque ita demum credere, id in illis reperiri, quod in proverbio eſt, cum ajunt: *Nihil apprehende & fortiter tene*: Adeo ænigmata ſunt mirabili quadam obſcuritate perplexa, *l.* 3. *de Hipp. & Plat. Decr. c.* 4. Quid? quod jam inſufficientiam horum principiorum agnoverit & faſſus ſit D. D. Johannes Bohnius *in Epiſtola ad D. Langelottum publice edita.* An *aciditas* naturalis in fermento ventriculi chylificante & ſucco pancreatico occurrat, etiam hodieque in dubium vocatur. Enimvero noſtri non eſt inſtituti, controverſias has ventilare aut dirimere. *Acidum* quoque dicitur de quibuſdam Chymicis medicamentis v. g. Acidum Tartari ſcil. ſimplex, quod convenit cum Cryſtallis Tartari. Unde compoſita Acida v. g. Acidum Tartari aluminatum, Acronium, Cinamomeum, Rubrum, apud Rolfink. *Chym.* 1. *a. f.* 1. *l. IV. ſ.* 1. *Art.* 1. *c.* 8. *ſeqq.* Igitur de *Acido* ἅλις σπουδῆς.

ACIES, ἀκὶς, quid communiter ſignificet, ex aliis Lexicis notum eſt. Jo. Rhodius pro ſua ingenii acie, ſæpe nimis curioſa & ſuperflua, Medicam ei tribuit ſignificationem, quam

quam e diverſis Latinis probatis autoribus, etiam Medicis, Cæſalpino, Claudino, probare conatur, quod *Acies* ſit *Chalybs*, Græce στόμωμα, dicta a Chalybibus, primis ejus inventoribus, ſeu ferrum, igne fuſionis vehementiſſimo depuratum, ad argenti albedinem maxime accedens. Verum ſit ita: cui bono autem iſta eſt notitia, ſiquidem manet nihilominus in foro Medico minus uſitata, tropica & ſenſum magis obſcurans, quam declarans? In alio Lexico hanc *Aciei* ſignificationem confirmatam vidi autoritate Plinii, abſque tamen allegato loco: poſtquam vero Plinium evolvi, nullibi de chalybe egiſſe obſervavi; de ferro vero *lib.* 34. *H. N. c.* 14. ubi quidem *Aciei* bis terve mentio fit, ſed quod chalybem ſignificet, reperire non potui.

ACINESIA, ἀκινησία, Latine *Immobilitas*, generaliter quid ſignificet, notius eſt, quam ut opus ſit prolixa expoſitione; videlicet *Motus privationem* vel motum localem abolitum. Specialiter vero Galeno ita dicitur *media illa quies*, quæ ſyſtolen & diaſtolen pulſus intercedit, *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 7. Vocatur & ἡσυχία, ἠρεμία. i.e. *Quies*.

ACINOSA *tunica*, eadem quæ *uvea*, ῥαγοειδής, vide *Oculus Rhagoides*. Dicitur & *Aciniformis* apud Ingraſſiam *Comm. in Avic. de Tumor. p. n. p. m.* 292.

ACINUS, σταφυλή, ῥάξ, vide *Staphyle. Cion.*

ACIS, ἀκίς, vocatur *cuſpis* teli vel ſagittæ, & pertinet inter cauſſas vulnerum: Unde aliquoties legitur apud Hipp. *l.* 5. *Epid. XX.* 2. 4. 5. *XXI.* 6. Junge Foëſ. *p.* 17.

ACMASTICOS, ἀκμαστικός, epitheton febris, quæ & *Homotonos*, ὁμότονος, dicitur, *Synochi ſpecies*, quæ ſimilem ſervando efferveſcentiam continuam ad finem uſque terminatur. *Epacmaſtica* vero, ἐπακμαστικὸς σύνοχος appellatur, quando continuo creſcendo procedit: E contra παρακμαστικὸς, *paracmaſtica* febris, quæ decreſcendo movetur, ex Gal. *l.* 9. *Meth. med. c.* 4.

ACME, ἀκμή, proprie ſignificat, juxta Etymologici Autorem, *ſummam ferri aciem*, quaſi ab ἀκή, acies, vel ἥκη, quod ab ἥκω, *venio*, deſcendit, quia omnia penetrat. Igitur ἀκή dicitur & pleonaſmo literæ μ, ἀκμή. Verum hæc ſignificatio non eſt hujus loci. Ab hac tamen dependet altera generalior tralatitia, quando ſummum uniuſcujuſque rei *vigorem* & incrementum denotat. *Vigor* enim dicitur, quaſi *vis agendi*, & *Vigentes*, quaſi *vi agentes*, virtute pleni. Hinc *vigor* corporis, *vigor* ætatis ſæpe legitur apud Autores. Eſt vero *Vigor ætatis* nihil aliud, quam *ſtata ætas* Scaligero *in Poëtic.* media inter juventutem & ſenectutem, in qua promtitudo ad actiones motuſque & robur corporis vigent. Galen. *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 2. Leonicenus reddidit *Conſtitutam*, alii *Conſtantem*, alii *Subſiſtentem* vocarunt. Inde tranſlatum vocabulum ad alia omnia ſummam perfectionem adepta, quin & ad ipſos morbos. Sic enim Medici tertium morborum tempus ἀκμὴν, *ſtatum vigorem* appellant, in quo ſummum habent impetum, & cauſa eorum *viget*, floretque vis mali, unde Herotianus ex mente Hippocr. Ἀκμὴν πάθους definit, quod ſit præſentia ſignorum magnitudinem morbi oſtendentium; qui idem Hippoc. per ἀνθεῖν, *florere*, eleganti metaphora expreſſit *ſtatum morbi* vel vigorem, *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *n.* 24. Vide ſis Linden. *Sel. Med. Ex. XII.* §. 83. *ſeqq.* De voce vero ἀκμή conſule etiam Foëſ. *p.* 17. Dieter. *Iatrei n.* 29.

ACNE, ἄκνη. Vide *Ionthos*.

ACNESTIS, ἀκνῆστις, dicitur pars illa ſub ſcapulis, ubi ſpina medium dorſum efficit in quadrupedibus. Pollux *l.* 2. *c.* 3. medium τῆς ὀσφύος, i.e. lumborum denotare ſcripſit.

ACO, AQUO, σάραχος, *Sarachus*, *Sarachinus*, *piſcis* eſt apud Epirotas, & Inſubres frequens, nec non in lacu Comenſi, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 58. Inter cibos ſat probos rite præparatus commendatur *ibidem*.

ACOE, ἀκοή, vide *Auditus*.

ACOELIOS, ἀκοίλιος, *q. d. Deventris*, h. e. ita extenuatus, ut ventre quis carere videatur. Galen. *l.* 4. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 4.

ACOETOS, ἄκοιτος, epitheton mellis, quod per ſe fluit, ut muſtum & oleum apud Plinium *l. XI. H. N. c.* 15. & maxime laudabile eſt.

ACOLASTOS, ἀκόλαστος, Ethicum potius, quam Medicum, ſignificans, *petulantem*, *laſcivum*. In qua ſignificatione & de moribus ſumitur ab Hippocr. *l.* 4. *Epid. VII.* 7. Adde Foëſ. *d. l.*

ACONE, ἀκόνη, *cos*, *pila* vel *mortarium*. Legitur apud Hipp. in utraque ſignificatione, 4. *de R. V. I. A. t.* 123. *& l. de viſu III.* 7. Foëſ. *dict. l.* vide *Cos*.

ACONION, ἀκόνιον, Latine *Coticula*, Diminutivum Cotis. Dicitur & de medicamento ophthalmico, in quo medicamenta dura & ſolidiora, gemmæ multæ atque ebenum ad cotem atteruntur, ne oculum lædere queat. Gorr.

ACONTIAS, ἀκοντίας, vide *Cenchrias*.

ACOPON, ἄκοπον, dicitur omne id in genere, *quod laſſitudinem*, κόπον, *tollit*. In qua ſignificatione uſus Hippocr. 2. *aph.* 48. Vide Dieterich. *Iatr. n.* 30. In ſpecie translatum vocabulum ad *medicamenta Topica*, quæ illitu blando laſſitudinem ex multo vehementique motu corporis & laboribus obortam tollere valent. Tandem uſus paulatim nomen hoc extendit etiam ad alia medicamenta laſſitudini tollendæ non dicata, ſimilem ſaltem linimenti vel olei conſiſtentiam habentia. Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 11. *ſeqq.* Jung. Foëſ. *d. l. & p.* 18. Gorr. *in defin.* Gemma quoque aliqua *Acopis* Plinio vocatur *l. XXVII. H. N. c.* 10. ideo, quod cum illa oleum fervefactum perunctis laſſitudinem ſolvat.

ACOR, ὀξύτης, communiter idem eſt, quod *Aciditas*. In ſpecie tamen Galeno ita dicitur ſpecies *corruptionis acidæ alimentorum* in ventriculo, unde acidi ructus proveniunt, juxta Gal. *l.* 5. *de Uſ. part. c.* 4. Sunt vero alimenta illa corruptelæ acidæ obnoxia frigidiora magisque pituitoſa. *l.* 3. *de ſymtom. cauſſ. c.* 1. Cæterum *Acori* in ventriculo naturali multum tribuiſſe Helmontium, patet *ex tr. Pleura furens, num.* 14. id quod intelligendum de fermento ventriculi acidiuſculo, ſi rite ſe haberit,

buerit. Vide Rolfink. *Ord. & Meth. Med. Spec. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 14. 15. quamvis & hodieque ſint, qui *acorem* fermenti pernegent, & inter non Entia referre non dubitent.

ACORDINA, id eſt, *Tutia Inda*. Rul. *in Lex.*

ACORIA, ἀκορία, emphaticum hoc vocabulum legitur in aurea ſententia Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. IV. t.* 20. ἄσκησις ὑγιείης, (vel juxta Foëſ. ὑγιὴς) ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. h. e. Exercitatio ſanitatis vel ſana eſt, veſci citra ſatietatem, & impigritas vel alacritas ad labores. Et hic verus eſt ſenſus atque genuinus. Quare mirandum, quod accuratiſſimus alias Interpres Hippocraticorum vocabulorum Foëſius *in Oec. p.* 18. quemadmodum & Henr. Stephan. *in Theſauro*, vocabulum hoc verterint per *inſatiabilem* edendi cupiditatem & inexplebile ciborum deſiderium. Quid dictu abſurdius, quam hoc, quod exceſſus cupiditatis ciborum nunquam non vitioſus, cum Bulimo & Appetentia canina coincidens, faciat ad exercitationem vel conſervationem ſanitatis? Sic bonus ſæpe dormitat Homerus.

ACOS, ἄκος, idem, quod ἄκησις, i. e. *auxilium*, medela. Huic opponitur ἄχος, *nocumentum*, exitium. Vide *Aceſis*.

ACOSMIA, ἀκοσμία, Galeno dicitur in ſpecie *inordinatio*, vel ἀταξία dierum criticorum in febribus, quemadmodum κόσμος eorum ordinem ſignificat, Gal. *c.* 3. *in prog. Hipp. t.* 7. Alias & Calvi dicebantur ἄκοσμοι, teſte Polluce *l.* 2. quia ſublatis capillis humani capitis tota pulchritudo flacceſcit. Keuchen. *ad Samonic. p.* 118.

ACRÆPALOS, ἀκραίπαλος, i. e. *crapulam prohibens* & impediens. Dioſc. *l.* 1. *c.* 25. Gorr. Vide *Cræpale*.

ACRAI, vox Arabica denotans *titillationem genitalium* in utroque ſexu, frequentius in muliebri, cum tenſione ſpaſmotica vaſorum ſpermaticorum & inflatione ventris, nec non ſudore frigido. Dicitur & *Araſcon*, *Arſatum*, *Brachuna*. Species Satyriaſeos eſſe creditur ab Interpretibus. Avic. *l.* 3. *fen.* 21. *tract.* 1. *c.* 5. & 6.

ACRASIA, ἀκρασία, apud Hipp. ſignificat *incontinentiam* circa cibum, potum, & rem genialem, imo & circa cæteras res non naturales, *l. de Humor. III.* 110. & alibi. Dicitur alias & ἀκολασία, Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 1. *fin.* In quibuſdam locis ἀκρασία quoque denotat *debilitatem* partis & impotentiam, & ita coincidit cum vocab. ἀκράτεια, de quo paulo poſt. Ita *in Coac. t.* 164. *l. de int. aff. XXXVI.* 7. *l.* 4. *Epid. VI.* 5. & *alibi*. Vide Foëſ. *p.* 18.

ACRATIA, ἀκράτεια, *impotentiam*, debilitatem & inefficacitatem ſignificat apud Hipp. *Prorrhet. l.* 1. *ſ.* 3. *t.* 60. *Coac. t.* 477. 5. *aph.* 16. & paſſim ſæpius, quæ loca collegit Foëſ. *d. l.* ibi & adjectivum ἀκρατὴς pro debili accipitur & impotente 3. *aph.* 12. 7. *aph.* 40. Aliquando vero ſumitur exceſſive utrumque, & coincidit cum ἀκρασία, *incontinentia*, quando cupiditas affectuum vincit hominem, ita ut a concupiſcentia ſola trahatur, ſequente illam, tanquam ancilla, ratione, Gal. *l.* 4. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 2. Vide Dieter. *n.* 31.

ACRATISMA, ἀκράτισμα, ἀκρατισμὸς, eſt *ſpecies jentaculi* veterum Græcorum, quando ſolo pane in mero macerato veſcebantur, de quo lege Lang. *l.* 1. *ep.* 55. & Linden. *S. M. Ex. IX.* §. 65. qui ex Dorotheo *doctr.* 18. βυκκάκρατον, *buccam mero intinctam* appellari ſcripſit.

ACRATOS, ἄκρατος, i. e. *merus* ſincerus, non mixtus. Vide *Merus*.

ACREA, ἄκρεια, ἀκρωλεία, idem, quod ἀκρωτήρια. Vide *Acroteria*. Legitur apud Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 8. *l.* 1. *Epid. com.* 2. *t.* 23. & 75. *l. de Humid. uſ. IV.* 13. *V.* 3. &c. Vide Foëſ. *p.* 21. *ſeqq.*

ACRESPERON, ἀκρέσπερον, *ſummam veſperam* ſignificat, h. e. incipientem, apud Hipp. *l.* 7. *Epid. XIV.* 10. Foëſ. *p.* 22.

ACRETOPOSIA, ἀκρητοποσία, hoc eſt, *vini meraci*, cui nihil admixtum eſt, *potio*. Hipp. 6. *aph.* 31. Videatur Dieterich. *in Iatr. num.* 13. Ut autem uſus hujus in oculorum doloribus locum habeat, obſervanda eſt Velſchii cautela, ut nimirum præcedat purgatio in cacochymia urgente & venæſectio in plethora, *Notis ad Jerem. Martii Obſerv. in Sylloge*.

ACRIBES, ἀκριβὴς, *exquiſitum*, *accuratum*, exactum ſignificat, ἀκρίβεια, exactam accuratamque rationem. Utrumque legitur aliquoties apud Hipp. v. g. de aëre uſurpatur *l. de Morb. ſacr. XVII.* 12. *de febr.* 4. *aph.* 59. *de diæta* 1. *aph.* 5. *de remediis.* 1. *aph.* 6. Legitur & apud Gal. *l.* 1. *ad Glauc. c.* 8. *l.* 14. *M. M. c.* 3. Confer. ad Foëſ. *p.* 22. Dieterich. *n.* 34.

ACRIMONIA, ACRE, δριμύτης, δριμύ. Vide *Drimys*.

ACRIS, ἀκρὶς, proprie & ſtricte *ſummitatem montis* vel *cacumen* ſignificat. Per tranſlationem etiam de prominentia oſſium accipitur apud Hippoc. 1. *de artic. t.* 63. Foëſ. *d. l.* Deinde ſignificat etiam *Locuſtam*, de quo infra in *Locuſta*.

ACRISIA, ἀκρισία, apud Hipp. ſumitur duplici ſenſu: vel quatenus ſignificat *nullam criſin* aut nullum morbi judicium futurum, vel *malam criſin*, Gal. *c.* 2. *in l.* 1. *Epid. t.* 46. quamvis accurate loquendo poſterior ſignificatio ſit incongrua, & potius ab illa phraſi abſtinendum eſſet, quandoquidem *mala criſis* cum naturæ robore non poteſt conſiſtere, quod tamen ad *Criſin* formalem rationem requiritur. Vide *Criſis*.

ACRITOS, ἄκριτος, duo ſignificat, I. *Temerarium*, *abſque ſolutione Critica* & præter rationem. In qua legitur apud Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 36. *l.* 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 10. &c. II. ſignificat *concretum*, congelatum, v. g. ita ſumitur de gelu, exponente ita Foëſ *p.* 23.

ACROASIS, ἀκρόασις, idem, quod ἀκοὴ, *auditionem* vel actum audiendi ſignificat. Hipp. *in Præcept. IX.* 25. & *jurejurand. I.* 18.

ACROBYSTIA, ἀκροβυστία, vide *Acropoſthia*.

ACROCHIR, ἀκρόχειρ, vel ἀκρόχειρον, dicitur ab Hipp. & Gal. *ſumma & extrema manus*, cujus termini ſunt ulna cum radio, & extremi digitorum apices. Dividitur in tres partes minores: Carpum ſeu Brachiale, Metacarpum ſ. Poſtbrachiale, & Digitos. C. Hofm. *in a-*

gum. ad Gal. l. 1. & 2. de V. P. n. 14. Fallop. expoſ. de Oſſib. c. 27. Tom. I. Oper. p. m. 521.

ACROCHIRESIS, ACROCHIRISMOS, ἀκροχείρησις, ἀκροχειρισμὸς, ἀκροχειρίη, dicitur ſpecies luctæ vel exercitationis, quando duo ſummis manibus inter ſe colluctantur & ſeſe rapiant citra reliqui corporis congreſſum. Meminit hujus luctæ Hipp. l. 2. de diæt. XLII. 17. l. 3. XXIII. 7. XXVI. 32. Gal. l. 2. de ſan. tu. c. 8. & l. 5. c. 3. Vide & Foëſ. d. l. Lang. l. 1. Ep. 52.

ACROCHLIARON, ἀκροχλίαρον, h.e. ἄκρως χλιαρὸν, ſumme tepidum, quod eſt medium exquiſite inter frigidum & calidum, ſignificat, apud Hipp. 3. de V. R. I. A. t. 29. vid. Gal. comm. ad h. l.

ACROCHOLIA, ἀκροχολία, (rectius, quam ἀκρηχολία, vel ἀκροχολία, quia Græci compoſitiones ſuas per ο μικρὸν conficere ſolent) ſignificat promptam excandeſcentiam & iram facilem ſimulque vehementem. Legitur apud Hippocr. l. 1. Epidem. notante Foëſ. in Oecon. p. 21.

ACROCHORDON, ἀκροχορδὼν, eſt genus verrucarum dolens penſile, & foras prominens, exilique veluti pediculo ceu baſi innitens, ad differentiam μυρμηκιῶν vel verrucarum ſeſſilium, de quibus infra ſuo loco. Sunt vero Acrochordones vitioſi multi ſucci nutricii ad exteriora & cutim repentis ſoboles, ex Gal. 3. aph. 26. Aëtius & Celſus (l.5.c.28.) deſcribunt, quod ſint verrucæ duriores ſub cute aſperiores, calloſæ & plerumque teretes, cuti concolores, infra tenues, ad cutim latiores, raro tamen magnitudinem fabæ excedentes, juniores maxime infeſtantes, ſic dictæ, vel quod vertice ſuo ſimiles ſint reſectæ chordæ ſecundum extremitatem, vel quod in imo adeo anguſtæ ſint, ut pendere videantur. Ex ejuſmodi verruca nomen Q. Fabio Maximo factum, ut Verrucoſus diceretur, teſte Plutarcho in Ejus Vita, & ex veteri inſcriptione:

Q. FABIVS MAXV. VERVCOSVS.

Meminit quoque Q. Serenus Sammonicus c. Verrucis tollendis:

Interdum exiſtit turpi verruca *papilla*,
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæſit.

Ad quem locum vid. Keuchen. in not. p. 294. Adde & Foëſ. Oec. p. 25. Dieter. n. 38.

ACROCHORISMUS, ἀκροχειρισμὸς, dicitur feſtiva ſaltatio, & refertur inter exercitia corporis, crurum, manuum & brachiorum propria. Andr. Baccius de Therm. l. 7. c. 7. p. m. 449.

ACROCOLIA, ἀκροκώλια, dicuntur Hippocr. & Ariſtoteli extremitates membrorum, nec non edulia ex illis parata, videlicet, aures, pedes, roſtra. Loca illius ſunt l. 3. de diæt. XX. 14. XXV. 12. XXVII. 29. l. 2. de morb.mul.LIV.25. Hujus vero eſt l. 23. probl. 40. Budæus quoque addit χορδὰς καὶ κόλικας, inteſtina & exta. Celſo & Gazæ vertuntur trunculi. Talia hodieque ad Gelatinas parandas in re cibaria accipi ſolent. Cur Erotianus hanc vocem expoſitione minime egentem judicaverit ceu nimis notam, non video. Confer. ad Foëſ. p. 23.

ACRODRYA, ἀκρόδρυα, vocantur in genere omnes arborei fructus, qui alias ὀπωρῶν, Latine Pomorum nomine veniunt; in ſpecie vero ii, qui in ambitu putamen habent lignoſum, eoque concluduntur, ut ſunt Juglandes, Avellanæ, Caſtaneæ &c. & Nucum καρύων appellatione comprehenduntur. Hipp. generalius ſaltem accepiſſe videtur de Nat. pueri II. 12. & de Humor. IIX. 25. Hinc recte etiam negavit C. Hofm. vocabulum hoc ſignificare certum fructum, l. 3. Var. Lect. c. 24. Δρῦς enim vetuſtiſſimis arbor eſt. Idem com. ad Gal. LL. de V. P. n. 1132. Junge Foëſ. d. l.

ACROLENION, ἀκρωλένιον, idem quod Olecranum, de quo ſuo loco. C. Hofm. d. l. ad Gal. de V. P. n. 94.

ACROMION, ἀκρώμιον, eſt ſummus Humerus, humerive pars ſumma exterior & prominens, brachioque hærens. Inſuper ea eſt compactio, qua os ſcapulæ a ſpina tenue inchoatum paulatimque plenius effictum ad Acromonii locum pervenit, ibique brachio connectitur. Alii præter hæc ambo, quo conjunguntur, tertium os eſſe inquiunt, quod in hominibus ſolum deprehenditur, idque Cataclida, κατακλεῖδα, & Acromion appellari exiſtimant a Gal. de Oſſib. c. 14. & l. 13. de Uſ. P. c. 10. quamvis C. Hofman. ad h. l. 104. doceat, Galenum duo hæc vocabula diſtinxiſſe, & κατακλεῖδα os parvum ſcapulæ cartilaginoſum ſignificare, ἀκρώμιον vero ſummum humerum.

ACROMPHALION, ἀκρομφάλιον, ſic dicitur pars media umbilici, de quo infra ſuo loco.

ACROPATHOS, ἀκρόπαθος, dicitur de morbo, qui ſummam corporis partem aliquam afficit. Uſurpatur ab Hippocr. de uteri orificio affecto. l. de ſuperfœt. XIV. 10. de cancro occulto l.2. Prorrhet. XIIX. 9. junge Foëſ. Oec. p. 24.

ACROPIS, ἄκρωπις (alii ἀκρᾶπις, vel ἀκρωπὶς) eſt epitheton linguæ, quæ ſua ipſius extrema efformare nequit, h. e. propter motus facultatem inarticulata, Gal. in expoſ. voc. Hipp. quamvis Foëſ. in Oec. p. 24. ex ipſis textibus Hipp. l. 7. Epid. XXIII. 21. XXVI. 7. & XLII. 49. potius ad ægrum ipſum pertinere hoc epitheton exiſtimet, id quod minime certum eſt, cum Hippocr. haud infrequens ſit, ipſa nomina affectuum abſtracta cum epithetis ægrorum concretis permiſcere.

ACROPLOA, ἀκρόπλοα, apud Hipp. dicuntur, quæ in ſummo extant, veluti in ſuperficie innatantia, l. 1. de morb. X. 66. add. Gal. in Exeg. voc. Hipp. Foëſ. p. 24.

ACROPOSTHIA, ἀκροποσθία, vel ἀκροποσθίη, dicitur Præputium, aut ſumma vel extrema præputii pars, glandem penis integens. Idem fere ergo, quod πόσθη. Hæc præputari & reſecari ſolet adhuc Judæis & Turcis. Legitur hoc vocabulum apud Hippocr. 6. aph. 19. Coac. t. 504. l. 4. de morb. XXIX. 7. Adde Foëſ. p. 24. Gorr. in Def. Dieterich. n. 35.

ACROPSILON, ἀκρόψιλον, vocatur *membrum in extremitate nudum*, & legitur apud Hippocr. de pudendo in extrema parte denudato, *lib.* 4. *Epid. XX.* 6. Vide Foëſ. *p.* 25.

ACROS, ἄκρος, proprie ſignificat *ſummum*, *extremum*. Ita dicitur de naſo ἄκρη ῥὶς. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 3. alias uno vocabulo ἀκρορῥίνιον. Uſurpatur & de ſtatu corporis, qui ad ſummum bonitatis pervenit, 1. *aph.* 17. *de aſtate* 3. *aph.* 18. Per tranſlationem vero etiam id, quod *optimum* eſt, ſignificat, v.g. Unguentum Irinum ἄκρον i. e. *optimum* apud Dioſc. *l.* 1. *c.* 67. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XXIIX.* 4. Confer. ad Foëſ. *p.* 23. Dieter. *n.* 36. Derivatio Blancardi ab ἀκρίζω eſt inepta, cum hoc ceu verbum frequentativum derivetur juxta regulas Etymologiæ a nomine primitivo, ἄκρος.

ACROSAPES, ἀκροσαπὴς, apud Hipp. *l. de Alim.IX.* de cibo dicitur, qui in juvenibus *leviter putreſcens*, in ſenibus vero perfecte & ad ſummum tranſmutabilis eſt & offerendus. In quem locum tamen recte animadvertiſſe videtur Valeſius *in Comm. p. m.* 243. hoc Epitheton ſignificare *concoctu facile*, & modum hunc loquendi fluxiſſe a quodam Medicorum dogmate, quamvis falſo, concoctionem ciborum putreſcentia quadam perfici. Nam ſæpe ex falſo dogmate nomina fluunt, quæ ab Autoribus retinentur, etiamſi in illo dogmate non acquieſcant.

ACROTERIA, ἀκρωτήρια, alias ἄκρια, ἀκρωλία, dicuntur Hipp. *extremæ corporis partes*, videlicet caput, manus, & pedes. Horum refrigerationem in morbis acutis exitioſam eſſe ob flammæ vitalis, vel per coagulationem ſanguinis, vel nimiam conflagrationem prægreſſam defectionem, docet Hipp. 7. *aphor.* 1. & 26. legitur & 2. *de R. V. I. A. t.* 44. *ſ.* 3. *t.* 33. *ſ.* 4. *t.* 16. 26. Adde Galen. *in comm. ad illa loca*, & junge Foëſ. *p.* 25. Dieter. *n.* 37.

ACROTERIASMOS, ἀκρωτηριασμὸς, vocatur extremarum corporis partium, videlicet *manuum & pedum*, vel putreſcentium, vel quorum oſſa perierunt, per ſerram *reſectio*; cujus modum accuratum vide apud Aquapend. *in Oper. Chirurgic.* & Hildan. *in Tract. de Gangræna & Sphacelo.* Vocabulum vero Græcum ſic deſcripſit Gorr. *in definitionibus.* In aliis vero Lexicis allegatur Dioſcorides *l.* 7. *c.* 1.

ACROTHOREX, ἀκροθώρηξ, vocatur ille, qui *leviter vino inebriatus* eſt, & opponitur ab Ariſtotele τῷ μεθύοντι σφόδρα, valde ebrio, *l.* 3. *probl.* 2. Erotian. *in Onomaſtico* & Foëſii *Oecon. p.* 275.

ACSUO eſt *Corallium rubrum.* Rul. & Ionhſon. *in Lex.*

ACTIN, ACTIS, ἀκτὶν, ἀκτὶς, vide *Radius.*

ACTINOBOLISMUS, ἀκτινοβολισμὸς, ἀκτινοβολία, vide *Diradiatio.* Junge Willis *An. Brut. Part.* 1. *c.* 15.

ACTIO, ἐνέργεια, πρᾶξις, idem, quod *Functio*, *Operatio.* Quandoque late ſumitur, quandoque ſtricte. In lata ſignificatione complectitur & activos motus, vel actiones *activas*, ἐνεργείας δραστικὰς, vel πρακτικὰς, quæ ſunt motus agentis, ſive motus activi partium organicarum, v. g. Manus *actio* eſt apprehenſio: Pedis, ambulatio &c. & *paſſivas*, παθητικὰς, quales ſunt ſenſuum, quæ fiunt recipiendo ſpecies ſenſibiles. Ita oculi *actio* dicitur viſio: Auris, auditus. Sed & *utilitates* & *uſus* partium quarundam comprehenduntur, dum quædam membrorum organicorum partes miniſtrant agentibus, quaſi ſtando in ſuccenturiis, v. g. ut oculus videat, non eſt ſatis, illum bene habere, ſed & opus eſt ciliis, ſuperciliis, palpebris &c. uti loquitur C. Hofm. *in Gal. de Uſ. P. n.* 955. In ſtricta vero ſignificatione quamvis in medicina minus frequenti veri motus partium organicarum ſaltem *Actionum* nomine veniunt. Sunt vero in genere nihil aliud, quam *Accidentia ſanitatis & morborum prima*, quæ diſpoſitionem vel facultatem corporis humani ejuſque membrorum ſecundum & præter naturam ſeſe habentem immediate conſequuntur, dividunturque in tres claſſes; *Naturales*, *Vitales* & *Animales*: ſecundum Mœbium in *Vitales*, *Animales* & *Genitales*, quarum omnium quædam ſunt *Nobiliores*, quædam *Ignobiliores*: aliæ *Publicæ*, aliæ *Privatæ*. Omnino igitur ab *Operibus*, quæ ἔργα vel ἐνεργήματα dicuntur, probe ſunt diſtinguenda, utpote quæ ſecundam accidentium & ſymptomatum claſſem conſtituunt, contra opinionem Galen. *l.* 1. *Meth. med. c.* 5. ubi dixit, nihil referre, ſive Opus ſive *Actionem* inter loquendum dixeris. De *Actionum* differentiis vide plura in *Inſtitutionibus.* Diviſio in *Animalem*, quæ a cerebro, & *Naturalem*, quæ a cerebello dependet, inſufficiens eſt & inepte a Blancardo propoſita.

ACTIVUS, δραστικὸς. Vide *Draſticus.*

ACTUATIO, Lat. dicitur de rebus præcipue medicamentis potentia talibus, quæ ut operentur actu, opus habent mutatione a calore noſtro vel temperamento vitali. Eſt igitur *Actuatio* illud *mutationis momentum*, τῆς μεταβολῆς ἀφορμὴ, a calore noſtro vitali dependens, cujus beneficio virtus medicamentoſa elicitur, & humoribus vitalibus atque ſpiritibus noſtri corporis applicatur, & ita in actum deducitur. Vide Galen. *l.* 3. *de Temper. c.* 4. vel manifeſtatio virtutis latentis vi naturali caloris noſtri facta, verbis Blaſii Villafranca *in lib. de methodo refrigerandi potum per nitrum p. m.* 23. Ut enim *actu* talia ſint, id a nobis accipiunt, *d. l. c.* 1. Jungatur Diſputatio noſtra *de Purgat. modo ac viis ad alv. th.*14. & *Dogmata Medic. Gener. P. VI. c.* 2. *dogm.* 2. *p.* 686. *ſeq.*

ACTUS, ἐνέργεια, opponitur δυνάμει, *potentiæ*, hinc & in Medicina remedium *actu* tale, τὸ κατ' ἐνέργειαν, contradiſtinguitur ab illo, quod eſt poteſtate tale, τὸ δυνάμει, Galen. *l.* 1. *de Simpl.fac.c.*9. Illius cognitio facilis eſt, quia in ſenſus incurrit, & tactu percipitur, ignem eſſe calidum v. g. & glaciem frigidam, *l.* 2. *de Temp. c.* 2. Eſt & *Actu tale* perfectius eo, quod potentia tale, quia hoc nondum tale eſt, ſed poteſt ſaltem tale eſſe. Illud vero jam præſens ipſa energia. Dicitur autem *Tale Actu*, v.g. Cali-

Calidum, frigidum, humidum, ſiccum &c. vel quod ſummam habet ejuſmodi qualitatem, vel vincentem qualitates contrarias, vel ad cognati generis mediocre aliquid, vel ad unum quodlibet a nobis eſt collatum. *l.* 3. *de tit. c.* 1. Breviter: Res eſt in ſe magis perſpicua, quam ut opus ſit verbis. *Actus activorum* ſunt in patente diſpoſitio, id eſt, forma agit ſecundum materiæ diſpoſitionem, ſcribit Dav. Lagneus *in Harmon. Chym. Theatr. Vol. IV. p.* 750.

ACUITAS idem ſignificat, quod *acredo* vel *acrimonia*, & legitur in Marcelli Cumani *Obſervat.* 16. *apud* Velch. *in Sylloge*, cujus nota videatur.

ACUITIO, vel verbum *Acuere*, ὀξύνειν, uſurpatur tropice haud raro de medicamentis, quæ aliis natura debilioribus adduntur, ut ſtimulum his addant, & eorum vim medicamentoſam adaugeant. Ita purgantibus mitioribus quandoque addi ſolent in minori doſi purgantia fortiora, v. g. pilulæ & pulveres purgantes *acui* ſolent granis aliquot diagrydii, troch. alhandal. Extr. helleb. nigri. Sic Spiritu ſalis *acuitur* ſuccus citri, & Spiritu nitri *acuitur* acetum ad ſolutionem. Schröder. *l.* 1. *c.* 13. Hofman. *clav. ad h. l.* Modum *acuendi* aquam Mercurialem Philoſophicam ſatis obſcure propoſitum vide in Chriſtophori Pariſienſis *Elucidarii l.* 2. *c.* 3. *in Theatr. Chymic. Vol. V. p.* 231.

ACUMEN, quid extra forum Medicum ſignificet, ex aliis conſtat Dictionariis. Speciem vero Anatomico ſignificatu ſumſit D. Henricus Deventer, Belga Medicus, *in ſuo Novo Lumine pro obſtetricantibus c. III. p.* 16. 17. dicens, *Acumina* ſibi dici, v. g. oſſis pubis oſſa ſedentaria, quia illis inſidemus, atque ita *Acumen* oſſis ſacri eſſe os coccygis.

ACUREB, notat *Vitrum*. Rul. & Iohnſ.

ACUS, βελόνη, ῥαφὶς, quid ſit, ex aliis jam Dictionariis conſtat. Pertinet vero inter inſtrumenta Chirurgica, & varium obtinet uſum. In ſpecie vero *acus interpunctoria*, qua utuntur in ſuffuſionibus ſive cataractis in oculo removendis, Galeno dicitur παρακέντριον, *Com.* 1. *de iis q. in med. f. t.* 6. Græcum vocabulum ῥαφὶς legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb.* LXIV. 11. Apud Gal. etiam extat ῥαφίον, *acicula*, notante Foëſio *in Oec. p.* 551. Varias *Acus* Chirurgicas exhibet Scultetus *Armam. Chirurg. Part. I. Tab. VII. IIX. XIV. & XVII.* Cæterum nomen hoc & locum invenit in Anatomicis, dum acuti illi proceſſus prope mammillares, vel potius appendiculæ in oſſe petroſo vocantur a Fallopio *Acus oſſeæ, in obſervat. Anat. Tom. I. Oper. p.* 364. vide *Graphioides*. Ad docimaſticen metallicam pertinent etiam *Acus exploratoriæ* dictæ, quæ ſunt exiles latiuſculæ virgulæ metallicæ, quæ lapidi Lydio affrictæ teſtantur de puritate metallorum & monetarum, vulgo Streich-Nadeln. De his lege D. Ol. Borich. *Docimaſt. Metall.* §. 18. Porro *Acus* etiam eſt nomen piſcis duum generum, Ariſtotelis & Oppiani, uterque tamen ad alimenta minus commodus, quia fere exſuccus, de quibus vide Rondelet. *l.* 8. *c.* 3. & 4. Aldrov. *l.* 1. *de Piſc. c.* 22. *ſeqq.* Hujus anatomen ab Ol. Borrichio communicatam vide *in Act. Haſn. Vol. II. obſ.* 48. *p.* 149. *ſeq.*

ACUSIOS, ἀκούσιος, i. e. *invitus*. Opponitur ἑκουσίῳ, *ſpontaneo*. Extat & Partic. ἄκουσα, apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul.* XLII. 10. Quod participium Galen. *in expoſit. Vocum Hippocraticar.* perperam per πεπληρωμένην h. e. repletam expoſuit, cum invitam ſignificet, recte animadvertente Foëſio *Oecon. p.* 21.

ACUSTICUS, ἀκουστικὸς, i. e. *ad auditum pertinens*, auditorius, ita nervus *acuſticus*, medicamenta *acuſtica*, i. e. auditum juvantia.

ACUSTO, idem, quod *Nitrum*. Rul. & Iohnſ.

ACUTUS, ὀξὺς, quid proprie ſignificet, aliunde notum eſſe debet ac poteſt. In Medicina vero in genere notat omne id, quod celeriter & cum violentia aut periculo movetur, & dicitur cum de rebus non naturalibus, tum præternaturalibus. Ita *Acutæ exercitationes* apud Galen. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 3. τὰ γυμνάσια ὀξέα ſunt, quorum celeres ſunt motus, Synonyma τοῖς σφοδροῖς, vehementibus. Frequentius vero prædicatur *Acutum* de morbis: Suntque *acuti morbi*, τὰ ὀξέα νοσήματα, in genere magni, qui ob ſui magnitudinem & ſymptomatum vehementiam celeriter ad vigorem properant, & cum ægri periculo tempora ſua percurrunt. Gal. 2. *aph.* 23. Magnitudo morbi & ſymptomatum vehementia a cauſſæ internæ motu & activitate vehementiori dependet, mutationem inferens magnam vel ad ſalutem, vel ad interitum. Hinc nullæ certæ de illis inſtitui poſſunt prædictiones, Hippocr. 2. *aph.* 19. Dividuntur communiter in tres claſſes: (1) videlicet *in morbos peracutos*, νοσήματα κατοξέα, qui intra ſeptem dies communiter terminantur, ubi tamen nonnulli λεπτολογοῦντες rurſus diſtinguant *Perperacutos* a *Peracutis*; per illos intelligentes *Acutiſſimos*, ὀξύτατα, qui etiam primis quatuor diebus ad terminum properant, & exemplum habetur *in Hipp. l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 77. *ægr.* 6. (2) in *Acutos ſimpliciter*, ὀξέα ἁπλῶς νοσήματα, qui plerumque quatuordecim diebus judicantur. Et (3) in *Acutos ex decidentia*, τὰ ὀξέα ἐκ μεταπτώσεως, qui quandoque ad quadrageſimum uſque diem extenduntur. Plura vide apud Gal. *l.* 2. *de diebus Crit. c.* 12. Nobis ſufficit monuiſſe, cauſſam, ob quam non poſſit firmus aliquis limes aut terminus poni morborum *acutorum*, conſiſtere in varietate cauſſarum externarum, cauſſam morbificam ejuſque motum vel promoventium, vel remorantium. Gal. *com.* 3. *prognoſt. t.* 25. *Acutos morbos* & præſertim *febriles* maximam partem continuos eſſe docet Idem *l.* 2. *de criſ. c.* 12. *Febris acuta* etiam ſimpliciter ὀξὺς vocatur abſque additione πυρετὸς, apud Hippocr. *l.* 4. *Epid. XIII.* 19. Plura de hoc vocabulo vide etiam apud Foëſ. *Oec. p.* 455. *ſeqq.* Dieterich. *Iatr. n.* 621.

ADAL eſt terminus Paracelſicus, quo indicatur ſubſtantia, vel virtus ſubſtantialis plantarum, quando purum ab impuro jam eſt ſeparatum, in qua virtute dependent gradus diverſi facultatum operativarum

tivarum in corpus humanum. Ejus meminit *in fragm. de re herbar. l.* 1. §. *de Incarnativ.*

ADAM, proprium nomen primi hominis a Deo creati. In Chymiam vero tranſlatum ænigmatice notat *Lapidem Philoſophicum*, item *Mercurium Philoſoph.* qui ſuam *Evam* occultam in corpore ſuo geſtet. Hinc vocatur etiam *Adam Philoſophicus*. Dornæus *de transmut. metall. c. 6.* 8. *& 9 Lapis* quoque dicitur *Adamicus ibid. in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 508. 509. 520.

ADAMAS, ἀδάμας, refertur inter lapides pretioſiſſimos & gemmas maximæ æſtimationis & multorum nummorum, Cryſtallum & cognationis vinculo & generationis modo pene imitatur. Videatur de hoc Chiocc. *Muſ. Calc. ſect. 3. p. 202. ſeqq.* ubi ſimul fabuloſam illam ſententiam Plinii de invincibili ejus duritie, & ſoliditate, ita ut omnem vim ignis & ferri eludere dicatur, refutatam reperies. Apud Galen. etiam dicitur ἀπαθὴς, *impatibilis*, vel omnis affectionis & paſſionis expers, *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 4. & multum terræ habere, *l. 9. de S. Fac. Adamas* ex Lunæ cœlo & ejus terra fieri legitur *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 317. Aliter ejus generatio deſcribitur *in Vol. IV. p.* 427. quando vapor naturæ per ſe ſublimatur ſine acceſſu pinguedinis ſulphuris, & venit ad locum aquæ puræ ſalis, fiunt *Adamantes*, & hoc in locis frigidiſſimis, ad quæ non poteſt pervenire pinguedo illa. An *Adamas* venenis intus ſumtis recte annumeretur, ventilavit Sennert. *M. Pr. l. 3. P. 2. ſ. 2. c. 7. quæſt. 2. & l. 6. P. 6. c. 7. Adamas factitius* ex hyacintho, ſapphiro, legitur apud Libav. *S. A. Ch. l. 6. c.* 4. Alia compoſitio proponitur a Lullio *in Tr. Animæ transmutatio*, quod fiat ex natura argenti terminati in naturam lapidificam. *Th. Chym. d. l. p.* 189.

ADAMITA, ADAMITUM, Paracelſo vocatur duriſſimum in albo. Sunt duriſſimi albi lapides, & *Adamita* eſt lapis proprie, qui in veſica reperitur, *l. 1. de Tart. tract.* 1. *c.* 1. *Adamitum* eſt proprie Lithiaſis. Id. *in Fragm. ad h. l.*

ADARCE, ADARCION, ADARCIS, ἀδάρκη, ἀδάρκιον, ἀδαρκις, ſecundum ſubſtantiam eſt veluti ſpuma concreta aquæ ſalſæ, concreſcens ad arundines & ſtipulas. Acerrimum eſt calidiſſimumque, & propterea deleterium, & impoſſibile, ut intra corpus ſumatur. Foris vero impoſitum permiſceri ſolet aliis mitioribus, quæ vim ejus retundant, & ita cum fructu adhibetur, teſte Gal. *l.* 11. *de S. Fac. h. tit.* Rulandus & Iohnſ. *in Lex. Chym.* dicunt, eſſe carnem marinam ſecundum nonnullos, & præcipue in Cappadocia & Galatia naſci. Indiacum nativum veluti in arundinibus Indiæ ſponte naſci velut ſal Indum in Canna. Eſt vero *Adarce* ſimilis colore flori lapidis Aſii, & in forma melli halcyonio & aliquando cavo proxima, ut poſſit videri lacuſtre quaſi halcyonium. Et quia appendet arundinibus, *Pericalamitum* & *Calamochium* quondam dicebatur. Hodie, niſi fallor, *Balla marinum* vocant. Ita videmus, Medicos uti his ridiculis, ſæpius contentis nobilioribus: nonnunquam etiam res ita obſcuris vocant vocabulis, ut Oedipo ipſo foret opus. Hactenus Rul. & Iohnſ. De *Adarcii* viribus docet quoque Dioſcor. *l. 5. c.* 137. Et jungatur Chioccus, qui etiam *Alcyoniis* adjunxit *Muſ. Calceol. ſect. 1. p.* 24.

ADARIGO notat *Auripigmentum*, ut & *Adarnech.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ADARTICULATIO, ἀρθρωδία, Vide *Arthrodia.* Ingraſſ. Latinum vocabulum applicat Græco προσάρθρωσις, quod idem eſt cum διαρθρώσει. *Comm. in Gal. l. de Oſſib. p. 26.* Vide *Diarthroſis.*

ADAXOMÆ, ἀδάξομαι, idem, quod ὀδάξομαι, *pungor*, *lancinor*, prurio, mordeor. Extat apud Hippocr. *l. 2. de morb. mul. LVI.* 4. *LXIV.* 10. Junge Foëſ. *p.* 4.

ADDEPHAGIA, ἀδδηφαγία, vel ἀδηφαγία, *voracitas*, dicitur, præſertim pueris familiaris, dum panis eſu largiori capiuntur, quam potiſſimam cauſſam lumbricorum vel vermium eſſe cenſet C. Hofm. *l. 3. Apol. pro Gal. c. 213. I.* & quidem ex Gal. *c. 7. in 6. Epid. t.* 7.

ADDITAMENTUM, ἐπίφυσις, idem, quod Appendix. Vide *Epiphyſis. Additamentum necatum* vocari proceſſum ulnæ ſive oſſis cubiti inferioris, teſtatur Veſal. *de H. C. F. l. 1. circa fin. p.* 208.

ADDITIO, πρόσθεσις, idem, quod *Appoſitio*, *Adjunctio*, eſt alterum in Medicinæ definitione Hippocratica membrum, oppoſitum τῇ ἀφαιρέσει, quando ea, quæ deficiunt, mediante arte reſtituuntur. Hoc vero pro diverſis ſcopis quamplurimis multifariam quoque perficitur, quam varietatem nunc exponere non eſt hujus loci. Eſt & *Additio* vel *Appoſitio* opus naturæ ad nutritionem neceſſarium, quando portiones ſucci nutricii parti nutriendæ vel toti corpori offeruntur, ut incrementum capiat, ſive id fiat per arteriarum extremitates, ſive per nervorum fibroſas diviſiones. Heic enim inter ſe diſcrepant Autores recentiores. Nobis prior hactenus viſa eſt veriſimilior ſententia.

ADDUCTIO, παραγωγή, vide *Attractio*, *Paragoge. Adductores* qui dicantur Muſculi, vide *Abductio.*

ADEC eſt *Lac acetoſum.* Rul. & Iohnſ. *in Lexic. Ch.*

ADECH Paracelſo vocatur ſpiritus hominis vitalis, & internus autor operationum vel functionum intrinſecarum, *l. 2. Chirurg. magnæ c.* 13. Hunc ſpiritum quoque infici in peſte, & mediante hoc peſtem fieri Epidemicam contagioſam, docuit *l. 5. de apoſtem. tract. 3. c.* 7. Dorn. Ruland. & Iohnſon. paulo aliter deſcripſerunt: *Adech* eſt interior homo noſter & inviſibilis, ſingulorum exemplaria præfigurans in animo noſtro, quæ poſtea exterior homo manibus ſuis imitatur & effingit. Quid hoc aliud, quam Actus Ratiocinationis, ſive Animæ Rationalis actus ſecundi?

ADECTOS, ἄδηκτος, epitheton medicamentorum morſu carentium, quæ Corn. Celſus *Lenia* vocat, quod iis, quibus admoventur, leniant & a mordacitate liberent, notante Andr. Tiraquello *de Nobilitat. &c. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 126. *b.*

ADEDENTES, vide *Phagedæna.*

ADEHE-

ADEHEMEST, id eſt, *Lamina.* Dicitur & *Ajonec*: *Alhokonec.* Rul. & Iohnſ.

ADELOS, ἄδηλος, dicitur Latine *Inſenſibilis*, non evidens. Potiſſimum uſurpatur de *Tranſpiratione*, quæ fit per poros cutaneos abſque ſudore evidente, dum vapores, & fuligines inſenſibiliter exhalant & avolant. Vide *Diapnoë.* Ἄδηλα πρέτκαιρα dicuntur ab Empiricis, quæ ſenſibus quidem uſurpari & cognoſci poſſunt, ſed nondum tamen apparuerunt. Gorr. *ex Gal. l. de ſectis.*

ADELPHIXIA, ADELPHIXIS, ἀδελφιξία, ἀδέλφιξις, Latine *Fraternitas*, *Fratratio*, vocatur Hipp. *communio*, conſenſus, & cognatio partium aliarumque rerum cum in ſtatu ſecundum, tum præter naturam. Hipp. *c.* 3. *de artic. t.* 100. Etenim ἀδελφίζεσθαι eidem dicitur ſumma familiaritate cum alio gaudere. Quo verbo etiam aliquoties uſus, v. g. *l.* 1. *de Morb.mul.XXXIV.* 4. *XXXIIX.* 14. *c.* 3. *de fract. t.* 35. Adjectivum quoque ἀδελφία dicitur de *morbis conſimilibus* prioribus, *l.* 1. *de morb. mul. LXII.* 1. ubi alii ἀδελφὰ legunt, quod & *l.*2. *Epid. ſect. III.* 125. occurrit. Vide Foëſ. *p.* 5.

ADEMONIA, ἀδημονία, *angorem*, *anxietatem animi* ſignificat. Et adjectivum ἀδήμων, *anxium*, graviterque mœſtum; Quod legitur apud Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 75. & Participium ἀδημονέων *l. de virg. morb. II.* 26. Vide Foëſ. *d. l.*

ADEN, ἀδὴν, vide *Glandula.*

ADENOIDES, ἀδενοειδὴς, Epitheton *Paraſtatarum*; ſive corporis glanduloſi ad veſicæ fundum ſiti, in quod vaſa deferentia inferuntur. Vide *Paraſtata. Proſtata.*

ADENOSUS *Abſceſſus* vocatur tuberculum, crudum, durum, atque omnino contumax difcuſſu, ſoboles limoſi pituitoſique ſanguinis, glandulam mentiens etiam circa loca glandularum expertia enatam. De his legatur M. Aur. Sever. *l. de noviſſ. obſ. abſceſſ. c.* 5.

ADEPS, στέαρ. Dicitur & *Sevum*, *Sæbum* & *Axungia*, ἀξυγγία vel ἀξύγγιον (ita legitur apud Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 5. Vide Linden. *S. M. Ex.IIX.* §.76.) differt a *pinguedine*, quod ille craſſior ſit, in animalibusque totam naturam magis terreſtrem habentibus proveniens, velut in humidioribus pinguedo. *Adeps* quoque non tam facile igni appoſitus liquatur & funditur, fuſus vero celerrime coit & conglaciatur, multoque apparet *pinguedine* durior. Quod ſi vero voles, omnem oleoſam & pinguem in animantibus ſubſtantiam *Adipem* appellato, ut plerique Medici. Sed & *Pinguedinem* totum hoc genus appellare tibi licet, verbis Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* Ita quoque pro Synonymis habet P. Barbette *Chirurg. P. III. L.* 1. *c.* 3. nec alii recentiorum diſtinctionem aliquam obſervarunt. Uſus etiam cum *Pinguedine* eſt communis. Vel enim ad caloris conſervationem & augmentationem, vel ad partium emollitionem, vaſorum diſtributionem, motus facilitatem, alioſque ſimiles uſus facit. Utrumque & *Adipem* & *Pinguedinem* partibus organicis ſimplicioribus ſecundariis annumerare, veritati magis conſonum videtur, quam humoribus, aut excrementis, utilibus licet, aſſociare. Rul. & Iohnſ. *in append. Lex. Chym.* ita *Adipem* deſcripſerunt, quod ſit pinguedo coagulata vel condenſata, quam conſiſtentiam habet a ſalinis portionibus. Etenim ſi deſtilletur adeps, deſtillatione partes ſulphureæ adſcendunt & remanent in fundo portiones ſalinæ, unde liquor ille poſt deſtillationem non amplius coagulatur, & *Oleum Adipis* dicitur.

ADEPTUS, terminus Paracelſo & Helmontio familiariſſimus, quo notatur ſingularis quædam a Deo donata & conceſſa cognitio. Ita *Adepti* vocantur, quorum rector etiam Spiritus Dei eſt, quique ſibi aliquam peculiarem compararunt ſcientiam, præſertim per artem *Caballæ.* Helmont. *de magnet. vuln. cur. n.* 129. Unde & *Adepta Scientia* vel Sophia κατ' ἐξοχὴν dicitur *Magia Naturalis* & Ars *Caballiſtica*, de qua infra in *Cabala.* Talem quoque ſpecialem ſcientiam urget Helmont. *in Medico*, & *Adeptum medendi* appellat, quem opponit Galenicæ & Paganæ ſcientiæ Medicæ, atque peculiare donum Dei habetur nobilius & ſuperius, quam quod è cognitione præexiſtente ſenſuum formatur in intellectu, imo, quod nec proprie doceri vel demonſtrari poteſt. Plura vide *in præf. tract. de Lithiaſi. Adeptæ Sophiæ* meminit Paracelſ. *l.* 1. *de peſte*, cum addit: *Adeptæ Philoſophiæ l.* 2. *Chirurg. magn. tr.*3. *c.* 1. *Adepti* etiam *Chymiæ* dicuntur, qui omnem laborem in Arcano univerſali acquirendo impendunt & in hanc metam adſpirant. Verum modo iterum ad illos non quadraret ſupra adductum proverbium apud Galenum: *Nihil apprehende & fortiter tene.*

ADHÆRENTIA, πρόσφυσις. Vide *Proſphyſis.*

ADIACHYTOS, ἀδιάχυτος, i. e. *minime diffluens* aut diffuſus. Uſurpatur tropice de iis, qui veſtitu & cultu ſunt frugali, minimeque diſſoluto, Hipp. *l. de dec. ornatu II.* 18. Junge Foëſ. *d. l.*

ADIAPHOROS, ἀδιάφορος. Vide *Indifferens.*

ADIAPNEUSTIA, ἀδιαπνευστία, h. e. *impedita perſpiratio*, Gal. *l.* 11. *M. M. c.* 10. Eſt cauſa primaria febrium, quando nimirum fuliginoſa & vaporoſa effluvia per habitum corporis & poros cutaneos exhalare nequeunt, ſed regurgitantia ad maſſam ſanguineam confuſione ſua inſignes perturbationes in ſanguine producunt, & ſubinde copioſius congeſta & ſubactionem reſpuentia turgeſcentiam & febriles efferveſcentias pariunt. Vide Thom. Willis *de febrib. c.* 2. §. *Dum ſanguis.* Confer etiam ad Rolfink. *O. & M. M. Spec. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 33.

ADIAPTOTOS, ἀδιάπτωτος, nomen eſt Medicamenti Colici, cujus deſcriptio habetur apud Galen. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 4. & nomen hoc ideo accepiſſe videtur, quod ad omnem inflammationem efficax ſit. Gorræus.

ADIARRHOEA, ἀδιάῤῥοια, dicitur eorum, quæ excerni deberent, omnimoda retentio ac inhibitio. Erotian. *in Onomaſtic. Hippocr. p. m.* 18. *b.*

ADIB, eſt nomen animalis, cujus hepar commendatur ab Avicenna in omni hepatis imbecillitate, *l.* 3. *fen.* 14.

fen. 14. *tr.* 1. *c.* 18. *fin.* Inteſtinum & ſtercus in Colica; *d. l. fen.* 16. *tr.* 4. *c.* 14. Si rabioſum fuerit illud animal, de ejus morſu & cura agitur *l.* 4. *fen.* 6. *tr.* 4. *c.* 5. Uno verbo, Lupus.

ADIBAT, id eſt, *Mercurius.* Rul. & Iohnſ.

ADJECTIO, ADJUNCTIO, προσαγωγή, idem quod πρόσθεσις, *Additio*, opponiturque ab Hipp. τῇ ἀφαιρέσει, *ablationi*, *de Inſomn. V.* 11. *& alibi.* Plura loca, ubi verbo προσάγειν uſus Hipp. collegit Foëſ. *Oec. p.* 532.

ADIPSON, ἄδιψον, in genere omne id dicitur, *quod ſitim abigit* vel arcet, qualia deſcribuntur à Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3. Alias ſpeciale Græcis fuiſſe epitheton *ptiſanæ* hordeaceæ, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 57. Ita & Hippocr. hoc titulo exornavit *ptiſanam* & *oxymel* in *l. de R. V. I. A. ſ.* 1. *t.* 18. *& ſ.* 3. *t.* 30. Vide Foëſ. *p.* 5. Gorr. *in def.*

ADJUTORIUM, idem, quod humerus, brachium, os habens unicum. Ita vocatur à Joh. Anglico *Roſ. Angl. p.* 1060. *c. de dislocatione adjutorii.* Legitur & in Veſalii *de H. C. F. p. m.* 207. Deſcribitur vero claris verbis ab Albucaſi: Adjutorium eſt os illud, quod eſt inter cubitum uſque ad caput ſpatulæ, *l.* 3. *Meth. med. c.* 11. *p. m.* 206. *Adjutorium* etiam ſæpe ſumitur pro medicamento topico vel externo, quod præmiſſis internis parti affectæ quaſi in ſubſidium applicatur, à Theodoro Priſciano paſſim *in ſuis phænomenis euporiſtis ad fratrem Timotheum.*

ADJUVANTIA, συνεργητικά, dicuntur Medicamenta, quæ naturæ & calori vitali ſuccurrunt miniſterialiter & inſtrumentaliter. Fallop. *de tum. p. n. c.* 17. *Tom.* 1. *Oper. p.* 635.

ADIYLISTOS, ἀδιύλιστος, vocatur *vinum non defecatum* vel per ſaccum non colatum. Id quod fieri ſolet in vinis conditis ad ſaporem, vel in aliis ad reprimendam eorum vehementiam. Gorr. *p.* 6.

ADMIRABILIS, θαυμαστὸς, quid ſignificet, ex aliis Lexicis jam in trivio notum eſt. Eſt vero in Medicina epitheton lapidis factitii Admirabilis, cujus deſcriptio legitur in D. Iunken *Corp. Pharmac. Tom. II. p.* 61. & D. de Spina *Manuali p.* 543. Ingreditur liquorem antipodagricum Mynſichti Trinunus dictum, *Armament. ſect.* 20. Hyperbolici tituli Autori huic valde familiares.

ADMIRATIO, θαῦμα, quid ſignificet, aliunde notum eſt. Hanc paſſionum omnium poſt voluptatem & dolorem primam ſtatuit Charltonus, quando novi inſolitive cujuſvis ſpeciei ſenſum percelluit, *Exerc. Pathol. IIX.* §. 23. Alias hoc vocabulo uſus quoque eſt Ioſtrerius, inſcribens libellum ſuum de erroribus variis, qui committuntur circa uſum Veſicantium, Cucurbitularum, V. Snis, purgationis & victus, *Admirationes Medicas.*

ADMISURAB *Terram* ſignificat.

ADNATA, vel *Agnata*, ἐπιπεφυκὼς, vocatur tunica oculi prima ordine, craſſior & validior, ſuperficie plena, *Caſtelli Lexic. Med.* colore candido, (unde & *Alba tunica* dicitur, & *Album oculi*) oculum tum oſſibus, tum palpebris conjungens, inque ſuo thalamo ſtabiliens, quare & ab officio ſuo *Conjunctiva* vocatur. Hanc tunicam, quamvis non habeat vaſa conſpicua in bene habentibus, ophthalmiæ h. e. inflammationis oculorum conſtituere ſubjectum, communi Doctorum conſenſu conſtat. Ulteriorem hujus tunicæ deſcriptionem vide *in Anatomicis.* Vide *Agnata.*

ADOLESCENS, *Adoleſcentia.* Vide *Juvenis. Meiracion. Adoleſcentia* media eſt inter puberem ætatem & vigorem conſiſtentem, cujus temperies calida & humida eſt ſaluberrima & veris temperaturæ correſpondens. Petr. Mich. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 218. *A.*

ADOS, eſt aqua, in qua ferrum candens reſtinguitur. Rul. & Iohnſon. *in Lexic.*

ADPLUMBATUM, idem quod *ferruminatum*, legitur apud Scribon. *n.* 271.

ADRAM, id eſt, *Sal gemmæ.* Idem.

ADRASTEA, ἀδράστεια, epitheton Deæ apud Ethnicos *Nemeſis* dictæ, juxta Strabon. *l.* 13. *Geograph.* ab *Adraſto* Rege, qui primus huic Deæ templum erexit, appellatæ. Hujus *Deæ Legem* neminem effugere poſſe, dixit Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 12. Eſt vero lex illius nihil aliud, quam vis & potentia vindicandi ab adverſariis veritatis lumen & ſplendorem, præſertim in determinandis rerum cauſis, ut cogantur tandem palmam dare. Frequentiſſime pariter ad illam provocavit contra Gal. C. Hofm. *in ſcriptis ſuis.* Plura de hac Dea videantur in Adagiis Eraſmi *Chiliad. II. cent.* 6. *adag.* 38. & d. Hofm. *ad Gal. LL. de V. P. n.* 374.

ADRIANUM, eſt nomen medicamenti compoſiti & ab Adriano Imperatore inventi contra affectus capitis omnifarios ex cauſſa frigida, cujus deſcriptio extat *in Antidotar.* Nicolai *in operib. Meſuæ fol. m.* 370. *b.*

ADROP, eſt terminus Spagyricus, denotans vel illud ipſum corpus aut *plumbum*, è quo elici debet *Mercurius* pro lapide Philoſophico, in qua ſignificatione ſumitur à Ripleo *in Axiomatibus Philoſophicis*, quæ extant *in Theatr. Chym. Vol. II. p.* 114. & *in Epiſtola Anonymi de principiis Art. Hermet. in Th. Ch. Vol. IV. p.* 474. vel notat ipſum *lapidem Philoſophicum.* Lagneus *in Harmon. Chymic. Th. Ch. Vol. IV. p.* 726. quia & *Saturnus*, vel *Plumbum* dicitur. Rul. *in Lex.*

ADSAMAR ſignificat *Lotium* vel *Urinam.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ADSELLARE, verbum antiquum denotans *exonerationem alvi*, ſive excretionem quotidianam. *Sellæ* enim *familiæ*, vel *familiaricæ* vocabantur à rei ruſticæ ſcriptoribus loca illa ad ſeceſſum neceſſaria, teſte Keuch. *in not. ad Sammonic. p.* 197.

ADSTANTES, παρέοντες, dicuntur Hippocr. ii, qui ægris præſto ſunt miniſtrando, curamque gerendo, ex Hippocr. 1. *aph.* 1. Junge Dieter. *n.* 655.

ADSTRICTIO, σύψις, habetur pro effectu frigiditatis, Gal. *l.* 9. *de S. F.* §. *Terra Samia.* vim habet gluti-

nandi opera craſſæ terrenæque frigiditatis, *l.* 7. *d. tit.* §. *Centaur. minus.* Dicitur & *Conſtipatio.* Gorræus ita deſcripſit: Quod ſit qualitas guſtatilis, quæ à frigido vincente perficitur in craſſa & terrena ſubſtantia. Itaque propria facultate contrahit & denſat meatus, refrigerat & repercutit; per accidens autem calorem excitat & auget, conducitque ad concoctionem. Enimvero non ſolum ad ea, quæ guſtu percipiuntur, refertur hæc qualitas, verum tribuitur & aliis rebus in paſſiva ſignificatione. Ita Alvi *adſtrictio*, Pororum cutis, &c.

ADSTRINGENS, ςύφον, eſt, cujus ſubſtantia eſt craſſarum partium, παχυμερὴς, terrena & frigida, habens vim ſiccandi, humores depaſcendi, parteſque roborandi, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 14. quamvis recentiores ſalinis *ſtypticis* & ponticis portionibus, uno verbo, fixis illam adſcribant, quæ ſub terreſtribus optime intelligi & comprehendi queunt. Conveniunt in pleriſque cum *Acerbis* & *Auſteris*, de quibus *ſupra.* Celeberrimus D. D. Bohn. *Adſtringentium* potentiam in terreſtreitate pontica, h. e. acore particulis terreis determinate combinato, conſiſtere ſcripſit *Diſſert. Chymico-Phyſ. XI.* §. 16.

ADULTERATIO, δόλωσις, δολισμὸς, in Pharmaceuticis ſignificat medicamentorum fraudulentam corruptionem ſub ſpecie genuina. De quibus plura occurrunt apud Schröder. Rolfink. & alios rerum Pharmaceuticarum ſcriptores. *Adulterari* apud Dioſcorid. Græce per δολίζεσθαι exprimitur frequentiſſime. Catalogum *Adulterinorum ſimplicium* collegit I. D. Horſtius *in Part. I. Diſpenſ. Pharmac. Univerſ. L.* 4. *c.* 17. *p. LXXV. ſeqq.*

ADULTERIUM, *Adulterinus*, quid proprie ſignificet, conſtare debet ex aliis Lexicis, cum non ſit hujus loci. Paracelſus vero plane abuſive & tropice tranſtulit hoc vocabulum ad ventriculi vitium, quando corpus aut ſaltem ventriculus nimium obruitur aſſumtis, ob inordinatam animæ brutalis appetentiam, quia ſupponit, animam illam ſenſitivam eſſe inſtar maris, & corpus inſtar fœminæ, & mutuum illud commercium ſeſe habere ad inſtar conjugii, *Paramiri l.* 2. *c.* 8. *& tr. de Alvi fluxu.* §. *Cauſſa.* Alias *Adulterina* dicuntur medicamenta ſpuria & ſuppoſititia, quæ vel ratione ſubſtantiæ, vel ratione facultatis, vel ratione utriuſque videntur habere ſpeciem bonitatis, accuratius vero examinata falſa & vitioſa deprehenduntur, docente Schenk. *de comp. & præſc. medic. formul. p. m.* 93.

ADUSTIO, idem, quod *Combuſtio*, de quo inferius. *Adurere* os dixit de Ephemero Scribon. *n.* 193. *Aduſtio* Spagyrica dicitur, quando commiſcetur, aut *aduritur*, aut corrumpitur humiditas ſubſtantialis rei, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 869.

ADYNAMIA, ἀδυναμία, Lat. *Impotentia.* Hoc vocabulum meo quidem judicio optimum & accuratiſſimum inter omnia alia genus conſtituit in definitione morbi, non modo ex mente Ariſtotelis *in Categoriis*; quod ægri dicantur, qui habent impotentiam naturalem, ſcilicet ad functiones neceſſarias; ſed etiam ex ſuffragio ipſius Galen. *de diff. morb. c.* 2. dicentis, quod ſanitas non operatione, ſed potius per potentiam ſit definienda, quoniam & dormientes, aut alioquin in tenebris & otio degentes, aut ſæpe diſcumbentes, neque ulla parte corporis movemur, neque alium rei extrinſecæ ſenſum habemus, nihilominus tamen ſani ſumus. Igitur cum ſanitatis contrarium ſit morbus, deberet & hic potius per ἀδυναμίαν, *impotentiam*, definiri, quam per aliud genus, quamvis Gal. ipſe non fecerit. Et fruſtra ſibi metuit C. Hofmann. *Apol. pro Galen. l.* 3. *c.* 8. *A. B.* objici poſſe, hoc vocabulum eſſe nudum nomen: Non enim peti inde poteſt ulla indicatio. Quin imo nec peti debet: Veræ enim indicationes non à morbo, ſed à cauſſa petendæ ſunt; quemadmodum nec à ſanitate, ſed à cauſſis ejus indicationes conſervatoriæ deſumuntur. Junge *Dogm. noſtr. P. II. c.* 2. *D.* 2. *p.* 113. & *Propylæum p.* 53. Vide *Impotentia.*

ADYNAMON, ἀδύναμον, vini factitii genus eſt. In muſti ſextarios viginti additur aquæ dimidium. Fervet, donec excoquatur aquæ menſura. Datur ægris, quibus vini noxa timetur. Eſt enim *invalidum*, unde illi nomen. Dioſcorid. parem muſti & aquæ menſuram miſcet, & lento igni leniter decoquit, donec aqua tota conſumatur: cumque refrixerit, id in picatum dolium fundit. Hæc Gorræus.

ADYNATOS, ἀδύνατος, duplicem habet ſignificationem. Vel enim notat *impoſſibile*, ſive quod fieri non poteſt, vide *Impoſſibilis.* Vel ſignificat *Impotentem*, h. e. viribus fractum, ad actiones obeundas imbecillem. In qua uſus Hippocr. *l.* 1. *Prorrh. c.* 2. *t.* 3. *Coac. t.* 53. *&* 175. Adde Foëſ. *Oec. p.* 6.

ÆAZO, αἰάζω, idem quod, θρηνέω, h. e. *lamentor*, lugeo, gemo. Erot. in *Onom.* & Foëſ. *p.* 8.

AEDES, ἀηδὴς, h. e. *inſuavis*, *injucundus*, *ingratus.* Uſurpatur de alimentis palato non acceptis, ſed ſaltem comparative, Hipp. 2. *aph.* 38. Idem quoque de medicamentis intelligi poteſt, Dieter. *n.* 10.

ÆDOEA, αἰδοῖα, Latine *Pudenda*, h. e. *partes genitales* utriuſque ſexus vocantur Hippocr. 3. *aph.* 21. *&* 5. *aph.* 22. Jung. Dieter. *n.* 14.

ÆGAGROPILUS, αἰγαγρόπιλος, ab αἴγαγρος, *rupicapra*, & πῖλος, *pila*, vel *globulus*, ex flocculis laneis confectus eſt in ventriculo primo aut ſecundo *Rupicaprarum* occurrens maſſa quædam frequentius oblonga, rarius rotunda, duplici ſubſtantia conſiſtens, quarum interior aut fibras radicum, aut filamenta & cauliculos plantarum ſucco concreto & exſiccatione in pulverem ſubtilem faceſſente compacta refert; exterior coriaceam cutim, interdum tamen lignoſum corticem quendam, rariſſime cruſtam lapideam æmulatur, coloris utplurimum cineritii aut nigri, magnitudinis variæ, quæ manum tamen in pugnum contractam vix unquam excedat, ex alimentis vegetabilibus & mineralibus, familiaribus copioſius aſſumtis per fermentum

mentum ventriculi facultate coagulativa infectum genita, in ſe quidem præternaturalis, ratione tamen efficaciæ, quam experientia hactenus confirmavit, ſalutaris & variis in affectibus ſingulari cum emolumento ſæpius à Medicis exhibita in certa doſi. Vulgò, **Gemſen-kugel.** Hujus accuratam deſcriptionem virtutumque variarum commendationem ex profeſſo publicavit Georgius Hieronymus Velſchius, Doctor Medicus Auguſtanus, *diſſertat. de Ægagropilis*, quæ lectu haud indigna, modo mortuo non inſultaſſet leoni & θεραπείαν C. Hofmannum non adeo temere perſtrinxiſſet, quod alio loco & tempore ſeverius animadvertere conſtituiſſem, niſi & mors illius me à propoſito revocaſſet. Meminit quoque ex Velſchio Rolfink. *Ægagropilorum*, *Ord. & Med. Sp. l.* 8. *ſ.* 2. *c.* 1. *fin.*

ÆGEIRINON, αἰγείρινον, nomen *Unguenti*, quod Lat. *Populeum* vel *Populneum* vocatur, *ab* αἴγειρος, *populus.* Deſcribitur ab Æginet. *l.* 7. *c.* 19. Gorræus.

ÆGER, ÆGROTUS, νοσερὸς, νοσώδης, quid ſignificet, notius eſt, quam ut opus ſit verbis. Breviter, *qui laborat morbo.* Dicitur & *Inſalubris*, de quo inferius.

ÆGIAS, αἰγιὰς, (perperam à Foëſ. αἰγὶς, *p.* 8. poſitum, quod aliam habet ſignificationem) apud Hipp. ſignificat concretionem albicantem pupillæ oculi inhærefcentem, aciei caliginem offundentem, eamque obſcurantem, ſive ex craſſiore excrementitio humore enata fuerit, ſive ex ulcere relictæ cicatriculæ ſubalbicans fuerit. *Coac. t.* 218. *l.* 2. *Prorrh. XXIIX.* 33.

ÆGIDION, αἰγίδιον, eſt nomen *Collyrii*, quo fluxiones commode fiſti poſſunt, quod genus στατικὸν appellant. Deſcriptio habetur apud Aëtium citante Gorræo.

ÆGILOPS, ſive ANCHILOPS, αἰγίλωψ, ἀγχίλωψ, quamvis quidam Medicorum differentiam inter hæc duo vocabula conſtituunt, quod *Anchilops* ſit tumor in magno oculi angulo nondum ruptus: *Ægilops* verò jam ruptum tumorem ſignificet, (quod capræ huic vitio peculiariter obnoxiæ ferantur.) Dicitur & *fiſtula lachrymalis*, quia ulcus ex tuberculo rupto facillime ſinuoſum evadit & in fiſtulam abit, quam aliquando alius ſequitur affectus, ῥυὰς, *Rhyas* dictus, quando caruncula in angulo oculi abſumitur. Sufficit nunc, hanc diſtinctionem ab Autoribus non ſemper obſervari, nec quoad cauſſas & generandi modum multum inter ſe differre. Hinc Gal. *l. Introduct. ſeu Medicus c.* 15. deſcripſit omnes dictos affectus complexus: *Ægilops* vel *Anchilops* eſt abſceſſus quidam ad angulum oculi, qui naribus propior eſt, pus continens, quod erumpens aut os exedit, aut ad angulum, aut uſque ad nares deſtillat. Jungatur *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 2. Cauſſa cum aliis ulceribus eſt communis, humor, nimirum acris, ſalſus, lixivioſus, ſepticus & corroſivus. Hinc facile in fiſtulam abit, præſertim ſi ulcus neglectum fuerit. Eſt affectio ægre curabilis propter corporum tenuitatem ſubjecto oſſe corrupto, juxta Aët. *l.* 7. *c.* 87. nihilominus feliciter ſe quoque abſque cauterio actuali curaſſe teſtatur Hildan. *Cent. V. Obſ.* 22.

ÆGLIA, αἰγλία, αἰγλίη, apud Gorræum idem, quod αἰγίας.

ÆGOPROSOPON, αἰγοπρόσωπον, idem, quod αἰγίδιον, nomen Collyrii. Gorræus.

ÆGYPTION, αἰγύπτιον, dicitur unguentum album oleoſum, quod & μενδήσιον appellatum eſt, compoſitum ex liliis & aromatibus. Meminit aliquoties Hipp. *in libris de Nat. mul.* quæ loca collegit Foëſ. *p.* 9. quæ huc transferre non eſt operæ pretium. Vocatur & ἔλαιον, oleum, ob conſiſtentiam oleoſam. Alias & *in Diſpenſatoriis* legitur unguentum Ægyptiacum ſimplex & Magiſtrale compoſitum Hildani, hodieque utrumque Chirurgis uſitatiſſimum ad putredinem & excreſcentias abſumendas validiſſimum, & baſis utriuſque ærugo eſt, vel viride æris. Jungatur & Zwölferi *Animadverſio in Pharmacop. Auguſt.* Ægyptium quoque eſt epitheton lini aut fili, quo ſpongiam involvit Hipp. quo firmior & durior ſit in Polypi curatione, *l.* 2. *de Morb. XXXIII.* 9. item corii vel alutæ, ceu mollioris & validioris ad parandas ſpiras, 3. *de fractur. t.* 29. Item Aluminis, *l. de Ulcer. X.* 3. 4. *XII.* 11. Ægyptii olei & unguenti varias deſcriptiones ſuppeditat Galenus *in Lexico*, αἰγύπτιον ἔλαιον.

AEIDES, ἀειδὴς, h. e. *indecorus*, *deformis.* Legitur apud Hippocr. 2. *aph.* 54. Huic opponitur εὐειδὴς, *formoſus*, decorus. Jungatur Dieterich. *Iatr. n.* 9.

AEIGLEUCES, ἀειγλευκὲς, dicitur genus vini dulcis, quaſi ſemper muſtum, quod paratur muſto in dolia vel cados condito, & ſtatim in aquam merſo, donec bruma tranſeat, ut muſto conſuetudo quædam fiat algendi. Solus namque fervor muſti facit ex hoc vinum. Gorræus.

AEIPATHEIA, ἀειπάθεια, dicitur, paſſio vel *affectio perpetuò durans*, nec remiſſionem habens. Hinc & ἀειπαθὴς, *ſemperpatiens*, quo uſus Ocellus *de univerſo*, citante Scapula.

ÆOLASTHÆ, αἰολᾶσθαι, ſignificat *errare*, *vagari*, *inſtar venti*, & legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LIIX.* 20. Adde Foëſ. *p.* 13.

ÆOLIPYLÆ, αἰολόπυλαι, vocantur ex commento Paræi vaſa illa ænea punctum vel foramen habentia anguſtiſſimum, quo aqua infunditur & ad ignem collocata, ignis actione aqua in aërem flatumque mutata ſpiritum, vel aërem, quem ante nullum habebant, magno murmure & ſtrepitu emittunt &c. Par. *l.* 10. *Chir. in Apologiſmo II. ad Carol. IX. Regem Gall. poſt præfat.*

ÆON, αἰὼν, ſumitur apud Hipp. pro *tota hominis vita & ætate*, *l.* περὶ αἰῶνος & 2. *de fract. t.* 21. Foëſ. *p.* 14. qui etiam ex Erotiano monſtrat, αἰῶνα ſignificare *medullam ſpinalem*, apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. LII.* 8. verum Linden. *ibid.* νεῶνα poſuit.

ÆONESIS, αἰώνησις, hoc eſt, *Perfuſio*, *Aſperſio.* Verbum etiam αἰωνάω ſignificat *profundo.* Nomen vero legitur apud Hipp. *de humid. uſu I.* 8. Vide Erotian. *in Onomaſt. p. m.* 15.

ÆORA, αἰώρα, ſignificat *geſtationem*, & in ſpecie *penſilem* apud Aet. *Tetrab.* 1. *l.* 3. *c.* 6. allegante Foëſio. Tales *penſiles geſtationes* ab Athenienſibus introductæ tempore Bacchanalium. Verbum αἰωρεῖσθαι & ἀπαιωρεῖσθαι etiam denotat *attolli, ſuſpendi*, & legitur apud Hipp. *l.* 2. *de fract. t.* 56. *l.* 3. *t.* 77. & activum αἰωρέειν *l.* 1. *de morb. mul. XCIII.* 20. Plura vide apud Foëſ. *Oec. p.* 14.

ÆPOS, αἶπος, *locum acclivem*, arduum ſignificat apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. XLIX.* 11. *L.* 13. *LXIIX.* 4. *de int. aff. XLVII.* 16. quamvis Linden. vel ἧπος vel ἐσπέρην poſuerit, excepto unico loco *l.* 7. *Epid. LII.* 8. ubi retinuit αἶπος, Confer. ad Foëſ. *p* 13.

ÆQUALE, τὸ ὁμαλὸν, ὁμαλὲς, ἴσον, de rebus naturalibus, ſecundum & præternaturalibus prædicari ſolet. Gal. *c.* 2. *in progn. t.* 21. Denotat vero non ſolum rerum ſaltem numero, vel etiam ſpecie differentium convenientiam ratione quantitatis, ſed etiam ratione qualitatis. E. G. *Æquale temperamentum*, ἰσότης τῆς κράσεως, quando vel nullus exceſſus caloris vitalis aut alterius qualitatis in corpore humano ejuſque membris obſervatur; vel quando exceſſus caloris aut frigoris, humiditatis aut ſiccitatis ſimplex, vel compoſitus adeſt quidem in latitudine ſanitatis, ille tamen ſemper eandem ſervat indolem. Item *Æqualis Pulſus*, ὁμαλὸς σφυγμὸς, dicitur, cum omnes ictus eundem inter ſe ſervant ordinem & proportionem, ita ut ſecundus reſpondeat primo, tertius ſecundo, & ſic deinceps. Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 10. *Æqualis urina*, οὖρον ὁμαλὲς, vocatur, quæ, quoties mingitur, eandem præ ſe fert ſemper ſpeciem, ratione coloris, conſiſtentiæ & contentorum. Sic & de reliquis excrementis v. g. *Æquale pus*, eſt proprietas puris laudabilis, τὸ πύον ὁμαλὸν, 1. *prognoſt. t.* 42. De rebus præternaturalibus quoque uſurpatur, quando *Æqualis morbus* dicitur, qui perpetuo ſibi conſtat, & *æquales* habet motus & ſymptomata ſemper ſimilia, Gal. *c.* 2. *aph.* 23. Sed & de diverſis ſpecie rebus ſumitur *Æqualitas*. Ita *vinum æquale æquali* aqua mixtum, h. e. tantum vini, quantum aquæ, & vice verſa, continens, Gr. οἶνος ἴσος, vel uno verbo ἰσοκρατὴς dicitur Hippocr. 7. *aph.* 56. *l.* 2. *de morb. XXXIIX.* 6. *Æqualis inæqualitas* in pulſu, ὁμαλὴ ἀνωμαλία vocatur, quando priſtinam naturam quidem immutantes, ſive magnitudine, ſive qualitate *æqualia* vel *inæqualia* capiunt incrementa: nam quatenus *æqualitatem* commutant, vocantur *inæquales*; ſed quatenus *æqualem* ſemper mutationem aſſequuntur, *æqualiter* dicuntur mutari, ex Gal. *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 11.

ÆQUANTIA ſenſum, vocantur in Jul. Cæſ. Claudini *de ingreſſ. ad infirm. l. II. ſect. II. c.* 33. *p. m.* 335. Anodyna digerentia, & Græce dici poſſunt ὁμαλύνοντα vel ὁμαλίζοντα ſcil. τὴν αἴσθησιν. Vide etiam infra *Homalos*.

ÆQUE, *Æquis portionibus*, ponderibus &c. Vide *Ana*.

ÆQUILIBRIUM, terminus eſt Mechanicus, qui à Carteſianæ Philoſophiæ ſectatoribus etiam ad forum Medicum, quin potius Phyſicum transfertur, & ſignificat proportionem juſtam & naturalem partium qua fluidarum, qua ſolidarum ad compoſiti corporis conſtitutionem concurrentium, ut in motu & vigore ſuo vel etiam in quiete vel tenore ſuo maneant. Unde Th. Craanen *in ſuo lumine rationali* aliquoties æquilibrii mentionem fecit, & D. D. Fr. Hoffmannus fundamentis Medicinæ annumerare non dubitavit *cap. II.* §. 16.

ÆQUIPOLLENS, ἰσοσθενὴς, vide *Iſoſthenes*.

AER, ἀὴρ, quid propriè ſit, è Phyſicis addiſcendum eſt. Dorneus *in Phyſica Geneſi & Phyſica Triſmegiſti* dicit, *Aerem* nil aliud eſſe, quàm aquam vi caloris vel Spiritûs Domini in creatione reſolutam, *Th. Chym. Vol. I. p.* 355. 373. unde & maſculus Hermaphroditus vocatur, participans de natura ignis & aquæ, *d. l. p.* 498. & mediator habetur inter ignem & aquam à Seniore Zadith *de Chymia Vol. V. p.* 203. Dicitur & ibidem res vivificans, imo vita cujuſque rei. Suntque *aer* & ignis elementa agentia, in Platonis *Libro Quartorum l.* 4. *in Th. Chym. Vol. V. pag.* 170. *Aer* tanquam magnum recipiens hujus Macrocoſmi conſiderari poteſt, in quo omnis generis ſemina & ſpiritus mundi, tanquam in proprio domicilio, hoſpitare ſolent, Jac. le Mort. *Med. Chym. Phy. c.* 9. *p.* 89. Junge Rob. Boyle *Suſpiciones de latentibus quibuſdam aeris qualitatibus*. Cæterum in Medicina conſideratur potiſſimum, ut res non naturalis ſumme neceſſaria, & cauſſa ſanitatis morborumque procatarctica, pro ejuſdem uſu vel abuſu, cum per inſpirationem, tum ambiendo, corpus noſtrum afficiens. Ab Hippocrate deſcribitur, quod ſit ſpiritus corpora noſtra ambiens, iiſque circumfuſus, omnium, quæ corpori accidunt, autor & dominus, utpote cujus in naturalia corrumpendi & conſervandi vis eſt maxima, *l. de Flatib. IV.* 8. 9. Triplicem ejus differentiam conſtituiſſe dicitur ab Herodiano, ut primo ſit id, quod vulgo ita nominatur; ſecundo, in nobis latens Spiritus, & tertio per ſeceſſum abiens maleolens flatus. Ejus varias quoque conſtitutiones & καταστάσιας ſive mutationes tradidit *l. de Aer. Loc. & Aq.* quæ omnes à Medico probe attendendæ & perſpiciendæ ſunt, monente Gal. *c.* 8. *in l.* 6. *Epid. & c.* 2. *de Humor. t.* 29. Qua fini etiam legi meretur Charletoni *Exercit. Patholog. V. & X.* §. 33. *ſeqq.* Inquiri etiam poſſunt loca varia de *Aëre* in Dolæi *Encyclopœdia Medica*, quæ monſtrabit Index, & laud. D. D. Bohn. *Diſſ. Medico-Phyſica IV. per totum*, item *annexa ejuſdem Diſſert. de Aëris in hæc ſublunaria influxu.* A Chymicis quoque *Aer* diverſimode accipitur. Libav. ſcripſit: *Aërem Chymicorum* non eſſe inſtar Elementaris reſolutum, ſed in forma magis fixa oleiformem cum citrinate, *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 35. & eſſe organon ſeu machinam omnium, per quam fiunt omnia, ex Hermete Ægyptio notavit idem *in Exam. Philoſ. ſect.* 36. De *Aëre Chymico* videatur etiam Becherus *in Oedipo Chym. Tit.* 4. §. 4. Ænigmatice quoque *Aer* appellatur *Lapis Philoſophicus* in *Harmonia Chymica. Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 725. *ſeqq.*

AERDADI, ſunt ſpiritus corporei in aëre degentes. Dorn. *in Diction. Paracelſi.*

ÆREOLUM, χαλκȣ̃ς, vide *Chalcus.*

AEREUS, ἀέρι@, ἠέρι@, dicitur de omni, quod participat de aëris naturâ, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad efficaciam. De illis ſtatuit Fallop. *Aërea* conſpiſſari quidem poſſe, ſed non congelari, *tr. de metall. & foſſil. c.* 11. *Tom. I. Oper. p.* 301.

AERIFICATIO dicitur, quando aqua per fermentationem ultimata diſcontinuatione in ipſum aërem reſolvitur. Caſpar. Cramer *Colleg. Chym. Diſſert. I. c.* 4. §. 3.

AEROLOGICE, ἀερολογικὴ ſcil. pars, vocatur primum Diætologiæ membrum, agens de aëris ſalubri uſu, quam neminem ex profeſſo tractaſſe ſcripſit Joh. Ant. von der Linden, ut merito inter Medicinæ deſiderata reponatur, *in Manuductione ad Medicinam à* Chr. Günth. Schellammero *ad introduct. Conring. annexa p.* 91.

AEROMELI, ἀερόμελι, id eſt *mel aëreum*: Epitheton mellis, vel quod ex *aëris rore* factum eſt, unde mel roſcidum, Droſomeli, dicitur Aldrov. *de inſect. l.* 1. *c* 2. Apes quoque αἰθερίȣ νέκταρ@ ἐργάτιδες, ætherei nectaris opifices dicebantur à Poëtis græcis, vel quod faucibus & organis reſpirationis medeatur, teſte Dioſcoride. Vide *& not.* Keuch. *ad Samonic. p.* 147.

AEROPHOBÆ. Aëris timor generaliter phreniticis adſcribitur. Cælius Aurel. *Acut. morb. lib.* 3. *cap.* 12.

AEROSIS, ἀέρωσις, eſt ſanguinis attenuatio & in halitus reſolutio, pro ſpirituum vitalium continuatione & flammæ vitalis pabulo, ex Gal. *l.* 11. *Meth. med. c.*3. Hujus *ſubtiliationis* & quaſi rarefactionis pro nutrienda flammula vitali cauſſam ſtatuit Charlton. *d. l.* §. 3. *aërem* in pulmones inſpirando attractum, conſimili prorſus modo, quo per folles inſufflato *aëre* flamma in lignis promtius accenditur. Quod paradoxon prolixius deductum *in Oecon. anim. Ex. IIX.* num adeo firmis nitatur rationibus, ut aſſenſum mereatur, ventilavimus *in Dogmat. noſtr. p.* 583.

ÆRUGINOSA BILIS, ἰώδης χολή. Vide *Bilis.*

ÆRUGO, ἰὸς (quæ vox Græca etiam aliorum metallorum rubiginem ſignificat,) *Viride Æris*, eſt *rubigo æris*, vel cupri, guſtantibus acrem qualitatem offerens, digerendi, depaſcendi, & corrodendi non teneram modo, ſed & duriorem carnem, vim habens. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* Eſtque vel nativa, vel factitia. De utraque legatur Dioſc. *l.* 5. *c.* 91. 92. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.* Schröder. *Pharm. l.* 3 *cap.* 12. De *Ærugine* factitia ſive *Ære viridi* parando videatur Junken *Lexico Chymico Pharmaceut. Part. I. p.* 8. 9. Sed & Latinum *Ærugo* aliis adjungitur metallis. Ita *Ærugo* ferri & plumbi legitur apud Fallop. *tr. de comp. medic. c.* 11. *Tom. I. Op. p.* 149.

ÆRUMNA eſt ægritudo animi cum labore conjuncta. Fernel. *Phyſic. l.* 6. *c.* 12.

ÆRYSIPELAS planè vitioſè ſæpius legitur pro *Eryſipelas* in *Tom. I. Oper.* Petr. Mich. de Calderia.

ÆS, χαλκὸς, idem quod *Cuprum*, eſt metallum ignobilius, durius plumbo, mollius ferro, conſtans portionibus ſulphureis, mercurialibus, & ſalinis, quamvis hoc negare velit Frid. Hofm. *Clav. ad Schröd. d. l.* Enimvero non video, quid obſtet, quo minus ſalinas etiam concurrere portiones quis credat, præſertim ſi vera eſt hypotheſis Williſii & aliorum, quod ſal rebus & corporibus naturalibus compactionem, ſoliditatem, nec non pondus & durationem largiatur, *de Ferment. c.* 2. *&* 3. Cur *Cyprium æs* vocetur, vide Joh. Rhod. *ad Scribon. n.* 16. Appellatur & *Philoſophicum*, de cujus viribus vide *Th. Chym. Vol. I. p.* 631. A Chymicis *Æs Veneris* nomine exornatur. Species varias *æris* recenſet Rul. *in Lex. Chym.* v.g. *Purum* ſive *nativum rubrum* ab omnibus aliis metallis liberum: *Æs*, quod excoquitur ex pyrite, h. e. marcaſita, item ex aliis ſpeciebus, ex nonnullis terræ generibus, luteis & purpureis, chryſocolla & cæruleo etiam, unde & varia à coloribus epitheta obtinuit Rubeum, Flavum, Cæruleum, Nigrum. Item *Æs Caldarium*, abſtractum, reſiduum. *Æs uſtum* ſive *crematum* fit ex æreis clavis compoſitis cum ſulphure & ſale, aut etiam alumine in vaſe fictili. Dioſc. *l.* 5. *c.* 42. Gal. vocat κεκαυμένον χαλκὸν, & habet vim adſtringendi & cicatricem inducendi, præſertim ſi lotum fuerit, *l.* 9. *de S. Fac. & alibi.* De modis parandi *Æs uſtum*, variis legatur Iunken *d. l. p.* 10. *ſeq. Squama æris*, λεπὶς τȣ̃ χαλκȣ̃, ejuſdem eſt virtutis. *Æris flos*, χαλκȣ̃ ἄνθος dicuntur *ſquamæ ex ære* fuſo & in alias fornaces translato, flatu crebriore excuſſæ, ut docuit Plin. *l.* 34. *H. N. c.* 1. Hippocrati ſimpliciter ἄνθος dicitur, *de morb. l.* 2. *XXXIII.* 21. *ſeqq.* adde Rhod. *not. ad Scribon. n.* 34. Non eſſe confundendum cum *Chalcantho* monet idem *n.* 31. *Panes ærei* dicitur maſſa *æris* in fornacibus per fuſionem cocta & parata. Æs etiam generalius accipitur quandoque, denotans quamcunque mineram metallicam, quæ in fodinis reperitur, vulgo Ertz / item illud metallum, mixtum, è quo monetæ cuduntur, Rul. In Spagyricis *Æs Hermetis* vocatur corpus illud imperfectum in magiſterio Lapid. Philoſ. nondum præparatum, ſicut eſt initio. Dicitur alias Pulvis Solis, Caput corvi, Terra citrinata, Continens & Contentum, Plumbum noſtrum, Leo viridis &c. Confer. ad Lagnei *Harmon. Chym. in Th. Chym. Vol. IV. p.* 718. *ſeqq.* Imo ibidem ipſe Lapis Philoſophicus *Æs* vocatur. *p.* 727.

ÆSALO, αἰσάλων, eſt nomen avis minoris quidem, nihilominus inter accipitres vel falcones referendæ, ob ſingularem celeritatem & audaciam inſidiandi vulpi per quandam antipathiam. Dicitur & *Merillus*, *Smerillus*, cujus deſcriptio videatur in Aldrovandi *Ornitholog. l. V. c.* 5.

ÆSCHOS, αἶσχ@, *deformitatem* ſignificat, præſertim corporis, vel membri cujuſdam. Legitur apud Hipp. *l. de artic. t.* 64. Cauſam deformitatis monſtroſæ Para-

 celſ.

celſ. ſtatuit, eſſe deficientem naturam in diſgregatione debita maſſæ ſeminalis poſt conceptionem, *l.* 3. *de morb. inviſib. Deformitatis* in facie mentio fit apud Scrib. *n.*184.

ÆSCHROMYTHEO, αἰσχρομυθέω, i. e. *turpia & obſcœna loquor.* De deliris uſurpavit Hipp. *l.* 3. *Epid. ægr. XI. poſt ſtat. peſt. & l.* 4. *VII.* 8. Galen. *c.* 1. *prorrh. t.* 27. Vide Foëſ. *p.* 14.

ÆSCHROPOEEO, αἰσχροποιέω, ſignificat *turpia facio*, ſive artes turpiter dehoneſto, Hipp. *de arte in princip.*

ÆSTAS, θέρος, dicitur pars anni calidior & ſiccior utplurimum, quando Solis radii vertici noſtro propiores vim ſuam potentius exerunt. Si autem veri ſimilis fuerit, ſudores multos expectandos eſſe docet Hippocr. 3. *aphor.* 6. *Æſtatis morbos* recenſet idem 3. *aph.* 13. & 21. In ſpecie meminit quartanarum febrium *æſtivarum* 2. *aph.* 25. Quod purgatio per vomitum inſtituenda ſit *æſtate*, docet 4. *aph.* 4. verum neque perpetuum eſſe, recte monet Valleſ. *in ann.* neque etiam rationes ſat gravis ſunt momenti. Æſtas quoque Hippocr. dicitur θερινὴ ὥρα, 4. *de R.V.I.A. t.* 1. Vide Foëſ. *p.*268. Dieter. *n.* 390. Legi quoque merentur, quæ de *Æſtatis* origine & naturali conſtitutione egregie diſſeruit Linden. *Ex.XI.* §. 196. *ſeqq.* Ænigmatice quoque *Æſtas* refertur inter nomina Lapidis Philoſoph. *Vol. IV. Th. Chym. p.* 727.

ÆSTATES, Plin. *l.* 28. *c.* 12. vitia cutis ab aduſtione Solis. Mercur. *de Decorat. c.* 8.

ÆSTHESIS, *Æſtheterion*, *Æſtheticos*, *Æſthetos*, αἴσθησις, αἰσθητήριον, αἰσθητικὸς, αἰσθητὸς. Vide infra *Senſus*, *Senſorium*, *Senſificus*, *Senſibilis.*

ÆSTIMATIO, τίμησις, quid hoc vocabulum in genere ſignificet, ex aliis quoque Lexicis notum eſſe poteſt: Placuit vero D. G. Ern. Stahlio P. P. celeberrimo in Fridericiana Illuſtri in forum Medicum transferre, *æſtimationem* geminam ſtatuenti, unam *partium*, alteram *læſionum.* Per illam intelligit accuratum λογισμὸν ſive conſiderationem motuum vitalium, ſenſationis, conſtrictionis & relaxationis, &c. per hanc vult intellectam varietatem graduum læſionis & corruptionis ſive deſtructionis, quemadmodum prolixius hæc legere licet *in quodam Propemtico Inaugurali ad Dn. Lud. Frid. Gualtheri Diſput. de Inflammationis Pathologia.*

ÆSTPHARA eſt incineratio carnis, vel ſubſtantiæ corporis. Dorn. in *Diction. Parac.*

ÆSTUARIUM vocatur inſtrumentum, in quo longurius ab igne candens concluditur, & ita applicatur partibus nimia frigiditate languentibus, Paræus *l.* 25. *Chir. c.* 13. Aliud quoque *æſtuarium* ſudatorium totum hominem excipiens deſcripſit Palmarius *de morb. contag. l.* 1. *c.* 17. *p. m.* 37.

ÆSTUATIO, καῦσις, idem quod *Ardor*, vel *Exæſtuatio*, quam excitat materia quædam ignea, vel acris; eſtque effectus effervefcentiæ, vel accenſionis. Ita *Æſtuatio* ſequi dicitur uſum purgantium fortiorum à Fallop. *de med. ſimpl. purg. c.* 3. *Tom. I. Oper. p. m.* 23.

ÆSTUS, καῦμα, idem quod *Ardor*, *Uſtio.* Extenditur ad quoslibet fervores, ſive ſint externi à ſole, pharmaco, igne, ſive interni à febribus & inflammationibus, in qua ſignificatione legitur apud Hippocr. 4. *aph.* 65. & 7. *aph.* 13. quamvis hunc locum Galen. generalius expoſuerit, per *æſtus* intelligens & febres, & æris fervores, & cauteria, & eſcharas, *in comm.* In priori ſignificatione ſumtum occurrit *l.* 3. *Epid. ſect. III. t.* 6. Hinc *æſtas æſtuoſa* dicitur & *l. de ſal. diæt. t.* 4. *æſtati* hic tribuitur effectus, quod faciat *æſtuoſa* corpora & ſqualida, καυματώδη καὶ αὐχμηρά. Junge Foëſ. *Oec. p.* 329. Dietr. *Iatr. n.* 452. Linden. *Ex. XI.* §. 183. 189.

ÆTAS, ἡλικία, refertur inter res naturales ad ſanitatis & morborum generationem ſymbolam ſuam conferentes. Eſt vero *ætas* nihil aliud, quam aliqua vitæ periodus & ſpacium mobile, quo hominis temperamentum vitale evidentem ſubit mutationem. Et hæc ratio eſt, quod, quemadmodum ſanitas variat ſecundum *ætatum* differentias; (unde *ætatem* ab *ætate* diſtinguere oportet, ex *l.* 6. *Epid. ſ.*8.*t.*29.) ſic etiam diverſis in *ætatibus* diverſi quoque oriantur morbi: & cuique *ætati* ſui ſint morbi familiares, quorum catalogum ſigillatim recenſet Hippocr. 3. *aph. a.* 21. *ad* 31. Junge Dieter. *n.*375.

ÆTHALE, αἰθάλη & αἴθαλος, vide *Fuligo.* Legitur apud Hippocr. *l.*1. *de morb. mul. CXXIIX.* 10. & Gal. *l.* 3. *de præſ. ex pulſ. c.* 7. Adde Foëſ. *pag.* 9.

ÆTHER, αἰθὴρ, late dicitur *cœlum*, vel *dium* ſupra aëris regionem infimam exiſtens, nubibus incluſis, ut patet ex Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 19. Stricte vero *cœlum ſerenum* ſupra aërem & nubes expanſum ſignificat, Gal. *com. ad h. l.* Hodieque à nonnullis *Æther* habetur pro principio quodam univerſali conſtitutivo corporum naturalium, quod intime ſeſe inſinuat in atomos materiales; & ab ejus majori minorive copia & potentia vires corporum naturalium deducere conantur, nimium quantum hoc commento ſibimetipſi blandientes & placentes; nec fortaſſis aliud per hoc intelligendum, quam Spiritus mundi.

AETHES, ἀήθης, Lat. *inſolens*, *inconſuetum*, uſurpatur de ſputo, 1. *Prorrh. tom.* 3. *t.* 30. quamvis Foëſ. exiſtimet, legendum eſſe ἰνῆθια, ex loco parallelo *Coac. t.* 350. Vid. Foëſ. *p.* 7.

ÆTHIOPS, αἰθίοψ, quod nomen præter ſignificationem cognitam, à regione Africæ, quando hominem in Æthiopia natum denotat, à Chemicis translatum occaſione coloris nigricantis ad proceſſum quendam & medicamentum, *Æthiops mineralis* dictum è Mercurio vivo & ſulphure vel floribus hujus inter ſe mixtis diverſa proportione & accenſis ad conflagrationem ſulphuris uſque paratum, cujus meminit Theod. Mayerne *in formul. Part.* 1. *Praxeos Medicæ annexis*, & occurrit *in Pharmacop. Pateana*; quamvis & apud alios abſque igne, ſola tritura & agitatione, ſub alia tamen proportione in mortario vitreo cum piſtillo fieri poſſe legatur. Utrumque modum etiam propoſuit Iunken *d. l. p.* 11.

ÆTHNA dicitur ignis ſubterraneus, inviſibilis, ſulphureus;

phureus, vel potiùs bituminoſus, qui lapides ſub montibus adurit in carbones Gagati perſimiles, reſina & bitumine quodammodo plenos, ut carbonum ex ligno vice nonnulli populi utantur. Alias montem Siciliæ ignivomum proprie *Æthnam* vocari ex Geographicis conſtat. Ita & Spiritus ignei, & meteora ignea, hominis igne flagrantis, vel alius rei forma apparentia *Æthnici* dicuntur. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Dict. & Lex. Chym.*

ÆTHOLICES, αἰθολίκες, aliis αἰθαλίκες, dicuntur *puſtulæ* in ſuperficie corporis ortæ fervidæ, ab αἴθω, *uro.* Meminit earum Hippocrat. *de humid. uſ. X.* 5. ubi Latinus Interpres *in edit. Linden.* expreſſit per *Dothienes* ſive *Furunculos.* Adde Foëſ. *p.* 10. Varias acceptiones recenſet Erotianus *in Lex. Hipp.* Galenus, qui legit αἰθόλικες, *in Lex. Hipp.* cyclos definit in cute coeuntes, qui ita dicantur ab αἴθειν, *urere,* & hinc dérivat αἰθολυκώδεια, quæ his ſimile quid notant & ab aliis αἰμάλωπα appellantur.

ÆTHYIA, αἰθυία, vide *Mergus.*

ÆTIA, αἰτία, αἴτιον, vide *Cauſſa.*

ÆTIOLOGIA, αἰτιολογία, vocatur quibuſdam Medicinæ pars *Pathologica*, in qua non ſolùm cauſſæ morborum, ſed & morbi ipſi & ſymptomata pertractantur. Gal. *l. introduct. c.* 7. Verùm de hoc vocabulo vide meam ἐπίκρισιν *in Dogmatibus P. II. c.* 1. *d.* 1. *p.* 106.

AETITES, ἀετίτης, vocatur *lapis* quidam inter minus pretioſos pertinens, alio, dum quatitur, intra ſe ac velut in utero prægnans lapide, qui *Collinus* dicitur, coloris vel albicantis vel gallæ ſimilis, vel ſubrutili, vel nigricantis. Differentias hujus lege ſis apud Schröder. *Pharmac. l. c. 8. n.* 1. *Aquilæ* dicitur *lapis*, quia in aquilæ nido reperiri creditur, ad promovendum partum, Aldrov. *l.* 1. *Ornith. c.* 1. De viribus alias partum promovendi, vel etiam cohibendi, pro diverſitate applicationis, ſi vel brachio ſiniſtro vel coxæ alligatur, aut imponitur, legatur Dioſcorid. *l.5.c.*161. & Guilielm. Menens *Aurei Velleris l. 2. c.* 1. *in Theatr. Chym. Vol. III. p.* 387. quem uſum etiam fabuloſum judicavit Dan. Ludovici *Diſſert.* 1. *Pharmac. p.* 789. De mira vero facultate fures deprehendendi, ſi quis pane conditum offerat, cujus etiam meminit Dioſcorides, recte judicat Fr. Hofmann. *in Clav. ad Schröder. loc.* quod ſapiat fabulam; quid? ſi adderemus ex Chiocco *Muſ. Calc. ſect.* 3. *p.* 322. vel præſtigias, aut ſuperſtitioſum quid à pio Chriſtiano omnino alienum, & propterea reſpuendum.

AETOMA, ἀέτωμα, ſignificat *ſupremam partem domus*, triangulari formâ, in altum ſublatam, & culmen ædium. Legitur apud Hipp. 3. *de artic. c.* 23. Gal. *in comm. ad h. l.* Jung. Aldrov. *d. l.* Foëſ. *p.* 6. Dicitur aliàs & ἀετὸς, *vinctum tecti*, Lat. *Teſtudinatum.*

AFFECTIO, AFFECTUS, πάθος, πάθημα, ab *afficiendo* dictum, de multis effertur rebus, ſed in medicina receſſus, in ſtatum p. n. qualeſcunque illi fuerint, *Affectus* ſive *Affectiones* uplurimum nuncupantur. Gal. *l. de cur. rat. per S. M. c.* 3. quamvis in Græco vocabulum διάθεσις habeatur *comm.* 1. *in Hipp. de iis, quæ in med. t.* 1. *l.* 3. *de L. Aff. c.* 4. Nonnulli pro majori ſubtilitate vocab. *Affectus* ad diſpoſitionem morboſam, quæ eſt in fieri vel ἐν σχέσει, referunt; Vocabulum vero *Morbus* ad factam, firmam & ſtabilem impotentiam naturalem, quæ eſt in ἕξει. Gal. *l. de diff. ſympt. c.* 1. & *l.* 1. *de L. A. c.* 2. E contrario ſunt ex recentioribus, qui *Affectionem* & verbum *Afficere*, *Affici*, etiam rebus ſecundum naturam, videlicet Sanitati, Cauſſis, & Accidentibus ejuſdem applicare non dubitarunt; ſiquidem *Afficere* nihil aliud eſt, quam in aliud corpus agere, aliudque alterare; & *Affici* idem, quod ab alio pati & mutari. Præter has ſignificationes non infrequens quoque eſt acceptio vocabuli *Affectus* pro motibus & *perturbationibus* vel paſſionibus *animi*, quibus non modo profundius anima noſtra affici, & veluti concuti videtur, quoties eas patitur, ſed & quarum magna vis eſt *afficiendi* & mutandi ſanguinem & ſpiritus, & per hos totum corpus, ut non immerito inter cauſſas potentiores procatarcticas ſanitatis & morborum referri ſoleant ac debeant. De quibus legi merentur, quæ ſcripſit Charlton. *Ex. IIX. Patholog.* & Th. Willis *tract. Anim. Brut. P.* 1. *c.* 8.

AFFECTUS *Implicatus, Magnus.* Vid. *Implicatus, Magnus.*

AFFECTUS *Præcordialis*, *Melancholicus*, *Flatulentus*, *Mirachialis.* Vide *Hypochondriaca*, *Melancholia.*

AFFENICUM eſt *Anima.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AFFEOS, pro *Aphros*, ἀφρὸς, id eſt, *Spuma.* Iidem.

AFFIDRA, h. e. *Ceruſſa.* Iidem.

AFFION, idem, quod *Opium.* Dicitur & *Offium.* Eſt & nomen Electuarii, ab Indis Orientalibus in Bantam parati ad excitandam ferociam, ut & ſtimulum Venereum propter *Opium*, quod ingreditur, ita dicti; Ex Joh. Jac. Sahr. *Itinerar. Ind. Orient.* notarunt Naturæ Curioſi *Ephem. A. II. Obſ.* 69.

AFFLATUS, ἐπίπνοια, vel *Adflatus*, dicitur, quando aura vel vapor aliud corpus cum violentia quadam veluti percellit. Ita de ſerpentibus dicitur apud Scribon. *num.* 165. Item de vento. Rhod. *in Lexic. Scribon.*

AFFLICTIO dicitur ægritudo animi cum vexatione corporis conjuncta. Fernel. *Phyſiol. l. 6. c.* 12.

AFFODIUS, aliis, *Afudius*, *Afrodius* epitheton Serpentis, vel plane ejuſdem cum *Hæmorrhoo*, vel maxime ſimilis, & occurrit apud Ardoynum *de Venen. l. 6. c.* 8. vide Aldrov. *Hiſtor. Serp. & Drac. l.* 1. *c.* 5.

AFFORMAS, i. e. *Vitrum.* Rul. & Iohnſ.

AFFUSIO, πρόσχυσις, quid ſignificet, notum eſt; videlicet liquoris alicujus in aliam rem infuſionem. Aliquando vero concretive ſumitur & reſpondet Græco παρέγχυμα. Vide *Parenchyma.* Gal. *Introd. c.* 9. Interdum etiam pro *Suffuſione* ſive *Cataracta oculi* accipitur, uti videre eſt apud Foreſt. *l. XI. Obſ.* 30. *Schol.*

AFRA *avis*, vide *Struthiocamelus.*

AFROB eſt *Plumbum noſtrum*, *corpus immundum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AGALACTOS, ἀγάλακτος, apud Hippocr. dicitur fœmina, quæ *ſine lacte* eſt poſt puerperium, propter ſiccitatem naturalem, ob quam etiam menſes parcius fluentes ante imprægnationem habuit, *de nat.puer.XL.*19. 20. ad quem textum junge *Notam* Jac. Sonii *Aphor.* 40. videatur & Hipp. *lib.* 1. *de Morb. Mul.XCIX.* 6. Mirum, quod hoc epitheton Foëſ. *in Oeconom. Hipp.* omiſerit.

AGALLOCHUM, ἀγάλλοχον, idem, quod *Lignum Aloës*, ξυλαλόη, eſt lignum exoticum pretioſum, ex Arabia atque India advectum, ſaltem in fruſtis, & quidem raro, magnis punctis & venis variegatis maculatum, ponderoſum, amarum, ſuaveolens, ſi accendatur, adſtringens. De cujus viribus & uſu vide apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 21. Schröder. *l.* 4. *cl.* 1, *n.* 13. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* qui adhuc dubitat, num. *Agallochum* veterum idem ſit cum *Ligno Aloës* Officinar.

AGAPE, ἀγάπη, communiter ſignificat *Amorem*, *Dilectionem*, vide *Amor.* Specialiter vero etiam cibationis quædam ſpecies hoc nomine appellata fuit, v. g. *Merenda* & *Veſperna.* Fr. Bonamic. *de Alim. l.* 3. *c.* 40.

AGAR *Calcem* ſignificat. Iohnſ. *in Lex.*

AGARICUM, ἀγαρικὸν, dicitur fungus albus, trunco laricis adnatus. Eſtque duplex, Mas & Fœmina. Dioſcorid. incertus ex aliorum ſententia ſcribit, eſſe radicem ſilphii ſimilem, non tamen denſam, ſed rariorem, *l.* 3. *c.* 1. De *Agarici* hiſtoria, viribus, & uſu vide Dioſc. *d. l.* Schröder. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 403. Fr.Hofm. *in clav. ad h. l.* Rolfink. *de purgantib. ſect.* 1. *art.* 1. *c.* 1. Freitag. *Auror. Med. l.* 2. *c.* 28.

AGATHON, ἀγαθὸν, communiter *Bonum* ſignificat, h. e. præſtans, commodum, utile. Et in hac generali ſignificatione *Bona*, quæ in rerum natura continentur, alia animi ſunt, alia corporis, alia fortunæ, ſive externa, nec præter hæc ullum aliud bonorum genus excogitari poteſt, verbis Galen. *orat. ſuaſ. ad artes c.* 6. In ſtrictiori ſignificatione verò apud Hippocr. ἀγαθὸν denotare *firmum*, ſtabile, certum, ac *perpetuum*, teſtatur idem Galen. *c.* 2. *de fract. t.* 31. Junge Foëſ. *p.* 1. Dieterich. *n.* 2.

AGELÆOS, ἀγελαῖος, idem quòd ἀγοραῖος, epitheton *panis*, qui gregarius, vilior forenſis, *venalitius*, *cibarius* Latine vocatur. Gorr.

AGENS, *Agere*, δρᾶν, ἐνεργεῖν, quid communiter ſignificet, ex aliis conſtat Lexicis. Idem quod *Operari*, *Afficere.* Dicitur de eo, quod motum ex ſeipſo habet. Opponitur τῷ *pati*, πάσχειν, quod motum obtinet ex alio, Gal. *lib.* 1. *de L. Aff.c.*3. Ita medicamenta dicuntur *agere* in corpus noſtrum, ad differentiam alimentorum, quæ magis *pati*, quam *agere* creduntur. Gal.*l.*3. *de Temp. c.* 4. Inter *agens* & *patiens* juſta debet eſſe proportio. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 387.

AGER, ἀγρὸς, quid proprie ſignificet, pueri è Vocabulariis norunt. Tropice *Ager mineralium* vocatur *Aqua* à Dorneo *Genealog. mineral. c.* 3. *in Th. Chym. Vol. I. p.* 571. *Ager Chymicus triplex* recenſetur à Nicol. Flamello *in Annot. d. l. p.* 778.

AGERASIA, ἀγηρασία, h. e. *Inſeneſcentia.* Gal. *l. de Marcor. c.* 2. & *Ageros* ἀγήρως, homo dicitur, qui *ſenii eſt expers.* ibid.

AGERATUS *lapis*, ἀγήρατος, dicitur ſpecies lapidis vilioris, quo coriarii olim uſi ſunt, & ſutores calceamenta expoliverunt, facultatis mixtæ, adſtringentis & digerentis. Meminit ejus aliquoties Gal. *l.* 9. *de S. F. l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 3. *&c.*

AGES, ἀγὴς, idem, quod ἀγοστὸς, *volam manus* ſignificat. Gorr. *ex Heſychio.*

AGEUSTIA, ἀγευστία, ſignificat *jejunium*, quando aliquis nihil guſtat de cibo vel potu, quamvis non occurrerit nobis in lectione Medicorum Græcorum. Videantur vero *Lexicographi Græci.*

AGGLUTINATIO duplicem habet ſignificationem, unam propriam, & idem ſignificat, quod *Glutinatio*, κόλλησις, ἐπικόλλησις, προσκόλλησις, quando corpus unum alteri per *glutinum* jungitur; alteram impropriam, quando beneficio ſucci nutritii fit *Appoſitio* vel *Additio* novæ carnis, v. g. in ulcere, Gal. *l.* 3. *M. M. c.* 10. Hinc *Agglutinans* medicamentum προσκολλητικὸν, κολλητικὸν, dicitur, quod ad ulceris ſanationem requiritur, & debet eſſe ſiccans, vel adſtringens, *l.* 5. *c.* 1. vide *Additio.*

AGGREGATUM, hodiernis Phyſicis & Chymicis uſitatiſſimum eſt epitheton corporis ex minimis, vel homogeneis, h. e. ejuſdem ſpeciei, vel heterogeneis, ſeu diverſarum ſpecierum corpuſculis conſtans, & unum quantum contiguitate coagmentatum, non habito reſpectu ad quale, aut eſſentiale illarum atomorum ſive molecularum. Differt à *Mixto*, quod immediate ex principiis materialibus conſtat, adeo firmiter per contiguitatem conjunctis, ut vel difficillime vel prorſus non ſeparari queant. A *Compoſito*, quod ex mixtis componitur, & facilius diſſolvi poteſt. Hanc *Aggregationis* & *aggregativi* motus notitiam ad veram corporis mixti vivi & in ſpecie humani ceu ſubjecti Medici theoriam maxime neceſſariam eſſe, probe etiam inculcavit D. G. E. Stahl. *in Diſſert. de Temperamentis c.* 1.

AGITATIO, vide *Vibratio. Agitatio* humorum per purgantia producta non ſufficit ad purgationis effectum, Fallop. *tr. de purg. ſimpl. c.* 3. *Tom. I. Oper. p. m.* 15. *Agitationes*, quæ manibus, baculis, vaſorum cum motione fiunt, ad ſolutiones concretorum magnopere neceſſarias & experientia confirmat, & recte notavit D. D. Bohn. *Diſſert. Chymico-Phyſ.* 1. §. 25.

AGLIA, ἀγλίη, Hippocratis vox, quam Galenus *in exegeſi* interpretatur ſubalbam in oculo cicatricem, vel compactum in eodem humorem.

AGLOSSOSTOMOGRAPHIA, ἀγλωσσοστομογραφία, h. e. deſcriptio oris ſine lingua, quod perfecte loquitur. Titulus eſt libri à Jac. Rolando de Bellegad. ſcripti & in Lat. verſi à Car. Reigero. *Eph. Nat. Cur. Ann. III.* Junge Bonetum *Medic. Septentr. l.* 2. *ſect.* 18. *c.* 23. *p.* 460.

AGME, ἀγμὴ & ἄγμα. Vide *Fractura.*

AGNATA, vel *Adnata*, ἐπιφυόμενα, dicuntur Gal. duplicia;

duplicia : Quædam plane familiaria propriaque conſpiciuntur, tum plantarum, tum animalium naturis: ut lana, pili, cornua : Item ova, fœtus, fructus arborum quodammodo huc referri poſſunt : quædam non omnino talia, ut viſcum, fungi & ſimilia, ſi quæ diverſæ plane naturæ alii corpori vegetabili vel animanti *adnaſcuntur.* Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Ovorum facultas.*

AGNATA, *Tunica.* Vide *Adnata.*

AGNINA ſcil. membrana dicitur *Amnios* tunica, teſte Barthol. *l.* 1. *An. c.* 36. *p.* 301. Videantur & lectu dignæ D. Caroli Drelincurtii *Caſtigationes de Tunica Agnina Lugduni editæ.*

AGNOEA, ἄγνοια. Vide *Ignorantia.*

AGNUS, vide *Ovis.*

AGO, ἄγω, i. e. *Duco,* pro *Educo,* Hipp. 1.*aph.*21. 23. 4. *aph.* 2. *&* 4. Vide Dieter. *n.* 6. Scrib. *n.* 133. 188.

AGOGE, ἀγωγή, duplicem habet ſignificationem, generalem & ſpecialem. Secundum illam denotat *ordinem, viam,* rationem & ductum, totum rei ſtatum & tenorem, vitæ rationem ac inſtitutum. Ita de morbi tenore uſurpatur ab Hippocr. *l.* 7. *Epid. LVI.* 16. Pro curandi regula ſumitur à Gal. *l.* 2. *de cur. rat. ad Glauc. c.* 3. Secundum hanc vero denotat *aëris ſtatum* vel κατάστασιν, ut *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *tract.* 8. Junge Foëſ. *Oec. p.* 3.

AGON, ἀγών, vide *Certamen.* Alias *Agon,* ἀγών, ſignificat *ſummum vitæ periculum.* Unde verbum *Agonizare* & *ægri agonizantes* dicuntur, qui ex ſuperante jam morbo & natura proſtrata animam efflaturi de proximo ſunt. Jureconſultis vocantur *Conſtituti* aut *poſiti in extremis, Laborantes in extremis.* Vide Zacch. *Quæſt. Medico-Leg. l.* 2. *tit.* 1. *q.* 19. *n.* 6.

AGONIA, ἀγονία, *ſterilitatem* in utroque ſexu ſignificat. Verum vocabulum hoc minus uſitatum, quamvis ἄγονος adjectivum, *ſterilis,* etiam reperiatur. Vide *Gonimos.*

AGONIA, ἀγωνία, *angorem* ſignificat, & verbum ἀγωνιᾶν juxta Gal. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 5. *ad finem,* affectum animi compoſitum ex ira & timore; illa quidem ſanguinem & ſpiritum foras agente, & fundente, hoc vero utrumque ad vitæ principium & interiora, cum refrigeratione eorum, quæ in ſummo corpore ſunt, reducente & contrahente. Derivatur ab ἀγών, *certamen,* lucta. Unde & ἀγωνία *certamen* quandoque ſignificat. Vide Henr. Stephan. in *Theſauro Græco-Lat.* Vide & infra *Angor.* Hoc vocabulum *Agoniæ* ulterius declaravit Helmont. *tr. de Ideis morboſ. n.* 9. dicens: *Agoniam* non eſſe colluctationem ſolius ſpei & timoris, ſed etiam iræ & metus, iræ & diſſimulationis, ſpei & iræ, odii & timoris, ſpei & triſtitiæ, &c. Ad ſummam *Agonia* ſignificat in genere colluctationem diverſorum affectuum animi inter ſe contrariorum. Jung. Leonh. Fuchſii *comm. ad Gal. l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 8. *p. m.* 124. *b.* ubi egregie vocabulum hoc explicavit per *Caſtelli Lexic. Med.*

trepidationem ante certamen ex ira & metu mixtam. Iræ motus à ſpe victoriæ dependet: Metus ex timore, ne ab adverſario vincatur.

AGONISTICE, ἀγωνιστικῶς, *certatorie.* Adverbium hoc occurrit apud Gal. *l. de maraſmo c.* 8. & dicitur de uſu aquæ frigidiſſimæ largiori in ſtatu febris eryſipelaceæ acutioris, ita ut aqua certare debeat adverſus ſanguinis fervorem acriorem. Poteſt etiam commode aliis remediis potentioribus applicari.

AGONISTICON, ἀγωνιστικόν, vocatur aqua *frigidiſſima* apud Ægin. *l.* 2. *c.* 30. citante Gorræo *in def.*

AGONOS, ἄγονος, *ſterilis,* cui opponitur γόνιμος, fœcundus. Vide *Gonimos.*

AGORÆOS, ἀγοραῖος, *forenſis, venalis;* Epitheton panis vilioris : Idem, quod ἀγελαῖος, ſignificans, de quo paulo ſuperius.

AGOSTUS, ἀγοστός, vocabulum hoc Poëtis magis, quam Medicis uſitatum, ſignificat extremam manum interiorem, ſive *volam,* vel *manum cum ulna & radio,* quia ulnis & brachiis manibuſque ſimul complectimur aliquid & ad nos adducimus. Gorr. *in def. p.* 3. Vide *Ages.*

AGRESTA, ὀμφάκιον, *Omphacium,* dicitur ſuccus ex uvis immaturis, quæ Gr. ὄμφακες vocantur, expreſſus, colatus, inque doliis repoſitus, & vaſe clauſo aſſervatus. Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *p.* 201. Hinc paratur ſyrupus de *Agreſta* Offic. Notetur ob ſaporis ſimilitudinem oleum ex olivis immaturis expreſſum *Omphacinum* dici.

AGRESTEN dicitur *Tartarus acidus lapillatus.* Procedit enim omnis acetoſitas ex ſalibus de minera vitriolata, *Fragm. ad tr.* 5. *de Tartaro.*

AGRESTIS, ἄγριος, primum in genere dicitur de omni vegetabili, quod ſponte abſque cultura in campis, pratis, & ſylvis enaſcitur, & ita opponitur τῷ ἡμέρῳ, h. e. hortenſi, domeſtico per culturam enato, apud Gal. *l.* 6. 7. *&* 8. *de Simpl. fac.* Deinde etiam prædicatur de morbis quibuſdam gravioribus & vehementioribus, & ſignificat *ferum,* ut, ἄγριος λειχὴν, h. e. *agreſtis lichen,* id eſt *fera* impetigo, *l.* 6. *de C. M. S. G. c.* 2. *in fin.* & Gorr. ſcabiei quandam ſpeciem, ἀγρίαν, i. e. *feram,* appellari dicit, quæ cito ſerpit, & exulcerationem concitat, certoque anni tempore revertitur, aſperior omnibus aliis & curatu difficilior. Imo & de hominum indole moribuſque uſurpatur τὸ ἄγριον, *feritas,* apud Hipp. *l. de A. L. & Aq. LIII.* 11.

AGRICULTURA, γεωργική, quid ſignificet, ex aliis Lexicis jam conſtare debet. Quis invenerit, videatur in Th. Janſ. de Almeloveen *Rer. Inv. Onomaſt. p.* 2. Ejus uſum pro ſanitate conſervanda ſingularem quotidiana experientia ſatis teſtatur, ut non opus ſit allegare teſtimonia.

AGRIPPÆ, quaſi *Ægrippæ,* ab ægro partu dicuntur, quorum in naſcendo non caput, ſed pedes primi exierunt, & inter partus difficiles hic merito referuntur, imprimis, ſi brachia ſurſum porrigant ſupra caput, ubi plerum-

pleramque fœtus vita periclitatur in anguſtiis, dum diutius in medio ventre ſive pectore ſub axillis conſtrictus ſubſiſtere cogitur. Dici volunt Etymologi ab *ægritudine ex pedibus.* Vide Gell. *l.* 15. *N. A. c.* 16. & Non. *c.* 19. *Agrippini partus* obſervatio quoque habetur apud Joh. Nic. Binninger. *Cent.* 1. *Obſ.* 53. *p.* 59.

AGROECOPYRRHONEIOS, ἀγροικοπυῤῥώνειος, dicitur *Philoſophus Pyrrhonius*, *agreſtis*, h. e. adeo rudis, crudus & craſſus ex *Scepticorum* numero, ut ne ſuos quidem affectus agnoſcere fateatur. Gal. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 2. adde Foëſ. *p.* 3.

AGRONOMOS, ἀγρόνομος, epitheton brutorum in agris paſcua quærentium, vide *Hylonomos.*

AGROPHON, ἄγροφον, idem, quod ὀρεινὸν, *montanum*, Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* notante Foëſ. *d. l.*

AGRUMINA, cæpe, porrum &c. Captivac. *pract. l.* 3. *c.* 2.

AGRYPNIA, ἀγρυπνία, vide *Vigiliæ. Pervigilium.*

AGRYPNOCOMA, ἀγρυπνόκωμα, idem, quod *Coma vigil*, notante Blancardo *in Lexic.* qua vero autoritate nixus ſit, inquirere nolumus.

AGYION, ἀγυῖον, expoſuit Galen. per *imbecille*, *debile.* Uſus hoc vocabulo Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XLII.* 8. de Embryonibus. Alias ſignificat *mutilum*, membris carens, præcipue manibus & pedibus. Heſychius expreſſit per ἄναρθρον. Derivatur ab α privativo & γυῖον, *membrum.* Quæ ſignificatio cur non ad illum quoque locum Hippocratis applicari poſſit aut debeat, non video rationem. Sane ipſe contextus hoc videtur velle, quando Princeps ibidem recenſet quaſdam cauſſas abortus præmaturi, antequam plenarie formatus adhuc fuerit.

AGYRTÆ, ἀγύρται, olim, teſte Platone *l.* 2. *de Republ.* dicebantur illi *circulatores*, arioli, & *præſtigiatores*, qui ante januas divitum ſtipem petituri oppidatim quæſtus cauſſa oberrabant, & divina quadam virtute, carminibus & ſacrificiorum myſteriis ſe morbos infligere, inflictos quoque curare, & ſi quid ſceleris à divitibus, aut eorum proavis eſſet commiſſum, id magica ſacrificiorum celebritate, ſuffimentorumque odore expiare, eorumque inimicos, tam ſontes, quam inſontes carminibus oblædere poſſe gloriabantur. Lang. *l.* 1. *ep.* 33. & *l.* 3. *ep.* 6. Verum hodieque *Agyrtæ* vocantur omnes Pſeudo-Medici & Circumforanei, qui congregata coactaque multitudine pharmaca aliqua oſtentant, eaque prædicantes divendunt, miſere ſimplici populo imponentes, ut eſt apud Henr. Steph. *in Indice Theſauri ſui celeberrimi*, voce ἀγύρτης. Italis *Cerletani*, *Montambanci* vocari, teſtatur C. Hofm. *com. ad Gal. LL. de V. P. num.* 1017. Horum hodieque tanta ſolet eſſe farrago, ut merito deploranda ſit conditio Artis Medicæ in ſe ἐπιφανεστάτης, & ſingularis doni à Deo hominibus conceſſi, quod à tot flagellis conſpurcetur. Ex omnibus enim vitæ ſtationibus, etiam deſperatiſſimi quique, quorum profligatiſſima vita eſt, in campos Medicinæ audaciſſime inſiliunt, &

Fingunt ſe Medicos quivis Idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus;
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator. Et
Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ,
Raſtricolæ, Molitor, Piſtor, Agaſo, Faber.

quin etiam (proh Deum immortalem!) ipſe *Carnifex.* O deplorandam Magiſtratuum lenitatem, quâ impune de corio humano ludere conceſſum, quâ datur ita temere ſævire in humana viſcera! O inexcuſabilem diſſimulationem & conniventiam Superiorum! Pax!

AHIUS, i. e. *Sal foſſile*, Rul. & Iohnſ.

AHUSAL eſt *Arſenicum*, *Sulphur.* Iid.

AIDRIS, ἄϊδρις, *inſcium*, ignarum ſignificat, cui opponitur ἴδρις, *gnarus*, ſciens, peritus, à verbo ἴσημι, ſcio. Hipp. *in Ep.* 2. *ad Damaget. n.* 340. Democrit. *ad Hipp. de nat. hom. n.* 3. Vide Foëſ. *Oec. p.* 9.

AIO, ἀΐω, ſignificat apud Hipp. *audio*, percipio, & legitur *l.* 2. *de Morb. II.* 18.

AIPATHIA, ἀειπάθεια, h. e. *perpetua patibilitas*, ut ἀπάθεια, *impatibilitas.* Hanc ſtatuere in Medicina, abſurdum eſſe judicat Galen. vel quiſquis Autor fuerit Artis Medicin. *c.* 8. & cum eo C. Hofman. *in Apolog. pro Gal. l.* 3. *c.* 10. *D. & c.* 11. *F.* ne confundantur duæ partes Medicinæ principes, Conſervativa & Curativa. Alibi tamen ſano ſenſu eam quoque admitti poſſe, & quidem ſub parte ὑγιεινῇ exiſtimat hic *Inſtit. Med. l.* 4. *c.* 1. §. 5. Dum enim quotidiano victu reſarcire opus habet, quod ob ſubſtantiæ fluorem ſingulis diebus decedit, profecto curat lapſum parvum. Quid? quod ſi totum hominem à nativitate morbum vere dixiſſe Democritum *in epiſt. ad Hippocr.* ſtatuunt eruditi, an non hoc modo locum inveniet *Aipathia?*

AISSO, ἀΐσσω, i. e. *irruo*, *prorumpo*, ut & ἀΐσσομαι, quod idem ſignificat. Utroque uſus Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXIII. & LXV.* 6. Vide Foëſ. *Oec. p.* 14.

AITRUAD Arab. idem, quod *Antimonium.* Fallop. *tr. de met. & foſſil. c.* 29. *Tom. I. oper. p.* 332.

AKIBOT ſignificat *Sulphur.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AKON *cotem* ſignificat, de qua ſuo loco. Rul.

ALA æquivocum eſt vocabulum. Quid communiter ſignificet, ex aliis notum eſt Dictionariis, videlicet geminum inſtrumentum ad volandum volatilibus proprie competens. Gr. πτέρυξ, πτερύγιον. Vide *Pteryx. Pterygion.* In Anatomicis vocabulum *Alæ* variis corporis partibus attribuitur. Ita locus ſub humero concavus multis glandulis & exterius pilis ſcatens, oppoſitus loco ſuperhumerali ſive epomidi dicitur *Ala.* Gr. μασχάλη, μασχαλὶς, Latine etiam *Axilla* nuncupatur. Hipp. 2. *de artic. t.* 66. Gal. *in com. ad h. l. Hipp. de glandul. II.* 20. 21. Eſt ad recipiendos humores opportunus locus, ubi etiam quandoque fœtor oritur, *fœtor alarum* dictus, Gr. δυσώδεις, μασχάλαι, *com.* 2. *de hum. t.* 1. Porro *Alæ* etiam dicuntur de *naſo*, ſuntque tenuia cartilagineaque corpu-

corpuſcula utrique naſi lateri à parte inferiori adnata; quæ etiam *Pinnæ* appellari ſolent, Gr. πτερύγια. Ita & partes auris utriuſque exteriores capiti annexæ *Alæ* appellantur, πτερυγώματα, Gal. *Introd. c.* 10. *Pulmones* quoque ab Hippocr. *Coac. t.* 400. in tres *alas* πτέρυγας dividuntur, ſupernam, mediam, & infernam, quæ alias Lobi appellari ſolent. In ſinu muliebri ſub labiis deliteſcentes carunculæ geminæ rimam conſtituentes *Alæ* vocantur Anatomicis, πτερύγια ἢ πτερυγώματα, Rolfink. *de part. genit. P. II. c.* 38.

ALABANDICUS *lapis*, ἀλαβανδικὸς λίθος & ἀλαβανδηνὸς, eſt lapis ſubniger & flavus, pellucens quaſi ſegmentis quibuſdam aut fiſſuris diſcriminatus. Ad purpuram magis inclinare dicit G. Agricola *l.* 1. *de nat. foſſil. p. m.* 172. Hinc etiam *Carbunculus Alabandicus* appellatur à Chiocco *in Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.*389. Idem refert hunc lapidem inter illos, qui in ardentes fornaces conjecti fluunt & liqueſcunt. Hinc ſpeciem vitri dixit Fallop. *de met. & foſſil. c.* 6. *Tom. I. p.* 279. Naſcitur in Caria ad *Alabandam* & in ea Mileti. Agricola *l.* 5. *p.* 273. ex Plin. *l.* 36. *c.* 8. Tritus pilos nigros efficere dicitur. Gorr. *in def.*

ALABARI *Plumbum* ſignificat. Ruland. *in Lex.*

ALABASTRITES, ἀλαβαστρίτης, vel *Alabaſtrum*, dicitur lapis candidus notiſſimus ab Agricola inter marmora relatus, *l.* 7. *de nat. foſſil.* Cui tamen dicam ſcripſit C. Hofm. *Paralip. Offic. c.* 72. quia eſt non minus fragilis, quam ulla terra figulina. Unde *Marmor incoctum* vel imperfectum ſaltem dici poſſet, juxta Schröder. *Pharmac. l.* 3. *c.* 8. Fr. Hofmannus *Clav. ad h.l.* tres conſtituit *Alabaſtri* ſpecies, unam candicantem, alteram cum maculis nigris, & tertiam in ruffo candicantem, quæ propterea à Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 153. *Onyx* appellata fuit. Huic uſto & cum reſina & pice excepto virtus diſcutiendi durities, ſtomachi dolores levandi & gingivas reprimendi cum cerato ab eodem tribuitur. Junge Chioc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 390. *ſeq.* Unguentum de *Alabaſtro* in Officinis eſt uſitatiſſimum in dolore capitis tollendo commendatum. De *Alabaſtro glaciali* legatur Imperatus *l.* 24. *Hiſt. Nat. c.* 13. 14. Ἀλάβαστρον quoque ſecundum Gorræi deſcriptionem eſt vaſculum ex levi & lubrica materia efformatum, ſervandis odoribus maxime conveniens, quod utplurimum ex ſolidiſſimo & frigidiſſimo lapide conficeretur. Id quia propter lævorem ſuum non facile poteſt teneri manibus, ſed dilaberetur, hoc nomen ſortitum eſt ab ἀστερητικοῦ, & τοῦ λαβεῖν, capere. Gorr. *in def. Alabaſtri* quoque vocantur quinque folia viridia, è quibus flores roſarum exſurgunt, quorum duo barbata, duo vero veluti imberbia ſunt, Tabernamont. *l.* 3. *Stirp. Hiſtor. c.* 100.

ALACAB, i. e. *Sal Ammoniacus.* Rul.

ALACUOTH dicitur Arab. ille, qui in coitu Venereo ſimul excernit alvum ob reſolutionem ſpirituum, Avic. *l.* 3. *fen.* 20. *tr.* 1. *c.* 40.

ALAFI, id eſt, *Sal alkali.*

ALAFORT idem ſignificat. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

ALAFREG eſt ſpecies *Ceruſſæ.* Ruland. & Iohnſon.

ALAHABAR, h. e. *Plumbum.* Ruland. Iohnſ. vero ſcripſit, ſignificare *Calcem.*

ALAHATIBIS, id eſt, *Lapis Rubeus.* Ruland.

ALAIA, ἀλαία, i. e. *cæca* & *inconſpicua.* Epitheton tabis, quæ orta eſt, quando in medullam fluxio facta fuit, Hipp. *l. de Loc. in Hom. XIIX.* 8. ubi quidem in Græco ἄλλη habetur, nihilominus in verſione Latina legitur *occulta ac inconſpicua.* Recte igitur animadvertit Foëſ. reponendum ἀλαίη, quia ἀλαὸς, vel ἀλαιὸς, vel ἀλαὸς dicitur *cæcus*, qui inaniter aliquid inveſtigat, aut gradiendo aberrat, uti Heſychius explicavit. Vide Foëſ. *p.* 26. & Galenus *Lex.*

ALAMANDINA refertur inter gemmas vel lapides, & dicitur fieri ex cœlo & terra Martis à Ger. Dorneo *de Gemmar. ſtructura* in *Th. Chym. Vol. I. p.* 487. Haud dubie vero intelligendus lapis *Alabandinus.*

ALANFUTA, Epitheton *venæ*, quæ olim ſecta fuit contra fœtorem oris, ſita intra mentum & labium inferius, Avic. *l.* 1. *fen.* 4. *doct.* 5. *c.* 20.

ALARIS, ſive *Aliformis*, πτερυγοειδὴς, dicitur de diverſis partibus. Vide *Aliformis.*

ALASALET, i. e. *Armoniacum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALASTAR, i. e. *Æs uſtum.* Iidem.

ALASTOR, ἀλάστωρ, dicitur homo *facinoroſus*, maleficus, exitioſus, pernicioſus, apud Hipp. *l. de morb. ſacr. IV.* 41. Plura de hoc vocabulo vide apud Foëſ. *d. l. p.* 26.

ALASTROB, juxta Ruland. *plumbum*; ſecundum Iohnſon. vero *calcem* ſignificat.

ALATHAR dicitur *minerale*, inter *atramenta* pertinens, & generatur ex majoribus granis atramenti, & accepit vim ferream, eritque rubeum aut croceum, quemadmodum deſcribitur ab Avicenna *de conglutinatione Lapidum*, in *Th. Chym. Vol. IV. p.* 885. *ſeq.*

ALATUS, πτερυγώδης, dicitur apud Hippocr. de iis, quibus ſcapulæ retro prominent, & extant veluti alæ avium, eſtque ſignum tabis periculoſum, ob vitioſam thoracis conformationem anguſtam, *l.* 3. *Epid. comm.* 3. *t.* 70. Adde Galen. *in comm. ad h. l.* item *ad l.* 1. *Epid. comm.* 1. *t.* 18. & *l.* 6. *Epid. c.* 3. *t.* 13. item *l.* 2. *de Temper. c.* 6. & *l. de cauſſ. morb. c.* 7. Aretæum *l.* 1. *c.* 8. Vide & Foëſ. *Oec. p.* 540. *ſeq.* Porro Proceſſus quoque duo oſſis cuneiformis in capite ſive ſphenoidis vocantur *Alati* à Gal. *l. de oſſib. c.* 1.

ALAUDA, κόρυς, κόρυδος, κορυδαλὸς, κορυδαλλὸς vocatur avicula notiſſima duplicis generis, *criſtata*, & non *criſtata.* Illa quoque dicitur *Galerita.* Utriuſque uſus eſt commendatus in cibis & medicina. Ejus deſcriptionem prolixiorem cum uſu lege apud Aldrov. *l.* 18. *Ornithol. c.* 10. *ſeqq.* In colicis doloribus laudari, teſtatur Keuchen. *ad Seren. p.* 211. *Alauda* quoque ap-

D 2 pellatur

pellatur piſcis quidam ſaxatilis, duplicis pariter generis: *Criſtata*, & non *criſtata*, carnis ſubſtantiæ *Galeritæ* ſimilis, cibus nullius fere pretii, de qua videatur Rondelet. *l.* 6. *de piſc. c.* 21. 22. & Aldrovand. *l.* 1. *de piſc. in fin.*

ALAURAT, i. e. *Sal nitrum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALAZON, ἀλαζὼν, *oſtentatorem* & *jactatorem* ſignificat in Ethicis, qui ſe ſimulat probum & multiſcium. Legitur vero apud Hipp. *l. de morb. ſacro II.* 3. & derivativum ἀλαζονικὸν, hoc eſt, *quod jactationem præ ſe fert. l. de Medico IV.* 9. vide Foëſ. *p.* 26.

ALBA *Pituita*, vide *Leucophlegmatia*.

ALBA *Terra*, dicitur *Lapis Philoſophicus*, i. e. compoſitum ex Mercurio & Sulphure. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 721. 727. 729. 749.

ALBA *Vitiligo*, vide *Vitiligo*.

ALBADARA, eſt nomen Arabicum *oſſiculi ſeſamoidei*, primo pollicis articulo ad metatarſi oſſis caput appoſitum *majuſculi* (ad differentiam ſecundi ſecundo pollicis articulo ſubſtrati,) forma & magnitudine piſi majoris decorticati &c. Barthol. *Anat. libell.* 4. *c. ult.*

ALBAGIAZI Arab. dicitur *Os ſacrum*, teſte Fallop. *Expoſ. de Oſſib. c.* 22. *Tom. I. p.* 515.

ALBANUM, i. e. *Sal urinæ*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALBARA, idem, quod Leuce, Morphea, Vitiligo. Walth. *Sylv. Med. p.* 1059. *ſeqq.*

ALBARAS, eſt *Arſenicum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALBATIO, idem, quod *Albificatio*, terminus eſt Spagiricus, pertinens ad tranſmutationem metallorum, præſertim cupri in argentum. Vocatur & *Elixir ad Lunam*, *Tinctura ad Lunam*: item *Attincar*. Formulas plures videre licet apud Paracelſ. *in Manuali primo*, & apud alios. B. Rolfink. vanitatibus his nullam tribuit fidem, *l.* 6. *Chymiæ c.* 23. Dicitur & *Dealbatio*. Rul. & Iohnſon. deſcripſerunt *Albationem*, quod ſit deſtructio corporis per cinefactionem, ſive combuſtio in cineres. Vide & Libav. *S. Ch. Arc. l.* 4. *c.* 15. 16. In negotio Lapidis Philoſophici aqua ſpiritualis ſecunda vocatur *Albificatio*, vel *Dealbatio*, cui opponitur *Rubificatio*, de quibus obſcuritatibus ænigmaticis legi poterit Senior *de Chymia*, *in Th. Chym. Vol. V. p.* 201. *ſeq.*

ALBEDO, in Spagyricis de lapide Phil. dicitur, quando, cum Mercurius dealbatur, fit Sulphur album Philoſophicum incombuſtibile, continens in ſe venenum. Quod ſplendore marmori eſt ſimile, quod invidi *Ethelia* vocant, & Auripigmentum & Tincturam, quia ſolum ſulphur eſt, dealbat. Laurent. Ventura *de Lapid. Philoſ. c.* 27. in *Theatr. Chym. Vol. II. p.* 292. Idem ergo eſt, quod *Albatio*. Plura de *Albedine* inquirantur etiam in reliquorum dicti Theatri Voluminum Indicibus.

ALBERIK, id eſt, *Album Æris*. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

ALBI, i. e. *Sublimati*. Iidem.

ALBIFICATIO, vide *Albatio*.

ALBOR, λευκότης, idem, quod *Albedo*, quid in genere ſignificet, notum eſt. In ſpecie dicitur de *Albumine*, de quo p. p. *Albor* quoque vocatur *urina*. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

ALBORA, ſignificat apud Paracelſum *mixtam ſcabiei malignæ ſpeciem*, ex tribus, Morphea, Serpigine, & Lepra, *l. de ulcerib. c.* 42.

ALBOT notat *Crucibulum*. Rul. & Iohnſ.

ALBOTAR, eſt *Ceruſſa*. Dicitur & *Albuhar*, item *Alſitas*. Rul. & Iohnſ.

ALBOTIM, *Albotai*, *Albotra*, *Albuhen*, *Altilibat*, ſunt Synonyma, *Terebinthinam* ſignificantia. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALBOTIS, ſpecies morbi, quæ Græce Τέρμινθος dicitur. Vide *Terminthos*.

ALBUGINEUS *humor oculi*, Latino-barbara appellatio. Vide *Aqueus humor*. *Albuginea* quoque dicitur *Teſtium tunica* immediate eorum ſubſtantiam ambiens, à colore albo, ceu nervea craſſa & valida. Barthol. *Anat. l.* 1. *c.* 22. Alii ad innominatam oculorum *tunicam* hoc Epitheton applicant, uti fecit Blancardus *in Lex. Med.*

ALBUGO, λεύκωμα, eſt affectus oculorum, & quidem corneæ eorum tunicæ, quando macula quædam alba in illa, ex condenſatione humoris impacti, vel propter cicatricem vulneris ulceriſve, vel propter viſciditatem crudam ipſius humoris, oritur, viſum quodammodo lædens. Differt à *Nubecula*, νεφέλιον, vel ὀμίχλη, dura craſſitie, Æginet. *l.* 3. *c.* 22. Generaliter utraque ſpecies *Cicatricum* οὐλῶν nomine comprehenditur. Senn. *M. Pr. l.* 1. *p.* 3. *ſ.* 2. *c.* 16.

ALBULA, æquivocum eſt. *Albulæ*, ἄλβουλα, vocantur aquæ aluminoſæ mirum in modum adſtringentes, & vulneribus medentes, Galenus *l.* 8. *M. Med. c.* 2. quin & Rhetiæ mons nivibus jugiter obſitus, hoc nomine *Albula* indigitatur. Eſt & Epitheton Tiberis, fluvii Italiæ, ex Apennino monte Romam fluente. *Albula* etiam maculam in oculis ſignificat, & ita idem eſt, quod *Albugo* apud Ingraſſiam & Paracelſum, *Manual. II.* Piſcis quoque aliquis vocatur *Albula*, in Lacu Tigurino, inter cibos bonos laudatus, de quo legatur Aldrovand. *l.* 5. *de Piſc. c.* 53. *ſeq.*

ALBUM, λευκὸν, de variis dicitur rebus. In Officinis cum Epitheto *Græcum* dicitur de *ſtercore canino*, cujus præparationem tradidit Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 28. *fin.* aliam *in Alchym. Pharmac. P.II c.*11. *in Tom.II.Oper.* *Album* nigrum vocari ſtercus murium ſ. Muſcerdam ſcripſit Etmüller *in Collegio ad Schröder. Tom. I. operum edit. noviſſ. p.* 795. *b.* In Anatomicis *Album oculi* vocatur *Tunica Adnata*; de qua ſuperius. In Phyſicis etiam idem eſt, quod *Albumen*, de quo mox. In Chymicis *Album* notat *Ceruſſam*, vel ſimpliciter vel cum epitheto *Hiſpanicum*, notante Fallop. *de metall. ſeu foſſil. c.* 28. *Tom. I. p.* 330. *Album* ſumitur pro *Albatione*, *Albedine*, hoc eſt, *Tinctura Tranſmutatoria* metallorum, Paracelſ. *Manuali I.* *Album* vel *Candidum* quoque

que tribuitur; tanquam epitheton; variis compoſitionibus medicamentorum, v. g. *Unguentum Album ſine & cum Camphora. Emplaſtrum album coctum.* Galen. *l.* 2. *de C. M. S. G. c.* 14. Uſurpatur quoque de *Menſtruis Albis*, Hippocr. *t.* 4. *Epid.* 13. 5. Vide *Albus.*

ALBUMEN, λίυκωμα, λευκὸν, dicitur humor vel liquor in ovo lentus, vitellum undique cingens & ambiens. Vocatur Anaxagoræ ὄρνιθος γάλα, hoc eſt, *Lac avis*, Latine *Album ovi*, *Albor*, Scribon. *num.* 24. 26. Rhod. *in Lexic. Scribon. Ovi candidum*, *Albugo*, *Albumentum.* Craſſitie variat, dum ad obtuſam ovi, acutamque partem liquidius, in aliis craſſius viſitur. De ejus hiſtoria vide Harveum *de Gen. Anim. Ex. XII. & LX.* Uſus illius in foro Medico magis externus, ad paranda collyria & anacollemata, quia habet vim refrigerandi, agglutinandi, & adſtringendi, quam internus; quamvis Hippocrates febricitantibus exhibuerit *albumina* 3. vel 4. ad refrigerandum & egerendum. Hippocr. *l.* 3. *de Morb. XXX.* 12. Vide Schröder. *Pharm. l.* 5. *p.* 319.

ALBURNUM, ligni pars exterior cortici vicinior, mollior, & albidior. Dodon. *pempt.* 1. *l.* 1. *c.* 1. *Hiſt. ſtirp.*

ALBURNUS, λευκίσκος, nomen piſciculi vilioris æſtimationis, carne molli & parum pingui præditi, de quo videatur Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 37.

ALBUS, λευκὸς, præter notiſſimam coloris candidi ſignificationem piſcem denotat apud Salvianum, qui Geſnero *Capito Lacuſtris* dicitur, dura carne, & difficilis coctionis, ut ita omnium piſcium ferme ſit viliſſimus. Aldrov. *d. l. c.* 55.

ALCAHEST, vide *Alkaheſt.*

ALCALI, vide *Alkali.*

ALCAOL, eſt *Lac acetoſum*, vel *Mercurius.* Rul. & Iohnſ.

ALCAR, ἄλκαρ, idem, quod βοήθημα, h.e. *auxilium*, remedium. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Vide Foëſ. *p.* 30.

ALCE, ἄλκη, rectius fortaſſis, quam *Alces*, *Equicervus* aliis, eſt animal quadrupes biſulcum, ad cervi, quo tamen major eſt, naturam accedens, timidum, comitiali morbo obnoxium, adverſus illum tamen morbum ſingulare præbens remedium. Etenim *ungula* illius, præprimis dextri pedis poſterioris, creditur ſpecifica virtute adverſus epilepſiam præcavendo & curando, interne exhibita, & externe amuleti inſtar ſuſpenſa conducere. Quamvis Dudithius *in epiſt. ad Monav. apud Scholtz. epiſt.* 49. fabuloſum dixerit illud πρᾶγμα. Lectu non indigna eſt epiſtola. Sane plurima ſunt vana adhuc in Medicina remedia, quæ tamen experientia putantur eſſe confirmata. Verum experientia vah! quam σφαλερὴ, teſte Hippocr. *l.* 1. *aph.* 1. De *Alcis* hiſtoria & uſu legatur Aldrov. *lib.* 1. *de quadr. biſulc. cap.* 32. Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 1. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Ἀλκὴ quoque *auxilium* ſignificare, unde ἀνάλκες, quod non juvat, ſcribit Erotian. *Onom. pag.* 14. *f.*

ALCEBRIS, *vivum* eſt *Sulphur.* Ruland. & Iohnſ.

ALCEDO, ἀλκυὼν, vide *Halcyonia.*

ALCHARIT, eſt *Argentum vivum.* Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 2.

ALCHAZONON, eſt *Lutum Rotæ fabrorum.* Rul.

ALCHEMIA, idem, quod *Chymia*, de quo vocabulo infra *in CH.*

ALCHIEN, eſt nomen rei & rebus proprium multorum nominum, & rei, quam Græci vocant χαρακτηριστικὴ, ſcil. præparatio, & vocant illam Medici naturam, diſcretam, præparativam omnium ciborum, & eſt res, quæ virtute ſua attrahit generationem, & corruptionem, & per eam eſt augmentum. Ita deſcribitur *in l.* 3. *Quartorum Platonis. Th. Chym. Vol. V. p.* 138.

ALCHITRUM, eſt *oleum juniperi*, *pix liquida*: Significat etiam *Arſenicum præparatum* ad abluendum. Rul. & Iohnſ.

ALCHYMIA, vide *Chymia.*

ALCHYTRAN, appellatur *fex deſtillationis.* Dicitur & *Alkytran.* Ruland. & Iohnſ. *Alchytran* apud Meſuen eſt ſimplex quoddam medicamentum ad dentes dolentes, cavos & verminoſos. Chymici ſic vocant ſalis ſpeciem, videturque vox illa à Græco χύτρα, *olla*, deſcendere, ut ſit alumen catinorum, ſive ſal in ollis fuſus, aut ex illis fuſoriis extractus. Alii aliter componunt. Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 39.

ALCIMAD, notat *Antimonium*, ſicut & *Alcoſol*: aliis *Alcofol.* Rul. & Iohnſ. Dorn.

ALCOB, i. e. *Sal Ammoniacus.* Rul.

ALCOFOL, eſt *Antimonium.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALCOHOL, *Alchool*, *Alcool*, *Alkol*, *Alcol*, vox eſt Arabica, de cujus derivatione & ſignificatione vide Rolfink. *Chym. l.* 4. *ſect.* 8. in quam tamen animadvertere non dubitavit D. D. Wedel. *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſ.* 1. *c.* 3. *p.* 16. 17. aliam ſubſtituens derivationem. Duo diverſiſſima denotat; primum pulverem tenuiſſimum, ac pollinis farinæ tenuiſſimæ inſtar, fere impalpabilem; deinde ſpiritum vini reiteratis deſtillationibus rectificatiſſimum, ut accenſus totus conſumatur, nec feces aut phlegma relinquat. Libav. Schröder. Rolfink. Ruland. Iohnſ. & alii. Ita noviſſime Iunken varios Alcohol vini parandi modos ex Helmontio, Boyleo, Glaubaro, le Mort tradidit & uſum expoſuit *d. l. p.* 13. *ſeqq.* Quamvis recentiores adhuc Chymiatri ad quoſvis ſpiritus ſubtiliſſimos & rectificatiſſimos applicaverint. Vid. & D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 1. *p.* 7. & *Acroam. l.* 1. *ſ.* 1. *c.* 3. *p.* 16. Hæc duo tamen diverſa ſignificata in hoc conveniunt, quod ambo ſint tenuiſſimarum partium. Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 5. *in Schol.* ut ita *Alcool* ſit purior ſubſtantia rei ſeparata ab impuritate ſua. Ruland. Modus parandi dicitur *Alcoholiſatio*; Producta *Alcoholiſata.*

ALCOL, etiam eſt *Acetum.* Rul. & Iohnſ.

ALCOLA, idem eſt, quod *Aphtha*, apud Avic. *l.* 1.

 ſen. 2.

ſen. 2. doct. 3. c. 3. Vide *Aphtha*. *Alcola* Paracelſo dicitur Tartarus urinæ, id eſt, excrementum, cujus ſignum eſt *Alcool*, id eſt, Tartarus reſolutus in minutas partes, in ſal reſolutus, & fit multipliciter. Aliquando enim exeunt cum urina granula alba, aliquando videtur in urina uſnea, aliquando pruina. Hinc Alcolæ triplex forma, 1. Reſoluta, eaque vel alba, vel rubra. 2. Arenoſa, alba & rubra. 3. Mucilaginoſa, vel viſcoſa. Ab *Alcola* urina dicitur *Alcolita*. Paracelſ. *de Urin. jud. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. 2. 3.

ALCONE, eſt *Aurichalcum*. Rul. & Iohnſ.

ALCOR, eſt *Æs uſtum*, veluti grana. Rul. & Iohnſ.

ALCORE, ſignificat *Lapidem* quendam, habentem folia ſimilia argento. Iidem.

ALCUBA, eſt *Butyrum crudum*. Iidem. Dicitur & *Alumbair*.

ALCUBRID, vel *Alcur*, idem eſt, quod *Sulphur*. Dicitur & *Aluzar*. Iidem.

ALCYONIA, vide *Halcyonia*.

ALDABARAM, vocantur à Joh. van Horne *Microcoſm.* §. 59. duo oſſicula ſub pollice pedis poſita & minori fabæ quadantenus ſimilia. Circa quod nomen plura ex Riolano annotata reperies in Nobiliſſ. D. D. Joh. Mauricii Hoffmanni Collegæ & Affinis noſtri honoratiſſimi *Annotationibus ad h. l. p.* 249.

ALECHARITH, notat *Mercurium*. Ruland. & Iohnſ.

ALECHIL, i. e. *Tripes*. Rul. & Iohnſ.

ALECTORIUS, ἀλεκτόρειος, vel ἀλεκτορία, lapis dicitur, qui in ventriculis aut hepate galli gallinacei quandoque reperitur, & habet utplurimum figuram lupini, magnitudinem ejuſdem aut fabæ, colorem vel in cinereo candidum, vel fuſcum, ſed dilutum, interdum cryſtallina ſpecie eſt, ſed coloris obſcuri, fibrasque interdum habet rubras. Gorr. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Agricola *de nat. foſſil. l.* 6. & prolixius Chioccus *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *pag.* 343. *ſeqq.* Guil. Menens. *Aur. Vell. lib.* 2. *c.* 1. *in Theatr. Chymic. Vol.* 5. *p.* 388. Quod vero dicitur, reddere divites, bellicoſos eum portantes excitare Venerem, oratoriam tribuere facultatem, amicos conciliare, non obſtante Alberti autoritate, quam defendere conatur Chioccus, omnino nobis fabuloſum & hyperbolicum videtur, cum hujuſmodi effectus ſupra naturam ſint lapidum.

ALEIMMA, ἄλειμμα, vide *Linimentum*. Dicitur & ἄλειφα, item ἄλειφαρ, de quibus mox.

ALEION, ἀλεῖον, epitheton *aquæ*, ſignificans *conferto imbre collectam* aquam, ἀλεῖον enim *confertum* notat. Gorr.

ALEIPHA, ἄλειφα, idem, quod ἔλαιον, *oleum*, adeps, aut *linimentum*. Frequens Hippocrati dictio, v. g. *l.* 2. *de Morb. XXVI.* 14. *l.* 1. *de morb. mul. C.* 39. *CXXI.* 6. & alibi ſæpius. Plura vide apud Foëſ. *p.* 27. Galenus *Lexico Hipp.*

ALEMA, ALETON, ἄλημα, ἄλητον, vide *Farina*, idem, quod ἄλευρον. Foëſ. *p.* 29.

ALEMBIC, notat *Mercurium*. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

ALEMBICUS, dicitur vas illud ad deſtillationem uſitatiſſimum, quod & *Galea*, *Pileus*, *Capitellum*, dicitur, & imponitur vaſis inferioribus, & cucurbitis, ad recipiendos vapores; eſtque duplex, alius *Roſtratus*, alius *Cæcus*. Ille dimittit vapores humidos per roſtrum vel canale in vas recipiens: hic vero ſublimationibus inſervit, eſtque etiam in vertice aliquando perforatus, humores adſcendentes emittens. Libav. *Prax. Alchym. in princ.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Jungatur e noviſſimis D. D. Wedelii *Pharm. Acroam. l.* 1. *ſ.* 5. *c.* 1. *p.* 201. Hoc improbavit Morley *in Collect. Chym. Leidenſ. prolegom. c.* 2. ſtatuens, *Alembicum* potius eſſe nomen cucurbitæ vaſis anguſti colli & fundi capacioris. Num vero Chemicorum priorum celeberrimorum conſentientium ſententias adeo libere liceat rejicere, & ob quam rationem id fiat, nolumus ventilare.

ALEMBROTH, eſt ſpecies *Salis factitii*, qui vocatur *Clavis Artis Chimicæ*, qua corpora, ſi ea referantur, fiunt apta ad tranſmutationem. Dicitur & interdum *Sal fuſionis*, aut *Sal fixionis*. Varios parandi modos vide apud Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 38. Vocatur & *Elebrot*, diciturque habere naturam halonitri & aluminis, & extrahi in Cypro ex peculiari terra, in monte Olympo, forma & colore ſanguinis concreti, &c. ibid. *in annotationibus*. *Alemroth* eſt Sal *Mercurii*, vel Sal *Philoſophorum*, & *Artis*. *Alembroth deſiccatum* eſt *Sal Tartari*, & magiſterium magiſtrorum. Dorn. *in Dict.* Rul. & Iohnſ. *in Lexic. Ch. Alembrot* dicitur, eſſe vocab. Chaldaic. quod ſignificat Clavem Artis. In tractatulo incerti Autoris Mer fugi dum bibit. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 975.

ALENON, ἄληνον, epitheton *olei amygdalarum*, ut ſcribit Aët. *l.* 7. *c.* 69. citante Gorræo.

ALEORE, ἀλεωρὴ, *munimentum*, præſidium, *ſolatium*, ſignificat, & legitur in Hipp. *Præcept. VI.* 19. Vide Foëſ. *Oec. p.* 29.

ALEOS, ἄλεος, & ἀλεὸς ſubſtantivum quoque nonnullis videtur, ſignificans *calorem*. Et huc referunt locum Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XIV.* 6. 8. Unde ἀλεὸς, vel ἄλεος, *calidus*, & verbum ἀλεάζειν, *calefacere*. Vide Foëſ. *p.* 27.

ALES, ἀλὲς, frequenter apud Hipp. occurrit, pro ἀλὴς, *confertum*, *coacervatum* ſignificans. Ita excrementa ἀλέα, *coacervata* leguntur, *l.* 4. *Epid. XXIX.* 10. *l.* 7. *XVII.* 8. menſtrua *l.* 1. *de morb. mul. XXXVII.* 12. *l. de Sterilib. III.* 10. uteri ἀλέες, *d l. XXXVII.* 8. Plura de hoc vocabulo vide apud Foëſ. *p.* 28. 29.

ALES, eſt *Sal compoſitum*. Rul. & Iohnſ.

ALEURON, ἄλευρον, *farinam* ſignificat, ab ἀλέω; Hipp. *l. de nat. mul. CI.* 3. & *l.* 2. *de morb. mul. LXXII.* 23. Unde ἀλευρότησις cribrum farinaceum. Vide *Creſera*.

ALEXAN-

ALEXANDRINUM, ἀλεξανδρίνη, ſcil. ἔμπλαστρον, ſive *Emplaſtrum*, viride, ad extrahendum, cujus deſcriptio habetur apud Celſ. *l.* 5. *c.* 19. Gorr.

ALEXANTHI, i. e. *Flos æris*, item *Altingar*. Rul. & Iohnſ.

ALEXASTHÆ, ἀλέξασθαι, ſignificat *auxilium ferre, juvare*. Hipp. *de ſal. diæt. c.* 4. Foëſ. *p.* 28.

ALEXIPHARMACA, *Alexiteria*, ἀλεξιφάρμακα, ἀλεξιτήρια, præter rationem & neceſſitatem à nonnullis diſtinguuntur, quaſi illa dicantur medicamenta venenatarum beſtiarum morbos ſanantia, ex Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 18. aut quod cum Gorræo illa inter hæc externa ſignificent. Ludunt etiam, qui ἀλεξιθήρια ſcribunt. Commentum quoque eſt ridiculum apud Blancardum, quando diſcriminis inter hæc duo vocabula rationem deducere à diverſa compoſitione & verbum τηρέω *conſervo* obtrudere non veretur, cum illa terminatio Græca τήριον in multis aliis Græcis nominibus occurrat, & mere ſit paronymica nullam compoſitionis ſpeciem conſtituens. Neque enim beſtiæ ſervari debent, aut iis auxilium ferri, quod tamen emphaſis vocabuli per θ ſcripti intenderet. Paucis: Sunt Synonyma hæc duo vocabula. Notant vero medicamenta *Alexipharmaca* duplicia: *Generalia* & *Specialia*. Illa; quæ omnibus venenis reſiſtunt, cor, quin potius ſanguinem ſufficienter roborando, ut reſiſtant portionibus malignis & venenoſis, expellendo, ſubigendo, vincendo; hæc, quæ ſpecialiter huic, vel illi, vel iſti veneno reſiſtere creduntur. Occulta utraque agere qualitate hactenus judicatum; Enimvero cum hodieque venenorum vis & efficacia magis innotuerit, quorum quædam ſanguinem & liquorem nervoſum, flammam vitalem & ſpiritus animales nimis fundendo, liquando, diſſipando; quædam illos repente coagulando, putrefaciendo; quædam vero mixto operantur modo. Hinc facile ex natura indicantium & indicatorum colligere licet, quod *Alexipharmaca* alia nimiæ colliquationi & fuſioni reſiſtere debeant, figendo, præcipitando, & ad æquabilem mixtionem & motum reducendo, cujus efficaciæ ſingulare exemplum de Pomo Citrio legi poterit apud Fr. Hofm. *in Clav. Schrôd. l.* 4. *p.* 444. *ſeq.* alia vero ſpirituaſcentiam & volatiliſationem ſanguinis & ſpirituum, reſolvendo, attenuando & coagulationi, vel congelationi, nec non putredini reſiſtendo, promoveant; alia vero mixta ex utraque facultate operandi ratione, mixtis etiam venenis opponantur. Jungantur *Dogmata noſtra Med. Gen. P. VI. c.* 2. *p.* 715. In quibus vero particulis materialibus non ſolum, ſed & in quo principio formali activo ſingulorum *Alexipharmacorum* virtus ſpecifica conſiſtat, hoc omnino occultum eſt & manet, non minus, quam aliorum medicamentorum.

ALEXIPYRETOS, ἀλεξιπύρετος, dicitur de remediis contra febres, ſive *febrifugis* dictis. Scrib. Larg. *n.* 95. quamvis Rhod. *in notis* arguat, potius legendum eſſe ληξιπύρετος, ἀπὸ τοῦ λήγειν τοὺς πυρετοὺς, quod *finiat febres*. Quaſi vero non ambo vocabula, ceu Synonyma tolerari poſſent, cum nil obſtet.

ALEXIR, dicitur *medicina Chymice præparata*. Rul. & Iohnſ.

ALEXITERIUM, ἀλεξιτήριον, vide *Alexipharmacum*. generalem ſignificatum illi adſcribit tamen Galenus *in Lex. Hipp.* ἀλεξιτήριον, inquiens, βοήθημα καὶ γὰρ ἀλέξασθαι βοηθεῖν ἐστιν.

ALEZARAM, eſt *Lotura plumbi*. Iidem.

ALFACTA, dicitur *Deſtillatio*. Iidem.

ALFADINAM, h. e. *Scoria Auri, Ferri, Cupri*, item *Cuprum uſtum*. Iidem.

ALFATIDE, eſt *Sal Ammoniacus*. Rul.

ALFESERA, *Alpheſera*, eſt nomen confectionis apud Meſuen *in Operib. fol.* 116. *b.* in affectibus nervorum ſpaſmoticis à ſeſera vel pheſera, id eſt radicis vitis albæ, notante Manardo *ad ill. loc.* non amplius eſt uſitata.

ALFOI, eſt *Sal Ammoniacus*. Rul.

ALFUSA, ſignificat *Tutiam*. Idem.

ALGALI, eſt *Nitrum*. Rul. & Iohnſ.

ALGAMET, ſignificat *Carbones*. Iidem.

ALGEMA, ALGOS, ἄλγημα, ἄλγος, & *dolorem*, & morbum, quem *dolor* comitatur, ſignificat. Hipp. 4. *aph.* 11. 6. 7. & alibi paſſim. Jungatur Foëſ. *Oec. p.* 27. Dieterich. *Iatr. n.* 29. Vide *Dolor*. Conf. Galenus *Lexico Hipp.*

ALGERIE eſt *Calx*. Rul. & Iohnſ.

ALGEROTH, eſt *Mercurius vitæ*. Iohnſ. Schrôd. *l.* 3. *c.* 18. In Morleii *Collect. Chym. Leid. c.* 57. *proc.* 3. *&* 4. dicitur *Pulvis Algoreth*, ab Algoretho Medico Veroneſi ita dictus, ex antimonio & mercurio ſublimato paratus, ex Hartmann. *Tyrocin. Chym. c.* 12. item *Succinum Antimonii*.

ALGOS, ἄλγος, vide *Algema*.

ALIANI, ſunt *Spagyri palpitantes*. Dorn. *in Dict. Par.*

ALICA, χόνδρος, etiam cum adſpiratione *Halica* (quod vocabulum in genere *Granum* ſignificat) quid proprie ſit, an res factitia, an nativa aliqua ſeminis ſpecies, non adeo planum eſt. Galen. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 6. ex tritici genere eſſe ſcripſit. Plinius *l.* 18. *H. N. c.* 17. *&* *c.* 11. ſibimetipſi non conſtat. In priori enim loco claris verbis annumerat frumentis vernis, quæ ſunt Milium, Panicum, Lens, Cicer, *Alica*. In poſteriore vero factitium quid è Zea ſtatuit, cujus parandi modum etiam ibidem tradit. Nobis placet poſterior ſententia, quod factitium quid ſit *Alica*, perſuadente hoc ipſo Principe Coo. *l. de Affect. XLII.* 7. ubi alicam & ptiſanam junxit, & inter ſorbitiones fortiores retulit. Ac videntur Χόνδρος & πτισάνη generalia fuiſſe apud veteres omnium frugum ſiccatarum, decorticatarum, & in grumos tuſarum nomina. Num verò modus ille parandi, quem è Conſtantino Cæſare tradidit

didit Gorræus, & ex hoc Henr. Stephan. *in Theſauro*; quod *Zea* in aqua fervente macerata, expreſſa, & gypſo arenaque candidiſſima permiſcetur, & iterum cribro cernitur, ſanitati humanæ conveniens ſit, merito dubitatur, ob gypſi vim noxiam. Dicitur latine etiam *Far*, quamvis Hor. Augen. *l. 6. Epiſt.* & *Conſ. Medic. ep. 2. Tom. I. p. m.* 54. multum inter ſe differre Far & Alicam ſcripſerit. Foëſius χόνδρον, ſive *Alicam* deſcripſit, quod ex Zea decorticata, & in grana plura contuſa leguminis loco cum juſculis coctum editur, celeberrimum, & valde tritum, in omnibus morbis, apud antiquos, alimentum. Quæ deſcriptio valde convenit cum uſitatiſſimo noſtro pultis genere.

ALICES, maculæ, quæ præcedunt variolas. Campolong. *de Variolis c.* 32.

ALICORNU, *Cornu*, i. e. *Unicornu.* Legitur apud Fallop. *de metall. ſeu foſſil. c.* 38. *p. Tom. I. Op. p.* 353.

ALIENATIO *mentis*, vide *Delirium.*

ALIENUM, ἀλλότριον, dicitur, cujus præſentia naturæ noſtræ incommodat. Eſtque duplex, quantitate tale, vel qualitate. In ſpecie *Alienæ caliditatis*, θερμότητος ἀλλοτρίας, ex Ariſtot. Gal. *l. 2. de diff. febr. c. 9.* meminit, deſcribens, quod ſit externa, non inſita, neque familiaris unicuique, in quo exiſtit. Talis naturæ eſſe calorem febrilem, præſertim in febribus putridis dictis, licet ſubſtantia ab inſito non differat, teſtatur C. Hofm. *de febb.* aliquoties. *Alienum* pro corrupto ſumitur apud Scrib. *n.* 201. Celſ. *l. 7. c.* 16.

ALIFORMIS, πτερυγοειδὴς, epitheton proceſſuum binorum oſſis cuneiformis ad palati latera occurrentium, à ſimilitudine alarum veſpertilionum. Barthol. *Anat. libell.* 4. *c. 8. p.* 818. ita & par muſculorum maxillæ inferioris *Alare* vel *Aliforme* dicitur apud eundem *l. 3. Anat. c. 11. p.* 536. quod Veſalius temporalis muſculi partem eſſe exiſtimavit.

ALIGULUS, denotat Confectionem. Rul.

ALIMA, eſt ſpecies *Arenæ* in Aurifodinis, è qua Plumbum ſit. Ruland.

ALIMENTUM, τροφὴ, varias habet ſignificationes, quarum quædam propriæ ſunt. Ex illis latiſſima eſt, quando ſumitur pro omni eo, quod ad alendum corpus quaqua ratione neceſſarium eſt. Et ita coincidit cum vocabulis, *Victus*, *Diæta*, complectiturque cultum corporis, veſtitum, habitationem & ſimilia. *Strictior* eſt, quando ſignificat rem cibariam, vel cibos potuſque, & ita amictui contra diſtinguitur. Ita accipitur 4. *aph.* 24. Horum naturam conſiſtere in τῷ *Vinci*, quemadmodum Medicamenti in τῷ *Vincere*, cum grano ſalis accipiendum eſt, cum & alimenta virtute polleant operandi & ſuo modo vincendi, ſicuti medicamenta aliquid pati debent à noſtro calore. *Alimentorum* optimorum determinatio eſt impoſſibilis. Referuntur enim ad varia individua. Vide Caſp. Hofm. *l. 5. Inſtit. Med. c. 5. §. 4. ſeqq. Dogm. noſtra Med. Gen. Part. V. c. 2. d. 2. p.* 596. *ſeqq.* *Strictiſſimæ* ſignificationes ſunt, quando de chylo, ſucco nutritio, ipſis corporis partibus appropriando & aſſimilando; imo & de ſanguine ipſo, ſumitur *Alimentum* τροφή. Confer, ſi placet, ad Foëſ. *p.* 625. Dieter. *n.* 841. 845. Linden. *Ex. XIII. §.* 205. *ſeqq.* Latine dicitur & *Nutrimentum*, de quo etiam infra in NU.

ALINDESIS, ἀλίνδησις, ἀλινδὴς fuit *corporis exercitatio*, quando oleo delibuti ſeſe in *pulvere volutabant.* Hipp. *l. 2. de diæt. XLII.* 15. *l. 3. X.* 1. *XXVI.* 35. *l. de Inſomniis VI.* 11. Unde & loca, ubi equi ſe volutare ſolent, ἀλινδήθρα dicta ſunt, ex Scholiaſte Ariſtoph. *in Ranis.* Legatur Lang. *l.* 1. *ep.* 32. adde & Foëſ. *Oec. p.* 30.

ALINTHISAR, idem, quod *uvæ procidentia.* Walther. *Sylv. Med. p.* 1611.

ALIOCAB, eſt *Sal ammoniacum.* Dicitur & *Alemzadar.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

ALIPÆNOS, ἀλίπαινος, ἀλίπαντος, ab α privativo & λιπαίνειν, *pingueſcere*, dicta ſunt de iis, quæ pinguedinis ſunt expertia, & ſicca medicamenta externa, unde & Gal. *l. 1. de C. M. P. G. c.* 15. ἀλιπῆ vocavit, quæ cruentis protinus vulneribus imponuntur; ad reprimendam inflammationem & accelerandam conglutinationem, ex Celſi *l. 5. c.* 19. Opponuntur Emplaſtris λιπαροῖς, quæ pinguia recipiunt, unde & idem Celſus *Lenia* appellavit. Vide Lang. *l. 1. ep.* 77.

ALIPILI dicebantur Balneatorum miniſtri alarum pilos volſella evellentes. Ant. Fumonell. *de Baln. p. p. princip.*

ALIPTA, παιδοτρίβης, ille olim dicebatur, *qui athletas ungebat.* Unde & locus ille, ubi hoc faciebat, *Alipterium* vocabatur, teſte Lang. *l. 1. ep.* 51. Meminit *Aliptarum* Gal. *com. 1. de artic. t.* 62.

ALISTELES, *Alizeles*, dicitur *Sal Armoniacum.* Ruland.

ALITURA, θρέψις, idem, *Nutritio.* Vide infra ſuo loco. Blancard. *in Lex.* Apud Gellium occurrit.

ALKAES, eſt *ſubtilis pulvis alchochos.* Rul. *in Lex.*

ALKAFIAL, eſt *Antimonium.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALKAHEST, *Alcaheſt*, vocabulum Arabicum vel barbarum, de cujus origine & ſignificatione nihil certi conſtat. Dicitur; *Quaſi Alcali eſt.* Significat vel Sal *univerſale*, quod trium regnorum, Mineralis, Vegetabilis, Animalis, climata pervadit, centra ſpecierum Macrocoſmi reſerat, ſingularique prærogativa, violata omni reactionis lege, dum agit, immutabile manet, vitalis naturæ, ac ſpecifica dos, uti ſatis quidem ſpecioſe, (modo in rei veritate exiſteret tale Sal) deſcripſit Rolfink. *Chym. in art. ſ. red. l. 5. ſ. 1. art. 2. c. 2.* Vel notat Mercurium peculiariter præparatum in medicinam hepatis ad cuſtodiendum illud ab hydrope & omnibus ejus ſpeciebus, quæ ex hepate veniunt, uti deſcripſit ex Paracelſ. *l. 2. de virib. membror. princip. c. 6.* Iohnſ. *in Lex. Chym. l.* 1. ubi plura legi poſſunt, quemadmodum & apud Helmont. *tr. Poteſtas medicam.* & alibi, qui etiam loco Mercurii Tartari ſaltem volatilem

lem admittit, *in tract. de febrib.* alibi vero veram liquoris *Alcaheſt* præparationem occultam permanſuram uſque ad mundi confuſionem docet ceu à Deo reſervatam, *de Lithiaſ. c.* 8. *n.* 2. Hujus liquoris ſubtiliſſimi & ſpirituoſiſſimi vires eſſe, extrahere ſulphur etiam ex mineralibus vult Polemann. *Myſterii Sulphuris Philoſ. t.* 11. *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 650. imo eſſe univerſale ſolvens, perenne & immutabile, quod reducit omne corpus viſibile in liquorem ſui concreti, ſervata ſeminum poteſtate, forma eſſentiali & nativa integra; quemadmodum liquorem hunc definivit ex Paracelſi & Helmont. ſententia Fr. Hofm. *in Clav. ad Schröder. p.* 3. quamvis & hic alibi videlicet *p.* 82. dubitaverit, an in rerum natura unquam fuerit talis liquor & *Menſtruum univerſale* ſolvens, aut artificio ullo poſſit parari, ob diſtinctam liquidorum & ſolidorum corporum naturam. Unde & Schröder. *l.* 2. *c.* 57. ſatius duxit, de eo tacuiſſe, quam aliquid incerti tradidiſſe &c. Relinquamus igitur ridentes has vanitates & ἀσύςατα figmenta, tantis involuta tenebris ab autoribus, ut nihil de eo literis conſignatum occurrat ea intentione, quo intelligatur, ſed ut non intelligatur, verbis laud. Rolfink. *d. l.* Mitiorem ἐπίκρισιν D. D. Wedelii vide *in ejus Pharmac. p.* 31. De triplici vero *Alcaheſt*, vegetabili, animali & minerali, legi poterit Cnœfelius *in Ephemerid. Nat. Curioſ. Deciſ. I. Ann. VI. in Appendic. Alcaheſt Glauberi* nihil aliud eſſe, quam Alcali ex calcinatione Tartari & Nitri emergens & per deliquium ſolutum ſcripſit D. D. Bohn. *Diſſ. Chymico-Phyſ. VI.* §. 26. Marggravius vero putat Liquorem Nitri fixi eſſe *Alcaheſt* Glauberi. Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 299. videatur Iunken *d. l. p.* 12. Spiritus Veneris quoque dicitur *Alcaheſt* Zwölfero Id. *d. l. c.* 497. Chriſtian. Balduinus *in Hermete ſuo Curioſo Invento XI.* meminit non ſine jactantia Alkaheſt Hermetici à ſe inventi.

ALKALE, id eſt, oleum gallinæ. Rul.

ALKALI, *Alcali*, terminus Spagyricus novus, denotans hodieque alterum commentitium principium univerſale ſalinum rerum omnium naturalium & præternaturalium, oppoſitum *Acido*, principio ſuperius deſcripto, volatile & fixum, lixivioſum, urinoſum, ab Acido actuationem accipiens, & tamen viciſſim illud actuans, & quæ ſunt aliæ proprietates ab amatoribus horum commentatorum attributæ, quæ in Tachenio, Bechero, Barnero, aliiſque legi poterunt. Nos adhuc acquieſcimus in ἐπικρίσει ſupra de *Acido* data, ſalva diſſentientium autoritate. Ruland. vocat principium Chymicorum ſymbolicum. In ſpecie tamen *Alcali* quoque dicit, eſſe *Vitriolum foſſile* ſeu *fuſile*. Aliis quoque generalius ſignificat *Lapillum ſalis* modo ex calcibus reverberatis poſt humorem extractum, & denuo poſt abſumtum humorem coagulatum. Alkaliſatum ſal Chymicis dicitur, quod ignem fert vehementiorem, nec avolando evaneſcit in auras. Chr. Meretti

Caſtelli Lexic. Med.

Notis ad Ant. Neri Art. vitrar. l. 1. *c.* 6. *p.* 298. Per ſimilitudinem vero ſaltem *Alcali* nomine veniunt, quando res integræ calcinantur, & denuo ad conſiſtentiam reducuntur, ut ſunt *Magiſteria Margaritarum*, Coralliorum &c. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Vide etiam de *Alcalibus* Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *c.* 15. *l.* 8. *c.* 38. *Alkali* & *Sal Alkali* vocatur in proceſſu lapidis philoſophici opus illud, quod provenit ex denigratione ſecunda, & alio nomine *Mercurius extractus de Cambar* vocatur Lagneus *Harm. Chym. in Th. Chym. Vol. IV. pag.* 739. & Senior de Chymia *Vol. V. pag.* 207. Alias omnium prima ſignificatione vocabuli *Alkali* fuit hæc, quando ſal paratus ex herba Kali dicta per combuſtionem, quod fuit *Alkali Arabum*, cui reſpondet *Alkali Syriacum* & *Saracenicum*, de quibus omnibus legi poterit Libav. *d. l.* & ex recentioribus Chriſt. Meretti *d. l.* 1. *c.* 1. *p. m.* 283. *ſeqq.* Hinc & corpora naturalia, in quibus particulæ *Salis alcali* prævalent, *Alcalina*, vel *Alcalica* frequenter dicuntur apud recentiores.

ALKALIA, i. e. *Vas.* Rul. & Iohnſ.

ALKALID, i. e. *Æs uſtum.* Iid.

ALKANT, vel eſt *Mercurius*, vel *ſpecies Atramenti.* Rul.

ALKANTUM, eſt *Æs uſtum*, vel ſpecies *aromatica*, vel ſecundum quoſdam *Arſenicum.* Rul.

ALKANZI, *Alcanzi* vocatur Electuarium vel Confectio apud Meſuen *diſtinct.* 1. *de Electuariis in Operibus fol.* 107. *b. c.* quod non amplius in uſu eſſe interpretes notarunt.

ALKARA, i. e. *Cucurbita.* Rul.

ALKARANUM, i. e. *Duenec viride.* Rul. & Iohnſ.

ALKASA, i. e. *Albat*, *Alkazoal*, idem. Iid.

ALKERMES, *Alchermes.* Vide *Confectio.*

ALKIAN, dicitur ſpiritus nutriens & regens hominem, per quem fit converſio nutrimenti & generatio animalis, & per ipſum conſiſtit homo, & eſt ſubſtantia permixtibilis omnium horum, ita deſcribitur in *Quartor. Platon. l.* 3. *Th. Chym. Vol. V. pag.* 135. Dari etiam *Alkien terræ* legitur *l.* 4. *p.* 170.

ALKIBRIC, *Alchibric*, eſt *Sulphur vivum*, idem quod *Kibric*, vel *Chibric*, de quo infer. Rul. & Iohnſ. *Sulphur incombuſtibile*, vocatur *in Th. Chym. Vol. V. p.* 492.

ALKIN, i. e. *Cinis Clavellatus.* Rul. & Iohnſ.

ALKIN, eſt *fumus*, vel notat *Carbones.* Iid.

ALKITRAM, eſt *pix liquida.* Iid.

ALKOEL, eſt *plumbum exquiſitum de minera.* Alii dicunt, quod ſit *Lapis Lazuli*; alii vero, quod ſit *Antimonium.* Rul. & Iohnſ.

ALKOL, idem, quod *Alcohol.*

ALKOSOR, id eſt, *Camphora.* Rul. & Iohnſ.

ALKY, *plumbi*, eſt *materia dulcis ex plumbo.* Iid.

ALKIMIA, *pulvis* eſt de *Baſiliſco.* Iid.

ALLABROT, eſt quoddam genus ſalis confectum. Rul. & Iohnſ.

ALLANTOIDES, ἀλλαντοειδὴς, q. d. *Farciminalis*, dicitur membrana fœtum involvens, farcimini ſimilis, in brutis, præſertim ruminantibus, ſaltem occurrens, & truncum corporis circumdans, urinæque colligendæ præcipue dicata. Gal. *l. de diſſect. vulv. c.* 10. Homines & canes, & feles, & id genus alia utrinque dentata deſtitui, docet Hier. Fabr. ab Aquapend. *de form. fœtus c.* 6. Hanc etiam in humano corpore dari Needham tueri voluit *Diſq. de form. fœtu c.* 3. Harvejus negat, re diverſam eſſe membranam à *Chorio*, ſed à Veteribus eandem membranam modo *Chorion* à vaſorum copia, modo à figura *allantoidem* appellari. *Exerc. de gen. anim. addit.* 4.

ALLIAR ÆRIS, terminus Spagyricus in negotio lapidis Philoſophici denotans *Æs Philoſophicum*, quod etiam *Æs album*, *aqua Mercurii*, aliiſque infinitis nominibus appellatur. Wilhelm. Tecenenſis *tr. Lilium è ſpinis evulſum. c.* 2. *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 889.

ALLIGATURA, pro *Ligatura*, vel *Deligatione* ponitur in Scribon. *n.* 209. & *Alligatus* pro *Deligatus n.* 80. & 209.

ALLOCHOOS, ἀλλόχοος, *alienus*, aliena loquens. Dicitur de iis, qui deliri nec mente, nec verbis ſibi conſtant. Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 90. quamvis in Græco textu Linden. παλλογόοι poſuerit; in Latino vero aliena loquentes, retinuerit, cum tamen παλλογόοι, *ſalivatores* potius ſignificet.

ALLOCHROEO, ἀλλοχροέω, i. e. *colorem muto*, alium atque alium colorem induo. Legitur apud Hipp. *l. de int. affect. XXXIIX.* 4. Foëſ. *Oec. p.* 31.

ALLODEMIA, ἀλλοδημία, *peregrinationem* ſignificat, apud Hipp *l. de int. aff. Li.* 32. quamvis videatur mendum, & legendum potius ἀπυδημία, Foëſ. *Oec. p.* 30.

ALLOEOSIS, ἀλλοίωσις, & *Alloeoticos*, ἀλλοιωτικὸς. Vide *Alteratio* & *Alterantia*.

ALLOEOTROPEO, ἀλλοιοτροπέω, ſignificat *varie immutor*. Hipp. *d. l. XL.* 4. Foëſ. *d. l.*

ALLOGNOEO, ἀλλογνοέω, idem, quod παραφρονέω, *deliro*. Gal. *in Exp. voc. Hippocr.*

ALMA, id eſt, *Aqua* Rul. & Iohnſ.

ALMABRI, dicitur *Lapis Ambræ ſimilis*. Ruland.

ALMAGER, idem, quod *Synopida*. De quo inferius. Rul.

ALMAGRA, eſt *Bolum rubrum*, *Laton*, *Terra rubra* & *lapis ipſe*, vel idem eſt *Almagra*, quod *lotum*, vel *lotio*. Rul. Iohnſ. Legitur & de *Sulphure albo* in negotio Lapid. Phil. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 729.

ALMAKANDA, *Almakiſt*, id eſt, *Lithargyrium*. Rul. & Iohnſ.

ALMARCAT, id eſt *ſcoria auri*. Iidem.

ALMARGEN, *Almargor*, id eſt, *Corallium*. Iidem.

ALMARIAB, *Almarchaz*, etiam *Lithargyrium*. Iidem.

ALMARKASITA, i. e. *Mercurius*. Iid.

ALMARTAK, id eſt *Lithargyrinus cinis*. Iidem.

ALMATATICA, i. e. *Metallum Cupri*. Ruland. & Iohnſ.

ALMECHASITE, i. e. *Cuprum*. Iid.

ALMELILETU, Avicennæ dicitur calor quidam p. n. febrili remiſſior, qui etiam poſt febrem remanere poteſt, de quo vocabulo prolixius diſſeruit P. m. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 138.

ALMENE, id eſt, *Sal lucidum*, vel *gemmæ*. Rul. & Iohnſ.

ALMETAT, i. e. *Scoria auri*. Rul.

ALMISADIR, i. e. *Sal armoniacus præparatus*, *Amiſadir*. Rul.

ALMIZADIR, eſt *viride æris*. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Tribuitur & hoc nomen in proceſſu Lapidis Phil. Aquæ *Philoſophorum* ſive *Mercuriali*, quæ & *albumen ovi*, *aqua marina* &c. vocatur. Anonym. *l.* 3. *de Chemia in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 437.

ALNEC, id eſt, *Stannum*. Rul. & Iohnſon. Dicitur & *Allenec*.

ALOE, ἀλόη, primario nomen eſt plantæ craſſioribus foliis conſtantis, & perpetuo virentis, cujus deſcriptionem petas è Botanicis. Ex illa planta paratur ſuccus inſpiſſatus inter purgantia mitiora pertinens, cujus hiſtoriam & ſpecies, cum uſu & viribus vide apud Dioſcorid. *l.* 3. *c.* 25. Gal. *l.* 6. *de S. F.* §. *Aloë*. Freitag. *Aur. Medic. l.* 2. *c.* 5. Schröd. *l.* 4. *cl.* 4. *n* 442. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rolfink. *de purgant. ſect.* 1. *art.* 2.

ALOEDARIUM, ἀλοεδάριον, eſt medicina ad ventrem ſolvendum *aloën* recipiens, nec eam quidem ſolam, ſed plurimis aliis medicamentis admiſtam. Ejuſmodi compoſitiones multas deſcripſit Aët. ex Oribaſ. & Philagrio *l.* 3. *c.* 101. & *ſeqq.* citante Gorræo. Eſt hoc nomen à recentioribus Medicis uſurpatum. Ita Reimund. Mindererus tractatum ſuum *Aloedarii* nomine inſignivit.

ALOFEL, i.e. *pannus*, *quo vas operitur*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALOGAR, *Alohoc*, id eſt, *Argentum vivum*. Iidem.

ALOGOTROPHIA, ἀλογοτροφία, vocatur ea vitioſa partis alicujus nutritio, quæ conjuncta eſt cum illius figura vitiata, ita in Rachitide; ſi oſſa vertebrarum dorſi ab altera parte plenius alantur in infantibus, neceſſe eſt ea incurvari, quod fieri per *alogotrophiam* docet Charltonus *Exerc. X. Pathol.* §. 42. *p. m.* 200.

ALOPECIA, ἀλωπεκία, *capillorum defluvium* eſt, propter vitiatos humores ſic appellata, quod vulpibus frequenter accidat. Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. in qua locus affectus apparet ſcaber, colore prorſus exſangui, *de rem. fac. par. c.* 6. quamvis ibidem mutationem capillorum in alium colorem potius eſſe ſtatuat *Alopeciam*. Celſus *Aream* vocat *l.* 6. *c.* 4. Evenit autem pilis hoc vitii genus eadem fere cum ſtirpibus ratione, quæ corrumpuntur intereuntque interdum penuria nutrientis ipſas ſucci, interdum immutatione hujus in alienum contrarium, *d. l.* Sola figura differt ab *Ophiaſi*, non generatione,

neratione; nec ſolutione. Utriuſque cauſſa eſt ſuccus nutritius pilorum vel deficiens, vel vitioſus, acris, malignus, & poſtulat eandem ſui remotionem, aut correctionem.

ALOPEX, ἀλώπηξ, vide *Vulpes*. *Muſculos Pſoas* etiam à quibuſdam dici ἀλώπεκες, ſcribit Veſal. *de H. C. F. l.* 2. *c.* 38. & Fallop. *in Obſ. Anat. Tom. I. p.* 390.

ALOS, *Aloſanthi* pro *Halos*, & *Haloſanthos*, dicitur *Sal & Flos ſalis*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALOSA, θρίσσα, φρίσσα, *Clupea*, piſcis marinus eſt, ad oſtia tamen fluviorum pinguior & melior, alias inter cibos mediocriter bonos pertinens. Aldrov.*l.*4. *de piſc.c.*4. Jul. Alexandr.*l.*14.*Sal.c.*10.Bruyerin. *de re cibar.l.*22.*c.*19.

ALPHESERA, vide *Alfeſera*.

ALPHITIDON, ἀλφιτιδὸν, ſcil. κάταγμα, dicitur *fractura*, quando os in multas tenues particulas farinæ inſtar comminuitur, qua ſimilitudine ei nomen inditum eſt. Poteſt & vocari *farinatim fractum os*. Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 50. Dicitur & καρυηδὸν, *fractura inſtar nucis fractæ*. Gorr.

ALPHITON, ἄλφιτον, *Polenta* dicitur, & in genere ſignificat quamlibet *farinam*; Hippocr. tamen reſtrinxit ad *hordei toſti* ſive fricti *farinam*, *l.* 2. *de Diæt. VIII.* 24. quamvis ex aliis locis conſtet, illum quoque frumentorum granis applicaſſe v. g. triticeæ polentæ. *l.* 1. *de morb. mul. CXII.* 3. *l.* 2. *VI.* 19. *l. de nat.mul.XLV.*6. item ervi, lentiumque torrefactarum ἄλφιτα leguntur, *l. de int. aff. XXV.* 37. Vide Foëſ. *p.* 34. & Gal. *in Lex. Hipp.*

ALPHUS, ἀλφὸς, Lat. *Vitiligo*, vel generaliter accipitur pro macula cutanea ſubaſpera ſive alba, & *Leuce* dicitur, non tamen continua, ſed veluti guttulæ quædam diſperſæ apparent, ſive nigra, quam Celſ. *l.* 5. *c.* 28. *Melanen* vocat: vel ſtricte, quando ſolum albam maculam denotat, ut eſt apud Celſ. *d. l.* Unde Feſtus ἀλφὸν quaſi *Album* dictum vult. *Alphos* ex humorum vitioſitate maligna, quæ in cute eſt, oriri, quemadmodum & de *Lepra* planum eſt, docet Gal. *com.* 3. *de humor.* Nimirum portiones ſanguinis impuri, aquei, aut atrabiliarii, maligne corrupti ſeroſæ, vel lymphaticæ, diverſimode corruptæ, congelatæ, aceſcentes, & ſub cute ſtagnantes hujuſmodi maculas gignere poterunt.

ALRAMUTI, id eſt, *Cineritium*. Rul.

ALRATICA eſt, quando vulva mulieris non eſt perforata, aut eſt foramen parvum, & quidem vel naturaliter, vel accidentaliter. Albucaſ. *l.* 2. *meth. med. c.* 72. *p. m.* 119. Vide *Atreti*.

ALSAMACH, vel *Alſemach*, eſt Arabibus foramen in oſſe petroſo, uti notavit ex Jacobo de Partibus & Andrea Bellunenſi Æmil. Pariſan. *l.* 11. *de Subtilit. Exerc.* 1. *c.* 1. *p.* 449.

ALSECH, id eſt, *Alumen Jameni*, ſive *plumoſum*. Rul. Iohnſ.

ALSELAT, i. e. *Æs uſtum*. Ruland.

ALSIRACOSTUM eſt nomen compoſiti medicamenti in febribus multæ caliditatis valde laudati apud Meſuen *in Operib. f.* 113. à Siracoſt quod Manniam Arabib. ſignificat.

ALSUS, *Alſioſus*, κρυώδης, i. e. frigidus. Prius legitur apud Ciceronem, poſterius apud Plin. *H. N. l. XX. c.* 13. ubi ruta cruda in cibo illis commendatur. Vitioſe autem in Indice Alphioſus legitur.

ALTAMBUS, i. e. *Lapis rubeus*, ſcil. ſanguis venarum hominum. Rul.

ALTANUS, nomen venti meridionalis, vel partim è meridiana, partim occidentali plaga ſpirantis. Rul.

ALTARIS, i. e. *Argentum vivum*. Dicitur & *Antarit*. Rul. Iohnſ.

ALTERANS, ἀλλοιωτικὸς, epitheton virtutis medicamentoſæ, quando remedia vel auxilia abſque manifeſta evacuatione aut etiam augmentatione mutationem aliquam evidentem in humoribus, ſpiritibus, & partibus ſolidis inducunt. Qui ad qualitates primas, dictas vulgo, caliditatem puta, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem reſtringunt vim *alterantem*, præter neceſſitatem limites *alterantium* reſtringunt. Junge his *Dogmata noſtra M. G. P. VI. c.* 2. *d.* 8. *p.* 706. *ſeqq.* ubi etiam Catalogum *Alterantium* reperies.

ALTERATIO, ἀλλοίωσις, varias habet ſignificationes. *Generaliter* denotat *qualitatum mutationem*, h. e. in aliam naturam & à præſenti diverſam tranſitionem; in qua ſignificatione etiam evacuationes & adjectiones comprehenduntur, Linden. *S. M. Ex. XII.* §. 335. *ſeq.* *Alterationem* triplicem conſtituit haud male Fallop. Unam, quæ plane non lædit, v. g. ſi cutis alicui nigreſcit. Alteram, quæ toto genere eſt præter naturam & læſionem infert. Tertiam, quæ medio ſe habet modo, & vel ad ſtatum ſec. nat. vel p. n. referri poteſt, pro majori vel minori exceſſu. *Tr. de Tum. p. n. c.* 3. *Tom. I. p.* 620. *Stricte* vero ſignificat mutationem qualitatum contradiſtinctam ab evacuatione & appoſitione, quemadmodum p. a. de *Alterantibus* dictum eſt: *Magis* adhuc *ſtricta* eſt ſignificatio, quando per *alterationem* mutatio præſentis qualitatis in contrarium accipitur, Gal. *l.* 1. *de Temp. c.* 2. *Strictiſſime* ſumitur, quando ſignificat alimenti concoctionem, vel quæ fit in ventriculo, *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. vel quæ fit in toto corpore, uſque dum in ſimilitudinem partis, quæ nutritur, tranſmutatur, *l.*8. *de C.M.S.L.c.*6. *Alterari* quoque, ἀλλοιοῦσθαι, ab Hipp. dictum eſt de partibus ſolidis, videlicet muſculis, 2. *de artic. t* 21. Jung. Foëſ. *p.* 30. Ad *ſtrictiſſimam* quoque videtur referri poſſe *Alteratio Spagyrica*, quæ eſt unius in alterum per ſimilitudinem converſio, eſtque duplex: alia per ſe, quæ iterum duobus modis fit: uno, prout formæ in cœlum, & iſtud in formas alterantur: altero, quando formæ & cœlum ita ſimpliciter convertuntur, ut in tertium numerum iterato converti queant, ſcilicet in medicinam perfectam, & plus: Alia per accidens, quando ex imperfectis projectione fiunt medicina perfecta tranſmutatione, Dornæus *in tract. Artific. ſupernaturale*, *c.* 5. *in Th. Chym. Vol. I. pag.* 288. Idem

in Philoſ. Chymic. d. l. p. 420. 436. Specialiter mutatio argenti vivi in calcem, vel in aurum, vel in argentum, abſque miſtione, ita & auri in calcem, calcis rurſus in aurum &c. vocatur *Alteratio*, *Tract. de triplici auri & argent. præp. Vol. IV. p.* 383. Nullam *alterationem* abſque particularum concreti motu & translocatione, hinc ſecretione ac adaptatione concipere licere rectiſſime ſcripſiſſe videtur Celeb. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ.* 1. §. 2.

ALTEY *plumbi*, eſt *materia dulcis ex plumbo.* Rul. & Iohnſ.

ALTHÆNOMÆ, ἀλθαίνομαι, idem quod θεραπεύομαι, *ſanus fio*, curor. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. XXXIII.* 22. *XXXIV.* 9. adde Foëſ. *p.* 29.

ALTHANACHA, id eſt, *Auripigmentum*, *Alernet*, *Albimec*, idem Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ALTHEXIS, quibuſdam *Althaxis*, ἄλθεξις, ἄλθαξις, *ſanationem*, medelam ſignificat, à verbo ἀλθεῖν, *ſanare*, mederi, aut etiam ἀλθίσκειν. Nomine uſus eſt Hippocr. 2. *de artic. t.* 37. ubi quædam exemplaria habent ἄλθιλξις, & 2. *de fract. t.* 12. in quo loco & verbum compoſitum ξυναλθέσσομαι, h. e. *una ſanus fio*, occurrit. Verbum ἀλθίσκειν legitur *l.* 2. *de morb. XXXIV.* 28. 34. Foëſ. *p.* 30. & Erotianus in ἰναλθία ubi ἄλθεσις ἡ ἴασις καὶ ἡ θεραπεία. conf. id ἀλθεσθαι.

ALTIMAR, eſt *æs uſtum.* Rul. & Iohnſon.

ALTIMIO, eſt *fex plumbi.* Iid.

ALTINCAR, dicitur ſpecies ſalis *factitii*, ad purganda fundendaque metalla, cujus præparationem diverſam vide apud Libav. *S. Ch. Arc. l.* 8. *c.* 38.

ALTINGAT, eſt *flos æris*, vel viride æris. Rul. & Iohnſ.

ALTINURAUM, eſt *vitriolum.* Iid.

ALTOLIZOIM, vocatur apud Helmont. *Lutum Paracelſi* (de quo infra ſuo loco) optime contuſum, calcinatum, & uſque in olei formam bullitum, quod *Fel terræ* etiam vocatur, quia eſt *Sal amarum.* Sonat vero all tho oli geſotten / h. e. *totum converſum in oleum*, per ebullitionem. Quæ luti eminentiſſima præparatio paucis mortalium ſub brevi hoc ſyrmate innotuit hactenus, Helm *de lithiaſ. c.* 7. *n.* 22.

ALTRIX, idem, quod *Nutrix*, vel *Nutritiva* dicitur facultas, Gr. θρεπτικὴ δύναμις. Appellatur alias *Anima vegetativa*, & Platoni dicitur *Appetitrix*, Gal. *comm.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 5.

ALTUS, ὑψηλός, quid proprie ſignificet, aliunde notum eſt. Tropice dicitur de ſomno nimio, v. g. *Altus ſomnus*, *Altus ſopor*, apud Seren. Samonic. vide Keuch. *in not. p.* 282. *ſeq.*

ALUDEL, vel *Alutel*, vocatur *Vitrum ſublimatorium*, Rul. & Iohnſ. Meminit etiam Paracelſ. *l.* 5. *de mort. rer. nat.* Parari poteſt etiam fictile. *Aludel* eſt capitellum duplicatum, imo & quadruplicatum. Morley *Collect. Chym. Leid. proleg. c.* 2.

ALUDIT, id eſt, *Mercurius.* Rul. & Iohnſ.

ALVEARIUM vocatur cavitas illa juxta meatum auditorium, ubi ſordes flavæ & amaræ, quæ Cerumen vocantur, gignuntur. Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 9.

ALVECH, eſt *Jovis*, h. e. *ſtanni*, *corpus purum.* Iid.

ALVEOLI, Vide *Bothria. Phathnia.*

ALVEUS tropice vocatur Pequeto uterque ramus lacteus tumidior à receptaculo chyli proveniens ſub diaphragmate, cum epitheto *Ampullaſcens.* Barthol. *libell. I. Anat. c.* 3. *appendic.* 2. *p.* 615.

ALUFIR, eſt *rubedo.* Rul. & Iohnſ.

ALUMBOTI, id eſt, *plumbum uſtum.* Iid.

ALUMEN, στυπτηρία, à vehementer adſtringendo ita dictum, Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2. eſt ſalſugo terræ naturæ Saturninæ, conſtans ex acido ſpiritu & Sale terreſtri, Fr. Hofm. *Clav. Schröd. l.* 3. *c.* 24. §. 58. Junge Doxoſcopiam Phyſicam Iungii *cap. de Alumine.* Galenus numerat ſeqq. ſpecies: *Sciſſile* vel *Fiſſile*, σχιστὴν, *Rotundum*, στρογγύλην, & *Humidum* ſive *liquidum*, ὑγρὰν, *l.* 9. *de S. Fac.* Schröder. vero quinque genera officinalia proponit: *Rupeum*, ſeu *Glaciale*, *Plumoſum*, ſive *lapidem Amiantum*, *Sciſſile*, *Saccharium* ſive *Zuccarinum*, ex rupeo mediante albumine ovi & aqua roſacea paratum. *Catinum*, quamvis hoc proprie non ſit *alumen*, ſed Sal ex cineribus lignorum quorundam extractum. Vim habet adſtringendi & exiccandi potentem. Dicitur etiam omnia vegetabilia præcipitare. Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 90. Rulandus vero multo plures recenſet ſpecies & differentias aluminis, quas omnes huc adducere non videtur operæ pretium. Mentio quoque ſæpe fit *Aluminis* in *Voluminibus Theatri Chymici*, præſertim *Aluminis Iameni*, cujus præparatio proponitur *Vol. III. p.* 95. Eſt vero *alumen ſciſſum.* Rul. A Chymycis notatur charactere literæ O. *Alumen uſtum*, στυπτηρία κεκαυμένη, Chirurgis notiſſimum, uſitatiſſimumque in excreſcentiis vulnerum abſumendis. Laudat & Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 6. *Aluminis Chalcitidis*, *Ægyptii*, & *Melini* etiam meminit idem alibi, quæ loca vide apud Foëſ. *Oec. pag.* 592. Galenus *exeg.* στυπτηρίην χαλκῖτιν ſimpliciter dici pro chalcitide monet. Plura quoque de *Alumine* legantur in Ferrante Imperato *Hiſt. Nat. l.* 13. *cap.* 19. *ſeqq.*

ALUNIBUR, id eſt, *Luna.* Rul. & Iohnſ.

ALUNSEL, i. e. *ſtilla.* Iid.

ALUSAR, eſt *Manna.* Iidem, ut & Dornæus.

ALUSEN, i. e. *Sulphurata.* Iid.

ALUSIA, ἀλουσία, h. e. *Illotio* ſive *Lotionis defectus*, Gal. 2. *aph.* 50.

ALUTA, σκύτος, in genere omne *corium* ſignificat, juxta Heſychium. Unde & opifices, qui id præparant, *Alutarii* vocantur. In foro Medico vocatur *Aluta* illud *Corium*, quo utuntur Medici & Chirurgi ad emplaſtra illinenda. Ejus exterior pars durior & denſior, interior vero mollior, quæ Hippocrati *Caro alutæ*, ἡ σὰρξ τοῦ σκύτεος, dicitur, 2. *de artic. t.* 29. vide Gal. *in com. Scribon. n.* 81. Rhod. *in not. ad h. l.* de Græco vocab. σκύτος, vide Foëſ. *Oec. p.* 575. *ſeqq.*

ALVUS,

ALVUS, ἡ κάτω κοιλία, dicitur *venter inferior*, per quem fecum & excrementorum craſſiorum naturalis fit excretio. Hæc interdum in latitudine ſanitatis, & in ſtatu præternaturali excedit, interdum etiam deficit. Ilia dicitur *Alvus liquida*, κοιλία ὑγρὴ, in qua liquida dejiciuntur, Gal. *c.* 2. *in* 1. *prorrh. t.* 3. Huic opponitur *Alvus dura*, σκληρὰ κοιλία, 3. *aph.*25. quando pauca eaque indurata Gr. σκύβαλα dicta excernuntur. *Alvus fluida*, vel *fluxa*, citatior vel cita, κοιλία ὑγροτέρα, quando liquidæ dejectiones ſunt frequentiores: quo pertinent *Lienteria*, *Diarrhœa*. *Alvus adſtricta*, ἐπισχεθεῖσα, quando exceſſive ſiſtitur & reſtat, nimiumque retinentur excrementa, *c.* 2. *in l.* 1. *Epid. t.* 75.

ALYCE, ἀλύκη, *Alyſis*, ἄλυσις, ἀλυσμὸς, ἄλυξις, idem ſignificant. Derivatur à verbo ἀλύζειν, ἀλυκτέειν, *angi*, *anxietate vexari*. Nomina igitur illa denotant *anxietatem*, & *corporis inquietudinem* propter anxietatem, cum à fervente & corpus inæquabiliter commovente materia primis in venis vellicatur ſtomachus, adeoque natura exagitatur, ut præſentem rerum ſtatum faſtidiat, ſubindeque corporis figuram mutet, membraque diſſolute admodum diſpergat, Foëſ. *in not. ad Hipp. l. Epid. p.* 1056. *ſeq. Oecon. p.* 33. Dieterich. *Iatr. n.* 44. Inter recentiores egregie *Anxietatum* cordis & præcordiorum deſcripſit generationem Franciſc. de le Boe Sylvius *Pr. Med. l.* 1. *c* 34. §. 87. *Anxietas* cordis & præcordiorum partim mali focum abdomen, parteſque in tenue inteſtinum ſeſe exonerantes, ac imprimis pancreas, partim mali fomitem manifeſtat. Humorem non tantum acidum, qui dolores lancinantes, rodenteſve, aut perterebrantes parit, ſed inſuper glutinoſum, qui partibus omnibus firmiter adhærens ab iiſdem recedit lentius, ac difficilius, ac proinde urget pertinacius: quin à bile oppreſſa in halitus, flatuſque viſcoſos, lentoſque diductus notatam auget *anxietatem*.

ALYPIAS eſt purgans bilis atræ & ſpecies Turbith. Fallop. *l. de purg. ſimpl. c.* 25. *Tom. I. p.* 100. quamvis idem notaverit apud Galen. medicamentum ἄλυπον eſſe ſaltem leniter ſubducens, ſive minorativum, *d. l. c.*16. *p.* 62.

ALZEGI, i. e. *Atramentum*. Rul. & Iohnſ.

ALZEMAFOR, i. e. *Cinabrium*. Iidem.

ALZILAT, eſt *pondus trium granorum*. Iidem.

ALZIMAR, eſt *Viride*. Ruland.

ALZOFAR, i. e. *æs uſtum*. Rul. & Iohnſ.

AMALDYNO, ἀμαλδύνω, & ἀμαλδύνομαι, ſignificat *corrumpo*, deleo, aboleor, & corrumpor. Activum legitur apud Hipp. *l. de nat. puer. IX.* 16. Paſſivum *lib. de genit. III.* 1. *l.* 1. *de morb. mul. XV.* 13. *XIIX.* 4. *lib.* 1. *LXXIIX.* vide Foëſ. *p.* 35. Herodianus paulo aliter.

AMALGAMA, *Amalgamatio*, eſt *calcinatio* vel impaſtatio metallorum facta *per hydrargyrum*, ſive argentum vivum. Rul. *in Lex.Chym.* Iohnſ. Schröder. *l.* 1. *c.* 3. & Frid. Hofm. *in clav. ad h. l.* Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 3. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ.* §.11. *ſeqq.* D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.*4.*c.*5.*p.*52. & noviſſime videatur D. Iunken *Lexicon Chymico-Pharmaceuticum Part. I. p.* 17. *ſeq.* Amalgama Argenti, Auri ex methodo le Febvre. Hujus laboris quoque ſæpe mentio fit *in Th. Chym. Voluminibus* pene omnibus. Fallop. dicit *Amalgama* eſſe quoque Mixturam Aquarum fontium (an leg. fortium) cum metallis *tr. de morb. Gall. c.* 26. *T.* 1. *p.* 731. *Amalgama* dici quaſi *Hamalgama*, juxta Palmarium, ab ἅμα, *ſimul* & ἀλγεῖν *dolere*, vel γαμεῖν, *nubere*, vel μαλάττειν, *mollire*, teſtatur Libav. *de Igne nat. c.* 30. Dividitur in vulgare Auri cum argento vivo vulgari, & Philoſophicum cum Mercurio Philoſophorum. *Ibid.* Alias & ſolutionem Martis cum Sulphure *Almagamationem* appellare non dubitavit Schröder. *d. l. p.*27. unde & Lagneus *Amalgama* in genere dixit *Mollificationem*, in *Harmon. Chymic. in Th. Chymic. Vol. IV. p.* 729.

AMANDINUS *lapis*, eſt gemma coloris varii. Extinguit omnia venena, & reprimit; quare non eſt gemma contemnenda. De qua conſule Albertum. Rul. *in Lex.*

AMARACINON, ἀμαράκινον, vocatur unguentum præſtantiſſimum, paratum ex oleo & aromaticis variis, ita dictum ab *amaraco*, ἀμαράκῳ, quod idem eſt, ac σάμψυχον, vulgo *Majorana*. Deſcriptio habetur apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 68. Gorr.

AMARUM, πικρὸν, dicitur ſecund. Gal. *l.* 4. *de S.Fac. c.* 19. 22. & aliquoties alibi, quod calidam habet facultatem & ſiccam, & cineri eſt ſimile. Generari quoque credit omnia *Amara* ex calefactis dulcibus, ſive à calore ingenito, ſive ab igne, quod tamen non videtur veritati conſonum. Secundum recentiores *Amari* natura conſiſtit in ſalinis portionibus, lixivioſis, & alcalicis, per ſulphureas vel oleoſas determinatis, & modo ſaltem affectionis aliquo ab *Acri* differt. Pechlin. *de purg. c.*16. Willis *de ferment. c.* 2. *Amarum* oriri ex miſtura ſpirituoſarum, ſulphurearum, & ſalinarum portionum exiſtimat, id quod de quibuſdam, non vero de omnibus *amaris* concedi poterit.

AMARYGÆ, ἀμαρυγαὶ, hoc nomine quidam *oculos*, quidam vero *ſupercilia* intelligunt. Gorr.

AMATORIA *febris*, vide *Chloroſis*.

AMATORIA *veneficia*, vide *Philtron*.

AMATORIUS muſculus qui dicatur in utroque oculo, videantur Anatomici. Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 8. *G.* Bidloo. *Tab. XI. fig.* 10. *E.*

AMAUROSIS, ἀμαύρωσις (qs. d. *Obſcuritatem*) *Obfuſcatio*, eſt totius lucis in oculo impedimentum, acutis morbis accidens, quæ eſt imbecillis facultatis animalis indicium, Galen. *c.* 2. *in l.* 1. *prorrh. t.* 11. Clarius *Amauroſis* eſt, cum oculi lux extinguitur defectu ſpirituum. Spiritu non influente ceſſat calor quoque. Hujus defectu neceſſario frigent & rigent oculi. Linden. *Ex. IV.* §.92. Nullum vero manifeſtum in oculo apparet vitium, ſed pupilla integra & plane pura conſpicitur. Differt ab ἀμβλυωπία, ſolo gradu minore, Gorr. Hippocr. aliquoties

quoties meminit ἀμαυρώσεως, v. g. *c.* 3. *l.* 1. *prorrh. t.* 20. *Coac. t.* 225. *&* 485. Plura loca vide apud Foëſ. *Oec. p.* 26.

AMAUSUM, alias *Smaltum*, vulgo Schmeltzglaſs/ eſt vitrum fuſorium ob facilem liquefactionem. Uſurpatur etiam ad picturas annulis & inſignibus inurendas. Unde *Encauſtum* appellatur. Alias quoque *Terra Sarracenica* nuncupatur, Joh. Iſaac. *de operibus mineral. c.* 89. *& ſeqq.* qui metallica potiſſimum vitra per *amauſa* intelligit, *in Theatr. Chym. Vol. III.* Clarius *Amauſa* deſcribuntur à Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 21. Variis coloribus prædita eſſe *Amauſa*, pro varietate materiæ, ex qua fiunt, prolixe *ibid.* videre eſt. De *Amauſis* legi etiam ex recentioribus poterit Chr. Merretus *not. ad Neri Art. Vitrar. l.* 5. *c.* 75. *p. m.* 372. *ſeqq.*

AMAZONIOS, ἀμαζόνιος, epitheton *paſtilli* vel *trochiſci*, cujus deſcriptio videatur apud Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3. Gorr. Facit ad ſtomachi ſubverſiones & vomitus.

AMBAR, *Ambarum*, communiter *Ambra*, ἄμβαρ, *Ambraca* Fallop. eſt odoramenti genus, de quo variæ ſunt ſententiæ. Alii tradunt, in maris profundo veluti fungum, concreſcere, & procellis in littus ejici, aut devorari à piſce quodam, in cujus corpore poſtea reperitur. Alii putant, ipſum è fontibus quibuſdam ſcaturire, bituminis modo aut ſulphuris. Tria ejus produntur genera, *fulvum*, *ſubalbidum*, *atrum*. Calefacit & ſiccat cerebrum & olfactum roborat; ſenibus & natura frigidis opem mirifice præſtat. Hæc Gorr. Schröderus poſteriori ſententiæ accedens dixit, eſſe bituminis genus, ex fontibus & alveis maris ad littus eructatum, & duplex ſtatuit: unum *Ambra Gryſea* vocatur valde odorata; alterum *Citrinum*, quod *Succinum* conſtituit. *Sperma Ceti* quoque *Ambræ ſubalbidæ* nomine quandoque venire, docet *l.* 3. *Pharm. c.* 29. Junge Hofm. *in Clav. ad h. l.* item C. Hofm. *Paralip. Off. c.* 64. 65. D. Juſtum Klobium in Acad. Wittebergenſi octodecim opiniones de *Ambra Gryſea* recenſuiſſe, & tandem eam, quamvis hæſitabundum, amplexum eſſe, quæ ſtatuit, eam eſſe *Merdam Avis Indicæ* in Madagaſcar, *Aſchibobuch* dictæ (licet & alteri faverit, quæ tradit, *Merdam* eſſe *Balænarum* quarundam Trompæ dictarum) legitur *in Actis Philoſophicis* Oldemburgii Angli Anni 1667. menſ. Octobr.

AMBE, ἄμβη, *crepido*, lignum aliquod ſupra gradum ſcalæ Hippocraticæ, ad repoſitionem brachii in cavitatem alligandum, Galen. *c.* 1. *de art. t.* 14. 19. Ejus deſcriptionem & delineationem tradidit etiam Scultetus *Arm. Chirurg. Part.* 1. *Tab. XXIV. fig.* 1. *&* 2. Quin & in genere ſuperciliofam eminentiam, quæ eſt in ora alicujus vel ambitu, ſignificat, unde & ad oſſa per ſimilitudinem refertur ab Hippocr. 4. *de artic. t.* 64. Vide Foëſ. *Oecon. p.* 37.

AMBIDEXTER, ἀμφιδέξιος, dicitur is, qui ſiniſtra, perinde ut dextra, utitur. Hæc felicitas denegatur mulieribus ab Hipp. 7. *aph.* 43. ob caloris nativi infirmitatem, videl. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, vide Foëſ. *p.* 42. Diet. *Iatr. n.* 50. Alias & ferrum utrinque incidens *Ambidextrum* ab Euripide dictum eſſe, teſtatur Gal. *in Comm. ad h. l.* Conf. omnino Erotianus.

AMBLOSIS, *Ambloma*, *Amblotica medicamenta*, ἄμβλωσις, ἄμβλωμα, ἀμβλωτικὰ, vide *Abortus.*

AMBLYOPIA, ἀμβλυωπία, ἀμβλυωγμὸς, ἀμβλυωσμὸς, idem fere quod ἀμαύρωσις, hoc eſt, *Hebetudo oculorum.* Vide *Amauroſis.* Perperam à Matth. Sylvatico, ob ignorantiam Græcæ Linguæ, mutatum in *Ampliopeam*, aut *Ampliopiam*, Dieterich. *n.* 48.

AMBON, ἄμβων, eſt margo, labrum, ſive ſupercilium cotilarum & cavitatum in dearticulatione, Galen. *l.* 2. *de V. P. c.* 17. Item crepido, & ita idem, quod ἄμβη, *Ambe*, *c.* 1. *de artic. t.* 19. Adde Foëſ. *p.* 37. varias & longe diverſas ſignificationes adducit Erotianus.

AMBRA, vide *Ambar.*

AMBROSIA, ἀμβροσία, eſt epitheton quoddam ſplendidum nonnullarum Compoſitionum Alexipharmacarum, ſive Theriacalium, idem ſignificans, quod *Athanaſia*, ἀθανασία, veluti immortalitatem promovens. Meminit illius Gal. *l.* 4. *de L. A. c.* 8. Ita & in ſpecie Philippi Macedonis Antidotus ad venena omniumque venenoſorum ictus & internos corporis morbos dicta fuit *Athanaſia*, *l.* 2. *de Antidot. c.* 8. Sunt vero omnes calefacientes & exiccantes, *l.* 8. *M. M. c.* 7. *Ambroſia* eſt etiam nomen plantæ, apud Dioſcor. *l.* 3. *c.* 129. & Gal. *l.* 6. *de S. F. h. t.* & tribuitur diverſis verb. gr. Tanaceto, Abrotano, Artemiſiæ, Botryi, de quo vide Bauhin. *in Pinace.* Abraham Frambeſarius integrum libellum medicum ſcripſit, vocans *Ambroſiopœam*, qui ſtatim ab initio *Ambroſiam* definivit, quod ſit pura medicamenti eſſentia, naturæ cæleſtis æmula ſpiritus inſtar è corporea concretione, relicto craſſamento elementari extracta, tantaque elaborata induſtria, ut exigua mole plurimum polleat, citraque faſtidium, & citra noxam exhiberi queat. Diviſit quoque in *Univerſalem* & *Particularem* &c.

AMBULATIO, βάδισις, eſt actio utriuſque cruris, quæ ab homine fit, altero quidem in terra firmato, altero vero circumlato, & ita perficitur per firmationem & motum. Illius inſtrumenta ſunt Pedes; hujus autem totum Crus, Galen. *l.* 3. *de V. P. c.* 5. Ejus conſideratio in ſtatu ſec. & præt. nat. Medico neceſſaria eſt & utilis, *Ambulatoria inſtrumenta* quoque vocantur *Pedes*, βαδιστικὰ ὄργανα. *d. l. c.* 8.

AMBULO, nomen morbi cum epitheto *flatulentus* & *furioſus*, qui & *Flatus furioſus* vocatur, item *Vareni*, eſtque inflatio cum dolore varie periodica à vaporibus ſubtiliſſimis vehementiſſime in variis corporis partibus oberrantibus oborta, quemadmodum ita deſcribitur & peculiari caſu proponitur à D. D. Joh. Michaelis *Prax. Clinic. Special. Caſ. XIX.*

AMBUSTA, *Ambuſtiones*, πυρίκαυστα, κατακαύματα, idem, quod *Combuſta*. *Combuſtiones* ſunt, quæ igne, vel ardente

ardente aqua comburuntur, ita, ut bullas aliquando excitent, Galen. *l. 9. & 11. de S. F.* Conſtat autem, ſi quis in aqua ferventi uſtus fuerit, hunc etiam affectum πυρίκαυστον (non *Piricauton*, uti recte correxit C. Hofm.) id eſt, *ambuſtum* igne nominari, *l. 1. de C. M. P. G. c. 4.* vide etiam Keuchen *in not. ad Samon. p. 254.*

AMEIBO, ἀμείβω, ſignificat apud Hippocr. *muto*, permuto, *1. de iis, q. in med f. t. 17. & l. 6. Epid. ſ. 5. t. 19.* ubi quidam μεταμείβειν legunt. Foëſ. *p. 38.*

AMENENOS, ἀμενηνὸς, denotat *debile*, *infirmum*, ab α & μένος, *robur*, Hippocr. *l. 2. Prorrhet. XXXVI. 13. & l. 1. de morb. mul. XIV. 12.* Foëſ. *dict. l.*

AMENTIA, ἄνοια, idem, quod *Mentis alienatio*, *emotio*, *aberratio*. Dicitur & *Dementia*, eſtque delirii ſpecies, & ratiocinatricis functionis veluti paralyſis & abolitio, Galen. *lib. de diff. ſympt. c. 3.* Cujus cauſſam veram determinare difficillimum eſt, ſi nullus morbus corporis concurrerit, ideo, quod mentis humanæ naturam & affectiones minus exploratas habeamus, ita, ut unicuique cum Cicerone I. *Tuſcul.* roganti: Ubi, aut qualis eſt Mens. Ubi tua, aut qualis? poteſne dicere? reſpondere cum Lactantio *l. de opif. c. 16.* liceat, Mentis rationem incomprehenſibilem eſſe quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet, cum ipſa Mens quo loco ſit aut cujuſmodi, neſciatur? Jung. Charlton. *Ex. Path. VIII. §. 3.* Vide *Delirium.*

AMENTUM, vide *Ancyle*. *Amentum* etiam Græcis χείνιον dici, & denotare ligamentum miſſile, quod in medio lanceæ ligatur, rectius miſſilis & alias habere ſignificationes, quæ huc non pertinent, ſcribit Rhodius *de Acia p. 201.* *Amentum* quoque dicitur *Alumen ſciſſum*. Rul. *in Lex.*

AMETHODICUM, ἀμεθοδικὸν, dicitur, quod ſine methodo & ratione certa ſit aut proponitur, ut ſolent Empirici. Blancard. *in Lex.* quamvis non conſtet, cujus autoritate hoc vocabulum poſuerit.

AMETHYSTA, ἀμέθυστα, dicuntur in genere *medicamenta*, *quæ ab ebrietate præſervant*, Galen. *lib. 2. de C. M. S. L. c. 1.* Nonus *de part. morb. curat. c. 15. p. m. 19.* Hinc etiam dictus *Amethyſtus lapis*, ἀμέθυστος, gemma vel lapis pretioſus, coloris violacei, aut vini ſubrubri vel nigri aqua diluti, cujus quidem nobilioris patria eſt India; viliorum vero Arabia, Ægyptus, Galatia &c. quin & Bohemia. Non immerito vero virtus hæc ebrietati reſiſtendi in hoc lapide fictitia habetur à Plutarcho, item veneficiis, malisque cogitationibus. Confer. ad Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. III. p. 189. ſeqq.* Rul. *in Lexic. Chym.*

AMETRIA, ἀμετρία, Latine *Immoderantia*, *Immoderatio*, in genere eſt à juſta temperie receſſus, Galen. *lib. 4. M. M. c. 4.* opponitur ſymmetriæ. Hoc vocabulum verum genus logicum conſtituere in definitione morbi C. Hofman. *in Animadverſ. ad Montan. cap. 1. §. 8.* cenſet, definiens morbum, quod ſit ἀμετρία temperamenti, organiſationis & unitatis. Enimvero cum hoc genus non reſpiciat ad effectum immediatum morborum, videlicet actiones læſas, mihi non videtur adeo accuratum, ſed potius retinendum eſſe genus ἀδυναμίαν, ſive *Impotentiam agendi.*

AMIA, ἀμία, piſcis nomen eſt, in mari, fluviis, & ſtagnis degentis, commodumque præbentis ſui generis cibum, ſi rite paratus fuerit, de quo vide Aldrov. *l. 3. de Piſcib. c. 20.*

AMIANTUS, ἀμίαντος, (perperam à nonnullis per th vel θ ſcribitur) lapis eſt in Cypro natus, alumini ſciſſili ſimilis, è quo elaborato, utpote flexili, telas ſpectaculi gratia texunt, quæ ignibus injectæ ardent quidem, ſed flammis invictæ ſplendidiores exeunt, Dioſc. *l. 5. cap. 156.* Dicitur alias *Alumen plumoſum*, item *Lapis Asbeſtus*, ἄσβεστος. Differt ab Alumine ſciſſili, quod hoc ſit combuſtibile. De hoc Lapide vide Schrod. *lib. 3. cap. 8.* Hofmann. *in clav. ad h. l.* Dorn. Ruland. Iohnſon. *in Lexic.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. III. p. 286. ſeqq.* Mentio quoque telarum paratarum à Venetis ſit *in Theatr. Chym. Vol. V. p. 391.* Perperam vero illud linum vel *Lapidem Asbeſtum* hodieque reperiri negarunt Monardes & Amatus, uti recte oſtendit ex Joh. Brabo, Mizaldo, Langio *l. 1. ep. 66.* & Vl. Aldrovando Caſp. Reies *Camp. Elyſ. quæſt. 25. n. 2. & 11.* Vocatur & *Salamander* & *Salamandra*. Dorn. Rul.

AMICULUM, vide *Amnios*. *Amniculum* etiam dicitur ſolis virilibus deſtinatum, quo pueri nudi in Gymnaſio certantes pudenda operiebant, notante Rhodio *Diſſert. de Acia p. 85.*

AMIDUM, pro *Amilum*, vel *Amylum*, eſt albiſſima farina concreta in panes ad ſolem. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AMINÆUS, ἀμίναιος, epitheton vini & vitis, ab *Aminæo*, Italiæ oppido, dictum in Campania. Duplex habetur apud Galenum *l. 12. M. M. c. 4.* videlicet *Aminæum Neapolitanum*, & *Aminæum Siculum*. Eſt & *Aminæum* factitium apud Conſtantin. Cæſar. *l. de Agricult. 8. c. 21.* notante Gorr. Adde Keuchen. *not. ad Sam. p. 204. ſeq.*

AMMA, vide *Hamma*. In Græco enim eſt aſpiratum ἅμμα, ab ἅπτω.

AMMION, ἄμμιον, vide *Minium.*

AMMOCHOSIA, ἀμμοχωσία, vocatur remedii genus exſiccando corpori idoneum, eo ſuper arenam decumbente, & arena ſuperingeſta. Oportet autem calentiſſimam eſſe & marinam, ſi ejus copia haberi poſſit. Fluviatilis enim humectantior eſt. Eſt autem & Sal ad eam rem efficacior, quam arena. Oribaſ. *l. 10. c. 8. Collect. med.* notante Gorræo *p. 29.*

AMMOCHRYSOS, ἀμμόχρυσος vocatur lutum aureo colore præditum ad Thermas Fabarias ſive Piperinas Helvetiæ repertum. Joh. Jac. Wagner *in Hiſtor. Helvet. Curioſ. Sect. 5. art. 5. p. 337.* ubi etiam ex Hildani deſcriptione Thermarum Piperinarum nomen Aurenii addidit.

AMMO-

AMMODITES, *Ammodytes*, idem quod *Pſammodytes*, ἀμμοδύτης, ψαμμοδύτης, nomen eſt ſerpentis grandioris in arena latentis, cujus deſcriptionem cum ejus veneno, & adverſus hoc remediis, videas apud Aldrov. *l.* 1. *de ſerpent. & drac. cap.* 3.

AMMONIACUM, ἀμμωνιακὸν, dicitur 1. de *ſucco*, vel *Gummi quodam* ferulæ in Libya naſcentis, cujus duo habentur genera: Unum purius ligni & arenarum expers, maxime coloratum, thuri ſimile, minutis glebis conſtans, odore caſtorei, guſtu amaro, quod & θραυστὸν, ſive θραῦσμα vocatur, quaſi *fruſtum* aut friatura: Alterum impurius & lapidoſius, quod φύραμα, quaſi *commixtionem* appellant. De Gummi Ammoniaco vide Gorr. *p.* 29. C. Hofm. *in Officin. l.* 2. *c.* 10. Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 369. Rolfink. qui inter purgantia retulit, *tr. de purgant. ſect.* 1. *art.* 3. Deinde dicitur de *Sale*. Vide *Sal. Ammoniaca Salia* varia confici poſſe pro variis adhibitis ſpiritibus acidis notavit Morley *in Collect. Chym. Leidenſ. c.* 190.

AMMONION, ἀμμώνιον, dicitur *Collyrium* maximæ commoditatis in multis oculorum morbis, quod & alio nomine ὑγίδιον appellatur. Refertur ab Aëtio *l.* 7. inter τὰ νάρδινα καὶ τὰ θειώδη collyria, notante Gorræo *dict. l.*

AMMONIS *cornu*, vocatur *lapis*, coloris cinerei, omni armatura vacuus, & ita nodoſus, quaſi juncturis cohæreat, arietis cornu tam forma, quam colore referens. Rul. *in Lex.* ubi varias *Ammonitis* ſpecies recenſet. Talia cornua Ammonis haud raro in agro & ſolo Altdorffino & vicinis locis reperiri provoco ad teſtimonium Mauritii Hoffmanni, qui non ſolum icones Horti Medici Altdorffini delineationi addi curavit, verum etiam magnam copiam ejuſmodi lapidum collegit.

AMMONITRUM, ἀμμόνιτρον. Vide *Fritta*.

AMNA, Paracelſo dicitur *Aqua*, quæ currit per calces, & ubi terra eſt alba, ſicut eſt in Anglia, *l.* 1. *de Tartaro*, *tract.* 5. *c.* 2. *in Schol.*

AMNIOS, *Amnion*, ἄμνιος, ἄμνιον (in neutro uſurpavit Linden. *Phyſiol. Med. l.* 2. *c.* 7. §. 17.) apud Galen. *lib.* 6. *de Hippocr. & Plat. decr. c.* 6. *& de fœt. form. c.* 2. legitur ἀμνειὸς, (quod tamen correxit ſua manu C. Hofm. *in Græca Baſil. edit.*) eſt membrana interior fœtum involvens, ſive interius fœtus involucrum, unde & *Amiculum* appellatur, quod fœtum *amiciat* & obvolvat. Membrana hæc liquorem illum aqueum, cui fœtus quaſi innatat, non à ſudore fœtus, multo minus ab urina, ſed à colliquamento aqueo, partim ſeminali à conceptione redundante, partim ſucci nutritii relicto provenientem continet. Videatur Harvejus *de gener. animal. in append. tit. de Membran.* Barthol. *l.* 1. *An.* 5. *c.* 36. Jung. laud. ſupra D. D. Hofm. Jun. *Diſſert. in Horne Microcoſm. p.* 293. Vocabuli etymologiam & veram ſignificationem ſe juxta cum ignorantiſſimis neſcire, ingenue fatetur C. Hofm. *com. in l.* 15. *de V. P. n.* 1067. & ex hoc Linden. *d. l.*

AMNIS *alcaliſatus*, eſt aqua ducta per calces terrarum, ex qua deſumtum eſt *Alcali*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

AMOLYNTON, ἀμόλυντον, Cœlius Aurelian. vertit, quod attrectatum manibus nihil à ſe inquinamenti dimittit, *lib.* 2. *de morb. acut. c.* 37. Hinc *Amolynta* dicuntur, *non inquinantia medicamenta* ſimilia his, quæ proprie *Epithemata* dicuntur; Galen. *lib.* 7. *de C.M.P.G. c.* 11. ubi ad *Acopa* referuntur, de quibus ſupra dictum.

AMONGABRIEL, i. e. *Cinabrium*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

AMOR, ἔρως, quid in genere ſignificet, aliunde cognitum eſſe debet. Strictius vero in Medicina plerumque ſumitur de *Amore conjugali* vel *libidinoſo*, & refertur inter cauſſas procatarcticas ſanitatis & morborum, quatenus vel moderatus, licitus & honeſtus, vel immoderatus, illicitus & turpis fuerit, ſiquidem eſt vehementior quædam animi paſſio & perturbatio, in qua ſpiritus vitales & animales fervidiores redduntur, Charlton. *Ex. Pathol. VIII.* §. 26. Willis *An. Brut. P.* 1. *c.* 9. Ad immoderatos & illicitos potiſſimum ſpectat *Affectus Eroticus* dictus, de quo integram epiſtolam ſcripſit Lang. *l.* 1. *epiſt.* 24. quandoque cum delirio conjunctus, præſertim in ſexu fœminino, unde & *Amor inſanus* appellatur, de quo videatur Sennert. *Med. Pr. l.* 1. *P.* 2. *c.* 10. Ob *Amorem* filius regis ab Eraſiſtrato deprehenſus legitur apud Galen. *c.* 1. *in prognoſt. t.* 4. Aliud exemplum legitur de fœmina quadam *in lib. de iis, qui morbum ſimulant.*

AMORGE, ἀμόργη, vide *Amurca*.

AMPELIS, ἀμπελὶς, avis nomen eſt, quæ & *Garrulus Bohemicus* dicitur, cujus deſcriptionem vide apud Aldrovand. *lib.* 12. *Ornithol. cap.* 18. Hujus caro inter cibos gratiſſimos, & ipſo Turdo etiam præferenda refertur.

AMPELITIS, ἀμπελῖτις, vide *Pharmacitis*. Epitheton *Terræ bituminoſæ*, Gorr. *p.* 30.

AMPHARISTEROS, ἀμφαρίστερος, vide *Amphidexios*.

AMPHEMERINUS, ἀμφημερινὸς, ſcil. πυρετὸς, Lat. *Febris quotidiana*. Vide *Febris. Quotidiana*.

AMPHIBLESTROIDES, ἀμφιβληστροειδὴς, vide *Retiformis*.

AMPHIBRANCHIA, ἀμφιβράγχια, *Tonſillæ*, Hippocrati dicuntur & *partes vicinæ*, *l. de int. aff. LX.* 6. & *l. de dieb. crit. V.* 10. Vide Foeſ. *p.* 41.

AMPHICATHEZOMÆ, ἀμφικαθέζομαι, id eſt, *Circumſedeo*. Verbum exprimens modum *Inſeſſus* in Semicupium, ut decoctum circumcirca partes irriget, & mulier prorſus immergatur, Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XXX.* 10.

AMPHICAUSTIS, ἀμφίκαυστις, duplicem habere dicitur ſignificationem, 1. notat *montanum hordeum*, quod

quod & ἰνίον dicitur. Deinde *pudendum muliebre*, teſte Euſtathio. Gorr. *p.* 32.

AMPHIDEXIOS, ἀμφιδέξιος, vide *Ambidexter.* Alias è contrario aliquis etiam dici poteſt ἀμφαρίστερος, *ambilævus*, & per metaphoram de homine infauſto uſurpari quiret; alias & illos, male tamen, ἀμφιδέξιες appellari obſervat Galenus *in exegeſi*, qui in dextra uteri parte fuerunt collocati.

AMPHIDION, *Amphideon*, ἀμφίδιον, ἀμφίδεον; proprie ſignificat *armillam muliebrem*, qua vel collum, vel brachia circumdantur. Per metaphoram vero Hipp. hoc nomine indigitavit ſummam uteri oſculi extremitatem rotundam, vel oram, *lib.* 1. *de morb. mulier.* LXXXIII. 8. Plura de hoc vocabulo vide apud Foeſ. *p.* 42. Galen. *in Exeg. voc. Hippoc.* quod vero Blancard. *in Lexic.* poſuerat ἑλικοειδὴς ἐπανάστασις, in illo loco non occurrit.

AMPHIMETRION, ἀμφιμήτριον, eſt epitheton ſignorum affectus matricis ſignificantium, q. d. circa matricem. Legitur agud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 38. ubi in edit. Linden. occurrit Latina verſio: *Circa meſſem.* Foeſ. *d. l.* Conf. Galen. *in exegeſi.*

AMPHIPNEUMA, ἀμφίπνευμα, hoc eſt, *circumcirca urgens ſpiratio*, & eſt ſpecies & ſymptoma magnæ difficultatis in reſpirando, cujus meminit Hippocr. *lib.* 4. *Epid. XXIV.* 17. Foeſ. *p.* 43.

AMPHIPOLOS, ἀμφίπολος, ſignificat *pediſſequam*, vel *miniſtram*, quæ heram circumſtat, apud Hippocr. *l.* 5. *Epid. XII.* 15. Foeſ. *d. l.*

AMPHISBÆNA, ἀμφίσβαινα, nomen ſerpentis æqualis ubique craſſitiei, ita, ut duo capita in extremitate utraque habere videatur, quamvis Aldrov. illud revera defendat, qui prolixius deſcripſit, & uſum ejus varium Medicum monſtravit, *l.* 1. *Hiſt. Serp. & Drac. c.* 10.

AMPHISCELOS, ἀμφίσκελος. Meminit hujus vocis Dieterich. *Iatrei n.* 50. ſcribens, legi illam apud Duretum ad Hollerium, & eandem in pedibus habere ſignificationem, quam habet in manibus ἀμφιδέξιος, *ambidexter*, de quo p. a. Verum ut taceam carere hanc autoritate, inepta quoque eſt compoſitionis ratio in hac voce, cum emphaſis debeat eſſe in δέξιος vel ἀρίστερος, *dexter* aut *ſiniſter*, non vero in σκέλος, *crus*.

AMPHISMILA, ἀμφισμίλη (perperam *Amphiſmela*, quia in Græco eſt Iota) ab ἀμφὶ, *utrinque*, & σμίλη, *ſcalpellus*, *cultellus*, idem; quod μαχαίριον eſt, *culter Anatomicus*, utrinque acie præditus ad ſectionem, cujus inter alia inſtrumenta meminit Gal. *l.* 1. *Anat. adm. c.* 10. Caſtell.

AMPHISPHALSIS, ἀμφίσφαλσις, dicitur *circumactio*, *circumductio*, oberratio. Uſus Hippocr. de cruris circumductione, ut in ſedem ſuam revertatur 4. *de artic. tit.* 47. Foeſ. *p.* 43.

AMPHITANE, idem quod *Chryſocolla*, Fallop. *tr. de metall. ſeu foſſil. c.* 31. *Tom.* 1. *p.* 334.

AMPHODONTA, ἀμφόδοντα, dicuntur animalia, quæ in utraque maxilla dentes habent, *utrinque dentata.* Hipp. 1. *de artic. c.* 28. Foeſ. *d. l.*

AMPHORA, κεράμιον, ἀμφορεύς, fuit menſura certa liquidorum apud veteres, & quidem duplex: *Italica* continens libras LXXII. Gal. *de pond. & menſur. c.* 4. & *Attica*, quæ capacior, utpote quæ præterea *urnam* contineret, hoc eſt, dimidiam circiter *amphoram.* Hæc in ſpecie dicta Atticis μετρητής. Gorræus *p.* 32. Rhodius *de Pond. & Menſ. p.* 40. ſcribit: *Amphora* capit congios octo, vel olei libras 72, vini ℔80, mellis 180.

AMPLEXATIO, ſive *Baſiatio*, myſtice vel ſpagyrice dicitur, quando *Mercurius Philoſophorum*, ceu *mulier candida*, juncta fermento aureo, quod eſt *maritus ruber*, ſuſtinet motum & agitationem, & fit frequens reflexio halituum ſuper corpus in fundo. Libav. *Tom. II. Op. pag.* 395.

AMPOTIS, ἄμπωτις, proprie ſignificat *æſtus marini reciprocationem*, aut aquæ marinæ receſſum à littore, quaſi mare eam recedentem rebibere & abſorbere videatur. Per tranſlationem vero Hippocr. uſurpavit de *Humorum receſſu* & recurſu ad interiores partes, & ita fere coincidit cum *palindromia*, *l. de Hum. ſtatim in princ.* Gal. *c.* 1. *aph.* 2. *l.* 4. *de San. tu. c.* 10. *fin.* Vide etiam Foeſ. *p.* 40. Dieter. *n.* 226.

AMPULLA, λήκυθος, πομφόλυξ, quid proprie ſignificet, notum eſt. Per tranſlationem *Ampullas* vocavit Paræus prima delineamenta trium viſcerum, cordis, hepatis & cerebri poſt conceptionem, *l.* 23. *Chirurg. c.* 9. In Chymicis *Ampullæ* vocantur vaſa ampliora, ut Cucurbita, Pellicanus &c. Morley *in Collect. Chym. Leid. proleg. cap.* 2.

AMPULLASCENS, vide *Alveus.*

AMPUTATIO, vide *Sectio.* Valde καταχρηστικῶς & licenter uſum eſſe de virtute medicamenti Tryphera dicti Scrib. *n.* 230. teſtatur Rhod. *in Lex.*

AMULETA, περιάμματα, περίαπτα appellantur, quod de collo ſuſpendantur, aut alicui corporis parti alligentur, Gal. *l.* 1. *de rem. fac. par. c.* 1. *fin.* & ſunt medicamenta, quæ occulta quadam virtute, & mira efficacia nos latente aliquid in corpore præſtare creduntur. Helmont. *amuleta* & *periapta* appenſa agere credit vi influentiæ partim citra evaporationem illorum, partim cum ἀπορροίαις, quæ etiam ſenſim viribus minuuntur. Dividit etiam in Oſſea, Cornea, Animalia, Plantas, Lapidea, Salina, Tranſparentia & Opaca, *tr. Poteſt. medicam. n.* 61. Circa omnium illorum uſum multum vanitatis, quin & multum ſuperſtitionis concurrere, quotidiana teſtatur experientia, unde recte Gal. vocavit ἄλογα, irrationabilia, *abſurda*, rejiciens tanquam fabulas aniles hujuſmodi manganias, *l.* 6. *de S. Fac. in proxim.* quamvis aliqua fortaſſis ſint, quæ naturalibus & non plane occultis viribus operantur, propterea non prorſus rejicienda. Videatur Dieterich. *Iatr. n.* 683. Amuleta quoque in peſte propoſuit Hildan. *Epiſt.* 95.

AMURCA, ἀμόργη, dicitur *ſedimentum* vel recrementum *olivarum* expreſſarum, *ſex olei*, Hipp. 7. *aph.*45. (Gal. *in comm. ad h. l.*) *de Ulceribus* IX. 6. 7. Ejus uſus commendatus in ulceribus. Calefacit enim & exiccat in gradu ſecundo, ſecundum Gal. 6. *de S.Fac.* Vide Foëſ. *p.* 39. Gorr. *p.* 29. *& ſeqq. Amurcam* quoque appellavit renum ſuccenturiatorum humorem, credens, ſe ſcapham appellare D.Joh.Jac.Harder. *in Pæon. & Pythagor. Exercit. Anatomico-Medic. II. p.* 12.

AMYCHE, ἀμυχὴ, eſt *ſuperficiaria* & levior *continui ſolutio*, vel præternaturalis, vel artificialis. In illa ſignificatione legitur apud Hipp. *l. de int. aff. XXXV.* 7. quæ *in Coac. t.* 444. dicuntur ἀμυχώδεα ἐξανθίσματα, *ſuperficiariæ efflorеſcentiæ* cum ulcuſculis. In hac uſus eſt Gal. de inciſuris per ſcarificationem *l.* 2. *de curat. ad Glauc. cap.* 7. Vide Foëſ. *p.* 41.

AMYCTICOS, ἀμυκτικὸς, rectius, quam ἀμυκλικὸς, h. e. vim habens lacerandi, laniendi, à verbo ἀμύσσω, *dilacero*. Eſt epitheton medicamentorum illitorum corrodentium apud Joh. Tagaultium *Inſtit. Chirurg. l.* 6. *c.* 11. *p. m.* 467. Occurrit etiam apud Cæl. Aurelian. *l.* 2. *de morb. chronic. c.* 6.

AMYDROS, ἀμυδρὸς, ſignificat *obſcurum* & vix conſpicuum. Legitur apud Hipp. de aſtris uſurpans, *l. de Inſomn. IIX.* 5. Foëſ. *d. l.*

AMYGDALÆ, vide *Tonſillæ*. Botanica ſignificatio non eſt hujus loci.

AMYGDALATUM eſt lac artificiale, ſive emulſio ex amygdalis aliiſque ſeminibus albicantibus lege artis parata. Blancard. *in Lex.*

AMYLUM, ἄμυλον, ἀμύλιον, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXVI.* 3. dicitur, quod *ſine mola fiat*, ut teſtatur Dioſc. *l.* 1. *c.* 123. Foëſ. *p.* 40. Fit autem ex tritico & ſiligine, eſtque cum cibus, tum medicamentum, Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 8. & *l.* 5. *de S. Fac. c.* 34. *alibique. Amyla* in genere quoque dicuntur *Fæculæ Chymicorum*, Libav. *S. Arc. Ch. l.* 2. *c.* 1. *&* 21.

AMYON, ἄμυον, dicitur membrum *emuſculatum*, h. e. ita extenuatum, ut muſculorum delineationes non habeat ſenſui ſatis apparentes. Hipp. 3. *de artic. t.* 81. ubi jungitur ἄσαρκον, *carnis expers.* Foeſ. *d. l.*

AMYTHAONIS, *medicamentum*, ἀμυθάωνος φάρμακον, vocatur compoſitio quædam, vel ad emplaſtra, vel ad malagmata pertinens, valens ad præcordiorum tenſionem, articulos contractos convulſoſque. Digerit enim, diſcutit & extrahit. Deſcribitur apud Ægin. *lib.* 4. *c.* 32. Gorr. *p.* 31.

AN, dicitur pater Sulphur. *Anſir*, filius Mercurius. *Anſirarto*, Spiritus, Sal. Rul. & Iohnſ.

ANA, ἀνὰ eſt terminus Pharmaceuticus, quo utuntur Medici, *æqualitatem menſuræ* vel *ponderis* deſignaturi, Hipp. *l.* 1 *de morb. mul. C. I.* 44. quamvis Lind. omiſerit, Foeſ. *Oec. p.* 43. Imo *Anatica proportio* æqualitatem infert, Libav. *T. II. p.* 343. *Ana* quoque in ſecretis myſteriis Mekubalim, *Mentem* denotat, cui innatæ primæ notiones, in cujus medio ſedere dicunt *Angelum*, quem vocant *Anim*, qui rei veritatem indicat. Unde & *Ana* nomen idoli, & illis *Anani* Divinatio. Hinc quoque *Ananiſapta* vox magica, ſignificans dæmonem divinatorem, quem ſic occulte invocant, ut ferentis & ægrotantis miſereatur. Vide Keuch. *in not. ad Seren. p.* 60.

ANABASIS, ἀνάβασις, *Aſcenſus*, vel *aſcenſio*, idem eſt, quod *augmentum*, vel incrementum, ſive morbi totius, ſive particularis paroxyſmi, Gal. *l. de morb. tempor. c.* 2. *l.* 1. *de Criſ. c.* 3. Hinc *Anabatica* febris, ἀναβατικὸς πυρετὸς, eſt febris continua, quæ & *Epacmaſtica* dicitur, de qua ſupra in *Acme*.

ANABETTO, ἀναβήττω. Vide *Extuſſio*.

ANABLEPO, ἀναβλέπω, ſignificat apud Hipp. viſum prius amiſſum recipio, *l.* 7. *Epid. XXV.* 10. Foeſ. *p.* 46.

ANABLYO, ἀναβλύω, h.e. *ebullio*, effervеſco. Hipp. *l. de morb. ſacr. IIX.* 18. & *l.* 1. *de morb. mul. CIV.* 13. Foeſ. *d. l.*

ANABOLE, ἀναβολὴ, ſignificat *rejectionem materiæ per ſuperiora*, idem, quod ἀναγωγή. Vide *Anagoge*. Galen. Vomitum vocat ἀναβολὴν *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3.

ANABROCHISMOS, ἀναβροχισμὸς, non ἀναβρογχισμὸς, uti quidem legitur apud Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 12. ſiquidem à βρόχος, i. e. laqueus, derivari debet. Significat enim *Illaqueationem*, eſtque nihil aliud quam pilorum in palpebris oculum infeſtantium (qui affectus τρίχιασις vel τρίχωσις dicitur) per chirurgiam ablatio. Ægin. *l.* 6. *c.* 13. Vide Foeſ. *d. l.*

ANABROSIS, ἀνάβρωσις, quæ & διάβρωσις dicitur, eſt *ſolutio* continuitatis ex eroſione ab humoribus mordacibus introducta, Gal. *l.* 5. *de L. A. c.* 5. & *l.* 4. *M.M. c.* 1.

ANACAR, ἀνάκαρ, ſignificat apud Hipp. *in partem ſuperiorem*, εἰς τὸ ἄνω μέρος, uti ἐπίκαρ, *in partem inferiorem*, Gorræus. Foeſ. ex Gal. *expoſ. voc. Hippocr.* quamvis locum Hipp. nullus horum citaverit.

ANACATHARSIS, ἀνακάθαρσις, *purgationem per ſputa* in ſpecie ſignificare apud Hipp. 5. *aph.* 8. teſtatur Gal. *in com. ad h. l.* confirmat Dieterich. *n.* 56. quamvis Blancardus late expoſuerit per omne medicamentum per ſuperiora purgans, v. g. Vomitorium, Sternutatorium, Maſticatorium, &c. qua autoritate, non eſt mearum partium, inquirere. *Anacathartica* medicamenta Blaſius in ſtrictiore ſaltem ſignificatu vocavit *Thoracica* & *Expectorantia* aliis nuncupata, *Med. Univerſ. p. m.* 64. 65. 87. 88.

ANACESTOS, ἀνάκεστος, i. e. *incurabilis.* Foeſ. *p.* 47.

ANACHMUS, eſt *ſpiritus incorporeus.* Dorn. *in Dict. Paracelſ.*

ANACHREMPSIS, ἀνάχρεμψις, dicitur Lat. *Exſcreatio*, ſive per ſcreatum ſputi rejectio. Hipp. *Coac. t.* 24. 244. 320. & alibi: Idem eſt, quod ἀπόχρεμψις. Foeſ. *p.* 56. 57.

ANACINEMA, ἀνακίνημα, ſignificat *commotionem*

cor-

corporis, quæ inter exercitationes ponitur ab Hipp. *l.* 2. *de Diæta XLII.* 5.

ANACLASIS, ἀνάκλασις, vocatur *articuli reflexio*, cum recurvatur & retorquetur in exteriorem partem, ut de interna manus extenſione, ſcripſit Hipp. 1. *de fract. t.* 11. Plura apud Foëſ. *p.* 47.

ANACLINTERIUM, ἀνακλιντήριον, contracte ἀνάκλιντρον, Lat. *Recubitorium*, dicitur ſella vel ſedile ita formatum, ut homo reclinato corpore veluti decumbere queat. Legitur in D. à Deventer *Lum. Nov. Obſtetr. c. XXVI. p.* 91.

ANACLISIS, ἀνάκλισις, dicitur *decubitus ægrorum*, Hipp. *de dec. orn. XI.* 1. ἀνακλισμὸς vero vocatur ea pars ſellæ, in quam dorſo recumbimus, *l. de artic. t.*22. Foëſ. *d. l.*

ANACOCHE, ἀνακωχὴ, ἀνακώχησις, dicitur *inhibitio*, *retentio*, *mora*, *retardatio*, à verbo ἀνακωχέω, *inhibeo*, *remoror*, quo aliquoties uſus Hipp. 1. *de artic. t.* 30. & *c.* 2. *t.* 47. *l. de Corde IIX.* 15. Vide Erot. *in Onomaſt. p.* 18. *f.* Foëſ. *p.* 48.

ANACOLLEMA, ἀνακόλλημα, dicitur medicamentum, quod in affectionibus oculorum fronti imponitur, & veluti *agglutinatur* ad reſtringendum fluxiones, Gal. *de rem. fac. parab. c.* 10. & *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Ovor. fac. l.* 6. *de C.M.S.G. c.* 8. Pertinet ad *Frontalia*, Morell. *de form. rem. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 1.

ANACOMIDE, ἀνακομιδὴ, dicitur *refectio*, recreatio ægri ex morbo, *Coac. t.* 220. 235. & *l. de Affect. XXXIIX.* 9. Nam verbum ἀνακομίζειν ſignificat, ægrum *reficere*, *l.* 2. *de morb. XV.* 14. 26. *XXI.* 17. 1. *de fract. t.* 48. Dicitur etiam ſimpliciter κομιδὴ, & κομίζειν, *l. de Affect. XLV.* 13. L. 13. & κομιστικὸς, reficiens *d. l.* L. 1. Foëſ. *p.* 47.

ANACONCHIZO, ἀνακογχίζω, idem quod ἀνακωχέω, *inhibeo*. Hipp. *Mochlico* I. 4. Foëſ. *d. l.*

ANACONCHYLISMOS, ἀνακογχυλισμὸς vel ἀνακογχυλιασμὸς, h. e. *Gargariſmus*, à verbo κογχυλίζειν, quod *gargarizare* ſignificat, & paſſim apud Gal. occurrit. Vid. Gorræum *in definit. p.* 33. De *Gargariſmo* vide plura *ſuo loco*.

ANACOS, ἀνακῶς, adverbium Hippocraticum ſignificans *diligenter*, *prudenter*. Legitur in *l. de Carnib. edit. Foëſ. p.* 254. *n.* 66. ubi vid. etiam *Annot. hujus ad hunc locum*.

ANACTESIS, ἀνάκτησις, eſt *virium reſtauratio* & reparatio, idem, quod ἀνάληψις, Hipp. *l. de vet. med. IX.* 6. Foëſ. *p.* 48.

ANACUPHISMA, ἀνακούφισμα, corporis *allevationem* & *ſublevationem* ſignificat, quæ pertinet inter corporis exercitationes, Hipp. *l.* 1. *de Diæt. XLII.* 6. Foëſ. *d. l.*

ANACYCAO, ἀνακυκάω, i. e. *perfundo*, admiſceo, ſubigo. Legitur apud Hippocrat. *l.* 2. *de morb. mul. XLIX.* 37. *LXII.* 10. *LXXXIIX.* 11. Foëſ. *d. l.*

ANACYCLEON, ἀνακυκλέων, i.e. *Circulator*, idem, quod *Agyrta*, Hippocr. *I. de dec. orn. I.* 21. Foëſ. *d. l.*

ANACYPTO, ἀνακύπτω, i. e. *ſurſum tendo*, ad ſuperiora feror. Hipp. *l.* 5. *Epid. XX.* 9.

ANACYRIOSIS, ἀνακυρίωσις, denotat *gravitatem* & *autoritatem Medici*, quam habere debet apud ægros, Hippocr. *de decent. ornat. IX.* 9. Foëſ. *d. l.*

ANADIPLOSIS, ἀναδίπλωσις, eſt *paroxyſmorum reduplicatio*, Gal. *l. de Typis c.* 4. Dicitur & *Epanadiploſis*, ἐπαναδίπλωσις, à fermenti febrilis copia & heterogeneitate dependens; fit hoc ſymptoma in ſemitertiana, Gorr. *p.* 32.

ANADOSIS, ἀνάδοσις, eſt nutrimenti per vaſa *diſtributio*, quod idem eſt ac digeſtio. Differre dicitur διάδοσει, quod hæc ſit traditio vel porrectio nutrimenti in ſingula inviſibilium meatuum, vaſorum, extimarumque partium ſubſtantiam intimam, Gal. *l.* 2. *de fac. nat. c.* 6. Verbum etiam ἀναδίδωμι ſignificat *diſtribuo*, & uſurpatur ab Hipp. de doloribus, *l.* 1. *Prorrhet. comm.* 3. *t.* 26. & *l.* 4. *Epid. XIX.* 21. Foëſ. *p.* 45.

ANADROME, ἀναδρομὴ, apud Hipp. eſt *doloris recurſus* ex inferioribus ad ſuperiora, *l.* 1. *Prorrh. II. t.* 35. 51. *Coac. t.* 308. 314. 316. Foëſ. *d. l.* In genere etiam *Anadrome* ſignificat humorum recurſum, Charlton. *Oecon. Anim. Exerc. III.* § 9. & G. Thomſon. *in explicatione Terminor. Artis præmiſſa Actui Magneticæ.*

ANADROMOS, ἀνάδρομος, eſt epitheton piſcium e mari in fluvios aſcendentium. Vide infra *Zerta*.

ANÆDES, ἀναιδὴς, *impudens*. Hinc Adverb. ἀναιδὲς, *impudenter*; Ab Hippoc. vero per tranſlationem ſumtum pro *affatim*, copioſe de aqua in aſperam arteriam irruente, *l. de Corde III.* 1. Foëſ. *d. l.*

ANÆNOMÆ, ἀναίνομαι, i. e. *renuo*, reſpuo. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XXIV.* 4. Foëſ. *pag.* 46. Erot. *in Onom. p.* 27. *f.*

ANÆSTHESIA, ἀναισθησία, i. e. *Senſus privatio*. Vide *Stupor*. Præcipue de ſenſus Tactus privatione accipi & exponi ſolet, in quo ſignificatu & D. D. Wedelius expoſuit *Pathol. Dogm. ſect. III. c.* 6. *p.* 546. *ſeqq.* Modum vero, qui fiat ejuſmodi *ſtupor*, ſatis plauſibiliter tradidit D. D. Stahl *in Diſſert. Medic. De molibus humor. convulſivis cap.* 7. *p.* 26.

ANAFOLIS dicitur Haly Abbati *Practic. l.* 9. *c.* 33. cura gingivæ denudatæ, ita notante Joh. G. Walthero *Sylv. Medic. p.* 678.

ANAGARGALICTA, ἀναγαργάλικτα, *Anagargariſtum*, ἀναγαργάριστον. Vide *Gargariſmus*.

ANAGNOSIS, ἀνάγνωσις, non modo communiter *Lectionem* ſignificat, uti patet ex Hipp. *Præcept. X.* 10. vide *Lectio*. ſed etiam *perſuaſionem* denotare quidam volunt, quemadmodum & verbum ἀναγινώσκειν ita plerique Interpretes verterunt apud Hippocr. 1. *de artic. t.* 3. Vide Foëſ. *Oec. p.* 45.

ANAGOGE, ἀναγωγὴ, eſt *reductio*, receſſus humorum. In ſpecie *per ſuperiora excretionem* ſignificat apud Hipp. *Coac. t.* 234. Apud Dioſcor. *l.* 2. *parabil. c.* 30. & Gal. *l.* 7. *de C. M. L. c.* 4. ſignificat ἀναγωγὴ *re-*

jectionem ſanguinis, ἐξ ἀναγωγῆς ſignificat *repetitis vicibus*, ſicut fit reſpiratio. Linden. *S. M. Ex. V.* §. 49.

ANAGRAPHE, ἀναγραφὴ, dicitur *medicamentorum præſcriptio*, vulgo *Recepta.* Harum copiam in promtu habere debet Medicus ex præcepto Hipp. *l. de dec. orn. VIII.* 18. Foëſ. *p.* 45.

ANAISSO, ἀναΐσσω, h. e. *reſilio*, irrumpo, ſurſum cum impetu feror, ſæpe uſus Hipp. de morborum *recurſu*, ut *ſ.* 3. *Prognoſt. t.* 1. *Coac. t.* 299. *l. de mo b. ſacr.* I. 14. *l. de int. aff. LI.* 23. *l. de virg. morb. II.* 8. &c. Vide Foëſ. *p.* 46.

ANALCES, ἀναλκὲς, dicitur *imbecillum*, eviratum, viribus deſtitutum, ab ἀ & ἀλκη, *robur.* Hipp. *l. de A. L. & Aq. XXXIX.* 6. Foëſ. *p.* 49.

ANALDES, ἀναλδὴς, id eſt, *non capiens* aut afferens *incrementum*, *inſalubris.* Hippocrat. *d. l. XXXVII.* 11. Foëſ. *d. l.*

ANALENTIA, eſt terminus Paracelſicus fictus, ſpeciem Epilepſiæ denotans, quemadmodum & *Catalentia* & *Epilentia*, *tract.* 2. *de morb. ament. c.* 1.

ANALEPSIA vocatur Epilepſia, quæ provenit à ſtomacho, quaſi læſio à converſiva ad caput, uti vult Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p.* 35. Verum hodieque non eſt in uſu.

ANALEPSIS, ἀνάληψις, dicitur *rejectio*, renutritio, Gal. *l. de marcor. c.* 9. idem quod ἀνακομιδὴ, vel ἀνάθρεψις. Hinc *Analeptica*, ἀναληπτικὴ, dicitur pars Diætеticæ, ſive victus ratio, quaſi Refectricem dicas, & debetur his, qui convaleſcunt ex morbo. Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. cap.* 4. *ad Thraſybul. c.* 30. *Analepſis*, ἀνάληψις etiam dicitur de modo appendendi membrum fractum, præſertim manum per mitellam, Hipp. 2. *de iis q. in med. t.* 33. Foëſ. *p.* 49.

ANALGESIA, ἀναλγησία, ſignificat *indolentiam*, ſive defectum doloris, tum in ſtatu ſec. nat. tum in præternaturali propter partis ἀναισθησίαν & ſtuporem.

ANALMYRON, ἀνάλμυρον, *inſulſum* ſignificat, Gal. *in Exeg. voc.* Hipp. Foëſ. *p.* 50. Gorr.

ANALOGISMUS, ἀναλογισμὸς, eſt comparatio cauſſarum morbidarum præſidiorumque juvantium per ſimilitudines, Gal. *de opt ſect. ad Thraſyb. c.* 11. ſive *Analogiſmus* eſt ratio, quæ ab evidenti auſpicatur, rei obſcuræ faciens cognitionem, *c.* 1. *Prognoſt. t.* 6. (quamvis in Græco textu non habeat ur.) Dogmaticorum propria, quemadmodum *Epilogiſmus* Empiricorum, ceu communis ratio & omnium aſſenſu conſpecta. *Analogiſmum* etiam ab indicatione vera dogmatica excluſum vult Gal. *d. l.* ſed male, noſtro quidem judicio. Videantur *noſtra Dogmata Med. Gen. P. IV. c.* 1. *d.* 3. *p.* 459. *ſeq.* Medicina Rationalis ſive Dogmatica etiam vocatur ἀναλογιστικὴ, & Medici Dogmatici, ἀναλογιστικοὶ, Gal. *l. de ſect. ad tyron. c.* 1. *fin. Analogiſmus* fuit olim curatio per remedia media te ſimilitudine inventa. Dividitur in *Empiricum* & *Dogmaticum* à Sanctorio *Method. vitand. error. in Medic. fol.* 181.

ANALOSIS, ἀνάλωσις, *conſumtio*, imminutio, idem, quod μείωσις. Dicitur de cerebro apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. à verbo ἀναλίσκειν, conſumere, quo uſus idem 1. *aph.* 14. & *l. de vet. med. XIX.* 17. 31.

ANALTHES, ἀναλθὲς, *incurabile* ſignificat, Hipp. 4. *de artic. t.* 26. Foëſ. *p.* 49.

ANALTOS, ἄναλτος, h. e. *inſulſus*, ſine ſale. De cibariis frequenter uſurpavit Hipp. *l.* 2. *de morb. LII.* 14. *LIII.* 36. *l. de nat. mul. XXXII.* 20. *l.* 2. *de morb. mul. XXI.* 12. item de ſputo *l.* 1. *de morb. mul. XXV.* 4. vide Foëſ. *p.* 50.

ANALYSIS, ἀνάλυσις, eſt alicujus corporis in ſua principia reſolutio. Huc pertinet Anatomica partium corporis humani demonſtratio, ut & pertractatio alicujus argumenti vel materiæ fundamentalis & ſecundum omnes ejus partes inſtituta.

ANAMIX, ἀναμὶξ, adverb. ſignificans permixtim, *promiſcue*, legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 4. quamvis Linden. legat ἀναμίξας. Foëſ. *d. l.*

ANAMNESIS, ἀνάμνησις, Lat. *Recordatio*, *Reminiſcentia*, Gal. *l. de plenitud. c.* 9. Hinc & *Anamneſtica*, ἀναμνηστικὰ ſigna quædam dicuntur ad Diagnoſtica pertinentia, quæ præteritum ſtatum ſive ſecundum ſive præter naturam in memoriam revocant. Vocantur alias *Rememorativa.* Vide *Dogm. noſtr. Med. Gen. P. III. c.* 1. *d.* 6. *p.* 303.

ANANCE, ἀνάγκη, Lat. *Neceſſitas* dicitur, Coactio. Hinc verbum ἀναγκάζω, cogo, *neceſſitate* impello, & ἀναγκαῖος, *neceſſarius*, deſcendunt. Omnibus his vocabulis uſus eſt Hippocr. v. g. 1. *aph.* 8. 19. 3. *aph.* 11. 6. *aph.* 50. & 58. Vide Dieterich. *n.* 51. *ſeqq.* Quod vero in ſpecie etiam Ανάγκη violentam operationem chirurgicam, præſertim extenſionem, aut impulſionem in luxatis & fractis membris Hipp. ſignificet, uti vult Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 42. & alibi, non mihi videtur vero ſimile, quia ſaltem illa ſignificatio ex connexione & applicatione expreſſa ad materiam talem reſultat. Vide *Neceſſitas.* Αναγκαῖος, *neceſſarius*, dicitur vel de rebus, quæ æternitatem ſive perpetuitatem à natura nacta ſunt, ut ita fiant, & ordinem ex *neceſſitate* habent, quibus opponuntur *Res Contingentes* & opinione nitentes τὰ ἔνδοξα, vel de *rebus ſeriis* ad commodam vivendi rationem apprime facientibus, ex *Coac. t.* 98. Vide Foëſ. *p.* 44.

ANANDRIES, ἀνανδρίης dicitur *Eviratus*, *Effœminatus*, quales ſunt caſtrati. Hippocr. *l. de A. L. & aq. XLIX.* 4. quamvis Linden. cum Mercuriali legat ἀνάεριες. Dicuntur & ἄνανδροι, quod vocabulum proprie ſignificat *fœminam virum non expertam*, *l.* 1. *de morb. mul. XIII.* 19. Foëſ. *p.* 50.

ANAPALIN, ἀνάπαλιν, h. e. *ex adverſa parte*, *è contrario*: opponitur τῷ κατ' ἴξιν, ſive *è directo.* Hipp. 1. *prorrh. III. t.* 33. Gal. *in comm. ad h. l.* & *c.* 1. *progn. t.* 32. 1. *aph.* 21.

ANAPALINDROMEO, ἀναπαλινδρομέω, ſignificat *Recurro*, & quidem *per oppoſitum.* Dicitur de faſcia, quæ

quæ circumvoluta ad eum locum recurrit, ubi prior deſiit. Hipp. 1. *de fract. t.* 30. Foëſ. *d. l.*

ANAPAUSIS, ἀνάπαυσις; *otium, remiſſionem*, quietem ſignificat, Hippocr. 4. *aph.* 13. *de nat. hum.* II. *t.* 1. *l. de Medico* IV. 23. Unde & verbum ἀναπαύομαι, *requieſco, ceſſo*, quod legitur 2. *de R. V. I. A. t.* 50. & *ſ.* 4. *t.* 44. Vide Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 59. vide *Requies*.

ANAPETIA, ἀναπέτεια, ſignificat *expanſionem meatuum*, quæ obturationi eorundem opponitur. Occurrit apud Gal. *l.* 1. *de morb. diff. c.* 5. ad quem locum vide Leonh. Fuchſ. *Commentar. p. m.* 22. *b.*

ANAPHALANTIASIS, ἀναφαλαντίασις, dicitur *defluvium pilorum* in ſuperciliis, ſicut φαλάκρωσις in *capite*. Gaza *ſalitium* vocat, ſed tantiſper, inquit, dum melius vocabulum invenerit. Gorr. *p.* 35.

ANAPHONESIS, ἀναφώνησις, Lat. *Vociferatio*, vide *Clamor*. Eſt vehementior exclamatio pectus & vocis organa exercens, inque iis calorem nativum excitans, corporis ſolidas partes corroborans, excrementa attenuans & repurgans. Plura hujus exercitationis commoda vide apud Gorr. *p.* 35. Jung. Rhodius *in Diſſert. de Acia c.* 6. *p.* 67. ubi prolixius hujus exercitii utilitatem variis teſtimoniis demonſtrat.

ANAPHORA, ἀναφορά, ſignificat apud Hipp. *gratiam* vel *meritum*, quod alicui debetur, *l. de arte* V. 13. Deinde etiam notat *rejectionem materiæ per os*. Foëſ. *Oec. p.* 56. Ita & ἀναφορικοὶ, dicuntur οἱ αἱμοπτυϊκοὶ, qui ſanguinem ex infernis partibus per os rejiciunt, Gorr. Ita & verbum ἀναφέρω habet diverſas ſignificationes. Vel enim ſumitur pro *perferre*, tolerare, *l.* 4. *de morb.* XVII. 9. XX. 30. XXI. 3. XXIII. 38. Vel notat *reſtituere ſanitati*, 2. *aph.* 43. & *l.* 4. *de morb.* XXVII. 50. vide Dieterich. *n.* 63. Vel ſignificat *vehementer ſpirare*, aut *reſpirare*, *l.* 2. *Prorrhet.* XX. 2. Jung. Foëſ. *p.* 55. *ſeqq.*

ANAPHORYSSO, ἀναφορύσσω, idem, quod φορύω, φορύσσω, *pinſo, ſubigo* ad modum farinæ, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul.* LXIII. 29. LXXXII. 6. & *l.* 2. LXXXV. 19.

ANAPHRODISIA, ἀναφροδισία, dicitur impotentia Venerea, ſive ineptitudo ad congreſſus conjugales, & legitur apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 3. *ſect.* 33. *c.* 7. *p.* 876.

ANAPHRON, ἄναφρον, h. e. *ſine ſpuma*. Hipp. *l. de Humor.* III. 2. Foëſ. *p.* 16.

ANAPHYRAO, ἀναφυράω, ſignificat *ſubigo, commiſceo*. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul.* XLVII. 19. 24. Foëſ. *d. l.*

ANAPINOMÆ, ἀναπίνομαι, *abſorberi*, exugi ſignificat. Hipp. 2. *de art. t.* 52. Foëſ. *p.* 51.

ANAPLASIS, ἀνάπλασις, dicitur Hipp. *confirmatio*, membri fracti reſtitutio, compoſitio & *reparatio*, ita ut fracturæ extrema ſeſe mutuo contingant, & partes è directo ſtatuantur. Eſt idem, quod διάπλασις, uti patet ex 3. *de iis q. in med. f. t.* 19. & 32. vide Foëſ. *d. l.*

ANAPLEROSIS, ἀναπλήρωσις, in genere ſignificat *Repletionem*. Alias ſpecialiter ita dicitur pars Chirurgiæ, qua reſtituuntur deficientia. Idem ſignificat, quod πρόσθεσις, *appoſitio*, Barbett. *Chirurg. P.* 1. *c.* 1. Hinc & ἀναπληρωτικὰ dicuntur medicamenta, quæ alta vulnera carne complent, cicatrices incraſſant & limpidant. Gal. *de dynamid.*

ANAPLEUSIS, ἀνάπλευσις, dicitur *fluctuatio, innatatio*, & uſurpatur de oſſe corrupto ab Hippocr. *Coac. t.* 239. quando os pure corruptum ſeparatur, ut *fluctuet*, ſideretur, & decidat. In ſpecie quoque de dentibus corruptis exundantibus & deciduis legitur *l.* 4. *Epid.* IX. 1. De ſquamula oſſis corrupti apud Ægin. *l.* 6. *c.* 107. dicitur verbum ἀναπλεῖν, reſolvi, & emergere. Foëſ. *d. l.*

ANAPNEUSIS, ἀνάπνευσις, *Anapnoe*, ἀναπνοή, vide *Reſpiratio*.

ANAPSYXIS, ἀνάψυξις, eſt *Refrigeratio*, Hipp. 3. *de fract. t.* 8. Uſus eſt etiam aliquando verbo ἀναψύχειν, *refrigerare*, v. g. *d. l. t.* 5. 14. &c. Foëſ. *p.* 57.

ANAPTHIA, *Anaphthos*, legitur apud Etmüller. *T. I. Oper. ed. nov. p.* 254. *a.* & 857. *a.* verum perperam & vitioſe ex ignorantia vel negligentia Græcæ Linguæ, deberet enim ſcribi *Anaudia*, *Anaudos*, de quo infra.

ANAPTYO, ἀναπτύω, ſignificat *Expuo* materiam è partibus inferioribus ſurſum retractam per os. Hipp. *Coac. t.* 389. 390. *Progn.* II. *t.* 43. Foëſ. *p.* 52.

ANAPTYSSOMÆ, ἀναπτύσσομαι, i. e. *explicor*, expandor, *extendor*. Legitur apud Hipp. *l. de int. aff.* LI. 5. 16. *l. de dieb. Crit.* III. 4. & IV. 1. Foëſ. *d. l.*

ANARISTESIS, ἀναρίστησις, ſignificat *abſtinentiam à prandio*, *l. de Inſomn.* IV. 13. & XIV. 11. vide *Impranſus*. Foëſ. *p.* 52.

ANARMA, ἄναρμα, idem, quod *Atomi*, ἄτομοι, corpuſcula minutiſſima ſimpliciſſima, q. d. *impactibilia*, Gal. *fragm. de ſubſt. fac. nat.*

ANARRHEGNYMÆ, ἀναῤῥήγνυμαι, i. e. *diſrumpor*, diffringor, Hipp. 2. *de fract t.* 22. & ulcera ἀναῤῥηγνύμενα dicuntur, quæ præpropere cicatrice obducta rurſus recrudeſcunt, *Coac. t.* 430. *l.* 1. *de morb.* XIX. 6. Dicitur etiam ἀνελκοῦμαι alias *d. l.* XIIX. 10. 11. Foëſ. *d. l.*

ANARRHINON, ἀνάῤῥινον, i. e. *per nares rediens*; q. d. ἀνὰ ῥινῶν. Gorr. *p.* 34. Foëſ. *d. l.* alii explicant *per cutem*.

ANARRHOEA, ἀνάῤῥοια, eſt fluxionis ſpecies, & quidem catarrho contraria, quando humor ab inferiori parte ſurſum fertur. Coincidit partim cum ἀναγωγῇ, partim cum ἀναῤῥοπίᾳ, de qua voce mox dicendum. Legitur apud Schneider. *l.* 1. *de Catarrh. c.* 3.

ANARRHOPIA, ἀναῤῥοπία, dicitur *humorum verſus ſuperiora inclinatio* & latio, quemadmodum è contrario καταῤῥοπίη eorundem *verſus inferiora* impetum & *inclinationem* ſignificat. Utramque obſervandam Medico inculcat Hipp. *l. de Humor. t.* 11. Ad iſtæ teſtima quoque revoluta applicat Linden. *Ex.* IV. §. 100. Foëſ. *p.* 321.

ANARTHROS, ἄναρθρος, dicitur homo craſſus, carnoſus, *articulis non apparentibus*, h. e. *informis præ craſſitie*, Hipp. *l. A. L.* & *Aq.* LVII. 5. Alibi dicuntur ὑπερπαχεῖς q. *ſupercraſſi*. *d. l.* XXXIIX. 3. Foëſ. *p.* 52.

ANAS, νῆσσα, νῆττα, νῆττα, quid ſignificet, jam pueris

ris e Dictionariis notum eſt; nimirum avem quandam aquaticam palmipedem. Sunt vero *Anates* vel *domeſtici*, vel *feri*. Reliquas differentias, nomina, proprietates, quis enumeret? Ut ex quamplurimis aliquot ſaltem nomina referamus, Boſcas, Querquedula, Penelops, *Anas* Glaucia, Circia, Capella, Amarillus, Branda, Fuſca, Muſcaria, &c. Huc pertinere videntur & omnes *Mergi* ſpecies, de quibus omnibus una cum uſu in cibis & medicina explicatis vide Aldrov. *l.* 19. *Ornithol.c.*24.*ſeqq.* Cum victu gaudeant impuro ſordidoque præſertim domeſtici, carnem habent pravæ concoctionis, ferinæ fortaſſis meliorem. An vero delectus partium ſit habendus juxta diſtichon Martialis:

Tota quidem ponatur Anas, *ſed pectore tantum,*
Et cervice ſapit, cetera redde coquo:

non immerito in dubium vocari poteſt cum C. Hofman. *l.* 5. *Inſtit. Med. c.* 20. §. 7. quia totum corpus uno gaudet ſanguine ſuccoque nutritio, ut ita partes poſticæ æque bonæ ſint, ſi bonitas toti quædam inſit. Jungatur & Renat. Moræus *ad Schol. Salernit. cap.* 64. *p.m.* 620. *ſeqq.* Bruyerin. *de re cibar. l.* 15. *c.* 31. Deodat. *Pant. Hyg. l.* 1. *c.* 36. Jonſton. *Synt. Med. l.* 1. *Tit.* 1. *c.* 2. *art.* 3. *punct.* 3. Schröd. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 45.

ANASARCA, ἀνασάρκα, vel diviſum, τὸ ἀνὰ σάρκα, quæ & *Cataſarca*, *Hypoſarcidium*, & *Epiſarcidium* dicitur, Hydropis ſpecies eſt prima & mitiſſima, in qua humidi ſubſtantia tenuis copioſa & cruditates in tota inferiore thoracis regione acervantur, habituſque totus pituitæ plenus redditur, Gal. *com.* 4. *de R. V. I. A. t.* 111. Diciturque *Anaſarca* & *Aqua inter cutem*, vel *intercus*, quod per carnem ille humor pituitoſus crudus fluat, *l. defin. Med.* Vocatur etiam *Leucophlegmatia*, pro quo Hipp. utitur disjunctis vocibus λευκὸν φλέγμα, 7. *aph.* 29. quique ea corripiuntur, una voce ab eodem λευκοφλεγματῶντες dicuntur, *Coac. t.* 248. Deſcribi poterit ex veris Artis principiis, quod ſit intumeſcentia in toto corporis habitu notabilis. & veſtigium impreſſi digiti retinens, cum languore, pallore, reſpiratione difficili, aliiſque ſymptomatibus cachexiam comitantibus, proveniens à ſucci nutritii & lymphæ aquoſa impuritate excedente & ſtagnante, ſanguinis & flammæ vitalis deficientem ſpirituoſitatem ſimul conjunctam habente. Hinc appoſite ſatis jam olim Serenus Samonicus in carmine appellavit *Lymphaticum errorem*. Keuch. *not. ad eund. p.* 193.

ANASECOO, ἀνασηκόω, i. e. *rependo per æquipondium*, à σήκωμα. Communiter ſignificat *reſarcire* & addere quod deficit. Legitur apud Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 23. Foëſ. *p.* 52.

ANASPASIS, ἀνάσπασις, i. e. *Retractio*. In ſpecie de ventriculo dicitur, apud Hipp. *l. de vet. med. XX.* 11. quamvis Foëſ. legi malit ἀνάπαυσι *Oec. p.* 52. Enimvero nulla cogit neceſſitas permutandi, cum ſenſus ſit clarus: ventriculum ſcil. adhuc à priori fermentatione ferventem indigere majori retractione ſcil. à novis alimentis & quiete. Quod ſi enim ἀνάπαυσις legatur, non video, quomodo excuſari poſſit ταυτολογία Hippocrati minime familiaris.

ANASPONGIZO, ἀνασπογγίζω, ſignificat *ſpongia abſtergere*, emundare. Hipp. *l. de Ulcer. IV.* 12. Sed & *lanæ illinere*, medicamentum aliquoties denotat, v. g. *l. de nat. mul. XXV.* 6. *l.* 1. *de morb. mul. CXVII.* 4. & ſæpius alibi. Foëſ. *d. l.*

ANASSYTOS, ἀνάσσυτος, i. e. *ſurſum impulſus*, diciturque de Aëre, à σύομαι, vel potius σεύομαι, *agitor*, impellor, *l.* 2. *de morb. mul. XVI.* 11. Foëſ. *p.* 53.

ANASTALTICUS, ἀνασταλτικὸς, vide *Cataſtalticus.*

ANASTASIS, ἀνάστασις, in ſpecie ſignificat apud Hipp. *exſurrectionem*, cum æger ad egerendum ſurgit. *Coac. t.* 616. 620. 621. *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. & alibi. Alias verbum ipſum ἀναστῆναι, vel ἀνιστάμενοι, uſurpatur de in ſtatu reconvaleſcentiæ conſtitutis, 4. *aph.* 32. Vide Foëſ. *d. l.* Dieterich. *n.* 7.

ANASTELLO, ἀναστέλλω & ἀναστέλλομαι, h. e. *retraho*, diduco. Hipp. *de vuln. c. XIX.* 4.

ANASTOECHEIOSIS, ἀναστοιχείωσις, q. d. *Reelementatio*, ſeu Reſolutio in elementa, eſt colliquatio, ſeu reſolutio aut diſſolutio aliquando totius corporis ſubſtantia, aliquando ſuccorum, qui in venis ſunt duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione provenit, alias ad ventrem confluit, alias ad urinas, alias ad ſudores pellitur. Gal. *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. ἀναστοιχείωσιν, ἀνάλυσιν καὶ σύντηξιν, idem æſtimare videtur. Caſtell. vide *Colliquatio.*

ANASTOMOSIS, ἀναστόμωσις, h. e. *Oſculorum apertio*, duas potiſſimum habet ſignificationes: 1. Denotat oſculi vel extremitatis in vena vel arteria apertionem, ex qua ſequitur ſanguinis profluvium, uti in hæmorrhagia narium, menſtruo fluxu, & hæmorrhoidibus; aliquando vero & à pulmonibus, & e ventriculo hoc modo ſanguis rejicitur. Hujus cauſſas tres propoſuit Gal. *l.* 5. *M. M. c.* 2. vaſis imbecillitatem, ſanguinis copiam, & denique ejuſdem acrimoniam corroſivam. Eſt ergo ſpecies ſolutionis continui, quamvis & in ſtatu ſec. naturam locum habeat, uti dictum de menſtruis & hæmorrhoidibus. Differt à διαπηδήσει ſive *tranſudatione*, quod in hac tanta vaſorum apertio nondum ſit, ſed ſaltem tunicarum rarefactio cum ſanguinis tenuitate, *Ibid.* Egregie quoque hunc terminum expoſuit Cl. Wedelius *Patholog. Dom. ſect.* 2. *c.* 12. *p.* 366. *ſeqq.* & appoſite *Reſerationem* vaſorum Latine vocavit. Secundum hanc ſignificationem appellantur *Anaſtomotica*, ἀναστομωτικὰ medicamenta, quæ ora vaſorum aperiendi vim habent, calida ſcil. acria & quodammodo mordacia, Gal. *l.* 5. *de S. Fac. cap.* 14. quod vero etiam addiderit, debere eſſe craſſarum partium, non videtur veritati conſonum: quin potius contrarium locum haberet, ut eſſe debeant tenuium partium. Hippocrati tale medicamentum dicitur ἀναστομωτήριον, *l. de nat. mul. CV.* 24. Latine quoque *Deobſtruens* dici ſolet. Verum num

quid

quid obſtat, quo minus hæc ſignificatio etiam ad alia Vaſorum genera præter ſanguinea transferri & applicari queat, v. g. ad Vaſa lymphatica, ductus ſalivales, quorum etiam in catarrhoſis & rheumaticis affectionibus, hydrope & aliis ſimilibus fieri ſolet ἀναςόμωσις & *apertio?* Ego non video. Obiter notetur, vocabulum Ἀναςομώτερος ab Hipp. plane accipi in contraria ſignificatione, ita ut denotet *reſtrictiorem*, *arctiorem* uterum, de quo prædicatur *l.* 1. *de morb. mul.* I. 17. vid. Foëſ. *p.* 53. II. *Anaſtomoſis* ſignificat mutuam *venarum & arteriarum connexionem* & veluti *Exoſculationem*, vel *Inoſculationem*, unde & *Oſculatio* verti poſſet; de quo integro capite egit Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 17. quamvis in aſſignando uſu rem acu, quod dicitur, non tetigerit, neque ejus Commentator C. Hofmannus ὁ μακαρίτης. Eſt vero notiſſima utilitas, ut ſanguinis motus reciprocus, & circulatio eo expeditior fieri poſſit per totum corpus, de qua ſuo loco plura dicenda. De variis vaſorum Anaſtomoſibus vide apud Bartholin. *Anatom.* ſua & loca quærantur in Indice; quamvis hodieque ſint, qui venarum & arteriarum *Anaſtomoſes* auſint negare. Ita Blancardus ſomnium vigilantium appellare non eſt verius ob rationem, quod hypotheſis hæc circulationis legi vim inferret. Enimvero non ſufficit dixiſſe, ſed & probare hanc rationem debuiſſet. Sane, poſito ſaltem, non conceſſo, ſi in tenuioribus utriuſque generis vaſis fieret mutua ἀναςόμωσις, ut ſanguis ex arteriis promtius tranſire poſſet ad venas, hoc non inferret vim circulationi, quin potius hanc juvaret.

ANATASIS, ἀνάτασις, eſt *tentio ad loca ſuperna* per traductionem, Gal. *in defin. Med.* cui opponitur κατάτασις, de quo infra in *Catataſis*. Alias verbum ἀνατείνεσθαι, *contenti, eſſe viribus*, firmis & integris, aut contra obniti & ſe erigere ſignificat, quod totum Celſus per firma viſcera complexus eſt ex Hipp. *l.* 2. *Prorrh. XI.* 7.

ANATES, morbus ani, ſeu podicis, ex Feſto, & gloſſis Balbi. Jan Laurenbergius in *Antiquario.*

ANATHERMÆNOMÆ, ἀναθερμαίνομαι, i. e *Recaleſco*, revocor ad calorem. Uſurpavit Hipp. ſæpe de membris externis antea refrigeratis, v. g. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 25. *l.* 3. *ægr.* 12. *l.* 1. *prorrh. ſ.* 2. *t.* 31. 32. aliquando etiam de febrili recaleſcentia, v. g. *Prognoſt. S. II. t.* 63. *Coac. t.* 35. vide Foëſ. *p.* 45.

ANATHLASIS, ἀνάθλασις, idem quod ἔκθλιψις, *eliſio*, *expreſſio*, Erot. *in Onom. p. m.* 21. *b.* Foëſ. *d. l.*

ANATHREPSIS, ἀνάθρεψις, i. e. *Renutritio*, *Refectio*, qua corpus reſtauratur, & cutis per extenuationem largior corrigitur, Hippocr. *l. Epid. ſ. III.* Verbum ἀνατρέφομαι, dicitur de victu reconvaleſcentium. Hippocr. *de vet. med. XXIII.* 21. Dieter. *n.* 55.

ANATHYMIASIS, ἀναθυμίασις. vide *Evaporatio.*

ANATOME, *Anatomia*, ἀνατομὴ, eſt humani corporis, ut & brutorum abditarumque ejus partium artificioſa diſſectio & ſpeculatio, ut ſenſibus, quæ in iis deliteſcant, pateſiant, plenior que & facilior earundem inſtituatur curatio, Gal. *def. med.* Hujus ſtudium maximum jam olim apud veteres fuiſſe non modo Medicos, ſed etiam Philoſophos, teſtatur idem *l.* 2. *Anat. adm. c.* 1. Hujuſmodi exercitia vocantur ἀνατομικὰ ἐγχειρήσεις, & qui exercent, *Anatomici*, ἀνατομικοὶ, dicuntur, *d. t. l.* 1. *c.* 5. Dupliciter inſtituitur, in mortuis, qua brutis, qua hominibus: & in vivis brutis tantum. Homines enim minime vivos eſſe diſſecandos recte judicat idem *l.* 2. *de Temper. c.* 6. Meo quidem judicio *Anatomia* ad Phyſicam potius, quam Medicinam pertinere videtur, ſiquidem corporis naturalem conſtitutionem inveſtigat. Jung. Bartholin. *in proœm. Anat.* Porro vocabulum hoc Chymici quoque in ſuum rapuerunt forum, eam appellantes *Anatomiam Spagyricam*. Dornæus *tract. vita Brevis* in *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 460. *Anatomia Eſſata* quid ſignificet, vide *Eſſatum*. Apud Ruland. *Anatomia Eſſata* dicitur parens morborum, *in Lex.* ut & Iohnſon.

ANATON, *Anatron*, id eſt, *Baurac.* Dorn.

ANATRESIS, ἀνάτρησις, *perforatio* dicitur, idem quod τρῆσις, ſumiturque pro trepanatione à Galen. *lib.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2.

ANATRIBE, ἀνατριβὴ, idem quod ἀνάτριψις. Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 135.

ANATRIPSIS, ἀνάτριψις, idem, quod τρῖψις, quamvis illud uſitatius ſit apud veteres, quam hoc, ſignificat *frictionem* non ſolum eam, quæ ab inferiori parte ſurſum procedit, ſed etiam quamcunque. Gal. *c.* 3. *de iis q. in med. f. t.* 25.

ANATRIS, vel *Antaris*, eſt *Mercurius.* Ruland. Iohnſ.

ANATRON, 1. ſumitur pro *felle vitri*, quod nihil aliud eſt, quam ſpuma materiæ, ex qua vitrum fieri debet. 2. Pro *terra Saracenica*, cujus ſunt tres ſpecies, Nigra, Rubra, Cœrulea. 3. Pro *excreſcentia alba ac lapidea*, quæ in petris creſcit, in modum Uſneæ albæ, à quibuſdam Sal Nitrum vocata, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Schröder. *Pharm. l.* 2. *c.* 79. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l. p.* 92. *Sal Anatron* eſt miſtura ſalina ad fuſionem & purgationem metallorum excogitata, cujus deſcriptionem vide apud Schröder. *d. l.* Meminit cum contemtu D. Ludovici *Pharm. Diſſert.* 1. *p.* 440. Dicitur & *Anathron* & *Anatrum*, item *Anaton.*

ANATROPE, ἀνατροπὴ, dicitur *ſtomachi ſubverſio* aut diſſolutio, cum in vomitiones effunditur, & breviter inappetentia, nauſeabunda affectio, ita ut interdum vomitiones contingant, Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 1. Vulgo etiam vernacula dicitur: der Magen kehrt ſich um. Alias verbum ἀνατρέπειν in genere ſignificat *ſubvertere*, diſturbare, apud Hippocr. 4. *de artic. t.* 35. Foëſ. *p.* 54.

ANAUDIA, ἀναυδία, idem quod ἀφωνία, *vocis privatio*, & ἄναυδος, *mutus*, idem, qui ἄφωνος, ab ἀ & αὐδὴ, *vox*. Hipp. *Coac. t.* 34. & 359. *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. *p. ſtat. peſt.* Foëſ. *d. l.*

ANCHA, idem, quod *Coxa*, legitur apud Avic. *l.* 4. *fen.*

ſen. 5. *tr.* 1. *c.* 24. *ſeqq.* Aliquoties etiam occurrit apud Foreſt. *l.* 6. *Obſ. Chirurg.* 49. *in Schol.* & *l.* 8. *Obſ.* 7. *Schol.*

ANCHILOPS. vide *Ægilops.*

ANCHYLE. vide *Ancyle.*

ANCI, Græce γαλιάγκωνες, an à ſimilitudine τῶν γαλῶν, *muſtelarum*, an alia cauſa ita dicantur, viderint illi, qui diligenter talia inquirere ſolent. Gal. *c.* 1. *de artic. c.* 19. Sunt vero ii, quibus ex luxatione brachii, vel ex capitis humeri prolapſu in aliam brachium brevius redditur. 3. *de artic. t.* 88. Foëſ. *p.* 132.

ANCISTRON, ἄγκιστρον, vide *Hamus*, idem quod ἀγκιστρομήλη, apud Hipp.

ANCON, ἀγκὼν, eſt *cubiti gibbus*, eminentia, aut cubiti flexura, vel gibbi medium, cui innitimur, diciturque ἀγκὼν alterum majus & acutiſſimum oſſium cubiti, quod & *Olecranon*, ὠλέκρανον, h. e. *ulnæ verticem* & *cubitum* vocant Attici, verbis Gal. *l.* 2. *de V. P. c.* 2. vide *Brachium.*

ANCORA, id eſt, *Calx.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANCORALIS, *proceſſus.* Vide *Coracoides.*

ANCOSA, id eſt, *Lacca.* Rul. & Iohnſ.

ANCTERES, ἀγκτῆρες, dicuntur *Fibulæ*, quibus vulnerum labia longius diſſita conjunguntur, quæ operatio propterea ἀγκτηριασμὸς, *Infibulatio* dicitur, teſte Gorræo, Lang. *l.* 1. *ep.* 77. Gal. *l.* 3. *M. M. c. ult.* Vices ſuſtinent *Suturæ.* Parantur ex Emplaſtris fortiſſime adhærentibus. In ſpecie etiam ita dicta fuit, quando hiſtrionibus & comœdis per præputium trajiciebatur fibula. Rolfink. *de partib. genit. Part. I. c.* 50.

ANCUBITUS, dictus olim fuit affectus oculorum, quando in illis quaſi arenæ & parvæ petræ eſſe videntur. Alias & Petrificatio vocabatur. Joh. Anglic. *Roſ. Ang. p.* 867.

ANCYLE, ἀγκύλη, denotat in ſpecie *articulorum contractionem*, artuum motus difficiles, & ligationem, h. e. obſtrictos articulos, Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 6. Celſus per contractos recenti cicatrice articulos vertit *l.* 5. *c.* 18. Provenit ab humoribus infarctis, quorum interventu muſculorum tendo non obſequitur, idque potiſſimum in poplite, cubito, & digitis contingit. Hippocr. hac voce uſus junxit articulis induratis, *l. de Humid. uſ. XI.* Dicitur & Æginetæ ἀγκύλωσις, à verbo ἀγκυλοῦσθαι, Lang. *lib.* 1. *ep.* 82. Rhod. *ad Scribon. n.* 255. Huic affectui opponitur τὸ ὀρθόκωλον, de quo vide infra *Orthocolon.* Vide Foëſ. *p.* 1. Cum additione etiam de aliis partium motibus localibus impeditis dici ſolet, de quibus vocabulis mox.

ANCYLIDOTON, ἀγκυλιδωτὸν, ſignificat *anſulatum* vel anſulam habens, Gorr. *p.* 2.

ANCYLOBLEPHARON, ἀγκυλοβλέφαρον, vitium eſt in oculis, in quo palpebræ vel inter ſe, vel cum alba aut nigra oculi parte concreſcunt, aut cohærent. In cauſſa eſt ulcus negligenter & imperite curatum: Saneſcendo enim quod diduci debuit & potuit, conglutinantur, ἀγκύλωσις τοῦ βλεφάρου dicitur Aëtio, qui & πρόσφυσιν τοῦ βλεφάρου id vitii appellavit, *l.* 7. *c.* 66. ubi ejus curationem perſequitur. E Recentioribus videatur Aquapend. *Oper. Chirurg. cap. h. tit.* Meliorem & minus dolorificum curandi modum obſervavit Hildan. *Cent.* 6. *O.* 7. Junge Scultet. *Armam. Chirurg. P. I. Tab. XXX. fig.* 7.

ANCYLOGLOSSUM, ἀγκυλόγλωσσον, eſt *vitium linguæ*, aut congenitum membranis inferioribus, quæ linguam vinciunt, duriuſculis & brevioribus à natura productis, aut adnatum, i. e. accidentarium, cum ulcus ſub lingua cicatricem duriorem contraxit. Dicitur hoc malum etiam *Ancylion*, ἀγκύλιον, Ægin. *l.* 6. *c.* 29. Conjunctum eſt cum difficultate loquendi ſumma. Modum curandi Chirurgicum docet Aquapend. *d. l. tit. Linguæ Chirurgia.* Non ſemper eſſe, præſertim in infantibus recens natis neceſſariam illam ligamenti ſolutionem, & experientia confirmat, & teſtatur hiſtoria apud Hildan. *Cent.* 3. *obſ.* 28. quam grave periculum ex temeraria & plane non neceſſaria illa ſolutione ſecutum fuerit. Junge Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 13. *Ephem. Nat. Cur. Ann. III. p.* 576.

ANCYLOMELE, ἀγκυλομήλη (mendoſe ἀγκυρομήλη) dicitur *ſpecillum hamatum*, quo Medici vulnera pertentant, Gal. *in Exp. voc. Hippocr.* Gorr. *pag.* 2.

ANCYLOTOMUS, ἀγκυλότομος, *cultellus* dicitur, vel *ſcalpellum*, quo membranæ illæ linguam contrahentes & vincientes reſcinduntur. Quamvis & in genere accipiatur pro *cultello aciem incurvam habente* ab Ægin. *d. l. c.* 30.

ANCYRA, ἄγκυρα, vide *Uncus.* Hoc nomine quoque apud Epicharmum venire *pudendum hominis*, ſcribit Heſychius, teſte Gorr. *p.* 3.

ANCYROIDES, ἀγκυροειδὴς, vide *Coracoides.*

ANCYROMELE, ἀγκυρομήλη, rectius ἀγκυλομήλη. Vide *Ancylomele. Hamus.*

ANDARAC, id eſt, *Auripigmentum Rubeum*, Rul. Iohnſ.

ANDAS, dicitur *Reſolutio Salis*, vel *Sal reſolutum*, Paracelſ. *de ulc. apoſtem. &c. l.* 1. *c.* 1.

ANDENA, eſt *chalybs*, ex regionibus orientalibus advecta, *quæ liqueſcit igne*, haud ſecus, atque aliud quodque metallum, fundique ſe permittit in formas. Rul. & Iohnſ.

ANDRANATOME, vel *Androtome*, ἀνδρανατομὴ, ἀνδροτομὴ dicitur *diſſectio corporis humani*, præſertim maſculi aut virilis, & utrumque habetur in M. Aur. Severini *Zootome Democrit. l.* 1. *c.* 1. *p.* 36. & *l.* 2. *c.* 1. *p.* 91. *ſeq.*

ANDRAPODOCAPELOS, ἀνδραποδοκάπηλος, vide *Mango.*

ANDREIOS, ἀνδρεῖος, h. e. *virilis*, *generoſus.* Tribuitur metaphorice etiam vino robuſto & potenti, Erot. *in Onom. p.* 21. & 83. Foëſ. *p.* 57. Quidam etiam ſcribunt ἄνδρειος. Eſt autem vinum generoſum, quod aquæ multum fert & admittit. Linden. *Ex. X.* §. 111.

ANDRIA

ANDRIA, dicitur *Mulier Hermaphroditica*, ſexus virilis genitalibus etiam prædita, de qua legatur obſervatio apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 3. *ſ.* 32. *c.* 4. *p.* 859. *ſeqq.*

ANDROCOETEO, ἀνδροκοιτέω, idem, quod ἀνδρῦμαι, (de quo p. p.) i.e. *cum viro concumbo.* Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 160. quamvis ἀρσενοκοίτης (quod idem eſt cum ἀνδροκοίτης) alias in Sacro Codice nefandum concubitum maris cum mare ſignificat. *I. Cor. VI.* 9.

ANDROGENIA, ἀνδρογένεια, apud Hipp. dicitur generis ſucceſſio per viros, aut *virilis ſexus propagatio.* Foëſ. *Oec. p.* 57.

ANDROGYNI, ἀνδρόγυνοι, dicuntur *viri effœminati*, quando ſemen mulieris maſculam naturam habens prævaluit in conceptione ſemini viri fœmineo, ex mente Hipp. *l.* 1. *de diæt. XXI.* 26. Opponuntur ibi τοῖς ἀνδρείοις, *virilibus.* Hoc nomine quoque appellantur *Hermaphroditi*, de quibus *ſuo loco.*

ANDRONION, ἀνδρώνιον, nomen eſt *paſtilli ab Androne* Medico compoſiti, qui refertur inter vehementia medicamenta contra carbunculum ab Ægin. *l.* 4. *c.* 25. item ad Herpetem, *c.* 20. Vide Gorr. *p.* 36.

ANDROTOME, ἀνδροτομὴ, vide *Andranatome.*

ANDRUMÆ, ἀνδρῦμαι, Hipp. ſignificat *viro conjungi*, *concumbere*, τῷ ἀνδρὶ ξυνοικῆσαι, uti exponitur *l. de virgin. morb. III.* 36. ubi & tales ἀνδρούμεναι, *viro cohabitantes*, vocantur. Alias & ἀνδρωθῆναι ſignificat *virilem ætatem attingere*, 3. *de artic. t.* 104. Foëſ. *p.* 57. Opponitur τῷ ἀνανδρωθῆναι, h. e. *virum non eſſe expertam.* Unde ἄνανδροι dicuntur *fœminæ virum non expertæ.* Vide ſupra *Anandries.*

ANEBOS, ἄνηβος, vide *Impuber.*

ANECAS, ἀνεκὰς, adverbium, ſignificans *ſurſum.* Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. II.* 4. *l.* 2. *XXXVII.* 12. Foëſ. *p.* 58.

ANECESTOS, ἀνήκεστος, idem quod ἀθεράπευτος, ἀνυπομόνητος, *incurabilis*, *intolerabilis.* Hipp. 3. *de artic. t.* 103. & 2. *de R.V. I. A. t.* 40. Foëſ. *p.* 59.

ANECHO, ἀνέχω, id eſt, *promineo*, emineo, *intumeſco.* Uſus Hipp. de hæmorrhoidibus *tumentibus*, *l.* 5. *Epid. X.* 14. Foëſ. *d. l.*

ANECPYETOS, ἀνεκπύετος, i. e. *non ſuppurabilis.* Vide *Ecpyiſco.*

ANEILEMA, *Aneileſis*, ἀνείλημα, ἀνείλησις, *involutionem*, & in ſpecie torminum & flatuum in inteſtinis *involutionem* ſignificat. Hipp. *de vet. med. XL.* 16. & *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 55. Derivatur à verbo ἀνειλεῖσθαι, *ſurſum volvi, revolvi*, quod legitur *Prognoſt. ſ.* 2. *t.* 24. Foëſ. *p.* 57.

ANELEOS, ἀνηλεῶς, adverb. ſignificans *timide*, invite, *citra affectum.* Hipp. *l. de affect. XXXIIX.* 13. Foëſ. *p.* 59.

ANEMIUS, ἀνέμιος, epitheton *Furni*: vide *Furnus.*

ANEMOS, ἄνεμος, vide *Ventus.*

ANENCEPHALOS, ἀνεγκέφαλος, *Excerebratus*, i.e. *Caſtelli Lexic. Med.* tropice; amens, ſtolidus. Gal. *l.* 3. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 4. quamvis & propria ſignificatio applicari poſſit monſtris ſine cerebro natis, qualium obſervationes collegit Bonet. *Medic. Septentr. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 8. *p.* 29. *ſeqq.*

ANENIOS, ἀνήνιος, qui *ſine mœrore eſt* aut triſtitia, *innocuus*, illæſus. Foëſ. *Oec. p.* 58. Quod vero ibidem ſtatuit, δυσήνιος idem ſignificare cum ἀνήνιος, non videtur cum aliis teſtimoniis concordare; cum δυσήνιος ſignificet vel valde anxium, & qui levi de cauſſa mœrorem concipit; vel qui difficulter habenis contineri poteſt, i. e. effrenem, ab ἡνία, *habena.* Vide Henr. Steph. *in Theſ.*

ANEPICRITOS, ἀνεπίκριτος, dicitur de eo, *quod neque ſenſu, neque intellectu dijudicari poteſt*, qualis eſt diſſenſio & concertatio Empiricorum. Gal. *de ſect. c.* 5. Vide *Acatalepſia.* Foëſ. *p.* 58.

ANER, ἀνὴρ, vide *Vir.*

ANERECTOS, ἀνέρεκτος, ἀνέρεικτος, ἀνήρεικτος, h. e. *non freſus* aut fractus mola vel piſtillo. De farina, aut pane ex farina minus pura, nec cribro vel incerniculo parata, aut à furfuribus ſecreta dicitur, apud Hippocr. *l. de affect. XIV.* 13. Foëſ. *d. l.*

ANESIS, ἄνεσις, h. e. *remiſſio*, vide *Dialeimma.* Legitur apud Galen. *de temp. tot. morb. c.* 8. Vide & Aëtium *Tetrab.* 2. *l.* 1. *c.* 9. & 10. allegante Foëſ. *p.* 59.

ANETICUS, ἀνετικὸς, epitheton remediorum, vim remittendi habentium, ab ἀνίημι, *remitto*, & blanda vel placida dicuntur, notante Andr. Tiraquell. *de Nobilitat. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 127. *a.*

ANEURYSMA, ἀνεύρυσμα, dicitur *arteriæ dilatatio*, quæ fit ſinu in arteria ex vulnere facto, quod nec mature obductum, conglutinatum, aut carne contectum fuit. Gal. *de Tum. p. n. c.* 11. Clarius ſic deſcribi poteſt: *Aneuryſma* eſt tumor p. n. continuo pulſans, digitis facile cedens, at iterum ilico ſeſe extendens, ab arteriarum interioris tunicæ ruptura, & exterioris dilatatione. Barbette *Chirurg. P. II. L.* 1. *c.* 16. De hujus exemplis & curandi ratione vide ſis Hildan. *Cent. III. O.* 42. *ſeqq. tit.* & Thom Bartholini Hiſtoriam *Aneuryſmatis* diſſecti, cum epiſt. Joannis van Horne ejuſdem argumenti, aliosque recentiores; inprimis legi meretur obſervatio D. Ruyſchii *Aneuryſmatis* in brachio periculoſi feliciter curati, *in Centuria Obſerv. Anatomico-Chirurg. Obſ.* 11.

ANFAKA, id eſt, *Coagulum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANGEIOLOGIA, ἀγγειολογία, rectius fortaſſis *Angeiotomia*, ἀγγειοτομία, cum prioris etymi nulla videatur adeſſe ſufficiens ratio, eſt vaſorum in temporibus, vel fronte diſſectio artificioſa, cujus modum deſcripſit Æginet. *l.* 6. *c.* 5. & ex hoc Gorræus *p.* 2.

ANGEION, ἀγγεῖον, vide *Vas.*

ANGELICUS *pulvis*, epitheton eſt hyperbolicum nimis jactuoſe & minus vere attributum *Mercurio vitæ* apud Schröder. *Ph. l.* 3. *c.* 15. Nominis hujus defenſionem vide ſis apud Libav. *Synt. Ch. Arc. l.* 4. *c.* 17. An fortaſſis eo ſenſu intelligendum, quo eundem *Mercu-*

rium vitæ ſcil. *æternæ*, ubi *Angelorum* ſocietate perpetua frui licet, appellaſſe Hildan. *in epiſt. ad D. Mich. Döringium*, teſtatur Sennert. *Inſtit. l.* 5. *pag.* 3. *ſ.* 3. *cap.* 18. & ex hoc Caſp. Hofm. *in præfat. ad Officinalia.*

ANGI, dicuntur *Bubones*, ſeu tumores in inguinibus. Fallop. *de morb. Gall. c.* 90. *Tom. I. p.* 738.

ANGINA, ab *angendo*, quod *angat* guttur, Græce συνάγχη, vel κυνάγχη, quod poſterius Hippocrati magis eſt familiare, phlegmone, vel inflammatio aliis extra collum, ut partes tumeſcant, aliis intra tonſillas, ut ſimul partes quoque afficiantur reſpirationis, & ægra ſpiratio ſequatur. Galen. *in defin. Med.* aliter: *Angina* eſt anguſtia faucium, cum ſpirationis & deglutitionis difficultate, aliiſque ſymptomatibus, proveniens ab inflammatione faucium & laryngis legitima vel ſpuria. Quod vero Medici recentiores poſt Hippocr. ſingulis anginæ ſpeciebus & differentiis certa impoſuerint nomina, videlicet *Synanchen*, συνάγχην, appellantes, cum interni faucium, hoc eſt loci, ubi ſimul conveniunt gutturis gulæque extrema, muſculi inflammati ſunt: deinde *Cynanchen*, κυνάγχην, quando interni gutturis muſculi inflammantur, ita, ut æger inſtar anheloſi canis linguam exerat: tertio *Paraſynanchen*, quando exteriores faucium muſculi inflammationem patiuntur. Denique *Paracynanchen*, παρακυνάγχην, cum externi gutturis muſculi inflammatione laborant, quemadmodum ex Æginet. *lib.* 3. *cap.* 27. recenſet Gorræus *pag.* 253. & ex parte etiam ſequitur Barbette *Chirurg. dict. l. cap.* 18. videtur plane ſupervacanea eſſe ἀκριβολογία, ita ut Galen. recte dixiſſe videatur de iis, *lib.* 4. *de Loc. Aff. c.* 3 tum primum homines res ipſas neglexerunt, quum nimio ſtudio nomina quærere inciperent. Autores, qui hunc affectum pertractarunt, veteres & recentiores vide apud Walther. *Sylv. Medic. p.* 55. *ſeqq.*

ANGIOSPERMOS, ἀγγειοσπέρμος, epitheton plantarum, quæ ſemina vel fructus ſuos ferunt, binis membranulis cinctos, non facile à nucleo ſeparabilibus, ad differentiam Gymnoſpermarum dictarum, quæ tribus utplurimum integumentis circumvallata gerunt ſemina. Legitur utrumque nomen in D. D. Joh. Georg. Volcameri *Floræ Norimberg.* & *in Actis Erud. Lipſ. A.* 1700. *in Novemb. p.* 527.

ANGLICUS *ſudor*, h. e. *Febris ſudatoria epidemica*, ὑδροπυρετὸς dicitur quædam ſpecies febris peſtilentialis colliquativæ, cum nimiis ſudoribus, aliiſque ſymptomatibus malignitatem magnam ſignificantibus, à maſſæ ſanguineæ per contagioſa ſuforia effluvia (quæ in ſale volatili ſubacido conſiſtere credit Franc. de le Boe Sylvius *P. M. l.* 1. *c.* 58. §. 17. & in ſpecie in ſuccum Pancreaticum magis volatilem, quam acrem refert, *c.* 30. §. 40. & 114.) nimia colliquatione & diſſolutione proveniens. Plura de hac febre legantur apud Sennert. *de Febrib. l.* 4. *c.* 15.

ANGOR, ἀγωνία, ἀδημονία, eſt nativi caloris contractio, & in centrum retractio, ad quam ſequitur ejuſdem cordis dolor, palpitatio & triſtitia, peſſimumque eſt ſignum, ſi in principio acutarum febrium advenerit. Gal. *com.* 1. *de hum.* & *com.* 2. *in lib.* 1. *Epid. t.* 75. *lib.* 4. *de diff. pulſ. c.* 3. Obiter mirandum, quod neutrum vocabulum Græcum ſatis emphaticum expoſuerit Foëſ. vel Gorræus, quamvis utriuſque ἀκρίβειαν eleganter diduxerit Henr. Stephan. *in Theſauro.*

ANGOS, ἄγγος, idem, quod ἀγγεῖον, ſignificat in genere *vas*, & conceptaculum humorum. In ſpecie tamen Hippocr. accepiſſe pro *utero*, *l.* 6. *Ep. ſ. V. t.* 17. quamvis inſolenter exiſtimat Galenus *in comm.* Rationem hujus expoſitionis dedit Proſp. Martianus *in Annot. ad Hipp. d. l. p.* 352. Dixit *vas*, ut indicaret humores morboſum uterum afficientes in ejus cavitate conſiſtere, non per ejus tunicas exteriores diſperſos. Hi enim non ita mammis communicantur, quemadmodum illi, qui in cavitate conſiſtunt. Enimvero mihi neque ratio adducta ſatis liquida, neque veris anatomicis principiis conformis videtur.

ANGUILLA, ἔγχελυς, piſcis eſt fluviatilis notus; olim inter delicatiſſimos apud priſcos habitus, & hodie menſis divitum opiparis ſaltem apponitur. Uſus quoque ejus in medicina laudatur in dolore aurium, alopecia, hæmorrhoidibus, præſertim pinguedinis. Plura vide apud Aldrov. *l.* 4. *de piſc. c.* 14. Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 72. Bruyerin. *de re cibar. l.* 19. *c.* 39. & ex recentioribus D. Chriſtian. Franciſc. Paulin. de *Anguilla* cœnarum Helena.

ANGUIS, ὄφις, in genere ſignificat *ſerpentem.* In ſpecie vero accipitur pro ſerpente non venenato, qualis eſt *anguis Æſculapii*, *Pareas*, παρείας, dicto, de quo legatur Aldrov. *l.* 1. *Hiſt. ſerp. & drac. c.* 16.

ANGULUS, κανθὸς, *Canthus*, dicitur de oculis; eſtque oculi pars communis ſuperioris & inferioris palpebræ, vel eſt extremum utriuſque palpebræ connexum. Habet autem uterque oculus angulum duplicem, unum majorem, juxta nares, ſub quo *caruncula lachrymalis*, ἐγκανθὶς propterea dicta, deliteſcit; alterum minorem juxta tempora, παρωπίας, *hirquus*, Polluci *l.* 2. *c.* 4. dictum, Galen. *l. Introd. c.* 10. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 10. §. 88. quamvis *hirquus* etiam pro utroque *angulo* ſumatur. *Angulus* operis vocatur *Lapis Philoſophorum*, apud Lagneum *in Harmon. Chym. Vol. IV. p.* 719.

ANGUSTIA, *Anguſtatio*, στενοχωρία, pertinet ad differentias eſſentiales, vel ſpecies morborum organicorum in vaſis & meatibus, quando p. n. coarctantur, & anguſtiores redduntur, cujus iterum variæ habentur ſpecies ſubalternæ, v. g. *Obſtructio*, *Subſidentia*, *Coaleſcentia*, *Compreſſio*, de quibus ſingulis ſuo loco. Galen. *l. de diff. morb. cap.* 7.

ANHALDINUM eſt epitheton corroſivi alicujus; cujus

cujus deſcriptio habetur apud Hartmann. *Prax. Chymiatric. Tom. I. oper. edit. in folio Francofurt. p.* 114.

ANHALTINUS, epitheton Aquæ & Spiritus medicamentorum confortantium & pretioſorum; & aquæ quidem deſcriptio habetur *in Diſpenſatoriis uſitatis*, Spiritus vero in D. de Spin. *Lex. Ph. p.* 869.

ANHELITUS, *Anheloſi*, vide *Aſthma. Orthopnœa.* A Chymicis *Anhelitus* ſumitur pro *fumo*, aliis pro *fumo equino*. Rul. *in Lex.*

ANIADON, *Aniadum*, *Aniadus*, terminus eſt Paracelſicus, ſignificans vel rerum efficaciam & vires eſſentiales, vel cœleſte corpus, quod in nobis Chriſtianis plantatur à Spiritu S. per Sacramenta: vel eſt ipſe homo ſpiritualis in nobis regeneratus: vel ſunt fructus paradiſi & cœli. In Phyſicis ſignificat aſtrales vires atque cœleſtes, quæ per influentiam, imaginationem, & æſtimationem nos ad vitam longam protrahunt. Meminit hujus vocabuli aliquoties Paracelſ. *in libris de vit. long.* Dorn. *in Dict. Paracelſ.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANICETON, ἀνίκητον, eſt epitheton emplaſtri, quod ad Critonem autorem refertur. Deſcribitur à Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 8. ſic dictum, quaſi *inexſuperabile*, & in curatione achorum nunquam fallens. Ita & inter collyria liquida *d. l. l.* 4. *c.* 7. legitur formula quædam, *Anicetus Aſter* dicta. Gorr. *p.* 38.

ANIDROSIS, ἀνίδρωσις, i.e. *ſudoris nullitas* vel *privatio*. Hippocr. *l.* 7. *Epid. LI.* 11. Hinc & febris, quæ *ſine ſudore* & criſi in longum tempus protrahitur, propter exagitatam à purgantibus naturam, dicitur, ἄνιδρος καὶ ἄκριτος, 4. *de R. V. I. A. t.* 44. Adverbium ἀνιδρωτὶ, i.e. *ſine ſudore*, aliquoties uſurpavit etiam Hippocr. *l.* 1. *Prorrh. com.* 2. *t.* 17. *c.* 3. *t.* 30. *Coac. t.* 297. 299. Foëſ. *pag.* 62.

ANIMA, ψυχὴ, ſubintellige *Humana*, duplicem habet potiſſimum ſignificationem. Prima eſt Philoſophica, quatenus denotat in homine ſubſtantiam illam incorpoream & immortalem abſtractive à corpore conſideratam, cujus tamen eſſentiam & naturam Gal. in quamplurimis locis ſeſe ignorare ingenue confeſſus eſt, neque etiam magni refert Medico, ſcire, vel neſcire, quid ea ſit, ad ſanitatem tuendam, vel ad morborum curationem. Hinc & alii Philoſophi Medici, præſertim οἱ θεῖοι, Scherbius & Caſp. Hofmann. negarunt, Medicum, qua Medicum, ſcire debere, quid ſit *anima?* Imo, quid ſi diceremus, nec Philoſophum, qua talem, ſcire poſſe, ſcil. à priori? Sane licet Ariſtot. diverſitatem *animæ humanæ* à brutorum *anima*, ut & divinitatem, immortalitatemque agnoverit, *l.* 2. *de anim. t.* 21. quæ poſt mortem à corpore poſſet ſeparari, ceu perennans vel æternum quid, originem tamen & naturam, ob quam immortalitatis particeps ſit, determinare non potuit. Maluit quippe in dubio relinquere, quam temere quid affirmare, aut negare, verbis C. Hofmann. *l.* 2. *de gen. hom. c.* 2. Quod recentiores, imo noviſſimos Philoſophos e cætu Chriſtianorum attinet, quamvis in eruenda & explicanda *animæ humanæ* natura, origine & modo operandi nulli pepercerint operæ, in eo conſentientes, quod ſit ens incorporeum, ſpirituale, incorruptibile, & immortale, quemadmodum videre eſt apud Joh. Marcum Marci *in Philoſ. Vet. reſtit. part. III.* Thom. Willis *de Anim. Brut. P. I.* alioſque partim Peripateticam, partim Carteſianam ſectantes philoſophiam. A quo tamen principio hanc naturam ſpiritualem & immortalem obtineat, ſcire aliter non potuerunt, niſi ex revelatione verbi divini, qua conſtat, *animæ humanæ* originalem eſſentiam eſſe ab inſpiratione primæva Dei optimi maximi creatoris, & ita divinæ particulam auræ. Interim, quamdiu *anima* noſtra cancellis corporis organici veluti incluſa tenetur, & ita nondum liberrimæ activitatis eſt; non eſt capax illius *auræ divinæ inſpiratæ* eſſentiam explicare, quia nec ipſius Dei naturam mente comprehendere & exprimere, noſtrarum eſt virium. Ita nec hominum quenquam eſſe, opinamur, qui, quamvis mentem intendat, dicere poſſit, ſe experiri, ubinam *anima* cogitet, ſeu intelligat, ac ratiocinetur, & maxime, cum, ſi in capite, aut in corde, aut in ſanguine dicat, videat, quam perſpicaces doctique viri idem, facto ſæpius experimento, in ſeipſis experiri non potuiſſe, fuerint profeſſi, verbis veriſſimis Charlton. *Ex. IIX. Pathol.* §. 8. Altera eſt Medica, quatenus *anima* ſignificat principium illud activum & proximum *animæ* in prima ſignificatione ſumtæ inſtrumentum, cujus beneficio membra corporis vivunt, ſentiunt, moventur, & omnes in vita actiones edunt. Hanc intellexit Hipp. quando *l.* 6. *Epid. ſ. V. t.* 5. hominis *animam* perpetuo fieri, vel naſci uſque ad mortem dixit. Ideo vero naſcitur, quia perpetuo moritur. Finis namque ab origine pendet. Eſt enim ignis, à quo in exiſtendo & operando dependet, natura fluxa & caduca, & alimenti ea propter indiga perpetui, pluris aut paucioris, prout vel ætas, vel anni tempeſtas, vel alia quæcunque ἀπὸ τῶν ἔξωθεν externa neceſſitas poſtulaverit, quemadmodum egregie locum hunc explicavit Linden. *S. M. Ex. XV.* §. 39. Hanc intellexiſſe Galenum, nullum eſt dubium, quando ſcripſit, quod *anima* aut temperamentum ſit activarum qualitatum, aut illud, quod temperamento alteratur, & organo velut in operando utitur, *l.* 3. *d. L. A. c.* 7. Ad ſummam: *Anima hæc* eſt *calor*, *ſpiritus*, *aura*, *ignis*, *flamma vitalis*, *biolychnium*, *natura*, vel quocunque tandem nomine appellare libuerit. Ea potiſſimum in & cum ſanguine (quam Virgil. propterea *purpuream animam* haud inepte dixit) ſuam habet exiſtentiam & perennitatem, unde Gal. ipſum *ſanguinem* appellare *calidum nativum*, non eſt veritus, *l. adv. Lycum c.* 7. In hac ſignificatione vocavit Willis *animam brutalem*, quia hac ratione non differt ab *anima brutorum*, *d. l.* In tropica ſignificatione à chymicis & ſpagyricis *anima* accipitur in genere pro omni ſimplici per ſe volatili, po-

teſtatem habente ſecum rapiendi corpus, ac deferendi ob igne. Dion. Zacharius *in Th. Chym. Vol. I. p.* 740. In ſpecie medicamenta ſimplicia artificioſe per reſolutionem & extractionem exaltata *animarum* nomine exornantur, v.g. *anima* Aloës, Rhabarbari, Veneris &c. apud D. D. Wedelium & alios. In opere lapidis philoſophici, *anima* notat *aquam mercurialem philoſophicam*, *Vol. III. p.* 26. *Vol. IV. p.* 75. 721. *ſeq.* imo etiam *lapis phil. animæ* nomine appellatur, *p.* 728. *ſeq.* Vide etiam *in Vol. V. Indice.* Rul. *in Lex.* Specialiſſime *anima Saturni* dicitur *Altec* vel *dulcedo plumbi* ſuaviſſima, quæ aceto extrahitur. Dorn. Rul. & Iohnſ. Modus deſcribitur in Proc. Paracelſi, qui habetur in *Th. Chym. Vol. III. p.* 363. & ab Anton. Nero *Artis vitrariæ l.* 7. *c.* 123. *Anima catholica mundi* dicitur *ſpiritus univerſalis* rerum cum ſubſtantia humida, ætherea, & quinteſſentificata veſtitus & conjunctus, à Joh. Coleſſone *in idea perfecta Phil. Herm. Th. Ch. Vol. VI. p.* 147.

ANIMAL, ζῶον, dicitur, quod præter vitam & facultatem vegetativam ſenſu quoque & motu locali gaudet. *Animalium* naturam exponere quamvis ad Medicum proprie non ſpectet, neque etiam ſubjectum Medicinæ conſtituant (quod Plempius *in Fundam. ſuis* voluit) quatenus tamen ad materiam Medicam ſpectant, vel diæteticam, vel pharmaceuticam, eatenus ad objectum Medicinæ referri haud immerito debent. *Animal* veluti *parvum mundum* eſſe, veteris naturæ periti dixerunt, teſte Galen. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. *fin.* Simpliciter poſitum plerumque contradiſtinguitur ab homine. Dicitur alias *Brutum*, *Beſtia*. *Beſtiola* pro *inſecto*, ſumitur Rhod. *in Lex. Scrib. Animalia ſunt* terreſtria, aquatilia, quadrupeda, bipeda, volatilia, inſecta &c. *Animal* quoque myſtice & ſpagyrice vocatur *Lapis Philoſ.* & quidem *nobiliſſimum*, ad exemplum majoris mundi, & minoris, ſcil. hominis factum. Libav. *Apoc. Herm. P. prior. c.* 21. Lagn. *in Harmon. Chym. Th. Chym. Vol. IV, p.* 727.

ANIMALIS *Facultas* vel *Virtus*, vide *Facultas.*

ANIMALIS *Motus*, vide *Motus.*

ANIMALIS *Spiritus*, vide *Spiritus.*

ANIMATIO, eſt vocab. ænigmaticum alchymiſtarum, in negotio tranſmutationis metallorum, quando terra alba foliata eſt fermentanda cum aqua ſulph. philoſophica, vel cœleſti. Libav. *S. A. Ch. l.* 7 *c.* 8. *Animatus Mercurius* dicitur, quando per perfecti metalli conjunctionem ad certam ſpeciem eſt perductus, de quo legi poterit idem *Apoc. Hermet. Part. prior. c.* 10. Talis Mercurius ad opus lapidis philoſophici requiritur à ſpagyricis.

ANIMELLÆ dicuntur glandulæ ſub aurium radicibus & univerſo ſpatio inferiori maxilla circumſcripto contentæ vaſorum diſtributionibus præfectæ, quæ & lacticinia appellantur. Veſal. *l.* 6. *de H. C. F. c.* 5. *p. m.* 22.

ANIMI & *Animæ Deliquium*, vide *Lipothymia. Syncope.*

ANIMI *pathemata*, vide *Affectus.*

ANIMUS, νοῦς, νόος, θυμὸς, γνώμη, διάνοια, idem, quod *mens*, aliquando ſumitur late pro *anima* in genere, & ita de brutis quoque dicitur apud Gal. *l.* 6. *An. adm. c.* 1. quod omnia animantia habeant corpus *animi* moribus & facultatibus conforme, quamvis in Græco legatur ψυχή. Uſitatius vero ſtricte ſignificat vim ac virtutem *animæ* humanæ ratiocinativam, dijudicativam & cognoſcentem. Egregie differentiam *animi* & *animæ* propoſuit Linden. *Ex. XIII.* §. 475. *ſeq.* ex Nonio & aliis Grammaticis, quamvis *animam* in poſteriori ſignificatione accepiſſe videatur, dicens: *Animus* & *anima* hoc diſtant: *animus* eſt, quo ſapimus: *anima*, qua vivimus. Sapimus *animo*, fruimur *anima*. Sine *animo anima* eſt debilis. Medicis *anima* vitalis eſt; *animus* animalis eſt &c. Vide *Mens.*

ANISCALPTOR vocatur muſculus latiſſimus, qui totum fere dorſum tegit cum ſuo compari. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 2. *p.* 561.

ANISOS, ἄνισος, vide *Inæqualis.*

ANISOSTHENES, ἀνισοσθενὴς, vide *Iſoſthenes.*

ANISOTACHYS, ἀνισοταχὺς, epitheton pulſus, *inæqualis cum celeritate* conjuncti. Gorr. *p.* 38.

ANNETESTES, dicuntur Paracelſo ſcoptice *Medici Galenici*, ceu ignorantes, cœcutientes in rerum principiis & cauſſis inveſtigandis, *Fragm. de morb. Gallic.*

ANNORA, eſt *calx ovorum*, vel *calx viva.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANNOTATIO, ἐπισημασία, dicitur ipſum principium paroxyſmi febrilis, quando ſolent ægri horrere, refrigerari, oſcitare, pandiculare, dormitare, & alia quædam his ſimilia pati, Gal. 2. *aph.* 1. Dicitur & εἰσβολὴ πυρετοῦ. Verum eſt & alia *Annotatio* vel *Epiſemaſia* Hecticarum febrium propria, quando ægri una vel altera hora poſt aſſumptum cibum calorem, & pulſuum celeritatem magnitudinemque intendi ſentiunt, abſque tamen horrore, refrigeratione, aut alio antea dictorum ſymptomatum. Hinc ἐπισημασία ἄθλιπτος, *annotatio incompreſſa* dicitur, *l. de diff. febr. c.* 9.

ANNUENS eſt epitheton muſculi capitis recti interni minoris ad differentiam recti interni majoris, ab uſu ita vocati, quod caput flectat & *annuere* faciat. Legitur *Act. Erud. d. l. p.* 508. & *cap.* 22. *Myologiæ Reformatæ* Guilielmi Cowper Chirurgi Angli.

ANNUITIO, dicitur apud Plin. motus capitis in partem anteriorem. Vide *Renuitus.*

ANNULUS, δακτυλίδιον, κρίκος, quid proprie dicatur, ex aliis Lexicis notum eſt. Eorum quoque varium eſſe uſum in Medicina, experientia teſtatur. In ſpecie *annuli purgatorii* e Saturni vitro parati meminit Quercet. *de Med. Hermet. def. c.* 9. & ex hoc Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 20. De *annulis ſuperſtitioſis* contra colicam & epilepſiam ex Marcell. & Tralliano lege Keuch. *in not. ad Seren. p.* 66. *ſeq. Annulos Chirurgicos* ad confirmandum oculum, & ſcalpellum occultantem delineatos

tos vide apud Scultet. *Arm. Chirurg. P.* 1. *Tab. VIII. fig.* 5. *T. XIV. fig.* 14. *& T. XXXVI. fig.* 1. *Annulum* aureum ore detentum extrahere e corpore argentum vivum ſcribit Joh. Zecchius *de morb. Gall. c.* 19. *p. m.* 58. *Annularis digitus* dicitur *minimus* in manu. *Annularis* vel *annuliformis cartilago* κρικοειδὴς, quæ ſit, vide *Cricoides.*

ANNUS, ἔτος, ἐνιαυτὸς, quid ſignificet, notum eſt. Hunc communiter trecentis & ſexaginta quinque diebus, & quarta diei parte inſuper conſtare dicunt, quamvis Hipparchus adhuc quingenteſimam ſeptuageſimam ſextam diei partem addiderit, quæ ſubtilitas eſt ſupervacanea. Gal. *princ. com. de ſeptim. partu. Anni tempora* Gr. ὧραι τοῦ ἔτους, aliquando ſimpliciter ὧραι, aliquando καιροὶ dicuntur. Veteres olim duo ſaltem conſtituiſſe, *æſtatem* nimirum & *hyemem*, demonſtrat ex Theophraſto Lind. *Ex. XI.* §. 196. Recentiores vero in quatuor diviſerunt, addendo illis duobus adhuc alia: *ver* & *autumnum*, de quibus omnibus ſuo loco. *Anni tempora*, eorumque viciſſitudines variis morborum mutationibus anſam dare, docet Hipp. *ſect.* 3. *aphor.* Hinc eorum temporum temperies & mutationes probe ſunt obſervandæ. *Anni tempora conſtantia* καθεστῶτες καιροὶ dicuntur, quando tempeſtive fiunt, morboſque ſtabiles & boni judicii promittunt: quæ vero ſunt *inconſtantia*, ἀκατάστατοι, inſtabiles & difficilis judicii, patet *ex* 3. *aph.* 8. *Annus Philoſophicus* eſt *menſis vulgaris*, Dorn. & Rul. *Annus Amadin* eſt vita longa, Dorn. *Anni unius opus* vocatur *Lapis Philoſophicus*, quia in *annum* hujus operis poteſt fieri perfectio, nempe de groſſo in ſubtile, de fixo volatile. Lagn. *in Harm. Chym. Th. Chym. Vol. IV. p.* 771. *ſeq.*

ANO, ἄνω, ſignificat *ſurſum*, & opponitur τῷ κάτω, *deorſum.* Jungitur ſæpe apud Hipp. & alios cum nomine κοιλία, *venter*, & denotat os ventriculi & œſophagum, 4. *aph.* 4. inferior vero inteſtina. Ipſa quoque purgantia quædam dicuntur ἄνω, quæ ſunt *vomitoria*, quædam κάτω, quæ per *alvum* educunt, *l.* 5. *Epid. II.* 6. Jung. Linden. *Ex. XIII.* §. 357. *ſeqq.* Dietr. *Iatr. num.* 70. Dicitur & aliquando ἄνωθεν, quamvis hoc ſit temporis & loci adverbium, 7. *aph.* 32. Vide & Foëſ. *p.* 65. 66.

ANOCHEILON, ἀνώχειλον, ſignificat *labium ſuperius*, cui opponitur κατώχειλον, labium inferius, & utrumque legitur in D. D. I. M. Hoffmann. *Ideæ Machin. Human. ſect.* 28. §. 1.

ANOCHYROS, ἀνόχυρος, i. e. *non munitus*, ab α, & ὀχυρὸς, vel ἐχυρὸς, *munitus*, firmatus. Legitur apud Hippocr. *l. de A. L. & Aq. LIIX.* 1. Foëſ. *d. l.*

ANODIA, ἀνοδία, *iter invium* ſignificat tropice Hipp. *l. Præcept. II.* 8. pro inepta & incongrua diſcendi ratione; cui opponitur εὐοδίη, ἡ εὐοδὴς τέχνη, *ars pervia* & facilis, *l. de dec. orn. IV.* 10. Foëſ. *p.* 62.

ANODMOS, ἄνοδμος, *inodorus.* Uſurpavit de jure laudabili Hipp. *Coac. t.* 206. Dicitur & ἄνοσμος, *t.* 172. & opponitur δυσώδης, *fœtidum.* Foëſ. *dict. l.*

ANODUS, eſt id, quod ex nutrimento ſeparatur à renibus, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* cui opponitur calx, quod eſt ſuperfluum, i. e. urina, Parac. *l.* 1. *de Tartar. tract.* 3. *c.* 2. *in annot.* Græcum ἀνόδους, ſignificat *edentulum*, de quo infra in lit. E.

ANODYNA, ἀνώδυνα, *medicamenta* dicuntur *dolorem lenientia* & ſedantia. Suntque duorum generum. Quædam proprie talia vocantur, & revera dolores mitigant, unde & παρηγορικὰ, *Paregorica* appellantur, quæ ſunt temperata, noſtroque calori maxime convenientia, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 19. Quædam vero improprie talia ſunt, veluti ſi quiſquam hominem mortuum ἀνώδυνον appellet, i. e. doloris expertem, *d. l.* Suntque ea, quæ refrigerando & ſtupefaciendo doloris ſenſum tollunt, alias *Narcotica* quoque dicta, *ex l.* 2. *ad Glauc. c.* 6. qualia ſunt opiata. Gorr. *p.* 40. 41.

ANODYNIA, ἀνωδυνία, idem, quod ἀπονία, ἀνοχλησία, & ſignificat *indolentiam*, doloris abſentiam, moleſtiæ vacationem. Gal. *com.* 2. *in l.* 1. *Epid. t.* 46. & *l.* 6. *in Epid. t.* 5.

ANODYNUM minerale, i. e. Sal prunellæ. Phil. Hechſtet. *Obſer. med. Dec.* 1. *c.* 6.

ANOEA, ἄνοια, vide *Amentia.*

ANOMALIA, ἀνωμαλία, in genere *inæqualitatem* ſignificat. Ita ἀνώμαλος σφυγμὸς, *inæqualis* pulſus dicitur. In ſpecie vero *Anomalia* eſt ſenſus humoris pauci & minime acris per corporis habitum ante febrem leviter moti, eſtque ſymptoma ante acceſſionem febrilem exoriens, ſicut rigor & horror. Pertinet ergo ad *Epiſemaſiam*, ἐπισημασίαν, ſive *Annotationem.* Gorræus *p.* 41. Refertur etiam à Gal. inter ſigna menſium ſuppreſſorum, *l.* 6. *de L. A. c.* 5. *Anomalus* abſceſſus, qui & *multiformis* eidem vocatur, M. Aur. Severino dicitur, qui continet præter humorem etiam ſubſtantiam aliquam ſolidam p. n. & propterea natura talium abſceſſuum inter alienam & animatam media; De his integrum librum dictus autor inſeruit *libro de Abſceſſibus*, *h. t.*

ANOMOEOMERES, ἀνομοιομερὲς, *diſſimilare* dicitur, quod ex ſimilaribus partibus eſt conflatum. Galen. *l.* 7. *M. M. c.* 6. Vocantur & ὀργανικὴ Gorræus *p.* 39. Perperam vero in Medicina pro *organicis* tantum habentur *diſſimilares* partes, cum omnes etiam *ſimilares* alias dictæ, os, fibra, nervus, vena, arteria, conſiderari debeant, quatenus ſunt *organicæ*, h. e. facultatem habent agendi, vel uſum præſtandi, in qua ſanitatis formalis ratio conſiſtit. Vide *Dogm. Med. Gen. P. I. c.* 2. *dogm.* 6. *p.* 26. *ſeq.*

ANOMOEOS, ἀνόμοιος, *Diſſimilis.* Dicitur & *Heterogeneus.* Uſurpatur ab Hipp. de humoribus præter naturam, & vitioſis, qui vel ſurſum, vel deorſum removeri debent, quo ſcilicet vergerint, *l.* 6. *Epid. ſ. II. t.* 9. Foëſ. *p.* 62. Aliquando & pro ἀνίσος, *inæqualis*, ponitur.

ANOMPHALOS, ἀνόμφαλος, vocatur, qui umbilico caret, quales fuerunt Adam & Eva, utpote creati non

per vaſa umbilicalia nutriri, unde etiam ἀνόμπαλοι depicti, quemadmodum ſcripſit D. P. Ammann. *Irenic. p.* 102.

ANONTAGIUS, *lapis* eſt *philoſophicus*, donum Dei, ſulphur fixum à natura. Dorn. *in dict.* Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

ANONYMUS, ἀνώνυμος, i. e. *nomine carens.* Fuit quondam epitheton ſecundæ cartilaginis in gutture, quæ tamen poſtea nomen accepit *Cricoides*, κρικοειδής dicta, vel *annuliformis*, de quo vocabulo paulo ſuperius. Vocavit vero inter alios *anonymon* Theophil. Protoſpatarius *d. H. C. F. l.* 3. *c.* 15. *p. m.* 178.

ANORCHIDES, ἀνόρχιδες, dicuntur, *qui ſine teſticulis naſcuntur*, ſicut e Fortunat. Fidel. notavit P. Ammann. *Irenic. p.* 136.

ANOREXIA, ἀνορεξία, i. e. *inappetentia*, ciborum faſtidium, cum ſtomachus intemperie affectus, aut humorum redundantia gravatus, cibos refugit. Ægin. *l.* 3. *c.* 37. Fermentum enim ventriculi deſtructum eſt. Idem ſignificare videtur, quod *aſitia*, vel *apoſitia*, ἀσιτία, ἢ ἀποσιτία, i. e. *abſtinentia à cibo*, juxta Gal. 4. *aph.* 19. quamvis alibi inter ἀσίτυς & ἀποσίτυς diſtinguat *c.* 1. *in l.* 1. *Epid. t.* 29. Ἀνόρεκτοι duplicis ſunt generis: Quidam enim ſimulatque *dapes* libarunt, veluti ſatiati protinus abſtinent, Græcis propterea ἀψίκοροι dicti. Hos olim *Tædulos* Latini appellabant: alii vero ſunt qui nihil omnino appetunt. Galen. *l.* 1. *de cauſſ. ſympt. c.* 7. Hinc per ὑποστροφὴν, ab Ægin. h. e. *faſtidium* deſcribitur, *d. l.* Linden. *Ex. XIV.* §. 63. Plures de ἀνορεξία, vel *inappetentia*, autores vide apud Walther. *Sylv. Med. p.* 103. *ſeq.* ubi *appetitum dejectum* vocat.

ANORGISMENON, ἀνοργισμένον, ſignificat apud Hipp. *remollitum.* Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* Gorr. *p.* 39.

ANOSIA, ἀνοσία, i. e. *morbi carentia*, diciturque de actu ſanis, eſtque alter finis particularis medicinæ, ne ſani in morbos incidant, uti patet ex elegantiſſimo loco Hipp. *l.* 2. *Prorrhet.* quem citavit Dieter. *n.* 449.

ANOTASIER, eſt *ſal ammoniacum.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANSER, Χὴν, inter aves majores aquaticas palmipedes eſt notiſſima. Ejus hiſtoriam, differentias, & uſum in cibis atque medicina vide, ſi curæ eſt, apud Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 17 *ſeqq.* Bruyerin. *de re cibar. l.* 15. *c.* 29. Claud. Deodat. *l.* 1. *c.* 36. Renat. Moræum *ad Schol. Salern. c.* 65. Schröder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 46. *Anſeres* e ligno in mare projecto naſci, Claki dictos, legitur apud Menenſ. *Aurei Veller. l.* 1. *c.* 12. in *Th. Chym. Vol. V. p.* 331.

ANTACHATES, ἀνταχάτης, eſt *ſuccinum*, vel *lapis alterius coloris* bituminoſus, qui, cum uritur, myrrham redolet, ut ſcribit G. Agricola, allegante Gorr. *p.* 39.

ANTACIDA dicuntur remedia, quæ acidis humoribus & particulis reſiſtunt, proque horum varietate etiam varia eſſe debent. Legitur apud Dolæum *Encyclopæd. l.* 1. *c.* 3. §. 19. *p.* 55. Græce etiam dici poſſent ἀντοξία.

ANTAGONISTA, ἀνταγωνιστής, epitheton muſculorum aliis contrariorum, v. g. Abductor & adductor brachii ſunt *antagoniſtæ.* Barthol. *Anat. l.* 1. *c.* 5. *p.* 41.

ANTAL, eſt *lotio pura.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANTALGICUS, ἀνταλγικὸς, eſt epitheton *remediorum dolorem* in genere *ſedantium.* Unde Jonquetus emulſionem ſuam *antalgicam* vocavit, cujus meminit Roſin. Lentilius *Miſcellan. Medic. Pract. p.* 514.

ANTALI, vide *Entali.*

ANTAPHRODISIACOS, ἀνταφροδισιακὸς, epitheton medicamentorum ſemen extinguentium & ſtimulum venereum. Legitur apud Wedel. *Amæn. Med. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 18. *p. m.* 455. *ſeqq.* ubi & Latine ex parte per antivenerea expreſſit.

ANTAPODOSIS, ἀνταπόδοσις, legitur apud Hipp. 1. *aph.* 12. (quamvis Galen. ibidem legerit ἐπίδοσις) denotatque *ſtatam periodorum febrilium reciprocationem*, vel repetitionem, & viciſſitudinem. Dieter. *n.* 68.

ANTATROPHON, ἀντάτροφον, eſt epitheton Trochiſcorum D. Scretæ uſitatorum contra atrophiam, quorum deſcriptio videatur in Roſin. Lentilii *Miſcell. Medico-Pract. P. III. p.* 59. quamvis & ad ſcrophulas, gibboſitatem & rachitidem uſum eſſe Autorem *ibidem* etiam legatur.

ANTECEDENS, προηγουμένη, ſcil. *cauſſa.* Vide *Cauſſa. Antecedentia* alias ſigna Laur. Bellino dicuntur, quæ quemlibet morbum antecedunt, *in Opere noviſſime edito p.* 247. *ſeqq.*

ANTECHO, ἀντέχω, vel ἀντέχομαι, i. e. *reſiſto, renitor.* Legitur de ventre reluctante, ut medicamentis moveri non poſſit. Hipp. *l.* 2. *Epid. II.* 16. *VIII.* 11. Foëſ. *p.* 63.

ANTEMBALLOMENOS, ἀντεμβαλλόμενος, vide *Subſtitutus.*

ANTEMBASIS, ἀντέμβασις, ſignificat Galeno mutuam inſertionem, ſive *mutuum ingreſſum*, *l. de Oſſib. in proœm.* ubi verbum ἀντεμβαίνω occurrit, ad quem locum nomen quoque verbale expoſuit Ingraſſias *comm. p.* 42.

ANTEMETICA, ἀντεμετικὰ vocantur remedia vomitum præternaturalem compeſcentia. Occurrit apud Willis *Pharm. Rat. Part.* 1. *ſect* 2. *cap.* 3.

ANTENDEIXIS, ἀντένδειξις, i. e. *contraindicatio*, ſive *contradictio* indicationum, quando aliquid occurrit in homine, quod primariæ indicationi refragatur & *contrariatur.* Galen. *l.* 9. *M. M. c.* 17. Hocque dicitur *contraindicans*, ἀντενδεικνύμενον, *de opt. ſect. c.* 22.

ANTENEASMUS, vel *Anteneaſmum*, idem, quod *Enthuſiaſmus*, ſpecies maniæ periculoſæ nimium, dum irritantur tanquam maniaci & in ſe manus violentas injiciunt. Hi ſubito corripiuntur cum ſaltatione manuum & pedum. Videtur igitur coincidere cum chorea S. Viti laſciva & irata. P. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *tit.* 1. *q.* 18. *n.* 31. *ſeqq.* ex Garioponto *l.* 1. *c.* 11.

ANTEPHIALTICUS, ἀντεφιαλτικὸς, eſt epitheton *remediorum contra incubum*, & legitur apud Frider. Hoffm. *in Method. medendi Wallæana l.* 1. *c.* 19. *p. m.* 288.

ANTEPILEPTICOS, ἀντεπιληπτικὸς, dicitur de virtute medicamentoſa epilepſiæ & motibus convulſivis reſiſtente, & paſſim à recentioribus medicis uſurpatur. Vide *Anti*.

ANTEPRIMA materia vocatur apud Paracelſ. *tinctura*, quæ materiam corporis primam tingere & mutare vel ſecundum, vel p. naturam poteſt, *l.* 3. *Chirurg. magn. cap.* 11.

ANTERA, pro *Anthera*, apud Dorn. *in Diction.* Vide *Anthera*.

ANTEREISIS, ἀντέρεισις, *renitentiam* ſignificat, *obluctationem*, vel obnixam firmitatem, qualis oſſibus tribuitur apud Hipp. 3. *de artic. t.* 58. Foëſ. *d. l.*

ANTERIT, i. e *mercurius*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ANTEROS, ἀντέρως, idem, qui ἀμέθυστος lapis dicitur. Gorr. *p.* 39. Vide *Amethyſtus*.

ANTHELIX, ἀνθέλιξ, dicitur *pars auriculæ externæ, Helici* oppoſita, anfractuoſa, & inferior ad confinia temporum ſita, introrſum ſurſumque imbricata. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 11. §. 4.

ANTHELMINTHICA, ἀνθελμινθικὰ, vocantur *medicamenta contra vermes*, quæ interimendo, ſuffocando, liquando, deſtruendo operantur. Bonet. *Mercur. Compital. l.* 10. *p.* 458.

ANTHERA, ἀνθηρὰ, vocabulum æquivocum eſt. 1. Dicitur de *medicamentis aridis*, ex metallicis præprimis compoſitis, colorem floridum habentibus, ac prærubrum. Meminit harum compoſitionum Galen. *l.* 4. & 5. *de C. M. S. L.* Celſ. *l.* 6. *c.* 11. Apud Æginet. *l.* 7. *c.* 13. etiam ἀνθηρὸν legitur, & in fœmin. ἀνθηρὰ, *lib.* 3. *c.* 79. In omnibus illis compoſitionibus ſandaracham invenies. 2. In Botanicis *anthera* ſignificat medium illud croceum & rubrum, in quibuſdam floribus, verb. gr. liliis, croco, &c. 3. Hinc & crocos chymicos congrue dici poſſe *anthera mineralia* voluit Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *c.* 20. Paracelſo vero extractio de hyacinthis *anthera* appellatur, *de Icterit. c.* 2. Dorn. Rul. & Iohnſ. Alias ἀνθηρὸν Hippoc. in genere dicitur *floridum*, prærubrum & ſanguineum, v. g. homines ἀνθηροὶ, id eſt, *floridi*, *l.* 1. *Prorrh. ſ. II. t.* 56. *Coac. t.* 162. Corpus ἀνθηρὸν, *l.* 6. *Epid. ſ. III. t.* 3. Sputa ἀνθηρὰ, *d. l. ſ. IV. t.* 4. & *l.* 2. *Ep. ſ. III. t.* 17. *l.* 4. *de R. V. I. A. t.* 72 &c. Foëſ. *p.* 60.

ANTHEREON, ἀνθερεὼν, dicitur *mentum*, pars faciei, in qua barba naſcitur, exponente Heſych. Confirmare videtur hanc ſignificationem locus Hipp. *l.* 5. *Epid. XXIV.* 7. & *l. de Venis XXVI.* 8. Vide Foëſ. *p.* 61.

ANTHIA, ἀνθία, dicitur piſcis quoddam genus, uti conſtat ex Oppian. Ariſtotel. Rondelet. *l.* 6. *c.* 11. *ſeqq.* Aldrov. *l.* 1. *de piſ. c.* 19. Incertum vero eſt determinare, quis ex illis recte deſcripſerit, cum minime inter ſe conveniant. In ſummo olim pretio fuiſſe patet ex epithetis, quod θεῖοι, i. e. *divini*, ceu ſummo honore digni appellati fuerint. Uſum quoque in medicina v. g. fellis contra exanthemata: adipis contra tumores & abſceſſus &c. notavit è Kiranide Aldrov. *d. l.*

ANTHINES, *Anthinos*, ἀνθινὴς, ἀνθινὸς, epitheton vini & olei. Vinum ita dicitur οἶνος ἀνθινὴς, quod *floribus conditum*, & bene odoratum, ſive fragrantius redditur, uti exponit Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* vide Foëſ. *p.* 60. *ſeqq.* Oleum vero ἀνθινὸν vocatur *liliaceum*, vel *ſuſinum*, quod μύρον, unguentum appellatur. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CXIIX.* 29. *ſeqq.* Mixtura quoque illa, quæ *Cyceon*, κυκεὼν vocatur, ἀνθινὴ dicitur *l. de int. aff. XIII.* 47. Vide *Cyceon*.

ANTHONOR, idem, quod *Athanor*, de quo infra. Rul.

ANTHOPHILLI apud Andr. Cæſalpin. Cariophylli aromatici, G. Bauhin. *Pin. lib.* 11. *ſect.* 3.

ANTHOS, ἄνθος, *flos* latine, apud Hippocratem πολλύσημος vox eſt, & Galenus obſervat, non florem tantum ſignificare, qui plectendis coronis aptus ſit, ſed ſemina etiam florum, & radices ἰχνθήματα, & præter ea ſputa cruenta & ſanguineis fibris quaſi intertexta, & tandem ad mineralia transfertur, & ita ἄνθος, *æris florem*, notat Hippocr. *l.* 2. *de morb. XXXIII.* 21. *XXXIV.* 8. 33. Strictiſſime vero ἄνθος, *roſmarinum*, vel *flores roſmarini* ſignificat. In Chymicis *quintam eſſentiam*, ſive *elixir auri*; item *medicinam extractam ex perlis* notat Parac. *l.* 3. *de vit. long. c.* 1. *de Gradib. & Compoſ. in ſcholiis.* Rul. & Iohnſ. ἄνθος γλυκὺς (perperam, ſed γλυκύ) mercurii quid vocetur videatur, in Hartmanni *Miſcellaneis Chymicis & Medicis Tom. VI. oper. p.* 10. *Anthos philoſophorum* dici modum tranſmutandi metalla aliquem, qui fit per vitriolum, vult Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 7. Vide infra *Flos*.

ANTHOSMIAS, ἀνθοσμίας, dicitur *vinum odoratum*, flagrans, *floridum*, purum, nobiliſſimum. *Flos* enim *vini* idem eſt, quod *vinum* egregium & purum, uti conſtat ex Plauti *Ciſtell. act.* 1. *ſc.* 2. Differt ab *anthino*, quod hoc ſit vinum medicatum ab herbis odoratis fragrantiam acquirens; illud vero ab uvis nativam fragrantiam obtineat. Vide ſis Linden. *Ex. X.* §. 130. *ſeqq.* Aliter expoſuit *anthoſmian* Lang. *l.* 1. *ep.* 27. ſcilicet, quod ſit vinum aquæ maris quinquageſima parte multo addita miſtum, ex Athenæo *l.* 1. *Dipnoſoph.* vide Foëſ. *p.* 61.

ANTHRACIA, ἀνθρακίη, dicitur *congeries prunarum* ſive carbonum accenſorum, apud Hippocr. *l. de nat. mul. LVII.* & *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 28. Menſes quoque muliebres aduſti, nigri, carbonibus ſimiles eidem appellantur ἀνθρακώδεα ἐπιμήνια, *l.* 1. *de morb. mul. XXIV.* 11. Foëſ. *p.* 62.

ANTHRACITES, ἀνθρακίτης, vide *Schiſtus lapis*.

ANTHRACOSIS, ἀνθράκωσις, in ſpecie *carbunculum*, vel in *oculi bulbo*, vel in *palpebra* occurrentem denotat apud Æginet. *l.* 3. *c.* 22.

ANTHRAX, ἄνθραξ, proprie *carbonem accenſum*, hoc eſt, *prunam* ſignificat, uti patet ex 5. *aphor.* 11. Junge Dieterich. *n.* 66. Per tranſlationem in Pathologicis *anthrax* vocatur *carbunculus*, tumor p. n. inflammatorius,

ex ſanguine nimis aduſto & craſſiore, partem, in qua colligitur, depaſcente obortus. Vide & Galen. *6. aphor.* 45. Apud Serenum etiam *carbo* vocatur. Adde Keuchen. *in not. ad h. l. p.* 241. *ſeq.* Dicitur alias & Latine *ignis Perſicus.* Vide Barbette *Chirurg. P. II. c.* 12. Autores de *anthrace* vel *carbunculo* vide apud Walther. *Sylv. Med. p.* 302. *ſeqq.* Dicitur etiam de *lapide pretioſo*, qui *carbunculus* vocatur, de quo infra. Vide *Carbunculus.* Adde *Th. Chym. Vol. IV. p.* 796.

ANTHROPE, ἀνθρωπὴ vel ἀνθρωπείη dicitur *cutis humana* apud Herodot. notante Veſalio *l.* 2. *de C. H. F. c.* 5. *princ.*

ANTHROPOMETRIA, ἀνθρωπομετρία, ſignificat deſcriptionem corporis humani, & omnium ejus membrorum ſecundum tres dimenſiones, longitudinem, latitudinem & profunditatem, cum in ſe, tum ad invicem, qualem tradidit Etsholzius, notante Wedelio *Patholog. Dogm. ſect.* 1. *c.* 5. *p. m.* 53.

ANTHROPOS, ἄνθρωπος, vide *homo.*

ANTHROPOSOPHIA, ἀνθρωποσοφία, hoc eſt, ſcientia naturam hominis, & ejus ſtructuram internam & externam exponens, atque ita æquipollens Phyſiologiæ hominis anatomicæ; Legitur apud Charlton. *Oecon. Anim. Exerc. III.* §. 10.

ANTHYPNOTICA, ἀνθυπνωτικὰ, vocari poſſunt medicamenta *ſomnum abigentia.*

ANTHYSTERICA vult etiam appellari medicamenta contra paſſionem hyſtericam, Blancard. *in Lex.* ſed an in quodam Autore Græco legerit, an vero ipſe hæc nomina finxerit, de eo non conſtat.

ANTI, ἀντὶ, præpoſitio e Grammaticis nota, ſignificans *contra*, *adverſus.* Sæpe conjungitur in medicina aliis nominibus aut verbis ad exprimendam virtutem remedii alicujus ſpecificam adverſus hunc vel illum affectum, v. g. *antepileptica*, *antemetica*, *antinephritica*, quamvis & haud raro omittatur, & nihilominus ſignificatio curatoria intelligatur, v. g. *medicamenta colica*, *nephritica*, *arthritica*, *&c.*

ANTIADES, ἀντιάδες, vide *Tonſillæ.* Alias *antiades* dicuntur *tonſillæ inflammatæ.* Nic. Piſo *de morb. cogn. & cur. l.* 2. *c.* 2.

ANTIAGRI, tonſillarum tumor Ulpiniano. Riolan. *Enchirid. Anatom. l.* 4. *c.* 7.

ANTIBALLOMENOS, ἀντιβαλλόμενος, idem quod ἀντεμβαλλόμενος, vide *Subſtitutus.*

ANTICADMIA eſt tertium genus *cadmiæ* foſſilis, quod & *pſeudocadmia* dicitur. Appellatur vero *anticadmia*, non, quod *cadmiæ* opponatur, ſed quod ſubſtituatur in hujus locum. Fallop. *tr. de metall. & foſſil. c.* 12. *Tom. I. Oper. p. m.* 307.

ANTICAR, id eſt, *Borax.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

ANTICARDIUM, ἀντικάρδιον, ſic dicitur cavum illud, quod eſt ſub pectore, carneum molleque, ad os ventris pertingens. Vocatur etiam σφαγὴ. Ruffus vero cavitatem eam pectoris, quæ eſt ad claviculas, tradit, ad Homero dici λευκανίην; à medicis vero ἀντικάρδιον & σφαγὴν. Gorr. *p.* 39. Dicitur & *ſcrobiculus cordis.*

ANTICATARRHALIS, epitheton vel conſilii, vel medicamenti contra catarrhos directi. Ita conſilium *anticatarrhale* legitur apud Roſ. Lentilium *Miſcell. Medico-Pract. P. II. p.* 503.

ANTICAUSOTICUS, epitheton remediorum contra febrem ardentem vel cauſum. Ita in D. D. Iunken *Corp. Pharm. P. II. p.* 493. deſcriptus legitur ſyrupus *anticauſoticus.*

ANTICHEIR, ἀντίχειρ, eſt magnus digitus manus, qui & *pollex* & *promanus* dicitur. Gal. *l. de muſc. diſſect. c.* 22. *& l.* 1. *de V. P. c.* 22. Ita vero dictus, quod appoſitis ſibi quatuor digitis æqualem habeat uſum, vel quod locum totius manus tutari poſſit. C. Hofm. *in com. ad hunc Gal. l. n.* 63. Hippocr. δάκτυλον μέγαν, *digitum magnum* appellavit, *c.* 1. *de iis*, *q. in med. f. t.* 21. Eſt vero digitus primus à carpo ſive brachiali incipiens, eique per diarthroſin inſertus, reliquis quatuor digitis multo inferior, & illis non recta, ſed ex obliquo appoſitus. Per hunc manus actiones omnes habet firmiores. Tantum enim roboris præbet, quantum reliqui digiti ſimul ſumti. Hinc & à *pollendo pollicem* Latini appellavere. Gorr. *p.* 40.

ANTICIPANS, προληπτικὸς, & *anticipatio*, τὸ προλαμβάνειν, dicitur de morbis, quorum paroxyſmorum ordines vel periodi ſtatim ab initio aliquid futuri temporis accipiunt, Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 3. vel qui cum diverſis horis ſemper accedat & remittat, prævenit quidem continuo, citiusque horas abſolvit. Ita & menſtrua *anticipata* opponuntur *poſtpoſitis.* Vide *Poſtpoſitio.* E contrario qui tardat & ſerius abſolvit periodum, *hyſtereticus*, ὑστερητικὸς, ſive *poſterius veniens*, vel ſubſequens, & *tardatio* illa, vel *ſubſecutio*, τὸ ὑστερίζειν, nuncupatur. Caſtell.

ANTICNEMION, ἀντικνήμιον, dicitur Gal. 2. *de fract. t.* 34. media & carne vacua tibiæ pars à ſummo deorſum in longitudinem protenſa, in gracilibus conſpicua. *Prima tibia* aut *anterior* vocatur, quod craſſiori & inſigniori *tibiæ* parti opponatur. Foëſ. *p.* 63. Latine *ocrea*, quamvis hanc verſionem nonnulli improbent.

ANTICOLICA remedia dicuntur, quæ colicis doloribus brevi demulcendis omnium paratu facillima exiſtunt. Legitur hoc epitheton *in Indice Act. Erudit. Lipſ. A.* 1700. *p.* 563.

ANTICONTOSIS, ἀντικόντωσις, apud Hipp. eſt *renixus conti*, aut qui conto vel ſcipione fit, cum videl. loco cruris baculo corpus fulcitur, 3. *de artic. t.* 76. 103. Adde Foëſ. *p.* 64.

ANTIDIDOMÆ, ἀντιδίδωμι, h. e. ex *adverſo reſpondeo*, diciturque de ſignis morbo ex adverſo reſpondentibus. Hipp. *Coac.* 145. Foëſ. *p.* 63.

ANTIDINICA, ἀντιδινικὰ, dici poſſunt *medicamenta*

ta contra vertiginem, Blancard. *in Lex.* An vero in Græco quodam ſcriptore medico hoc vocabulum occurrat, certo affirmare non poſſumus.

ANTIDOTARIUM, ἀντιδοτάριον, i.e. *Diſpenſatorium*, de quo vocabulo infra *ſuo loco*.

ANTIDOTUS, ἀντίδοτος, Fœminin. Latinum apud Gell. *lib.* 17. *c.* 16. & in neutro *Antidotum* ſcil. *medicamentum* eſt, quod non extrinſecus impoſitum, ſed intus aſſumtum, malignas, cœcas, & latentes corporis affectiones ſanat, Gal. *l.* 1. *de Antidot. c.* 1. Verum mos eſt junioribus Medicis, *Antidotos* appellare non modo, quæ adverſus mortifera medicamenta, quæque ad morſus ictuſve venenoſos exhibent; ſed etiam, quæ contra malas corporis affectiones, præſertim diutinas, valent, ex aliquo ulcere aut abſceſſu ſurgentes, *l.* 2. *c.* 6. Vide *Alexipharmaca. Antidotus* quoque myſtice appellatur *lapis Philoſoph.* apud Lagneum, *in Harmon. Chym. Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 727. *ſeqq.*

ANTIFEBRILE, vide *Febrifuga.*

ANTIFIDES, dicitur *calx metallorum*, Rul. *in Lex. Chym.*

ANTIHECTICUM eſt nomen ſpeciale medicamenti, à Poterio inventi, quod & antimonium diaphoreticum Joviale nuncupatur, teſte Iunken. *d. l. p.* 19. ubi & varios præparandi modos ex Wedelio, Etmullero, Colleg. Leidenſi propoſuit.

ANTILEPSIS, ἀντίληψις, *apprehenſio*, apud Hipp. ſignificat modum deligationis, videlicet vinculorum in partem contrariam, aut ſanam, involutionem, aut appenſionem, aut veluti occupationem quandam, ut deligatæ partes firmius contineantur; ut in humeri deligatione, quando fit per alteram alam vinculi circumductio, aut inguine laborante, ea, quæ fit ad alterum inguen, 2. *de iis*, *q. in Med. f. t.* 16. Foëſ. *Oec.* 64. Alias Lat. *apprehenſio* ſumitur pro *indicatione*, quatenus Medicus id apprehendit, quod eſt utile ad finem ſuum obtinendum. Mich. Gavaſſetius *l. de Indicat. curat. c.* 4. *p. m.* 50. 51.

ANTILOBIUM, ἀντιλόβιον, ἢ ἀντιλοβὶς, dicitur pars illa exigua in auricula, quæ infimæ parti, quem lobum appellant, ſuperpoſita eſt. Ruffus ſcribit, *antilobida* vel *oblobium* dici helicis extremum ſubbreve. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 11. §. 4.

ANTILOGIA, ἀντιλογία, vide *Contradictio.*

ANTIMONIUM, idem, quod *ſtibium*, στίμμι, ἢ στίβι, eſt minerale ad metallinam naturam proxime accedens, e ſulphure, mercurio crudo, cum portionibus terreſtribus, & paucis ſalinis miſtis conſtans. Ejus hiſtoriam & vires, nec non medicamenta ex illo parata, deſcripta vide paſſim in autoribus, v. gr. in Baſilica antimonii ab Hamero Poppio conſcripta & operibus Hartmanni addita, *Tom. I. in fol. edit. Francofurt.* 1690. *p.* 136. *ſeqq. in Th. Chym. V. I. p.* 563. ubi duplex ſtatuitur à Dornæo, *nigrum* & *album*, quod magneſia dicitur, *l. de Tranſmut. Metall. c.* 24. *can.* 5. Item *p.* 616. *ſeq. plurib.* Libav. *S. A. Chym. l.* 7. *c.* 22. *Apoc. Herm. Part. prior. c.* 13. & *alibi.* Schröder. *Pharmac. l.* 3. *c.* 17. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* qui etiam tantas huic minerali tribuit laudes, ut ſit quaſi fons & ſcaturigo præſtantiſſimorum medicamentorum, & cornu Amaltheæ ſalutarium remediorum. Contra in C. Hofm. *Paralip. Officin. c.* 90. reperies decretum totius Collegii Pariſienſis contra *ſtibii* uſum A. 1566. publicatum, ſtatuens, eſſe deleterium, nec poſſe quavis præparatione emendari, ut intro citra moleſtiſſimam noxam poſſit aſſumi. An fortaſſis utrinque peccatum eſt in judicando, cum in exceſſu, tum in defectu? Sane perdifficile eſt & periculoſæ res aleæ, arbitrium facere. Ænigmatice à ſpagyricis *antimonium* vocatur *lupus*, *Proteus*, *radix metallorum*, *Saturnus philoſophorum*, *magneſia Saturni*; & exprimitur hoc charactere ♁. *Marcaſita plumbea* dicitur *antimonium philoſophorum*, *Th. Chym. Vol. VI. p.* 475. De antimonio diaphoretico hujuſque variis parandi modis videatur Iunken. *Lex. Ch. Pharm. Part. I. p.* 22. *ſeqq.* Ipſe quoque *lapis philoſ.* vocatur *antimonium* in Lagnei *Harmon. Chym. Th. Ch. Vol.* 4. *p.* 427.

ANTINEPHRITICA, ἀντινεφριτικά, *medicamenta contra morbos renum.* Blanc. *in Lex.*

ANTIPARALYTICUS, ἀντιπαραλυτικὸς, epitheton medicamentorum internorum & externorum contra paralyſin probatorum. Ita apud Hartmann. extat *in Praxi Chymiatrica*, oleum *antiparalyticum*, *Tom. I. oper. in fol. p.* 84. *edit. Francof.* quod tamen alii potius in gangræna & ſphacelo pro ſecreto habent, mihi certe etiam ſuſpectum eſt in paralyſi & atrophia particulari, cum virtutis illius ſufficientem rationem non videam, an in ſulphure ferri ea conſiſtat, nec ne.

ANTIPATHES, ἀντιπαθὲς, eſt ſpecies *corallii nigri*, ſecundum Dioſc. *l.* 5. *c.* 140. arboris figura magisque ramoſi, & vices eaſdem cum *corallio* habentis. Adſtringit enim & refrigerat mediocriter. Georg. Agricola ſcribit, non aliud videri, quam *hæmatiten nigrum*, *l.* 4. *foſſil. p.* 248. & *l.* 5. *p.* 254.

ANTIPATHIA, ἀντιπάθεια, dicitur ſpecies *qualitatis occultæ*, oppoſita *ſympathiæ*, quando inter duas res vel odium aliquod naturale occurrit, vel una alteram fere inexplicabili ratione afficit, eamque removere aut deſtruere annititur. Ita Galen. *l.* 11. *de S. F.* §. *Coria vetera.* de iis combuſtis ſcriptum eſſe à quibuſdam tradit, quod attritiones ſanent ex *antipathia* quadam. Enimvero licet nec *ſympathiam*, nec *antipathiam* omnem negare velimus aut poſſimus, neque tamen hoc quoque diſſimulabimus, quod multa vana, abſurda, & falſa in enumeratione exemplorum ad utramque illam qualitatem concurrere ſoleant; quemadmodum hoc etiam publice contra Digbæi *diſſertationem de pulvere Sympathetico* ad oculum demonſtravimus. *Sympathiæ* & *Antipathiæ* rationem omnem haud inepte deduci poſſe e corpuſculorum ἀτμοειδῶν, vel effluviorum occurſantium diverſorum motibus & con-

configurationibus variis gaudentium; vel mutua cohæſione & combinatione, vel reciproca arctatione & repulſione exiſtimat Charlton. *Ex. X. Pathol.* §. 33. Enimvero Ioh. Marcus Marci vult adhuc efficacius intercedere principium vitale, videlicet vel Archeum, & ejus vim conſervativam, quæ tranſit in alterius corpus, vel ideam aliquam hoſtilem, aut necantem, aut corrumpentem, quæ recipitur in alterius ſphæram radioſam, ex effluviis maximam partem conſtantem, *Phil. Veter. reſt. Part. V. ſect.* 1 *ſubſect.* 3. *& ſect.* 3. *ſubſect.* 1. Enimvero mihi videtur in totius hujus argumenti explicatione frequentior fallacia petitionis ejus, quod eſt in principio, committi, dum obſcurum per æque obſcurum, incertum per incertius demonſtratur. Effectus *Antipathiæ* recenſet etiam Rolfink. *O. & M. M. Spec. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 199.

ANTIPERISTASIS, ἀντιπερίστασις, dicitur *circumobſiſtentia*, ſive caloris aut frigoris compreſſio & coarctatio, ob contrariam circumfuſi corporis qualitatem. Ita Theophraſt. *l. de igne* rationem, cur in hyeme corpora robuſtiora ſint, & felicius alimenta concoquant, ponit in collecto calore potentiori per *antiperiſtaſin*. Hæc etiam cauſſa eſt inflammationum internarum hyemali tempore familiarium, verb. gr. pleuritidis, peripneumoniæ &c. 3. *aph.* 23. Dicitur vero ἀντιπερίστασις emphatice, ἀντὶ, quia contrarium; περὶ, quia cohibens; στάσις, quia indimotum, ſcilicet frigus, cujus obſeſſione ignis unitur, unione roboratur, roboratus incaleſcit. Vide Dieterich. *Iatr. n.* 448. & Linden. *Ex. X.* §. 115.

ANTIPHARMACUM, ἀντιφάρμακον dicitur *medicamentum contra venena*, & ita idem, quod *alexipharmacum*. Dioſcor. Blancard. *in Lex.*

ANTIPHYSICA, ἀντιφυσικὰ, vide *Carminativa*.

ANTIPODAGRICUS, ἀντιποδαγρικὸς, idem quod antarthriticus, epitheton medicamentorum internorum & externorum in doloribus arthriticis probatorum. Ita *in operib.* Hartmanni in ſpecie *praxi chymiatrica* occurrit deſcriptio vini *antipodagrici* & aquæ *antipodagricæ*. Ruland *Tom. I. oper. in fol. p.* 72. 73.

ANTIPOEEO, ἀντιποιέω, Hippocrati ſignificat *reſiſtere malo*, juvare, 2. *de artic. t.* 42. Vide Foëſ. *Oec. p.* 64.

ANTIPRAXIA, ἀντιπραξία, ſignificat functionum & temperamentorum in diverſis membris contrarietatem, quam veteres excogitarunt, ad declarandam in affectibus hypochondriacis ſymptomatum concurrentium varietatem ſæpe contrariam, v. g. hepatis intemperies calida, & ſtomachi frigida etiam in vulgus pene notæ communiter incuſantur. Quam licet nonnulli ex recentioribus inficiari non vereantur, inter quos & B. Etmüllerus, ideo quod ſanguis debito circulo diſtributus proportionaliter calefaciat & ſtomachum & hepar, adeoque debitam craſin obtineant. Inſufficiens tamen hæc ratio nobis videtur, ſiquidem, non obſtante illa proportionali convenientia temperamentorum in ſingulis organis, nihilominus ſano ſenſu aliqua etiam contrarietas ſtatui & defendi poterit. Ut taceamus, videri nobis illos confundere ſtatum ſec. nat. cum ſtatu pr. nat. ita ut licet concederetur, non dari ἀντιπραξίαν in illo, non ſtatim liceret inferre, quod nec in ſtatu præternaturali occurrat.

ANTIPYRETON, ἀντιπυρετὸν, rectius dicitur, quam *antifebrile*, quod mixtum e græco & latino compoſitum eſt, idem quod ἀλεξιπυρετὸν: Epitheton medicamentorum contra febres. Occurrit *in Catalogo medicamentorum rariorum* D. D. Johann. Behem Medici Veneti A. 1667. typis excuſo.

ANTIQUARTIUM vocatur practicis quibuſdam recentioribus medicamentum *ſpecificum contra febrem quartanam*, quale eſt Riverii. Ita & *antiquartium Peruvianum* dicta fuit *china china*, de qua ſuo loco. Meminit & *eſſentiæ antiquartiæ* D. D. Wedel. *Ph. I. A. F.R. l.* 2. *ſ* 2. *c.* 8.

ANTIQUUS, παλαιὸς, idem, quod *vetus*. *Antiqui* morbi, id eſt, *inveterati*.

ANTIRRHOPE, ἀντιῤῥοπὴ, ἡ ἀντιῤῥοπίη, ſignificat in *contrariam partem propenſionem*, vel inclinationem, & uſurpat Hippocrat. de nare inclinata mediante habena in contrarium retrahenda, 2. *de artic. t.* 46. Foëſ. *d. l.*

ANTISECOSIS, ἀντισήκωσις, dicitur *æqualis rependio*, aut ad æquilibrium reductio, *adæquatio*, idem, quod ἀντιστάθμησις, à verbo ἀντισηκῶσαι, quo utitur Hippocr. in figurata quidem ſignificatione, pro reficere, & cibum deperditum reponere, aut rependere, 2. *de R. V. I. A. t.* 28. Foëſ. *d. l.* Dicitur & ἀντισήκωμα, ſive pondus, quod alteri opponitur, cujus vocis meminit Caſp. Cramer. *Colleg. Chymic. Diſſ.* 1. *c.* 4. §. 10. de aëris gravitate differens, & approbavit D. Juſtus Veſti *in annotationibus*. Itali ἀντισήκωσιν vocant *bilancia*, quem terminum tranſtulerunt arithmetici & mercatores in forum ſuum frequentiſſime. Latinum *compenſatio* quoque reſpondet ἀντιστάθμησει.

ANTISPASIS, ἀντίσπασις, *revulſio*, *retractio*, dicitur humoris fluentis in contrariam partem retractio & averſio. Hujus ſpecies ſunt quatuor propoſitionum differentiis. Nam *revulſio* fit aut ab inferiori parte ad ſuperiorem, aut à dextra ad ſiniſtram, aut ab anteriori ad poſteriorem, aut ab interiori ad externam, Galen. *l. de hirundin. revulſ. &c. c.* 3. quamvis *l.* 5. *M. M. c.* 3. tres tantum enumeret. Meminit Hipp. quoque *revulſionis*, *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 8. Foëſ. *d. l. & p.* 65. Gorr. *p.* 40. An, & quomodo hæc fieri poſſit per venæſectionem, ſtante circulationis ſanguinis principio indubitato, ſane difficillimum eſt explicatu. Nobis ſufficere videtur, quod aliquando natura defectum ſanguinis e parte læſæ oppoſita detracti reſarcire cogatur e parte læſæ vel affecta. *Antiſpaſticon*, ἀντισπαστικὸν, appellatur

tur in genere auxilium in diverſa revellens, Galen. *l.*13. *M. M. c.* 11.

ANTISPODA, ἀντίσποδα, dicuntur medicamenta, quæ eadem cum τῷ σποδίῳ, quod & σποδὸς dicitur, facultate pollent, ita, ut in *ſpodii* penuria in ejus locum ſubſtitui poſſint; quorum meminit Dioſcor. *l.* 5. *cap. de pompholyge*, cujus ſpecies *ſpodium* eſt, Gorr. *d. l.*

ANTISTATHMESIS, ἀντιστάθμησις, vide *Antiſecoſis.*

ANTISTERIGMA, ἀντιστήριγμα, apud Hipp. dicitur *fulcrum*, quo aliquid obfirmatur & fulcitur 1. *de artic. t.* 74. Derivatur à verbo ἀντιστηρίζεσθαι, *obniti*, obfirmari, quod legitur apud eund. *c.*3. *de art. t.* 103. & 4. *h. t. t.* 58. vide Foëſ. *p.* 65.

ANTISTERNON, ἀντίστερνον, id eſt, *dorſum*, de quo ſuo loco. Gorr. *d. l.*

ANTITASIS, ἀντίτασις, cum oſſa, quæ diſſident, ad hoc, ut e directo admoveantur, prius retrorſum trahuntur. Hæc ad *oppoſitum tractio* ἀντίτασις dicitur Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 5.

ANTITHENAR, ἀντίθεναρ, vocatur à Riolano muſculus adducens pollicem tertius, teſte Bartholin. *l.* 4. *An. c.* 9. *p.* 577. quemadmodum & alter adducens muſculus *Hypothenar* eidem dicitur.

ANTITRAGUS, ἀντίτραγος, eſt *pars craſſior anthelicis* oppoſita *trago*, uti deſcripſit Ruffus. Quid vero *anthelix* ſit, & *tragus*, vide *ſuo loco.* Gorr. *d. l.* Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *cap.* 11. §. 4.

ANTITYPOS, ἀντίτυπος, vide *Reniſus.*

ANTIVENEREUS, epitheton minus accuratum medicamentorum venerem extinguentium, atque ita idem ſignificat, quod ἀνταφροδισιακὸς, de quo paulo ſuperius; Uſus D. D. Joh. Behem, Med. Venet. *in catalogo ſuo medicamentorum rariorum.* Et elixir *antivenerei* deſcriptio e balſam. copayha habetur in Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 137.

ANTRUM cum epitheto *buccinoſum* vocatur *cochlea auris*, teſte Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. *fin.*

ANTYLION, ἀντύλιον, nomen eſt *malagmatis* valde adſtringentis, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. Gorr. *d. l.*

ANUS, ἀρχὸς, δακτύλιον, ἕδρα, κύσταρος, κυσὸς, idem, *podex*, *culus*, dicitur inferior corporis pars, in qua eſt recti inteſtini extremum, per quod excrementa redduntur, Gal. *l.* 5. *de V. P. c.* 15. Hujus exterior pars muſculo ſphinctere donata *anulus*, δακτύλιος, dicitur *l. Introduct. c.* 10. *Ani* partes craſſiores muſculoſæ vocantur *nates.* Sumitur & ἀρχὸς pro *toto inteſtino recto*, ex 5. *aph.* 58. Vide Foëſ. *p.* 98. Dieterich. *n.* 111. *Anus* in genere fœminino mulierem vetulam ſignificat. Vide *Græa.*

ANXIETAS, vide *Alyce. Angor.*

ANYDRIA, ἀνυδρία, *cœlum ſiccum* & ſqualidum ſignificat, uno verbo, *ſudum*, Hipp. *l.*2. *Epid. ſ. I.* 6. *l.* 1. *Epid. ſ. I. t.* 7. Hinc & adjectivum ἄνυδρον, i. e. ſiccum, *ſqualidum*, de diverſis anni temporibus prædicatur, v. g. de vere & æſtate. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 3. de autumno 3. *aph.* 14. Vide Foëſ. *p.* 65. Dieter. *Iatr. n.* 69.

ANYPERBLETOS, ἀνυπέρβλητος, i. e. *inſuperabilis*, *incoctilis.* Legitur de carne bubula apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 98. Foëſ. *d. l.*

ANYPEUTHYNOS, ἀνυπεύθυνος, dicitur de eo, quod rationi reddendæ non eſt obnoxium. Sunt autem illa in arte, quæ ſenſibus ſunt obvia, & minime examinanda. Hipp. *Præcept. VI.* 8. Foëſ. *d. l.*

ANYSTOS, ἀνυστὸς, ſignificat *expeditum ſermonem*, *promtum verbis*, quod etiam medicum decet. Hipp. *de dec. orn. II.* 31.

AOCHLESIA, ἀοχλησία, vide *Anodynia.*

AOCNIA, ἀοκνία, *impigritas*, vel *ſedulitas.* Hanc in laboribus commendavit ad ſanitatis exercitium proficuam. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ. IV. t.* 20.

AONCON, ἄογκον, dicitur *carens tumore*, & in ſuperlativo ἀογκότατον, quo uſus eſt Hippocr. de corpore valde gracili, minimeque tumente, *ſ.* 2. *de nat. hum. t.*4. Quidam etiam exponunt per ſolidiſſimum, ut externæ aëris injuriæ minus ſit expoſitum. Foëſ. *p.* 66.

AORGESIA, ἀοργησία, ἀόργητος, *iræ vacuitas*, Lat. & *Lentitudo* dicitur, oppoſitus affectus iracundiæ, quando quis neſcit iraſci. Mart. Akakia *in Gal. art. parv. p.* 118.

AORNOS, ἄορνος, dicitur locus *carens avibus*, ob exhalationes malignas præſertim e lacubus, avibus advolantibus necem adferentes: Qualis fuit in Campania circa lacum rotundum averni nomine indigitatum. Talis lacus *aornus* etiam in Epiro, qui peſtilenti exhalatione inſignis nec ipſe ſinit volucres cœlo frui libero, ſed exanimatas dejicit. Plura vide de his locis apud Georg. Agricol. *de re metall. p. m.* 147. 148.

AORTA, ἀορτὴ, epitheton *arteriæ magnæ.* Vide *Arteria*; quamvis apud Hipp. vocabulum ἀορταὶ, *aortæ*, potius de bronchiis aſperæ arteriæ & ramis per pulmonum lobos diſperſis ſumi videatur, uti patet ex *l. de loc. in hom. XXVII.* 14. Vide Foëſ. *d. l.* & *p.* 67.

AORTRA, *aortron*, ἀορτρα, ἄορτρον, dicitur ſuſpenſa utrinque pulmonis pars, quam Linden. etiam per *articulum* vertit, *l.* 2. *de morb. LII.* 1. *Coac. t.* 400. Apud Dioſcorid. etiam legi ἀορτεὺς ſcribit Foëſ. *d. l.* Ad ſummam, notante eodem ex Gal. circa horum vocabulorum lectionem ἐ πάνυ τὶ σαφὲς ἐςι.

APÆOREOMÆ, ἀπαιωρέομαι, vide *Aeora.*

APAGMA, ἄπαγμα, vide *Abductio.* Strictius expoſuit Gal. hoc vocabul. *l.* 6. *M. M. c.* 5. quod ſit appellatio medicorum propria vulgo inuſitata, quoties oſſis finis, qua parte cum alio maxime committitur, abruptus eſt. Foeſ. *d. l.*

APALLAGE, ἀπαλλαγὴ, in genere quidem omnem *mutationem*, in ſpecie vero apud Hippocr. liberationem à morbo ſignificat, 2. *aph.* 45. à verbo ἀπαλλάττω, *muto*, de quo vid. Dieterich. *n.* 74. & Foeſ. *Oec. p.* 68.

qui multis locis ex Hippocr. demonſtrat, ſignificare quoque hoc verbum evacuare cum emollitione.

APANCHOMENOS, ἀπαγχόμενος, qui *ſtrangulatus*, qui ſuſpendio ſuffocatus eſt, occurrit apud Hipp. *l.* 2. *aph.* 43.

APANTESIS, vel *Apantoma*, ἀπάντησις, ἀπάντωμα, *obviam itionem*, & id, quod alteri occurrit, ſignificat, Hipp. *l. de dec. hab. V.* 11. *& IX.* 14. quamvis alii legant ἀπαντώμενα. Intelligit vero per *apanteſin* officium medici, quo mature conſulit, emendare in futurum errores commiſſos, & docere unumquemque, quid ſui muneris ſit apud ægrum, quid fieri de tempore in tempus debeat, quid non fieri, egregie exponente hoc Linden. *S. M. Ex. II.* §. 26.

APANTHISMUS, ἀπανθισμὸς, eſt ſubtiliſſima linea, quæ ægre videri poteſt, quaſi tu exoleſcentem lineolam diceres, cui ſimillimæ ſunt venarum quædam propagines filorum araneæ aut capillorum modo anguſtæ & extenſæ, quæ *venæ capillares* dicuntur. Gal. *de ven. & arter. diſſect. cap.* 8.

APANTHROPIA, ἀπανθρωπία, ſignificat hominum averſionem & ſolitudinem, referturque inter ſymptomata melancholiæ, & ſignum habetur malum leucophlegmaticorum, *Coac. t.* 482. Cl. Wedelius ἀπανθρωπίαν & ἀπανθρώπως refert ad tertiam melancholiæ ſpeciem & gradum deſcribens, quod adeo mœſti ſint, & omnia mundana ſodalitia vitent, ſimul abſurda loquantur & faciant: Inſani, quorum cerebellum contumax vapor ex atra bile labefactat, ut conſtanter aſſeverent, quæ ſibi concepere in animo incongrua & abſurda. *Patholog. Dogm. ſect.* 3. *c.* 9. *p. m.* 597.

APANTICRY, ἀπαντικρὺ, ſignificat *palam*, evidenter, manifeſte. Hipp. 3. *de fract. t.* 34.

APARACHYTUM, ſcil. vinum, ἀπαράχυτος οἶνος, eſt vinum meraciſſimum, originale ſcil. vinum, cui marina aqua non eſt admixta. Gal. *l.* 4. *de C. M. S. G. c.* 7. *& l.* 12. *M. M. c.* 4. Erant autem hujuſmodi vina generoſa; ignobilibus vero aut imbecillis vinis marina immiſcebatur, indeque τεθαλασσωμένος οἶνος, vel θαλάττιος, vel θαλασσίας, dicebatur. Celſus modo *ſalſum* ſimpliciter vocat, *l.* 1. *c.* 6. modo *ſalſum Græcum*, *l.* 3. *c.* 24. & alibi. Græcorum enim inventum erat, vinorum ſola ignobilia condientium mari; quomodo? docet Dioſcor. *l.* 5. *c.* 27. itemque Columella *l.* 12. *c.* 25. quare? docet Plutarch. *quæſt. nat. X.* Species ſalſi ſeptem recenſet Plin. *l.* 14. *H. N cap.* 8. *Aparachyton* etiam dicebatur ἀθάλασσον, h. e. maris expers, cum Horat. 2. *Sat.* 8. *v.* 15. Hæc ex Linden. *S. M. Ex. X.* §. 63.

APARASCEUASIA, ἀπαρασκευασία dicitur, cum, quæ neceſſaria ſunt ad balneum, ſunt imparata, neque rite ſuppetunt. Hippocr. *c.* 3. *de R. V. I. A. t.* 44.

APAREGORETOS, ἀπαρηγόρητος, dicitur de eo, quod nullius eſt ſolatii, nullum affert commodum. Hipp. *de dec. orn. IV.* 8.

APARTES, ἀπαρτὴς, *ſuſpenſus*, ſeparatus, penſilis. Uſurpatur de naſo ab Hipp. 2. *de art.* 47. Foëſ. *p.* 69.

APARTHROSIS, ἀπάρθρωσις, vide *Abarticulatio.*

APARTI, ἀπαρτὶ, ἀπαρτίως, adverbium eſt Hippocraticum, ſignificans *integre*, *exquiſite*, exacte. 2. *de R. V. I. A. t.* 43. *&* 1. *aph.* 20. Foëſ. *d. l.*

APARTISIS, ἀπάρτισις, *compagem* & connexionem *perfectam*, integritatem & *perfectionem* ſignificat. Uſurpatur de nervis ab Hipp. 1. *de artic. t.* 25. Foëſ. *p.* 70.

APARYO, ἀπαρύω, i. e. *detraho*, exhaurio. Hipp. *l. de intern. aff. X.* 20. 21. 22. Foëſ. *d. l.*

APATE, ἀπάτη, *deceptionem*, fallaciam ſignificat. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ. V. t.* 13. Hinc ἀπατεὼν dicitur *impoſtor*, quod legitur 3. *de artic. t.* 20. Verbum habetur ἀπατάω, *decipio*, & compoſitum idem ſignificans ἐξαπατάω, quod occurrit *l. de vet. med. III.* 18. Foëſ. *d. l.*

APATHIA, ἀπάθεια, ſignificat *affectuum* p. n. *defectum.*

APAUDAO, ἀπαυδάω, proprie & ſtricte ſignificat, *loquendi facultate deſtituor*, unde Erotianus ad mentem Hippocratis idem eſſe pronunciat, ac ſine voce eſſe. In latiori vero ſignificatione omnem virium defectionem & imbecillitatem (quam plerumque & vocis defectus comitatur) denotare ſolet, uti patet ex Hippoc. 1. *aph.* 9. *l. de Gland. X.* 12. *l. Præcept. IIX.* 7. *l.* 1. *de morb. mul.* C. 28. Quin & de morbo deficiente uſurpatur *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 31. Hinc deſcendit *compoſitum* προαπαυδάω, quod ſignificat vel antea viribus deficio, vel *antea* voce deſtituor. Hipp. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 8. Vide Foëſ. *d. l.*

APAURISCOMÆ, ἀπαυρίσκομαι, h. e. *conſumor.* Legitur apud Hipp. *l.* 4. *de morb. XXX.* 9. Foëſ. *dict. l.*

APECHEMA, ἀπήχημα, dicitur quaſi, ut in echo fit, reſponſio quædam, eſt à contraria ictus parte facta calvariæ fractura vel fiſſio, de qua etiam Celſus *l.* 8. *c.* 4. Negavit vero eam contingere P. Ægineta *l.* 6. *c.* 90. In medio reliquit Marcellus Vergilius *comm. ad Dioſcor. l.* 4. *c.* 24. ex quo hæc depromſimus. Æginetæ ſubſcribit Gorræus, quia os calvariæ ſuturas habet, quæ, teſte Gal. *l.* 9. *de V. P. c.* 17. impediunt, ne ictus una in parte acceptus alteram, quæ ultra ſuturam eſt, violet, ſed noxa terminetur ad ipſam ſuturam. Provocavit vero ad experientiam multis obſervationibus confirmatam Job à Meckren *Obſ. Medico-Chirurg. c.* 1. *p.* 20. 21. Latine dicitur *contrafiſſura.* Hanc ab Hippocr. vocari ξυμφορὰν, *calamitatem l. de vuln. cap. XVIII.* 2. credidit Scultet. *Armam. Chirurg. P.* 1. *T. XXIX.* poſt fig. 10. §. 21.

APEIROS, ἄπειρος, duplicem habet ſignificationem: 1. notat *infinitum*, à πέρας terminus. Vide *Infinitus.* 2. *inexpertum*, à πεῖρα, *experientia.* Vide *Imperitia.*

APEITHEUMENA, ἀπειθεύμενα, dicuntur Hipp. ea, in quibus æger medici præceptis minime ſe præſtat morigerum, *l.* 2. *Prorrh. VII.* 1. Hinc & hujuſmodi ægri dici poſſunt ἀπειθέοντες, *immorigeri.* Foëſ. *p.* 71.

APELLA, λειπόδερμος, Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 3. & *l.* 7.

l. 7. *de C. M. P. G. c.* 7. dicitur, cui præputium ex morbo, vel ſectione deficit, aut ita contractum eſt, ut glandem amplius tegere nequeat. Romani etiam *recutitum* vocant. *Apella* propterea epitheton Judæorum ob circumciſionem eſſe ſolet. Morbus vero retracti præputii alias *paraphimoſis* vocatur.

APEMPOLESIS, ἀπεμπόλησις. Occurrit hæc vox apud Hipp. *l. de dec. habitu V.* 15. Refertur ibi inter virtutes & decora medici. Foëſius *in Oec.* expoſuit per venditionem, nundinationem, jungens cum purgationibus, q. d. nundinatio ac venditio medicamentorum ad purgandum neceſſariorum, quorum ſcientiam habere debet. Hanc verſionem videtur confirmare Henr. Steph. *in Theſ. Gr.* Verum an nundinatio hæc ad τὸ πρέπον medici pertinet? Minime. Magis igitur mihi placet verſio Hier. Mercurialis, plane contrariam ſignificationem tribuentis, ſcil. quod notet alienitatem à mercimoniis. Hunc ſecutus Linden. *in edit. Hipp. noviſſ.* quamvis *in S. M. Ex. II.* §. 30. *ſeqq.* limitaverit, niſi æger ipſe urgeat, metu, ne non detentus mercede, velut hamo, medicus ſe deferat, vel curationem protrahendo quæſtum ex morbi longitudine faciat uberiorem. Alias paciſci cum ægrotis præjudicat honeſtati atque utilitati.

APENES, ἀπηνὲς, ſignificat *immite*, injucundum, quod, cum ſumitur, moleſtiam quandam exhibet, uti exponit Gal. *com.* 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Huic opponitur τὸ προσηνὲς, *mite*, ſuave, jucundum. Graviter ergo hallucinatus eſt Gorræus, qui in def. plane invertit utriuſque ſignificationes.

APEPSIA, ἀπεψία, in genere *cruditatem* ſignificat, de quo infra. In ſpecie vero eſt ſymptoma ventriculi, & denotat abolitam ejus chylificationem, ob defectum, vel vitium fermenti, aut temperamenti vitalis, hoc eſt, intemperiem frigidam & humidam.

APEPTON, ἄπεπτον, vide *Crudum. Apepta phymata*, ἄπεπτα φύματα, ſolitus eſt Hipp. nominare *cruda tubercula*, ſeu tumores p. n. nervoſa corpora vertebris ipſis atque ſpinali medullæ inſita extendentes, cauſſam nempe gibborum effectricem, teſte Gal. 4. *de L. A.* 3.

APER, κάπρος, (quæ vox græca multos ſcriptores in errorem duxit, ut verterint latine per *caper*, recte notante Ul. Aldrovando *l.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 37. quamvis ex contextu evidentiſſime pateat, non eſſe ipſius Aldrovandi ſcriptum, ſed alterius continuantis opera illius, cum Aldrovandum ibidem cum laude allegaverit) primo & proprie ſignificat *verrem*, ſive *ſuem ſylveſtrem* utriuſque ſexus, imo & *porcellum ſylveſtrem* complecti poteſt. Ejus uſus non ſolum in cibo notiſſimus, & in deliciis magnatum, unde & *aprugna caro* ſuillæ domeſticæ præfertur. Deodat *Panth. Hyg. l.* 1. *c.* 33. ſed & in medicina habetur. De utroque vide Aldrov. *d. l.* Bruyerin. *de re cib. l.* 13. *c.* 3. Schröder. *l.* 3 *cl.* 5. *n.* 3. *Aprum* totum primum appoſuiſſe Servilium Kallum ex Alex. ab Alex. *Genial dub. l.* 5. *c.* 21. notavi Th. Janſ. van Almeloveen *R. I. On. p.* 4. Secundario & per ſimilitudinem quandam *aper* etiam *piſcem* quendam *marinum* denotat, cujus deſcriptionem vide apud Rondelet. *l.* 5. *de piſc. c.* 27. Aldrov. *l.* 3. *h. t. c.* 12. quem etiam male verterunt nonnulli per *caprum*, quemadmodum & κάπρισκος dici debet *porcellus marinus.* Rondel. *d. l. c.* 26. Delineatum etiam hunc piſcem exhibet Paræus *l.* 24. *Chir. c.* 21.

APEREUGOMÆ, ἀπερεύγομαι, ſignificat *eructor*, vel eructando aliquid ejicio, item *averſor*, apud Hipp. *l.* 2. *de morb. LIIX.* 8. Foëſ. *p.* 71.

APERIENTIA, ἀναστομωτικὰ, vide *Anaſtomoſis.*

APERISTATON, ἀπερίστατον, eſt epitheton ulceris, quod non eſt magnum, nec ulli graviori noxæ conjunctum. Gal. *l.* 2. *de C.M.S.G. c.* 1. h. e. quod nec vitioſi humoris influxu impetitur, nec ſordidum, nec inflammatum eſt, nec in circumpoſita carne intemperiem ullam habet. Sic dicitur, ἀπὸ τῆς περιστάσεως, quæ apud græcos afflictionem, periculum, & cladem ſignificat. Gorr.

APERITTOS, ἀπέριττος, epitheton eſt ciborum, qui *minimum habent excrementi*, quales ſunt carnes ſylveſtrium animalium, & eorum, quæ ſiccioribus locis victitant. Oppoſita ſunt τοῖς περιττωματικοῖς, Gorr. *p.* 42.

APERTUS, pro exulcerato ſumitur, ut *apertæ* ſtrumæ, apud Scrib. Larg. *n.* 81. vid. Rhod. *in not. & Lex. Scrib.*

APEUTHYSMENOS, ἀπευθυσμένος, h. e. *directus.* Ita græcis vocatur *inteſtinum rectum*, poſtremum ex craſſis, per quod alvi feces rejiciuntur. Gorr. *p.* 42.

APEXABO eſt farciminis genus e ſanguine vel cruore coagulato & condenſato cum lardo & cumino vel aromatis potiſſimum conſtantis, cibi vilioris minuſque ſanitati convenientis, quod etiam Leonem Imperatorem *conſtitut.* 58. ſevere prohibuiſſe notavit P. Ammann. *in Irenico p.* 181.

APHÆRESIS, ἀφαίρεσις, duo ſignificat: in genere omnem *ablationem* in medicina neceſſariam, ceu alteram in ejus definitione Hipp. partem oppoſitam τῇ προσθέσει, additioni. Medici enim officium palmarium hoc quoque eſt, removere ea, quæ removenda ſunt. In ſpecie vero eſt pars chirurgiæ, quæ aufert ea, quæ ſunt ſuperflua. Hanc Barbette appellavit ἐξαίρεσιν. Hipp. quoque hoc vocab. uſus de ſanguinis largis detractionibus noxiis, *Coac. t.* 360.

Ἀφαιρεσία, in qua non ſolum animæ facultatibus, ſed anima ipſa privatur animal. Sennert. *Pract. l.* 1. *part.* 3. *c.* 30.

APHANISMOS, ἀφανισμὸς, Lat. *evaneſcentia* dicitur, à verbo ἀφανίζω, quod ſignificat deleo, eximo. Hipp. *l. de Hæmorrh. V.* 9. *VI.* 2. & paſſivum ἀφανίζομαι, *diſpareo*, evaneſco, quod frequentius occurrit, v. g. *f.* 2. *prognoſt. t.* 68. *f.* 3. *t.* 19. *l.* 1. *f.* 2. *pro rh. t.* 1. *f.* 3. *t.* 5. *l.* 1. *Epid. f.* 1. *t.* 10. *f.* 2. *t.* 38. 67. & plura loca vide apud Foëſ. *p.* 110.

APHASSOMENOS, ἀφασσόμενος, h. e. *contrectatus*, di-

gitis confricatus, Hipp. *l.* 2. *de morb. XXX.* 9. *XXXVII.* 2. *l. de nat. mul VII.* 5. in quo loco legit Lind. ἰσαφάσσῃ, fortaſſis majoris ἀκριβείας gratia. Foëſ. *d. l.*

APHEBRIOK, id eſt, *ſulphur.* Rul. *in Lex.*

APHEIDEO, ἀφειδέω, i. e. *audacter aliquid perago*, nihil parco. Hippocr. 2. *de artic. t.* 46. Foëſ. *p.* 111.

APHELIA, ἀφέλεια, dicitur ſimplicitas decendi faciendique medicinam methodicæ ſectæ propria, Galen. *l.* 4. *M. M. c.* 4.

APHELICESTEROS, ἀφηλικέστερος, dicitur *profectioris ætatis homo*, qui florentem ætatem jam exegit. Hipp. *l.* 7. *Epid. tr.* 1.

APHEPSEMA, ἀφέψημα, i. e. *decoctum.* Legitur in remediis græcis Marchion. *libro de morb. mul. c.* 4. annexis. Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 2. *& alibi.*

APHESIS, ἄφεσις, vel ſignificat morbi *remiſſionem*, ſolutionem, & liberationem, ut Hipp. *Coac. t.* 575. vel ſumitur de emiſſionibus ſagittarum, *l. de artic. c.* 1. *t.* 11. vel denotat membrorum quorundam vel omnium totius corporis exſolutionem & languorem, *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 37.

APHICNEOMÆ, ἀφικνέομαι, ſignificat *devenio*, pervenio. Inde ἀφιγμένος, quod legitur 1. *aph.* 4. Dieter. *n.* 136.

APHIEMI, ἀφίημι, i. e. *remitto*, tollo, dimoveo. Hippocr. 2. *Prorrh. XLIII.* 4. 4. *aph.* 30. 5. *aph.* 13. Foëſ. *p.* 112. Dieter. *n.* 137.

APHILANTHROPIA, ἀφιλανθρωπία, hoc nomine vocavit D. D. Wedelius primum melancholiæ gradum, quando homines triſtes & meticuloſi gaudia & converſationes non amant, nec afficiuntur jocis, nec aliis diverſionibus animi aut exercitiis, ſed potius amant ſoli eſſe. Pertinent huc etiam citra cauſſam manifeſtam lachrymantes, & ex his levamen quærentes. *Patholog. Dogm. ſect.* 3. *c.* 9. *p.* 596.

APHISTEMI, ἀφίστημι. Vide *Apoſtaſis. Apoſtema.*

APHLEGMANTOS, ἀφλέγμαντος, i. e. pituita carens. Eſt nota boni puris apud Hippocr. *l.* 2. *Prorrh. XII.* 2. *Coac. t.* 402.

APHODOS, ἄφοδος, *reliquiarum alimenti excretionem*, *ſtercus* ſignificat, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 24. Galen. *in comm. ad h. l.* Dicitur alias ὑποχώρημα, item ἀφόδευσις, Lat. *ſeceſſus.* Verbum ἀφοδεύειν *ventrem exonerare* ſignificat, *l.* 7. *Epid. IX.* 5. *l. de fiſtul. IV.* 6. Latine *adſellare*, de quo verbo ſupra ex Keuch. *in not. ad Samonic. p.* 197. Ἀφόδευμα etiam *ſtercus* ſignificat, & ἀφοδευτήριον, *latrinam.* Ἀφόδιον, idem quod ἄφοδος. Et hoc Nicander in theriaca & alexipharm. mutavit in ἀφόρδιον, interferendo lit. ρ metri cauſſa. Vide Foëſ. *p.* 112. Linden. *Ex. XIII.* §. 251.

APHONIA, ἀφωνία, i. e. vocis carentia, privatio, ſeu defectio, *obmuteſcentia*, quæ ægris ſolet accidere, læſis duntaxat iis, quæ voci efformandæ ſubſerviunt inſtrumentis, vel etiam iis, quæ reſpirationi deputavit natura, vel ob recentem quandam exolutionem & afflictionem virtutis, Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 23. Per exuperantiam etiam hoc vocabulum epilepſiam, apoplexiam, catalepſin, ſyncopen, alioſque id genus affectus complectitur, teſte Holler. *in Hipp. Coac.* Vide Dieterich. *Iatr. n.* 143. & Foëſ. *in Oec.* τὸ ἄφωνον duobus modis accipi, & pro privatione vocis, & pro ejuſdem depravatione, docet Gal. *l.* 4. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4. Lat. *invocale* vocatur.

APHORETOS, ἀφόρητος, h. e. *intolerabilis*, vehemens. Tribuitur febribus apud Hippocr. *l. de Criſib. IV.* 11. item avaritiæ, *Ep. ad S. P. Q. Abderit. n.* 20. Alibi dicitur ἄφορος. *l.* 1. *de morb. mul. LXIV.* 16. ubi inepte redditur in Lat. per *ſterilis*, Foëſ. *d. l.*

APHORISMUS, ἀφορισμὸς, eſt oratio, quæ omnes rei proprietates breviſſimis verbis circumſcribit, Galen. *c.* 1. *aph.* 1. qui & definitiones appellat aphoriſmos, *c.* 3. *de his, quæ in med. t.* 32.

APHORME, ἀφορμὴ, dicitur *occaſio*, cauſſa externa & manifeſta, ex qua aliquid fit. Vocatur & πρόφασις. Uſurpatur præcipue *de cauſſis procatarcticis* morborum. Hipp. *l. de Int. aff. LIV.* 2. *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 78. *l.* 6. *com.* 3. *t.* 14. 16. 18. 25. Foëſ. *d. l.*

APHRIZO, ἀφρίζω, idem, quod ἀφριάω, *ſpumo*, ſpumam reddo, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XVI.* 4. *XLIV.* 7. *l.* 4. *de morb. XXV.* 23. Foëſ. *p.* 113.

APHRODES, ἀφρώδης, *ſpumoſus* vel ſpumeus. Uſurpatur cum de ſanguine, tum excrementis, Hipp. *Coac. t.* 450. 607. 7. *aph.* 30. Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 142.

APHRODISIA, *Aphrodiſiaſmus*, ἀφροδίσια, ἀφροδισιασμὸς, res venereæ, uſus veneris, coitus viri cum fœmina, Hipp. 6. *aph.* 30. Ejus nimius & illicitus uſus, quin & deficiens licitus morbis graviſſimis anſam præbet. Hinc in ſpecie *epilepſia* dicitur *aphrodiſiaſtica.* Caſp. Reies *Camp Elyſ. quæſt.* 46. *n.* 18. *Aphrodiſia* quoque dicitur *ætas venerea.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Aphrodiſiacum* vocatur medicamentum veneris œſtrum excitans, quemadmodum extinguentia *antaphrodiſiaca* dici poſſunt, de quo vocab. paulo ſuperius dictum eſt, quemadmodum & de altero quamvis minus accurate compoſito *antivenereus.*

APHRODITARIUM, ἀφροδιτάριον, nomen eſt aridi medicamenti, quod conſtat thure, ſquama æris, malo punico, ceruſſa, amylo, pari pondere inter ſe mixtis, apud P. Æginet. *l.* 4. *c.* 40. Hoc nomine quoque appellatur collyrium quoddam à Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L.* Gorr. *p.* 65.

APHROGALA, ἀφρόγαλα, *lac ſpumoſum*, ſive tantopere agitatum, ut totum in ſpumam verſum ſit. Remedium adverſus calidam intemperiem ventriculi commendatum à Gal. *l.* 7. *M. M. c.* 4. Videtur etiam hoc nomine appellari poſſe *flos lactis* vulgo dictus, vulgo milchraum vel in Norico fern / quem *capillacteum* vocaſſe Alex. Petronium *l.* 3. *de Victu Rom. c.* 19. notavit I. H. Velſchius *ad Marcell. Cuman. Obſ.* 23. *in Sylloge Cur. & Obſ. M. Cent.* 1. *p. m.* 52.

APHROLITRUM, ἀφρόλιτρον, *Aphronitrum*, ἀφρόνιτρον

νιτρον, h. e. ſpuma litri. Quamvis C. Hoffman. *Officin. Paralip. c. 63. Litron* & *nitron* dialecto ſaltem differre ſtatuat; eſt tamen magna inter utrumque dictum medicamentum differentia apud Galenum, quam tradit *l. 9. de ſimpl. Fac. §. Aphrolitrum*, in hoc potiſſimum conſiſtens, quod illud ſit farinæ ſimile; hoc vero congelatum & coactum. Illud mediam habet facultatem inter aphronitrum & ſalem; huic ſola ineſt vis detergendi, vel digerendi. Gorr. *p. 65*.

APHRONITRUM, *flos petræ*, vel *parietis* res eſt leviſſima, glebofa, & friabilis ſpumoſa, mordens, coloris pene purpurei, & hæc optima. Naſcitur in muris & petris. Quodammodo virtus ſimilis eſt ſali aduſto. Rul. *in Lex. Aphronitrum* quoque nonnulli vocant ſpumam ſalſam maſſæ vitrorum liquatæ innatantem. Libav. *Apoc. Herm. pr. c. 17.*

APHRONTISTEO, ἀφροντιστέω, ſignif. *negligo.* Hipp. *Præcep. VI. 27. X. 5.* Foëſ. *d. l.*

APHROS, ἀφρὸς, vide *Spuma.*

APHROSELENOS, ἀφροσέληνος, lapis eſt, quem aliqui *ſeleniten* appellant, quod imaginem lunæ repræſentet, velut in ſpeculo. Unde & *ſpecularium* dicitur Græc. σπεκλάριον; quamvis C. Hofm. *in Paralip. c. 75.* ſubſcribere nolit. Contrarium autem defendit Chioc. *Muſ. Calceolar. ſect. 3. p. 283. ſeq.* Noſtrum non eſt, hanc dirimere litem.

APHROSYNE, ἀφροσύνη, id eſt *amentia*, *delirium*, idem, quod ἄνοια. Legitur apud Nic. Piſon. *de cogn. & cur. morb. l. 1. c. 15.*

APHTHA, ἄφθα, de ulceribus ſuperficiariis oris cum interni, tum externi dicitur. Sunt enim *aphthæ* ulcera oris ſuperficiem occupantia cum moleſto caloris p. n. ſenſu conjuncta, vel à ſero ſanguinis chyloſo acriori ſalino & ichoroſo, vel à lacte ſimiliter corrupto provenientia. Unde pueros lactantes præcipue infeſtare ſolent, Gal. 3. *in 3. Epid. t. 12.* & Hipp. inter morbos infantiles recenſuit. 3. *aph.* 4. Aliquando aliis quoque corporis partibus exulceratis verbum ἀφθᾶν, attribui legimus apud eundem v. g. de pudendis muliebribus *l. de nat. mul. LVI. 1. LXXX. 1. l. 1. de morb. mul. LVII. 1.* Huc pertinet etiam *Coac. t. 529.* ubi ἀφθώδεα ῥεύματα, de gravidis leguntur, item de fiſtula pulmonum, ſive aſpera arteria, *l. 2. de morb. LXIIX. 2.* & Galen. teſticulos ἀφθᾶντας curandos docet, *l. 9. de C. M. S. L. c. 8.* ubi vitioſe legitur in Gr. ἀφθόντας. Jung. Dieteric. *num. 135.* Erotianus ex Hippocrate exanthematum genus, quæ præcipue infantum ora occupant.

APHTHARTOS, ἄφθαρτος, dicitur *incorruptibilis*; quod de corporibus mixtis, & præſertim quæ ex arteriis, venis, nervis & carne conſtant, prædicari non poſſe, docet Gal. *l. 14. d. V. P. c. 2.*

APHYA, *Apua*, ἀφύα, dicitur piſciculus minutus, cujus varias ſpecies & deſcriptiones vid. apud Aldrov. *l. 2. de piſc. c. 28. ſeqq.* Flatulentum gignere ſuccum teſtatur idem *ibid.* Hinc ἀφυώδης, epitheton coloris, denotans exalbidum, *Aphyam*, vel *Apuam piſcem* referentem, Hipp. *l. 2. de morb. mul. III. 2. IX. 7.* Occurrit apud eundem & verbum ἀφύω, *exalbeſco*, *l. de int. affect. XLIII. 8.* Foëſ. *p. 113.* conf. Erotianus *in* χρῶμα ἀφυώδης & Galen. *in* Ἀφύει.

APHYSOS, ἄφυσος, i. e. *expers flatuum*, non faciens flatus. Gorr. *p. 66.*

APIONTA, ἀπιόντα, dicuntur *excreta*, *ſecedentia*, quæ egeruntur. Uſurpatur de ſemine virili, Hipp. *l. 1. de morb. mul. XXXIII. 12.* Alias & alvi egeſtiones quoque ita vocatur *l. 4. Epid. XXV. 6.* quamvis & generaliter de aliis excrementis dici poſſit, v. g. de ſudore *l. 6. Epid. ſ. VIII. t. 21.* Ita & verbum ἀπιέναι, *abire*, *ſecerni*, ſignificat, *l. 1. de morb. mul. XXVII. 6. 7.* vide Foëſ. *p. 71.*

APIS, μέλισσα, μέλιττα, eſt animalculum inſectum notiſſimum, mellificum, cujus prolixam deſcriptionem cum uſu vide, ſi curæ eſt, apud Aldrov. *de Inſect. c. 1.* ubi & tradit, Cumanæ regionis incolas *apibus* veſci. Uſus in medicina hic maxime laudari ſolet, quod ſiccæ & contritæ, aut etiam combuſtæ pilorum generationem promoveant. Schröd. *l. 5. cl. 4. n. 94.*

APITES, ἀπίτης, epitheton vini ex pyris facti, Gorr. *p. 43.*

APLESTIA, ἀπληστία, dicitur *inſatiabilitas*, vitium animi peſſimum, cui opponitur αὐτάρκεια, *contentum eſſe ſua ſorte.* Gal. *l. de dign. & cur. an. morb. c. 9.*

APLEUROS, ἄπλευρος, q. d. *decoſtis*, i. e. coſtis carens. Gal. *l. 4. de Hippocr. & Platon. decr. cap. 4.*

APLYTOS, ἄπλυτος, *illotus* dicitur Latine. Tribuitur lanæ, quæ alias lana ſuccida dicitur, ab Hippocr. ἔριον ἄπλυτον, *in addıtam. librorum de morb. mulier.*

APNEUSTI, ἀπνευστὶ, adverbium ſignificans *ſine reſpiratione*, vel uno ſpiritu aliquid perficere, v. g. bibere uno hauſtu. Hipp. *de int. aff. XIII. 23.* Foëſ. *p. 72.*

APNOEA, ἄπνοια, id eſt, defectus ſpirandi, Gal. *l. 2. M. M. c. 2.* unde & ἄπνους ἀνάπνοη eidem dicitur *l. 1. de diffic. reſpir. c. 8.* h. e. reſpiratio ſpiritu privata, non quod in totum abolita ſit, neque enim manere poſſet vita, ſed quod adeo parva, rara, & tarda, ut periiſſe videatur; qualis *apnœa* in uteri ſtrangulatu, apoplexia, ſyncope, & lethargo accidit, ideo, quod inſtrumentorum reſpirationi deſtinatorum reſolutionem, ob defectum influentium ſpirituum, ſpirandi quoque privatio conſequatur. Junge ſis Fr. de le Boe Sylvium *Pr. Med. l. 1. c. 34. §. 13.*

APNUS, ἄπνους, epitheton reſpirationis adeo parvæ & tardæ, ut plane ſpiritus periiſſe videatur.

APOBÆNON, ἀποβαῖνον, vide *Eventus.*

APOBAMMA, ἀπόβαμμα, *intinctus*, ab ἀποβάπτω, leniter intingo. Idem, quod *embamma.* Meminit illius Cardanus *l. 5. de ſubtil. rer.* quod vulgus medicorum liquorem, in quo aureos nummos, vel tenus ignitas extinxerunt, aut coxerunt ad confirmationem ſpirituum, & membrorum principalium, *apobamma* voca-

vocaverit. Penottus *de medicam. Chym. in Theatr. Chym. Vol. I. p. 626.*

APOBRASSOMAI, ἀποβράσσομαι, legitur apud Hippocr. *l. de nat. pueri XLV. 4.* & ibidem ſignificat *ejaculor*, *ejicior*, dicitúrque de ſeminis fervidi ejaculatione ad gemellorum diverſi ſexus generationem ex mente quidem & hypotheſi Coi. Quid vero nomen ἀπόβρασμα proprie ſignificet, non certo conſtat. A quibuſdam auctoribus accipitur, pro furfure tritici, ab aliis pro ſpuma maris, quæ ſignificationes non ſunt hujus loci.

APOBREGMA, ἀπόβρεγμα, *dilutum.* Vide infra *Dilutum.*

APOCAPNISMOS, ἀποκαπνισμὸς, vide *Fumigatio.*

APOCARTEREON, ἀποκαρτερέων, dicitur, qui inedia ſe conſumit & fame. Hippocr. *3. de R. V. I. A. t. 17.* Foëſ. p. 73.

APOCATASTASIS, ἀποκατάστασις, dicitur à verbo ἀποκαθίστασθαι, ſignificat *reſtitutionem in integrum*, *ſubſidentiam*, ceſſationem, pro ſubjecti, de quo dicitur, conditione. Quando de urinis prædicatur, earum ſubſidentiam & reſtitutionem in integrum exprimit Hipp. *l. 7. Epid. LV.* 20. ad quem locum vid. Linden. *Ex. XVI.* §. 241. *ſeqq.* Item de lingua prius inarticulata iterum reſtituta Hipp. *d. l. XXVI.* 11. De morbis & tumoribus ſubſidentibus & evaneſcentibus, idem *6. aph.* 49. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 73. Dieterich. *Iatr. n.* 81.

APOCATHARSIS, ἀποκάθαρσις, in genere idem eſt, quod *expurgatio.* Hinc apud Thucyd. *l.* 2. ἀποκαθάρσεις χολῆς, bilis expurgationes, ſive per vomitum, ſive per ſeceſſum, leguntur, in peſte illa Athenis memorabili. Medicamenta quoque ἀποκαθαρτικὰ vocantur, quæ ſimpliciter καθαρτικὰ dicuntur A. Tiraquell. *de Nobilit. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 127. *b.*

APOCAULIZOMÆ, ἀποκαυλίζομαι, id eſt, in *tranſverſum frangor*; unde & fractura dicitur καυληδὸν, *caulatim.* Vide *Cauledon.* Verbo uſus eſt aliquoties Hipp. *1. de artic. t. 63. c. 2. t. 25. 28.* Foëſ. *dict. l.*

APOCENOSIS, ἀποκένωσις, vide *Cenoſis.*

APOCERIGMA, ἀποκήρυγμα, ſignificat *denunciationem*, quæ ægris fit in morbis, ſive id, quod ægris debet revelari & indicari, apud Hipp. *II. Prorrhet. XL.* 8.

APOCHÖREON, ἀποχωρέον, idem eſt, quod *excrementum* in genere, ſive quod e corpore excernitur. Et verbum ἀποχωρέειν ſignificat *excernere*, & dicitur de excreationibus. Hipp. 4. *aphor.* 47. item de alvo & urina, 7. *aphor.* 69. Idem eſt, quod διαχωρέειν, ἐκκρίνειν, ἀποκρίνειν, & ſimilia.

APOCHREMPSIS, ἀπόχρεμψις, apud Hipp. *d. l. & Coac. t.* 242. *exſcreationem ſputi* ſignificat, & *apochremma*, ἀπόχρεμμα, *ſputum*, *l. de Loc. in hom. XXIX.* 15. à verbo ἀποχρέμπτεσθαι, *exſcreare.* Hipp. *3. de R.V.I.A.t.27.*

APOCHYLISMA, ἀποχύλισμα, ſignificat ſuccum extractum & inſpiſſatum ex vegetabilibus, & reſpondet termino officinali Rob. de quo inferius ſuo loco. Lat. etiam *ſuccago* dicitur.

APOCHYMA, ἀπόχυμα, vide *Zopiſſa.*

APOCLASMA, ἀπόκλασμα, idem, quod *apagma.* Vide *Abductio.* Dicitur & ἀποκεκαυλισμένον, ap. Hipp. *l. de fract.*

APOCLEISIS, ἀπόκλεισις, *excluſionem*, ſignificat, & *ciborum faſtidium*, eſtque idem, quod ἀσιτία, Hipp. *l. 7. Epid. XLIIX.* 16. à verbo ἀποκλείεσθαι, *excludi*, *averſari*, faſtidire, *l. 3. de diæt. XXVI. 3. 6. l. de int. aff. l.* 69. Foëſ. *p.* 74.

APOCONCHIZO, ἀποκογχίζω, h. e. *in concham teſtamve repono*, concha excipio, Gorr. *p.* 44.

APOCOPE, ἀποκοπὴ, vide *Abſciſſio.*

APOCRISIS, ἀπόκρισις, idem, quod ἔκκρισις, *expulſionem*, excrementum ſignificat, & quicquid e corpore veluti redundans educitur. Hinc *apocritica facultas*, ἀποκριτικὴ δύναμις, ap. Gal. *l. de fac. natur.* legitur, h. e. *expultrix*, ſecretrix, qua ſingulæ partes ſupervacua removent, vel excernunt. Alias quoque apud Hipp. *apocriſis morboſa*, eleganter dicitur de effluviis aëris contagioſis, ſive de morboſa quadam qualitate per exhalationem aëri impreſſa, alias miaſma dicta, *l. de nat. hum. c. 2. t.* 4. quæ cauſſa fit morborum epidemicorum peſtilentialium. Vide Charlton. *Ex. X. Pathol.* §. 34. *ſeqq.* Vide *Contagium.* Alias notum eſt ex aliis lexicis, quod ἀπόκρισις ſignificet *reſponſionem*, & verbum ἀποκρίνομαι, *reſpondeo*, verum hæc ſignificatio non ſtricte pertinet ad forum medicum.

APOCRUSTICON, ἀποκρουστικὸν dicitur medicamentum, repellendi virtutem habens & adſtringentem, Gal. *l.* 11. *M. M.* 15. Rolf. *Ord. & Meth. med. ſpec. l. 4. ſect. 1. c.* 14. Eſtque de natura frigidorum, Gal. *l. 6. C. M. S. L. c.* 1.

APOCYESIS, ἀποκύησις, *partum* ſignificat. Legitur apud Gal. *l.* 1. *de cauſſ. morb. c.* 7. Jung. Fuchſ. *comm. ad h. l. p. m.* 50. *b.*

APODACRYTICA, ἀποδακρυτικὰ, dicuntur medicamenta *lachrymas moventia*, *& iterum ſupprimentia.* Poſſent uno verbo dici *delachrymativa.* Nam & Columella & Plinius delachrymare ea ſignificatione dicunt. Meminit illorum Gal. *l. 4. d. M. C. S. L. c.* 5.

APODEIXIS, ἀπόδειξις, *demonſtratio.* Vide infra.

APODYTERIUM, ἀποδυτήριον, eſt conclave ante balnei ingreſſum ſitum, in quo balneaturi veſtes exuebant. Lang. *l.* 1. *Epiſt.* 51. ubi & *coniſterium* dicitur. Vocatur & *ſpoliarium* apud Proſp. Alpin. *de Medicin. Ægyptior. l. 3. cap. 16. p. m.* 106. *a.*

APOEUM, ἄποιον, in genere ſignificat expers omnis qualitatis, quæ ſenſu deprehendi poteſt, *inſipidum*, quod neque adſtrictionem, neque acrimoniam, aut aliam inſignem facultatem obtinet, qualis inter humidas ſubſtantias commendatur aqua, & inter ſiccas amylum. Galen. *l.* 1. *de Alim. fac. c.* 8. Vide *Inſipidus.*

APOGALACTISMUS, ἀπογαλακτισμὸς, vide *Ablactatio.*

APOGEUOMÆ, ἀπογεύομαι, ſignificat *deguſto*, Hipp. *l.* 1. *Ep. II.* 12. Foëſ. *p.* 72.

APOGINOMÆ, ἀπογίνομαι, ſignificat *decedo, abſum.* Uſurpatur de morbis, Hipp. *de morb. ſacr. III.* 15. ubi verbum oppoſitum προσπίπτειν jungitur, i. e. accedere. De ſanguine effluente etiam dicitur, *l.* 4. *Epid. I.* 10. Aliquando etiam denotat mori, ap. Hippocr. *d. l. XX.* 14. *XXIX.* 3. *l.* 1. *de morb. mul. XLII.* 6. Et ita opponitur γίνομαι, naſcor, fio, *l. de ſeptim. part. X.* 4. Aliquando idem ſignificat, quod devenire, vel progreſſu temporis fieri, *l.* 4. *Epid. IV.* 2. 19.

APOGLAUCOSIS, ἀπογλαύκωσις, vide *Glaucoma.* Occurrit apud Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 64. & Joh. Ant. Saracenus reddidit per oculorum *glaucomata.*

APOGONA, τὰ ἀπόγονα, dicuntur *vitalia fœcunda*, fœtus vitalis. Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 113. *&* *l.* 6. *ſ. VIII.* 6. Foëſ. *p.* 72.

APOLAUSIS, ἀπόλαυσις, *fruitio*, uſumfructum, commodum ſignificat. Verbum notum ἀπολαύω, fruor Hippocr. *l. de vet. med. XX.* 3. 15. Nomen apud Gal. occurrit *l.* 3. *de fac. nat. c.* 6.

APOLEIA, *defectum*, *jacturam* ſignificat. Ita apud Non. *de M. P. C. c.* 34. ἀπώλεια τῆς μνήμης legitur, i. e. defectus vel *jactura* memoriæ.

APOLEPSIS, ἀπόληψις, crebro uſurpatur Hippocrati, & *interceptionem*, cohibitionem, & retentionem ſignificat. Dicitur vel de urinis aliquoties *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 14. *c.* 2. *in* 1. *Prorrhet. t.* 16. *& c.* 3. *t.* 28. *& alibi:* vel de alvo (quæ & alias ἀπολελαμμένη κοιλίη eidem vocatur, ſive ἀπειλημμένη) *Coac. t.* 603. vel de venis, quando nimium opplentur, ita, ut extinctionis caloris nativi periculum immineat, *de R. V. I. A. ſ.* 4. *t.* 23. Qua de cauſſa etiam ſpirituum interceptiones fiunt, *d. l. t.* 21. 26. Tandem etiam de morbo prædicatur, *l.* 2. *Epid. ſ.* 6. *t.* 16. Legitur etiam aliquando ἀπόλημψις, pro ἀπόληψις, uti ἀνάλημψις, pro ἀνάληψις, *de Humid. uſ. XI.* 7. Vide plura apud Foëſ. *in Oec. p.* 75. *ſeqq.* Vocatur etiam quandoque κατάληψις ἢ ἐγκατάληψις. Vide *Interceptio. Apolepſia* quoque legitur in Cl. Wedelii *Theorem. Medic. Part. II. ſect. V. t.* 16. quod ἀφωνίαν *vocis interceptionem* ſignificet, qua autoritate & quam bene, meum non eſt indagare.

APOLEXIS, ἀπόληξις, eſt ætas à vigore recedens, & propius ad vitæ terminum accedens prima ſenectus, apud Hippocrat. *in præcept. XI.* 11. Opponitur enim eidem ἀκμὴ ἡλικίης, *vigor ætatis.*

APOLINOSIS, ἀπολίνωσις, dicitur Æginetæ *curandi ratio fiſtulas per linum crudum.* Vide infra *Omolinon.*

APOLOGIA, ἀπολογία, *defenſionem* ſignificat. Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 1. Alias Latinum *defendere*, etiam pro *arcere* aut *præcavere* accipitur, uti oſtendit Keuchen. *ad Seren. p.* 34. *ſeqq.*

APOLYSIS, ἀπόλυσις, ſignificat *ſolutionem*, liberationem, excluſionem, pro diverſitate rerum, de quibus dicitur, v. g. de fœtus excluſione, *l.* 5. *Epid. VI.* 9. item, ſecundinarum, *l.* 2. *Prorrhet. XXX.* 18. de morbi ſolutione, *Coac. t.* 384. *ſeq.* denique de ligamentorum & faſciarum reſolutione, *C.* 2. *de fract. t.* 15. Junge his Foëſ. *Oec. p.* 77. ἀπολυσίαν dicit Erotianus, vel membrorum ſolutionem, vel faſciarum remiſſionem.

APOMAGMA, ἀπόμαγμα, *abſterſorium*, exterſorium ſordibus & excrementis detergendis idoneum ſignificat. Hipp. *de Medic. III.* 4.

APOMATHEMA, ἀπομάθημα, dicitur, oblivio ejus rei, quam antea didicimus: uno verbo, *dediſcere.* Hipp. 3. *de fract. t.* 8.

APOMELI, ἀπόμελι, eſt ſpecies decocti, parati ex melle vel favis cum aceto commiſtis, & tantiſper decoctis, quoad utrorumque qualitates inter ſe uniantur, & aceti vis retundatur. Dicitur alias ὀξύγλυκυ, ἢ ὀξύγλυκες, Gal. 3. *de fract. t.* 49. Medium locum habere inter mulſam & oxymel, ejuſdemque plurimum in Peloponneſo fuiſſe uſum ſcribit Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 4. Præditum eſt vi extergendi, alvum & urinam movendi; calidioribus tamen & bilioſis naturis adverſum & inconveniens.

APOMYLENAS, ἀπομυλῆναι, dicitur *protendens labra* compreſſim. Gal. *in Ex. voc. Hippocr.* Gorr. *p.* 45. & plenius explicat Erotianus, quod nempe fiat hæc, quando mentum diſtorqueatur vel convellatur cum pareſi, præcipue ex vulnere.

APONENOEMENOS, ἀπονενοημένως, id eſt, *animo averſo*, vel ob nimium faſtidium, vel propter delirium, Hipp. *l.* 3. *Ep. poſt. ſtat. peſtil. ægrot.* 2. vel juxta Galen. *ſ.* 3. *t.* 73.

APONEUROSIS, ἀπονεύρωσις, quaſi pronervatio, vel *denervatio*, ita dicitur extremitas muſculorum, quæ alias τένον, *tendo* appellatur, Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 4. Sunt vero duplicis generis *aponeuroſes:* Quædam ſunt carnoſiores, σαρκώδεις, quædam nervoſiores, νευρώδεις, *c.* 2. *de artic. t.* 6.

APONIA, ἀπονία, idem, quod *anodynia.* De quo vide ſupra. Gorr. *p.* 45. Medicamenta quoque ἄπονα dicuntur, quæ nullum tormentum aut dolorem excitant. Tiraquell. *de Nobilit. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 127. *b.*

APONITROSÆ, ἀπονιτρῶσαι, eſt ulcus *nitro aſpergere* & perfricare. Hipp. *l. de ulcer. XII.* 12.

APOPALLESÆ, *Apopalſis*, ἀποπάλλησαι, ἀπόπαλσις, expulſionem, *extruſionem*, evibrationem ſignificat apud Hipp. à verbo ἀποπάλλεσθαι, quamvis circa hoc magna ſubſit difficultas, quæ videatur apud Foëſ. *p.* 78.

APOPARTHENEVOMÆ, ἀποπαρθενεύομαι, id eſt, virginitate privor, *devirginor.* Hipp. *l. de A. L. & Aq. XLII.* 4.

APOPATEMA, ἀποπάτημα, *apopateſis*, ἀποπάτησις, vide *Aphodos. Apopatos*, ἀπόπατος, locum ad ſeceſſum denotare etiam monſtrat Linden. *Ex. XIII.* §. 252. Alias ἀπόπατος, ipſum alvi excrementum etiam ſignificat,

gnificat, *fimum* apud Dioſcorid. *l.* 2. *c.* 98. alibi & Erotianus ἀπόπατοι αἱ ἀφοδεύσεις.

APOPEDAO, ἀποπηδάω, ſignificat *exilio*, & uſurpatur ab Hippocr. de articulis luxatis, eque loco naturali elapſis, 3. *de artic. t.* 48. *&* 115. *vel ſect.* 4. *t.* 1. Foëſ. *p.* 79.

APOPHEUGO, ἀποφεύγω, id eſt, *liberor à malo*, e morbo evado. Hippocrat. *l.* 1. *de morb. mul. XLI.* 8. *XLII.* 12. *L.* 2. *l. de nat. mulier. LII.* 1. *LXXI.* Foëſ. *p.* 86.

APOPHLEGMATISMUS, ἀποφλεγματισμὸς, eſt medicamentum pollens facultate pituitam vel lympham eliciendi e capite, perque os excernendi. Gal. 6. *de San. tu.* 10. Offertur vel forma *gargariſmi*, vel *maſticatorii*, vel *unguenti*, rectius *eclegmatis*. Schröder. *Offic. Pharm. l.* 1. *c.* 3. Formulas vide ap. Rolfink. *O. ac Meth. l.* 6. *ſ.* 4. *c.* 3. & apud alios.

APOPHRADES, ἀποφράδες, à ſingulari ἀποφρὰς, *nefandus*, quo epitheto Andr. Laurentius *l.* 2. *de Criſ. c.* 1. indigitavit dies nefaſtos & infauſtos, in quibus nulla criſis vel mala in morbis acutis lethalibus metuenda, qui tamen ab eventu demum innoteſcunt.

APOPHRASSO, ἀποφράσσω, ſignificat *obturo*, *obſtruo*, diciturque de menſibus ſuppreſſis. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. l.* 19. Foëſ. *d. l.*

APOPHTHORA, ἀποφθορὰ, ἀποφθείρω, *abortio*. Vide *Abortus*.

APOPHYAS, ἀποφυὰς, eſt *appendix*, vel adnatum, ramus ac ſurculus. De venis utitur Hippocr. *l. de venis*, *XVII.* 8. Paulo poſt vero appellat παραφυάδας, *XXVI.* 6.

APOPHYSIS, ἀπόφυσις, eſt extranea oſſis pars, inſtar tuberculi prominens, ſeu adnata appendix, Gal. *de Oſſib. in proœm.* Latine etiam *proceſſus* dicitur. Differt ab ἐπιφύσει, quod hæc ſit adnatum quid, & contiguum; illa vero ipſius oſſis continuata portio, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 1. *Apophyſes* etiam dicuntur Hippocrati excreſcentiæ carneæ tantum in maſſa carnea, & fœtu fœminino apparentes, quaſi proceſſus ac exortus membrorum, & protuberantiæ, non vero certæ & exactæ diſtinctiones, quales in fœtibus maſculis obſervari dicit, *l. de ſeptim. part. VIII.* 22. 23.

APOPIESMA ἀπόπιεσμα, eſt expreſſio humorum, quæ fit ex deligationibus, in vulnere, aut fracturis. Hipp. *c.* 3. *de fract. t.* 31.

APOPLANAO, ἀποπλανάω, ſignificat errabunde abducere; uſurpavit de venis Hipp. *l. de venis*, *XXVI.* 4.

APOPLECTA vocatur vena jugularis interna, ad aſperæ arteriæ latus aſcendens. Barthol. *Anat. libell.* 1. *c.* 6. Hanc male ab antiquis ſoporalem dictam eſſe vult Blancard. *in Lex.* Verum ſi arteriæ carotidis nomen non improbatur, non video ſtringentem rationem, ob quam adeo male factum ſit, ſi & vena *apoplecta*, cujus ramus cum arteriæ carotidis ramo fertur, eodem quoque nomine appelletur.

APOPLEXIA, ἀποπληξία, quod fit ablatio ſenſus & motus in toto corpore, ſeu vehemens & repentina totius corporis reſolutio ac ſtupor, ex Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 10. *& c.* 2. *aph.* 42. nullum amplius eſt dubium. Verum quænam hujus affectus vera ſit cauſſa, adeo incertum eſt, e veterum & recentiorum monumentis determinare, ut, quo aliquis ſe velit deflectere, reperiatur trabs in omnibus, ſicut in proverbio dicitur. Nihilominus veritati maxime conſentanea nobis videntur, & philiatris propterea commendanda, quæ de hujus affectus cauſſis & generatione tradidit Willis *tr. de anima Brutor. Part. II. c.* 8. ut & Sylvius *Prax. Med. l.* 2. *Prax. Med. c.* 21. Dicitur & Latinis *Syderatio.* Apud Hippocr. *apoplexiæ* vocabulum aliquando ad certa ſaltem corporis membra refertur, *l.* 2. *Prorrh. XXIII.* 9. In ſpecie ad linguam & brachium, *Coac. t.* 359. ad dextrum aut ſiniſtrum latus, *t.* 477. quæ ſpecies alias *paraplegiæ*, παραπληγίας, aut ἡμιπληγίας nomine venire ſolet, Foëſ. *Oec. p.* 79.

APOPLECTICÆ *venæ*, vide *Jugulares venæ.* Interdum & medicamenta vocantur *apoplectica* pro *antapoplectica.* Ita aquæ apoplecticæ in diſpenſatoriis in ſpecie aqua apoplectica mineralis Zwelferi leguntur *in Pharmacop. Reg. cl. XV.*

APOPNIXIS, ἀπόπνιξις, idem, quod πνιγμὸς, *ſuffocatio*, præfocatio. Legitur apud Moſchion. cum epitheto τῆς μήτρας, i. e. *uteri* vel *matricis*, *de morb. mul. c.* 127.

APOPSOPHEO, ἀποψοφέω, ſignificat crepitum ventris emittere, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 19.

APOPSYCHIA, ἀποψυχία, idem, quod ἀψυχία; Gal. *c.* 3. *in* 1. *Prorrhet. t.* 20. ſummum animi deliquium.

APOPTOSIS, ἀπόπτωσις, eſt vinculorum relaxatio & remiſſio ſecundum Erotianum, & ita coincidit cum ἀπολύσει, de quo ſuperius; niſi quod ἀπόλυσις latius ſit.

APOPYTIZO, ἀποπυτίζω, i. e. *exſpuo*, Hipp. *l.* 7. *Epid. XV.* 34. Foëſ. *p.* 80.

APOREGO, ἀπορέγω, ſignificat *porrigo*, præbeo. De manu uſus Hipp. 1. *de fract. t.* 4. Foëſ. *d. l.*

APORIA, ἀπορία, vide *Angor*, *Alyce.*

APORRHAIDES, ἀποῤῥαΐδες, dicuntur *murices aculeati*, ſive conchylia, Aldrov. *l.* 3. *de teſt. c.* 14.

APORRHIPSIS, ἀπόῤῥιψις, *rejectionem* ſignificat, v. g. veſtimentorum, uti faciunt ægri æſtuantes aut delirantes, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 44.

APORRHOEA, ἀπόῤῥοια, *defluxus*, vel influxus, idem, quod *contagium*, miaſma, effluvium, apocriſis morboſa. Vide *Apocriſis*, *Contagium*, *Effluvium.* Dicitur & ἀποῤῥοὴ, *defluvium*, v. g. ἀποῤῥοὴ τῶν τριχῶν, *defluvium capillorum*, quod legitur in Moſchion. *remediis Græcis* vel *de morb. mul. annexis n.* 2. Vide *Alopecia*, *Calvities.*

APOS, rectius *apus*, ἄπους, dicitur ſpecies avis *hirundini* ſimilis, majoris tamen, plurimum volantis, ob pedes breviſſimos ad rependum potius, quam inſiſtendum factos. Licet Germani & Belgæ ab *apodum* in cibis uſu abhorreant, non tamen ingratas eſſe vult Aldrov. *l.* 17. *Ornith.*

APOSCEMMA, vel *Apoſceſis*, ἀπόσκημμα, ἢ ἀπόσκηψις,

ψις, vocatur *decubitus humorum*, cui qui prius unum membrum infeſtant humores, eo relicto, ad alterum tranſeunt. Galen. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 7. Propterea & ipſi *morborum tranſitus* & *tranſmutationes* ita dicuntur apud Hippocr. 6. *aph.* 56. Galeno quoque appellantur ἀποσκήμματα, *corporis excrementa*, quæ in alvum deponuntur, totumque corpus, aut etiam partem quandam veluti humoribus in eam decumbentibus exonerant, *c.* 2. *Prognoſt. t.* 13.

APOSCEPARNISMUS, ἀποσκεπαρνισμὸς, eſt ſpecies una fracturæ cranii, vel etiam alterius oſſis, cum ipſum velut à latere finditur, perinde ac ſi aſcia ligni fragmentum abſcindatur: ſiquidem σκέπαρνον *aſciam* ſignificat. Fit telo levi & acuto. Gorr.

APOSCHASIS, *Apoſchaſmus*, ἀπόσχασις, ἀποσχασμὸς, *ſcarificationem* ſignificat, & levem cutis inciſuram. Videtur & venæſectionem ſignificare ex *l.* 5. *Epid. XXVI.* 12. *XXVII.* 1. & *l.* 7. *XXXIV.* 15. *XXXV.* 2.

APOSIGESIS, ἀποσίγησις, *reticentia* dicitur, Hipp. *l. de dec. orn. II.* 26. ubi videtur reſponſio arguta & præmeditata innui.

APOSITIA, ἀποσιτία, *ciborum faſtidium*, vide *Anorexia*; quamvis ab hac differre videatur, ita, ut *anorexia*, quæ & *aſitia* dicitur, ſit inappetentia; *apoſitia* vero faſtidium, Gal. *c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 29. Multi enim non appetunt, qui tamen nec faſtidiunt, Linden. *S. M. Ex. XIII.* §. 79. Dicuntur hinc ἀπόσιτοι. Gal. *d. l.*

APOSITICOS, ἀποσιτικὸς, dicitur ap. Hipp. de iis, *quæ faſtidium cibi* & inappetentiam *faciunt*, notante Gorræo *p.* 46. *ex Gal. Exeg. voc. Hipp.* Adde Foëſ. *pag.* 80. 81.

APOSMILÆNO, ἀποσμιλαίνω, (Erotian. & Foëſ. exiſtimant, legendum potius eſſe ἀπομυλλαίνω) ſignificat *in acutum* ducor, aut *incurvor.* Hippocrat. uſurpavit de maxilla *incurvata*, 2. *de artic. t.* 31. Foëſ. *d. l.*

APOSPARASSO, ἀποσπαράσσω, id eſt, *avello lacerando.* At *Apoſparthazo*, ἀποσπαρθάζω, denotat *palpito*, vibro. Illud retinuit Linden. hoc vero Foëſ. & alii in loco Hippocr. *l.* 2. *de morb. X.* 9.

APOSPASMA, ἀπόσπασμα, lat. *Divulſum*, dicitur omnis ſolutio continui, quæ partibus organicis accidit, Galen. *de conſtit. art. c.* 6. *de diff. morb. c.* 11. in ſpecie dicitur de ligamentis divulſis, *l.* 4. *M. M. c.* 1. & *c.* 3. *de iis, quæ in medic. t.* 31. *Apoſpaſmata* etiam vocavit recrementa vel producta metallica, qualia ſunt, Tutia, Melanteria, Miſy, Sory & ſimilia, D. Ludovici *diſſert.* 1. *Pharmac. p.* 538. quamvis mendoſe legatur ibi *apoſpagmata.*

APOSPHACELISIS, ἀποσφακέλισις, Hipp. dicitur ſideratio vel mortificatio carnis, quæ fit in vulneribus & fracturis, à fortiori, quam par erat, ligatura, 4. *de artic. t.* 35.

APOSPHAGE, ἀποσφαγὴ, denotat *mactationem*, jugulationem, apud Hippocr. *l. de vet. med. XL.* 24.

APOSPHAGMA, ἀπόσφαγμα, exponitur Galeno apud Hippocr. fœculenta colatura, aut excolamentum, quod & *hypoſphagma* dicitur. Intelligi autem poteſt ſanguis, qui ſuppoſito vaſe pecudi jugulatæ defluit, & excipitur, ac in cibum varia conditura formatur, teſte Plinio *l.* 28. *H. N. c.* 14.

APOSPHINXIS, ἀπόσφιγξις, eſt *conſtrictio*, quando pars faſciis conſtringitur. Hipp. 2. *de iis, quæ in med. t.* 28. *c.* 4. *de art. t.* 35. *ſ.* 2. *de fract. t.* 19.

APOSPONGISMUS, ἀποσπογγισμὸς, eſt ſpongiæ vel ſiccæ vel aqua perfuſæ admotio, vel ad detergendas ſordes, vel ad levandos dolores, pruritus, vel ad ſpiritus reſocillandos, Gorr. *p.* 46.

APOSTAGMA, *Apoſtalagma*, ἀπόσταγμα, ἀποστάλαγμα, dicitur id miſtum, quod, priuſquam uvæ calcentur, deſtillat. Ob dulcedinis prærogativam ſingularem vocatur etiam γλεῦκος, aliis *protropum.* Linden. *Ex. X.* §. 206. 207.

APOSTASIS, ἀπόστασις, idem eſt, quod *abſceſſus*, de cujus vocabuli variis ſignificationibus ſuperius actum. Specialiter fracturam oſſis denotat, cum fragmentum aliquod ab oſſe diſcedit, Hippocr. 3. *de fract. t.* 17. & 20. Dicitur & quædam ἀπόστασις κατ' ἔκρουν, ἢ κατ' ἐκροήν, cum morbus excreatione quadam, aut per effluxum ſolvitur, ad differentiam ἀποστάσεως in alios morbos, quæ alias *metaſtaſis* appellatur. Junge ſis Foëſ. *Oec. p.* 83. 84. Græcos etiam *receſſus* qualitatum ab halitu temperato vocaſſe ἀποστάσεις, ſcribit Fallop. *tr. de purg. ſimpl. c.* 4. *Tom. I. p.* 136. Ita morbi dicuntur *receſſus* à naturali conſtitutione: magnitudo morbi eſt major receſſus. Hor. Augen. *Tom. III. Ep. & Conſ. Medic. l.* 6. *p. m.* 232.

APOSTAXIS, vide *Staxis.*

APOSTEMA, ἀπόστημα, vide *Abſceſſus.*

APOSTERIGMA, ἀποστήριγμα, eſt fulcrum & *ſtabilimentum*, quod ſine deligatione affectæ parti, ad eam ſtabiliendam, apponitur, qualecunque fuerit, ſive ſuperdetur, ſive ſubſternatur, veluti caput pulvinis, lanis etiam & pannis mollibus firmatur, Galen. *com.* 3. *de iis, quæ in medic. t.* 36. Aliam quoque ſignificationem huic vocabulo competere, ita, ut infixum & inhærentem morbum, vel *oppilationem* denotet, probari poſſe videtur ex Hipp. *l. de flatib. XIV.* 1. niſi lectio ſuſpecta & mendoſa fuerit, uti exiſtimat Foëſ. *Oecon. p.* 84. Nihilominus hanc ſignificationem admittit & confirmat Linden. *Ex. IV.* §. 15. 16. Et Caſp. Theophil. Bierling. *in Theſauro p.* 1128. de doloribus in inteſtinis hærentibus uſurpavit. Verbum ἀποστηρίζω, i. e. *fulcio*, firmo, legitur *l.* 2. *prorrhet. XXIII.* 13.

APOSTRACOS oſteon, ἀποστρακὸς ὀστέον, dicitur os ita exſiccatum & exangue, ut in teſtam mutatum ſit. Hippocr. *de vuln. cap. XXIII.* 6.

APOSTROPHE, ἀποστροφὴ, *averſationem* & faſtidium ciborum ſignificat apud P. Ægin. *l.* 3. *c.* 37. Vide Linden. *Ex. XIV.* §. 63.

APOSYMBEBECOTA, ἀποσυμβεβηκότα, dicuntur ſigna, quæ alias ἐξ ὑπαρχόντα vocantur quaſi *non exiſtenti-*

ſtentia, qualia ſunt ἀναλγία, i. e. doloris abſentia, & privationem denotare videntur. Galen.comm.1. in progn. Hipp. t. 27. Jung. Dogmata noſtra Med. Gen. p. 300.

APOSYRINGUMÆ, ἀποσυριγγοῦμαι, ſignificat in fiſtulam degenerare, vel excavari, Hipp. l. de loc. in hom. XX. 4. & l. de venis XXVI. 9. ἀποσυριγγῶσθαι τὴν χολὴν idem eſt ac ἀποφυσᾷν, efflare bilem, apud Erotianum.

APOSYRMA, ἀπόσυρμα, dicitur deſquamatio cutis, aut abraſio. Eſt ſolutionis continui ſpecies, abraſa ſc. cute, Hipp. l. de Hum. uſ. V. 20. Apoſyrmata igitur Græci vocant, quod Latini abraſa, ſuntque exulcerationes ſuperficiariæ, quæ cutem habent ſuſpenſam, Gal. l. 1. de C. M. S. G. c. 13. Scrib Larg. num. 215. Rhod. in Lex. Scrib. Exponitur alias quoque locus deſquamatus & fruſtulum in ulceribus à partis ulceratæ ſubſtantia abraſum.

APOTANYO, ἀποτανύω, ſignificat protendo, extendo. Hipp. 2. de fract. t. 2

APOTELESMA, affectus ſive exitus paſſionum. Cælius Aurel. chron. l. 2. c. 12.

APOTELMATIZO, ἀποτελματίζω, dicitur e luto vel cœno eruo, ſordes & fæces repurgo. Hippocr. uſurpavit tropice de veritate pura dicenda, l. de dec. orn. II. 36. Linden. reddidit audeo, confido.

APOTHECA, ἀποθήκη, hodieque in vulgus notiſſimum vocabulum in germanam linguam receptum, quo indigitatur officina vel taberna, in qua medicamenta, qua ſimplicia, qua compoſita præparantur, aſſervantur & venalia proſtant, unde & apothecarii vocantur earum tabernarum poſſeſſores; quamvis olim nomen apothecæ cellam vinariam ſignificaſſe aliquot teſtimoniis e pandectis juris probaverit Andr. Tiraquell. de Nobilit. c. XXXIV. §. 43. fol 218. a.

APOTHERAPIA, ἀποθεραπεία, in genere notare poteſt curationem abſolutam, ſive ad finem perductam, à verb. ἀποθεραπεῦσαι, quod uſurpaſſe videtur in hac ſignificatione Hipp. Præcept. IV. 28. Apud Gal. vero apotherapia ſignificat partim finem perfectæ exercitationis, & poſtremam partem, quando adhiberi ſolet vel frictio, vel unctio, vel balneum, ad laſſitudinem tollendam: partim pro ipſa ſpecie quadam exercitationis, quando inter ipſam ſpiritus fit cohibitio, aut frictio, aut motus tardiores, & mediores cum frequenti interpoſita quiete, uti conſtat ex Gal. 3. de ſan. tu c. 2. ſeq. Ea pars quoque medicinæ, quæ hoc docet, apotherapeutica, ἀποθεραπευτικὴ propterea dicitur.

APOTHERMUM, ἀπόθερμον, dicitur condimentum quoddam acre, cujuſmodi eſt, quod ex ſinapi, oleo & aceto, vel aceto ſolo fit. Galen. l. de atten. diat. c. 11. Obiter quoque monendum, minus recte quoſdam ex Gal. l. 1. de alim. fac. c. 13. ſtatuere, quod apothermum, ſapa, ſiræon, & hepſema ſynonyma ſunt, cum ex ipſo textu nunquam hoc evinci poſſit.

APOTHESIS, ἀπόθεσις, Hippocrati eſt fracti membri & deligati debita repoſitio & collocatio, ut eo ſitu contineatur, l. 3. de iis, quæ in medic. t. 26. Verbum ἀποθέσθαι ſignificat & deponere, i. e. removere, Galen. l. 3. de Hippocr. & Plat. decr. c. 5. quod Latin. depono ſæpius occurrit ap. Scribon. num. 45. 207. 210. &c. Vid. Rhod. Lex. Scrib.

APOTHLIMMA, ἀπόθλιμμα, interdum expreſſæ alicujus rei retrimentum, interdum etiam ipſum ſuccum ab aliqua re expreſſum ſignificat, teſte Gorr. p. 44.

APOTHRAUSIS, ἀπόθραυσις, eſt detractio partis oſſis diſrupta ſuperficie, ſic ut, quod aufertur, ſupernatet. Dicitur etiam Apocope.

APOTIMAO, ἀποτιμάω, ſignificat magni æſtimare. Hipp. 2. de art. t. 46.

APOTOCOS, ἀπότοκος, dicitur germen abortivum. Uſurpatur tropice de morbis veluti abortivis. Hipp. 3. de artic. t. 54. Foëſ. p. 86.

APOTOS, ἄποτος, dicitur, qui non bibit nec potum deſiderat. Et tales ἀπότους dari, neque eſſe adeo contra naturam exiſtimat Hartmann. in Diſput. Chymico-Medica VIII. Epithem. 4. & Diſp. XIII. §.14. Oper. in fol. Tom. IV. p. 55. & 100.

APOTREPOMÆ, ἀποτρέπομαι, h. e. revertor, avertor. Hipp. de ſuppuratione imminente, ſed inhibita uſurpavit, l. 4. Epid. XVI. 18. Foëſ. d. l.

APOTROPÆOS, ἀποτρόπαιος, dicitur vel de diis gentilium averruncatoribus, vejovibus; vel de ſacrificiis, quæ illis facta ſunt. Hipp. l. de Inſomn. XI. 7. Poſſunt & amuleta ſic vocari. Foëſ. d. l.

APOTYCHIA, ἀποτυχία, Vide Calamitas, Erratum.

APOXE & Apoxera, ἀπόξη & ἀπόξηρα, dicuntur Hippocrati partes acuminatæ, vel quæ in extremitate tenuantur, & præ ſiccitate in acutum tendunt. Quidam ὑπόξηρα legunt d. l. t. 2. Vide Foëſ. p. 78.

APOZEMA, ἀπόζημα, vide infra Decoctum.

APOZEO, ἀποζέω, h. e. deferveo, deferveſco, idem, quod fermentatione perficior, purificor. De muſto, oleo crudo, aliiſque liquoribus crudis dicitur. Scribon. n. 269. Rhod. in Lex. Scrib.

APOZEUGNYMI, ἀποζεύγνυμι, ſignificat removeo, aufero; proprie ſejungo. Idem eſt quod ἀφαιρέεσθαι, cui opponitur τὸ προσθῆναι, addere. Legitur apud Hippocr. l. de loc. in hom. XX. 13. Foëſ. p. 72.

APOZYMOS, ἀπόζυμος, i. e. fermentatus, ſive per fermentationem intumeſcens. Uſurpavit Hippocr. de ventre l.2.Prorrh.XXXI. 10. quamvis Linden. ὑποζύμους poſuerit. Videantur annotationes Foeſ. ad h. l. in operibus Hipp. p. 105. F. & Oec. p. 73.

APPARATUS, κατασκευή, vocatur chirurgis inſtrumentorum neceſſariorum expedita repoſitio & collocatio, ut omnia promta ſint manibus chirurgi & miniſtrorum, quæ plurimum confert ad citam, tutam & jucundam curandi rationem. Quod vocabulum aliquoties occurrit in Sculteti Armam. Chirurg. quæ loca ex indice primo haberi poſſunt. Quamvis & ad alias partes medi-

medicinæ executioni inſervientes diæteticam & pharmaceuticam applicari poſſit, ſiquidem pro curatione rite perficienda & illorum mediorum & inſtrumentorum *apparatus* neceſſarius eſſe ſolet.

APPENDIX, Græc. ἐπίφυσις. Vide *Epiphyſis.*

APPENSIO, ἀνάληψις, Vide *Analepſis.*

APPETITUS, *Appetentia*, ὄρεξις, ὁρμή, alias etiam ἐπιθυμία dicitur. (Hinc ἐπιθυμητικὴ δύναμις, *facultas appetitiva* veterum excogitata, cujus ſedem in hepate, in quo ſpiritus naturalis gigneretur, eſſe finxerunt. Verum hodieque hujus opinionis abſurditas ex anatomicis principiis ſatis ſuperque inclaruit, quod in hepate nullus peculiaris generetur ſpiritus, ſed ſolum organum ſit ſanguinis depuratorium.) Vel late ſumitur pro omni naturali inclinatione, qua animatorum, qua inanimatorum ad ſui conſervationem; quæ ſignificatio philoſophica magis, quam medica eſt; vel ſtricte pro deſiderio ad alimenta, cibum & potum, percepto in ventriculo ab humore fermentali orto, D. Mœb. *l.* 1. *Epit. Inſtit. Med. c.* 7. Vel fortaſſe clarius ita deſcribi poſſet, quod ſit perceptio vel commotio animæ ſenſitivæ ad cibum & potum, proveniens à ſpirituum animalium intenſione per fermenti in ventriculo partim aciditatem, partim ſalſedinem acrem majorem & liberiorem excitata. Quidni enim & illud deſiderium ad actiones animales referri poſſet ac deberet, cum revera ſentiat quiſque ſe deſiderare alimenta? Senſus autem ad functiones animales pertinet. Poteſt igitur & actio naturalis ratione cauſſæ ſtimulantis, quæ acor eſt fermenti, dici, & animalis reſpectu perceptionis, quæ fit per ſpiritus animales animæ ſenſitivæ emiſſarios. Ejus ſunt duæ ſpecies, *fames*, & *ſitis*; de quibus ſuo loco.

APPETITUS *caninus*, ὄρεξις κυνώδης, (Dekers in not. ad Barbette *Pr. Med. l.* 4. *c.* 1. *lit. g.* κυνορεξίαν appellat) eſt ſpecies nimiæ famis, vehemenſque comedendi deſiderium, quo & plurima edunt, & maxime gravati aſſumta fere inalterata paulo poſt revomunt, Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 7. *l.* 6. *de L. A. c.* 3. Provenit vero à fermento ventriculi corrupto nimiumque acido, ipſum orificium ventriculi vellicante, & ſpiritus animales ibidem præſentes irritante, deinde à copia etiam ipſum ventriculum ad contractionem ſtimulante, ut vel evomat, vel citius ad inteſtina crudum chylum dejiciat, & ita alvi profluvium ſequatur cœliacum, ſive lientericum. Gal. *d. l.* Junge ſis Sylv. *Pr. Med. l.* 1. *c.* 2. & alios, præſertim Sennert. *P. M. l.* 3. *p.* 1. *ſ.* 2. *c.* 4. Differt à *Bulimo*, quod in hoc vomitus aut alvi fluxus non concurrat, ſed periculum lipothymiæ urgeat. Dicitur aliquando etiam *phagedæna*, teſte Gal. 3. *in* 6. *Epid. t.* 37. *Appetentia canina* dicitur etiam de *pica* ſive *appetitu depravato.* Vide *Diſp. Medicar. Baſileenſ. Decad. II. Diſp. VII.*

APPETITUS *deperditio*, *amiſſio*, *carentia*, vide *Anorexia.*

APPETITUS *depravatus*, vide *Pica.*

APPLICATIO, ἐφαρμογὴ, προσοικείωσις, dicitur plerumque illa artificis, vel medici, vel chirurgi, actio, quando remedia interna, vel externa ægro manu ſua imponit, injicit, & ita corpori communicat: ut, *applicatio* clyſteris, emplaſtri &c.

APPOSITIO, quæ & *adjunctio*, *additio* & *proſtheſis*, πρόσθεσις, dicitur, vide *Additio.*

APPREHENSIO, & *Apprehenſorium*, vide *Antilepſis. Apprehenſio* etiam aliquando ſumitur pro *catalepſi*, ſive *catocha.* P. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *tit.* 1. *q.* 15. *n.* 9. 10.

APPROPRIATIO, προσοικείωσις, eſt actio caloris nativi vel flammæ vitalis, qua humores & ſpiritus corpori ejuſque partibus ſolidis ita uniuntur, ut functiones ſibi proprias edere & perficere valeant. Imo flamma vitalis ſemetipſam una cum ſanguine ſeſe appropriat & inſinuat. Alias & *appropriata* dicuntur medicamenta, quæ certæ parti corporis deſtinata creduntur. Hæc qua ratione, ſalvis veris artis principiis, præſertim vero cum ſanguinis motu circulari, defendi queant, vide *in noſtris Dogmat. Med. Gen. Part. VI. c.* 2. *d.* 12. *p.* 721. *ſeqq.*

APPROXIMATIO dicitur ſpecies curationis tranſplantatoriæ per contactum immediatum in animale vel vegetabile ſubjectum apud Ettmüller *in Medico Theor. & Praxi inſtructo* in *Appendice Partis II. Therapeuticæ & Hygienes* §. 8.

APRACTA, ἄπρακτα, cognominantur genitalia membra ignava & ad generationem inepta, vel impotentia. Nicol. Piſo *de M. C. & C. lib.* 3. *c.* 47.

APSINTHATUM, ἀψίνθατον, fuit genus potionis ad ventriculum accommodatæ, cujus aliquot formulæ leguntur apud Aët. *l.* 3. *c.* 69. 70. 71. *&c.* haud dubie ita dictum, quod magna ex parte *abſinthio*, quod Gr. ἀψίνθιον dicitur, conſtaret. Unde & ἀψινθίτης οἶνος, *vinum abſinthites*, dicitur, hodieque notiſſimum. Gorr. *p.* 68.

APSIRRHOON, ἀψίρροον, *retrorſum fluens*, apud Hipp. teſte Gorræo *p.* 68.

APSYCHIA, ἀψυχία, i. e. *animi* deliquium, *defectio.* Idem, quod *lipopſychia.* Occurrit apud Hipp. *l.* 2. *de morb. V.* 4. *ſ.* 4. *de R. V. A. t.* 58. 61. 62. *c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 20. *Coac. t.* 226. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIIX.* 21. Ἄψυχος, *inanimatus.* Gal. *l.* 1. *de temp. c.* 8. ab ἀψυχεῖν, quod idem eſt Hippocrati ac λειποθυμεῖν, teſte Erotiano & Galeno.

APTISTOS, ἄπτιστος, non *decorticatus*, de granis non decorticatis, dicitur, v. g. tritico apud Hippocr. *de vet. Med. XXIII.* 10. πτίσσειν enim eſt corticem tundendo detrahere, vulgo **ſtäuen** / Foëſ. *p.* 87. 88.

APTYSTOS, ἄπτυστος, *ſputo carens*: eſt epitheton pleuritidis aut periculoſioris, in qua nihil expuitur. *Coac. t.* 381. *l.* 1. *de morb. XXV.* 1. *& l.* 3. *XX.* 1. Cauſſa eſt fervor ſanguinis acrior cum ſiccitate conjunctus. Foëſ. *d. l.*

APULOTICUS, ἀπουλωτικὸς, idem quod epuloticus, de quo infra lit. E. id eſt, *cicatricem ducens.*

APYETOS, ἄπυητος, ſignificat morbum aliquem externum, vel etiam humorem, qui non ſuppurabilis eſt, & legitur apud Pechlin. *l.* 1. *Obſ. Phyſ. Med. Obſ.* 67. *p.* 154. quamvis in alio autore vetuſtiore Græco non invenerim, item ergo, quod ἀνεκπύητος apud Hippocr.. Differt autem ab ἄπυος, quod ſignificat *ſine pure* actu deficiente.

APYREXIA, ἀπυρεξία, dicitur *febris intermiſſio* & ceſſatio, ſive de intermittentibus in diebus ſcilicet intercalaribus, ubi in paroxyſmo omnis materia febrilis eſt diſſlata, donec nova ad plenitudinem congeratur, ſive de continuis etiam, quando curatione rite inſtituta ſequitur vera & totalis febris ceſſatio, & vacuitas. Celſo *integritas* dicitur. Gorr. *p.* 48.

APYROMELE, ἀπυρομήλη, ἢ ἀπυρηνομήλη, dicitur *ſpecillum non habens nucleum.* Vocatur alias μηλωτὶς, *ſpecillum auricularium.* Gal. *in Ex. dict. Hipp.* Foëſ. *d. l.*

APYRON, ἄπυρον, quod *ignem non expertum* eſt. In ſpecie dicitur de ſulphure vivo apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 124. quem locum magna ſane audacia pro confirmando lapidis philoſophici figmento adductum reperies *in Theatr. Chymic. Vol. I. de verit. & antiq. Chym. c.* 1. *p.* 16. ἄπυρος etiam hodieque dicitur proceſſus quidam chemicus æthiopis nomine veniens, quando *abſque igne* ſola trituratione perficitur. Vide *Æthiops.*

AQUA, ὕδωρ, quid proprie ſignificet, notiſſimum eſt, eſtque principium corporum naturalium materiale, unde & *omniſeminaria* dicitur. Jung. ex noviſſimis D. D. Bohnii *Diſſ. Chym. Phyſ. V.* Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 7. *p.* 54. *ſeq.* D. Helbig. *in ſuo introitu in phyſicam veram & inauditam* ſibi perſuaſum habuit, *chaos* in prima creatione fuiſſe *aquam* quandam viſcoſam, quæ per divinum motum poſtea in ſubtilem, mediam & craſſam h. e. aërem, *aquam* & terram fuit ſeparata. In medicina conſideratur, quatenus eſt res non naturalis, quæ in potum, aut alium uſum alimentoſum vel medicamentoſum cedit homini, & ita cauſſa fit procatarctica ſanitatis & morborum. Ejus igitur differentias & facultates probe perſpectas habere, medici plurimum intereſt, quando quædam puræ, quædam luculentæ, quædam ſalſæ, quædam aluminoſæ, quædam paluſtres, quædam aëris aut alterius rei naturam imitantur. Inter omnes vero optima cenſetur, quæ ἄποιος, expers omnis qualitatis, & quoad guſtum, & quoad odoratum. Gal. *com.* 3. *de hum. t.* 3. De *aquis* mineralibus vel metallicis vid. *Acidulæ* & *Thermæ. Aquæ* deſcriptionem Phyſico-Medicam inter noviſſimos etiam egregie propoſuit Johann. Schreyer, Medicus Cizenſis, in tract. *Fluidum Magnum* membris aliquot prioribus, quæ videantur. Porro vocab. *aqua*, Græce ὕδωρ, quandoque apud Hippocratem ponitur pro decocto, v. g. *aqua* hordei, 4. *de R. V. I. A. t.* 71. *aqua* malvæ, *l.* 1. *de morb. mul. XLIII.* 17. *LIV.* 2. *XCIII.* 24. *aqua* mercurialis, *l.* 7. *Epid. XXXI.* 22. *XLVI.* 7. *&c.* A recentioribus vero de *aquis* *deſtillatis* potius, qua ſimplicibus, qua compoſitis, uſurpari ſolet. Uſurpatur etiam vacab. ὕδωρ, *aqua*, aliquando pro ſero, quod in ſanguine ſupernatat, aut ejuſdem vehiculum conſtituit, *l. de genitura V.* 5. Dicitur vero alibi ὕδρωψ, *lib.* 4. *de morb.* alias ichor. An & *lympha* hic ſubintelligenda? Vide Foëſ. *Oecon. p.* 633. Chymicis *aqua* dicitur mater, radix, & ager omnium mineralium, Dorn. *in Genealog. mineral. c.* 2. *ſeq. Th. Chym. Vol. I. p.* 571. Alias *aqua philoſophorum* iiſdem dicitur humidum radicale, ſeu *aqua* primordialis corporum, quæ triplex exiſtit, animalis, vegetabilis, mineralis, adæquata ad recipiendas formas ſulphurum in regno ſuo, vita & mors rerum. In regno minerali *aqua incombuſtibilis*, cœleſtis, ſpiritualis vocatur. Vide Becheri *Oedyp. Chym. Tit. IV.* §. 5. In ſpecie quoque à nonnullis *Mercurius* dicitur *aqua philoſophorum*, lucens, aucta, congregationis, cœli vel cœleſtina, frigida, lubrica, mortis, viſcoſa, viva, vitæ, ſicca. Vide Rul. & Iohnſ. *Theatr. Ch. Volumina omnia*, & quære in indice: Sal alkali, *aqua* alkali, & *aqua* duorum fratrum cum ſorore, Iid. Acetum etiam & omnis liquor corroſivus *aqua* corrodens vocatur, vel *aqua* ſolvens. *Aquæ fortes* dicuntur etiam corroſivæ, cauſticæ, ſtygiæ, quæ pro diverſitate ſcoporum ſalibus mineralibus acrioribus & corroſivis certa proportione commiſtis violento igne deſtillantur; quo pertinet *aqua regia* ſolutioni auri deſtinata; item *aqua gradatoria*, quæ ad gradandum tincturas adhibetur, Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *cap.* 31. *Aqua ingreſſiva* dicitur, quæ pertinet ad tranſmutationem metallorum, quæque cogit ingredi rubinum philoſophicum in argentum fixum, ut aureo tingat, Id. *d. t. l.* 7. *c.* 10. *Aquæ deſcenſoriæ*, quæ per deſcenſum deſtillantur, *l.* 8. *c.* 37. *Aqua Æſculapii*, quæ ex aceto paratur, & eſt dulcis liquor aceti, participans naturam Jovis & Veneris, *d. l. cap.* 28. quamvis, teſte Sala *Anat. Antimon. part.* 2. *c.* 1. *p.* 328. hoc nomine veniat *aqua* ex plumbeo vaſe deſtillata, quam Zapata commendat ad epilepſiam, notante D. D. Wedelio *Ph. I. R. F. R. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 1. *p.* 67. *Aqua alma* & *cœleſtis* eſt vinum rectificatum, ut cœli quodammodo naturam & ſimilitudinem induat, multis peractis revolutionibus. *Aqua fecum vini* eſt ea, quæ fit ex calce fecum vini ſuper marmor diſſoluta ad modum olei tartari. *Aqua permanens* dicitur ea, quæ fit ex duobus perfectiſſimis metallis ſole & luna, & eſt ipſe mercurius philoſophorum. Dicitur & *aqua virginea viſcoſa. Aqua ſaturnia* eſt, quæ naturam retinet primorum trium, ut ſunt *aquæ* thermarum à natura dictorum naturaliter medicatæ, per quæ tranſeunt. *Aqua alegri* eſt *aqua calcis. Aqua cerebri*, i. e. *aqua* tartari. *Aqua elſabon*, vel *holſobon*, *ſalmatina* dicitur *aqua ſalis* communis. *Aqua lilii* eſt auripigmentum. *Aqua nitri* eſt ſal alkali vel *aqua fortis. Aqua pugilum* dicitur *aqua regia*, ſive regis balneum minerale. Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 64. *Aqua rubicunda*, *aqua* megi, ſegi, id eſt, *aqua vitrioli. Aqua vitri* eſt vitrum aqua ſolutum. Rul. & Iohnſ.

Iohnſ. Lex. *Aqua ſafferanica* quid ſit, vide apud Lagn. *Harm. Chym. c.* 12. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 780. *Aqua* Tettuciana in agro Piſtorienſi, aqua B. Virginis Veronenſium. Capiv. *prax. lib.* 3. *c.* 17. *Aqua* lactis, ſerum, Ant. Beniv. *de abdit. morb. cauſis. Aquæ* indomitæ, veteribus quæ ſolem habent averſum non fluentes ad ortum. Mercat. *de Indic. med.*

AQUA *inter cutem*, *intercus*, vide *Hydrops.*

AQUA *mulſa*, μελίκρατον, vide *Hydromel.*

AQUÆDUCTUS, ὑδροχόη, proprie ſignificat canales & fiſtulas, per quas aquæ vel de ſcaturigine & fonte, vel ex rivis ad alia loca commode feruntur. Tales plerumque lignei hodieque parantur, aliquando & ex metallis fiunt, quamvis Langius plumbeos *aquæductus* merito improbet *l.* 1. *Ep.* 44. *circa fin.* Tropice Fallopius *aquæ ductum* vocavit canalem quendam oſſeum in oſſe petroſo ad auditum ſpectante, qui alias *meatus cæcas*, (quod tamen epitheton rejicit dictus autor in *Obſ. Anat. Tom. I. Oper. p. m.* 366. & 406.) aliis *cochlearis*, vel *capreolaris* dicitur, & deſcribitur etiam à Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 6. *p.* 714.

AQUALICULUS, ἐπίσειον, ἐπίσιον, qui & *pubes* nonnullis dicitur, eſt ea trunci pars, in quam thorax finitur, ubi & maſculorum pudenda conſtituta ſunt, quin & fœminarum ad femoris utriuſque exortum, ut ſub hoc occultentur. Gal. *Introduct. c.* 10. Vide *Hypogaſtrium.*

AQUARIUS, id eſt, ferrum. Rul. & Iohnſ.

AQUASTER, Paracelſo *viſio* quædam eſt, repræſentans rem aliquam, quæ res ipſa non eſt, *l.* 1. *de vit. long. c.* 3. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AQUATIAS, & ſuperlat. *aquatiſſimum*, Scrib.Larg. *n.* 42. 26. Rhod. *in Lex. Scrib.*

AQUATILE, *Aquaticum*, ἔνυδρον, de animalibus dicitur, quæ in aquis vivunt, generantur, aut degunt. Gal. *l.* 3. *de alim. fac. c.* 24.

AQUATUM, ὑδαρές, vide *Aqueum*, idem, quod dilutum. Uſurpatur & in comparativo. *Aquatum* ovorum idem eſt, quod grando vel chalazium: vide *Chalaza.* Legitur apud M.A. Severinum *Chirurg.effic.l.*1. *Part.* 2. *c.* 67. notante Velſchio *in Sylloge Obſervationum ad Marcell. Cumani Obſ. LIX. p.* 71.

AQUEUM *medicamentum*, ὑδατηνὸν φάρμακον, dicebatur olim, quod ad oculorum affectus adhibebatur. Gal. *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 19. dicitur alias *collyrium liquidum. Aqua* etiam dicuntur ſimplicia, malva, blitum, atriplex &c. *de attenuant. diæt. c.* 2.

AQUEUS *humor oculi*, *albugineus*, rectius *albumineus*, quia albumini ovi reſpondet, ὑγρὸν ὑδατοειδὲς, Gal. *l.* 1. *de cauſ. ſympt. c.* 2. ἡ ὠοειδὴς, Aët. *l* 7.*c.*1. eſt materia fluida, paulo tamen craſſior, quam aqua, anguſtiis illis, quæ intra corneam prominentem & tunicam araneam ciliareque ligamentum relinquitur, comprehenſa, humoremque cryſtallinum anterius alluens, ſpecierum viſivarum refractionem, uſque ad pupillam continuans, vicinas partes ab exiccatione defendens, alioſque uſus ad viſionem neceſſarios præſtans, de quibus legantur anatomici, & inter hos Aquapend. *de Viſione c.* 5. Plemp. *Ophthalmogr. l. d. c.* 16.

AQUIDUCUS, ὑδραγωγὸς, vide *Hydragogos.* Latinum legitur apud Cæl. Aurelian. *de Tard. paſſ. l.* 3. *c.* 3.

AQUILA, ἀετὸς, proprie & communiter ſignificat avem majorem, & reginam inter volatilia, cujus deſcriptionem, ſpecies, & uſum vide apud Aldrovand. *l.* 1. & 2. *Ornitholog.* Ejus Anatome ab Olao Borrichio facta & deſcripta legitur *in Actis Hafnienſ. Vol.I. Obſ.*2. *p.* 6. *ſeqq.* & muſculorum hujus hiſtoria à Nic. Stenone communicata *Vol. II. Obſ.* 127. *p.* 320. Tropice & ænigmatice in chemia varia ſignificat. Inter alia potiſſimum denotat *mercurium philoſophorum* vel *metallorum*, id eſt, metallum in primam ſui materiam redactum, uti patet ex Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* Sumitur & pro *ſale ammoniaco*, Hofm. *Clav. Schröd. p.* 4. Ita *aquila alba* dicitur, quod ex *ſale ammoniaco* & communi ſublimato paratur; Lib. *S. A. Ch. l.*8. *c.* 39. nec non in confectione lapidis philoſ. ſpirituale & cryſtallinum ſublimatum, cujus gluten eſt vera *aqua mercurialis; Apoc. Herm. Part. poſt. c.* 2. *Aquilæ lachrima* appellatur liquor ex dicto ſale modo volatili, modo fixo concinnatus. *S. A. Ch. l.*4. *c.* 18. *Aquila cœleſtis* admirandarum virtutum, & panacea omnibus morbis profligandis apta (ſi diis placet) ex mercurio eſſentificato paratur, *l.* 6. *c.* 19. *Aquila nigra* dicitur ſpiritus cadmiæ venenatæ, quem cobaltum dicunt, quam nonnulli credunt, eſſe materiam mercurii philoſophorum, *l.* 7. *c.* 18. *Aquila veneris* eſt, quæ fit ex croco facto ex ærugine in reverberio vel cæmento, junctoque ſale ammoniaco ſepties ſublimato, *l.* 3. *c.* 8. Sic & plures aliæ appellationes apud eundem occurrunt, v. g. *aquila rubra*, *ſalutifera*, *vitriolata*, *expanſa*, *fixa*, *hæmatina*, *præcipitata*, *volans &c.* quæ ibi videantur. *Aquila volans per aërem*, & *bufo gradiens per terram* quale ſit magiſterium, vide *in Roſar. abbreviat. Tract.*5. *Th. Chym. Vol. III. p.* 679. Lapis quoque philoſ. hoc nomine venit apud Lagn. *Harm. Chym. Vol. IV. p.* 727. *Aquila* quoque piſcem marinum denotat in cœnoſis locis degentem, monſtroſum & palato ingratum, quin & plebi exoſum, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.*3. *de piſc. c.* 48. De *aquila* ſolari magnetica admiranda in nuptiis imperatoris & imperatricis celebratis Paſſaviæ 1646. à Chriſtoph. Adolpho Balduino facta & ab eodem deſcripta vide ejus *Hermetem curioſum* invento & experimento primo.

AQUILO, vide *Boreas.*

AQUOSA *urina*, quæ & *cruda* dicitur. Vide *Urina.*

AQUOSUS *hydrops.* Vide *Aſcites.*

AQUULA, vide *Hydatis.*

ARA *parva*, βωμὸς μικρὸς, dicebatur ſpecies faſciæ quædam & deligationis elegantioris Soſtrato tributæ, apud Gal. *de faſciis n.* 96.

ARABICUS *lapis*, ἀραβικὸς λίθος, eſt marmor album in Arabia repertum, maculoſo ebori ſimile; unde

gem-

gemma Arabica, quæ, ut Plin. ſcribit *l.* 37. *H. N. cap.* 10. ebori ſimillima eſt, & hoc videretur, niſi abnueret duritia, Georg. Agricol. *l.* 7. *de nat. foſſil. p. m.* 310. Elephanti ſimilis, deſiccantis abſtergentiſque facultatis eſt. Gal. *l.* 9. *de Sim. Fac.* §. *h. t.* Hinc tritus illitu hæmorroides exiccat, caniſque ejus dentifricio optimus eſt, Gorr. *in def. p.* 48. Videtur proxime accedere ad naturam alabaſtri. Plin. *l.* 36. *c.* 8. *Arabicæ* quoque vocantur pilulæ quædam, quarum deſcriptio in diſpenſatoriis Norinbergenſi, Auguſtano, Londinenſi habetur.

ARACHNE, ἀράχνη, vide *Aranea.*

ARACHNOIDES, ἀραχνοειδὴς, vide *Aranea Tunica.*

ARADOS, ἄραδος, Hippocrati ſignificat *perturbationem humorum*, quæ fit ab inordinata & tumultuaria fermentatione colliquativa; qualis v. g. oritur in ventriculo ex diverſis facultate cibariis 1. *de R. V. I. A. t.* 18. & *ſ.* 4. *t.* 94. item ex purgantibus etiam mitioribus, *l.* 4. *de Morb. XXXI.* 4. ad quem locum vide *Diſp. noſtram I. de Remor. & Imped. Purgant. θ.* 34. *ſeq.* Extenditur etiam ad perturbatiouem, quæ in quavis corporis parte ſentitur, *de cap. vuln. XXII.* 1. Habetur pro effectu calidi excedentis. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 88.

ARÆON, *Aræoticon*, ἀραιὸν, ἀραιωτικὸν, vide *Rarum*, *Rarefaciens.*

ARÆOSYNCRITOS, ἀραιοσύγκριτος, dicitur homo rara corporis miſtura & compage præditus. Gal. *l.* 6. *de ſan. tu. c.* 5.

ARANEA, vel *Araneus*, ἀράχνης, ἀράχνη, φαλάγγιον, (quamvis in fœminino potius *telam aranei* ſignificet) eſt inſectum venenatum, puncturis ſuis nocens, cujus prolixiorem deſcriptionem legere licet apud Aldrov. *de Inſect. l.* 5. *c.* 12. Veneni naturam & ſymptomata deſcripſit Sennert. *l.* 6. *M. Pr. Part.* 8. *c.* 24. Verum non ſolum in Medicina conſideratur, ut noxium quid morſu ſuo, contra quem cum admiratione prædicat trifolium Gal. *de Ter. ad Piſon. c.* 4. ſed etiam ut utile medicamentum, quatenus pulſibus & temporibus applicatum febriles paroxyſmos arcere dicitur, (hinc eſt laudatiſſimum emplaſtrum antifebrile Strobelbergeri.) aut amuleti inſtar appenſum, iterum curare creditur. In ſpecie tela aranei vulneraria habetur, & inflammationes ſedans, Gal. *l. XI. de Si. Fac.* Schröd. *l.* 5. *Phar. c.* 4. §. 98. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Ova quoque *araneorum* unguento Nardino miſta contra dolorem dentium ab Archigene commendata leguntur apud Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 9. Quæ de lapide *araneorum* vulgo perhibentur, merito inter fabulas & nugas referuntur à D. Simone Pauli, *Quadripart. cl.* 2. Succus e telis *aranearum* combuſtis commendatur ad verrucas, callos &c. Libav. *Synt. Ch. T.* 1. *l.* 8. *c.* 12.

ARANEA *Tunica* vel *Araneoſa*, ἀραχνοειδὴς, eſt oculi tunica propria, quæ cum retina perfectam ſphæram efficit, inveſtiens humorem cryſtallinum ſcil. anterius ad modum telæ araneæ ſubtilis, ne impediat lumen ad humores. Gal. *de Anat. vivor.* Linden. *in Phyſiolog. Med. l.* 2. *c.* 10. *art.* 7. etiam vitream tunicam à Ruffo *araneoſam* appellari, oſtendit e verbis *l.* 2. *c.* 3.

ARANEOSUS *pulſus*, ἀραχνοειδὴς σφυγμὸς, legitur apud Gal. *in def. med.* qui adeo parvus, velut brevi auræ agitatu moveatur. Et ἀραχνιῶδες οὖρον, *araneoſa* urina, legitur apud Hipp. *Coac. t.* 582.

ARBOR Dianæ ſive Philoſophica dicitur modus ille cryſtalliſationis, quando aqua fortis mercurio & argento incorporata in aquam effuſa in fruticem quaſi ſe explicat, frondes, folia, fructus &c. exhibentem, eſtque nihil aliud, quam fluor nitri metallo & mercurio accreſcens. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. II.* §. 6. *Arbor* Philoſophorum, Chemicis quibuſdam etiam vocatur proceſſus quidam, qui ex mercurio revivificato paratur. Dicitur quoque *Arbor* Hermetis.

ARBOR *maris*, eſt *corallum*, quod fruticis inſtar in mari creſcat vegetetque. Dorn. *in dict. Paracelſ.* Rul. & Iohnſ.

ARBOR pyramea. Quint. Seren. *c.* 28. Morus, ſub qua Pyramus adoleſcens Memphiticus, Thiſbe amore flagrans, ſemet interfecit, autor. Ovid. 4. *Metamorph.* Hamelberg. *in c. l.*

ARBOR *vitæ*, cujus meminit Helmont. peculiari tractatu, h. t. & intelligit tale remedium, cujus beneficio vita prorogari poſſet, vires lapſas recreando, detinendoque vitam aliquo uſque à fluxu. Et tale credit præbere cedrum ejuſque lignum, cujus præparandi modum ibidem monſtrat. Nos permittimus ſuo quenquam abundare ſenſu.

ARBORES, eſt *cutis planæ defœdatio* morboſa, neque ulla eſt in principio exulceratio, ſed in proceſſu temporis. Idem, quod *Morphea.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ARBYLA, ἀρβύλη, dicitur Hippocrati genus calceorum, quod exacte pedes integros uſque ad malleolos conſtringit & munit. Hinc etiam πηλοπατίδες, quaſi *luticalcæ*, quod iis aptiſſime lutum calcari queat. Meminit horum calceorum, 4. *de artic. t.* 13. Latin. *Perones* vel *ſocci* etiam dicuntur. Foëſ. *Oec. p.* 89.

ARCA *Arcanorum* dicitur *mercurius philoſophorum*, in qua duo, tria, quatuor latent, idque agente artifice cum naturæ rerum diſpoſitione. Libav. *S. A. Ch. l.* 7 *c.* 27.

ARCANUM, (Græce dici poteſt ἀπόῤῥητον, ἀπόκρυφον, μυστήριον) eſt genus remedii, cujus modus præparandi ſingularis, vel efficacia abſtruſior relinquitur, ne vileſcat. Paracelſus deſcripſit, quod ſit principale aliquod medium, quod per experientiam inveſtigari debet, *de Therm. Piper. c.* 4. Hujuſmodi *arcanis* excogitandis & fingendis nimiam hodieque adhuc impendunt operam Chemiatri, plus tribuentes experientiæ fallaci licet, quam rationi demonſtrativæ. Rectiſſime vero Capivaccius verum artis medicæ *arcanum* dixit indicationem. Vide *Dogm. noſtra P. IV. cap.* 1. *d.* 3. De *arcanis* Paracelſi legatur Helmont. *tr. h. tit.* Alia *arcana*, vel ſecreta detecta vide ſis apud Libav. Schröd. Rolf. & *in Theatr. Chymici Voluminibus pene omnibus*, & loca quære

in

in indice. *Arcanum* eſt res ſecreta, incorporalis atque immortalis, quæ ab homine cognoſci non poteſt, niſi per experientiam. Eſt enim virtus cujuſque rei, quæ milleſies plus operatur, quam res ipſa. *Arcanum materiale* eſt extractum ſpecificum materiæ corporis vicinius. Cum autem materia corporum miſtorum ſit ex duplici elemento, humido ſcil. & ſicco, (Aër enim & ignis formalia potius ſunt, & efficientem habent rationem:) itaque & hoc *arcanum* æmulans ipſorum conditio eſt duplex: *Aqua ſtillatitia* & *coagulum ſpecificum. Arcanum ſpecificum* eſt extractum naturæ interioris, cujuſque ſpeciei ſubſtantiam referens propius, ut in illa agnoſci queat. Itaque & ea induſtria elaborandum eſt, ne craſis ſubſtantialis pereat. Inde enim & ſpecificum dicitur, & diſſentit ab *eſſentia quinta*, quæ propter ſummam ſubtilitatem nobilitatemque videtur pene à ſua ſpecie ad æthereorum claſſem defeciſſe. At *arcanum ſpecificum* miſtorum ſubſtantiam formamque & differentiam ſpecificam ex corpore penetrali productum exhibet propinquius: Eſtque duplex: unum *formalius* eſt, & vocatur *aſtrale*: alterum *materialius*. Hæc Dorn. Rul. & Iohnſ. Hodieque duo medicamenta præcipue hoc nomine ſpecioſo exornata uſum retinuerunt, videlicet *arcanum* duplicatum Mynſichti & *arcanum* corallinum; quamvis prius rite præparatum multo ſit ſecurioris uſus, poſteriori, modo inter alia & cautela obſervetur à D. D. Wedelio inculcata *Pharm. I. A. R. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 4. *p.* 51. De *arcano corallino* ejuſque variis præparationibus juxta Marggrav. *in Collect. Leid.* & juxta Febure videatur Iunken *Lex. Chymico-Pharm. P. I. p.* 39. 40.

ARCEO, ἀρκέω, ſufficio, vel potius imperſonaliter ἀρκέει, ſatis eſt, *ſufficit*, aliis confert. Apud Hipp. occurrit ſæpius 2. *de artic. t.* 43. *ſ.* 3. *t.* 64. *ſ.* 4. *t.* 52. 53. *l.* 1. *de morb. IV.* 14.

ARCHÆUS, ἀρχαῖος, vetus, antiquus, priſtinus. Vel dicitur de tota medicina veteri, Hippocr. integrum ſcripſit librum περὶ ἀρχαίης ἰατρικῆς; Vel de naturali ſtatu, qui fuit ante morbum, *l.* 1. *de morb. XXXIII.* 5. *l. de Steril. XXIV.* 20. Vel in ſpecie de ſitu vel ſede naturali alicujus membri vel oſſis, 1. *de artic. t.* 62. *ſ.* 2. *t.* 46. *ſ.* 4. *t.* 45. *&* 57. *c.* 3. *de fract. t.* 63. *Archæus* etiam ſcribitur pro *Archeus*, de quo p. p. Rul.

ARCHALTES, (Rul. *Archates*) eſt Paracelſo terræ fundamentum ſive columna, quod à ſuis conſortibus ſuſtentari non videatur, ſed ab alio magnali & arcano Dei videlicet, hoc ipſum *archaltem* vocat. Dorn. *in Diction. Par.* Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

ARCHE, ἀρχὴ, vide *Principium. Initium.*

ARCHEGONOS, ἀρχέγονος, vide *Primigenius.*

ARCHELOGIA, ἀρχηλογία, medica vocatur tractatio thematica de ratione & experientia abſtracte conſiderata, & ſecundum omnes medicinæ partes diducta, eſtque norma univerſa medicinæ, protomathia, primæ concluſiones & cauſſæ omnium medicorum dogmatum, prout deſcripſit D. Gothofred. Schultzius, Medicus Islebenſis *in præfat. ad Diſſert. de Tinctura Bezoardica D. I. Michaelis p. m.* 30.

ARCHENDA dicitur pulvis paratus ex foliis liguſtri Ægyptii, Alcanna vel Elharme Ægyptii dicti, quo pedes poſt balneum emplaſtrabant illi populi, & mire commendabatur contra nimiam humiditatem & fœtorem imbecillitatemque pedum vi adſtrictoria & roborante. Proſp. Alpin. *l.* 3. *de medicin. Ægyptior. l.* 3. *c.* 18. *p. m.* 113. *b.*

ARCHEUS, vocabulum eſt Helmontio frequentiſſimum, denotans vel cauſſam efficientem internam totius mundi, unde univerſalis *Archeus* influus eidem dicitur, tr. *Archeus faber.* §. 8. Fortaſſis eſt anima mundi aut æther, aut ſpiritus æthereus modernorum: vel particularem ſingulorum corporum naturalium, præſertim animatorum. Hic ſecundum illius hypotheſin conſtat ex connexione vitalis auræ, velut materiæ, cum imagine ſeminali, quæ eſt interior nucleus ſpiritualis, fœcunditatem ſeminis continens, §. 4. Hic eſt generationis faber ac rector, ſeipſum veſtiens corporali amictu. Præſes etiam manet, curator, rectorque internus finium in obitum uſque §. 6. *&* 7. An non hæc plane coincidunt cum δυνάμει πλαστικῇ, ſive virtute plaſtica philoſophorum veterum Græcorum? Confer, ſi placet, ad C. Hofm. *de gener. hom. l.* 2. *cap.* 1. Quomodo Joh. Marc. *Archeum* deſcripſit ab Helmontio in quibuſdam recedens, *in Philoſ. V. Reſt. P. IV. ſect.* 2. *ſubſect.* 2. non videntur vere realia, ſed potius abſtractivi mentis conceptus & notiones parum uſus obtinentes in arte noſtra. Ab hoc *Archeo* corrupto per varias ideas *archeales* dictas provenire quamplurimos morbos, propterea etiam ab illo *archeales* dictos, demonſtrare conatur tr. *de Idæis morboſis, & morbis archealibus.* Contra *Archeum* exorbitantem vel deficientem egregie diſſeruit Petrus Guiſſonius *in Epiſtolica Diſſertatione de tribus principiis annexa Petri Poterii operibus medicis Part. III. p.* 20. *ſeqq. Archeus* Paracelſi & ἐνορμῶν Hippocratis ſunt idem, Guil. Thomſon in *explicatione terminorum artis præmiſſa acui ejus magneticæ.* Dornæus, Rul. & Iohnſ. ita deſcripſerunt: *Archeus* eſt ſummus exaltatus & inviſibilis ſpiritus, qui ſeparatur à corporibus, exaltatur & aſcendit: occulta naturæ virtus, generalis omnibus, artifex & medicus. Item archiatros, ſupremus naturæ medicus, qui rei cuique ſuum *Archeum* peculiarem & membro cuilibet occulte per aërem diſtribuit: item *Archeus* primus in natura vis eſt occultiſſima, res omnes producens ex Iliaſte divina virtute nimirum ſuffulta dumtaxat. Vel *Archeus* ſpecies inviſibilis eſt, oberrans, & ſe à corporibus ſeparans, medici vis atque virtus naturæ. Dicitur & mineralium diſpenſator à Dorneo *Genealog. miner. cap.* 8. *in Th. Chym. Vol. I. p.* 576.

ARCHIATER, ἀρχίατρος, in duplici ſignificatione ſumitur. Primo pro principis alicujus, aut imperatoris, regis &c. medico, quam acceptionem defendit

Hier. Mercurial. *l.* 4. *V. L. c.* 1. Deinde pro primario inter medicos alicujus collegii, qualis eſſe ſolet, qui vel Decani officio fungitur, vel Senior vocatur. Et hanc ſignificationem præ priori tuetur C. Hofman. *l.* 5. *V. L. c.* 27. quamvis hodieque ſint, qui affectent hunc titulum ſecundum utramque ſignificationem, ſibimetipſis arroganter attribuentes. *Comes archiatrorum* olim dicebatur, cui delegata fuit poteſtas arbitrandi in arte egregia, & cæterorum *archiatrorum* vel collegarum dirimendi conflictus, C. Hofm. *d. l. Archiater* etiam myſtice dicitur Archeus, de quo p. a.

ARCHIDOXIS, hoc vocabulo inſcribitur ſcriptum quoddam Paracelſi chymicum, quod magicum appellat Libav. *in Exam. Philoſ. nov.* Continet libros novem, in quibus extractiones & ſeparationes virtutum ab invalido declarantur. Valentin. de Rhetiis *ad Lectorem.*

ARCHIMAGIA, *Chymica* dicitur ars conficiendi aurum vel argentum, quæ meretur titulum *artis ſupernaturalis* & *metaphyſicæ*, apud Menens *tr. Aurei Veller. l.* 1. *c.* 4. *in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 255.

ARCHIMIA differt ab *Alchimia*, diciturque in ſpecie ars tranſmutationis metallorum imperfectiorum in perfectiora. Libav. *Alchym. Pharmac. præfat. T. II. oper. p.* 22.

ARCHOS, ἀρχὸς, vide *Anus.*

ARCOS, eſt æs uſtum, Aycophes, Azaphora. Rul. *in Lex.*

ARCTATIO, ξυμ- vel συμπίλησις, idem, quod *conſtipatio.* In ſpecie de inteſtinis dicitur, ex inflammatione conſtipatis. Confer. ad Linden. *Ex. IV.* § 25. Eſt ſpecies *anguſtationis* meatuum, de qua ſupra. Accipitur etiam ſpecialiter de anguſtia genitalis muliebris, ſive vulvæ, præternaturali. P. Zacchias *quæſt. Medic. Legal. l.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 27. Dicitur etiam *arctitudo.* Eſt aliquando per ſectionem medicabilis. Id. *l.* 10. *Deciſ.* 40. *num.* 12. *& Deciſ.* 48. *num.* 16. 17. *Arctata* pars quoque dicitur per chirurgiam, v. g. fibulas conjuncta, Scrib. Larg. *num.* 206.

ARCTOS, ἄρκτος, vide *Urſa.*

ARCUALIA oſſa dicuntur aliis *oſſa ſyncipitis*, aliis *oſſa temporum*, notante Barthol. *An. libell.* 4. *c.* 6. *p.* 707. 718. *Arcualis ſutura* i. e. coronalis.

ARCUATIO vocatur à quibuſdam *gibboſitas anterior*, quando accidit cum communitate oſſium *caſſi* i. e. *ſterni.* Avic. *l.* 3. *fen.* 21. *tr. c.* 12.

ARCUATUS *morbus*, *Arquatus*, vide *Icterus.*

ARDAS, *Ardalos*, ἄρδας, ἄρδαλος, *ſordes*, inquinamentum, idem, quod ῥύπος ἢ μολυσμὸς, à verbo ἀρδαλῶσαι, *inquinare*, quo uſus Hippocr. *l. de nat. mul.* LXII. 6. *l.* 1. *de morb. mul.* XXXVI. 4.

ARDEA, ἐρωδιὸς, eſt ſpecies avis aquaticæ, fiſſipedis, cujus deſcriptionem, differentias, uſum in cibis, & medicina legere licet apud Aldrov. *l.* 20. *Ornithol. c.* 8. *ſeqq.* Bruyerin. *de re cibar. l.* 15. *c.* 66. Schröder, *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 47. alioſque. Piſciculenti aliquid ſubolere guſtatu; ſcribit Jul. Alexand. *l.* 13. *ſal. c.* 4.

ARDENS *febris*, vide *Febris*, *Cauſus.*

ARDENTIA ſunt, quæ in cibum & potum non aſſumta ſunt uſtionibus obnoxia natura propria, ut iſta, carabe, terebinthina, gagates, & ſimilia. Dorn. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

ARDO, ἄρδω, ſignificat *irrigo*, *adaquo.* Legitur apud Hipp. *l. de L. I. H. II.* 4. *VI.* 7. *XIV.* 11. *XIIX.* 14. *l. de Carnibus vel principiis XIII.* 5. *l.* 2. *de diæt. XXXII.* 11. 17. *l. de Cord. V.* 13. vide Foëſ. *Oec. p.* 91.

ARDOR, καῦμα, vide *Æſtus. Ardor ſtomachi*, vel *ventriculi* eſt ſpecies cardialgiæ, quando ardens dolor in ventriculo ejuſque orificio ſiniſtro & gula percipitur à particularum bilioſarum cum acido-acribus efferveſcentia fibras & nervoſas partes lancinante. Gr. καύσωμα τοῦ στομάχου dici ſcribit Senn. *Med. Pr. l.* 3. *P.* 1. *ſ.* 2. *c.* 16.

ARDOR *urinæ*, vide *Dyſuria.*

ARDOSIA Anglis vocatur lapis quidam commodus ad tegendas domos, de cujus varietate & utilitate cum ſumtuum computatione legi poſſunt ſpeculationes Sam. Colepres in Oldenburg. *Act. Philoſ. A.* 1669. *menſ. Auguſto.*

AREA dicitur *maſſa fodinarum*, ſive locus, ubi metalla effodiuntur, Rul. *in Lex.* In foro medico pathologico ſpecies eſt *alopeciæ.* Vide ſupra *Alopecia.*

AREFACTIO, ξύρανσις, idem, quod *exſiccatio* fortior, eſtque ſpecies quædam præparationis medicamentorum humiditate quadam ſcatentium, ut in pollinem vel pulverem redigi queant. Ita coagulum hinnuli cervei *arefacere* juſſit in loco, ubi neque ſol, neque luna accedere poterit, Scribon. Larg. *comp.* 13. Vide & *n.* 60. 92. 123. 127. Rhod. *in Lex. Scrib. Arefactio* ſumitur etiam pathologice pro aridura ab Hartman. *in Prax. Chymiatrica* pro conſumtione infantum.

AREGON, ἀρηγὸν, epitheton eſt unguenti cujuſdam pretioſi, cujus deſcriptio in Diſpenſatoriis occurrit. Dicitur qſ. *Auxiliare.*

AREMAROS, idem, quod *Cinabaris*, vel *Cinabrium.* Rul. *in Lex.*

ARENA, *Arenula*, ψάμμος, ψάμμιον, alias *ſabulum*, antiquis harena, eſt materia ſicca, minutiſſimis granulis conſtans, varii coloris, rubra, flava, candicans, e portionibus ſalinis lixivioſis, & fœculentiis tartareis invicem coagulatis genita, quandoque materiam calculi renum, vel veſicæ, præbens, quandoque etiam ſtatim e ſero pertranſeunte abluta & excreta: unde *urina arenoſa*, ψαμμῶδες οὖρον, appellatur, & tales ægri *arenoſi* vel *arenuloſi*, Hor. Aug. *l.* 12. *Epiſt.* & *Conſ. Med. ep.* 1. Vide Thom. Willis *Exerc. de Urin. c.* 5. Fr. Sylvius *l.* 1. *Pr. Med. c.* 55. §. 44. generationis *arenarum* cauſſam in læſas à frigore externo glandulas conglobatas, & longum in dorſo decubitum refert. Verum præſtitiſſet, ſi rem clarius expoſuiſſet. *Arenas* rubras ſignum eſſe doloris nephritici conſtat ex Hipp. 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 5. etiam calculi veſicæ, ex

ex 4. *aph.* 79. Confer. ad Dieterich. *Iatr. num.* 939. *Arenæ* ſpecies recenſet Ruland. *in Lexic.* quales ſunt: Vilis, foſſilis, candida, metallica, ſabulum, rubra, cinerea &c.

ARENAMEN, eſt *bolus Armenus.* Ruland. Iohnſ. Dicitur & *Arenarmei.*

ARENATIO, idem, quod *ſaburratio*, eſt remedium externum ſimile pene illutationi, ægrotantibus maxime utile, quando calentiſſima arena e mari vel deficiente illa e fluvio corpori ægrotantis confertim ſuperingeritur, loci recubitu aſſidue permutato. Andr. Baccius *de Therm. l.* 2. *c.* 17. *p. m.* 118.

AREOLA in anatomicis vocatur circulus papillam ambiens in virginibus pallidior, in prægnantibus & lactantibus fuſca, in vetulis fere nigricans. Barthol. *Anat. l.* 2. *c.* 1. Bidloo *Anat. Tab. XIX. fig.* 3. & 5.

ARES, vocabulum eſt à Paracelſo fictum, quo exprimi aut denotari debet occultus diſpenſator in tribus principiis, unde ſingula conſtant, qui rebus omnibus formam & ſubſtantiam cuique ſuam peculiariter diſponit, ut propriam & non alienam induant naturam. Notanda igitur inter hæc tria pulcherrime ordinata divinitus in natura differentia, ut pro ſcholarum conſuetudine loquar. *Iliaſtes* eſt generis generaliſſimi ſubſtantia, conſiſtens in prima rerum omnium univerſali materia. Hanc in tria genera primum diſponit, videlicet in ſulphur, mercurium, & ſal, primus naturæ diſpenſator *Archeus*, indeque res producit omnes in proxima ſua genera. Tandem accedit *Ares*, alter naturæ diſpenſator, ex generibus formas producens, & ſpecies in individua. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Diſtinguitur *Ares* à Paracelſ. in *archeicum*, quod naturale, & *chymicum*, quod artificiale. Huc pertinet & *meloſinicum*, tranſmutationis principium, quod & *ſalamandrina eſſentia* dicitur, quale lapidi philoſophorum attribuitur, *l.* 3. *de vit. long. c.* 12. & *l.* 4. *c.* 6. De *Are* vide etiam ap. eund. *l.* 2. *de Gradib.* ſive *Theſſal. ſecund. c.* 2. *Ares* ἄρης alias Græce *Martem* ſignificat. Vide *Mars.*

ARETE, ἀρετή, *virtus*, idem, quod vigor, de corporis vigore uſurpat Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XXIII.* 10. Vide *Virtus.*

ARFAR, id eſt, *Arſenicum.* Dicitur & Arſag, Rul. & Iohnſ.

ARGEMON, *Argema*, ἄργεμον ἢ ἄργεμα, dicitur ulcuſculum oculi, quod in iridis circulo naſcitur, partem quidem aliquam candidi, partem etiam nigri comprehendens. Id extra quidem iridem rubicundum, intra vero candidum apparet. Per ipſum tunica uniformis aliquando procidit, ſi profundius ſordidiuſque evaſerit; quo vitio qui laborant, ἐπαργέμους vocat Galenus. Vide Foeſ. *Oec. p.* 90. Deſcribit perfecte ex Hippocrate Erotianus.

ARGENTI *ſpuma* vel flos, ἀργύρου ἄνθος, dicitur, quo utitur Hippocrates ad uteri ulcera cum vino & aqua ſubluenda, *l. de nat. mul. XXIX.* 146. Argenti ſpuma alias dicitur *lithargyrum*, de quo infra.

ARGENTUM, ἄργυρος, ἄργυρον, eſt metallum nobile, candidum, auro tamen imperfectius, Schröder *l.* 3. *Pharm. c.* 10. Fr. Hofm. *in Clavi ad h. l.* A chymicis *luna* dicitur, hocque ſigno ☽ indigitatur. *Argentum* inveniſſe Erichthonium Athenienſem e Plin. *H. N. l. VII. c.* 56. & Hygino *fab.* 274. notavit Th. Janſ. ab Almeloveen *Rer. Inv. Onom. p.* 5. De hujus ſpecifica virtute cephalica corroborandi cerebrum, ſpiritus animales reficiendo & irradiando, præſtat judicium noſtrum ſuſpendere, quam graviſſimæ huic controverſiæ inter celeberrimos medicos agitatæ ſeſe implicare; præſertim cum ipſi peritiſſimi chymiatri dubitent, an poſſibilis vera ſolutio *auri* & *argenti*, ita, ut à calore noſtro actuari, & in uſum converti queat. De *argento foliato* idem locum habet judicium, quod de *auri* foliis ſive laminis, de quo infra *aurum. Argentum metallum* proximum poſt aurum, album albedine pura, mundum, durum, ſonans; cujus tinctura alba eſt, ex *argento* vivo puro fere fixo, claro, albo, & tali de ſulphure mundo, fixo, albo, claro, quod cecidit ſuper ſubſtantiam argenti vivi, deficit ei pauca fixatio, color & pondus. Eſt quaſi filia naturæ proponentis aurum, coeunte argento vivo & ſulphure albo, non urente. Habetur triplex: 1. *Foſſile purum*, ſine opificio fornacum, & plerumque parumper ſaxi adhæreſcens: 2. *Rude foſſile*, varii coloris, rubri, plumbei, nigri, purpurei, cinerei, ruffi: & 3. *Artificiale*, quod excoquitur ex metallis & mineralibus; de quibus & pluribus aliis huc pertinentibus prolixius egit Ruland. *in Lexic. Chym.* Inquiri etiam poſſunt *Indices Voluminum VI. Theatri Chymici*, ubi multa reperies de *argento*, quæ omnia huc inſerere inſtituti non permittit ratio. *Argenti recrementum* dicitur *ſcoria*, ἕλκυσμα Græce. Vide *Helcyſma.* Chymici multa jactitarunt de tinctura *lunæ* vel *argenti* cœrulea, ſed eam alii cautiores ſuſpectam reddiderunt, imo D. Olaus Borrichius negare non dubitavit *argentum* puriſſimum præbere cœruleam tincturam, quemadmodum legitur *in act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 68. *p.* 129.

ARGENTUM *fugitivum*, idem quod Mercurius.

ARGENTUM *Vivum*, vide *Hydrargyros.*

ARGES, *Argas*, ἄργης, ἀργᾶς, Dorn. eſt nomen ſerpentis, qualis juveni cuidam in os ingreſſus legitur, mortem cum convulſionibus inferens, apud Hipp. *l.* 5. *Epid. XXXII.* 6. 7. *ſeqq.*

ARGILLA, ἄργιλλος, terra eſt candida, unde & *creta figularis* dicitur, friabilis, & pinguitudinis expers, *l.* 9. *de Sim. Fac.* Accipitur vero quandoque latius varii coloris ſpecies comprehendens, ut, nigram, luteam, puniceam, purpuream, viridem, cœruleam, cineritiam, G. Agricol. *in Dialogo, qui dicitur Bermannus p.* 452. Confer. ad C. Hofm. *Paralip. c.* 43. & Imperat. *H. N. l.* 2. *c.* 1. Adhibetur *argilla* ad perlutationem, quod Scrib.

Larg. exprimit per circumdata *ex argilla*, *n*. 76. & 122. *Argillarum* varia genera recenſet Rul. *in Lex.*

ARGISTATA, id eſt, *incerata*. Rul. & Iohnſ.

ARGOS, ἀργὸς, *inelaboratum*, crudum ſignificat, aut nondum præparatum. Legitur de tritico apud Hippocr. *de vet. med. XXII.* 8. Significat & *ignavum*, ocioſum; unde ἀργία, quaſi ἀεργία, ocium, deſidia, *pigritia*, quæ etiam noxia, & cauſſa morborum, *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 11.

ARGYRITIS *terra*, ἀργυρῖτις γῆ, quæ ex argenti metallis ſumta pluribus parvis terræ particulis plures parvas argenti miſtas habet particulas, Gal.*d.l.* Eſt etiam *Argyritis* ſpecies quædam lithargyri, ſive ſpumæ argenti, ſic dicta vel à materia, quod ex argento, hoc eſt, miſtura plumbi & argenti fieret, ut ſcribit Plin. *l.* 33. *H. N. c.* 6. vel à colore tantum, quod inſtar argenti candida eſſet, ut ait Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 102. etiamſi forte argenti nihil haberet; ſiquidem eam, quæ ex argento conficeretur, Galabritin appellari tradit. Poteſt enim illi color albus citra argenti admixtionem artificioſa coctura conciliari. Gorræus *in def.* Vide *Lithargyros.*

ARGYRODAMAS, ἀργυροδάμας, ita dicitur talci ſpecies colore argenteo ignibus invicti, cujus laminæ tenuiſſimæ, ſi devorentur, hærent infixæ ventriculo, faucibus & gulæ, inde periculum inflammationis & ſtrangulationis. Andr. Cæſalpin. *Art. Med. l.*3.*c.*32. & ex hoc P. Zacch. *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *tit.* 2. *q.* 4. *n.* 24.

ARGYROGONIA, ἀργυρογονία, dicitur à Gaſtone Clavone *ſemen argentificum*, ex argento prius ſoluto perfecte concoctum, ſeu tinctura argentifica candidi coloris, ſicut *chryſogonia*, *ſemen aurificum*, de quo ſuo loco. Vide Apolog. Argyropœæ *in Th. Chym. Vol. II. p.* 24. Jung. & *Vol. IV. p.* 388.

ARGYROPŒA, ἀργυροποιΐα, eſt ipſa *ars*, quæ docet modum conficiendi argentum e metallis & mineralibus imperfectioribus, non tam illa, quæ in argentifodinis exercetur, quam hæc, quam jactitant ſpagyrici ope vel lapidis philoſophici, vel mercurii philoſophorum, vel illius *ſeminis argentifici*, de quo p. a. Videantur etiam loca ibidem *e theatro Chym.* allegata. An fortaſſis rectius hæc dici poſſet ἀργυροφθορία, ſive ars, argentum, quod jam ante in promtu fuerat, ana ſpe lucri deſtruendi, dilapidandique? Ita quidem cenſuiſſe videtur Rolf. *Chym. l.* 1. *c.* 10.

ARGYROS, ἄργυρος, vide *Argentum.*

ARGYROTROPHEMA, ἀργυροτρόφημα, ſpecies eſt edulii e lacte confecti, ad attemperationem caloris & ſqualoris in corpore, ut eſt apud Gal. *l. de ſuccor. bon. & vit. c.* 13.

ARHEYMATISTOS, ἀῤῥευμάτιστος, eſt epitheton membrorum externorum vel artuum præſertim articulorum à *fluxionibus* arthriticis adhuc *liberorum* apud Al. Friliian. *l.* 11. *c.* 1. & ex hoc Schneider. *de Catarrho l.*1. *c.* 2. *p.* 27.

ARICYMON, ἀρικύμων, dicitur fœmina, quæ cito concipit & impraegnatur, fœcunda, Hipp. *de ſuperfœtat. X.* 10. 11. *l. de Sterilib. XI.* 13. Dicitur & alibi ἐναρικύμων, *l. de A. L. & Aq. VIII.* 13.

ARIDITAS *corporis*, vide *Maraſmus*. Dicitur & *ariditas* ſummorum pilorum lanuginoſa ſuperficies, pulvere conſperſis adſimilis, Gr. ξηρασία, Gal. *def. med. Ariditas* quoque *linguæ* eſt ſymptoma ſuperveniens febrium, cum halitus e ſanguine in pulmones delato per aſperam arteriam effuſi eandem exiccant. Fr. Sylv. *Pr. M. l.* 1. *c.* 30. §. 60.

ARIDUM, ξηρὸν, καρφαλέον, κατάξηρον, idem, quod *ſiccum*, de quo infra ſuo loco. De cute *arida*, cum quadam duritie, 5. *aph.* 71.

ARIDURA eſt corporis vel membrorum omnimoda conſumtio vel conſideratio, ut vocant, Dorn. Rul. & Iohnſ. Idem quod *febris hectica*, Dolæus *Encyclopæd. l.*4. *c.* 4. Alias hodieque nomen hoc valde uſitatum eſt, ſumiturque pro atrophia particulari vel tabe membrorum. Ita Hartman. *in Prax. Chymiatric. part. poſter. c.* 183. de *aridura* membrorum inſcripſiſſe legitur.

ARIES, κριὸς, valde eſt æquivocum vocabulum; proprie vero notat *ovem marem*. Vide *Ovis*. Æquivocationem expediit Aldrov. *l.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 8. Quo pertinet ſignificatio *cereviſiæ Vratiſlavienſium*, *aries* dicta, teſte Cratone, *Conſil. Med.* 169. apud Laur.Scholz.

ARIGEOS, ἀριγέως, i. e. *citra rigorem*, ſine rigore, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 23. Foëſ. *p.* 92.

ARILLA, γίγαρτον. Vide *Gigarton.*

ARIOBARZANIOS, ἀριοβαρζάνιος, nomen eſt emplaſtri apud P. Æginet. parotidas induratas emolliens, *l.* 3. *c.* 23. & *l.* 7. *c.* 17.

ARIS, ἄρις, inſtrumentum fabrile, aut ſcobinam fabri ſignificat. Meminit ejus Hipp. 1. *de artic. t.*61. Vide Foëſ. *Oec. p.* 93.

ARISTON, ἄριστον, *prandium*, & verbum ἀριστᾶν, *prandere* ſignificat, quo ſæpius utitur Hippocr. *de veter. medic.* Veteres *prandium* alio tempore & quidem commodiori inſtituiſſe hora, nimirum tertia ab ortu ſolis, demonſtrat Lang. *l.* 1. *Ep.* 35. *Ariſton magnum* & *parvum* vocantur medicamenta compoſita contra phthiſin, dolorem ventris, febres mixtas. Avic. *l.*5.*ſumm.* 1. *tr.*1.

ARISTOPHANEION, ἀριστοφάνειον, nomen eſt *emplaſtri emollientis*, quod conſtat picis libris quatuor, apochymatis libris duabus, ceræ libra una, opopanacis uncia una, aceti hemina. Gorr. *p.* 51.

ARITHMOS, ἀριθμὸς, Latin. *Numerus* dicitur, vide *Numerus*. Hippocr. vero differentiam *numericam* vel individualem, qua morbus à morbo diſcrepat, per hoc vocabulum determinavit, 1. *de R.V.I.A.t* 8.Vide Foëſ *d.l.*

ARLADA, *Arladar*, eſt realgar adultum, vel calcinatum. Laudatur à Paracelſo in ulceribus malignis, *l. de ulc. c.* 2. Meminit & Foreſtus *l.* 13. *Obſerv. Med. Obſ.* 7. *ſub finem* ad polypi curationem.

ARLES *crudum*, ſunt guttulæ cadentes in Junio, & quidem ſæpe noctu. Paracelſ. *de grad. & comp. l.* 4. *c.* 6. cum Scholiis. Dorn. *in Dict. Par.*

ARMA-

ARMARIUM *Unguentum*, vide *Hoplochriſma.*

ARMATURA, *Conceptus*, Arab. *Abges*, vide *Amnios.*

ARME, ἄρμη, à verbo ἄρω, apto, ſignificat vel in genere commiſſuram, coalitum, & corporis compagem, uti vult Erotianus: vel in ſpecie ſuturam, quales occurrunt in capite, ſicut expoſuit Gal. *in exegeſi.* Legitur vero apud Hippocr. *l. de venis XVII.* 10. quamvis Linden. ἁρμονίας retinuerit. Foëſ. *in Oec. p.* 94.

ARMENA *Bolus*, vide *Bolus.*

ARMENIUS *lapis*, ἀρμένιος λίθος, eſt lapis maculis viridibus, cœruleis, & ſubnigris relucens, ſicut *lapis Lazuli*, à quo non differt, niſi ſola maturitate: *Lazuli* enim maturior. Uterque autem in unis iiſdem ſcaptenſulis reperitur. Dicitur *Armenius*, quod olim ex Armenia ad nos tranſlatus fuerit; hodie tamen & in Germania producitur, videl. in Comitatu Tirolenſi, ut & in Lygiis ad Goldbergam. Tribuitur utrique vis purgatrix melancholiæ, & confortativa ſive cardiaca. Legantur Schröder. *l.*3.*c.*8. *&* 4. & Fr.Hofm. *Clav. ad h.l.* Differentiam aliquam inter utrumque conſtituit Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſect.* 4. *p.* 467. *ſeqq.* Uſum ad purgandum ſuſpectum merito fecit C. Hofm. *Paralip. Offic. c.*76. Canicula Armeniæ ænigmatice dicitur de materia vel mercuriali, vel ſulphurea ad Lapid. pertinente, apud Lagneum *Harm. Chym. in Theatr. Chym. Vol.* 4. *p.* 762.

ARMENOS, ἄρμενος, dicitur commodus, congruus, *conveniens.* Imprimis vero τὰ ἄρμενα ſignificant apud Hippocratem ad chirurgi uſum *accommodata inſtrumenta*, aliaque neceſſaria, imo omnia, quæ ad agendum ſunt commoda, *l. de iis, q. in med. f. t.* 6. Galen. *in comm. ad h. l.* Foëſ. *p.* 93. Ita etiam, quæ balneo parando neceſſaria ſunt, vocantur ἄρμενα, 3. *de R. V. I. A. t.* 44.

ARMILLA *manus membranoſa* dicitur ap. P. Barbette *Chirurg. l.* 5. *c.* 1. ligamentum illud circulare, tendines multiplices univerſæ manus circulo aliquo comprehendens in regione carpi in varia alia facile diviſibile. Ideo Linden. *Med. Phyſiol. l.*2.*c.*14. *art.* 12. §. 83. duplex conſtituit: unum carpi ſuccingens, revera unicum, ſed latum, robuſtumque ſimul omnes tendines flectentium muſculorum continens: alterum, quod eſt in dorſo carpi, ex ſex inter ſe connexis, & ſingulis annuli inſtar obvolutis circa extendentium tendines.

ARMONIACUM, vide *Sal.*

ARMORACIA, radicula ſylveſtris. Dodon. *pemt.* 5. *l.* 3. *c.* 6.

ARMUS, ὦμος, idem quod humerus. Ita *armus* vitulinus legitur apud P. Morell. *de praſcrib. formul. remed. ſect.* 1. *c.* 15. quod ille recipi etiam poſſit ad materiam deſtillandi inſtaurantem aquam caponis.

ARMUTHEUS *lapis*, corrupta voce dicitur à Nichepſo Medico *Armenius lapis*, teſte Aëtio *l.* 2. *Sermon. c.* 47. & ex hoc Fallop. *tr. de metall. ſeu foſſil. c.* 32. *Tom. I. p.* 337.

ARNACIS, ἀρνακίς, dicitur pellis agnina cum lana & villis. Uſurpat Hippocr. *l. de ſuperfœt. XXIV.* 4. item tegumentum laneum, quod cruribus circumdatur, *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIV.* 16.

ARNALDIA eſt nomen morbi olim in Anglia familiaris, maligni, lenti & chronici, quemadmodum hoc egregie demonſtravit e Chronico Anglico Anonymi Du. Daniel Guilielmus Mollerus, in quadam *Philologico-Hiſtorica Diſſertatione* de hoc ipſo nomine habita mihique communicata. Quamvis vero neque de nominis origine, neque de ſignificatu ſpeciali morbi quicquam certo conſtet, cum in nullo alio Autore nomen hoc reperire licuerit, ſi tamen meæ conjecturæ locus aliquis dabitur, exiſtimo ſignificaſſe ſpeciem aliquam luis Venereæ ſive morbi Gallici mitiorem, non quidem perſuaſus ridicula magis, quam veroſimili nominis hujus deductione, quod Arna agnam & Aldia Longobardis ancillam ſignificet, ſed quod ex ipſo textu Chronici pateſcat, morbo huic ſuperveniſſe capillorum defluvium, & quod reges nihilominus convaleſcentes robuſtiores facti ſint. Jam vero conſtat inter alios e Benedicti Victorii Faventini *libr. de Morbo Gallico c.* 10. quod inter ſymptomata morbi Gallici quintum ſtatuerit alopeciam ſive pilorum caſum, & quidem ut ſignum morbi minoris nequitiæ & minoris malignantis naturæ, cui non neceſſe ſit ſuccurrere, quia ſignificat naturæ robur mordaces ex putredine humores redditos ad cutim e corporis profundo propellere valens, ubi radices pilorum corrumpentes hoc deciduos faciunt. Quod vero apud alios præſertim vilioris ſortis homines ad mortem lues hæc etſi cum defluvio capillorum comitata fuerit, hoc haud dubie contigit propter aliam concurrentem incolis maritimis ſeptentrionalibus Endemicam, quæ ſcorbuti nomine hactenus diu ſatis innotuit: Liber & locus, extat in Aloyſii Luiſini *volumine Aphrodiſiaco Tom. I. p.* 554.

AROHOT, id eſt, *Argentum vivum.* Rul. *in Lex.*

AROMA, ἄρωμα, eſt medicamentum grati penetrantiſque odoris & ſaporis, in genere calidum, volatilioris & ſpirituoſæ naturæ humoribus & ſpiritibus activitatem & motum inducens, incidens, attenuans, aperiens, diſcutiens. Talia ſunt non ſolum fructus, aut ſemina, ſed etiam radices, cortices, & flores, ſucci vel gummi, quorum Catalogum vide apud Schröder. *Pharm. l.*2.*c.*8. imo integræ plantæ, vel herbæ aromaticæ propterea dictæ, quas allegat Fr.Sylv.*Pr.M l.*1.*c.*2.§.40. *& XXXIV.* §.94. Ex his quæ præparantur compoſita, ut ſunt, infuſa, extracta, olea, & alia, *Aromatica* dicuntur, Gorr. *p.*57. In ſpecie etiam vocab. *Aroma* quandoque accipi pro *myrrha*, demonſtrat Linden. *S. M. Ex. X.* §. 125. *ſ q.* *Crocum* etiam κατ' ἐξοχὴν *Aroma Philoſophorum* appellari, teſtis eſt Fr. Hofm. *Clav. Schröd. p.* 459. quod nomen etiam *Aroph. Paracelſi* (de quo p. p.) obtinet.

AROMATITIS, ἀρωματίτης, eſt gemma ex bitumine conflata in lapidis modum, quæ myrrham colore & odore refert, unde & nomen reperit. In Arabia credi-

tur gigni, & in Ægypto circa Piſas Reginis frequentata, Gorr. *def.*

AROPH *Paracelſi*, dicuntur vel flores elegantiſſime Chymice per ſublimationem præparati ex lapide Hæmatite cum ſalis Ammoniaci æquis portionibus, quibus magna virtus in quartana, plica Polonica, & morbo hypochondriaco tribuitur. Fr. Hoffmann. *Clav. Schröd. p.* 179. Vel dicitur de croco cum pane vino madefacto, inque vaſe clauſo poſito per aliquot dies in fimum equinum, & tandem deſtillato ex Helmont. *de Lithiaſi c.* 7. *n.* 14. *c.* 8. *n.* 23. *Aroph* etiam meminit Paracelſus, liquorem eſſe ſtatuens, per deſtillationem paratum, vimque habere renum operationem delendi, dicens, *l.* 2. *de vir. membr. c.* 10. *Aroph* etiam dicitur *Mandragora*, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Aroph* nonnulli recentiores exponunt, quod ſit vocabulum technicum Paracelſi, denotans medicamentum, quod calculum humanum frangendi vim habet. Hoc alii admirati ſequaces putarunt denotare & explicare illud *Aroma Philoſophorum.* Etmüll. *in MMSS. Chym.* Vide *Aroma.*

ARQUATA, eſt nomen *avis* cujuſdam, quæ & *Numenius*, νεμήνιος, dicitur, à menſe Junio. Ejus deſcriptionem cum uſu in cibis vide apud Aldrov. *l.* 20. *Ornith. c.* 21.

ARQUATUS *morbus*, vide *Icterus.*

ARRHABON, ἄῤῥαφον, i. e. *ſuturis carens.* Dicitur de cranio & legitur apud D. Melch. Sebizium *Exerc. Med. p. m.* 132. ubi cauſſa cephalalgiæ incurabilis habetur, & apud Johannem de Muralto *in ſuo vade mecum Anatomico Exercit. V. in annexis p. m.* 211.

ARRHEN, vel *Arſen*, ἄῤῥην, ἄρσην, vide *Mas.*

ARRHOEA, ἄῤῥοια, ἄῤῥοιη, *fluxionem ſuppreſſam* ſignificat, ac proprie de menſium ſuppreſſione dicitur, Hipp. *l. de Loc. in hom. ſub fin.* quamvis in editione Lindeni non occurrant ea, quæ de morbis mulierum leguntur *in editione Foëſii p.* 423. *ſeqq.* Perperam mihi videtur ſcribi ἀῤῥοιῇ, vel ἀῤῥοιᾳ, in quibuſdam exemplaribus. Vide Foëſ. *in Oec. p.* 95. Quomodo Erotiani paraphraſis, qua per ἀῤῥωςίαν interpretatur, explicare nititur Foëſius *in Oecon.* ſed dubito, an ſatis rationibus ſuffultus.

ARRHOSTIA, ἀῤῥωςία, ἀῤῥώςημα, *infirmitas*, imbecillitas. Sæpe ſumitur pro morbo, ut 2. *aph.* 31. & 3. *a.* 5. Alias etiam ad mentis imbecillitatem notandam ſolet adhiberi.

ARRHYTHMUS, ἄῤῥυθμος, vide *Arythmus.*

ARS, τέχνη, verum eſt genus medicinæ, quicquid nonnulli Arabum ſecuti placita regerant. Jung. Diet. *n.* 829. Nobis ſufficit Ἐπίκρισις τοῦ θείου Piccarti *in Philoſ. Altdorff. Diſp. XXXI. th.* 46. Denominatio (ſcil. diſciplinarum, vel habituum mentis) à fine petenda eſt ultimo, ut docet Philoſophus. Quæcunque igitur terminantur operatione, ſunt artes: quorum terminus eſt ſola cognitio, ſcientiarum nomine venire debent. Imo κατ' ἐξοχὴν vocab. hoc Medicinam ſignificat. 1. *aph.* 1. Cum vero *artes* aliæ ſint *determinatæ*, ὡρισμέναι, quæ præſuppoſitis omnibus requiſitis ſemper fine ſuo potiri poſſunt: aliæ ſint μὴ ὡρισμέναι, *non determinatæ*, alias conjecturales, στοχαστικαὶ dictæ, ſciendum Medicinam ad poſteriorem claſſem pertinere non ratione præceptorum, ſed ratione finis, qui non ſemper attingi poteſt. Gal. *de opt. ſect. ad Thraſyb. c.* 4. juxta tritiſſimum Ovidii:

Non eſt in medico, ſemper relevetur ut æger &c.

Nihilominus ſub ſe plures habet *artes determinatas* inſtrumentales, & ſano ſenſu mechanicas, ut ſunt: *Ars* Gymnaſtica, Coquinaria, Pharmaceutica, Chymica, & aliæ. Medicina etiam nunquam non ex præceptis rite per exercitationem applicatis finem ſuum aſſequi annititur. Et ut hoc eo commodius fiat, duobus veluti cruribus, vel inſtrumentis, vel quomodocunque appellaſſe libet, utitur, in univerſalibus Theorematis Methodo; in particularibus, exercitatione, tanquam qui iter aliquod ingredi ſtudent, utroque invicem utuntur crure: qui altero claudus eſt, uno duntaxat utitur, & longo ſpatio, & ſæpe errans, viam peragit, verbis Gal. *l.* 9. *M. M. c.* 6. *Ars* tranſmutationis Metallum dicitur *Ars* Hermetica, item Philoſophica, vel Philoſophorum. Libav. *Synt. Chym.* Jung. Lind. *Ex. V.* §. 12. An *Ars* dominetur naturæ, an contra? in utramque partem ventilari ſolet Topice. Enimvero præſtat poſteriori opinioni adſtipulari. Licet enim videatur, *Artem* operibus naturæ perfici, nihilominus illa nihil præſtare poſſet, niſi objectum & ſubjectum ſuum haberet ex & in Natura. Vide *Th. Chym. Vol. II. & VI.* & quære in Indice.

ARSACUM, vide *Acrai.*

ARSALTOS, idem, quod *Aſphaltos.* Ruland. *in Lex.*

ARSATUM, vide *Acrai.*

ARSENICUM, ἀρσενικὸν, Fernel. *Arrenicum* e Gal. Græc. ἀῤῥενικὸν, perperam vero & corrupte Archenicum, notante Libav. *Defenſ. Syntagm. A.* 2. *Not.* 5. eſt ſuccus mineralis, pinguis, inflammabilis, inſigni ſua corroſiva qualitate deleteria vitæ noſtræ infeſtus, propterea jure merito inter venena ſtricte dicta referendus. Equidem Fr. Hofmann. *Clav. ad Schröd. l.* 3. *c.* 27. limitare conatur, duplicia conſtituens venena, alia, quæ omnibus & ſemper nocent: alia, quæ interdum quidem nocent & interimunt, interdum tamen & ſecundum artem adhibita in uſum medicum venire poſſunt, quibus poſterioribus *Arſenicum* annumerat. Verum non eſt noſtri nunc inſtituti, diſtinctionem illam venenorum examinare. Nobis ſufficit, communiter à Doctoribus venenis potentioribus annumerari *Arſenicum*, & quæ ſimili facultate corroſiva ſummaque acrimonia operantur, propterea *Arſenicalia* dici. Vid. Thom. Willis *de febrib. cap.* 12. Congener eſt *Sandarachæ.* Dicitur & communi nomine *Auripigmentum*, quamvis in hoc differant, quod *Arſenicum* ſtricte dictum coloris albi ſit tantum factitium quid per ſublimationem ex auripigmenti ſcobe & ſale anatice, id eſt, æquali quantitate mixtis, confectum, quod & *auripigmentum cryſtallinum* dicitur; *Auripigmentum* vero & *Sandaracha* ſint nativa; hoc rubri vel

vel ſublutei coloris, illud citrini; quamvis & *Sandaracha* detur factitia ex *Auripigmento*. De *Arſenici* præparationibus ad uſum medicum legantur Schröder. & Fr. Hofm. *d. l. Arſenicum*, non eſſe commodum ad Spagyricum metallorum tranſmutationis laborem, docet Dorneus *de Genealog. mineral. c.* 18. *in Th. Chym. Vol. I, p.* 585. *ſeq.* Hinc & à Laur. Ventura negatur, quod ſit materia lapidis Philoſophici, *tr. de Lap. Philoſ. c.*8. *Vol.II. Th.Chym.p.*238. quamvis à Lagneo *in Harm. Chym.* ipſe Lap. Philoſoph. vocetur *Arſenicum*, *Vol. IV. p.* 327.

ARTABA, ἀρτάβη, eſt menſuræ aridorum ſpecies Ægyptia, habens modios quinque, aliis tres, Gorr. ſeptem, hodieque eſt inuſitata. Gal. *de pond. & menſ. c.* 5.

ARTEMISIA, ἀρτεμισία, præter hoc, quod ſit nomen herbæ notiſſimæ, eſt quoque terminus Paracelſicus, per quem vel ars Chymica ipſa, vel medicamentum quoddam vomitivum Chymicum denotatur, quod vocab. ſeveriſſime perſtrinxit contra Scheunemannum Libav. *in Defenſ. Synt. Tom. III. Oper. p.* 38.

ARTEMISION, ἀρτεμίσιον, nomen eſt menſis apud Macedones ſolum, in cujus initium incidit æquinoctium vernum. Gal. *cap.* 1. *in l.* 1. *Epid. t.* 1.

ARTEMONIUM, ἀρτεμώνιον, eſt nomen collyrii, quo Galenus ſcribit, Baſſum ſodalem ſuum uſum fuiſſe ad multa oculorum vitia. Deſcribitur *l.*4. *de C. M. S. L. c.*7.

ARTENNA, nomen avis aquaticæ palmipedis, quæ & *Diomedea* dicitur, quod in inſulis Diomedeis, quæ hodie *Tremiti* vocantur, ſaltem reperiatur, cujus deſcriptionem cum uſu in cibis vide apud Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 3.

ARTERIA, ἀρτηρία, eſt vocabulum æquivocum, cum de aſpero & lævi canali ſive vaſe accipi ſoleat. Olim veteres tantum illos canales duriores, qui pulmonem ingrediuntur, à recentioribus *aſperæ arteriæ* nomine appellatos, *arterias* dixiſſe teſtatur Galen. *l.* 6. *de Hipp. & Plat. decr.c.*9. unde & medicamenta illa, quæ ad vocis læſionem, aſperæque arteriæ vitia uſurpari ſolita fuere, *Arteriaca*, ἀρτηριακὰ, vocabantur *l.* 7. *de C. M. S. L. c.*1. *ſeq.* Jung. C. Hofmann. *Inſt. Med. l.* 2. *c.* 13. §. 2. Et videtur, vocabulum *Arteriæ* primario quoque illi vaſi vel canali aſpero competere, vi etymologiæ, quando *arteria* dicitur quaſi ἀεροτηρία. Verum poſtmodum à recentioribus vocab. *arteriæ* potius ad vaſa ſanguinea pulſantia tranſlatum fuit, ita, ut hæc hodie etiam ſimpliciter *Arteriæ* dici ſoleant. Canalis vero cartilagineus & durior ad pulmonem excurrens cum additione *aſpera arteria* ſemper vocatur. Quod ſi tamen generali quadam deſcriptione utraque vaſa aſpera & lævia complecti placuerit, hæc dari poterit: *Arteria* eſt pars ſimilaris ſecundi generis (vel rectius organica, ſimplicior) teres, fiſtuloſa, vel aërem, vel ſanguinem continens. De ſingulis nunc ſeorſim.

ARTERIA *aſpera*, ἀρτηρία τραχεῖα, ab inæquali interna ſuperficie ſic appellata, βρόγχος, fiſtula vel canna pulmonum, eſt canalis rotundus ſemper patulus, ex faucibus per collum in pulmonis lobos excurrens, & per hoc in plures ramos diviſus, aërem cum pro ſanguinis ventilatione & attemperatione inſpiratione admittens, tum pro vocis & ſermonis efformatione, fuliginumque excluſione reddens. Dividitur commodiſſime in *Truncum*, ceu portionem indiviſam, quæ fauces inter & pulmonem interjacet, anterius & ad latera cartilagineis annulis ſemicircularibus diſtinctis conſtantem, poſterius vero ubi gulæ adjacet, membranoſam; & *Ramos*, qui communiter *Bronchia*, βρογχία, appellantur. Trunci caput & principium *larynx*, λάρυγξ, vocatur, vocis formationi & expreſſioni præprimis dicatum, quinque *cartilaginibus* inſignioribus præditum, ut ſunt, *Scutiformis*, θυρεοειδὴς, *annuliformis*, vel annularis, κρικοειδὴς, duæ *gutturniformes*, ſive gutturnales, ἀρυταινοειδεῖς, quæ ſimul junctæ rimulam, quæ *Glottis*, γλωττὶς, dicitur, efformant, cui quinta propterea *Epiglottis*, ἐπιγλωττὶς dicta, operculum quoddam præbet. Alias truncus *aſperæ arteriæ* ſpecialiter *Bronchus*, βρόγχος, appellari ſolet. Quando in pulmonem ſeſe inſinuat, dividitur in propagines majores minoresve, ceu ramos, quæ *Bronchia*, βρόγχια, dicuntur, partim cartilagineæ, partim alias craſſioris membranaceæ ſubſtantiæ. Gal. *l.* 4. *de L. A. c.* 8. annulos illos literam G referre ſcripſit, quæ bronchia rami arteriæ & venæ pulmonalis fideliſſime comitantur. Plura legantur in Anatomicorum veterum & recentiorum ſcriptis.

ARTERIÆ *aſperæ ſectio*, vel *perforatio*, vide *Laryngotomia*.

ARTERIA, ἀρτηρία, ad differentiam prioris *Lævis*, λεῖα, dicenda, Gal. 7. *de Uſ. P. c.* 8. 9. & alibi, eſt vas pulſans, ἀγγεῖον σφύζον, ſive vas membranaceum, ortum habens à corde, teres, & cavum, duplicique compactum tunica, vel, ſecundum alios, pluribus ſanguinem cum ſpiritu vitali à corde per impulſum excipiens, & ad alias corporis partes deferens. Differt à *vena* craſſitie, pulſatione, & uſu. *Arteria* craſſior, vena tenuior & ſimplicior. *Arteria* pulſat; Vena non pulſat. *Arteria* ſanguinem exportat à corde ad partes; Vena reportat. *Arteriarum* in corpore diſtincte occurrentium binæ ſunt, *Pulmonalis*, & *Aorta* ſive *Magna*.

ARTERIA *Pulmonalis*, ἀρτηρία πνευμονικὴ ἢ πλευμονικὴ, quam ex falſa quadam hypotheſi veteres *Venam arterioſam*, φλὲψ ἀρτηριώδης appellarunt, exiſtimantes, ſolas venas à dextro, ſolas vero arterias à ſiniſtro dependere cordis ventriculo, Gal. 7. *admin. Anat.*4. eſt vas membranoſum pulſans, ejuſdem compagis cum *arteria magna*, duplicique tunica conſtans, ſanguinem e cordis dextro ventriculo, dum ſeſe coarctat, excipiens & per amplum pulmonum parenchyma diſtribuens: unde etiam ſtatim ab exortu in dextrum ſiniſtrumque truncum vel ramum ad dextram ſiniſtramque pulmonis partem excurrentes dividitur. Pulmonum has arterias quidam ad differentiam reliquarum appellarunt ἀρτίας,

quos redarguit Erotianus *in Lex. Hippocr.* quod arteriæ tanquam ἀερτῆρες dicantur.

ARTERIA *Magna*, *Aorta*, *Maxima*, *Craſſa*, μεγάλη ἀορτὴ, μεγίστη, παχεῖα, eſt vas membranoſum, amplum, craſſum, ſanguinem ſpiritu vitali turgidum e cordis ſiniſtro ventriculo coarctato cum impulſu excipiens, eundemque per totum corpus, mediantibus trunci ramis ac propaginibus, deferens. Hinc mox ab exortu ſuo propter exſiccationem nonnunquam plane rigido ac cartilagineo valvulis tribus lunaribus adverſus ſanguinis regurgitationem munito, poſtquam binas propagines coronarias dictas ad periphæriam cordis & pericardium dimiſit, in duos truncos inſignes, *Aſcendentem* & *Deſcendentem*, dividitur.

ARTERIÆ *Aortæ Truncus aſcendens*, τὸ μέρος ἀρτηρίας ἀνωφερόμενον, *l. 26. de V. P. c.* 10. 11. circa jugulum mediaſtino thymoque ſuffultus dividitur partim in ἀποφύσεις, ramos *ſubclavios*, quorum propagines ſunt: Intercoſtalis ſuperior, Mammaria interna, (à qua Mediaſtina) Vertebralis. Cervicalis muſcula, item Axillaris, Scapularis interna & externa, Thoracica inferior, &, ad brachium ubi pervenit, Brachiea, Radiea, Cubitea. Partim etiam juxta ſubclavios exſurgunt Carotides ad aurium radices excurrentes, quæ iterum in externam & internam diſtinguuntur, omnibus capitis continentibus & contentis partibus propagines ſuas largientes. *Aortæ truncus deſcendens*, τὸ μέρος κάτω φερόμενον, *d. l.* etiam quamplurimos de ſe dimittit ramos & propagines, ſive ἀποφύσεις, Galeno dictas, ſuntque ex his potiores, & quidem, antequam ad os ſacrum in ramos inſignes geminos diſtrahitur, e trunco prodeunt Arteriæ *Intercoſtales inferiores*, *binæ Phrenicæ*, *Cœliaca*, quæ in duos ramos dividitur, *Hepatica* & *Splenica*, dictos, quorum ſurculi ſunt, Hepaticæ quidem *Pylorica*, *Cyſtica gemella*, *Epiploica dextra*, *Inteſtinalis* & *Gaſtroepiploica dextra*: Splenicæ vero propagines, antequam lienem ingreditur, *Gaſtrica Coronaria*, *Epiploica ſiniſtra*, *Gaſtroepiploica ſiniſtra*, & *Vas breve arterioſum*. Porro e trunco prodeunt *Meſenterica ſuperior* & *inferior*, *Emulgentes*, *Spermaticæ*, *Lumbales*. Tandem e trunco bifurcato fiunt *Iliacæ duæ*, quarum utraque in *externam* & *internam* diſtinguitur. Hujus propagines ſunt *Glutæa*, *Hypogaſtrica*, *Hæmorrhoidalis externa*, & in nondum natis *Arteriæ Umbilicales*; in natis vero coaleſcentes ligamenti indolem præ ſe ferunt. Illius vero *Epigaſtrica*, *Pudenda*, poſtea extra abdomen progreſſa *Cruralis*, eaque vel *Externa*, vel *Interna Muſcula*, item *Iſchiatica*, *Tibialis*, & ſic ad extremum pedem uſque pergens. Hæc omnia Anatomica potius oculari demonſtratione, quam e ſcriptis addiſci poterunt. Nihilominus jungere libet veterum & recentiorum Anatomicorum monumenta prolixius hæcce declarantia, cum noſtri non ſit inſtituti, perfectam tradere Anatomiæ doctrinam.

ARTERIACA, ἀρτηριακὴ, ſcil. ἀντίδοτος. Vide *Arteria*.

ARTERIOTOMIA, ἀρτηριοτομία, eſt ſpecies chirurgicæ operationis, videlicet artificioſa, & in gratiam ſanitatis inſtituta, per phlebotomum facta inciſio arteriæ cujuſdam. Olim periculoſiſſima habita ob periculum aneuryſmatis, (de quo ſupra) præſertim ſi in brachio inſtitueretur, ita, ut jam tempore Galeni quidam Medicorum negaverint, fieri poſſe arteriam vulneratam, quæ ad manum eſt, coire, partim experientia, partim ratione ſtructuræ fere cartilagineæ nixi. Galenus tamen contrarium evicit obſervatione quadam propria in juvene agreſti, cui loco venæ arteria fuit ſecta, feliciter tamen à Gal. per deligationem & vulneraria præſidia curata, *l. 5. M. M. c. 7.* Hodieque etiam tantum periculi non ſubeſſe creditur, modo induſtria in deligando adhibeatur, & tales eligantur arteriæ, quibus os quoddam ſubjiciatur. Hinc in cubito data opera nemo facile ſuadere audebit. Controverſiam hanc prolixe ventilavit B. Rolfink. *Ord. & Meth. Comment. l. 4. ſ. 3. per totum.* Modum incidendi & delectum arteriarum tradidit P. Barbette *Chirurg. P. III. l. 1. c. 9.* Hujus tamen operationis inutilitatem pariter ac periculum denuo ante oculos ponere non dubitavit D. Craen. *in Lum. Rat. Medico noviſſime edito* ſive *Praxi Reformata c. 1. p. 9.* cui & nos lubentes volentes aſſentimur.

ARTETISCOS, *Artetiſcus*, dicitur, qui membri alicujus defectum patitur. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ARTHOICUM, eſt oleum rubrum ex radicibus herbarum una cum pane ſimul in fimo digeſtis arte tractum, Iidem. Rectius igitur ſcriberetur *artoicum*, ab ἄρτος videlicet deducendum, i. e. *panis*. Ruland. vocat & *Pannoniam*.

ARTHREMBOLUS, ἀρθρέμβολος, dicitur inſtrumentum, quo mediante os articuli luxatum injicitur in locum vel ſedem naturalem, & legitur apud Jac. Sponium *in Aphor. nov. Hippocrat. ſect. III. Aph. XXCII. in not.*

ARTHRITIS, *Arthritica*, *Arthetica*, articularis morbus, vel dolor ἀρθρῖτις, ἄρθρων πόνος, eſt artuum vitium, ſive articuli tumor dolorificus, quem fluxio in eam decumbens excitavit. Galen. *l. 6. M. M. c. 20.* unde & ægri *arthritici* dicuntur. Potiores ſpecies ſunt *Chiragra*, quando articulos manus infeſtat; *Podagra*, quando pedum; *Gonagra*, quando genu; *Iſchias*, quando coxam vel coxendicem occupat, *l. 10. de C. M. S. L. c. 2.* Martianus tamen quartam quoque addidit ex Hippocr. *in Not. ad eund. p 215.* quæ κεδμάτων nomine venit, & ſunt articulorum dolores diuturni non admodum vehementes, quorum materia à prædominio pituitoſa eſt. Hæc ſpecies Scythis quondam familiaris &c. Ex recentioribus fundamentis accuratior hæc dari poteſt deſcriptio: *Arthritis* eſt dolor exquiſitus circa partes nervoſas articulorum, cum vel ſine inflammatione & tumore, proveniens à ſolutione continui per particulas ſalinas diverſi generis, ſibique valde contrarias acidas fluidas ſucci nervoſi, & lixivioſas tartareaſque ſucci nutritii

cum

cum ſanguine arterioſo delati mixtas & efferveſcentes facta. Clariſſime, ἴτης ἄλλος, morbi hujus naturam e cauſſis ſuis & curationem deſcripſit Thom. Willis *tract. de Anim. Brut. P. II. c.* 14. Dividitur *in calidam* & *frigidam*, quæ etiam *nodoſa* dicitur, pro prærogativa, vel acidarum, fluidarum, aut fixarum majori. E noviſſimis Joannes Colbath, Medicus Anglus & Collegii regii Londinenſ. membrum, in ſuo tractatu *de podagra* cauſſam arthritidis ad alcali referre auſus eſt, ſuamque ſententiam phænomenis certis confirmare, quemadmodum legitur *in Actis Erudit. Lipſ. A.* 1698. *in Novembr. p.* 525. *Arthritis ſcorbutica vaga* eſt ſpecies peculiaris *arthritidis*, majorem & malignam, h. e. cum gravioribus ſymptomatibus, vires vitales aggravantibus ſtipatam cauſſæ heterogeneæ mixtæ vitioſitatem præſupponens, de qua legatur idem *Tr. de Scorbut. c.* 5.

ARTHRODIA, ἀρθρωδία, eſt ſpecies *diarthroſeos*, vel *dearticulationis*, quando articuli cavum leve ſuperficiarium & capitulum etiam depreſſum concurrit. Gal. *l. de oſſib. in princ.* Talis eſt in occipitis oſſe, & vertebra prima colli, P. Barbette *d. l. c.* 3. Lindenus vocari poſſe dixit *adarticulationem.* Opponitur illi *enarthroſis*, ἐνάρθρωσις, cum ſinus os excipiens magnus, proceſſus oſſis excipiendi inſignis, qualis eſt femoris cum acetabulo iſchii. *Ibid.*

ARTHRON, ἄρθρον. Vide *Articulus.*

ARTHROSIS, ἄρθρωσις, *articulationem* in genere ſignificat. Unde & adjectiv. ἀρθρώδης, adverb. ἀρθρωδῶς deſcendunt, quæ leguntur apud Gal. *l. de oſſib. in pr.*

ARTIA, ἀρτία, ἀρτίη, generaliter idem aliquando eſt quibuſdam, quod ἀρτηρία; ſpeciatim vero arteria bronchialis, ut notat Erotianus *in ſynagoge*; at vero ſimul notat rectius dici ἀρτηρίαν, quod hæ quaſi ἀερτηρίαι ſint, per enallagen literarum dictæ ἀρτηρίαι.

ARTICULARIS *morbus*, paſſio, affectio, vide *Arthritis.*

ARTICULUS, *Articulatio*, *Articulamentum*, Scrib. Larg. *n.* 206. 214. 263. ἄρθρον, σύνθεσις κατ' ἄρθρον eſt naturalis oſſium diverſorum ſyntaxis, vel compoſitio, & differt à *ſymphyſi*, συμφύσει, quæ eſt oſſium naturalis unio vel coalitio. Dividitur in *diarthroſin*, διάρθρωσιν, *dearticulationem*, quæ eſt articulatio laxior & oſſium ſtructura, quorum motus eſt evidens, (vid. ſupra *abarticulatio*) in *ſynarthroſin*, συνάρθρωσιν, quæ eſt articulatio ſtrictior, ceu oſſium motum manifeſtum non habentium compoſitio; & in *ginglymum*, γίγγλυμον, (juxta C. Hofm. γιγγλυσμὸν,) cum os unum excipit ſuo ſinu proceſſum alterius, & contra os alterum ſuo ſinu proceſſum prioris; qualis eſt in oſſe femoris, & tibia, in humero, & ulna. Gal. & Barbett. *d. l.* quorum ille *articulum* in genere clarius etiam alibi deſcripſit hoc modo: *Articulus* eſt, cum duo oſſa ita invicem coëunt, ut alterum quidem ipſorum ſit, quod movetur, alterum velut ſedes quædam ei, quod movetur, & firmamentum, ut in oſtiorum cardinibus apparet, unde moventi cavitas (quæ cotyle, κοτύλη, id eſt, *acetabulum*, & *glene*, γλήνη, ſive *pupilla*, dicitur) & ei quod movetur, convexitas, *caput* & *condylus*, κεφαλὴ καὶ κόνδυλος, appellata, ineſt, *l.* 1. *de mot. muſc. c.* 9.

ARTIFEX, δημιουργὸς Hipp. Gr. τεχνίτης Gal. quid in genere ſignificet, omnibus notum eſt. Reſtringitur vero haud raro ad medicum, qui artem medicam per experientiam confirmatam callet. Unde Galeno, *artificem fieri* Gr. τεχνωθῆναι dicitur *l.* 2. *de Criſ. c.* 9. Specialiter quoque dicitur de chymicis & ſpagyricis, *in Th. Chym.* aliquoties.

ARTIOS, ἄρτιος, ſignificat id, quod *perfectum integrum*, omnibus numeris abſolutum, illæſum, æquale, aptum eſt, apud Hipp. Ita ἀρτίως κεκριμμένα, perfecte judicata 1. *aph.* 20. leguntur; de vertebris inter ſe æqualibus & apte cohærentibus, 3. *de artic.*29. In ſpecie dies pares dicuntur ἄρτιοι, in quibus difficiles fiunt criſes, & opponuntur imparibus, quæ dicuntur περισσαί. Vide 3. *in* 1. *Epid. t.* 13. 14. Foëſ. *p.* 95.

ARTIPHYES, ἀρτιφυὴς, dicitur de numero pari, perfecto & integro critico, qualis eſt juxta Hipp. decimus quartus, & quadrageſimus ſecundus dies *l. de ſeptimeſtri VIII.* 8. 9. 10.

ARTISCUS, ἀρτίσκος, in genere *trochiſcum* ſignificat, à panis exigui figura. Specialiter vero & κατ' ἐξοχὴν, *artiſci* dicuntur ii, qui e viperæ carnibus cum pane miſtis coctiſque præparantur ad theriacæ compoſitionem, unde & *theriaci*, θηριακοὶ, appellantur. Modum præparandi monſtravit Gal. *t.* 11. *de S. F.* §. *Caro viperæ.* Noſtro etiam adhuc ſeculo magnis impenſis Venetiis allati fuere pro confectione theriacæ. Verum vanitatem horum trochiſcorum egregie aperuit & ſolide demonſtravit Joh. Zwolf. *in Pharmac. Aug. Animadverſ. ad Cl. XII. p. m.* 209. *ſeqq. in fol.* unde & hodieque Alcool vel pulvis viperarum ſubſtituitur in theriacæ compoſitione.

ARTISTOMON, ἀρτίστομον, ſignificat *undique planum* & æquale; in ſpecie de telis uſurpavit Hipp. *l. de cap. vuln. XIV.* 3. Alioqui etiam ἀρτίστομος dicitur is, qui verba integre profert, non mutila aut truncata. Foëſ. *d. l.*

ARTIYPOCHROS, ἀρτιυπόχρος, dicitur *color ſuppallidus*, & ſubluteus Hipp. *l. de intern. aff. XXXVI.* 13. Foëſ. *d. l.*

ARTIZOOS, ἀρτίζωος, de pueris, qui brevis ſunt vitæ, ob moleſtiam, quam paſſi ſunt in partu difficiliori, ita, ut in genitalibus diu hæſerint. *l. de ſuperfœt. VII.* 5.

ARTOCREAS, ἀρτόκρεας. Vide *Paſtætum.*

ARTOPTA, ἀρτόπτη, dicitur vaſculum ſive teſtus piſtorius, in quo placenta vel ſimilis maſſa farinacea coqui & parari ſolet. Legitur in Henr. Deventer *Lumin. Nov. pro Obſtetricant. C. XVII. p. m.* 61. ubi tropice fœminæ ſine ulla fere difficultate parienti applicavit. Alias de hujus vocabuli *artopta* & *artopticius panis* ap. Plin. *H.N.l.*18.*c.*11. alia Lexica Græca & Lat. videantur.

ARTOMELI, ἀρτόμελι, fuit ſpecies cataplaſmatis ex pane & melle parati extrinſecus impoſiti præſertim præcordiis, cujus meminit Gal. *l. 10. M. M. c. 6. l. 11. c. 15. l 13. c. 15.* Male igitur per juſculum vertit Caſtellus, fortaſſis loca Galeni non recte inſpiciens.

ARTOS, ἄρτος, vide *Panis.*

ARTUS, τὰ κῶλα, extremæ ſunt & compoſitiſſimæ corporis partes, manus & pedes. Eorum cognitionem neceſſariam commendat Gal. *l. 3. adminiſtrat. c. 1.* Van Horne deſcripſit, quod ſint membra e trunco exporrecta *in Microcoſmo p.* 57. ad quem locum vide D. D. Hoffmanni *Diſſertat. Anatom. p.* 233.

ARTYMA, ἄρτυμα, i. e. *Condimentum.* Vide infra *ſuo loco.*

ARVINA, idem, quod lardum, pinguedo, λίπος: Legitur apud Stoker. *Practic. morbor. particul. c.* 10. in formula unguenti mirabilis contra paralyſin, & ex hoc apud Walther. *Sylv. Med. p.* 383.

ARYSTER, ἀρυστὴρ, eſt vas aliquod cavum ad hauriendum, velut cyathus, cotyla aut calix. Uſus Hipp. *l. de genitur. VIII.* 29.

ARYTÆNOIDES, ἀρυταινοειδὴς, q. d. *gutturnalis*, epitheton eſt cartilaginum duarum laryngis ab *arytæna*, quod gutturnium aut infundibulum ſignificat, Gal. *de vocal. inſtrum. diſſect. c. 4. l. 7. de V. P. c.* 11. Ab hac cartilagine muſculi eandem conſtringentes dicuntur *Arytænoidei*, de quibus vide Barthol. *l. 2. Anat. c. 11. p.* 442. Vide *Arteria aſpera.*

ARYTHMUS, vel *Arrhythmus*, ἄρυθμος, ἢ ἄῤῥυθμος, pulſus ille, qui nullum rhythmum, ordinem, aut proportionem obſervat, non vero plane abolitum pulſum ſignificat, cui opponitur ἔνρυθμος, rhythmum certum obſervans; dicitur & καταῤῥυθμος. *Arrhythmi* pulſus ſpecies numerantur tres. *Pararhythmus*, quando vicinæ ætatis rhythmum obſervat: *Heterorhythmus*, qui plane alterius ætatis ordinem ſervat: *Ecrhythmus*, qui nullius ætatis rhythmum retinet. Gal. *l. 1. de diff. pulſ. c. 9.*

AS, vel *Aſſarium*, ἀσσάριον μνᾶ, accipitur 1. de toto, quod dividitur in duodecim partes, quæ dicuntur unciæ, 2. eſt ſpecies ponderis habens drachmas duas. Gal. *l. de pond. & menſ.* ex libro Cleopatræ *de munditiis.*

ASA vel *Aſſa*, homonymon eſt: (I.) Dicitur hoc nomine duplex gummi, ſuaveolens unum, quod *Benzoin* appellatur: Alterum fœtidum, quod *Aſa fœtida* vocatur. De utroque vide Schröder. *l. 4. cl. n. 372. & 377.* (II.) *Aſa* vocatur à Baſilio Valentino *remedium univerſale* ad omnes morbos externos etiam deſperatiſſimos probatum, (ſi Dis placet) cui reſpondet *Phalaja*, ceu univerſale ad omnes morbos internos commendatum; utrumque tamen eandem materiam præſupponens, *tr. de arcanis mundi* (III.) *Aſa* denique *fœtida* quoque ænigmatice à ſpagyricis dicitur *Mercurius*, ab odore, quem habet, quando recenter de abſurdo corpore ſuo extractus eſt. Guido Magn. de Monte *tr. de Adrop. Philoſ. in T. VI. Theatr. Chym. p.* 548.

ASABON, id eſt, *Sapo.* Rul. & Iohnſ.

ASÆSTUS, ἄσαιστος, vide *Calcarius lapis, Calx.*

ASAGEN, i. e. *Sanguis Draconis.* Rul. & Iohnſ.

ASAGI, i. e. *Vitriolum*, vel atramentum rubeum. Azep Idem. Iidem.

ASAMAZ, i. e. *Vitriolum.* Iid.

ASAPES, ἀσαπὴς, & adverb. ἀσαπέως, idem quod ἄπεπτον, *crudum*, non perfecte coctum aut elaboratum. Adverbialiter de ſputo utitur Hipp. in pleuritide 1. *de R. V. I. A. t.* 33. Dicitur alias ἄσηπτον, *non putrefactum*, ex veterum hypotheſi erronea coctionem & putrefactionem confundentium.

ASAPHATUM, eſt *Serpigo* vel *Impetigo*, aut intercutanea ſcabies in poris generata, vermiculorum inſtar. Si comprimatur cutis, prodeunt fila oblonga nigro capite. Dorn. Rul. Iohnſ.

ASAPHIA, ἀσάφεια, eſt *vocis obſcuritas*, vel propter vocem efformantium organorum & nervoſi generis vitium, vel propter mentis læſionem, 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 3. Ἀσαφεῖς, ægri dicuntur Hipp. qui obſcure loquuntur, nec clare diſſerunt, *Coac. t.* 175. item ἀσαφὴς, lingua, 7. *Epid. XII.* 12. 13. & *LIII.* 15. Dicitur & ἀσαφώδης παράκρουσις. 1. *in* 1. *Prorrh. t.* 33.

ASARCON, ἄσαρκον, ſtricte ſignificat *excarne* ſive deſtitutum omni carne. Verum apud Ariſt. *l. 2. d. P. A. c.* 10. comparative ſaltem accipi de capite, quod cum medio & infimo ventre corporis humani comparatum parum carnis habeat, docet Melch. Sebiz. *Ex. Med. p. m.* 153. *ſeq.*

ASBESTUS, ἄσβεστος, *inextinctus*, dicitur de calce viva vel cruda, v. g. κονία, vel τίτανος ἄσβεστος. Gorr. Vide & *Amiantus.*

ASCALABOTES, ἀσκαλαβώτης, item, καλώτης, eſt genus lacertæ, cujus meminit Gal. *XI. de Sim. Fac.* §. *Draco marin.* Et *l. de Theriac. ad Piſ. c.* 9. dicitur *Stellio.* Hujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. digit. ovip. c.* 10.

ASCARDAMYCTES, ἀσκαρδαμύκτης, dicitur, qui *inconniventibus oculis* fixis & immotis intuetur. 2. *Epid. ſ. 6. t.* 4. Σκαρδαμύττειν enim *nictare* & connivere ſignificat.

ASCARIDES, ἀσκαρίδες, vide *Helminthes* apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. digit. ovip. c.* 10. Erotianus proprie ſignificare notat tenues vermiculos, qui in puerorum voracium excrementis inveniuntur, quia optimi ſcriptores aſcarides appellant, qui in aqua putrida reperiuntur.

ASCELES, ἀσκελὴς, *decrus*, qui caret cruribus. Gal. *l. 4. de Hipp. & Pl. dec. c.* 4.

ASCENDENTIA *ſigna* dicuntur vel aſtra firmamenti cœli, & præcipue ſiderei ſpiritus. Dorn. *in Dict. Par.*

ASCENSUS *morbi*, idem, quod *augmentum*, de quo vide infra ſuo loco. *Aſcenſus* quoque vel *Aſcenſio* accipitur de modo quodam ſublimationis, & deſtillationis chy-

chymicæ. Cui opponitur *deſcenſio*. Libav. & alii : vide *Deſtillatio*.

ASCESIS, ἄσκησις, vide *Exercitatio*.

ASCETES, ἀσκητὴς, idem ſignificat, quod *Athletha*. Attici enim *Athletas*, ἀσκητὰς, h. e. *exercitatores* vocant, teſte Foëſ. *Oecon. p.* 104.

ASCHEMON, ἄσχημον, *deforme* ſignificat. Hinc in comparativo Hipp. uſurpavit ἀσχημονέστερον σκέλος, crus deformius vocans. 3. *de artic. t.* 103.

ASCHIA idem quod *Thymallus*, nomen vulgare piſcis fluviatilis. Etmüller *Operum Tom.I. pag.* 816. *b.* Vide *Thymallus*.

ASCIA, σκέπαρνος ἢ σκέπαρνον, proprie denotat inſtrumentum fabrile, quod *ſecuris* etiam vocatur, quæ in ſummitate incurvata eſt. Unde ad vinculi & deligationis ſimplicis genus transfertur, quæ parum à recto declinat, in obliquum tamen nondum vergit inſigniter, Gal. 3. *de fract. t.* 40. *de iis, quæ in Medic. t.* 2. Hujusmodi deligatio dicitur Hipp. σκεπαρνηδὸν facta, *d. l.* de fracturis. Junge Foëſ. *p.* 571. Hoc vinculi genus egregie delineavit uſumque monſtravit Scultet. *Armam. Chirurg. P.* 1. *Tab. LIV. fig.* 3. *ſeqq.*

ASCITES, ἀσκίτης, Paracelſo vitioſe *Aſclites*, hydropis ſpecies eſt, velut *hydrops utricularius* dicta, in qua in membrana abdominis interiore, Græcis peritonæo dicta, aut potius inter peritonæum & omentum humor ſeroſus veluti in utre quodam continetur, cum pauciſſimo ſpiritu, unde eam vocat Hippocrat. *aquoſum hydropem*. Præcipua ejus cauſſa frigiditas eſt, Galen. 4. *aph.* 11. Accuratius ita deſcribi poterit : *Aſcites* eſt intumeſcentia ventris inferioris ſive abdominis, ut & crurum, aliquando & ſcroti genitaliumque, cum multis aliis gravioribus ſymptomatibus, à collectione & extravaſatione ſeroſarum & lymphaticarum portionum, acreſcentium, propter vitium, præſertim obſtructionem, organorum colatoriorum, renum, glandularum, hepatis & pancreatis inducta proveniens. Jungatur Pr. Barbette *Pr. M. l.* 4. *c.* 4. & Fr. Sylv. *l.* 1. *Pr. M. c.* 17. §. 8. 9. *ſeq. c.* 39. §. 2.

ASCLEPIOS, ἀσκληπιὸς, nomen eſt ſmegmatis aridi, quod deſcriptum legitur apud P. Ægin. *l.* 7. *c.* 13. item trochiſci apud Aët. *l.* 14. & Gal. *l.* 3. *de C. M. S. G. c.* 13. item collyrii ex Scribonio apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. quod *Athenippum* etiam dicitur.

ASCLITES, perperam uſurpatur pro *Aſcites* apud Avic. *l.* 3. *fen.* 14. *tr.* 4. *c.* 15.

ASCOS, ἀσκὸς, utriculum, vel *utrem* ſcorteum ſeu coriaceum ſignificat. Unde aliquando additur epitheton σκύτινος. Ejus uſus etiam olim fuit ad affectam partem fovendam; quando implebatur materia aliqua, aqua nimirum calida, vel oleo, uti videre eſt apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. XII.* 18. 30. *XIV.* 13. *l.* 7. *Epid. XXV.* 12. & 4. *de R. V. I. A. t.* 83. *Utre* etiam flatibus repleto diſtento & ſuppoſito uſus eſt ad ſpinæ directionem & articuli luxati repoſitionem, 3. *de artic. t.* 50. & *c.* 4. *t.* 61. Vide ſis Foëſ. *p.* 104. & utris.

ASE, ἄση, emphaticum eſt vocabulum, in quo unico includitur πόνος πολὺς, multus labor, ut Aretæus loquitur. Primum & communiter ſignificat *faſtidium*, ex 5. *aph.* 61. quod faſtidium etiam de pica gravidarum intellectum vult Dieterich. *in Iatr. num.* 113. item *Coac. t.* 142. *l.* 1. *Epid. ægr. XI.* deinde *anxietatem* circa cor aut ſtomachum, *l.* 7. *Epid. IX.* 6. Hinc febres appellantur ἀσώδεις, 4. *de R. V. I. A. t.* 47. denique *conſilii inopiam*, anxietatem, & ita idem cum ἀλυσμῷ, de quo ſupra. Ad ſummam : ἄση, implaciditatem, inſignem moleſtiam corporis exprimit. Hinc & ἀσηρὸν, ἀσῶδες, moleſtum, noxium ſignificat, 2. *de fract. t.* 75. *ſ.* 3. *t.* 46. *ſ.* 1. *de artic. t.* 65. *ſ.* 2. *t.* 40. 49. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 28. Erotianus ἀσηρὸν interpretatur ἀνιοποιητικὸν, quod moleſtiam cauſſatur.

ASEB, dicitur *Alumen*. Rul. & Iohnſ.

ASED, i. e. *Leo*. Rul. & Iohnſ.

ASEDENIGI, i. e. *Hæmatites*. Iid.

ASEGEN, i. e. *Sanguis Draconis*. Dicitur & *Atogen*. Iid.

ASELLUS, ὀνίσκος, vocabulum eſt πολύσημον in medicina, quemadmodum & *aſinus*, ὄνος. Præter vulgatiſſimam enim illam ſignificationem, quando quadrupes animal illud contemtum & deſpectum, ſarcinis tamen portandis aliiſque negotiis multis utiliſſimum, (cujus laudes Cl. Heinſius quondam fuſiſſime eſt proſecutus,) quin imo in re medica multa remedia offerens, videlicet, lac, lienem, renes, teſtes, penem, ungulas, urinam, ſtercus, de quibus videatur Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. c.* 2. *p. m.* 343. *ſeqq.* ſignificat quoque piſcem, nec tamen unum eundemque ſed varium, de qua ſignificatione adi ſis prolixe diſſerentem Linden. *Ex. XI.* §. 20. *ſeqq.* De *Aſellis* vide Rondelet. *l.* 9. *de piſc. c.* 9. & Aldrov. *l.* 3. *de Piſc. cap.* 1. *ſeqq.* Comparantur piſcibus ſaxatilibus bonitate nutrimenti à Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 2. Porro ſignificat & inſectum ſive animal multipes (unde à Latinis *millepedis* vel *millepedæ*, item *cutionis* aut *porcellionis* nomine, Gr. κυβαρὶς, indigitatur, vide Linden. *Ex. XI. Sel. Med.* §. 21. Junge Aldrov. *l.* 5. *de Inſect. c.* 13.) in aquariis vaſis & ſterquiliniis, enaſcens, quod ad digitorum contactum in orbem ſe contrahit, Gal. *l.* 3. *d. C. M. S. L. c.* 1. Tandem & *Axes* ipſos *Aſinos* appellare conſuevit Hipp. & *parvos axes Aſellos*, quos etiam *ſuculas* vocant, 2. *de fract. t.* 48. *ſ.* 3. *t.* 40. *ſ.* 3. *de artic. t.* 25. & *ſ.* 4. *t.* 51. Junge Foëſ. *p.* 455.

ASEMOS, ἄσημος, dicitur de iis, quæ citra evidentem ſignificationem, præſertim criticam, & præter rationem contingunt; aut quæ levioris ſunt momenti, & nullam effatu dignam ſignificationem præ ſe ferunt. Ita ἀσήμως πνεύματα, ſpirationem exiguam, obſcuram, ac velut interceptam, nullamque fere ſui ſignificationem edentem denotant, *l.* 6. *Epid. ſect.* 7. *t.* 13. juxta Valeſ. dolores lateris in febribus tenuiores ἄσημα ἀλγήματα, *Coac. t.* 419. *Aſema*, ἄσημος κρίσις eſt, quæcunque à nullo

dierum indicantium fuit indicata; unde *ſine ſigno* dicitur, Gal. *l.* 3. *de Criſ. c.*10. Adverb. ἀσήμως eandem cum adjectivo habere ſignificationem apud Hippocr. videatur Foëſ. *p.* 100 *ſeqq.* At ἀσήμους τόπους, κατ' ἀντίφρασιν appellare Hippocratem docet Erotianus τοὺς πολυσήμους, qui ad venas, arterias & nervos pertinent. An etiam de ſermone inepto aut nihil congrui ſignificante in probatis autoribus acceptum occurrat, uti quidem alicubi vult P. Zacchias, (de quo vide in cœloſtomia) inquirere nobis non vacat.

ASENEC, i. e. *Sol.* Rul. & Iohnſ.

ASEPH, h. e. *Alumen ſciſſum.* Iid.

ASEPTON, ἄσηπτον, vide *Aſapes.*

ASILUS, *Oeſtrus, Tabanus*, οἶστρος, μύωψ, inſectum eſt, in ore habens aculeum, binis pennis volans. Deſcripſit Aldrov. *l.* 3. *de Inſect. c.* 4. In ſpecie *Aſilum* dici illud inſectum, quod boves laceſſat, vult Plin. *l.*31. *c.* 2. *H. N.* Idem ex magorum commentis tradit, vermiculos, e quibus *Aſili* fiunt, antequam pennæ germinent, contra febres alligari, *l.* 30. *c.* 11.

ASINES & *Aſineos* (adverb.) ἀσινής, ἀσινέως, *innoxium*, & ſine noxa ſignificat, à verbo σίνω, *noceo*, cum α privativo. Hinc Hipp. rupturæ pectinis ἀσινέες dicuntur, *l.* 2. *Epid. ſ.* I. 70. *c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 10.

ASINGAR, i. e. *Viride æris.* Dicitur & *Aſugar*, *Aſmiar*, *Aſigi.* Rul. & Iohnſ.

ASINUS, ὄνος, vide *Aſellus.*

ASIRACUS, ἀσίρακος, dicitur ſpecies locuſtæ, quæ & ὄνος, *Aſinus*, dicitur Dioſcoridi *l.* 2. *c.* 57. Confirmat virtutem adverſus ſcorpionum ictus Gal. *l. XI. de Sim. Fac.* §. *Dracomarin.*

ASITIA, ἀσιτία, vide *Anorexia, Apoſitia, Inedia.*

ASIUS *lapis*, vide *Aſſius.*

ASMAGA, dicitur *permixtio*, vel *commixtio quorundam metallorum* ad invicem. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ASODES, ἀσώδης, vide *Aſe.*

ASOPOR, i. e. *Fuligo.* Rul. & Iohnſ.

ASPALTUM pro *Aſphaltum.* Rul. & Iohnſ.

ASPASIA, medicamentum locos muliebres conſtringens, deſcriptum à Capivac. *Prax. l.* 4. *c.* 4. fit ex ſola lana, infuſo gallar. immatur. imbuta.

ASPERA *arteria*, vide *Arteria aſpera.*

ASPERSIO, πρόσκλυσμα, ῥαντισμὸς, ῥαντὴς, & ῥαντὶς, ῥάντισμα, notiſſima eſt applicatio alicujus materiæ medicæ vel liquidæ, vel pulverulentæ ſuperficiaria & rara, ſeu minutatim facta. Scrib. Larg. *n.* 46. 207. & alibi. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.* Hinc & talia medicamenta, quæ *aſperguntur*, Græce συμπάσματα, Latine *Aſpergines* vocari vult Blancard. *in Lex.* quamvis nos nullibi legerimus.

ASPERUM, *Aſprum* per ſyncopen. Scrib Larg.*n.*180. vide Rhod. *in Lex.* τραχὺ, *Aſperitas, Aſpritudo*, Scrib. Larg. *n.* 21. 22. & alibi, τραχύτης, dicitur de ſuperficie partis vel membri inæquali. Omne *aſperum* eſt inæquale, ſed non viceverſa. Gal. *c.*3. *de iis, quæ in med. t.* 11. Oritur vel ab adſtrictione & nimia ſiccitate, vel ab acrimonia, *l. de ptiſana c.* 5. Eſt ſpecies differentiæ morborum organicorum eſſentialis in ſuperficie, cui opponitur *Lævitas*, λειότης. In ſpecie *aſperæ palpebræ*, τραχέα βλέφαρα, dicuntur, cum everſæ ſanguinolentiores apparent, & magis aſperæ carnoſæque & fici acinis ſimiles. Gal. *l. Introd. c.* 15.

ASPHALEIA, ἀσφάλεια, *ſecuritatem*, firmitatem denotat, & ἀσφαλὲς tutum, *ſecurum*, firmum, 5. *aph.*22. & 2. *aph.* 15. Gal. *l.* 12. *de V. P. c.* 6. Jul. Alex. *not. ad h. l.* Dicitur quaſi τὸ μὴ σφάλλον ἢ σφαλλόμενον, expers lapſus. Vide Dieterich. *Iatr. n.* 120. 121.

ASPHALTITIS, ἀσφαλτίτης dicitur prima lumborum vertebra, quæ & à renibus νεφρίτης. Gorr. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. & 34.

ASPHALTUM, vide *Bitumen.*

ASPHYXIA, ἀσφυξία, id eſt, *pulſus privatio* ſive defectio, cum non percipitur noſtro tactui motus, atque hoc per totum animal accidit, ut nulla uſquam arteria moveri videatur, quod tamen ſi ad veritatem exigas, in corpus vivum nunquam cadit; ad noſtrum tamen tactum frequenter reperitur, Gal. *l.* 1. *de praſ. ex pulſ. c.* 2. quam Hipp. vocat *ſpirituum interceptiones*, πνευμάτων ἀπολήψιας ἀνὰ τὰς φλέβας, 4. *de R. V. I. A. t.* 26. (vide ſupra *Apolepſis.*) Eſt immediatus comes gravioris animi deliquii, quod pro lubitu *lipopſychia*, aut *ſyncope*, quin & *aſphyxia* dici poterit. Cauſſa immediata *pulſus deficientis* eſt in ſanguine naturali efferveſcentia & rarefactione circa cor deſtituto, ut propterea cor non ſatis expandatur, contrahaturque & ſanguis inſufficienter in arterias effundatur. Fr. Sylv. *Pr. Med. l.* 1. *c.* 34. præſertim §. 43. Ἄσφυκτοι dicuntur *pulſu privati*, & in quibus motus nullus ſub ſenſum cadit in ulla corporis parte cujuſcunque arteriæ. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 3.

ASPIDISCOS, ἀσπιδίσκος, proprie ſignificat ſcutulum, vel ornatum exteriorem ſcutorum. Metaphorice vero ita vocari muſculum ſphincterem ani quaſi verticillum ſcripſit Cæl. Aurel. *Tard. paſſ. l.* 3. *c.* 3. *p.* 452.

ASPIS, ἀσπὶς, idem, quod *ſerpens*, ſed venenato ſuo morſu pernicioſiſſimus. Ejus tres ſpecies conſtituit Galen. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 8. quarum prima dicitur *cherſæa*, altera *chelidonia*, tertia *ptyas*, quæ pernicioſiſſima. Siquidem, perinde ac ſi tunc ratione prædita foret, æſtimata intervalli diſtantia collum eouſque extendit, & celeriter hominibus inſpuit venenum. Hac ſpecie ferunt Reginam Cleopatram ſibi citra ſuſpicionem repente mortem conſciviſſe, cum Imperator Auguſtus eam vivam captam vellet in triumphum Romæ ducere, P. Ægin. *l.* 5. *c.* 19. Plura de *Aſpide* in genere, & ejus pluribus ſpeciebus vide apud Aldrov. *l. de ſerp. & drac. c.* 7. Nihilominus ex his pernicioſiſſimis ſerpentum generibus olim emplaſtrum confectum fuit διὰ ἀσπίδων dictum, diſcutiens valentiſſime ſtrumas, aliasque durities, ad dolores arthriticos pariter utile, teſte Aëtio *l.* 15.

ASPREDO, τϱάχωμα, eſt affectus palpebrarum, diciturque durities, & aſperitas inæqualis, quæ intra palpebras oritur. Gal. *def. medic.*

ASSALA, i. e. *Nux moſchata.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

ASSALIÆ, vermes ſunt intra aſſeres creſcentes. Dicuntur etiam *Coſſi*, *Teredines*, *Termes*, *Thripes*, *Xylophagi*, ξυλοφάγοι. Dorn. Ruland. *Aſſalliarum* meminit Paracelſ. *l.* 2. *de morb. Gall. puſtulis & ſymptom. c.* 7. in Ictericia commendans. Verum ſuſpicari quis poſſet, non tam Teredines aut Coſſos intelligi debere, quam *aſellos* ſive *millepedes* in locis humidis creſcentes, de quibus paulo ſuperius. Hos enim valde in Ictero commendari, e Dioſcoride & Galeno conſtat.

ASSANGI, dicitur *Pulvis* decidens de parietibus ſalis. Vocatur & *Aſanirgi.* Rul. *in Lex.*

ASSATIO, ὄπτησις, eſt ſpecies coctionis ciborum artificialis, quæ fit ab extrinſeco & alieno calore fortiori & exiccante. Species ſeu modi *aſſationis* plures ſunt: Vel enim igni admoventur ea, quæ aſſari debent; vel in aliquo vaſe reponuntur, cui ſubjicitur ignis, affuſo aliquo, ſed inſufficiente, aut plane nullo humore. Illuc pertinent etiam *frixa*, quæ propterea Aſſorum ſunt ſpecies. Huc referre licebit *toſtionem*, στάτευσιν, Ariſtot. *l.* 4. *Meteor. c.*3. Renat. Morcau *ad Schol.Salernit. c.* 7. *p.* 138. *Aſſata* & frixa ſiccius dare corpori alimentum, docet Galen. *l.* 3. *de alim. fac. c.* 2. Græce dicuntur illa ὀπτὰ, hæc τηγανιστά. Ovorum *aſſorum* meminit Scrib.Larg. *n.* 221. *Aſſare* quoque Spagyrice eſt, vel rem deſiccare, & in tali ſtatu ponere, ut poſſit in pulverem ſibi competentem redigi; vel aliquando idem eſt, quod congelare, *Theatr. Chym. Vol. III. p.* 39. Quæ intus foriſque tota igneſcunt, perperam *aſſari* dicuntur à Scheunemanno, judice Libav. *in defenſione Syntagm. Act. I. c.* 12. *Aſſare* quoque allegorice dicitur *ſeptimum Regimen*, quod eſt *Lunæ*, h. e. calefacere & componere per 25. dies, & hoc regimen dicitur *Argenti*, in Allegoriis ſuper Tu bam Philoſ. *diſtinct.* 1. *in Th. Chym. Vol. V. p.* 58. *Aſſatio* etiam in Magiſterio Lap. Phil. dicitur ſuavis & modeſta deſiccatio corporum diſſolutorum & à menſtruis ſuis ſeparatorum, exiccans ſub finem corpus exiguo igne, quæ deſiccatio ſuavis calcinatio eſt. Chriſtoph. Pariſ. *Elucidar. l.* 3. *c.* 8. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 264.

ASSATURA dicitur animal, vel caro aſſa, quales ſi ſtatim poſt remotionem ab igne cooperiuntur & panno involvuntur, *Aſſaturas ſuffocatas* vocavit Santes Ardoynus, & inter venena retulit, noxam & curationem proponens *l.* 4. *de Venen. c.* 9.

ASSERAC, idem quod Aſſis, & eſt ſpecies Bangues, quæ Ægyptiis eſt Aſſis. Differt ab Opio & Maſlac Turcarum, de quo legatur Hartmann. *tract. de Opio Theor. III. quæſt.* 3. vid. *Bange* & *Aſſis.*

ASSERVATIO, idem, quod *Conſervatio*, dicitur in Pharmaceuticis ſimplicium collectorum in debitis vaſis & locis ad uſum neceſſaria repoſitio, ut ſemper in promptu ſint. Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. c.* 7. D. Schenk. *Synt. Comp. & præſcr. med. form. p. m.* 19.

ASSIDENS *ſignum*, συνεδρεῦον, quod & *mox apparens* dicitur, quod plerumque morbo accidit, ut in febre ardente lingua aſpera ſicca, ſitis, vigiliæ. Differt tamen à *Pathognomonico*, quod hoc ſit plane inſeparabile, illud non item, Gal. 3. *in* 3. *Epid.t.*34. Exemplum ſit morbus lateralis, in quo acuta febris, ſpirandi difficultas, tuſſis, pungens dolor lateris ſunt pathognomonica, ſcil. collective ſumta; quod autem dolor ad hypochondrium, vel ad claviculam perveniat, aut quod facilius in latus patiens, quam in alterum æger decumbat, *Aſſidentia* ſigna ſunt, *c.* 1. *aph.* 12.

ASSIDUUS uſurpatur à Fernelio pro *Continuus.* Ita *febres aſſiduas* vocavit, eaſque intermittentibus oppoſuit, *Method. cur. febr. c.* 6. *ferme ad finem.*

ASSIMILATIO, ἐξομοίωσις, ὁμοίωσις, dicitur nutritionis ſupplementum, quando id, quod nutrit, alteratur, & ei, quod nutritur, ſimile fit, Gal. 3. *de fac. nat.* 1. Porro ut hæc fiat, *Agglutinatio*, ſive *Adhærentia*, πρόσφυσις, præcedat oportet, quemadmodum & hanc *Appoſitio*, πρόσθεσις, *l.* 1. *de F. N. c.* 11. Nomine à *Nutritione* diſſidet, re autem non diſſidet, *l.* 3. *de Cauſſ. Sym. c.* 2. Perficit hanc functionem non ſecus ac reliquas naturales dictas anima, ſive vis plaſtica, ſive calidum innatum & flammula vitalis, quæ in medicina non differunt. Charlton. *Oecon. anim. Ex.* 1. §. 1. *ſeqq.*

ASSIS vel idem eſt, quod *Opium*, *Meconion*: vel eſt *pulvis ex cannabis foliis* paratus, cujus cum aqua miſti bolos quinque aut plures caſtaneæ magnitudine Ægyptii devorant, à quibus per horam homines quaſi ebrii facti amentias ſuas produnt, & in ecſtaſi manentes viſionibus deſideratis oblectantur. Pr. Alpin. *de Medic. Ægypt. l.* 4. *c.* 2. *p.* 121. *b.* Vocatur & Aſſerac Turcis. vide *Bange.*

ASSISTENTES, ſive *Aſtites glanduloſi*, vide *Paraſtatæ.*

ASSIUS *lapis*, ἄσσιος λίθος, (perperam per ſimplex ſ.) ab *Aſſo*, urbe Troadis, quæ eſt regio minoris Aſiæ, Helleſponto adjacens, alias minor Phrygia dicta, appellatus eſt lapis tophaceus mollis, friabilis, & laxus, vim habens ſine morſu carnes molliores colliquandi, præſertim vero hac virtute prævalet *Aſſiæ petræ* flos dictus, qui innaſcitur farinæ tenuiſſimæ, qualis molarum parietibus adhærere viſitur, Gal. *l.* 9. *de Sim. Fac.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 142. ubi per ſimplex ſ ſcriptum legitur, ad locum generaliorem, Aſiam minorem, fortaſſis reſpectu habito Plin. *l.* 2. *c.* 96. & *l.* 36. *c.* 17. *Sarcophagum* appellat ideo, quod in eo condita cadavera, intra 40. dies una cum oſſibus, ſolis dentibus exceptis, conſumantur. Reliquas illius virtutes collegit Chioccus *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 349. *ſeqq.*

ASSOS, i. e. *Alumen.* Rul.

ASSUETUDO, vide *Conſuetudo.*

ASSUMTIO, πϱόσληψις, πϱοσφοϱά, dicitur de omni

materia, alimento, & medicamento, quod per os corpori communicatur, quæ *Aſſumpta*, τὰ προσφερόμενα, appellantur; quamvis & aër inter illa quoque referatur. Vid. Ionſton. *Synt. Med. l.* 1. *Tit.* 1. *c.* 1.

ASTACUS, ἀστακὸς, vide *Cancer.*

ASTAKILLOS, à Paracelſo dicitur ulcus gangrænoſum malignum ſerpens ad tibias pedum à ſale mercuriali in ſanguine occurrente. Dicitur eidem quoque *Araneus*, vel *Ulcus Aranei l. de ulcer. c.* 18.

ASTARZOF, unguentum vocatur vel linimentum, quod recipit lithargyrium ſperniolam cum ſuccis ſedi majoris & Nympheæ. Vel etiam ita dicitur mixtura ex aqua roſarum & camphora, apud Paracelſ. *d. l. c.* 38.

ASTEOS, ἀστεῖος, *probum*, laudabilem ſignificat Hippocrati, & opponitur τῷ φλαύρῳ καὶ βλαβερῷ, vitioſo & noxio *l. de Helleboriſm.* 12. *de Alim. IIX.* 14. *X.* 9. 10. *Coac. t.* 218. Vid. Foëſ. *Oecon. p.*104. & Jung. *Exerc. noſtr. II. de Remor. purg.* §. 13.

ASTER, ἀστὴρ, *Aſtrum*, ἄστρον, vide *Stella.*

ASTER *Samius*, vide *Terra Samia.*

ASTER *Thalaſſius*, ἀστὴρ θαλάσσιος, vide *Stella Marina*, dicitur zoophyton quoddam marinum. Vide *Stella.* Commendavit Hippocr. cum braſſica & vino odorato ad uteri aſcenſum dictum, & ad dolores hyſtericos, *l. de nat. mul. XXIX.* 85. *l.* 2. *de morb. mul. LXXIX.* 7. vide Foëſ. *p.* 105. Alias & *Aſter* nomen eſt medicamenti ab Andromacho excogitati adverſus deſtillationes & dolores varios. Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5.

ASTERGES, ἀστεργὴς, denotat durum, *compactum*, ſeverum, & opponitur laxo ſive molli, blando. Hipp. *de Glandul. XI.* 14. quamvis Foëſ. *d. l.* aliud vocab. ſubſtituere velit magis accommodum, nimirum ἄστεγον. Ego ſane non video tantam immutandi neceſſitatem. De ligno crudeliore legitur ἀστεργέστερον, 2. *de fractur. t.* 64. quamvis & illum locum mutatum velit Foëſ. *d. l.*

ASTERIAS, ἀστερίας, ἄστριος, ἀστρίτης, ἀστρόβολος, vide *Aſtroites.* Eſt gemma foſſilis, admodum dura, dimidiati globi figura, ſtellarum, quæ radios jaciunt nigros, pleniſſima, ex quo nomen videtur accepiſſe. Naſcitur in India & Carmania. Qui colore candido eſt, præfertur cœruleo *Ceraunia* dicto. Habetur pro periapto adverſus nævos maternos infantum, Eraſm. Franciſc. *P. II. Hort. Indic. p.* 1218. *Aſterias* etiam idem, quod *Accipiter.* Aldrov. *l.* 5. *Orn. c.* 1.

ASTHENES, ἀσθενὴς, vocatur *infirmus*, *imbecillis*, debilis, ab α privativo & σθένος, *robur.* Legitur apud Hippocr. *l. de vet. med. XXI.* 6. 7. ubi hæc differentia notanda venit, quod ἀσθενὴς dicatur, qui nondum actu ægrotat, ſed *debilem* habet naturam; ἀσθενέων vero qui actu languet. Uſurpatur quoque de cibis & alimentis, *l.* 6. *Epid. ſ. IV. t.* 16. & *ſ. V. t.* 20. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.*30. quæ ſcil. non multum præbent nutrimenti, qualis eſt Ptiſana. Apud Gal. quoque ſubſtantivum ἀσθένεια, *infirmitas*, *debilitas* occurrit, *comm. ad d. l. ult.* vide Foëſ. *p.* 101. Dieter. *n.* 115.

ASTHMA, ἆσθμα, id eſt, *Anhelatio*, creber & moleſtus anhelitus, affectus eſt, in quo propter anguſtiam organorum reſpirationis & bronchiorum oppilationem apparet, ſumme moveri uſque ad operta ſcoptula & ſcapulas, thoracem, etiam citra febrem, motu celeri ac denſo, ut etiam in iis, qui velociter occurrerunt, quique reſpirando pinnas narium movent, quas inſpirando contrahunt, expirando dilatant. Gal. *c.* 2. *in* 3. *Epid. t.* 4. Accuratius ita definiri poſſet: *Aſthma* eſt difficilis reſpiratio, frequens, denſa, cum ſibilo vel ſono, quandoque & tuſſi, proveniens ab inſigni anguſtatione vel obturatione bronchiorum pulmonis intrinſecus vel extrinſecus facta. Cauſſæ enim variæ hunc affectum producere valent, v. g. Pituita viſcida, flatus & halitus, aquoſa collectio, ſive hydrops, pulmonis tubercula. Graviſſima *Aſthmatis* ſpecies eſt, quod Willis inter morbos convulſivos refert, & *Aſthma convulſivum cum tuſſi* appellat, *de morb. convulſ. c.* 12. ſcorbuticis interdum familiare, unde & *Aſthma Scorbuticum* appellare licet. Confer. etiam ad Sylv. *Pr. Med. t.* 1. *c.* 22. §. 22. & P. Barbette *l.* 4. *c.* 3. alioſque. Vitioſe etiam dictum legitur *Aſma* apud Joh. Bauerium de Imola *in Conſil.* 8. & 32.

ASTITES, vide *Paraſtatæ.*

ASTOMOS, ἄστομος, dicitur, *qui caret ore*, & creditum fuit olim, fuiſſe gentem quandam toto corpore hirtam, & veſtiri in India frondium lanugine, *ſine ore*, halitu tantum viventem, & odore, ut ex Plinio refertur à Menens *Aurei Veller. l.* 1. *c.* 10. in *Th. Chym. Vol. V. pag.* 302. Verum Olearius & alii Itinerariorum ſcriptores fallaciam hanc detexerunt.

ASTRABES, ἀστραβὴς, quod minime torquetur, *indiſtortum* ſignificat apud Hippocr. 2. *de artic. t.* 19. & *in Mochlic. VII.* 5.

ASTRAGALUS, ἀστράγαλος, ἄστριος, item πτέρνα, *Talus*, vulgo *Os balliſtæ*, *Quatrio*, eſt primum inter oſſa tarſi & principaliſſimum eorum, quæ ad pedes movendos pertinent, in circumferentias quaſdam deſinens, magnum quidem & maximis ſupernis oſſibus dearticulatum, in medio tibiæ & calcanei locatum. Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 6. & 8. *de oſſ. c.* 22. Clarius: Eſt os quaſi cubicæ figuræ irregularis, ad pedis tibiæque articulationem comparatum. Superius enim per ginglymum tibiæ conjungitur, ad latera utrinque malleolo comprehenditur, ligamentis validis copulatum, anterius capitulo rotundo ſinui oſſis ſcaphoidis adaptatur; inferius partim protuberat, partim mediante profundo ſinu cum calcaneo ligamentis cartilagineis connectitur. Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 21. In medicina præ aliis commendantur *Aſtragali Leporum* & *Porcorum.* Illorum quidem contra epilepſiam, difficultatem partus, colicam & calculum; horum vero ad fracturas oſſium, capitis & colli dolores, teſte Schröder. *Pharm. lib.* 5. *cl.* 1. *n. XXIV.* & *XXXIV.*

ASTRAPE, ἀστραπὴ, *coruſcatio*, fulgur. Refertur inter

inter cauſſas procatarcticas epilepſiæ à Gal. *de pu. epil. c.* 2.

ASTRION, ἄϛριον, idem; quod *Aſtragalus* ſive *Talus*. Iohnſ. Ingraſſ. *comm. in Gal. l. de Oſſib. p.* 164.

ASTROBLES, ἀϛροβλὴς, ἀϛρόβλητος, idem, quod ἀποπληκτικὸς, ſideratus, *Apoplecticus*. Gorr. *p.* 60.

ASTROBOLISMUS, ἀϛροβολισμὸς, idem, quod *Sphacelus*, de quo infra, quamvis proprie de plantis, quæ ſub canicula pereunt, quaſi ſidere perculſæ, dicatur. Matth. Flacius *l.* 2. *de vit. & mort. c.* 24. *p. m.* 96.

ASTROCYNOLOGIA, ἀϛροκυνολογία, vocatur ſcriptum *de diebus Canicularibus* noviſſime editum, cujus mentio facta *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1702. *M. Decembr. p.* 514.

ASTROITES, idem, quod *Aſterias*, lapis maculis plurimis ſtellarum formam habentibus notatus, globi dimidiati figuram habens. Eſtque duplex. Unus, ubi maculæ ſtellatæ ſunt diſperſæ. Alter, in quo viſuntur ita compactæ, ut erucis ſimiles ſint maculæ. *Aſtroites*, varios majores, minores, magis vel minus concinne radiatas exhibet Joh. Bauhin. *in deſcript. Font. & Baln. Bollenſ. l.* 4. *p. m.* 31. Ex Aſtroite etiam parabantur globuli, quibus numerare ſolent preces Pontificii. Rul. *in Lex.*

ASTROLOGIA, ἀϛρολογία, vocatur ſcientia, vel *ars divinandi ex Aſtris*; eorum vario poſitu, aliiſque attributis, quam nonnulli adeo credunt eſſe neceſſariam Medico, ut propterea ſtellarum ortus, occaſus, phaſes varias, inter cauſſas morborum & ſanitatis referre non dubitaverint. Enimvero licet aſtrorum influxum vel efficaciam in aërem & corpora ſublunaria, quin & in ipſum hominem, nolimus præfracte ire inficias, quia tamen plurimum vanitatis & ſuperſtitionis ſubeſt in *Aſtrologia judiciaria*, quemadmodum egregie hactenus hoc aperuit Clariſſ. Dn. Sturmius, aliique ex recentioribus Aſtronomis, abſque peritiæ ſuæ detrimento & jactura hac ſcientia carere omnino poterit Medicus. Vanitatem præſagiendi & noxam e themate genethliaco quoque notavit Rolfink. *O. & M. M. l.* 4. *ſ.* 1. *c.* 9.

ASTRUM, ἄϛρον, idem, quod ἀϛὴρ, *ſtella*, *ſidus cœleſte*. Vide *Stella*. Tropice *Aſtrum*, apud Chymicos quoque dicitur virtus & potentia rerum ex præparationibus acquiſita, ut, *Sulphuris Aſtrum* ejus eſt accenſio, qua vertitur in oleum præſtantiſſimum. Item *Aſtrum Salis* eſt ejus in aquam vel oleum reſolutio, qua pariter majores vires induit. *Mercurii Aſtrum* eſt ejus ſublimatio, qua miram acquirit vim & potentiam naturali ſua majorem & ſubtiliorem. De hoc vide D. Joh. Michaelis *not. in Schröder. Pharmaceut l.* 3. *c.* 16. Dicitur alias *Alcol. Quinta Eſſentia*, *Extractum*, *Sperma &c.* Dorn Rul. & Iohnſ. *Aſtrum Solis* vel *Auri*, *Lunæ*, &c. Legitur apud Dorn. *de Tranſm. metall. c.* 13. in *Th. Chym. Vol. I. pag.* 534. *Aſtrum ex igne* eſt ardens ignis inſtar & vehementis impreſſionis. Dorn. *in Dict. Parac.* Aſtrum etiam attribuitur certis medicamentis vel trochiſcis aut orbiculis aſteriſco ſignatis, unde & apud Gal. *Aſter* invincibilis anodynus ſomnifer legitur *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3. & *alibi*. Vel Chymicis quibuſdam non tam propter figuram, quam propter virtutem inſigniorem & quaſi aſtralem v. g. Aſtrum ſerpentum. Vid. Rolfink. *I. A. F. R. l.* 3. *ſ. ct.* 13. *c.* 1. & 2.

ASTUR, idem, quod *Accipiter*, *Aſterias*, Aldrov. *l.* 5. *Ornith. c.* 1.

ASUB, i. e. *Galaxia*. Rul. & Iohnſ.

ASUBEDEGRI, h. e. *lapis ſcindens alios lapides*. Iid.

ASULCI, i. e. Lapis Lazuli. Iid.

ASVOLI, i. e. *atramentum*, fuligo. Iid.

ASYMPHOROS, ἀσύμφορος, ſignificat non *incommodum*, ſive non damnoſum, apud Hipp. *l.* 1. *de diæt. XXXVI.* 6. Vide *Conferens*.

ASYMPHYTON, ἀσύμφυτον, id, quod *non* eſt *continuum*, ſignificat: Epitheton partium diſſimilarium, apud Hipp. *l. de arte XVII.* 8. Paucis: Pars ab aliis diſtincta & ſeparata ita dicitur. Foëſ. *p.* 105.

ASYMPTOTON, ἀσύμπτωτον, ſignificat id, quod non concidit, neque compreſſum eſt; veluti συμπίπτειν dicitur, quod prius tumefactum concidit & contrahitur. Hipp. *l. de humor. III.* 17. 52. Gal. *l.* 1. *de art. cur. ad Glauc. c.* 8.

ASYNETHES, ἀσυνήθης, *inconſuetus*, *inſuetus*, *inſolens*, dicitur; & opponitur τῷ συνήθει. Uſurpatur de rebus non naturalibus ab Hipp. 2. *aph.* 49. 50. Jung. Dieter. *n.* 119.

ATAC, i. e. *Talcum*, vel *Nitrum*. Rul. & Iohnſ.

ATACTOS, ἄτακτος. Vide *Ataxia*.

ATANOR, i. e. *Olla perforata*. Iid.

ATARACTOPŒESIA, ἀταρακτοποιησία, Hippocrati dicitur emphatice *actio* Medici *intrepida*, ne quid animo perturbato fecerit, *l. de dec. ornat. IX.* 11.

ATAXIA & *Acoſmia*, ἀταξία καὶ ἀκοσμία, in genere privationem vel *defectum* ordinis decentis ſignificant. Ut enim κόσμος, i. e. decentis conſtitutionis proprium eſt τάξις, *ordo*, & ob eam rem appellaverunt mortales univerſum hoc *Coſmon*, argumento *ordinis*: Ita *Acoſmias*, i. e. indecentis conſtitutionis proprium eſt *Ataxia*, *ordinis* carentia; ex Gal. *cap.* 3. *Progn.* Hinc quæ *ſine ordine* contingunt, ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως fieri dicuntur. Hippocr. 2. *in* 1. *Epid. t.* 25. & 33. In ſpecie vero *Ataxia* & *Acoſmia* eſt ordinis nullitas circa dies criticos, & circa paroxyſmos, *d l.* & *l.* 3. *Epid. ægr.* 9. *poſt ſtat. peſtil.* Pulſus quoque dicitur ἄτακτος, *inordinatus*, qui nullum magnitudinis, celeritatis, aut æqualitatis ordinem obſervat; cui opponitur ordinatus, contrario modo ſeſe habens. Et febris *erratica* dicitur ἄτακτος, vel ἄτυπος, quæ nullum ſervat typum vel ordinem in periodis, Gal. *l. de Typis c.* 4.

ATAXMIR dicitur cura oculi, quæ adhibetur, quando pili præter naturam in palpebris oculi ſub piliis naturalibus excreſcunt, & ipſi nocent oculo, cujus

curæ

curæ quatuor modos tradidit Albucaſ. *l.* 2. *M. M. c.* 11. 12. *p.* 96. *ſeqq.*

ATEBRAS, dicitur *uncus aquinus*, vel *vas ſublimatorium*, Rul. *in Lex.*

ATECHNIA, ἀτεχνίη, Hippocrati dicitur *artis expers*, in quo nihil recti, neque pravi quicquam ineſt, 1. *de art. VII.* 5. alias ſpecialorem ſignificationem ἀτέχνε, i. e. *amoribus non conciliati*, vide ſis apud Linden. *S. M. Ex. IX.* §. 22. Unde & *Atechnia* idem, quod *Agonia*, Lat. *Sterilitas*, teſte Fel. Platero *l.* 2. *Prax. c.* 19. *Tom. I. p. m.* 660.

ATENES, ἀτενὴς, fixum, *immotum*, rigidum, intentum dicitur, v. g. de oculo, 3. *Prorrhet. t.* 32. *Coac. t.* 351. *l.* 5. *Epid. XXXV.* 13. *& l.* 7. *XVII.* 24. Et verbum ἀτενίζειν ſignificat *fixis aliquem intueri oculis*, non ſolum apud Hipp. *d. l.* 7. *XV.* 31. ſed & aliquoties in Nov. Teſtam.

ATER *ſuccus*, vide *Melancholia. Ater*, idem, quod *Niger*, μέλας.

ATERAMNIA, ἀτεραμνία, ἀτεραμνότης, *cruditatem*, & *in coquendo pervicaciam* ſignificat, ex Hippocr. *l. de A. L.* & *Aq. VII.* 5. ubi duritiei, σκληρότητι conjungitur. Unde *Ateramna* dicuntur, quaſi *indomita* ea cibaria, quæ concoqui non poſſunt, neque in coctura intumeſcunt, veluti ſemina quædam cerealia, Galen. *l. de ſucc. bon. & mal. c.* 5. Per metaphoram ad animum indomitum, ingenium refractarium, & morum aſperitatem, inhumanitatem, refertur, ex Hipp. *de præcept. VI.* 25. De ventre quoque & inteſtinis ſiccioribus & durioribus legitur, *d. l. de A. L. & Aq. V.* 4. Vide Foëſ. *p.* 105. *ſeq.*

ATERES, ἀτηρὴς, *noxium*, lædentem, Hippocr. denotat, *d. l. LV.* 14. quamvis Heſychius exponat per ἀκαταπόνητον, qui nec precibus, nec laboribus frangi poteſt, Foëſ. *p.* 106.

ATHANASIA, ἀθανασία, eſt epitheton quarundam Antidotorum, ſatis quidem jactuoſum, Gal. 8. *de C. M. S. L. c.* 7. & *alibi.* Vide Gorr. *p.* 8. Calidæ & ſiccæ eſſe temperiei illa medicamenta, dicit *l.* 8. *M. M. c.* 7. Idem eſt, quod *Ambroſia*, quaſi immortalitatem tribuens, de quo ſupra. Occurrit & *in Diſpenſ. Aug.* compoſitio Nicolai *Athanaſia magna* dicta, in dyſenteria & hæmorrhagiis variis commendata. Dubitari tamen poſſet, an calida & ſicca tenuium partium ingredientia quantitate & virtute reliquis prævalentia effectum illum promittere queant; & mirum, quod Zwolferus non monuerit. Salſe vero perſtrinxit P. Ammann. *in Irenic. p.* 44.

ATHANOR, eſt nomen furni Chymici, ſive Philoſophici compoſiti, cujus prolixam deſcriptionem legere licet apud Mart. Ruland. *Lexic. Chymic.* & Libav. *in Apoc. Hermet.* Meminit & Rolfink. *Chymiæ l.* 2. *c.* 17. Vocatur & *Uterus Spagyricus*, vel *Chymicus*, & deſcribitur à Dorneo *de Tranſmut. metall. c.* 3. in *Th. Chym. Vol. I. p.* 503. *ſeq. Athanor* habetur *fornax ſublimationis*, in Quartorum *l.* 4. *Platon. d. l. Vol. V. p.* 180. & applicatur ad *Bonum Henricum* ab Orthelio *in Epil. & Recapit. in Nov. Lum. Sendivog. Vol. VI. p.* 457. Athanor Arabibus idem eſt, quod *furnus.* Hodieque autem hoc nomine veniunt *furni turriti.* D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 5. *c.* 2.

ATHARA, ἀθάρα, communiter Æolici ἀθήρα, vide *Athera.* Illud legitur apud Galen. *l.* 2. *de art. cur. ad Glauc. c.* 10. & latine redditur per *farinam elixam.*

ATHARES, ἀθαρὴς, vel de virgine incorrupta, vel de ferro indomito dicitur. Vide *Lexica.*

ATHELXIS, ἄθελξις, *ſuctionem* vel *attractionem* ſignificat, quæ ſuctione, vel mulgendo fit, à verbo ἀθέλγομαι, quo uſus Hipp. *l. de Hum. I.* 31. & compoſito ἐξαθέλγομαι, *exſugo*, *emulgeo*, 2. *de iis, q. in med. ſ. t.* 27. Vide Foëſ. *p.* 7.

ATHENA, ἀθήνα, dicitur emplaſtrum laudatum ab Aſclepiade, & deſcriptum ab Oribaſio, Aëtio, & Ægineta, *l.* 7. *c.* 17. allegante Gorræo *p.* 8. Refertur vero inter ἔμμοτα ab Ægin. *l.* 4. *c.* 40. *fin.*

ATHENATORIUM, dicitur coopertorium ſpiſſum vitreum ſuper cucurbitam, habens collum gracile & ſpiſſum, quod intrat cucurbitam, non exterius eam ambire debet. Uſus ejus ad ſublimationem *Th. Chym. Vol. III. p.* 33.

ATHENIPPUM, *Athenippium*, ἀθηνίππιον, eſt epitheton collyrii ab autore *Athenippo*, Scribon. Larg. *n.* 26. 27. & Rhod. *in not. ad h. l.* Gorr. *p.* 8.

ATHER, ἀθὴρ, quod in hordeo aculeatum eſt ſignificat, & per tranſlationem teli cuſpidem aculeatam. Hipp. *l.* 3. *de morb. XXX.* 4. & *l.* 5. *Epid. XXI.* 6. Foëſ. *p.* 7.

ATHERA, ἀθήρα, eſt *pulticula liquidior* & ſorbilis ex tritico zeave molitis, inque tenuiſſimum pollinem redactis confecta, infantibus conveniens, Dioſcor. *l.* 2. *c.* 114. hordei ſubtiliſſimum dicit Erotianus.

ATHERINA, ἀθερίνη, ἀνθερίνη, dicitur *piſculus* multis ſpinis intra carnem refertus, aliis boni ſucci & digeſtionis cibum præbens. Deſcribitur ab Aldrov. *l.* 2. *de Piſc. c.* 36.

ATHEROMA, ἀθέρωμα, rectius ἀθήρωμα, eſt ſpecies abſceſſus cum folliculo, in quo aliquid pulti ſimile continetur, peculiari tunica incluſum. Vide *Abſceſſus*, & Gal. *l.* 2. *M. M. c.* 4. 2. P. Barbette *Chirurg. P. II. l.* 1. *c.* 9. & alios.

ATHLETICUS, vel *Athletarum habitus*, ἀθλητικὴ ἕξις, διάθεσις, dicitur illa bona corporis conſtitutio, quæ ad ſummum quidem bonitatis pervenit, ſed cum ſummo periculo conjuncta eſt ſubitæ mutationis in deterius, ex 1. *aph.* 3. propter nimiam ſcil. corporis repletionem. Dum enim exercitiis augent calorem *athletæ*, ob id multis frui poſſunt alimentis, Gal. *comm. ad h. l.* Hinc *athletas* dictos non injuria quis dixerit generoſo nomine notari, vel à certamine & præmio, vel à ſumma miſeria, ſiquidem nullum genus miſerius eſt *athletis*, quod

quod ad bonam valetudinem attinet. *Exhort. ad art. l. c. 6.* Dieter. *n.* 11.

ATHLIPTOS, ἄθλιπτος, dicitur *incomprehenſa invaſio febrilis*, de his febribus, quæ ſtatim initio acceſſionum pulſum in magnitudinem & celeritatem mutant, nec fit prius tardus aut parvus, ideo, quod eam inæqualitatem, quæ initiis febrium fere ſentitur, non percipiant, veluti neque frigus, neque rigorem, neque ſtomachi vellicationem, neque compreſſionem, quæ fit initiis acceſſionum, ſanguine quaſi a tota ſuperficie externa recedente, & ad viſcera confluente: unde & pulſus inæquales tunc fiunt, & parvi, & tardi, & languidi. Gal. *l.* 3. *de præſ. ex pulſ. c.* 7. Foëſ. *Oec. p.* 8. Pulſus ἄθλιπτος dicitur Galeno *l.* 1. *de differ. febr. c.* 7. quando nullo modo ad celeritatem, ea pars pulſus, quæ ſyſtole dicitur, tendit, ſed æqualis & liber habetur.

ATHLON, ἆθλον, vide *Certamen.*

ATHORECTUS, ἀθώρηκτος, dicitur apud Hipp. qui *non eſt ebrius*, *l. de ſterilib. XI.* 16. & *de ſuperfœtat. XI.* 1. Foëſ. *p.* 8.

ATHREO, ἀθρέω, ſignificat perpendo, *conſidero.* Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XXIII.* Foëſ. *p.* 8.

ATHRIX, ἄθριξ, *debilis*, idem, quod μαδαρός. Legitur apud Gal. 1. *de C. M. S. L. c.* 4.

ATHROESMA, ἄθροισμα, in ſpecie *cumulum* obſervationum denotat, Empiricæ ſectæ familiarem, ut eſt ap. Gorr. *in def.* a verbo ἀθροίζω.

ATHROEZO, ἀθροίζω, ſignificat *congrego*, cumulo. Uſus Hipp. 5. *aphor.* 63. Dieter. *Iatr. n.* 12.

ATHROON, ἀθρόον, *confertum*, *coacervatum*, denſum, & in ſe collectum ſignificat, Foëſ. *p.* 8. ex Galen. 7. *aph.* 35. *Coac. t.* 359. *ſeq.* 609. *l.* 3. *Epid. ægr.* 4. *poſt ſtat. peſt. & alibi.* Hinc & ἀθρόως, *cumulatim*, *confertim* denotat, 2. *aph.* 18. & inter proprietates ſolutionis continui doloroſæ refertur. Gal. 1. *de Sympt. cauſ. c.* 6. Dieter. *n.* 13.

ATHYMIA, ἀθυμία, dicitur *animi abjectio*, deſperatio, conſternatio, triſtitia, ap. Hipp. *Coac. t.* 4. & 482. *l.* 5. *Epid. XXXII.* 15. & *l.* 7. *XLVII.* 1. Et ἄθυμος ſignificat eum, qui *animo eſt abjecto*, triſti, deſperato, *l.* 3. *Epid. ægr.* 2. *poſt ſtat. peſtil.* Foëſ. *p.* 8.

ATINCAR, vel *Atinkar*, i. e. *borax de petra*, *Baurach.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ATLAS, ἄτλας, ἀτλάντιον, vocatur ultima colli vertebra, dorſo ſcil. proxima, ſic dicta, tum, quod reliquas colli vertebras ſuſtineat, tum, quod ferendi oneribus potiſſimum laboret, Gorr. & Linden. *in Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 17. Alii vero nomen hoc primæ attribuerunt colli vertebræ, inter quos & P. Barbette *Chirurg. P. III. L.* 1. *c.* 3. & Horne *in Microcoſm.* §. 31. ad quem locum vide D. D. Hofmanni *Diſſert. Anat. p.* 119.

ATMOSPHÆRA, ἀτμόσφαιρα, dicitur aër corporum naturalium periphærizm ſaltem contingens atque ambiens. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. IV.* §. 2. Sub quo aëre comprehenduntur ſimul illa effluvia, quæ e corporibus naturalibus qua animatis, qua inanimatis exſpirare & procedere hactenus obſervarunt naturæ ſcrutatores, præſertim Rob. Boyle. Videantur ejuſdem *exercitationes de Athmoſphæris corporum conſiſtentium.*

ATMUS, ἀτμὸς, vide *Halitus*, *Vapor.*

ATOCOS, ἄτοκος, Galeno dicitur *ſterilis*, non quidem ea fœmina, quæ ad conceptum minus eſt idonea, ſed quæ vidua eſt, & viri congreſſu ac rebus venereis abſtinet, *c.* 7. *in* 6. *Ep. t.* 18. Ἀτόκιον quoque dicitur medicamentum, quod concipiendi facultatem adimit, ſec. Gorr. *def.*

ATOLMIA, ἀτολμία. Vide *Eutolmia.*

ATOMUS, ἄτομος, eſt corpuſculum individuum *inſectile*, juxta Epicuri, Leucippi, Democriti & Aſclepiadis hypotheſin, principium omnium corporum naturalium univerſale, teſte Gal. *l.* 2. *de Fac. nat. l.* 1. *c.* 14. *l.* 2. *c.* 6. *de Theriac. ad Piſon. c.* 11. Suppoſuerunt autem illi autores, illa corpora eſſe impatibilia, vel infrangibilia, ut Epicurus; vel indiviſibilia, ut Leucippus. Uno verbo: Corpora qualitatis expertia, quorum nullum aut alterari, aut ſentire aptum natum eſt, Galen. *l.* 1. *de Elem. c.* 2. *Atomi Democriti* dicuntur aquoſus vapor, fumus, aut aqua reſoluta a Graſſo Chortalaſſeo dicto *in tract. Arca Arcani Cabala Chemica*, *Vol. VI. Theſ. Chym. p.* 376. Hæc opinio de *Atomis* olim quidem improbata, hodieque inſignem invenit applauſum, & multorum recentiſſimorum philoſophorum medicorumque ſuffragium. Neque medicis vitio fortaſſis verti poteſt, ſi acquieſcere velint in principiis corporeis. An vero philoſophi, qua tales, idem facere queant, non eſt hujus loci ventilare. Caſp. Cramer. *Chymic. Collegii Diſſert.* 1. *c.* 4. §. 4. *Atomum* deſcripſit, quod ſit particula corporis, qua non datur minor, & tamen §. 5. diviſit in ſimpliciorem ſive elementarem, & concretiorem. *Atomos* cum vacuo rejiciendas eſſe hodieque cenſuit Cel. G. G. Leibnitius, uti conſtat ex *Act. Erud. Lipſ. A.* 1698. *m. Sept. p.* 438.

ATONIA, ἀτονία, idem, quod ἀῤῥωστία, ἀσθένεια, *imbecillitas*, infirmitas corporis. Methodicorum olim fuiſſe terminum, teſtatur Galen. 4. *M. M.* 4. Commode tamen in uſum rurſum vocarunt recentiores; inter quos eſt Ettmullerus, qui Atoniæ cauſſas etiam diverſas tradidit *Tom. I. Oper. p.* 196. *a.* Vinum quoque natura infirmum vel tenuius, ἄτονον dici, vult Linden. *Ex. X.* §. 63. Stricte ἄτονον vocari quoque *vitium Stomachi*, quod cum ſiccitate & ardore ejus, & inrequiebili, ut ita dicam, vel inextinguibili ſiti conſiſtit, ab eo, quod exſiccat omnem ſtomachi humorem, voluit Scribon. Larg. *n.* 105. Verum Rhodius *in Not ad h. l.* potius ex Marcello ἔγκαυσιν dici debere hunc affectum cenſet, & propterea non admittendam eſſe Scribonii lectionem ſtatuit; quamvis ἀτονία, ſive languor, aut laxitas ſequatur.

ATOPOS, ἄτοπος, *abſurdum* ſignificat, *inconveniens*, malum, de lachrymis voluntariis & involuntariis legitur apud Hipp. *IV. aph.* 52. Jung. Dieter. *n.* 124.

Caſtelli Lexic. Med. M ATRA

ATRA *bilis*, vide *Bilis. Melancholia.*

ATRACHELUS, ἀτράχηλος, dicitur homo valde brevi cervice aut collo præditus, apud Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 9. Alias in nullo Lexico occurrit, quantum ego ſcio. Huic opponitur μακροτράχηλος, longo collo præditus Significat & *decollatum*, Gal. *l.* 4. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4.

ATRACTUS, ἄτρακτος, proprie *fuſum ad lanificium aptum* ſignificat, ut & *ſagittæ lignum*; & ita extra forum medicum ſpectat. Meminit vero hujus vocabuli Hippocr. bis, & primum *in l. de Viſu II* 2. ubi *fuſum* ſignificat, deinde *in l.* 5. *Epidem. XII.* 15. 6. ubi verticillum in Latino legitur. Ubi obiter notandum, quod in illa hiſtoria de famula Dyſeridis in Lariſſa non exprimatur, quomodo ille lapis verticillo ſimilis ad uterum pervenerit. An fortaſſis intruſit in vaginam profundius, ne concipere poſſet, & ita Veneri eo licentius vacare poſſet? quemadmodum mihi fuit aliquando relatum, quod fœmina quædam obſtetricans aliis ſub prætextu procidentiæ uteri curandæ globulos cereos ſat grandes in muliebrem ſinum impulerit.

ATRAMENTUM, μέλαν, varias habet ſignificationes. Communiter denotat *ſcriptorium* vel librarium, τὸ μέλαν γραφικὸν, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. vel fuligineum & *pictorium*, quæ non ſunt hujus loci; vel ſignificat in medicina plerumque *chalcantum*, ſive *vitriolum*, & dicitur *atramentum ſutorium*, χάλκανθος. Vide ſuo loco *Vitriolum.* Confer. *ad Lexic. Chym.* Rul. ſub vocab. *Atramentum*, & Joh. Rhod. *in Lex. Scrib.* Quid atramentum ſympatheticum dicatur, & quomodo paretur, vide in Iunken. *Lex. Chym. Pharm. P.* 1. *p.* 47. *ſeqq.* Myſtice quoque vel ænigmatice tribuitur hoc nomen lapidi philoſophico a Lagneo *in Harmon. Chym. Theſ. Chym. Vol. IV. p.* 727.

ATRECES, ἀτρεκὴς, & adv. ἀτρεκέως, non una ſignificatione ſumitur apud Hippocr Interdum ſignificat *exactum*, curioſum, perfectum, accuratum, *l. de ætate* (qui in pleriſque appendix eſt de Carnib.) *XXII.* 3. 6. *l. de veter. med. XXI.* 10. 18. *in Mochlico, XXI.* 10. *XXV.* 8. interdum *vere* vel *revera*. Hinc vocabulum ἀτρεκείη pro *veritate* etiam ponitur *de nat. pueri XXXV.* 11. quamvis non videam, quid obſtet, quo minus etiam per accuratum verti poſſit: interdum *penitus*, *ex toto*, prorſus, ut 1. *de artic.* 1. 63. Plura vide apud Foëſ. *p.* 106. *ſeq.*

ATREMAS, *Atremeas*, *Atremes*, *Atremeon*, ἀτρέμας, ἀτρεμέας, ἀτρεμὴς, ἀτρεμέων, a verbo ἀτρεμέειν, *quieſcere*, *immotum eſſe*, (quod legitur apud Hippocr. 1. *aph* 3.) ſignificat intrepide habentem, *quietum*, (unde & ἀτρεμία idem, quod ἡσυχία, *quies*, juxta Heſych.) uti patet ex *l.* 5. *Ep. XXIV.* 6. repetitur *l.* 7. *Epid. XVIII.* 9. 2. *de iis*, *quæ in medic. t.* 15. & 2. *de fract. t.* 77. Vide Foëſ. *Oec. p.* 107. 108. & Dieter. *n.* 125.

ATRESIA, ἀτρησία, morbus dicitur, quo laborantes dicuntur ἄτρητοι, *imperforati.* Lat. *Imperforatio* dici poſſet, ſi liberet. Legitur vero *Atreſia* apud D. Pechlin. *in Obſerv. l.* 1. *Obſ.* 25. ubi geminas hiſtorias notatu dignas recenſuit.

ATRETI, *Imperforati*, ἄτρητοι, dicuntur in utroque ſexu, quibus anus aut genitalia perforata non ſunt, ſive id ex natura fuerit, ſive ex morbo acciderit, carne vel membrana ſupercreſcente, & meatum obſtruente. Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* 4. Arab. dicitur *Alratica*, vide ſupra. Ad quam claſſem morborum referendi ſint *Imperforati* dicti, dubitatur. Caſpar. Hofman. *in Inſtit. l.* 3. *cap.* 141. morbis in ſitu annumerat, quemadmodum & *Apolog. pro Gal.* 5. *cap.* 226. Montanus vero ad morbum meatuum ſive viarum refert, teſte eodem Hofm. *d. l. c.* 104. *A.* Verum ſalvo aliorum judicio exiſtimo, conſtituere peculiarem ſpeciem ad tertiæ differentiæ eſſentialem morborum ſolutioni nimirum continui oppoſitam, & ita eo potius referendam. Hoc certum eſt, ad morbos in ſitu minus recte referri. Vid. *Dogm. noſtr. p. II. c.* 4. *d.* 8. & *Chirurg. oper.* Fabric. ab Aquapend. *de glande non perforata*, *hymene non perforato*, & *ano non perforato*, *p. m.* 84. 94. 100. *edit. Patav.* Ultimi exemplum a nativitate vidi ante quam plures annos in vico Neila dicto Nariſcorum, qui filiolus perfecte *Atretus* in ano paulo poſt obiit. De *Atretis* in ſexu fœminino legatur etiam P. Ammann. *in Irenico p.* 153. *ſeqq.*

ATRICES vocantur tubercula parva circa anum, quæ interdum recedunt & tempore redeunt, ſaltem in principio. Annumerantur condylomatibus & fico a Valeſco de Tarant. *Philon. Pharmac. l.* 4. *c.* 35. *p. m.* 516. Foreſtus vero *l.* 23. *Obſ.* 9. *in Schol.* Attrices per duplicatum *t* expreſſit, & e Valeſio deſcripſit, quam ſcripturam etiam D. D. Stahl vel ſub ejus præſidio Dn. Iuch *in Inaugurali Diſſert. de motu hamorrhoidali c.* 4. *p.* 12. retinuit.

ATRICI, dicuntur vulnera occulta in extremitate inteſtini recti naſcentia, ita tamen, ut aliquando concavitas horum non ita tangat inteſtinum, ut perforet ipſum. Iſaac. *l.* 9. *Theoricæ cap.* 32.

ATROPHIA, ἀτροφία, i. e. *nutritionis defectus*, quando ex nutrimento fructus non percipitur, Galen. 2. *M. M.* 7. uno verbo, *Macies*, *Tabes*, *Contabeſcentia*; quamvis hæc duo vocabula diſtinguat Franc. Sylvius *l.* 1. *P. M. c.* 37. §. 6. in quo capite ex profeſſo de *Atrophia* ſolide tractat, *Maciem* dicens, ſi ſola pinguedo abſumitur, nec æque reſtituitur; *Tabem* vero, ſi caro ſimul minuitur. Eſt igitur in genere *Atrophia* imminuta nutritio, quam corpus vel ejuſdem certa membra naturaliter quidem abſumtis portionibus quibuſdam nutritiis, nullis vero in earum locum ſuccedentibus, perpeti coguntur. Videatur Celſus *l.* 3. *c.* 22. Eſt igitur duplex, univerſalis totius corporis, & particularis in determinatis tantum partibus, artubus præſertim. Cauſſæ poſſunt eſſe variæ, internæ vel externæ, quæ in eo omnes conveniunt, quod vel impediant ſucci nutritii proventum ſufficientem, vel ejuſdem debitam diſtributionem. An a faſcino inferri poſſit *Atrophia* pueris, legatur Sennert. *Med. Pr. l.* 6. *p.* 9.

c. 1. & Roder. a Caſtro *Med. Polit. l.* 4. *c.* 1. *Atrophiam* a vermiculis dorſalibus etiam in dubium vocat Fr. Hofm. *in Meth. med. l.* 1. *c.* 19. Singularis quoque ſpecies eſt *Atrophia in oculo*, cum ex longa imbecillitate, vel alia quadam latente cauſa, oculus paululum quaſi propulſus, deinde cavatus ad radicem cum dolore minor evadit, obſcureque aut nihil omnino videt. Gal. *l. Introduct. c.* 15.

ATTÆ dicuntur Feſto, qui ob crurum, vel pedum vitium plantis inſiſtentes terram attingunt magis, quam ambulant.

ATTAGAR, id eſt, *Lapis*, Rul. & Iohnſ.

ATTAGEN, ἀτταγὴν, & ἀταγὴν, Fœmin. *Attagena* avis nota inter delicias cibarias, vulgo Haſelhun/ cujus deſcriptionem & uſum in cibis atque medicina lege ſis ap. Aldrov. *l.* 13. *Ornith. c.* 10. Bruyerin. *de re cib. l.* 15. *c.* 38.

ATTALUS, Ἄτταλος, *Attalicum*, ἀτταλικὸν, epitheta ſunt quarundam formularum medicamenti apud Gal. *in libr. de compoſ. med. ſec. loc. & genera*, hodieque minus uſitata, ſed obſoleta. Vide Gorr.

ATTELABAS, vide *Locuſta.*

ATTENUANS, λεπτῦνον, dicitur & de cibis, & de medicamentis, quæ acri & calida facultate prædita craſſos ſuccos attenuant, colliquant, incidunt & reſolvunt. Gal. 14. *M. M.* 15. Hodieque dicuntur portionibus ſalinis, nitroſis, lixivioſis, alcalicis, volatilibus vel evectis operari.

ATTENUATIO, λεπτυσμὸς, λεπτότης, idem, quod *extenuatio*, dicitur totius molis collapſus vel ſubſidentia, ejuſque ſignum eſt cutis laxitas. Hippocr. 3. *in* 6. *Epid. t.* 29. & Galen. *in comm.* Coincidit cum *Atrophia*, de qua p. a. Junge 4. *aph.* 23. Dicitur & *Gracilitas*, quæ corporis eſt exilitas, quam a macie quidem diſtinguit: Illam naturalem, hanc præternaturalem tenuitatem, quæ Gr. ἰσχνότης dicitur, ſtatuens, Linden. *Ex. XIV.* §. 23. 24. Sumitur & mechanice pro *comminutione* D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. VII.* §. 4. Vide *Comminutio.* In opere ſpagyrico conjugii maſſæ ſolis & lunæ *attenuatio* dicitur ſecunda clavis, quoniam rigiditas corpori ineſt, & flexibilitas, & inquinatio. *Theatr. Chymic. Volum. V. p.* 452.

ATTICUS, ἀττικὸς, epitheton mellis optimi, ut & ceræ, ſive propoleos, apud Scribon. Larg. paſſim.

ATTILUS, dicitur *piſcis fluviatilis*, Pado flumini proprius, cartilagineus, ſturioni magna ex parte reſpondens, cujus caro mollis & fluxa, palatoque minus jucunda. Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 1.

ATTINCAR *Veneris*, formula eſt tincturæ ad lunam, apud Paracelſ. *Manual.* 1. Vide *Albatio.*

ATTINGAT, id eſt, *flos æris.* Rul. & Iohnſ.

ATTINGIR, i. e. *Capſula terrea.* Iidem.

ATTONDERE, vide *Tondere.* Scrib. Larg. *n.* 10.

ATTONITUS *morbus*, idem, quod *Apoplexia*, de quo vocab. vide ſupra.

ATTRACTIO, ὁλκὴ, in genere dicitur ea ſpecies motus localis, quando res quædam ex alio loco mediante vi quadam motrice alterius trahentis movetur, ut huic propius adjungatur. Dividi poteſt in *manifeſtam*, quæ etiam proprie talis eſt, quando trahens principium externum in ſenſus incurrit una cum modo tractionis, eſtque vel naturalis, vel artificialis. Ita manu res attrahimus; aut labiis infantes alliciunt lac e papilla, quæ attractionis ſpecies *ſuctio*, ἐκμύζησις, dicitur: Ita, quando ore attrahimus inſpirando aërem, ſpecialiter *Epiſpaſmus*, ἐπισπασμὸς, Hippocrati vocatur, 5. *in* 6. *Epid. t.* 32. Sic inſtrumentis etiam variis perfici ſolet attractio artificioſa: & in *occultam* & *intrinſecam*, veluti impropriam, quæ etiam vel corpori & partibus attribuitur, qua de cauſſa *attractrix*, ἑλκτικὴ δύναμις, *facultas*, vel virtus excogitata fuit, cujus beneficio ſingulæ partes ſibi peculiares ſuccos nutritionis gratia appetere & attrahere valent, Galen. 5. *de L. A.* 1. vel etiam medicamentis, præſertim purgantibus, aliiſque rebus, magneti, ſuccino, &c. Verum poſteriorem hanc in univerſum, occultam ſcil. & intrinſecam recentiores rejiciunt, ceu commentitiam, & plane metaphoricam, ex aliis principiis evidentioribus rem ipſam declarantes. In ſpecie purgantium vim attracticem nos quoque impugnavimus *diſſ. de purgat. mod. ac viis ad alv.* & Joh. Nic. Pechlin. *tr. de purgantib.* Reliqua philoſophis ventilanda & dirimenda relinquimus.

ATTRACTIVUM, Paracelſo dicitur, quod natura præſtat, *de Therm. Piper. c.* 4. Item *Attractiva* dicuntur medicamenta, quæ vim ad ſe trahendi habent, ex ſimilibus etiam *attractivis* compoſita. Dorn. Rul. & Iohnſ.

ATTRACTORIUS, idem, quod *attractivus*, ἐπισπαστικὸς, vide *Epiſpaſticos.*

ATTRAHENS, ἐπισπαστικὸς, ἑλκτικὸς, vide *Attractio*, *Epiſpaſticus.*

ATTRITA dicuntur Plinio intertrigines Mercur. *de morbis puer. l.* 1. *c.* 1.

ATTRITIO, ἔκθλιμμα, παράτριμμα, dicitur ſolutio continui ſuperficiaria cuticulæ & cutis a compreſſione oborta, ita v. g. ex itinere pedes aut femora atteruntur. Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Coria vetera.* & *l.* 1. *de C. M. S. G. c.* 5. *Attritio* quoque eſt ſpecies *Cardialgiæ*, quando ventriculus ab aſſumto cibo, antequam excernitur, exæſtuans *atteri* videtur, cum anguſtia & compreſſione anhelitus, ut ſtatim præfocari videatur. Sennert. *Med. Pract. l.* 3. *part.* 1. *ſect.* 2. *c.* 15. Uſurpatur etiam *Attritionis* vox a modernis phyſicis & chymicis phyſiologice in declarando fermentationis negotio, ubi partes ab inteſtino motu agitatæ, præcipue craſſiores, ſalinæ & terreæ ſeſe atterunt & comminuunt, quemadmodum paſſim in eorum ſcriptis legitur.

ATUREB, i. e. *Vitrum Azazeze.* Rul.

ATYPOS, ἄτυπος, idem, quod ἄτακτος, *erraticus*; epitheton morborum inordinato modo invadentium, Gal. *de Typis c.* 4. Alias ἄτυποι quoque vocantur, qui non ſatis expedito plectro linguæ utuntur, quaſi aërem non ferien-

ferientes; nec verba ſatis apte conformantes aut exprimentes; cujus linguæ vitii ſpecies ſunt Iotaciſmus & Lambdaciſmus, de quibus Roſ. Lentil. *in Miſcellan. Medico-Practic. Part. II. ſub finem p. 646.* Porro ἄτυποι vocantur decenti membrorum forma carentes, uti patet e Budæi Lexico Græco Latino aliiſque.

AVANSIS, ἄυανσις, a verbo ἀυαίνεσθαι, exſiccari, areſieri, in genere *exſiccationem* ſignificat. Hinc etiam verbum ἀναυθεῖσαι de uteris præ labore exſiccatis uſurpavit Hippocr. *lib.* 1. *de morb. mul. XVI.* 5. Specialiter tamen ſubſtantivum plantarum refertur, ut idem ſit, quod γῆρας ſenium in animalibus. Fit enim utrumque ab immodica ſiccitate. Gal. *l.* 1. *de ſan. tu.* 2.

AVANTE, ἀυάντη, alii ἀυαντὴ, vel ſecundum Galenum ἀυαψὴ, ſpecialiter Hippocrati *morbus ſiccatorius* dicitur, deſcriptus *l.* 2. *de morb. LXIV.* 1. cujus cauſſa a fermenti in ventriculo aciditate valde volatili & flatulenta, nec non ſucci pancreatici conſimili vitioſitate deducenda videtur.

AUCHEN, ἀυχὴν, id eſt, *Cervix*, *Collum*, de quo ſuo loco.

AUCHMUS, ἀυχμὸς, id eſt, *ſqualor*, immoderatam ſiccitatem denotat. Frequenti in uſu apud Hippocrat. præſertim de anni temporum ſicciore conditione, v. g. *in lib.* 2. *Epid. t.* 4. de hyeme; in genere de omnibus anni temporibus, 3. *aph.* 7. & 15. Hinc adjectivum ἀυχμηρὸν, *ſqualidum*, de æſtate, *d. l. aph.* 13. de hyeme, *aph.* 11. Opponitur ἔπομβρον & ἐπόμβριαι, pluviarum copia *d. l.* Vide Dieterich. *n.* 132. Alias Joh. Martinus Profeſſ. quondam Regius Pariſienſ. *in prælectionibus ſuis ad Hippocr. L. de A. L. & Aq.* expoſuit vocab. ἀυχμὸς etiam de moderata ſiccitate auſtrali & boreali *p. m.* 17. 18.

AUCTIO, *Augmentatio*, ἄυξησις, idem, quod *Accretio*, proprie dicitur ſpecies illa nutritionis, quando corpora & partes, accedentibus de novo portionibus iis, e quibus antea conſtabant, virtute flammæ vitalis aſſimilatis ſecundum omnes dimenſiones augentur, accreſcunt uſque ad naturæ determinatam quantitatem. Charlton. *Oec. An. Ex.* 1. §. 1. Quæ vero extenduntur, nec tamen reficiuntur, ſpeciem falſæ *augmentationis* præ ſe ferunt. Gal. *l.* 1. *de nat. fac. c* 7. Hinc τὰ ἀυξανόμενα, *quæ augentur*, plurimum habere calidi nativi, & propterea plurimo indigere alimento dicuntur, 1. *aph.* 14. Improprie *Accretio* vel *Auctio* fit, quando in mixto quædam res heterogeneæ accreſcunt, aut agglutinantur, eſtque citra aſſimilationem. Fallopius *auctionem* proprie dixit, quæ fit a principio intrinſeco, impropriam vero, quæ ab externo *tr. de metall. ſive foſſil. c.* 8. *Tom. I. p.* 186. De *Accretione* duplici vid. Becheri *Oed. Chym. Tit.* 6. §. 1.

AUDACIA, τόλμη, vide *Tolme*.

AUDE, ἀυδὴ, vide *Vox*.

AUDITORIUS *meatus*, πόρος ἀκυστικὸς, eſt rotundum foramen, quod ad aures pertinens non ſolum uſque ad cerebri membranam pertingit, ſed etiam nervum auditorium contingit, qui in ipſum a cerebro deſcendit, Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6. quod & *cæcum foramen* dicitur, τυφλὸν τρῆμα, *l. de nerv. diſſ. c.* 6. Anterius claudit tympanum, ſive membrana tympani, interius complectitur præter oſſicula tympani, Malleum, Incudem, Stapedem, ipſas cavitates anfractuoſas, Labyrinthum, & Cochleam. Vide *Aures*.

AUDITUS, ἀκοὴ, eſt actio animalis externa, qua ſpecies ſonoræ, mediante aëre externo, ad auriculæ antrum exterius, deinde ad aërem inſitum & in antrum interius, labyrinthum, & cochleam delatæ a nervo auditorio ibidem implantato excipiuntur, & a ſpiritu animali percipiuntur. Vide Anatomicos, & ex recentioribus Th. Wiliis *de anim. brut. P.* 1. *c.* 14. D. Du Verney, Anatomic. Pariſ. celeberrimi, *tract. de auditus organi ſtructura, uſu & affectibus*, cujus etiam mentio fit *in Act. Erud. Lipſ.* 1683. Gunt. Chriſt. Schelhammeri Prof. in Acad. Julia librum de *Auditu*.

AUDITUS *gravitas*, *difficultas*, δυσηκοΐα, βαρηκοΐα. Vide *Surditas*.

AVERSIO, ἀποστροφὴ, Galeno idem, quod *Revulſio*. Vide *Antiſpaſis*. Gal. 2. *in* 6. *Epid. t.* 29. & 5. *aph.* 68. Verum admittit latiorem ſignificationem, dum *Averſio* in genere notat auxilium evertens motum materiæ morbificæ ad partem aliquam inconvenientem, cujus ſpecies ſunt Revulſio, Derivatio, Repulſio. Albertin. Botton. *l.* 1. *de morb. mul. c.* 28. *Averſio* quoque idem, quod nauſea. Hinc *averſus* ab omni eſca ſtomachus legitur apud Scribon. L. *n.* 186. *Averſionem uteri* vocavit Mercatus ejus motum ad varias partes factum, (quamvis fictitium potius, quam revera ita ſe habentem) & prolixius de hoc argumento egit *l.* 2. *de mul. affect. cap.* 12. *p. m.* 221. *ſeqq.*

AVES, ὄρνιθες, pertinent ad claſſem rerum non naturalium in Medicina, quatenus vel alimentum, vel etiam medicamentum præbent hominibus. Eo ſunt ſalubriores, quo ſicciori præ aliis animalibus præditæ ſunt temperamento, utpote aridioribus cibis gaudentes, paucoque potu utentes, Gal. 4. *in* 6. *Ep. t.* 26. *l.* 3. *de alim. fac. c.* 19. Specialiter *Avis Medica* dicitur *Pavo*, ob inſignem ejus vivacitatem, ut & utilitatem in Medicina, teſte Schröd. *Pharm. l. V. cl. II.* 1. *n.* 65. *Aves Cypriæ*, vel *Aviculæ Cypriæ*, dicuntur illæ *candelæ odoratæ* pro *fumo* ex maſſa trochiſcorum paratæ, quæ & *baculi* a forma oblonga dicuntur, quemadmodum paratur cera Hiſpanica vulgo dicta, varii coloris, ad obſignandas literas uſitatiſſima. Quæ Chymicis dicantur *Aves Hermeticæ*, & quid ſit *Avis*, quæ noctu volat ſine alis, videatur apud Dorn. *de tranſmut. metall. c.* 11. *in Th. Chym. Vol. I. p.* 725. *Vol. IV. p.* 355. Libav. *Tom. II p.* 333. De duabus *Avibus Hermeticis* videatur Senior de Chemia *in Th. Chym. Volum. V. p.* 206. 208. Rationem hujus appellationis hanc dedit Ral. quia in altum volat *as Hermetis*, & tamen iterum in terram propter nutrimenta deſcendit;

dit; unde nutrix omnium eſt *Terra.* In Lexic. Alchim. *Aviculæ Hermeticæ* ſunt Sal univerſale juxta Sendivogium ex rore colligendum. *Ephem. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. III. p.* 452.

AUGITES, αὐγίτης, eſt nomen gemmæ viride pallentis, vilioris topazio, quæ & *Callais* vel *Calais* alio nomine dicitur, Plin. *l.* 37. *cap.* 8. & Agric. *l.* 6. *foſſil. p. m.* 292.

AUGMENTATIO, vide *Auctio.*

AUGMENTUM, αὔξησις, ἐπίδοσις, ἀνάβασις, idem eſt, quod *Aſcenſus*, *Incrementum*, ceu Synonyma ſecundum tempus morborum denotantia juxta Galen. *l.* 1. *de Criſ. c.* 3. quando diſpoſitio p. n. magis magiſque ſeſe per ſymptomata interiora aut frequentiora exerit; ſpecialiter in febribus, quando calor febrilis una cum aliis ſymptomatibus ingraveſcit, *l.* 2. *de diff. febr. c.* 11. ſi cruor nimis efferveſcit, cum pulſu forti & vehementi; ſi vigiliæ, phrenitis, aut dolor capitis immaniter urgeant. Willis *de febr. c.* 11. Dicitur & ἐπακμή, & morbus in *augmento*, ἐπακμάζειν, Dieter. *n.* 29.

AUGURISTA, dicitur ſuperſtitionis artifex, qui ſuam artem in ſpeculis, cryſtallis & in aquis exercet, præcipue in volucrium cantu volatuque, ut ex eis præſagiat; aliorum etiam ritus ob eandem cauſam obſervat, Dorn. *in Dict. Par. Auguriorum* alias. Inventores diverſos notavit Theod. Janſ. ab Almeloveen *Rer. Inv. Onom. p.* 8.

AULOS, αὐλός, & diminut. αὐλίσκος. vide *Fiſtula.*

AURA, πνοή, idem, quod Exhalatio aërea, ſpiritus, vapor. Imprimis vero nonnulli modernorum hoc vocabulo delectantur, quibus ſcrupulum movet terminus *Flammæ* ad exprimendum principium vitale ſanguineum, ſive calidum nativum, ſecuti Helmontium, qui integrum tractatum conſcripſit & inſcripſit, *Aura vitalis.* Verum res omni caret difficultate. Alio enim reſpectu Flamma, alio vero Spiritus, Aura Vitalis, & alio rurſus aliter appellari poteſt.

AURANCUM, vel *Aurantum*, id eſt, *Teſtæ ovorum.* Rul. & Iohnſ.

AURARIC, id eſt *Mercurius*, idem, quod *Azoch.* Iidem.

AURATA, *Orata*, χρύσοφρυς, ἱερὸς ἰχθὺς, *piſcis ſacer*, ἰώνισκος, *piſcis* littoralis nomen eſt, qui teſte Athenæo *l.* 7. omnium ſuaviſſimus, palatoque gratiſſimus olim habebatur Vide Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 17. Bruyerin. *l.* 10 *de re cibar. c.* 1. J. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 10.

AURES, ὦτα, dicuntur auditus inſtrumentum, Galen. *de diff. inſtr. odor. c.* 2. &c. quæ frons ad tempora porrigitur, in ipſius terminis ſitæ ſunt. Dividitur *Auris* in *Externam* & *Internam.* Illa dicitur *Auricula*, τὸ ὠτίον, (vid. Joh. Rhod. *in Lex. Scrib.*) & gaudet membrana admodum ſenſili, a parte etiam poſtica Glandulis nonnullis Parotides dictis. (Unde & inflammatio circa illas glandulas vel abſceſſus eodem nomine indigitatur) *Auriculæ* pars ſuperior potiſſimum *Ala* dicitur; πτερύγιον, Ruffo; quamvis & toti auri externæ hoc nomen tribuatur; inferior *lobus*, λοβός. Partes minutiores *Alarum* ſunt quoad ambitum *Helix*, id eſt, *Anfractus*, & ſuperior poſteriorque tortuoſa & introrſum imbricata portio, cujus finem ἀντιλοβίδα dixerunt: & *Xyſter*, ξυστήρ. Huic oppoſita interior protuberantia *Anthelix*, ἀνθέλιξ, quaſi obanfractus dicta. Cavitas auris externæ interior *Scapha* appellatur, σκάφος, item *Concha*, Conchula, κογχίον. Conchæ oppoſita eminentia juxta temporis fines *Tragus*, τράγος; & altera huic adverſa ἀντίτραγος, *Antitragus*, dicuntur. Ad hanc, *aurem* nimirum *internam*, concurrunt ſeqq. partes, *Os petroſum*, λιθοειδὲς ὀστοῦν, in quo quinque foramina, quorum primum *Meatus auditorius*, πόρος τῆς ἀκοῆς, ἢ ἀκουστικὸς dicitur, Hipp. *l. de Glandul.* σκολιὸς πόρος καὶ στενὸς, & tres cavitates inſigniores, *Concha*, κόγχη, *Cochlea*, & *Labyrinthus*: *Tympanum*, membrana ſatis valida in extremitate circulo oſſeo munita; Tria oſſicula, *Malleus*, *Incus* & *Stapes*, quibus nonnulli addunt quartum, quod *Cochlear* appellavit Linden. *Phyſiol. Med. l.* 2. *c.* 12. §. 26. Vaſa ſanguinea, Nervus auditorius & Muſculi. Quæ omnia prolixius deſcripta reperire licet in ſcriptis Anatomicorum, & in ſpecie in H. F. ab Aquapend. *tr. de aure auditus organo.* Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 9.

AURES *cordis*, vel Auriculæ, τὰ ὦτα τῆς καρδίας, Hipp. οὔατα, *l. de cord. t. VI.* 2. ſunt duo ſinus minores membranoſiores, quam cor, concavi, in utraque cordis baſeos parte ſiniſtra collocatæ ad ſimilitudinem aurium, Gal. *l.* 7. *de adm. Anat. c.* 9. *&* 6. *de V. P. c.* 15. quarum dextra excipit ſanguinem e principio trunci venæ cavæ, & coarctata exprimit in ventriculum cordis dextrum; Siniſtra vero e principio venæ pulmonalis (alias Art. venoſa dictæ) recipiens per Syſtolen effert ventriculo cordis ſiniſtro, teſte Harvæo, primo circulationis ſanguinis vel inventore, vel reſtauratore, *Ex. de motu cordis & ſang.* Confirmantibus quoque hoc pleriſque omnibus recentioribus Anatomicis.

AUREUM *vellus*, dicuntur ſcripta Chemiæ de auro & argento, & libri in velleribus conſcripti. Robert. Vallenſis *de verit. & antiquit. art. Chemicæ* in *Theſ. Chym. Vol. I. p.* 19. ex Suida, quamvis in hoc de velleribus nihil reperire in Græco potuerim, ἐν τοῖς παλαιοῖς, in veteribus. Hoc nomine quoque Guil. Menens ſcriptum ſuum indigitavit *in Th. Chym. Vol. V.*

AUREUS *ramus*, etiam ſignificat *Chryſopœam*, ſive artificium, aurum faciendi. *Ibid. p.* 18. *Aureus* eſt quoque nomen ponderis idem ſignificans, quod ſolidus, i. e. Drachma una cum dimidia. Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p. m.* 885.

AURICHALCUM, idem, quod *Orichalcum*, vocatur æs illud factitium flavum, colorem auri præ ſe ferens. Unde & tropice vel myſtice *Hypocryſin* ſignificat. Vide Blaſ. Vigenerium *tr. de Igne & Sale c.* 47. in *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 76. Paratur vero ex cupro

mixtura lapidis calaminaris fuſo, quamvis colorem auro ſimilem intenſius acquirat, adjecta Marcaſita argentea & parva quantitate Tutiæ cum cupro fuſis. Jac. le Mort. *Metallurg. contr. p.* 271.

AURICOLLA, quaſi *Auri gluten*, quid ſignificet, vide *in Turba Philoſ. ſerm.* 24. *Th. Chym. Vol. V. p.* 20.

AURICULA, vide *Auris. Aures* Tropice etiam funguli illi frutici Sambuci adnati vulgo **holunder≠ ſchwämlein** / *Auriculæ Judæ* vocantur, quæ appellatio ad Botanicos pertinet.

AURICULARIUS, ὠτικὸς, epitheton Medici, Gal. *ad Thraſyb. c.* 24.

AURIGA, dicitur ſpecies faſciæ, ad latera deliganda, cujus deſcriptio videatur ap. Gal. *de faſciis n.* 100. In Anatomicis lobus quartus hepatis olim dictus etiam *Auriga*. vide *Focus*.

AURIGO, *Aurugo*, Scrib. Larg. *n.* 110. & *Aurigi-noſus*, vide *Icterus*.

AURIPIGMENTUM, vide *Arſenicum*.

AURISCALPIUM, ὠτογλυφὶς, inſtrumentum auribus purgandis deſtinatum, & aliis uſibus ad aures curandas accommodatum. Vid. Rhod. *in Lex. Scrib.*

AURIUM *abſceſſus*, vide *Parotis*.

AURIUM *affectiones* ſive *morbi*, τὰ ἐν τοῖς ὠσὶ πάθη, varii occurrunt, de quorum curatione legatur etiam Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L.*

AURIUM *dolor*, vide *Otalgia*.

AURIUM *igneus fervor*, vide *Pyroſis*.

AURIUM *inflammatio*, φλεγμονὴ ἐν ὠσὶ, ex natura inflammationum in genere intelligitur.

AURIUM *ſonitus*, *tinnitus*, vide *Tinnitus*.

AURIUM *ſordes*, vide *Cerumen*.

AURIUM *ſpeculum* vel *ſpecillum*, vide *Speculum*.

AURIUM *vermes*, σκώληκες ἐν ὠσὶ, vide *Vermis*.

AURIUM *ulcus*, *Aures exulceratæ*, ἕλκος ἐν ὠσὶ, ex natura ulceris innoteſcunt.

AURORA *ſurgens*, ænigmatica eſt locutio Spagyricorum, qua indicant Lapidis Philoſophici virtutem multiplicativam, quemadmodum unum frumenti granum multum fert fructum, *Th. Chym. Vol. I. p.* 169. Nomen *Aurora* quoque tropico ſenſu impoſuit alicui ſuo ſcripto Medico, *Auroram obſtetricum* vocans, Henricus Deventer Medicus Belga, cujus etiam meminit *in præfatione Novi ſui Luminis pro obſtetricantibus &c. c. IX. p.* 36.

AURUM, χρυσὸς, eſt metallorum omnium nobiliſſimum, ſolidiſſimum, colore flavum, ex principiis digeſtis, adeoque fixis compactum, potiſſimum Sulphure & Mercurio. Plura de *Auri* admiranda natura, principiis, generatione & affectionibus &c. videantur in Andreæ Caſſii tractatu, quem *Cogitata de principe terrenorum ſidere*, inſcripſit, præſertim *c.* 1. 2. 3. *ſeqq.* Dicitur *Rex Metallorum*, & *Solis* nomine, atque charactere ☉ a Chymicis inſignitur. Num vero tanta ſit vis & efficacia in corpus humanum, vel potius ſanguinem & ſpiritus Medica, non eſt hujus loci, prolixe ventilare. Videantur, quæ ſupra de *Argento* dicta ſunt. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* De *Auri* hiſtoria legatur Schrod. *l. III. c.* 9. & Fr. Hofm. *in Clavi ad ill. loc.* Rolf. *Diſp. de Auro, & Ord. ac M. Comm. l.* 13. *c.* 4. Plura de *Auro* invenies in omnibus ſex Voluminibus Theatri Chym. quæ loca quæras in Indice. Ceterum apud Chymicos ſeu veros, ſeu Sophiſticos & impoſtores non unum habetur *Aurum*, ſed varium. Eſt *Aurum vulgi*, quod & *Naturale*, diciturque per eſſentiam. Eſt aliud *Philoſophicum*, quod in opere magni myſterii, ſeu Lapidis Phyſicorum (qui & ipſe *Aurum Philoſophorum* dicitur) crebro occurrit. *Aliud* appellant *Medicum*, aliud *Magicum* & *Cabaliſticum*, ſed & *Aurum Muſicum* invenimus, & *Aurum vitæ* & *Sophiſticum*. Eſt *volatile* & *fixum*. Eſt *Diaphoreticum*, verba ſunt Libavii *S. A. Chym. l.* 2. *c.* 11. Deſcriptionem hujus *auri* propoſuit e recentioribus D. Stephanus Blancardus in vernaculo *de Chimia* ſcripto, *cap. vel ſect. III.* §. 11. Varias Auri potabilis præparationes collegit Iunken *in Lex. Chym. Pharm. p.* 1. *p.* 51. *ſeqq.* De *Sophiſtico Auro* vid. infra *Sophiſticatio*. De *Auro potabili* (quod fortaſſis citra injuriam *putabile* dixit Crollius) cui libet tempus terere lectione nugarum vel jactationum, adeat varia Chymicorum ſcripta. Judicium vero de his & ſimilibus *Aureis Medicinis* non ineptum legat apud Libav. *Apocalypſ. Hermet. Part. prior. C.* 19. *Aurum Horizontale* eſt *Mercurius* factus *Diaphoreticus dulcis*, ut mel & inſtar *Auri* fixus, Helmont. *tr. de Lith. c.* 8. *n.* 4. Vide *Horizontale*.

AUSTER, νότος, *Notus*, ventus ita dicitur meridionalis, calidus & humidus, morborum feraciſſimus, uti patet ex 3. *aph.* 5. Rationem reddidit Gal. *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 62. quia facit diſſolvere corpora, humoreſque fundere, adeoque putrefacere ſimul, præſertim ubi cum largioribus conjunctus ſit imbribus. Temporis anni diſpoſitio, in quo *Auſter* ventus frequentius flat, *Notia*, νότιος, vel *Auſtralis*, *Auſtrina* dicitur. Vide Dieter. *Iatr. num.* 578. 579.

AUSTERUS, αὐστηρὸς, *Auſter*, Scribon. Larg. *n.* 18. 8. dicitur de eo, quod terreſtris eſt naturæ, cum ſalinis tartareis permixtæ, vim habens adſtringendi, ab *Acerbo* ſola intentione diverſum, Galen. *lib.* 1. *de Sim. Fac. c.* 37. Ex hypotheſibus Carteſianæ Philoſophiæ *Auſterum* conſiſtere creditur in particulis obtuſangulis, hebetiori ſerræ adſimilantibus, Dolæus *Encyclopæd. l.* 1. *c.* 11. §. 11. *p.* 165. Habere etiam *Auſtera*, vim calculos producendi, quatenus glutinoſitatem & tenacitatem rerum fluidarum inferunt, oſtendit Fr. Sylv. *Pr. M. l.* 1. *c.* 55. §. 50. Eorum utilitatem tradit *c.* 13. §. 32. 37. 38. & alibi.

AUSTROMANTIA, alia eſt quædam ſuperſtitio excogitata ex ventorum obſervationibus, ut, quum aſtra ventorum in ſummam, ultra conſuetudinem, vehementiam erumpunt: Inde futuri præſagium homines otioſi magis, quam curioſi pronunciant, Dorn. *in Dict. Parac.*

AUTARCIA, αὐτάρκεια, eſt animi tranquillitas, qua quis ſua ſorte contentus eſt, & opponitur τῇ ἀπληςίᾳ Gal. *de dign. ac cur. an. morb. c.* 9. Vide *Apleſtia.*

AUTETES, αὐτέτης, vide *Autites.*

AUTHADES, αὐθάδης, arrogantem & ſuperbum ſignificat, qui præ ſe ceteros deſpicit: Vitium ingens in Medic. *l.* 26. Dicitur & ἰδιογνώμων, *contumax.*

AUTHEMERON, αὐθήμερον, αὐθημερὸν, i. e. *eo ipſo die*, apud Hipp. 4. *aphor.* 10. Dieter. *n.* 126. Hinc & medicamentum dicitur *Authemeron*, quod eo die, quo adhibitum eſt, medetur ac juvat; cujus generis duo habentur apud Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 2. ad lienis affectus. Dicitur & αὐθωρὸν, Gorr.

AUTHORITAS, ἀξιοπιςία, de Autoribus Medicis dicitur, quibus ſecure fides haberi poteſt, iis nimirum, qui non ob inanem gloriam, neque ex dogmatum amore compulſi, neque altercandi ſtudio irritati aliquid ſcribunt, judicio Galeni *de opt. ſect. ad Thraſib. c.* 14. τίς ἐςιν ἄριστος.

AUTITES, αὐτίτης, nonnulli αὐτέτης, epitheton eſt vini, vel, quod *hornum* dicitur, id eſt, hujus anni, quo bibitur, quaſi αὐτοετίτης, uti exponitur locus Hippocr. *lib.* 3. *de morb. XV.* 33. vel quod eſt *ſincerum*, non dilutum aqua, ἀπαράχυτον, quam ſignificationem urget Linden. *Sel. M. Ex. VII.* §. 24. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 109.

AUTOCINETOS, αὐτοκίνητος, αὐτόδρομος, dicitur de eo, *quod per ſe movetur*, apud Hippocr. *l. de hebdomad.* allegante Foëſ. *d. l.*

AUTOLITHOTOMUS, (rectius fortaſſis *Hautholithotomus*, aut ad imitationem vocis Terentianæ Heautontimorumenos, *Heautolithotomus*, vocatur ille, qui ſibimetipſi calculum ſectione exemit, quæ hiſtoria admiratione digna communicata a D. D. Reiſelio legitur *in Ephemer. Nat. Cur. Decad. I. Ann. III. Obſ.* 192.

AUTOMATOS, αὐτόματος, & αὐτομάτως, denotat *ſpontaneum, ſponte*, ultro, non alterius adminiculo, 1. *aph.* 2. 4. *aph.* 21. 6. *aph.* 5. Cur Dieter. triplicem conſtituerit ſignificationem *Iatr. n.* 130. non video neceſſitatem. Vid. & Linden. *Ex. XV.* §. 136. Frequenter etiam hodieque uſurpatur de horologiis, aliiſque machinis, quarum partes ita diſpoſitæ ſint, ut ſe invicem moveant.

AUTOPHOSPHORUS, αὐτοφωσφόρος, idem ſignificat, quod Phoſphorus, de quo infra ſuo loco; Legitur autem illud in Tenzelii *vernaculis Menſtruis Colloquiis Anno* 1692. *menſ. Octobr. p.* 837. Num vero Autor propria licentia hoc poſuerit, an vero ex alio Autore deſumſerit, mihi non conſtat.

AUTOPSIA, αὐτοψία, vocabulum erat olim Empiricæ ſectæ proprium, quo ſignificabant memoriam eorum, quæ frequenter & eodem modo viſa eſſent. Verum & hodieque ad Medicinam Dogmaticam, vel Rationalem ſumme neceſſaria eſt *Autopſia*, ceu eorum obſervatio & memoria, quæ proprio intuitu unuſquiſque inſpexit, Gal. *de partib. art. medic. cap.* 2. Sane per *Autopſiam*, ſive ocularem demonſtrationem, acceſſerunt hoc ſeculo quamplura inventa Anatomica, artem Medicam illuſtrantia, quibus carendum fuit veteribus, non ſine gravi detrimento. E recentioribus quoque hanc *Autopſiæ Medicæ*, (qua non ſolum per viſum, ſed & per reliquos ſenſus externos obſervata comprehendit) neceſſitatem & utilitatem egregia oratione h. tit. demonſtravit celeberrimus D. Paulus Ammannus Profeſſor Lipſienſis.

AUTOPYROS, αὐτόπυρος, ἢ αὐτοπυρίτης, eſt epitheton panis, qui & *Syncomiſtus*, συγκομιςὸς dicitur, quando totum triticum nulla detracta ſiliginea parte, ſed furfure ſolum ſecreto, in panificium cedit, ſic, ut inter furfuraceum & ſimilagineum medius ſit. Hic, qualem ex natura habet farinam triticum, talem etiam ſervat, Gal. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 7. Celſus *l.* 2. *c.* 18. deſcripſit, cui nihil ademtum eſt, ita, ut e farina paucis etiam furfuribus & utriculis confuſa paretur, exponente Guil. Pantino, *in comment. ad h. l. p. m.* 285. Vocatur *Panis domeſticus*, *ſecundarius*, *cibarius*, *confuſaneus.* Ionſt. *Synt. Med. p.* 45. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.*

AUTUMNUS, φθινόπωρον, dicitur anni tempus tertium poſt æſtatem, Arcturo oriente incipiens, & Vergiliarum occaſu deſinens, in quo humores & ſpiritus poſt præcedentem æſtum incipiunt defectionem pati. Hinc morborum feraciſſimus dicitur.

Autumnusque gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 19. *Autumno* morbi in genere acutiſſimi & pernicioſiſſimi familiares ſunt, imprimis vero phthiſis vel tabes, ex 3. *aph.* 9. & 10. Catalogum morborum *Autumnalium* vide *d. l. aph.* 22. Quid myſtice *Autumnus* dicatur in opere *Lapidis Philoſophici*, videatur in Magiſtr. Ortulani *Practic. Alchimic. & Mag.* Valentini *opere præclaro*, quæ extant in *Th. Chym. Vol. IV. p.* 917. 943. Imo etiam ipſe *Lapis Phil.* dicitur *Autumnus* ap. Lagneum *Harm. Chym. d. l. p.* 727.

AUVER, i. e. *Aqua pura vel levis.* Ruland. *in Lexic.*

AVULSUM, *Avulſio*, vide *Apoſpaſma.*

AUXESIS, αὔξησις, verbum αὔξεσθαι, vide *Augmentatio* & *Augmentum.*

AUXILIATIO, *Auxilium*, βοήθημα, βοήθεια, idem, quod *Remedium*, de quo infra ſuo loco. Scrib. Larg. *n.* 67. 106.

AXEA *commiſſura*, τροχοειδής. Vide *Trochoides.*

AXILLARIS *vena*, ἡ διὰ τῆς μασχάλης φερομένη φλέψ, quæ per axillam percurrens major humerali per totum brachium in ramos ſcinditur duos, ſuperiorem, inferiorem, externum, internum: Ille *vena hepatica*: hic *ſubalaris*, *baſilica*, & *vena cubiti interna* appellatur, Galen. *l.* 3. *de adm. anat. c.* 5. Eſt ergo *Axillaris vena* ſoboles inſignior venæ ſubclaviæ thoracis cavitate egreſſæ Ita & *Arteria Axillaris* dicitur *ſubclavia* thoracem egreſſa Anat. Barthol. *libell.* 2. *c.* 2. *p.* 652.

AXIOLOGOS, ἀξιόλογος, i. e. *effatu dignus.* Tribuitur etiam abſceſſui ab Hipp. *Coac. t.* 150.

AXIOMA, ἀξίωμα, vocatur propoſitio indemonſtrabilis, apud *Galen. l. 1. M. M. c. 4.* Illorum duo numerat in arte Medica Salvius Sclanus, ceu univerſaliſſimas propoſitiones, ſcilicet, quod ea, quæ ſunt præter naturam, debent amoveri, & ſic per contraria; & quod ea, quæ ſunt ſec. nat. debent conſervari, & ſic per ſimilia. *Comment. in 1. aphor. 16. p. m. 249.*

AXIOPISTIA, ἀξιοπιστία, vide *Authoritas.*

AXIRNACH dicitur adeps, qui generatur in tunicis palpebræ ſuperioris, & plurimum quidem accidit pueris. Albucaſ. *l. 2. M. M. cap. 10. p. m. 55.*

AXON, ἄξων, vide *Epiſtropheus.*

AXUNGIA, ἀξούγγιον, ἀξυγγία, ὀξύγγιον, Dioſcor. *l. 3. c. 104.* στέαρ *l. 2. c. 87.* ab axium unctione ita dicta, teſte Iſidoro Hiſpal. *l. 20. Orig. 2.* ſpecialiter quidem adipem ſuillum inveteratum denotat, juxta Gal. *l. 7. de C. M. S. G. c. 4.* uſu tamen receptum, quod in genere ſevum vetus, στέαρ χρονίζον, *Axungia* quoque dicatur, *d. l. 7. c. 5.*

AXUNGIA *de mamia*, quæ interdum etiam *Mumia de medullis* ſcripta reperitur, eſt *medulla oſſium.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

AYCOPHOS, id eſt, *Æs uſtum.* Ruland. & Iohnſon.

AZAA, i. e. *Magra, Terra rubra.* Iidem.

AZAGOR, h. e. *Viride æris.*

AZAMAR, *vermilionem* vel *minium* ſignificat. Rul. *in Lex.*

AZAMO, i. e. *Color Indus*, Rul. & Iohnſ.

AZANEC, i. e. *Armoniacus*, Iid.

AZARNET, dicitur *Auripigmentum*, Iid.

AZCI, i. e. *Atramentum*, Iid.

AZEC, i. e. *Atramentum viride*, Iid.

AZEDEGRIN, dicitur *Lapis hæmatites*, Iid.

AZEF, h. e. *Alumen ſciſſum*, Iid.

AZEG, i. e. *Vitriolum*, Iid.

AZEGI, h. e. *Aqua atramenti*, Iid.

AZEM, i. e. *Butyrum coctum*, Iid.

AZEMASOR, i. e. *Minium* vel *Cinabrium.* Rul. & Iohnſ.

AZENSALI, dicitur *lapis* quidam *niger*, qui in auro reperitur. Eſt etiam *muſcus* in *petris* creſcens. Rul. *in Lex.*

AZIMAR, i. e. *flos æris*, vel *æs uſtum*, Idem.

AZIUS, dicitur *Lapis*, ſuper quem ſal creſcit, Idem.

AZOB, dicitur *Alumen Saccharinum*, Idem.

AZOCH, *Azock*, *Azoth*, barbara ſunt vocabula Paracelſica, quibus inſignitur *Mercurius*, præſertim Philoſophorum, h. e. argentum vivum, ex quovis corpore metallico tractum, Mercurius corporeus, Rul. *Lex. Chym.* B. Rolfink. Non ens. Alias Paracelſo *Azoth* quoque appellabatur medicina univerſalis, ex Mercurio, Sole & Luna parata, rerum ſpeciem omnem exuta, & intentiſſimam induta vim, atque centralem quandam virtutem generaliſſimam, reliquas omnes medicinas in ſe concludens, non aliter, quam prima reliquas omnes ſubſtantias excluſis accidentibus. Hanc in enſis pomo concluſam, quocunque locorum ierit, geſtaſſe ſecum perhibetur, Idem. De Eliæ Johannis Hesling *Azoth* legatur Fr. Hofm. *ad Schroder. l. 3. c. 15. §. 22. p. 226.* audactius exprobravit ejus uſum Iunken. *Chym. Experim. Part. 1. ſect. 5. c. 1.* Vide *Lapis Philoſophorum.* Junge *Theatr. Chymici Vol. IV. p.* 401. 409. 523. 727. 729. &c. *Azoth* idem eſt, quod *Liquor ſublimati Mercurii*, ſive argenti vivi, (id eſt, vulgaris hydrargyri vitriolo & ſale juncti & ſublime acti) qui etiam vocatur *Aqua permanens*, *Cryſtallus Philoſophorum*, *Luna Phyſica*, & quocunque alio nomine myſtico appellari ſolet, Libav. *S. Ch. Arc. l. 3. c. 14.* Adde *Theatr. Chym. d. l. p.* 901. B. Ettmüller in quinque claſſes diſpeſcuit ſignificationes vocabuli *Azoth*, docens (1) notare Mercurium metallicum ex perfecto metallo reſuſcitatum. (2) Mercurium Philoſophorum duplicatum, ſive *Rebis* Sulphure ſolari & Mercurio univerſali conſtans, de quo illud vulgare circumfertur: Ignis & *Azoth* ſufficiunt. (3) Juxta nonnullorum ſententiam remedium ſummum ex Mercurio, Sole & Luna paratum. (4) Mercurium fixatum in igne, non deſtructibilem, qui proximus eſt gradus ad lapidem Philoſophorum, qualem fuiſſe ſuum Azoth falſo olim Heslingius affirmavit, cum ſaltem fuerit vehemens Emetico-Catharticum Mercuriale. (5) Summam illam Medicinam univerſalem & Panaceam Paracelſi in capulo enſis geſtatam, ab omni particulari deſtinatione ſeparatam, & vim omnium rerum in ſe concentratam habentem. An vero hæc ex naturalibus viribus mediante artificio ita exaltatis tale fuerit Catholicum remedium, citra ſuſpicionem magiæ dæmoniacæ, aliis peritioribus dijudicandum permittimus. Legitur & deſcriptio *Azoth* compoſiti apud Fumanell. *de Peſtis curatione c. 24.* & *Azoth* Auri factit. in Morley *Collect. Chym. Leidenſ. c. 81.* de *Azoth* ſive ſale Hermetico Chr. Ad. Balduini videatur ejuſdem Inventum X. *in Hermete ſuo curioſo.* Mercurium præcipitatum ſubrubrum, quibuſdam *Azoth* dici, notavit & deſcripſit illum in *Chym.* J. A. F. R. *l. 5. ſect. 6. c. 3. p.* 367.

AZRAGAR, i. e. *viride æris*, Rul. & Iohnſ.

AZUB, dicitur *Alumen*, Iidem.

AZUBO, dicitur *vas chymicum*, Id.

AZUC, h. e. *corallus rubeus*, Id.

AZUMEN, i. e. *pondus baccatum*, Id.

AZURIC, h. e. *vitriolum rubrum*, Id.

AZURIUM, dicitur maſſa quædam dura Chymica, facta ex duabus partibus Mercurii, tertia parte Sulphuris, & quarta ſalis ammoniaci, Alberti Magni *Chymia* in *Th. Chym. Vol. II. p.* 437.

AZYGES, ἀζυγὲς, dicitur quoque *os Cuneiforme*, Gorr. Vide *Sphenoides.*

AZYGOS, ἄζυγος, id eſt, *ſine pari*, dicitur vena quædam, quæ eſt propago venæ cavæ ex trunci ſuperioris parte dextra, plerumque inter quartam & quintam coſtarum

ſtarum radicem enata, juxta dorſi vertebras deſcendit, ſpaciiſque intercoſtalibus, præſertim octo inferioribus, ramos largitur, tandemque inter acuta diaphragmatis principia duplici extremo terminatur. *Sine pari* dicitur, non quod nullæ reſpondeant arteriæ intercoſtales, quod voluit C. Hofmann. *c. in Galen. l.* 16. *de V. P. n.* 1114. ſed quod parem e ſiniſtra venæ cavæ parte natura non formaverit propaginem; quamvis interdum naturam, omiſſa etiam dextra ἀζύγῳ, ex ramis ſubclaviis prope mammarias binas venæ ſine pari æmulas propagines, quemadmodum in brutis ruminantibus ramos intercoſtales & lumbales emittentes produxiſſe, experientia rerum magiſtra Anatomicos docuerit. Quod Galenus ſemper ſub corde exortam venam *Azygon* obſervaverit, *lib.* 5. *de L. A. c.* 2. noſtro vero ſeculo propter thoracis brevitatem ſupra cor & pericardium exoriatur, ad quintam plerumque thoracis vertebram, quemadmodum Gorræus & Caſtellus ſcripſerunt, nugæ ſunt, cum ipſe Galenus quoque illam ſupra cor originem aliquoties confeſſus ſit, demonſtrante Bauhino *l.* 2. *Theatr. cap.* 18. *in notis.* Quemadmodum & hoc principio circulationis ſanguinis repugnat, quod per hujus venæ ramulorum orificia aperta materia pleuritica effundatur, cum affluxus per venas nullus fiat ad partes, ſed per arterias.

AZYMAR, id eſt *Vermilio.* Rul. *in Lex.*

AZYMUS, ἄζυμος, id eſt, *fermenti expers.* Rhod. *in Lex. Scribon.* In ſpecie de pane non fermentato dicitur, qui nemini prorſus eſt accommodus, Galen. *l.* 1. *de alim. fac. c.* 2. Verum cum ex hodiernis principiis innotuerit *Fermentationis* etiam humorum, præſertim ſanguinis, neceſſitas pariter & utilitas, ejuſdem defectum quoque per *Azymiam* exprimere quidni liceret? cum & Plato in Timæo carnem quandam ἄζυμον appellare non dubitaverit?

B.

BABUZICARIOS, βαβουζικάριος, idem, quod ἐφιάλτης, Latine *Incubus*, à βαβάζω, inarticulate loquor. Vide *Ephialtes.*

BACAR, idem, quod *pondus.* Rul. *in Lex. Chym.*

BACCA, κόκκος, hac voce appellantur fructus malis minores, qui conjunctivi quidem creſcunt, ſed, quam acini, diſperſius rariuſque, v. gr. lauri, olivæ, aliaque ejuſmodi.

BACCHUS, βάκχος, præter vulgarem ſignificationem, qua Deaſtrum Gentilium vini præſidem notat, nomen eſt quoque piſcis cujuſdam. Vide *Mugil.*

BACHARIS, βάκχαρις, vox Hippocratis & unguentum aliquod Lydium notat, ex Galeni exegeſi λύδιόν τι μύρον.

BACULUS, vide *Aves. Baculi* quoque dicuntur quædam medicamenta pectoralia in trochiſcorum conſiſtentiam, ſed in formam oblongam inſtar bacilli redacta, ut *Baculi* pectorales Francofurtenſium, quorum deſcriptio legitur in Joh. Helfric. Iunken *Corpore Pharmaceutico Chym. Medico part. prior. ſect.* 3. *c.* 6. *p.* 358. *Bacillus* etiam dicitur inſtrumentum, cui ſpongiæ alligantur, apud Hildan. *l. de ichor. & melic. c.* 29. Dicuntur & *Baculi* & *Bacilli ferrei*, variæ formæ, Rul. *in L. Ch.* uncinati, ſucula incluſi &c.

BADISIS, βάδισις, inceſſus, vel *ambulatio* dicitur, eſtque actio crurum. Gal. *l.* 1. *M. M. c.* 6.

BÆOS, βαιὸς, *paucus*, idem, quod ὀλίγος, Hipp. *in Lege.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 128.

BAIAC, id eſt, *Ceruſſa*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

BALÆNA, perperam *Balena*, φάλαινα, piſcis eſt grandior, ex *Cetaceorum* genere, multo ſanguine calente præditus, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 9. fiſtulam in capite pro aëris attractione & aquarum ejectione habens, & in hoc differens à piſce, *Muſculus* dicto. Carnem habet duram & excrementitiam, propterea cum acrioribus condimentis debet comedi, Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31. Videatur & de *Balæna vera* & *vulgo dicta* Rondelet. *de piſc. l.* 16. *c.* 11. 12. *ſeq.* Aldrov. *lib.* 1. *de Cet. c.* 2. Bruyerin. *de re cibar. l.* 22. *c.* 3.

BALANDINA, dicitur *lapis factitius*, compoſitus ex argento vivo ferri, & eſt coloris rubei valde, & reſplendet ratione ſulphuris decocta &c. Lull. *de animæ tranſmut.* in *Th. Chym. Vol. IV. p.* 190.

BALANUS, βάλανος, vide *Glans.*

BALASIUS, aliis *Ballaſius lapis*, vel gemma eſt, purpureo ſeu roſeo colore rutilans ~~&~~ flammeſcens, à nonnullis *Placidus* dictus. Eſt tertia ſpecies *Carbunculorum* in Calceolarii *Muſ. ſect.* 3. *p.* 237. Pluries etiam compertum eſt, quod exterior pars unius lapidis repræſentet *Ballaſium*, interior carbunculum, & ex hoc dicitur, *Balaſium* eſſe domum carbunculi. Ejus virtus eſſe dicitur, quod varias cogitationes ac luxuriam auferat ac reprimat; conciliet amicorum diſcordias, & ſanitatem corpori humano inducat; in ſpecie tritus & potus cum aqua oculorum infirmitatibus medeatur, & hepatis doloribus ſubveniat. Quod vero domus, viridaria, aut vineæ, ſi lapide quatuor anguli tangantur, à fulgure, tempeſtatibus, & à vermibus immunes reddantur, non tam mirum dicendum, quam nugatorium. Rul. *in Lex. Chym.*

BALBIS, βαλβὶς, ſignificat cavitatem oblongam cum repagulo, juxta Foëſ. *in Oecon. p.* 118. Unde βαλβιτώδης legitur apud Hippocr. *in Mochlico*, vel juxta Linden. *de oſſium natura, IV.* 8. de parte brachii verſus cubiti gibbum extrema, qua excipit veluti in ſinum proceſſum cubiti, quod dicitur κορώνη ſive cornix, cum manus eſt extenſa. Alias etiam ſignificat Heſychio locum, in quo equeſtre exercitium tractari ſolet, quod non eſt hujus loci.

BALBUTIES, τραυλότης, τραυλισμὸς, ψελλότης, ψελλισμὸς, eſt vitium vocis humanæ, vel ſermonis, proveniens à linguæ affectu vel connato, vel adſcito. In genere ſignificat omne impedimentum linguæ; in ſpecie vero vel hæſitationem, quando alii in loquendo nunc ſubſiſtunt, nunc ſermonem præcipitant, quod Græce

Græce etiam dicitur *βατταρίζειν*, vulgo ſtottern / ſtamlen / id quod à linguæ nimia immobilitate & ligamentorum ejus laxitate deducendum eſſe credit C. Hofm. *l.* 3. *Inſt. c.* 138. §. 1. vel ineptitudinem exprimendi literas quaſdam, præſertim caninam R, cujus cauſſam in ſiccitatem ligamentorum linguæ & hujus brevitatem refert idem; quamvis mihi non videatur rem acu tetigiſſe, cum in expreſſione lit. R lingua potius retrahatur & attollatur verſus palatum, non vero ad dentes extendatur, quod vitium etiam *Blæſitas*, & *Blæſa lingua* appellatur, vulgo liſpeln: vel quando pleno ore loquuntur, *Balatrones* & *Bambaliones*, dicti, vulgo, als wenn ſie Brey im Maul hätten / vel, uno vocab. Brey-Maul / cujus cauſſa in laxitate & humiditate nimia linguæ & ligamentorum conſiſtere videtur: Hinc etiam diarrhæis facile capi, docet Hippocr. *6. aph.* 32. Jung. Dieter. *n.* 837. C. Hofm. *d. l.* Vide ſupra *Atypos* & *Iotaciſmus*, *Lambdaciſmus*.

BALITISTERA, id eſt, *Terra rubra*. Rul. & Iohnſ.

BALLISTÆOS. Vide *Aſtragalus*.

BALNEABILIS eſt epitheton aquarum ſalutarium, quæ extrinſecus corpori adhibentur & potabilibus opponuntur: Quæ diſtinctio occurrit in Jac. Franciſc. Vicarii D. in Acad. Friburg. Prof. Publ. *Hydrophylacio*, ſicut legitur in *Act. Erudit. Lipſ. menſ. Dec.* 1699. *p.* 541. *ſeq.*

BALNEUM, *Balneæ*, *λουτρὸν*, *βαλανεῖον*, *Balineum*, Scrib. Larg. *n.* 214. vide Rhod. *Lex. Scrib.* eſt res non naturalis externa, & remedium corpori potiſſimum lavando, detergendo, quin & ad ſudationem deputatum. Cum ſimpliciter dicitur, *Balneum aquæ dulcis* intelligendum eſt. Tempore Hippocratis in Græcia non adeo frequenti fuiſſe in uſu teſtatur Gal. 3. *de R. V. I. A. t.* 44. & *c.* 3. *de iis, quæ in medic. t.* 32. At apud Romanos nimia luxuries in apparatu *Balneorum* fuerat, de qua legatur Lang. *l.* 1. *Ep.* 50. Jung. Gorr. *in def.* Dividi ſolent in *Naturalia* & *Artificialia*. De illis vide *Thermæ*. Hæc iterum in *Calida* & *Frigida*. *Balneorum* utilitas ampliſſima in omnis fere generis morbis, maxima vero redundat in corpora tabida, niſi alia quædam ſontica impedimenta obſtiterint. Plura videantur apud Dieterich. *Iatr. n.* 508. *Laconicum* dictum vaporoſum potius eſt, & *Sudatorium*, vel *Æſtuarium* rectius, quam *λουτρὸν*, aut *Balneum* dicendum. De hoc Rolfink. *Ord. ac Meth. l.* 6. *ſ.* 1. *c.* 10. De hujus apparatu veteri lege ſis Rhodii *notas ad Scrib. Larg. n.* 60. De *Balneis voluptuoſis*, v. g. Darii, videatur etiam Henricus de Rochas, *tract. de Aq. ſulphureis c.* 1. in *Th. Chym. Vol. VI. p.* 728. Præter hanc ſignificationem *Balneum* quoque ſignificat inſtrumentum vel furnum deſtillationibus præprimis deſtinatum, eumque geminum: unum dictum *Mariæ*, vel *Maris*: alterum *Roris* vel *Vaporis*. Illud eſt, quando res diſſolvenda in conveniente vaſe aquæ calidæ in ſuo aheno contentæ imponitur, & ita operatio deſtillatoria perficitur. Cui quodammodo reſpondet *Balneum ſiccum* dictum, quando capella arena, cineribus aut limatura martis repleta eſt. Hoc vero vocatur, quando vas rem diſſolvendam continens, vel etiam res ipſa diſſolvenda aquam non contingit, ſed ſaltem à vapore aſcendente diſſolutio fit. Dorn. *in Dict.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 39. 40. Vide *Furnus*, *Deſtillatio*. Eſt & *Balneum arenæ*, cujus uſus eſt ad mundationem argenti vivi factam per elevationem, & mentio ejus fit in Auguſt. Panthei *Arte & Theoria transmutationis metall. Port.* 2. *c.* 3. in *Th. Chym. Vol. II. p.* 532. Aqua regiā etiam dicitur *Balneum Minerale Regis*, ſive aqua pugilum. Morl. *Coll. Chym. Leid. c.* 64.

BALSAMATIO, in ſpecie ſumitur pro *conditura cadaverum*. Gr. *σμυρνισμὸς*. Vide *Conditura*.

BALSAMOSACCHARUM, eſt medicamentum compoſitum recentiorum fere conveniens cum elæoſaccharis, quamvis hodieque minus uſitatum. Meminit vero ejus D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 4. *p.* 246.

BALSAMUS, *Balſamum*, *βάλσαμον*, varias obtinet ſignificationes, proprias & tropicas. I. Strictiſſime & *κατ' ἐξοχὴν* dicitur de ſucco arboris alicujus in Arabia, præſertim ad metropolim Meccham, Judæa, Palæſtina cultæ, Arab. *Balleſſam* vel *Balſem* dictæ, qui ſuccus etiam *Opobalſamum* dicitur. Huic vicina & viribus affinia ſunt *Balſamum Tolutanum*, & *Indicum*, omnia nativa, de quibus legatur prolixius Schröder. *Pharm. l.* 4. *cl.* 2. *n.* 373. *ſeqq.* Jungatur Hofm. *in Clavi ad h.l.* & celeb. D. Joh. G. Volcameri tractatus, dictus: *Examen & ſinceritas Opobalſami*, & B. Rolfink. *Ord. ac Meth. Spec. l. XI. ſ.* 1. *c.* 6. *ſeqq.* Jungatur & Rhodius *ad Scribon. n.* 33. & Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ. V. p.* 637. *ſeqq.* Haud dubie & Galen. horum aliquod intellexit *l.* 6. *de Sim. Fac.* II. ſignificat medicamenta artificialia valde ſuaveolentia & penetrantia, ſpirituoſa virtute prædita, interni & externi uſus, liquidiora, quæ recte quoque *Balſamelæa* dici poſſunt: aliquando etiam deſtillata, & ſolidiora, inſtar craſſioris unguenti parata, quorum varias formulas paſſim in Medicorum libris Practicis reperire licet. *Balſamorum artificialium* ſignificationem egregie explicavit Celeb. D. D. Wedel. *Pharmac. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 7. *Balſamum mortuum* vocatur liquor ex Aloe & Myrrha in ſpiritu vini diſſolutis factus, quo cadavera imbibuntur & ſiccantur. Morl. *coll. Chym. Leid. c.* 100. Ad improprias & tropicas ſignificationes referre libet III. quando *Balſami* nomen tribuitur à Chymicis *Salibus fuſis & liquatis*. V. G. *Balſamus* Salis gemmæ, Tartari (huc pertinet *Balſamus Samech* Paracelſi, cujus deſcriptio habetur in Morl. *Coll. Chym. Leid. c.* 469.) Saturni &c. Plures *Balſamorum* mineralium & metallicorum præparationes collegit Iunken *in Lex. Chym. Pharm. P.* 1. *p.* 59. *ſeqq.* IV. Tralatitia etiam eſt, quando de humoribus & ſpiritibus in corpore humano occurrentibus dicitur, v. g. portio ſanguinis glutinoſa ſive fibroſa calore fuſa, *Balſamus naturæ*, teſte Linden. *Sel. M. Ex. XI.* §. 93. Dorn. Rul. & Iohnſ. ſignificationes

Balſami

Balſami ita expoſuerunt : *Balſamum* eſt ſubſtantia corporum à putredine conſervans. *Balſamus* alias à nonnullis ſcribitur. Eſt *internus*, & *externus*. *Internus* in humano corpore temperatiſſima quædam eſt ſubſtantia, non amara, non dulcis, non acerba, neque ſal minerale, ſed ſal liquoris, quod à putrefactione validiſſime præſervat humana corpora. Dicitur etiam *Naturæ corporis gluten* temperatiſſimum. Brevius ſic definitur : Eſt ſalis interioris liquor, ſuum à corruptione corpus tutiſſime præſervans naturaliter. *Externus* vero *Terebinthina* vocatur à Paracelſo, nullam ignis violentiam paſſa, ſed digeſta. Item, eſt omne, quod celeriter ſanat, à Germanico ſermone ad chirurgiam adaptatum nomen, duabus dictionibus **bold zamen** / id eſt, *celeriter conjunctum*, (Ridicula ſane derivatio.) Dicitur etiam oleum ex omni corpore deſtillatum; & ad ſummum gradum puritatis adductum. *Balſamus de mumiis* eſt *Balſamus* de carne tractus. *Balſamus Elementorum* externus eſt *Liquor Mercurii externi*, alias *Mumia elementorum* externorum, & proprie rerum firmamentalis eſſentia, quam etiam nonnulli quintam vocant. *Balſamus corporis Hermetici* dicitur, habere ſingularem harmoniam cum corpore humano *in Aphor. Baſilianis Th. Chym. Vol. IV. p.* 328. *Balſamus Philoſophorum* eſt aurum potabile, *ibid. pag.* 788. Valde quoque improprie V. accipitur, quando aqua officinalis uſitatiſſima gravidis pro fœtu corroborando *Balſamus Embryonum* appellari conſuevit. Denique VI. nobis impropriiſſima videtur ſignificatio, quando de humore corporis noſtri excrementitio, puta bile flava, prædicatur, quod hæc ſit ſanguinis *Balſamus* verus, Ger. L. Blaſ. *Medic. gener. part.* 1. *l.* 2. *ſect.* 2. *ſubſect.* 1. *c.* 2. cui opinioni paradoxæ alii quoque moderni Doctores ſubſcripſerunt, nondum vero ſatis confirmarunt.

BALUX, item *Chryſamos*, vel rectius *Chryſammos*, χρύσαμμος, dicebatur olim Hiſpanis & Latinis arena aurea, e qua aurum conficiebatur, ex Plin. *H. N. l.* 33. *c.* 4. *Th. Chym. Vol. II. p.* 360: *tr. Mirandul. de Auro l.* 3. *c.* 1.

BAMAHEMI, ſunt curriculi ſupernaturalium. Dorn. *in Dict.*

BAMMA, βάμμα, idem, quod *Embamma*, de quo inferius ſuo loco.

BANAUSIA, βαναυσία, apud Hipp. ſumitur pro ſordida & illiberali, nec non quæſtuoſa profeſſione, vel arte, *l. de dec. orn. I.* 20. De circulatoribus & circumforaneis commode intelligi poterit.

BANGE ſive BENGI eſt remedium in forma pulveris, vel maſſæ in India Orientali apud Indoſtanos regni Magni Mogol incolas uſitatum pro ſcopo Venerem ſtimulandi, & paratum ex cannabis foliis & ſemine; quod ſi verum ſit, cannabis non erit Anti-Venereum. Confer Ad. Olearii *Itinerarium.* Meminit & hujus Itinerarii D. Ludovic. *Pharmac. diſſ. I. p.* 720.

BAOBAB, *Bahobab*, fructum proprie denotat, quo Æthiopes ad extinguendam ſitim utuntur, teſte Proſp. Alpino *de Plant. Ægypt. c.* 17. Fructui vero illi ſimilem lapidem deſcripſit quoque A. Chioccus *Muſ. Calceol. ſect. III. p.* 414. appellans *Baobab lapideum.*

BAPTISTERIUM, βαπτιστήριον, idem quod *Colymbethra*, vel *Dexamene*; de quibus vocabulis infra ſuis locis. Andr. Bacc. *de Therm. l.* 7. *cap.* 8. *p. m.* 450.

BAPTUS, βαπτὸς, eſt ſpecies lapidis bituminoſi, mollis, odore excellentis. A tinctura nomen accepit. Sunt enim, qui exiſtiment, anchuſæ radicem intinctam fuiſſe. Agric. *de nat. foſſil. l.* 4. *p. m.* 246.

BARACH *panis*, i. e. *Nitrum ſalis.* Rul. & Iohnſ.

BARAS, vide *Albaras. Baras* legitur in M. Aur. Severini *Pyrotechnia Chirurg. l.* 2. *part.* 1. *c.* 36. Idem quod *Alphus*, *Leuce.*

BARATHRUM, βάραθρον, dicitur *Antrum.* Vide *Charonium.*

BARBA, πώγων, eſt pars viri ſecundaria, piloſa, & ad genas, eo jam perfecto, in mento proveniens: Una enim eſt ex iis, quæ ὕστερα μόρια, h. e. *poſtgenitæ partes* appellantur, quales ſunt dentes, & pili. Oritur vero ab humoribus nutritiis calidioribus & ſiccioribus. Dividitur *Barba* in ſuperiorem, quæ ſub naribus in ſuperiori labio progerminat, & μύσταξ, *myſtax*, vel προπωγώνιον & ὑπορρίνιον vocatur; & inferiorem, quæ πάππος vel ὑπήνη dicitur. Prima lanugo erumpens Græcis dicitur χνοῦς. Gorr. *in def. voc.* πώγων *p.* 399. Ad provocandos pilos in *barba* eadem conferre medicamenta, quæ in alopecia curanda commendantur, teſtatur Gal. 5. *in* 6. *Epid. t.* 4. *Barbam* ſingulare ornamentum eſſe virorum, & venerabundos facere, docet idem *l.* 11. *de V. P. c.* 14. ad quem loc. vide C. Hofm. *in comment. n.* 825. *ſeqq.* Interim mulieres dari barbatas obſervationes teſtantur, quo etiam pertinet Rhod. *Cent. III. Obſ.* 40. Barbam v. primum ſibi raſiſſe Corſen, ex Cœl. Rhod. *Ant. Lect. l. IV. c.* 2. & *Barbæ* tonſores e Sicilia primum Romam duxiſſe Publ. Ticinium, ex Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 5. *c.* 18. notavit Ch. Ianſ. ab Almelov. *Rer. Inv. Onon. p.* 9.

BARBARUM, *Barbara*, Scrib. Larg. *n.* 207. βάρβαρον, eſt epitheton emplaſtri glutinantis ad vulnera cruenta & ſanguinem fundentia, (unde & emplaſtra hæc & vulnera ipſa ἔναιμα appellantur,) bitumen recipientis & ita ſiccioris, ut videre eſt apud Galen. *l.* 4. *de C. M. S. G. c.* 22. Jung. Rhodium *ad Scrib. l. c.*

BARBUS, μυσθὸς, *Myſthus*, dicitur piſcis quidam vulgo etiam notus, in fluviis potius, quam lacubus occurrens, à quibuſdam, v. g. Cardano & Platina, inter cibos nullius pretii relatus; ab aliis vero, ut Geſnero & Salviano, cibis concoctu facilibus & boni ſucci annumeratus. Ova ejus vim habere venenatam, & quidem colliquativam, teſtantur obſervationes apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 16. ubi plura de hoc piſce. Adde Jul. Alex. *l.* 15. *Salubr. c.* 7. Bruyerin. *de re cibar. l.* 22. *c.* 18. Timæum de Guldenklee, *l.* 3. *caſ.* 7.

BARBADIA, id eſt, libra. Rul. & Iohnſon.

BARNABUS, *Barnaas*, ſalpetræ urinarium; urina ſalis petræ, item acetum acerrimum. Rul. & Iohnſ.

BARNACLES, eſt nomen avium peregrinarum in Lancaſtria, Ceſtria & Jugis Darbiæ occurrentium à D. Carolo Leigh, Anglo deſcriptarum *in Hiſtor. Natural. dictarum provinciarum l.* 1. *c.* 10. Vide *Acta Erud. Lipſ. A.* 1701. *in Novemb. p.* 514.

BAROMETRUM vel *Baroſcopium* vocatur modernis naturæ ſcrutatoribus inſtrumentum aliquod, in quo, mediante mercurio infuſo, aëris pondus & preſſio ſecundum minutiſſimas variationes obſervari & oſtendi poteſt, quale Rob. Boyle, Hookius, Cl. Dn. Sturmius & alii deſcripſerunt. His jungi poterit ſuccincta de iis relatio *in Actis Philoſ.* Oldend. *de anno* 1665. *in Februar.*

BARONES vocantur vermiculi in pinnis nati, quibus compreſſis illi exeunt. Vocantur & *Nepones.* Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p.* 885.

BAROS, βάρος, onus, *Barys*, βαρὺς, *Gravis*, ſunt vocabula notiſſima in quotidiano uſu. In medicina tamen denotat moleſtiam & ſpeciem laſſitudinis, præcipue in artubus, v. g. in genubus, apud Hipp. 4. *aph.* 20. item de capite, Gal. *l. de odor. inſtr. c.* 4. De fœtu quoque cum multo mucore referto ad abortum proclivi legitur 5. *aph.* 45. vide Dieterich. *n.* 146. 148. & infra.

BARURAC, eſt *vitrum.* Ruland.

BARYECOIA, βαρυηκοΐα, *obauditio*, obauditus, imbecillitas eſt auditus. Dicitur & δυσηκοΐα. Vide *Surditas.*

BASALTES, βασάλτης, eſt *lapis* multangularis, colore ferri, duriſſimus, ut non facile ſecari, aut vulnerari poſſit. Gorr. *p.* 72.

BASANISMUS, βασανισμὸς, ἡ βάσανος, à verbo βασανίζειν, *explorare*, probare, diligenter conſiderare, ſignificat examinationem, inveſtigationem, probationem, apud Gal. *l.* 3. *de Temp. c.* 6. Verbo vero uſus eſt Hipp. *l. de humid. uſu I.* 25. Commodiſſime vero uſurpatur de medicamentis aut remediis, de quorum virtute nondum conſtiterit, ſed noviter inveſtigantur. Dicitur & βάσανος à quibuſdam *coticula* illa, in qua aurum & argentum attritum colore, tanquam trutina, examinatur, *lapis lydius*, vulgo Probierſtein. De hoc vocab. vide plura apud Libav. *in Defenſ. Syntagm. Act.* 2. *not.* 37. Dicitur & ars probandi metalla *Docimaſtice*, de quo vocab. vide ſuo loco.

BASANITES, i. e. lapis mortariorum medicinalium; item lapis, ex quo fiunt cotes ferrei coloris & duritiei. Joſ. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 108.

BASCANON, βάσκανον, Faſcinum, vide *Faſcinum.*

BASIATIO, vide *Amplexatio.*

BASILARE *os*, vide *Cuneiforme os.*

BASILEION, βασίλειον, eſt *collyrium* σμηκτικὸν; ad principia ſuffuſionum, omnem viſus hebetudinem & cicatrices efficax, apud Aët. *l.* 7. citante Gorræo, *d. l.*

BASILICA *vena*, vide *Axillaris.*

BASILICUM, βασιλικὸν, præter ſignificationem Botanicam, quam in Pinace Bathini, aliiſque herbariis invenire licet, epitheton eſt emplaſtri officinalis, quod alias *Tetrapharmacum* dicitur à quatuor ſimplicibus, e quibus paratur. Occurrunt & hujus nominis emplaſtra apud Celſum *l.* 5. *c.* 19. & Scribon. Largum, teſte Gorræo *in def.*

BASILIDION, βασιλίδιον, eſt *Collyrium* ψωρικὸν; diverſum à ſuperiori. Deſcribitur à Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *ad fin.* Gorr. *d. l.*

BASILISCUS, βασιλισκὸς, dicitur eſſe ſerpens venenatiſſimus, parum flavus, tres in capite eminentias habens, qui tantummodo conſpectus, &, quando ſibilat, auditus, videntes ſe & audientes necare, imo, ſi animal quoddam illum etiam mortuum attingit, ſtatim mori fertur, ut eſt apud Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 8. Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 1. *in Schol.* Plura de *Baſiliſco* vide apud Aldrov. *l.* 2. *de ſerp. & drac. c.* 2. Sennertus *Med. Pr. l.* 6. *p.* 8. *c.* 12. *Baſiliſci* nomine duo animalium genera venire dicit, ſerpentem & avem ex ovo galli gallinacei natam; & illum in rerum natura eſſe veneno potentiſſimo præditum. Plura legantur de *Baſiliſco* in *Ephemerid. Naturæ Curioſorum Anni Tertii Obſ.* 128. & 190. *Baſiliſcus* myſtice dicitur alchymiſtis *Mercurius Philoſophorum ſublimatus*, Libav. *in Syntagm.* Lullius vero peculiarem lapidem ſpagyrice confectum *Baſiliſcum* vocavit, qui mercurium occidit, & in perfectum argentum abſque igne congelat & figit, Guido de Monte *tr. de Aldrop. Phil. in Th. Chym. Vol. VI. p.* 563. Alias & ipſe lapis philoſophicus *Baſiliſcus* vocatur apud Lagneum *in Harmon. Chym. Vol. IV. p.* 727. Imo fuerunt, qui materiam lapidis Phil. ſtatuerunt, eſſe pulverem animalis *Baſiliſci*, uti patet ex *Vol. III. p.* 150. *Baſiliſci* nomen etiam à Paracelſo tribuitur lui Venereæ *in Chirurg. l.* 3. *c.* 1.

BASIOGLOSSI, βασιόγλωσσοι vocantur duo muſculi ab oſſe hyoide vel ypſiloide oborti & medium linguæ deſinentes, unde *par ypſiloideum* vocantur. De quibus vide Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 13. *p.* 550.

BASIS, βάσις, in genere *fundamentum* ſignificat; in ſpecie dicitur, de latiore parte cordis, & ſuperiori, cui ad latera binæ auriculæ adhærent, appellatur & κεφαλὴ, *caput*, vertex, Gal. *l.* 6. *de V.P.c.* 7. cui opponitur inferior & anguſtior, apex, aut *mucro* dicta, κορυφὴ καὶ πυθμὴν: 2. de medicamentorum compoſitorum potiori parte, ſive illo medicamento ſimplici, uno vel pluribus, quæ reliqua vel quantitate vel viribus ſuperant, unde compoſitum plerumque denominationem ſortitur: 3. apud Hipp. quoque *plantam pedum* ſignificat, *l. de artic. ſect.* 3. *t.* 103.

BASIUM, φίλημα, idem quod *oſculum*; allegorice ſignificat tincturam extemporaneam Martis & Veneris, ſive chalybis & cupri, à Cloſſæo excogitatam, apud Schröder. *Ph. l.* 3. *c.* 11.

BATHMIS, βαθμὶς, βαθμὸς, dicitur ſedes, baſis, ſinus, & *receſſus oſſis*, in quem alterum os inſeritur, v. g. de

de cubiti cavitate ſigmatoide, in quam ima brachii pars cardinis modo immittitur. Hippocr. 1. *de fract. t.* 10. *Bathmoides* etiam vocantur ſinus ac cavitates in brachiis utrinque ſingulæ, in quas extendentibus totam manum & flectentibus cubiti ipſius proceſſus, *coronæ* dicti, ingrediuntur. Gal. *l.* 2. *de Uſ. Part. c.* 15.

BATHRUM, βάθρον, βάθριον, ſedem, ſubſellium, ac fundamentum ſignificat; in ſpecie *ſcamnum chirurgicum*, luxatis partibus reſtituendis valde idoneum, denotat, cujus deſcriptionem & iconem videre licet ex Oribaſio *de Machinam.* apud Gorræum. Vocatur *ſcamnum Hippocraticum*, βάθρον ἱπποκράτειον, Gal. 1. *de artic. in proœm.* Clarius adhuc deſcripſit, modumque utendi egregie monſtravit Scultet. *Armam. Chirurg. P. I. Tab. XXIII. fig.* 5. *& Tab. XLVI. XLVII. & L.* Metaphorice etiam tribuitur aëri, quod lunæ ſit ſedes, ap. Hippocr. *l. de flatib. V.* 22.

BATHYS, βαθὺς, fuit olim epitheton caſei præſtantiſſimi & optimi, qui Romæ apud divites in deliciis habebatur. Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 17.

BATIA idem, quod *Retorta*, ſive *Cucurbita* colli recurvi. Morley *Collect. Chym. Leidenſ. prolegom. c.* 2.

BATITURA, vide *Battitura.*

BATOS, βάτος, idem, quod βατὶς, piſcis genus denotat, *Rajæ* nomine Latinis veniens, à βάτος, quod rubum ſpinoſum ſignificat. Aculeos enim habent Rajæ leves, λειόβατοι, quidem in ſola cauda extrema, aſperæ vero multo plures. Rondelet. *l.* 12. *de piſc. c.* 2. *ſeqq.* Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 48. *ſeqq.* Linguam *Rajæ* uſurpavit Hipp. in peſſo ad menſium redundantiam. *l. de Nat. mul. LXVIII.* 3. 4. *Monſtroſæ Rajæ* aſperæ baſiliſci ad inſtar iconem videre licet in *Muſ. Calceol. ſect.* 1. *p.* 91. ubi ſimul elegans morale de his piſcibus ex Olao Magno reperies.

BATRACHITES, βατραχίτης, eſt lapis, vel gemma ignobilior, bullæ inſtar, altera parte quodammodo cava, altera convexa, cujus tres ſpecies traduntur: prima ranæ colore, ex qua nomen habet: ſecunda eboris: tertia, quæ e nigro rubet, Agricol. *l.* 6. *de nat. foſſ. p.* 305. Differt à vero *Buffonite* lapide, qui in capitibus buffonum reperitur, uti hoc prolixe autoritatibus non ſpernendis aut irridendis demonſtravit Andr. Chioccus *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 363. *ſeq.* Hic dicitur etiam *Crapaudino*, à Gallico *Crapaud*, quod *Buffonem* ſignificat. Autor laudatus hunc os potius eſſe ſtatuit, quale etiam in capite Cyprini piſcis invenitur. Eſt igitur *Batrachites* minerale; *Buffonites* vero ab animali deſumtus. Sunt tamen alii non vilioris autoritatis Doctores, qui poſteriorem negant, quod citat etiam Fr. Hofm. *Clav. Schröder. l.* 5. *c.* 1. §. 7. *n.* 646. Noſtrarum non eſt partium, controverſiam hanc dirimere.

BATRACHUS, βάτραχος. Vide *Rana*, *Ranula.*

BATTITURA, id eſt, *ſquama*, v. g. *Battitura* æris, metallorum. Gr. λεπὶς, Arab. Cubel. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

BAUL, i. e. *urina.* Rul. & Iohnſ.

BAURAC, Arab. id eſt, *Nitrum*, de quo infra. In genere etiam quodlibet genus ſalſuginis *Baurac* dicitur. Rul.

BAYDA, id eſt, Vas, ſuper quod deſtillatur. Idem.

BDALSIS, βδάλσις, *mulctum*, vel ſuctionem ſignificat. Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 7.

BDELLA, βδέλλα, vide *Hirudo.* Præter ibi dicta adnotat Galenus *in exeg. Hipp.* Dioſcoridem ita nominare κιρσώδη φλέβα varicoſam venam, ipſi tamen Galeno videtur primo ſignificatu animal notare, in quo & Heſychius conſentit.

BDELLIUM, βδέλλιον, ſignificat & gummi, & arborem, unde colligitur, de qua vide Botanicos. De illo vero legatur Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 376. Jung. Hofmannus.

BDELLOS, βδέλλος, *fœtorem* extinctæ lucernæ, item, *crepitum ventris* ſignificat. Joſ. Laur. Am. *Onom. p.* 110. *Lexic. Græco-Latin.* Budæi aliorumque.

BDELYGMIA, βδελυγμία, βδελυρία, à verbo βδελύσσεσθαι, id eſt, faſtidire, abominari, ſignificat *moleſtum faſtidium*, & nauſeam, præcipue ciborum, apud Hippocr. *l. de int. aff. XXIX.* 2. Βδελυγμίη etiam fœtorem abominabilem & nauſeabundum denotat, *l. de fiſtulis I.* 3. Jungatur Foëſ. *Oecon. p.* 120.

BEATUS, μακάριος, quid ſignificet, ex aliis lexicis trivio quoque notum eſt. In Chemicis autem *Beata* viriditas Vitrioli dicitur, & deſcribitur ab Hartmanno *in Miſcellan. Chymico-Medicis hoc tit.*

BEBÆOS, βέβαιος, *firmus*, vide *Conſtans.*

BECHICA *medicamenta*, βηχικὰ ea dicuntur, quæ tuſſim ſedant. Βὴξ enim *tuſſis* eſt, Gal. *l.* 1. *de Sim. Fac. c.* 1. Suntque duplicia; alia tuſſim promovent, & ſunt tenuium partium: alia ſedant incraſſando, *l.* 5. *c.* 20. Dicuntur alias *Pneumonica*, vel *Thoracica*, quorum catalogum paſſim in pharmaceuticis ſcriptis reperies.

BECOS, βέκος, hoc vocabulo Phryges panem olim appellaſſe, teſtatur Gal. *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 5.

BEGMA, βῆγμα, (quidam ſcribunt & legunt cum ρ βρῆγμα) non tam tuſſim, quam ſputum, quod tuſſi rejicitur, notat, uti conſtat ex Hipp. *l.* 2. *de morb. XLIV.* 8. derivatur à βρήσσειν vel βήσσειν, quod valet poſt tuſſim exſpuere, teſte Galen. *in exeg. Hipp.*

BELENITES, *Belemnites*, ἀπὸ τοῦ βέλους ἢ βελέμνου, telo vel ſagitta, cujus figuram quodammodo refert; eſt lapis teres, pyramidalis, varii coloris repertus, & prodeſſe dicitur contra calculum, icteritiam, fluxus ventris; & ſpecialiter commendatur in febribus intermittentibus, quod habeat vim fermenti febrilis præcipitantem. Dicitur alias *lapis lyncis*, vel *Lyncurius* veterum, quod crediderint ex urina lyncis ſive lupi cervarii coagulata generari, quod tamen potius pro figmento habendum videtur. Dictus etiam eſt *Dactylus Idæus*, à figura digiti, & monte Ida Inſulæ Cretæ, ubi olim reperiebatur; at hodieque in Boruſſia, Pomerania &c. occurrit. Plu-

ra apud Schröd. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 12. & Hofm. *in Clav. ad ill. loc. p.* 182.

BELEMNOIDES, vel *Beloides proceſſus.* Vide *Graphioides.*

BELESON, id eſt, *Balſamus.* Rul. & Iohnſ.

BELLARIA, πέμματα, ἴτρια, τραγήματα, ἐπιδόρπια, in genere dicuntur omnia, quæ in ſecunda menſa apponi ſolent; In ſpecie tamen à Gal. pro placentis mellitis ſumta fuiſſe, patet ex *l. de bon. & mal. ſucco c.* 14. *& l.* 1. *de Sim. Fac. tit. Papaver.* Jung. Lang. *l.* 1. *Ep.* 56.

BELLICULI, vel *Bellirici marini,* ſunt ſpecies conchyliorum ſive cochlearum marinarum, umbilicali figura conſtantes, vel candido colore cum maculis flavis conſperſis, vel flavo, cum nigricantibus lineis ad imaginem cochleæ circumductis præditæ. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.* 57.

BELLOCULUS, quaſi *Beli oculus,* eſt gemma, oculi effigiem quodammodo exprimens, olim apud Aſſyrios ad ſuperſtitiones grata, à ſignatura vero affectibus oculi prodeſſe credita. Agric. *l.* 6. *Foſſil.* & Chioccus *ſect.* 3. *c.* 379. *ſeq.* Oſvv. Crollius *de ſignatur.*

BELONE, βελόνη, i. e. *Acus.* Vide ſupra.

BELONOIDES, βελονοειδὴς, i. e. *acus formam habens.* Vide *Graphioides. Acus.*

BELOS, βέλος, vide *Sagitta.*

BELULCUM, βελουλκὸν, *quaſi τὸ βέλος ἕλκον*, dicitur inſtrumentum chirurgicum telis extrahendis accommodatum, variæ figuræ, de quo videatur Ambroſ. Paræus *l.* 10. *Chirurg. c.* 18. *ſeqq.* H. F. ab Aquap. *de Oper. Chirurg. p. m.* 150. *ed. Patav. in fol.*

BENAT NOCTIS, vide *Planta.*

BENEDICTUM, eſt epitheton *Lenientium* pharmacorum, ab Arabum interpretibus introductum; præſertim quondam Helidæus de Paduanis in tract. ſuo *de purgantibus MS.* frequentius hoc termino de rhabarbaro ſimiliſque notæ mitioribus uſus eſt. Jung. Rolfink. *O. & M. Spec. Comm. l.* 5. *ſ.* 1. *c.* 6. Ita in diſpenſatoriis notiſſimum eſt Electuarium Lenitivum, quod vocatur *Benedicta Laxativa.* Ita Rulandus *aquam* vocavit *Benedictam* infuſum ſuum vomitorium, de quo apud Schröder. *l.* 3. *c.* 17. Alias & ipſe lapis philoſophorum vocatur *aqua Benedicta*, item *lapis Benedictus* à Lagneo *in Harm. Chym. in Th. Ch. Vol. IV. p.* 719. Mynſicht. quoque aquam ſuam Serpilli *benedictam* vocavit *Arm. ſect. XIX.* ob multiplicem uſum ſub finem deſcriptionis annexum. Plures alias *benedictas* deſcriptas vide ſis in D. David. de Spina, Phyſici Francofurt. & Prof. P. extraordin. Heidelberg. *Manuali Pharmaceutico Chemico noviſſime edito p.* 34.

BENEFACIO, ἰφαρμόζω, λυσιτελῶ, verbum hoc frequentiſſime occurrit apud Scribon. Larg. Hinc & in epilogo vel peroratione vocat omnes, quas edidit compoſitiones, *benefacientes.* Legitur & apud eundem, *facit bene*, n. 129. 213. *melius*, n. 131. *optime facit.* n. 112. hoc eſt, prodeſt, convenit, conducit &c. quamvis C. Barth. *Adv. l.* 1. *c.* 14. parum putet latinum.

BENEOLENTIA, εὐώδη, ſcil. remedia, medicamenta, ſunt ſpecies *odoratorum*, quæ ὀσμώδη in genere dicuntur, reſpondent proportione quadam iis, quæ linguæ ſunt dulcia: Opponuntur *Graveolentia*; δυσώδη. Gal. *l.* 4. *de S. F. c.* 22. Illorum effluvia à corporibus aëri ambienti permiſta, ac deinde per narium inſpirationem in cerebrum delata familiaria ſunt ſpiritui animali, & cerebri naturæ; Horum vero ſunt adverſa & ingrata.

BENIGNUS, εὐήθης, quaſi *boni moris*, eſt terminus differentiæ morborum accidentalis à cauſſæ morbificæ conditione deſumtæ, quando morbus habet ſymptomata naturæ ſuæ congrua, & mitiora propter cauſſæ morbificæ qualitatem non nimis à ſtatu naturali recedentem; Huic opponitur *malignus*, κακοήθης, ſive mali moris, quando ſymptomata non reſpondent morbi naturæ, ſed vehementiora ſunt, aut plura cum virium majori proſtratione. Eleganter *malignitatem* ſobolem latentis alicubi cacochymiæ pravæ appellavit Linden. *S. M. Ex. IIX.* §. 57.

BENZOIN, vide *Aſa.* De *olei Benzoini* præparatione & viribus, & in ſpecie, quod de mercurio participet, quia cuprum dealbat, & aurum confirmat, lege Vigenerii *Tract. de Igne & Sale cap.* 35. *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 49. De *floribus Benzoës* ſcrupulum D. D. Bohnii, an phthiſicis conveniant? vide in ejuſd. *Diſſ. Chym. Phyſ. XI.* §. 6. 7.

BERCOS, id eſt *Rotundum.* Rul. *in Lex.*

BERENI ſecum, Artemiſia, Santes Ardoinus *l.* 2. *c.* 11.

BERENICIUM, βερενίκιον, eſt epitheton *Nitri*, apud Gal. *l.* 6. *de C.M.S.L. c.* 1. *l.* 3. *de C.M.S.G. c.* 2. & alibi; valens maxime ad vulnera nervorum.

BERIBERI, eſt nomen morbi apud Indos, *Paralyſis ſpecies*, dum veluti nictando genibus, ac elevando crura, tanquam oves, ingrediuntur, de quo plura vide apud Jac. Bontium *Meth. med. c.* 1. *Beriberi Spurium* deſcripſit, & hiſtoriam illius prolixe propoſuit ex Bartholino Bonet. *Medic. Septentrion. l.* 1. *ſ.* 17. *c.* 27. *p.* 180.

BERILLISTICA, eſt ars in ejuſmodi ſpecillis, quæ *Berilli* dicuntur, viſiones obſervandi. Dorn. Rul. & Iohnſ.

BERILLUS, dicitur ſpeculum ex cryſtallo ſuperſtitioſe conſecratum ab augnriſtis. Iid.

BERNA, hoc eſt *vas vitreatum*, *Birmina.* Rul. & Iohnſ.

BERRIONIS, i. e. *Colophonia*, Gummi Juniperi. Alias *Vernix*, Rul.

BERS dicitur electuarium, quod Ægyptii utebantur ad deliramenta incitanda, cujus deſcriptio extat apud Proſp. Albin. *l.* 4. *de medic. Ægypt. c.* 12. *a.*

BERYLLUS, βήρυλλος, lapis vel gemma eſt pellucida, colore viridi, ſed diluto; ita ut duos colores ſibi ineſſe, unum viridem, alterum pallentem, tradiderint, imo octo genera ex varietate colorum ex mente aliorum recenſeat

cenſeat Gorræus. In ſacris literis tanta fuit habitus æſtimatione, ut octavum poneretur fundamentum cœleſtis Hieroſolymæ. Chymici docent, *Berylli* ſtructuram conſtare ex Lunæ & Jovis cœlis æqualibus cum terra Lunæ, *Theatr. Chym. Vol. I, p.* 487. Aliter Lullius *de tranſm. metallor. in Vol. IV. p.* 191. De ejus viribus medicis traditur, valere contra vitia hepatis, ſuſpiria, eructationes, oculorum fluxiones, contuſiones &c. Hodieque tamen ejus nulla fit mentio. Chiocc. *in Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 221.

BERYTION, βηρύτιον, eſt nomen medicamenti ophthalmici, ſive collyrii, quo *Berytius* quidam ad maximas epiphoras uſus eſt, & deſcribitur à Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Eſt & *Paſtilli* nomen ad dyſentericos perutilis, *l.* 9. *cap.* 5. Gorr. *p.* 74.

BES, item *Beſſis*, Gr. διμοιρία, eſt nomen ponderis continentis duos aſſis trientes h. e. uncias octo. Vulgo Marca. Legitur apud Celſum. Rhodius *de ponder. & menſ. p.* 40. *Bes* uncias VIII.

BESACHAR, *Fungus* dicitur. Dorn. Ruland. & Iohnſ.

BESONNA, in ſpecie vocatur *Muſcarum fungus.* Rul. & Iohnſ.

BESSANEM vocatur rubedo externa ſimilis rubedini ejus, in quo incipit lepra, quæ apparet ſuper faciem & ſuper extremitates & proprie in hyeme & frigore. Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 2. *c.* 8.

BESTIA, *Beſtiola.* Vide *Animal. Beſtiola* etiam in ſpecie dicitur aranea minima in leguminibus nata ſolifuga, de cujus noxa & cura legatur Ardoin. *de Venen. l.* 8. *c.* 18.

BEX, βὴξ, id eſt, *Tuſſis*, de qua inferius ſuo loco.

BEYA, vide *Gabricus.*

BEZAAR, *Bezoar*, *Bezehard*, *Pa-Zahar*, vi etymi in genere idem eſſe poſſet, quod antidotus, vel alexiterium; ſiquidem apud Perſas *Pa* contra, *Zahar* vero venenum ſignificare traditur. Hinc etiam à medicis derivativum *Bezoarticum* uſurpatur non ſolum de medicamentis, quæ lapis *Bezoar* ingreditur; ſed & frequentius de aliis, quæ inſigni, imo etiam meliori, quam ille, pollent venena & malignitates expellendi virtute, ſuntque vel ſimplicia, vel compoſita, utraque ex vegetabilium & animalium etiam claſſibus deſumpta, v. g. ex vegetabilibus ſimplicibus radix anthoræ, vel contrayervæ primas tenere creditur. Ex animalibus cervi cornu, & os de corde cervi, nec non unicornu prærogativæ palmam ferme ſibi adſciverunt. E compoſitis *tinctura Bezoartica* D. D. Michaelis hodieque celebratiſſima eſſe ſolet, nec immerito ob ingredientia alexiteria præſtantiſſima, cujus deſcriptionem expoſuit *peculiari libello.* Ita chymiatri plurimum etiam attribuunt *Bezoarticis* ſuis *mineralibus* varii generis, *Solari*, *Lunari*, *Joviali*, *&c.* circa quorum tamen uſum, an ratione ſecuritatis cum aliis alexipharmacis vegetabilium vel animalium jure poſſint certare, nemini vitio vertendum, ſi dubitet. Specialiter tamen & proprie *Bezaar* vel *Bezoar* de lapide quodam duplicis ſortis accipitur, *Orientali* & *Occidentali. Orientalis* eſt lapis in capricervæ orientalis Indicæ vel Perſicæ viſceribus, præſertim ventriculis, aliiſque cavitatibus internis concretus & repertus, figura rotunda, ovali, ſeſſili, variante, intus paululum cava, utpote meditullio paleam, pilos, vel ſimile quid continente, ſuperficie levi & ſplendente, colore plerumque atro virente, aut dilutius virente cineritio, palleſcente, magnitudine, & pondere etiam valde variante, ſubſtantia e laminis veluti cæparum ſeſe invicem incumbentibus compacta, virtute inſigni alexipharmaca, cordiali, & diaphoretica commendatus. *Occidentalis* vero eſt lapis in capricerva Occidentali Peruviana repertus eodem modo, ut prior, concretus, magnitudine vero illo major plerumque, ſuperficie etiam ſcabra, colore vario, albicante, nigricante, obſcure virente, (qui optimus habetur) viribus alexipharmacis & diaphoreticis Orientali quodammodo cedens; de quibus cum integri tractatus, & diſquiſitiones publice proſtent, lectorem ad illa ſcripta remittimus. Jungantur iis, quæ occurrunt apud Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 12. & Fr. Hofm. *Clavi d. l.* Lapis *Bezoar factitius* naturalem repræſentans quomodo parari poſſit ex magiſterio ſive Zacca herbarum alexipharmacarum, vide ex Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 15. *p.* 198. Secundario & veluti καταχρηστικῶς nomen hoc etiam tribuitur aliquando lapidibus in Damis ſive capris montanis repertis, ut *Bezoar Germanicum* appellentur, quamvis non ſint proprie lapides, ſed pilæ, unde *Ægagropilæ* vel *Ægagropili* dicuntur, de quibus ſupra. Tandem *Lachrymas Cervorum* coagulatas & in lapideam duritiem veluti concretas veteres nonnullos *Bezehardt* nominaſſe, & pro antidoto efficaciſſimo habuiſſe contra quodvis venenum, teſtatur Lang. *l.* 2. *Ep.* 24. Vocatur & Moſchus ex oculis cervi. Legatur & Joh. G. Agricolæ *Cervologia German. P.* 2. *c.* 4. *Bezoar* Minerale, terra quædam medicata Pedemontana. Hercules à Saxonia *de plica cap.* 67.

BEZAR, vel *Beſar*, lapis viridis dicitur. Dorn. Rul. & Iohnſ.

BIA, *Biæum*, βία, βίαιον, vide *Violentia*, *Violentum.*

BIARGHETUNSIM, id eſt, *Ceruſſa.* Ruland.

BIBERE, πίνειν, eſt ore potulenta haurire, & ſorbere. Linden. *S. M. Ex. XIII.* §. 356. Vide *Potus.*

BIBITORIUS muſculus in anatomia vocatur ille oculi muſculus, introrſum verſus naſum oculum movens. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. *p.* 513. *Bibitoriæ* rotulæ quæ dicantur, vide in Etmüller. *Oper. Tom. I. p.* 1000. *a. & Tom. II. p.* 1783. *a.*

BIBLOS, *Biblion*, βίβλος, βιβλίον, vide *Liber.*

BICEPS, δικέφαλος, epitheton monſtrorum duo capita obtinentium, quorum varias obſervationes ex aliis collegit Bonetus, *Medic. Septentrion. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 2. *p.* 17. *ſeqq. Biceps* quoque vocatur muſculus cubiti flexor

flexor primus. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 8. *p.* 571. quemadmodum & tibiæ flectens eodem nomine appellatur *dict. l. c.* 12. *p.* 580.

BICAUDALIS, epitheton muſculi in auro exteriori occurrentis & valde variantis, ita ut & *Tricaudalis*, interdum unica ſolum cauda conſpicuus obſervetur, unde & *Inticalis* nomen nactus à G. Bidloo *Anat. Tab. XII. fig.* 1.

BICHICHIÆ, epitheton pilularum, vel potius *trochiſcorum arteriacorum* ex ſucco liquiritiæ, ſaccaro, amylo, tragacanth. & amygdalis excorticatis cum Mucilag. ſem. cydon. paratorum apud Rhaſen *l.* 9. *c.* 55. vertente Galentio de S. Sophia *fol. m.* 41. *a.*

BICONGIUS, i. e. *duo Congii*, ſive menſura duodecim ſextarios continens. Vide *Chus.*

BICORNEOS, vide *Hyoides.*

BIFIDUS dicitur, quod prius ſimplex poſtea in duas partes dividitur & quaſi finditur. Quod vero tumor quidam in recens natis e latice ſeroſo cerebri ac cerebelli in dorſi vertebrarum ſpinoſos proceſſus deſcendente obortus *Spinæ Bifidæ* nomine inſigniatur, legere eſt, verum abſque ratione hujus appellationis *in Actis Erud. Lipſ. de A.* 1699. *m. Novemb. p.* 519.

BIFURCATUS, epitheton in Anatomicis occurrens, quando pars quædam, vel vas, quod ordinarie ſimplex eſſe ſolet, duplicatum & veluti in duo crura inſtar furcæ diviſum notatur. Ita D. Ruyſch. pelvim in renibus bifurcatam, imo & trifurcatam obſervavit *Cl. Obſerv. Anatomico-Chirurg. Obſ.* 79. & veſiculam felleam bifurcatam *d. l. Obſ.* 90. quales mirabiles naturæ luſus etiam in vaſis & canalibus quandoque occurrunt.

BILADEN, id eſt, *Chalybs.*

BILINGUIS, δίγλωττος, quod tropice ſignificet hominem verſutum, ſimulatorem, cui candor omnis deficit, ex aliis ſcriptoribus Politicis novimus. *Bilinguem* etiam dici hominem duarum linguarum peritum oſtendimus infra in voce *Diglottos.* Proprie vero etiam ſignificat hominem duas linguas in ore habentem, qualem obſervationem e Joh. Dolæo notavit Bonet. *Med. Septentr. l.* 5. *ſect.* 25. *c.* 1. *p.* 301.

BILIS, χολὴ, *Fel.* Non eſt noſtrarum partium, omnia nunc commenta veterum & recentiorum de *Bile* hic proponere & ventilare, ſed ſaltem terminum Medico ſenſu exponere. Hinc ſufficere facile poteſt, communi Doctorum conſenſu certum eſſe, quod ſimpliciter ſumtum vocab. *Bilis* denotet *Naturalem*, *Flavam*, Gr. ξανθὴ dictam, quæ in hepatis vaſis vel poris cholodochis & veſicula fellis naturaliter inveniri, & ab utriſque per communem ductum ad inteſtinum duodenum excerni ſolet. Eſt igitur *Bilis* excernendum naturale, ſive liquor excrementitius, ex ſanguinis ſalino-ſulphureis ob longiorem moram effœtis redditis portionibus, paucoque ſero dilutis conſtans, à maſſa ſanguinis in glanduloſo hepatis parenchymate ſecretus, ad dicta vaſa & receptacula collectus, & excretus. Uſus hujus in inteſtino duodeno eſt indubitatus; Chyli e ventriculo immediate huc translati ſegregabilitatem, & diſſolutionem in utiles & fœculentas portiones una cum ſucco pancreatico, ceu contrariæ facultatis, mediante aliqua fermentationis lucta, promovere. Quæ circa alias quoque utilitates veteres & novi Autores tradiderunt: item, an denuo cum chylo ad ſanguinem quædam *Bilis* portiones loco novi fermenti & Balſami vitalis redeant? an vero ſtatim e veſicula fellea per certas arteriolas ad ſanguinem refundatur, uti conſectatus eſt Fr. de le Boe Sylv. *Diſp. Med. VI.* & quæ ſunt alia, aliis & alibi ventilanda relinquimus. Porro *Bilis præternatur.* & *vitioſa* fit per varios corruptionis modos & varia ſortitur epitheta, vel à colore, vel à conſiſtentia, vel ab alia circumſtantia petita, quæ paucis annectere lubet. Ita quædam dicitur *Bilis pallida*, ὠχρὰ vel χλωρὰ, quæ ad naturalem proxime accedens, vel à ſeroſis aut aquoſis portionibus copioſioribus diluentibus (unde & *aquoſa* & *humida*, ὑδατώδης ἢ ὑγρὰ, appellatur) vel à minori aculeo lixivioſo præditis ſalinis colorem obtinet remiſſiorem. Huic contraria eſt *rubra*, ἐρυθρὰ, *ſubrubra*, ὑπέρυθρος, *ruffa*, vel ignei coloris, πυῤῥὰ, (quæ ſaltem ſunt gradus differentiæ) quæ majoris lixivioſitatis indicium præbent, & particularum ſalinarum combuſtarum, vel nimium aſſarum copiam præſupponunt; quales etiam particulæ coagulatæ intenſe rubentes haud raro cum urina excerni, & ad matulam affigi firmiter ſolent, teſte Willis *de Urin. c.* 5. §. *Uſitatum. Vitellina*, λεκιθώδης, h. e. ovorum crudorum vitellis colore & conſiſtentia ſimilis, ex aſſumtis alimentis per bilioſas regurgitantes ex inteſtino in ventriculum portiones corruptas admixtas depravatis nata, & mediante vomitu innoteſcens. Sic & *Porracea*, πρασοειδὴς ἢ πρασώδης, mixta eſt ex chyloſis & bilioſis (an & ſucci pancreatici vitioſi?) portionibus heterogeneis corruptis, vitriolaceis conflata, & per vomitum in ſenſus incurrens. Porro quoque *Bilis Glaſtea*, ſive glaſtum colore cæſio referens ἰσατώδης, *æruginea*, (*noſa*) ἰώδης, *cærulea*, κυανέη ἢ κυανίζουσα, *obſcura*, aut *fuſca*, ὀρφνώδης, ἢ φαιὰ, mixtæ & heterogeneæ ſunt *Bilis* ſpecies, gradu corruptionis & colorum variantes, quæ liquoris bilioſi, ſuccique pancreatici concurrentem vitioſam efferveſcentiam & corruptionem præſupponunt, uti hoc innuit rectiſſime Sylvius *l.* 1. *cap.* 30. §. 112. & *c.* 46. §. 37. E quo Autore alia quædam *Bilis p. n.* epitheta, addere libet, ut ſunt, *Bilis heterogenea*, quæ conſtat diverſis partibus, aliis acrioribus, aliis obtuſioribus, *l.* 1. *c.* 48. §. 6. *Copioſa* & ſimul *acrior*, cujus cauſſas recenſet *c.* 18. §. 11. Huicque contraria *pauca & iners*, §. 12. *Spirituoſa* & *Volatilis*, quam credit eſſe cauſſam veram Icteri, *cap.* 46. §. 41. *ſeq.* & Ructuum nidoroſorum, *c.* 7. §. 21. Vomitoriarumque febrium, *cap.* 30. §. 112. *Pinguior* & *oleoſa*, ceu cauſſa faſtidii ciborum, *c.* 2. §. 8. Ardentiſque totius corporis, vel inteſtinorum, vel lumborum doloris,

c. 11. §. 18. *&* *c.* 14. §. 16. *Fluida* vel *Fluxilis* aut *Turgens*, autor Choleræ & Diarrhœæ, qualem etiam per purgantia fortiora gigni & expelli conſtat, *c.* 7. §. 46. *Glutinoſa* & *ſpiſſa*, huicque affinis *Calculoſa*, cauſſa obſtructionis, præſertim meatuum bilariorum, *c.* 45. *&* 46. Plura ſi cui legere placet de *Bilis* natura, generatione, varietate & uſu, ille præter Hipp. & Gal. monumenta aliorumque veterum ſcripta ex recentioribus legat Franciſc. Gliſſonii *Anatomiam Hepatis* & Marcelli Malpighii *Exercit. de Hepate c.* 5. *ſeqq.* alioſque. Per *Biles* in plurali & *Flavam* & *Atram* ſimul intelligi, oſtendit Joh. Rhodius *in not. ad Scribon. Larg. num.* 136. *Bilis* Anatomiam Chymicam h. e. Medicamenta e *bile* parata vide in Morley *Collect. Chym. Leidenſ. c.* 96. 97. Quod vero nonnulli ex Recentioribus veterum de quatuor humoribus in corpore humano ad ſanguinis ſyſtaſin concurrentibus opinionem jam dudum obſoletam rurſus in forum Medicum inducere non verentur, dum non ſolum ſanguinis portiones ſulphureas cum ſalinis permixtas excrementitio *Bilis* nomine non tam exornare, quam deturpare audent, ſed etiam cum Johanne de Muralto *in ſuo vade mecum Anatomico Exerc. III.* §. 2. partem chyli butyroſam & mobiliorem *Bilis* alimentalis titulo inſignire non dubitant, mihi non arridet, cum illa confuſa terminorum acceptio majorem in animo lectoris pariat obſcuritatem.

BILIS *atra*, μέλαινα χολὴ, (vide *Melancholia*,) denotat apud Gal. humorem melancholicum, *l.* 7. *aph.* 32. *c.* 1. *de nat. hum. t.* 27. *&* *c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 14. cum autem æque obſcurum ſit apud illum, & reliquos omnes antiquiores, quid proprie ſit humor melancholicus ſive naturalis, ſive præternaturalis, declarari hoc debet ex recentiorum hypotheſibus Phyſiologicis Pathologiæ rite applicatis, ſecundum quas *Bilis atra* nihil aliud eſt, quam humor excrementitius acidus in pancreate naturaliter collectus, & ad inteſtinum duodenum ſecretus (qui ſimpliciter *Melancholia* dici commode poteſt) præternaturaliter ſe habens, præſertim nimia aciditate corroſiva & exulcerativa peccans. Vid. *Not. noſtr. ad Jeſſen. Judic. de S. V. S. M. p.* 161. Quamvis & *Bilis flava* per mixturam hujus acidi p. n. pancreatici liquoris corrupta in *Atram Bilem* degenerare poſſit, teſte Fr. Sylvio *l.* 1. *Pr. Med. c.* 46. §. 37. imo ipſum ſanguinem, & ſpirituum animalium liquorem, ſi in eum regurgitaverit, ille nimium acidus liquor *Atrabilarium* facere queat, unde graviſſimorum morborum ilias provenit. *Atra Bilis* quoque myſtice appellatur *Nigredo illa* prima in præparatione *Mercurii Philoſophorum* & *Lapidis Philoſophici*, quam offert in prima operatione, de qua apud Libav. *T. II. Oper. in Apoc. Herm. Part. poſt. in proœm.*

BINARIUS, eſt *numerus myſticus*, ſeu potius commentitius Spagyricorum Philoſophorum, ſtatuiturque duplex; *Naturalis*, qui eſt ortus à Deo per diviſionem corporum ſuperiorum ab inferioribus in prima creatione; *Binarius contra naturam* eſt id, quod eſt nedum naturæ, ſed Deo primum inimiciſſimum, radix morborum omnium & interitus. *Vol. I. Th. Chym. p.* 462.

BINSICA, hoc nomine Rabbini vocant ægritudinem mentalem, & in ſpecie *Atrophiam organi phantaſiæ*, teſte Helmont. *tr. Venatio ſcient. n.* 51. *&* *de magnet. vuln. cur.* §. 148.

BIOLYCHNIUM, βιολύχνιον, idem, quod *Flamma vitalis*, ſive *Calor nativus*, de quo infra. Epitheton Charltono, aliiſque recentioribus non infrequens. Alias vocabulum hoc accipitur de ſingulari quodam ſecreto ex ſanguine humano parato, uti videre eſt apud Beguin. *Tyrocin. l.* 3. *c.* 1. in notis Glükradii, ubi ſimul mentio fit Johannis Erneſti Burggravii, qui integrum libellum de hujuſmodi *Biolychnio* conſcripſit & edidit.

BIOS, βίος, βιοτὴ, βιοτή, dupliciter ſumitur, 1. frequentius pro *vita* ejuſque curriculo; 2. rarius pro *victu*, h. e. alimentorum uſu ad vitam neceſſario. Vide ſuo loco *Vita*, *Victus*.

BIOTHANATI, βιοθάνατοι, dicuntur Foreſto *lib.* 1. *Obſ.* 1. *in Schol.* ii, qui *violenta morte* perierunt. Verum non videtur vocabulum à bonis autoribus approbatum.

BIPULA eſt vermis apud Ariſt. *l.* 5. *hiſt. animal. c.* 19. interprete Gaza. Mercur. *de morbis puer. l.* 3. *c.* 7.

BIRA, vide *Cereviſia*.

BIRSEN, Arabicum vel Perſicum nomen denotans inflammationem vel apoſtema pectoris. *Bir* enim *pectus* ſignificat, teſte Avicenna & aliis. Caſp. Theophil. Bierling. *in Theſauro p.* 270.

BISCOCTUS, δίεφθος, διπυρίτης, potiſſimum dicitur de pane iterato cocto, quem & ἐξοπτὸν, h.e. *valde aſſatum* dici exiſtimat Linden. *Ex. XVI.* §. 139. *ſeqq.* Jungatur locus Hippocr. *de Int. Aff. XXIIX.* 16. Habet vim deſiccandi, & cum ſiligineus eſt, neque nimium toſtus, minus omnium excrementi relinquit. Renat. Moreau *ad Schol. Salernit. c.* 17. *p.* 263.

BISMUTHUM, *Biſemutum*, *Marcaſita*, vulgo Wißmuth / eſt recrementum metallicum in generatione metalli alicujus ex portione quadam ad generationem metalli inepta productum, inque corpus minerale albicans durum ac fragile mutatum. Schröd. *l.* 3. *Ph. M. c.* 18. Verum Olaus Wormius *Muſæi c.* 8. ad ſui generis metallum refert, licet aliquando argentum in ſe contineat. Libav. quoque inter metalla referre non dubitavit, *Defenſ. Syntagm. A.* 2. *N.* 53. Eſt vel ſolidius ſectionemque admittit, vel interdum laxius, inſtar Galenæ. Datur & *Marcaſita aurea*, vulgo gold kieß. *Plumbum* etiam *ſcriptorium* à nonnullis ad *Biſmuthi* ſpeciem refertur, Hofm. *in Clav. Schröd. d. l. pag.* 329. Viribus recremento plumbi reſpondet; uſus quamvis rariſſimus, & non niſi externus. *Biſematum* appellavit leviſſimum, pallidiſſimum, & viliſſimum plumbum Ruland. *in Lex.*

BITHNIMALCA, idem, quod *Gaſteranax*, (de quo

quo ſua in litera) h. e. peculiare principium activum in ventriculo reſidens, functionum chylificationis, & diſtributionis, ſegregationiſque excrementorum præſes, quod nomen finxit Dolæus *in Encyclopæd. Med. l.* 3. *c.* 1. 3. *&* 4.

BITHRINATI, id eſt, *vitro obductum.* Rul.

BITHYNOS, βιθυνὸς, duo ſignificat medicamenta: 1. eſt nomen emplaſtri, ad hydropem efficacis, cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 3. deinde *Paſtillus* dicitur *Bithynus*, *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 12. Gorr. *p.* 75.

BITUMEN, ἄσφαλτος, ἀσφαλτὸν, generaliter ſumtum denotat omnem terræ pinguedinem tenaciſſimam, facile urentem. Hinc Langius *Bitumen* ignis fomentum in montibus illis ignivomis eſſe dixit, ita ut ab aqua magis accendatur, *l.* 2. *ep.* 52. & ſub ſe comprehendit varias ſpecies, quas videre eſt apud Schröd. *d. l. cap.* 29. Specialiter vero denotat ſuccum pinguem aquis marinis aliiſque ſtagnantibus marinæ non diſſimilibus, & optimum eſt mari mortuo, (quod propterea lacus *Aſphaltites* dicitur) veluti ſpuma innatans, poſtea vero reſiccatum ad littora pice ſicca durius efficitur, tenaciſſimumque redditur. Optimæ notæ habetur, ſi ponderoſum, validum odorem vibrans, purpureoque atrum vergente colore præditum ſit. Ejus virtus eſt cum moderata calefactione exſiccatoria & glutinatoria, Gal. *l. XI. de S. F.* Schröd. *l.* 3. *c.* 32. Hofm. *in Clav.* aliique plures. Gorr. *in Def.* aliter diſtinguit *Bitumen*, ἄσφαλτον, in *liquidum* & *foſſile.* Illud, quod inſtar olei ſit propter pinguitudinem, poſtmodo tamen vel ſponte, vel coctione, inſpiſſatur. Meminit illius Scrib. Larg. *n.* 52. ad inunctionem narium. Dicitur & *Zacynthium*, (perperam Saguntinum, cum in agro Saguntino non deprehendatur) ζακυνθία ἄσφαλτος, Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 13. vid. Rhod. *ad Scrib. Larg. num.* 208. quemadmodum ſiccum *Judaicum* quoque vocatur. Hoc vero ſiccum e terra eruitur, lapidum aut carbonum modo, nigrum, ſplendenſque picis inſtar, & ab aliis Gagatis aut Foſſilis Carbonis, aut Petræ nomine venit. Vide *Lithanthrax. Bitumen* etiam tribuitur à Paracelſo excremento urinæ *Alcola* dicto, (de quo ſupra) quod ipſe Tartarum mucilaginoſum etiam appellat *in Fragment. Medic. ad L.* 1. *de Tartar. c.* 9. & alibi. Dornæus deſcripſit *Bitumen*, quod ſit ſulphurea terra, *in Diction.* item Rul. *in Lex.* qui multa genera etiam propoſuit: Liquidum oleo ſimile, petroleum. Odoratum Saxonicum, terrum camphoræ nativæ: nigrum craſſum Foſſile carbonibus ſimile. *Bitumen perverſum* eſt liquor incertus eſt.

BIVENTER, διγαστρικὸς, vide *Digaſtricus.*

BLABE, βλάβη, noxam, læſionem ſignificat, à verbo βλάπτειν, nocere; cui opponitur ὠφελεῖν, prodeſſe. Hipp. *l. de Alim. III.* 3. *ſeqq.* Eidem quoque σίνεα dici ab Ionico σίνειν, & nomina βλαβερὰ ἢ σινόμωρα docet Galen. *c.* 3. *de R. V. I. A. t.* 14.

BLACCIÆ apud Rhazen dicuntur *morbilli*, notante Ingraſſia *Comm. in Avic. l. de Tum. p. n. p.* 194. 195.

BLACHMAL, eſt *materia liquefactione plurium* una metallorum confuſa in ſulphur injecta. Iohnſ. *in Lex. Chym.*

BLACTARA, i. e. *Ceruſſa vel blancta.* Rul. *in Lex.*

BLÆSUS, *Blæſſus*, βλαισὸς, βλαισωτὸς, vitium aliquod in figura membrorum corporis, præſertim externorum ſignificat. Frequentius tamen de cruribus extrorſum diſtortis uſurpari ſolet. Alias Latinis *Valgi* dicuntur. Gal. *de cauſſ. morb. c.* 7. *c.* 3. *de iis, quæ in Medic. ſiunt t.* 31. Jung. M. A. Severin. *de gibb. vulg. & var. P.* 11. *c.* 2. Quibus opponuntur ῥοιβοὶ, vel ῥαιβοὶ, ῥοικοὶ, *Vari*, quibus crura introrſum vertuntur; quamvis C. Hofmannus mendam ſubeſſe exiſtimet, & invertendam eſſe utriuſque ſignificationem doceat, *l.* 3. *Inſt. c.* 59. §. 5. *& l.* 3. *Apolog. pro Gal. c.* 99. Utinam vero rationem addidiſſet, cum Autores & Lexicographi non conſentiant in illam ſignificationem inverſionem. An incertitudo ſignificationis fortaſſis inde oborta eſt, quod utrumque vitium in cruribus ſemper concurrat. Dum enim genua extrorſum vergunt, pedes extremi coëunt; quod ſi vero hi diducuntur extrorſum, genua coarctantur? *Blæſitas* etiam dicitur de illo, cui lingua impedita eſt, ut literam aliquam exprimere non poſſit. Vide ſupra *Balbuties.*

BLANCA *mulierum*, *Blancta*, *Ceruſſa.* Rul. *in Lex. Blanca* etiam dicitur compoſitio lenitiva à colore albo, quod colores purget albos phlegmaticos, & olim fuit triplex, magna, media & minor. Unius deſcriptio extat *in Antidotario Nicolai inter Opera Meſuæ fol. mihi* 373. *a.*

BLANDUS, ἠὺς, ἠΰς, idem, quod *Mitis.* Eſt epitheton plerumque ignis à Pharmacopœis & Chymiſtis receptum ad differentiam ignis fortioris. Ita in negotio lapidis Philoſophici requiritur *Blandus Ignis*, & æqualis, ita ut nec invaleſcat, nec debilitetur, à Ventura apud Lagneum *in Harmon. Chym. Th. Chym. Vol. IV. p.* 767.

BLAS, terminus eſt Helmontianus novus, & ſignificat in genere motum localem & alternativum aſtrorum, à quorum utroque oriuntur temporum mutationes, tempeſtates atque viciſſitudines. Unde *Blas motivum ſtellarum* ab illo deſcribitur, quod ſit virtus pulſiva ratione itineris, per loca, & ſecundum aſpectus. *Blas* vero *alterativum ſtellarum* in productione caloris atque frigoris conſiſtit, idque præcipue cum ventorum mutationibus. Paſſivas vero qualitates, puta humiditatem & ſiccitatem, ad nos aſtra transferre nequeunt, cum ex ſeſe non habeant. Porro ad imitationem illius in brutis quoque & hominibus *Blas* occurrere docet, idque duplex, *Naturale* & *Voluntarium.* Illud dicitur, quod quodlibet viſcus ad typum ſui aſtri format, hinc & *Aſtrale* dicitur; Hoc vero quod voluntate animalium ad motum localem dirigitur, & nullo modo connexum eſt lationi

lationi ſupernæ, h. e. abſque cœlorum *Blas*, & motore immobili naturali ſeipſum movet, in tr. *Blas Meteoron* & *Blas Humanum*. Quis vero non rideat has novitates?

BLASTEMA, βλάστημα, βλάστησις, *germinationem*, *germen*, ſignificat in genere, à verbo βλαστάνειν, propullulare, germinare, & occurrit illud quatuor in locis (notante Foëſ. *in Oec. p.* 122.) apud Hippocr. v. g. *de Humor. I.* 35. *l.* 4. *Epid. XXIV.* 8. & *l.6. Epid. ſect.*2.*l.*10. *de Ulcer. V.* 3. Quamvis vero obſcurum ſit, qualia *germina* p. n. in illis locis intellexerit, nobis tamen videtur, potius exponendum eſſe per eruptionem alicujus materiæ ſive puſtuloſæ, ſive cruſtoſæ, ſive fungoſæ, aut alterius conſiſtentiæ. Et ita alter locus *in Epid.* cujus expoſitio apud Gal. non occurrit, erit perſpicuus, quod tumores glandularum ſint ſignum eruptionum cutanearum, id quod experientia teſtatur, præſertim in pueris & puellis, v. g. pone aures, maxillas, ad collum tumores ſignificare ſcabioſam exulcerationem præſentem, vel futuram. Hinc Valleſii commentum ad illum loc. plane ἄκυρον, & improprium nobis videtur. Vide etiam infra *Germen*.

BLATTA, eſt vocabulum valde æquivocum, præcipue vero duas habet ſignificationes; 1. denotat inſecti genus, & ita reſpondet Græcum σίλφη, *Silphe*, vel etiam τίλφη, quæ ſignificatio iterum tribui ſolet variis inſectis, vel vermiculis, de quibus omnibus legatur Ulyſſ. Aldrovandus *l.* 4. *de Inſectis c.* 9. *edit Bonon. p. m.* 499. *ſeqq.* ubi etiam exponit σίλφας ἄνευ πτερῶν & βδέοντας, id eſt, *Blattas* ſine alis & fœtentes, quarum ex Archigene meminit Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. & *l* 5. *c.* 9. ad effectus aurium & dentium. 2. denotat Teſtaceorum ſpecies, vel potius opercula conchyliorum, ſi oblonga fuerint; ſi rotunda, Buccinorum & Purpurarum habentur, quamvis indiſcriminatim, ſed perperam, à Pharmacopolis & Aromatariis vendi ſoleant. Dicitur cum epitheto *Blatta Byzantia*, βλάττιον vel βλάττιον βυζάντιον, item ὄνυξ, Dioſc. *l.* 2. *c.* 10. *Unguis odoratus*, non quod ſuaviter oleat, ſed quod odor ſit gravior, caſtoreum æmulans. De his legantur Rondelet. *l.* 2. *de Teſtac. c.* 15. Aldrovand. *l.* 3. *de Teſtac. p. m.* 294. *ſeqq.* item *p.* 346. *ſeqq.* Chioccus *in Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.* 44. Schröder. *Ph. l.* 5. *cl.* 3. *n.* 74. *Ungui odorato* tribuitur interne ſumto virtus alvum laxandi, lienem emolliendi. Externe ſuffitus contra epilepſiam & ſuffocationem uteri commendatur; in reliquis cum aliis concharum teſtis viribus reſpondens.

BLECHRUS, βληχρὸς, ſignificat *Debilis*, *Lenis*, & eſt epitheton uſitatum morborum, præſertim febrium, apud Hippocr. 5. *aph.* 64 *l.* 5. *Epid. XXII.* 24. *XXXVI.* 12. & paſſim alibi; de quibus locis vid. Foëſ. *Oec.p.*123. Dieter. *Iatr. n* 156.

BLEMA, βλῆμα, vide *Intritum*.

BLENNA, *Blena*, ſive *Mucus*, βλέννα, μύξα, eſt humor excrementitius craſſior concoctus per palatum & nares defluens; minuſque acris & mordax, propterea & craſſior pituita ab Hipp. vocatur, Galen. *l. de tot. morb. temp. c.* 3. & *l.* 2. *de ſem. c.* 6. Βλέννα & βλίνα frigidus humiduſque eſt ſuccus, quem omnes homines phlegma vocant, ut ſcribit Gal. *l.* 2. *de fac. nat. c.*9. Vide *Phlegma*. Dicitur & Hippocrati βλαῖννα *l.*2. *de morb.XII.* 6. Unde & derivativa βλεννώδης vel βλαγγνώδης, vel de ipſis excretis *mucoſis* legitur, *lib.* 4. *Epid. in princ.* vel de hominibus, in ſpecie mulieribus, *l. de Carnib. vel de ætate*, *XXI.* 8. Foëſ. *d. l.*

BLENNUS, βλέννος, βλῖνος, βλινὸς, Suidæ βαίων, eſt piſcis littoralis, nullius pene pretii, quod vel ex nomine *mucum* denotante conſtare poteſt, cum carnem habeat mollem, excrementitiam, inſipidam, & ita ingratam. Ejus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 26.

BLEPHARIDES, βλεφαρίδες, vide *Cilia*.

BLEPHARON, βλέφαρον, vide *Palpebra*.

BLEPHAROXYSTUM, βλεφαρόξυστον, eſt inſtrumentum Chirurgicum radendis, vellendis, concinnandiſque palpebris aptum, in *Trachomate*, ſive aſperitudine calloſa palpebrarum interiorum, quæ & τύλωσις vocatur. P. Ægineta, *l.* 3. *cap.* 22. Gorr. *in def. p.* 76.

BLESTRISMUS, βληστρισμὸς, Hippocrati incontinentem corporis *jactationem* & inquietudinem ſignificat, qua corpus perpetuo exagitatur, aut incontinenter disjicitur. Dicitur alias quoque ῥιπτασμὸς, *l.* 1. *Epid. ægr.* 2. Provenit à ſanguinis nimia & tumultuaria efferveſcentia in febribus acutis. Verbum quoque βληστρίζειν Hippocr. in uſu fuit, idem ſignificans, ſcil. *jactare ſeipſum*, *l.* 1. *de morb. VII.* 17. De phreneticis Aretæus uſurpat βληστρίζεσθαι, h. e. *jactari.* Foëſ. *p.* 122.

BLETA *alba* eſt epitheton urinæ lacteæ renum morboſorum, & refertur inter cauſas phthiſeos apud Paracelſ. *l.* 11. *de Tartaro tract.* 3. *c.* 3.

BLETUS, βλητὸς, *ictus* dicitur, cujus latus propter internam malignam inflammationem, v. g. pleuritidem, peripneumoniam, præſertim mox poſt obitum, lividum, aut maculoſum, tanquam ex icta aut plaga, conſpicitur. Hipp. *Coac. t.* 400. *ſ.* 1. *de R. V. I. A. t.* 35. De fœtu quoque in utero hac ratione extincto legitur *l.* 1. *de M. M. CX.* 8. ubi in ſeqq. exponitur per πελιδνὸν, lividum.

BLICARE, id eſt, *præſil præparatum*. Rul. *in Lex.*

BLINCTA, i. e. *Terra rubra*. Id.

BLITYRI, βλίτυρι, eſt vocabulum fictitium, plane nihil ſignificans, proverbii loco à Galeno uſurpatum cum altero *Scindapſus*, σκινδαψὸς, ad irridendam nimiam fingendorum novorum terminorum vanitatem, *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 4. & *l.* 2. *M. M. cap.* 7.

BLUMATI, *terreum* eſt *vas vitreatum*. Iohnſ. *in Lex.*

BOA, βόα, βόη, Plinio dicuntur papulæ rubentes cutaneæ, vulgo Hitzblätterlein / ſive puſtulæ ichoroſæ, *l.*24.*H.N.c.*9. & *l.*26.*cap.*11. quamvis & nomen ſit ſerpentum

tum maximorum in Italia, ita, ut aliquando ſolidus infans in ventre occiſæ *Boæ* fuerit repertus, apud eundem, *l.* 8. *c.* 14. Jungatur Aldrov. *l.* 1. *de ſerp. & drac. c.* 19. Vide *Papula. Puſtula. Boa*, hodie morbus Gallicus apud Hiſp. Delecamp. *in hunc locum.* Plinio *l.* 26. *c.* 11. tumor crurum ex labore viæ collectus. Laurembergius *in antiquario.* Rei ruſticæ ſcriptoribus morbus boum, notante Julio Scaligero *in Feſto.*

BOAX, vide *Boops.*

BOCCA ſignificat orificium fornacis in arte vitraria per quod metallum ex ollis majoribus eximitur & ollæ in fornacem mittuntur. C. Merettus *in Notis ad Neri præfat. de art. vitraria p.* 271.

BOCCARELLÆ dicuntur orificia minora ad utrumque Boccæ latus, unum idemque utplurimum horizontale, quo mediante miniſtri in vitrario ergaſterio metallum crudum vel repurgatum ex ollis eximunt. Idem, *ibid. p.* 272.

BOCHETUM, dicitur *Decoctum ſecundarium* ex ligno ſancto, Salſapariglia, china & aliis ſudoriferis paratum. Blaſ. *Medic. Univ. p.* 79.

BOCIA, dicitur *vas vitreum* firmiter clauſum, ventre rotundum, collo oblongum & ſtrictum ad menſuram dimidii pedis vel circa. Dicitur alias & *Ovum*, *Sublimatorium*, *Urinale*, *Cucurbita*, Lagn. *in Harm. Chym. Th. Chym. Vol. IV. pag.* 769. Hanc frigida non licet attingere manu in labore Chymico, ne rumpatur. Greverius *in Secret. Vol. III. pag.* 719.

BODAGI, i. e. *aliud vas*, Rul.

BODID, i. e. *Ovum*, Idem.

BOE, βοὴ, vide *Clamor.*

BOETHEMA, βοήθημα, Auxilium, *Remedium.* vide *Remedium.*

BOF, i. e. *Calx viva*, Ruland.

BOLBIDEON, *Bolbition*, βολβίδιον, βολβίτιον, dicitur parvus polypus, vel ſepiola parva, apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXV.* 6. *& XXIX.* 34. Foëſ. *d.l.* Gorr. *p.* 76. Galenus *exeg.*

BOLBITON, βόλβιτον, *ſtercus bubulum* in ſpecie apud Hipp. ſignificat, cujus uſum ad fotum & ſuffitum in affectibus uterinis commendavit, *l. de nat. mul. II.* 17. *XXIX.* 173. 174. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXV.* 13. *CXXIII.* 13. *l.* 2. *LXXIV.* 21. Foëſ. *p.* 124.

BOLCHON, βολχὸν, appellant quidam *Bdellium*, teſte Dioſcor. *lib.* 1. *c.* 80. Gorr. *p.* 76.

BOLESIS, dicuntur *Corallia*, Rul.

BOLETTO, idem quod *Fritta*, de quo inferius in lit. F.

BOLISMUS, mendoſe pro *Bulimus* legitur apud Avicenn. *l.* 3. *fen.* 13. *tr.* 2. *c.* 15. 16.

BOLUS, ἡ βῶλος, dupliciter ſumi ſolet, generaliter & ſpecialiter. Generaliter idem eſt, ac *gleba*, ſive terra pinguis & limoſa; quamvis per metaphoram & aliis rebus aptari poſſit, v. g. glebæ nimis, glebæ thuris, glebæ caſei. Vid. Rhod. *Lex Scribon. p.* 388. Specialiter vero 1. ſignificat terræ quoddam genus ex pallido rubrum lentore pingui præditum in levorem calcis affuſo humore promptiſſime ſolubile, ac aſſumptum butyri inſtar liqueſcere viſum vaporibus, martialibus imprimis impraegnatum, Schröder. *l.* 3. *c.* 2. Præ reliquis laudatur *Bolus Armena*, ἡ ἐκ τῆς Ἀρμενίας βῶλος, à Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Terra Samia in fin.* quæ ſcilicet ex Armenia & finitimis locis affertur, quamvis non rejiciendæ ſint aliorum quoque locorum, in quibus fodiuntur, *boli*, v. g. *Toccavienſis*, quam Armena non inferiorem commendavit Joh. Crato *Conſil.* 79. apud Scholz. item *epiſt.* 123. 130. *Orientalem* ab Armena diſtinguit idem, *epiſt.* 107. ceu ex Cappadocia Conſtantinopolin allatam. *Wittebergicam* approbat Schröd. *d. loc.* & F. Hofm. *in Clav.* ad illum locum. Ex quo etiam conſtat, dari *bolos* alius coloris videlicet *albos* ex Hetruria, *cinereos* e Fionia & Boringia, Daniæ Inſula, item *Norvvegicos. Bolis*, præſertim *Armenæ*, tribuitur præter vim exiccantem, adſtringentem, conſolidantem, roborantem, etiam virtus alexipharmaca in ipſa peſte ſalutaris. Ejus tamen uſum ſuſpectum reddere conatus eſt Langius *l.* 1. *ep.* 18. *Bolus* dicitur *lutum*, quod minerale nullum in ſe habet, Dorn. Rul. & Iohnſ. *Boletus* idem ſignificat. Deinde *Bolus* ſignificat certam medicamenti formam, mellis fere conſiſtentia paulo craſſiore conglomeratam tanta quantitate, quantam bucca fere capere poteſt. Dividitur in *Purgantem*, *Diaphoreticum*, *Alterantem* & *Roborantem.* In officinis pro uſu nulli extant, ſed ex præſcriptione medici ſtatim parantur. Petr. Morell. *de formul. remed. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 1. Schröder. *l.* 2. *c.* 42. Parantur ex electuariis, pulpis, conſervis, pulveribus, in conſiſtentiam deglutibilem redactis. Spagyricis quoque *bolus* dicitur *coagulum ſpecificum*, quod eſt eſſentiale chymicum, ut ſit eſſentia quædam liberata ab impuris & alienitatibus per coagulationis, quam neceſſario antecedit ſolutio, modum ſegregata, conſtitutaque, quomodo ſolent *boli* eluti in ſpecie fieri, ut ſit eis conſiſtentia & forma homogenea, qualis eſt bolaris, novumque etiam tabulis, id quod ad eſſentiam parum intereſt. Ruland. *in Lex.*

BOMBAX, *Goſſypium*, Cotta, Cottonum, ξύλον, primo denotat plantam ipſam exoticam in Syria & Cypro copioſam, ferentem ſemina multa lanugine involuta inſtar nucis crinitæ incluſa, ſecundo ipſa quoque *lanugo* hoc nomine vocatur. Seminis uſus in phthiſicis & aſthmaticis laudatur, *Lanuginis* rarior internus, frequentiſſimus externus, Schröder. *l.* 4. *cl.* 1. *num.* 59.

BOMBUS, βόμβος, eſt murmur, vel ſtrepitus reſonans ex flatibus, qui in amplitudinem effunduntur & evolvuntur ex locorum anguſtiis. Si hujuſmodi ſonus in auribus percipitur in acutis morbis, lethale habetur ſignum ab Hipp. *Coac. t.* 135. In inteſtinis craſſis fieri à portionibus chyloſis in flatus reſolutis, docet Galen. *l.* 3. *de*

de ſympt. cauſſ. c. 2. unde & ſonori crepitus quandoque excernuntur.

BOMBYLIUS, βομβύλιος & βομβυλιὸς, eſt genus poculi, vel vaſculi cum anguſtiore orificio, à reſonando ita dictum, cujus meminit Hippocr. *lib.* 3. *de morb. XXIV.* 62. quamvis cum epitheto ἰνρυςόμυ, latioris. Verum mendoſum eſſe locum & ſubſtituendum ςενοςόμυ, ingenioſe demonſtravit Foeſ. *in Oecon. p.* 125. Jungatur Galen. *c.* 2. *in* 6. *Epid. t.* 32.

BOMBYX, βόμβυξ, ut & βομβύλιος, eſt vermis lanificus, ſericum texens, oriturque tum ſponte, tum ex ovis. Ejus hiſtoriam admirandam prolixe reperies apud Ulyſſ. Aldrov. *l.* 2. *de Inſect. c.* 6. *p.m.* 278. *multiſque ſeqq.* Jungatur ex recentioribus *diſſertatio Epiſtolica de Bombyce* Marc. Malpighii *Regiæ Societati Anglicæ dicata*, de quo etiam videantur *Acta Philoſophica* Oldenburgii *An.* 1669. *menſ. Julio.* Quærantur & alia de hoc inſecto loca *ibidem in Indice.* Papiliones bombycis κατ' ἐξοχὴν *Bombylii* dicuntur, teſte eodem. Uſurpantur in medicina integri, ſericum cum textura & folliculi, teſte Schröder. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 97. Verum non eſt flocci facienda animadverſio Fr. Hoffmanni *in Clav. ad h. l. p.* 703. Dicitur & *Bombyx ſylveſtris*, e genere erucarum viridium ſimili metamorphoſi cum *bombyce* domeſtico mutabilium, de cujus uſu in medicina nihil adhuc conſtat.

BONATI, i. e. *vitreati*, Rul. *in Lex.*

BONUM, ἀγαθὸν, καλὸν, notiſſimum quidem, & communiſſimum eſt vocabulum, & in genere ſignificat, quod quis aut eligere, aut agere, aut cui confidere poteſt ac debet, ex Galen. *l.* 7. *de Hippocr. & Plat. decr. c.* 2. Sumitur vero vel abſolute & per ſe, vel comparative & ſecundum quid, reſpectu perſonarum, vel alterius alicujus rei. *Bona per ſe* & abſolute, quæ in rerum natura continentur, alia animi, alia corporis, alia exteriora ſunt, nec præter hæc ullum aliud bonorum genus excogitari poteſt, Gal. *Orat. ſuaſor. ad artes, c.* 6. *Reſpective bonum* dicitur, vel ut ſignum, vel ut ſignatum. Sub utroque reſpectu *bonum* aliquando etiam complectitur *minus malum*, *c.* 20. *in* 6. *Epid. t.* 38. *Bonum* etiam pro certo, ſtabili, vero, & perpetuo poſitum eſt, *c.* 2. *de fract. t.* 31. Plura huc facientia vide ſis apud Dieter. *Iatr. n.* 2.

BOOPS, *Boax*, *Box*, βῶξ, βόαξ, βόηξ, eſt nomen piſcis littoralis, qui inter cibos concoctu faciles refertur, ita, ut etiam ægris apponatur. Vide Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 41. Bruyerin. *l.* 20. *c.* 9.

BORACO, vocatur etiam *capiſtrum auri*, Ruland.

BORADES, i. e. *Limatura.* Ruland.

BORAX, *Borrax*, factitium quod ſit, & nitri veluti ſpecies, unde & nomine ſuo proxime accedit ad Arabic. *Baurac*, hoc eſt, *Nitrum*, extra dubium eſt. Ex qua vero materia præparetur, & quomodo, incertum adhuc habetur. Venetiis confici ex cremato quodam lapide candido & fiſſili, quem *boracem crudum* vocant, & Kentm. *Nitrum nativum ſciſſile*, docet Caſp. Hofman. *in Paralipom. Offic. c.* 55. Conſentit in hoc Frider. Hofmannus *in Clavi ad Schröd. lib.* 2. *c.* 79. quod ex minera quadam conficiatur, ſed modum nobis eſſe adhuc ignotum, fatetur. At Paracelſus *boracem* optimum fieri ex aluminis, Salis Armeniaci & Tartari calcinati æquis portionibus in aqua bullientibus, & in alcali coctis, vult *in Appendic. Chirurg. oper. Manuali I. Chym.* Schröder. vero *d. l.* prolixiorem formulam tradit, addendo dictis mineralibus Nitrum, Sal commune, Gummi Arabic. & Maſtichen: & aquæ loco ſubſtituit urinam. Quam compoſitionem ceu inutilem rejecit Frid. Hofmannus *dicto loco.* Quoad vires commendatur *Borax Venet.* in difficili partu, retentis ſecundinis, & menſtruis. Verum illum effectum in dubium vocare conatus eſt Caſp. Hofmannus *d. l.* Vocatur & *Attinkar naturale*, Ruland.

BORBONICUS, *Borbonenſis*, epitheton eſt thermarum Patronymicum, quarum deſcriptionem *in peculiari tractatu* demonſtravit Arcimbaldus edente Joh. Panhalio, vide *Act. Erud. Lipſ. An.* 1700. *m. Novemb. p.* 454. *ſeqq.*

BORBORODES, βορβορώδης, *cœnoſum*, cœnum referens, lutulentum, ſignificat, nimirum à βόρβορος, *cœnum*, fimus. Uſurpatur ab Hippocr. de pure fœtido, 7. *aphor.* 44. 2. *progn. t.* 70. *Coac. t.* 409. de urina fœtente, Gal. *comm.* 4. *aph.* 69. de odoribus cœnoſis, Hippocr. *de hum. VI.* 7.

BORBORYGMUS, βορβορυγμὸς, eſt ſonus, vel murmur, in craſſis inteſtinis factum à flatu, qui neque multus ſit, ſed cum humiditate quadam moderata ad alvum movetur, Galen. *lib.* 3. *de ſymptom. cauſſ. cap.* 2. & 4. *aphor.* 73. Linden. *S. M. Ex. VI.* §. 69. Differt à *Bombo*, quod hic ſit ſiccior flatus, cum majori ſono prodiens. Frequenti quoque in uſu eſt apud Hippocr. verbum compoſitum βορβορύζειν, διαβορβορύζειν, & ὑποβορβορύζειν, de ventre & inteſtinis, *dict. aphor.* & 4. *de R. V. I. A. t.* 64. *ſ.* 3. *Prorrhet. t.* 16. *Coac. t.* 62.

BOREAS, βοῤῥᾶς, βορέας, βοῤῥᾶς, aquilo, eſt ventus quidam e quatuor cardinalibus, qui à ſeptentrione ſpirat, frigidus & ſiccus, Galen. *l.* 1. *de Temper. c.* 2. unde & ab Ovid. *l.* 1. *Triſt. el.* 2. *v.* 27. gelidus *boreas* dicitur. In temporum & corporis mutationibus potentiſſimus, & propterea medico maxime conſiderandus. Opponitur auſtro, 3. *aphor.* 5. Quæ aëris tempeſtas βόρειον, ſcil. κατάςημα dicitur, frigida & ſicca. Quod vero *l.* 2. *de diæt. V. Boream* frigidum & humidum ſtatuerit Hippocr. ex alio principio id aſſeruit, videlicet omnes ventos habere naturam humectandi, tum vegetabilium, tum animalium corpora, quia neceſſe eſt omnes ventos ſpirare à nive, glacie, fluminibus, ſtagnis, terra humecta &c. *ibid. IV.* 2. Cæteris paribus alias *borealis* vel *aquilonaris* conſtitutio commodior & ſalubrior habetur plantis & hominibus, auſtrina, Hipp. *de A. L. & A.* & ex hoc Renatus Moreau *in Schol. Salern. Membr.* 7. *p.* 88.

BORITIS, dicitur lapis philoſophorum, qui ſapientum

tum æs liquefacit, & velut aqua fluxibilis vertit. Turba Philoſoph. *ſerm. 22. in Th. Chym. Vol. V. p. 19.* & ex hoc Rul. *in Lex.*

BORIZA, vide *Lunaria.*

BORRHOS, βορρὸς, dicitur *vorax*, edax, v.g. de aqua & vigilia, 6. *Epid ſ. 3. t. 20.* In fœmin. βορρὰ, cibum, alimentum, ſignificat, *l. 1. de morb. mul. XXXVII. 3.* Et homines, qui multum poſſunt comedere, dicuntur ἄνθρωποι βορροὶ, ut Aſiatici, Gal. *in comm. ad l. Epid.*

BORSELLA dicitur inſtrumentum ad artem vitrariam pertinens, quo vitra pro re nata coarctant vel extendunt & levigant. Delineationem eorum vide apud C. Merett. *in appendic. ad Neri artem vitrar. p. 437.*

BOS, βῦς, dicitur animal vulgo notiſſimum, quadrupes, plerumque bicorne, biſulcum, ruminans, laboribus agreſtibus, victui & medicinæ valde accommodum. Vocabulum hoc aliquando generaliter accipitur de utroque ſexu; aliquando ſpecialiter de ſolo maſculo, qui & *Taurus* dicitur, quemadmodum fœmina *Vacca*, ἡ βῦς. Integram *bovis* hiſtoriam prolixiſſime lege ſis apud Ulyſſ. Aldrov. *l. 1. de quadruped. biſulc. c. 1.* *Bos* ſicciore eſt temperamento, quam ſus. Hinc *carnes bubulæ* alimentum corpori ſuggerunt non mediocre, neque diſſipatu facile, ſanguinemque gignunt aliis æquo craſſiorem; propterea melancholicis frequentior harum uſus noxius habetur, Gal. *l. 3. de Al. fac. c. 2.* Plura de carnis bubulæ dotibus vide apud Linden. *Ex. XIII. §. 505. ſeqq. l. Alex. l. 11. Salubr. c. 9.* Bruyerin. *de re cib. l. 13. c. 4.* *Bobus* aliquando cornua deficere, videl. in Scythia, ideo, quod præ frigore regionis cornua non enaſci queant, teſtatur Hipp. *l. de A. L. & Aq. XLIV. 6. 7.* Quæ de *bove* in uſum medicum cedere poſſunt, videantur apud Schröder. *l. 5. cl. 1. n. 5.* & Fr. Hofmann. *Clav. ad h. l. p. 643.* *Boves* quoque dicuntur piſces cartilaginei quidam, & *Rajæ* ſpecies, inter cibos non poſtremæ bonitatis pertinentes, cum carne ſint molliore, quam reliquæ Rajæ. De iis vide Aldrov. *l. 3. de piſc. c. 52.* Vitulus etiam marinus *bovis* nomine venit, teſte eodem *l. 1. de Cet. c. 10.*

BOSA Ægyptiis dicta fuit *maſſa* parata *ex farina loliacea ſeminibus cannabis & aqua*, ejuſdem virtutis inebriativæ, qua aſis, de quo vocab. vide ſupra. Pr. Alpin. *l. 4. de medic. Ægypt. c. 2. p. 121. b.*

BOSCADES, βοσκάδες, eſt epitheton columbarum, quæ in turribus nidum collocant, quas in agris extruere nonnulli ſolent. Vocantur à quibuſdam *agreſtes*, ad differentiam domeſticarum, τῶν κατοικιδίων, Galen. *lib. 2. de C. M. S. G. c. 10. fin.* Βοσκὰς quoque dicitur picis ſiccioris quoddam genus, quod viſci inſtar lentum eſt. Gorræus.

BOTAMUM, i. e. *plumbum lotum.* Rul.

BOTANE, βοτάνη, vide *Herba.*

BOTANICON, βοτανικὸν, eſt nomen emplaſtri, quod deſcribitur ab Æginet. *l. 7. c. 17.* & meminit etiam ejus *l. 4. c. 22.* Gorr. *p. 76.*

BOTHOR, vide *Exanthema.* *Bothor* idem, quod *Apoſtema narium*, apud Walther. *Sylv. Med. p. 183.* *Bothor* triplicem apud Arabes habere ſignificationem, latam unam pro omni tumore, ſtrictam pro tumore cum ſolutione continui, & ſtrictiſſimam pro parvis tumoribus ſcribit Fallop. *de tum. p. n. c. 2. Tom. I. p. 619.*

BOTHRIUM, βόθριον, *foveola*, (1) ſignificat alveolum & cavitatem cujuſque dentis, quemadmodum Phatnion oſſa, quibus continentur dentes. Gal. *de oſſib. c. 5. fin.* (2) *Bothrion* dicitur ulcus cavum corneæ tunicæ in oculo, parvum, anguſtum, puncturis rotundis ſimile, ulcuſculoque altius. Gal. *Introduct. c. 15.* Ita quoque deſcripſit P. Æginet. *l. 3. c. 22.* addens etiam purum. Verum quod interpres Latinus Joh. Guinterius Andernacus in verſione non ſolum mutaverit vocab. in *Botryon*, ſed etiam, ut fucum ſuæ verſioni faceret, addiderit, ob uvæ ſimilitudinem ita appellari, non reſpondet Græco textui, in quo expreſſe legitur βόθριον. Ita quoque deceptus Foreſtus *l. XI. Obſ. 17. in Schol.* Differentiam ab aliis oculi ulceribus ibidem reperire licet. Cauſa eadem, & generationis modus, cum aliis ulceribus communis eſt. Vid. Senn. *M. Pr. l. 1. P. 3. ſ. 2. c. 18.* Capivaccio dicitur *Foſſula*, *Pract. l. 1. c. 33.* vide infr. *Foſſula.* Erotianus βοθρίας dicit, & deſcribit, quod ſint in oculis cava ulcera.

BOTIN, *Butino*, eſt *Terebinthina*, item *balſamus terebinthinæ*, quando certo ſuo tempore colligitur ſecundum hanc influentiam balſamicam, Rul. *in L. Ch.* Meminit *Botin deſtillati* ad extrahendum florem æris. Theophr. Parac. *l. 10. Chirurg.*

BOTIUM, vide *Bronchocele.*

BOTOTHINUM, terminus Paracelſicus obſcurus, quem exponit per florem morbi. Unde *Podagram* vocavit *Locuſtam gummatam Bolothinam*, *l. 2. de Podagric. §. Necromantia.*

BOTRYITES, *Botritis*, βοτρυίτης, ſpecies *Cadmiæ* uſtæ, uvæ ſpeciem referens, quæ in editiori parte fornacum, in quibus uritur, colligitur. Nam quæ in inferioribus reperitur, *Placitis*, πλακίτις, vocatur, Gorr. *d. l.* Quamvis Schröd. *l. 3. c. 19.* aliter diſtinguat, in *Botritin*, quæ in media parte fornacis, *Placitin*, quæ in editiore; & *Oſtracitin*, quæ in infima. Uter rectius diſtinxerit, fortaſſis inquirere ſupervacuum, cum viribus vix ac ne vix quidem diſcrepent.

BOTUS, *Botia*, *Botus barbatus*, eſt vas chymicum, quod dicitur alias cucurbita, de quo infra; item vas ſuper vas, vas fuſorium, vel deſcenſorium, crucibulum, junco, factum ad fundendum. Vide *Bocia.*

BOVILLÆ priſcis medicis, morbilli noſtris. Raym. Vinarius *de peſte l. 3.*

BOVINA AFFECTIO, vocatur *vermis* inter cutem & carnem perambulans & illam perforans, quod in plurimis bobus utriuſque ſexus obſervatur, uti ex Alſaharavio notavit Walther. *Sylv. Med. p. 928.*

BOXUS,

BOXUS, dicitur *viſcus* in arbore naſcens, qualis eſt viſcus quercinus, Dorn. *in Dict.*

BRABYLA, τὰ βράβυλα, dicuntur *pruna*, & quidem magna dulcia, atro-cœrulea, vulgo *Damaſcena* & *Hungarica*, & referuntur inter ea, quæ exiguum alimentum præbent corpori, malique ſucci, apud Galen. *lib.* 2. *de Al. fac. c.* 38. Succus tamen coctus etiam refertur inter ſtomatica medicamenta, *l.* 6. de C. *M. S. L. c.* 1.

BRACHERIUM, dicitur vinculum & ſubligaculum chirurgorum, quo utuntur in curandis & deligandis herniis, de quo vide H. F. ab Aquapend. *de Oper. Chirurg. c. de inteſtin. Herniæ*, Ambr. Paræum *l.* 7. *Chirurg. c.* 15. P. Barbett. *Chirurg.* P. 1. C. 7. Scultet. *Armam. Chirurg.* P. I. *Tab. XXXIIX. fig.* 3. & 5. & *Tab. XXXIX. fig.* 9.

BRACHIÆUS dicitur muſculus flexor cubiti ſub bicipite latens, cujus ulterior deſcriptio petatur ex anatomicis, ſpeciatim Bartholin. *l.* 4. *c.* 8. *p.* 57.

BRACHIALE, vide *Carpus*.

BRACHIUM, ὁ βραχίων, vel ſumitur late pro omni eo, quod à ſummo humero ad extremam uſque manum protenditur, totus ſcil. ille oſſium ductus *Humeri Radii*, atque *Ulnæ*, cum ſuis muſculis circumpoſitis & ipſa oſſa veſtientibus, vaſis & communibus integumentis, Gal. *com.* 2. *de fractur. in princ.* Linden. *Exerc. XIII.* §. 412. Reald. Columb. *l.* 1. *Anat. c.* 23. quamvis ibidem de oſſibus ipſi ſolum ſermo ſit: vel ſtricte, (quæ ſignificatio medicis propria eſſe debet) pro illa parte manus late acceptæ, quæ ſcapulis annexa eſt, cujus termini ſunt inferne articulus, qui in curvatura cubiti eſt, quem *ancona*, ſive *cubitum*, cui innitimur, vocamus: Superne autem *humeri articulus*, Galen. *l.* 2. *de motu muſ. c.* 2. & *l. de inæq. intemp. c.* 2. Jungantur aliorum anatomicorum ſcripta. Quod vero Lind. *dict. l.* & *in Phyſ. l.* 2. *c.* 14. *art.* 10. *Brachium* acceperit pro illa parte, quæ inter cubitum & extremam manum interjacet, ulna & radio conſtans, an non dici poterit, quod fuerit hallucinatus? Sane loca Galeni, quibus nititur, obſcuriora ſunt, quam ut hoc probent. Aliquando adhuc ſtrictius accipitur pro totius *brachii* parte, quæ inter duas juncturas humeri & cubiti intercedit, *c.* 1. *de artic. t.* 4. *Brachium* factitium chirurgicum delineatum vide apud Paræum *Chirurg. l.* 22. *c.* 12.

BRACHUNA, idem quod *Acrai*. Vide *Acrai*.

BRACHYCHRONIUS, βραχυχρόνιος, idem, quod *brevis*, de morbo dicitur, qui brevi tempore finitur, Gal. *in def. med.*

BRACHYPNOEA, βραχύπνοια, frequentius ſignificat *brevem*, & ſimul ex longis intervallis factam *ſpirationem*, ex Galen. *lib.* 3. *de diff. reſpir. c.* 8. Hinc & *brachypnous*, ὁ βραχύπνοος, ἡ βραχύπνους dicitur, Latine *breviſpirus*, qui & rarum & parvum ſpiritum trahit, *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 74. idque malum dependet ab imminente ſanguinis perfrigeratione & flammæ vitalis extinctione. Interdum tamen etiam βραχύπνους ſaltem de brevem ſpiritum trahente abſque raritate intelligi debet. Hippocr. *lib.* 2. *Epid. ſect.* 3. *n.* 70. & 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 19. Vide Foëſ. *Oec. p.* 127.

BRACHYPOTÆ, βραχυπόται, ἡ βραχύποτοι, dicuntur, qui parum ex longo intervallo bibunt, Galen. 3. *in* 3. *Epid. t.* 74. quamvis hoc nomine venire ſtatuat eos quoque, qui rarius quidem, ſed paulo copioſius bibunt, *l.* 1. *de diff. reſpir. c.* 12. Vide iterum Foëſ. *d. l.* vid. *Parvibibulus*.

BRACHYS, βραχύς, vide *Brevis*.

BRACIUM, alii *Brachium*, i. e. *Cuprum*, Rul. Vide *Æs*.

BRACTEA, ἔλασμα, ἐλασμὸς, πέταλον, idem, quod *Lamina*, ſolea, e variis metallis parata, diverſis uſibus medicis, præſertim chirurgicis deſtinata: vulgo ein blech. Rul. *in Lex.*

BRADYPEPSIA, βραδυπεψία, eſt tardior, imbecilla, & imperfecta cibi concoctio, & ita ſymptomata actionis diminutæ ventriculi, non niſi tardius alimenta concoquentis, ex Gal. *de diff. ſympt. c.* 4. Ægre vero & plus juſto longiori tempore fit chylificatio vel culpa alimentorum, vel culpa fermenti; Alimentorum vitio accidit, ſi vel quantitate nimia, vel qualitate vitioſa fermentationi debitæ reſiſtentia ingeruntur. Fermenti culpa contingit, quando vel deficit, vel iners eſt, veluti pinguius, viſcidius, aquoſius. Franc. Sylv. *l.* 1. *Pr. Med. c.* 7. §. 9. *ſeqq.* An vero omnem imminutam chylificationem neceſſario comitetur alimentorum excretio minus, quam decebat, immutata, unde nihil, vel parum nutrimenti roboriſque ab aſſumtis alimentis accedit ægro, quemadmodum idem deſcripſit §. 3. merito in dubium vocari poteſt. Verum hæc diſceptatio excedit inſtituti noſtri limites.

BRADYS, βραδὺς, vide *Tardus*.

BRANCHUS, βράγχος, τὸ, eſt ſpecies catarrhi, fauces, guttur, & aſperam arteriam afficientis, Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 8. & *l.* 3. *de ſymp. cauſſ.* Latin. *Raucedo*, *Raucitas*, vocis aſperitas, antiquis *Ravis*, ex Plauti *Pœnulo A.* 3. *Sc.* 5. & *Captiv. prolog.* Cauſſam ejus vide in *Catarrhus*. *Branchi* vel *Branchæ* etiam vocantur tumores glanduloſi in faucibus, qui amygdalas duas quaſi præ ſe ferunt, unde difficilis fit exſcreatio & anxia ſpiritus attractio. Roland. *l.* 2. *M. M. c.* 16.

BRANTA, ſive *Bernicula*, eſt ſpecies *Anglici anſeris* & *Scotici*, de quo multa fabulati ſunt, quo vel ex arboribus naſcatur, à caudice & ramis dependens; vel ex putridis lignis generetur, cujus deſcriptionem exhibet Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 23. Caro ejus vulgari anſere inſuavior eſt, nec à divitibus expetitur.

BRARICIA, i. e. *Vitrum*, Rul.

BRASE, i. e. *Carbones*. Id.

BRASIUM, vide *Byne*.

BRASMOS, βρασμὸς, idem, quod ζύμωσις, *fermentationem* ſignificat, ſicut hoc ex antiquiſſimo Græco autore

autore Pharnutho demonſtravit D. Windet Anglus M.D. in ſuo ſingulari libello *de vita functorum ſtatu ſect. III. p.* 30. Dicitur & ἐκβρασμός.

BRASSIDELLICA *Ars* dicitur ab herba *Braſſidella*, vel Braſſatella, quæ alio nomine vocatur ophiogloſſum, lanceola, eſt ſpecies curationis vulnerariæ apud Paracelſum, *l.* 2. *de vit. long. c.* 14. per appoſitionem dictæ herbæ ſuper vulnus recens. Poſſunt & alia imponi, v. g. Perſicaria, Telephium, cortex juglandis arboris, &c. Libav. *Apocal. Herm. P. prior. c.* 12.

BREGMA, βρέγμα, βρέχμα, & βρεχμὸς, dicitur, pars capitis media & anterior, ſupra frontem ſita, & à lateribus ad tempora uſque protenſa. Hæc an recte dicatur *ſynciput*, nolumus litem noſtram facere. Si placet, legas de hujus vocis obſcuræ derivatione C.Hofm. *l.* 2. *Inſt. c.* 59. §. 2. Linden. *Phyſiol. l.*2.*c.*8.§.16. Conſtat *Bregma* duobus oſſibus propemodum quadratis, quorum unum dextrum, alterum ſiniſtrum eſt. Ambo autem parte quidem poſteriore lateribus ſuturæ lambdoidis, anteriore vero ſutura coronali, à lateribus προκολλήμασι, ſive ſuturis λεπιδοειδέσι, ſuperiori denique ea ſutura terminantur, quæ utrique communis eſt, & ſecundum longitudinem capitis recta procedit, (quam ὀβελιαίαν nominant, h. e. *ſagittalem.*) Conſtant, ut & reliqua fere omnia cranii oſſa, duabus ſquamis, inter quas valde fiſtuloſa raraque apparent; niſi quæ temporum oſſibus conjunguntur, ubi tenuiſſima quidem ſunt, ſed ſolida & minime fiſtuloſa. Nec fruſtra quidem hæc oſſa natura machinata eſt, quod toto vitæ decurſu tenuia & halituoſa cerebri excrementa maxime par ſynciput difflari oportebat. Eſt enim cerebrum ea cranii parte, quam reliquis, copioſius. Sunt, qui ἀπὸ τοῦ βρέχειν, *humectare*, madefacere dictum putent, quod hæc pars capitis humidiſſima molliſſimaque ſit, præſertim infantibus fere membranacea, utut videri poſſit βεβρέχθαι, h. e. *madefacta eſſe.* Ex quo forte etiam obſtetrices partem eam *fontem capitis* appellant. Huic parti, quia ſuturæ dictæ, coronalis, & ſagittalis, ibi concurrunt, & tranſitum facilem concedunt, embrochæ ſive ſtillicidia commode adhibentur, ſed & in phthiſicis fonticuli inuri ſolent. Gorr. Jung. Scultet. *Arm. Chirurg. Part.* 1. *Tab. XXVI. fig.* 2. *ſeqq.* Meminit *Bregmatis* Hipp. *de Cap. vuln. III.* 1. & 5. *Bregma* etiam aliquando pro *Begma* ſcribi, Gr. βῆγμα. Vide ſupra *Begma.*

BRENTHUS, βρένθος, eſt ſpecies *anatis* vel *mergi*, Bœotis inter delicias habita, Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.*50.

BREPHOS, τὸ βρέφος, ſignificat *infantem.* An à τρέφω, mutato τ in β, an vero à φέρβω, per metatheſin, & ρ derivari debeat, philologi diſputent.

BREVIS, βραχὺς, diverſimode prædicatur apud Hipp. 1. *aph.* 1. de vita noſtra; cujus expoſitionem prolixiorem vide ap. Dieter. *n.* 163. Jactantia eſt, ſi qui contra illud veriſſimum dictum artem brevem, & vitam longam pollicentur. 2. de pulſu à Gal. *de pulſu ad tyr.c.*2. quamvis fortaſſis abſque aliqua utilitate in medicina. 3. de morbis eorumque temporibus; qua univerſalibus; qua particularibus. Dicuntur βραχυχρόνιοι, h. e. *brevi tempore durantes*, ad oppoſitionem τῶν μακροχρονίων, id eſt, *Chronicorum.* 4. de doctrinæ genere. Hanc brevitatem cum perſpicuitate vix ac ne vix quidem conjunctam eſſe, aliquoties urſit Galen. v. g. *c.* 1. *de iis, quæ in med. f. t.* 5. 15. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 1. 2. *aph.* 8. & alibi. *Brevis* quoque eſt epitheton cujuſdam muſculi cubitum extendentis apud Barthol. *l.* 4. *An. c.* 8. *p.* 572.

BREXANTES, βρέξαντες, epitheton ranarum parvarum viridium, apud Gal. *l.* 10. *de Sim. Fac.* ubi vanitatem detexit illius remedii, ſanguinis nimirum dictarum ranarum, in prohibenda regeneratione pilorum; haud dubie vero ita dictæ à ſono & voce illarum, de qua apud Ariſtoph. in *Ranis.*

BRITHOS, τὸ βρῖθος, *pondus*, gravitas, moles dicitur. Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. X.* 11. *LXXXVII.* 10. *LXXXVII.* 28. *in Epiſt. ad Damaget.* 252. à verbo βρίθω, quod eſt *pondere gravare*, incumbere, *l.* 1. *de morb. mul. XIII.* 12. & *l. de flat. XVII.* 9. *XXI.* 3.

BROCHOS, βρόχος, ſignificat *laqueum.* Vide *Laqueus.*

BROCHTHUS, βρόχθος, i. e. *Gula*, idem, quod *Bronchus.* Linden. *Phyſ. l.* 2. *c.* 6. §. 199. Significat & poculi genus aut lagenulam. Hippocr. 2. *de morb. LXVII.* 6. & *LXXII.* 5. Foëſ. *in Oec. p.* 128.

BROCHUS, βρόχος, dicitur, cui ſuperius labrum prominet, cui vitium eſt contrarium mento, cui mentum exſtat. Aliter deſcripſit antiquiſſimus autor Franc. Mar. Grapaldus *de part. ædium fol.* 128. *Brochi* latine dicuntur, qui ſunt ore producto, dentibus prominentibus. Gr. προοδόντες. Alias & *Brunci.* Non confundendi vero cum *Broncis* aut *Bronchis*, qui gutturis vitio laborant, *Gutturoſi* Ulpiano dicti *l. qui clav.* §. 2. *ff. de ædil. ed.* quamvis Nonius *Gramm. l.* 1. 102. aliter deſcripſerit. *Broncis* ſunt producto ore & dentibus prominentibus, quem falſitatis arguit Lind. *Ex. XI.* §. 40. quem vide.

BRODIUM, eſt terminus Pharmaceuticus, idem ſignificans, quod *juſculum*, ſive liquorem aliquem, in quo alia res ſive medicamentum ſolidius vel aſſervatur, vel diluitur; ita dicuntur *Brodium* ſalis communis, ſalſuginis ex olivis, Salis Armoniaci *in Theatr. Chym. Vol. I. Tr. de Medic. Chym. p.* 607. *ſeqq.*

BROMA, τὸ βρῶμα, *cibum*, *edulium*, eſculentum ſignificat, ad differentiam τοῦ πόματος, quod potum, Gal. *l.* 1. *de alim. fac. c.* 1. & *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 89. ubi per ἔδεσμα exprimit; in ſpecie vero ſolidum cibum, qui, uti commolitione indigeret, ita & negotium exhibere calori noſtro poſſet, ingenioſe demonſtrat Lind. *Ex. XIII.* §. 290.

BROMION, βρώμιον, nomen eſt emplaſtri aut malagmatis, *Acopi*, apud P. Æginet. *l.*7.*c.* 19. & Aët. *l.*15. Gorr. *p.* 80.

BRO-

BROMUS, βρῶμος, alii βρῶμος ſcribunt, *avenam* ſignificat apud Galen. & alios.

BRONCHIA, βρόγχια, dicuntur rami aſperæ arteriæ. Gal. *exeg.* βρόγχον dicit, & deſcribit cartilagineam arteriam. Vide *Arteria aſpera. Bronchialem arteriam* ex arteriæ aortæ trunco deſcendente oriundam primum inveniſſe D. Frideric. Ruyſch, teſtatur Fr. de le Boe Sylvius *M. Pr. l.* 1. *c. XXIV.* §. 1.

BRONCHOCELE, βρογχοκήλη, i. e. *Hernia gutturalis*, *ſtruma*, χοιρὰς, dicitur tumor magnus, durus, rotundus, in aſpera arteria oboriens, ſive ad fauces, Gal. *l.* 2. *de C.M.S.C. c.* 17. *& l.* 6. *c.* 14. Dicitur & *Scrophula*, à ſcrophis, quibus hic morbus eſt familiaris, Lang. *l.* 3. *Ep.* 4. Huc pertinet & *Natta*, vel *Nacta*, quæ, ut ſcribit Guido, eſt excreſcentia magna carnoſa, veluti caro natium, vel ancharum, diverſæ quidem formæ & magnitudinis, cujuſmodi ſunt melopepon & cucurbita. Tales tumores diverſa ſortiuntur nomina, pro formæ & membri, in quo eſt, varietate, Foreſt. *l.* 3. *Chirurg. Obſ.* 7. *Schol.* Dicitur & *Botium*, vel *Bocium*, Goſſum, quamvis hoc vocabulum latius extendat ad qualvis excreſcentias carneas, etiam verrucas, nodos, condylomata, imprimis ad illas excreſcentias, quæ oriuntur in fœminis ex ſuppreſſis menſibus; in viris ex hæmorrhoidibus, Paracelſ. *l.* 8. *de natur. & cura morbi Gallic. c.* 1. *l. de ulcerib. c.* 30. Videtur etiam referri poſſe ad abſceſſus cum folliculo. Siquidem aliquando in *bronchocele* caro hebes, aliquando humor aliquis, melli, adipi, pulti, aquæve ſimilis, includitur, Foreſt. *d. l.* Cauſſa eadem, quæ aliorum ſcirrhoſorum tumorum in glandulis, & circa glandulas, nimirum lympha excrementitia viſcoſior, vel alia congelativa aut nimium coagulativa vitioſitate peccans, & abundantius collecta circa dictas partes, ibidemque ſtagnans. Atque ita veterum pituitam cum melancholia mixtam exponendam eſſe arbitramur. De curatione *ſtrumarum* per ſolum contactum mira narrantur de regibus Angliæ & Galliæ. Quod tangere ſoleant, aut ſoliti ſint, certum eſt. An vero curatæ fuerint illo contactu, credat, qui volet. Nobis videtur cum Dieter. *Iatr. n.* 924. μὴ κατὰ λόγον.

BRONCHOTOMIA, βρογχοτομία, eadem operatio chirurgica, quæ & Laryngotomia dicitur, de quo vocabulo inferius *ſuo loco.*

BRONCHUS, βρόγχος, βρόγχον, βρογχίον, vide *Arteria aſpera.*

BRONTE, βροντὴ, vide *Tonitru.*

BROTOS, βροτὸς, i. e. *mortalis*, epitheton hominis eſt, mortalitatem ejus exprimens. Sumitur ergo pro ipſo homine, v. g. 3. *aph.* 12. Vocabulum alias Poëtis magis, quam aliis ſcriptoribus, uſitatum.

BRUCHUS, vide *Eruca*, *Bruchum* vomitu rejectum, in fruſto carnis, ad parvæ pilæ magnitudinem, velut in ſiliqua recluſum, notavit Foreſt. *l.* 18. *Obſ.* 19. *Schol. Bruchi*, i. e. vermes majales, exiccati & rabioſo exhibiti intra breve tempus à rabie liberabunt, ſuperveniente ſomno, ſcribente Hartmanno *in Praxi Chymiatric. Tom. I. Oper. in fol. p.* 16.

BRUMA, idem, quod *hyems*, præſertim ejus portio circa ſolſtitium, quando dies eſt breviſſima. A *Brumo*, i. e. Baccho, ita dictam eſſe, vult Joſ. Scaliger. Gr. βραχεῖα ἡμέρα.

BRUMASAR, terminus ſpagyricus, ſignificans *argentum*, vel *lunam*, quemadmodum *ſoloma ſolem* vel *aurum*, in opere Petri Silento, quod extat *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 986.

BRUMATI *terreum*, id eſt, *Vas vitreatum.* Ruland.

BRUNUS, *ignis ſacer S. Antonii*, idem, quod *eryſipelas*, Idem.

BRUTA, eſt vis quædam influentiæ cœleſtis, quæ per animalia bruta rationalibus manifeſtatur, ut, in chelidonia per hirundinem, per ciconiam clyſteris uſus. Rul. *in Lex.*

BRUTIUS, eſt epitheton picis, quæ pinguiſſima & reſinoſiſſima, Plin. *lib.* 15. *H. N. c.* 7. teſte Rhod. *ad Scribon. n.* 210.

BRUTOBON, nomen unguenti cujuſdam Græci brutum & barbarum, notante J. H. Velſchio *ad Marcell. Cuman. Obſerv. XI. in Sylloge Cur. & Obſ. Medic. Cent. I. p.* 40. 42. quamvis non conſtet, quale ſit unguentum.

BRUTUM, ἄλογον, eſt epitheton animalium ratione carentium, idem ſignificans, quod irrationale, Galen. *orat. ſuaſor. ad art. c.* 1. Dicuntur & eidem βοσκήματα, 4. *de R. V. I. A. t.* 1. *Brutorum* cor vocatur lapis Philoſ. *Th. Ch. Vol. IV. p.* 727.

BRYCHIOS, βρύχιος, dicitur *profundus*, ſubmerſus, idem, quod ὑποβρύχιος, Hipp. *de venis*, *XXIV.* 3.

BRYGMUS, βρυγμὸς, eſt *dentium* inter ſe colliſorum *ſtridor* ac ſtrepitus. Species quædam motus convulſivi maxillæ inferioris, proveniens ab effluviis nitroſis, acribus, & vellicantibus, & ad exploſionem ſpiritus animales in illis muſculis & nervoſis partibus irritantibus. Confer. ad Willis *Pathol. Cereb. P.* 1. *c.* 4. *p. m.* 54. 55. Infantibus & pueris familiaris, præſertim verminoſis. Sæpe etiam comes rigoris febrilis eſſe ſolet *ſtridor dentium*, ex Hippocr. *l. de nat. mul. XXX.* 15. *XXXI.* 16. *l.* 2. *de Morb. XLII.* 3. *l.* 1. *de Morb. Mulier. LXXXVI.* 16. *LXXXIX.* 4. *l.* 2. *XLV.* 56. Verbum quoque eſt βρύκειν & βρύχειν, Hippocr. uſitatiſſimum, quod ſignificat, *dentibus ſtridere.* Loca, ſi placet, vide *in Oec.* Foëſii *p.* 129.

BRYON, βρύον, alias σπλάγχνον, ſignificat *muſcum* molliorem arborum, præſertim quercuum corticibus adnaſcentem, quem canos arborum villos Plinius appellat, *l.* 12. *H. N. c.* 23. Hipp. ad uteri ſuffitus adhibuit, *l. de Nat. mul. XXIX.* 169. *&* 181. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXII.* 9. In ſpecie βρύον θαλάσσιον notat *Algam*, ſive muſcum marinum, quem ad uteros inflammatione laborantes adhibuit Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXII.* 4. Hinc etiam adjectivum derivatur *Bryodes*, βρυώδης, quod de vinculo molliuſculo & algæ ritu cedente uſurpatur, ulceribus

ceribus circumdando, & opponitur adeo duro, ut premat, Gal. *lib.* 3. *M. M. c.* 4.

BRYTIA, βρύτια, dicuntur uvarum partes ſolidæ, quæ muſto expreſſo ſuperſunt, quemadmodum ϛέμφυλα, olivarum reliquiæ poſt olei expreſſionem. Gal. *l.* 2. *de Alim. fac. c.* 9.

BRYTON, βρύτον, eſt potionis genus ex hordeo, quod Ariſt. πῖνον vocavit. Eo, qui temulenti fiunt, non in omnem partem, inquit, corruunt, ut cæteri, ſed retrorſum duntaxat, & ſupini. Alii dicunt ex obriza fieri, alii vero etiam ex milio, Gorr. *in def.*

BUBALUS, *Buffalus*, βύβαλος, eſt animal quadrupes, ex boum ſerorum genere, bovi ſimile, ſed majus altiuſque, corpore valde craſſo, cute duriſſima, membris macilentis. Carnes ejus in cibis, nec boni ſaporis, nec commodæ ad nutrimentum. Ex ungulis & cornibus annuli facti laudantur adverſus nervorum ſpaſmos & contracturas. Vid. Aldr. *l.* 1. *de quadr. Biſulc. c.* 6. De *Bubalo* veterum, *c.* 5.

BUBASTICUM, βυβαστικόν, epitheton ulceris, quod eſt præhumidum, & pueris maxime in ſuperficie oritur, notante Gorræo *p.* 77. ex Aëtio *l.* 4. *c.* 21. Rationem hujus appellationis reddere non licet.

BUBO, βουβὼν, ſignificat partem & morbum: *Partem*, quæ alias dicitur inguen, locus ille ad latera pubis, ubi femur & coxendix coëunt. Dieter. *n.* 159. Barth. *l* 1. *Anat. in proœm.* Cum vero in illo loco *glandulæ* plures ſitæ ſint, & illæ aliquando *bubonum* nomine venire ſolent. *Morbum*, ſi illæ glandulæ tumore afficiuntur, vel inflammatorio, vel eryſipelaceo, vel ſchirrhoſo, *bubones* κατ' ἐξοχὴν appellantur. De inflammatione benigna vel maligna eryſipelacea loquitur Hipp. 4. *aph.* 55. Cauſa horum tumorum cum aliarum partium ſimilibus communis, niſi quod glandulæ ad humiditates abundantes qualeſcunque vitioſas magis ſint diſpoſitæ & opportunæ, Gal. *l.* 13. *M. M. c.* 5. ubi ſimul *bubonum* vocab. glandularum etiam in collo, capite, & ſecus aures tumoribus attribuit. *Bubo* dividitur in benignum, & malignum, hicque rurſus in venereum & peſtilentialem, P. Barbette *Chir. P. II. l. I. c. XI. Bubo* quoque nomen eſt avis cujuſdam, alias *noctua* dictæ, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 8. *Ornith. c.* 2. De hac ave varia deſcripta ſunt remedia. Verum pleraque vana & inutilia, ſuperſtitioſa aut ſuperflua, rectiſſime judicat idem *d. l. p. m.* 518. *ed. Bonon.*

BUBONOCELE, βουβωνοκήλη, *Hernia*, ſeu *ramex inguinalis*, eſt ſpecies tumoris ad inguina mollioris vel durioris, pro diverſitate cauſæ continentis, quæ vel pars corporis, videl. portio peritonæi plus nimis dilatati, vulnerati aut rupti, aut omenti, aut inteſtinorum ſubſidens eſſe poteſt, ita tamen, ut in inguine ſubſiſtat, nec deſcendat in ſcrotum, P. Æginet. *l.* 3. *c.* 53. Galen. *l. de Tum. p. n. c.* 16. vel collectio & ſtagnatio excrementitiæ humiditatis ad glandulas: & ita ejus natura & generationis modus ex deſcriptione *Bronchoceles* facile intelligi poterit.

BUBULA, ſine adjectione, *Caro*, h. e. caro bovis, ap. Scrib. Larg. *n.* 188. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.*

BUCCA, ὁ γνάθος, ab anatomicis ea pars appellatur, quæ utrique malæ ſubjecta eſt, Gal. *c.* 2. *de artic. t.* 3. & inflari poteſt, Barthol. *l.* 3. *An. c.* 11. Sumitur etiam pro ipſo ore. Prolixiorem deſcriptionem vide *in prælim. Anatom.* Piccolominei, *p.* 313.

BUCCACRATON, βουκκάκρατον, dicebatur *buccea* vel *buccella* illa panis vino intincta, mane loco jentaculi olim ſumta, de quo vide Linden. *Exerc. IX.* §. 65. Cur vero inſalubre dixerit hoc jentaculum, non licet hariolari.

BUCCATUM, i. e. *Vitreatum*, Rul. & Iohnſ.

BUCCEA, *Buccella*, βοῦκκα, ψωμὸς, Græcobarbare ſignificat fruſtum aliquod majus minuſve, quod una vice aliquis poteſt ore comprehendere & devorare. Paracelſus etiam *buccellam* appellat excreſcentiam carneam Polypi in naſo, quia exiſtimat, eſſe portionem carnis buccarum aberrantem, & naſo ſeſe inſinuantem, *l. de Ulcerib. c.* 20. Verbum quoque *buccellare* ſignificat *Cibare*, *Fruſtillare.* Rul. & Iohnſ.

BUCCELATON, βουκκέλατον, eſt medicamentum in panis formam concinnatum, purgandi vim habens. Latine dici poteſt *buccella purgatoria.* Paratur ex ſcammonio præparato cum ſuis corrigentibus, indito in fermentum, in artiſcos formato, inque clibano cocto, juxta Aët. *l.* 3. *c.* 100. P. Ægineta vero in forma electuarii ſolidioris cum melle (vel placentæ mellitæ, cum toſtionem præceperit,) paravit, *l.* 7. *c.* 5. ex ſcammonio toſto cum ſeminibus opii, piperis, aniſi, fœniculi.

BUCCINA, κήρυξ, *Buccinum*, eſt ſpecies quædam animalium ὀστρακοδέρμων, quorum totius corporis integumentum teſtæ aut lapidi palam eſt ſimile, Gal. 3. *de Al. fac. c.* 33. ſive teſtaceorum turbinatorum *purpuræ* affine, variæ formæ, cujus prolixiorem deſcriptionem, & differentias, uſum quoque in cibis & medicina, reperire licet apud Ul. Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 6. & Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſ.* 1. *p.* 49. Dicitur & *Murex*, quamvis generalius hoc ſit vocabulum, purpuram quoque complectens. *Teſtam buccinorum* purpurarumque duriſſimam eſſe, & ideo uſtam adhiberi debere, qua ratione vim deſiccandi obtineat, ſcribit Gal. *l.* 11. *de Sim. Fac.* §. *de Buccinis & Purpuris*, & *l.* 1. *de C. M. S. G. c.* 16. *fin.*

BUCCINATOR vocatur muſculus mole ſua buccas conſtituens, rotundus in tubicinibus maxime conſpicuus, de quo plura apud Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 11. *p. m.* 533.

BUCCULA dicitur carnoſa ſub mento pars. Barthol. *d. l. p.* 532.

BUCELLATIO vocatur modus ſiſtendi ſanguinem imponendo linamentum ſuper venam vel arteriam, uti ſcribit ex Avicenn. Fallop. *de Vuln. partic. c.* 10. *Tom. II. op. p.* 208.

BUCERAS, *Buceros*, βέκερας, βεκέρως, dicitur *fœnum græcum*, ejuſque ſemen, ap. Hippocr. *l.* 1. *de morb. Mul. XCIII.* 24. Vocatur & *Telis*, Gr. τῆλις.

BUCTON dicitur Severino Piriæo in *opuſc. phyſiologico-anatomico* de virginum notis *l.* 1. *c.* 5. *p.* 47. Hymen ſive clauſtrum virginale inter nymphas deliteſcens. Vide *Hymen.*

BUELON, verriculum, quo utuntur, qui calculum extrahunt. Sanct. Barolitanus *de Calc. veſic. c.* 10.

BUFO, φρῦνος, eſt animal ob venenoſitatem ſuam abominabile, deterrimum & notiſſimum, ad *ranarum* ſpeciem accedens. Eſtque vel terreſtris, qui notior; vel paluſtris, minus vulgatus. Ejus uſus medicus internus in pulvere ſiccato licet hodieque in dubium vocari nec poſſit, nec debeat, utpote obſervationibus fide dignis ſatis ſuperque confirmatus, uti videre eſt apud Schröd. *Pharm. l.* 5. *cl.* 1. *num.* 7. & F. Hofm. *in Clav. ad h. l.* cum tamen natura nimium quantum animal hoc abhorreat, annon melius foret, abſtinere ab ejus uſu interno, præſertim cum aliorum gratiorum medicamentorum copia minime deſtituamur, prudentiorum judicio relinquo. Quid? quod externus quoque uſus ei, cui applicatur, ſi innotuerit, horrorem & metum incutere hauddubie ſoleat. De ſingulari amuleto adverſus peſtem vide Helmont. *tr. Tumulus Peſtis, tit. Zenexton.* Plura apud Fr. Hofmann. *d. l. Bufo* ſpagyricis etiam dicitur *lapis philoſophicus* à Lagneo *in Harmon. Chym. Th. Chym. Vol. IV. p.* 727. Quid ſit *bufo groſſus de lacte*, tumet ipſe ariolare ex eodem *d. l. p.* 759. *Bufo Philoſophorum* vocatur in extractione animæ mercurii metallorum, quando ſpiritus eſt fixatus in ſua terra ſulphurea, eſtque venenum peſſimum, quia ſiccitas ſua eſt ſufficiens ad convertendum proprium ſuum mercurium metallicum & naturalem in ſulphur purum, *in Appendice Elucidarii* Chriſt. Pariſienſ. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 275.

BUFONITES *lapis*, *Bufonius lapis*, *Crapaudina*, Chelonites, vide *Batrachites.* Hofm. *ad Schröder. d. l. p.* 646. fabulas & nugas ſapere exiſtimat, quod lapis hic in bufonibus reperiatur. De virtute ejus inſigni, virus omne eliciendi, & inflationes à venenatis beſtiis illatas diſcutiendi, ſolo ſaltem contactu & attritu blando, teſtatur Aldrov. *l.* 4. *de Inſectis c.* 3. *p. m.* 469. *l.* 5. *c.* 12. *p. m.* 620. An *Bufonites* collo ſuſpenſus dolorem dentium auferat, quemadmodum ejuſmodi exemplum legitur in Roſin. Lentilii *Miſcellan. Medico-Practic. Part. II. p.* 424. per experientiam ulteriorem confirmatione indiget.

BUGANTIÆ perniones. Mercat. *lib.* 1. *cap.* 12.

BUGONES, βεγονεῖς, vocantur apes ſpuriæ, vernacule **wilde bienen** / natæ ex putrefacto bove, unde & nomen acceperunt. Varro *de Re ruſtica l.* 2. *c.* 5. Pulvis ex illis contritis factus cum melle mixtus pilas gignere ſcribitur. De apum proventu e bobus putrefactis prolixius deſcripto videatur Ul. Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 1. *p. m.* 58. *ed. Bonon.*

BULEUMA, βέλευμα, vide *Conſilium.*

BULIMUS, βέλιμος, vehemens, frequentior, & nimium aucta fames, eſt ſymptoma p. n. aucti appetitus ciborum, etiam cum animi deliquio, proveniens ab halitibus fermenti in ventriculo acidioris orificium ventriculi vellicantibus & pungentibus, P. Barbette *l.* 4. *Prax. c.* 1. cum not. Dekeri, Franc. Sylvius *l.* 1. *Pr. c.* 2. §. 5. Qui cum Galeno cauſſam in refrigeratione oris ventriculi & indigentia quærunt, ex *l.* 1. *de cauſſ. ſympt. c.* 7. operam perdunt. Dicitur & à nonnullis βελιμία, item βέπεινα, magna eſuries, *furcilla.* Vide Linden. *Sel. Med. Ex. XIII.* §. 58. *ſeqq.* Differt ab *appetentia canina*, quod in hac vomitiones ſequantur ex nimia ingluvie; in *bulimo* non item, ſed animi deliquium ſit hujus comes & ſymptoma proprium atque inſeparabile, uti Linden. *d. l.* §. 74. teſtatur.

BULITHOS, βέλιθος, ſignificat *calculum in bobus* repertum, quales non modo in veſicula fellea ſæpius à laniis inveniuntur, verum etiam in renibus & veſica, quales leguntur *in Ephemerid. Nat. Cur. Decad. II. Ann. VI.* ut ita recte dicatur, Ariſtotelem deceptum fuiſſe & feſelliſſe, quando *ſect. X. probl.* 42. hominem ſolum calculoſum fieri credidit, deque ratione illius afferti ſollicitus fuit.

BULLA, πομφόλυξ, dicitur flatus incluſus humido circum extenſo. Ita enim generari ſcripſit Gal. *c.* 7. *aph.* 34. Adde Dieter. *n.* 708. *Bullæ* fiunt circumtenſo humore ſpiritui flatuoſo, & ſolet hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet; tunc *bullæ* quoque magis ſtabiles & difficulter ſolubiles eſſe ſolent. Eſt ergo *bulla* ſoboles flatuum cum ſuperficiaria viſcoſitate majori minorive, per agitationem & conquaſſationem obortorum. De hujus generatione & differentiis plura lege ſis *in notis ad Jeſſenii Judic. de S. V. S. M. p.* 190. *ſeq.* Quid *bullæ* in urinis ſignificent, indicat Hipp. 7. *aph.* 34. quamvis alii etiam ad alios morbos flatulentos hoc ſignum extendant, Dieter. *n.* 708. Paracelſ. *de urin. judic. t.* 2. *c.* 3. *Bullæ* dicuntur etiam puſtulæ, cum oculis obortæ, tum ex combuſtione in aliis quoque partibus excitatæ, Gal. *l.* 6. & 9. *de Simpl. Fac.*

BULLIMENTA vocantur ab Auguſtino Pantheo, quando vaſa aurea vel argentea eluuntur & extergentur convenienti quodam liquore, ut fiant nitidiora, Libav. *S. A. Ch. l.* 1. *c.* 24.

BUPEINA, vide *Bulimus.*

BUPRESTIS, βέπρηςις, eſt animal inſectum quoddam, cantharidi & ſpecie & viribus adſimile. Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *h. t.* Dicitur à βε, particula intenſiva: vel à βες, bos, quod animal bobus imprimis exitioſum ſit, teſte Plin. *l.* 22. *c.* 22. quod nominis indicium urget Joh. Rhod. *ad Scribon. Larg. n.* 190. quamvis & equis pariter noxium notaverit P. Veget. *Art. Veter. l.* 3. *c.* 78. & πίμπρασθαι, inflammare, & inflare. Integram *Bupreſtis* hiſtoriam vide apud Ul. Aldrovand. *l.* 4. *de inſect. c.* 6. Dicitur etiam quibuſdam Græcis βεδύπη, à valde mordendo. Venenum ejus acre, nitroſum, imo cauſticum

P 2 &

& corroſivum eſt. Quod ſi quis *Bupreſtem* biberit, antidota tradidit Scrib. Larg. *n.* 190. & Galen. *l.* 2. *de Antid. c.* 7. Nihilominus *Bupreſtes* ad utilitatem quoque medicam fuiſſe olim adhibitas, v. g. ad uteros inflandos & purgandos, teſtatur Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. c.* 25. 42. & quidem ſine alis, pedibus & capite, *lib. de nat. mul.XXIX.*90. Et Dioſc.*l.*2.*c.*66. ad carcinomata,lepram, & impetigines curandas aliis admiſſas fuiſſe confirmat. Præter vermem autem notat etiam oleris ſylveſtris genus apud Dioſcoridem, teſte Galen. *in exegeſi Hippocr.*

BUR, terminus Helmontianus, ſignificans ſuccum mineralem, in quem aqua in terra fraceſcens aliquando tranſit, juxta ſpecies per directionem ſeminum electas, quemadmodum *Leſſas* dicitur liquor ſeminalis, ex aqua fraceſcente ad plantarum generationem faciens, *tr. Elementa n.* 13. *Bur* prima mineralium ſoboles dicitur, *tr. Aqua. n.* 7. Jung. Andr. Caſſii *Cogitata de Auro c. IV. p.* 45. 46.

BURAC, eſt *omne genus ſalis.* Alii vero diſtinguunt, ut Baurac, Denequat, *Borago,* Borax, Uritar, Angar. Rul.

BURDO, *Burdus*, vocatur *Hinnulus equi* vel *muli*; cujus poſterioris teſticuli & jecur qualem vim habeant medicam, docet Aldrov. *l.* 1. *de quadr. c. fin.*

BURINA, i. e. *pix.* Rul.

BURIS vocatur *Hernia ſcirrhoſa*, ex lapideitate apoſtematis duri genita, Avicen. *l.* 3. *fen.* 2. *tr.* 1. *c.* 3.

BURSA *teſtium*, vide *Scrotum.*

BURSALIS vocatur muſculus femoris obturator internus ob ſimilitudinem quandam cum marſupio. Barthol. *lib.* 4. *An. cap.* 11. *p.* 580. In figuræ vero explicatione *p.* 576. vocatur à Bartholino *Marſupialis.* Græce ζυρσειδὴς ἢ μαρσυποειδὴς dici poſſet.

BUTEO, βουτέων, τριόρχης, eſt ſpecies *accipitris*, cujus deſcriptionem vide in Aldrov. *lib.* 5. *Ornith. c.* 7. Hujus ſingularis uſus eſt in cibis, cum carnem obtineat optimam & teneram, ut & in medicina, quando teſticuli cum melle cocti & oblati laudantur ad arcendam conjugalem infirmitatem, *p.* 372. *ed. Bonon.*

BUTIGA, eſt inflatio totius faciei, quæ & *gutta roſa* vel *rubea vocatur*, Rul.

BUTLER, nomen eſt hominis, qui lapidem mirabilis efficaciæ habuit, de quo integrum tractatum ſcripſit Helmontius, inſcriptum *Butler.* Fuit natione Hybernus, homo magna quondam in æſtimatione ap. Jacobum Angliæ Regem, qui mira præſtitiſſe lapide ſuo *ibid.* legitur in curatione morborum graviſſimorum citiſſima, in chryſopœia ſive auri ex plumbo & hydrargyro confectione excellens. Credat, qui volet. Plura de illo & ejus obitu violento vide ap. Fr. Hofm. *in Clav. Schrôd. l.* 2. *c.* 65. *p.* 89. *ſeq.* An hujuſmodi *Panacea Butleriana*, quæ ſolo intinctu magnæ olei copiæ vires ſuas communicet & multiplicet, & ſola etiam inunctione, vel unius alteriuſve guttulæ propinatione, tam miros effectus præſtet, naturalibus viribus excogitari & operari poſſit, ego valde dubito. An prorſus vana erit ſuſpicio de præſtigiis? Judicium B. Rolfinkii de *Butleriana* hac univerſali medicina legito *in Ord. ac Meth. Medic. Spec. Comm. l. XIII. c.* 5. nec non in Marci Marci *Philoſ. vet. reſt. Part. IV. ſect.* 1. *ſubſ.* 9. Vide *Panacea.* Deſcriptio lapidis *Butleri* occurrit in Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 375.

BUTYRUM, βούτυρον, & in maſculino *Butyrus*, βούτυρος, perinde enim eſſe docet Gal. *l.*10. *de Sim. Fac. & l.*7. *de C. M. S. L. c.*1. dicitur (1) ipſa lactis ſubſtantia, & pars ejus pinguis ab ipſo multa agitatione & conquaſſatione ſecreta. Etenim *Butyrum* fit ex eo, quod in lacte pinguiſſimum eſt, Gal. *d. l. de S. F.* Unde etiam nonnullis oleum ex lacte appellatur. Paratur copioſiſſimum e lacte bubulo, (hinc & nominis originem habere ex Johan. Petro Arluno notavit J. Rhod. *in Lex. Scrib. t. Butyrum.*) quamvis omnino ex ovillo & caprillo lacte parari poſſit, teſte Plinio *l.* 28. *c.* 9. nec video, cur Gal. *d. l.* hoc mirum viſum fuerit. Quin & ex humano lacte parari poſſe, norunt lactantes mulierculæ, abundantia ejus gaudentes; quo *butyro* nihil præſtantius contra phthiſin eſſe dixit Fr. Hofman. *Clav. Schrôd. p.* 662. Butyrum olim Romanis non multum fuiſſe in uſu, vult C. Bartholin. *in Adverſ. l.* 53. *c.* 14. Limitavit vero Rhod. hoc intelligendum eſſe de florente Republ. *Not. ad Scribon. n.* 43. quem huc porro referas. Scythas olim ex equino lacte *butyrum* paraſſe, teſtatur Hipp. *l.* 4. *de morb. XXV.* 22. *ſeqq.* ubi ſimul modus parandi traditur: locus ſane lectu dignus & jucundus. Jungatur Linden. *Ex. XVI.* §. 110. *ſeqq.* multis; quem modum Plin. *d. l.* paucioribus verbis comprehendit. Quod fiat hyeme calefacto lacte, æſtate expreſſo tantum, in longis vaſis crebro jactatu anguſto foramine ſpiritum concipientibus ſub ipſo ore. Res eſt per ſe notiſſima; quemadmodum & ejuſdem vires & uſus internus & externus omni carent difficultate. Scilicet molliendi facultate præditum eſt, vimque habet olei, Dioſcor. *l.* 2. *c.* 81. Singularem vim venenis reſiſtendi oleoſitate ſua & acrimoniam illorum infringendi valde deprædicat Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 8. *in Schol.* (2) A chymicis hoc vocabulum tranſlatum ad liquores oleoſos ex mineralibus paratos; v. g. ex antimonio & mercurio ſimul deſtillatis paratur *Butyrum antimonii* dictum, de quo Rolfink. *Chym. l.* 3. *ſect.* 1. *art.* 4. *c.* 12. & alii. ita *in collectaneis Chym. Leid. c.* 52. 53. varii ejus proceſſus proponuntur. Libav. vocat etiam *butyrum ſublimati. Synt.Chym.T.*1.*l.*3.*c.*14. Ita & Magiſterium *Saturni* ſive plumbi dicitur *butyrum*, à dulcedine & conſiſtentia, Rolfink. *d. l. l.* 5. *ſect.* 2. *c.* 12. Rul. *in Lex. Butyrum arſenici* ad cancros commendatum à Paracelſicis, de cujus tamen periculo vide Libav. *Synt. Ch. T.* 1. *l.* 7. *c.* 26. *Butyrum ſciſſile* Crollii vide *in Chym.* & apud Libav. *T.* 2. *Alchym. Pharm. c.* 36. Poterius quoque ſingulare *butyrum margaritarum* antihecticum finxit, teſte eodem Rolfink. *d. l. c.* 41. (3) Pharmacopœi etiam compoſitionibus uſitatioribus unguentorum potabilium, rubri

&

& viridis *Butyri* titulum attribuerunt, vulgo **rothe und grüne butter** / cum baſis ſit *Butyrum*. Vide Diſpenſatoria.

BYNE, βύνη, dicitur hordeum maceratum, germinans, ac una cum lingulis toſtum, uti recte deſcripſit Aëtius *l.* 30. *c.* 29. Vocatur & *Braſium*, vulgo *Malta* vel *Maltum*. Germ. **malß**. Ex hac cocta cum aqua & lupulo condita fit potus ille notiſſimus, *Cerevifia* ſive *Bira*. Perſpicuam magis deſcriptionem & declarationem vide apud Thom. Willis *de Ferm. c.* 7.

BYRETHRUM. Occurrit hoc vocabulum apud Foreſt. *l. X. obſ.* 132. *ſchol.* & denotat ſpeciem alicujus ſacculi capitalis, vel pileoli medicati, ſive cucuphæ ex ſpeciebus cephalicis paratæ. Verum nullam hujus appellationis invenire licet rationem aut anſam, aut etiam autoritatem. Neque enim in Græco aut Latino tale vocab. occurrit. An fortaſſis Autor voluit appellare *Barettum*, à Gallico *Barette*, vel *Berettum* ab Ital. *Beretta*, quorum utrumque pileolum vel capitium ſignificat?

BYRSA, βύρσα, id eſt, *Corium*. Vide infra *Corium*.

BYRSODEPSICON, βυρσοδεψικὸν, eſt epitheton Rhus ſutorii, ſignificans corium *tingens* & concinnans. Cœl. Aur. *l.* 4. *Tard. paſſ. c.* 3. *p.* 462.

BYSAUCHEN, βυσαύχην, dicitur proprie, qui humeros attollens cervicem contrahit. Uſurpatur etiam de iis, qui morboſa rigiditate cervicis laborant, & obſtipa cervice incedunt, teſte Keuchen. *in notis ad Seren. p.* 150.

BYSMA, βύσμα, à βύω, quod ſignificat *oppleo*, *obturo*, dicitur *obturamentum*, vel *epiſtomium* in vaſis, quale de doliis oleariis ſumtum, & cum ſordibus officinæ fullonum, & fructu ſive ſemine ſerpentis miſtum igni multo accenſo injectum ad ſuffitum hyſtericum ordinavit Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. VII.* 7. Qui vero ibidem *amurcam* infuſam, (ceu ad exulcerationes ſedis, & genitalium utriuſque ſexus utilem, teſte Dioſcor. *l.* 1. *c.* 134.) per hoc vocab. intelligunt, nulla ratione niti videntur. Huc pertinet & adverbium βύζην Hippocrati non infrequens, ſignificans *acervatim*, cumulate, denſe, v. g. de menſibus largiter, cum impetu prorumpentibus, *l. de nat. mul. VI.* 3. *& l.* 1. *de Morb. Mul. XIV.* 5. Eidem quoque veſtis probe contexta, denſa & plena dicitur ἱμάτιον βεβυσμένον *d. l. II.* 3. 6. cui opponitur τὸ μαλθακὸν, rarum, laxum, molle.

BYSSUS, βύσσος, eſt lini genus tenuiſſimum & nobiliſſimum naſcens in India & Ægypto, ex quo olim pretioſiſſimæ veſtes conficiebantur. Gorr. Unde *Byſſinus*, βύσσινος. Qui *Byſſum* per colorem purpuræ exponunt, eos recte carpit Henr. Steph. *in Lexic. ex Luc. XVI.* Ariſtoph. Scholiaſt. *Byſſum* exponit per pudendum muliebre. Dicitur & βυττός.

BYTHOS, βυθὸς, *profundum*, *altum*, imum gurgitem ſignificat. Uſurpatur ab Hippocr. de fundo ventriculi, ad quem gula cibos tranſmittit, *in Epiſt.* item de profunditate maris *ibid.* & tropice de *ſupina ignorantia*, *in Præcept. VI.* 1. & de extrema pernicie rurſus *in Epiſtol.*

C.

CAB, Aurum ſignificare, vult Mart. Rul. *in Lex. Ch.*

CABALA, *Cabbala*, *Caballa*, *Cabalia*, *Caballiſtica ars*, *Cabula*, *Gaballa*, *Kabala*, vel ab Hebræo *Kibel*, *recepit*, vel juxta Crollium (ſi Libavio *in Exam. Philoſ. nov.* credimus) à *Gabalis*, quod ſpiritum ſidereum hominis denotat, quem voluit forte ex homine exire, in cœlum aſcendere, & attrahere magnetice omnem ſcientiam. Deſcendens vocabulum ſignificat doctrinam revelatam, non ſcriptam, viva voce tanquam per manus acceptam à Patribus, ἄγραφον ἀκρόαμα, Receptio ſcientiæ per colloquium dicitur, Lagn. *in Harm. Ch. Vol. IV. Th. Ch. p.* 785. Pontificiis verbum non ſcriptum, ſed traditum viva voce, Libav. *Defenſ. contra Scheun. l. c.* 12. A Rulando & Iohnſono deſcribitur, quod ſit ſcientia occultiſſima, quæ divinitus una cum lege Moſi tradita fuiſſe fertur, & Dei doctrinam de Meſſia hominibus patefecit, cum angelis amicitiam cultoribus ſuis contrahit, rerumque naturalium cognitionem omnem tradit, ac divino lumine mentem illuſtrat. Galatinus tradit, veteres Rabinos per *Cabalam* Myſterium Trinitatis cognoviſſe ac credidiſſe. Unde Theophr. Paracelſus & ejus aſſeclæ ſtatuunt, Aaron, Eliam, David, Bildad, &c. fuiſſe *Caballiſtas*. Dicitur plena myſteriis divinis, Dorn. *de tranſm. metall. c.* 19. *Vol. I. Th. Ch. p.* 546. Dividitur in *Judaicam* vel ſano ſenſu *Theologicam*, quæ agit de rebus divinis, & *Medicam*, quæ circa curationem morborum occupata eſt. Re tamen vera ſunt connexæ. Utraque eſt magica & Magiæ ſpecies, non diffitente ipſo Paracelſo, quamvis alibi diſtinguat in *Magiam* & *Cabalam*; illam dicens ſcientiam divinitus revelatam, quæ ducit ad cognitionem elementorum, & corporum ex his conſtantium proprietatum, virtutum, effectuum: Hanc vero, quæ mediante intellectu illuminato monſtrat viam rectam, perveniendi ad Deum, quidque cum ipſo agendum ſit, & quæ ab illo ſint revelanda & annuncianda. Verum nec ipſe hanc diſtinctionem ſemper obſervat, cum *Cabalam* quoque ad res Medicas referat, dicens, quod Caballiſtica ſignata fallere nequeant, (ſi Dis placet!) *l.* 1. *de ſignat. rer. natur.* Diviſio hæc etiam laudatur à Vigenerio *in tract. de Igne & Sale c.* 20. *Vol. VI. Th. Ch. p.* 31. Nobis hic ſermo eſt de *Cabala*, Medico ſenſu accepta, quam ex recentioribus acriter defendere conatus eſt Guilielm. Iohnſon. *in Lex. Chym.* contra Germanos. Enim vero rectius ii nobis facere videntur, qui vel inter μαγγανεύματα, præſtigias, & fraudes diabolicas, vel etiam inter nugamenta & luſus otioſorum ingeniorum referre non dubitant, ut ſunt Joh. Langius *in Epiſt.* Andr. Libavius, J. Cunr. Dieter. *in Iatr. n.* 507. Rob. Keuch. *in Not. ad Q. Sereni prolegom.* Prolixe hac de re Sennert. *in Conſ. & Diſſenſu &c. c.* 13.

CABALATAR, id eſt, *Sal nitrum*. Ruland. Dicitur alias *Cabulator*, de quo p. p.

CABALLI, vel *Cabales*, (*Gabales*, Croll.) ſunt lemures, & aſtralia hominum corpora, qui ante prædeſtinatum vitæ periculum repentina morte quapiam extincti ſunt. Iſti poſtmodum oberrare putantur ſuper terram, lemurum inſtar, donec terminus prædeſtinatæ vitæ completus ſit, ut, quod vivere corporaliter debeant, ſpiritualiter adimpleant, ſi credere fas eſt veræque religioni Chriſtianæ diſſonum eſſe non comperiatur ex ſcripturis ſacris, unde petendus eſt lapis Lydius, quo reprobatur omne, quod ex auro non conflatum eſt Evangelico. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

CABBALICA *ars*, καββαλικὴ τέχνη, pro καταβλητικὴ, dicitur ſpecies *Palæſtricæ*, ſive Luctatoriæ artis, quaſi *proſtratoria*, id eſt, vim proſternendi habens: Et *Caballicus magis*, καβαλλικώτερος, non qui robuſtior, ſed qui magis in hac arte verſatus fuerit, appellatur, Gal. *ad Thraſybul. c.* 45. Foëſ. *p.* 294. *Oecom.*

CABEBI, *Cabeb*, id eſt, *ſquama ferri*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CABELIAVUS, dicitur Belgis ſpecies *Aſelli* piſcis, vel *Lucii*, de quo plura vide apud J. Ant. Linden. *Sel. Med. Ex. XI.* §. 81. *ſeqq.*

CABULATOR, id eſt, *ſal nitrum*. Mich. Toxites, & Iohnſ. *in Lex.*

CACABULUM notat locum ad ſeceſſum & alvum exonerandam. Acon. *in Lex. Med.* citante Joſ. Laurent. *in Amalth. Onom.*

CACABUS, κάκκαβος, κακκάβη, κακάβη, idem, quod *olla*, vel *lebes*, aut *ſartago*, in qua aliquid coquitur. Meminit illius ſæpius Scrib. Larg. Jung. Joh. Rhod. *in Lex. Scribon.* Sunt *Cacabi* vel fictiles, vel ænei. Ruland. & Iohnſ. deſcribunt, quod ſit vas continens chores tres, vulgo, eine pfanne oder keſſel.

CACANGELIA, κακαγγελία, idem, quod κακοῤῥημοσύνη, *maledicentia*, *procacitas*. Legitur apud Hipp. *l. de Arte in princ.* quamvis legatur *ibid.* καταγγελίη, Vide Foëſ. *Oec. p.* 301.

CACAOTETL, ſive *Lapis Corvinus* Indiæ, qui calefactus tonitru edere dicitur apud Borell. *Hiſt. & Obſerv. Cent.* 2. *O.* 38.

CACATIO, ἀποπάτησις, idem, quod *Aphodos*. Vide ſupra. *Cacator* quod ſcabioſus fiat natibus mediante toſtura excrementorum, hoc per magnetiſmum fieri, perſuadere cupit Helmont. *de magnet. vuln. cur. num.* 21. Sed rectius præſtigiis annumerari debet. Inter febrium ſpecies numeratur quoque *Cacatoria* à Fr. Sylvio *Pr. M. l.* 1. *c.* 30. §. 113. 181. juxta ſuam hypotheſin dependens à bile minus volatili, ſed magis acri, & ad notatum ſucci pancreatici acceſſum, acriori adhuc reddita ipſa inteſtina mordente, & ad contentorum propulſionem irritante.

CACATORIA FEBRIS dicitur Sylvio febris quædam intermittens cum alvi dejectione copioſa & quandoque torminoſa, ægros valde affligens; quæ & *Dejectoria* aut *Cathartica* vocari poteſt. Sylv. *l.* 1. *Prax. Med. l.* 1. *c.* 30. §. 39.

CACCIONDE an ſit nomen patronymicum nec ne? mihi non conſtat. Pilulæ vero quædam vocantur *de Caccionde*, quarum baſis eſt terra Catechu, & commendantur ſpecialiter adverſus dyſenteriam à D. D. Georg. Baglivio, Medico & Anatomico Romano, *Prax. Med. l.* 1. *c.* 9. *p. m.* 73.

CACEDÆRIUM *Tartarum*, eſt materia peccans in corpore humano generata à ſeparationibus facultate ſegregativa, non ſuccedente mox expulſiva. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

CACHEXIA, καχεξία, dicitur *malus corporis habitus*, & opponitur τῇ εὐεξίᾳ, h. e. bono corporis habitui, per *Habitum*, ἕξιν, intelligendo externam & in ſenſus, præſertim viſum & tactum, incurrentem corporis κατασκευὴν, ſive conſtitutionem, ſecundum quam aliquis carnoſus, vel gracilis, duro, vel molli, denſo, vel raro, bene, vel male colorato corpore præditus eſſe dicitur. Dieter. *in Iatr. n.* 454. Extenditur etiam à quibuſdam ad *Maciem*, *Tabem*, vel *Atrophiam*, monſtrante hoc Linden. *S. M. Ex. XIII.* §. 51. 197. quando ſcil. intumeſcentia imprimis crurum jam concurrerit, cujus ſingulare & rarum exemplum legi poteſt apud Rolfink. *Ord. ac Meth. Comm. l. XIV. S.* 1. *c.* 5. Eſt alias veræ cacochymiæ ſoboles, & plerumque hydropis prodromus, & nutritionis depravationem complectitur. Cauſſa à laud. Rolfink. adducta, Sal ſcil. reſolutum, *d. l. II. ſ.* 3. *cap. XI.* eſt nimis generalis. Definitio Ionſtoni *in Syntagm. Pract. P. III. l.* 5. *Tit.* 6. *c.* 2. *art.* 2. ita poteſt ac debet ſuppleri: *Cachexia* ex univerſi corporis in tumidam & male coloratam mollitionem diffuſio, proveniens à ſucci nutritii chyloſi diverſimoda vitioſitate, ſanguinis quoque varii generis corruptionem ſupponente, Jung. Fr. Sylv. *Pr. M. l.* 1. *c.* 39. P. Barbette *Chirurg. P. III. l.* 1. *c.* 14. peculiarem quidem cauſſam, videl. obſtructionem vaſorum lymphaticorum videtur ſtatuere. Sed & hæc ſucci nutritii & ſanguinis vitioſitatem præſupponit. *Cachecticus*, καχεκτικὸς, dicitur, qui *cachexia* laborat. Gal. *de cur. rat. per S. M. c.* 19.

CACHIMIA. Vide *Cachymia*.

CACHLEX, κάχληξ, eſt lapillus, vel calculus, præſertim qui in aquis & maris littoribus reperitur, teſte Suida, qui etiam ſpeciem aliquam animalculi cujuſdam hoc nomine venire dicit. Lapillos illos, qui κάχληκες dicuntur, ignitos, & in ſero lactis extinctos imbuere hoc vi adſtrictoria contra dyſenteriam utili, teſtatur Gal. *l.* 10. *de S. F.* §. *Serum lactis*.

CACHRYS, κάχρυς, (Gorræus rectius ſcribi vult κάγχρυς, *Canchrys*) κάγχρυ & κάχρυ, ſignificat *ſemen roriſmarini*, apud Dioſcorid. *l.* 3. *c.* 87. imo ipſum etiam Roſmarinum ſive Libanotidem ex Hipp. *de nat. mul. XXIX.* 75. Dicitur 2. & germinatio arborum quarundam, videlicet quercus, abietis, piceæ juglandis &c.

ſive

ſive verna, ſive autumnalis veluti κύημα & rudimentum κάχρυς, Theoph. *l.* 3. *Hiſt. Plant. c.* 7. 3. ſignificat Hordeum toſtum in furno, ut facilius commoli, & in farinam redigi poſſit, Suidas & Gorr. *in Def.* Meminit hujus vocab. fortaſſis in hac ſignificatione Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 6. dicens, nihil habere virtutis emollientis, ſed digerentis. In hac quoque ſignificatione Hippocr. accepit, *de Nat. mul. XXIX.* 69. *l.* 2. *de morb. LXV.* 14. *& l.* 3. *XXX.* 13. Vide Foëſ. *in Oecon. p.* 294. De hoc vocabulo etiam legatur Joh. Rod. *ad Scribon. Larg. n.* 70.

CACHUNDE ſive CACHUNDICA confectio Chinenſium vocatur electuarium confortans, cujus deſcriptio videatur in Roſ. Lentilii *Miſcell. Medico-Practic. Part. III. p.* 113. & rurſus e Zac. Luſit. meminit *p.* 289.

CACHYMIA, *Cachimia*, *Kakimia*, terminus eſt Paracelſicus, quo denotatur corpus metallicum imperfectum, vel immatura metalli minera, quod non eſt ſalinum, neque metallum, ſed pene metallicum, cum primam materiam metallicam habeat, & ex primis tribus metallicis ducat originem. *Cachymiæ* dividi poſſunt in Sulphurea, ut Marcaſita, Chiſeta, Cobleta; 2. in Mercurialia; ut Arſenicalia, Auripigmentalia &c. 3. in Salina, ut omnia Talcica. Ger. Dornæus *Genealog. mineral. cap.* 20. *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 587. Allegoricam & ænigmaticam *Cachymiarum* applicationem vide, ſi placet tempus terere, paſſim in ſcriptis Paracelſi, præcipue *in Paramiro.* Cachymiarum vitam conſiſtere in ſpiritu Mercuriali tingente; contra mortificari per ſublimationem ſale & vitriolo, dixit *l.* 4. *&* 5. *de vit. rer. nat.* Iohnſonus 30. ſpecies *Kachimiarum* hodieque reperiri cognitas jactitat, quas tamen enumerare non vult, fortaſſis nec poteſt.

CACIA *ferrea*, id eſt, *Cochlear ferreum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CACOALEXITERIUM, κακοαλεξιτήριον, idem, quod *Alexiterium*, h. e. remedium, quod præſens virus expellit. Utitur Helmont. *tr. de peſte §. præſervatio.*

CACOCHROI, κακόχροοι, i. e. *pravo calore præditi* ſcil. in facie. Differunt ab ἀχρόοις ſive decoloribus. Gal. *comm. de R. V. I. A. t.* 118. Ioh. Martinius *prælect. in Hipp. de A. L. & Aq. t.* 27. *p. m.* 46. Jung. Marcell. *ad Dioſcor. l.* 3.

CACOCHYMIA, κακοχυμία, eſt vitium humorum vitalium, præcipue maſſæ ſanguineæ, qualitate p. n. afficiens, & proveniens à collectione portionum heterogenearum & vitioſarum corpori alendo ineptarum, vel unius, vel varii generis. Pro varietate degenerationis ad hujus vel illius excrementi indolem quatuor ſunt *Cacochymiæ* ſpecies: Bilioſa, ſive Cholerica, Pituitoſa, ſive Phlegmatica, Atrabiliaria, ſive Melancholica, & Seroſa, quamvis duæ poſteriores fortaſſis conjungi poſſunt. Dividi etiam poteſt ac debet in benignam & malignam, quæ poſterior & putrida recte dicitur à Linden. Ex. *XVI.* §. 242. ejuſque fructus eſt Dyſenteria, §. 170. De *Cacochymia* plura vide *in Dogmat. Noſtris Part. II. c.* 7. *D.* 9. In ſpecie à Galeno quoque κακοχυμία ad cibum mali ſucci reſtricta fuit, *l. de bon. & mal. ſucci cibis*, qui alias dicitur eidem τροφὴ κακόχυμος, cui opponitur εὐχυμία καὶ τροφὴ εὔχυμος.

CACOCNEMOS, κακόκνημος, i. e. *malis ſuris præditus*; alii per *macilentum* exponunt. Ital. di cattive garate. Joſ. Laur. *Amalth. Onom.*

CACODÆMONUM *Magia*, i. e. præſtigioſa, *diabolica*, opponitur *Magiæ Naturali*, & veræ, ceu damnata & homine Chriſtiano abominanda. Penotus *de Medicam. Chym. in Vol. I. Th. Chym. p.* 665.

CACODES, κακώδης, ſignificat *male olens*, & dicitur de vomitu, Hipp. *Coac. t.* 556. *& l. de ſuperfœtat. XIII.* 6. Foëſ. *p.* 302.

CACOETHES, κακοήθης, vide *Malignus*, & *Cacoethia*, κακοήθεια, vide *Malignitas.* In ſpecie *Cacoethe ulcera*, κακοήθη ἕλκη, dicuntur, quæ omnibus rite decenterque factis nihilominus non ſanantur, Gal. 4. *M. M.* 5. ſcil. propter materiæ affluentis putreſcentem acrimoniam.

CACONIÆ, κακονίαι, vitioſe pro κανονίαι, *Canoniæ*, de quo poſtea.

CACOPATHIA, κακοπάθεια, id eſt, *paſſio mala*, afflictio. Hipp. *de vet. med. XXXIIX.* 13.

CACOPHONIA, κακοφωνία, dici poteſt in genere *vitiata vox*, cujus ſpecies ſunt v. g. ἀφωνία, δυσφωνία, ex Gal. *de diff. ſympt. c.* 3.

CACOPHRASTUS, epitheton Theophr. Paracelſo attributum, uti quidem ipſe queritur, à malevolis; quamvis ſemetipſum quoque ita appellaverit *in præfat. ad tr. Paragranum.* Sane obſcœnum, quo utitur in ſcriptis, & ſordidum dicendi genus, hoc titulo haud indignum illum eſſe, demonſtrare ſatis ſuperque videtur.

CACOREMA, κακόρημα, rectius κόρημα. Vide *Corema.*

CACORRHEMOSYNE, κακορρημοσύνη, vide *Cacangelia.*

CACORRHYTHMUS, κακόρρυθμος, idem, quod ἄρυθμος. Vide *Arythmus.*

CACOS, κακὸς, *malum* ſignificat. Uſitatiſſimum Hippocrati in præſagiendo. Opponitur τῷ ἀγαθῷ, 2. *aph.* 33. An ſemper vero idem ſignificet, quod *lethale*, merito Galenus dubitavit, & nos cum illo. Jung. Dieterich. *Iatr. n.* 428. Foëſ. *p.* 301.

CACOSINON, *Cacoſinoteron*, *Cacoſinotaton*, κακόσινον, κακοσινώτερον, κακοσινώτατον, idem, quod *nocens*, *nocentius*, vel *nocentiſſimum.* Hippocr. 3. *de fract. t.* 63. Vide Foëſ. *p.* 302. & Gorr. *p.* 205.

CACOSIS, κάκωσις, *mala diſpoſitio*, vitium, à verbo κακοῦσθαι, quod ſignificat male affici. Κάκωσις τοῦ σώματος, *vitium corporis*, legitur apud Hipp. *de intern. aff.* φωναὶ κακούμεναι, voces vitiatæ, 3. *Epid. l.* 10. *&* 32.

CACOSITIA, κακοσιτία, *faſtidium ciborum*, &

καὶ

κακόσιτος, *qui faſtidit cibos.* Joſ. Laur. *Amalth. On. p.* 128.

CACOSPHYXIA, κακοσφυξία, *vitioſum pulſum* in genere ſignificat, Gal. *de diff. ſympt. c.* 4.

CACOSTOMACHUS, κακοστόμαχος, dicitur de alimentis, quæ vel ſtomachus reſpuit, vel eundem offendunt. Oppoſita ſunt τὰ εὐστόμαχα, ſtomacho grata. Gorr. *in defin.* Tonſt. *Syſtem. P. I. l.* 1. *c.* 2. *art.* 1.

CACOSTOMOS, κακόστομος, i. e. qui mali oris eſt. Joſ. Laur. *d. l.* Ital. *di mala bocca.*

CACOTHANATAO, κακοθανατάω, ſignificat *miſeræ mortis pericula ſubeo*, ſive miſerabiliter morti me trado. Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 3. *de L. Aff. cap.* 6.

CACOTHYMIA, κακοθυμία, *vitium animi eſt*, improbis & imperitis commune, in his emendabilius, in illis malignius. Linden. *S. M. Ex. II.* §. 29.

CACOTROPEEIN, κακοτροπέειν, eſt maligne ſive *perverſe agere*, *moribus eſſe perverſit.* Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXV.* 6. Jung. Foëſ. *p.* 302.

CACOTROPHIA, κακοτροφία, in genere *vitioſam nutritionem* ſignificat, Gal. *de diff. ſympt. c.* 4.

CACUMEN, ἄκρον, *Summum.* Vide *Acron.*

CADAVER, νεκρὸν, quid proprie ſignificet, etiam pueris in triviis notum eſt, ſcil. vel animal, vel hominem vita deſtitutum, ſive mortuum. Ejuſmodi *Cadavera* olim ad exercendas operationes Anatomicas adhibita fuiſſe, teſtatur Galen. *in Libris de Adminiſtrat. Anatom. in ſpecie l.* 2. *princ. Cadaverum* cruentationem, cujus rationem Helmont. in Spiritus mumiales vel inſitos refert *de magnet. vuln. cur. n.* 113. & quod aquis ſubmerſa maneant, non eſt hujus loci examinare. *Cadaveris* humani cujuſdam raram fragilitatem ſtatim poſt obitum lege ſis *in Ephemerid. Nat. Cur. Tom. III. Obſ.* 127. *Cadaverum* conditoram antiquam & hodiernam vide apud Rolfink. *de Purgant. ſect.* 1. *art.* 2. *c.* 43. & 44. & ex noviſſimis Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 100. *Cadaveris* humani phthiſi correpti manum maculas infantiles ad contactum tollere, aſſerit Helm. *tract. Demens Idæa n.* 46. *Cadaver* humanum eſſe frigidius glacie, vult idem, *tr. Ort. imag. morb. n.* 15. Ejus fœtorem ſtomachum ſubvertere, teſtatur *tr. Cuſtos errans, n.* 46. *Cadaveris* humani vermes à ſemine menſtruoſo gigni, voluit Paracelſ. *l.* 2. *Paragraphor.* §. 3. *Cadaver* quoque appellat in oppoſitionem Spiritus vel Tincturæ, *de caduco matric.* §. 3.

CADMEA, καδμεία, à *Cadmo* Agenoris Phœnicum Regis filio, qui Thebas in Bœotia condidit, unde & Arx Thebana *Cadmea* dicitur. Inde obortum proverbium: *Cadmea victoria*, καδμεία νίκη, quo uſus eſt Gal. *l.* 1. *de diff. reſpir. c.* 2. *in fin.* victoria inutilis, & victori minime glorioſa.

CADMIA, καδμεία, aliis *Climia*, *Chlimia*, duplex dicitur: *Nativa*, quæ iterum gemina: Metallica, quæ Cobaltum, & Metalli expers, quæ Lapis calaminaris eſt. *Factitia* varia, Botryitis, Capnitis, Calamitis, Oſtracitis, Placitis, in quarum differentias inquirere, cum C. Hofm. *Paralip. offic. c.* 94. *A.* ſupervacuum arbitramur. Vid. Schröd. *l.* 3. *Pharm. c.* 19. & Fr. Hofmann. *in clav. ad ill. loc.* Galenus quoque utriuſque ſpeciei meminit, nativæ quidem ſatis obſcure, *l.* 9. *de S. F.* §. *Molybdana*; factitiæ vero *ibid.* §. *Cadmia.* Pluribus etiam deſcripſit Ruland. *in Lex. Chym.* De hac & ejus vi venenata legi etiam poteſt *Obſ.* 78. *Tom. II. Ephem. Nat. Curioſ.* Quod, & quomodo æs tingere poſſit, lege in Vogel. *tr. de Lap. phyſ. condit. c.* 7. *Vol. III. Th. Ch.*

CADUCUS ſimpliciter & cum adjectione *Morbus*, vide *Epilepſia*

CADUS, κάδος, eſt nomen vaſis vinarii, & certæ quoque menſuræ, videlicet amphorarum octoginta. Amphora vero libris octo, vel unciis nonaginta ſex æſtimatur. Linden. *S. M. Ex. X.* §. 140. Dicitur & μετρητής. Gorr. *p.* 292.

CÆCILIA, vide *Cœcilia.*

CÆLATURA, *Cœlatura*, fortaſſis à κοῖλος, *cavus*; γλυφὴ, eſt artificium ſculpendi vel pingendi cælo, ſcalpris, adamante, aliiſque inſtrumentis, ligna, lapides, metalla; de quo artificio legatur Libav. *Syntagm. Arc. T.* 1. *l.* 1. *c.* 23.

CÆMENTATIO, *Cæmentum*, *Cœmentum*, *Cimentum*, & *Cimentatio*, legitur apud Gerard. Dorn. *de Tranſm. Metall. c.* 20. *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 548. *ſeqq.* Per ſimplex *e* & per *æ* legitur in Ruland. & Iohnſon. *Lex.* Præter vulgarem & genuinam ſignificationem ad architectos pertinentem, qua denotat lapides ſectos & materiam ad ædificia cæſam, Græce χάλιξ, habet in Chymia aliam quoque peculiarem ſignificationem. His enim ita dicitur corroſio ſicca, qua corpus aliquod metallicum cum ſalibus corrodentibus, quæ etiam *Cæmentum* dicuntur, ſtratificatum calcinatur. Solum aurum & argentum ſuſtinent *cæmentationis* violentiam, ceu ultimum ſupplicium, nec mutantur in calcem, ſed ſaltem conſumtis reliquis metallis imperfectis admiſtis, puriora evadunt, Rolf. *in Chymia l.* 2. *c.* 3. Jung. Schröder. *Pharmac. l.* 3. *c.* 8. *p.* 362. *ſeq.* D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 6. *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 6. D. D. Bohn. *Diſſ. Phyſ. Chym. XII.* §. 22. A Joh. Helfr. Iunken *Cæmentatio* deſcribitur, quod ſit calcinatio clauſa, ad differentiam illius, quæ fit igne aperto, *Corp. Pharmaceutico-Chymico-Medic. ſect.* 1. *cap.* 6. *p.* 20. *Cœmentum* vulgare & regium deſcriptum traditur *ſect. III. c.* 5. *p.* 233. *Cæmentationem* ſpeciem calcinationis dixit Paracelſ. *l.* 7. *de reſuſcit. rer. nat. Cementorum* varias ſpecies peculiari libro collegit Idem. E noviſſimis varias Cæmentorum deſcriptiones tradidit D. Iunken *in Lex. Chym. Phar. Part.* 1. *p.* 76. *ſeq.* In genere quoque *Cementare* uſurpari pro ſtratificare, h. e. alternas res quaſdam ponere, vult Rul. *d. l. Cœmentum* pro luto, quibus vitra & alembici occluduntur, accepit Helmont. *tr. Complex. atque Miſ. Elem. figm. n.* 37.

CÆO, καίω, uro, vide *Cauma*, *Cauſis.*

CÆ-

CÆROS, καιρὸς, occaſio eſt, & opportunitas rei cujuſlibet agendæ, quomodo apud Hipp. 1. *aph.* 1. καιρὸς ὀξὺς dicitur, quod medico maxime conſiderandum, cujus prudentiæ & pietatis eſt officium, in omnes occaſiones temporis habere oculum paratum, eſſe oculatum ad quamvis arripiendam occaſionem, præſertim, ubi in acie res, atque cito ſolet momentum occaſionis præterire. Unde εὔκαιρος dicitur, cui opponitur ἄκαιρος ἰατρὸς, Dieter. *Iatr. n.* 425. Dicuntur & *morbi tempora* Galeno καιροὶ, quorum quatuor numerantur, qua univerſalia totius morbi, qua particularia ſingularum periodorum in intermittentibus, de quibus ſingulis ſuo loco. A ſubſtantivo καιρὸς deſcendit καίριος, quod præter ſuam receptam & generalem ſignificationem, qua *opportunum* notat, apud Hippocr. in ſpecie periculo & morti *opportunum*, h. e. lethale ſignificat, v. g. de vulneribus, quæ certiſſimam & celerrimam mortem adferunt, *de artic. ſect.* 2. *t.* 10. Gal. 3. *in prorrhet. t.* 29. & in genere de morbis periculoſis & lethalibus, Hipp. *l.* 1. *de morb. IV.* 1. 9. 10. 11. Phraſin Homericam ex iliad. θ. *v.* 84. & 326. ideoque veteribus uſurpatam demonſtravit Foëſ. *in Oec. p.* 300.

CÆSAR, *Cæſareus*, *Cæſo*, Gr. ὑπερογτερογτοκία, de partu vel fœtu ex utero matris ſive mortuæ, ſive vivæ ſectione uteri & abdominis extracto dicitur, de quo legatur integer tractat. Franc. Rouſſeti *de partu Cæſareo*, & Sennert. *Med. Pr. l.* 4. *P.* 2. *ſect.* 6. *c.* 8. & Ioh. Scultet. *Auctar. primo ad Armamentar. Tab. X. fig.* 7. *p. m.* 28. *edit. Amſtelodam.* Singularis obſervatio *Cæſareæ* operationis, nimirum fœtus mortui poſt 21. menſes in uteri tuba deliteſcentis matre ſalva exciſi à D. Abrahamo Cypriano, in Acad. Franeker. Profeſſore legitur *in Actis Erud. Lipſ. A.* 1701. *m. Febr. p.* 82. *ſeqq.*

CÆSIUS, vide *Glaucoma*, *Glaucoſis*, *Glaucos.*

CAFA, *Caf*, *Cafur*, vide *Camphora.* Rul. & Iohnſ.

CAGARET, vide *Mæna.* Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 71.

CAGASTRUM, vocatur à Paracelſo ſemen morbificum non connatum, vel hæreditarium, ſed adſcititium ex corruptione, ad differentiam *iliaſtri.* Suntque morbi *cagaſtrici*, pleuritis, peſtis, febris &c. *tr. Labyrinth. Medicor. CXI.*

CAGHOS, pro *Chaos*, de quo infra. Iohnſ.

CAL, eſt *arſenicum citrinum.* Significat & *acetum.* Rul. & Iohnſ.

CALAE, *Calaëm*, *Calaëmum* eſt ſpecies *ſtanni* indici, quod ignis examini ſubjectum transmutatur in ſpeciem ceruſſæ, qualis fit ex plumbo & ſtanno noſtrate, Libav. *Alchym. transſmutat. Defenſ. contra Guibert. in T. III. p.* 183. De ejuſdem transmutatione in argentum per cæmentationem legatur idem, *Syntagm. Arc. Ch. l.* 7. *c.* 10. & 16.

CALAMEDON, καλαμηδὸν, epitheton differentiæ alicujus fracturæ, quæ etiam dicitur εἰς ὄνυχα, quando fit ſecundum partem aliquam recta, in extremo autem lunata, Gorr. *in Def.* quamvis Joh. Siglic. *in quad. Diſp. de Fractur.* hanc ab illa diſtinguat, & fracturam σχιδακηδὸν, h. e. *aſſulatim*, ſive inſtar ligni fiſſi factam cum καλαμηδὸν coincidere ſtatuat.

CALAMINARIS, *Calamina*, Ruland. Iohnſ. *cadmia lapidoſa*, metalli expers eſt lapis, qui reperitur in metallorum fodinis, foſſilis, ſubflavus, non admodum durus, luteum, dum accenditur, fumum eructans, cujus uſus externus ſiccans & adſtringens eſſe ſolet. A Glaubero naturæ aluminaris, ab aliis vero Martialis habetur, quælibet acida & humida abſorbens indeque ulceribus curandis valde proficuus. Et ejus magiſterium merito ſuſpectum habetur à Frid. Hofmann. *in Clav. ad Schröd. l.* 3. *c.* 8. quamvis Paracelſ. crudum quoque intus adhibuerit, *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 3. & *tr.* 2. *de morb. ex Tartaro*, *c.* 2. *de externo uſu*, *l. de præparat.* 1. Ejus uſus etiam eſt ad faciendum orichalcum, dum cupro colorem illum aureum tribuit. *Lapis calaminaris* igniti, & in aquis ophthalmicis extincti in gratiam collyrii meminit Libav. *Alchym. Pharm. c.* 10. Unguentum etiam ſuum ophthalmicum euporiſton e lapide calaminari tenuiſſime trito & cum medulla crurum vituli vel butyro majali probe mixtum paravit Joh. Crato, cujus deſcriptio *Conſil.* 61. à Laurent. Scholtz. collect. videatur & ap. River. *Prax. Med. l.* 2. *c.* 8. *p. m.* 162.

CALAMITAS, ἀτοτυχία, pro infelici & damnoſo eventu ſumitur, v. g. de purgantium ἀποτυχίαις, Gal. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 11. Scrib. Larg. *n.* 231.

CALAMITIS, καλαμῖτις, eſt differentia *cadmiæ factitiæ*, dicta ita à figura *calami*, quum à pertica ferrea, cui, dum æs fuſum ea agitatur, adhæreſcit, acquirit, Schröderus *lib.* 3. *cap.* 19. Agricola quoque *calamiten* appellat ſtirpem lapideam in mari natam, à forma calami ſic dictam, *l.* 4. *Foſſil. in fin.*

CALAMUS, κάλαμος, præter ſignificationem botanicam, qua *arundinem* ejuſque varias ſpecies denotat, quæ non eſt hujus loci, tribuitur etiam pennæ, qua ſcribimus, cujus parandi modum vide apud Galen. *lib.* 9. *de admin. Anat. c.* 5. Olim fiebat ex arundine, teſte Rhodio *ad Scribon. n.* 10.

CALANDRA, *Chalandra*, χαλανδρα, dicitur volucris ex *alaudarum* genere, eſtque alauda maxima, cujus caro inter cibos laudatiſſimi ſucci refertur, Aldrov. *l.* 18. *Ornith. c.* 13.

CALATIÆ, dicuntur homines laſcivi & impudentes, à *Caleo*, juxta Iohnſ. *in Lex. l.* 2.

CALBEUM, vide *Galbeum.*

CALCADIS, *Calcadinum*, dicitur *vitriolum album*, aliis *ſal Alkali*, Rul. & Iohnſ.

CALCANEUS, *Calcaneum*, *Calx*, *os Calcis*, Gr. πτέρνα, maximum & principaliſſimum eſt os pedis, ad firmationem pertinens, quod aſtragalo ſubeſt, Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 7. & *l. de Oſſib. c.* 14. In hos os chorda totius corporis maxima & robuſtiſſima, hoc eſt, tendo communis trium muſculorum pedis, (quamvis C. Hofm. comm.

comm. ad Gal. l. 3. *de V. P. n.* 151. quatuor muſculorum exiſtimat eſſe tendinem, plantarem etiam addens) inſeritur, Barthol. *Anat. l.* 4. *c.* 21.

CALCANTHOS, *Calcanthum*, pro *Chalcanthum*, Rul.

CALCAR, idem, quod *Calcaneum.*

CALCARIA dicitur ſpecies fornacis calcinatoriæ apud vitrarios, qua in conflandis vitris utuntur, cujus deſcriptio habetur in Anton. Neri *de arte vitrar. l.* 1. *c.* 2. & Merett. *in not. ad eund p. m.* 268.

CALCARIUS *lapis*, eſt ſaxum, unde *calx* paratur, Schröd. *l.* 3. *c.* 8. Habetur ineptus ad vitrum, propter ſal acidum, Helmont. *de Lithiaſ. c.* 3. *n.* 7.

CALCEAMENTUM, vide *Calceus.*

CALCEDONIUS, vulgo *Cacedonius*, (an *Carchedonius* agricolæ, quem ſpeciem carbunculi dixit *in libr. de metall.*) eſt lapis inter pretioſos infimus, variis coloribus, lucidis & opacis conſtans, ſtriatus, purior tamen & præſtantior marmore, Parac. *tr. Cœlum Philoſ. fere ſub fin. & l.* 4. *Philoſ. c.* 6. Ignis per attritionem elicitur. *tr. de Podagr.* Dicitur etiam de tartaro & calculo morbifico, *l.* 1. *de Tartar. tr.* 1. *c.* 2.

CALCENA, *Calcenon*, *Calcenonia*, *Calcinonia*, dicitur minera tartarea morboſa, ſive calx tartarea, Parac. *d. l. l.* 2. *c.* 1.

CALCETUS, idem, quod *Calcenonius*, vel *Calcenos.* Sanguinem *calcetum* dixit Parac. *l.* 2. *de Tartaro tr.* 3. i. e. ſanguinem tartareis portionibus ſcatentem.

CALCEUS, *Calceamentum*, ὑπόδημα, ὑποδήματον, (quorum vocabulor. expoſitionem mirum, omiſiſſe Foëſium & Gorræum) quid ſignificet, etiam pueris notum eſt. *Calceorum* tamen commodam formam & præparationem medico quoque ſcitu neceſſariam eſſe, patet ex Hipp. 4. *de artic. t.* 12. *ſeqq.* & Gal. *in comm. ad h. l.* *calceamentorum* clavis transfixorum ὑποδημάτων ἠλοκοπημένων meminit *l.* 10. *de C. M. S. L. c.* 1. De *calceis* veterum vide Rhod. *ad Scrib. L. n.* 161. ubi & minora calceamenta dicuntur *calceoli.* Ibid. duplicis *calcei* mentio fit. *Calceorum Indicorum* virilium & muliebrium, ex cocto corio ad unguem concinnatorum, admirabili artificio affabre factorum meminit Chioccus *in Muſ. Calceolar. ſect. VI. p.* 714.

CALCIDICUM, dicitur medicamentum ex arſenico, Rul. & Iohnſ.

CALCIFRAGA, epitheton Scolopendrii, ap. Scrib. L. *n.* 150. Adde Rhod. *ad h. l.* Idem, quod *Saxifraga.*

CALCIGRADUS, πτερνοβάτης, dicitur, qui calci fortius inſiſtit inter ambulandum, quam anteriori pedis parti, Hipp. *ſ.* 3. *de art. t.* 111.

CALCINATIO, (annon Græce dici poſſet πτίνωσις, uti etiam exiſtimat Ruland. *in Lexic.* à verbo tranſitivo πτισσω, quod à πίτυνος, *calx*) in genere ſignificat ſpeciem tranſmutationis corporum, ſive diſſolutionis, διαλύσεως, unde Paracelſo primus gradus tranſmutationis dicitur, *l.* 7. *de natur. rer.* id quod olim potiſſimum de ea tranſmutatione intelligebatur, quæ per ignem fit. Ita enim deſcripſit *calcinationem* Theodor. ab Hogelande, quod ſit rei per ignem pulveriſatio ex privatione ſuæ humiditatis partes conſolidantis, *Th. Chym. Vol. I. p.* 184. Et ita *incineratio* maxime huc ſpectat. Verum poſtmodo Chymici alios etiam modos excogitarunt *calcinationis*, vel per ſal, vel per ſulphur, vel per aquam fortem, vel per fuliginem mercurii, vel per argentum vivum, Paracelſ. *l.* 5. *de nat. rer.* Hinc Schröder. *l.* 1. *c.* 14. *& l.* 2. *c.* 63. ita in ordinem redegit *calcinationem*, diſtinguens in eam, quæ fit per ignem, & eam, quæ per corroſionem. Illa ſubdividitur in incinerationem, & reverberationem; quo & extinctio rei ignitæ pertinet. Hæc per corroſionem complectitur amalgamationem, præcipitationem, vaporationem, (quæ in ſpecie etiam philoſophica dicitur, v. g. de cornu cervi philoſophice calcinato, Rhod. *ad Scrib. n.* 122. quamvis & reliquæ corroſionis ſpecies hoc epitheto exornari ſoleant,) fumigationem, & cæmentationem. Referri quoque huc debet illinitio liquoris corroſivi; de quibus omnibus in ſuis locis. Jungatur Rolfink. *l.* 2. *Chymiæ c.* 4. Noviſſime *calcinationis* rationem & differentias perſpicue & accurate propoſuit Celebb. D. Bohnius *Diſſ. Chymico-Phyſ. XII.* per totum. D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 1. Jung. Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 18. *p.* 223. *ſeqq. Denotationem* quoque *per nitrum*, vulgo verbuſſen / eſſe nihil aliud, quam philoſophicam ſive *chymicam calcinationem*, ſerio urget Libav. *defenſ. contra Scheunem. II. Not.* 46. Idem in *calcinatione* non perire vires nativas metallorum & gemmarum, ſed potius illam eſſe clavem ad interiores latebras, qua ſeris apertis protrahuntur, fiuntque actuoſæ naturæ, contra Riolanum acriter propugnat *Syntagm. Art. Ch. l.* 5. *cap.* 17. Ita nec in *calcinatione* corporis fieri diminutionem, imo potius multiplicationem, voluit Quercet. *Reſp. ad Aubert. Th. Chym. Vol. II.* & alibi. Sic & Rob. Boyle e ſuis experimentis de detecta penetrabilitate vitri à ponderabilibus partibus ignis elici poſſe putavit conſectarium illud: In *calcinatione* per ignem facta non perdi particulas humidas aliaſque fugaces metallorum, ſed ſaltem diſſolvi, quia ex hujuſmodi calcibus rurſus iterum fieri potuit metallum ſolidum malleabile. *d. l. Coroll.* 2. Talia per chymicam *calcinationem* præparata dicuntur *Calcinata* vel *Calces.* Vide *Calx.* In ſpecie quoque *Calcinatum majus* vocatur omne id, quod arte ſpagyrica dulce factum eſt, quod ex propria ſua natura non erat, ut mercurius dulcis, ſaccharum Saturni. *Calcinatum magnum mercuriale* Paracelſi ſecundum Maets deſcriptum videatur in Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 280. *Calcinatum* vero *minus* dicitur omne id, quod à natura dulce eſt, & citiſſime curat, verb. gr. ſaccharum, manna, terebinth. &c.

CALCOIDEA oſſicula vocantur à Fallopio tria oſſicula tarſi, quæ & *cuneiformia* dicuntur, teſte Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 21. *p.* 756.

CALCULIFRAGUS, λιθονθρυπτικὸς, epitheton pulveris apud Morley *Collect. Chym. Leidenſ. c.* 108.

CALCULUS, *Calculoſus morbus*, λιθίασις, λιθὸς, λίθος, (λιθίδια in ſpecie dici poſſent arenulæ illæ ad *calculi* generationem concurrentes, vel ejus prodromi vel recrementa, Dieter. *in Iatr. n.* 503.) *Calculoſitas* in genere dicitur de omni materia dura, concreta, excrementitia, & toto genere præternaturali, qualem non ſolum in renibus & veſica, ſed etiam in aliis corporis humani membris & cavitatibus productam eſſe, obſervationes medicorum teſtantur, quarum autores pleroſque citavit J. C. Dieterich. *in Iatreo d. l.* & D. Joh. Lechel, *in Diſp. Inaug. h. tit.* quibus addi poſſunt obſervationes variæ *in Ephemeridibus Nat. Curioſ. Tom. I. II. & III. &c.* In ſpecie & ſtrictius, quin & frequentius accipitur ſaltem de *calculo renum & veſicæ*. Hujus cauſſas, præſertim materiam & efficientem, paſſim à medicis antiquis & recentioribus exercitam prolixius ventilare, an ſcil. ſit ſpiritus, aut principium quoddam lapidificum? an Paracelſi tartarus, vel tartarum? an Dulech Helmontii? an pituita Galeni, & ejus ſectatorum? an calor nimius, an vero frigus ad ejus concretionem concurrat? non eſt hujus loci vel inſtituti; ſed ſufficiat hanc ſaltem definitionem adjeciſſe: *Calculus* in genere eſt ſymptoma excernendi p. n. retenti, videlicet materiæ excrementitiæ duræ, magis vel minus concretæ, compactæ & condenſatæ, genitæ ex portionibus excrementitiis ſalinis, nimium fixis & terreſtribus, intervenientibus quandoque lentis etiam & viſcidis maſſæ ſanguineæ heterogeneæ, & portionibus activis ſufficientibus deſtitutæ, compagem facile deferentibus, in diverſis locis collectis & ſubſiſtentibus, beneficioque caloris ſucceſſive concretis, coagulatis, & lapidum fictilium ſive teſtarum inſtar induratis. Pro hujus deſcriptionis meliori intellectu confer. ad Thom. Willis *Exerc. de ferment. c.* 2. & 12. & *de Urin. c.* 5. Materiam *calculi* mucilaginoſam excretam ſtatim ab aere externo in *calculum* flavum riguiſſe legitur *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 70.

CALDARIUM, à *Caldus*, pro *Calidus* ſignificat ahenum, in quo quid fervefit. Blancardus *in Lexic.* ſcribit *Caldarium* denotare balneum Laconicum.

CALDERIÆ *Balneæ* fuerunt thermæ Italicæ prope Ferrariam, ad urinæ difficultatem utiles, Foreſt. *l.* 26. *Obſ.* 1. *in Schol.*

CALDUS, *a*, *um*, pro *Calidus*, θερμὸς, frequenti in uſu apud Scribon. Larg. v. g. *Caldus* ptiſanæ cremor, *n.* 184. *calda* farina, *n.* 179. podagra, *n.* 158. *&c. caldum* vinum, *n.* 179. oleum, *n.* 198. *&c. calda* aqua, Rob. Keuch. *not. ad Seren. p.* 205.

CALEFACIENS, θερμαίνων, διαθερμαίνων, idem quod *Calidus*, θερμὸς, θερμαντικὸς, ſcil. effective, dicitur de omni materia medica, quæ vim habet corporis noſtri calorem vitalem fovendi, adaugendi, portionesque inflammabiles & activas multiplicandi vel actuandi. Eſtque vel actu, ἐνεργείᾳ, vel poteſtate talis, δυνάμει, Gal. *l.* 2. *de S. F. c.* 3. Jung. Diet. *n.* 388. Græce etiam ἐκθερμαίνων dicitur, Hipp. 5. *aph.* 19. Conſiſtere hæc efficacia creditur ſecundum hodierna principia in plurimo motu particularum ſubtilium, ſpirituoſo-ſalinarum & auræ æthereæ, ſive materiæ ſubtilis, quæ occurrentes aliis corporibus iis majorem motum conciliare queunt. Jac. le Mort. *Pharmac. Med. Phyſ. c.* 8. *p.* 30.

CALEFACTUM, vide *Caleſcens*.

CALENTURE, nomen morbi cujuſdam peregrini, quo navigantes verſus Indiam Occidentalem infeſtantur, dum tropicum appropinquant, & conſiſtit in depravata imaginatione, cum pulſu debili, æquali, lento, abſque febre & calore excedente, de quo legatur Bonetus *Medic. Septentr. l.* 1. *ſect.* 6. *c.* 2. *p.* 83. item *Acta Philoſoph.* Oldenburg. *An.* 1668. *M. Junio* ex Obſervationibus D. Stubbes.

CALENUM, epitheton vini alicujus apud Athenæum *l.* 1. *c.* 21. cujus quidem origo obſcura valde eſt, & an idem cum *Careno* vel *Carœno*, teſte Lind. *Sel. M. Ex. X.* §. 24.

CALESCERE, & *Calefactum eſſe*, θερμαίνεσθαι, καὶ τὸ τεθερμάνται, vel *Caleſcens*, & *Calefactum*, τὸ θερμαινόμενον, καὶ τὸ ἐκτεθερμασμένον, quomodo differant, monſtravit Galen. exemplo ferventis aquæ in frigidum lebetem infuſæ, & ferventis lebetis frigidam aquam excipientis. Illic aqua calefacta eſt, & lebes calefit juxta typum febrium putridarum. Hic lebes calefactus eſt, & aqua calefit, ad mortem febrium hecticarum, *l.* 1. *de diff. febr. c.* 1. In eo autem conveniunt *caleſcens* & *calefactum*, quod utrumque conſiſtat in receptione portionum ignearum & inflammabilium, à quibus ſubjectum illud, quod recipit, temperiem illam calidam in minori majorive exceſſu acquirit & obtinet.

CALICHAPA, vera ſpina alba. Rondel. *Meth. Cur. l.* 2. *c.* 23. *p.* 473.

CALIDARIUM vocatur Celſo pars balnei veterum, quod Græci πυριατήριον aut ὑπόκαυστον vocarunt. Vid. infra *Hypocauſtum*. Confer. *ad Celſ. l.* 1. *c.* 4. & adde Guil. Pantini *notas ad h. l.*

CALIDUM, *Calor*, θερμὸν, θερμότης, paſſim ab autoribus antiquis & recentioribus, philoſophis & medicis: illis quidem vel Peripateticis, vel Democriteis, Carteſianis & Gaſſendicis: his vero vel Hippocraticis, vel Paracelſicis, aut Spagyricis diverſimode accipitur & exponitur, quorum omnium opiniones colligere, excederet Lexici noſtri ſcopum. Libet ſaltem potiores ſignificationes breviſſimis, quantum fieri poteſt, deſcribere. *Calidum* & *Calor* autem accipitur dupliciter, ſubſtantialiter, & accidentaliter, ſive qualitative. Galen. *comm.* 1. *aph.* 14. In illa dicitur de *calido nativo*, quod Hipp. *d. aph.* θερμὸν ἔμφυτον dixit, & *6. Epid. ſ. V. t.* 9. ψυχὴν, animam hominis. Hodieque dicitur *flamma*, *ſpiritus*, *aura*, *calor vitalis*, *anima medica*, *Archeus* particularis hominis. Eſtque proximus animæ incorporeæ humanæ ſocius, vehiculum & inſtrumentum, quo

mediante anima fit, & recte dicitur actus corporis organici, omnium coctionum & actionum in corpore opifex. Gignitur (φύεται) à portionibus ſulphureis exaltatis, & ſpirituoſis, uno verbo, activis & vegetativis, primum una cum ſemine parentum in generatione communicatis, poſtea in ſanguine continua homogenearum particularum, ex aſſumtis rite chylificatis & ſanguificatis, beneficio fermentationis elicitarum elaboratione, ſucceſſione, & aſſimilatione continuatis, una cum ſanguine perpetuo uſque ad extremum vitæ terminum per totum corpus, & ad omnes ejus partes diffluens & influens. Hinc patet, quid ſit ſentiendum de diſtinctione illa inter *calidum inſitum*, & *influens*. Nimirum ratione primæ ſaltem originis in generatione dici poterit inſitum, quia communi conceptus maſſæ inſeritur, mox vero, dum formatur fœtus, & formatus eſt, fit influens. Ut ita non differant realiter, ſed duntaxat conſiderandi modo. An porro in omnibus animantibus hoc *calidum* ſubſtantiale ſit reapſe diverſum ab anima ipſa, non eſt hujus loci ventilare, ſed pertinet ad phyſicam. In homine hoc videtur veroſimile, quod *calidum nativum* materialiter conſideratum, quatenus conſiſtit in portionibus ſanguinis ſulphureis, volatilibus, & ſpirituoſis, ſive igneis & aëreis, ſit elementaris naturæ. Formaliter vero, ſive ratione ſui principii ſubſtantialis ſpecifici, quo contradiſtinguitur, ab aliis animantibus, quod in homine indubitanter immateriale eſt, animæ videlicet humanæ, conſideratum, eſt ſupraelementaris naturæ, & θεῖόν τι. Accidentaliter, ſive qualitative iterum dupliciter accipitur, vel, ut efficiens, vel, ut effectus. De illa ſignificatione vide p. a. *calefaciens*, cui addi poterit diſtinctio inter *calefaciens*, vel *calidum* ſecundum & præter naturam. Illud pertinet ad cauſſas ſanitatis internas & externas: Hoc ad cauſſas morborum. *Calidum* ut effectus idem eſt, quod *caleſcens* & *calefactum*, de quibus etiam p. a. dictum. Et hoc etiam cum in ſtatu ſecundum, tum præter naturam occurrit. Illuc pertinent temperamenta *calida*, ſimplex & compoſita; huc morbi omnes *calidi* ſimplices & compoſiti, ſive intemperies *calida*, item *calida* & humida à plethora p. n. *calida* & ſicca à bilioſo ſanguine dependentes. De utraque ſignificatione *calidi* ut efficiens, & ut effectus; porro hæc quoque notanda diſtinctio, quod aliud ſit per ſe, aliud per accidens. Per ſe *calidum* efficiens dicitur, quod propriis inſitiſque viribus proxime nulliuſque interventu id præſtat: ita vinum & aromata per ſe calefaciunt. Per accidens vero *calidum* efficiens eſt, quod non propriis viribus, ſed alterius interventu operatur: v. g. quando aër frigidus conſtipando ſpiracula cutis fervidos halitus foras prorupturos intro repellens in cauſſa eſt, ut ſanguis febrilis effervefcentia turgeſcat. *Calidum* vero, ut effectus per ſe & per accidens, dicitur, quod à cauſſa *calida* vel per ſe, vel per accidens producitur. Vide Charlton. *Exerc. Pathol.* 4. §. 10. Ad *accidentalem calorem* quoque referendus *calor artificialis*, qui ad artificis nutum accendi, dirigi & adminiſtrari poteſt; cujus uſus in medicina ampliſſimus, v. g. in diætetica, pharmaceutica, chymica, & in chirurgicis operationibus quibuſdam. Eſtque duplex: *Alius* ſimplex, alius miſtus. Simplex eſt, qui uni duntaxat operationi, ſive illa ſit digeſtionis, ſive ſeparationis, inſervit. *Calor naturalis* eſt, quando radii ſolares vel per ſe materiam ſibi applicatam excoquunt, vel in ſpeculo concavo collecti rei applicantur. Hujus ignis uſus eſt apud artifices. Poſſunt enim hoc diſſolvere & calcinare. Imo nonnulli illum in lapidis philoſophici præparatione adhibendum eſſe autumant; quam opinionem ſuis autoribus relinquentes, eum tamen non negligendum eſſe, cenſemus. *Calor cinerum* eſt, quando partes fixiores per cineres eliciuntur. Hic medius eſt inter balnei & arenæ *calorem*. Proinde illius ope non modo ſubtiliores, & ad naturam aqueitatis ſimplicis approximantes ſubſtantiæ propelluntur, ſed etiam calores & fixiores partes eliciuntur. *Calor fimi* eſt, quando, vaſe in fimo poſito materiamque continente, digeſtio fit. Hic *calor* multi uſus eſt apud artifices in infundendis, digerendis, & putrefaciendis rebus. Adhibetur interdum fimus equinus, in quo vas ſepelitur. Aliquando vas ligneum fœno vel ſtramine impletum, cui vapor e fervente aqua applicatur, fimi in locum adhibetur. *Calor digerens* eſt, quo materia diſſolvenda digeritur, id quod aut athanore, aut fimo perficitur. *Calor fortis* eſt, quando igne interiori & auctiori res ſeparantur. Eſtque impeditus, aut liber. *Calor impeditus* eſt, quando ignis à materia vel vaſe, ne illud proxime tangat, aut alio vaſe impeditur. Eſtque arenæ, vel ſcobis. *Calor arenæ* medius eſt inter cinerem & ſcobis ferri, eſtque quando vas materiam continens in catino arenario arena circumdatum ſubſtantiam fixiorem, quam cineres propellere nequibant, protrudit. Ubi advertendum eſt, arenam ſubtilem non adeo violentum *calorem* præbere, quam groſſam. *Calor ſcobis* aut *ſcoriæ ferri* ſuperiore intenſior, & aperto vicinior eſt, quando ex ſcobe, vel ſcoria ferri res propelluntur. *Calor liber* eſt, qui proxime materiam, aut vas materiam continens tangit. Hoc *calore* proliciuntur, quæ contumacius liquorem emittunt, ſive id fiat ob ſiccitatem & paucitatem, ſive quod ob viſcoſitatem & homogeneitatem ille terreis partibus pertinacius adhæreat. Taceo, quod calcinationi, fuſioni, & aliis operationibus inſerviat. Eſtque *carbonum* vel *flammarum calor*, quando *calor prunarum* flagrantium materiam vel vas proxime tangit. Hujus uſus eſt in infuſionibus, cæmentationibus, probationibus, calcinationibus, & diſſolutionibus. *Calor flammarum* eſt, quando adhibito conveniente alimento, flammæ materiam attingunt. Hic *calor* vocatur ignis vivus, quo reverberantur & calcinantur omnium metallorum corpora, nec non ſpiritus tandem propelluntur. *Calor veſicæ levis* eſt, quo ex materia veſicæ impoſitæ, applicato alembico, ſubſtantia humida prolicitur,

tur. Hæc ex Rulandi & Iohnſ. *Lexic.* De *caloris* varietatibus in Chymia plura quære, ſi libet, *in Theatro Chymico*, v. gr. *Volumine I. pag.* 179. 702. In ſpecie in Opere Lapidis Philoſophici *Volum. IV. p. 66.* 404. 762. *ſeqq. Vol. V. p.* 489. *& alibi.*

CALIENDRA vocantur congeries artificioſæ capillorum, quibus caput hodieque tegi ſolet, ne frigore externo tam facile id lædatur. Gallice *les perruques* vocant, quem terminum & Germani retinent. Latino vero *caliendra* uſus eſt Dolæus *Encyclopæd. l.* 1. *c.* 14. §. 12. *p.* 219.

CALIETA, *Caliette*, Paracelſo dicuntur funguli flavi in fruticibus juniperorum occurrentes, *l. de Icteric. c.* 2. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CALIGO, vide *Achlys*, item *Amauroſis.*

CALIX, ἡ κύλιξ, eſt ſpecies vaſis, ex quo potus hauriri ſolet, Varro *l.* 5. *de Ling. Latin.* exiſtimat, *calicem* dictum, quod calidum eo veteres biberint, notante Rhodio *ad Scrib. L. n.* 122. De *calicum* incruſtatione videatur idem *n.* 135. Parantur vero *calices* ex varia materia, ligno, argilla, metallo &c. In ſpecie *calicum* cereorum, κυλίκων κυρίνων meminit Gal. *com.* 4. *de R. V. I. A. t.* 5. *Calices*, multos magnoſque exiccare, etiam ſuo tempore frequens fuiſſe, conqueritur idem *l.* 1. *M. M. c.* 1. *Calices* etiam dicuntur oculi, ſive gemmæ florum prodromi: ut, oculi populi arboris; vel *Calix* eſt folliculus, quo flos primum, mox ſeminis fœtus clauditur, Schröder. *l.* 1. *Pharm. c.* 2. Huc pertinet Græcum κάλυξ apud Gorr. *in def.*

CALLÆON, καλλαίον, *barba galli gallinacei.* Vide *Palear.*

CALLARIAS, καλλαρίας, eſt genus piſcis marini, ſed quale, adhuc fere incertum. Aldrovand. *l.* 3. *de Piſc. c.* 2. putat, eſſe *Aſellum minorem*, Belgarum *Schelfiſch*, cui conſentit hæſitanter Rondelet. *l.* 9. *de Piſc. c.* 15. *Muſtelam vulgarem* appellans. Uterque etiam ab Oppiano in *Halieut. Clariam* contracte appellari credidit. Verum hanc opinionem utramque ceu erroneam rejicit I. A. Linden *Ex. XI.* §. 28. *ſeqq.* ſtatuens, *Callariam* eſſe piſcem maris Euboici ad vada occurrentem, quod ibi plurimum nutrimenti reperiat; minime vero e genere aſellorum eſſe.

CALLENA, ſpecies eſt *ſalis petræ*, Parac. *Schol. in libr. de gradibus* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CALLIBLEPHARON, καλλιβλέφαρον, dicitur medicamentum palpebris exornandis accommodum, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 6. Cum vero pluribus modis palpebræ deformari poſſint, patet, non unum eſſe genus τῶν καλλιβλεφάρων. Potiſſimum vero pollent virtute mediocriter deſiccante, & abſumente humiditates vitioſas. Unde & facultas hæc καλλιβλέφαρος δύναμις dicitur, Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *Fuligo.* Tali virtute quoque pollet Sal Armeniacum, *l.* 9. Vid. Gorr. *in def. p.* 206.

CALLICREAS, καλλίκρεας, vide *Pancreas.*

CALLIONYMUS, καλλιώνυμος, καλλίχθυς, eſt nomen piſcis marini, quæ etiam *Uranoſcopus*, οὐρανοσκόπος, dicitur, ab oculis ſupra caput à natura collocatis, quibus recta cœlum intuetur; ob quam prærogativam etiam nomen *Callionymi* accepit, non ob formæ pulchritudinem, quæ ipſi nulla eſt, cum potius aſpectu ſit ingratus ac deformis. Habet præ aliis piſcibus fel copioſius, quod commendatur in collyriis ad oculorum & aurium affectus à Galeno *l.* 10. *de S. F.* §. *Chole l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. *& l.* 4. *c.* 4. Vide de hoc piſce Ariſt. *l.* 2. *H. A. c.* 15. Rondelet. *l.* 10. *de piſc. c.* 13. Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 51. qui etiam nomen hoc alii piſci Romano, *Fiatola* dicto, tribui dicit, *d. l. c.* 24. Rob. Keuchen. *ad Seren. in proleg. p.* 93. Hippocrates quoque ejuſdem aliquoties meminit inter ſicciſſimos referens, *l.* 2. *de diæt. XIIX.* 4. & propterea ægris concedit, v. g. Leucophlegmaticis, *l. de int. aff. XXIII.* 22. in ſplenico morbo, *XXXIII.* 39. in morbis craſſis; *n. LII.* 26. Foëſ. *p.* 302.

CALLONE, καλλονή, dicitur Hippocrati *vitæ decor*, honeſtas & ornamentum, *l. de dec. habit. I.* 8. Foëſ. *d. l.*

CALLOPISMUS, καλλωπισμὸς, *ornatum* aliquem *externum* ſignificat viſui gratum, Hippocr. *de Medico III.* 2. *IV.* 11.

CALLOS, κάλλος, vide *Pulchritudo.*

CALLOSITAS, *Callus*, τύλωσις, τύλωμα, τύλος, πῶρος, in genere dicitur de omni duritie cutanea carnea, & oſſea, qua naturali, qua præternaturali. Frequentius tamen de *Callo* circa oras fracturæ genito, de cujus generationis modo vide Galen. *com.* 1. *de fract. t.* 41. & H. F. ab Aquapend. *l.* 4. *Pentat. c.* 6. *Calli*, πῶροι, quoque dicuntur nodi illi in morbis articularibus, de quorum generationis modo videatur Gal. *lib.* 7. *de C. M. P. G. c.* 9. *& l.* 10. *de C. M. S. L. c.* 2. Specialiter vero *Calloſitas* & *Callus* dicitur, Gr. τύλος & τύλωσις, durities palpebrarum in oculis, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Scrib. Larg. *n.* 36. *ſeqq.* Senn. *M. Pr. l.* 1. *P.* 3. *ſ.* 2. *c.* 3. proveniens à ſucco acido tartareo ſive coagulativo. De *calli* in fiſtulis generatione legatur H. F. ab Aquapend. *l.* 5. *Pentateuch. c.* 11. *Calli* in matrice meminit Foreſtus *l.* 28. *Obſ.* 45. *Schol.* De *callo* in plantis digitiſque manuum & pedum, quo & *Clavus* pertinet, Gr. ἧλος, videatur idem *l.* 4. *Chirurg. Obſ.* 12. *Schol.* Gal. vocavit *calloſas excreſcentias*, *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 9. Paracelſus vero *in Chirurg. tr. de ulceribus*, *c.* 59. *vel* 60. aliter plane accipit, *Callum* dicens apoſtema vel ulcus, quod oritur à ſucco nutritio acriori & arſenicali pruritum vehementem excitante. Interdum etiam malignitatem luis Gallicæ ſubeſſe teſtatur idem *l.* 7. *de Gallic. puſtulis &c. c.* 5. Tandem ſingularis in ſtatu corporis naturali occurrit *Calli* vel *Calloſitatis* ſignificatio, dum portio quædam in cerebro, ejuſque parte interiori, medulla dicta, dicitur *Corpus Calloſum*, quia ſubſtantia eſt aliquantum durior inſtar *Calli*, τυλώδης πῶς, Gal. *l.* 9. *Anat. admin. c.* 3. ubi duabus extuberantiis anterioribus ventriculi vel ſinus cerebri incumbere videntur, Th.

Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 6. Th. Willis *Anat. Cereb. c.* 10. *n.* 5. Malpighius *de Cer.*

CALOMELANOS, eſt nomen medicamenti Mercurialis cujuſdam, quod etiam *Mercurius Zoticus* vocatur. Vide *Zoticus.*

CALONIA, καλωνία, eſt epitheton Myrrhæ apud Hippocr. *de Nat. mulier. VI.* 11.

CALOPODIUM, καλοπόδιον, forma illa lignea, qua utuntur, varia, ad conficiendos calceos ſutores. Galen. proverbialiter uſus in egregia ſententia *lib.* 5. *de San. tu. c.* 11. Sicut impoſſibile eſt ſutoribus unico uti *calopodio* ad omnes homines; ita & Medicis unica vitæ, vel victus ſpecie conducente.

CALOR, vide *Calidum.*

CALOS, καλὸς, καλῶς, vide *Bonus.*

CALVA, *Calvaria*, κράνιον, Latine *Cranium*, dicitur os capitis, *cap.* 1. *de oſſib.* quod quaſi κράνος, ſive galea cerebrum contineat, Gal. 8. *de V. P.* 8. per capitis oſſea & capillata exterius, cujus partes externæ ſunt Sinciput, Occiput, Vertex, Tempora, quas inveſtiunt pili cum communibus corporis integumentis. Conſtituitur *Calvaria* in adultis octo oſſibus, uno frontis, duobus ſyncipitis, uno occipitis, duobus temporum, & duobus communibus cum maxilla ſuperiore, nempe Cuneiformi & Spongioſo. Th. Barthol. *Anat. l.* 3. *procem. & l.* 4. *c.* 4. Craſſitudo illi magna eſt, ut validum ſit, non tamen ſolida, ſed cavernoſa tranſmittendis excrementis idonea.

CALVATA, φαλακραὶ, appellat Hippocrates Ferramenta, quæ rotunditatem quandam levem habent in extremis partibus; cujuſmodi ſunt ſpecillorum capitula, & quæ *Nucleata*, πύρηνα, appellantur & *Spatularia*, σπαθομῆλαι. *Oblonga* vero his contraria nuncupant προμήκη, quorum extrema minime ſunt rotunda, ſed mucronata, ad ſuffuſionem & cataractam punctione tollendam accommodata inſtrumenta quodammodo ſimilia, Gal. *com.* 1. *de artic. t.* 43.

CALVITIES, *Calvitium*, φαλάκρωσις, φαλάκρωμα, μαδάρωσις, μάδησις, μαδαρότης, eſt defectus capillorum, potiſſimum in ſyncipite. Differre quidem dicit Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. ab *Alopecia*, *Area*, *Ophiaſi & Tinea*, quod hæ ſpecies ab humoris nutritii vitio proveniant; *Calvities* vero propter humoris defectum. Enimvero an hæc differentia ſemper obſervetur, merito dubitandum. Cauſas *Calvitiei* enumerat Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 1. & in ſpecie nimiam Venerem ex Ariſtotele Lang. *l.* 2. *Epid.* 7. *Calvi* dicuntur φαλακροὶ, Hipp. 6. *aph.* 34. Dividi poſſunt in natura, & ex morbo tales, Fr. Valleſ. *de ſacr. Philoſ. c.* 9. Jung. Dieter. *n.* 883. *ſeq.* Foëſ. *Oec. p.* 650.

CALUMENON, καλούμενον, καλεόμενον, h. e. *vocatum* vel nominatum, aut, quod appellatur & καλεῖσθαι, *vocari*, Hipp. adjicere ſolitus eſt, interdum quidem, ſi appellatio Græcis omnibus nullo pacto uſitata fuit, interdum vero, ſi abrogata, & interdum, ſi artificioſum quiddam demonſtrat, Gal. *c.* 3. *de R. V. I. A. t.* 24.

CALUMNIA, ἐπήρεια, λοιδορία, contumelia. Has quomodo perferre homo debeat, egregie docet Gal. *de dignoſ. & cur. animi morb. c.* 3. Σοὶ πάντων τούτων φιλοσόφημα καρτερεῖν ἐπηρεαζόμενον: Hoc ſit ſapientiæ ſtudium, æquo animo ferre *calumnias.*

CALX, ἡ τίτανος, Gorræo etiam κονία, variis gaudet ſignificationibus. (1) Communiter denotat materiam illam candidam, interdum & alius coloris, quæ paratur ex lapide calcario, vi ignis in furno vel clibano cremato, cæmentariis opificibus notiſſima. Similis quoque fit ex oſſibus piſcium magnorum, ut & ex teſtis buccinorum, & oſtrearum crematis, teſte Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 133. Vocatur hæc poſterior *Calx peregrinorum*, Theoph. Par. *Manual. I.* item *Calx manica alba*, Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Eſtque vero duplex *Calx viva*, τίτανος ἄσβεστος, & ſimpliciter ἄσβεστος, cui poſt uſtionem nulla affuſa eſt aqua; & *extincta*, σβεσθεῖσα, vel ἐσβεσμένη, quæ affuſa aqua veluti in pultem abit. Illius vis eſt ignea, mordens, eſcharotica, imo ejus ignis abditus aliquando actualem ignem videtur ſuperare. Oleo facillime permiſcetur; aquam vero odit. Hujus vis per aquam eſt fere extincta, quamvis cruſtam nihilominus efficiat, Galen. *l.* 9. *de Sim. Fac.* §. τίτανος. Circa uſum medicum occurrit apud eundem duplex. *Calx lota & illota*, πεπλυμένη καὶ ἄπλυτος, *l.* 3. *de C.M.S.G. c.* 2. illa introducta fuit ad ſal lixivioſum, quo abundare creditur, eluendum. Imo Sal duplex ineſſe, lixiviale & acidum, docet Helmont. *de Febr. c.* 9. *n.* 25. Verum Fr. Hofmann. *in Clav. Schröder. l.* 3. *c.* 8. negat, & propterea ceu ineptam & ſupervacaneam illam lotionem rejicit, quod Chymicis ventilandum relinquimus. (2) In Chymica ſignificatione *Calx* dicitur pulvis quilibet per ablationem ſuperfluæ humiditatis in partes tenuiſſimas, & veluti impalpabiles, comminutus, Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* & ita idem eſt, quod *calcinatum*, de quo ſupra vid. *Calcinatio.* Huc pertinent *Calces* omnis generis Metallorum & Mineralium, de quibus legatur Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 5. *& Alchym. Pharmac. c.* 9. & ex noviſſimis D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 9. Specialiter *Calx viva Philoſophorum* vocatur, quæ ex argento vivo paratur, *d. l. Synt. c.* 12. Vocatur & *Minera Alchemica*, de qua in Lullii *Clavicula c.* 2. *ſeqq. Th. Chym. Vol. III. p.* 297. *ſeqq. Calx Saturni* dicitur ceruſſa cum aceto deſtillato rectificato calcinata, aut in Sole, M. Joh. Iſaac. *Oper. miner. c.* 42. *d. l. p.* 347. Huc quoque referri debent aliæ appellationes, v. gr. *Calx permanens*, id eſt, incremabilis materia. *Calx lignorum*, quæ eſt cinis eorum, quæ in vitrum aut aliam materiam converti nequit, Ruland. (3) *Calx* quoque Paracelſo dicitur excrementum urinæ, quia ſpiritum calcis habet, & diſtinguitur ab *Anodo*, de quo ſupra vide *l.* 1. *de Tart. tr.* 3. *c.* 2. *Calces terræ* eidem quoque ſunt Terræ bolares, vel argillaceæ, ut Creta, *d. l. Tr. c.* 5. *c.* 2.

in

in not. (4) Materia in articulis Podagricorum concreta *Calx* vocatur à Paracelſo & aliis. (5) Denique *Calx* in Maſcul. genere idem eſt, quod *Calcaneus*, πτέρνα, de quo paulo ſuperius. Hinc & totius pedis poſterior pars *Calx* dicitur, Galen. *Introduct.* c. 10.

CALYPTER, καλυπτὴρ, dicitur *operculum*, & in ſpecie carneum, quod hæmorrhoides tegit, Hipp. *l. de hæmorrhoid. III.* 13. Foëſ. *p.* 303.

CAMARA, καμάρα, in genere *cameram*, fornicem, aut teſtudinem ſignificat, Linden. *Sel. M. Ex. V.* §. 10. Unde & cerebri pars convexa per cavitatem cranii καμάρειν καὶ ψαλιδῶδης, fornicata dici poteſt, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 11. Vid. Hofm. *comm. ad h. l.* In ſpecie vero *Camera* vel καμάρα dicitur locus ad auriculæ cavum cameratus, ſive aditus ad foramen, cujus pars ſuperior ἀστακὸς, *Aſtacus*, & quod ſubeſt *Areola*, κρήνιον, vocatur, Linden. *Phyſ. Med. lib.* 2. *c.* 11. *art.* 1. §. 4.

CAMAROSIS, *Camaroma*, καμάρωσις, καμάρωμα, præter architectonicam ſignificationem, qua *Concamerationem* denotat, apud Medicos ita dicitur oſſis fractura, cum ex alterutra refractum parte ſimilem *cameræ* figuram acceperit, Galen. *def. Med.* unde recentiorum nonnulli vehementiſſimas fracturas vocant *Camaromata*, quæ partem intermediam exaltatam habent. Ἐγκαμάρωματα vero dicuntur, quæ in medio ſui membranæ innituntur, Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6. Juxta P. Æginetam *l.* 6. *c.* 90. fractura cranii in ſpecie ſeu calvariæ ita dicitur, in qua os fractum cameræ modo utrinque extollitur, Gorr. *in defin. p.* 206. Recentiores Latine *Camerationem* vocarunt, deſcribentes, quod ſit ſpecies fracturæ cranii; ſive diviſio hujus, in quæ pars affecta cameræ modo exaltata relinquitur, ac intro à ſanis fracturæ partibus oſſa magis recedunt, membraniſque cerebri innituntur, quas contactu ſuo premunt, uti deſcripta legitur in *Obſervationibus Medico-Chirurgicis Latine redditis* Jobi à Meckeren Chirurgi Amſtelodamenſis *c.* 1. *p.* 12.

CAMATOS, κάματος, vide *Labor.*

CAMBAR eſt terminus Spagyricus, cujus deſcriptionem & explicationem non minus obſcuram vide *in Turb. Philoſ ſerm* 44. & 50. Ridiculam derivationem, à *Canna*, i. e. *ignis*, & *Bar*, *filius*, in Anonymi *Chym. l.* 2. in *Th. Chym. Vol. V. p.* 34. 37. 484.

CAMBIL dicitur *Terra rubra*, Rul.

CAMBIUM olim dicebatur humor nutritius, qui ex ſanguine originem trahens ita coctus, præparatus, & parti nutriendæ appropriatus eſt, ut proxime in ſubſtantiam partis deperditæ tranſeat, & cum illa naturam ſuam *cambiat* mutetque, Sennert. *Inſt. Med. l.* 1 *c.* 9. Arabum eſt commentum, cujus nulla certitudo aut neceſſitas, uti recte judicat Ger. Blaſius *Med. Gen. l.* 2. *ſect.* 2. *ſubſect.* 1. *c.* 3.

CAMBUCA, item *Cambucca membrata*, dicitur ſpecies bubonis vel tumoris ulceroſi ad inguina, vel juxta genitalia ex vaſe ſpermatico, Parac. *de ulcer. c.* 24. *libell. Theoric. c.* 4. *de ulcer.* Rul. *in Lex.* Eſt ſignum luis Gallicæ.

CAMELOPARDALIS, vel barbare *Cameloparda-lus*, καμηλοπάρδαλις, non ita dicitur, quod à Pardo & Camelo ſimul generetur, ſed à magnitudine corporis *Camelus*, à variis maculis *Pardus*, cujus deſcriptionem tradit ex variis Autoribus Aldrovand. *l.* 1. *de quadrup. c.* 35. Fuit cibus populo Judaico olim interdictus, *Deuter. XIV.*

CAMELUS, κάμηλος, Ion. κάμμηρος, quia κάμπτει τοὺς μηροὺς, femora curvat, proprie ſignificat animal quadrupes vaſtum, in dorſo vel unum, vel binos habens gibbos, ruminans, cornibus carens, Gal. *l.* 6. *de admin. Anat. c.* 3. Veſcitur ligneo & ſpinoſo alimento. Valde vero delectatur Junci odorati ſive Schœnanthi flore & ſummitatibus, in Arabia ſecus vias frequentiſſime creſcentibus, unde & vulgo Cameelheu dicitur, Gal. *l.* 1. *de Antid. c.* 14. In cibis uſus non adeo frequens, imo Judaico populo *d. l.* prohibitus. Caro eſt peſſimi ſucci, & concoctu difficillima, uti equorum & aſinorum domeſticorum: unde ea ſolum homines animo & corpore aſinini ac camelini veſcuntur, Galen. *lib.* 3. *de Al. fac. c.* 2. In Medicina cerebrum *cameli* ſiccatum, & ex aceto bibitum epilepticos curare dicitur apud Galen. *l. de Theriac. ad Piſ. c.* 9. Fel ex melle potum idem efficere, & in angina conferre; Caudam arefactam alvum ſolvere, fetas e cauda contortas, & alligatas ſiniſtro brachio quartanis mederi teſtatur Plin. *l.* 28. *c.* 8. Jungatur Aldrov. *lib.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 34.

CAMERATIO, vide *Camaroſis.*

CAMET, *Cames*, i. e. *Argentum.* Rul. & Iohnſ.

CAMINUS, κάμινος, quid ſignificet, notiſſimum eſt, ſcilicet tam fornacem, quam locum, per quem fumus tranſit. Vide *Fornax*, *Furnus.* Apud Ruland. *in Lexic. Chym. Caminus* ſignificat Campanam.

CAMISIA *fœtus*, vide *Chorion.*

CAMMARUS, κάμμαρος, κάμμορος, *Gammarus*, vide *Cancer.* & conferatur omnino Erotianus, qui poſt longe diverſas variorum ſententias adductas κάμμορον medicamentum eſſe refrigerans convenientius dici aſſerit. Allatas autem variorum conjecturas exſcribere, longum foret, unde lectorem ad ipſum Erotianum remittimus, cum quo non minus conferendus Galenus *exeg. Hipp.*

CAMNO, κάμνω, verbum ſignificat *Laboro*, ægroto, ex Hippocr. *VII.* 65. Dieter. *Iatr. n.* 430.

CAMPANA, κώδων, quid vulgo ſignificet, aliunde notum eſt, videlicet inſtrumentum ſonorum mediante mobili malleo penſili ad utrumque latus intus quatiente ſonum edens Vulgo *Cloca* vel *Glugga.* Vide Georg. Chladni *Inventar. Templor. Caput III. art.* 1. *p.* 325. *ſeqq.* In Chymicis vero *Campanæ* dicuntur receptacula illa, quibus pro parando ſpiritu Sulphuris acido Gas hujus concentratum & in aquoſam tenuem materiam collectum excipitur. D. D. Wedel, *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſ.* 5.

ſ. 5. c. 1. p. 101. Unde Spiritus Sulphuris per *campanam* appellatur, & *Campanarius* apud D. de Spina *in Lex. Pharm.*

CAMPE, καμπὴ, ſignificat *flexuram*, flexionem, à κάμπτω, flecto, cujus meminit Galen. *l. XI. de V. P. c.* 11. quando reſpirationis principium non e directo opponitur arteriæ, ſed facit ambagem & deflexionem. Vid. C. Hofm. *comm. de V. P. n.* 518. Dicitur & hoc nomine *Poples*, quia flectitur, qui alias proprio nomine ἰγνὺς, appellatur Gorr. *Flexio cruris*, κάμπη, *c.* 3. *de artic. t.* 113.

CAMPHORA, *Caphur*, *Cafur*, *Capur*, *Camphura*, κάφουρα, non eſt ſpecies bituminis, uti Georg. Agricola, Cardanus, Cæſalpinus &c. ſtatuerunt, ſed eſt lachryma reſinoſa, ſive gummi reſinoſum proceræ cujuſdam arboris peregrinæ, e cujus meditullio per rimas exſudat; eſtque duplex: vel granulata, abſque artificio collecta: vel in panes orbiculares coacta, ſingulari artificio, organorum peculiarium beneficio. De hac prolixius legatur Gothofr. Mœb. *Anatomia Camphoræ*, Schröd. *l.* 4. *Ph. Med. Chym. cl.* 2. *n.* 378. Fr. Hofm. *in Clave ad d. l.* Iunken. *Chym. Exper. Part. I. ſect.* 3. *c.* 11. *p. m.* 239. De Elixiris *Camphoræ* præparatione, virtuteque anodyna Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 15. *p.* 188. *ſeqq.* C. Hofm. *Paralip. Officin. c.* 63. in medio reliquit, nihil determinans, an vegetabile, an vero minerale ſit *Camphora*. Legatur etiam Eraſm. Franciſci *Hort. Indic. part.* 1. *p.* 708. qui Linſchotti, A Coſta, & aliorum ſcrinia compilavit. *Camphora* ſive *Caphura* artificialis quomodo fiat, deſcripſit Hartmann. *in Miſcellaneis Chymico-Medicis*. De *Camphora* Culanica ex corticibus Radicum Cinamomi & oleo ex eadem Camphora deſtillato notavit ex Horti Malabarici *Tom. I. circa finem* P. Ammann. *in Irenic. p.* 39.

CAMPTER, καμπτὴρ, in genere *flexuram*, vel *incurvationem* denotat; ſpecialiter vero metam curſorum, quam præfixam habent, ſignificat. In qua ſignificatione uſus eſt per comparationem in deſcriptione nervorum ſexti paris recurrentium, natura quaſi in διαύλῳ, h. e. germinato, & reciproco curſu concurrente, *l.* 7. *Uſ. P. c.* 14. quam metam alibi in eadem comparatione νύσσαν, appellavit, *l.* 16. *c.* 4. Vid. C. Hofm. *comm. ad prior. loc. n.* 481.

CAMPTON, καμπτὸν, *flexile* dicitur, cui opponitur τὸ εὐθυντὸν, quando ex curvo fit rectum. Gorr.

CAMPYLON, καμπύλον, à verbo καμπυλεῖσθαι; (non καμπύλεσθαι,) quod ſignificat *incurvari*, flecti, & idem eſt, quod κάμπτεσθαι, dicitur tortuoſe *incurvatum*, flexum. Crebro adjectivum illud uſurpavit Hipp. de palpebra inverſa & retorta *I. prognoſt. t.* 12. Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 9. qui affectus alias dictus καμπυλότης βλεφαρίδων, *palpebrarum recurvatio*; item κατάκλασις, nec non ἴλλωσις, *Coac. t.* 218. Jung. C. Hofm. *com. ad Gal. LL. de V. P. n.* 746. Item de oſſibus brachii, coſtarum 1. *de art.* 4. *l. Mochlic. IX.* 3. *ſ.* 3. *de artic. t.* 38. Verbo vero καμπυλεῖσθαι, id eſt, *incurvari*, flecti, uſus *d. loc. t.* 113. Vide Foëſ. *Oec. p.* 304.

CANABIL, vide *Eretria*.

CANADELLA, vide *Channadella*.

CANALIS, σωλὴν, in genere ſignificat inſtrumentum aliquod rotundum, cavum, oblongum, per quod materia fluida deſcendere poteſt ac ſolet. Et in hac ſignificatione à Medicis omnis generis vaſa, arteriæ, venæ, nervi frequentiſſime *canales*, alias ductus quoque dicti, nuncupantur. In ſpecie *Canalis* urinarii meminit Barthol. *Anat. l.* 1. *c.* 32. Imo teſte Gorræo, ob ſimilitudinem ab Anatomicis medium quoque foramen, quo omnes cervicis vertebræ perviæ ſunt, & ſpinalis medulla à cerebro deſcendit, σωλὴν, *Canalis* dicitur, & alio quoque nomine ἱερὰ σῦριγξ, quaſi *ſacram fiſtulam* dicas, aut *magnam*. In ſpecie vero, ob formæ ſimilitudinem, *Canalis* denotat inſtrumentum chirurgicum, concavum & oblongum, in quod membrum fractum, crus aut femur imponitur & continetur, apud Hipp. 3. *de iis, quæ in med. t.* 18. Gal. *com.* 3. *d. loc. t.* 36. Æginet. *lib.* 6. *c.* 106. Celſ. *l.* 8. *c.* 10. & alios. Paratur vel ex ligno vel materia fictili, imo etiam ex ſtramine cum linteo parari ſolet; vulgo **ein tröglein**. Quales varii monſtrantur à Sculteto *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XXIII.* Poteſt etiam ad alia inſtrumenta Chymica applicari hoc vocabulum, quæ concava ſunt, & ſiphonum vices præſtant, & ita pro *Cannula* accipi. Dicitur & in diminut. *canaliculus*, vel *canalicula*, σωληνάριον. Ruland. *Canaliſculus*.

CANCE, vaſis genus. Rul. *in Lex.*

CANCELLUS, vel eſt diminutivum *cancri*, & dicitur Græce καρκίνιον, & in plur. καρκινάδες, Aët. *l.* 2. *c.* 139. Vide *Cancer*. Vel denotat portam aut valvam, ex multis aſſulis vel ferreis portionibus decuſſatim conjunctis paratam, vulgo **ein gitter**. Græce κιγκλὶς, à κλείω, *claudo*. Rul. *in Lex.*

CANCER, καρκῖνος, eſt valde æquivocum vocabulum. Præter illas ſignificationes, quæ non ſunt hujus loci, v. gr. quando certum ſidus in zodiaco, vel genus quoddam calceamenti, apud Heſych. & Polluc. vel verſus retrogrados denotat: in Medicina quadruplicem obtinet ſignificationem. 1. *Cancer* dicitur vel in genere omne animal cruſtatum, exangue, Plin. *l.* 9. *c.* 30. vel in ſpecie duo eorum præcipua genera *cancros marinos* & *fluviatiles*, qui poſteriores potiſſimum & *Aſtaci*, *Cammari*, *Gammari*, ἀστακοὶ, κάμμαροι, Gr. vocari ſolent; priores vero κατ' ἐξοχὴν *Cancri* dicuntur. Jung. C. Hofm. *comm. de V. P. n.* 539. aliquando etiam *Carabi*, κάραβοι, Aldrov. *l.* 2. *de cruſt. c.* 2. Huc quoque pertinent *Cancellorum*, καρκινίων ſpecies, quorum omnium deſcriptiones & differentias huc afferre, nimis prolixum foret. Videantur vero apud Aldrov. *lib.* 2. *de cruſtac.* & Rondelet. *l.* 18. Quod attinet eorum uſum in cibis, de iis omnibus dixiſſe ſufficiat cum Ionſtono *Syntagm. l.* 1. *Tit.* 1. *c.* 2. *art.* 6. duræ eſſe carnis, & difficilis

lis concoctionis, ſed firmi, ſi vincatur, alimenti. Cauto igitur opus eſſe iis, qui commendant in atrophia, phthiſi, hectica, ne citius, quam par eſt, extinguant igniculum ſuperſtitem. Imo ſuſpectam eſſe illam magnificam horum commentationem, rectiſſime monet Caſp. Hofmann. *Inſt. l.* 5. *c.* 22. §. 12. Reliquus uſus in Medicina internus & externus videatur apud Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 75. Hofmann. *in Clav. ad dict. locum.* Jung. Galen. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 3. *de Theriac. ad Piſ. c.* 9. *l.* 2. *de antidot. c.* 15. *& alibi.* 2. *Cancer* appellatur ob aliquam ſimilitudinem cum forma cancri, præſertim in mammillis fœminarum, teſte Gal. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 10. tumor quidam præter naturam, fuſci & lividi coloris, in quo venulæ quædam exaltatæ primo occultæ (& *Cancrum latentem* vocant κρυπτὸν καρκῖνον, Hippocrat. 6. *aph.* 38. Galen. *de atr. bil. c.* 4.) deinde manifeſtæ a craſſo & nigriore ſanguine feci vini aſſimiles ſunt, Gal. 11. *M. M.* 9. quæ ſi exulcerentur, faciunt *Cancrum exulceratum*, καρκῖνον μεθ' ἑλκώσεως, Galen. 4. *aph.* 24. Circa hujus affectus graviſſimi cauſſam magnæ occurrunt difficultates & diſſidia apud Autores. Plerique ab atra bile deducunt. Paracelſ. *de ulcer. c.* 3. & *in Fragment.* in Colcothare vel Realgare Microcoſmico cauſſam ponit. Helmontius a ſale alcalico corroſivo deducit, *Schol. Hum. paſſ. dec. c.* 1. *n.* 32. Joh. Walæus ſalem & terram in corpore abundantem concretam, a quibus ſerum eſt ſegregatum, ſtatuit cauſſam, *Med. Pr. l.* 2. *c.* 25. Nobis placet, ſubſcribere primæ opinioni, per atram bilem intelligendo toto genere præternaturalem, coagulativam, & tandem depaſcentem ſive exulcerantem, ſupra ad vocab. *Bilis Atra* deſcriptam. Unde retinemus hanc deſcriptionem: *Cancer* eſt tumor rotundus, lividus, aut ſubniger, venis circumcirca turgidis & repletis, cum vel ſine exulceratione, a bile atra diverſimode corrupta ſtagnante exortus. Qui cum Paracelſo *dicto loc.* & *de Podagr.* ad ſolas mammas fœminarum & ſcapulas virorum reſtringunt *cancrum*, nimis arctos ejus ſtatuunt cancellos. Græce etiam dicitur καρκίνωμα, *Carcinoma*, quod vocab. Gorræus ad affectum corneæ tunicæ in oculo, ſi ad hanc undique venæ ſanguine plenæ & liventes concurrunt, vult, a Græcis ſæpe reſtringi. Confunditur haud raro etiam *Cancer* cum Gangræna, notante Joh. Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 62. & 114. item cum Herpete, Eſthiomeno, cum ulceribus malignis, *l.* 2. *Cancri* cura per cancrum vivum laudatur a Parac. *l. Principior. de myſter. verm. Cancer albus* quod dicatur Gallis, recrementum quoddam album cretaceum oris internas partes linguamque totam infantum ſæpe occupans, & niſi mature detergatur, exulcerans, ſcribit Paræus *l.* 23. *Chir. c.* 17. & haud-dubie intelligit *Aphthas.* Os jugale quoque καρκίνος, nomine venire apud Pollucem, teſtis eſt Aldrov. *d. l.* & Gorræus, forſan quia ita committuntur extremitates, uti chelæ vel forcipes cancrorum inter ſe coeunt. 4. Denique Faſciæ quandam ſpeciem *cancrum* καρκίνον dici, quæ capiti convenit, & in plures partes Cancrorum pedes referentes ſciſſa eſt, videre eſt apud Gal. *de Faſciis. Cancer* infiltratus, qui coſtis adæret Adr. Spigel. *in præl. prior.*

CANCHRYS, *Canchry*, vide *Cachrys*, *Cachry.*

CANCINPERICON, i. e. *Calidus fimus equi.* Rul. *in Lex.*

CANCRENA, idem, quod *Gangræna*: vocab. Paracelſo frequens; quamvis & Langius uſus ſit *l.* 1. *ep.* 12.

CANDELA, λύχνος, κηρὸς, quid ſignificet etiam pueris notum eſt, nimirum fila per oblongum compacta cera vel ſevo liquefacto obducta, ut accenſa conclavia illuminent; quamvis & aliquando uſum Medicum habeant applicando in meatus affectos. Hujus modi *candelarum* flammæ non male comparatur anima Medica, ſive ſenſitiva, aut principium vitale ab Helmont. *de Lithiaſ. c.* 9. *num.* 35. *Candelarum* fumum abortum promovere, paſſim Practici veteres & recentiores ſcriptis teſtati ſunt. Deinde ob formæ oblongæ ſimilitudinem, &c, quod accendantur, *candelæ* quoque fumales ex maſſa Trochiſcorum paratæ nomen obtinuerunt, de quibus vide Weker. *Antidot. ſpec. l.* 2. *ſect.* 48. Schröd. *l.* 2. *c.* 86. Dicuntur & *Apes Cypriæ*, & *Bacilli*, de quibus ſupra. Candelæ quoque inter Chirurgica inſtrumenta referuntur. Ita *cereas candelas* exhibet depictas ad carunculas in meatu urinario Scultetus *Arm. Chir. Part. I. Tab. XVII. fig.* 12. & *candelam uterinam Tab. XXII. fig.* 4.

CANDIDUS, *Candor*, proprie idem eſt, quod *Albus*, *Albedo*, de quo ſupra. Tropice etiam ad animum ſincerum applicatur frequentiſſime. *Candidare* dicitur quartum regimen, & tribuitur Soli *in Th. Chym. Vol. V. p.* 40.

CANDISATUM dicitur confectio ſaccharo canto facta abſque additione amyli, & motitatione recipiens formam angularem & cryſtallinam. D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 2. *p.* 106.

CANEON, *Canion*, κάνειον, κάνεον, κανεῶν, κανίον, apud Hippocr. pro ollæ *operculo* ponitur, per quod appoſito calamo & arundine ſuffitus in uterum deferebatur, *l.* 1. *de M. Mul. XXVI.* 1. 2. & *l.* 2. *XXIV.* 22. *ſeqq.* Alias caniſtrum aut ciſtam ſignificat, vide Foeſ. *Oecon. p.* 304.

CANFORA, idem, quod *Camphora.* Ruland.

CANICACEUS, πιθύριτος, idem, quod *Furfuraceus.* Aceroſus, vide *Aceroſus. Furfur.*

CANICIDIUM dicitur ſectio canum vivorum Anatomica, & uſus eſt hoc vocabulo D. Drelincurtius, in cujus Experimentis Anatomicis XVII. *Canicidia* cum omnibus repertis phænomenis egregie deſcripta leguntur.

CANICULA, κυνίδιον, diminutivum *Canis*, item *Catellus*, tot ſignificationibus gaudens, quot vocabulum *canis* accipitur. Vide *Canis.*

CANICULARIS, dicitur de tempore, in quo *canicula*,

cula, ſive *Sirius*, σείριος, ſtella illa fulgida primæ magnitudinis in ſidere, *Canis major*, κύων, vocato (ad differentiam Canis minoris, προκύων dicti, qui ortum Canis majoris ſolet præcedere) cum ſole heliace oritur; qui dies dicuntur *caniculares*, vulgo Hundſtäge / quo tempore magni æſtus & ardores eſſe ſolent, κυνοκαύματα dicti propterea à Plin. Valer. *l.* 3. *c.* 14. quorum cauſſa falſo temereque in ſtellam illam refertur, cum a Sole ſolo dependeat, uti rectiſſime hoc demonſtravit Linden. *S. M. Ex. XI.* §. 167. *ſeqq.* Dies illos ineptos eſſe ad purgantium uſum, conſtat ex Hippocr. 4. *aph.* 5. & tempus illud generationi lumbricorum favere, vult Paracelſ. *tr. de lumbris.*

CANINUS, κυνικὸς, denominat. a *Cane*, dicitur de omni eo, quod vel participat de natura canis, vel cum cane aliquam habet convenientiam. In illa ſignificatione, ceu propria, omnia membra canis *canina* appellari poſſunt. Ita *canina pellis* (quamvis incertum ſit, num de *cane* terreſtri, an marino ſit intelligendum,) commendatur adverſus podagram duplici calceo indita apud Scrib. Larg. *n.* 161. Vide Rhod. *ad h. l.* Huc pertinent & *caninum* ſtercus, *canini* pediculi &c. nec non *canina membrana* ſive tunica fœtum catellorum involvens, referta vaſis cum funiculo ad meſenterium pergentibus, Th. Barthol. *Anat. l.* 1. *cap.* 36. *fin.* In tropica vero ſignificatione accipitur de *Appetentia Canina*, Gr. ὄρεξις, κυνώδης, dicta de qua *ſupra in lit. A.* item de *Dentibus Caninis* Gr. vocatis κυνόδοντες, & ſunt duo utrinque mandibulæ inferiori & ſuperiori inhærentes, inter Inciſorios & Molares, qui *canum* dentibus quam ſimillimi ſunt, inferiori baſi lati, parte ſuperna acuti, ut, ſi quid propter duritiem ab inciſoribus dentibus minui minus potuit, id frangant. Gal. *l. de Oſſ. c.* 5. Ita per ſimilitudinem dicitur κυνοδέσμιον vinculum illud, quo membri genitalis cuticula cum glande colligatur, alias *Frænum* dictum. Græci etiam κύνα appellant; Latine *Canem* aut *caninum vinculum* dicere poſſunt, Gorr. Pertinet & huc *Spaſmus cynicus*, ſive *caninus*, σπασμὸς κυνικὸς, ſpecies convulſionis particularis, muſculorum maxillarium, per quam os, naſus, oculus, atque adeo dimidia faciei pars in obliquum torquetur; item κυνανθρωπία, qui affectus idem cum lycanthropia. Ut taceamus alias denominationes plantarum de *Cane*, de quibus conſulantur Botanici & Gorr. *p.* 256.

CANIS, κύων, eſt homonymum valde vocabulum. Præter aſtronomicam ſignificationem, de qua p. a. in voc. *Canicularis*, & anatomicam, de qua in voce *Caninus* dictum fuit, duo denotat animalia in quibus multa occurrunt diverſa, ſeu corporis ſpectes formam, ſeu animi mores, Terreſtre ſcil. & Aquaticum ſive marinum. Illud eſt cicur, hominiſque amans; hoc inſidioſum & ferum: illud quadrupes, hoc non: illud latrabile, hoc ad latrandum minus habile. Gal. *l.* 2. *M.M. c.* 7. Utrumque in Medicina perſpectum eſſe debet propter uſum & noxam. *Canis terreſtris* & domeſtici uſus olim etiam fuit in cibis, teſte Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 2. ubi dicit, canes juvenes ſive catulos ac pingues, & potiſſimum cum fuerint caſtrati, apud quaſdam gentes frequentiſſime comedi. Verum noſter orbis in epulas non admittit, Bruyerin. *de re cibar. l.* 13. *c.* 37. In Medicina quis ſit *Canis* quadrupedis uſus, videri poteſt apud Schröd. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 8. & Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Prolixiorem autem *Canis terreſtris* in genere & ſecundum ſpecies deſcriptionem, deque ejus uſu in cibis & medicina, ut & ad alia quævis invenies apud Aldrovand. 3. *de quadr. digit. vivip. c.* 1. *ſeqq.* Extra uſum Medicum *canis* virtus bonitaſque eſt, ad venationem & tutelam quidem quam animoſiſſimum, ad domeſticas quam mitiſſimum eſſe, Gal. *l.* 1. *de Temper. c.* 6. Noxa graviſſima ſive venenum ejus conſiſtit in morſu, ſi rabioſus fuerit, quod communicatur per particulas ſalivales dentibus adhærentes, quamvis & aliis modis citra morſum communicari queat & ſoleat. Videatur Senn. *l.* 6. *P.* 8. *c.* 30. *Med. Pr.* ubi etiam ſymptomata & ſigna enumerantur, inter quæ hydrophobia ſive metus aquarum ferme palmarium, & quod mors poſtea ſequitur, occurrit. Cuncta vero teſtantur illius veneni naturam non tam eſſe volatilem, fuſoriam, & arſenicalis naturæ, quam lentam, coagulativam, vel congelativam & putrefactivam. Confirmat hoc Gal. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 73. ubi appellat venenum hoc, τὸν τοῦ κυνὸς ἰὸν, & affecto illo λυσσοδήκτους. Quod vero *l.* 5. *de L. A. c.* 5. ſolum *canem* rabie affici, nec ullum aliud animalium, hoc experientiæ & autoritatibus aliorum repugnare videtur. De lupo rabioſo ruſticum lethaliter lædente mihi perſpecta eſt hiſtoria. Remedia euporiſta vide *l.* 3. *de med. facile par.* In ſpecie Antidotum Apul. Celſi laudatur apud Scribon. Larg. *n.* 171. Conſer. infra *Rabies*, *Hydrophobia*. De *cane marino*, qui *Cetaceis* ob magnitudinem annumeratur, & *Galeorum*, *Muſtelorumque* ſpecies eſt, *Carcharias*, καρχαρίας γαλεὸς etiam dictus, ob dentium acutiſſimorum copiam videatur Ul. Aldrov. *l.* 3. *de Piſc. c.* 32. *ſeqq.* Uſus ejus in cibis ob carnis ſoliditatem a Rondeletio *l.* 13. *c.* 5. commendatur, a Galeno vero *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 31. improbatur. In Medicina ad dentium affectus potiſſimum laudari, dentitionemque infantum promovere ſuſpenſos *canis* piſcis dentes *d.* Aldrov. *loco* videre eſt. Noxa ejus conſiſtit in hoc, quod urinatoribus inſidietur, & cum his luctetur, Plin. *l.* 4. *H. N. c.* 46. Utriuſque animalis terreſtris & marini dantur & ſpecies minores, quæ *Caniculæ*, *Catuli*, *Catelli*, κυνίδια nomine veniunt. *Canis* Coraceni, & *Catulæ* Armeniæ hieroglyphicam ſignificationem in negotio Lapidis Philoſophici præparandi, vide ſis *Theatr. Chym. Vol. III. p.* 38. *tr. de Alchym. incert. auth. c.* 41. & *Vol. IV. p.* 736. & 762. *Canum magicorum* & diabolicorum meminit Libavius *tr. de horrib. impiet. mag. ſect.* 9. *Canis* quoque in Anatomicis dicitur frenum illud, quo ligatur præputium cum

cum glande penis in parte inferna. Vocatur & *Filellum.* Fallop. *tr. de decoratione cap. 9. Tom. II. Op. p. 339.* Suidas & Euſtathius pudendum muliebre dicunt κύονα, cujus cauſſam non potuit invenire Bartholinus *in Anatomia.*

CANITIES, *Canitia*, Rhod. *in Lex. Scrib.* πολιότης, πολίωσις, ἡ πολιὰ, & in plur. αἱ πολίαι, ſcil. τρίχες, eſt pilorum in album commutatio vel ordinaria in ſenectute, vel extraordinaria ante legitimam ætatem, vel etiam a morbo. Hanc ſaltem deſcripſit Gal. *in def. Med. Canitiei* cauſſam vide ſis apud Hippocr. *de nat. puer. XIX. 4. ſeqq.* Alias veteres putarunt, fieri *canitiem* a ſiccitate, quemadmodum arborum folia ex ſiccitate albeſcunt. Sed hos refutat Ariſtoteles *l. 5. de gen. an. c. 5. & ſ. 10. probl. 36.* putredinem potius *canitiei* cauſſam dicens. Subſcripſit Th. Barthol. *Anat. l. 3. c. 1.* hoc etiam phænomenon addens, quod, qui tecto capite incedunt, citius caneſcant, nec tamen ita exiccantur, quam qui nudum caput aëri exponunt; deinde quidam ab ortu ſtatim caneſcant, quod non a ſiccitate. Verum neutra ſententia rem nobis videtur acu tetigiſſe. Non prior, quia experientia teſtatur eſſe *canos*, qui corpore ſucci pleno præditi ſunt. Quomodo igitur *canities* eſſet a ſiccitate? nec poſterior, quia eadem experientia teſte *cani* ſunt nihilominus vegeti & incolumes, qui vigor cum putredine humorum conſiſtere nequit. An igitur cauſſa potius in peculiari ſucci nutritii diſpoſitione ſalina & terreſtri quærenda & ponenda erit?

CANNA, κάλαμος, variis pollet ſignificationibus, 1. denotat *arundinem*, κάλαμον, vallarem & vulgarem, φραγμίτην, Gal. *l. 7. de S. Fac. h. t. 2. Caſſia fiſtula*, illud inter Cholagoga celebratum, etiam *Canna* dicitur, Schröder. *l. 4. cl. 3. num 416.* 3. In Anatomicis Oſſa tibiæ dicuntur *Cannæ*, majus quidem κατ' ἐξοχὴν. Tibia dictum, *Canna major*, ſ. *Focile majus*; & *Fibula*, ſive *minus*, *Canna minor*, Barthol. *Anat. l. 4. c. 21.* Ita & *Canna* accipitur ſæpius pro *Aſpera Arteria*, ſive Broncho & Bronchiis apud Avic. *l. 3. fen. 10. tr. 1. c. 1. & alibi.* 4. Inſtrumentum quoddam Chirurgicum *Canna* vocatur, & idem eſt, quod *Siphunculus*, Rul. *in Lex.* Ita *cannam* argenteam in cranium perforatum epileptici infigendam eſſe, ut vapores epileptici exhalent, ſuadet Paracelſ. *Paragraphor. l. 3. c. 4. §. 1.* Diminutivum quoque *cannula* frequenti eſt in uſu apud Chirurgos, quales diverſos monſtrat Scultetus *in Armamentario ſuo Chirurgico*, & quæri poſſunt *in Indice primo.*

CANNIBALES dicuntur populi occidentalis Indiæ, olim Gigantes, quorum venenum, quo ſagittas inficiebant, rabiem excitaſſe legitur apud P. Zacchiam *Quæſt. Medico-Legal. l. 2. tit. 1. quæſt. 17. n. 7.* ex Oviedo de Orientalibus Indiis.

CANNULA, diminutivum Cannæ. *Cannulæ* Symphaticæ dicuntur Enbalia, quorum efficaciam admirandum notavit Theoph. Bonetus *Medic. Septentrion. Collatit. l. 2. ſect. 7. c. 6. p. 340.*

CANON, κανὼν, *regulam*, normam, ad quam res aliqua conficitur, ſignificat. In Medicina *canonem* idem eſſe, quod Methodum medicinalem, videtur conſtare e Paracelſo, quando opponit *Canones Medicorum* arcanis, ſive remediis ſecretis *d. l.* & propterea *canonicam curam*, ſive curam regularem non in omnibus morbis locum habere ſtatuit *de caducis par. 4. Canonicum* remedium eidem ſunt purgationes, ſyrupi, confortantia, *d. l. Canonis* etiam meminit *l. 2. de Podagric.* De canonibus metallorum ſeptem vid. Dorn. *de tranſmut. metall. c. 24. Th. Ch. Vol. I. p. 558.*

CANONIÆ, κανονίαι, perperam κανονίαι dicuntur, qui ventre ſunt ſubſtricto, non prominente aut prominulo, ſed veluti ad regulam directo. Hipp. *l. de A. L. & Aq. l. V. 9.* Dicuntur & *Proceri* Zuingero & Erotiano. His opponuntur σαρκώδεις, carnoſi, craſſi. Foëſ. *Oec. p. 304.*

CANTACON, eſt *Crocus hortulanus.* Rul. *in Lex.*

CANTARELLI, vocantur vermes quidam, qui in vernacula lingua vocantur *Vermes Majales*, qui in oleo macerati oleum eadem cum ſcorpionum oleo virtute imbuere dicuntur. Horſt. *l. 8. Obſ. & Ep. Med. obſ. 8. T. II. Op. p. 409.* Referuntur inter *Scarabæos*, & in ſpecie *Unctuoſi* cognominantur, quia ab attactu liquorem unctuoſum acrem fortiterque olentem emittunt, qui liquor vomitum, ſeceſſum & urinam movere dicitur a Glaubero, cum tamen per ſe urinam moveat. Borellus *Cent. 4. Obſ. 27.* Meminit & cum animadverſione D. Ludovici *Diſſ. I. Pharmac. p. 417.*

CANTERIUM, aliis *Cantherius*, σρωτὴρ, κανθήλιος, Gorr. *trabem* ſignificat, quæ ab una columna ad aliam pertingit, qua uſus ad repoſitionem humeri Hipp. *l. 1. de artic. t. 20.* Vid. Comm. Gal. *ad h. l.*

CANTHARIDES, κανθαρίδες, *Muſcæ Hiſpanicæ*, ſunt animalia inſecta, volatilia, quorum variæ quidem ſpecies deſcribuntur ab Aldrovando, *l. 4. de Inſect. c. 4.* In eo tamen convenire debent, quod aureum & ſplendentem colorem habeant. Quæ in Medicina receptæ ſunt, producuntur ex genere quodam vermiculorum, *Erucis* ſimilium, natorum ex humore foliis arborum nonnullarum, v. g. Populi, Fraxini &c. adhærente. Præſtantiores autem habentur, quæ in frumento aut pratis reperiuntur, verſicolores, & luteas in alis tranſverſas lineas habent, corpore oblongo, craſſæ, recentes, uti deſcripſit Schröd. *in Pharm. l. 5. cl. 4. n. 98.* Quod vim habeant cauſticam, & quidem eſſentialiter, uti loquitur Parac. *l. de renov. & reſtaur.* corroſivam & veſicatoriam, jam omnibus pene innotuit. Unde uſus externus earum receptiſſimus in parandis veſicatoriis. At intra corpus ſumtæ olim pro veneno habitæ fuerunt, teſte Gal. *l. 2. de antidot. c. 7.* quod peculiariter veſicam exulcerare creditum fuerit, *l. 1. de C.M.P.G.c.1.* unde & varia apud eundem legi poſſunt alexiteria. Jungatur Scribon. Larg. *n. 189.* Rhod. *in not. ad h. l.* Ex recentioribus tamen ſunt, qui uſum quoque inter-

num defendere ſatagunt, niſi autoritate Hippocratis; qui hydropicis propinaſſe legitur, 4. *de R. V. I. A. t.* 122. & Ictericis *l. de intern. affect. XXXIX.* 20. inter quos recentiores eſt Joh. Lang. *l.* 1. *ep.* 47. Th. Barthol. *Cent.* 5. *Hiſt.* 82. citante Fr. Hofmanno *in clav. ad d. Schröder. loc.* Jungantur *Ephemerid. Nat. Cur. T. I. Obſ.* 133. Enimvero quid cogit nos ad ſuſpecta, & cum tanto periculo conjuncta confugere, cum in tanta medicamentorum farragine ſecuriora abundent? Oportet Medicum quam maxime intendere utilitatem ægrotantium; ſin minus, ut certe eos non lædat, juxta aureum præceptum Galeni *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 40. Laudandus ergo hoc in caſu Paracelſus, qui *l.* 2. *de Tart. tr.* 3. *cap.* 5. *in not.* *Cantharides* quidem ceu diureticum fortiſſimum in calculo adhiberi teſtatur, ſed non eſſe laudabile medicamentum, cenſet, quia corroſivum. Neque etiam intrinſecus in balneo approbat, *l.* 1. *de Tart. tract.* 3. *c.* 2. *in not.*

CANTHARUS, κάνθαρος, varia ſignificat, quorum aliqua non ſunt hujus loci; v. g. Poculi genus, tum olim Bacchi proprium, tum hodieque etiam uſitatum; Navis apud Ariſt. portus Athenienſis, ſignum cœleſte in Aquario. Malleus, quo fores pulſantur apud Plaut. de quibus omnibus videatur Aldrov. *l.* 4. *de Inſect. c.* 3. Quædam vero huc quoque ſpectant. 1. quando denotat piſcem quendam ſive littoralem, ſive pelagium, qui & *Scarabæus* a nonnullis dicitur, cujus uſus quondam in cibis fuit, quamvis non adeo commodus ob carnem nimis mollem & præhumidam, ſi Ovidio credimus & Rondeletio. Videatur de hoc piſce Aldr. *l.* 2. *de Piſc. c.* 20. Deinde ſignificat Inſectorum varias ſpecies, quæ Latine *Scarabæi* dicuntur, de quibus omnibus idem legatur *dicto de Inſectis loco.* Ex his ſpecialiter in uſum venit Medicum *Scarabæus cornutus*; ſive *Cervus volans. Scarabelaphus*, vulgo ſchröter / Gr. κάραβος, ut & *Pilalarius*, ſive ſtercorarius, Gr. κοπρίων, roßkäfer / de quorum uſu Medico præter Aldrov. *d. l.* legi poteſt Schröd. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 114.

CANTHUS, κανθὸς, vide *Angulus.*

CANTIANUS epitheton eſt Pulveris Anglici Comitiſſæ de Kent ex *Pharmacopœa Bateana*, cujus deſcriptio etiam extat in D. D. Iunken *Corp. Pharm. P. II. p.* 203. & in D. D. de Spina *Lex. Ph. p.* 749. quamvis in priori autore epitheton *Cantianus* non extet.

CANTUM, *Cantium*, καντὸν, κάντιον, vocabulum eſſe Græcorum medii ſeculi, ſeu a puritate veteris elegantiæ recedentium, vult e Salmaſio & Meurſii Gloſſario oſtendere Linden. *Sel. M. Ex. X.* §. 16. & ſignificare *anguloſum*, atque eſſe epitheton ſacchari cryſtalliſati, & propterea animadvertit in eos, qui *Saccharum candum* ſcribunt, cum debeat *cantum*, vel *cantium* ſcribi. Enimvero ſtante hac ſignificatione, quod anguloſum denotet, cur non potius *canthum*, vel *canthium* ſcribendum eſſet? cum κανθὸς per θ angulum ſignificet, non vocab. κάντις, quod verbum nuſpiam in Lexicis occurrit.

CANUTUM, i. e. *Calamus*, vel *Canna.* Dicitur & *Cannutum.* Rul. *in Lex.*

CAPELLA ſignificat in Chymicis vernaculo potius idiomate quam Latino, vas fictile, in quo arena continetur, cui vaſa cum materia deſtillanda immittuntur. Dicitur alias *Catinus arenarius.* Vel etiam vaſculum aliquod ex oſſibus calcinatis vel ſimili materia confectum, in quo ſeparatio metallorum puriorum ab impuris inſtituitur. Vide infra *Cupella.*

CAPER, τράγος, vide *Hircus*, *Capra.* Quando vero piſcis quidam *Caper* vocatur, illud factum eſſe vel ex ignorantia, vel ex confuſione Græcæ Linguæ cum Latina, ſciendum, cum potius dici debuiſſet *Aper*, cum Græcum κάπρος, non caprum, ſed *aprum* ſignificet. Vide *Aper.*

CAPETUS, κάπετος, dicitur *foſſula*, ſcrobs, *fovea.* Sumitur apud Hippocratem de foraminibus imperviis, quæ in medio ſcamno chirurgico excavantur, quorum uſus eſt ad vectes firmandos, *ſ.* 4. *de artic. t.* 52. & 58. Jung. Gal. *in com. ad ill. loc.* & Foëſ. *in Oec. p.* 305. vide *Bathron.*

CAPHURA, καφούρα, idem eſt, quod *Camphora.* Vide paulo ante.

CAPILACTEUM, ἀφρόγαλα, vide *Aphrogala.*

CAPILLAMENTUM, τρίχωμα, τριχωμάτιον, proprie ſignificat omne piloſum villoſumque in brutis & hominibus tegmen, quemadmodum πτέρωμα, pennoſum in avibus. Et ita idem eſt, quod *Capillitium.* Tropice vero *capillamenta* ſunt etiam filamenta illa tenuia, in florum medietate ſurgentia, Schröd. *l.* 1. *c.* 2.

CAPILLARIS, τριχώδης, τριχοειδής, dicitur de omni eo, quicquid pili ſpeciem refert. In ſpecie vero de venis extremis, quæ *capillares* dicuntur. Vide *Apanthiſmus. Capillares* etiam vermiculi infantium vocantur G. H. Velſchio, qui aliis *Crinones*, *Comedones* & *Dracunculi* dicuntur, *in Exercit. altera hoc tit. tractatui de Vena Medinenſi annexa.*

CAPILLATIO, vide *Trichiſmos.*

CAPILLITIUM, naturaliter idem, quod *Capillamentum.* Præternaturalem vero ſignificationem vide infra in Voc. *Trichiaſis.*

CAPILLORUM *defluvium*, vide *Alopecia.*

CAPILLUS, θρὶξ, ſpecialiter *pilos capitis* ſignificat, quos inter congenitos refert Th. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 1. Idem quoque copioſiſſimos *capillos* eidem tribuit, quia homo præ cæteris animalibus cerebrum habet maximum. *Capillos* in lepra cadere, legitur apud Paracelſ. *Schol. in lib. Paragraph.* Sumitur & aliquando late pro *Pilis* ſive *Crinibus* in genere. *Capilli* nomen quoque refertur inter Nomina Lapidis Philoſ. a Lagneo *in Harm. Chym. Vol. IV. p.* 727.

CAPILLUS, i. e. *Lapis Rebis*, Rul. & Iohnſ.

CAPIPLENIUM vocari quibuſdam catarrhum, ſcripſit Schneiderus *l.* 1. *de Catarrho c.* 3. Enimvero e noviſſimis celeberrimus Georg. Baglivus Medicus & A-

nato-

natomicus Romanus in elegantiſſimo ſuo libro *de Praxi Medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda l.* 1. *c.* 13. *n. IV. p.* 116. *ed. Patavæ Lugd.* de aſſidua capitis gravitate, quæ Græce καρηβαρία vocatur, accipit, Romanis valde familiaris & quaſi endemica. Interim optandum eſſet, ne tot abſurda & barbara vocabula in artem medicam introducerentur, temereque fingerentur.

CAPISTRATIO, vide *Phimoſis.*

CAPISTRUM, φιμὸς, φίμος, κημὸς, quid proprie ſignificet, e triviis notum, nec hujus loci. Per ſimilitudinem dicitur de quibuſdam faſciarum chirurgicarum capiti applicandarum ſpeciebus, apud Gal. *de Faſciis. Capiſtrum* auri dicitur *Borax.* Rul. & *in Lex.*

CAPITATUS, *a*, *um*, κεφαλωτὸς, quod formam rotundam capitis ſimilem habet. Eſt epitheton in plantis frequens, v. g. Braſſica *capitata*, thymbra *cephalote*, vel *capitata.* Keuchen. *ad Seren. p.* 176.

CAPITELIUM, eſt aqua ſaponis, Iohnſ. *in Lex.* vel lixivium, Libav. *Apoc. Herm. part. pr. c.* 2. Paræus *Chirurg. l.* 25. *c.* 32. Fallop. *de Cauteriis cap.* 5. *Tom. I. p.* 537. An Paracelſus hanc quoque intellexerit, quando tr. **von farb-ſüchten** de tinctoribus ſcripſit, quod ſi *Capitella* ſapientum alcali uſurpent, colores pannorum eluantur, qui alias ſola aqua elui nequeunt, nolo determinare.

CAPITILUVIUM, i. e. *Lotio capitis*, eaque vel roborans, vel mundificans. Legitur apud D. D. Wedel. *Pharmac. Acroam. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 7. *p.* 351.

CAPITIS *Dolor*, vide *Cephalalgia.*

CAPITIS VENA. Vide *Cephalicus.*

CAPITO, καπίτων, cognomentum Artemidori medici, qui Hippocratis ſcripta edidit, cujus aliquoties meminit Gal. *com.* 1. *de nat. hum. t.* 1. *de his, quæ in med. in procem. c.* 1. *de Hum. t.* 24. alibique ſæpius. *Capito* etiam eſt epitheton quorundam piſcium fluviatilium, v. g. Squali veterum, item orphi Germanorum, quorum uſus eſt in cibis, de quibus videatur Aldrov. *l.* 5. *de Piſc. c.* 17. *ſeqq.* Appellative idem eſt, quod μακροκέφαλος. Vide infra.

CAPITULUM, idem, quod *caput minus*, ſive proceſſus aut protuberantia oſſis minor ab alio oſſe excepta. Cui reſpondet Græcum κόνδυλος. Vide *Caput.*

CAPNELÆUM, καπνέλαιον, eſt ſpecies Reſinæ, quæ ſponte fluit, Gr. αὐτόῤῥυτος ἢ πρωτόῤῥυτος dicta, calidior, tenuior, liquidiſque omnibus reſinis liquidior, ut ad oleum fere accedat, quæ igni expoſita multum emittit fumum, unde nominis in Cilicia impoſiti ratio patet. Dicitur & *picis flos*, Gr. πίσσανθος, Gal. *c.* 6. *in* 6. *Epid. t.* 5. Add. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. *& l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 1. Foëſ. *in Oec. p.* 305.

CAPNIAS, καπνίας, vel eſt ſpecies Jaſpidis, uti ex Aëtio teſtatur Gorræus, qui valde turbido colore eſt; vel etiam ſpecies vitis, partim albas, partim nigras uvas ferentis, uti ajunt Theophr. *l.* 5. *de cauſ. plant. c.* 3. & ex hoc Linden. *Ex. X. S. M.* §. 9.

CAPNISTON, καπνιστὸν, ſcil. ἔλαιον, epitheton olei, quod per aromata ignem concipientia, fumo ſuo ipſis ſubjectum, ſuffumigatur, & vim aromaticam fragrantemque acquirit; cujus conficiendi rationem docuit Aëtius *l.* 1. teſte Gorræo. Quomodo vero differat a καπνελαίῳ, ex collatione deſcriptionum facile erit intellectu.

CAPNITIS, καπνῖτις, vide *Cadmia.*

CAPNUS, καπνὸς, vide *Fumus.* Eſt & epitheton plantæ, de quo legantur Botanici.

CAPO, vide *Capus.*

CAPRA, αἴξ, καρανὼ Cretenſibus, *capella*, & ejus mas ſive dux, *hircus*, τράγος, per errorem, vel latiniſſimum etiam κάπρος, item *caper*, (quod vocab. Varro *hirco caſtrato* competere docet) animalia ſunt notiſſima, quadrupedia, biſulca, ruminantia, cornigera, quorum deſcriptionem prolixiorem petere licet ex Aldrovand. *l.* 1. *de anim. quadrup. biſulc. c.* 9. Uſus eorum in cibis & medicina, de quibus, & in ſpecie de uſu alimentario præter dictum autorem videatur Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 2. Bruyerin. *l.* 13. *c.* 16. *ſeqq.* Ionſton. *Synt. Part.* 1. *l.* 1. *tit.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *punct.* 1. *p. m.* 68. De uſu vero medico iterum paſſim Galenus; ſuccincte vero Schröd. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 9. & in hunc Fr. Hofm. *in Clav.* De *lactis caprini* natura vide *Lac.* Quod ex utriſque, *capra* & *hirco*, gignitur tenellum adhuc vocatur *hœdus*, ἀπαλίας, & ἔριφος, qui vere naſcitur; χίμαρος, qui in hyeme. *Hœdorum* carnem nonnulli adeo in deliciis habent, ut continuo tempore, quo in promptu haberi poſſunt, iis veſci abſque nauſea ſoleant. An non vero de natura vel hircinæ vel caprinæ participet vitioſa, merito in dubium vocatur. Conſulantur dicti autores. *Capra alpina*, vide *Rupicapra.*

CAPREA, vide *Capreolus*, *Rupicapra.*

CAPREOLARIS, ſive *Hederarius anfractus*, κισσοειδὴς, ἑλικοειδὴς, eſt arteriarum & venarum ſpermaticarum ad utrumque teſticulum deſcendentium non recto itinere, ſed inſtar capreoli aut hederæ variis modis involutarum connexus, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 12. Vocantur & *vaſa præparantia*, *corpus varicoſum*, *pampiniforme*, *pyramidale*, quia ex anguſto principio in latiorem baſin ſeſe explicat. Vid. Th. Bart. *Anat. l.* 1. *cap.* 21. Hunc plexum comitari quoque vaſa lymphatica, per αὐτοψίαν anatomicam certiſſime conſtat.

CAPREOLUS, item *Capreus*, fœmina *Caprea*, δορκὰς, ζόρξ, δόρκος, animal biſulcum ſylveſtre, aſpectu elegans, cornua exigua alens, alacre, curſu velociſſimum, pellem maculoſam habens, cujus caro inter delicias menſarum referri ſolet, nec immerito, ob carnis concoctu facilis gratique ſaporis bonitatem; imo etiam febricitantibus conceſſa, Rolfink. *Ord. ac Meth. com. l.* 14. *ſect.* 1. *c.* 17. Uſus medicus legatur apud Schröder. *d. l. n.* 13. & Hofman. *d. l.* Deſcriptio habetur in Aldrov. *l.* 1. *de quadr. biſ. c.* 16. Quod *capreolus* in anatomicis *helicem* ſive ambitum auris exteriorem ob tortuoſitatem ſignificet, docet Barthol. *l.* 3. *c.* 9.

CAPRICERVA, (an poſſet Gr. dici τραγέλαφος,) nomen eſt animalis diverſi, & Indiæ orientalis, & Indiæ occidentalis, unde duplex *Bezoar* deſumi ſolet. Vide *Bezoar*. Ob formæ cum *capra* & *cervo* ſimilitudinem ita dicitur. Vide Schröder. *d. l. num.* 25. 26. Hofman. *ad eund.* Aldrovando etiam dicitur *hircus bezoarticus*, vel *capra bezoartica*, *d. l. cap.* 21.

CAPRICORNUS, i. e. *Plumbum*. Rul. *in Lex.*

CAPRIMULGA, id eſt, vipera magna non venenata. Fallop. *c.* 18.

CAPRIZANS, δορκαδίζων, eſt epitheton Herophilianum pulſus irregularis & inæqualis, quando motum arteria interpellat velut & interrumpit, ita ut motus a quiete alter celerior primo, & vehementior ſit, per ſimilitudinem, quam cum capris habet, quæ eo modo videntur ſalire, quaſi geminum quendam motum facientes. Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 29.

CAPSA, *Capſula*, *Capſella*, Plin. κάψα, καψάκιον, κιβωτὸς, Dioſc. *l.* 3. *c.* 26. κιβώτιον γλωσσόκομον, in genere & propria ſignificatione thecam, receptaculum, loculamentum, in quo edulia, veſtes, & res quævis aſſervari poſſunt, ſignificat. In ſpecie *capſa* dicitur Iohnſono & Rulando, cujus fundum eſt filis ferreis contextum. Quid *gloſſocomon* in chirurgicis ſignificet, vide ſuo loco, *lit.* G. Capſula pro inſtrumento chirurgico ad fonticulum inurendum a Caſſerio Placentino inventa videatur apud Aquapendent. & Scultetum *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. I. fig.* 10. Per metaphoram etiam quædam partes corporis *Capſulæ* dicuntur, v. g. Pericardium dicitur *capſula cordis*, Paracelſ. *l.* 1. *de virib. membr. c.* 3. *it. tr.* 1. *de morb. ament. c.* 4. *& tr. de hydrope.* cui reſpondet Gr. κολεὸς, *culeus*, vel vagina, apud Hippocr. *l.* 1. *de Cord. III.* 7. Glandulæ illæ renibus adjacentes Caſſerio *renes ſuccenturiati* a Bartholino dictæ *capſulæ atrabiliares*, *Anat. l.* 1. *cap.* 18. *p.* 188. *ſeq.* *Capſulas* dici in extremo vaſorum deferentium ſemen aſſervantes, conſtat ex eodem, *l.* 1. *c.* 23. *p.* 230. Adeſt etiam in Hepate *capſula communis*, vel *vagina portæ*, indicio Gliſſonii, quæ membrana eſt ex peritonæo, ſed craſſior atque carnoſior, portæ truncum, ubi hepar intrat, & porum biliarium involvens roboris ergo, & ut portam in transferendo ſanguine juvet, hepatis tunicæ circumcirca continuatur & ad portæ normam divaricatur, ad ultima uſque capillaria cum illa diviſa. Verbo: Peritonæi eſt tunica, qua portæ vena indigebat, quia arteriæ munus obit, verbis ejuſdem *d. l. c.* 14. ubi legi plura poterunt.

CAPTIOSUS, σοφιστικός. Vide *Sophiſticus*.

CAPUS, *Capo*, ἀλεκτρυὼν ἐκτομίας, h. e. *gallus caſtratus*, cui teſticuli ſunt exemti. De hujus uſu & in cibo, & in medicina legantur Aldrovand. *l.* 15. *Ornithol. c.* 17. Jul. Alex. *l.* 13. *Sal. c.* 2. Bruyer. *de re cib. l.* 15. *c.* 20. An nimia illa ſaginatio corpori noſtro adeo proficua eſſe poſſit, non ſine cauſſa dubitatur, cum pinguedo ſuperflua & fere excrementitia magis noceat, quam proſit. De *aqua caponis* deſtillata, vid. Diſpenſatoria: Sed & in hanc animadvertit Zwölff.

CAPUT, κεφαλὴ, poet. τὸ κάρα, κάρηνον, diverſimode ſumitur: 1. in phyſicis vel anatomicis, & quidem proprie *caput* dicitur ſuprema corporis pars, quam nonnulli *ventrem ſuperiorem* vel *ſummum* dicunt, collo terminatur, & partes animales ſtricte dictas continet. Gal. *l.* 3. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 8. totum illud, quod collo ſuprapoſitum eſt, *caput* eſſe dixit. Totum oſſeum, pro tutiori munimento animæ ſenſitivæ (addo & rationalis) domicilium præcipuum. Hinc & *membrum divinum* & *manſio partis divinæ*, nimirum *animæ*, vocatur, *Quartor. Plat. l.* 4. *Th. Chym. Vol. V. p.* 155. Dividitur in *calvariam* & *vultum*, vel juxta alios, *partem capillatam*, quæ *calva* dicitur, & non *capillatam*, quæ *facies* nuncupatur, Th. Barthol. *l.* 3. *Anat. in princ.* Linden. *Phyſ. Med. l.* 2. *c.* 8. *art.* 2. Deinde per ſimilitudinem aliis quoque partibus attribuitur. Ita *caput cordis*, κεφαλὴ καρδίας dicitur, eſtque ampla & orbicularis ſuperna ejus pars, quæ alias *baſis* vocatur, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 7. Et *caput oſſis* eſt extrema tenuis proceſſus oſſium pars craſſior & orbiculata, *l. de oſſib. in proœm.* Imo omne id, quod in oſſium extremis rotundum eſt & craſſius, Gorr. *in def.* 2. Tropice ad metallurgiam & fodinas translatum eſſe vocabulum *caput*, patet ex Rulandi *Lex.* ubi legitur *caput* arcæ. *Caput fodinarum*, & *caput fodinarum adverſum*. Item: *Caput follis*: *Caput pili*, quo metalla cruda contunduntur: *Caput canalis*, ſive capſa brevis patens. 3. In Chymicorum ore frequentiſſimum eſt *caput mortuum*, id eſt, terra mortua vel fex, Iohnſ. Vel clarius deſcribitur, quod ſit reſidua illa materia craſſa & ſicca, quæ in diſtillationibus, præcipue mineralium, remanet. Communiſſime autem remanentiam vitrioli notat, Schröder. *l.* 1. *c.* 3. quamvis & Libav. meminerit *capitis mortui* de ſublimato, *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 27. *fin.* 4. Denique ænigmatice quoque & hieroglyphice ab Hermeticis uſurpatur *caput*. Ita *caput corvi* dicitur *mercurius philoſophorum* in vitro hermetice obſignato occluſus, vi ignis lenioris coagulatus & fixatus, ut inſtar terræ nigræ in fundo maneat, Libav. *d. l. c.* 13. nec non *Apoc. Herm. part. poſter.* adde *Theat. Ch. Vol. IV. p.* 718. 727. 745. 753. Ita & *Draconi* illi myſtico, quo nomine etiam mercurius inſignitur, *caput* & cauda tribuuntur apud eund. *de Ign. nat.* 31. Jungatur ejuſd. *Exam. Philoſ. recent. ſec. deſcript. Hartm. ſect.* 35. *Caput* & *cauda* principium & finis dicuntur alicujus operis, Anonym. *l.* 3. *de Chym. in Th. Chym. Vol. V. p.* 462.

CAPUTPURGIA, per licentiam medicam dicuntur medicamenta omnia, quæ capitis purgandi gratia applicantur, ſive naribus indantur, & dicuntur *Errhina*, ἔῤῥινα, ſive ori, ut colluendo vel mandendo per ſputum caput purgent, & vocantur ἀποφλεγματίζοντα vel *apophlegmatiſmi*, Gal. 5. *de S. F.* 20. De utriſque vid. ſuis locis. B. Rolfink. tres ordines conſtituit *caputpurgiorum*, addendo

do dictis duobus *ſternutatoria*, ſive *πταρμικὰ*, *Ord. ac Meth. Com. l. 6. ſect.* 4. *c.* 1. quamvis hæc quoque ſub errhinis generaliter ſumtis comprehendi poſſint. Meminit & *caputpurgiorum* Foreſt. *l. XI. obſ.* 2. *in Schol.* Legitur & aliquoties in Avicennæ ſcriptis, ubi & caput mundificantia topica ſive externa complectitur, v. g. *l.* 5. *ſum.* 2. *tract.* 1. & alibi.

CAPYRIDIA, *καπυρίδια* vel *καπυρία* vocantur formæ quædam placentarum, quæ vel non vel parum differunt a ſpiris, ſimblitis, quæ & *τρακτὰ* vel *τρακταὶ* dicuntur, quemadmodum hoc patet e dictionario Græco-Latino Budæi, ut & Aldrovando *l.* 1. *de inſect. c.* 3. *p.* 159. *edit. Bononienſ.*

CARABE, vide *Succinum*, quamvis Paracelſ. ad alia quoque tranſtulerit. Ita vitellum ovi in *caraben* mutari a ſole, legitur *l. de Tart. morb. c.* 9. *Carabe* ex aſphalto, *l.* 7. *Paragraph.* §. 4.

CARABUS, *κάραβος*, valde ambiguæ eſt ſignificationis. Interdum enim pro inſecto in lignis aridis nato ſumitur, & pertinet ad *ſcarabæos*. Vide *Cantharus*; vel pro *locuſta marina*, vel etiam pro *cammaris* vel aſtacis, teſte Aldrov. *l.* 2. *de cruſtac. c.* 2. vide *Cancer.*

CARACOSMOS dicitur *oxygala* equinum nonnihil ad cœruleum vergens. Magnatibus Tartaris in deliciis eſt, cujus parandi modum ex Gul. Rubrici *Itinerario Tartariæ* monſtrat Linden. *S. M. Ex. XVI.* §. 127.

CARANNA vocatur reſina, vel gummi potius arboris exoticæ, eſtque viribus tacahamacæ ſimilis, Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 380. Jung. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

CARBASUS, fœm. plur. neutr. *Carbaſa*, *κάρβασος*, *ἄρμενον*, linteum tenue ſignificat; vel etiam fila e lino ſubtili, quibus utuntur chirurgi ad excipiendos pulveres, vel unguenta, & applicandum parti affectæ, vel etiam ad exiccandam ſuperfluam in ulceroſis locis humiditatem, Scrib. Larg. *n.* 227. An quodammodo illi reſpondet corruptum nomen vernaculum chirurgaſtrorum noſtrorum **ſorbey oder furby**? Alii aliter pronunciant.

CARBO, vide *Anthrax*, *Carbones cœli*, dicuntur Stellæ. Rul. *in Lex. Carbo Petræ*, vide *Bitumen. Carbones* quoque ad uſum medicum transferri, patet ex titionibus e ligno tiliæ paratis, quorum uſus ad ſanguinis grumos laudatur. Alii contra epilepſiam commendant. *Carbo*, qui ſub artemiſia reperitur, habetur etiam ſecretum contra epilepſiam. De hoc vid. Dekers *in not. ad Barb. Prax. Med. l.* 1. *c.* 1. *lit. n.* Alias *carbonum* uſum in pyrotechniæ operationibus variis ſumme neceſſarium, ignique aperto lignorum præferendum cum delectu illorum egregie monſtravit etiam D. D. Bohn. *Diſſert. Chym. Phyſ. III.* §. 22. *Carbo* quoque dicitur *lapis philoſophicus* a Lagneo *Harm. Chym. Th. Ch. Vol. IV. p.* 727. Et in ſpecie, ejus *nigredo* dicitur *carbo montis p.* 739. & Senior de Chymia, *Vol. V. p.* 207.

CARBOANTHES eſt titulus libri vel operis Paracelſici, in quo tranſmutationes declaravit in forma & eſſe; Valent. de Rhetiis. Vide *T.* 6. *Oper. Paracelſ.*

CARBON Paracelſo dicitur *ſtercus humanum*, teſte Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23.

CARBUNCULUS, *ἄνθραξ*, vel ſignificat tumorem illum igneum & malignum, qui dicitur *anthrax*, aut *carbo*, de quo ſupra in *Anthrax*; vel ſignificat gemmam pretioſam rutilantem rubentemque (unde & *rubinus* dicitur) cujus rubedo eſt inſtar ſanguinis, Laccæ Indicæ, aut coloris coccei, & *pyropus* vocatur. Nobiliores in inſula Zeilan naſcuntur, ubi etiam Rex illius inſulæ poſſidet jure hæreditario *carbunculum* inæſtimabilis pretii, palmæ tranſverſæ magnitudine, triumque digitorum latorum craſſitiem habentem, ſplendoris ignei, uti ex Paulo Veneto notavit Eraſm. Franciſc. *part.* 2. *Hort. Indici p.* 1229. Plures ſpecies *carbunculi* recenſet Ruland. *in Lex. Chym.* Confert etiam ad *Muſæum Calceol.* Chiocci *ſect.* 3. *p.* 234. *ſeqq.* Ejus virtutes medicas vide ſis apud Schröd. *l.* 3. *c.* 5. *Granatos* quoque præſertim orientales & *hyacynthos* ſub *carbunculis* comprehendi teſtatur Idem *ibid.*

CARCAROS, *κάρκαρος*, vide *Querquera.*

CARCAX vocatur ſpecies papaveris, cujus caput adeo grande habetur, ut ejus cavitas ſextarium cum dimidio capiat, uti ſcribit Hartmann. *in Tract. de Opio Theorem. II. quæſt.* 3.

CARCER, *φυλακή*, *εἱρκτή*, quid ſignificet, nemo non novit. Cur vero in forum medicum produxerim, anſam dedit Paracelſus, qui non conſideravit *carcerem*, veluti locum plectendis ſontibus deſtinatum, obſcurum, a converſatione ſeparatum; ſed tanquam remedium ad coërcendos motus & corporis & animi vagos & libidinoſos idoneum, v. g. in curandis Choreis p. n. qualis dicitur S. Viti, & revera non abſque plauſibili ratione, *t.* 2. *de morb. ament. c.* 3.

CARCHARIAS, *καρχαρίας*. Vide *Canis.* Jung. Lind. *Ex. XI.* §. 67. *ſeqq.*

CARCHARODONTA, *καρχαρόδοντα*, dicuntur animalia, quæ acutis & ſerratis ſunt dentibus, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 2. ut ſunt inter quadrupedia urſus, leo; inter piſces Galeus ſive canis marinus, propterea *carcharias* dictus. Videatur Lind. *d. l.* & jungatur C. Hofmann. *comm. in Gal. de V. P. n.* 685. 773. 802.

CARCHEDONIUS vocatur lapis quidam pretioſus vel gemma, & dicitur generari igne divino luna plena, Menens *Aur. Vell. l.* 2. *Th. Ch. Vol. V. p.* 390.

CARCHESIUM, *καρχήσιον*, Foëſ. rectius *carcheſia* Latine dici vult, ſignificat extrema mali nautici foramina, quæ rudentes excipiunt. Hinc *κάλος καρχήσιος*, *rudens* dicitur, Gal. 3. *de artic. t.* 25. Oribaſio *καρχήσιος βρόχος*, *laqueus carcheſius*, *l. de laqueis.* Uſum chirurgicum hujuſmodi laqueorum & erecti ad inſtar mali ligni vid. *dict. loc. apud Hipp. & Gal. Carcheſium* etiam poculum aliquod ſignificare, non eſt hujus loci. Jung. Foëſ. *in Oec. p.* 311. & Gorr.

CARCINOMA, καρκίνωμα, vide *Cancer.* Malignitatem in hoc malo demonſtrat Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 102. *Carcinoma* quoque affectus tunicæ corneæ in oculo dicitur apud Non. *de M. P. C. c.* 70.

CARCINOS, καρκῖνος vel κάρκινος, idem, quod *cancer.*

CARCINUSTHÆ, καρκινοῦσθαι, ſignificat *implicatis* crinibus eſſe vel fibrillis. Uſurpatur etiam de radicibus *crinitis.* Rob. Keuchen. *not. ad Seren. p.* 148.

CARDAMELEUM, καρδαμήλειον, nomen medicamenti alicujus, cujus meminit Galen. *l.* 7. *de C. M. P.G. cap.* 7.

CARDAMYSSO, καρδαμύσσω. Vide *Scardamyſſein.*

CARDIA, καρδία, de duobus partibus principalioribus dicitur: 1. de corde: 2. de *orificio ventriculi* ſiniſtro, quod alias *ſtomachus* dicitur, propter affinitatem maximam, quæ eſt illi cum corde & mutuum conſenſum, Gal. *l.* 2. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 8. *&* 4. *aph.* 75. Adiſis Erotian. *in* καρδιώσσειν, Foëſ. *in Oecon. p.* 305. Nimirum nulla ſunt nullius etiam membri, quæ pari vehementia, æque cito, æque ſubito, æque graviter in conſenſum trahunt *cor* hominis, verbis Linden. *Ex.XIII.* §. 132. An vero propterea ſedes animæ & torus radicalis in *ſtomacho* recte ponatur ab Helmont. *tr. Sedes animæ*, non eſt hujus loci ventilare.

CARDIACA, ſcil. medicamenta καρδιακά, dicuntur *cordialia*, quæ cordi tam intus data, quam extrinſecus applicata conveniunt, Ionſton. *Synt. Med. Part. II. l.* 4. *tit.* 4. *cap.* 4. Rectius autem ita deſcribi potuerunt: *Cardiaca* dicuntur, quæ ſanguinis diſtributionem e corde, flammæque vitalis continuationem debitam quovis modo promovent & facilitant, idque vel attenuando, & debitam ſpirituaſcentiam excitando, vel nimiam efferveſcentiam & colliquationem cohibendo & diſſipationem ſpirituum infringendo. Hinc alia calida, alia frigida dicuntur. Egregie horum naturam expoſuit Th. Will. *Pharmaceut. Rat. ſect.* 6. *c.* 1. Catalogum utrorumque vide paſſim apud Practicos. Sufficiat allegaſſe Ionſton. *d.* l. Rolfink. *Ord. ac Meth. comm. l.* 8. *ſect.* 2. *c.* 1. *ſeqq.*

CARDIACA *paſſio*, *Cardiacus morbus*, *Cardialgia*, *Cardiogmus*, καρδιακὴ διάθεσις, *Cardiaca* & *ſtomachica excluſio*, ἔκλυσις καρδιακὴ ἢ στομαχικὴ, ὀδύνη τῆς καρδίας, plerumque habentur & haberi poſſunt pro ſynonymis, licet fortaſſis quidam aliquam differentiam vel ratione graduum commenti ſint, vel etiam ratione ſubjecti, quando καρδιωγμὸν ad palpitationem cordis retulerunt. Inter quos Erotianus præcipue referendus in καρδιώσσειν. Conf. Gorr. *in def.* Linden. *S. M. Ex. XIII.* §. 133. *ſeq.* Hoc inficiari nolo, καρδιωγμὸν majorem affectus vehementiam tacite exprimere. Deſcribi vero in genere poterit, quod ſit vehementiſſimus & tantum non intolerabilis dolor ſtomachi ſive orificii ventriculi ſiniſtri, vel ſuperioris vulgo, quamvis perperam dicti, ut & præcordiorum in genere cum graviſſimis quandoque aliis ſymptomatibus, palpitatione cordis, animi deliquio, nauſea, & vomendi conatu vehementiori, immoderato ſudore particulari thoracis, cervicis, capitis, cruribus vero & pedibus ſiccioribus, nec non & febre inordinata ſive ſymptomatica, (quales propterea *cardiacas* appellavit Sylv. *l.* 1. *Pr. c.* 36. §. 28. 102.) proveniens a ſolutione continui vel per ſuccos acerrimos ſive nimium acidos, ſive per halitus vel auram acidam acrioremque vellicando, lancinando, mordendo facta. Cauſſas vero externas omnes ad diſpoſitionem ſucci pancreatici & biliaris præternaturalem huc concurrentes prolixius hic recenſere, excederet limites inſtituti noſtri. Vid. Gal. 3. *aph.* 65. *Introduct. c.* 13. ex recentioribus Sennert. *Med. Pr. l.* 3. *P. I. ſ.* 2. *c.* 15. De *Cardialgia* ex aſſumtis hirudinibus vid. Rhod. *ad Scrib.L.n.*199. Qui hujuſmodi graviori morbo laborant, *Cardiaci*, καρδιακοὶ, dicuntur. Gorr.

CARDIMELECH, terminus fictitius Dolæi, quo exprimere voluit particulare quoddam principium activum reſidens in corde, deſtinatum functionibus vitalibus vulgo dictis, reſpirationi & ſanguinis per corpus diſtributioni, de quo videatur d. autor *Encyclop. l.* 2. ubi ſæpius occurrit, quæ loca quæri poſſunt *in indice.* An vero figmentis his terminorum novum lumen accedat arti noſtræ, aliis judicandum relinquimus. Nobis videntur multo clariores termini: Spiritus vitalis, calidum nativum, flamma vitalis, & ſimiles.

CARDINAMENTUM, γιγγλυμοειδὴς, appellat Hippocr. inferiorem partem brachii, qua cum cubito dearticulatum eſt, propterea quod cardines concavas partes quaſdam, quaſdam eminentes habeant, quarum illæ prominentias admittunt, hæ vero cavitates ingrediuntur. Galen. *c.* 1. *de fract. t.* 10. Fallop. vocat *cardinatam commiſſuram* in *Indice ad Tom. I. Oper.* quæ explicatur *in Obſerv. Anat. p.* 359.

CARDIOGMUS, vide *Cardiaca paſſio.*

CARDIOTROTUS, καρδιότρωτος, dicitur, cui cor eſt vulneratum. Legitur apud Galen. *de opt. ſect. c.* 4.

CARDO, γίγγλυμος, vide *Ginglymus.* Quid vero Paracelſ. per vocem *cardo* intellexerit *l.* 7. *de puſtul. ulcerib. aliiſque malis Gallicis c.* 6. non licet hariolari.

CARDONIUM eſt vinum herbis medicatum, ita ut muſtum recens iis affundatur, & defecatio ſubſequatur. Modum parandi vide apud Paracelſ. *de ulcerib. c.* 56. Adde Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CARDUELIS, *Acanthis*, ἀκανθὶς, eſt avicula nobis notiſſima, elegans, cantuque ſuavi commendata, cujus deſcriptionem & ſpecies vide apud Aldrov. *l.*18. *Ornith. c.* 3. Cibum quidem non ineptum, ſed exiguum præbet earum caro. Plus voce, quam patina hominem delectare recte dixit Platina. Adde Bruyerin. *de re cib. l.* 15. *cap.* 49. Stercus illarum aut etiam aqua, de qua biberunt, in epilepſia infantili a vulgo aliquando laudatur, quemadmodum & aliarum. Sed eventus non reſpondet

ſpondet expectationi. Præſtat abſtinere ab hujuſmodi ſordibus.

CAREBARIA, καρηβαρία, ſpecies doloris vel moleſtia capitis, veluti gravitas quædam capitis, Hipp. 5. *aph.* 22. Gal. *in comm.* auſtrinam tempeſtatem & odoramenta gignere hanc capitis gravitatem, teſtatur idem 3. *aph.* 17. & 5. *aph.* 28.

CARENA eſt vigeſima quarta pars guttæ. Rul. & Iohnſ.

CARENUM, κάρηνον, vide *Caput.* Galen. 5. *aph.* 6.

CARICA, interdum *Caryca*, ἰσχὰς qſ. ἰσχνὰς, *ficus* arboris fructum in ſole vel furno exiccatum proprie ſignificat. Aliis *ficus paſſæ* dicuntur. Interdum tamen & de recenti fructu ſumitur vocabulum. Inter cibos boni & mali ſucci referuntur *Caricæ* pro diverſa temperie ventriculi recipientis, à Galen. *l. de bon. & mal. ſucc. cib. c.* 8. ubi tamen & earum virtus alexipharmaca laudatur. Vide Bruyerin. *de re cib. l.* 11. *cap.* 38.

CARICUM, καρικὸν, dicitur medicamentum quoddam cathæteticum, ſordida ulcera detergens, & carnes exedens, recipitque acria calida, helleborum nigrum, ſandaracham, æris ſquamam, plumbum uſtum, ſulphur, auripigmentum, & cantharides; quæ omnia oleo cedrino miſcentur, & ſubiguntur ad formam linimenti, & medic. liquidi. Hipp. *de ulcer. XI.* 7. *ſeq.*

CARIDES, καρίδες, ſquillæ, ſpecies cancrorum, Gal. *l.* 3. *de Alim. fac. c.* 34. Aldrovand. *de Cruſtac. l.* 2. *c.* 9.

CARIES, τερηδὼν, eſt morbus ſolutæ unitatis, in partibus duris, oſſibus videl. cum deperditione ſubſtantiæ à materia acri & corroſiva proveniens, Hippocr. *l.* 2. *de morb. VII.* 1. Reſpondet igitur ulceri, quod eſt in partibus mollibus. *Dogm. noſtr. Part.* 2. *c.* 5. *dogm.* 8. Gal. *de cauſſ. morb. c. ult. Caries* pudendorum quæ dicatur, vide *Caroli.*

CARINA, τρόπις, proprie unam navis partem ſignificat. Metaphorice etiam dicitur de ſpina dorſi apud Galen. *l.* 12. *de V. P. c.* 11. Jung. C. Hofman. *comm. ad h. l. num.* 905. *Carinam* quoque à quadam figuræ ſimilitudine vocaſſe Malpighium rudimentum illud fibroſum in ovis, cum hic autor nobis non ad manus fuerit, excerpere placuit e D. D. Stahlii *propemtico ad Diſput. Inaugural.* Dn. Georgii Dan. Coſchwizii *de Hæmophyſi.*

CARIUM *terræ*, id eſt, *gluten.* Rul.

CARMEN, ἔπος, ἐπῳδὴ, quid ſignificet, aliunde jam notum eſſe debet. Cæterum in ſuperſtitioſa medicina *Carmina* fuiſſe ad ſanandum uſitata, ita quidem, ut aliquando his majorem vim attribuerint, quam ſolis verbis, teſtatur Keuchen. *ad Seren. in prolegom. p.* 65. *ſeqq.* & prolixius adhuc multis teſtimoniis comprobavit regius quondam in curia Pariſienſi Senator Andr. Tiraquell. *de Nobilit. &c. c. XXXI.* §. 285. *fol.* 136. *b.*

CARMINATIVA, ſcil. medicamenta ξαντικὰ, διαξαντικὰ, per metaphoram à *carminando*, ſive lanas pectendo & diſcerpendo dicuntur, quæ flatus & vapores in corpore moleſtos ſua vi attenuante & diaphoretica diſcutiunt, & per inſenſibilem tranſpirationem reſolvunt. Proprie *Flatus diſcutientia*, Gr. ἀντιφυσικὰ, Rolf. *Ord. ac Meth. C. l.* 6. *ſ.* 4. *c.* 1. Sunt calida & ſale volatili aut ſpirituoſis portionibus ſcatentia; quamvis flatus non ſemper hujuſmodi calidis curari poſſint aut debeant, de quo alibi. Helmont. quoque ridet illa remedia, inſanum decretum appellans, *tr. de Flatib. n.* 17. *Carminativæ* curæ quoque meminit Paracelſ. in lapillis inteſtinorum, *lib.* 2. *de tartar. tract.* 1. *c.* 4.

CARMOT, vocatur *Materia Lapidis Philoſophici* apud Lagn. *Harm. Chym. Vol. IV. p.* 719.

CARNICULA legitur apud Fallop. *Expoſ. de Oſſib. c.* 12. & ponitur pro *Caruncula*, in ſpecie de illa, quæ dentibus circumfuſa, diciturque gluten dentium.

CARNIFEX Spagyricus dicitur *Vulcanus*, ſive Ignis in negotio Lapidis Philoſophici. Fr. Baſilius Valent. *de lap. philoſoph. Germ. p.* 12. Alias, quid vulgo *Carnifex* ſignificet, notius eſt, quam ut mentio hic fiat. Gr. δήμιος βασανιστής. Dolendum duntaxat, quod à Magiſtratibus ejuſmodi hominibus indulgeatur, ut etiam medicinam exercere non amplius vereantur, non ſine publico dedecore & opprobrio, & propter illorum hominum crudelitatem cum graviſſimo damno. Præter communem & exoſam hanc ſignificationem etiam in bono ſignificatu Chirurgum dici *carnificem*, e Plinio Valeriano *l.* 1. *c.* 56. ſequentibus Iambis.

Mederes quæſo carnifex tantis malis
Concide, carpe fomitem peccaminum &c.

Rhodius *in Diſſert. de Acia p.* 162. notat. Verum rectius talia epitheta ſuſpecta intermittuntur.

CARNIFORMIS *abſceſſus* dicitur, qui coacti oris firmioriſque eſt ſubſtantiæ, oſtracoſa præditus duritie, ſubjectæ particulæ affinis, tubere haud multum elato, ſed lato expanſoque, membranis plerumque fibris filiſve intertextus; plurimum ad muſculos, qua ſe ad articulos appellunt, oriri ſuetus. Differt à Sarcomate. M. A. Severin. *de noviſſ. obſ. abſceſſ. c.* 2.

CARNEOLUS, *Cornelus*, *Corneolus*, vide *Sardius lapis.*

CARNIVORUS, σαρκοφάγος, vide *Sarcophagos.*

CARNOSA *cutis*, vide *Panniculus carnoſus.*

CARO, σὰρξ, κρέας, vocatur proprie tantum ea, quæ in muſculo eſt, reliquarum partium nullam homines *carnem* vocant, præterquam pauci admodum. Sed quæ in viſceribus, ſeu jecore, renibus, liene, pulmone, viſuntur *carnes*, eas *parenchymata*, παρεγχύματα, (quaſi effuſiones dixeris) Græci vocant. Quæ in inteſtinis, ventriculo, ſtomacho, utero ſunt, ſine nomine relinquunt, Galen. *l.* 10. *Meth. med. c.* 11. *Parenchymata* autem eas partes vocant, non *carnes*, propterea, quod ex venis effuſus ſanguis circum vaſa omnis concreſcat, *l. XI. de S. F.* Hæc Caſtellus. Enimvero cum nec Hippocrates, nec Galenus hanc ſtrictam ſignificationem ſemper obſervaverit, libet rem clarius & diſtinctius pro-

ponere. *Caro* in genere eſt Medicis, quicquid ex ſanguine partium fibris aut vaſis circumfuſo concrevit mollius aut durius, à calore ſtipatum, prout comparatur vel ad compaginandas firmandaſque fibras vice glutinis, vel ad replenda ſpatia. Vel ſic poteſt deſcribi: *Caro* eſt pars ſolida quantitate, ſitu, connexione, figura varia, calida & moderate humida, mollis, rara, ad albedinem vel rubedinem vergens, ad id, ut corpulentiam roburque adferat, & ad motum partium conferat, aut humorum ſegregationi vaſorum tutelæ, ſimilibuſque uſibus inſerviat, Ger. Blaſ. *l.* 2. *Med.Gen.ſect.* 1.*ſubſect.* 1. *c.* 2. Eam ex diverſæ materiæ particulis concretam, plus tamen alcalinis & dulcibus conſtantem, quam acidis, in ſeparatione vero Chymica offerre phlegma copioſum, ſal volatile, oleum & ſal fixum demonſtravit J. Helf. Iunken. *Chym. Experim. Part.* I. *ſect.* 2. *c.* 4. *p.* 110. *ſeqq.* Dividi poteſt in *proprie dictam*, & *improprie dictam*. Per *illam* intelligitur ea, quæ muſculorum fibris, ſive fibratis potius tendinibus obnaſcitur, ſimplex, mollis & rubicunda. Dicitur uno verbo *Muſculoſa*. Hinc & Hippocrati σάρκες, idem eſt, quod *muſculi*, teſte Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 12. *& com.* 2. *t.* 68. *Improprie dicta* ſubdividitur in *Parenchymata* & *Propriam* cuilibet parti. Ad illa pertinent Hepar, Lien, Pulmo, quamvis hodieque recentiorum quidam negent, eſſe parenchymata, id eſt, affuſiones ſanguinis veluti concreti; ſed potius vel glandulas eſſe ſtatuant, vel membranarum congeries in cellulas & concamerationes, de quibus vid. Malpighii *Exercitationes de Hepate, Liene &c.* Cordis *caro* non recte dicitur parenchyma, cum ſit revera muſculoſa, quicquid alii regerant. Propria eſt vel *Membranoſa*, vel cujuſque partis membranoſæ carnoſa ſubſtantia, ut in œſophago, ventriculo, inteſtinis, utero, veſica; vel *Glanduloſa*. Vide *Glandula*. An huc quoque Cerebri ſubſtantia referenda cum Malpighio? Jungatur Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 16. *art.* 20. §. 321. *ſeqq.* Bartholin. *Anat. proœm. edit. noviſſ. p.* 5. Qui oſſium quoque ſubſtantiam *Carnem* vocant, nixi autoritate Galeni, *XI. Meth. med.* 1. (quamvis κατὰ ῥητὸν non dixerit) mihi videntur vocabulo valde abuti. In præternaturali ſtatu excreſcentiæ *carneæ*, *Caro* excreſcens, luxurians, eminens, Scrib. *n.* 227. mentitur ſolum *carnem*, & æquivoce talis dicitur. In Phytologia etiam per tropum ſubſtantiæ illæ molliores fructuum ſucculentorum *Carnes* appellari ſolent: v. g. *Caro* cydoniorum, citri, caſſiæ, prunorum &c. Schröd. *l.* 1. *c.* 2.

CAROENUM, quibuſdam *carenum*, κάροινον, dicitur, quod caput, τὸ κάρα, aggravet, eſt vinum decoctum, ita ut tertia pars abſumta ſit, duæ tantum remaneant, Gorr. Plura vide apud Linden. *Ex. X.* §. 19. *ſeqq.* & Keuchen. *ad Seren. p.* 216. *ſeqq.*

CAROLI vocantur puſtulæ in membro virili venereæ, quæ & *caries pudendorum* dicuntur. Marcell. Cuman. *Obſ.* 20. apud I. H. Velſch. *in Syll. Cur. & Obſ. Med. Cent. p. m.* 48. *& Obſ.* 73. *p.* 77.

CAROS, *Carus*, κάρος, ſive *Sopor*, eſt deperditio ſenſus & motus in toto animalis corpore, illæſa manente ſpirandi facultate, læſa autem anteriore cerebri parte, & temporum muſculis: (ſed tamen & medius ventriculus ſæpe conſentit: Sequitur inde ſomnus profundus, oculis perpetuo clauſis. Nec tamen ita periit ſenſus, quin, ſi pungantur, ſentiant, non tamen propterea vel loquuntur, vel oculos aperiunt) ſi vero ſpirationem adeo vehementer opprimat, ut quis vel magno conatu vix ſpirare poſſit, eorum exemplo, qui per gravem ſomnum ſtertere ſolent, apoplexia tunc affectio nominatur, cui Paralyſis ſæpiſſime ſuccedit. Hæc ex Galen. *l.* 4. *de L. A. c.* 2. *l.* 13. *M. M. c.* 21. *& c.* 2. *in* 1. *prorrh. t.* 29. olim Caſtellus. Enimvero cum hodieque non ſatient animum philiatri diſcendi cupidum, affectum hunc paulo accuratius deſcribere libet: *Carus* veterni ſpecies eſt affectio ſoporoſa, lethargo major, apoplexia paulo minor, huic tamen valde affinis, ut in ipſam non raro tranſeat, cum reſpiratione tamen adhuc paulo liberiori, à prohibita per portiones impuras ſeroſas vel alia ratione heterogeneas ſpirituum animalium e medulla cerebri verſus corticem expanſione proveniens. Jungatur Th. Willis *de Anim. Brutor. Part.* 2. *c.* 4. Hinc καρώδης, quod vel gravedinem capitis, vel ſoporiferum ſignificat Erotiano.

CAROSIS, κάρωσις, i. e. *Soporatio*, ſive *ſomnolentia*. Moſchion. *de morb. mul. c.* 134.

CAROTICUS, καρωτικὸς, dicitur de eo, quod caput vehementius afficit, v. g. de vino generoſo vehementer inebriante. Lind. *d. l.* §. 111.

CAROTIDES, καρώτιδες, ἡ καρωτικαὶ ἀρτηρίαι, ſunt duæ illæ arteriæ, quæ ab arteria magna e ſiniſtro cordis ventriculo emergentes recta ad caput feruntur, omnibus, quæ ſunt ſupra cor, partibus diſtributæ, Gal. *l.* 16. *de V. P. c.* 12. *& l.* 5. *de Hipp. & Pl Decr. c.* 7. ſed has non recte carotidas ſive *ſoporarias* dici cenſendum eſt, ſed obtinent ſaltem nomen ex communi medicorum & philoſophorum poſt Hippocr. opinione credentium, ſoporis ſedem eſſe has arterias. Vide *Arteriæ Aortæ truncus aſcendens*. Jung. Barth. *Anat. Lib.* 2. *c.* 4.

CARPHALEON, καρφαλέον, *aridum*, *ſiccum*, ſignificat. Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 6. *t.* 29. *&* 5. *aph.* 71. ut & alibi de cute ſicca uſurpavit, Jung. Foëſ. *Oec. p.* 311.

CARPHOS, κάρφος, *paleam*, *feſtucam* ſignificat. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 85. Hinc verbum καρφολογεῖν, & Hipp. ἀποκαρφολογεῖν, *feſtucas* & *paleas legere*, quod eſt phreniticorum ſymptoma. Dicitur & κροκιδίζειν, *ſ.* 1. *Prognoſt. t.* 23.

CARPIO, *Carpius*, κύπρινος, *Cyprinus*, λεπιδωτὸς, eſt nomen piſcis nobis notiſſimi in lacubus frequentis, in fluviis vero delicatioris. De uſu in cibis & medicina vide partim apud Aldrovand. *l.* 5. *de piſcib. c.* 40. partim apud Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 76. Eſt & alius piſcis *carpio* dictus, qui in ſolo lacu Benaco capitur, delicatior, de quo etiam Aldrovand. *d. l. c.* 50.

CARPOS, καρπὸς, vide *Fructus.*

CARPUS, καρπὸς, aliis *Brachiale*, Arab. *Raſceta*, eſt pars manus, qua cubito per articulum conjungitur: Vel quod utrinque inter manum & brachium intercedit, utramque inter ſe aptans, id dicitur *Carpus*. Quot oſſiculis conſtet, diſſentiunt anatomici, dum quidam ſeptem, quidam octo numerant. Non multum referet, utri parti calculum quis adjecerit. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. *art.* 12. §. 81. *ſeqq.*

CARSIA, id eſt, aqua ſalis. Rul. & Iohnſ.

CARTA, κάρτα, apud Hippocr. ſignificat *valde*, admodum. 3. *de R. V. in Ac. t.* 26. *&* 42. Jung. Galenus *in comm.*

CARTILAGO, χόνδρος, eſt particula ſimplex in animalis corpore, quæ aliarum quidem omnium eſt duriſſima, toto autem oſſe eſt mollior, Gal. *l.* 7. *de Uſ. P. c.* 3. Quamvis autem diverſa ſit ab oſſe *cartilago*, ſæpe tamen ætatis ſpatio in os degenerat, imo vero nulla fere ſunt oſſa, quæ ante cartilagines non fuerint. Oſſa namque omnia & dentes genis adhuc concluſi infantibus *cartilago* ſunt, quæ tandem in oſſa duratur, uti *cartilagines*, quæ inter ſterni oſſa continentur. Hactenus Caſtellus. Dividi poſſunt *cartilagines*. 1. in illas, quæ aliis connaſcuntur oſſibus, eademque connectunt vel abſque alio medio, ut in oſſibus pubis & ſterni, vel interjectu communium ligamentorum, ut in connexione per διάρθρωσιν, & in has, quæ per ſe conſtituunt partes, de quibus p. p. 2. in duriores, quæ oſſeæ evadunt cum tempore, & in molliores, articulos colligantes, & ligamentorum naturam fere referentes, unde χονδροσυνδέσμους vocant, Barthol. *Anat. libell.* 4. *c.* 2. Inter ſpecialiores *Cartilagines* ſunt præcipuæ ſeqq.

CARTILAGO *enſiformis*, χόνδρος ξιφοειδὴς, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 3. *& l. de art. & ven. diſſect. c.* 5. *cartilago mucronata*, quæ eſt extrema ora medii oſſis pectoris, quæ eſt propter os ventriculi, cui alligatur. Aliqui ſunt, qui totam pectoralis oſſis figuram, (non eam tantum, quæ in imo ejus eſt) quia gladii ſimilitudinem repræſentat, *enſiformem cartilaginem* dicant eſſe, Gal. *l. de Oſſib. c.* 13. Jung. Barth. *d. l. c.* 18.

CARTILAGO *innominata*, Gal. recentioribus vero *Annularis*, κρικοειδὴς dicta, quæ eſt ſecunda laryngis *cartilago*, in internis partibus, quæ œſophagus eſt, poſitionem habens. Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 11. & eſt intruſa cartilagini Thyroidi. Eſt inſtar annuli Turcici, quo pollicem muniunt in emittendis ſagittis. Baſis eſt reliquarum *cartilaginum* aſperæ arteriæ. Barthol. *lib.* 2. *Anat. c.* 11.

CARTILAGO *ſcutiformis*, θυρεοειδὴς, χόνδρος, perperam θυροειδὴς, recte notante Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 13. *art.* 15. §. 94. male à Caſtello *Peltalis*. Peltæ enim rotundæ erant, cum figura hujus cartilaginis ſit quadrilatera; ut Scuta. Ejus gibboſitas apparet in gutture, ac *Adami pomum* appellatur, quia vulgo perſuaſum, in Adami faucibus pomi fatalis partem ex pœna divina remanſiſſe & ad poſteros tranſlatam. In medio diſtinguitur linea, unde duplicem alii conſtituere, cum revera duplex rariſſime inveniatur. Divulſam in medio obſervavit in Studioſo à nimio cantu Barthol. *d. l.* ubi plura ad ejus perfectam deſcriptionem pertinentia reperies. Præter has, quas Caſtellus olim adduxit, dantur adhuc aliæ peculiares *Cartilagines* conſiderandæ, & quidem in ipſa quoque Larynge; videlicet: *Binæ cartilagines*, ἀρυταινοειδεῖς, *Gutturniformes*, ſine *Arytænoideæ*, quia in una parte conjunctæ inſtar gutturni rimam pro modulanda voce *Glottis*, γλωττὶς, dictam efformant. Item *Epiglottis*, ἐπιγλωττὶς, *Cartilago*, quæ rimam illam claudit & tegit, ne ex cibo vel potu in tracheam cum periculo ſuffocationis quædam incidant, ſed commode in gulam abire queant. Reliquæ *cartilagines* aſperæ arteriæ *ſemicirculares* & ſigmoideæ, σιγμοειδεῖς, non libet inter peculiares referre. Nec *Narium* quoque *Cartilagines quinque*, quarum duæ ſupremæ naſi oſſibus adhærent, tertia ſeptum conſtituit, ſive interſtitium inter duo naſi foramina, reliquæ vero duæ pinnas conſtituunt, per membranoſa ligamenta colligatæ, commode inter peculiares referri non poſſunt, cum ad naſi conſtitutionem faciant. De his videatur Barthol. *d. l.* 3. *Anat. c.* 10. *Cartilaginum* in genere præcipuus uſus eſt duplex: Unus, ut partes quasdam leves ac politas ad motus promtitudinem efficiant, in articulis ſcil. Alter, ut violentiæ foris occurſantium mediocriter cedant. *Cartilaginis* enim ſubſtantia maxime idonea eſt ad tegendum & defendendum partes ſubjectas. Non enim poteſt comminui & frangi, ut dura & friabilia, neque incidi & contundi, ut mollia & carnoſa. Hæc Caſtell. Verum nec alii uſus excludendi ſunt, ut: Connexionem facere oſſium, quæ dicitur συγχόνδρωσις: Partes prominentes, vel etiam curvas formare, ut in aſpera arteria, larynge: Cavitates explere, Operculi operam præſtare, Fulcrum præbere, de quibus Barthol. *libell.* 4. *c.* 2. *Cartilago* quoque de ſpinis piſcium dicitur, ſpecialiter vero & καθ' ἐξοχὴν, *Cartilaginei piſces*, dicuntur, qui ſpinam dorſi cartilagineam, intus medullam habentem, obtinent, Græcis propterea χονδράκανθοι dicti; aliis & σελάχη, vel σελαχώδη: Suntque duûm generum: Plani, ut ſunt Raja, Paſtinaca & his ſimiles; & Longi atque Rotundi, v. g. Galeæ. de quibus legatur Aldrovand. *l.* 3. *de Piſc. cap.* 31.

CARUNCULA, σαρκίον, accipitur vel in ſtatu ſecundum, vel præter naturam. In illo dicitur de *carunculis* in utroque oculi Cantho, vel Angulo occurrentibus, quarum illa, quæ in majori ſive interno exiſtit, *Lachrymalis*, in externo vero *Innominata* eſt, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. *Carunculæ* quoque appellantur *cuticulares Alæ* ſive Nymphæ in ſinu muliebri, teſte eodem *l.* 1. *c.* 35. quo etiam *carunculæ myrtiformes* ſpectant *d. l. c.* 33. In renibus *carunculæ papillares* minus coloratæ inſtar glandularum, reliqua *carne* duriores occurrunt, de qui-

bus idem *d. l. c.* 17. *Carnoſam* quoque illam particulam in ſummo ore pendentem, quam alias *Columellam*, aut *Uvam*, vel *Uvulam* vocant, à Galeno *carunculam* appellari conſtat, *ex l. 6. de C. M. S. L. c. 3. in princ.* Præternaturaliter uſurpatur hoc vocab. (1) de portiunculis, quæ in dyſenteria excernuntur, quas Hipp. *carnes*, σάρκες, vocavit, 4. *aph.* 26. (2) de carunculis capillaribus cum urina à renibus excretis. 4. *aph.* 76. qui affectus etiam dicitur *Trichiaſis*, τριχίασις. Ita & Celſus *l. 6. c. 8. carunculas* quaſdam in naribus naſci, ſcripſit, Polypum etiam per *carunculam* definivit. Ita & aliæ *Excreſcentiæ carneæ carunculàrum* nomine venire poſſunt, quamvis Hippocrati σαρκοφυΐαι, 3. *d. fract. t.* 45. aliis ὑπερσαρκώσεις, aut σαρκώματα dicantur.

CARUS, vide *Caros.*

CARYCA, quibuſdam pro *Carica.* Eſt & denominativum haud dubie ab urbe quadam Peloponneſi *Carya*; Unde *Caryca lingua*, καρύκη Gr. confuſa valde & abſurda dicta Galeno *l. 2. de diff. pulſ. c. 2.* *Caryca*, καρύκη, fuit olim peculiare bellarium, edulium, condimentum, embamma, Lydorum primum inventum, paratum ex ſanguine & aliis ἡδύσμασι, id eſt aromatibus & ſuavibus condituris. Hinc & omne *conditum*, quod jus ſapidum facere & infuſcare poſſet Lydiæ *carycæ* adinſtar, *carycam* appellare liceat. Heſychius etiam deſcripſit, quod ſit jus ſupervacuum ſive ambitioſum. Plura vide de hac re apud Linden. *S. M. Ex. X.* §. 73. *ſeqq.* Lang. *l. 1. ep.* 58. Conſ. Galen. *exegeſi.*

CARYCEIA, καρυκεία, idem, quod *Caryca.* Gal. *l. 4. de ſan. tuend. c.* 5.

CARYCOIDES, καρυκοειδὴς, dicitur Hipp. excrementum colorem ſubcruentum inſtar *Carycæ* condimenti illius ex ſanguine parati præ ſe ferens. 24. *Epidem. XIV.* 10. Plura apud Foëſ. *Oecon. p.* 310. Nec minus plenius expoſitam vocem habes apud ipſum Erotianum.

CARYDON, καρυδὸν, vide *Alphitidon.*

CARYON, κάρυον, vide *Nux.*

CARYOPHYLLUM, καρυόφυλλον, nomen & floris & aromatis, & arboris. Nullius horum expoſitio eſt hujus loci.

CARYOTI, καρυωτοὶ, ſcil. βάλανοι, nomen *dactylorum* ſive fructuum *palmæ* optimorum, qui in Syria & Palæſtina creſcunt, Gal. *l. 2. de Al. Fac. c.* 26.

CASA, Gr. καλύβη, οἰκίσκος, οἰκίσκη, οἰκίδιον, tugurium vel vile domicilium ſignificat, qualia ſunt metallifoſſorum circa fodinas. Rul. *in Lex.*

CASCARILLA, h. e. cortex Chinæ Chinæ, vide *China.*

CASCHU, idem quod *Catechu.* De quo paulo poſt.

CASEUS, τυρὸς, quid ſit, omnibus notum eſt. Lac coagulatum & glaciatum, per præcipitationis modum. Uſus ejus in diæta, & medicina varius. Cum in *caſeis* ſingulatim permagna ſit differentia, tum pro animalium natura, tum pro præparandi *modis*, & præterea ipſorum ætate; non licet heic eam exponere varietatem. Conſulantur Autores, utpote Gal. *l. 3. de Al. Fac. cap.* 17. *& l.* 10. *de S. Fac. cap.* 17. *& l.* 10. Th. Willis *de ferment. cap.* 11. Bruyerin. Moræus, C. Hofm. Ionſt. alii. An commune vitium ſit omnium *caſeorum*, ſuccum habere vitioſum & craſſum, uti *d. l.* ſcriptum reliquit Gal. ulterius ventilandum relinquitur. Pro negativa facit Hippocr. *de vet. medic. XXXVII. 9. ſeqq. & de affect. XLIX.* 11. Uſum medicum etiam vide ſis apud Scribon. Larg. *n.* 158. adverſus podagram. *Caſeum* deſcripſit Paracelſ. *l. 1. de Tart. tract. 5. c.* 2. quod ſit Tartarus alabaſtrinus & incurabilis, viſcus inexpulſivus. Imo hoc vocabulum tropice ad ipſos morbos renum applicuit, *caſeum*, vel *lac ſegregatum* aut *caſeatum* ægritudinibus renum annumerans *in Fragment. & Scholiis ad dict. libros de Tartaro.* Verum rem ipſam magis obſcurat illis terminis, quam ut declaret. *Caſeus præparatus* Rulando & Iohnſono dicitur reſidentia viſcoſa manens in fundo lactis ex caſeo defluentis, *in Lex.*

CASIA, κασία, plerumque *Caſſia*, κασσία, duplicem potiſſimum obtinet ſignificationem, quarum neutra quidem proprie huc pertinet, ſed ad Botanicam. Paucis tamen indicaſſe ſufficiat. (1) Significat aroma quoddam, quæ & *Caſſia lignea*, *Xylocaſſia* dicitur, ad Cinamomi fere naturam accedens; de qua videatur Gal. *de S. F. l. 7. & alibi.* (2) Purgans quoddam cholagogum, quod *Caſſia fiſtula*, ſiliquoſa, ſolutiva, κασσία, σύριγξ, dicitur. Hæc veteribus Græcis fuit ignota. Licet enim Gal. etiam aliquoties *in libr. de Antidot. & de C. M. S. L.* mentionem fecerit *Caſſiæ fiſtulæ*, ſemper tamen intelligit illam aromaticam, quæ etiam fiſtuloſa videtur. De ſolutiva videatur Rolfink. *de purgant. ſect. 3. art. 2. c.* 1. Schröder. *l. 4. cl. 3. n.* 416.

CASSA barbaris dicitur *Thorax*, Fallop. *expoſ. de Oſſib. c.* 18. *Tom. I. p.* 508.

CASSALE *vulnus*, i. e. vulnus pectoris. Legitur apud Marcell. Cuman. *Obſ.* 65. apud D. Velſch. *in Syllog. cur. & obſ. Med. Cent. I. p. m.* 73. 74. Derivatur ab Arabico *Cas*, i. e. pectus.

CASSATUM, eſt ſanguis in venis invalidus & emortuus, grumoſus, ſanguinis boni tranſitum & motum obſtruens, Paracelſ. *l. 7. Archidox. §. de Specifico Diaphoretico*, & ex hoc Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CASSIA, κασσία, vide *Caſia.*

CASSIA MELLIS dicitur ſpecies Caſſiæ extractæ pro clyſteribus, quam compoſitionem ingreditur Mel, ut conſervetur, in cujus tamen præparatione fraudem Pharmacopœorum detexit Joh. Anton. Loddettus Dialog. *de impoſtur. nonnull. Pharmacopœor.* addito *declarationi fraudum & errorum apud Pharmacopœos commiſſorum* Liſſeti Benancii *opera Bartholini Latinitati donatæ p.* 149.

CASSITEROS, κασσίτερος, vide *Stannum.*

CASSOLETA dicitur ſpecies ſuffimenti humidi, cujus

cujus deſcriptionem tradidit P. Morellus *l. 2. de præſcr. remed. form. ſect. 2. c. 9. p. m. 293. edit. Baſ.*

CASSOWARIUS, nomen avis exoticæ, nobis incognitæ, quam ingluvie carere legitur in Nehem. Grew Anglicæ Societatis Regalis Collegæ *Inchoata Anatome comparativa ventriculorum & inteſtinorum*, cujus mentio fit *in Actis Erud. Lipſ. A. 1682. p. 60.*

CASSUS, vide *Laparos.*

CASTALTICUM corrupte, pro *Cataſtalticum*, καταςαλτικὸν, idem eſt, quod repreſſorium, ſtipticum. Dieter. *Iatr. n. 408.*

CASTELLUM, idem quod *Lacuſculus*, λακκίδιον. Rul. & Iohnſ. *Caſtellum Urinæ* quid dicatur Paræo, vide apud eund. *l. 22. Chir. c. 9.*

CASTIGATUS, *a, um*, (Gr. dici poſſet σωφρονισθεὶς,) dicitur de Mammillis & Papillis apud Q. Serenum: Si *caſtigatas* ſtudium eſt ſervare papillas, &c. quid vero ſint *Caſtigatæ mammæ*, expoſuit Hier. Mercurial. *l. 5. Var. Lect. c. 3.*

CASTITAS, σωφροσύνη, ἁγνεία, proprie continentiam circa res Venereas ſignificat. Hinc *Caſti ſua natura* dicuntur σωφρονικοὶ φύσει, qui etiam à libidinoſis cogitationibus abſtinent. Gal. *l. 6. de L. A. c. ult. Caſtitatis* ſedem veram in renibus eſſe magis, quam in teſticulis, voluit Paracelſ. *l. 2. de vir. membr. c. 10.* quam opinionem denuo propugnare voluerunt Joach. Oelhafius, Dan. Sennert. & Caſp. Hofm. verum abſque ſucceſſu, cum pugnare videatur cum principiis Anatomicis, quibus conſtat, renibus nihil eſſe commercii cum reliquis partibus genitalibus. *Caſtitatem* non comparari poſſe medicamentis, ſed evitatione occaſionis & objectorum irritantium, egregie docuit P. Ammann. *Irenic. p. 40.*

CASTOR, κάςωρ, *Fiber*, animal eſt amphibium, aqua & terra ambiens, vivens piſcibus & fructibus arborum. Ejus deſcriptionem vid. apud Aldrovand. *l. 2. de quadruped. digit. vivipar. c. 12.* ubi etiam ejus uſum in cibis & medicina exponit, & *in Ephemerid. Nat. Curioſ. An. II. Obſ. 251.* Anatomicam ejus deſcriptionem etiam legere licet *in Actis Philoſophicis* Oldenburgii *Anni 1669. m. Julio.* Jungatur Schröder. *l. 5. cl. 1. n. 14.* Ob convenientiam cum hoc animali maximæ pernicitatis in piſces graſſandi avis quædam ſpecies, videl. Mergus cirratus major, Bellonio dicitur etiam *Caſtor* vel *Fiber*, ut eſt apud eund. Aldrovand. *Ornith. l. 19. c. 62.* Urinæ quoque lacteæ excretionem *Caſtoris* nomine venire ex Drauwiz. *de Scorbut. c. 9*, videatur *in Ephemerid. N. Cur. A. I. Obſ. 89.*

CASTORIUM, καςόριον, καςόρειον, ſunt teſticuli *Caſtoris* quadrupedis exciſi, purgati & exiccati, virtutis valde attenuantis, diſcutientis, nervos nervoſaſque partes roborantis, ſpirituſque animales excitantis, multique in Medicina uſus. Adulterari ſolent gummi Ammoniaco, quod cum *Caſtoris* ſanguine ſubactum veſiculis inditur exiccaturque. Schröder. *d. l.* In hunc animadvertit Fr. Hofm. *in Clavi ad h. l.* negando *Caſtorium* eſſe teſticulos, qui adeo parvi ſunt, ut gallorum gallinaceorum teſticulos vix ſuperent, ſed potius eſſe tumores, ſeu crumenæ inguinis veſtitæ pellicula ſatis craſſa, quibus parva ſemper annexa eſt, impleta liquore oleagineo & cineroſo, ſemper liquido manente, cum illis craſſior contineatur, qui poteſt exiccari ad pulveriſandum. Confirmatur hæc ſententia plurimis autoritatibus *in Ephemerid. N. Cur. d. l.* De *Caſtorii* viribus videatur & Gal. *l. XI. de Simpl. Fac.* Dioſcorid. *l. 2. c. 26.* Pontici *Caſtorii* vires diverſas eſſe ab Hiſpanico, ex Strabone oſtendit Rhod. *ad Scribon. n. 175.*

CASTRATUS, εὐνοῦχος, εὐνουχισθεὶς, dicitur, cui teſticuli ſunt exſecti; & ita vis genitalis ablata. *Caſtratio*, quæ Gr. εὐνουχισμὸς, ἐκτομὴ, ὀρχοτομία dicitur, in brutis utriuſque ſexus adhibetur, teſte Gal. *l. 1. de ſem. c. 15.* *Caſtratum* animal ſemper fœminæ redditur ſimile, aut his, quæ ſunt ætatis minoris, idem *l. 10. de S. F. §. Bolis & l. 11. §. Pinguedo & adeps.* Caro etiam *caſtratorum* ſuavior & præſtantior eidem habetur *lib. 1. de ſem. c. 15. & l. 2. de Al. F. c. 2.* Quomodo vero mutatio corporum ratione temperamenti vitalis, morum, habitus corporis à *caſtratione* dependeat, non eſt adeo in aprico. Videatur de hac quæſtione Barthol. *l. 1. Anat. c. 22.* An *caſtratio* hominum excuſari & defendi poſſit nec ne, meam nolo facere litem. In maniaco adhibuit Sam. Formius apud River. *in obſerv. commun.* In ſumme libidinoſo detrectavit Balth. Timæus à Guldenklee *l. 3. caſ. 52.* *Caſtratio* etiam ſumitur pro *Herniotomia*, & *Caſtratores* ſunt *Herniotomi* vulgares, in qua ſignificatione hoc vocabulo uſus Scultetus *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXXIX.* ſimul improbans, quod in omni Hernia teſticulos eximant, in ſola Sarcocele ſaltem hoc admittens. Per metaphoram quoque medicamentorum fortiorum & malignorum, præſertim purgantium electivorum correctio dicitur *caſtratio* apud Helmont. *tr. Pharmacopol. ac Diſpenſ. modern. n. 49.* Jung. *Exerc. noſtr. 1. de Remor. Purg. θ. 38.* Item farina craſſior, κρίμνον, dicitur *Caſtrata*, vide *Crimnon.* Diet. *n. 478.*

CASTRENSIS, Militaris, ςρατιωτικὸς, ςρατευματικὸς, eſt epitheton etiam morborum quorundam contagioſorum & epidemicorum, præſertim febrium, quarum meminit Helmont. *de Febb. c. 10. n. 7.* Endemicas appellans, non adeo incongrue, in quibus non tam efferveſcentia caloris, quam maligna cruditas ex victu & rerum non naturalium uſu pravo collecta peccare & urgere ſolet. Peſtilentibus annumeravit & ſatis perſpicue deſcripſit Th. Willis *de Febr. c. 14.* nec non *pecul. tract.* Joh. Valent. Willius Medicus Danus.

CASUS, in Latino valde æquivocum eſt. Vel enim idem eſt, quod *Symptoma*, σύμπτωμα; Gal. *de opt. ſ. ct. ad Thraſyb. c. 13. & 1. aph. 12.* aliiſque in locis. Vide *Symptoma.* Vel idem eſt, quod *Fortuitum*, & opponitur Arti, vel Providentiæ, Gr. dicitur τύχη vel τύχης ἔργον. Gal. *l. 11. de V. P. c. 7. de ſub. figur. Empir. c. 12.* Interdum & Gr. dicitur αὐτόματον. Hipp. *de Arte IX. 5.*

ſeqq. & Gal. *c.* 1. *in Prognoſt. Hipp. t.* 4. id eſt, *ſpontaneum*, quod ſine ulla deliberatione aut conſultatione contingit. Vel idem eſt, quod *Lapſus*, πλᾶσις, vel καταπτῶσις, v. g. ex alto *l.* 5. *M. M. cap.* 2. Vel idem eſt, quod *morbus præſens*: in qua ſignificatione ſumſit Paracelſ. *l.* 1. *Paragr. cap.* 1. §. 4. & 5. Vel denique idem, quod *Hiſtoria morbi* integra, obſervatio Empirica; Unde frequentiſſime dici ſolet: *Caſus* Medicinales v. g. laudati Timæi à Guldenklee, pro: Obſervationes Medicæ Practicæ. Collegium *Caſuale*, h. e. in quo tractantur & exponuntur ſpeciales morborum ſingularium hiſtoriæ. Vide *Hiſtoria.*

CATA, κατὰ, vide *Secundum.*

CATABALLO, καταβάλλω, ſignificat *dejicio*, *demitto*, *proſterno.* In qua ſignificatione ſumſit Hippocr. *l. de Nat. Hum. t.* 2.

CATABASIS, κατάβασις, *deſcenſus*, à verbo καταβαίνω, *deſcendo*, cui opponitur ἀναβαίνω, aſcendo. Verbum legitur apud Hipp. *6. aph.* 22.

CATABIBAZO, καταβιβάζω, emphaticum verbum *humorum deorſum* factam *excluſionem* & deturbationem exprimens apud Hippocr. 3. *in* 1. *prorrh. t.* 51.

CATABLACEUO, καταβλακεύω, ſignificat *ignavum eſſe*, deſidem, negligentem in actionibus, & præſertim in curando apud Hippocr. 3. *de artic. t.* 83. idem quod κατοκνέω, quod legitur *in Mochlic. XI.* 7. Deſcendit à voce *Blax*, βλὰξ, quod nomen eſt piſcis nullius plane utilitatis, aut pretii.

CATABLEMA, κατάβλημα, ſignificat, *quod injicitur* aut applicatur, in ſpecie fimbriam vel *ligamentum*, quod parti injicitur ad deligationem conſtringendam. Hippocr. 2. *de artic. t.* 32. Æginetæ dicitur ἐπίβλημα, aliis περίβλημα. Foëſ. *in Oecon. p.* 312.

CATABRONCHIZO, *Catabrochthizo*, καταβρογχίζω, καταβρογχθίζω, utrumque ſignificat *deglutio*, à βρόγχος & βρόχθος, *gula*, *guttur.* Hippocr. *Coac. t.* 632. & *t.* 62.

CATACAUMA, κατάκαυμα, vide *Ambuſta.* Hipp. *Coac. t.* 158. interdum ſimpliciter *Cauma*, καῦμα. Jung. Linden. *Ex. XI.* §. 189.

CATACECLIMENOS, κατακεκλιμένος, dicitur, qui propter morbi vehementiam & virium imbecillitatem decumbit. Hippocr. 2. *prorrhet. t.* 39. quamvis alii κατακεκλασμένους, *fractos viribus* legant. Idem eſt quod κατακλινὴς, κλινήρης, κλινοπετὴς, *Clinicus*, & opponitur τῷ ὀρθοστάδην. Foëſ. *Oec. p.* 314.

CATACECRAMENOS, κατακεκραμένος, de fractura dicitur, quæ dependet, aut ſuſpenſa eſt. Hippocr. 3. *de fract. t.* 74.

CATACERASTICOS, κατακεραστικὸς, idem, quod ἐπικεραστικὸς, vide *Epiceraſticos.*

CATACERMATIZOMENOS, κατακερματιζόμενος, à verbo κατακερματίζεσθαι, quod proprie ſignificat in minutulos nummos dividi, à κέρμα, *numulus*, minutiæ æris. Sed & in genere dirimi in minutiſſimas partes denotat. Uſurpat Hippocr. de calore febrili, qui in totum corpus diſtrahitur; 4. *de R. V. I. A. t.* 39.

CATACHEO, καταχέω, vide *Catachyſis.*

CATACHLIDAO, καταχλιδάω, vel καταχλιδέω; uti videtur conjugari apud Hippocr. *in præcept. VI.* 8. ſignificat *deliciis nimium indulgere*, luxu diffluere. Idem quod κατατρυφᾷν.

CATACHLOOS, κατάχλοος, ſignificat *valde virens.* Dicitur v. g. de excrementis bilioſis corruptis 7. *Epidem. XI.* 27. quamvis plerique legant κατάχλοον, quæ lectio non arridet.

CATACHRESIS, κατάχρησις, vide *Abuſus.*

CATACHRISTON, κατάχριστον, dicitur medicamentum, quod *illinitur*, Hipp. *l.* 1. *de M. M. CXXIII.* 16.

CATACHYSIS, κατάχυσις, *effuſionem*, *perfuſionem* ſignificat à verbo καταχέω, *perfundo.* Ita de frigidæ aquæ *perfuſione* uſus Hipp. 5. *aph.* 21. & 7. *aph.* 42. de aqua calida. Dieter. *Iatr. n.* 447. 448.

CATACLASIS, κατάκλασις, *perfractionem*, *perverſionem*, in genere ſignificat. In ſpecie frequenter de oculi perverſione cum palpebræ pervertuntur. Idque alterius muſculorum oculos claudentium convulſionem indicat. Hipp. *6. Epid. ſ.* 1. *t.* 31. ubi etiam *t.* 30. de membrorum *perfractionibus* legitur. Vide *Campylon.*

CATACLEIS, κατακλεὶς, dicitur os cartilaginoſum, imo cartilago in commiſſura omoplatæ vel ſcapulæ cum clavi ſita. Reperiri in ſolis hominibus teſtatur Gal. *l. de oſſibus c.* 14. Confer. *l.* 13. *de V. P. c.* 11. Alibi prima Thoracis coſta parva dicitur, & quaſi *Subclavium.* Gal. *de diſſect. muſc. c.* 12. Vide C. Hofman. *comm. ad Gal. lib. de V. P. num.* 103. & *not. ad l. cit. de Oſſib.* qui recte reprehendit, quod κατακλεὶς etiam ἀκρώμιον dicatur.

CATACLINES, κατακλινὴς, *lecto affixus.* Vide *Cataceclimenos.*

CATACLISIS, κατάκλισις, inclinationem, declinationem, *incurvationem*, item *decubitum* denotat, v. g. κατάκλισις ἡμικύκλιος, *incurvatio ſemicircularis*, uti erit in Græca lit. C juxta veteres. Vid. Hofman. *d. l. n.* 385. Gal. *l.* 2. *de mot. muſc. c.* 4.

CATACLYSMA, κατάκλυσμα, Hipp. *de ſal. diæt. t.* 15. Vide *Clyſter.*

CATACLYSMI, vehementiores aquarum illiſiones, vulgo medicor. Irrigationes. Cœlius Aurel. *Chronic. l.* 1. *c.* 16.

CATACORES, κατακορὴς, abundans, *ſuperfluum* ſignificat. Addit rei, cui jungitur, in ſpecie bili, intentionem. Uſurpatur adjective & adverbialiter. Quando ſimpliciter ponitur, nihilominus bilis ad exceſſum reſtringendum eſſe, vult Foëſ. *in Oec. p.* 315. v. gr. apud Hippocr. *Coac. t.* 612. & *t.* 608. id quod & Interpretes obſervarunt. Hinc & κατακορὴς φάρμακον, ſignificat bilem meracam largius evacuans medicamentum, apud Hipp. *l.* 5. *Epid. VIII.* 10. 14. Dicitur & ad-

verb.

verb. κατακορέως. Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 13. vide Gal. *in comm. ad h. l.* Jung. & Linden. *Ex. IV.* §. 77.

CATACREMNAMÆ, κατακρέμναμαι, ſignificat *dependeo*, & uſurpatur ab Hippocr. de gurgulione inflammato & intumeſcente, *l.* 2. *de morb. X.* 3. Deſcendit à κρημνὸς, præcipitium.

CATACRUO, κατακρέω, proprie *depellere* ſignificat. Apud Hippocr. vero diffindere, & profundius *pertundere* & *diſcindere* denotat, *l. de Ulcer. XV.* 4. & *l. de Medico VII.* 1. 3. Unde & κατάκρεσις, h. e. *percuſſio*, inter operationes Chirurgicas & remedia impinguantia externa refertur à I. C. Claudino *de Ingreſſu ad infirm. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 27. & ita idem ſignificat, quod ἐπίκρεσις. Vide infra *Epicruſis.*

CATADARTHEO, καταδαρθέω, verbum, proprie ſignificans *dormire*, à δαρθάνω, *dormio*, quamvis Scholiaſtes Ariſtoph. à δέρμα, pellis, cum Etymologo deducens reſtringat ſignificationem, dicendo, idem eſſe, atque in pellibus dormire. Uſus Hippocr. *l.* 5. *Epid. XVII.* 1. & *l.* 3. *de diæt. XVI.* 15.

CATADECHOMÆ, καταδέχομαι, ſumo, *ſuſcipio.* Uſurpavit Hipp. *de alimento*, *l.* 7. *Epid. XXII.* 8.

CATA DICEN, κατὰ δίκην, id eſt, *jure merito*, æque ut par eſt. Frequenti in uſu apud Hippocr. v. g. *l. de Cord. III.* 10. *l.* 1. *de Morb. Mul. LXXXVII.* 14. *l. de vuln. cap. V.* 3. Foëſ. *in Oec. p.* 313.

CATADULOO, καταδουλόω, proprie ſignificat *in ſervitutem redigo.* Metaphorice vero ſpiritus frango, animum ſubigo. Hippocrat. 2. *de fract. t.* 61.

CATÆGIZO, καταιγίζω, ſignificat cum impetu deorſum irruo, *delabor*, ab ἀΐσσω, irruo. De ventis & procellæ impetu proprie dicitur. Unde & καταιγὶς *procellam* ſignificat. Metaphorice de doloribus & morbis cum impetu irruentibus ſæpe uſus eſt Hipp. *l.* 3. *de Morb. VII.* 25. *XXIV.* 57. *l.* 2. *de Morb. Mul. LXXXVII.* 2. *l.* 7. *Epid. XIIX.* 16. Foëſ. *d. l.* Præcipue de morbi ſtatu accipitur, teſte Linden. *Ex. XII.* §. 81. 87.

CATÆONESIS, καταιόνησις, i. e. *irrigatio*, perfuſio, fit humore aliquo in partem aliquam effuſo. Quo quidem remedii genere utimur, cum aliqua de cauſſa balneo excludimur. Differt ab *Embroche*, ἀπὸ τῆς ἐμβροχῆς, quando poſt illam lanam aut linteum ſuperponimus, quod poſt embrocham non fit. Gorr. *in def.*

CATAGLISCHRÆNO, καταγλισχραίνω, verbum ſignificans *viſcoſum efficio.* Hippocr. 1. *de R. V. I. A. t.* 33. & *ſ.* 3. *t.* 10. Gal. *in comm. ad h. l.*

CATAGLYPHE, καταγλυφὴ, ſculpturam excavatam ſignificat in Chirurgicis. Hipp. 4. *de artic. t.* 53. & *Mochlic. XXIII.* 8. 10.

CATAGMA, κάταγμα, vide *Fractura.*

CATAGMATICUS, καταγματικὸς, dicitur de remediis ad fracturarum curationem neceſſariis, v. g. *Deligatio Catagmatica*, καταγματικὴ ἐπίδεσις, Gal. 1. *de C. M. P. G. c.* 4. Item *Emplaſtra Catagmatica*, quæ in fracturis cranii ſpecialiter dicuntur *Cephalica*, κεφαλικὰ, habentque abſtergendi, digerendi & ſiccandi poteſtatem, quibus plerique & paululum ex adſtringentibus admiſcent, *l.* 1. *h. tit. c.* 16.

CATAGOGE, καταγωγὴ, ductus, ſedes, loci vel partis alicujus circumſcriptio vel regio dicitur Hippocr. *l.* 7. *Epid. III.* 14. veluti ſi quis umbilicum contrectans manum toti ventris regioni admoveat, Foëſ. *d. l.*

CATAGYIOO, καταγυιόω, proprie ſignificat *membra debilito*, à γυῖον, *membrum.* Uſurpatur de nimia virum imbecillitate & enervatione: Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 17. & *l.* 2. *de Morb. Mul. LVI.* 15. *de Glandul. VIII.* 11.

CATALEMMA, κατάλημμα, vide *Comprehenſamentum.*

CATALENTIA, fictus eſt à Paracelſo terminus, ſpeciem Epilepſiæ ſignificans, quemadmodum & *Analentia* & *Epilentia*, *de morb. ament. tr.* 2. *c.* 1. & *l.* 3. *Paragraph. c.* 1. §. 1.

CATALEPSIS, *Catalepſia*, Lang. *l.* 1. *ep.* 25. eſt deperditio ſenſus viſus, apertis palpebris, ſervata tamen ſecundum naturam ſpiratione, in qua poſteriora cerebri potiſſimum & nervorum exortus intemperie frigida & ſicca afficiuntur. Gal. *l.* 4. *de L. A.* 2. licet alibi *Catalepſin* dicat eſſe ſpiritus cohibitionem, *de muſc. diſſect. c.* 26. & alibi dicat, *Catalepſin*, fieri refrigerata prima parte ſenſitiva, id eſt, cerebro ipſo: quæ refrigeratio cum fortis fuerit, miſta humiditati facit lethargicas paſſiones; cum ſiccitate vero eas, quæ à Græcis καταλήψεις dicuntur, Lat. *Interceptiones*; (aliis *Deprehenſiones*) 2. *aph.* 3. *in comm. Gal.* Eundem affectum vocant κατοχὴν, *Catochen*, & qui eo laborant *Catochos*, κατόχους, *l.* 4. *de cauſ. pulſ. c.* 16. Hæc Caſtellus. Clarius ut explicetur terminus *Catalepſis*, κατάληψις, accipitur late & ſtricte. Late & quidem rarius pro omni interceptione, v. gr. Sanguinis in vaſis, Hipp. *l. de Medic. VII.* 8. quæ alibi ἀπόληψις eidem dicitur, vide *Apolepſis*, item ἐγκατάληψις. Senſuum, Aurelian. *l.* 2. *acut. c.* 5. Spirituum, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu.* 12. & *l.* 3. *cap.* 2. Cutis conſtrictio, dum ita digitis apprehenditur, ut candens ferramentum recte & ſine noxa immittatur Hipp. 1. *de artic. t.* 50. De interceptione urinæ & ſanguinis legitur 2. *Epid. ſect.* 3. *num.* 75. quam *lib.* 6. *ſ.* 2. *n.* 35. ἐγκατάληψιν vocavit. Ad hanc latam ſignificationem quoque pertinet, quando illa deligandi ratio, ubi vinculum aliquod articulis oblæſis ſuper injicitur, ad ea, quæ oblæſa ſunt, comprehendenda & continenda, aut extremitas vinculi, quod ultimo ſuper injectum reliquas obvolutiones firmiter continet, *catalepſes*, καταλήψεις, dicuntur. Hipp. 2. *de iis*, *quæ in medic. t.* 15. & *t.* 17. 18. Stricte ſumitur pro affectu ſoporoſo, quem nonnulli eundem cum *comate vigili* eſſe ſtatuunt, Lang. *d. l.* Alii vero negant, ut Dieterich. *Iatr. n.* 863. quod ſi Galeni deſcriptio ſupra *d. l.* locum habuerit, non video, quæ ſit inter utrumque differentia, vide

vide *Coma.* Tandem & Tropica ſupereſt ſignificatio; quando κατάληψις denotat veram, firmam & indubitatam rei alicujus perceptionem & cognitionem, Gal. *de ſectis. c. 6. & de opt. ſecta in princ.* cui opponitur ἀκαταληψία. In ſpecie tribuitur loco generis Indicationi *Comprehenſio* in definitione, de qua prolixius vide Mich. Gavaſſet. *l. de Indicat. curat. cap. 2. ſeqq.* Dicitur & *Apprehenſio*, de quo ſupra.

CATALOTICA, καταλοτικά, medicamenta ſunt, quæ cicatrices groſſas æquant & limpidant, Galen. *l. de Dynamid.* An à καταλοιάω vel ἀλοιάω, tero?

CATALYSIS, κατάλυσις, ſignificat *diſſolutionem* vel *reſolutionem*, v. g. artuum Hippocr. *lib. 4. Epid. XXIIX. 31.* Quod dicantur οἱ καταλυόμενοι apud Hipp. *2. aph. 43.* illi, qui jam jam morituri ſunt, & in procinctu mortis, unanimis quidem Interpretum eſt conſenſus, Jung. Dieter. *n. 438.* Enimvero ſi per ἀπαγχομένους proprie ſtrangulati laqueo aut manu veniunt intelligendi, nihil obſtat, quo minus etiam *diſſoluti* exponi poſſint de *detracto* laqueo, aut manu reſoluta, cum Celſo *l. 2. c. 8. fin.* qui vocat *Detractos ex ſuſpendio.*

CATAMANTHANO, καταμανθάνω, *addiſco*, conſidero, Hipp. *6. aph. 5.*

CATAMARÆNOMÆ, καταμαραίνομαι, *emarceſco.* Dicitur de tumoribus, qui detumeſcunt, ſubſidunt, & definunt. Hippocr. *2. Prorrhet. XI. 33.*

CATAMASSASTHÆ, καταμασᾶσθαι, *dentibus conterere*, commanducare ſignificat. Uſus eſt Hipp. de Epileptica, quæ linguam dentibus contrivit & devoravit, *l. 5. Epid. XXII. 10.* repetitur *l. 7. XXXVII. 10.*

CATAMATTEUOMENOS, καταματτευόμενος, *contrectans.* Vide *Matteuo*, vel *Matos.*

CATAMENIA, καταμήνια, vide *Menſtruum.*

CATAMOLYNTHIS, καταμωλυνθεὶς, *remiſſum, debilitatum*, ſenſim languidum, ſignificat, à μῶλυς vel μώλυξ, ignavus, hebes, indoctus. Galen. *c. 3. in Prorrhet. Hipp. t. 77.* de tuberculis ad aurem uſus eſt.

CATAMYO, καταμύω, *nicto*, oculis conniveo, *claudo*, ſignificat. Legitur apud Hippocr. *7. Epid. XLI. 24.* Per ſyncopen etiam καμμύω aliquando dicitur.

CATANÆSIMUMÆ, καταναισιμοῦμαι, non καταναισιμοῦμαι, ſignificat *conſumor*, ab ἀναισιμόω vel αἰσιμόω, *expenſas facio.* Hippocr. *de glandul. II. 8.* quamvis alii etiam exponant per *reflector*, ab ἀνασιμοῦσθαι, *reſimum fieri.* Foëſ. *Oec. p. 319.*

CATANANCAZO, καταναγκάζω, *per vim cogo, compello, depello.* Uſurpatur in operatione Chirurgica, quando id, quod loco ſuo excidit, vi adhibita reſtitui & reponi debet. Hipp. *1. de art. t. 15. 20. 21. 62. 65. 69. & ſ. 3. t. 49. & in Mochlico IX. 16. XI. 12. XV. 5. &c.* Legitur & ſimpliciter ἀναγκάζω, *2. de fractur. t. 10.*

CATANIPHTHIS, κατανιφθεὶς, *elotus*, exterſus, à verbo κατανίζω, pro κατανίπτω, *perluo, perfundo.* Participio uſus eſt Hippocr. de diarrhœa per lac decoctum elota, quæ ſponte definit. *2. Prorrhet. XXXII. 2.* Verbo vero de vulnuſculis circa tumores factis aceto eluendis ad grumum tollendum, *l. de ulcerib. XV. 6. XVII. 3.*

CATANIZO, κατανίζω, vide *Cataniphthis.*

CATANOEO, κατανοέω, *valeo ſenſuum integritate;* intelligentia, idem, quod καταφρονέω. Hipp. *l. 5. Epid. XVII. 6.* Jung. Foëſ. *d. l.*

CATANTIA, καταντία, *declivitatem*, deorſum inclinationem ſignificat, ab ἀντιάω, vel ἄντω, *occurro.* Hipp. *1. de iis, quæ in med. t. 19.* Hinc & κατάντη *declivia* denotant, *ſ. 2. h. t. t. 11.*

CATANTIS, καταντης, *declivis.* Vide *Catantia.*

CATANTLEMA, κατάντλημα, ſignificat *lotionem per infuſionem aquæ factam;* idem fere, quod ἐπάντλημα, vel ἐπάντλησις. Legitur apud Moſch. *de morb. mul. c. 50.* Vide *Epantleſis.*

CATAPASMA, κατάπασμα, dicitur medicamentum aridum ex ſicco medicamentorum pulvere conflatum, ad extergendum, repurgandum, diſcutiendum cuti aſperſum, Æginet. *l. 7. c. 13.* Dicitur & καταπαστὸν φάρμακον, Gorr. *in def.* quamvis & generaliter omne, quo aliquod corpus conſpergitur, ſignificet. Dicitur & σύμπασμα, vel διάπασμα, vel ἔμπασμα, ἐπιπαστὸν, Gorr.

CATAPASMUS, καταπασμὸς, dicitur Aureliano ſpecialiter poſt humeros atque colla devexo ductu mitis & lenis defricatio, aut levis deductio, *l. 1. paſſ. tard. c. 5.* Foëſ. *d. l.*

CATAPASTUM, καταπαστὸν, vide *Catapaſma.*

CATAPAUOMÆ, καταπαύομαι, ſignificat evaneſco, *ceſſo*, Gal. *1. Prorrhet. t. c. 35.* unde κατάπαυσις, finem, *requiem* denotat; & tumores ſubſidentes καταπαυόμενα vocantur.

CATAPELTES, καταπέλτης, vide *Catapulta.*

CATAPERUS, κατάπηρος, *mutilus*, vide *Peroſis.*

CATAPHORA, καταφορὰ, eſt affectio veternoſa; gravis in ſoporem delatio, Gal. *3. prorrhet. t. 1.* qua ægris ſopori gravi ſimile quid accidit, fiuntque tum omnis ſenſus, tum vocis expertes, *l. 1. de dieb. Crit. c. 4.* Nihil differt à *Comate*, licet Galenus voluerit. Vide *Coma.*

CATAPHRACTA, καταφράκτα, nomen faſciæ ſive ligaturæ thoracis, à ſimilitudine Thoracis Romani, quem *Cataphractam* dicunt, Gal. *de faſciis n. 79. ſeqq.* Ejus figuram exhibet cum uſu Scultetus *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXXVI. fig. 7.*

CATAPHRONEO, καταφρονέω, vide *Catanoeo.* Sumitur & in malam partem, ſignificans *Contemno.* Hinc εὐκαταφρόνητον, quod facile contemnitur. Gal. *l. 2. de C. M. P. G. c. 10.*

CATAPINO, καταπίνω, devoro, *deglutio*, vide *Catapoſis.*

CATAPLASMA, κατάπλασμα, eſt medicamentum externum ſive topicum, variæ pro diverſitate ingredientium virtutis, & diverſi uſus; eſtque compoſitio mollis, pulti ſimilis, ex aliquo farinæ genere, floribus

&

& aliquo humido, ſive unctuoſo parata, Gal. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 2. Quæ craſſiora ſiccioraque ſunt, Emplaſtra & Cerata; quæ liquidiora, συγχρίσματα & Unguenta appellantur Gorr. Caſtell. *Cataplaſma*, id eſt, *ſuperpoſitum medicamentum*. Scrib. Larg. *n.* 158. Jung. Schröder. *l.* 2. *c.* 44. Morellus *l.* 2. *de form. remed. ſect.* 1. *c.* 13. aliique plures.

CATAPLEXIS, κατάπληξις, id eſt, *ſtupor*, *ſtupefactio*, v. g. oculorum, Hipp. *l.* 7. *Epid. XXX.* 8. quæ alias *oculus ſtupefactus*, ὀφθαλμὸς καταπλὴξ eidem vocatur, 5. *Epid. XXI.* 22.

CATAPOSIS, κατάποσις, *deglutitio*, eſt prompta cibi, potus, medicamentorum, per gulam deſcenſio, Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 16. Verbum etiam καταπίνειν, *deglutire*, ſignificat, Hippocr. 4. *aph.* 35. Unde καταπότιον, *Catapotium* medicamentum, quod deglutiri debet, *Pilula*. Dieter. *n.* 441. Modum *deglutitionis* vide apud Anatomicos, præſertim Bartholin. *l.* 2. *Anat. c.* 12. vide *Deglutitio*.

CATAPOTIUM, κατάποτον ἢ καταπότιον, vide *Catapoſis*, & *Pilula*.

CATAPSYXIS, κατάψυξις, idem, quod περίψυξις, *refrigeratio magna* corporis & membrorum dicitur, cum refrigerationis ſenſus cum dolore ſentitur, abſque cutis & ſuperficiei inæquali motu, Gal. *de rigor. trem.* &c. Præſertim vero apud Hippocr. de extremarum partium frigore, ceu malo ſigno, in febribus uſurpatur, *ſ.* 1. *Prorrhet. t.* 26. 30. *ſ.* 3. *Prorrh. t.* 61. 72. *Coac. t.* 243. 587. 647. & *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 27. *l.* 7. *Epid. LII.* 20. & *LIII.* 4. Hujuſmodi refrigerationis cauſſam conſtituunt portiones vitioſæ, vel crudæ, vel congelativæ, vel coagulativæ, malignæ, quæ ſpiritus vitales obtundunt, & continuationem flammæ vitalis impediunt. Vocatur & *Infrigidatio*. *Perfrictio*.

CATAPTOSIS, κατάπτωσις, morbus non eſt, ſed Symptoma Epilepticorum & Apoplecticorum, attonitam in *terram concidentiam* vel caſum ſignificans, Galen. *l. de tot. morb. temp. c.* 4. 5. Significat quoque in genere *Decidentiam*, & quidem vel proprie, quæ eſt motus alicujus membri organici præter voluntatem deorſum vergens, proveniens ex paralyſi & relaxatione p. n. muſculorum ac tendinum, neque indiget muſculo agente, de qua Gal. *l.* 1. *de mot. muſc. c.* 7. Fere idem, quod καταῤῥοπία, de qua p. p. Vel tropice dictam, ubi denotat ſtatum *Neutrum ſanorum*, quando ad morboſam aliquam diſpoſitionem inclinant. Vid. *Dogm. noſtr. Prælimin. p.* 9.

CATAPULTA, καταπέλτης, eſt tormentum bellicum, quo lapides vel ſagittæ jaciebantur; qua ratione & Tychon læſus legitur apud Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXXIV.* 1. Vide Valleſ. *ad h. l. t.* 93.

CATARACTA, *Catarrhacta*, (aliis *Catharracta*, ſed vitioſe) καταῤῥάκται & καταῤῥάκτης, *Catarrhactes* proprie ſignificat loca petroſa, per quæ aquæ cum impetu decidunt. Unde & nubes pluvias largiores & cum impetu profundentes dicuntur *Catarrhactæ* cœli apertæ, quas Helmontius aëris fundos ſtatuit, proprioque nomine *Peroledos* vocat, item Valvas Cœli, *tr. Gas aquæ n.* 24. 25. *Cataractæ* etiam dicuntur hac ratione obices, quibus aquæ curſus temperantur & ſuſtinentur. Frequentes in Hollandia, ubi vocantur Belgice ſluiſſen. Ita & Fores pendulæ intra portas murorum adverſus irruptionem hoſtium ex ligno ferrove, quæ dimitti ac tolli pro voluntate cuſtodiri poſſunt, hoc nomine veniunt. Plura vide apud Aldrovand. *l.* 19. *Ornith. c.* 11. ubi etiam *Cataracta* ſpecies avis aquaticæ rapacis Mergis annumerandæ dicitur. In foro Medico per ſimilitudinem ad affectus oculi tranſlatum hoc vocabulum, *Cataracta*, qui alias *Suffuſio*, *Hypochyma*, ὑπόχυμα, ὑπόχυσις, vulgo, ſtaar / dicitur, eſtque notante Caſtello juxta Galenum, pituita inter uveam & cryſtallinum humorem coagulata prohibens ſpiritum viſibilem ab oculo exire & intrare, *l. de ocul. part.* 4. *c.* 12. vel Suffuſio eſt, cum cernendi facultas deperditur apparente, ſive non apparente in oculis malo aliquo, & aut propria affectione moleſtatis, aut oris ventriculi, aut cerebri ex cognatione & conſenſu iiſdem afflictis, *l.* 4. *de L. A. cap.* 2. quam vocant Græci ὑπόχυμα, *l.* 10. *de V. P. c.* 1. Helmontius *Cataractas* oriri dicit, ſi latex vel digeſtionum vitia reperiat, vel aliena ſecum eo deferat, *tr. Retenta. p. m.* 362. *ed. Lugdun.* De hoc affectu vid. Senn. *M. Pr. l.* 1. *P.* 3. *ſect.* 2. *c.* 28. & alios.

CATARRHECTICUS, καταῤῥηκτικὸς, dicitur de eo, *quod penetrat*, perrumpit; v. g. de vino tenuium partium, quod vim habet diureticam. 3. *de R. V. I. A. t.* 6. de Oxymelite *t.* 31. de Peplio *ſ.* 2. *t.* 11.

CATARRHEUMA, κατάῤῥευμα, *defluxio*, Lang. *l.* 2. *ep.* 16. vide *Catarrhus*.

CATARRHEXIS, κατάῤῥηξις, à verbo καταῤῥήγνυσθαι, effundi, perrumpere, ſignificat *effuſionem*, *eruptionem* v. g. alvi, Hippocr. *Coac. t.* 240. *l.* 4. *Epid. XIIX.* 6. Verbo quoque ipſo ſæpius uſus eſt idem v. g. de alvo 1. *Prorrhet.* 31. *ſ.* 2. *t.* 58. *ſ.* 3. *t.* 47. & alibi. item de tumoribus, *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 37. *Coac. t.* 623. de mammis & aliis membris fluidioribus factis, *de nat. puer. XLIII.* 16. 18. & *l.* 1. *de Morb. Mul. I.* 5. 6. vid. Foëſ. *pag.* 320.

CATARRHOECUS, καταῤῥοικὸς, ſumitur active & paſſive. Active ſignificat, *deſtillationes efficiens*. Hipp. 5. *aph.* 24. paſſive de morbis etiam à deſtillatione ortis dicitur. Dieter. *num.* 444.

CATARRHOPIA, καταῤῥοπίη, ſignificat *declivitatem*, *inclinationem deorſum*, quemadmodum ἀναῤῥοπίη, *reclinationem ſurſum*. Vide *Anarrhopia*. Adjectivum κατάῤῥοπος, de variis dici poteſt rebus, ſignificans *deorſum vergens*, declinans, declivis, deorſum propendens, v. g. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 39. *de flatibus ſ.* 1. *t.* 13. de morbo remittente *l. de Humor. III.* 81. 99.

CATARRHYSIS, κατάῤῥυσις, *defluxionem*, id eſt, declinationem deorſum ſignificat, vide *Hyporrhyſis*. Hipp. 1. *de iis*, *quæ in med. t.* 19. Gal. *in comm.*

CATARRHUS, καταῤῥοος, ἢ κατάῤῥȣς & κάταῤῥος, Lat. *Deſtillatio* ſeu defluxus, à verbo καταῤῥέω, *deſluo*, eſt multorum humorum delatio ex cerebro per palati foramina & nares, quæ in exitu una cum flatu exeunte ſtrepitum quendam faciunt, Gal. *defin.* Naſcitur ejuſmodi *deſtillatio* à cerebri intemperie frigida & humida, & ab omnibus, quæ replent caput. Hæc Caſtellus: ſed inſufficienter & confuſe. Oportet ergo rem diſtinctius exponere. *Catarrhus* generaliter denotat *omnem fluxum* aut delapſum materiæ peccantis à quacunque parte, & ad quamcunque fluat partem, & in hac ſignificatione comprehendit omnem *Rheumaticam affectionem* vel *Rheumatiſmum*, Gr. ῥόον. In qua ſignificatione etiam dicitur καταῤῥευμα, Lang. *l.* 2. *ep.* 16. Specialiter ſignificat vitioſæ materiæ in capite, vitio aut proprio aut adſcititio, ut cauſſarum internarum & externarum, collectæ, præter naturam ex illo in partes ſubjacentes defluxum. Hujus tot ſpecies conſtitui poſſunt, quod partes, ad quas materia deſcendit. Hipp. *l. de Loc. in homine XIIX.* ſeptem fluxiones e capite numerat, in oculos, in nares, in aures, in thoracem, in ventrem inferiorem, in ſpinalem medullam, in vertebras & muſculos lumborum, & in coxam. Verum hodieque tres præcipue, ceu evidentiores, retinentur ſub hoc nomine *Catarrhi;* prima quæ ad nares, & dicitur *Coryza*, κόρυζα, cujus meminit Hipp. 2. *aph.* 40. Secunda, quæ ad fauces, & vocatur *Branchus*, βράγχος, *Raucedo*, non βρόγχος, Hippocr. *d. l.* Tertia ad pectus, & appellatur in ſpecie *Catarrhus*, juxta verſiculos notiſſimos:

Si fluit ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Ad fauces Branchus, *ad nares eſto* Coryza.

Aliquando *Deſtillatio* hujuſmodi fit cum inſigni ebullitione ſanguinis febrili, quæ febres propterea dicuntur *Catarrhales*, quas ad Intermittentes refert Fr. de le Boe Sylvius *l.* 1. *Pr. M. c.* 30. §. 35. & quarum cauſſa ſunt humores in capite collecti, in paroxyſmo ſoluti, & ad defluxum commoti §. 109. præprimis vero Lympham vitiatam, ceu cauſſam, & glandulas in cerebro exiſtentes, ceu ſubjectum accuſat, *c.* 27. §. 29. Hujuſmodi febres quandoque Epidemicas & malignas eſſe, teſtantur Obſervationes Th. Willis *de Febrib. c.* 17. Varietas inſignis eſt *catarrhorum* cum ratione qualitatis materiæ vitioſæ, dum alius calidus, frigidus, acris, ſalſus, acidus, pituitoſus, mixtus, dici poteſt. 4. *de R. V. I. A. t.* 30. Gal. *in com.* In ſpecie pituitoſorum *catarrhorum* ortum ab alimentis viſcidis & aëre frigido deducit Sylv. *c.* 13. §. 14. tum ratione ætatis juvenilis, ſenilis, qui frequentior Hipp. 3. *aph.* 31. tum ratione temporis, v. g. æſtatis & hyemis, 3. *aph.* 12. 13. Ratione etiam modi defluxionis ſive motus cauſſæ peccantis differunt *Catarrhi*, cum vel lente delabitur materia, vel cum impetu ruit. Huc pertinet *Catarrhus ſuffocativus*, πνιγώδης, ἢ κάταῤῥος συντόμως ἀπολλύς, *d. aph.* 12. eſtque humoris excrementitii præceps à capite ad organa reſpirationis defluxio, & ipſum quandoque cor, cum difficillima reſpiratione & ſuffocationis metu, Sylv. *c.* 22. §. 11. Atque hæc de *Catarrho* ſufficiant. Plura peti poſſunt ex Practicis, & e prolixiſſimo opere Schneideri de *Catarrho.* Legi etiam à Philiatris poterit P. Barbette *Prax. c.* 4. *cum not. Dekeri.* Imprimis etiam jungatur Dieter. *Iatr. n.* 445. *Catarrhos* ceu extra naturam & Medicam conſiderationem, relegari quidem vult Helmont. *de lithiaſ. c.* 1. & in peculiari tractatu inſcripto: *Catarrhi deliramenta.* Sed non eſt hujus loci, illius Novatoris importuni nugas ventilare, licet invenerit hodieque quoſdam adſtipulantes.

CATARTISMUS, καταρτισμὸς, κατηρτισμὸς, eſt *tranſlatio oſſium à ſede p. n. ad naturalem*, apud Æginet. *l.* 6. *in multis capp.* Verbum καταρτίζω, *in debitum repono locum*, Metaphorice ſignificat *Reconciliationem.*

CATASARCA, κατασάρκα, vide *Anaſarca.*

CATASBENNYSTHÆ, κατασβέννυσθαι, ſignificat, *extingui*, ſedari; Dicitur de tuberculis ad aures abſque ſuppuratione & dolore rurſus diſcuſſis & evaneſcentibus, Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 10.

CATASCEVE, κατασκευὴ, Galeno dicitur abſoluta & *perfectiſſima* corporis *exercitatio*, quam per immodicos in certaminibus labores etiam totum diem aliquando continuatos, præparato jam ad eam corpore, obeunt athletæ, *l.* 3. *de ſan. tu. c.* 2. Foëſ. *p.* 322. Significat quoque ſtructuram organicam corporis humani concinnam, Galen. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 31.

CATASCHASMOS, κατασχασμὸς, *Scarificationem* & quidem *profundiorem* ſignificat in gangrænoſa vel ſphaceloſa corruptione neceſſariam, legitur apud Dioſcorid. *l.* 7. *c.* 1.

CATA SCHESIN, κατὰ σχέσιν, vide *Scheſis.*

CATASEISIS, κατάσεισις, *concuſſionem*, vel potius *extenſionem*, ſive diſtentionem ſignificat, Hippocr. 3. *de artic. t.* 51.

CATASILLÆNO, κατασιλλαίνω, idem, quod σιλλαίνω, *ludibrio habeo*, dicteriis & ſcommate excipio, à σίλλος, quod eſt poëma illuſorium, ſive ſcomma. Unde *Sillographi* ſunt Satyrici apud Gell. Verbum illud uſurpavit Hippocr. *in præcept. VII.* 11.

CATASPAO, κατασπάω, *deorſum duco*, detraho. Hippocrates aliquoties de menſtruis provocandis *l.* 1. *de Morb. Mul. XXIV.* 5. 6. C. 1. *CVI.* 5. *CXXII.* 1. de mammis carnoſis & grandioribus *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 21. ubi opponitur ἀνασπᾶσθαι, retrahi, quod de mammis gracilibus dicitur.

CATASTAGMOS, καταςαγμὸς, *Deſtillationem* ſignificat. An vero etiam ad Catarrhos hoc nomen adhiberi poſſit, uti Celſus de recentioribus Græcis ſcripſit *l.* 4. *c.* 5. de eo dubitat Schneider. *de Catarrho ſect.* 1. *c.* 4.

CATASTALAGMOS, καταςαλαγμὸς, ςάλαξις, dicitur

citur *Deſtillatio* & legitur apud Hartmann. *in Tyrocin. Chymic. c.* 4.

CATASTALTICUS, καταςαλτικὸς, barbare ex ignorantia Græcæ Linguæ *Cataſtalticus*, idem, quod repreſſorius, ſtipticus, vim adſtringendi habens. Dicitur & ſimpliciter *Stalticus*, ςαλτικὸς, Dieter. *Iatr. n.* 408.

CATASTASIS, κατάςασις, vox Hippocrati familiariſſima, in genere *conſtitutionem*, habitudinem, ſtatum, conditionem alicujus rei ſignificat. Κατάςασις Galeno eſt forma & idea alicujus rei, Holler. *not. in* 3. *aph.* 15. Frequenter de conſtitutione anni temporum & aëris, qui & cœlum vulgo dicitur, uſurpavit Hipp. v.g. 1.*Epid. ſ.* 1. *t.* 9. & 37. *t.* 60. 63. & alibi ſæpius, ſi nude & ſimpliciter poſitum eſt. De morborum etiam forma & conditione, 1. *aphor.* 12. 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 10. 3. *Epid. ſ.* 3. *c.* 34. *Prognoſt. ſ.* 3. *t.* 7. & ſæpius. Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 4. De coloris & totius corporis externo habitu, 2. *Prorrh. VII.* 5. Sed & *collocationem* & *reſtitutionem oſſis* vel *membri* in priſtinum locum ſignificat, Hipp. *ſ.* 3. *de fract. t.* 38. Vide Dieter. *n.* 446. Foëſ. *p.* 322. *ſeqq.*

CATASTEMA, κατάςημα, eſt veluti *fulcimentum*, & innixus, à verbo καταςῆσαι, *ſiſtere*, reprimere, moderari, Hippocr. *l.* 1. *de Morb. Mul. XLVIII.* 4.

CATASTOLE, καταςολὴ, eſt modeſtia in veſtitu, ſeu *modeſtus habitus.* Hipp. *de ornat. V.* 7. *VII.* 16. *IX.* 7.

CATASTORESTHYNÆ, καταςορέσθυναι, proprie ſignificat *proſtratum eſſe*, humi dejectum. Tropice dicitur de *humoribus evictis*, ſedatis & ad excretionem diſpoſitis, Hipp. *de vet. med. XXXIV.* 22.

CATATASIS, κατάτασις, eſt ad *inferna loca corporum tractio*, quæ obitur partim organis tentoriis e regione oppoſitis, partim tranſſumtione in contrarium, nempe tranſmiſſis per rotulas principiis, quæ tentionem moliuntur, ac ſuperius annexis. Oppoſita huic eſt *Anataſis*, ἀνάτασις, quæ eſt tentio ad loca ſuperna per traductionem, Galen. *in defin.* ἀνατείνεσθαι, *contentis eſſe viribus*, firmis & integris, aut contra obniti, & ſe erigere ſignificat, quod totum Celſus per firma viſcera complexus eſt. Hæc Caſtellus. Quamvis & nomen κατάτασις, & verbum κατατείνειν, vel κατατεῖναι, non ſolum de tentione, ſed & de omni repoſitione aut collocatione membri apud Hippocrat. accipiatur, teſte Erotiano, *Onomaſtic. cum not. Barthol. Euſtachii fol. m.* 64. 65. ita, ut idem ſignificet, quod καθίδρυσις. Jung. Foëſ. *p.* 324.

CATATILAO, κατατιλάω, ſignificat, *conſpurcare*, inquinare, Hippocr. *l. de Nat. mul. XXIX.* 124. ubi de linteo, cui pinguia illini debent, ad applicandum uſurpatur. Dicitur & ἐγκατιλᾶν, aut ἐγκατιλλειν, aliis ἐγκατειλεῖν, *l.* 2. *de Morb. Mul. LXXXIV.* 4.

CATATRECHO, κατατρέχω, id eſt, *procurro*, inſulto. C. Hofmann. *de Uſ Part. n.* 1166.

CATATRIPSIS, κατάτριψις, dicitur *attritio* inſtrumentorum, cum nimia ſiccitate functionum organa languida, exoluta, & infirma evadunt, tranſlatione ſumpta à veſtibus aut vaſis, quæ longo uſu atteruntur & exiccantur. Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1.

CATAUDESIS, καταύδησις, *vociferationem* ſignificat apud Hippocr. *in Præcept. XIII.* 3. quæ moleſtiam affert. Dicitur alias φωνασκίη Aretæo. Foëſ. *p.* 325.

CATAXA, κάταξα, *ſericum crudum*, dicitur Aëtio & Actuario, id eſt, lanificium bombycis, antequam colorem, vel cortinas experiatur, Gorræus *p.* 214.

CATAXIS, κάταξις, *fractio*, Gorr. *ibid.* Inuſitatum, nec occurrit in Henr. Stephani *Theſauro.* Sed verbum κατάξαι, *frangere*, legitur apud Platon. *Euripid.*

CATECHESIS, κατήχησις, dicitur *inſtructio* Medici, quæ fit viva voce ad adſtantes, vel ægros, Hipp. *in præcept. X.* 10.

CATECHOMENOS, κατεχόμενος, vide *Catoche.*

CATECHU, nomen *Terræ Japonicæ*, quæ eſt genus terræ exoticæ, colore purpureum, punctulis albis intertextum, ac ſi ſitum contraxiſſet, ſapore arteriuſculum, maſticando liqueſcens, & ſubdulcem poſt ſe ſaporem relinquens. Uſus creditur eſſe in catarrhis exiccandis, capiteque roborando, Schröder. *l.* 3. *in fin.* Nonnulli ex recentioribus ſtatuunt eſſe artificiale quid paratum ex Terra quadam Victriolacea & Glycyrrhiza, quamvis de modo præparandi nondum certo conſtet. Confectio *Catechu* deſcripta & laudata videatur in D. Viti Riedlini *lineis Medicis A.* 1695. *menſ. Aug. num.*28. & Roſin. Lentilii *Miſcellaneis Medico-Practicis Part. III. p.* 52. ubi & *Caſchu* dicitur. D. Ehrenfriedi Hagendornii *Tractatus Phyſico-Medic. de Catechu ſeu Terra Japonica.*

CATEILUMENOS, κατειλούμενος, *introrſum convolutum* ſignificat. Hippocr. uſurpavit de ructu, *Coac. t.* 432. item de voce implicata, retenta, & quaſi involuta, φωνὴ κατειλῶσαι, 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 32.

CATELLUS, vide *Canis.*

CATENA, σειρὰ, ἅλυσις, quid ſignificet, omnibus notum eſt. Pertinet in foro Medico ad inſtrumenta Chirurgica. Oribaſ. *de machinam. c.* 4. Rul. *in Lex.* Paracelſus quoque meminit *Catenæ* cujuſdam myſticæ in corpore humano, quam vocat *Gratiam Dei*, *tract. de peſtilit.* item Vinculum illud Balſamicum, quo uniuntur quoque ſpiritus corpus regentes, *Fr.* 2. *h. tit. Catena Homeri aurea*, dicitur *Cabala.* Vigener. *de Igne & Sale, c.* 26. *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 31.

CATEPEDANOS, κατηπεδανὸς, vide *Epedanos.*

CATEPHES, κατηφὴς, *ſubtriſtem*, *demiſſum* ſignificat. Hipp. utitur de vultu. *Coac. t.* 388. de oculis, 7. *Epid. XV.* 31. & *XXII.* 11.

CATERGASTICOS, κατεργαςικὸς, *conficiens*, opprimens, exercens, Hipp de taciturna animi abjectione, *Coac. t.* 482. Verbum eſt κατεργάζεσθαι, Foëſ. *p.* 326.

CATERTEMENON, κατηρτημένον, *concinnum*, *compoſitum*, ſignificat à καταρτίζω. Dicitur de ſermone apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 41. Unde & κατηρτισμὸς. Vide *Catartiſmus.*

CATHÆMON, καθαιμον, *cruentum* ſignificat, ex Euripide Linden. *Ex. XIII.* §. 449.

CATHÆRESIS, καθαίρεσις, differt à καθάρσει, licet ab uno verbo καθαίρω deſcendant, & ſignificat *detractionem*, aut *ſubtractionem*, & extenuationem corporis abſque purgatione aut ſanguinis miſſione, v. g. quæ fit nimio motu & exercitiis, Hipp. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 2. Vid. Gal. *in com.* quamvis Lat. *Detractio* non ſemper ita ſtricte ſumatur, ſed etiam late pro Evacuatione per alvum, vomitum, os &c. Scrib. Larg. *n.* 6. 9. 100. 135. 136. *Detractio* etiam eſt imminutio vel demtio. Ita detracto pondere, Id. *n.* 97. Vid. Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 373.

CATHÆRETICOS, καθαιρετικὸς, etiam à verbo καθαίρω, quatenus ſignificat conſumo, abſumo, *depaſcor.* Differt igitur à καθαρτικὸς, purgans; & eſt epitheton medicamentorum, quæ carnem excreſcentem imminuunt, depaſcunt, & ad ſtatum naturalem deducunt, Galen. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 2. Gradu minori differunt à Cauſticis ſive Septicis, aut Eſcharoticis; & per accidens cicatricem inducere dicuntur, cum non ſint ejuſdem cum Epuloticis naturæ, v. gr. Aſiæ petræ flos, Æs uſtum, *d. loc. c.* 15. Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 30. Eorum facultas conſiſtit in ſalinis acrioribus, lixivioſis, & alcalicis valde evectis particulis.

CATHAMMIZO, καθαμμίζω, ſignificat *in arena me occulto*, quod dicitur de quibuſdam piſcibus, Aſello, Paſſere, &c. ex Ariſtotele *l.* 9. *H. A. c.* 37. Linden. *Ex. XI.* §. 206.

CATHARIOTES, καθαριότης, munditiem, *puritatem*, ſignificat, quæ Medicum decet. Hipp. *l. de dec. orn. V.* 12. idem, quod καθαρότης.

CATHARMA, κάθαρμα, *purgamentum*, excrementum, quod in purgatione rejicitur & expurgatur. Hipp. *l.* 5. *Epid. XIX.* 2.

CATHARMOS, καθαρμὸς, duo ſignificat, (1) purgationem, & ita coincidit cum vocab. κάθαρσις, Hipp. *l.* 2. *de Morb. Mul. XX.* 21. (2) *expiationem*, ſive curationem per expiamenta vana & magica, quæ ſignificatio Hippocr. eſt frequentior, v. g. *l. de morb. ſacr. II.* 7. *III.* 10. 14 *&c.*

CATHARODES, καθαρώδης, de oculis, 5. *Ep. XXXV.* 13. recte à Lindeno pro mendo habetur ſubſtituente καρώδεα, *Ex. IV.* §. 92.

CATHAROS, καθαρὸς, *purus*, *depurgatus*, mundus. Dicitur & καθάριος. Uſurpatur non ſolum de corpore ejuſque membris, v. g. Alvus pura, 7. *aph.* 67. vel juxta Galen. 64. Contra dicuntur corpora μὴ καθαρά, *non pura*, 2. *aphor.* 10. ſed etiam de excrementis, v. g. de urina, 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 33. & de fecibus alvi, 4. *de R. V. I. A. t.* 57. *Coac. t. ult.* *Puritas* quoque vaſorum commendatur pro ægris, 4. *in* 6. *Epid.* I. 8.

CATHARSIOS, καθάρσιος, idem quod καθαρτικὸς h. e. *purgans.* Uſitatum Nono *de M. P. C. c.* 285. *ſeqq.*

CATHARSIS, κάθαρσις, purgatio, vide *Purgatio*, *Menſtruum.*

CATHARTICUS, καθαρτικὸς, *purgans*, *purgatorius.* Vide *Purgans.*

CATHEAUTONPERAS, καθ' ἑαυτὸν πέρας, nomen Menſis apud Macedones tantum, in cujus principium incidit Solſtitium brumale, Galen. *c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 1.

CATHECTICE, καθεκτικὴ, ſc. δύναμις, *retentrix facultas.* Vide *Retentio.*

CATHELIN, καθιλεῖν, à verbo καθαιρέω, idem, quod κολάζω, *caſtigo*, vide *Colazo*, Gal. 3. *de R. V. I. A. t.* 30.

CATHEMERINOS, καθημερινὸς, idem, quod ἀμφημερινὸς, *quotidianus.* Epitheton febris. Vide *Quotidiana*, Galen. 2. *de diff. febr. c.* 7.

CATHESTECOS, καθεστηκὼς, καθεστὼς, *conſtans*, *conſiſtens*; Uſurpatur ab Hippocrate de ætate, 1. *aph.* 13. de anni tempore, 3. *aph.* 8. Eſt autem *Conſtans*, quod vel ſuam naturam ſervat, & non immutatur, vel quando ad ſummum pervenit, & nunc incipit declinare. Vide *Cathiſtemi* & *Cataſtaſis.* Eſt & Diætæ accuratæ & ad unguem obſervatæ epitheton apud Plutarch. *in præcept.* ὑγιεινοῖς. Jung. Dieter. *n.* 421. 422. Foëſ. *p.* 297.

CATHETER, καθετὴρ, *Catheterus*, Lang. *l.* 2. *ep.* 19. eſt fiſtula cannulave urinaria, cujus extremum aliquo linimento aut oleo illinimus, & ad removendam urinæ ſuppreſſionem virgæ immittimus, Galen. *ad Thraſybul. cap.* 23. Sive eſt inſtrumentum Chirurgicum cavum, & altera parte recurvum, quo urina retenta elicitur, & veſicæ vitia probantur; ἀπὸ τοῦ καθιέναι, id eſt, ab *immittendo*, ſive infundendo, quod eo inſtrumento injici ſolent, quæ injicere expediat, Galen. *l.* 5. *Meth. Med. c.* 5. *&* 7. Cæterum καθετὴρ ab Hippocrate non pro eo inſtrumento uſurpari voluit Galenus *in expoſ. voc. Hipp.* ſed pro linimento torto, quod intra ulcera inditur, *l.* 2. *de Morb. Mul. XLVI.* 8. 9. ubi quidem monet Foëſius legi in ſuo codice, non καθετῆρα, ſed καθετηρίῳ, atque forte ex hoc emendandum Galeni locum; verum ſibi conſtare potius Galenum putamus, ex ratione derivationis, quia verſatile linamentum vulneri immittitur, ſeu καθίηται, & res eodem recidit, ſive diminutum ſignificatum ſive integrum admittas. Helmont. pro ſuo adverſus Galen. & ejus ſectatores odio rejicit, ceu atrox atque cruentum, & alium *Catheteram* commodiorem ſe inveniſſe gloriatur ex corio vel aluta; *de Lithiaſ. c.* 7. *n.* 34. verum experientia confirmat etiam uſum catheteris e metallo facti innoxium, nec cruentum. Figuram cum uſu vide apud Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XVII. fig.* 7. *& XL. fig.* 6.

CATHETERISMUS, καθετηρισμὸς, eſt adminiſtrationis Chirurgicæ ratio, qua injicimus per *Catheterem* in veſicam id, quod ad ejus curationem convenit; vel eximimus id, quod urinam impedit, ne urina reddatur, ſive concretus intus ſit ſanguis, ſive calculus, ſive aliud quippiam, recto ſiphone immiſſo, quem Græci καθετῆρα vocant. Caſt. Æginet. *l.* 6. *c.* 59.

CATHIDRYSIS, καθίδρυσις, in *priſtinum locum repoſitio*

poſitio partis. Vide *Cataſtaſis.* Verbum καθιδρύσαι, *reponere*, legitur apud Hippocr. *Prorrhet. XXIIX.* 23. 28.

CATHIMIA, *Cathmia*, dicitur 1. *vena mineralis ſubterranea*, e qua effoditur aurum & argentum, juxta quoſdam metallifoſſores. 2. *Id, quod creſcit in fornacibus auri vel argenti.* 3. *aurum.* 4. *argenti ſpuma.* 5. *fumus adhærens parietibus*, dum æs uſtum fit. *Cathmia aſſidia*, id eſt, *Cadmia* argenti ſecundum colorem lithargyrii, id eſt, plumbi uſti. *Cathmia*, id eſt, auri, æris, argentive ſpuma. Dicitur & *Cathmia ferri*, Rul. *in Lex. Chym.*

CATHINNYMÆ, καθιννυμαι, ſignificat *deſideo*, inſideo, idem, quod καθίζομαι, Hipp. *l.* 2. *de Morb. Mul. XLIV.* 13. *LIII.* 2. *LXI.* 23. *XCI.* 4. *ſ.* 1. *de fract. t.* 17. quamvis vitioſe ibidem legatur καθίκνυσθαι.

CATHISTAMÆ, *Cathiſtemi*, καθίσταμαι, καθίστημι, multiplicem & variam habet ſignificationem apud Hippocrat. Interdum *conſiſtere* ſignificat, ac veluti firmari, *l.* 7. *Epid. XXIII.* 30. *l.* 4. *Epid. XXIII.* 1. Interdum *in proprium locum repono.* Vide *Cataſtaſis.* Galen. *c.* 3. *de fract. t.* 38. Interdum ſignificat *corpus præparo*, compono ad aliquod negotium, v. g. ad purgationem, *l.* 2. *de Morb. Mulier. XXIV.* 17. ad totam curationem, 2. *Prorrhet. XX.* 6. in integrum reſtituo, εἰς τὸ αὐτὸ, *d. l. XLII.* 8. *Coac. t.* 164. Interdum *ſubſideo*, detumeſco, v. gr. de tumoribus & tuberculis, 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 81. *l.* 7. *XXIII.* 3. De urinis ſubſidentibus ſæpiſſime, *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 26. *ſ.* 2. *t.* 31. & alibi. Vide Foeſ. *p.* 298. *ſeq.* Linden. *Ex. XVI.* §. 247. Interdum *ſedari* in paſſivo, v. g. de phthiſi, *l.* 5. *Epid.*

CATHIZESTHÆ, καθίζεσθαι, idem, quod καθιννυσθαι, & καθιδρυσθαι, deſidere, *in priſtinam ſedem collocare*, Hipp. 2. *de fract. t.* 58.

CATHODOS, κάθοδος, *deſcenſum* ſignificat. Uſurpat de diſpoſitione menſtrui ſanguinis ad excretionem in virginibus nubilibus & maturis viro, *l.* 1. *de morb. Virgin. II.* 2. & miror, quod Foeſ. *p.* 300. per regreſſum & reverſionem expoſuerit, nulla urgente ratione aut neceſſitate.

CATHOLCEUS, καθολκεὺς, appellatur *faſcia oblonga*, quæ capitis totum vinculum, quod περισκέπαστρον dicitur, continet, & prohibet, ne ipſum vinculum diducatur, Gal. *de faſciis.* Gorr.

CATHOLICUS, καθολικὸς, id eſt, *univerſalis*, item *panacea*, epitheton eſt quorundam medicamentorum, qua evacuantium, qua alterantium, hyperbolicum, quaſi ad omnia utilium. Vide *Panacea.* Ita in Diſpenſatoriis notum eſt Extractum *Catholicum*, ubi idem ſignificat, quod *Panchymagogum*, hoc eſt, omnes humores evacuans. Tale etiam tradidit Quercet. *in Pharmac. reſtit.* Inter alterantia quondam hoc titulo exornavit famoſus ille Franciſcus Joſephus Burrhus *Ceram* ſuam *Catholicam.* Imprimis vero Chymici Hermophili & Stibiophili hoc epitheto abutuntur. Huc pertinent Fr. Baſilii *Aſa*, & *Phalaja*, Paracelſi *Tinctura Phyſicorum*, quam *Catholicam Phyſicorum* propterea appellavit *Tr. Tinct. Phyſ. c.* 7. Similes *Panaceæ*, ſi Diis placet, ex Sublimato leguntur apud Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 30. ex oleo Antimonii & Mercurii conjunctim *l.* 8. *c.* 22. Quid vero hic ſentiat de *Medicina Univerſali*, quod ſcilicet ſit nomen ſine re, vid. *T. II. Oper. p.* 171. Conſentit Rolf. *in Chym.* Hodieque etiam humores vitales per totum corpus diffuſos & ſpiritus à Phyſiologis fluida catholica appellari receptum eſt, ſicut ex ſcriptis eorum conſtat.

CATHYGRÆNO, καθυγραίνω, *humectare*, madefacere ſignificat, & quidem de alvo. Uſurpatur ab Hippocr. 4. *aph.* 27. *Coac. t.* 19. 153. 281.

CATHYGROS, κάθυγρος, *exceſſive humidum* ſignificat. Legitur de utero vel matrice apud Hipp. 5. *aph.* 62. Vide Dieter. *n.* 423.

CATHYLOMANEO, καθυλομανέω, ſignificat proprie *frondibus & foliis abundare*, & *luxuriare*, idque de arboribus, quæ ſupervacuis frondibus luxuriando ſylveſcunt, dicitur. Tranſlatum vero ab Hippocr. ad mulieres, quarum natura ſæpe ita luxuriat, mature reſecanda, *in epiſt. ad Dionyſ.*

CATIAS, κατιὰς, dicitur *Scalper* vel *Scalpellus exciſorius*, ad exſcindendum fœtum mortuum, apud Æginet. *libr.* 6. *cap.* 74. Foeſius vult deductum à καθιέναι, immittere, *pag.* 327. Verum annon commodius derivaretur ab ἰάπτω, mitto, vel ἰὸς, telum, cum præpoſit. κατὰ, quæ deorſum vel in ſignificat?

CATILLÆNO, κατιλλαίνω, *diſtorqueo* ſignificat, Galen. 3. *in* 3. *Epid. t.* 32. unde κατειλλῶσαι φωναὶ, *voces diſtortæ.* Vide *Cateilumenos.*

CATINUS, *Catillus*, Græce τρύβλιον, τρυβλίδιον, παροψὶς, in genere ſignificat *paropſidem*, in qua cibi apponuntur. Denotat etiam aliquando *ollam* vel *trullam.* Apud Rulandum & Iohnſonum occurrunt *Catinus arenarius*, vulgo *Capella*, vel cinereus, hoc eſt, vas terreum in modum pilei rotundi, cum margine trium vel quatuor digitorum, ex terra tenaci factum; item *Catinus* vel *Catillus æreus*, *ferreus.* Dicitur & in neutro genere *Catinum* & *Catillum.* Illius ſignificationem aliam apud Paræum vide ſupra in *Caſtellum.* *Catinum* eſt etiam epitheton aluminis, quamvis non ſit alumen, ſed Sal Alkali. vide *Alumen.* De *Catillo cinereo* vulgo *Capella* legatur etiam Iunken *Lex. Ch. Ph. V. I. p.* 80. *ſeqq.*

CATISCHON, κατίσχων, *continens*, dicitur ſcil. *alvum*, cui opponitur ὁ βραχὺ καθαιρόμενος, qui celeriter purgatur, 6 *Epid. ſ.* 8. *t.* 33.

CAT' IXIN, κατ' ἴξιν, vide *Ixis.*

CATMA, *limatura auri* dicitur, Rul. & Iohnſ.

CATO, κάτω, in genere ſignificat *infra*, *deorſum.* Specialiter vero apud Hippocrat. denotat *ventrem inferiorem*, ſive *alvum*, quæ alias dicitur ἡ κάτω κοιλία, 4. *Epid. XX.* 16. Unde & purgationes per alvum dicuntur κάτω, quibus opponuntur ἄνω, per vomitum, 2. *aphor.* 7.

ſeqq. Jungatur Dieter. *num.* 451. Linden. *Ex. IV.* §. 12. quamvis alibi τὴν ἄνω κοιλίην ſignificare velit ventriculum ipſum, & τὴν κάτω in ſpecie inteſtinum colum in loco Hippocr. 3. *de morb. XV.* 2. Vid. Linden. *d.loc.*§.26. *& Ex. VII.* §. 69. an vero adeo certa ſit hæc conjectura, alii videant. Quid enim obſtat, quo minus per τὰ κάτω omnia inteſtina, & præſertim craſſa, intelligantur?

CATOBLECTA *animalia* dicuntur odorifero Zibethi unguine turgida, apud Lang. *l.* 1. *Ep.* 63. Vide *Zibetum.*

CATOBLEPAS, aut CATOBLEPON, κατωβλέπων dicitur fera apud Æthiopes ad fontem Nigris dictum, cujus deſcriptio habetur apud Plinium *l.* 8. *H. N. c.* 21. & ſolo aſpectu homines inſtar Baſiliſci interimere legitur. Nomen hoc obtinuit propter capitis gravitatem, ut oculos ſemper in terram dejiciat. Meminit & F. Zachias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 7. *tit.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 3.

CATOCHE, qui & *Catochus*, κατοχὴ, κάτοχος, vigilans ſopor eſt, Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 5. eſtque ſolius cerebri affectus, veluti & per totum corpus convulſiones *c.* 3. *in* 1. *prorrh. t.* 69. Aliter: eſt in ſomnum, ſed ſine ſomno & febre, propenſio, per quam & oculi manent aperti, & ſervatur ſecundum naturam ſpiratio. Eo qui detinentur, κάτοχοι & κατεχόμενοι dicti ſunt. Habent autem tenſos apertoſque oculos, non ut Comatoſi & Cataphorici, clauſos. In his ſiquidem humiditas affectionis cauſſa eſt, nervorum firmitatem roburque diſſolvens; in illis vero propter ſiccitatem tenſio oritur, Galen. *c.* 2. *in* 1. *prorrh. t.* 56. Hæc Caſtellus. Vide *Catalepſis.* Eſt quoque *Catochus*, κάτοχος, faſcia longior, quæ in orbem faciei & capiti circumdatur, ut operculum comprehendat, *l. de faſc.* Alias & generaliter κατεχόμενα dicuntur, *quæ retinentur*, v. g. urinæ, apud Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 25.

CATOCHEILON, κατώχειλον, *labium inferius.* Vid. *Anocheilon.*

CATOCHITES, (haud dubie à κατέχω, detineo, vel κάτοχος. Perperam igitur apud Ruland. & Iohnſon. *Cathochites* ſcriptum occurrit) κατοχίτης, Corſicæ lapis eſt, cæteris major, mirabilis, ſi vera traduntur, impoſitam manum, veluti gummi, retinens, Plin. *l.*37.*H.N. c.* 10. Veluti magnes ferrum, ſagda lignum, gagates, & ſuccinum paleas attrahunt & retinent: ſic *Catochites* carnes & manus retinet innato gummi ſeu glutino lentiſſimo. Rul. *in Lex.*

CATOECIDIUS, κατοικίδιος, h. e. *familiaris, domeſticus*, paratu facilis. Uſurpatur ab Hippocr. de extenſionibus corporis promtis & expeditis, 4. *de artic. t.* 62.

CATOMISMUS, κατωμισμὸς, *ſubhumeratio*, à verbo κατωμίζω, *ſubhumero*, humerum ſuppono, vel in humerum ſuſtollo, eſt in humeros ſublatio, & reſtituendi articulum alterius humeri in priſtinum locum modus, apud Hippocr. 1. *de artic. t.* 13.

CATOPIN, κάτοπιν, ſignificat *retro, pone, poſt.* Hipp. *l.* 1. *de Morb. Mulier. XXVI.* 30. *& l.* 2. *XXXIII.* 22.

CATOPTER, κατοπτὴρ, vide *Speculum. Dioptra.* Galenus *Exeg.* ſpeciatim ita dici monet inſtrumentum pro diſtendendo ano, ſicut dioptera divaricatorem vulvæ.

CATORCHITES, κατορχίτης, vide *Sycites.*

CATOTERICA, κατωτερικά, dicuntur medicamenta *dejectoria*, quæ & ὑπήλατα vocantur, quibus renes, veſica & gibba hepatis cum multo vitioſo ſucco ſunt referta, expurgantur, Gal. 7. *M. M.* 13. Uno verbo: Purgantia per alvum, Hippocr. 5. *Epid. X.* 15. Linden. *Ex. VI.* §. 69. *Ex. XII.* §. 49. 52.

CATOXYS, κάτοξυς, *peracutus*, dicitur de morbo acuto in comparativo, per ſuperlativo gradu, qui celerius & majori cum periculo movetur, quam acuti ſimpliciter, & in quo ſtatim ſymptomata ſumma ſunt omnia, Hipp. 1. *aph.*7. Vid. Com. Gal. *ad h. l.* Foëſ. *p.*327. Dieter. *n.* 450.

CATULASTER, βούπαις, eſt ætatis nomen, ſignificatque juvenculum, adoleſcentem, magnum puerum, qui ea ætate eſt, qua catulire incipit, hoc eſt, oſtendere ſe velle maritari, ut Varro interpretatur, *l.* 2. *de re ruſtic. c.* 9. Lind. *Ex. XIII.* §. 63. *ſeqq.*

CATUS, *Felis*, αἴλουρος, γαλεώτης, animal eſt notiſſimum, libidinoſum, viſu acutum, qua *Domeſticus*, qua *Sylveſtris*, ſive ferus. Utriuſque deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 3. *de quadr. digit. vivipar. cap.* 10. *ſeqq.* Olim hodieque à quibuſdam populis carnem illius puta domeſtici in cibum veniſſe teſtantur Bruyerinus *l.* 13. *de re cibar. c.* 36. & Iohnſton. *Synt. Med. Hygien. l.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *punct.* 2. verum nos abhorremus. Quem uſum Medicum præbeant, legatur apud Schröder. *l.* 2. *cl.* 1. *n.* 15. & Hofmann. *in Clav. ad hunc loc.* ubi etiam mentio ſit *cati* cujuſdam peregrini *Zibethini*, *Civetta* dicti. Rhod. *ad Scribon. n.* 38. qui in Indiis & Regno Peruano magna copia reperitur, qui liquorem fragrantiſſimum concretum excrementitium inter teſticulos collectum in utriculis offert; qui dicitur Officin. *Zibethum.* Plura *d. l.* legantur. Jungatur & Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 22.

CAVATUS, κοιλωθεὶς, à verbo *Cavo*, pro *Excavatus.* Uſus eſt de ſcalpro medicinali Scribon. Larg. *n.* 53.

CAVA *vena*, vide *Vena.*

CAUCALOIDES, καυκαλοειδὲς, eſt epitheton molæ, ſive patellæ, quam per periphraſin appellavit καυκαλοειδὲς ἄνθος, i. e. *caucali flori ſimile* Os. Moſchion. *de morb. mul. c.* 91.

CAUDA, κόκκυξ, οὐρὰ, κέρκος, quid communiter ſignificet, omnibus notum eſt. In Anatomicis dicitur extremitas ſpinæ, vel potius oſſis ſacri, quæ & *cuculus*, οὐροπύγιον, vel ὀῤῥοπύγιον dicitur, item *Os coccygis*, ex tribus vel quatuor oſſibus & duabus cartilaginibus conſtans, quamvis aliquando excreverit etiam in hominibus, quemadmodum & in brutis quampluribus ordinarie, ut numerus oſſium & cartilaginum haud dubie

major

major fuerit, notante Barthol. *libell.* 4. *de Oſſib. t.* 104. Carnes *caudarum* in brutis duriores & crudiores eſſe, ſtatuit Galen. *de bon. & mal. ſucc. cib. c.* 6. Porro etiam *Clitoris* vel *Mentula muliebris*, præſertim ſi præternaturali magnitudine peccaverit, *caudæ* nomine venit, teſte Walthero *Sylv. med. p.* 1036. *ſeq.* Spagyrici ænigmatice *Caudam Draconis*, (quo nomine alias Aſtrologis venit interſectio Viæ Lunæ & Viæ Solis in Zodiaco alterutra) vocant in præparatione Lapidis Philoſophici duo ſpermata, aut Aquam Mercurialem, *Th. Chym. Volum. III. p.* 26. 29. *de Alchym. incert. auth. cap.* 27. & 31. Lagneus *Harmon. Chym. cap.* 8. *Vol. IV. p.* 766. Plura vide apud Libav. *tr. de Igne natur. c.* 31. & *in Apocal. Hermet. proœm.* & *in Exam. Philoſoph. vivent. ſect.* 35. Paracelſ. in microcoſmo quoque *caudam Draconis* myſticam latere, quemadmodum & alia phœnomena Aſtralia, docet *tr. Paragran. tr.* 2. *de Aſtronomia. Cauda vulpis rubicundi* etiam dicitur *Minium ex plumbo*, Rul. *in Lex.*

CAUDATIO vocatur Blaſio *Med. Univ. p. m.* 334. prolongatio Clitoridis, quam etiam *caudæ* nomine exprimi p. a. diximus.

CAVERNA, ἄντρον, idem, quod *Cavitas*, *Fovea*. Accipitur aliquando de partibus naturalibus. Unde & Os ſupra naſi radicem occurrens *cribriforme*, ἠθμοειδὴς, dictum, *cavernoſum*, πολύτρητον dicitur, Galen. *l.* 8. *de V. P. c.* 7. & *Penis coles* Latinis vocatur *cavernoſus nervus*, qui Græcis σομφώδης νεῦρον, *in* 6. *Epid. t.* 2. aliquando de præternaturali conſtitutione. Ita de dentibus exeſis *cavernam* uſurpavit Scrib. Larg. *n.* 95. De *cavernis* Helvetiis vid. Joh. Jac. Wagneri *Hiſtoria Helvetiæ Curioſa Sect. II. artic.* 8. *p.* 36. *ſeqq.*

CAVICULA, ſive *Cavilla*, idem, quod *Malleolus* pedis, ſive *Roſcetta*, & occurrit apud Foreſt. *l.* 6. *Chirurg. Obſ.* 57. vide *Raſceta. Cavillam* vocari Halyabbati os cuneiforme notavit Schneider. *de Catarrh. ſect.* 2. *c.* 2.

CAVILLATIO, σόφισμα, ἀπάτη, παρεγχείρησις, eſt ratio ſubdola, ſimilitudinem quandam cum veris rationibus habens, quam quis, mendacii ſibi conſcius licet, vincendi tamen cauſſa, profert. Sane prægnans vitium, & quo vix aliud Medicum dedecet magis, Galen. *l.* 9. *de Hippocr. & Plat decr. c.* 7. Lind. *Ex. X.* §. 266.

CAVITAS, κοιλότης, τὸ κοῖλον, quid in genere ſignificet, neminem Latina vel Græca callentem latere poteſt. In Phyſiologicis & Pathologicis conſtituit ſpeciem aliquam organicæ conformationis vel integræ, vel vitiatæ. Unde morbi in *cavitatibus* dicuntur τῶν κοιλοτήτων, *de diff. morb. c.* 15. Vid. & Galen. *de Oſſib. c.* 12. & *c.* 3. *de artic. c.* 7. Quod vocabul. Græc. κοιλία etiam ſignificet aliquando omnem cavitatem, uti vult Erotianus & Dieterich. *n.* 468. nondum mihi poſſum perſuadere cum Foëſ. *p.* 345. Sane nulla neceſſitas urget *aph.* 20. *ſ.* 6. ita generaliter exponere.

CAULEDON, *Caulatim*, καυληδὸν, hoc eſt, *caulis in morem facta fractura*, eſt ſpecies fracti oſſis, quæ fit per tranſverſim, in qua fracti oſſis partes ita à ſe diſſident, ut e directo non jaceant, Galen. *l.* 6. *M. M. c.* 5. P. Ægineta autor eſt, τὸ καυληδὸν κάταγμα dici etiam ῥαφανηδὸν, & σικυηδὸν, à ſimilitudine fractæ radiculæ & cucumeris.

CAULIAS, καυλίας, eſt epitheton Laſeris, ſive liquoris ex caule ſilphii, plantæ illius Syriacæ, præſertim Cyrenaicæ collectus, quemadmodum ille, qui ex radice inciſa colligitur, *Rhizias*, ῥιζίας, dicebatur, Lang. *l.* 1. *ep.* 62. qui ſuavem odorem & fragrantem ei tribuit, quod quomodo cum Aſa fœtida, quæ ſuccus Silphii vel Laſeris Syriaci dicitur apud Schröder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 172. ingratiſſimum & inſuetis vix tolerandum odorem ſpirante quadret, non video. An fortaſſis Langius Ironice exponendus? quamvis & Indiarum incolis Javanis ac Malajis gratiſſimum ſit odoramentum, & ſuaviſſimum condimentum, teſte Jac. Bontio *de Medic. Indor.* & Fr. Hofmann. *in clav. ad d. Schröd. l.*

CAULIS, καυλὸς, ſignificat (1) *caulem* ſive ſcapum plantarum, Galen. *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 70. & in ſpecie κατ' ἐξοχὴν, *caulem* laſeris vel ſilphii, apud Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 34. (2) *Penem* ſive membrum virile, Gal. *libr.* 14. *de V. P. c.* 12. unde & fortaſſis Latinum *Coles*. (3) *Collum uteri*, Sinum muliebrem, veluti vaginam penis, C. Hofm. *de V. P. n.* 963. ex Ariſt. *libr. H. A. c.* 2. quamvis Linden. haud inepte conjectandum proponat, annon potius αὐλὸς ibi legendum ſit? *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 7. *art.* 14. §. 130.

CAULOTON, καυλωτὸν, quod in *caulem* excreſcit. Epitheton Betæ, Linden. *Ex. XVI.* §. 171.

CAUMA, καῦμα, *ardor*, æſtus, vide *Æſtus. Catacauma.*

CAUNIACE, καυνιακὴ, epitheton medicamenti externi, apud Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 15.

CAURUS, λιυκόνοτος, eſt nomen venti, & quidem *Auſtri*, ſi ſiccior & frigidior fuerit, Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 3.

CAUSA, *Cauſſa*, αἰτία, αἴτιον, in Medicina tantum pro efficiente accipi ſolet cum ſanitatis, tum morborum. Ejus differentias varias vide *in Dogm. noſtr. P.* 1. *c.* 5. P. 11. *cap.* 7. Charlton. *Ex. Pathol. IV.* Rolfink. *O. & M. Com. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 2. & alios, præſertim Inſtitutioniſtas. Galen. *cauſſam morbi* in genere deſcripſit per id, quo præſente afficimur, & quo ſublato ſtatim ceſſat affectus, *l. de L. A. c.* 2. aut, quod ei, qui fit, morbo aliquam generationis partem tribuit. Receptiſſima diviſio eſt in *Procatarcticas*, προκαταρκτικὰς, *Antecedentem*, προηγουμένην, & *proximam* ſive *continentem*, quam cum morbo confundit Linden. *Ex. VIII.* §. 69. 71. Vocabul. *cauſæ* aliquando pro ipſo vitio accipi, teſtatur Rhod. *ad Scribon. Larg. n.* 228. Unde & verbale *cauſatio* noxam denotat, *ibidem. Cauſarum* diviſionem perperam cavillatur Paracelſ. *Paragran. Tr.* 2. *de Aſtron.* item *Tract. de Podagra*, unicam ſubſtituens *cauſſam*, *Magicam Anaſtromiam*, *tr. de morb. caduc.* Nugæ.

CAUSIS, καῦσις, vide *Uſtio.*

CAUSODES, καυσώδης, vide *Cauſus.* Qui *febrem ardentem*,

dentem, καυσώδη πυρετὸν, à *Cauſo* diſtinguunt, præter neceſſitatem λεπτολογεῖ.

CAUSOMA, καύσωμα, idem, quod καῦμα πύρωσις, *ardor*, inflammatio. Gorr.

CAUSTICUS, καυστικὸς, *urens*, vel *vim urendi habens*, vel dicitur de medicamentis, quæ vehementer calida ſunt, & conſiſtentia craſſa, quæque ignis inſtar corpus colliquant, & ſæpe eſcharas, hoc eſt, cruſtas, ritu cauterii, ſcilicet actualis, efficiunt, Galen. *l.* 5. *de Simpl. Fac. c.* 15. quo circa & ἐσχαρωτικὰ appellantur. Eorum materia ſunt, Lixivium, Calx viva, Auripigmentum, Sandaracha, Chalcitis, & id genus alia, quæ multis ſalinis acerrimis, lixivioſis, fixis tamen, abundant. Quomodo *cauſtica* operentur in corpus vivum & mortuum, vid. apud Helmont. *tract. Ignot. hoſp. morb. n.* 76. 77. & *tr. Poteſt. medicam. n.* 60. vel dicitur de affectione corporis urente, quæ reſultat ex febre ardente, Hippocr. 1. *prorrhet. ſ.* 2. *t.* 36. item de cauſſis externis, quarum virtus eſt, morbum & acutum, & periculoſum, & velocis judicationis reddere, *t.* 60. Vid. Galen. *ad h. l.*

CAUSUS, καῦσος, aliis eſt καύσων, quod & Paracelſus retinuit, *l.* 10. *Paragr.* §. 3. & Linden. *Ex. XVII.* §. 198. id eſt, *febris ardens*, quæ eſt ſpecies febris continuæ acutæ, cum æſtu vehementiori, aliiſque ſymptomatibus, inſigniorem ſanguinis phlogoſin & incendium arguentibus, proveniens à ſanguinis ſulphureis portionibus abundantis per cauſſas externas inducta effervefcentia, accenſione & caloris intenſiſſimi per totum corpus diffuſione; niſi ſumma malignitas adfuerit, in quo caſu extrema frigere ſolent, *ex.* 4. *aph.* 48. Linden. *Ex. VIII.* §. 47. Vocantur hæ febres & πυρετοὶ καυσώδεις, 4. *aph.* 54. Paracelſ. nomine etiam *Flammulæ* comprehendit *in Fragm. Medic.* Plura de hac febre, hocque nomine καῦσος apud Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 1. *ſeq.* Foëſ. *in Oec. p.* 329. Dieter. *n.* 453. C. Hofmann. *de febrib. c.* 52. (ubi rationem quoque reddit veræ pronuntiationis per *cav*, non per *cau*, quam de verbo ad verbum excerpſit, quemadmodum alia quoque bene multa, Franc. Pienſ. *de febb. tract. ſpec. c.* 6. *p. m.* 79.) Thom. Williſ. *de febb. c.* 11. qui, meo quidem conto, ſi rem metiri liceret, optime hanc doctrinam expoſuiſſe mihi videtur. *Cauſus* quoque eſt epitheton viperæ, vel ſerpentis marini, magnitudine cubitali, qui alias & *Dipſas*, item *Preſter* vocatur, uti deſcripſit ex Aëtio Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 12. *in Schol.*

CAUTELA, *Cautio*, εὐλάβεια, προφυλακὴ, uſitatum Medicis eſt vocabulum, quando ad evitandam aliquam graviorem noxam aut errorem aliquid præcipitur, aut manifeſtatur, aut prohibetur, Galen. *de ſubfig. Empir. c.* 1. Foreſt. *l.* 2. *Obſ.* 10. & 21. *in Scholiis*, Heurn. *paſſim in not. ad aphor. Hippocr.* Hujuſmodi *Cautelas & Cautiones* plures reperies etiam in Not. Rhodii *ad Scribon. Larg.* Videatur ſaltem Index poſterior Rhodii, *h. t.* Et Lud. Septalius *Animadverſiones & Cautiones Medicas* edidit, quas etiam Joh. Rhodius notis illuſtravit. In ſpecie *Cautela* Rulando & Iohnſono dicitur in arte Spagyrica habitu comparata quædam induſtria, qua facilius obeunt ſuas operationes, ac perficiunt artis hujus profeſſores.

CAUTERIUM, *Cauter*, καυτὴρ, καυτήριον, eſt, quod urendi vim habet. Uſurpatur tam pro medicamento, quod poteſtate urit, quam pro ferro candente, cujus uſus plerumque neceſſarius eſt, vel ab ſiſtendum ſanguinis profluvium, undecunque manaverit, vel ad intercipiendas defluxiones, vel ad oſſa carioſa, & maligna ulcera. Id ferrum καυτῆρα Hippocrat. appellavit. (*l. de hæmorrhoid. V.* 2. quod perperam *in edit. Linden.* per *Clyſterem* in Latin. verſum eſt.) Erat autem, ut ſcribit Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* æreus calamus perforatus in fundo, per quem parvum ferrum, adurens demiſſum adurebat. Hæc Caſtellus ex Gorræo: Clarius: *Cauterium* duplex eſt: Aliud dicitur *Actuale*, aliud *Potentiale.* Illud fit igne vel materia quadam ignita, quæ varia eſſe poteſt, inter quas tamen ferrum candens reliquis palmam præripit uſus frequentia. Figura vero, forma, & magnitudo hujuſmodi ferramentorum variat pro diverſitate partis applicandæ, de quibus conſulantur Chirurgiæ Doctores, præſertim Hier. Fabr. ab Aquapend. *in Operat. Chirurg.* & M. Aurel. Severinus *in Chirurgia ſua efficaci*, Petrus Paulus Magnus, Chirurgus quondam Romanus in eleganti tractatu Italico de *Cauteriis*, Scultet. *Arm. Chirurg. Tab. LV.* aliique plures. Hoc fit medicamentis Cauſticis, ſive vim colliquandi partes ſolidas molliores habentibus, quorum etiam formulæ variæ extant, lapidis, olei, ſpiritus, butyri, lixivii, inter quas tamen lapis corroſivus ex lixivio paratus, facile primas tenet. Jung. Paræus *l.* 25. *c.* 32. ubi quædam *Cauteria potentialia* vocat *Serica*, vel *Holoſerica*, vel quod ſine dolore operentur, vel quod carius emerit Autor à quodam Chymiſta. Rulandus & Iohnſon. hanc diviſionem ita propoſuerunt. *Cauterium*, *Kautir*, eſt inſtrumentum Chirurgorum, quo aperiunt cutem & carnes exuſtionibus in putridis & ulceribus obnoxiis locis. Eſt etiam medicamentum ſimplex corroſivum, quo cutis abſque dolore fricatur. Plura de *Cauteriis* vide apud Fallop. *tr. de Cauteriis Tom. I. Oper. p.* 534. *ſeq.* Peculiaris noxæ & detrimenti ex cauterio ſub genu ante purgationem facto, ita ut locus cauteriſatus cancroſus factus ſit, meminit Lanfrancus *Tract.* 3. *doctr.* 3. *c.* 18. Rolfink. *O. ac M. Com. l.* 4. *ſect. V. part.* 1. *c.* 1. *ſeq.* Scribon. Larg. hujuſmodi *Medicamenta Cauſtica & Eſcharotica* vocavit *Quaſi Cauterium*, *n.* 114. 240. Utrum præferendum ſit, num *actuale*, an *potentiale?* non eſt hujus loci dirimere. Peculiaris *Cauterii potentialis* meminit Libavius parati ex affuſa aqua forti, vel ſpiritu ſulphuris in liquorem ferri, *Syntagm. lib.* 6. *cap.* 1. Aliud produxit *l.* 8. *c.* 38. Helmontii invectiva gravis in *cauteria* irrita tranſeat, *de Lithiaſ. c.* 15. *n.* 12.

CAVUS, *va*, *vum*, κοῖλος, λη, λον, *Concavus*, dicitur de omni eo, quod *cavitatem* aliquam habet, ſive naturalem,

ralem, ſive præternaturalem. In ſpecie vero κοῖλα; aliis κῦλα, h. e. *Cava*, dicuntur eæ oculorum *cavitates*, quæ in palpebris, qua ſuperioribus, quæ inferioribus (quæ tamen quandoque ſpecialiter ὑπόκοιλα, quaſi ſubcava dicuntur) occurrunt, in morbis vero chronicis & à cruditate obortis, ut cachexiis, diuturnis hæmorrhoidibus, longis mulierum profluviis, & inchoantibus ophthalmiis, intumeſcere per flatulentiam quandam ſolent, qui tumor per verbum Gr. κοιλοιδιᾷν indigitatur. Meminit hujus quoque tumoris Hippocr. 2. *de Morb. XLV.* 7. Sunt &, qui *cava*, τὰ κοῖλα, interpretantur oculorum *cavitates* & utraque naſi parte cernuntur, quæ tamen κανθοὶ dicuntur. Κοῖλον quoque vocari, ſive *cavam* illam in ima pedis planta *cavitatem*, quæ ſuſpenſis tarſi oſſibus efficitur, poſt calcem, quam πέδιον & *planum pedis* ſequitur, quod ςῆθος ποδὸς, i. e. *pectus pedis* dicitur, conſtat ex Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXI.* 3. & Galeno *c.* 3. *de artic. t.* 92. Jungatur Foëſ. *Oec. p.* 343. *ſeq.*

CEASMA, κέασμα, *fiſſura*, fragmentum, à verbo κεάζω, *findo*, divido, quod legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de Morb. Mul. XXXIV.* 10. *XLIII.* 4.

CEBI gallinæ, epar torrefactum. Paul. Bagell. *de morb. puer.*

CEBUS, κῆβος, *Cephus*, κῆφος, animal eſt e ſimiarum genere, caudam habens, & ancipiti natura partim hominem, partim quadrupedem beſtiam imitatur, Ariſt. *lib.* 2. *H. A. c.* 9. Dicitur *Cercopithecus*, de quo plura legantur apud Aldrovand. *l.* 2. *de quadr. vivip. digit. c.* 6. Muſculos temporales exiles & debiles ei tribuit, ſimiles homini & lynci, Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 2. *Cercopitheci* Indici inuſitatæ formæ Anatomen deſcriptam vide *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 36. *p.* 67. *ſeqq.* & alterius *Vol. II. obſ.* 9. *p.* 13.

CECHYNOS, κεχυνὼς, *hians*, dicitur de brutis & hominibus, os apertum habentibus, ſive ore *hiantibus*. Imprimis tribuitur piſci Aſello tale os, uti videre eſt apud Lind. *Ex. XI.* §. 61.

CECIS, κηκὶς, vide *Cicis*.

CECRYPHALOS, & *Cecryphalon*, κεκρύφαλος, & τὸ κεκρύφαλον, *Reticulum*, dicitur, quo mulierum crines continentur & religantur. Dicitur & κεφαλοδέσμιον, item κορκύφαντον. Meminit Hipp. *de Steril. XI.* 6. 8. *&* *de Superfœt. X.* 6. 8. Ob ſimilitudinem quoque *Reticulum*, κεκρύφαλος, dicitur quadrupedum ruminantium una maxilla dentatorum ventriculus peculiaris, qui Omaſum præcedit. Ariſt. *l.* 2. *de H. A. c.* 17. Barth. *l.* 1. *An. c.* 9.

CEDMA, κέδμα, diuturna dicitur ad articulos defluxio, præcipue in coxendicem, Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 22. Gal. *in com.* Proſper. Martian. κέδματα quartam ſpeciem Arthritidis conſtituit. Vide *Arthritis*. Quibuſdam vero ea quoque, quæ partes genitales occupat, κέδμα vocatur, Foëſ. *in Oec. p.* 331. Keuchen. *ad Seren. p.* 280. Uſus eſt hac voce etiam Hippocr. aliis in locis, v. g. *l. de A. L. & A. L.* 1. *LII.* 1. *l. de Loc.* 1. *n. Hom. XIX.* 1. 3. *l.* 1. *de Morb. III.* 11. *& l.* 7. *Epid. LVIII.* 12. Hinc κεδματώδεα apud Erotianum.

CEDRELÆUM, κεδρέλαιον, *oleum Cedri*, vide *Cedria*.

CEDRIA, *Cedrium*, *Cedrinum*, κέδρια, κέδριον, κέδρινον, plerumque indifferenter accipiuntur, cum pro *oleo*, quod e *Cedro* naſcitur, tum pro pice vel *reſina Cedri*, e magna *Cedro*, quæ κεδρελάτη vocatur, emanans, quæ nihil aliud eſt, quam cruda *Cedri lachryma*. Illud habetur liquidius, hæc ſolidior. *Cedrini* meminit Hippocr. *lib.* 2. *de Nat. Mulier. XXIX.* 81. *&* 141. *l.* 1. *de Morb. Mulier. CXI.* 13. Jungatur Foëſ. *d. loc.* *Cedrinum* pro *Cedria* etiam accipi, patet ex Galen. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 3. collato *cum l.* 2. *c.* 1. *Cedriæ* quoque mentionem fecit Scribon. Larg. *n.* 58. & 267. ad quæ loca vide notas Rhodii. *Cedria*, Gummi *Cedri*, Rul. *in Lex. Cedrinus* etiam dicitur de Morbis; ſed quinam illi ſint, non exponit, *l.* 1. *Paramir. de orig. morb. ex trib. primis ſubſt. c.* 6.

CEDVE, idem, quod *Aer*, Rul. *in Lex.*

CEDVRINI, legitur apud Paracelſ. *de vit. long. l.* 5. *c.* 5. quamvis non certo conſtet, quid hoc vocabulo velit intellectum.

CEIMELION, κειμήλιον, eſt pretioſa ſupellex recondita, aut opes reconditæ. Uſus Hipp. metaphorice de imperitia dicens, quod ſit malus theſaurus, & κακὸν κειμήλιον, malæ opes reconditæ, *in Lege III.* 6.

CEIMENON, κείμενον, *quod reponitur*. Dicitur de urina, quæ in matula reponitur ad judicium, ut ſubſideat, Hippocr. *l.* 1. *Epid. ægr.* 2. *&* 4. *&* 5. *l.* 3. *ægr.* 2. Aliquando tamen & de faucibus non inflammatis uſus eſt, φάρυγξ ὂ φλεγμαίνουσα, κειμένη δὲ, quomodo id exponi debeat, non adeo certo conſtat. Mihi videtur potius de *uvula* ſive columella commode poſſe intelligi, quæ ſubſidet, etiamſi non fuerit inflammata. Valleſius *in comment. ad h. l. nimir. l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *t.* 28. metaphorice exponit pro faucibus afflictis, compreſſis, male habentibus. Cum interpretes in multos & varios ſenſus abeant, quemlibet ſuo abundare ſenſu permittimus.

CEIRIÆ, κειρίαι, *lumbrici lati*, Galen. *libr.* 4. *M. M. cap.* 17. Vide *Helminthes*.

CELATUS, epitheton aëris, qui vere ita dicitur, cum veluti in puteo quodam inter magnorum ædificiorum anguſtias & ſublimiorum murorum undique includitur, ut nec à ſole illuſtretur, nec à ventis perfletur, hinc craſſus, obſcurus & inſaluberrimus habetur, P. Zacch. *Quæſt. Medico-Leg. l. X. conſil.* 20. §. 6.

CELE, κήλη, id eſt, *Hernia*, ramex. Vernacule per *Rupturam* exprimitur. Vide *Hernia*.

CELEFOLI, eſt materia mucilaginoſa de ſtellis, & ingreditur compoſitionem Spermioli Paracelſ. *de ulcer. & apoſtem. c.* 5. quamvis in vernaculo eodem libro legatur *Cerefolii*. *Celefol* Paracelſ. *de Ulceribus cap.* 5. Vide *Cœlifolium*.

CELER, ταχὺς, dicitur, qui brevi tempore motum

ſuum perficit, v. g. Pulſus *celer*, Galen. *l.* 2. *de dign. pulſ. c.* 1. aut cum brevi tempore arteria diſtenditur, *lib.* 1. *de diff. pulſ. c.* 7. Medicamentum celeres effectus habens, Scribon. L. *n.* 28. *Celeris* perfuſio, Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 50. quamvis Galen. *in comm.* exiſtimet, ibi potius πυκνὴν, *frequentem*, intelligi, cum ſæpe *celer* cum frequente confundatur. Enimvero frequentia præſupponit *celeritatem*. *Celeres* excretiones, 2.*aph.*18. Adde Dieter. *n.* 816.

CELERITAS, τάχος, Galen. *l.* 2. *de dign. pulſ. c.* 1. Eſt proprietas motus, *l.* 3. *de diff. reſp. c.* 3. Cui opponitur βραδύτης, *tarditas*. Infinita *celeritas*, Scribon. *n.* 221. Dicitur & *Velocitas*.

CELERITER, ταχέως, τάχα, ἐν τάχει, *cito*. Jungitur cum adverb. ἀθρόως, Hippocr. 2. *aph.* 18. Jung. Dieter. *n.* 816. *Cito* vel *celeriter* ſaneſcere legitur *lib.* 1. *de Morb. Mulier. XCII.* 14. & *celeriter* curam adhibere, *ibid.* 15. Ulcera *cito* putreſcere, cito augeri, *ibid.* 16. *Celeriter* & cito ſputum exſcreare, 2. *prognoſt. t.* 43. *Cito* & *celeriter* mori, *l.* 3. *de Morb. IV.* 11. Jung. Foëſ. *p.* 612. *Celerius* etiam pro celeriter, Scrib. *n.* 46. 106. *Celerrime*, *n.* 128.

CELIS, κηλὶς, i. e. *Macula*, idem, quod σπῖλος, vide *Macula*.

CELLÆ vocabantur partes Balnei, teſtudinis inſtructæ & concameratæ, cum ad ſudationem, tum ad lavacrum deſtinatæ. Fumanell. *de Baln. in princip.*

CELLO, κέλλω, i. e. *moveo*, Linden. *Ex. XI.* §. 38.

CELLULÆ vocantur in Inteſtino colo ſpatia illa & cavitates, in quibus ſtercora aliquandiu morantur, quarum deſcriptionem & delineationem vide apud Barthol. *Anat. l.* 1. *c.* 11. *p.* 91. 94.

CELONEUM, κηλώνειον, inſtrumentum eſt mechanicum, quod ſurſum deorſumque tollitur, more oſcilli, & alternis hinc inde ſuſcipit & deſpicit, Turneb. 6. *Adverſ.* 18. Hujus ſimilitudinem quandam habent, ideoque idem nomen occuparunt inſtrumenta illa hodie architectis uſitata, quibus lapides & alia tollunt, motu rotæ, quam unus & alter bajulus calcando circumagit. Habent enim ſuperius quaſi collum quoddam oblongum; verum, quod non eſt mobile, ut in illis veterum κηλωνήεις, qualia fere ſunt in puteis villaticis. Talia inſtrumenta dicuntur alias *Grues*, *Ciconiæ*, *Tollones*, vel *Tollenones*. Meminit hujus vocabuli Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 7. Jungatur C. Hofm. *in Comm. n.* 250.

CELOTOMIA, κηλοτομία, id eſt, *Herniæ ſectio*. Legitur *in Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. III. Obſ.* 95.

CELSA, muſculus vitæ, pulſus per ſingulas partes corporis oberrans. **Das ferg.** Rul. *in Lex.* Sed Paracelſus inter affectus cutaneos refert, annumerans *Teſtudinibus*, *l. de ulc. & apoſtem. c.* 31. & provenire e ſale accidentali coagulato. Eſt flatus vel vapor, vel ſpiritus quidam ſpurius & ſylveſtris, ſub corporis integumentis deliteſcens, & exitum motu ſuo quærens.

CEMENTATIO, *Cementum*, vide *Cæmentatio*.

CENCHRAMIS, κεγχραμὶς, *granum in ficu* dicitur vel carica, quod milii granum & magnitudine, & colore, & figura referat. Uſus Hipp. *l. de nat. mul. CV.* 12. Gal. *l.* 1. *de S. Fac.* tit. *Meſpilum*.

CENCHRIAS, κεγχρίας, (à κέγχρος, quod *milium* ſignificat) vel eſt epitheton *Herpetis*, qui propterea *Herpes miliaris* dicitur, Galen. *l.* 14. *M. M. c.* 17. Vide *Herpes*. Vel epitheton eſt *ſerpentis*, qui & *Cenchrites* & *Cenchruis* dicitur, & *Acontias*, ἀκοντὶας, eſtque magnitudine duorum cubitorum, figura craſſa in tenuem abeunte, colore viridi maxime juxta alvum, ut milium colore referat, unde nominis ratio. De ejus natura, morſu & nocumentis, vide Aëtium *l.* 13. *c.* 27. Æginet. *l.* 5. *cap.* 18. qui κέγχρινον vocat, Foreſt. *l.* 30. *Obſerv.* 12. *Schol.* Aldrov. *l.* 1. *de ſerp. & drac. c.* 12. & 13. Vide *jaculus*. Mentionem quoque facit *Cenchritarum avium* ex Oppiano Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 18. & inter anſeres feros refert, qui laqueis & retibus capiuntur.

CENCHRIS, κέγχρις, vide *Tinnunculus*.

CENEANGIA, κενεαγγεία, proprie & primum *vaſorum inanitionem* ſignificat, atque ob id aſitia, id eſt, ciborum abſtinentia, κεναγγεία, id eſt, *vaſorum inanitio* ſæpius dicitur, tanquam nomine generis etiam in ſpecie homines uti conſueverint, Galen. 2. *de R. V. I. A. t.* 47. Hæc Caſtell. Cæterum κενεαγγία, vel κεναγγεία in genere *vaſorum exinanitionem* ſignificat, quæ fit ob evacuationem, ſive ea ſit ſenſui manifeſta, ſive occulta. Et in hac ſignificatione ſæpe uſus eſt Hippocr. 1. *de R. V. I. A. t.* 19. 21. *ſ.* 2. *t.* 47. *l.* 3. *de Morb. II.* 22. & *l.* 1. *de Morb. mul. XIV.* 6. Quod vero in ſpecie etiam ſignificet purgationem artificialem in 1. *aph.* 2. quod vult Valleſ. *in comm.* & ſubſcribit Dieterich. *n.* 455. nullam plane video rationem. Quin potius exiſtimo, ſanguinis e vaſis evacuationem primario ſpontaneam, conſequenter tamen & artificialem illo vocab. intelligi, quemadmodum hoc *in Diſp. ad h. aphor.* demonſtravimus. Adjectivum quoque κεναγγικὸς legitur apud Hippocrat. *l. de Humid. Uſ. V.* 11. & 1. *Prorrhet. ſ.* 2. *t.* 5. Verbum κεναγγέω occurrit *l.* 1. *de morb. mulier. XVI.* 4. *ſ.* 3. *de artic. t.* 56. & *ſ.* 4. *t.* 41. Jung. Foëſ. *p.* 332.

CENEBRIUM, κενέβρειον, κενέβριον, ſignificat *carnem morticinam*, κρέας νεκριμαῖον, ἢ θνησίδιον, Erotian. *ex Hipp.* quamvis Foëſius in hoc invenire haud potuerit. Vid. *Oecon. p.* 332. *ſeqq.*

CENEON, κενεὼν, ſignificat vel totam illam alvi cavitatem, quæ à coſtis ad oſſa *Ilii* ſubtenditur, vel laterum mollitudines & inanitates, quæ præcordiis ſubſunt, in quibus meſenterium & tenuia inteſtina continentur. Vocatur & λαπάρη, λαγὼν, item *Ile*, *Ilia*, Galen. *comm.* 2. *progn. t.* 1. & *c.* 2. *de iis, quæ in medic. t.* 16. Hippocr. *Coac. t.* 452. & alibi ſæpius, quæ loca vide apud Foëſ. *Oec. p.* 333. Κενεῶνα, id eſt, *ile*, locum eum vocat Hipp. qui inter iliorum oſſa & coſtas ſpurias intercedit, propterea quod κενὸς, i. e. vacuus & caſſus oſſibus eſt, quaſi *caſſum* dixeris, Gal. *c.* 3. *de artic. t.* 74.

Locus

Locus etiam, ubi umbilicus infantum eſt, κενεὼν dicitur, Moſch. *de morb. mul. c.* 41.

CENEOS, κενεὸς, idem, quod κενὸς, *vacuus*, inanis. Vide *Cenos.*

CENIGDAM, *Cenigotam*, item *Ceniplam*, *Cenipolam*, inſtrumentum notat Chirurgicum, quo cranium aperitur in epilepſia, Paracelſ. *l.* 3. *Paragraph. c.* 4. §. 1. Iohnſ. *in Lex.*

CENIOTEMIUM, eſt remedium purgans in morbo Gallico apud Paracelſ. *l.* 2. *de vit. long. c.* 12. ſed quale ſit, non expreſſit. Dolæus vero ſcripſit eſſe Mercurium ſpecifice ad Luem Veneream præparatum, *Encyclopæd. l.* 3. *cap.* 15. §. 9. *p.* 663.

CENOS, κενὸς, Ion. κενεὸς, id eſt, *vacuus*, inanis, item *vanus.* Hippocrat. 7. *aph.* 24. *&* 2. *de iis*, *quæ in medic. t.*9. ubi vid. *Comm. Gal.* Opponitur plenus, πλήρης, Galen. *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 6. Quid ſint κεναὶ χῶραι πνεύμονος, *vacua* loca pulmonum, vide apud C. Hofm. *de V. P. n.* 456. Κενὸν etiam *ſpatium* ſignificat in capite, 7. *aph.* 51. Vide *Vacuus.*

CENOSIS, κένωσις, à κενόω, *vacuatio*, *evacuatio*, exinanitio, dicitur generaliter, ſi quid vel naturæ ſponte, vel arte Medici ex toto corpore vel aliqua parte detrahitur & expellitur. Quod ſi totalis vel univerſalis fuerit, ſimpliciter κένωσις vocatur. Si vero portio ſaltem aliqua ſubtrahitur, ἀποκένωσις, *abevacuatio*, appellatur. Opponitur repletio, πλησμονὴ, 2. *aph.* 22. Meminit quoque *aph.* 8. *item* 1. *aph.* 3. 4. *aph.* 41. *&c.* Jung. Dieterich. *n.* 458. Varias *evacuationis* ſpecies vide propriis ſuis nominibus & locis.

CENTAUREUM eſt alias nomen plantis tributum, diverſis, unde *Centaureum majus* & *minus* in Botanicis leguntur. In Chymicis vero *Centaureum minerale* Cardilucio vocatur Panacea Antimonii, & Glaubero Purgans Univerſale, cujus deſcriptio legatur in Iunken *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 181.

CENTAURUS, κένταυρος, ſignificat monſtrum, ſuperiore parte quidem hominem, inferiore parte equum referens. Hoc fabuloſum eſſe, & per rerum naturam fieri non potuiſſe, demonſtrat Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 1. ubi vide Comm. Hofm. *n.* 114. 119. 122.

CENTO, κέντων, veſtem e variis panniculis contextam pauperculorum ſignificat. Meminit Galen. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 14. de vaſe probe panniculis inveſtiendo & circummuniendo.

CENTOTAUROS, κεντόταυρος, idem, quod *Centaurus.* Hofm. *n.* 118. *d. l.*

CENTRATIO, legitur apud Paracelſ. *l.* 4. *Chirurg. de ulcerib. c.* 3. & intelligitur principii ſalini mutatio in corroſivam & exulcerantem qualitatem. Unde & *Centrum ſalis* dicitur principium ulcerum, *ibid. & cap. ſeq.*

CENTRIUM, κέντριον, epitheton emplaſtri cujuſdam, à verbo κεντεῖν, pungere. Ut ita huic reſpondeat Germanicum ſtich-pflaſter. Meminit hujus Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 10.

CENTRINA, κεντρίνη, piſcis aculeatus, à κεντεῖν, pungere, cujus deſcriptionem, ſpecies, uſum in cibis & medicina vide ſis apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 41.

CENTRUM, κέντρον, proprie vocatur circuli medium punctum, Galen. *l.* 10. *de V. P. c.* 12. Enim vero frequentiſſimo quoque in uſu hujus vocabuli impropria, tropica & ænigmatica acceptio apud Paracelſum ejuſque ſectatores veteres & recentiores eſt; dum per *centrum* denotatur ſedes principalis, radix, fundamentum, principium alicujus rei; & huic notitiæ tantum tribuunt, ut veræ ſcientiæ abyſſum in ea ponant; & quicunque veri puncti & *centri* rationem cognoſcit, nihil in rerum natura unquam ipſum latere poſſit, cujus non perfectam habeat ſcientiam, verbis Crollii *in Baſil. Chym.* Ita *Centrum* univerſi ipſis dicitur DEUS. *Centrum* omnium creaturarum homo, *centrum* vitæ cor, & ſpiritus animalis cerebrum, Paracelſ. *Tab. V. Theoricæ. Centrum* mulieris matrix *Paramir. l.* 4. *de orig. morb. matric. Centrum* carnis in dorſo, *Schol. in LL. de Tartaro.* Deſcribit vero etiam *centrum* medietatem duorum membrorum, *ibid.* Ita *centrum* ſpinæ dorſi eſt media duarum vertebrarum junctura. Imo cuilibet morbo ſuum eſt *centrum*, ſua *centratio. Paragran. tr.* 2. *de Aſtron.* Hoc morborum *centrum* & locum exacte cognoſcere, hoc opus, hic labor eſt. *l. de Icterit. c.* 2. *Centrum* morborum diſſolutorum dicitur Stomachus, *l.* 1. *Paragraph. c.* 1. §. 1. *Centrum* colicæ Inteſtina, *Schol. in LL. de Tart. Centrum terræ* dicitur Spagyricis locus vacuus, ubi nihil quieſcere poteſt. Leſchus *de lap. Phil. tract.* 2. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 423. Et quis omnes nugas colligeret? *Centrum* ovi dicitur vitellus apud Rul. *in Lex.* Plura videantur *in Theatr. Chym. Vol. I.* v. g. *p.* 296. 391. 358. 467. 484. Meminit etiam *Centri* ſæpius Joh. Joach. Becherus *in ſua Metallurgia tit.* 17. At Andr. Libav. hanc parabolicam & myſticam *centri* ſignificationem graviter perſtrinxit *in Exam. Philoſ. vivent.* Hartman. *ſect.* 6. *Centrum* illius ſapientiæ Severinianæ & Paracelſicæ eſſe chaos errorum, ſtultitiæ peripheriam, labyrinthum impietatum, abominationum, mendaciorum, & *ſect.* 38. *Centratum vinum correctum* legitur etiam apud Parac. *tr. de Colica*, ſed quale ſit, non exponit.

CENTUMCELLIS, Thermæ quondam celebres in Tuſcia Italiæ, vid. Joh. Rhod. *ad Scrib. L. n.* 146.

CEPHALÆA, κεφαλαία, cerebri & membranarum ejus ſymptoma, eſt capitis diuturnus dolor, difficulter ſolubilis, qui à parva occaſione vehementes habet acceſſiones, ita ut neque voces aut motum tolerare poſſit infirmus, ſed tranquillitatem, obſcurumque cubiculum quærat, ob doloris vehementiam, cum nonnulli veluti malleo ſe percuti, alii caput ſibi contundi diſtendique ſentiant, non paucis ad oculorum radices dolor extendatur, (quod ſignum eſt cerebri membranas affectas eſſe. Nam quandoque in Pericranio tantum eſt, qui in ſuperficie ſolum hæret dolor) ſuis intermiſſionibus circumacti,

cumacti, non ſecus, ac qui *cephalalgia* laborant. Sed in *cephalæa* affectæ partes redduntur multo debiliores, quam in *cephalalgia*, Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 9. *&* *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 2. Brevius ex Aretæi *l.* 1. *de chron. aff.* 2. ita deſcribitur, quod ſit Capitis dolor inveteratus, ægre cedens, contumax, & pertinax. Jung. Dieter. *n.* 459. & Foëſ. *in Oecon. p.* 335. Differt à *cephalalgia* ut magis & minus Thomas Willis *de Anim. Brutor. Part.* 2. *c.* 1. appellat *Dolorem capitis habitualem*, quemadmodum *cephalalgiam* Accidentalem, vel *Occaſionalem.* Cauſſam vero *cephalææ* peculiarem geminam eſſe recte ſtatuit, unam partis affectæ h. e. fibrarum nervearum ad membranas, tendines, carnes muſculoſas, aliaque corpora ſenſilia pertinentium, vel malam conformationem, vel debilitatem, alteram materiæ morbificæ, ſanguinis, ſeri, ſucci nutritii, liquoris nervoſi, vitioſe diſpoſitorum promtam ac facilem congeſtionem, quæ omnia prolixius deducta *d. l.* reperies.

CEPHALALGIA, κεφαλαλγία, quibuſdam (ſed fortaſſis vitioſe) *cephalargia*, vide Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 99. quamvis Phavorinus defendat, vid. Rhod. *in not. p.* 162. Accipitur quandoque late & generaliter, pro omni capitis dolore, aliquando ſtricte pro dolore capitis, qui nec diuturnus eſt, nec cum magna capitis imbecillitate conjunctus, ſed qualis à crapula, à ſole, à labore, aut febribus excitari ſolet, Galen. *l.* 2. *de C.M.S.L. c.* 1. *&* 2. Meminit Hipp. 3. *aph.* 13. inter morbos æſtatem ſiccam & autumnum pluvioſum ſequentes. Et hæc ſpecies non præſupponit aliquam præviam partium capitis pravam diſpoſitionem; ſed ſaltem à cauſſa occaſionali humores & ſpiritus vitioſam acquirunt diſpoſitionem, & ita fibras dictas earum continuitatem diverſimode ſolvendo afficiunt, doloremque gignunt. Vid. Th. Willis *d. l.* Jungantur alii Practicorum libri. Capite dolentes dicuntur κεφαλαλγικοὶ, Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 56. Apud Scribon. *n.* 206. etiam κεφαλαλγία de diuturno capitis dolore exponitur. De peculiari quadam ſpecie *Cephalalgiæ* conſenſualis, quam *Iliaco-Hæmatiticam* vocavit, egregie deſcripta videatur D. D. Stahlii *Propempticon ad Diſp. Inaugur.* Dn. Joh. Conr. Tufenbach. *de Podagræ nova Pathologia.* Statuit etiam ibid. eſſe eandem cum Clavo Hyſterico Thom. Sydenhamii.

CEPHALE, κεφαλὴ, id eſt, *Caput.* Vide *Caput.*

CEPHALICUS, κεφαλικὸς, dicitur de omni eo, quod ad caput, ejuſque partes pertinet. Ita *cephalica vena*, κεφαλικὴ φλὲψ, dicitur ramus ſuperior venæ Axillaris ſive Humerariæ, quia in capitis affectibus ſecari ſolet ab antiquis & Chirurgis recentioribus ſive imperitis, ſive ſuperſtitioſis, quamvis nulla peculiaris præ aliis venis cum capite ſit communio, Barthol. *Anat. libell.* 1. *c.* 7. Ita *cephalica medicamenta*, κεφαλικὰ φάρμακα, dicuntur, quæ ſpecifica quadam virtute & idioſyncraſia capiti prodeſſe creduntur, Ionſton. *Synt. l.* 4. *Therapeut. Tit.* 4. *c.* 1. *art.* 1. *&* 2. Vel ita deſcribi poſſunt, quæ nervos reſpiciunt confortandos, & ſpiritus dulcificandos, qualia omnia particulis ſubtilioribus prædita acrium ſpicula mitigant, & ſine impedimento in ipſos ſpiritus animales penetrant. Suntque ut plurimum volatilia, nam fixiora per accidens talia ſaltem dicuntur. J. H. Iunken *Chym. Exper. Part. II. ſect.* 1. *c.* 7. Specialiter vero & ſtricte *Cephalica Emplaſtra* vocantur, quæ capitis fracturis uſque ad craſſæ meningis duplicaturam pertingentibus deſtinata ſunt, quorum virtus eſt, ut oſſium ſquamam ſurſum attrahant, & in priſtinum locum revocent, & fragmenta tum ex capite, tum ex aliis corporis oſſibus educant. Nonnulli communi genere hæc etiam vocant *Catagmatica*, proprie vero nuncupata *Cephalica fortiora* ſunt. Siquidem ex alto ſuperficiem extimam non oſſa modo, ſed his multo quoque magis humorem aliquem craſſum & viſcoſum, vel omnino depravatum, ſeu caliditate attrahunt. Caſtell. ex Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 18. Ant. Sarracen. *in not. ad Dioſcor. p. m.* 61. Scribon. *n.* 201. Horum materiam vide etiam *l.* 3. *M. Med. c.* 2. *Cephalica* quoque accipitur pro *cephalalgia* à Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 4. *in explic.*

CEPHALINE, κεφαλίνη, vocatur juxta Gorræum ea linguæ pars, quæ eſt ad fauces, quam & χύσιν plerique nuncupant, quod in ea guſtus putetur eſſe acutior. Enimvero mendum mihi videtur ſubeſſe, cum nec Bartholin. nec C. Hofmann. nec Lindenus hujus nominis in deſcriptione Linguæ partium meminerint, accurati alias Græcorum terminorum indagatores. Quid? quod nec ratio hujus appellationis ulla ſeſe offerat.

CEPHALOIDES, κεφαλοειδὴς, ſignificat *capitis formam habens*, non vero capite præditum, uti Gorræus iterum perperam expoſuit. Ita Papaver, Pœonia, & aliæ herbæ ſecundum ſignaturas plantarum Crollianas κεφαλοειδεῖς dici poſſent.

CEPHALONOSOS, κεφαλονόσος, dicitur morbus Epidemicus malignus, qui alias *Febris Hungarica* vocatur, vulgo Haupt-Kranckheit. Joh. Cunrad. Rhumel in *libello Prophylace Luis Epidemicæ κεφαλονόσε inſcripto.*

CEPHALOPONIA, κεφαλοπονία, idem quod *Cephalalgia*, quo vocabulo uſum eſſe Gariopontum antiquiſſimum Medicum *l.* 1. *c.* 2. hoc titulo inſcripto notavit Foreſt. *l.* 9. *obſ.* 62. *in ſcholio.*

CEPHALOS, κέφαλος, non eſt idem, quod *Capito*, quamvis ita Latine reddi poſſit; ſed in ſpecie eſt Epitheton quorundam piſcium *Mugiles* dictorum, non tam quod capite ſint grandiore, ſed quod caput in metu abſcondant, totos ita occultari credentes, Aldrovand. *l.* 4. *de piſc. c.* 6. Gal. *l.* 3. *Al. fac. c.* 25.

CEPHALOTOS, κεφαλωτὸς. Vide *Capitatus.*

CEPHALOTROTOS, κεφαλότρωτος, nuncupari poteſt, qui *in capite vulneratus* eſt, ad imitationem νευρότρωτος, στομαχότρωτος.

CERA, κηρὸς, quid ſit, notum eſt, nimirum nihil aliud, quam favi, ex quibus mel eſt expreſſum, Aldrov. *l.* 1. *de inſect. c.* 3. ubi prolixam *ceræ* hiſtoriam & uſum varium reperies: vel eſt expreſſorum favorum recremen-

tum, uti Gorr. deſcripſit. Unde & iiſdem cum melle particulis conſtare, ſed flexilibus ramis tenacius ſibi implicatis & multo craſſioribus, nec ſpicula ſua facile exerentibus ſcribit Iunk. *Chym. Exper. P.* 1. *ſect.* 2. *c.* 9. Medium quodammodo tenet calefacientium, refrigerantium, humectantium, ſiccantium, ita tamen, ut ad caliditatem inclinet. Partium quadantenus eſt craſſarum & emplaſticarum, ideoque digerit, maturat, &c. Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *h. t.* Dioſc. *l.* 2. *c.* 105. Schröd. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 94. *Ceræ* reſolutionem Chymico-Phyſicam vide in Iunken. *Chym. Med. Phyſ. P.* 1. *ſ.* 2. *cap.* 9. *p.* 139. *ſeqq.* Adeo uſitata officinis eſt, ut vix emplaſtrum reperias, cujus non exhibeat conſiſtentiam. Hinc *cera* materies Emplaſtrorum dicitur Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 2. *Cera Virginea* quid ſit, vide *Propolis.* Curationem ridiculam Choreæ S. Viti ex iracundia, quam Vitiſtam dixit, per *ceream* imaginem, vide apud Parac. *de morb. ament. tr.* 3. *c.* 3. *Ceram Ponticam* optimam olim habitam fuiſſe, conſtat ex Galeno *d. l.* & paſſim aliquoties, nec non ex Scribon. Larg. *n.* 86. ubi vid. *not. Rhod.* Hoc certum eſt, quod habeat, pro favorum viribus, ex quibus exprimitur, varias facultates. An *flava* ſemper ſit præferenda *albæ* per inſolationem, uti vult Fr. Hofm. *in Clav. Schröd. ad d. l.* dubitatur, quia aliquando ſaltem corpus & materiem alicujus mixti præbere debet, non vero virtutem aliquam vel efficaciam. *Ceræ chymicæ* quæ ſint, vide apud Rolfink. *Chymiæ l.* 5. *ſ.* 14. *c.* 4. *Cera ſacra* idem, quod *Virginea*, Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 84. *Cera tracta*, Κηρὸς τρακτὸς, quid ſignificet, vide apud Keuchen. *ad Seren. p.* 101. ſcil. *cera* tractatione dealbata. A Sereno dicitur *cera coacta.*

CEREA, vel CERA, ſordes aurium ex Math. *de Grad. in IX. Rhaſ.*

CERÆÆ, κεραίαι, dicuntur, non mulieres, quarum uterus propriis ex morbis, tum qui in proceſſibus & cornibus conſiſtunt, tum qui in collo aut fundo, vel aliquando plura, quam prius, vel aliquando pauciora, aut nulla, vel mala excernit menſtrua, Gal. 3. *de ſympt. cauſ. c.* 4. (quamvis in græco textu vocab hoc non extet) ſed potius ipſa cornua uteri, uti recte Gorr. & Linden. *in Phyſ. Med.* docent. Vocantur alias & πλεκτάναι, citri, Gal. *l. de diſſect. vulv. c.* 3.

CERAGO, κήρινθος, eſt alimentum, quo apes veſcuntur mellificantes, Ariſt. *l.* 9. *H. A. cap.* 40. Aldrovand. *d. l. c.* 1.

CERAMICE, *Ceramitis*, κεραμικὴ, κεραμῖτις, ſcil. γῆ, ſignificat *terram figulinam*, argillam, apud Hipp. *l.* 1. *de Morb. XII.* 13. *l.* 3. I. 18. *de int. affect. IIX.* 20. Conf. Galenus *Exeg. Hipp.*

CERAMIUM, *Ceramnium*, eſt nomen menſuræ liquidæ, quæ Latinis *Amphora* dicitur, vel *Cadus*, continens in Italia Choas 8. Notabatur olim κρμ Galen. *l. de pond. & menſ. c.* 2. & 3.

CERAMOS, κέραμος, *fictile*, *tegula*, Gal. *l.* 1. *de temp. c.* 6.

CERANITES, κερανίτης, quamvis in Gr. Baſil. legatur κερανίτος, fortaſſis mendoſe, epitheton Paſtilli multiplicis uſus, apud Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 12. *circa fin.*

CERANTHEMUS, κηράνθεμος, epitheton apum glutinis apud Aldrov. *d. l. p.* 84.

CERAS, κέρας, vide *Cornu.*

CERASIATUM, eſt nomen medicamenti purgantis ex ſucco ceraſorum & pomorum dulcium purgato cum eſſentia Mercuriata paratum apud Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 8. *c.* 12.

CERASIOS, eſt epitheton unguenti magni & parvi, apud Meſuen *in Operibus fol.* 159. *a.* quamvis interpretes Sylvius & Manardus terminum hunc non expoſuerint.

CERASMA, κέρασμα, à verbo κεράσαι, vinum aqua miſcere, Lang. *l.* 1. *ep.* 29. ſignificat *aquæ mixturam*, qua aquæ frigiditatem calidiore addita frangimus, uti vult Gal. *in comm. ad* 3. *de R. V. I. A.* notante Gorr.

CERASOPHOROS, κερασοφόρος, i. e. *Cornutus*, vide *Corniger.*

CERASTES, κεράστης, κεραστὴς, nomen eſt ſerpentis vel viperæ, ita dictæ ab eminentiis alias binis, alias quaternis, & juxta Solinum, Plinium & Arabes quadrigeminis, quæ quidem in ipſius capite cornicula præ ſe ferunt, Sarac. *in not. ad Dioſcor. p.* 136. & 137. *a.* Meminit & Galen. ex poëmate Andromachi *de Theriac. ad Piſ. c.* 6. Eſt vero longitudine cubitali, ad ſummum duorum cubitorum. Corpus ei colore arenoſum, juxta caudam deſquamatum, morſu nocentiſſimum, contra quod virus vide remedia apud Dioſcor. *Theriac. c.* 16. Aët. *l.* 13. *c.* 28. Jung. Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 12. *Schol.* imprimis Aldrovand. *l.* 1. *de ſerp. & drac. c.* 4.

CERATIO, κήρωσις, κατακήρωσις, ἐγκήρωσις, *inceratio*, denotat actum, quo aliquid cera involvimus. Chymici utuntur hac voce de magiſterio Lapidis, Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Rulandus vero ex Gebero definit, eſſe mollificationem rei duræ, vel ſucci non fuſibilis ad liquefactionem. Dicitur autem hic modus *ceratio*, quod medicinam Philoſophicam inſtar ceræ igni admotæ facile liqueſcentem reddat. Quando enim Philoſophi (Spagyrici) argentum vivum in aurum aut argentum convertere volunt, neceſſe eſt, ut habeant medicinam fluentem, quæ ſubito ante fugam ejus in profundo illi adhæreat, ipſique per minima conjungatur, & illud inſpiſſet, atque ſua fixione in igne conſervet, quouſque adveniat illi majoris ignis tolerantia, ejus humiditatem conſumentis, & convertat illud per hoc artificium in momento in ſolificum & lunificum verum, ſecundum illud, ad quod medicina fuerit præparata. Fit autem *Ceratio*, quando corpus ſiccum & durum ſuo humore, reiterata frequenti imbitione, perfunditur. Hæc Ruland. & ex hoc Iohnſ. *Cerare* quoque iiſdem dicitur incorporare, vel miſcere. *Ceratio* fit, quando continuato calore fluida fit ac mollis materia, Ger. Dornæus *de tranſmut. metall. c.* 8. *fin. Th. Ch. Vol. I. p.* 520. *Cerantur*

 corpora

corpora calcinata cum corporibus reſolutis, & hoc imbibendo, vel *cerando*. Melior *inceratio* fit cum Azoth vivo, i. e. Mercurio, & gutta ſaponis. Richard. *Anglic. Roſar. min. c.* 12. Jung. Alb. Magn. *Alchym. in Theatr. Chym. Vol. II. p.* 412. 442. & *Vol.III. p.*76. *ſeqq. &* 370. *Vol. IV. p.* 408. 749. 751. 761. 857. *lib. de lapid. phyſ. condit. c.* 1. Ad ſummam, *ceratio* eſt ſpecies Fuſionis, vel Colliquationis.

CERATITES, κεϱατίτης, eſt *Unicornu foſſile*. Vide *Monoceros*.

CERATIUM, κεϱάτιον, primo denotat *Siliquam*; fructum arboris ejuſdem nominis, quæ & *Ceratonia* dicitur. Hanc pravi ſucci edulium appellat, lignoſum ac concoctu difficile, Galen. *l.* 2. *de Alim. Fac. c.* 33. Quæ ſignificatio non eſt hujus loci. Secundo eſt nomen ponderis antiqui minoris, continens *grana quatuor*. Dicitur & *Karat*. Alii dicunt, habere duos æreos cum duabus tertiis particulis. Gal. *de pond. & menſ. c.* 3.

CERATOGLOSSI, κεϱατόγλωσσοι, vocantur bini muſculi linguam recta deorſum verſus interiora moventes, ſi ſimul agunt, ſi vero alteruter, ad latus alterutrum flectens, de quibus vide Barthol. *l.*2.*An.c.*13.*p.*550.

CERATOIDES, κεϱατοειδὴς, *Cornea*, ſeu *corniformis* tunica, vel membrana oculi ſecunda eſt, à dura meninge orta, (tunicam choroidem complectens,) craſſa admodum, ſed parte ejus media tenuiſſima, & denſiſſima, ſplendida, ad ſplendorem recipiendum, & tranſmittendum, cornibus admodum extenuatis ſimilis; unde eam à cornu ſimilitudine *Ceratoidem*, *Corneam*, & *Corniformem* appellant, Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 3. Jungatur Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 8. *p. m.* 515.

CERATOMALAGMA, κηϱατομάλαγμα, non differt à *Cerato*. Vide *Ceratum*, Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 11.

CERATUM, vel *Cerotum*, κηρωτὸν, vel κηρωτὴ, item *Ceratomalagma*, Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 11. eſt medicamentum topicum vel externum, conſiſtentia medium inter Unguentum & Emplaſtrum. Foëſ. *p.* 337. Nomen à *cera* habet. Vocant & *Ceroneum*. Fiebat olim ex *oleo* & *cera* tantum. Cæterum confundunt cum unguento ſæpius; proprie tamen medicamentum eſt conſiſtentia medium inter Unguentum & Emplaſtrum, illo durius, hoc mollius. Horum compoſitionem vide ſis apud Schröder. *l.* 2. *c.* 53. Morell. *in method. præſc. form. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 10. alioſque. Veteribus non fuiſſe unam *cerati* conſiſtentiam, aut temperaturam, ſed aliud quandoque ſpiſſum, aliud tenerum, demonſtrat Joh. Rhod. *ad Scribon. L. n.* 81.

CERAUNIUS, κεϱαύνιος, dicitur vulgo *lapis fulmineus*, Donnerſtein / *cuneus fulminis*, quia communi etiam modernorum Phyſicorum & Carteſianorum conſenſu creditur cadere de nubibus cum tonitru, & eſſe nihil aliud, quam corpus ſolidiſſimum, genitum in magno fulmine ex diutina exhalationis valde terreſtris & denſæ incluſione, quæ cum invehitur in nubem frigidam & aquoſam ab humore circumfuſo conglobatur & conglutinatur, hujuſmodique maſſam & mixturam facit, & ab igne fulgureo in ſolidiſſimum corpus lapideum induratur. Varia quoque forma & coloribus variis exornatus viſitur, prout variæ ac diverſæ ſunt exhalationes terreſtres & metallicæ ab inferioribus ad ſuperiores partes exhalantes. Plura de hoc lapide vid. apud Andr. Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 305. *ſeqq.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* Dicitur provocare dulces ſomnos, valere contra fulmina & ad prælia & cauſſas vincendas; qua fide, alii videant.

CERAUNOCHRYSOS, κεϱαυνόχϱυσος, eſt *Aurum fulminans*, vel ſclopetans, Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſ.* 2. *c.*27.

CERAUNOS, κεϱαυνὸς, vide *Fulmen*.

CERBERUS, κέρβεϱος, præter propriam Canis infernalis Ethnicorum tricipitis ſignificationem, in foro Chymico denotat triplicem Mercurium ex ſale, hydrargyro, & chalcantho. Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 10. *Cerberus* quoque *triceps* vocatur medicamentum purgans famoſiſſimum ex Diagrydio ſulphurato, Antimonio diaphoretico, & Cremore Tartari paratum, à Roberto Comite de Warwich inventum, & à Marco Cornacchino peculiari methodo ſatis prolixa deſcriptum & exornatum, quæ legi poteſt in Hartmann. *Operibus Chymicis in fol. p.* 144. *ſeqq.* à D. D. Wedelio magnopere laudatum, quamvis loco ſcammonii ſulphurati, reſinam illius ſumendam eſſe, ceu magis efficacem, ſuaſerit. *Pharm. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 4. *c.* 2. *p.* 168.

CERCHNALEON, κερχναλέον, vide *Cerchnos*.

CERCHNOS, κέρχνος, κέρχνον, καὶ τὸ κέρχνειν, καὶ οἱ κερχνασμοὶ, analoga ſunt ſecundum Galenum *in Exeg.* & ortum habent à κερχνω, κέρχω, exaſpero, *raucum ſonum edo*. Eſt vero aſperitas quædam faucium & raucus ſonus gutturis, cum exiguo ad tuſſiendum conatu, ita ut, ſicut vomitum nauſea, ita tuſſim hoc ſymptoma præcedat, ex Gal. *l.* 2. *de cauſſ. ſympt. c.* 4. & 5. Cauſſa ex natura Catarrhi & Tuſſis petenda. Imprimis alimenta κερχνώδεα accuſantur ab Hippocr. 3. *de artic. t.* 61. qualia ſunt pinguia, acida & acria. Κερχναλέον vel κερχαλέον dicitur etiam ſonus creperus & raucus in faucibus *l.* 7. *Epid. VII.* 3. & *XI.* 7. ubi ὑποκερχαλέον legitur, *it. XII.* 6. tuſſis rauca, βὴξ κερχαλέη. Κερχνὸν Attici dixerunt aridum, Erotianus *in Lex. Hippocr.* ab hoc eſt *Cerchnodes*, κερχνώδης, quod alii καϱκνώδης, & κερκώδης ſcribunt, & talis eſt, qui tumore aſperæ arteriæ laborat: ab Atticis autem dicitur vas, quod tracheæ ſimilitudinem habet. conf. Erotianus.

CERCIS, κερκὶς, *Radius*, duas obtinet potiſſimum ſignificationes, (1) denotat *Os Cubiti vel Brachii ſuperius*, quod brevius & minus ſtatuitur, quod cum altero oſſe, *Ulna*, ὠλένη, Gr. dicto, Brachium conſtituit. Ita ut *Radius* ulnam inferius, hæc illum ſuperius excipiat. Vid. C. Hofm. *de V. P. n.* 92. Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.*14. & 74. *ſeqq.* Barthol. *Anat. libell.* 4. *c.* 20. (2) inſtrumentum, quo medicamentum teritur & movetur, veluti *rudicula* aut *piſtillum*, Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. Dicitur alias

alias & τρίβλιον atque ὕπερος, item δοίδυξ, quod etiam *cochleare* ſignificat. Jung. Foëſ. *p.* 334.

CERCOPES, κέρκωπες, dicuntur *verſuti*, & notæ fraudulentiæ homines, ut ſatis indicat proverb. κερκώπων ἀγορὰ, *cercopum forum*, vel cœtus. Meminit Gal. *in lib. de prænotion. c. 9.* ubi pro impoſtoribus & veteratoribus ſumit, aut vili hominum genere, qui publice rerum emendarum aut divendendarum quæſtum ac mangonium fecerunt, & in Suburra circum meretricum cellas aut fornices ſederunt. Sic enim Συβούρας κερκώπων dixit pro *impoſtoribus*, qui in *Suburra* erant, ubi tamen βηβούρας vitioſe legitur in omnibus Græcis exemplaribus, Foëſ. *d. l.*

CERCOPITHECUS, vide *Cebus.*

CERCOSIS, κέρκωσις, *Cauda*, item *Mentula muliebris*, *Nympha*, Gr. Κύων, à quibuſdam *Tentigo*, *Virga*, *Symptoma turpitudinis* vocatur, eſtque morbus muliebris auctæ magnitudinis in *Clitoride*, ſive carnoſa illa & ſpongioſa ſubſtantia in ſinus muliebris parte media ſuperius delitescente occurrens, à nimio portionum ſpirituoſarum per frequentem contrectationem, attritionemve inducto affluxu oborta. Senn. *l.* 4. *M. Pr. part.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2. cujus circumciſionem tradit Æginet. *lib.* 6. *cap.* 7.

CERDAC, id eſt, *Mercurius.* Rul. *in Lex.*

CEREALIS, δημήτριος, epitheton ſeminum quorundam, quæ inter *frumentacea guſtamenta*, σιτηρὰ γεύματα, referuntur, ut ſunt lens, faba, lupinum, cicercula, panicum, milium, piſum, fœnum græcum, avena, tipha, cicera, & quæcunque id genus alia. Dicuntur alias pleraque & *Legumina*, χέδροπα & ὄσπρεα, quia manibus carpuntur, *l. de attenuant. vict. c.* 6. ex his panis non fit, niſi ſumma neceſſitate, *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 16. Horum quædam, dum coquuntur, non intumeſcunt, propterea ἀτέραμνα dicta, *de bon. & mal. ſucc. cib. c.* 5. vide *Ateramnia.* Jung. de *Cerealibus* Rolfink. *O. M. Com. Gen. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 69.

CEREBELLA *urina*, à calore *cerebri* dicitur Paracelſo *Schol. in libr. de urin. l.* 2. *c.* 1. nimirum non penitus lactea, & ſecum ſemper portat ſpumam albam, quæ ſuperficiei circulari adhæret; & ex his judicandos eſſe cerebri morbos arbitratur.

CEREBELLUM, ὀπίσθιος, ἐγκέφαλος, ἐγκράνιον, παρεγκεφαλὶς, poſterior eſt cerebri pars ex multis & parvis corporibus coagmentata, Gal. *l.9. Anat. operat.c.*2. Totum namque cerebrum in duo diviſum eſt, anterius & poſterius, ſed ſupernis tantum partibus. Nam ſua baſi continuum eſt, non ſibi modo, ſed ſpinali etiam medullæ, & per hanc *cerebello*. Durius autem ſicciuſque eſt reliquo cerebro; quod quo ulterius procedit, eo ſiccius evadit. Colore quoque diverſum eſt. Nam cum reliquum candidum ſit, *cerebellum* velut uſtione quadam ſubflavum eſt, & plenum animali ſpiritu, quem nervis duris à ſpinali medulla prodeuntibus impertit. Hæc Caſtellus. Accuratiorem *cerebelli* deſcriptionem pete ſis ex Bartholin. *Anat. l.* 3. *c.* 5. Th. Willis *Anat. cerebr. c.* 15. 16. *ſeqq.* ubi peculiarem hypotheſin de ſpiritibus *cerebelli* proponit.

CEREBRUM, ἐγκέφαλος, (nam nominatur ita, quod ἐν τῇ κεφαλῇ, h. e. in capite ſitum habet) animæ rationalis eſt domicilium, nervorum & ſenſus omnis motuſque voluntarii principium, ſubſtantia nervis ſimillimum, niſi quod mollius. Nam id illi conveniebat, ut quod ſenſus quidem omnes recipit, omneſque imaginationes atque mentis motiones complectitur, Gal. *l.* 9. *Meth. Med. l.* 8. *de V. P. c.* 4. Subſtantia ipſius glandularis eſt alba, veluti e ſpuma quadam concreta & humida, *libr. definit.* Anterior cerebri pars duplex quoque ſtatuitur, dextra, & ſiniſtra, duoſque ſinus ſeu ventres habet, dextrum & ſiniſtrum, qui à corpore calloſo, quod τυλοειδὴς dicitur, dirimuntur. Hi poſteriore ſui parte in tertium ſinum mediocrem ſub pſalloide concurrunt, à quo meatus eſt longus τοῖς γλουτίοις, id eſt, *natibus* (ita enim ob ſimilitudinem quandam vocant) ſubditus, qui in ſinum alium quartum, omnium poſtremum, minimumque inter cerebelli baſin ſpinalemque medullam ſitum, incidit. Hæc Caſtellus. Enimvero hodieque multo accuratiorem & clariorem *Cerebri* deſcriptionem reperire licet apud Barthol. *d. l. cap.* 3. *ſeqq.* Thom. Willis *in Anat. Cerebri capp. prioribus.* Malpigh. *Ex Epiſt. de cerebro*, Car. Fracaſſat. *ep. Reſponſor. ad Malpigh. de cerebro*, ut alios paulo vetuſtiores taceamus, C. Hofm. Lindenum, multoque plures. A Paracelſo & ejus aſſeclis *cerebrum* dicitur Luna Microcoſmica, *de Peſtilit. Tr.* 2. *&* 4. & remedia *cerebri* per Lunam dirigi creduntur, *Paragran. tr.* 3. Idem quoque *cerebrum* dividit in *Macrocoſmi* vel *Archei*, & *Microcoſmi. Tr. de trib. eſſent.* Morbos quoque aliis alias partibus competens *cerebro* quoque adjudicat, ut lepram, tabem, icteritiam, & ſimiles alios, uti paſſim in ſcriptis ejus videre licet. Myſtice & Spagyrice *cerebrum* ſignificat aquam, & *cerebrum arietis*, aquam albuminis ovi. *Cerebrum bovis*, id eſt, Tartarum combuſtum. Rul. *in Lex.* & Iohnſ. *Cerebrum* aliquando pro capite ſumi, conſtat ex Marcel. Seren. & Keuchen. *ad eund. in not. p.* 91. *Cerebrum* etiam vocatur Lapis Phil. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 727.

CEREFACTIO, dicitur operatio Spagyrica, quæ fit diſſolutione & congelatione, *in Allegoriis ſapient. diſtinct.* 1. *in Th. Chym. Vol. V. p.* 78.

CERELÆUM, κηρέλαιον, compoſitio eſt ex *cera* & *oleo*, apud Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 2. Alias hoc nomine quoque venire poteſt *Oleum ceræ*, cujus deſcriptionem vide apud Rolfink. *Chym. l.* 3. *ſ.* 2. *art.* 2. *c.* 2. quod & *Butyrum ceræ* appellat & κηρέλαιον.

CEREMONIA, *cærimonia*, τελετὴ, θρησκεία, ritus & ambages varias circa rem aut actionem aliquam notare, notum eſt. Has in Medicina merito ſuſpectas eſſe, & præſtigias, aut vanitatem ſapere, ipſe fatetur Paracelſus, penitus rejiciens & damnans, vocans *ceremonias Nigromanticas*

manticas Chriſtianis illicitas & prohibitas, *l. 9. de ſignat. rer. natur. & tr. de philoſ. occult.* §. *de Conjurationibus.*

CEREVISIA, mendoſe *Cerviſia*, ζῦθος, *Bira*, eſt potus nobis aliiſque Septentrionalibus populis notiſſimus, ex hordeo ut plurimum, ut & ex tritico, rarius (qui etiam recentior) ex avena, aliove frumenti genere paratus, decoctus cum aqua, & lupulo conditus. Cujus præparandi modum ex *Malto*, vel *braſio*, vel *byne*, egregie deſcripſit Th. Willis, *de ferment. c.* 7. Ejuſdem fermentationem monſtrat Mart. Kerger. *de ferment. ſect.* 2. *c.* 5. Differentias plures ſuccincte tradidit Ionſton. *Syſtem. Part. Hygien. l.* 1. *tit.* 1. *c.* 3. *art.* 3. *Cereviſiæ* fuiſſe vetuſtiſſimum uſum, conſtat ex Athen. *l.* 1. & 10. à quo etiam vocatur vinum ex hordeo, οἶνος ἐκ τῶν κριθῶν, οἶνος κρίθινος, item ex Herodot. Theophraſto, *Epigramm. Græc.* Jung. C. Barth. *l. XI. Adverſ. c.* 32. Linden. *S. M. Ex. VI.* §. 9. C. Hofman. *Inſtit. l.* 5. *cap.* 27. Rolfink. *O. ac M. Com. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 25. Kerger. *d. l. ſ.* 3. *c.* 2. Inter cauſſas morbificas refertur ab eodem Rolfink. *d. l. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 78. Viſcoſitatem ei tribuit pipere vel butyro corrigendam Paracelſ. *l.* 1. *de Tart. tr.* 2. *c.* 1. *in not.* Anſam dat morbis Tartareis, *Tr.* 1. *de Morb. ex Tart. c.* 2. In ſpecie acida eſt cauſſa colicæ, *tr. de Colic.* Ab aciditate præſervativum ſingulare commendat oleum caryophyllorum aut oleum caryophyllatæ, *l.* 3. *de conſerv. rer. natur. in fin.* Integrum alias tractatum de *cereviſia* paucis abhinc annis edidit D. Meibomius, qui videatur. *Cereviſiam* menſe Martio coctam diutius ſervari & augeri tam in bonitate, quam jucunditate, uti legitur *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 664. *tr. de Medic. Chym. tit. de hydromelite*, fortaſſis magis opinione, quam veritate nititur. Certe hic locorum fallit. Helmont. appellat periphraſtice *cereviſiam* ſumen, liquamen, aut conſummatum jus granorum, *tr. Imago ferm. impregn. n.* 2. Vide etiam *Zythos.*

CERIFICATIO, dicitur gradus tertius in proceſſu Gebri Arabis, qui legitur *in Th. Chym. Vol. IV.* 38.

CERION, κηρίον, *Favus* proprie ſignificat opus illud apum artificioſiſſimum, cellulis anguloſis ſucco melleo plenis diſtinctum & exornatum, de quo videatur Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 1. Hujus decoctum in aqua maceratum ſæpe propinat Hipp. *in febre*, *l.* 2. *de morb. XLI.* 21. *LII.* 34. *LVI.* 19. *l.* 3. *XXX.* 1. Tropice vero per ſimilitudinem Κηρίον, *Favus*, quoque dicitur ulcus multis foraminibus pervium, ex quibus melli ſimilis humor excernitur, Gal. *defin. Med.* Quod in capite frequentius occurrat, movit hauddubie Galenum, & alios, ut capitis affectibus annumeraverint, Gal. *l. de tum. p. n. c.* 15. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 18. Differt ab *Achore*, foraminum magnitudine, quæ in Achore minor eſt. Aëtius *l.* 2. *tetrab. c.* 68. etiam vult, appellari *Melicerida.* Sed *Meliceris* proprie eſt abſceſſus ſpecies cum folliculo, de quo *ſuo loco.* *Cerium* etiam in muſculoſis partibus, in articulis, & plantis pedum oritur: Sæpe etiam ſextam colli vertebram occupat, & aliquando etiam coſtas invadit. Meminit hujuſmodi ulcerum & Hipp. *l.* 2. *Prorrhet. XIIX.* 4. Cauſſa haud dubie in portionibus ſalino-ſulphureis cum pituita mixtis & excrementitiis alcalicis collectis & corruptis ponenda erit. P. Barbette *Porriginem*, *Achores*, & *Favum* confundit, *in Chirurg. P.* 3. *l.* 2. *c.* 1.

CERITUS, *Cerritus*, item *Cererītus*, μαινόμενος, παραπληκτικὸς, παρέμφρακτος, δημητρόληπτος, idem ſignificat, quod *Delirus*, *Maniacus*, furioſus. Tres enim præſides furoris erant apud antiquos, Ceres, Luna, Bacchus, inde *Ceriti*, *Lunatici*, *Bacchi.* Et ex Nonio *Ceriti* & *larvati* male ſani, aut *Cereris* ira & larvarum incurſione animo vexati. Meminit hujus vocabuli P. Seren. *in carm. med. t. Phreneſi & cap. purg.* ad quem locum vide *not. Rob. Keuchen. p.* 115.

CERNO, κερχνῶ, *aſperum ſibilum edo.* Unde κερχνῶδες, idem, quod κερχνῶδες, *aſperitas faucium.* Vide *Cerchnos.*

CERNO, ὁράω, βλέπω, idem, quod *video*, deinde ſignificat cribro trajicere, *cribrare.* Ita apud Apul. *cernere cribro*, legitur. Scrib. Larg. *n.* 110. & Rhod. *in Indic. primo* Gr. κοσκινίζω, σινιάζω. Vide *Cribrum.*

CERNUA, ὀρφὸς, *Orphus*, nomen piſcis, ſed qualis certo intelligi debeat, obſcurum. Alium enim vult Gal. 3. *de Al. fac. c.* 31. qui inter duræ carnis piſces refert: alium Ariſtot. Athenæus, Bellonius. Vid. Aldrov. *l.* 2. *de piſ. c.* 11. & 36. *l.* 5. *c.* 34.

CEROMA, κήρωμα, ſignificat unguentum ex *cera* oleo ſubacta, quo inungebantur Palæſtritæ. Unde *Ceromaticus*, qui *ceromate* inunctus, apud Juvenal. Et *ceromatico* fert inceteria collo, *Sat.* 3. ad quem locum Th. Farnabius notavit, *Ceroma* ex oleo, cera, & pulvere fieri. Apud Hippocr. pro *unguento* aut *cerato* in genere ſumitur. 4. *de R. V. I. A. t.* 78. Vide Foëſ. *p.* 337.

CEROPISSOS, κηρόπισσος, *medicamentum ex cera & pice conſtans*, aut nomen emplaſtri vel cerati ex cera & pice confecti, quo ſplenium illini jubet Hipp. aperta frontis cute, *l.* 2. *de morb. XIIX.* 12.

CERTAMEN, ἀγὼν, ἆθλον, quid ſit, notum eſt. Eatenus vero ad forum Medicum ſpectat, quatenus priſcorum ſeculis ad Gymnaſticam vel Athleticam pertinuit, dum vir operarius naturalia munia exequens, vere bono habitu præditus in certamen deſcendens non lucta modo, ſed & curſu cum aliis certavit, aut jaculo, aut arcu, aut diſco, Gal. *ad Thraſybul. c.* 33. Vide *Athleticus.*

CERTATOR, ἀθλητὴς, vide *Athleticus.*

CERTATORIE, ἀγωνιστικῶς, vide *Agoniſtice.*

CERVICALIS dicitur de *Arteria* & *Vena*, apud Barthol. *libell.* 1. *Anat. c.* 6. *p.* 638. & *l.* 2. *c.* 2. *p.* 652.

CERVIX, αὐχὴν, τράχηλος, δειρὴ, eſt æquivocum. Aliquando accipitur late, & idem eſt, quod *Collum*; pars ſcil. intermedia inter thoracem & caput, Hippocr. *ſ.* 3. *Prognoſt. t.* 16. Gal. *in comm.* Barthol. *Anat. l.* 2. *cap.* 13. vocat appendicem ad medium ventrem. Conſtat

ſeptem

ſeptem vertebris intra cavitatem ſpinalem medullam à cerebro continuatam excipientibus, de quibus, ut & reliquis partibus, qua exterioribus, qua interioribus, videantur Anatomici. In hac ſignificatione dicitur *Cervix rigida* apud Scribon. Larg. *n.* 255. & *valida cervice* præditi, κρατεραύχενες, Hippocrat. *6. Epid. ſ.* 1. *t.* 3. Aliquando ſtricte pro parte poſteriore *colli*, Barthol. *d. l.* Aliquando metaphorice. Ita *cervix* uteri Collum dicitur, canalis, ſive meatus oblongus, ſitus inter orificium interius & exterius, inſtar vaginæ penem excipiens. Vide *Caulis.* Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 7. *art.* 12. §. 114. Barthol. *l.* 1. *c.* 30. Ita & *oſſium proceſſus*, vel ἀποφύσεις, dicuntur *cervices*, Galen. *l. de oſſib. proœm.* Barthol. *libell.* 4. *c.* 1. *in fin.*

CERVICULÆ *ſpiritus* eſt *oſſis de Corde Cervi.* Rul.

CERUMEN, ὠτὸς ῥύπος, κυψελὶς, *aurium ſordes*, *Marmorata*, eſt excrementum aurium naturale, Gal. *l.* 10. *de Simpl. Fac. in fine*, humor calidus, ſiccus, quandoque humidus, conſiſtens, ſubflavus, amarus, ex ſero, bile, & pituita conſtans in exteriore aurium meatu, partim à colore tenuia diſſipante, partim ab externo frigore diſſipationem inhibendo uniente collectus, inde inſtrumenti ope extrahendus, uti deſcripſit Ger. Blaſius *in Medic. General.* Uſus ejuſdem Medicus externus in curandis paronychiis à Galeno *d. l.* adductus, aut quod medeatur ictibus ſcorpionum, conglutinet vulnera, fiſſuras cutis &c. ex Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. non improbatur. At internus, pro præſentiſſimo in colica remedio in potu ſi ſumatur, ceu ſordidus minime nobis probatur, delicias has aliis relinquentibus.

CERUSA factitia, Gerſa Serpentariæ, Holler. *de mat. Chir. l.* 2. *c.* 5.

CERUSIANA, κηρυσιανὴ, epitheton medicamenti, quod à Philippo Trallianis fuit datum, apud Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5. *in fin.* contra phtiſicos & ſuppuratos.

CERUSSA, *Ceruſa* Palladio. Vid. Rhod. *in Indic. prior. ad Scribon.* ψιμίθιον, ψιμύθιον, Scrib. *n.* 184. fit e plumbo, & eſt ejus veluti ærugo, vel calcinationem vaporoſam. Modum vide ſis apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 103. & Schröder. *l.* 3. *c.* 12. Olim fuit laudatiſſima, quæ in Rhodo, Corintho aut Lacedæmone parata. Eſt autem fere omnibus nota *Ceruſſa.* Meminit ejus aliquoties Galenus & Scribon. Quando torretur, donec ſimilis fiat Sandarachæ, dicitur *Scandix.* Lavatur etiam *Ceruſſa* Cadmiæ modo, Dioſcor. *d. l.* Ruland. *in Lex.* Paracelſ. *ceruſſam* plumbum mortuum appellat, *de mort. rer. natur. l.* 5. Jung. Libav. *Synt. arc. Chym. l.* 5. *c.* 10. Tribuitur etiam artificialibus hoc vocabulum v. g. *Ceruſſa* Antimonii, quæ eſt Antimonium Diaphoreticum ex Regulo ejus paratum. Schröder. *l.* 3. *c.* 17.

CERUSSEA *urina*, dicitur apud Paracelſ. quando eſt alba, ut *ceruſſa*, eſtque ſignum mortis, aut ſignificat oppilationem hepatis, *l.* 2. *de Urin. judic.*

CERVUS, *Cerva*, ἔλαφος, ἄῤῥην καὶ θῆλυ, animal utriuſque ſexus notiſſimum, biſulcum, terum vel ſylveſtre; vivaciſſimum, certis temporibus ſalaciſſimum, præſertim mas, qui cornutus eſt. Unde & *Cervus* quaſi κεραὸς, cornua gerens dictus. Fœmina eſt ἀκέρως, nec habet cornua. Utriuſque deſcriptionem pleniorem reperies apud Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. biſulc. c.* 27. Uſus imprimis maris non ſolum in victu, ſed & in medicina frequentiſſimus, dum Cornua, Os de Corde Cervi (quod tamen cum bubuli cordis oſſe ſæpiſſime permutatur) Genitale, Teſticuli, Sanguis, Lachryma, Medulla, Sevum, Talus, Aſtragalus, Corium, Lapis, adhibentur, de quibus omnibus vide Aldrovand. *d. l.* & ſuccincte apud Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 17. Hofmann. *in Clav. ad ill. loc.* Joh. Georg. Agricol. *vernac. deſcriptionem Cervi.* Pertinet huc *Elaphographia*, h. e. *Cervi* deſcriptio Phyſico-Medico-Chymica D. Joh. Andreæ Graba Collegæ Nat. Curioſ. cujus mentio quoque fit in Oldenburgii *Actis Philoſoph. Ann.* 1668. *menſ. Septemb.* Sparſim etiam invenire licet apud Galen. aliquid de *Cervo*, de carne, quod ſuccum vitioſum generet, *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 2. Et proximam aſinorum carni eſſe dixit, *de atten. vict. c.* 8. de *Cornibus*, *l.* 11. *de S. Fac. t. Cornua cervi:* de *Medulla*, quod ſit blandiſſimum medicamentum, *de Theriac. ad Piſon. c.* 9. & *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 16. inter Damocratis Acopa. Ita & apud Scribon. Larg. mentio fit *Hinnulei cervi*, *n.* 13. cujus coagulum laudatur contra epilepſiam; Cornuum, *n.* 122. lachrymarum, *num.* 163. de quibus *in notis p.* 239. Rhod. ex Scaligero ſcribit, quod conteſimo demum anno cervis lachryma naſcatur, ſummum ad venena ſudoriferum, de cujus veritate merito dubitare quis poſſet. De *oſſe cordis cervi* legatur etiam apud Paracelſ. *l. de morbis Tartareis c.* 11. & *tr. de peſtilit.* Cur cornua cervi quotannis menſe Februario decidant, & mox intra tres vel quatuor menſes nova regenerentur & indureſcant, reprobatis variis opinionibus, plauſibili ratione phyſica declaravit D. D. Stahl *in Propemptico ad Diſp. Inaug.* Dn. Leop. Alb. Labach Sileſ. *de Lapid. Manati.* *Cervus volans* dicitur *Scarabæus Cornutus.* Vide *Cantharus.*

CESSO, vide *Eao*, *Pauo.*

CESTREUS, κεστρεὺς, vide *Mugil.*

CETACEUS, κητώδης, epitheton animalium marinorum grandiorum, in quorum numero ſunt Phocæ, Balenæ, Delphini, Libellæ, grandiores Thunni, &c. de quibus in ſumma dicendum, quod omnia ejuſmodi habeant carnem duram, pravi ſucci, & excrementitiam, Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 37. Plura de his vide apud Aldrov. *l.* 1. *de Cetis.*

CETE, *Cetum*, κῆτος, vel ſumitur late pro omni piſce *Cetaceo*, h. e. grandiore, qui etiam Latine dicuntur *Piſtrices.* Vide *Cetaceus:* vel ſtricte aliquando pro *Balæna.* Vide *Balæna.* Aldrov. *d. l. c.* 2. Apud Paracelſ. *in Fragm. Med. Cetum* dicitur Scabies arborum.

CEVIL, eſt terminus Paracelſicus, denotans induratam quandam ſubſtantiam in terra ad ſimilitudinem calculi

calculi in homine, e terreo Tartaro indurato per ſpirituum urinæ, qui eſt in liquore terræ. Eſtque appropriatum remedium contra lithiaſin, quia ſeſe invicem frangunt & conterunt, *Tr.* 1. *de morb. ex Tart. c.* 4. Dicitur & *Ludus* eidem & Helmont. *tr. de Lithiaſ. cap.* 8. *n.* 23.

CHÆTE, χαίτη, proprie *jubam* ſignificat in quadrupedibus. Uſurpatur tamen & de *cæſarie*, vel coma humana, præſertim de capillis, qui à parte poſteriore ſecundum occiput prominent, ut & de pilis circa tempora oriundis. Gorr. *p.* 501.

CHALAO, χαλάω, remitto, *relaxo*. Frequens verbum apud Hippocr. *de remiſſione morbi & ſymptomatum*, v. g. *l.* 7. *Epid. II.* 35. *VII.* 17. *XXVII.* 6. 28. *XXXIX.* 8. *&c.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 673. Hinc deſcendit τὸ χαλαρὸν, quod dicitur de inteſtino recto, Hipp. *l.* 3. *de artic. t.* 41. etiam de cute, 5. *aph.* 71.

CHALASIS, *Chalaſinos*, χάλασις, χαλασμὸς, *relaxatio*, opponitur tenſioni, ad eundem modum, quo duritati mollities, eſtque remedium laſſitudinis tenſivæ, Hipp. 6. *Epid. VII.* 29. Gal. *l.* 3. *de tu. ſan. c.* 6.

CHALASTICOS, χαλαστικὸς, *relaxans*, dicitur de medicamentis, quæ tenſioni medentur, Gal. *l.* 5. *de S.F. c.* 11. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 9. Et licet tenſio multis contingat modis, & ita non videatur una *laxantium* eſſe ſpecies, ſed alia humectando *laxant*, alia calefaciendo, alia molliendo, alia vacuando, alia tumores p. n. purgando, alia aliud quippiam faciendo. Attamen ſi proprie univerſalem quandam *Laxantium* medicamentorum ſubſtantiam & naturam conſtituere licet, ea certe erit ex genere modice calefacientium, adde & humectantium, Summa. Parum vel nihil differre videntur ab *Emollientibus*, de quibus ſuo loco. Vid. *Dogm. noſtr. part.* 6. *c.* 2. *dogm.* 9.

CHALAZA, *Chalazion*, *Chalazoſis*, χάλαζα, χαλάζιον, χαλάζωσις, *Grando*, in foro Medico ſignificat tuberculum grandini ſimile & pellucidum in palpebris concretum, otioſi humoris in palpebris colluvies, Æginet. *l.* 6. *c.* 16. Galen. *in defin.* Eſt igitur vitium, quod oculos infeſtat, cujus cauſſa eſt humor quidam lentus poſt congeſtionem concretus. Affinis affectus *Crithæ* vel *Hordeolo*, vel *Poſthiis*, Gal. 4. *de C. M. S. L. c.* 7. ut & ſimilis *Lithiaſi* in palpebris, unde conjunxit Sennert. *in Pr. Med. l.* 1. *p.* 3. *ſ.* 2. *c.* 4. *Grando* quoque vel *Chalazium* dicitur appendix illa albuminis ovorum, quod vernaculo Avis der Vogel nomine exprimitur. Libav. *Epiſtol. Chym. l.* 2. *ep.* 11. Velſch. *in Syllog. Obſervat. ad Marcelli Cumani Obſ.* 59. *p. m.* 71.

CHALBANE, χαλβάνη, vide *Galbanum*.

CHALCANTHUM, χάλκανθον, vide *Vitriolum*.

CHALCEDONIUS, χαλκηδόνιος, eſt epitheton medicamenti contra purulentas & inveteratas aurium affectiones. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1.

CHALCIDICA, χαλκιδική, eſt epitheton *Lacertæ* cujuſdam, quæ etiam *Seps*, Σὴψ, σῆψις, vocatur, cujus morſum tumor pellucidus ſequitur, veluti nigrore in ambitu plagæ relucente. Verum eadem lacerta vino pota propriis morſibus ſuccurrere creditur. P. Æginet. *l.* 7. *lit. S. in Seps*; & Foreſt. *l.* 3. *Obſ.* 12. *in Schol.*

CHALCEIUM, χαλκεῖον, *æreum* ſignificat, Foëſ. reddidit officinam fabri. Rectius, omnia inſtrumenta ex ære parata complectitur, ut ſunt follis, fiſtula, vaſa, ahena, lebetes, ollæ, uti demonſtrat C. Hofm. *in Cal. de V. P. n.* 280.

CHALCITIS, χαλκῖτις, eſt medicamentum & recrementum metallicum, colore æris, intercurſantibus oblongis venis ſplendentibuſque. Naſcitur in iiſdem metallis, in quibus *Sory* & *Miſy*, mediumque inter ea non tantum loco, ſed & conſiſtentia, *Sory* ſcil. tenuius, & *Miſy* craſſius, nec non viribus. Habet vim adſtringentem & adurentem, uno verbo, Eſcharoticam. Dicitur & *Atramentum rubrum*, *Pyrites ærosſus*. Speciem æris præ ſe fert, nativa: nunquam factitia. Alia eſt cruda, alia uſta & lota, cujus color cinereus eſt, Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 3. *l.* 1. *de C.M.P.G. c.* 18. *fin. & alibi.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 115. Schröder. *l.* 3. *c.* 18. Hofm. *in Clavi ad h. l.* Celebre & notum eſt in Officinis *Emplaſtrum Diachalcitidos*, quod & *Diopalma* vocatur, ex Gal. *d. l. c.* 4. Rul. *Chalcitiden* deſcribit, quod ſit lapis, unde æs coquitur. Unde & *Lapis ararius*, *Marchaſita*, *Pyrites* eidem vocatur. Deinde alteram quoque ſignificationem addit, quod ſignificet *Alumen capillare*, ſive *Schiſtum*. Hinc & locum illum Hippocr. *l. de ulcerib. XII.* 12. ubi χαλκῖτις ϛυπτηρίη legitur, de alumine exponendum eſſe volunt. Uſurpavit etiam ſæpius Scribon. Larg. in compoſitionibus, *n.* 37. 47. 240. Vid. Rhod. *in Not. p.* 76.

CHALCOMA, χάλκωμα, idem, quod χαλκεῖον, *vas æreum* ſignificat. Hinc vaſa Corinthiaca, χαλκώματα dicta, tum primum ex ære fieri ceperunt, cum Corintho à L. Mummio devaſtata incendio, ſimulacra ex omnifariis æris, argenti & auri metallis conflata in unam maſſam confluxiſſent. Lang. *l.* 1. *Epiſt.* 29.

CHALCOS, χαλκὸς, vide Æs. Per χαλκὸν νώροπα apud Homer. *Iliad. β.* intelligi *Noricum æs*, ſive Germanicum ex Alpibus Noricis, teſtatur C. Hofmann. *d. l. n.* 44.

CHALCUS, χαλκοῦς, *æreolum*, eſt nomen ponderis Medici & Attici. Eſt autem ſexta pars oboli, & ita duodecima ſcrupuli. Pendet autem circiter grana duo, cum olim ſcrupulus 24. grana contineret. Apud Fernel. *Therapeut. l.* 4. *c.* 6. legitur in Maſcul. *æreolus*.

CHALCUTE, idem, quod *Æs uſtum*. Ruland. & Iohnſ.

CHALEPOS, χαλεπὸς, communiter *difficilis*, gravis ſignificat. Enimvero ſi quod aliud magnum eſt, & plenæ ſignificationis epitheton apud ſuos, quod Latini idcirco multis reddunt & æque magnis, ſed ſumtis ſemper e natura rei, cui apponitur. Par pari quippe nequeunt, verbis Linden. *Ex. XIII.* §. 310. Etenim non nudam

nudam difficultatem denotat, ſed difficultatem cum periculo aut damno conjunctam. Ita tota Medicina habetur difficilis, quia, quæ in illa continetur, periculum conjunctum habent. Ita Criſis dicitur *difficilis*, 1. *aph.* 1. Ita ſani tenuem victum *difficulter* ferunt, 1.*aph.*5. h. e. cum periculo & detrimento: Junge 5.*aph.* 55. *l.* 5. *Epid. V.* 96. *&c.* Vide Dieter. *n.* 916.

CHALICRATON, χαλίκρατον, *vinum miſtum* vel aqua temperatum ſignificat, χάλις enim vel χάλιξ, *vinum* ab antiquiſſimis Poëtis dicebatur. Keuchen. *ad Q. Seren. not. p.* 203.

CHALINOS, χαλινὸς, proprie frenum ſignificat. Apud Aurelian. vero & Pollucem hoc nomine quoque venit angulus oris & compago, vel pars buccarum circa labiorum confinia, quod fit inſtar freni vel retinaculi oris. Blancard.

CHALYBS, vide *Ferrum.*

CHAMA, χήμη, *Cheme*, eſt nomen conchæ marinæ capacioris, vel hiantis. Nam utraque ſignificatio à verbo χῶ applicari poteſt. *Hiatulas* vertit Gaza & C. Hofmann. *ad Gal. de V. P. n.* 539. *Chamarum* deſcriptionem, differentias, & uſum in cibo vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. cap.* 58. *ſeq.* Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. cib. c.* 4. *Chema*, vel *Cheme*, χήμη, eſt quoque nomen menſuræ apud Atticos duplicis. *Chema* major pendet drachmas tres, & vigeſima pars eſt Cotyles: minor duas drachmas, & trigeſima pars eſt Cotyles. Utitur Hippocrat. *l.* 1. *de Morb. mul. CI.* 17. *CIIX.* 20. Quamvis nihil certi de pondere *Chemæ* ex his locis conſtet. Unde veroſimilius videtur, per Chemam non certum pondus, ſed potius certam menſuram, quantum conchæ marinæ, *Chama* dictæ, mediocris teſta capit, indicari, cujus certum pondus exprimi nequeat ob rerum diverſam gravitatem; quemadmodum & hodie cochlearis capacitas incerto modo vulgo uſurpatur, in rebus præſertim, ubi parum refert, plus minusve paulo quis ſumat. Confer ad loca Galen. 5. *de C. M. S. L. c.*7. & *l.*3. *c.* 3. Foëſ. *p.* 677. *ſeq.*

CHAMÆLEON, χαμαιλέων, & nomen plantæ eſt, de qua conſulantur Botanici, & nomen animalis ovipari, figura plane lacertam repræſentantis, cujus deſcriptionem pleniorem vide ſis apud Ariſtot. *l.* 2. *de H. A. cap.* 11. & Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. ovip. c.* 14. *Chamæleontis* cujuſdam Ægyptiaci fortaſſis Anatomiam ſuccinctam lege ſis in Oldenburg. *Actis Philoſophicis de An.* 1669. *M. Julio*; ubi abſque litera h. ſcriptum occurrit. Accuratiorem adhuc deſcriptionem cum confirmatione varietatis colorum tradidit Dn. Georgius Wheler Eques Anglus, ceu αὐτόπτης *in Itinerario Dalmatico Græco &c.* uti conſtat ex *Actis Eruditor. Lipſ. Ann.* 1689. *m. Septembr.* Hujus fel una cum aliis commendatur contra trichiaſin ſive pilos palpebrarum inutiles apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. *Chamæleontem* Africanum in liquore Balſamico aſſervatum quondam habuit Ammann. uti ſcripſit *in Irenic. p.* 188.

CHAMÆZELUS, χαμαίζηλος, *humilis*: de loco uſurpatur vel *ſedili*, apud Hippocr. 3. *de fractur. t.* 61. item de *humero*, vel potius epomide, ſuperiori humeri parte in humero avulſo, *ſ.* 1. *de artic. t.* 62.

CHAMBAR, dicitur *Magneſia.* Rul. Vide *ſuo loco.*

CHAMBROCH, denotat *Trifolium*, apud Helmont. *in Indice.*

CHAMEUNIA, χαμευνία, *humi decubitum*, vel *humicubationem* ſignificat, qua voce uſus Galen. *cap.* 3. *aph.* 29. & 30. Quo Foëſius credit, idem eſſe, quod σκληροκοιτία, aut σκληροκοιτεῖν, *duriter cubare*, durum cubile, cujus meminit Hippocr. *de vict. ſalubr. t.* 12. vel 13. & Gal. *in comm.*

CHANDOTHEN, χανδόθεν, adverb. ſignificans, *hiatim*, *hianter*, item affatim, copioſe. Uſus Hippocr. *l de Glandul. VIII.* 7. quamvis in edit. Linden. legatur ἀνδόθεν. Vid. Foëſ. *pag.* 674. *ſq.* *Hians*, *Hiatulus.*

CHANNA, *Channe*, aliis, ſed perperam *Canna*, Gr. χάννος, χάννη, eſt nomen piſcis marini, vel potius in locis ſaxoſis degentis, *Percæ* ſimilis, tenera carne præditi, duriori tamen, quam perca, de quo videatur Aldrov. *l.* 1. *de piſc. cap.* 10. Huic ſimilis eſt alius *Cannadella*, vel rectius *Channadella* dictus, qui à Maſſilienſibus etiam *Channa* vocatur *d. l. c.* 11.

CHAOMANTIA eſt ars, qua præſagium ſumitur ex aëre. Rul. & Iohnſ. quando ſeſe aſtra aëris manifeſtant & ventorum, quæ ſunt ſigna *Chaomantica*, Parac. *de ſignat. rer. nat. l.* 9. Species *Chaomantiæ* ſunt Borealis, Auſtralis, Zephyra, Eurona, Fulgurina, Tonitruata, Tempeſtatum, Flata, *in Tab. ad Philoſ. ſagacem.*

CHAOS, χάος, proprie ſignificat molem illam indigeſtam vel materiam primam in prima creatione à DEO ex nihilo factam, e qua poſtmodo corpora naturalia cuncta creata & producta fuerunt, quam Spiritu S. per Moſen vocavit תהו ובהו tohu vabohu. Gen. I. 2. & hæc ſano ſenſu materia prima dici poterit, non diſſentiente Joh. Marco Marci *in Philoſ. vet. reſtit. Part. I. ſect. II. & P. II. ſect. I.* Tropice vero ſumtus eſt terminus Paracelſicus denotans *Aërem*, *Paragran. Tr.* 2. *de Aſtron.* Comparatur albo ovi, & vitellus eſt ſphæra inferior terræ. *Chaos* eſt elementum aëris, *tr. de morb. Tartar.* Sumitur & pro Iliaſte vel Iliaſtro. Rul. Huic ſimilem finxit Idem *Chaos Microcoſmi*, quamvis adeo obſcure, ut nugas illas extricare, eſſet nihil aliud, quam tempus perdere. Vid. *d. l. & tr. de peſte*, 2. *c.* 3. *Chaos Microcoſmi* eſt aër, qui diſperſus per totum corpus cauſſa eſt epilepſiæ, ut ſpaſmus feratur ex eodem, ſicuti venti exteriores impetu quodam moventur, *in Schol. ad Paragraphor. l.* 3. *c.* 2. & aliis pluribus in locis. Spagyrici circa negotium lapidis Philoſophici aliud adhuc *Chaos* finxerunt, deſcribentes *Chaos Spagyricum*, quod ſit formarum particularium & materiarum ſuarum cum univerſali forma, ſuaque materia confuſio. Vel eſt univerſale quid,

omnia, quæ nos operamur, in ſe concludens, à cujus ventre debet ingenioſus artifex elicere materiam ſuam, formam, cœlum & elementa, ut ex iſtis medicinas conficiat, *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 286. *&* 418. *tit. Philoſoph. Chym. & Vol. II. p.* 9. Adde *Vol. V. p.* 344. *in Dialogo Ægidii de Vadis c.* 4. Vocatur & *Chaos Magicum Hermetis*, quod contradiſtinguitur *Theologico Chao*, Libav. *Exam. Philoſ. vivent. ſect.* 12. *Chaos minerale* vocatur lapis mineralis, qui aurum præparatum, corallia, margaritas, reddat potabilia, dictus Abyſſinis *Biſtumi*, Arnoldo *Chiffir* minerale, *Syntagm. arc. Chym. l.* 7. *c.* 8. ὑπηνέμια. *Chaos viciſſitudinem* legitur apud Helmont. *de Ideis morboſ. num.* 26. Ipſe lapis Phil. quoque vocatur Chaos, Lagn. *Harm. Chym. Theatr. Chymic. Vol. IV. p.* 719. *Chaos Mercurii* quid dicatur Chymicis, vide in Morley *Coll. Chym. Leid. cap.* 62. *proc.* 2. *Chaos mentale* vocantur ſpecies & ideæ ſenſibiles ſeu memorativæ confuſe ſubjecto vel cerebro inexiſtentes, de qua ſignificatione prolixius egit Joh. Marc. *Philoſ. vet. reſt. Part. III. ſect.* 6. *p.* 270. *ſeqq.*

CHAOSDA, epitheton Paracelſicum Peſtis, q. d. *Peſtis Aërea*, *in Fragm. medic.*

CHAOVA vocatur Decoctum Ægyptiis uſitatum ex ſeminibus *Bon* paratum fabas imitantibus, de cujus viribus legatur Proſp. Alpin. *de Medicin. Ægypt. l.* 4. *c.* 3. *p.* 122. *b. ſeq.*

CHARA, χαρὰ, vide *Gaudium.*

CHARABE, idem, quod *Succinum.* Vide CARABE. Succus quoque Populi arboris *Charabe* dictus fuit P. Aponenſ. *Conciliat. controverſ. diff.* 132.

CHARACTER, χαρακτὴρ, *Sigillum*, duplicem potiſſimum habet ſignificationem, propriam & impropriam. Proprie *Characteres* ſunt figuræ certæ ab artifice ſeu fingente, ſeu pingente excogitatæ, ut ex inſtituto & conſenſu cum aliis pluribus, vel paucioribus aliquid ſignificent. Hujuſmodi *Characteres* ſunt *Officinales*, quibus pondera & menſuræ denotantur, v. g. Uncia ℥, drachma ʒ, ſcrupulus ℈, Libra ℔, &c. item *Chymici*, de quibus vide Schröd. *in princip. Pharm. Medico-Chym.* Libav. *Exam. Phil. viv. ſ.* 28. alios. Jungatur & Schenk. *Synt. Comp. & præſ. med. form. p. m.* 82. *ſeqq.* Huc etiam referri poteſt *Character* ſub figura triplicis



pentagoni, qui in Græcas literas ὑγίεια reſolvebatur, quod ſignum per ſomnium Antiocho Soteri regi ex Divina revelatione communicatum fuiſſe legitur, ut loco teſſeræ in veſtibus militum inteximæ uteretur, quo facto etiam victoriam à Galatis reportavit, Lang. *l.* 1. *ep.* 34. ubi plura de *Characteribus.* Quod vero tales *Characteres* σημαντικοὶ ſignificantes, vel etiam alii ἄσημοι, h. e. nihil ſignificantes, fortuito & temerario ordine diſpoſitæ & exaratæ figuræ medicam & activam curandi morbos vim obtineant, eamque naturalem, uti quidem Paracelſus acriter defendere artem hanc *Characteriſticam* paſſim in ſcriptis conatur, perſuadens, eos *characteriſmos* quidem non ex propria virtute, ſed interveniente imaginatione noſtra aſtrali effectum illum præſtare, illud ſolidis rationibus refutatum apud Sennert. *de conſ. & diſſ. Ch. c.* 18. Diet. *Iatr. n.* 683. & Rob. Keuch. *in proleg. ad Q. Ser. Sammonic.* reperies. Revera ſunt & manebunt teſſeræ diaboli, ad confirmationem pacti cum ipſo ſive impliciti, ſive expliciti, & à Medico pio bonoque artem ſuam ſancte exercente fugiendæ. Vide *Sigillum.* Improprie *character* vel *characteriſmus* ſignificat hæreditariam quandam diſpoſitionem, & veluti jus gentilium, quæ locum habet in multis morbis, præſertim chronicis, & ad eorum cauſſam antecedentem pertinet. Ita epileptici naſcuntur ex epilepticis, arthritici ex arthriticis, tabidi ex tabidis &c. Rolf. *Ord. ac Meth. Comm. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 33. Nec inepte de eodem ſcripſit Helmont. *in tr. A. ſede animæ ad morbos;* Quamvis etiam de ſtatu naturali *character* dici poſſit, per quem v. g. homo alterum cognoſcit. Ita facies corporis & lineamenta ejus dicuntur *character. Character* etiam à compoſitione membrorum, à conformatione lineamentorum, à figura, ſtatura, habitu, inceſſu, voce, ſuus cuique eſt, verbis Lind. *Ex. IX.* §. 19.

CHARADRA, χαράδρα, *torrentis alveum*, ſulcum, ac *voraginem* ſignificat, quam torrens rapido ſuo impetu efficit & excavat, aut ſalebroſum & confragoſum locum. Unde verb. χαραδρόω deducitur, quod ſignificat *excavo in torrentis alveum*, aut *cavernoſum reddo:* & χαραδρωθῆν in paſſiva ſignificatione, quo uſus Hippocr. *l. de Flat. XVII.* 1. Plura vide apud Fœſ. *d. l.*

CHARADRIUS, χαραδριὸς, nomen aviculæ, quæ & *Galgulus* dicitur, & *Hiaticula*, cujus deſcriptionem exhibet Ul. Aldrov. *l.* 20. *Ornithol. c.* 67. de qua ſcribit Ælianus, quod eximio naturæ beneficio affecta ſit, dum icterico morbo laborantes ſolo hujus aviculæ intuitu à morbo liberet, croceos bilis vapores vel effluvia alliciendo. Ob id ſub velamine vendebatur, ne licitator remedii particeps fieret, antequam emeret. Quamvis vero Joh. Langius videatur aſſenſum præbere *l.* 2. *ep.* 36. rectius tamen Aldrovandus noſtro fecit judicio, qui nugas vocavit.

CHARAXIS, χάραξις, *orbitam* ſignificat, vel ſcrobes effoſas, in quibus ſudes defiguntur. Χάραξ enim *ſudem* notat. Proprie huc non pertinet. Meminit ſaltem Linden. *Ex. XI.* §. 75.

CHARIEIS, *Charieſteros*, *Charieſtatos*, χαρίεις, χαριέστερος, χαριέστατος, *Gratioſum* in poſitivo, comparativo, & ſuperlativo gradu ſignificat, eſtque epitheton Medici, non quidem eo ſenſu, quo illuſtribus perſonis tribuitur; ſed quatenus apud alios celebris & acceptus habetur, & majorem longe lateque ſibi exiſtimationem atque laudem conſecutus eſt, quod fit, quando artem ſuam theorematis non fallacibus apprehendit, & uſu atque obſervatione ſedula confirmavit. Ita enim Aglajam cum majeſtate venerandam, Thaliam cum humanitate

manitate amabilem, Euphroſynen cum decore prudentem, illas *Gratias* dextra quaſi præferet, & dubium ſine dubio faciet omnibus, magisne ob virtutem amandus, quam honorandus ſit ob neceſſitatem, ut verba Lindeni noſtra facere liceat, *Ex. II.* §. 15.

CHARIS, χάρις, *gratiam* ſignificat, *indulgentiam*, & ſpecialiter eam, qua ægro interdum gratificamur, aut eum exhilaramus, ejuſque gratiam aucupamur, & noſtra perſuaſione obſequentem nobis Medicis reddimus. Hujuſmodi *gratificationes* recenſet Hippocr. *l. 6. Epid. S.* 4. *t.* 7. *vel* 8.

CHARITESIA Irenæi dicuntur *Theſſala Philtra*, ceu antiquiſſimum Magicum machinamentum, uti ſcribit P. Ammann. *Irenic. p.* 239.

CHARME, vel *Charmis*, χάρμη, χάρμις, eſt epitheton cujuſdam *Antidoti* veteris, cujus deſcriptio carminice legitur ap. Gal. *l.* 1. *de antidot. c.* 4. ab Autore *Charmide*, qui non integram libram mille Atticis drachmis vendidit, & gratis fere emptori dare exiſtimavit.

CHARONIUS, χαρώνειος, eſt epitheton regionum, & foſſarum, & antrorum ſubterraneorum. Paucis: denotat loca inacceſſa præ putore, aut alioquin peſtifera, à *Charonte* Stygio nauclero ita dicta, qualis erat Phrygiæ regio, *Charonia* dicta, apud Strab. *l.* 12. Meminit Gal. *c.* 2. *de nat. hum. t.* 2. *l.* 7. *de V. Part.* 8. (ad quem locum vid. annot. C. Hofm. *n.* 464.) *l.* 1. *in* 1. *Ep. in proœm.* & exponit per βαρύοδμεῖα, gravem odorem ſpirantia *l. de util. reſp. c.* 4. ita, ut vel unica inſpiratione homines moriantur, quaſi acutiſſime ſtrangulati, Aret. *l.* 1. *c.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 675.

CHAROPOS, χαροπὸς, *colorem oculi gratum* ſignificat, qualis eſt cœli & maris, uti *Cæſius* aut cœruleus. De oculis uſurpavit Hipp. 2. *Epid. ſ. V.* 3. *& ſ.* 6. *n.* 6. Linden. vertit oculos *ravos*, 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 70. ubi tamen certo non conſtat, an de oculis exponi debeat. Cœlius Aurelian. etiam de urina tenui & aquoſa, & ita ſubalbida, ut coloraturæ liquidæ colorem fingat, uſus eſt *l.* 5. *Tard. paſſ. c.* 3. Foëſ. *d. l.*

CHARTA, χάρτης, notiſſimum omnibus, quid hodieque ſit, & unde paretur. Olim ex planta quadam *Papyrus* dicta, arundinibus cognata, parabatur, teſte Dioſcor. *l.*1.*c.*115. Rhod. *in Not. ad Scribon. Larg. n.*114. quæ *Charta combuſta*, vel cinis inter ſiccantia ἀπὸ ψύξεως relata fuit, Gal. *l.* 2. *de C.M.P.G. c.* 5. *& l.* 9. *de C.M.S.L. c.* 5. *&* 7. *& alibi.* Num vero noſtra *Charta* combuſta ſubſtitui poſſit ac debeat, ὑπόληψιν mihi non vendicabo. Modum parandi *Chartam undulatam*, pictam & *patronalem* oleo delibutam vide ſis apud Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 1. *c.* 21. Tropice *Charta Virginea* vocatur tunica *Amnios*, Barthol. *l.* 1. *An. c.* 36. *p.* 301.

CHARTILAGO, pro *Cartilago.*

CHASCO, χάσκω, ſignificat *hiare*, ore eſſe hiante & aperto, idem, quod χαίνω, Hippocr. *l.* 4. *Epid. XXIX.* 8. Uſus etiam de utero poſt menſtruas purgationes aperto & hiſcente *l.* 2. *Epid. III.* 113. *& l.*6.*ſ.*8.*t.*9. Jung. Dieter. *n.* 587. *Os hians* habetur pro ſigno ſtultitiæ, & dicuntur hujuſmodi ſtolidi κεχηνότες, Lind. *Ex. XI.* §. 61.

CHASME, *Chaſmos*, χάσμη, χασμὸς, *hiatus*, *oſcitatio*, dicitur à χάσμω, *hio*, eſtque vel naturalis, aut in latitudine ſanitatis occurrens, actus ipſe *oſcitandi*, h. e. exploſio flatus, & diſcuſſio e muſculis. Confer. ad C. Hofmann. *Inſt. l.* 3. *c.* 87. §. 9. cujus cauſſa eſt flatus, vel vapor quidam in muſculis contentus, ut ſcribit Galen. 7.*aph.*56. quam cauſam etiam agnoſcit Sylv. *l.* 1. *Pr. M. c.*30.§.82.*& c.*34.§.69. in hoc diſcrepans (quod & mihi veroſimile videtur) illos halitus flatulentos ad pulmones tendere, & ita excitare *oſcitationem*, quamvis revera modus generationis ſit ſatis obſcurus in hoc quotidiano accidente. Helmont. ad os ventriculi ſtomachum reducit cauſſam *Oſcitationis*, *de febb. c.* 9. §.27. *ſeq.* vel p. n. ubi quidem eadem cauſſa, ſed vel exceſſu, vel qualitate vitioſa peccans. An vero ad motus depravatos animales, & quaſi convulſivos recte referatur, cum naturaliter quotidie fere fiat, dubitari poſſet. Ego litem meam non faciam. Eſto levior depravatio. Aſſiduarum *oſcitationum* medela eſt longa ſpiratio, Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 69. *& l.* 6. *ſ.* 2. *n.* 19. Χασμοὶ etiam dicuntur hiatus cutis & *fiſſuræ* ſcalpello inductæ, & loci ſcalpello exaſperati, in quibus ſanguinis grumi reſiſtant, Hipp. *de Ulcer. XV.* 6. Imo *Hiatus* quoque Anatomicis vocantur ſpatia illa, quæ cutis relinquit in quibuſdam corporis membris pro alimento ſpiritu, luce, ſono admittendis emittendiſque variis ſuperfluis. Joh. van Horne *Microcoſm.* §. 64. D. D. Hofmann. *Diſſert. An. ad h. l. p.* 264.

CHAULIODONTA, χαυλιοδόντα, dicuntur animalia, quibus *dentes ſunt exerti*, ut Aper. Gal. *l.* 1. *de V.P.c.*2.

CHAUNOS, χαυνὸς, *laxus*, fungoſus, mollis & digitis cedens. Epitheton tumorum, apud Hipp. 5. *aph.* 67. ubi opponuntur τὰ ἔνωμα, *interius crudi tumores*, & *l.* 2. *Ep. ſ.* 3. *n.* 128. ubi opponitur τὰ ἄνω νεμόμενα, *ſurſum paſcentes.* Dicitur & de Oſſibus, quæ rara, *laxaque* ſunt, & facile callum faciunt, 1. *de artic. t.* 65. Per translationem vero & improprie urina etiam χαῦνον οὖρον, *laxa* & mollis vocatur, quæ nullo craſſo aut lento ſucco permiſta eſt, ſed tenuis & aquea conſpicitur, *l.* 4. *Epid.VI.* 18. Foëſ. *d. l.* quamvis mihi videatur de Enæoremate ipſo, ceu contento & nubecula *laxa* illud dici, cui opponitur tenuis. Χαύνωσις τῆς μήτρας, h. e. *laxitas uteri*, legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 139. quamvis interpres quidam per laſſitudinem reddiderit.

CHEDROPOS, χεδροπὸς, vide *Cerealis*, *Legumen.*

CHEIÆ, *Chiæ*, χῖαι, eſt epitheton *calceamenti* vel crepidarum. Χῖαι κρηπῖδες Hippocrati dicuntur *Chiæ crepidæ*, ad pedis diſtortionem curandam accommodatæ, 4. *de artic. t.* 12.

CHEILOCACE, χειλοκάκη, ſive *Labriſulcium*, vocatur affectus quidam in Anglia & Hybernia familiaris, interdum Epidemius, infantibus præſertim moleſtus, ſub

quo labra admodum tumeſcunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed nequaquam fervido, aut inflammatorio, qui nunquam ſuppuretur, uti notavit ex Arn. Bootii *de affectib. omiſſ. c.* 10. Theoph. Bonet. *in Sepulchreto vel Anatom. Pract. l.* 1. *ſect.* 21. *Obſ.* 18. *p.* 361. & Mercur. Compital. *l.* 10. *p.* 426.

CHEILON, χειλὼν, *Labeo*, vide *Labeo.*

CHEILOS, χεῖλος, *labrum*, vide *Labium.*

CHEIMIUSA, χειμιῶσα, participium, cujus tamen verbum non occurrit in Lexicis commodum. Haud dubie à χεῖμα, vel χειμὼν, hyems. Significat *refrigeratam*, rigentem, *frigore condenſatam* carnem. Legitur apud Hipp. *de Loc. in Hom. XLI.* 6. Foëſ. quidem ſubſtantivum χειμὴ exponit, quod ſit *frigus*, horror, ex Gal. & inde χειμιῶσα deducit. Idem etiam fecit H.Steph. *in Theſauro.* Sed neuter autoritatem addidit, qua ſubſtantivi uſus demonſtrari poſſet.

CHEIMON, χειμὼν, *hyems*, vide *Hyems.* Χειμὼν etiam *frigus hybernum* quandoque denotat; unde χειμερινὰ, *hyberna*, *l.* 4. *Epid. III.* 6.

CHEIR, χεὶρ, manus, vide *Manus.*

CHEIRAPSIA, χειραψία, eſt *manuum contactus* & defricatio, quam ſcabioſi & pruritu tentati affectant, Cœl. Aurelian. *l.* 3. *acut. c.* 18.

CHEIRI, *Cheury*, *Keyri*, duo ſignificat: 1. *Leucoium luteum*, vel violam luteam petræam, cujus flores in Officinis *Flores Cheiri* dicuntur, Schröder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 93. Deinde apud Chymicos *Argentum vivum* denotat. Cum per adjectionem reperitur, ut, *flos Cheiri* ex argento, ſignificat *album Elixir*; vel ejus quintam eſſentiam, ut, *Flos Anthos*, auri *rubrum Elixir.* Alii *Aurum potabile* eſſe volunt: alii *Antimonium.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Aliter vero expoſuit Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 7. *c.* 7. Vocant, inquiens, *Chelidonium Philoſophorum*, vel *Cheiri*, propter colorem aureum florum: ſicut Anthos illum modum, qui fit per Vitriolum, interdum *Cheiri & Chelidonium lapidem* rubrum, ad quem ſumunt Solem Philoſophorum, ſeu Cinabarinum Mercurium; ſed *Anthos* album, pro quo Vitriolatum capiunt; quanquam in utroque ſit uterque. Hæc ille. An Paracelſ. per liquorem *Cheiri in l.* 2. *de Tartar. c.* 3. de Peſte intelligat Mercurialem, uti veroſimile eſt, non certo conſtat. Alias Paracelſus *Cheiri* Veneri tribuit, *Anthos* Marti, *l.* 3. *de vit. long. c.* 2. & ipſis longævitatis effectum adjudicat, *l.* 4. *c.* 1. Finxit etiam *Cheiri Microcoſmicum* in homine. *Labyrinth. Med. c.* 4. Somnia!

CHEIRIATER, χειριατρὸς, *Chiriater*, idem, quod Chirurgus. Legitur *in Diſp. Inaug.* G. P. Ritteri *de Remediis vulnerariis* §. 8. Ita & *Chiriatricus* tribuitur ceu epitheton remediis & operationibus Chirurgicis, in Harderi *Apiario Obſ.* 75.

CHEIRIS, χειρὶς, *chirothecam, manicam* ex pellibus factam ſignificat, manus involucrum uſitatum, qualibus etiam opus aliquando in morbis externis manuum ad muniendum ab externis injuriis, fovendum & reſocillandum. Aliis *pellis manicata*, item *Manicium*, vel *Manicia* dicuntur. Joh. Rhod. *ad Scrib. Larg. num.* 16. *p.* 55.

CHEIRISMA, *Cheiriſmus*, χείρισμα, χειρισμὸς, eſt *manuaria tractatio*, cum Medicus circa partem affectam aliquid manibus operatur, Hipp. 1. *de artic. t.* 65. *ſ.* 1. *de iis, q. in med. t.* 19. à verbo χειρίζειν, & χειρίζεσθαι, *manibus aliquid tractare*, quo etiam ſæpe uſus Hipp. v. g. *d. l.* & 1. *fract. t.* 5. Foëſ. *p.* 676.

CHEIRIXIS, χείριξις, vel late ſumitur pro *Chirurgia* ipſa, imo pro omni abſolute rerum omnium in ipſa curatione adminiſtratione, Gal. *c.* 1. *de fract. t.*49. quamvis C. Hofm. corrigere auſus fuerit, ſubſtituens χείρισιν, à χειρίζω, quia litera ξ abſque ratione Grammatica inſerta eſſe videtur. Dicitur & μεταχείριξις.

CHEIROMACTRON, χειρόμακτρον, *Mantile*, ſive linteum ad manus abſtergendas. Talia incombuſtilia habuiſſe Carolum Cæſarem, ejuſque conſiliarium, Comitem de Naſſau, quæ in ignem conjecta, tandem à ſordibus purgata, illæſa eximerentur, refert Lang. *l.* 1. *ep.* 66. num vero ex Salamandra, an vero ex *lapide Aſbeſto*, vel *Amianto* parata fuerint, (qui lapis etiam *Salamandra mineralis* dicitur,) ventilandum ibidem proponit.

CHELE, χηλὴ, etiam Latine *Chela*, 1. ſignificat *ungulam biſulcam*, vel *forficem cancrorum*, ſive brachium denticulatis forcipibus: 2. inſtrumentum Chirurgicum, ſive *ſpecillum bifurcum*, ſumma parte acie præditum, & inciſum ungulæ inſtar, quod commendat Hipp. in curatione polypi, *l.* 2. *de Morb. XXXIII.* 18. *XXXIV.* 16 18. quamvis in edit. Lindeni ſemper occurrat μήλη. Sunt etiam 3. χηλαὶ Ruffo Epheſio *ciliorum extrema* per ſomnum ſeſe contingentia. Denique *Chelæ* dicuntur *fiſſuræ alarum*, *pedum*, *pudendi*, Polluci, *l.* 4. *c.* 25. Vide Foëſ. *p.* 677.

CHELIDON, χελιδὼν, *hirundinem* ſignificat. Vide *Hirundo.* Cavum quoque, quod flexu fit in brachio, olim fuiſſe vocatum χελιδόνα, *hirundinem*, demonſtravit Linden. *Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 73. & *Ex. XIII. Sel. Med.* §. 414.

CHELIDONIUS, χελιδόνιος λίθος, lapis vel gemmula eſt, quæ reperitur in ventriculis pullorum hirundinum primo partu excluſorum, creſcente luna diſſectorum. Et quidem duo inveniuntur diverſi coloris, unus niger, alter ruffus: vel unus colore vario, alter ſimplici; magnitudine ſeminis lini, & ejuſdem formæ, Dioſcor. *l.* 2. *c.* 60. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Schröder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 17. Hofm. *in clavi.* Plura de hoc lapide, ejusque uſu vario videantur apud Aldrov. *l.*17. *Ornithol. c.*6. Chioc. *in Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 359. *ſeqq.* Dantur & lapides minerales, ſive foſſiles, *Chelidonii* dicti, ex Melitenſi inſula, qui huic deſcriptioni conveniunt, quos incolæ oculos ſerpentum vocant petrificatos. An de ſerpente illo, qui *Chelidonius* vocatur, vel Aſpis *chelidonia?* cujus meminit Gal. *l. de Theriac. ad Piſ. c.* 8. &

Ægi-

Ægineta *l.* 5. *c.* 19. ex utroque Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 11. Schol. *chelidonia*, vel *chelidonium* de plantis dici, conſtare poteſt e Botanicis. *Chelidonia* quoque Spagyrice accipi pro *Auro*, aut pro *Elixir* auri vel argenti, vide ſupra in *Cheiri*.

CHELMON, χελμὼν, vide *Chilon*.

CHELOMA, χήλωμα, eſt rima in ſagitta exſculpta bifida, cui nervum ipſius arcus applicant inter jaculandum, Gal. *in exeg. voc. Hipp.*

CHELON, χελὼν, vide *Chilon*.

CHELONE, χελώνη, *Teſtudo*, eſt inſtrumentum chirurgicum, quod in organis ad id collatum eſt, ut corpora, quæ reſtituuntur, paulatim & minime concuſſa extendantur, quemadmodum *teſtudines* animalia lento gradu procedunt. Hujuſmodi *Teſtudines* variæ ſunt figuræ, & varii uſus, de quibus Oribaſius *in machinamentis*. Aliæ cubitos & ſpatham attollunt, aliæ nihil attollunt, ſed ſaltem extendunt. *Teſtudo* quoque Chimicis dicitur argillaceum in medio furni tegmen catinorum, dimidium cylindri ſegmentum referens, concavum & parte inferiori hinc inde varie exciſum, ut flammam eo liberiorem admittat &c. deſcribente D. Olao Borrich. *in tr. Docimaſtica Metallica* §. 8. *Teſtudinatum tecti* quid ſit, vide *Aetoma*. De *Teſtudine* animali, ſcutum in dorſo gerente, marina & terreſtri, ejuſdemque utilitate in victu & medicina vide Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. ovip. c.* 1. *ſeqq.* Bruyerin. *de re cib. l.* 22. *c.* 271. Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 90. & alios.

CHELONION, χελώνιον, pars gibba dorſi, quæ collo proxime ſubjacet, ſic dicta à teſtudinis figura. Gorr.

CHELONITES, vide *Bufonites*. Ruland. & Iohnſ. e Plin. *l.* 37. *c.* 10. meminerunt *Chelonitis* vel *Chelonitidis* gemmæ, quæ ſimilis ſit teſtudinibus; interdum & alterius figuræ, nempe oblongæ, referentis aquaticam concham tornaticam. Interdum exacte referunt conchas marinas S. Jacobi dictas. Repertæ ſunt in veteri Marchia ad fluvios Tangrum & Albim. De uſu nihil addunt.

CHELYS, χέλυς, proprie *teſtudinem* denotat. Per tranſlationem aliquando *pectus* ſignificat, Hippocr. *l. de reſect. l.* 5. Hofm. *Com. de Uſ. Part. n.* 338. Hinc verbum χελύσσεσθαι, χελύττεσθαι, tuſſiendo e pectore educere, veluti teſtudine, item ἀναχελύσσεσθαι. Hinc & deſcendit

CHELYSCION, χελύσκιον, vitioſe χελίσκιον, quod ſignificat *tuſſiculam*, & quidem ſiccam, Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. & Gorr.

CHEME, χήμη, vide *Chama*.

CHEMIA, pro *Chymia*, vide ſuo loco.

CHEMOSIS, χήμωσις, (vitioſe χύμωσις,) eſt vitium oculorum, cum album oculi nigro ſupereminet, eoque ſublimius evadit, adeo, ut hiatus cujuſdam ſimilitudo appareat inter nigrum & album, Galen. *in defin.* Ægin. *l.* 3. *c.* 22. quamvis & alibi rubram carnoſamque corneæ oculi tunicæ inflammationem χήμωσιν vocarit, *l. de facil. parab.* Utriuſque cauſſa haud dubie in portionum crudiorum nutritiarum una cum ſanguine affluentium ſubſiſtentia conſiſtit.

CHENALOPEX, χηναλώπηξ, vide *Vulpanſer*.

CHEON, χεὼν, *nivem* ſignificat. Vide *Nix*.

CHERAMIS, χηραμὶς, epitheton *conchæ cavæ*, quam *hiatulam* vocant. Vide *Chama*. & conf. Erotian. Dicitur παρὰ τῦ χηραμῦ, quod locum cavum, *antrum*, ſaxum cavum, *luſtrum* denotat. Uſurpavit aliquando Hipp. *l.* 3. *de Morb. XIIX.* 66. 71. *XXV.* 77. & alibi ſæpius, quæ loca collegit Foëſ. *p.* 678.

CHERIO, *Cherionis*. *Cherio* eſt nihil aliud, quam calor aut frigiditas earum rerum, quæ corpus relinquit, & in naturam abit. Exemplum de camphora. Hæc frigiditatem ex *Cherione* ſuo habet. Quare præſentiſſimum remedium eſt in inflaturis. In ſubſtantia autem primarum ſuarum calida manet, quemadmodum ſulphur & ſpiritus ſalis, una cum mercuriali. Sic etiam gemmæ & herbæ. Præterea quicquid natura producit, ſuum *Cherionem* habet, h. e. elementare accidens externum. Unde *cherionia natura* dicitur, & morbis naturæ *Cherioniæ* opponi debent *Cherionia* recepta, Paracelſ. *l.* 2. *de grad. & compoſ. c.* 3. & 4. Contradiſtinguitur *Relolleo*, quod intrinſecam naturam eſſentialem denotat. Hinc mortem non eſſe *Cherioniam*, ſed *Relollaceam* ibid. dixit. Iohnſ ita deſcripſit: *Cherio* eſt externorum elementorum occulta accidentalis virtus, & non qualificata natura caliditatis vel frigiditatis. Meminit & *Cherioniæ* qualitatis *Relolleo* oppoſitæ Helmont. *Paradox.* 5. *n.* 19. Nobis videtur *Cherio* reſpondere temperamento elementari, *Relolleum* vitali, quamvis in eo non ſubſcribamus, vires medicamentorum eſſe potius ab elementari, quam vitali.

CHERMES, *Kermes*, eſt nomen fructus notiſſimum *cocci infectorii*, vel *grani tinctorii*, vulgo *ſcarlati*, unde famoſiſſima *confectio Alkermes Monſpelienſium* paratur. Vid. Schröd. *l.* 4. *ſect.* 1. *n* 93. & Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Impugnavit vero hoc D. Martin. Bernhardus à Berniz. Reg. Maj. Polon. Archiater *in literis ad Dn. D. Sachs*, negans idem eſſe *chermes* cum *cocco*, ſed illud ex ilice; hoc vero ad radices polygoni Polonici circa Thorunium copioſe creſcentis naſci, ſcripſit. Vid. *Nat. Curioſ. Ephem. T. III. Obſ.* 104. & jungatur *T. I. Obſ.* 8. D. Segeri.

CHERNIBION, χερνίβιον, vas ſignificat, in quo aqua ad manuum ablutionem in ſacrificiis recondebatur, Latin. *vas aquiminale*, aut *aquimanile* dicitur, Gr. etiam χέρνιβον, ἢ χέρνιψ. Ab Hippocr. vero accipitur pro *matula*, h. e. vaſe, in quod urina excipitur, *l.* 7. *Epid. XLI.* 7. Foëſ. *p.* 677.

CHERSA, idem, quod *fecula*, deſignat radicem in farinaceum pulverem comminutam vel tritam, quem laborem merito Zwölferus *in Animadverſionibus ad Pharmac. Auguſt.* & Ettmüller. *in Not. ad D. Ludovici Diſſert. Pharmaceut.* improbarunt ceu inutilem & viribus omnibus deſtitutum; quamvis alii adhuc defendere conentur,

nentur, præſertim DD. Wedel. *in Pharmac. Acroamatic. l. 2. ſect. 3. c. 2. p* 317. *ſeqq.* plauſibiliter ſatis oſtenderit e præparandi modo, quod non omnes vires pereant. An diſtinguendum igitur erit inter ſimplicia, e quibus *feculæ* parantur, quorum alia aliis magis ſunt volatilia, vel fixa? De *Cherſis* legatur Rolf. *Chymiæ l.* 5. *ſect.* 3. Jungatur Schröd. *l.* 2. *c.* 59. & Fr. Hofm. *Clav. ad h. l.*

CHERSÆA, χερσαία, eſt epitheton *aſpidis* e tribus generibus, quorum meminit Galen. *l. de Theriac. ad Piſ. c.* 8. & Ægin. *l.* 5. *c.* 19. Dicitur quaſi *Terreſtris.*

CHERSYDRUS, χέρσυδρος, eſt nomen ſerpentis amphibii, Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 6. In principio enim in aquoſis degit locis, & *hydrus* appellatur ab ipſis aquis, h. e. *natrix*; Poſtea vero ſiccos incolit locos, unde ex compoſitione locorum *cherſydri* nomen acquiſivit, Aët. *l.* 13. *c.* 35. & ex hoc Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 12. *Schol.* Aldrov. *l.* 1. *de ſerp. & drac. c.* 17. *hydrum* vel *natricem*, & *cherſydrum* pro uno eodemque ſerpente habet, ubi pleniorem ejus deſcriptionem, deque noxa & uſu invenire licet.

CHERUBIM eſt virtus & influentia cœleſtis, dominatio atque poteſtas ſuper omnes dominationes & poteſtates, à Deo procedens in terram, & ſuper omnes homines. De hac divina gloria legitur ampliſſime apud Paracelſ. *in expoſit. Pſalmorum David.* Iohnſ. *in Lex.*

CHEUSIS, χεῦσις, h. e. *liquatio*, *fuſio*, cui τὸ πάχος, *craſſities* opponitur. Uſus Hipp. de lachrymarum tenuatione, *l.* 6. *Ep. ſ.* 8. *t.* 23. quamvis omnes interpretes χρῦσις legant, & pro ſapóre accipiant, quam & Linden. retinuit. Placet tamen Foëſii ſententia *in Oec. p.* 677.

CHEZANANCE, χεζανάγκη, ſic dici poteſt omne remedium, quod neceſſitatem cacandi affert. Alias ap. Æginet. *l.* 7. *c.* 9. epitheton eſt unguenti ex melle & alumine parati & cocti, quoad rubeſcat, quo ſedes perungitur. Facile enim copioſa citra laborem ſubducit. Aëtius quoque emplaſtrum hoc nomine exornavit, quod umbilico impoſitum alvum movit. Gorr. *p.* 505.

CHIA, χία γῆ, dicitur gleba terræ, quæ in *Chio* inſula provenit albicans, & pollens vi adſtringendi, purgandi, extenuandi. Pulcherrimum eſt adverſus ambuſta remedium, Gal. *l.* 9. *de S. F.* §. *Terra Samia.*

CHIACUM, χιακὸν, epitheton collyrii, cujus materia vino *Chio*, h. e. auſtero, & aquæ marinæ experte lævigatur & miſcetur, quale propoſuit χιακὸν κολλύριον P. Æginet. *l.* 7. *c.* 16. Et Aëtius *l.* 7. varios collyriorum modos tradit, teſte Gorræo.

CHIADUS, Paracelſo idem, quod *Furunculus. Dothien.*

CHIASMOS, χιασμὸς, denotat concurſum duarum rerum, ſub forma aut figura crucis ✠. Paucis: χιασμὸς eſt *forma crucis.* Idem & adverbium χιαςὶ, vel χιαςικῶς ſignificat. Ita nervi optici utriuſque oculi occurrunt χιαςικῶς. Imo juxta Barthol. *libell.* 3. *Anat. c.* 2. plane confunduntur, in qua unione fruſtra quærunt identitatem ſpeciei viſibilis in utroque oculo, cum & utraque auris eandem ſimul & ſemel percipiat ſpeciem ſonoram, nec tamen de nervis Acuſticis talis unio notata ſit. Latine etiam dicitur χιασμὸς, *figura decuſſata*, *Cruciata*, *Andreata.* Vid. C. Hofmann. *Comm. in Gal. de V. P. n.* 684. 693. 694. 756.

CHIASTOS, χιαςὸς, *laquei* nomen, apud Oribaſium ſic dicti, quod habenæ capita decuſſatim inſtar literæ X invicem occurrant.

CHIAZO, χιάζω, hoc eſt, *cancellos facio*, emendo aliquid factis χιασμοῖς, cancellis, *lituras facio per cancellos*, C. Hofm. *d. l. n.* 694.

CHIFFIR, *Chifir*, teſte Libavio *Synt. Arc. Chym. cap.* 8. dicitur in præparatione Lapidis philoſophor. *Lapis animalis*; quemadmodum mineralis vocatur *Chaos minerale.* Iohnſ. vero dicit, *Chifir minerale* nonnullos interpretari, quod ſit aurum. Verum ſe judicare ex præcedentibus, quod ſit Sulphur generis metallici. Ad ſummam: Bæotica ænigmata.

CHILIODYNAMON, χιλιοδύναμον, epitheton *Polemonii* herbæ, q. d. *Mille virtutibus* vel facultatibus *pollens*, h. e. ad quam multa utile, Galen. *l.* 8. *de S. Fac. t. Polemonion.*

CHYLON, *Cheilon*, χείλων, dicitur, qui labiis prædītus majoribus: uno verbo, *Labeo.* Ita inter piſces, qui *Capitones* dicuntur, quidam etiam appellantur χείλωνες, h. e. *Labeones.* Lind. *Ex. XI.* §. 38.

CHIMETHLON, aliis, ſed fortaſſis mendoſe *Chymetlon*, Gr. χείμεθλον, aut χίμεθλον. Vide *Pernio.*

CHIMOLEA *laxa*, terminus eſt Paracelſi obſcurus, & obſcure explicatus. Dicit enim, ſignificare pulverem, qui ſeparatur de floribus falſarum minerarum, *l.* 2. *de morb. Gall. c.* 4.

CHIMUS, quid ſit, apud Paracelſ. certo non conſtat. Hoc ſaltem dixit, quod *Chimus*, *Realgar*, & *Aurum* ſint una minera, & tamen quodlibet eorum habere diverſam naturam & virtutem. Ex conſequentibus tamen hoc licet colligere, per *Chimum* intelligi debere fæcem mineræ, maſſam fæculentam, vulgo ſchlacken / *l.* 2. *Chirurg. magn. c.* 11.

CHINA, *Chinna*, *Cina*, *Cinna*, nomen eſt radicis exoticæ ex India, vel orientali Chinarum regno, vel occidentali Hiſpania nova, & Peru allatæ. Utriuſque deſcriptio in Botanicis quæratur, cum non ſit noſtri jam inſtituti. Hic ſaltem libuit inſerere, quod hodieque ejuſdem uſus non ſolum in lue Venerea, ſed & in omnibus pene morbis chronicis, ubi ſanguinis lympha impuritate peccat, probatus innotuerit. Inſigniter vero eam laudibus extulit Amat. Luſitan. *cent.* 2. *cur.* 31. Jung. Schröd. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 94. Hofm. *in Cl. ad h. l.* & alii. Plane diverſum eſt medicamentum, quod dicitur *China de China*, aut *China China*, *Cina Cina*, in Offic. eſtque ſpecies aromatis, cinamomi formam referens, cujus uſus contra febres, præſertim quartanas, noſtris temporibus admodum frequens eſſe cepit, ita ut pro vero euporiſto in omnibus pene febribus habeatur, non

ſolum

ſolum intermittentibus & benignis, ſed etiam continuis & malignis, quemadmodum laudes hujus corticis in ſcriptis hodiernis, quorum etiam *in Actis Eruditorum Lipſienſ.* mentio facta eſt, proſtant, & D. D. Joh. Lud. Apinus, Archiater Seren. Princip. Solisbacenſis & Poliater Hersbruc. *in ſua Febris Epidemicæ Hiſtorica relatione* variis exemplis comprobavit, ſimulque ſelectum Corticis illius, *Caſcarilla* vel *Schacharilla* dicti, demonſtravit, quamvis pene rurſus exoleſcat. Thomæ Williſ. dicitur *Cortex Peruvianus de febb. c. 6.* Plura qui deſiderat, legat citatos autores à Fr. Hofm. *d. l. n. 99.* de Cinamomo *p.* 443. Alias Regni *Chinæ* Medicinam ſub *Specimine Medicinæ Sinicæ* edidiſſe Andr. Cleyerum, Archiatrum Societatis Indicæ, conſtat ex *Actis Lipſ. An.* 1682.

CHINISCUS, pertinet ad machinamenta, de quibus legatur Oribaſ. *de machinamentis c. 4.* ubi ita deſcribit: *Chiniſci*, cujuſmodi ſunt in lyra, excogitati ſunt ad axes continendos. Ubi enim fibulæ non ſint, quid poterit aliud utilius inveniri? Quod enim ad vim pertinet, uſum habent fibularum. Decoris cauſa inſculpta habent capita anſerina. Statuuntur in organis phliæ, ut ab uno latere ad alterum penetrantes axes contineant, cujuſmodi ſunt in Scamno Hippocr. & noſtro. Hæc Oribaſ.

CHIOLI, idem, quod *Furunculi*, Parac. *l. 5. de Gallic. ulcer. apoſtemat. &c. c. 6.*

CHION, χιὼν, vide *Nix.*

CHIRAGRA, χειράγρα, eſt ſpecies *Arthritidis*, quando manus infeſtat. Vide *Arthritis.*

CHIRAPSIA, χειραψία, vocatur *manuum contactus*, & legitur apud Cœl. Aurel. *Acutor. l. 3. c.* 18. *p. m.* 223.

CHIROMANTIA, χειρομαντία, ſtricte ſignificat artem prædicendi vel vaticinandi ex manibus, ſignaturis & lineamentis. Latius tamen accipere videtur Parac. partem hanc magiæ naturalis ſtatuens, quæ docet in homine, brutis, & herbis ſignaturarum & lineamentorum ſingularem utilitatem in Medicina, ita ut abſque hac ſcientia non poſſit aliquis verus & perfectus eſſe Medicus; quemadmodum hoc paſſim in ſcriptis ſuis urget, præſertim *in Tractat. de Peſtilitate, l. 2. de morb. podagr. de Caducis Paragr. 3. &c.* Unde & dividit in *Chiromantiam* externam & internam, *d. l.* Enimvero licet in generali ſignificatione non rejicienda ſit hæc ſcientia, conſiderans per externa phænomena in corporibus naturalibus occurrentia internam horum conſtitutionem, ſi dextre & vero conſentaneis cum rationibus tractatur. Verum quod Paracelſus in pluribus fumos ſaltem vendat, hoc etiam inficias ire nec poſſumus, nec volumus.

CHIRON, χείρων, i. e. *deterior*, pejor. Frequens terminus Hippocrati, 1. *aph.* 3. *ſ.* 2. *aph.* 38. 53. 54. Vid. Dieter. *n.* 921.

CHIRONAX, χειρῶναξ, *opificem*, *operarium*, qui manibus opus ſuum tractat, ſignificat, Hipp. 1. *de R. V. t. A. t.* 16. *ſ.* 2. *t.* 48. idem, quod χειροτέχνης, *Artifex* bonus, χειρῶναξ ἀγαθὸς, *l. de Cord. VI. 6.* Ars vel *artificium manuarium*, χειρώναξις vocatur, 3. *de artic. t.* 86.

CHIRONIUM, χειρώνιον, eſt epitheton ulceris maligni inveterati, ægre cicatricem ducentis, & quod oras habet duras, calloſas, & tumentes, Gal. Idem, quod *Telephium*, quale eſt Herpes exedens, *Phagedæna*, *Carbunculus &c. l.* 14. *M. M. cap.* 17. *6. aph.* 45. Dictum eſt à *Chirone*, qui primus tale ſanaſſe dicitur. *l. 2. M. M. c.* 2.

CHIRONOMIA, χειρονομία, eſt ſpecies *exercitationis*, vel motus *manuum certa quadam lege & arte factæ*, vel manuum ad rhythmum motio, & inter corporis exercitationes reponitur, Hipp. *l. 2. de Diæt. XLIII. 2. & l. 3. XXVI.* 33. Gal. *l. 5. de tu. ſan. c.* 3.

CHIROTECHNES, χειροτέχνης, proprie idem, quod *Chironax*, χειρῶναξ, de quo ſuperius. Accipitur tamen ab Hipp. pro *Artifice.* Unde & Medicus ab eo dicitur χειροτέχνης, *l. de vet. medic. XIII.* 18.

CHIROTHECA, χειροθήκη, quid ſignificet, ex aliis Lexicis pueris etiam notum eſſe poteſt & debet. Pertinent vero chirothecæ ad veſtitum, atque ita etiam ad ſanitatis vel conſervationem, vel reſtitutionem. Chirothecæ odoratæ Romanæ quomodo fiant, videatur in Hartmanni *Miſcellan. Chymico-Medicis Operum in Fol. Tom. VI. p.* 55.

CHIROTRIBIA, χειροτριβία, eſt exercitatio in arte, & *Uſus medicus.* Idem, quod τριβὴ, vel τὸ τεχνῆσθαι Galeni. Uſus Hipp. *in præcept. X.* 18.

CHIRURGIA, *Chirurgus*, *Chirurgicus*, χειρουργία, χειρουργὸς, χειρουργικός. Eſt autem *Chirurgia* in genere nihil aliud, quam *manualis operatio*, Gal. *l. 6. Meth. Med. c. 6.* Proprie eſt ea medicinæ pars, quæ manu medetur, *l. 3. de C. M. P. G. c.* 2. non tamen excluſis aliis remediis. Vid. Rhod. *ad Septal. num.* 200. *p.* 288. Vel accuratius: Eſt pars miniſtra medicinæ, quæ docet rectam operationum beneficio manus & inſtrumentorum pro ſanitate, vel conſervanda, vel recuperanda, adminiſtrationem. Vide *Dogm. Med. gen. noſtr. part. VII.* Libav. *in Medic. Hipp. & Hermeticæ typo.* Unde inſtrumenta vocantur *Chirurgica*, & operationes *Chirurgicæ*, Artifex *Chirurgus*, cujus officium quintuplex eſt, conjungere Separata, ſeparare Conjuncta, removere Excedentia, reſtituere Deficientia, & corrigere Curvata. In omnibus iis tria ſibi maxime proponere debet *Chirurgus*, tum ut cito curet jucunde, & citra dolorem, tum ut maxime tuto. Ac rurſus ut tuto curet, tria potiſſimum conſiderabit. Unum primumque, ut abſolutionem operis aſſequatur; alterum, ut, ſicubi hanc non conſequatur, ſaltem curandum, ne lædat; tertium, ut vitium non revertatur facile. Hæc enim qui præſtiterit, merito optimus *Chirurgus* cenſebitur, Gorr. & Caſtell. Apud recentiores duæ adhuc peculiares ſpecies *Chirurgiæ* leguntur, quarum una dicitur *Infuſoria*, qua medicamenta liquida in venas ſanguineas artifi-

artificioſe injiciuntur; altera *Transfuſoria*; qua ſanguis ex animali vivo vel alio homine per canaliculos transfunditur. Vide *Infuſio* & *Transfuſio*.

CHITON, χιτὼν, *tunicam* ſignificat. Vide *Tunica*.

CHIUM *vinum*, χῖος οἶνος, quod in inſula *Chio* colligitur. Molle eſt, ut ſcribit Dioſcor. *l.* 5. *c.* 10. aptum potui. Bene alit, & minus inebriat, fluxiones cohibet, oculorum medicamentis utile. Hinc Scribon. Larg. ad collyria uſus, *n.* 26. & 36.

CHLÆNA, χλαῖνα, pallium, *lænam*, vel veſtimentum, quod cæteris veſtibus ſuperimponitur, ſignificat. Nova pallia vertit Erot. *in Onomaſtic p.* 123.

CHLEVASTES, χλευαστὴς, *deriſorem*, ſubſannatorem ſignificat, à χλευάζω, *derideo*, quod à χλεύη, ludibrium, Linden. *Ex. X.* §. 268. *ſeq.*

CHLIÆNESTHÆ, χλιαίνεσθαι, *incaleſcere*, intepeſcere ſignificat. Uſus Hipp. *l.* 2. *Epid. ſect.* 2. *n.* 12. & de febribus, *Coac. t.* 158. Scrib. *n.* 217.

CHLIAROS, χλιαρὸς, *tepidus*, à præced. verbo χλιαίνεσθαι Gal. vocat febres mitiores χλιαρὰς, & opponit acutis, quæ ſunt fervidiores, 4. *aph.* 37. Eſt vero *tepidum*, medium inter calidum & frigidum, Gal. *l.* 1. *M. M. c.* 7. Adde I. Alex. *not. in Gal. l.* 7. *M. M. c.* 8.

CHLIASMA, χλίασμα, *tepefactorium* dicitur, & in ſpecie *fotus humidus*, cui opponitur πυρίαις, *fotus ſiccus*. Utriuſque meminit Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LIIX.* 15. & illius tantum *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 78. Vocat vero alibi θέρμασμα, *ſect.* 2. *de R. V. I. A. t.* 2.

CHLOE, χλόη, Ion. χλοίη, *herbam virentem* notat, à χλόος, χλοῦς, *viror*, aut viriditas palleſcens. Dicitur & χλώρασμα, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 11.

CHLORIAZO, χλωριάζω, aut χλωριάω, cum *virore palleſco*, Hipp. *l.* 4. *Epid. XXI.* 19.

CHLOROS, *Chloëros*, χλοερὸς, contr. χλωρὸς, ambiguæ ſignificationis, apud Hipp. & incertum, quemnam colorem proprie denotet? Modo namque ex virore palleſcens, interdum pallidum, luteum, aut ſubpallidum denotat, Gal. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 22. & *c.* 2. *progn. t.* 44. Vide Foëſ. *pag.* 679. Oculi quoque dicuntur χλωροὶ, h. e. *lutei*, ſignum ſunt Icteri, Hipp. *l.* 2. *de morb. XXXV.* 4. 30. Sed & inſignis cacochymiæ & viſcerum obſtructionis, ſi herbacei coloris, quos Plautus vocat *herbeos oculos*, Lind. *Ex. X.* §. 17. Eſt & nomen piſcis, qui *Gobio*, vel *Gobius*, dicitur. Vide *Gobio*.

CHNUS, χνοῦς, velut tomentum, aut lanarum raſuram & rejectamentum ſignificat, quo culcitræ infarciuntur, quod ex tenera lana & molli villo fit. Uſus Hippocr. de ſplene aquoſo laxo, *l.* 1. *de morb. mulier. LXXXVII.* 7. Alibi vult Foëſ. *d. l.* ſonum vel ſtrepitum in faucibus denotare, ut *l. de int. affect. XI.* 16. quamvis & hoc in loco retinere poſſit primam ſignificationem, dum fauces veluti *lanugine* repletæ ſibilum edunt, tanquam per fiſtulam.

CHOA, vide *Chus*.

CHOACUM, χοακὸν, nomen emplaſtri, quod deſcribitur à Celſo, *l.* 5. *c.* 19. quamvis etiam legatur *Coacum*.

CHOANA, χόανος, χόανον, χῶνος, χῶνος, proprie *infundibulum* ſignificat, uti patet ex Hipp. ubi gula deſcribitur, tanquam *infundibulum*, per quod cibus & potus in ventriculum infunditur, *l. de cord. I.* 12. Alias & *Choana*, χόανος, ſeu χόανον, à χέω, i. e. *fundo*, liquefacio, vas dicitur ex argilla, quo argentarii utuntur & Chymici, in fundendis ac liquefaciendis metallis, Caſtell. Vide *infundibulum*. Per metaphoram & Cavitas in cerebro, quæ *Infundibulum* Latine dicitur, *Choana*, χοάνη, aut propter uſum excipientem & principium ejus amplius πύελος, Pelvis dicta, hoc nomine venit; eſtque nihil aliud, quam cavitas orbicularis, nonnunquam triangularis, facta ex pia matre, ubi cerebri baſin ſuccingit, unde & cerebri ventriculi inveſtiuntur, Th. Bartholin. *Anat. l.* 3. *c.* 6. Jung. Gal. *l.* 9. *de V. P. c.* 3. C. Hofman. *in comm. ad h. l. n.* 662. Vide *Pelvis*.

CHOCOLATA, *Chocolate*, item *Succolata*, eſt maſſa quædam ſolida, exotica, vel in placentas, vel cylindros formata, ſaturate rubra, friabilis, ſine odore, ſimilis fere ſanguini Draconis, cujus baſis potiſſima eſt fructus Cacao dictus, Avellana Mexicana. De hac confectione habes integrum libellum Anton. Colimeneri de Ledeſma, Latine redditum à M. Aur. Severino, cura D. D. I. G. Volcameri editum. Jung. Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 404. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Proſtant & hodie vernaculi tractatus de *Chocolata* juncti cum The & Caffe. Apud P. Zacchiam aliquoties legitur *Chaccolata* Inda *in Quæſt. Med. Legal. l.* 9. *tit.* 8. *quæſt. unic.* de *Chaccolata* & Aqua vitæ.

CHOENICIS, χοινικὶς, χοινίκιον, eſt nomen *Modioli*, vel terebellæ, ceu inſtrumenti chirurgici ad perforandum & reponendum cranium, cujus meminit Gal. *l.* 6. *M. Med. c.* 6. Celſ. *l.* 8. *c.* 3. Æginet. *l.* 6. *c.* 90.

CHOENIX, χοῖνιξ, eſt menſura Atticorum arida, continens cotylas tres ſive ſextarium unum & dimidium, ſive duas libras menſurales cum quadrante. Signum fuit ✠. Gal. *de pond.* & *menſ.* Gorr.

CHOERAS, χοιρὰς, *ſtrumam* ſignificat. Vide *Struma*.

CHOEROS, χοιρὸς, vide *Porcus*.

CHOLAGOGUS, χολαγωγὸς, dicitur de medicamentis, quæ *bilem evacuant*, Galen. 4. *aph.* 2. qua ſimplicibus, qua compoſitis. Catalogum eorum tum apud alios, tum apud Ionſton. *Synt. Med. Part. II. L.* 4. *tit.* 3. *c.* 2. *art.* 1. *punct.* 3. reperire licet; quamvis multa concurrant cum veris principiis minime concordantia.

CHOLAS, χολὰς, Lat. ſecundum Gazam *Cholago*, omne cavum hypochondriorum & *Ilium* dicitur, ex Ariſtot. *l.* 1. *H. A. c.* 13. vel quod hepar, ceu bilis colatorium contineat; vel à cavitate, quaſi κοιλὰς. Utitur & Homerus hac voce, *Iliad.* δ. *verſ.* 527. ubi tamen pro *inteſtinis* potius ſumitur.

CHO-

CHOLE, χολὴ, *bilem* ſignificat. Vide *Bilis*.

CHOLEDOCHOS, χοληδόχος, i. e. *bilem continens*, aut recipiens. Epitheton commune & veſiculæ fellis, & vaſis Hepaticis, πόροι χοληδόχοι unanimiter dictis, & vaſi felleo communi ad inteſtinum duodenum excurrenti, uti patet ex *Galen. l.* 4. *de V. P. cap.* 13. Vide C. Hofmann. *in Comm. num.* 223.

CHOLEGON, χοληγὸν, (item χολήϊον, idem, quod *Cholagogum*. Uſus Hipp. *l.* 1. *de Morb. XLIII.* 15. In libro vero *de L. I. H. XXXIIX.* 7. *&* *XL.* 10. vocavit χοληγαγὸν. Vide Foëſ. p. 683.

CHOLERA, χολέρα, Foëſ. χολέρα, quaſi *biliaris*, Galen. 1. *progn. t.* 25. eſt acutus affectus cum vomitibus bilioſis multis, alvique dejectionibus, ſuris quoque ſe contrahentibus, ac frigeſcentibus extremitatibus, fiuntque in his ægris pulſus minores & obſcuriores. *Cholera* duplex eſt apud Hippocr. altera *humida*, in qua, ut omnes norunt, vehemens eſt excretio bilis ſupra infraque erumpentis, inteſtina graviter torquentur, accedunt convulſiones, ſæpe etiam crurum ſuræ contrahuntur. Alteram *ſiccam Choleram* vocat Hippocr. ab eadem proveniente cauſſa, ac circa eadem conſiſtentem, (falſum hoc) at citra ventris fluorem & vomitum, Gal. *in definit.* Hic morbus ex continua ciborum cruditate proveniens quibuſdam accidit certis intervallis, omnemque corporis redundantiam educit, una cum vitioſis humoribus magnam quoque bonorum partem evacuans, Gal. *l.* 7. *Meth. Med. c.* 11. Tantus eſt impetus tantaque vis erumpentis humoris bilioſi. Χολερικοὶ, ſeu χολερῶντες, dicuntur à Medicis cholera morbo laborantes. Nomen habet non tam à χολὴ, quam à χολὰς, i. e. inteſtinum, per quod materia ex ventre excernitur. Hæc quondam Caſtell. de hoc affectu. Quibus alia clariora & accuratiora annectemus. *Cholera* morbus rectius derivatur à χολὴ, quam ἀπὸ τῶν χολάδων, uti voluit Trallianus, Diet. *n.* 925. Eſt morbus acutiſſimus, interdum omnibus aliis velocior, ita ut ſub uno die ſæpe vitæ terminum fecerit. Duplex eſt juxta Hippocr. *Humida*, & *Sicca*, 4. *de R. V. I. A. t.* 102. 103. quæ ab una cauſa provenire minime poſſunt, cum in ſicca venter ſaltem infletur, & ſtrepitus inſint, & laterum lumborumque dolor urgeat, nihil autem per alvum ſecedat, ſed adſtringatur. In humida vero omnia pene contrario modo ſeſe habent. *Humidæ* cauſa ergo nulla alia eſt, quam humorum excrementitiorum bilis & ſucci pancreatici ſimul peccantium propria acrimonia in inteſtinis tenuibus nimia efferveſcentia ſtimulans, & motum inteſtinorum periſtalticum convellens, invertens, ipſumque etiam ventriculum convellens, Syl. *l.* 2. *Prax. Med. c.XI.* § 12. *&* *XV.* § 5. *ſeqq.* cui conjuncta eſt totius maſſæ ſanguineæ efferveſcentia tumultuaria & colliquativa. Unde non mirum, ſi tam cito interimat ægrum. In *ſicca* vero flatus ſicciores, veluti per torrefactionem, à ſanguine acriter excandeſcente & combuſto ſicciori, & inſufficienti bilis ſecretione, & ſucci pancreatici nimia auſteritate oborti peccant; quemadmodum ex eodem *d. l.* & alibi patet. *Cholera* à Paracelſo ſumitur pro ipſa *Bile*, paſſim in ſcriptis ſuis; quemadmodum & Æ. Lampridium accepiſſe notavit Rhod. *in Indic. prior. ad Scribon.*

CHOLERICUS, χολερικὸς, *bilioſus*, duas diverſas habet ſignificationes. 1. enim accipitur pro eo, quod naturam æmulatur bilis excrementitiæ, nondum tamen in eam penitus degeneravit. Ita *Cholericum* temperamentum in latitudine ſanitatis, & intemperies *Cholerica* in ſtatu p. n. Sanguis *Cholericus* ſeu bilioſus ad utrumque ſtatum ſpectans, ceu cauſa, in quo portiones ſalinæ volatiles & ſulphureæ acres prævalent, unde calor major, & ſanguinis motus intrinſecus fortior obſervatur, nutritio vero minor. Ita homines dicuntur *cholerici* vel *bilioſi*, tali ſanguine & temperamento, ſive vel p. n. præditi, uti paſſim ex veteribus & recentioribus conſtat. 2. accipitur pro iis, qui *cholera* morbo laborant, uti dictum. Unde Hipp. χολερικὰ πάθεα vocavit, *l.* 5. *Epid. XXVII.* 6. 8. *XXIX.* 15. *& l.* 7. *XXXV.* 4. *XL.* 8. Alibi etiam χολερώδεα dicuntur, *Coac.* 535.

CHOLOBAPHINON, χολοβάφινον, eſt epitheton æris auri colorem mentientis. Dicitur *æs coronarium*, Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 6. *c.* 6.

CHOLOMA, χώλωμα, *Choloſis*, χώλωσις, χωλεία τῶ σκέλεος, Galen. 6. *aph.* 60. vel communiter *omnem membri diſtortionem* & depravationem quoad motum ſignificat, Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 11. vel ſpecialiter *claudicationem*, quando crus vel longius fit, interius luxatum, vel brevius, ſi foras luxatio fit, *ex.* 6. *aph.* 60.

CHOLOS, χωλὸς, *Claudus*, etiam in lata & ſtricta ſignificatione. Hinc & manus *clauda*, χωλὴ χεὶρ, dicitur, Hipp. 2. *Prorrh. I.* 6.

CHONDROSYNDESMUS, χονδροσύνδεσμος, i. e. *cartilagineum ligamentum*, Gal. *l.* 1. *de temper. c.* 9. Hinc & συγχόνδρωσις, unio oſſium cartilaginis interventu facta. Vide *Cartilago*.

CHONDRUS, χόνδρος, Far. Vide *Alica*, *Cartilago*. Ad priorem ſignificationem per translationem pertinet & hæc, quando thuris mica, ſeu granum χόνδρος λιβάνε dicitur, alias *Manna Thuris*, Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Jung. Rhod. *ad Scribon. n.* 104. *p.* 172.

CHONE, χώνη, idem, quod *Chona*. Vide ſupra, Gal. *l.* 9. *de Anat. operat. c.* 1.

CHORA, χώρα, i. e. *regio*, locus, in quo homines degunt. Hujus accuratam notitiam maxime eſſe neceſſariam ad conſervandam & recuperandam ſanitatem, patet ex Hipp. 1. *aph.* 2. & prolixius *l.* 1. *de A. L. & Aq.* Jung. Diet. *num.* 936. Χῶραι etiam dicuntur cavitates oculorum, ceu *regiones*, quæ ſuperciliis ſubjacent. Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 6. item *Spacium*, vel *Spatium*, h. e. locum aliquem vacuum, Gal. *l. de inæq. temp. c.* 2. *&* *l.* 10. *M. M. c.* 6. *alibique.*

CHORDA, *Corda*, χορδὴ, dupliciter accipitur: Proprie pro *fidibus* & nervis canoris extenſis ſuper inſtrumenta

menta Muſica, Gal. *l. de trem. palpit. c.* 8. *&* *l.* 3. *de L.A. c.* 6. ſæpiuſque alibi. Per tranſlationem & improprie denotat *Tendinem*, Gr. τένων dictum. Vide *Tendo*. Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 4. *c.* 1. Apud alios, præſertim Poëtas, *Inteſtina* quoque χορδαὶ dicta ſunt, unde *Chordapſi*, derivationem petunt. Paracelſus etiam per *chordas* intellexit *pudenda*, unde *Curam Cordarum* vocavit, *l.* 7. *de orig. & cur. morb. Gallic. c.* 11. *&* *l.* 8. *c.* 3.

CHORDAPSUS, χορδαψὸς, idem, quod *Ileus*, *Volvulus*. Vide *Eileos*.

CHOREA, χορεία, communiter motionem pedum & corporis ad rhythmum & legem Muſicam denotat, quæ *Saltatio* dicitur, & ita inter Exercitationes corporis indifferentes ad ſanitatem & morbos referri poteſt. Specialiter vero ſignificat morbi Convulſivi ſpeciem, quæ *Chorea S. Viti*, à ſacello S. Viti, quod eſt in finibus Ulmenſium, appellatur, malum affine *Tarantulatis*, quando mulieres quotannis ſaltu cum perturbatione mentis eouſque ſeſe nocte dieque exercent, donec ecſtaticarum inſtar corruant, qua ratione reſtitutæ ſibi videntur, ut parum vel nihil ſentiant per integrum annum uſque ad ſolſtitium æſtivum, circa diem S. Viti occurrens. Horſt. *in Epiſt. med. ſ.* 7. *de admir. convulſ.* Hujus affectus cauſſam naturalem perſuaſurus Th. Willis in ſpiritus animales œſtro quodam ceu copula heterogenea exploſiva excitari, ac effrænes evadere docet, *de convulſ. morb. c.* 7. Enimvero annon illud œſtrum aut illa copula vel provenire potuerit à diabolicis præſtigiis, vel ab his regi propter ſuperſtitionem concurrentem, alii quoque perpendant & dijudicent. Paracelſ. *Choream S. Viti* diviſit in *Choream Laſcivam*, & *Iratam*, vel *Æſtimativam*, *Tr.* 2. *de morb. Ament. c.* 3. ubi etiam curam utriuſque tradit; illius quidem haud plane ineptam, hujus vero ſuperſtitioſam, aut vanam. Liquorem etiam Sapphiri peculiariter tollere hunc affectum, legitur apud eund. *l.* 2. *de virib. membr. c.* 4.

CHOREGIA, χορηγία, proprie ſignificat *officium Choragi*. Generaliter etiam notat *erogationem ſumptuum*, contributionem; ſed Gal. accepit pro *redundantia materiæ* ad morbi generationem facientis *l. de cur. rat. per S. M. c.* 19. Jung. Fuchſ. *comm. ad h. l. p. m.* 285. *b.* 286. *a.*

CHOREO, χωρέω, dupliciter ab Hipp. ſumtum (1) ſignificat procedo, *progredior*, πρὸς βίην, ad virtutem aut robur, *ſ.* 2. *de Nat. hum. t.* 13. (2) pro *exeo*, excernor, v. g. de Urina, 2. *Prorrhet. XXXI.* 15. Et τὰ χωρέοντα quævis dicuntur *excreta*, 1. *aph.* 23. Jung. Dieter. *n.* 937. Linden. *Ex. XIII.* §. 248. *ſeq.*

CHORION, χορίον, quibuſdam etiam χωρίον, eſt nomen membranæ fœtum involventis exterioris, totum uterum replentis, cui placenta adhæret uterina, ita dicta, quod multæ venæ arteriæque ſint in ipſo tanquam in choro quodam congreſſæ ac diſpoſitæ; aut, quod inſtar circuli fœtum ambiat. Pleniorem hujus membranæ deſcriptionem vide in Anatomicis, Hier. Fabric. ab Aquapend. *de form. fœtu.* Harv. *Exercit. de gen. animal. in additament. h. tit.* Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 36. Qui per ω ſcribunt χωρίον, hanc dant rationem, quod hæc membrana fœtus veluti ſedes & domicilium ſit, vel quod una cum fœtu χωρεῖ exeat. Caſtell. Quod tamen improbat C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 1068.

CHOROIDES, χοροειδὴς, dicitur de diverſis membranis, ob copiam vaſculorum ſanguineorum *chorio* membranæ in utero ſimilibus. Ita *Plexus choroidei*, χοροειδῆ πλέγματα ἢ συστρέμματα ſunt convolutiones membranarum cerebri ex multis venis & arteriis prope medium cerebri ventriculum conſtitutæ, Galen. *lib.* 9. *de Anat. Oper. c.* 3. *&* *l.* 9. *Vſ. Part. c.* 7. Ipſa quoque tenuis cerebri membrana, alias *Pia mater* dicta, vocatur χοροειδὴς, eo quod cerebri vaſa non aliter ſuſtineat, quam τὸ χορίον vaſa ad fœtum pertinentia complectitur, *lib.* 8. *de Vſ. Part. cap.* 9. Sic & *Oculi tunica Retiformis*, vel ἀμφιβληστροειδὴς, alias dicta etiam χοροειδὴς, humorem vitreum oculi ambiens vocatur, Gal. *l.* 10. *de V.P. c.* 2. Caſtell.

CHORUS, χορὸς, vel idem ſignificat, quod χορεία, *chorea*, ſaltationem, *tripudium*, vel *cœtum* aut multitudinem *hominum ſaltantium*, & quidem manibus junctis facta *corona*, vel *circulo*. Vide C. Hofman. *in com. ad Galen. l. de V. P. n.* 790. Barthol. *d. l.*

CHREIA, χρεία, eſt vocabulum emphaticum, *uſum*, *officium*, neceſſitatem alicujus rei exprimens. Gal. conſcripſit Libros de *Uſu Partium*, περὶ χρείας τῶν μορίων. C. Hofm. *in comm. n.* 8. Gorr. *in def. p.* 514.

CHREMA, χρῆμα, quid in vita civili ſignificet, non eſt hujus loci exponere. Ab Hipp. vocabulum hoc ſumitur pro omni *re*, & ita idem, quod πρᾶγμα, Hippocr. *l. de A.L. & Aq. XII.* 12. *XVII.* 7. *XX.* 6. Ita ventriculus dicitur χρῆμα ἰσχυρὸν, *res* valida, *l.* 4. *de morb. XXXI.* 13. & Pulmo *ibidem* rara vel laxa res, 7. Videantur & loca alia, v. g. 3. *de fractur. t.* 63. & *in epiſt. ad Philopœmen.* Adde Foëſ. *p.* 684. *ſeqq.*

CHRESIMOS, *Chreſtos*, χρήσιμος, χρηστὸς, id eſt, *utilis*, proficuus, commodus. Ita de purgantibus, Hipp. 4. *aph.* 2. Molles tumores χρηστοὶ, 5. *aph.* 67. & horror à ſudore οὐ χρηστὸς, non eſt proficuus, 7. *aph.* 4. Et Eunuchi in ſpecie ad generationem dicuntur οὐ χρηστοὶ, *inutiles*, *l. de genitur. III.* 6.

CHRESMOLOGUS, χρησμολόγος, *fatidicus*, idem, quod μάντης, *vates*, aut certe ſpecies vatis, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 16. à χρησμὸς, *Oraculum*.

CHRESTOMATHEIA, χρηστομάθεια, ſignificat *Utilia*, *Excerpta* & explicationes ſelectiores in aliqua ſcientia. Ita B. C. Hofmannus Annotationes & Scripta quædam Phyſiologica & Pathologica nomine χρηστομαθειῶν exornavit, quæ Illuſtris Guido Patinus pluribus annis poſt obitum Autoris Lugduni Anno 1668. exprimendos curavit. De hoc vocab. vide laudati Hofm. *Com. in Gal. de Vſ. P. n.* 2.

CHRISIS, χρίσις, vide *Inunctio*.

CHRISTI

CHRISTI *manus*, eſt epitheton *ſacchari depurati cum aq. roſar. coƈti*, & in rotulas fuſi, additis margaritis præparatis, vel omiſſis. Vide Diſpenſatoria. Lang. *l.* 3. *ep.* 1. *c.* 6.

CHRISTOS, χριστὸς, à χρίω, *ungo*, ſignificat id, quod *ungendo applicatur*. Olim φάρμακα, præſertim externa triplicis fuere ſortis: ἐπίπαστα, quæ vulneribus ſanandis imponebantur: χριστὰ, quibus telorum cuſpides inficiebant: & πιστὰ vel ποτὰ, Hippocrati diƈta, *l. de affeƈt. XLIII.* 1. Primi generis ſemper bona: quæ ſecundi, ſemper mala: quæ denique tertii, pro voluntate offerentis, aut bona aut mala erant. Atque ita obtinuit apud eos, qui Medici non erant, Linden. *Ex. XIII.* §. 323.

CHROMA, χρῶμα, duo ſignificat: 1. *Colorem*, Hippocr. 4. *aph.* 21. *Coac. t.* 125. *& alibi.* Dicitur & χροιὰ, *t.*608. Vide *Color.* 2. *Corporis habitum* exteriorem, ſive *Cutem*, *l. de Inſomn. IV.* 16. *l.* 4. *Epid. XXII.* 20. *& l.* 5. *XXIV.* 18.

CHROMATISMUS, χρωματισμὸς, *colorationem* ſignificat, ſive modum naturalem, ſive artificium, colorem rebus certum conciliandi. Vide Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 6. *c.* 2. 3. *ſeqq.* Vide *Coloratio.*

CHROMIS, χρόμις, χρέμυς, nomen piſcis littoralis, cujus uſus in cibis, de quo legatur Aldr. *l.*2. *de piſc. c.*14.

CHRONICUS, *Chronius*, *Polychronius*, χρονικὸς, χρόνιος, πολυχρόνιος, denotat *diuturnum*, & eſt epitheton morborum, qui tardius moventur. Ita 3. *aph.* 14. coryzæ *chronicæ;* hæmorrhoides *chronicæ*, 6. *aph.* 12. Et opponuntur *Brevibus.* Vide *Brachychronius*, & *Brevis.* Hunc terminum aliquoties retinuit Paracelſus.

CHRONIZO, χρονίζω, *morari*, cunƈtari, moram facere ſignificat, Hipp. 4. *aph.* 10.

CHRONOS, χρόνος, ſignificat *Tempus.* Vide *Tempus.*

CHROS, χρὼς, apud Iones *corporis carnoſam partem* & ſubſtantiam ſignificat, in quo genere cutis & muſculi ſunt, membranæ, & viſcera, Galen. *de fraƈt. t.* 9. *& ſ.* 3. *t.* 6. Jungatur *Coac. t.* 243. ubi ſuperficiem corporis denotat, Foëſ. *in Oecon. p.* 685.

CHRYSAMMOS, χρύσαμμος, h. e. *aurea arena*, quam Galenus terram χρυσῖτιν vocavit, *l.* 9. *de S. F.* in qua portiunculæ aut fruſtula quædam auri parva reperiuntur, quæ negotio huic dediti beneficio ignis & fornacum colliquando aut fundendo extrahunt. De qua auri faciendi antiqua arte legatur Jo. Franc. Pici Mirandulæ *de auro l.* 3. *cap.* 1. *in Theatr. Chym. Vol. II. pag.* 360. De hujuſmodi glebis & arenis auro puro turgidis plura legantur ex aliorum ſcriniis compilata in Eraſm. Franciſc. *Hort. Orient. & Occid. Ind. T. I. Part.* 2. *p. m.* 1116. *ſeqq.*

CHRYSE, χρυσῆ, nomen emplaſtri, cruentis vulneribus accommodati, ex thure, alum. ſciſſil. colophon. reſin. oleo, auripigm. & oxelæo parati, apud Æginet. *l.* 7. *c.* 17.

CHRYSITIS, χρυσῖτις, idem, quod *Chryſammos. Chryſitis* etiam dicitur *Lithargyrium auri*, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 102.

CHRYSOBALANUS, χρυσοβάλανος, *glans aurea*, quid proprie denotet, non conſtat. Bauhinus tamen in Pinace exiſtimat ex mente aliorum, *Nucem moſchatam* eſſe intelligendam. Occurrit apud Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3.

CHRYSOCERAUNIUS, χρυσοκεραύνιος, vide *Cerauniochryſos.*

CHRYSOCHALCOS, χρυσόχαλκος, idem, quod *Aurichalcum*, Rul. & Iohnſon. Dicitur & *Orichalcum.*

CHRYSOCOLLA, χρυσοκόλλα, quaſi *gluten auri*, eſt minerale coloris late viridis, venereæ, ſalinæ, nitroſæ, & fuſoriæ naturæ. Duplex eſt: *Nativa* & *faƈtitia.* Inter nativas Armeniaca primas, ſecundas Macedonica, tertias Cypria tenet. Quamvis & in Germania ſint excellentes, in Sileſia, nec non & in Hungaria, alibique. Eſt *Borax* nativus. Et poſſet dici *Chryſocolla* viride ſciſſile, ſicut Ærugo *æris viride raſile* dicitur. Eſtque quaſi ſpecies nitri. Plinius *l.* 33. *H. A. c.* 5. *Faƈtitia* vel ex ipſa nativa depurata paratur, vel etiam ex urina infantum. De facultatibus *Chryſocollæ* leniter eſcharotica, colliquativa, ſiccante, vide Gal. *l.* 9. *de S. F. in fin.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 104. Jung. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſeƈt.* 3. *p.* 375. *ſeq. Borax* etiam *Chryſocolla Aurifabrorum* vocatur à C. Hofmann. *Paralip. Offic. c.* 55.

CHRYSOGONIA, χρυσογονία, eſt *ſemen aurificum* ex auro prius ſoluto, perfeƈtiſſime concoƈtum, ſeu *Tinƈtura aurifica* rubri coloris, admirabili tenuitate ſubſtantiæ prædita, cui à natura vis illa aurifica ineſt, quemadmodum in *Argyrogonia* vis *argentifica.* Videatur Gaſton. Claveii *Apolog. Chryſopœia*, *& Argyrop. Th. Chym. Vol. II.*

CHRYSOLITHUS, χρυσόλιθος, eſt lapis pretioſus, vel gemma aurei coloris, (unde & nomen quaſi *Lapis aureus.*) Duplex habetur: Veterum, qui *Topazius* modernorum, & *Topazius* veterum, qui *Chryſolithus* recentiorum gemmariorum. Duo ſunt genera: *Orientalis*, & *Europæus*, quorum ille hunc & colore & duritie ſuperat. A ſignatura coloris judicatur, naturæ eſſe & virtutis ſolaris, h. e. Cardiacæ & Cephalicæ. Proinde creditur timores noƈturnos, & melancholiam minuere, intelleƈtum confortare &c. Plura vide apud Ruland. *in Lex.* Schröder. *l.* 3. *c.* 5. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Dicitur & *Chryſopaſſus*, Parac. *tr. Cœlum philoſophor.* item *Etheſius*, Rul. & Iohnſ.

CHRYSOMANES, χρυσομανὴς, dicitur, qui nimio auri deſiderio ducitur, *auri inſane* quaſi *cupidus*, quales olim Hiſpanos fuiſſe in Indiis ex Itinerariis & Hiſtoriis conſtat. De hoc vocabulo vide Linden. *Ex. X.* §. 208. Annon & *Chryſopœi* hoc nomine venire poſſent?

CHRYSOPLYCIUS *pulvis*, dicitur, qui plumbo duritiem, argento vivo & ſtanno difficilem liquationem

 dat,

dat; quam utramque qualitatem ferro adimit, Helmont. *tr. Natura contr. neſc. n.* 40.

CHRYSOPOEIA, χρυσοποιΐα, eſt pars Spagyricæ vel Chymiæ, quæ monſtrat artificium, ex metallis imperfectioribus aurum verum conficiendi, beneficio Mercurii philoſophorum; ceu *Chryſogonias*, vel *Chryſopœi* pulveris, uti vocat Helmont. *tr. format. ortus*, *n.* 21. Vide *Argyropœia.* De utraque uti certum eſt, ad Medicinam proprie non pertinere; ita adhuc incertum & valde dubium, an poſſibilis ſit naturalibus viribus. Rolfink. licet fere penitus ad negativam inclinaverit, tamen difficillimam eſſe ſtatuit, *Chym. l.* 6. *c.* 13. Qui vero de hac arte plura legere expetit, adeat *Theatrum Chymic.* & Andr. Libavii *ſcripta Chymica.* Nobis non licet omnia convaſare.

CHRYSOPUS, χρυσωπὸς, vocatur Petr. Caſtello ſuccus ille Indicus purgans, Gummi Gotte alias dictus, teſte Rolfink. *de Purgantib. ſect.* 13. *art.* 8. *cap.* 1.

CHRYSOS, χρυσὸς, Latine *Aurum* dicitur. Vide *Aurum.*

CHRYSULCA, epitheton *Aquæ Stygiæ*, quæ *Regia* dicitur, ſolvendo auro deſtinatæ, Rolfink. *d. l. l.* 3. *ſ.* 1. *art.* 4. *c.* 14. Helmont. *tr. Pharmac. ac Diſpenſ. mod. n.* 15. *tr. Humor. paſſ. decep. c.* 1. *n.* 78.

CHRYSUN, χρυσοῦν, Lat. *Aureum*, nomen eſt vel Collyrii apud Aët. *lib.* 7. ad incipientes ſuffuſiones efficacis: vel Peſſi valentis ad inflammationes uteri, apud eund. *l.* 16. *c.* 83. Vide Gorr. *p.* 515.

CHUS, χοῦς, *Choa*, *Congius*, eſt menſura liquidorum apud Atticos, capiens ſextarios ſex, vel cotylas Atticas duodecim. Aut habet olei libras novem, vini decem, mellis tredecim, cum dimidia, Galen. *de pond. & menſur.* Linden. vini ſaltem tribuit libras octo, cum unciis quatuor, *Ex. X.* §. 227. Rhodius *ad Scrib. Larg. n.* 268. & *in diſſ. de pond. & menſ. p.* 40. *congium* denas libras pendere ſcripſit, quod inſculpta detuſſis manifeſtat.

CHYBUR, *Chibur*, denotat Sulphur. Hoc præparatum unice extollit Paracelſ. in affectibus pulmonum, ut nihil melius eo valeat. Vocat Balſamum pulmonis & pectoris, neque majus arcanum in viribus rerum quærendum. Paracelſ. *l.* 2. *de vir. membr. ext. c.* 14. Jung. Iohnſ. *in Lex.*

CHYLARION, χυλάριον, diminutive idem, quod *Chylus*, χυλὸς, quæ vox in ſpecie ptiſanæ ſuccum denotat. Quaſi *Succatiunculam* diceres. Χυλάριον legendum eſſe in Hippocr. *l. de int. affect. XL.* 17. exiſtimat Foëſ. *Oecon. p.* 685. quamvis in edit. Linden. χαρδάριον legatur.

CHYLIFICATIO, χύλωσις, χυλοποίησις, vulgo *coctio prima*, eſt actio ventriculi propria (quamvis non negari poſſit, initium accipere in ore, & ſupplementum in inteſtinis, præſertim tenuibus) qua aſſumta alimenta per os, beneficio caloris nativi, ſive flammæ vitalis appropriata, allaborante quoque viſcerum adjacentium, præſertim hepatis calore, mediante ſucco quodam ſpirituoſo acido, aut juxta nonnullos moderate acido ſalſo, quod Fermentum dicitur ventriculi, fermentationis moderatæ modo in ejuſmodi ſubſtantiam, quæ cremori vel ſucco ptiſanæ ſimilis eſt, & proxime converti poteſt in ſanguinem, tranſmutantur. Vid. Joh. Wallæi *Epiſtolæ de motu Chyli & ſang.* Dieterich. *Iatr. n.* 157. & 117. Caſp. Hofmann. *com. ad Galen. de Vſ. P. num.* 180. Th. Bartholin. *Anat. l.* 1. *c.* 9. aliique ex recentioribus plures, præſertim Charlton. *in Oec. anim. Exerc. II.*

CHYLISMA, χύλισμα, à χυλίζω, *ſuccum exprimo*, ſignificat *ſuccum expreſſum*, Dioſcor. *l.* 3. *c.* 125. Unde hanc vocem ei autori propriam vocavit Rhod. *in Indic. ad Scribon. prior.* B. tamen Rolfink. etiam *Extractis* hoc nomen applicare non dubitavit. Unde extractum quoddam vocavit *Chyliſma Catholicum*, & *Holagogum*, *Chym. l.* 4. *ſect.* 3. *c.* 12.

CHYLUS, χυλὸς, generaliter *ſuccum* ſignificat, cum in animantibus, tum in plantis paululum incraſſatum, Galen. *lib.* 1. *de Simpl. Fac. cap.* 36. Apud Hippocratem vero ſpecialiter accipitur pro *ſucco ptiſanæ*, & ſorbitionem ſignificat, quam Ptiſanam colatam vocant, expreſſam hordei ſubſtantiam continentem, non cremorem, qui eſt aqua hordei expreſſa apud Latinos, non ſuccus ipſius ſubſtantiæ hordei, cui tota & integra ptiſana, h. e. non colata opponitur, 1. *de R. V. I. A. t.* 28. 41. 47. *l.* 5. *Epid. X.* 12. 16. *l.* 7. *II.* 421. *V.* 9. 20. & alibi ſæpius, quæ loca videri poſſunt apud Foëſ. *pag.* 686. Propter ſimilitudinem cum hoc ptiſanæ ſucco ſpecialiſſime etiam *Chylus*, χυλὸς, dicitur ſuccus ex aſſumtis cibis, nativi caloris & fermenti in ventriculo contenti vi, per fermentationem (quam antea *Chylificationem* diximus) elaboratus, partim tenuioribus, partim craſſioribus portionibus conſtans, Gal. *l. de atr. bile cap.* 3. & *l.* 4. *de Vſ. Part. c.* 3. Cur Lindenus ſcribere maluerit *Chilus*, non video rationem. Vocat vero pultem illam, quæ in ventriculo, ceu publica olla, coquitur quotidie, & præter *cremorem*, quem χυμὸν, vel ſuccum, appellat, habet etiam *ſcoriam*, ſeu recrementa ciborum, *Ex. XIII.* §. 281. Quemadmodum vero indubitatæ veritatis & in confeſſo eſt omnium, quod *Chylus* ſit materia ſanguinis; ita per quas vias, quo motu, & an ad viſcera quoque, præſertim hepar & lienem, feratur, pro ſanguificatione, nondum inter Anatomicos prorſus expeditum eſt; hodie tamen expeditæ veritatis eſſe videtur, chylum ex inteſtinis per vaſa lactea primi & ſecundi generis ad commune receptaculum collectum lymphaque dilutum ſucceſſive per peculiarem ductum à Perqueto inventum ad venam ſubclaviam aſcendere, ibique ſanguini permiſceri, ut mox cordi communicetur, & hujus ope una cum ſanguine per totum corpus diſtribuatur, quemadmodum hoc prolixius in Phyſiologorum & Anatomicorum ſcriptis legi poterit. Nihilominus ſunt adhuc e celeberrimis Anatomicis & Phyſiologis, v. g. Willis, Johann. van Horne, Swammerdamm, Peierus, qui venas meſaraicas etiam admiſerunt, de quibus videatur Theod.

Theod. Jans ab Almeloveen *Invent. novantiq.* §. 23. p. 198. 199. quorum ſententias adducere non admittit inſtituti ratio. Videatur Th. Barthol. *in Anatom. d. loc.* & alibi.

CHYMIA, *Alchymia*, *Chemia*, *Chimia*, χυμία, χημία, σπαγιρία, *Spagyrica*, (hæ ſcribendi varietates à diverſa derivatione obortæ ſunt, & adhuc ſalva orthographia defendi poſſunt. Vid. Rolfink. *l.* 1. *Chymiæ c.* 8. Libav. *Synt. A. Chym. in pr.*) generaliter artem, materiam quandam ſolidam liquandi, aut ſolvendi ſignificat, Ruland. *in Lex.* Specialiter vero tribus potiſſimum gaudet ſignificationibus: 1. ſumitur pro arte, quæ monſtrat modos diverſos, medicamenta ſimplicia vel compoſita concreta ſolvendi, aut ſoluta coagulandi, ut purum ab impuro ſeparetur, & vis medicamentoſa eorum exaltetur, aut promtior reddatur. Hæc definitio fere coincidit cum Rolfinkii *d. loc. c.* 11. 22. Et hæc *Chymia* eſt medica, parsque Pharmaceuticæ. Unde & Pharmacia ſelectior vocatur maritanda cum Galenica, D. D. Wedel. *in Ph. I. A. F. R. in proœm. p.* 4. Verum Medicinæ ſaltem miniſtra aut ſerva, quam tamen hodieque multi non ſine præjudicio Artis Medicæ, ſuæque dignitatis ultra τὸ πρέπον laudibus extollunt: 2. ſumitur pro arte μεταλλεργικῇ, ſive tranſmutandi metalla imperfectiora in perfectiora, Aurum & Argentum, cujus duæ ſunt partes: *Argyropœia* & *Chryſopœia*, de quibus vide ſupra *ſuo loco.* Et in hac ſignificatione ſumſit Joh. Fr. Picus de Mirandula, *l.* 2. *de auro c.* 1. *in Theatr. Chym. Volum. II. pag.* 323. 3. accipitur pro arte, quæ occupata eſt in præparatione *Lapidis Philoſophici*, ſive per hunc intelligatur *Medicina Univerſalis*, per quam omnes morbos ſanari poſſe aliis perſuadere conantur, ſive illud ſemen *Chryſo*-vel *Argyropœum*, quo mediante tranſmutatio fit metallorum in aurum & argentum. Quamvis vero nunquam non omnes hæ *Alchymiæ* ſpecies ſuos habuerint amatores, quas nimio amore deperierunt; præſertim vero tantis encomiis exornarunt, ut Philoſophiam veram, Sophiam adeptam etiam vocare non ſint veriti. Videatur iterum *Theatr. Chym. in ſingulorum Voluminum Indice.* Sunt tamen, qui de duarum poſteriorum certitudine & amoris hujus dignitate haud immerito dubitant, de quibus legi poterit Rolfink. *d. loc. cap.* 9. & 10. cui etiam calculum noſtrum addere eo minus dubitamus, quo magis perſuaſum nobis habemus, veriſſimum hactenus fuiſſe illud proverbium, cujus meminit Guido Pancirollus *in nov. repert. part. poſt. tit.* 7. Nunquam vidi Alchimiſtam divitem, cui reſpondet Italicum: *Non ti fidare all' Alchimiſta povero, e Medico amalato.* Et omnino dolendum, quod Magnates quidam permittant, ab hujuſmodi artificibus (verius ut plurimum impoſtoribus) decipi, ut etiam ad dignitates varias evehere non vereantur. Artifices Chymiæ vocantur Chimici, Chymici, Chymiatri, Alchymiſtæ, Spagyrici, Philoſophi, Adepti, quæ duo epitheta fortaſſis vel hyperbolice, vel ironice ſunt accipienda.

CHYMICOPHANTA, χυμικοφάντης, dicitur Georgio Thomſono *in Explicatione quorundam terminorum artis*, *Acui ſuæ Magneticæ præmiſſa*, is, qui videtur eſſe Chymiſta, nequaquam tamen realiter eſt.

CHYMOLEA, vide *Kymolea.*

CHYMOSIS, vitioſe, pro *Chemoſis.* Vide ſupra.

CHYMOSUM, dicitur Paracelſo genus nutrimenti ex aſſumtis in chylum mutati, & ita idem, quod *Chylus*, e quo aliquando & vermes Aſcarides generantur, *l.* 2. *Paragraph.* §. 2.

CHYMUS, χυμὸς, quamvis communi ſignificato nihil aliud, quam ſuccum, humorem præſertim coctione paululum incraſſatum denotet, & ita à vocabulo *Chylus*, χυλὸς, nihil differat. Quidam tamen, qua veteres, qua recentiores, aliquam differentiam urgere ſolent. Ita Galen. *l.* 1. *de Simpl. Fac. c.* 36. Χυμὸν vult ſignificare *guſtatoriam facultatem*, vel qualitatem, quam *Saporem* vocavit, qui eſt in plantis & animalibus; *Chylum* vero ſuccum ipſum incraſſatum, in quo *Sapor* ineſt. Lindenus vero *Ex. XIII.* §. 282. ita differre ſcripſit, ut *Chymus* ſit cremor & portio *Chyli* melior. Ita etiam nonnulli ex recentioribus *Chymum* dicunt eſſe chylum jam à fecibus ſeparatum in Glandulis Meſaraicis & Receptaculo Lumbari lympha delutum & fluidiorem redditum, uſque dum in venam ſubclaviam ſanguis permiſtus nomen *Chymi* amittat. Rul. & Iohnſ. vero plane contrarium innuerunt, docentes *in Lexic. Chymum* eſſe maſſam, item fæcem.

CHYSIS, χύσις, vide *Fuſio.*

CHYTLON, χύτλον, dicitur *inunctio*, quæ cum *multa aqua & oleo* fit. Hinc verb. χυτλάζω, *aqua & oleo ſimul perfundor*, Foëſ. *pag.* 686. & verbum χυτλῶσαι, quod ſignificat, aqua & oleo ſimul contuſo tritoque inungi aut perfundi, Galen. *lib.* 2. *de Simpl. Fac. c.* 25. Opponitur τῷ ξηραλοιφεῖν.

CHYTRA, χύτρα, id eſt, *olla*, vas fictile, in quo aliquid coquitur. Idem ſignificat χύτριον apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXIV.* 21. *ſeqq.* Χυτρίδιον *ollulam* denotat, *l. de Ulcer. XII.* 2. Χύτρα πλατύστομος, ampli orificii *olla*, legitur apud Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 112.

CIBARIUM, idem, quod *Cibus.* Vide *Cibus. Cibarius* panis, h. e. ſecundarius, in quo ſatis uber copia furfurum relicta eſt, Celſ. *l.* 12. *c.* 18. C. Hofm. *Inſt. Med. l.* 5. *c.* 6. §. 4.

CIBATIO, τροφή, idem, quod ciborum vel alimentorum aſſumtio. Chymice vero *Cibatio* ſignificat *Corporationem. Cibatio* vocatur nutritio materiæ ſiccæ noſtræ, Ripleus *in Axiom. Philoſ. Th. Chym. Vol. II. p.* 115. Vel eſt ſubtilis, ingroſſatio & craſſi ſubtiliatio, Quercet. *Reſponſ. ad Aubert. ibid. p.* 175.

CIBUS, σῖτος, σιτίον, varie ſumitur: Late, ſtricte, ſtrictius, & tropice, vel impropriè. *Late*, pro *omni alimento*, quod per os aſſumitur, v. gr. apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſect.* 4. *t. ult.* Labores *cibos* præcedant. *Stricte*, pro ſolidioribus alimentis, & ita contradiſtinguitur *potui*, quæ

quæ acceptio eſt communiſſima, nec opus habet teſtimoniis. *Strictius*, quando ſignificat frumentum, panem, & quæ ex frumentis parantur, frumentacea alimenta, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Unde σιτηρὰ γεύματα, *frumentacea guſtamenta*, ibid. in textu leguntur. *Tropice* & *improprie* ſumitur *cibus*, σῖτος, vel pro *maſſa chyloſa*, ex aſſumtis alimentis in ventriculo elaborata, notante Lindeno, ab Hippocr. *l.* 5. *Ep. II.* 6. 7. *ſeqq. Ex. XIII.* §. 185. vel pro *excrementis* alvi *indigeſtis* & crudioribus, Hipp. *d. l. & l.* 4. *XXIX.* 5. Plura vid. in Foëſ. *p.* 568. *Ciborum* varietatem non ſemper eſſe noxiam, probari poteſt ex Scrib. Larg. *n.* 184. ubi vide Rhod. *ad h. l.*

CICADA, τέττιξ, eſt inſectum ἐγχέλαδον, ſonoram vocem edens, *Gryllis* ſimile, rore vivens; unde ore caret, & in pectore aculeatum quid habet, quo rorem lambit. In Italia vulgaris notitiæ, noſtratibus incognita. Hujus pleniorem deſcriptionem vide ſis apud Aldrov. *lib.* 2. *de Inſect. c.* 13. Uſus earum olim fuit non modo in cibis, ſed & in medicina, præſertim contra colicos affectus, cum granis piperis imparibus, apud Gal. *l.* 11. *de S. Fac.*

CICATRIX, οὐλή, proprie notat cutem, quæ in ulcere à natura per medicamenta exiccantia, quæ & *cicatriſantia*, ἐπουλωτικὰ, dicuntur, regeneratur. Hanc non eſſe veram cutem, ſed cuti ſaltem ſimile, unanimiter Anatomici ſtatuunt, & ſubſcripſiſſe videtur Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 2. quod ſit ex carne exuſta, & quaſi exſiccata. Particulatim *Cicatrix oculi* dicitur *Albugo*. Vide ſupra *ſuo loco*. Gr. dicitur etiam ἀτειλὴ, quamvis hoc vocab. aliquando etiam pro ipſis ulceribus ſumi, monſtret Foëſ. *ex* 1. *de artic. t.* 44. *& l. de vuln. c. XIX.* 3. At mihi potius labia vulneris aut ulceris ſignificari videtur. Parac. vocem *Cicatrix* etiam accepit pro affectibus cutaneis externis, ut ſunt, Morphea, Sirones &c. *Archidox. l.* 9. *& de vit. long. l.* 2. *c.* 11. *Cicatricula* etiam appellatur à quibuſdam particula illa ovulis generationis adhærens, quæ à mare fœcundata beneficio liquoris genitalis, vel virtualiter, vel materialiter mediantibus particulis ſubtiliſſimis & ſpirituoſiſſimis (quæ etiam Spiritus plaſtici nomen merentur) principium ſit formationis fœtus; in qua ſignificatione deſcripſit D. D. Peierus *in Exerc. Anatomico-Medicis Pœonis & Pythagoræ Epiſtolicis Ex.* 19.

CICATRIZANS, ἐπουλωτικὸν, vide *Epuloticum*.

CICCUS, κίκκος, eſt ſpecies cicadæ parvæ & contemtibilis, teſte Heſychio. Unde proverbium apud Linden. *Ex. V.* §. 52. quamvis & *Ciccus* ſit anſeris feri ſpecies, apud Aldrov. *lib.* 19. *Ornith. c.* 10.

CICINDELA, *Lampyris*, λαμπυρὶς, *Noctiluca*, *Nitedula*, inſectum eſt alatum, in tenebris ignis modo lucens. Vulgo *Vermiculus S. Johannis*, cujus ſplendoris cauſſam in humorem diaphanum, quem in alvo continet, referunt. Hujus inſecti deſcriptio legatur apud Aldrov. *l.* 4. *de Inſect. c.* 8. accuratior adhuc hodieque habetur cum figuris in Dominici Bottoni *Pyrologia Topographica*, quod conſtat ex *Actor. Eruditor. Lipſ. Supplement. Tom. II. ſect. IV. p.* 189. *ſeqq.* De uſu medico, quamvis raro, vide Schröd. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 100.

CICONIA, πελαργὸς, potiſſimum duplicem habet ſignificationem: (1) Avis ſpeciem in vulgus notam, cauda & alis nigris, in reliquis corporis partibus pennatis albam, roſtro & pedibus oblongis rubicundis (quamvis & dorſo nigram, ventre ſaltem albam dari in locis quibuſdam deſertis paludoſis ex Aldrovand. conſtet) de qua vide plura apud dict. Aldrov. *lib.* 20. *Ornith. cap.* 1. *Ciconiam* cibi cauſſa primum occidiſſe Sempronium Ruffum e Salmaſio *ad Tertullian. de Pall.* notavit Th. Janſ. ab Almelov. *Rer. Inv. Onom. p.* 14. Hujus avis uſus quamvis in cibis hodieque nullus ſit, haud dubie propter victus rationem ſuſpectam, in Medicina tamen non carere utilitate, legatur præter *dict. loc.* apud Schröd. *lib.* 5. *cl.* 2. *num.* 48. Imprimis contra peſtem commendat Paracelſ. *tract.* 1. *&* 2. *de peſtilitate.* Stercoris *ciconiarum* laudes contra epilepſiam ſuſpectas haud incongrue reddidit Galen. *l.* 10. *de Simpl. Fac.* §. *Stercus anſer.* (2) ſignificat machinam, vel inſtrumentum mechanicum, quod & *Gruis* nomine venit, item *Tolleno*. Dicitur Gr. γεράνειον, κηλώνειον. Vide *Celoneum*.

CIGNUS eſt nomen menſuræ liquidorum, cujus meminit Rhodius ex *Avic. l.* 62. *c.* 6. *&* 31. & continere ſcribit drachmas duas in Diſſert. *de Pond. & Menſ. p.* 40.

CILIA, τάρσοι, ſunt extremæ palpebrarum partes, ſemicirculares, & veluti cartilagineæ, quæ in ſomno clauſis oculis committuntur. Iis & pili ſemper fere eandem ſervantes magnitudinem inſiguntur, qui etiam ab aliis *Cilia* vocantur. Barth. *l.* 3. *Anat. c.* 8. Hofmann. *in com. ad Gal. de V. P. num.* 737. 741. *Ciliare* ligamentum quid dicatur, videatur etiam apud Barthol. *d. l.* & G. Bidloo *Tab. XI. fig.* 13.

CILIARIS, derivativum à præcedente, eſtque epitheton ligamenti in oculo ex circumferentia uveæ, ubi duplicata membrana ejus ſe reflectit ad pupillam, quod *ciliare* dicitur Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. *p. m.* 915. *Ciliares* vero nervos & proceſſus deſcriptos & delineatos exhibet Chriſtian. Wedelius *in Epiſtola Anatomica problematica ad D. Frid. Ruyſchium.* Vid. *Acta Erud. Lipſ. A.* 1700. *m. Octobr. p.* 434. *ſeqq.*

CILLO, aliud vitium à *Cilone* vel *Chilone*, & ſignificat eum, cui perpetuum ſuperius cilium pluſquam celleret, ſive tremeret perpetua agitatione. Quod ſe in fœmina vidiſſe meminit Linden. *d. l.* & nos in alia ſimiliter vidimus.

CILO, προκέφαλος, C. Hofm. φοξὸς, dicitur, cui frons eſt eminentior, ac dextra ſiniſtraque velut reciſa videtur. Hinc oblongum & compreſſum videtur caput. *Cilo* dictus, cui frons veluti cellit, & exurgit. Linden. *Ex. XI.* §. 38. C. Hofm. *ad Gal. de Uſ. P. n.* 694.

CIMENTATIO, idem, quod *Cæmentatio*. Vide ſupra *ſuo loco*.

CIMEX, κόρις, eſt vermis vel inſectum parvum latiuſcule compreſſum, & (præſertim domeſticus ſive lectularius) morſu valde moleſtum, cujus deſcriptionem vide apud Aldrovand. *l.* 5. *de Inſect. c.* 2. Cæterum etſi ſit animal abominandum, non tamen utilitate carere in Medicina conſtat ex Gal. *de S. Fac. l.* 11. Schröder. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 101. *Cimices* ex noſtris excrementis naſci, ceu hoſpites & vicini noſtræ miſeriæ, dicit Helmont. *tr. Imag. Ferm. imprægn. n.* 9.

CIMOLIA *terra*, κιμώλια γῆ, eſt terra modice pinguis, rara, mollis, candida, aut in candido purpurea. Habet vim miſtam refrigerandi, ſiccandi, & modicè digerendi, Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Terra Samia*. Dicitur & *Cimolia creta* à Scrib. Larg. *n.* 245. ab inſula *Cimolo*, vulgo *Terra ſaponaria*. Hodie vel ignota, quæ tamen veteribus fuit familiaris; vel hac appellatione noſtris temporibus non adfertur, notante Rhod. *ad Scrib. d. l. p.* 320. vel *Cretæ vulgari* nomen hoc competit.

CINABARIS, vide *Cinnabaris*.

CINÆDUS, κίναιδος, nomen aviculæ, cujus fel commendatur ad pilos circa oculos ſuperfluos à Gal. *l.* 4. *de G. M. S. L. c.* 8. *Cinædi* alias dicuntur turpiter viventes, ex Cœlio apud Lind. *Ex. XI.* §. 39.

CINCLESIS, *Cincliſmos*, κίγκλισις, κιγκλισμὸς, vox eſt Hippocratis, qua motum denotat thoracis, quo ſubito elevatur & ſubſidit. Galenus *in exeg.* definit brevem & frequentem motum, Conf. ad Hipp. *l. de art. t.* 67. *&* ſ. 4. *t.* 46. Foëſ. *p.* 337. Hofm. *in Com. ad Gal. de V. P. n.* 107. Latine dici poſſet *Criſſatio*, *Criſſatum*, à *Criſſa* ave, quæ & *Motacilla* dicitur, Gr. κίγκλος, quæ caudam aſſidue motat & agitat, cujus aviculæ deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 17. *Ornithol. c.* 22. *ſeqq.* quamvis & alias aves ſub nomine *Cincli*, *Motacillæ* ſimiles deſcripſerit *l.* 20. *c.* 56. Dicitur & διακίγκλισις, à διακιγκλίζω, quod occurrit apud Hippocr. *de art. t.* 64. applicatur etiam *Cincliſmus* ad obſcænum cinædorum motum in coitu, qui alias *criſſatio* eſt, conf. Heſych. *in* κιγκλίζειν *&* κίγκλος.

CINDYNOS, κίνδυνος, *periculum*. Apud Hippocr. vero *grave periculum* vitæ notat, uti conſtat *ex* 5. *aph.* 12. *&* 34. Jung. Dieter. *n.* 462.

CINEFACTIO, idem, quod *Cineratio*, vel *Incineratio*, aut *Calcinatio*. Eſt operatio, qua fiunt *cineres*. Eſtque duplex, occluſa & aperta. Rul. *in Lex.*

CINEO, κινέω, *moveo*, cieo, ſignificat. Verum in Medicina diverſimode ſumitur. Vel enim *Movere* dicitur de humoribus prius quieſcentibus. Ita humores arthritici *moventur* ut plurimum vere & autumno, 6. *aph.* 55. Vel de turgeſcentibus, & urgentibus, & ita includit *evacuationem*, 1. *aph.* 22. Vel ſignificat omnem mutationem à Medico inductam, 2. *aph.* 29. *&* 1. *aph.* 20. Vel etiam dicitur de corporis *motu locali*, 4. *aph.* 14. 15. Vel denique de præternaturali oſſium *dimotione* κινέεσθαι accipitur, 2. *de fract. t.* 39. Jung. Dieter. *n.* 463. Foëſ. *p.* 338. Imo & morbus dicitur κινέμενος, i. e. qui *movetur*, quique diverſis horis ſemper accedit ac remittit. Cui contrarii ſunt affectus ἑστῶτες, iiſdem horis ſubinde accedentes & remittentes.

CINERARIUM, κονιστήριον, vocatur infima pars furni Chymici, in quam decidunt cineres, ne ignem ſuffocent, habetque foramen, per quod cineres eximi poſſunt. Rolfink. *Chym. I. A. F. R. l.* 2. *c.* 17.

CINERATIO, τέφρωσις, idem, quod *Cinefactio*, vel *Calcinatio*. *Cineratio* quid ſit in opere Lapidis Phil. vide *Vol. IV. Th. Ch. p.* 858. 930. 958. de quibus *ſuo loco*. Vide *Incineratio*.

CINEREUS, *Cineraceus*, τεφροειδὴς, ὑπότεφρος, τεφρώδης, de colore dicitur cineri ſimili, eſtque poſtremus color in negotio Lapidis Philoſoph. teſte Lagneo *Harm. Chym. c.* 8. *Vol. IV. Th. Ch. p.* 765. Specialiter eſt epitheton *Collyrii*, quod & *Tephrium*, τέφριον, dicitur, Scrib. Larg. *n.* 26. 37. Rhod. *in not. ad prior. loc. p.* 65. ubi vocatur etiam *Collyrium ſpodiacum*.

CINERITIUM, *Ciniritium*, eſt cementum auri, vel argenti. A nonnullis *Regale* vocatur. Idem ſignificat & vas aurifabri, in quo aurum & argentum calcinatur. Rul. *in Lex.* Eſt & modus colamenti per *Cineritium*. *Theatr. Chym. Vol. II. in fin.* Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 2. In Pathologia quoque *Cineritium* dicitur illud, quod poſt humorum, aut alterius rei putredinem (vel potius effervescentiam & combuſtionem) remanet ſub forma terrea & craſſa, nec poteſt in vapores aut fuligines tenues mutari: Deſumta ſimilitudine à lignorum uſtione, quæ ſecundum partes aliquas inflammabiles ignem & fumum concipiunt, ſecundum alias minime, ſed in cineres mutantur. Petr. Mich. de Calderia *in Avic. de Febr. Tom. I. Oper. p.* 121.

CINERULA, σποδίον, vide *Spodium*.

CINESIS, κίνησις, *motum* ſignificat. Vide *Motus*.

CINETUS, idem, quod *Diaphragma*, de quo *ſuo loco*. Vide Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 3.

CINGENS, vide *Hypezocos*.

CINGULUM, ζώνη, vide *Zona*. Quid ſit *Cingulum ſapientiæ* Rulando, quomodo paretur & uſurpari debeat, videatur in Hartmann. *Praxi Chymiatr. Operum in fol. Tom. I. p.* 25.

CINIFICATUM, idem, quod *Calcinatum*. Rul. & Iohnſ.

CINIFLONES, οἱ ἐπὶ τοῖς σποδοῖς θερμαίνοντες, eſt epitheton *Pſeudo-Chymicorum*, vel *Chymicaſtrorum*, qui neque *Gas*, neque *Blas* habent artis, interim venditantes negotioſa inopia mirabile arcaniſſimi lapidis Philoſophici myſterium, ambiguiſque reſponſis promittentes eſſentiam ſolis ex neſcio quo puteo emergentem, qui *Chryſoſophi* dum alios auro Seraphico & ſanitate volunt ditare, ipſi paupertate & ſcabie moleſtantur, tandemque pro auro cinerum favillas micantes in

furno relinquunt ; uti verbis non minus veriſſimis ; quam elegantiſſimis deſcripſit Dieter. *num.* 829. Lang. *l.* 1. *Ep. Med.* 52.

CINIS, *τέφρα*, *σποδὸς*, *σποδιὸν*, (quamvis hoc ad metallicos *cineres* reſtringi ſoleat, vide *Spodium*) ſic appellantur non ſolum lignorum uſtorum, ſed & omnium aliarum rerum reliquiæ. Habet autem in ſe diverſas particulas & qualitates. Quædam enim ſunt terrenæ, quædam fuliginoſæ, tenuium partium, quæ hodieque ſalinæ, alkalicæ, lixivioſæ, vocantur, & cum aqua in maceratione *cineris* una abeunt. Verum non eſt omnis *cinis* eadem facultate & temperatura præditus, ſed varius, pro combuſtæ materiæ diverſitate, Gal. *l.* 8. *de S. Fac. Tephra.* Ita omnium animalium uſtorum *cinis* eſt acris & diſcuſſorius, alius magis, alius minus, *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 1. *Cinis ſarmenticius*, *τέφρα κληματίνη*, olim in uſu fuit, de cujus virtutibus vid. Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 135. Galen. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.*8. Rul. *in Lex. Chym. Cinis clavellatus* alias dicitur, qui ex fæcibus vini poſt ſpiritus vini deſtillationem relictis per combuſtionem & elixivationem fit, quamvis & ſub hoc nomine alia ſalia alkalia etiam ex Iſatide, ligno Querno, &c. ſubintelligantur, Schröder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 412. Hofm. *in clav. ad h. l.* Proprie non eſſe *cinerem*, ſed ſalem; à priori & poſteriori demonſtravit Celeb. D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 9. *p.* 95. *Cinis clavellatus*, id eſt, *Alkali.* Dicitur & *cinis hederæ.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Cinis ex cinere* eſt aqua extracta. *Cinis cineris* eſt congelatum coagulans, Iidem. Hoc nomine etiam venit ipſe Lap. Ph. Lagn. *Harm. Chym. Vol. IV. Th. Ch. p.* 727. Paracelſ. *cinerem* in genere vocat *Sal*, *de morb. Tartar. c.* 10. De *cineribus* vegetabilium vide Rolf. *Chym. l.* 5. *ſ.* 7. *c.* 11. ubi etiam de *cineribus clavellatis. Cinerum* quoque uſus eſt in operationibus chymicis, v. g. in digeſtione, Id. *l.* 2. *c.* 2. De ſingularibus quibuſdam *cineribus* lege Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 5. *c.* 19. De *Cinere Hermetico* in præparatione lapidis Philoſophici *in Apoc. Hermet. parte poſter.* Helmont. ſtatuit, *cinerem* humanum nihil continere terræ, *tr. Terra n.* 10. Idem aſſerit, *Cinerem* lignorum eſſe ex aqua, quia lignum totum ex aqua, *tract. Complex. atque Miſtion. figm. n.* 36. *Cinis* in genere fœmin. legitur ſæpe apud Scrib. Larg. *n.* 216. 228. 230. Vid. Rhod. *in Indic.*

CINNABARIS, *Cinabaris*, *Cinabrium*, *κιννάβαρι*, quale proprie Minerale fuerit, non fuiſſe veteribus adeo perſpectum, colligere licet e Dioſcor. *l.* 5. *c.* 109. & Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* Hinc factum, ut cum *Minio* confudiſſe videantur, animadvertente Sarraceno. *in not. ad Dioſcor. d. l.* Hodieque certo certius eſt, duplicem eſſe *Cinnabarim*, *Nativam*, & *Factitiam. Illa* eſt terra mineralis lapideſcens, conſtans ex Sulphure & Mercurio exquiſite ſecum mixtis in materia terreſtri inſtar lapidis compactis & hoſpitantibus; interdum purior, interdum impurior reperta. Interdum etiam minera Solaris reperitur intermixta. Vid. Schröder. *l.* 3. *c.* 16. & Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* ubi etiam quæſtio illa ſolvitur: An *cinnabaris* cruda adhiberi poſſit; quamvis fortaſſis encomium videatur hyperbolicum. Ex noviſſimis etiam Diſſertationem de *cinnabari nativa* ad normam Acad. Nat. Cur. ſcripſit D. Gabr. Clauderus Medicus Ducal. Sax. cujus mentio quoque fit *in Act. Erud. Lipſ.* 1684. *Cinnabaris nativa* quoque vocatur *Electrum minerale immaturum*, quod Helmontio *Metallus primus* ſive *maſculus* vocatur. Vide *Metallus.* Uſum illius ſuſpectum reddere auſus eſt D. Barthelin. ob ſulphur nigrum Arſenicale, uti patet *ex Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 41. *p.* 77. *Cinnabaris nativæ* cremorem, ſublimationem, & in Mercurium currentem reductionem legere licet in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 85. *ſeqq.* Cinnabaris vulgaris Officinarum quomodo paratur *ibid. Factitia* eſt vel ſpecies Mercurii ſublimati, Schröder. *d. l. cap.* 15. Hofm. *ad h. l.* vel cum additione *Cinnabaris Antimonii* ex floribus Antimonii cum aqua forti parata. Vid. eoſdem *l.* 3. *cap.* 17. Si placet, poterit etiam legi Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Plura de *Factitia* apud Libav. *Synt. A. Ch. l.* 7. *c.* 25. *Cinabrium* vocatur etiam ipſe Lapis Ph. Lagn. *Harm. Ch. d. l. Cinnabaris Antimonii* eſt nihil aliud, quam Mercurius ſublimatus dulcis, ſulphure ſive Tinctura Antimonii impræpnatus, & ita Cinnabari nativæ quoad uſum poſtponenda; D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. c.* 2. *ſ.* 3. *c.* 4. *p.* 139. Quid Helmontio dicatur *Cinnabaris*, vide *in tr. in Herb. Verb. & Lap. &c.*

CINNAMOMUM, *Cinnamum*, Rhod. *ad Scrib. Larg. in Ind. priori*, *κιννάμωμον*, inter aromata præſtantiora notiſſimum, ſumme tenuium partium, nec tamen ſumme calidum, Gal. *l.* 7. *de S. F.* Verum cum ſit cortex arboris cujuſdam, Botanicis relinquimus. Hujus reſolutionem Chymicam vide apud Iunken. *Chym. Med. Phyſ. P. I. ſ.* 3. *c.* 1. *p.* 154. *ſeqq.*

CINNIOGLOTTUS, *Cinnætus*, ſunt termini à Paracelſo ficti, denotantes interitum, mortem, corruptionem totalem corporum mineralium, *Chirurg. l.* 5. *c.* 7.

CINNUS, *κυκεὼν*, eſt miſcella plurimarum rerum. In ſpecie vero ſignificat potionis genus ex multis liquoribus confectum. Hinc deſcendit verbum *concinnare.* Meminit hujus vocabuli Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 9. Vide Linden. *Exerc. X.* §. 198. Vide *Cyceon.*

CINZILLA, eſt nomen Paracelſicum, denotans ſpeciem *Herpetis exedentis* maligni, *Zona* alias dictam, quemadmodum ex deſcriptione colligere licet, Paracelſ. *de ulcer. & apoſtem. c.* 33. Vide *Zona.*

CION, *κίων*, vide *Columella.*

CIONIS, *κιονὶς*, idem, quod *κίων*, *Columella.* Vide *ſuo loco.* Ita quoque dicitur affectus gurgulionis, vel *uvulæ*, quando ex fluxione majorem craſſitiem obtinuit, & ita opponitur *ἱμὰς*: Vid. *Corrigia.*

CIPA-

CIPARIUM, vulgo Civerium, edulia ex carne cuniculi conciſa cum Zing. Cinam. bono & omphacis. Franciſcus Tornaſius *de peſte.*

CIRCA, *Circum*, περὶ, quid ſignificet, ſcil. partes vicinas, vid. apud Gal. 4. *aph.* 80. Dieter. *n.* 669.

CIRCINUS, κίρκινος, haud dubie à κίρκος, *circus*, inſtrumentum mechanicum, quo circulus deſcribitur. Meminit Galen. *l. de opt. docendi gen.* Circini uſum Perdicem Dædali ſororis filium inveniſſe, ex Iſidor. *Orig. l. XIX. c.* 19. & Hygino *Fab.* 274. notavit Th. Ianſ. ab Almelov. *R. I. Onom. p.* 15. Tropice etiam legitur *Circinus erroris* in *Theatr. Ch. Vol. I. tr. Vita brevis. p.* 463. 467. *&c.*

CIRCITES, ſunt circuli ex arefactis, uti e Feſto notavit Rhodius *de Acia p.* 78. Reliqua vocabula ibi occurrentia huc non pertinent.

CIRCOS, κίρκος, & per metatheſin literarum etiam κρίκος, denotat annulum, fibulæ ſpeciem anſulam, cujus variam ſignificationem notavit etiam Rhodius *de Acia p.* 79. ubi etiam ex Hippocrate *de Mochlic. & de fractur.* oſtendit, quod κρίκοι ſint annuli orbiles ex corio Ægyptio inſuti ad cruris luxati diſtentionem.

CIRCUITUS, περίοδος, vide *Periodus.*

CIRCULARIS *motus*, vide *Circulatio.*

CIRCULATIO, *Circularis motus*, Gr. dici poſſet περίοδος, περιδρομὴ, fortaſſis etiam κύκλωσις, ἢ περικύκλωσις, frequentis uſus eſt in Medicina. Accipitur vero (1) Phyſice partim generaliter de περιώσει Platonica, de qua vide *Circumpulſio*: partim ſpecialiter de *motu ſanguinis reciproco*, qui geminus notatur: Quidam *Univerſalis*, quando ſanguis omnis e ſiniſtro ventriculo cordis in arteriam aortam, ſive magnam per impulſum influit, & mediantibus hujus ramis & ſurculis in totum corpus diffunditur, poſtea à venæ cavæ, & in abdomine venæ etiam Portæ ſurculis & ramis etiam in toto corpore diſtributis idem ſanguis recipitur, & per illos ad truncum venæ cavæ defertur, & ex hoc ad cor, in ſpecie ad auriculam ejus dextram, & ex hac in ventriculum dextrum redit. Cujus *circuitus* primus inventor & autor præcipuus Guilielmus Harveus Anglus, Medicus Regius, & in Collegio Medicorum Londinenſi Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor, qui peculiarem ſcripſit Exercitationem Anatomicam *de Motu cordis & ſanguinis in animalibus.* Hunc mox ſecutus eſt Herm. Conringius, libellum etiam *de generatione & motu ſanguinis* edens; Joh. Wallæus, & paulo poſt quamplures alii. Vide Dieter. *in Iatr. n.* 15. Eſtque hodie adeo recepta & ſenſuum fide anatomicaque experientia confirmata ſententia, ut qui vellet eam præfracte negare, vel impugnare, ille adverſus ſolem loqui videretur. Altera *Circulatio ſanguinis particularis* eſt, quando e dextro cordis ventriculo exprimitur in arteriam pulmonalem, vulgo venam arterioſam dictam, per ſubſtantiam pulmonum diſtributam, e cujus ramis viciſſim tranſit in venam pulmonalem, vulgo arteria venoſa dictam, ejuſque ramos, qua mediante redit ad cor ejuſque auriculam ſiniſtram, & ex hac in ventriculum ſiniſtrum. Quem motum etiam C. Hofm. agnovit & admiſit, licet alii impugnaverint. De hoc vide Bartholin. *Anat. l.* 2. *c.* 9. quamvis in embryonibus & recens quoque natis paulo aliter fiat, mediante peculiari canali & foramine ovali, de qua *circulatione* vid. *d. l. c.* 8. *ſub fin.* Ita & *Circulatio ſpirituum animalium* à nonnullis Phyſicis & Medicis, ſatis veroſimiliter aſſeritur, v. g. Henr. Regio, Rogerſio aliiſque: Sic mentio fit tractatus cujuſdam Religioſi congregationis S. Mauri de hoc argumento *in Act. Erud. Lipſ.* 1684. Bartholin. vero in dubio reliquit hanc hypotheſin, *Anat. Libell.* 3. *c.* 1. (2) Accipitur chymice vel Spagyrice, eſtque exaltatio eſſentiarum per *circularem* in vaſe Hermetico, Pelicano, vel Geranio reductionem & ab impuritatibus ſeparationem, Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Paracelſ. dicit eſſe ſpeciem putrefactionis, *l.* 7. *de tranſmut. rer. natur.* De *Circulatione* Chymica legatur etiam D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. XII.* §. 18. D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 5. Quæ ita præparantur, appellantur *Circulata*, Paracelſ. *Archidox. l.* 6. 8. *&* 9. & *l. de renov. & reſtaur.* Hinc legitur *Circulatum majus & minus*, *Circulatum ſolvens*, apud Libav. *Synt. A. Ch. l.* 8. *c.* 14. *& c.* 25. *Circulatum minus Paracelſi* e floribus *ci à ſale communi bis ſublimatis affuſo Spiritu Vini paratum legitur e *Collect. Leidenſ.* in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 87. Idem meminit alius abſtruſioris *Circulationis* & *Circulati* circa negotium Lapidis Philoſophici in *Apocal. Herm. part. poſter.* Videatur & Rul. *in Lex. Circulatum majus* vocatur quoque Paracelſo *Liquor Alcaheſt*, ſive *Menſtruum univerſale*, quod & *Acetum Radicis* eidem appellatur, ſecundum modernorum Chymicorum ſententiam. Peculiarem quoque phyſicum ignis elementaris *circularem* motum excogitavit Gerard. Dornæus *in lib. de Nat. luce tract.* 1. Phyſica Geneſis die tertio. Vid. *Vol. I. Th. Chym. Aquæ Circulatæ* meminit Paracelſ. *l.* 2. *de vir. membr. c.* 7. *Aquæ vitæ circulatæ*, *tr.* 2. *de membr. contract. c.* 3.

CIRCULATOR, περιοδευτὴς, idem, quod *Agyrta.* Vide ſupra ſuo loco.

CIRCULATORIUM vocatur vas illud, ubi infuſus liquor aſcendendo & deſcendendo quaſi in *circulo* rotatur. Uſus ejus in ſubtiliationibus, exaltationibus, & *circulationibus* poſitus eſt. Varia hujus generis vaſa à variis ingeniis ſunt excogitata, ex quorum numero duo duntaxat magni momenti & uſus nobis placent. *Pelecanus*, & *Diota.* Rul. *in Lex.* Meminit *Circulatorii* Paracelſ. *tr.* 2. *de membr. contr. c.* 3.

CIRCULATUM, vide *Circulatio.*

CIRCULUS, κύκλος, eſt proprie figura, quæ à medio ſuo undique diſtat æqualiter. Vocatur vero medium *centrum* Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 12. Hujus figuræ encomium aliquoties attigit, uti loca notavit C. Hofm. *in comm. ad Gal. l. de V. P. n.* 641. ut & Paracelſ. *Paragran. Tr.* 2. *de Tartar.*

morb. c. 1. *& com. in* 1. *aph.* 1. *Hipp.* Et apud priſcos erat *Circulus* in honore, propterea quod mundus ſit ſphæricus, *ibid.* Et *Circulare corpus* plane undique ſibi ſimile dicitur, Gal. *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 13. Applicatur porro ipſis partibus corporis. Ita Malæ ipſæ vocantur Hippocr. *οἱ κύκλοι προσώπου*, *circuli faciei*, *l.* 2. *de morb. XLIIX.* 12. & *circuitus oculorum*, *τὰ κύκλα τῶν ὀφθαλμῶν*, *circuli oculorum*, vel orbes. *l.* 7. *Epid. VI.* 3. *Circulos* ſeptem in oculo expoſuit Gal. *l.* 10. *de Uſ. P. c.* 2. *&* 3. Ita & de urina dicitur, quod faciat in vitro aliquando *circulum*, & vocantur Hipp. urinæ *circulares*, *d. l.* 7. *XLII.* 39. *Circulus* quoque Chymicis dicitur inſtrumentum rotundum vitris abſcindendis ex ferro factum. Perfringuntur autem hoc modo. *Circulus* candefactus vitro apponitur, illudque tamdiu ſtringit, donec ferveſiat & incaleſcat. Cumque adhuc fervet, frigida gutta immiſſa aut frigidi halitus affluxu diſſilit atque diſrumpitur. Rul. *in Lex.* *Circulus quadruplex* eſt ſpecies faſciæ, quæ dicitur *Plinthius laqueus*. Galen. *de faſc.* Referuntur & *Circuli* inter inſtrumenta Chirurgica, quales uterinos exhibet Scultetus *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XXII. fig.* 6. 7. *& Tab. XLIII. fig.* 5. *Circulo* curare, *κύκλῳ θεραπεύειν*, quod extat apud Vegetium *de re veteri nav. l.* 2. *c.* 6. eſt rite ſervatis omnibus à minimis remediis ad majora progredi, quemadmodum expoſuit Hartmann. *Diſp. Chymiatrico-Medico I. Auctario* 2.

CIRCUMCISIO, *Circumſectio*, *περιτομὴ*, *περικίρσις*, olim fuit ritus ſacer & Sacramentum V. T. Judæis injunctum, ut præputii, quo glans membri virilis tegitur, portio abſcinderetur, ex *Gen. c. XVII.* Hic mos & Turcis Perſisque hodieque adhuc receptus. Verum etiam inter affectus p. n. refertur à Gal. *in def. Medic.* *Circumciſio*, quod ſit ablatio cutis glandem contegentis. Et opponitur *παραφυμώσει*, quando glans tegi nequit præputio. Fœminis quoque aliquando neceſſariam eſſe *circumciſionem*, vel *circumſectionem* Clitoridis, aut Nympharum, conſtat ex Rolf. *Ord. ac Meth. General. dicat. part. Part.* 2. *c.* 38. & Th. Bartholin. *Anat. l.* 1. *c.* 34. Modum amputandi tradit *Æginet. l.* 6. *c.* 70. Ita & in viris, ſi præputium totum denigruerit, *circumcidendum* eſſe, docet. *d. l. c.* 57.

CIRCUMFERENTIA, *περιφέρεια*, dicitur ambitus circuli vel corporis rotundi, ſive extremitas, Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 12.

CIRCUMFORANEUS, idem quod *Circulator* vel *Agyrta*. Vide *Agyrta*.

CIRCUMINDURO, *περισκληρύνω*, *obduro*. Verbum uſurpavit Hippocr. de frigore exceſſivo cutem obdurante, 5. *aph.* 20.

CIRCUMLITIO, *περίχρισις*, *περιχρίσιον*, rectius *περίχριστον*, Marcell. medicamentum *Perichriſtarion*, generaliter omne denotat, quod circa partem aliquam affectam undiquaque illinitur. Stricte vero de medicamentis ocularibus, quando palpebræ oculorum oblinuntur, ne quid intra oculum fluat, dicitur Scribon. Larg. *num.* 29. Rhod. *in not. ad h. l. p.* 68. Dioſcoridi vocantur *ὀφθαλμικὰ περιχρίσεις*, *l.* 1. *c.* 131.

CIRCUMOSSALIS *membrana*, *circumoſſia*, *περιόστεος*, *περιόστιον*. Vide *Perioſtium*.

CIRCUMPULSIO, *περίωσις*, vox eſt Platonica, quam Thomas Cornelius Conſentinus *peculiari Epiſtola ad Marcellum Creſcentium* explicat, & applicat motibus illis, qui alias vulgo ob fugam vacui fieri dicuntur, v.g. aëris ſive ſpiritus inſinuatio, in inſpiratione, ſanguinis motus circularis, chyli motus, &c. docetque eam fieri ob pleni potius neceſſitatem, quia quicquid movetur, continuo propellit & hoc proximum, & quod ultimo pellitur, ſuccedit in locum ejus, quod principio movebatur. Hanc *περίωσιν* Cl. Dn. Sturmius per circulationem corporum, uti conſtat ex ejuſdem *Phyſica Conciliatrice Part. gener. c.* 9. §. 13. *p.* 95. quam etiam *peculiari Diſſertat.* egregie declaravit.

CIRCUMSEDEO, *ἀμφικαθέζομαι*. Vide *Amphicathezomæ.*

CIRCUMSTANTIA, *τὸ περιστατικόν*. Qua appellatione Medici comprehendere ſolent, quidquid ad indicantis principalis neque eſſentiam, neque eſſentiæ connexæ pertinet. Hujus generis ſunt in rebus vulgo naturalibus dictis, Proprietas cum Hominis, tum Partis laborantis, Vires, Ætas, Sexus, Vitæ genus, & Conſuetudo. In præternaturalibus, Morborum tempora, Paroxyſmi, Numerus, & Symptomata. In non naturalibus denique, Cœlum & Solum. Hæc ſunt, quæ rectum uſum moderantur, ſeu, quomodo agendum, indicant, verbis doctiſſimis Linden. *Ex. IIX.* §. 69. Vide Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 2.

CIRCUMTEGO, *περικαλύπτω*, uſurpatur ab Hipp. 5. *aph.* 59. in experimento impraegnationis, dum infernas partes fœminæ veſtimentis probe circumtegi jubet, ut vapor ſive ſuffitus in ſinum muliebrem immittatur. Diet. *in Iatr. n.* 673.

CIRCUMVAGATIO, *περισφαλσις*. Vid. *Periſphalſis.*

CIRCUS, *κίρκος*, varias habet ſignificationes: 1. hoc nomine venit ſpecies Accipitris, magnitudine, audacia & viribus inſignis, cujus deſcriptio videatur apud Ul. Aldrovand. *Ornitholog. l.* 5. *c.* 4. *p.* 351. *ed. Bonon.* 2. *κίρκος* quoque dicitur de gemmis populi arboris & germinibus primis, ſicut notavit ex Heſychio Welſch. *in Sylloge ad Marcell. Cumani Obſerv. I. p.* 28. 3. vel locus, vel ipſe curſus in orbem; Gr. *δίαυλος*. Vide *Diaulos.*

CIRLUS, Vide *Lutea.*

CIRNAO, *κιρνάω*, i. e. *miſceo*, item *διακιρνάω*. Utroque uſus Hippocr. Illo *l.* 9. *de morb. XXXV.* 14. *& l.* 2. *de morb. Mul. VI.* 22. Hoc vero *l.* 2. *de diæta XXXI.* 16. *& l. de int. aff. XLIIX.* 9.

CIRRHOS, *κιῤῥὸς*, eſt nomen coloris, præſertim in vino, & denotat *fulvum*, h. e. quod ex ruffo & igneo pallet, Gal. *l.* 4. *de S. Fac. cap.* 23. Vocatur & *Gilvus.* Eſt autem medius color inter album flavumque. Dioſcorides vero dicit vinum *κιῤῥὸν* eſſe medium inter album & nigrum, quæ latior eſt acceptio. *l.* 5. *c.* 8.

CIRRUS, πλεκτάνη. Vide *Ceræa* & *Polypus.*

CIRSOCELE, κιρσοκήλη, i. e. *Hernia Varicoſa.* Vide *Hernia.* Cirſocele dicitur, quando teſticuli infinitis quaſi nodis vel varicibus infeſtantur & inſigne pondus accedit, ita ut impediatur ſeminis prolifici elaboratio. P. Ammann. *in Irenic. p.* 133. 142.

CIRSOS, κιρσὸς, *Varix.* Vide *Varix.*

CISSERIS, κίσσηρις, Attice κίττηρις, pumex. Vide *Pumex.*

CISSINUM, κίσσινον, nomen Emplaſtri ad nervorum vulnera etiam diuturna, ut & puncturas, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 17.

CISSYBIUM, κισσύβιον, poculum dicebatur Græcorum, ex ligno hederæ confectum, quod duplici de cauſſa laudat Lang. *l.* 1. *ep.* 19. primum, quia hedera vini temulentiam ſuo frigore arcere creditur; deinde, quod cauponum fraudes, qui vinum aqua miſcent, detegat. Nam teſte Catone *de re ruſtic. c.* 110. ſi vinum lymphatum in vas hederaceum effunditur, tum vinum per poros reſudat, & effluit, aqua vero ob craſſiorem vino ſubſtantiam remanet. Verum hodieque damnum ad emtorem ſaltem redundaret, ſi hæc pocula in uſu eſſent.

CIST, vel alias *Kiſt*, eſt capacitas duarum menſurarum vini, vel ſeſquimenſuræ juxta locorum diverſitatem, circiter libras quatuor continens. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CISTA, κίστη, κιστὶς, κίστις, dicitur, *Capſa*, vel *Capſula*, in qua aliquid aſſervatur, præſertim edulia, veſtimenta, medicamenta. Occurrit in ſpuriis, quæ adjecta ſunt, *l.* 1. *de Morb. mul. III.* 16. Vide Foëſ. *p.* 339.

CISTERNA, ὑδροδοχεῖον, vel ὑδροδόχος Gr. dici poſſet, ſignificat vas, vel receptaculum, in quo aqua colligitur, v. g. pluvialis, in defectu aquæ fluviatilis & fontanæ. Translata tamen hæc vox per Anatom. ad partes quaſdam corporis. Ita quartus Ventriculus Cerebri, vel Cerebelli proprius *Ciſterna* Arantio dictus, C. Hofmann. *com. ad Gal. de V. P. n.* 631. 638. Ita D. Joh. Ferdin. Hertodius à Todenfeld, Medicus Brunnenſis Moraviæ Acad. Cur. haud incongrue concurſum vaſorum lacteorum in mammis lactantium, *Ciſternam mammariam* appellavit. *Ephem. Nat. Cur. An. I. Obſ.* 6.

CITHARUS, κιθαρὸς, pectus, latus, & piſcem notat, teſte Heſychio. Prior ſignificatus eſt apud Hippocratem variis locis, quos Galenus θώρηκα interpretatur. Piſcis notionem addit Galenus *de alim. fac. L. III. c.* 30. Hofmann. *in comm. de V. P.* monet etiam κιθαρὰν ſcribi. Erotianus tandem nos docet, Dorienſibus deberi id nominis, qui eo thoracem appellent.

CITO, ταχὺ, ταχέως, τάχα, bifariam accipitur: Vel quatenus reſpicit morbi principium, vel quatenus ipſam operationem, de qua dicitur. Ita ſcreatio *cito* facta bona eſt in morbis pectoris & thoracis, non ſolum ratione initii morborum, ſed & ſi ſputum *promte* & expedite excerni poteſt, Gal. 2. *progn. t.* 43. quamvis poſterior mihi videatur frequentior eſſe acceptio. Vide 2. *aph.* 18. 36. & plura alia loca, quæ collegit Foëſ. *p.* 612. Dicitur etiam *Cite* apud Scrib. Larg. *n.* 198. approbante Rhod. *ad h. l. p.* 284.

CITRINATIO dicitur nihil aliud eſſe, quam completa digeſtio, *in Corrector. Richard. Anglic. c.* 12. *Theatr. Chym. Vol. II. pag.* 396. Ruland. & Iohnſ. deſcripſerunt per reſuſcitationem, vel reſurrectionem.

CITRINULUS, *Citrinolus*, *Citrinus*, eſt lapis medius inter Cryſtallum & Berillum. Dicitur etiam *Saxifragus.* Paracelſ. *l.* 1. *de præparation. & l.* 2. *de Tartar. Tr.* 3. *c.* 5. *Citrinulus* eſt cryſtallus pallidus, Rul. Ex eo fit liquor in modum alkali contra calculum. Alias & *Citrinus* vel *Citreus* dicitur de colore flavo pomum *citrium* æmulante, qualis color requiritur in urina ſanorum, Will. *de urin. c.* 2. Ita Paracelſ. icterum flavum vocavit *Icteritiam Citrinam*, *l. de Icteritiis c.* 1. Emplaſtrum quoque vulgaris notitiæ in officinis vocatur *Citrinum* à colore. Et eſt nomen Malagmatis apud P. Ægin. *l.* 7. *cap.* 18.

CITRONES, occurrit in Paracelſ. *Philoſ. ad Athenienſ. l.* 1. *t.* 14. ubi dicit: In ſegregatione aquarum inter alia orta eſſe varia corpora, piſces, animalia carnea, corpora ſalina, & alia corpora in mari occurrentia, ut, Corallia, Trina & *Citrones.* Sed quid ſint, non exponit.

CITTA, *Ciſſa*, κίττα vel κίσσα, idem, quod *Pica*, vel *Malacia.* Vide *Pica.* Fœminæ *pica* laborantes dicuntur κιττῶσαι, Gal. *l.* 6. *de San. tu. c.* 9.

CIVETTA, vide *Catus.*

CIVITAS, πόλις, quid ſignificet, & pueris conſtat. *Civitatum* ſitum Medicus intueri & perſpectum habere debet, ut experimentis judicet, quæ ratione didicit. Gal. *l. quod opt. Medicus &c.*

CLADOS, κλάδος, *ramum* ab arbore avulſum, aut *talum* ſignificat, quæ implantatur. Uſus Hipp. *l. de nat. pu. XXIV.* 2. *XXV.* 7. 9. Derivativum κλαδαρὸς, *vibratilis*, vibrans inſtar rami teneri. Græcos quoque κλαδαρὸν vocaſſe lumbos fluctuantem ad laſciviam, qui motus alias exprimitur per *Criſſare*, teſtatur R. Keuchen. *ad Seren. p.* 184.

CLÆR eſt terminus artificialis, ſignificans Pollen oſſeum, quod paratur ex oſſibus cranii vitulini anterioribus per coctionem à pinguedine depuratis, poſtea ad albedinem calcinatis, in lapide porphyrio ſubtiliſſime tortis, denuo aqua viva humectatis, rurſus in tigillo clauſo calcinatis, & rurſus ſubtiliſſime poſt refrigerationem tritis. Quo pulvere catilli per cribrum inſperguntur, ne rimas contrahat, D. Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 79. *ſeq.*

CLAMOR, βοὴ, βοάω, *clamo*, eſt vocis magnitudo & ſonus intenſior, fit aliquando cauſſa rupturæ vaſorum, Gal. 4. *in* 6. *Epid. t.* 5. & *l.* 4. *de L. Aff. c.* 8. Aliquando parit ſimilem inflammationi affectum circa membranam faucium & muſculos, *l.* 4. *de L. Aff. c.* 6. qui affectus com-

comparatur laſſitudini ulceroſæ vel inflammatæ, quæ manibus, cruribus, & lumbis accidit, poſt nimium laborem. Scilicet portiones ſpirituoſæ & humidæ abſumuntur, fibræ membranæque exiccantur, & anguſtantur, *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 1. Interdum *Clamor* eſt ſymptoma morborum Tartareorum, ut Medicus debeat judicare ex *clamore* ſemper, quod Tartarus adeſt, quia urit & pungit inſtar cultri, Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 1. *c.* 2. *in not.* Interdum etiam debet eſſe aliquale remedium pro excitandis ſyncope ſive animi deliquio graviori correptis *Clamor* vel vociferatio, quemadmodum e Practicorum ſcriptis de Syncope conſtat.

CLANGOR, *Clange*, κλαγγὴ, vocem ſonoram ſignificat, alias anſerum & gruum propriam. Unde κλαγγώδης φωνὴ, vox *clangoroſa*, quæ fit etiam in homine ob reſiccationem voci deſtinatorum inſtrumentorum, Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 17. *&* 19. *ſ.* 2. *t.* 12. Erotianus à frequentiori vomitu derivat, quem omnino confer. Denotat vero acutam vocem cum ſtridore. Frequentius quoque in aliis locis uſus eſt Hipp. quæ collegit Foëſ. *p.* 339. *ſeqq.*

CLARETA, ſignificat *albumen ovorum*, λεύκωμα, λευκὸν τῦ ὠῦ. Rul. *in Lex.*

CLARETUM dicitur *vinum aromatum infuſione impregnatum*, atque cum ſaccharo dulcoratum. Dicitur alias *vinum* vel *Potus Hippocraticus*, Schröder. *l.* 1. *c.* 3. Modum componendi monſtrat Petr. Morell. *de form. remed. ſect.* 1. *cap.* 6. Schenk. *Syntagm. comp. medic. cl.* 2. *ſ.* 2. *c.* 4. etiam ad *Moretum* & *Mulſum* ſive *Hydromel* extendit. *Claretum* vel *Vinum artificiale* duplex eſſe poteſt: *Alterans* & *Purgans*. Utraque exempla vide apud Schröd. *l.* 2. *cap.* 63. Weker. *Antidot. ſpec. l.* 2. *ſect.* 6.

CLARIFICATIO dicitur ſpecies, vel modus depurationis liquidorum, præſertim decoctorum, fitque diverſimode: Vel per ſe, dum, quod fæculentum eſt, ſubſidet, ut, Succus Roſarum, Limonum, &c. Vel interveniente coctione à Sole & Igne, ut, Succus Pomorum dulcium & acidorum, pro confectione Syrupi de Pomis Meſue: Vel addendo coctioni albumen ovi, aquam, v. g. quando *clarificatur* ſaccharum aut mel, & deſpumatur. Aliquando acetum affunditur pro *clarificatione*. Interdum & per iteratam colaturam quidam liquores *clarificantur*. Vide Weker. *Antid. gener. l.* 3. *c.* 37. *Clarificationis* ſpiritualis corporum meminit Paracelſ. *Paramir. l.* 2. *c.* 8. *& l.* 4. *de morb. inviſib. orig.* ubi *glorificationem* vocat, deſcribens, quod fiat per remotionem virium naturalium. Hæc non ſunt hujus loci.

CLARITAS, σαφήνεια, plerumque de dictis & verbis perſpicuis evidentibuſque accipitur, cum maxima ſit virtus dictionum *claritas*, Galen. *l.* 1. *de Nat. fac. c.* 1. licet plerique hominum relictis *claris* & notis (Gr. τὰ σαφῆ καὶ γνώριμα) delectentur potius ænigmatice dictis, τοῖς αἰνιγματωδῶς εἰρημένοις. Gal. 2. *in* 1. *prorrh.* 58. An non hoc etiam quadrat ad hodiernum morem, quando Acidum & Alkali, Ramenta, Moleculæ, Blas, Gas, Leſſas, & id genus alia obtruduntur?

CLARUM, τὸ σαφὲς, λαμπρὸν, præter illam ſignificationem, de qua in præced. dictum eſt, denotat id, quod fit ex cryſtallo. Rul. *in Lex.*

CLASIS, *Claſma*, κλάσις, κλάσμα, à κλάω, *frango*, *Fractionem*, *Fracturam* ſignificat. Vide *Fractura.* Quamvis etiam de muſculorum vel potius tendinum diſtortione, aut reflexione, uſurpetur, ubi fere irrita & inanis eſt muſculorum actio, notante Foëſ. *p.* 340.

CLASSICUS, quid in Scholis ſignificet, notum eſt; nimirum Autores Claſſici dicuntur, qui diſcipulis commendantur & obtruduntur, ut ex iis eruditionem ſibi comparent, & propterea à præceptoribus de cathedra proponuntur, explicantur & applicantur. Haud raro cum detrimento potius, quam emolumento. Tales vero in Medicina dari aut admitti debere, acriter impugnavit P. Ammann. *in Irenic. p.* 217. *ſeqq.*

CLAUDIACON, κλαυδιακὸν, nomen eſt *Collyrii*, quod deſcribitur à P. Æginet. *l.* 7. *c.* 16.

CLAUDICATIO, *Clauditas*, χώλωσις, χωλεία, χώλωμα. Vide *Choloma.*

CLAUDO, κλείω, κατακλείω, quid vulgo ſignificet, notum. Antiquis etiam uſitatum *Cludo*, ut eſt apud Scrib. Larg. & alios. Vid. Rhod. *in Ind. prior. ad Scrib. p.* 362. Specialiter in Medicina dicitur de oculis, quando per ſomnum *clauduntur*; item de utero, Hipp. 5. *aph.* 51. Sed in Græco legitur μύειν, ξυμμύειν, cui opponitur τὸ χαίνειν, χάσκειν. Sic & vulnus cicatrice *claudi* dicitur.

CLAVEATIO, γόμφωσις. Vide *Gomphoſis.*

CLAVELLATI *cineres* qui dicantur, vide *Cinis.*

CLAVICULÆ, uſitatius, quam *Claves*, αἱ κλεῖδες, κληῖδες, item κλεῖς, Gal. 8. *Anat. admin. c.* 1. Vocantur & *Furculæ*. *Ligulæ* dicuntur duo oſſa ſita tranſverſim in pectoris ſummo ſub collo, ita dicta, vel quod thoracem claudant ſuperius, quemadmodum ſeptum tranſverſum inferius, Gal. *d. l.* & inſtar *clavis* ſcapulam firment cum ſterno; vel quod antiquas ædium *claves* referant, ſimiles literæ ſ. Latinæ, Barth. *Anat. libell.* 4. *c.* 19. Jung. C. Hofm. *comm. in Gal. de V. P. n.* 101. *ſeq.*

CLAVIS, κλεὶς, κλειδίον, præter vulgarem ſignificationem accipitur: 1. in Medicina pro *Clavicula*, de qua antea: 2. accipitur tropice. Ita *Menſtrua*, præſertim mineralium, h. e. corpora ſolventia vocantur *Claves*, quia clauſtra miſtorum aperiunt, & ad anteriora viam parant, Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 4. Imo omnis proceſſus, monſtrans ſecretiorem aliquam operationem, *Clavis* nomine venit, Nicol. Flammell. *in annot. ad Dion. Zachariæ opuſc. Vol. I. Theatr. Chym. p.* 781. vide & *p.* 293. 298. præſertim in negotio lapidis philoſophici. Unde & *Claves Philoſophicæ* dicuntur, quarum duodecim Fratr. Baſilii Valentini publice proſtant. Et *Clavicula* Reimund. Lullii, cujus mentionem fecit Libav. *in Apocal. Herm. part. poſt.* Et paſſim hujuſmodi

Clavium

Clavium fit mentio in talibus ſcriptis Spagyricorum. De *clavis* in vulgari ſignificatione uſu ori matris defunctæ inſerendo, ut apertum ſervetur pro vita fœtus in utero & reſpiratione conſervanda falſo & erroneo videatur P. Ammann. *Irenic. p.* 55. 59. *ſeq. Clavis* veſicæ, Catheter. Joan. Rioland. *Enchirid. Anat. l.* 2. *c.* 30. *Conſider. Med.*

CLAUSTRUM, κλεῖθρον, κλῆθρον, præter communem ſignificationem in Medicina denotat locum anguſtum ſub tonſillis ad gutturis aditum, veluti gutturis *clauſtrum.* Hippocr. *l.* 2. *de morb. XXIIX.* 3. 14. conf. Galenus *exegeſi.*

CLAUSURA, cum additione *Nigromantica*, dicitur Paracelſo quarta ſpecies *Nigromantiæ*, quam ad Philoſophiam ſagacem refert, ſi quis poterit intra corpus abſque externa læſione penetrare, & vel aliquid eximere, vel indere, *Philoſ. ſagac. l.* 1. Verum abſit à Chriſtiano hæc Magia. *Clauſura* alias ſæpe in Anatomicis & Pathologicis dicitur de meatibus, canalibus aut aliis cavitatibus vel naturaliter vel præternaturaliter occluſis. Ita D. Ruyſchius clauſuras Tubarum Fallopianarum frequenter ſe obſervaſſe & inde ſterilitatem dependiſſe ſcripſit *Centur. I. Obſ. Anatom. Chirurg. Obſ.* 83. *Clauſura* uteri eſt ſpecies arctationis (de quo vocab. *ſupra*) dum membrana quædam vel nervea vel carnea obtenditur ante os uteri modo intimius, modo extimius, modo largius, modo arctius, P. Zacch. *Quæſt. Med. Leg. l.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 8. *n.* 27. Efficit igitur atretam, de qua voce etiam *ſupra* dictum. Idem quoque Autor *Clauſuram* Monialium deſcripſit, quod ſit locus, e quo Moniales egredi, & in quem externi ingredi ſine peccato non debent. *l.* 8. *tit.* 3. *quæſt.* 1. *n.* 5.

CLAUTHMOS, κλαυθμὸς, i. e. *Fletus*, vide infra. Dicitur & κλαυθμυρισμὸς, quod occurrit apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 99. quemadmodum & verbum κλαυθμυρίζω (de quo mox) ſæpius apud eundem legitur, *ibid.*

CLAUTHMYRIZO, κλαυθμυρίζω, à κλαίω, *flere*, ejulare ſignificat cum anhelitu & ſuſpirio, uti ſolent pueri, Hipp. *ſ.* 3. *Progn. t.* 34. Per flere cum magna ſpiritus contentione expoſuit Gal. Hinc κλαυθμώδεις ἀναπνοαὶ dicuntur luctuoſæ & ejulabundæ reſpirationes, quæ fiunt interrupto ſpiritu aut cum ſonitu gemebundo, *6. aph.* 54. Et vox acuta κλαυθμώδης in febribus malignis male legitur, *Coac. t.* 257. quamvis *in Prorrhet. ſect.* 2. *t.* 12. legatur κλαγγώδης, (de qua paulo ſuperius in *Clangor*) quæ tamen non multum diſcrepant. Foëſ. *p.* 340. Dieter. *n.* 466.

CLAVUS, γόμφος, ἧλος, proprie ſignificat inſtrumentum aliquod vel ligneum, vel metallicum, acutum in uno extremo, in altero plerumque craſſius & rotundum, quo aliquid alteri corpori affigitur. Ad ſimilitudinem hujuſmodi *Clavi* etiam parare curavit per artificem *clavum* ex auro capitatum, cujus in palatum exulceratum intruſi beneficio loquela penitus amiſſa artificioſe recuperata fuit, Amat. Luſitat. *cent.* 5. *cur.* 14. Similem ex argento ad eundem cum ſucceſſu paratum confirmat Foreſt. *lib.* 32. *Obſ.* 13. *Clavi* uſum magicum, quod cordi equino infixus ſpiritum ſagæ detineat & nectat cum ſpiritu muniali equi, excuſare conatur ceu medium licitum ad prodiiionem ſagarum Helmont. *de magn. vuln. curat. n.* 171. Sed fallitur. Alium quoque ſuperſtitioſum *clavi* uſum animadvertit Rhod. *ad Scribon. n.* 16. Per tranſlationem *Clavus* quoque ſignificat verrucarum ſpeciem, non tam tuberculum, quam impreſſionem calloſam ad perioſtia uſque penetrantem, præſertim ad digitos, & in plantis pedum ex calcei preſſu & intertrigine, acuto interdum dolore ſponte ferientem, ſemper vero ingredienti moleſtam. Vulgo à forma *Oculus gallinaceus* dicitur, cujus cauſſa conſiſtat in ſucco nutritio craſſiori & ſalino adhærente perioſtio, & portionibus excrementitiis mixto. Rolf. cauſſam horum *clavorum* dicit eſſe ſal reverberatum, *Ord. & Meth. Comm. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 11. *Clavus* quoque dicitur affectus quidam in oculo, videlicet calloſum in albo oculi tuberculum, à figuræ ſimilitudine ita dictum, Celſ. *l.* 7. *c.* 7. cujus cauſſa etiam in ſucci nutritii ſtagnatione & congelatione ponenda erit. *Clavus* etiam accipitur pro *Condylomatibus induratis matricis*, Avic. *l.* 3. *fen.* 21. *tr.* 4. *c.* 22. Pathologice *Clavus* dicitur dolor capitis certo loco firmius inhærens, inſtar *clavi* infixi ſupra vel prope ſupercilia. Valeſius de Taranta *Philon. Pharmaceut. l.* 1. *c.* 7. *p. m.* 20.

CLEIDION, κλειδίον, vel eſt epitheton *Paſtilli* magnopere adſtringentis, & in dyſenteria, hæmoptyſi, cœliaca &c. utilis, quales deſcribuntur apud Gal. *l.* 9. *de C. M. P. L. c.* 5. & Æginet. *l.* 7. *c.* 12. vel nomen *Epithematis* ejuſdem cum paſtillis facultatis, apud Aëtium *l.* 9. Nominis vero ratio adſtrictoriam virtutem exprimit, quaſi *claudentem.* Κλειδίον enim idem eſt, quod *Clavis*, vel *Clavicula.*

CLEIS, κλεὶς, vide *Clavis.*

CLEISAGRA, κλεισάγρα, (fortaſſis melius κλειδάγρα) dici poteſt ſpecies arthritidis jugulorum, ſive clavicularum articulationem obſidentis, Paræus *l.* 17. *Ch. c.* 1.

CLEITHRON, κλεῖθρον, vide *Clauſtrum.*

CLEIZO, κλῄζω, aut κλήζω, i. e. *celebro*, publice commemoro cum laude. Hippocr. 3. *de artic. t.* 20.

CLEPSYDRA, κλεψύδρα, fuit olim vaſculum ab antiquis excogitatum pro horologio, de cujus ſtructura & parandi modo prolixe ſcripſit Gal. *l. de cujuſque animi peccator. notitia atque medela*, *c.* 5. Hinc tranſlatum ad labores Chymicos, quibus *Clepſydra* vel *Clepſydria* eſt ſubductio liquoris per vaſis ſolidi ſubtus perforati foramen, quod *Oculus* dicitur. Ea res olim fiebat in horariis machinis. Unde nomen habet; quanquam non aqua tantum ſubducatur, ſed & oleum & fuſiones mineralium. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Clepſydra* quoque dicitur inſtrumentum, per quod fieri poteſt ſuffitus in orificium matricis, Paracelſ. *l. de Ictericiis*, *c.* 3.

CLEPTO,

CLEPTO, κλέπτω, ſignificat *furari*, clanculum ſubtrahere. Uſus Hippocr. de oculi ſplendore & videndi acie imminuta, *de ſal. diæt. t.* 33. *&* *l.* 2. *de Morb. XII.* 9. Per tranſlationem etiam ſignificat *animum fallere*, & judicium ſubtrahere. Quo ſenſu accepit Idem *l.* 5. *Epid. XIV.* 3. quod alibi per συγκλέπτειν expreſſit, de *cap. vuln. XV.* 3. *XVI.* 2. quamvis in priori loco mendoſe legatur συμβλέπει pro συγκλέπτει, uti ex verborum connexione & ſenſu patet.

CLIBANUS, aliis *Cribanus*, κλίβανος, κρίβανος, ſignificat *Teſtum*, ſive *Furnum* minorem, ſub & in quo panes & alia edulia coqui poſſunt. Unde *Panis Clibanites*, ἄρτος κλιβανίτης, κριβανίτης, dicitur, qui diſtinguitur ab ἰπνίτῃ in *furno* cocto, Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 2. Vide *Furnus*.

CLIDION, κλείδιον. Vide *Cleidion*.

CLIMA, κλίμα, in genere *Declivitatem* ſignificat, à κλίνω, *inclino*. Receptior tamen eſt ſtricta ſignificatio Geographica, quando ſignificat ſpatium terræ vel regionum duobus parallelis incluſum, tanto disjunctis interſtitio, ut dies longiſſimus dimidia hora in uno longior vel brevior ſit, quam in altero. Vitruv. *l.* 1. *c.* 1. Et hanc *climatum* terræ diverſitatem ſcitu neceſſariam rectiſſime dixit Paracelſus, quia diverſam etiam curam morborum parit, & diætam in morbis inſtituendam variat, & ſalium ſpecies diverſas facit, *l. de Tartar. morb. t.* 2. *l.* 2. *de Podagric. &* *l. de caduco matric.* §. 8.

CLIMACION, κλιμάκιον, vel κλιμάκειον, apud Hipp. ſignificat *Scalam*, Hipp. 1. *de artic. t.* 17. Idem, quod *Climax*, κλίμαξ. conf. Gal. *exeg.*

CLIMACTER, κλιμακτὴρ, vel idem denotat, quod κλιμάκιον, *ſcalæ gradum*, Hipp. *d. l. t.* 18. *&* 21. *& ſ.* 4. *t.* 55. vel per tranſlationem ſignificat annum ſcanſilem, & ita idem, quod *Climactericus* annus, κλιμακτηρικός. Tales anni ſunt per certos gradus, vel certam diſtantiam, aut numerum ſeptenarium & nonarium diſtincti, & inter hos quadrageſimus nonus, & ſexageſimus tertius præ aliis notatu digniſſimi habiti, quod in his inſignes mutationes & pericula vitæ metuenda ſint, quemadmodum ex Plinio, Cenſorino, Gellio, & aliis conſtat. Invenerunt etiam adhuc hodieque fidem inter Chriſtianos & eruditos. Enimvero ſalva autoritate aliorum, cum nec numero ulla ſit efficacia attribuenda, nec aliæ rationes prægnantes ex fundamentis Phyſicis adduci poſſint, non mihi videtur illis annis, præ aliis, peculiaris prærogativa concedenda eſſe. Obſervationes obſervationibus in contrarium facile refelli poſſunt. Quæ per analogiſmum huc applicari ſolent à diebus criticis, ſunt ἀπροσδιόνυσα. Criſis enim ſaltem locum habet in ægrotis. Anni Climacterici etiam ad ſanos pertinent. Quid? quod nec criſes ſint adeo certæ. Quicquid tandem horum ſit, placet nobis ſententia Rolfink. *Ord. ac Meth. Gen. l.* 4. *ſ.* 1. *c.* 8. Tutius eſſe, non aperire ægris annorum *climactericorum* periculum, cum imaginatio tantas turbas dare poſſit, ut fatum acceleret ante tempus. Et p. p. Ut in numeris fundamentum non habet, ita nec curſum ſuum abſolvit vita ἐν τῷ θείῳ conſiſtens, & in natura.

CLIMAX, κλίμαξ. Vide *Scala*.

CLIMIA, *Chlimia*, idem quod *Cadmia*. Libav. *Apoc. Herm. part. prior. Climia Ereps* eſt *Cadmia Auripigmenti*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CLINE, κλίνη, *lectum* ſignificat, à κλίνεσθαι, quod in illo recumbamus vel reclinemus, Hippocr. *l.* 2. *de Morb. mul. XXXVII.* 12. ubi tamen legitur κλισίην, quod idem eſſe cum κλίνη vult Erotianus *l. de nat. mul. IV.* 8. *l. de Sterilib. XXVII.* 12. Vide *Lectus*.

CLINERES, κλινήρης. Vide *Clinopetes*.

CLINICUS, κλινικὸς, dicitur vel de Medico, qui ægros lecto affixos inviſit & curat. Unde & illa Medicina *Clinice* dicitur apud Plin. *l.* 29. *c.* 1. de Hippocrate autore primo *Clinices*, & Lang. *l.* 1. *ep.* 51. vel de ægro, qui lecto affixus eſt. Et ita idem, quod κλινοπετὴς, Plin. *l.* 25. *c.* 5.

CLINODIA, dicuntur omnis generis gemmæ & pretioſa, quæ ornatus gratia in auribus, collo, pectore &c. geſtantur, C. Hofm. *com. de V. P. n.* 823.

CLINOIDES, κλινοειδὴς, *lecti formam habens*. Tres proceſſus, vel apophyſes, oſſis ſphenoidis, in capite dicuntur κλινοειδεῖς, quod lectum repræſentent; quarum una poſtica ſuperiorem, duæ vero anticæ inferiorem lecti partem referunt, Gorr. Aſt revera quatuor ſunt proceſſus minores, qui *ſellam turcicam* dictam, vel ephippium efformant. Vid. Barthol. *Anat. libell.* 4. *c.* 8. & Lind. *Medic. Phyſiolog. c.* 8. §. 89.

CLINOPALE, κλινοπάλη, *concubitum venereum* in lecto, velut colluctationem, & palæſtram ſignificat, ex Sueton. *in vit. Domitiani c.* 22. Hinc hebetiorem & debiliorem Veneris uſum *clinopalem nudipedalem* dici poſſe, exiſtimat Lang. *l.* 2. *ep.* 9. ubi & aliam ſignificationem ſacrorum Judaicorum nudipedalium ex Tertulliano & Hieronymo adduxit, quæ non eſt hujus loci.

CLINOPETES, κλινοπετὴς, *lecto affixus*. Dicitur & κλινήρης. Opponitur τῷ ὀρθοστάδην vel ὀρθοστάδιος, qui erecto corpore incedit. An vero hoc epitheton ſolum de ſanis, & illud ægris proprium ſit, vide *Ἐπίκρισιν* noſtram *in Dogm. Gen. p.* 335.

CLISIA, κλισία, Hipp. idem eſt, quod κλίνη. Vide *Cline*; denotatque *lectum* vel *ſellam*, in qua reclivi cervice etiam recumbere poſſumus. Alias & *tabernaculum* & *caſam*, vel tugurium ſignificare ex Lexicographis conſtat.

CLISMOS, κλισμὸς, idem ſignificat, quod κλισία, vel κλίνη, *lectum* aut *ſellam recubitoriam*, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XLI.* 12.

CLISSUS, dicitur Paracelſ. *Philoſ. l.* 4. *tr.* 1. *c.* 2. virtus illa, vel viciſſitudo occulta rerum, vadens & rediens, unde primum exivit, oriens, & occidens. Ita omnes herbarum flores ad veſperam flacceſcunt, mane iterum expanduntur. Et virtus radicis primum in caulem

caulem tranſit, & reliqua, quæ ſurgunt ex eis, tandem in eas revertitur, per autumnum ibidem deliteſcens, & per hyemem uſque ad ver & æſtatem. Rul. & Iohnſ. *Lex.* Sumitur etiam pro *Clyſſo*, qui eſt opus Chymicum, de quo infra.

CLITORIS, κλειτορὶς. Reperitur & κλητορὶς, item κλειθορὶς, & κλειδόριον, *mentula*, vel *penis muliebris*, ob ſimilitudinem formæ cum virili, veteribus etiam *Nympha*. Eſt particula corporis ſolida in ſexu fœminino ſita in ſuperiore parte media matricis vel ſinus muliebris, ubi concurrunt nymphæ ante meatum urinarium inſtar penis parvuli interdum protuberans, ſubſtantia poroſa, nervoſaque conſtans, cujus accuratiorem deſcriptionem videre & legere licet in Anatomicis, præſertim Rolf. *O. ac Meth. Gen. dicat. part. Part.* 2. *c.* 42. Bartholin. *Anat. l.* 1. *c.* 34. *Clitoridem* inveniſſe Fallopium aut Columbum, ſcribit idem *ibidem*. De ejus uſu laſcivo jung. C. Hofm. *in Com. de V. P. n.*1064. *Clitoridem* dimidii digiti longitudine propendentem in ſcorto obſervavit bis Rhodius *Cent. III. Obſ.* 43.

CLOACA, ὀχετὸς, ἀπόπατος, ſignificat *locum ad ſeceſſum*, vel alvi excrementa deponendo, cujus vicinitas aërem quoque inficere & fœtentem reddere poteſt, Gal. *c.* 1. *in* 3. *Epid. t.* 14. Prolixior deſcriptio videatur apud P. Zacch. *Q. M. L. l.* 5. *tit.* 4. *q.* 7. *n.* 2. Cloacas primum feciſſe Tarquinium Priſcum Romæ ex Iſidor. *Orig. l. V. c.* 2. & Alex. ab Alex. *Gen. Dier. l.* 3. *c.* 15. notavit Th. Janſ. ab Almelov. *R. I. On. p.* 16.

CLONODES, κλονώδης, i. e. *vibratus*, epitheton pulſus vehementis, vel magni, & ſimul inæqualis etiam in una pulſatione: Coincidit ferme cum *convulſivo*. Eſt ſimilis jaculorum vel virgarum vibrationi. Gal. *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 6. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 28. *& alibi.*

CLONOS, κλόνος, ſignificat *motum*, qualis eſt tumultuantium, *inordinatum*. Idem, quod ταραχὴ, θόρυβος. Per tranſlationem *motus Convulſivus Epilepticorum* dicitur κλόνος, aut *motus Clonicus*, uti paſſim in practicis hoc tit. videre eſt, præſertim apud Rolf. *Meth. cogn. & cur. morb. cap. partic. Diſp. VII.* & *in Epitom. meth. cogn. & cur. morb. corp. partic. l.* 1. *part.* 1. *c.* 15. i. e. *Vibratio.*

CLUDO, *Cluſus*, idem, quod *Claudo*, *Clauſus*. Uſurpatur à Scribon. Larg. *n.* 42. 97. Vide Rhod. *Indic. prior. in ill.*

CLUNES, γλουτοὶ, πυγαὶ, idem, quod *Nates*. Vide infra *ſuo loco*.

CLYDON, κλύδων, *fluctuationem*, & flatulentiam ſignificat. Eſtque ſymptoma actionis læſæ, ſcil. chylificationis partim imminutæ, partim depravatæ, cujus cauſſa vel in aſſumtorum alimentorum ineptitudine, ſi videlicet cibi & potus flatuoſi ſint, vel in fermenti chylificantis cruditate flatulenta, vel etiam in utroque vitio ſimul quærenda. Meminit Gal. *de diff. Sympt. c.* 4.

CLYMA, fex auri, vel argenti, Domin. Leonis *l.* 4. *ſ.* 1. *c.* 24. *p.* 363.

CLYPEUS, ἀσπὶς, quid ſignificet, notum eſt. Quid vero fuerit *Clypeus balnei* apud Vitruv. *l.* 5. *c.* 10 in balneis veterum uſitatus, paucos hactenus aſſecutos eſſe, teſtatur Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 104. qui tamen ex Franciſci Robortelli explicatione Ruderum balnearum Piſanæ urbis aliquo modo declarat, quod fuerit inſtrumentum æreum *Clypei* inſtar rotundum, quo obſtruebatur lumen illud in hemiſphærio magno balnearum, ad quos vapores, qui aſcenderant, per alveolos communi concurſu ferebantur, & exibant. Hunc *clypeum* catena ferrea ſuſpenſum aut reducere, aut demittere potuerunt, ut pro hominum arbitrio, qui lavabantur, caloris temperatura fieret, *p.* 112.

CLYSMA, κλύσμα, vide *Clyſter*. *Clyſmatica* ars dicitur Chirurgia *infuſoria*. Vide *Infuſio*.

CLYSSIFORMIS *Deſtillatio* dicitur, quando per retortam tabulatam deſtillantur, quæ accendi & detonari apta ſunt. D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 3.

CLYSSUS, κλύσσος, an à κλύζω, abluo, vel à κλύδων, *fluctuatio*, deduci debeat ac poſſit, obſcurum eſt. Eſt terminus technicus chymicus, denotatque ſpiritus minerales compoſitos. Præſertim vero Antimonium baſis *Clyſſi* ſtatuitur. Triplex dicitur: minoris, medii, & majoris apparatus, quorum omnium deſcriptionem vide apud Rolfink. *Chymiæ l.* 3. *ſect.* 2. *art.* 1. *c.* 24. Schröder. *l.* 3. *c.* 17. ubi vocatur *Aqua Stimmi Sulphurea*, Hofm. *in clavi ad illum locum.* Aliter vero deſcripſerunt *Clyſſum* Ruland. & ex hoc Iohnſ. quod totam rei eſſentiam complecti poteſt. Quandoquidem abjectis impuritatibus & fæcibus, quicquid eſt in ea eſſentiale, ad unum redigitur compoſitum. Vel eſt extractio ſubtilitatis omnium plantæ partium in unum eſſe commune coiens. Et duobus modis uniri poteſt, ſive ut omnes e diverſis partibus extractæ eſſentiæ conjungantur incorporenturque, ſive ut oleum ſit in una cucurbita, in altera ſal, in tertia liquor, atque ita unico alembico ſubjecto deſtillentur per communem canalem, & ſic uniantur. Sed non ita facile hoc ſuccedet. Non enim pariter aſcendunt aquæ & ſales. Itaque in diverſis oleis & aquis id fieri poſſit. Hæc Rul. Hinc & *Clyſſum* pro Synonymo *Quintæ Eſſentiæ* ſumſit Jacob. le Mort. *Chym. Medico-Phyſ. c.* 15. *p.* 192. *Clyſſus* etiam in genere deſcribitur, quod ſit ſpecies Chymica, cum ejuſdem rei ſpecies diverſæ, ſeorſim elaboratæ, rurſus conjunguntur, v. g. cum Sal, Sulphur & Spiritus ſeorſim extracta v. g. ex Carduobened. & Tabaco, iterum conjunguntur. Morley *Proleg. Coll. Chym. Leid. c.* 4. *Clyſſus* Philoſophorum eſſe dicitur, quando ſpiritui, oleo & aquæ admiſcetur ſal ipſorum, quod extrahatur e capite mortuo in cineres redacto, ſuper quos affunditur aqua calida, quæ ebulliendo levi igne extrahit ſalem, aqua deinde illa filtratur per linteum, ſicut deſcripſit Roſ. Lentilius *Miſcellan. Medico-Pract. P. III. p.* 132. & exemplis ibidem alibique confirmavit.

CLYSTER, *Clyſterium*, κλυστὴρ, κλυστήριον, item *Clyſ-*

Clyſma, *Clyſmus*, κλύσμα, κλυσμὸς, & à modo applicationis ἔνιμα, *Enema*, quaſi *Injectio*; quamvis Medici hujus temporis *Clyſteris* & *Enematis* Græcis vocibus in Latinitatem aſſumtis, quam Latinis malint uti. Bifariam accipitur, videlicet late, & ſtricte. Late ſignificat quamvis ablutionem aut injectionem aliquam in partem quamlibet, ut ſunt, anus, uterus, veſica, penis, aures, ſinus, & fiſtuloſa ulcera. Eſt igitur *Clyſter* medicamenti genus, quando liquidum intra partem aliquam corporis injicitur. Stricte vero denotat injectionem liquoris in anum, vel inteſtinum rectum, beneficio fiſtulæ alicujus vel canalis, qui ἔλασμα dicitur, teſte Linden. *Ex. IV.* §. 101. Quæ fiunt in uterum, vocantur μητρεγχύται: quæ in aurem, ὠτεγχύται: quæ in veſicam, καθετῆρες, Gal. *l.* 5. *Meth. med. c.* 7. Qui termini omnes etiam de inſtrumentis ibidem accipiuntur. Dividuntur *Clyſteres* in Purgantes, & Alterantes. Alii reddunt Corroborantes. An etiam dentur Nutrientes? non eſt hujus loci determinare. Sano ſenſu non videtur negandum. Modum componendi & præparandi *Clyſteres* vel *Enemata* vid. apud Weker. *Antidot. gen. l.* 1. *c.* 16. Schrôd. *l.* 2. *c.* 45. Morell. *Meth. præſcr. form. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 14. & 15. Schenk. *Syntagm. comp. & præſcr. med. Part. ſpec. claſſ.* 2. *ſect.* 2. *c.* 4. Multas vero horum formulas vide ſis apud Weker. *Antidot. ſpec. l.* 2. *ſect.* 9. *Clyſterum* fuiſſe uſum nobilem apud veteres, demonſtrat Linden. *d. l.* Scribon. Larg. etiam vocavit *Cluſterem*, *n.* 179. propter mutuum veteribus V & Υ uſum, notante Rhod. *ad h. l. Clyſter* nocturnus, qui nocte integra retinendus, ſicubi refrigerandum impenſe, Rodericus à Caſtro *de Morb. mul. l.* 1. *c.* 2.

CNACOS, *Cnecos*, κνακὸς, κνηκὸς, ſignificat colorem ex albo & fulvo mixtum, C. Hofm. *Var. Lect. l.* 2. *c.* 10.

CNAPHOS, κνάφος, & *carduum fullonum*, & *officinam fulloniam*, denotare videtur. Unde κνάφειος κόπρος, *ſordes in officina fullonia*. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. VII.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 341.

CNEMA, κνῆμα, rectius κνῆσμα. Vide *Cneſma*.

CNEME, κνήμη, *tibiam* ſignificet. Vide *Tibia*.

CNEMODACTYLÆOS, κνημοδακτυλαῖος, eſt nomen muſculi digitos pedis extendentis, qui & *Longus* dicitur à ſuperiori tibia anterius exorti, & quatuor diſtinctis tendinibus in quatuor digitos deſinentis. Blaſ. *M d. Un. p. m.* 219.

CNESERA, κνησέρα. Vide *Creſera*.

CNESIS, κνῆσις, idem, quod κνῆσμα, vel κνησμὸς, *puncturam*, *pruritum*, vellicationem, morſum ſignificat. Legitur de pectoris dolore punctorio apud Hipp. *Coac. t.* 469. Jung. Foëſ. *p.* 342.

CNESMA, κνῆσμα, *ramentum*, aut *raſuram*, quale poſt pruritum & ſcalptum ſequi ſolet, ſignificat. Aliis κνῆμα legitur, fortaſſis mendoſe. Illo uſus eſt Hipp. de plumbi *ramentis de nat. pueri. IX.* 21.

CNESMOS, κνησμὸς, *pruritum* & *ſcalptum* ſignificat: Poſteriorem confirmat ſignificationem Gal. *c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 4. deſcribens per impetum & motionem per ungues effectam, quem in prurientes partes animantia faciunt, idque à natura omnibus ineſt. Hinc κνησμώδης, *pruriginoſus*, quod de puſtulis latis negatur, 6. *aph.* 9. ſcil. ob humiditatem obtundentem ſalinam nitroſam acrimoniam. Eſt enim κνησμὸς, *pruritus*, dolorifica voluptas in cute excitata ab acri ſalſo ichore tenui, ſine exulceratione, Dieter. *n.* 467.

CNESTER, *Cneſtis*, *Cneſtron*, κνηστὴρ, κνῆστις, κνηστήριον, contracte κνῆστρον, *radulam*, aut inſtrumentum ferreum, quo aliquid raditur, aut cultrum, quo quid ſecamus, ſignificat. Hinc τυροκνῆστις, dicitur *culter*, quo coqui caſeum deradunt aut diſſecant. Vox κνηστὴρ legitur apud Nicandr. *in Ther. & Alexipharmac.* Alias κνῆστρον etiam nomen plantæ eſt, quæ alias *Cneoron* aut *Thymelæa* dicitur. Sed hæc ſignificatio non eſt hujus loci. Vide Foëſ. *d. l.*

CNETHOMÆ, κνήθομαι, idem ſignificat quod ἀδάξομαι, prurio, lancinor; de quo verbo ſupra *ſuo loco.* Hoc verô uſum & delectatum eſſe D. Apoſtolum Paulum 2. *Tim. IV.* notavit Rhodius *de Acia p.* 147.

CNICELÆON, κνικέλαιον, i. e. *oleum Cnicinum.* De hoc legatur Dioſcor. *l.* 1. *c.* 44.

CNIDELÆON, κνιδέλαιον, i.e. *oleum e grano Gnidio* expreſſum. Dioſcor. *d. l. c.* 43.

CNIDIOS, κνίδιος. Vide *Gnidius.*

CNIDOSIS, κνίδωσις, ſignificat *pungentem pruritum*, aut *uredinem*, qualis ab urtica excitatur, quæ Gr. κνίδη dicitur. Uſus Hippocr. aliquoties 2. *Prorrh. XXXVII.* 1. 3. *XXXIIX.* 6. *XLVII.* 10.

CNIPOS, κνιπὸς, à κνίζω, quod per tranſlationem etiam ſignificat *moleſtus ſum*, ſcrupulum injicio, ſtomachum facio, dicitur de faſtidioſo, qui attingere in menſa nihil eorum ſolet, quo populus utitur, quin & in omni delitiarum affluentia, niſi quid novum atque inexpectatum, & ad ambitionem, non ad utilitatem comparatum apponitur, conſuetus electitia ſectari; nihil invenit, quod ad palatum faciat; uno verbo: *Cupedius.* Linden. *Ex. X.* §. 82.

CNIPOTES, κνιπότης, dicitur *prurigo*, *pruritus*, cum *ſiccitate.* Uſurpavit Hipp. de ξηροφθαλμίᾳ, *l. de Loc. in hom. XXI.* 8. Scilicet ab effluviis aut vaporibus ſalinis acrioribus, aut alcalicis exaltatis. Conf. Gal. *exeg.*

CNISMOS, κνισμὸς, idem, quod *Cneſmos*, *pruritum* ſignificat, Gorr. *p.* 233.

CNISSA, κνίσσα, vide *Nidor.*

CNISSOREGMIA, κνισσορεγμία, ſignificat *nidoroſum ructum*, quemadmodum ὀξυρεγμία ructum acidum. Videantur *Dogmata noſtra Medicinæ P. II. c.* 11. *dogm.* 3. *p.* 282.

CNYMA, κνῦμα, vel *levem pruritum* aut moleſtam puncturam ſignificat, uti uſurpavit Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXV.* 53. quamvis paſſim κνῦμα legatur, de plumbeo peſſulo in pudenda immiſſo æſtum facien-

te,

te, qui eximendus rurſus, & aquæ frigidæ prius immergendus. Vel ſignificat juxta Gal. *in exeg. voc. Hipp.* vocem ad levem quendam ſtrepitum & ſonum imitandum. Unde particip. κνυζώμενος, *qui leviter ſuſpirat.* Hinc κνυζηθμὸς *querulus canum gannitus* & ſonus proprie dicitur. Foëſ. *d. l.*

CO, *Cos*, *Coos*, κῶ, κῶς, κῶος, nomen inſulæ & urbis in mari Ægæo mediterraneo ſitæ; Patria Hippocratis, qui propterea *Cous* paſſim dicitur. Zona eadem gaudet cum Inſula *Gnido*, exquiſite temperata, juxta Gal. 3. *aph.* 14. Vinum *Coum*, κῶος οἶνος, eſt quinta vini ſalſi ſpecies, juxta Plin. *l.* 14. *c.* 8. cujus ex Italico vino faciendi modum artificialem ſcribit à Catone demonſtratum fuiſſe, ſuper omnia in Sole quadriennio maturandum præcipiente, de quo & Conſtantinus Cæſar *Agricultur. l.* 8. *c.* 23. Aliqui, inquit, muſti partes tres, & aquæ marinæ partem unam ad tertias coquunt. Alii ſalis drachmas 12. defruti congium, muſti congium unum, ſpicæ Celticæ drachm. 16. in vini albi metretas duas admiſcent. Gorr. *p.* 259.

COACTILE, πῖλος, *veſtem* vel *indumentum* ſignificat, *ex coactis lanis compactum.* Hinc *Coactiliarius*, πιλοποιὸς, qui *pileos* ex *coactis lanis* conficit. Joh. Rhod. *ad Scrib. L. n.* 230. quamvis C. Hofmann. rectius generaliorem tribuat ſignificationem pro omni eo ſumens, qui facit ἰμπίλια, Lat. *Impilia*, πιλητὰ κτήματα, h. e. omnis generis res ex lana compacta paratas. Unde Germanicum noſtrum filtʒ eſſe videtur. *Com. ad Galen. de V. P. n.* 883.

COACTIO, *Coactus*, *Cogi.* Vide *Anance. Coactor*, idem, quod *Coactiliarius*, teſte Rhod. & Hofmann. *dd. ll.* Alias *Coactio* quoque eſt nomen paſſionis in animalibus, ex qua varia ægritudinum genera naſcuntur, ideo ſic appellata, quod ab injuria, labore & *coactione* contingat, Veget. *in Mulomedicina c.* 37. 38. *p. m.* 32. 33.

COACUS, epitheton Textuum quorundam & ſententiarum Hippocraticarum, à patria *Co* inſula ita nuncupatarum, ad prædictionem maxime facientium, unde *Coacæ prænotiones* vocantur, quas præter Libavium Joh. Ionſtonus elegantibus notis declaravit.

COADJUVANS, *Cooperans*, σύνεργος, *Coadjutrix*, ſumitur in bonam & in malam partem. Illuc pertinet, quando Medici ad præceptum Hipp. debent eſſe σύνεργοι, *cooperarii* naturæ. Huc pertinet, quando dicitur de cauſſæ morbificæ quadam ſpecie, quæ ſua virtute morbum efficere non poteſt, ſed alteri auxiliatur: ut, libido articularem morbum promovet, & ſanguinis eruptionem remigatio. Gal. *l. Introduct. c.* 8.

COADUNATIO, Ruland. & Iohnſono dicitur elaboratio, qua uniuntur diſgregata. Gr. ἕνωσις dici poteſt. Appellatur nonnunquam ſpeciei excellentioris nomine *Coagulatio.* Unde extitit illud dogma, quod Chymicum artificium in ſolutione & coagulatione conſiſtat, quo tamen reſpicitur ad Lapidis philoſophici myſterium potius, (ſi Dis placet.) Ita *Coadunatio* eſt ſolutionis reductio in his, in quibus fieri poteſt. Ejus ſpecies ſunt duæ: *Compoſitio*, & *Coagulatio.* Vide *Compreſſiva.*

COAGULATIO. Magna occurrit ambiguitas & æquivocatio circa hoc vocabulum, ita ut fere Delio quis opus haberet natatore. Potiſſimum autem dupliciter accipitur, Late & Stricte. Late æquipollet vocabulis *Coadunatio*, *Concretio*, *Congelatio*, Gr. σύγκρισις, πῆξις, Gal. *l.* 1. *de Temper. ſin.* Rul. & Iohnſ. deſcribunt *Coagulationem* per comprehenſionem, quando totum ſimul comprehenſum remiſſumque ad uniformem ſubſtantiam *coagulatur*, aut coit. Et in hac ſignificatione ſæpiſſime etiam ſumitur in ſcriptis Chymicis. Stricte vero dicitur, quando quibuſdam ſegregatis reliquum concreſcit. Vocatur *Coagulatio* per ſegregationem. Huc pertinet vulgatiſſima lactis *coagulatio*, quam primus docuit Ariſtæus, ſicut e Diodor. Siculo *l.* 4. *c.* 83. notavit Th. Janſ. ab Almelov. *R. I. On. p.* 37. Hinc B. Rolf. dixit *Coagulationes* fiunt diſcuſſione humiditatis; harumque duas ſpecies conſtituit, *Fixationem* & *Præcipitationem*, de quibus ſuo loco, *Chym. l.* 2. *c.* 4. Jung. Wil. *de ferment. c.* 12. *Coagulatio* eſt humoris in quacunque re externa vel interna privatio. Jac. le Mort. *Chym. Med. Phyſ. c.* 5. *p.* 30. Iunken. *Coagulationem* duplicem conſtituit Chymicam, unam calidam, quæ eſt rei liquidæ ad ſolidam maſſam per humiditatis mediante calore privationem reductio: alteram frigidam, qua res in calido diſſolutæ in frigido coagulantur. *Chym. Med. Phyſ. P. I. ſ.* 1. *c.* 4. *p.* 72. Ad ſimilitudinem artificialium operationum terminorum horum acceptio haud infrequens eſt in deſcribenda ſanguinis & humorum aliorum præternaturali certa *concretione* apud recentiores Medicos, præſertim Th. Willis *de febribus malign.* Sylvium *in Prax. Med. l.* 1. *c.* 17. §. 5. *c.* 20. §. 5. *c.* 30. §. 104. & ſæpius alibi, quemadmodum & hujus in Indice videre licet.

COAGULUM, πητύα, πύμισος, aliis Dioſcor. Gal. Ægin. ſcribitur πιτύα, ſed mendoſe, recte notante Henr. Stephano *in Theſauro*, & ſubſtituente πυτία (quæ tamen ſcriptura mihi etiam mendo non carere videtur ob nullam derivandi rationem) à πήγνυμι, concreſcere facio, vel πήσσω, Ariſt. *l.* 3. *de H. An. cap.* 21. πυτία proprie nihil aliud eſt, quam lactis vel lactei liquoris in ventriculo animalium, quæ adhuc ſugunt, concretio & condenſatio, Schröd. *l.* 2. *c.* 36. Vid. C. Hofm. *l.* 2. *Var. Lect. c.* 28. Horum varia in Medicina uſitata eſſe conſtat ex Galen. v. g. hinnuli *l.* 2. *de Antidot. c.* 10. pulli cervini, *c.* 15. leporis, *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 1. Jung. Ægin. *l.* 7. *voc. Pytia.* Scribon. Larg. *n.* 188. 197. *& ad h. l.* Rhod. *in not.* ubi ſimul facultas omnis *coaguli* exprimitur, quod ſit acris naturæ & tenuis diſcutientiſque, id quod & Galen. docuit *lib.* 10. *de S. Fac.* Videatur & Dioſcorid. *lib.* 2. *c.* 86. Alias vulgatior uſus *coaguli* conſiſtit in præcipitando lacte ad efformandos caſeos, uti patet ex Galen. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 17. & Thom. Will. *de ferment. c.* 11. Spagyrici quoque ſibi finxerunt

Ænigmatica & Metaphyſica (ſi Dis placet) *Coagula*: v. g. Mercurius dicitur *Coagulum*, h. e. Mercurius noſter vel Philoſophorum in cœlo metaphyſico: *Coagulum Coagulans*, Sulphur Philoſophorum prima materia. Unde aurum noſtrum. Fermentum fermenti ſpiritum *coagulans*, Sulphur *coagulans* Mercurium. Rul. & Iohnſ. Quis non rideat contradictiones? Baſil. Valent. *Coagulationem* deneget Mercurio, & tribuit Sali, *tr. repetitionis de lapid. Phil.* Tranſeant hæ nugæ! Præternaturaliter etiam quandoque *Coagulum* dicitur de portionibus quibuſdam vitioſis, maligne corruptis, humores, præſertim ſanguinem, ad *coagulationem* cogentibus, uti apud Will. & alios videre licet.

COALESCENTIA, σύμφυσις, ξύμφυσις, ξυμφυὴς, ſignificat unionem & compaginem duorum corporum antea diſparatorum ex argum. Hipp. 6. *aph.* 19. 24. 7. *aph.* 28. Stricte vero ſæpius de oſſium *coalitu* & unice ſumitur ab eodem, 2. *de artic. t.* 34. *& ſ.* 4. *t.* 63.

COALTERNÆ *febres* vocantur, quando duæ febres concurrunt in ægro, ita ut brevi à fine integro paroxyſmi unius invadat alter paroxyſmus alterius ſpeciei. Laur. Bellin. *in Opuſculis Medic. tit. de febrib. p. m.* 253.

COARCTATIO vocatur ſubmerſio pulſus & parvitas in principio paroxyſmi febrilis. Avic. *l.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *c.* 2. Alias *Coarctatio* in genere eſt *Anguſtatio*, στενοχωρία, de quo ſupra; vel *Conſtructio*, σῆψις, de quo paulo inferius.

COARTICULATIO, συνάρθρωσις. Vide *Abarticulatio.*

COBALTUM eſt *Cadmia nativa*, recrementum metallicum, vel minerale terreum, colore fere nigrum, argenti vel æris particeps; muſcarum venenum, Schröder. *l.* 3. *cap.* 18. Jung. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* ubi duplex eſſe dicit, aliud metalli expers, & lapidis ſpeciem; aliud metalli ferax.

COBITES, κωβιὸς, κῶθος, ἐξύρυγχος, vel ἰχθυόλιθος, dici poſſet. Nomen piſciculi in aquis fontanis & rivis degentis, diverſæ ſortis; Cujus uſus in cibis ſolet eſſe, vel vulgaris, vel in majori æſtimatione, uti eſt *Cobitas*, *Barbatula*, *Fundulus*. Vid. Aldrov. *l.* 5. *de Piſc. c.* 30. 31.

COCCALOS, κόκκαλος, *nucem pineam* ſignificat. Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 70. Pertinet ad Botanicam. Conf. Gal. *exeg.*

COCCON, κόκκων, *granum mali punici* ſignificat, nec etiam hujus eſt loci. Uſus Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul.* LXIII. 36. teſte Foëſ. *p.* 346. quamvis Linden. κυκεῶνα poſuerit.

COCCOS, κόκκος, *Granum* quodvis aut *Baccam* denotat. Stricte vero ab Hipp. ſumtum pro *Cocco Cnidio*, ſive baccis laureolæ: quarum deſcriptio etiam huc non ſpectat. Vid. Hipp. *d. l.* 1. *de morb. mul.* LXIII. 19. CXX. 25. CXXIII. 9. 26. *&c.* Quid *Coccus Polonica* ſit, vide *Ephem. Nat. Cur. A.* III. *Q.* 104. De *Grano Tinctorio*, κόκκῳ βαφικῇ, conſulas etiam Herbariæ rei ſcriptores.

COCCYX, κόκκυξ. Vide *Cauda*, *Cuculus*.

COCHAB, nomen ſideris cœleſtis, quod operationem ſuam habere exiſtimat in Cete & Balænas, quando ſemina emittunt, Paracelſ. *Tr.* 1. *de Peſtilit.*

COCHLAX, κόχλαξ, *Silex*. Vide infra *Silex*.

COCHIA, κόκκια, epitheton *Pilularum* officinalium uſitatiſſimarum. Deſcriptio eſt Rhaſis *l.* 9. *ad Almanſ.* Videntur ita dictæ à forma, quæ granum vel baccam κόκκον repræſentat. An non & à κόχος derivari poſſent, quod humorem copioſe defluentem ſignificat?

COCHINELLA, vel *Cochinilla*, eſt nomen inſecti vel vermiculi in baccis granorum Chermes geniti, tincturam elegantem Scarlatinam præbentis. Ejus quoque uſus hodieque inſignis eſt in Medicina. Jungantur obſervationes de Cochinilla *in Act. Philoſoph.* Oldenburgii *Anno* 1618. *menſ. Octobr.*

COCHLEA, κόχλος, κοχλίας, *Limax*, eſt nomen animalculi cujuſdam teſtacei exanguis, terreſtris, aquatici & marini, cujus deſcriptionem, & ſpecies, ut & uſum in cibis, inque medicina, prolixe reperies apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. cap.* 29. *& ſeqq.* qui & æquivocationem expediit. Rondelet. *de Teſtac. lib.* 2. *cap.* 26. Quoad uſum jungatur Schröd. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 18. Bruyerin. *l.* 12. *de R. C. c.* 51. Olim Africanam in uſu potiſſimum fuiſſe, non ſolum conſtat e Galeno aliquot in locis, ſed & e Scrib. Larg. *n.* 122. Cochleæ carnem & mucum commendavit ad ani procidentiam Hippoc. *l. de fiſtul.* IV. 3. De ſaginandis *cochleis*, ut fiant ſalubriores, vide Rob. Keuch. *ad Q. Seren. p.* 200. *ſeqq.* Aqua *limacum* hodieque uſitata, cujus deſcriptio e Mortono legi poterit in D. David de Spina *Manuali p.* 84. Tropice dicitur de cavitate quadam in *Aure*, vid. *Auris*. Barthol. *Anat. Libell.* 4. *c.* 6. *Cochleæ* quoque vocantur in machinis, quibus *Trochleæ* moventur, Oribaſ. *de machin. c.* 4. *&* 5.

COCHLEARE, *Cochlear*, *Cochlearium*, Paracelſ. κοχλιάριον, quale ſit inſtrumentum ad capiendos cibos liquidiores uſitatiſſimum, & pueris liquet. Sumitur & pro menſura medica, eſtque vel majus, vel minus, Gal. *de puer. epilept. ſub fin. l.* 7. *M. med. c.* 11. Rhodius *in Diſſert. de pond. & menſ. p.* 40. ſcribit, *Cochlearium* minus continere drachm. unam, majus drachm. 2. Significat & inſtrumentum ad elevandam uvulam relaxatam, *l.* 6. *de C. M. S. L. cap.* 3. cujus figuram vide apud Aquapendent. & Scultetum *Arm. Chir. Part.* I. *Tab.* IX. *fig.* 7. *Cochlearis*, quo calculi eximuntur, *Tab.* XVII. *fig.* 5. & *Cochlearis* anſerini *Tab.* XVI. *fig.* 7. quæ in textu Spathula roſtro anſerino prædita dicitur, quod Franc. Sylvius invenit. Tropice hoc etiam nomine exornavit ab aliquali formæ ſimilitudine oſſiculum auditus quartum D. Lindenus, quod alias orbiculare dicitur, notante Barthol. *libell.* IV. *Anat. c.* 7. *p. m.* 714.

COCHLIA, κοχλίη. Vide *Cochlea.*

COCHONE, κοχώνη, *commiſſuram coxæ ad ſedem* denotat,

denotat, teſte Foël. *part.*351.*ſeq.* Uſus Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XIIX.* 13. *& l.* 2. *h. t. XXII.* 6. Conf. Gal. *exeg.*

COCOMICUS, *a*, *um*, terminus Paracelſicus ſatis obſcurus; videtur autem innuere aliquod flamen vel ſperma heterogeneum communicatum corpori, vel de cœlo, vel e terra, cujus ratio dari non poteſt. Ita podagræ generatio dicitur *cocomica. Tr. de Podagricis l.* 2.

COCTIO, πέψις, πέπανσις, πεπασμὸς, *Concoctio.* In hujus vocabuli expoſitione plane nihil accurati præſtitit Caſtellus. Ejus vocis varia acceptio debet applicari ſubjecto, de quo dicitur, diverſo ſecundum ſuam indolem & conditionem. In genere quidem omnis *Coctio* nil aliud eſſe videtur, quam ſtatus maturationis, vel maturitatis, aut perfectionis in ſuo genere; ſed quatuor potiſſimum ejus ſunt ſpecies ſecundum quadruplicia ſubjecta. Ita alia eſt *coctio alimentorum*, alia *humorum*, vel *excrementorum*, alia denique *morborum*, vel potius *cauſſarum morbificarum. Alimentorum coctio* eſt vel artificialis, vel naturalis: Illa fit per calorem externum, ignem diſſolventem compagem rerum coquendarum, emollientem, alterantem, & ad aſſumendum præparantem: Cujus iterum variæ ſunt differentiæ ad coquinariam pertinentes: *Elixatio*, *aſſatio*, *toſtio*, *&c.* de quibus omnibus ſigillatim ſuis in locis & literis initialibus. Hæc fit in ventriculo diciturque *chylificatio*, de qua ſupra ſuo loco; alias *coctio prima* vocatur. *Humorum coctio* omnis fit beneficio caloris vitalis vel biolychnii, & ſub ſe comprehendit *ſanguificationem.* Quæ *coctio ſecunda* appellatur, *lactis*, *ſeminis*, *ſuccorum nutricii* & *nervoſi elaborationem*, *nutritionem*, quæ *coctio tertia* dici ſolet; de quibus omnibus ſuo loco: *Excrementorum coctio* conſiſtit in perfecta ſegregatione portionum inutilium ab utilibus, & inutilium collectione ad loca convenientia, & cuilibet excremento à natura deſtinata. Huc pertinent *urinæ coctio*, Gal. 1. *de criſ. cap.* 27. *Alvi fecum*, *ſudoris*, *&c. coctio*, Tandem *morborum*, ſive cauſſarum ſuarum *Coctio*, quæ ſecundum nonnullos Gr. πεπασμὸς aut πέπανσις, ſtricte dicitur, Dieter. *n.*668. eſt, quando materia vitioſa peccans morbifica diſponitur beneficio flammæ vitalis, vel ad expulſionem e corpore, vel ad remotionem in alia loca convenientiora & ignobiliora, vel ita ſuperatur & ſubigitur, ut ad priſtinam bonitatem humorum utilium reducatur. Proſper. Martian. *comm. in Hippocr. p.* 347. Modus fere omnibus *coctionibus* communis eſt & dicitur *fermentatio*, de qua inferius *ſuo loco.* Habet & quælibet *coctio* ſua certa organa, vel inſtrumenta, quibus perficitur. Tandem ut ſingulæ *coctiones* recte cognoſcantur, & an perfectæ, vel imperfectæ, validæ vel debiles ſint, dignoſcantur, ſunt diverſa *coctionum ſigna*: Imprimis vero *ſigna coctionis* materiæ morbificæ de reconvaleſcentia hominis vel ſalute futura, ſive per criſin, ſive per lentam ſolutionem teſtantur, Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 7. Hæc de vocab. *Coctionis* hoc loco ſufficiant.

COCUS, vide *Coquus.*

CODESELLA, nomen Italic. ſignificans *carbunculum peſtilentem*, vel anthracem, Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 21. *Schol.*

CODEX, βίβλος, ἀντίγραφον, idem quod liber. Metaphorice etiam mundus *codex* dicitur *naturæ*, cujus tot folia, quot regiones, Paracelſ. *defenſ.* 4.

CODIA, κωδία, κωδεία, κώδεια, ſignificat, *caput*, præſertim papaveris, dicitur & *ſcaphium*, σκάφιον. Linden. *S. M. Ex. X.* §. 185.

CODON, κώδων, vide *Campana.*

CODOSCELLÆ vocantur *bubones*, ſive tumores inguinum, ſcribente Fallop. *tract. de morb. Gall. c.* 90. *Tom. I. p.* 738.

COECILIA, *Cæcula*, alii *Cæcilia*, τυφλίνα ἢ τυφλαίνα, τυφλώψ, nomen ſerpentis, cujus morſus & venenum eadem cum *amphisbœna*, aut vipera infert ſymptomata, teſte Foreſto *l.* 2. *obſerv.* 12. *Schol.* Hujus deſcriptionem prolixiorem & uſum in medicina vide ap. Aldr. *l.* 1. *de ſerp. & drac. c.* 11.

COECITAS, alii *Cæcitas*, τυφλότης, τύφλωσις, eſt abolitio viſus in oculis, à quacunque tandem cauſſa oriatur. Senn. *l.* 1. *M. Pr. p.* 3. *ſect.* 2. *c.* 44. Ita *Cœcitates* ſequi plerumque læſionem pupillæ cum profuſione aquei humoris, vult Galen. *l.* 1. *de ſympt.cauſſ.c.*2. quamvis rariſſime etiam viſus aliquando redeat, denuo collecto illo humore. *Cœcitas*, quia privatio eſt, opponitur rebus, quæ exiſtunt, ſive entibus poſitivis ab eodem *l. de V. S. adv. Eraſiſtratum c.* 9. *Cœcitatem* magice induci poſſe monſtrat Paracelſ. *Tr.* 4. *de Peſtil. c.* 2.

COECUS, τυφλὸς, dicitur, qui viſu caret. Per metaphoram vero quibuſdam partibus corporis attribuitur, v. g. *inteſtinum* inter craſſa primum dicitur *cœcum*, τυφλὸν ἔντερον. Ubi enim tenue inteſtinum deſinit, illinc *cœcum* una cum *colo* incipit. Ita vero vocatur, quia in uno extremo impervium inſtar utriculi ileo & colo adhæret. Ejus pleniorem hiſtoriam & uſum legito apud Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 10. quamvis e noviſſimis auctoribus Philippus Verheyen, Lovanienſ. Profeſſor Regius *in Anatomia Corpor. Hum. Tract. II. p.* 42. doceat, inteſtini cœci titulo, non tam appendicem vermiformem, quam cum veteribus globoſam inteſtini craſſi partem, quæ ab inſertione inteſtini ilei deorſum pendet ac in dextra ilei regione ſita, renique illius lateris annexa habetur, deſignari, uti notarunt *Actor. Erudítor. Lipſ. Collectores menſ. Octobr. Anno* 1693. *p.* 434. Ita & foramen illud anguſtius, quod ex duobus foraminibus, quibus quinta nervorum conjugatio à cerebro excipitur, prope aures eſt collocatum, cui ſubditur labyrinthus quidam, quem natura effecit muſculis temporalibus conſulens, nervum eis durum ſimul & labiis immittens, dicitur *cœcum*, τυφλὸν τρῆμα, Gal. *l.* 9. *de V. P. c.* 13. non quod revera impervium ſit, ſed quod anfractuoſum, & veteres ſeta vel funiculo injecto exitum non reperirent, cum non ſit recta perforatum. Gorr. *p.* 471. Et in chymicis alembicus *cœcus* vocatur, qui caret foramine, aut roſtro; Rolfink. aliique.

COELESTINUS, epitheton Paracelſicum coloris, cœruleum exprimens colori cœli ſimilem, vulgo himmelblau. Talis circulus in urina fœminarum ſignificare dicitur putrefactionem leproſam in matrice; Ita & bulla *cœleſtini* coloris in medio urinæ facta lepræ præſentis, & aliquando etiam alopeciæ ſignum eſt, juxta Parac. *l.* 2. *de urin. judic. c.* 3.

COELESTIS, οὐράνιος, dicitur de omni, quod vel à *cœlo* dependet, vel cum eodem aliquod commercium habet. Ita ſtellæ dicuntur ſubſtantiæ vel corpora *cœleſtia*, τὰ κατ' οὐρανὸν, Gal. *l.* 2. *de dieb. Crit. c.* 2. Ita nonnulli ſtatuunt *colorem cœleſtem*, qui ſiderum motu & lumine omnia corpora concavo lunæ orbi ſubjecta penetrat, vivificat, & fœcunda facit. Hic *cœleſtia* cum terrenis ineffabili ſympathia & cognatione connectit, admirationeque dignos effectus producit, verbis Langii *l.* 1. *ep.* 13. Ita & Helmont. dixit, *naturam cœleſtem* & enormonticam rebus ipſis ineſſe, quæ tamen ad rhythmum ſuperioris lationis ſeſe concitet ac moderetur, quamdiu non refractaria haberi velit, *l. de magnet. vuln. cur. n.* 60. Jungantur, quæ mox ad vocab. *Cœlum* proponentur. Medicamenta quoque hoc titulo condecorata leguntur. v. g. Aqua *cœleſtis* Londinenſium, ita notante D. D. David de Spina *in ſuo Manuali Pharmaceut. Chymico p.* 40. quamvis *in ipſo Diſpenſatorio Londinenſi* invenire haud potuerim. Quidam etiam morbos *cœleſtes* fingere non veriti ſunt. Libav. *in defenſ. Syntagm. contra Scheun. II.* 24.

COELIA, κοιλία. Vide *Cavitas*, *Venter.*

COELIACA, κοιλιακὴ, i.e. *ventralis diſpoſitio.* Communis morbus eſt ventriculo & inteſtinis, in quo materiæ non mordaces egeruntur ob inteſtinorum imbecillitatem, quæ retinere contenta ne exiguo quidem tempore poſſunt, ſed ea illico excernunt, perinde ac ſi grave onus aliquod deponerent, haud ſecus, quam in ſtranguria, in qua ob acrimoniam & vellicationem veſica jugiter, quicquid ad eam pervenerit, excernit, quod molem ipſius vel exiguam ſuſtinere nequeat, Gal. *l.* 6. *de L. A. c.* 2. Unde κοιλιακοὶ dicuntur, quibus excrementa lævia humentia & ſemicocta alvo continenter fluida redduntur aliquanto, poſtquam aſſumta fuerint, tempore. Cauſſa hujus mali eſt aſſidua cibi corruptio & cibus cacochymus, adhæc frigiditas, aut vehemens ardor, aut plagæ ventri inflictæ. Ex longis quoque morbis facile hic morbus contrahitur. Hucuſque Caſtellus. Dicitur & *lienteria*, quamvis nonnulli differentiam quandam inter *cœliacam paſſionem* & *lienteriam* quærant, quam tamen ſubtilitatem minime neceſſariam eſſe arbitror. Paucis: Eſt ſpecies alvi fluxus p. n. in quo cruda & chyloſa, aut etiam plane non chylificata rejiciuntur, proveniens cum à fermenti in ventriculo aciditate volatili, tum ſucci pancreatici excedente aciditate ad expulſionem tunicas incitante. Duas *cœliaci affectus* conſtituit ſpecies Fr. Sylvius *l.* 1. *P. M. c.* 13. §. 3. & 4. *Paſſio ventriculoſa* vocatur, ægri & *ventriculoſi*, qui ſubito univerſa dejiciunt, apud Rhod. *ad Scrib. p.* 159. Aliquando & *Coiliaci* in libris antiquis inveniri, teſtatur Keuch. *ad Q. Seren. p.* 189. Alias & in anatomicis *arteria cœliaca* vocatur, quæ multos ramos emittit ad ventriculum, inque duos ramos dividitur. Barth. *libell. Anat. c.* 5. *p.* 655.

COELICUS, a, um, οὐράνιος, hauddubie idem ſignificat, quod cœleſtis. *Cœlica* eſt epitheton calcinationis Bartholetto *in Encyclopædia*, quæ & phyſica dicitur, vel magica, quæ fit beneficio ſpeculi incenſorii concavi, cujus deſcriptio habetur apud Schröder. *Pharmac. l.* 3. *c.* 17. Jung. not. D. Joh. Michaelis *ad h. l.*

COELIFOLIUM vocatur quibuſdam materia illa, quæ in pratis quandoque menſibus æſtivis reperitur, Paracelſo *celifoli* dicta *de ulcerib. c.* 5. Vocatur & ſputum majale, aliis purgamentum ſtellarum, item *Cœli flos*, de cujus virtutibus medicis videatur Georg. Hier. Velſchius *in Sylloge Obſerv.* & quidem ad Hier. Reuſneri *Obſ.* 113. *p. m.* 62. Hartm. *Prax. Chymiatr. Tom. I. oper. p.* 105.

COELOMA, κοίλωμα, dicitur ulcus in cornea oculi tunica latius Bothrio, rotundum, & minus profundum. P. Ægin. *l.* 3. *c.* 22. Gal. *l. Introd. c.* 15.

COELOS, *Cœlon*, κοῖλος, κοῖλον, *cavum* ſignificat. Vide *Cavus.*

COELOSTOMIA, κοιλοστομία, eſt vitium illud, quando vox in ore tanquam in ſpecu obſcuratur, & velut in receſſu auditur, uti Quintilian. deſcripſit *l.* 1. *c.* 9. Et hoc idem eſſe, quod ἀσημίαν, aſemiam, vult P. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *tit.* 3. *quæſt.* 9. *n.* 5. *ſeqq.* ubi perperam aſymia per y legitur ob ignorantiam Græcæ linguæ, ubi ἄσημος ſignificat obſcurum. Vide *Aſemos. Aſaphia.*

COELUM, οὐρανὸς, κοῖλον. Multi etiam ſcribunt *cælum.* Eſt vocabulum valde homonymum ſive æquivocum. *Vel* enim 1. ſignificat ſedem aut locum beatorum in vita æterna, quæ ſignificatio non eſt hujus loci, licet & omni vero Chriſtiano medico hoc incumbat, ut per veram ſalvificam fidem eo perveniat poſt mortem. *Vel* 2. ſignificat locum ſiderum vel ſtellarum fixarum & plantarum. Horum ſcientiam medico valde neceſſariam eſſe, nonnulli arbitrantur, Hipp. & Gal. autoritates producentes, uti ex recentioribus Rolf. *in Ord. ac Meth. ſua* paſſim inculcat. Imprimis vero Paracelſus variis in locis *cœli* operationem medico ſcitu neceſſariam eſſe docuit, præſertim *in Paragran. alter. Tr.* 2. *de Aſtronomia*, quem poſtmodo ejuſdem ſectatores ſecuti ſunt. Enimvero cum hæc ſcientia *cœli* & ejus virtutis in inferiora nondum adeo expeditis & infallibilibus nitatur principiis, neque ſit in medici poteſtate, illam operationem vel mutare, vel promovere, vel impedire, non video tantam neceſſitatem, qua medicus teneatur ad illam notitiam comparandam. *Vel* 3. ſignificat more vulgi *aërem*, qui ſupra nos eſt, uſque ad nubium regionem, uti quidem colligere eſt ex Hipp. 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. ubi

ubi manifeſte τὰ ὀϱάνια, cœleſtia ſcil. corpora, in Græco habetur. Alias licet ſæpius apud Gal. *edit. Lat.* occurrat vocabulum. *Cœli* ſtatus, in Græco tamen tantum vocabulum κατάστασις reperitur abſque additione vel *cœli*, vel aëris. *Vel* 4. ſignificat tropice aliquas concavas partes corporis. Ita ſpecialiter κοῖλον, *cœlum*, vocatur ſuperioris palpebræ ſuperficies, ſicut *hypocœlum*, ὑπόκοιλον, pars inferior, quæ ei reſpondet, ex Ruffo Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 10. §. 85. Sunt &, qui τὰ κοῖλα oculorum interpretantur cavitates, quæ ſub oculis & utraque naſi parte cernuntur, quæ tamen κανθοὶ dicuntur, quæ partes in pravo corporis habitu, crapula, cachexia, hydrope, plerumque intumeſcunt, Foëſ. *in Oecon* p. 443. Sic etiam dicitur *cœlum*, ὀϱανὸς, vel ὀϱανίσκ⊙, palatum, ἡ ὑπερώα apud Ariſt. *l.* 2. *de part. an. c.* 17. *in princ.* Ut Plinio *cœlum* capitis calvaria dicitur, dum cerebrum viſcerum excelſiſſimum dixit, proximumque cœlo capitis *l.* 11. *H. N. c.* 37. *Vel* 5. varias chymicas habet ſignificationes. Ita apud Paracelſ. *d. l. Cœlum microcoſmi*, vel hominis, effinxit à prima nativitate cuilibet individuo peculiare. Ita & Helmont. non *cœlum* intus gerere dixit, quod ſeſe ad univerſaliſſimum Blas aſtrorum componit, *tr. Aſtra neceſſit. non inclin n.* 17. *Cœlum* quoque ſignificat chymicis quintam eſſentiam, formas rerum eſſentiales. Libav. *Alchym. Pharm. c.* 18. Huc pertinet ſignificatio *cœli*, quæ legitur apud Lentilium *Miſcell. Medico-Pract. P. III. p.* 130. quod *cœlum* philoſophorum dicatur, quando radices ſeminales morborum tolluntur, dolores & paroxyſmi mitigantur & prohibentur, quando conſentanei ſpiritus ſpecifici fiunt. Ita *cœlum* betonicæ pro capite, cœlum ſuccini pro paralyſi, quando ſcil. illa ſimplicia cœlificantur & ſpiritualia redduntur. Papæ! *Cœlum ſpagyricum* eſt ſuprema pars vaſis philoſophici. Rul. & Iohnſ. Denique 6. & quidem valde abuſive & myſtice, imo phantaſtice, h. e ficte, *cœlum philoſophorum* ſignificat *lapidem philoſophorum*, medicinam catholicam. Rul. Videantur & Baſilii Valentini ſcripta *de rebus natur. & ſupernatur. de lapid. Philoſoph.* & alii hujuſmodi ſcriptores. De *cœlo magico factitio*, ceu præſtigioſo, item de *cœlo infero Hartmanni* præſtat ſilere Chriſtianum, judicio Libavii *in Exam. Philoſ. nov.* qui etiam rectiſſime contra Crollium *cœlo* virtutem illam tribuendi hominibus omnem ſcientiam & artem, ceu nugacem vel impiam, rejicit.

COEMENTUM. Vide *Cæmentatio.*

COENA, δεῖπνον, cibationem veſpertinam ſignificat. Quod vero tempus veteribus ordinarium fuerit, non facile definiveris. Plerumque tamen ſole occidente cœnaſſe, licet viri graves occupationum cauſſa ſæpe diſtulerint uſque ad accenſa lumina, teſtatur Linden. *Ex. XVI.* §. 223. *Cœnam* largiorem fuiſſe olim, quia parcius pranſi ſunt, conſtat etiam ex Gal. *l.* 7. *Meth. med. c.* 6. Et revera noſtræ ſanitati plus conduceret, ſi hodieque conſuetudo illa ſervaretur, Jung. C. Hofm. *Inſtit. l.* 5. *c.* 28. & *Dogm. noſtr. Part. V. c.* 2. *Dogm.* 8. Lang. *l.* 1. *ep.* 55. quamvis hujus ratio, quod luna ad cibariorum concoctiones multum conferat, non ſit magni roboris, cum & tempore novilunii bene concoquantur & chylificentur alimenta. Prandium largius *cœna* inter cauſſas morborum retulit Rolf. *O. ac M. Com. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 28. quamvis Lucianus Belus de Rocha contracta, (vel ſecundum alios Ant. Maria Bettus) in pecul. tractatu *de cœnæ & prandii portione*, prandium largius defenderit contra Oddum. *Cœna ſecundaria* Gr. dicitur ἐπίδειπνον, quaſi *poſtcœnium*, apud nos in conviviis nuptialibus frequens.

COENOLOGIA, κοινολογία, *Conſultatio*, colle giandi ratio eſt medicorum concilium, collocutio, ac communis conſideratio, quæ fit pluribus medicis convocatis, ad cognitionem de morbo inquirendam & in curatione mutuam operam præſtandam. Hippocr. *in Præcept. VII.* 4.

COENONIA, κοινωνία, *communicatio.* Vide *infra.*

COENOS, κοινὸς, *communis.* Dicitur & de partibus corporis, quæ pluribus deſtinatæ ſunt uſibus, quales ſunt inteſtina &c. Hofman. *in Gal. de V. P. n.* 248. 250. *Communia organa*, arteriæ, venæ, nervi, Gal. *lib.* 16. *de V. P. cap.* 1. & de morbis *communibus* multis populis, qui & πάγκοινοι, πάνδημοι vocari ſolent. Quibus opponuntur *privati*, σποϱάδες, ἢ σποϱαδικοὶ, Hofm. *Inſt. l.* 3. *c.* 5. §. 5. Ita leguntur *communes mentis conceptus*, κοιναὶ ἔννοιαι, Gal. *l. de plenit. c.* 8. *Communis ſermo*, i. e. univerſalis, κοινὸς λόγος, *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 13.

COENOTES, κοινότης, dicitur de hypotheſibus methodicæ ſectæ, quæ *communitates* dicuntur, quia ſunt ſaltem univerſales quædam notiones, ex quibus indicationem remediorum omnem peti poſſe cenſuerunt ejus ſectæ aſſeclæ. Tres autem in univerſum ſtatuerunt, adſtrictionem, fluxionem, & mixtum ex utroque. Soranum libros de *communitatibus* ſcripſiſſe teſtatur Cœl. Aurelian. *l. IV. Tard. paſſ. c.* 1. *p. m.* 455. Vide *Methodicus.* Galen. *l.* 9. *contra Julian. c.* 5. *& de opt. ſect. ad Thraſyb. c.* 32. Aquæ etiam quædam ophthalmicæ *communitatis* epitheto inſignitæ leguntur in Schröderi *Pharmacop. l.* 11. *c.* 38. cujus tamen tituli rationem invenire haud fuit integrum.

COENUM, βόϱβοϱος, *lutum*, fimus. Vide *Borborodes.*

COERULEUS, κυανὸς, vel κύαν⊙, nomen coloris intermedii, inter nigrum & rubrum, qualis eſt cœli ſereni, ſapphiri &c. In ſpecie lapis Lazuli vocatur *cœruleum*, Rul. & Iohnſ. videatur & D. Joh. Laur. Bauſchii *Schediaſma poſthumum de cœruleo & Chryſocolla. Cœrulea tunica* in oculo χιτὼν κυανοῦς vocatur, alias *uvea* dicta, rhagoides, Galen. *l.* 10. *de V. P. cap.* 3. & 4. Icteritiam quoque & urinam *cœruleam* dixit Paracelſ. *l. de Icterit.*

COETE, κοίτη. Vide *Cubile.*

COETONETES, κοιτωνίτης, *Cubicularius.* Vide *Cubile.*

COGITATIO, φροντὶς, διάνοια. Vide *Phrontis.* Oſſa *cogitationis* quæ ſint, vide *Arcualis.*

COGNATIO, συγγένεια, dicitur de ſimilitudine & *communione* mutua rerum, inter quas ἀδελφότης, fraternitas, potiſſima habetur, apud Gal. 3. *de fruct. t.* 34. Vide *Adelphixia.*

COGNITIO, γνῶσις, quid ſignificet, notum eſt. Duplex datur quoque in Medicina, una externa & perfunctoria, quæ facilior, & altera interna & accurata, quæ difficilior, Galen. *de dign. & cur. anim. morb. c.* 6. Quæ vero in *cognitionem* veniunt, aut ſenſu, aut ratione deprehenduntur, *l. an ſang. in arter. c.* 5. quamvis in textu Græco non occurrat. Quo plenior vero & certior eſt noſtra de rebus *cognitio*, tanto majore ipſis cum fiducia atque ſecuritate utimur, Linden. *Ex. XI.* §. 6. *Cognitio mortalium* in ſpecie Paracelſo eſt pars nigromantiæ, L. 1. *Philoſ. ſagacis.* De *Cognitione Adepta* Philoſophorum, h. e. Spagyricorum, vide apud Ger. Dornæum *Speculat. Philoſ. c.* 3.

COGNOMEN, ἐπωνυμία, eſt nihil aliud, quam epitheton ſive *adjectivum* aliquod, ſubſtantivo additum, v. gr. homo ſimus, aquilus, cæſius, Gal. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 8.

COHABITATIO dicitur vita conjugalis includens congreſſum Venereum, quæ communiter triennalis in judiciis requirebatur ad probandam coëundi impotentiam, uti videre eſt apud P. Zacchiam *Q. M.* L. *l.* 10. *deciſ.* 17. *Rot. Rom. n.* 5.

COHIBITIO, *cohibeo*, ἐπέχω, ἐπίσχεσις. Vide *Epiſchesis.*

COHITUS, *Cohire*, *Coheundi*, &c. paſſim legitur pro *Coitu*, *Coire* &c. apud Albertin. Botton. *de morb. mulierum*, præſertim *l.* 2. *capp. prioribus.*

COHOBATIO, eſt liquoris corpori ſæpius affuſi frequens abſtractio, ſeu deſtillatio & reiterata affuſio, vel exaltationis virium gratia, vel etiam majoris fixationis cauſſa, Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Ger. Dornæus *de tranſm. metall. c.* 1. D. D. Bohnius *Diſſ. Chym. Phyſ. XI.* §. 27. Paracelſus tamen etiam de morborum duratione uſus, *Cohob* vocans, quando morbus remediis non facile cedit; unde & medicamenta ſecundum *Cohob* danda, h. e. repetitis vicibus offerenda, *l.* 2. *de Tartar. Tr.* 2. *c.* 5. *& alibi.*

COHOL, pro *Alcohol*, in ſpecie dicitur de collyriis ſiccis, ſub forma pulveris tenuiſſimi præparatis. Avic. *l.* 5. *ſumm.* 2. *tract.* 2.

COHOS eſt, quicquid cutis in toto corpore concludit, veluti in circulo, alluſione ad *chaos* facta, quo jam in ordinem divinitus redacto, & non, ut prius, informi, cuncta creata comprehenduntur ad minoris ordinati *Cahos* vel *Cohos* utilitatem, ex Parac. *l. de ulcerib. c.* 9. Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

COILOSOMOI, κοιλόστομοι, qui e palato loquuntur aut e naribus. Jul. Cæſ. Scaliger *de cauſ. ling. lat. l.* 1. *c.* 14.

COINCIDENTIA, παρέμπτωσις, q. d. *Intercidentia*, eſt, cum aliunde in aliud vas humor fluit, Gal. *l.* 7. *de Admin. Anat. c.* 16. *& l. de plenit. c.* 6. Specialiter in oculo *Coincidentia* eſt, ubi in meatum porumve opticum, qui à baſi cerebri veniens oculo videndi facultatem tribuit, humor, adaperto vel rupto vaſe, incidit, obturatque eum, unde cum dolore viſus offenditur, *l. Introduct. c.* 15. Pulſus quoque quidam dicitur παρεμπίπτων, *coincidens*, quando non expectato intervallo ſupervacuus aliquis ſentitur. Opponitur deficienti, τῷ διαλείποντι, Gorr. *p.* 362.

COINDICANTIA, συνενδεικνύμενα, vocantur, quæ cum propriis cujuſque morbi indicationibus in curatione conſpirant, v. g. vires vitales, ſive naturæ robur, ætas, regio, anni tempus, conſuetudo, & id genus alia, quæ à propriis indicantibus indigitata præſidia veluti confirmant & approbant. Galen. 13. *meth. med.* 16. quamvis etiam ad methodum conſervatricem applicari poſſent, ſi liberet; nam & in his illa attributa omnia attendi debent & ſolent. Vid. *Dogm. noſtr. P. IV. c.* 2. *dogm.* 4. *p.* 470. Comprehenſio illa *Coindicantium* & *Coindicatorum* dicitur *Coindicatio*, συνένδειξις.

COITUS, λαγνεία, Hipp. συνουσιασμὸς, συνδυασμὸς, συνουσία, *concubitum* maris & fœminæ Venereum ſignificat, partiumque genitalium communicationem, quam actionem prolixius deſcribere non eſt operæ pretium, cum Rolf. & alii nihil intermiſerint amplificationis in deſcriptione hujus *in Ord. ac Meth. Generationi dicat. part.* Videantur, ſi placet, & alii Anatomici. Vide infra *Lagneia. Coitio* & *Coire* etiam ſumitur pro *Coalitione* aut *Coaleſcere*, Gal. 3. *meth. med. c.* 4. Item de unione medicamentorum in unam maſſam, v. g. in coctione emplaſtrorum, Scribon. Larg. *n.* 212. 213. & alibi ſæpius.

COLA, κῶλα, dicuntur *Artus.* Vide ſupra ſuo loco.

COLAMENTUM, ἀπήθημα, περιήθημα, in offic. *Colatura* eſt liquefactæ rei à fæce ſuæ turbulentiæ ſeparatio. Joh. Auguſtin. Pantheus *in Voarchadumiæ portione* 2. Vide *Theatr. Chymic. Vol. II. in fin. p.* 532.

COLATIO, ἤθησις, ἠθισμὸς, ab ἤθω, *colo*, eſt ipſa actio, qua liquida per cola varia tranſmittuntur ad ſeparandas fæces. Eſt ergo ſimilis *Cribrationi*, quæ ſiccorum eſt, illa vero humidorum. Differentiæ *colationis* ſunt variæ: Quædam calidiſſima, quædam tepida, quædam frigida colantur; quædam uno, alia duobus, alia tribus colis egent. Quædam per ſubſidentiam colantur. Weker. *Antidot. gener. l.* 3. *c.* 38. Joh. Aug. Pantheus *d. l.* tres modos *colationis* tradidit, per Manicam Hippocratis, per Cinericium, per Balneum Arenæ. Jung. D. D. Bohn. *Diſſert. Chym. Phyſ. XV.* §. 2. *ſeqq.*

COLATORIUS, Græce dici poſſet ἠθητικὸς, quamvis non reperiatur uſitatum: dicitur de quibuſdam membris corporis, quorum uſus eſt, ſanguinem ab ex-

cre-

crementis purgare. V. g. Hepar eſt organum *colatorium* pro bile ſequeſtranda, Renes pro ſero, &c. Os quoque naſi dicitur *Colatorium*. Os *colatorii* quoque dici *Cuneiforme* ſcribit Bartholin. *libell.* 4. *An. c.*8.*p.*718. Vide *Ethmoides*.

COLAZO, κολάζω, proprie ſignificat *punio*, *caſtigo*. At per metaphoram ab Hipp. & Galeno ſumitur pro *refrænare*, *temperare* violentiam alicujus rei, v. g. acetum melli mixtum in oxymelite, dicitur bilioſam mellis naturam caſtigare, vel temperare, refringere, Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 30. Gal. *in comm.* Ita diæta κεκολασμένη legitur, h. e. *temperata*, ap. Lucian.

COLCITAN, ſubjectum Pythoniſſarum, pro excitandis tempeſtatibus, Paracelſ. *de Podagra*.

COLCODEA, id eſt, efficiens, ſive dator formarum.

COLCOTHAR, proprie apud Parac. dicitur *Vitriolum fixum*, *de Nat. rer. l.* 7. *de reſuſcit. rer. natur.* quando videlicet phlegma à vitriolo deſtillando abſtrahitur, atque hoc toties, donec *Colcothar* phlegma, ſive aquam omnem, imbiberit, neque ulla amplius aqua deſtillaverit, licet igne urgeatur. Dicitur *ſerpens*, ſeu *lacerta viridis*, *quæ propriam caudam devoravit*. Communius tamen intelligitur *Caput mortuum Vitrioli*, ſimplici modo citra cohobationem rubificatum, vel atramentum rubrum ſeu citrinum. Ironice vocatur *Henricus rubeus*, in deriſionem aliquorum ementitorum Chirurgorum & Circulatorum, qui hoc ſolo medicamento conabantur omnia ulcera & vulnera curare, & huic unico remedio, tanquam ſacræ anchoræ, innitebantur, (quemadmodum & hodieque Balneatores & Chirurgaſtri facere ſolent) perdentes potius ægros, quam ſervantes, Ruland. *in Lex.* Quamvis Helmont. nimium laudibus evehat in ulceribus, *Tr. Scabies & Ulcer. Scholar. n.* 35. E *Colcothare* verum fieri *Sulphur Vitrioli*, negat idem, *tr. Duumvirat. n.* 9. *Colcotar* vi medica ditiſſimum vocat, *de Lithiaſ. c.* 8. *n.* 21. Frequentem ejus uſum vide apud Paracelſ. *in libris Paragraphor. & alibi.*

COLEOS, κωλεὸς, exponitur à Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* membrum in vulnere, quod recte extrahi poteſt. Verum Foëſ. *in Oec. p.* 367. exiſtimat, mendoſam eſſe hanc expoſitionem; ſibique videtur κωλεὸς idem eſſe, quod κωλᾶ, κωλῆ, aut κωλῇ, aut κωλῆν, quod ſignificat, vel *pernam* aut *petaſonem*, vel ſaltem *petiolos*, aut *extremos pedes*, ut apud Hipp. 7. *Epid. XXXIII.* 13.

COLERITIUM, *Coloritium*, Iohnſ. eſt liquor compoſitus ex corroſivis metallorum inimiciſſimis materialibus, quo probatur aurum ad Lydium lapidem affricatu, & cui nullum metallum, præter aurum ſolum reſiſtere poteſt, unde cognoſcitur e veſtigio, ſi, quod aliud auro permixtum ſit, hoc omne mox evaneſcit mutato colore ea parte, qua *Coleritium* illitum fuerit, cætera non madefacta colorem affricati aut ſervante; Putum vero ac purum nihilo prorſus immutatur eo liquore, Rul. *in Lex.*

COLES, *Colis*, καυλὸς, *penem*, ſive *membrum virile*, mentulam, virgulam ſignificat. Vide *Caulos*. Eſt particula corporis inſignis ad extremum collum veſicæ ſita, qua mares fœminas exuperant, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 8. Hujus deſcriptionem accuratam vide in Anatomicorum ſcriptis, præſertim apud Bartholin. *Anat. l.*1.*c.*24. D. D. I. M. Hofmann. Id. *mach. hum. ſect. XI.* §. 13. *ſeq. p.* 86. *ſeqq.* *Penem* cancroſum feliciter amputatum à D. Ruyſchio, opera Chirurgorum conjuncta, vide in ejuſd. *Centuria Anatom. Chirurg. Obſ. XXX.*

COLICA, κωλικὴ διάθεσις, eſt morbus plenioris (i. e. craſſioris) inteſtini diuturnus, in quo cruciatus intolerabiles, difficultates ſpirandi, ſudores, perfrictionesque ſuboriuntur, Gal. *in defin.* Suntque *Colicus* & *Volvulus* inteſtinorum etiam inflammationes, quorum alter tenuioris inteſtini affectus eſt, alter plenioris. Quare dejectiones includuntur, & flatus inteſtinis involuti; eo, quod exitum non habeant, dolores vehementes, & tormenta excitant, *l. Introd. c.*13. *& l.*2. *de L. A. c.* 5. Inde *Colica medicamenta* ſunt, quæ ad ſedandum coli dolorem ſunt comparata, quæ quidem etſi anodyna ſunt, à communi tamen anodynorum forma differunt, quod quæ proprie *Colica* appellantur, aromatis odoratis ac urinam cientibus ſeminibus permiſcentur. Et quanquam *Colica* vocentur, non tamen ad *Colicos* tantum, ſed ad omnem dolorem in quacunque corporis parte factum ſedandum admoventur; quo factum eſt (inquit Gal. *init. l.* 6. *de L. A.*) ut Antidotos omnes dolorem ſedantes Veteres *Colicos* nuncupaverint, *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 4. Vide *Narcotica*. Quamvis vero κωλικὴ variis de cauſſis oriri poſſit, ſic tamen potiſſimum dicitur, quæ à frigido craſſoque aut viſcoſo humore, aut flatuoſo ſpiritu excitatur. Eum conſequuntur nauſea & vomitus pituitoſi atque corrupti humoris multo graviores & magis aſſidui, quam per nephriticos affectus. Ad hæc excrementorum retentio, ut ne flatum quidem, neque etiam ructum poſſint emittere, adeſt. Sæpe etiam veluti circuire videtur dolor, aut plurima loca occupare, & modo in hac, modo in illa parte vehementior fieri, cum nephritici dolores eodem in loco ſtabiles jugiter infeſtent. Difficile tamen eſt diſcrimen, adeo, ut non modo plebeji, ſed Medici quoque non ſemper diſcernant, omneſque eos dolores, ſive renes, ſive ureteres, ſive meſenterium, ſive tenuia etiam inteſtina occupent, κωλικὴν indifferenter appellent. *Hæc Caſtellus.* Quæ cum nec accurate nec accommode ſatis in omnibus ſeſe habeant, libet ex recentiorum principiis quædam annectere. *Colica Paſſio* accipitur quandoque late pro omni Inteſtinorum dolore, quandoque ſtricte pro dolore inteſtini *Coli*; quamvis Th. Willis utrumque neget, & potius partes quaſvis abdominis, & viſcera omnia totius ventris ſubjectum hujus morbi ſtatuat, *Part. II. de An. Brut. c.* 15. id quod in medio relinquimus. Alias *in d. loc.* affectum hunc quoad Ætiologiam & Therapiam egregie

gie expedivit. Jungatur Linden. *Ex. IV. VII. & VIII.* ex quo conſtabit, apud Hippocratem non fuiſſe obſervatam differentiam inter *Colicam* & *Iliacam paſſionem*, Sylv. *Prax. Med. l.* 1. *c.* 14. E quorum hypotheſibus talem annectere libet deſcriptionem: *Colica Paſſio*, vel *Dolor Colicus*, eſt præternaturaliter aucta licet varia perceptio tactus in inteſtinis, præſertim *Colo*, cum variis ſymptomatibus conjuncta, imprimis alvo utplurimum vehementer adſtrictæ, proveniens à ſolutione continui membranarum & partium nervoſarum in parte affecta per varias cauſſas, videlicet intemperiem materialem à diverſo humorum & ſpirituum vitio dependentem, vel obſtructionem graviorem, oborta & vehementer urgente. Hujus affectus primam originem aliquando latere in acido quodam acetoſo crudeli, tormina tam in ſtomacho, quam in inteſtinis plerumque crudelia gignente, haud inepte ſtatuit Helmont. *tr. A ſede anim. ad morb. n.* 10. Parac. tot *Colicæ* ſpecies conſtituit, quot ventorum genera & *Colicæ*, ventorumque, ac tempeſtatum eundem eſſe generationis modum dixit, *in Paragran. Labyrinth. & alibi. Colicam* quoque Zibethinam Moſchatam, non ventoſam, bilioſam, vocari debere voluit *Paragr. t.* 1. *Colice*, ſubintellige Antidotus, dicitur etiam medicamentum contra Coli dolorem apud Scrib. Larg. *n.* 120. *ſeq.* Rul. *in Lex. Colicam* deſcripſit per Tartarum reſolutum in inteſtinis, morbumque fixum in colo inteſtino. Sed hæc deſcriptio juſto ſtrictior eſt.

COLIPHIUS, epitheton panis apud veteres, quo ſolo uſi ſunt in prandio abſque aliis cibis, parato ex flore tritici ſiligineo, addito fermenti momento modice piſto, & in oblongam formam redacto, uti legitur apud Lang. *l.* 1. *ep.* 55.

COLLA, κόλλα, *Gluten*, vel *glutinum* ſignificat. Idque omne dicitur, quo ſicca corpora ſecum uniuntur. *Colla libraria* ex ſimila & garo habet virtutem emplaſticam, & concoquendi vi prædita eſt, quibuſcunque eam partibus illinas, Gal. *l.* 7. *de S. F.* Æginet. *l.* 7. *c.* 3. Alias ex variis rebus paratur. Præſtantiſſimum eſt ex auribus taurorum & genitalibus. Fit & ex quibuſvis pellibus inveteratis & decoctis. Rhodiacam cæteris prætulit Dioſc. *l.* 3. *c.* 101. Vocari ſolet vel ταυρόκολλα, vel ξυλόκολλα. Auro *glutinum* eſt Santerna, ferro Argilla, æris maſſis Cadmia, laminis Alumen, Stannum æramentis, ſtanno Argentum, marmori & plumbo Reſina, &c. Gorr. *p.* 234. Alias vocabulum *Glutinis* tranſtuliſſe ad Phyſiologiam & Pathologiam Joh. Baptiſt. Centoli Iatro-Phyſicum Bononienſem *in ſua brevi inſtructione Medica de Glutine in corporibus humanis producto* legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1698. *m. Mart. p.* 137. Quid? quod ipſe Hipp. *l. de Carnib.* prolixe de glutinoſitate partium corporis, περὶ τοῦ κολλώδεος tractaverit & cerebrum eſſe metropolin τοῦ κολλώδεος, *glutinoſi* ſtatuerit, quamvis rem acu non tetigerit. Jung. Jac. Spon. *Aphor. nov. ſect.* 1. *aph.* 27.

COLLAPSUS *corporis*, ξύμπτωσις, 1. *aph.* 3. idem, quod *Contabeſcentia*, *Concidentia*, *Imminutio*, μάρανσις, Linden. *Ex. XIII.* §. 229. Dieter. *n.* 588. Vide *Symptoſis.*

COLLATENNA, eſt nomen vulnerarii ſpecifici apud Parac. *l.* 2. *de vit. long. c.* 14.

COLLATIO, idem, quod *Comparatio.* Vide *ſuo loco.*

COLLATIVUS, Feſt. *Conlativus*, à verbo *Collatare*, Gr. dici poſſet συμπλατυνθεὶς, dicitur apud Plautum de ventre, propter cachexiam hepaticam, tumido & magno, ſeroſaque cacochymia ſtagnante pleno Cappadocis lenonis, *Curcul. Act.* 2. *ſc.* 1. de quo loco vide Linden. *Ex. IX. Select.* & de hoc vocab. §. 13. *ſeqq.*

COLLECTIO, συλλογὴ, συστροφὴ, σύστασις, de variis uſurpatur, v. g. de Medicamentis ſimplicibus, ubi quidem modi peculiares quandoque obſervari ſolent, uti legitur apud Schröd. *Pharm. l.* 1. *c.* 27. quorum tamen aliquos merito, ceu figmenta & phantaſiæ ſomnia, rejicit Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Dicitur etiam *Collectio* de humorum peccantium in aliquam partem confluxu & coacervatione, unde Inflammationes, aliaque tumorum genera oriri ſolent, Rhod. *ad Scrib. n.* 206. Excell. Dn. D. Maur. Hoffmann. Dn. Affinis, Compater & Collega honoratiſſ. *in Prud. Medic. Diſp.* 23. *Collectio* quoque ſignificat modum quendam cognoſcendi compoſitum, quando videlicet aliquid ſenſu, memoria, & ratione ſimul cognoſcitur, quæ & *Connumeratio* & *Conſummatio*, συναρίθμησις καὶ συγκεφαλαίωσις dici ſolet, Gal. *c.* 1. *de iis*, *q. in medic. t.* 3. Pulſuum quoque *Collectiva inæqualitas* legitur apud eundem *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 30. quæ ex inæqualitate plurium pulſuum eſt conflata. Gr. συστηματικὴ ἀνωμαλία.

COLLEGIUM, συνέδριον, ſignificat ſocietatem aut cœtum certum proborum doctorumque virorum, Gal. *adverſ. Jul. c.* 1. Ita *Collegium* Medicorum & olim fuerunt, qui Medici Archiatri dicebantur, probante C. Hofmann. *l.* 5. *Var. L. c.* 27. Hinc & *Collegiandi ratio* idem ſignificat, quod *Conſultatio Medica* inter plures Medicos, C. Hofm. *Orat. Iſagog.* 2. *p.* 131. Capivacc. *Collegiandi* artem Medicam ſcripſit *Oper. p. m.* 931. *ſeqq.*

COLLESIS, κόλλησις. Vide *Conglutinatio.*

COLLETICUS, κολλητικὸς, h. e. *facultatem habens glutinandi*, & conjungendi diviſas partes, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 2. Unde *Colletica* ſive *Glutinatoria* medicamenta vocantur, quæ diviſas partes in priſtinam unitatem reducunt. Ita P. Æginet. *l.* 7. *c.* 17. emplaſtra κολλητικὰ vocat. Et autem *glutinantium* materia diverſa pro corporum varietate, quæ glutinari debent, v. g. quæ ex argenti ſpuma, ſive lithargyro, oleo & aceto præparantur, imbecillam mollemque carnem glutinant: quæ bitumine, ærugine, ſquama, aloë & myrrha conſtant, robuſtam & duram. Caſtell. & Gorræus *d. l.* Vide *Colla.*

COLLICIÆ dicuntur lachrymalium punctorum in unum ductum in utroque latere concurſus humorem palpebrarum in narium cava derivantes; Occur-

rit hoc vocabulum apud Nic. Stenonem *de Muſc. & Gland. p. m.* 38.

COLLICULUM, idem, quod *Nympha*, νυμφὴ, caruncula membranoſa in pudendo muliebri gemina, rimam vel ſinum tegens, quam etiam in Ægyptiis mulieribus circumciſam fuiſſe voluit Gal. *Introd. c.* 10.

COLLIGAMEN, *Colligamentum*, *Colligatio*, σύνδεσμος, idem, quod *Ligamentum*, de quo vide infra.

COLLIGANTIA eſt nota conſenſus alicujus morborum quoad locum vitiatum, unde & morbi *colligantiæ*, *ſocietatis* aut *connexionis* dicuntur. Blaſ. *Medic. Univerſ. Fundam. p. m.* 21. Uſus & jam olim Conſtantinus de Stomacho *c.* 3. in Operibus Iſaaci annexo.

COLLIQUAMENTUM, in ſpecie Harveo dicitur humor iſte & materia colliquata tranſparens, quæ paucis poſt conceptum diebus propria tunica tenuiſſima atque orbiculari contenta, humoreque eo, in quo fœtus poſtea natat, longe purior, in cujus medio fibræ ſanguineæ & punctum ſaliens (primum futuri fœtus fundamentum) citra ullam præterea cujuslibet rei præſentiam clare diſcernuntur, eſtque prima pars genitalis. In ovo gallinaceo etiam oculus ab eo vocatur, quemadmodum deſcripſit *de Gener. animal. Ex. LXIX. p. m.* 445. Conſentit etiam Bohnius *in Circ. Anat. Phyſiol. Progymn. IV. p.* 54. Colliquamentum genitale fluidum albicans vocans, & nihil aliud eſſe dicens, quam ipſum ſanguinem ſucceſſu temporis purpuram inducentem.

COLLIQUATIO, item *Liquatio*, *Fuſio*, τῆξις, ἔκτηξις, σύντηξις, ἀνάλυσις, diverſimode accipitur pro diverſitate ſubjecti, de quo dicitur. Vel enim dicitur de humoribus utilibus, præſertim ſanguine, quando nimium attenuatur, & ejus fibroſitas aut naturalis glutinoſitas deſtruitur. Hanc etiam agnovit Galen. *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. Unde *Febres Colliquativæ* nomen ſuum acquiſiverunt, πυρετοὶ συντήκοντες, quia ſanguis in illis propter igneas copioſas portiones accenſas & effervefcentes nimium liquatur. C. Hofmann. *de febr. c.* 55. Franc. Piens *Tr. Spec. de febr. c.* 6. *num.* 2. Qualem ſanguinis & reliquorum humorum *colliquationem* etiam producunt Purgantia fortiora, & quædam Venena, uti conſtat *ex noſtr. Diſp. I. de Remor. Purg.* θ. 29. *ſeqq.* Charlton. *Ex. X. Pathol.* θ. 27. Willis *de febr. c.* 12. qui duo per *Fuſionem* expreſſerunt, quod perinde eſt. Vel dicitur de ipſo corpore & ejus partibus, non tam ſolidis, quam humidis, inſinuatis & appropriatis, pinguedine nimis attenuatis, unde ſoliditas corporis imminuitur, & moles carnoſa contabeſcit, quæ alias *Conſumptio* Latinis dicitur. Hinc Hippocr. conjunxit τήκεσθαι καὶ φθίνειν, *colliqueſcere* & *tabeſcere*, 5. *Epid. II.* 10. ad quem locum vide Lind. *Ex. XIII.* §. 192. *ſeqq.* ubi egregie *Colliquationis* naturam declaravit. Et in hac ſignificatione frequentius occurrit ap. Hipp. & Galen. v. g. 2. *aph.* 28. *ſ.* 3. *de iis*, *quæ in medic. t.* 32. *&c.* Vel dicitur de Excrementis, quæ propterea Lat. *Colliquamenta*, συντήξεις, dicuntur, quatenus veluti effectus ſequuntur *Colliquationem* humorum & corporis, 4. *aph.* 21. *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 112. *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 35. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 66. *ſ.* 2. *progno*ſ*t. t.* 35. Unde & veteres difficillime *Colliquationem* ab *excretione* diſtinguere potuerunt, teſte Gal. *de opt. ſect. c.* 28. Imo in hac ſignificatione *Colliquatio* idem eſt, quod *Fluxio Methodicorum*, ſive ῥύσις. Denique dicitur de artificiali, & præſertim Chymica rerum ſolidiorum vi ignis liquefactione, quæ & *Fuſio* appellatur. Rolfink. vocat *Liquefactionem*, eſtque duplex, *ſimplex* & *probatoria*, *Chym. l.* 2. *c.* 2. Wedel. liquefactionem vocavit & fuſionem, quamvis hoc nomen potius de metallis prædicari & mineralibus exiſtimet *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 7. *p.* 46. Imo Ruland. adhuc ſtrictius deſcripſit, reſpiciens ad præpoſitionem *Cum* præfixam, quod ſit plurium fuſilium in igne ad unum compoſitum per igneam eliquationem conjunctio, *in Lex.* Vide *Liquatio.*

COLLISIO, idem, quod *Contuſio*, θλάσις, θλάσμα. Vide *Contuſio.* Alii tamen diſcrimen faciunt inter *Colliſionem* & *Contuſionem*, illam dicentes eſſe ſolutionem continui in oſſe factam, hanc vero in carne. Petr. Martyr Tronus *de vulner. cap. fol. m.* 64. *b.*

COLLISORIUS eſt epitheton motus particularum diverſarum, quæ ſeſe mutuo impingunt & colliduntur, quale quid in fermentatione neceſſario contingit, quemadmodum non ſolum Willis *de fermentat.* docuit, ſed & Cl. Stahlius noviſſime explicavit *in Zymotechnica c.* 2. *p.* 7.

COLLIX, κόλλιξ, ἡ κόλιξ, *paſtillum* vel *trochiſcum* ſignificat, Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 6. *n.* 55. *l. de intern. aff. XXV.* 38. Æginet. *l.* 1. *c.* 27. Vide Foëſ. *Oec. p.* 347. Galen. *in exeg.* Eſt & panis rotundi genus, teſte Ariſtoph. Speciem panis etiam dicit Heſychius, quam ſpecialius deſcribit Erotianus *in ſynagog.* quod ſit placentæ forma, quam alii ἰτρία dicant.

COLLODES, κολλώδης, *Glutinoſus.* Vide *Colla.*

COLLODIUM legitur apud Paracelſ. *l.* 2. *de Vit. long. c.* 9. quid vero ſignificet, non conſtat.

COLLUM, αὐχὴν, vid. *Cervix. Collum uteri* rectius diceretur *Os uteri*, quia intus eſt, ubi uterus deſinit, quam exterior extremitas, quæ mulieris pudendis conjungitur, quæ potius *colli uterini os* non ſine ratione vocaretur, Gal. 5. *aph.* 46.

COLLURIO, eſt nomen avis rapacis, *Lanariorum* genus minus, inter Accipitres vel Falcones minores referendus, cujus iterum ſunt diverſæ ſpecies, majores & minores, de quibus vide Aldrov. *l.* 5. *Ornith. c.* 12. *ſeq.*

COLLUTIO, γαργαρισμὸς. Vide *Gargariſmus.*

COLLYMUS, *Collimus lapis.* Vide *Aetites.*

COLLYRIUM, *Collurium*, Salmaſio ad Solin. κολλύριον, κολλύριον, duabus gaudet ſignificationibus, antiqua & nova. Olim *collyrium* denotavit medicamentum ſiccum, ad inſtar Glandis vel Peſſi, vel Te-

 rundæ,

rundæ, longum, rotundum, cohærenſque ex ſuccis, liquoribus, ſeminibus, fructibus, & metallicis compoſitum, quod in uſum aſſervabatur. Eo vero utebantur intro penitius immiſſo in uterum, in anum, in aures, in naſum. Vid. Hippocr. *l.* 1. *de Morb. LXXX. 6.* Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 13. Unde & vulgo *Glandes*, *Turundæ*, & *Globuli* dici ſolent, Rhod. *ad Scribon. L. n.*142. Hodieque vero de medicamentis Topicis, quæ oculis admoventur accipi ſolet; licet & hæc ſtricta ſignificatio veteribus uſitata fuerit, uti conſtat e Scribon. *n.* 19. *ſeqq.* Rhod. *in not. ad h. loc.* Suntque *Collyria* duum generum. Quædam enim *liquida*, ὑγροκολλύρια, quæ inſtillantur, aut guttatim inſtillantur: quædam *ſolida* vel *ſicca*, ξηροκολλύρια, quæ barbara voce dicuntur *Sief*, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 5. Jungantur alii Scriptores, v. gr. Weker. *Antidot. Gener. l.* 1. *cap.* 45. *Special. l.* 2. *ſect.* 41. Petr. Morell. *in Method. formul. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 4. Schröd. *l.* 2. *c.* 86. Hofm. *in clav.*

COLOBOMA, κολόβωμα, hoc e. *mutilum*, ſive *curtum*, Gal. *l.* 2. *Meth. med. c.* 2. Dicitur de iis, quæ deficiunt, v. g. in labiis, narium alis, auribus, oculorum angulis, quarum glandularum defectus ſpecialiter *Rhœas*, ῥοιὰς, vocatur, de quo vocab. *ſuo loco.*

COLOEOS, κολοιὸς, vide *Gracculus.*

COLON, κῶλον, dicitur Inteſtinum quintum in ordine à ventriculo, ſecundum autem in craſſis, inter cæcum & rectum medium, Gal. *l.* 6. *admin. Anat. c.* 9. quod excrementa ex diſtributione ſegregata ſuſcipit, *Introd. c.* 11. Unde propter ſui latitudinem ipſum ſolum quidam *ventrem inferiorem* appellarunt, 4. *de R. V. I. A. t.* 112. Abſcedit longiſſime à centro Meſenterii, quod non expediat, venas meſaraicas valde exugere ea, quæ continet, excrementa. *Cæco* autem, ut ait Galen. ad portionem reſpondet. Sicut enim Cœcum valde extuberat, globoſumque eſt, ita & *Colon* tota ſui longitudine multos habet medios globos, & veluti cellulas, exiguas quidem, nec tamen tantas, quantas Cœcum, (hoc enim totum veluti quidam venter eſt) ſed ad portionem ejus ſimilitudinemque factas. In eo craſſiores fæces diutius commorantur, donec excernendi tempus appetat. Itaque fit, ut ſæpe ab his male afficiatur, variiſque morbis tentetur, pro contenti excrementi qualitate. Hæc Caſtellus. Quamvis non in omnibus rem acu, quod dicitur, tetigerit, v. g. quod *Colon* à meſenterii centro longiſſime diſtet, ratio hæc potius eſt, quod venæ lacteæ pauciſſimæ adſint, per quas chylus ad centrum illud exprimi & diffluere poſſet, cum jam materia maximam partem ſit excrementitia. Comparatio quoque cum *Cæco* inteſtino non reſpondet Autopſiæ Anatomicæ, qua novimus, in adultis hominibus Cœcum inteſtinum minime amplum eſſe aut extuberare, ſed minuſculum eſſe & anguſtæ capacitatis. De *Inteſtini Coli* & *Cæci* ſtructura vid. Anatomicos, præſertim Barthol. *l.* 10. *c.* 10. *Colon* eſſe locum vel ſedem *Colicæ*, etiam dixit Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. Tr.* 1. *c.* 5. & 6. *in explic. Colo infeſtari*, pro *Colica* laborare, legitur apud Scrib. L. *n.*122. ubi etiam ſæpe occurrit *Coli dolor*, pro *Colica.* Et apud Plinium aliquoties *Colum* pro morbo inteſtinali ſumtum occurrit v. g. *l.* 26. *H. N. c.* 1. reliqua videantur *in Indice.*

COLOPHONIA, κολοφωνία, dicta eſt antiquis *reſina pinea*, quod *Colophone* præcipua apportaretur. Nam & ex Gallia & Tyrrhenia adferebatur. Eadem quoque alio & ſimplici nomine φρυκτὴ dicebatur. Erat autem omnium fere reſinarum maxime parabilis, & in penuria Maſtiches ſubſtituebatur. Præter hanc autem, quæ φρυκτὴ dicebatur, aliam fuiſſe *Colophoniam*, Chiæ maſtichæ perſimilem, & molliens aliquid habentem, uti ſcribit Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. cap.* 3. Hæc Gorræus *p.* 236. Jungantur Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 381. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l. Coloſonia* legitur ſæpius apud Scribon. L. *n.* 137. *ſeqq.* ubi vide Rhod. *in not. ad primum locum. Colophoniam* ex Terebinthina fieri in fundo relictam, teſtatur & Paracelſ. *Tr.* 4. *de Peſtilit.*

COLOR, χρῶμα, quid proprie ſit, & an reale quid etiam in tenebris exiſtens, an vero ſaltem modificatio lucis per reflexiones & refractiones? Phyſicis dirimendum relinquemus. In foro Medico conſideratur, ut ſignum Phyſiologicum ſanitatis, & Pathologicum ſive morboſæ diſpoſitionis in humoribus, corpore ſolido & excrementis in rebus non naturalibus. Imo ad omnes partes miniſtras ſeſe extendit, ut ita *colorum* differentias probe perpendere debeat Medicus, quemadmodum hoc pluribus teſtimoniis ex Hipp. Gal. & aliis confirmari poſſet. *Colores corporum* omnes à ſole dependere dixit Paracelſ. *de peſtilit. tr.* 1. *Colores* non deſignare fictos humores, ſed imitari proprietates vitæ mediæ, atque ſpiſſitudines, inque materia eſſe opera Archei ſeminalis vult Helmont. *tr. Schol. Humor. paſſ. decept. c.* 1. *n.* 49. Emplaſtrum *Coloris incerti* legitur apud Scribon. Larg. *n.* 214. De *coloribus Spagyricis* & Chymicis, præſertim in negotio Lapidis Philoſophici, plura loca quære *in Th. Chym. Vol. I. indice*, ut & *Vol. III. IV. V.*

COLORATIO, *Chromatiſmus*, χρωματισμὸς, ἐπίχρωσις, coloris inductionem, vel ſuperficiarium vel penetrantem ſignificat. Ita veteres colorem unguentis conciliaſſe conſtat ex Scrib. *n.* 228. 230. vide Rhod. *ad h. l.* Ita Oleum Roſaceum olim Anchuſa tingebatur Dioſcor. autore *l.* 1. *c.* 53. Rulandus ſeq. ſpecies *Colorationis* deſcripſit: *Coloratio* per hauſtum liquoris ingredientis eſt frequens admodum modus, per liquidam tincturam, quam res colorandæ potare, ſeu combibere coguntur. Id fit pro natura earum diverſa. Quæ & poroſa ſunt, macerantur in tinctura liquida, vel etiam coquuntur una, aut irrigantur, perfunduntur que ſæpius reſiccationibus interpoſitis, donec color placeat. Ita tingunt vulgo vellera, linamenta, ſerica, pannos &c. *Coloratio* externa eſt, cum ſuperficiebus duntaxat color exaltatur. Id fit variis modis, quibus aliter atque aliter

ter diſponitur ſubjecti facies externa ad lumen diverſimode terminandum, unde oritur color diverſus, iſque in eadem ſpecie illuſtrior & veluti interpollis, vel obliterata priore, ad diverſam nobilior. *Coloratio* per calorem ſolum eſt modus colorandus, cum e potentia in actum, ſeu ex occulto in manifeſtum color protrahitur, adhibito calore duntaxat alteratorio. Neque ſolum principali extractionis fine hoc fit, ſed & inſervit tincturis arcanis. *Coloratio* per abſolutionem eſt, cum fuſcedines ſpirituales, aliæque ſordes colorem obſcurantes, mutanteſque aquis acribus eluuntur, itaque color illuſtratur exaltaturve. Prolixius de *chromatiſmis* vel *colorationibus* egit Libav. *Syntagm. A. Ch. l. 6. c. 2. ſeqq.* De *coloratione Tyria* videatur turba Philoſophor. *ſerm.* 14. *in Th. Ch. Vol. V. p.* 12.

COLORITIUM, vide *Coleritium*. Eſt gradatio coloris per paſtam acutam, quam *coleritium* etiam nominant. Itaque tingendi modus quidam eſt, metallis principaliter deſtinatus; nec valet niſi in ſuperficie. Non enim alte penetrare poteſt, propter corpulentiam, niſi diluatur liquore copioſo paſta, atque ita commutetur in formam lixivii, Rul. *Lex.*

COLOSSINUS, *Coloſſenus*, κολόσσινος, eſt ſpecies vel differentia coloris rubri, ita dicta à colore floris *cyclaminis*, *flos Coloſſinus* dicti, à *Coloſſis* urbe Troadis non procul Laodicea, ubi herbæ illius proventus copioſus, & lanæ eo colore imbutæ commendabantur, C. Hofm. *Var. Lect. l. 2. c. 9.*

COLOSTRUM, πρόφαλις, dicitur lac primum poſt partum. De *coloſtri* lactei uſu & noxa breviter etiam diſſeruit D. Joh. de Muralto *in ſuo Vade mecum Anatomic. Exerc. 1. p. m.* 23. Deinde etiam à nonnullis tribuitur emulſioni ex terebinthina cum vitello ovi paratæ, uti vult Blancardus.

COLOTES, κωλώτης, *ſtellio.* Vide *Aſcalabotes.* Hinc

COLOTOIDES, κωλωτοειδής, *ſtellionum* ſeu lacertorum tunicis *ſimilis*, i. e. variegatus, & variis quaſi guttulis reſperſus. Dicitur de excrementis apud Hipp. *l. 4. Epid. XXIX.* 10. quamvis apud Linden. aliter legatur ὡς ἐν βλεφάροισι κωλώτῃ ἰδέσθαι, &c. Enimvero Foëſ. *in ſua edit.* probat, omnia exemplaria habere vel κωλοτοειδέα, vel κωλωτοειδέα; quæ lectio & nobis veroſimilior videtur.

COLPOS, κόλπος, *ſinum* ſignificat; quando in medio carnoſarum partium humor cum ſanguinis affluxu conſiſtit & putreſcit, & ſibi jam exitum paravit; in hac apertura, vel exulceratione differt ab abſceſſu, Gal. 2. *de iis, q. in med. t.* 27. cum longo tempore cum ſubjectis partibus cutis agglutinari nequit, hujuſmodi affectum *ſinum* nominant Id. *l. 2. ad Glauc. c. 8. princ.* & *l. de tum. p. n. c.* 4. Differt à fiſtula partim flexuoſitate, partim calloſitate, quæ in ſinu non occurrunt. Dicitur & *ulcus ſinuoſum.* In Anatomicis vero & Phyſiologicis *ſinus* dicitur de certis partibus, v. gr. *collo uteri*, quod dicitur *ſinus muliebris*, vel *ſinus pudoris*, κόλπος γυναικεῖος, ἡ αἰδοῖος, Linden. *Med. Phyſiol. l. 2. c. 7. §. 129. ſeqq.* Bartholin. *Anat. l. 1. c.* 30. Et cavitates, quas format reduplicatio meningis craſſæ ſive duræ matris, *ſinus* vocantur, quamvis in Græco κόλπος vocabul. nondum invenerim, ſed Galen. vocat διπλώσεις *l. 9. de Uſ. Part. c. 6.* & κοιλίας, *l. 9. admin. Anat. c.* 1. quorum quatuor communiter numerantur, recentiores vero tres adhuc addiderunt, quos tamen in omni ſubjecto reperiri negat Barthol. *l. 3. c.* 2.

COLUM, ἠθμός, ὑλιστὴρ, eſt id, per quod liquida colantur & tranſmittuntur ad ſeparationem vel depurationem. Græco nomine non differt à *cribro*, ſed Latino; quia *cribrum* dicitur, per quod ſicca trajiciuntur. Differentiæ *colorum* ſunt variæ, cum quoad materiam, tum quoad formam, tum quoad alia accidentia. Materiam præbent carta bibula, linum, lana, cannabis, juncus, metalla. Oblongum lineum *colum*, pyramidis figura, vel laneum dicitur *manica Hippocratis*, *Caligæ.* Ita *colum* novum, rarum, denſum, detritum, ſimplex, duplex, &c. vocatur. Vide Weker. *Antidot. gen. l. 3. c.* 38. De *colo junceo*, id eſt, ſporta juncea vel ſpartea, vid. Scribon. Larg. *n.* 271. & Rhod. *not. ad h. loc.* *Colum* etiam idem eſt, quod *colon*, ſcil. inteſtinum.

COLUMBA, *Columbus*, περιστερά, eſt animal volatile notiſſimum, admodum fœcundum, calidiſſimum, cerealibus vivens: Eſtque vel domeſtica, vel ſylveſtris. Huc pertinent *palumbus* & *turtur.* Quorum omnium prolixam deſcriptionem, genera, differentias, uſum in cibis & medicina, vide ſis apud Aldrovand. *l. 15. Ornithol. à c. 1. ad* 10. Jul. Alexandr. *l. 13. Sal. c.* 3. Bruyerin. *de reb. cibar. l. 15. c. 24. 25. 26.* Adde Schröd. *l. 5. cl. 2. n.* 49. Ejus anatomica hiſtoria quoque ab Ol. Borrichio deſcripta occurrit *in Actis Haſn. Vol. I. Obſ. 96. p.* 185. *ſeqq.* Myſtice & ænigmatice *columba alba* quoque dicitur pulvis albus præcipitatus ex antimon. ungar. cum Aq. fort. commun. deſtill. & in aquam frigidam inſtillatus. Rolfink. *Chym. l. 3. ſ. 1. art. 4. c.* 15. item plumbo ineſſe *columbam albam*, quæ & *ſal metallorum* dicitur, docet Graſſeus *in arca arcani*, in *Th. Chym. Vol. VI. p.* 214. & medicamentum quoddam ex argento vivo ſublimato, & hydrargyro crudo paratum, quod olim *panaceam Cæſaream*, vel *theriacam theriacarum* vocarunt, Quercetan. appellavit *lenem & ſuavem columbam ex omnivoro dracone*, *& aquilam cœleſtem*, teſte Libav. *Apoc. Herm. part. prior. c.* 6. Quis non rideat hunc ſyncretiſmum draconis, *columbæ*, aquilæ? Quid, quæſo, eſt, ἀσύγκλωστα συγκλώθειν, ſi hoc non eſt?

COLUMELLA, κίων, κιωνὶς, *Columna*, item *gargareon*, *gurgulio*, γαργαρεὼν, *uva*, *uvula*, *ſtaphyle*, σταφυλὴ, eſt caruncula membranoſa, vel ſpongioſa, in fine palati à faucibus dependens, vocis inſtrumentum, quod hiante ore conſpicitur, Galen. *in def.* Dicitur & *plectrum*, πλῆκτρον, i. e. vocis refractorium, *lib. 7. de Uſ. P. c.* 5. Ejus deſcriptionem vide apud anatomicos, præſertim

Barthol. *l.* 3. *c.* 12. ubi negat ad vocis formationem facere, cum etiam hac parte penitus abſumta non tamen vox lædatur, quemadmodum & nos obſervavimus. Nic. Piſo tamen exiſtimat vocab. *columella* rectius tribui affectui inflammatorio *gurgulionis*, quando longior tenuiorque fit, ut columnæ modo extendatur, *de M. C. & C. l.* 2. *c.* 1. De morbis *uvulæ* vide apud practicos. Geminam vidit in Hugone Mauritio Gallo Dn. D. Mauritius Hoffmannus Senior, notante hujus filio *in Diſſ. Anat. pag.* 52. *in Act. Hafn. Vol. III. O.* 13. *cum Scholio.* Ab Hippocrate etiam pathologice dicitur morbus in pudendo muliebri, quando pars illa, quæ *turbo* & *columella* à figuræ cum uvula faucium ſimilitudine dicitur, excreſcit. *l. de Nat. Mul. LXI.* 2. 6. *l.* 2. *de morb. mul. XCII.* 1. Jung. Linden. *Med. Phyſiolog. l.* 2. *c.* 7. §. 148.

COLUMNA, κίων, idem, quod *Columella.* Alias & pars carnoſa in medio naſi prominens labio vicina *columna* appellatur, Barthol. *l.* 3. *c.* 10. ex Ruffo *l.* 1. *c.* 4. Gal. *Introduct. c.* 10. Linden. vocat diſſepimentum inter utrumque naſi tubum, *Medic. Phyſ. l.* 2. *c.* 12. §. 10. Latinis *interſeptum.* Alias quid proprie ſignificet *columna*, etiam pueri norunt. De *columnis* in veterum balneis & *columnis miliaribus* lege Lang. *l.* 1. *ep.* 50. Differentiam *columnæ* & pilæ attigit C. Hofm. *comm. ad Gal. de V. P. n.* 495. Tropice quatuor *columnas* medicinæ ſtatuit Paracelſus, *philoſophiam*, *aſtronomiam*, *alchymiam*, & *cultum virtutum*, *præfat. in Paragr.* In *Comment.* vero *ad aph.* 1. Hippocr. virtutem omittit, & *phyſicam* ſubſtituit.

COLYMBADES, κολυμβάδες, dicuntur olivæ muria conditæ, inque ea innatantes. Condiendi rationem Conſtantinus Cæſar explicat, *l.* 9. *c.* 33. *de agricult.* Gorræus *p.* 237.

COLYMBÆNA, κολυμβαίνα, Lat. *Natatrix*, nomen aſtaci, vel *ſquillæ marinæ*, apud Galen. *l.* 8. *de C.M.S.L. cap.* 4. quamvis mihi videatur mendum ſubeſſe, cum nemo alius hujus nominis mentionem fecerit, hinc exiſtimo legendum eſſe *colybdænæ*, κολυβδαίνα, juxta Heraclidem *in Opſartytico* apud Athen. *l.* 3. Vid. Aldrov. *l.* 2. *de Cruſtat. c.* 9. Alias *colybdæna* ſignificat *mentulam marinam*, ſpeciem urticæ Zoophytæ apud eund. de Zoophytis *l.* 4. *de Exanguibus c.* 1.

COLYMBETHRA, κολυμβήθρα, vide *Dexamene.*

COLYMBUS, *Colymbas*, *Colymbis*, κόλυμβος, κολυμβὰς, à natando, κολυμβᾶν, eſt nomen avium aquaticarum, (quaſi dicas *natatrix*, *urinatrix* avis, vulgo ſucher / taucher /) ſuntque duum generum, majores & minores. Quarum deſcriptionem, differentias, uſum in cibis, lege apud Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 51. *ſeqq.*

COMA, τρίχωσις, κόμη, idem, quod *capillitium.* Vide *Crines.*

COMA, κῶμα, id eſt, *ſopor*, ſive propenſio & *delatio in ſomnum*, eſt, cum vigilare ægri nequeunt, non apertos habentes oculos, ſed conniventes, & alto ſomno detinentur, Gal. *com.* 1. *in* 3. *Epid. t.* 7. Vide *Caros.* Hippocrates vero *cataphoram*, καταφορὰν, omnem ad ſomnum propenſionem appellat. Eſt enim in ſomnum delatio, non valentibus infirmis vigilantium munia obire, ſed cum palpebras claudere cupientibus, tum dormire ſperantibus. Cum autem ægri clauſis palpebris dormire nequeunt, ſed plurimum vigilant, *coma* ἀγρυπνῶδες, i.e. *pervigil*, & non ſomniculoſum vocat, *Com.* 1. *in* 1. *prorrh. t.* 1. Aliquando & apud Latinos *marcor* pro *comate* ponitur, Gal. 4. *de ſan. tu. cap.* 4. Marcere enim corpore ſignificat, atque languore & inertia teneri; unde Celſus de lethargo dicit: *Marcor* eſt inexpugnabilis dormiendi neceſſitas; *l.* 3. *c.* 10. Hæc Caſtellus. Enimvero cum hæc non ſufficiant, libet paulo accuratius affectum hunc declarare. Quoad vocabulum κῶμα, *coma*, an à verbo κωμάζω, i. e. crapulæ & comeſſationibus indulgeo, derivandum ſit, uti vult Gal. *l. de Comate c.* 1. Grammaticis relinquimus. Hoc nobis ſufficiat, *coma* & *cataphoram* eſſe pro ſynonymis habenda, cum Galen. 1. *in* 1. *prorrh. t.* 32. & 1. *in* 3. *Epid. t.* 7. Dividitur à practicis in *coma ſomnolentum* & *vigil. Illud* eſt deſiderium dormiendi p. n. auctum cum ore hiante, proveniens à ſpiritibus animalibus, per portiones vaporoſas vel ſeroſas impuras inquinatis, & ad fixationem pronis, intemperiem cerebri frigidam præſupponentibus. Vide ex recentioribus Will. *de An. Brut. Part.* 2. *c.* 4. Differt à lethargo, quod *comatoſi* non ſint oblivioſi, ſed facilius expergiſcibiles. In lethargo ſomnus actu p. n. urgeat; qua ratione & à caro diſcrepat. Hoc ſc. *coma vigil* eſt proclivitas ad ſomnum continua, ſed fruſtranea; plerumque febri, phrenitidi, aut lethargo ſuperveniens, & proveniens à ſpirituum animalium portionibus impuris, narcoticis & vaporoſis craſſioribus inquinatorum, & ita debita activitate deſtitutorum per & propter febrilem efferveſcentiam nimia agitatione, Willis *d. l. c.* 5. Hinc comatodes, qui comate laborant, Erotianus.

COMBIBO, συμπίνω, metaphorice pro *imbibo* dicitur, quando medicamenta liquida à parte, cui applicantur, excipiuntur, & veluti imbibuntur, ita, ut illa huic ſeſe inſinuent. Uſurpatur à Scrib. L. *n.* 20. & 237.

COMBINATIO, idem, quod *concretio*, *compoſitio*, aut *coagulatio late ſumta*, qua nimirum, quæ plura ſunt & ſeparata, ita invicem agglomerantur, ut ex iis unum contiguum, fluidum æque ac ſolidum conſletur corpus, uti prolixius hoc vocabulum expoſuit & per exempla illuſtravit Cl. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. II. per totam.*

COMBINATIVA, ſive *Combinatoria* FERMENTATIO. Vide *Confermentatio*, & *Reſolutivus.* Alias in genere *combinatoria ars Athan. Kircheri* ſignificat artificioſam ſcientiæ ſubjectorum combinationem, in hoc præcipue conſtantem, ut quibuſvis ſubjectis datis vel propoſitis exhibeat, quoties & quot modis ſimul combinari, commutari vel tranſponi poſſint. De quo pro-

lixo opere vide *Acta Philoſophica* Oldenburg. *An.* 1669. *menſ. Dec.*

COMBUSTIO, καῦσις, idem, quod *Ambuſtio*, ſcil. *Ignitio*, corpora comburendo in calcem redigens, Rul. Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 3. Hinc & *combuſtum*, καυθὲν, cum ambuſto (de quo ſupra) coincidit. De *combuſtis* vide Gal. 9. *de S. Fac. in princ.*

COMEDO, *Comeſtio*, *Comeſtum*, ἔδω, φάγω, ἐσθίω, ἐδωδὴ, ἐσθιόμενον, ſunt termini notiſſimi, denotantes aſſumptionem alimentorum ſolidiorum, vel eſculentorum, & ipſa *eſculenta*, ſive cibum. In infinitivo dicitur & *comeſſe*, apud Scrib. Larg. *n.* 12. Subſtantivum quoque *comedo*, Gr. φάγος, in uſu eſt, idem ſignificans, quod *lurco*, ſcil. capacis gulæ hominem, & bonorum ſuorum conſumtorem, ſive qui gulæ ac ventri immodice deditus comedit omnem ſubſtantiam ſuam; unde & à Latinis appellantur tales homines *ventres*, Linden. *Ex. XI.* §. 128. *Comedones* etiam appellantur à quibuſdam medicis vermiculi illi in dorſo infantum & puerorum per poros cutaneos prominentes cum ſubſequente contabeſcentia, qui alias dicuntur *crinones*, de quo vocabulo paulo inferius plura videantur. *Comeſtibile* idem, quod cibus, alimentum.

COMES, nomen dignitatis & prærogativæ. Ita *comes* archiatrorum nominabatur olim unus ex archiatris, quem adhuc prioribus ſeculis *archiatrum* κατ' ἐξοχὴν vocarunt, cui delegata fuit poteſtas arbitrandi in arte, eorumque diſtinguendi conflictus, quos judicare ſolus ſolebat affectus, C. Hofm. *l.* 5. *Var. Lect. c.* 27. Hier. Mercurial. *l.* 4. *Var. Lect. c.* 1.

COMETA, κομήτης, dicitur quaſi *ſtella comata*. Non eſſe Meteoron aëreum, uti voluit Ariſtoteles *l.* 1. *Meteor. c.* 7. clariſſime aſtronomorum induſtria demonſtravit. Sunt vero *cometæ* nihil aliud, quam aſtra extraordinaria inſtar planetarum ſitum ſuum in cœlo varie mutantia, & coma quadam, ſeu capillitio plerumque exornata, pro cujus varia ſitu & figura varia ſortiuntur nomina, (vid. Plin. *l.* 11. *c.* 25.) modo pauciſſimos dies, modo plures uſque ad integrum anni ſpatium durantia. Quorum deſcriptionem ſuccinctam vide ſis in Cl. Dn. Joh. Chriſt. Sturmii *Tabb. Aſtronom. Part. Spec. Tab. X.* & prolixius apud Hevelium *in Cometographia.* An vero fruſtra credatur, (quod idem laudatus autor vult) *cometas*, ut & novas ſtellas, phyſice mala quædam vel efficere, vel præſignificare, adhuc

ὀχθῆσ δὲ μοι κραδίη μίμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι,

ut cum Homero *Iliad.* ξ. loqui liceat. Paracelſus *cometas* per imaginationem animæ majoris mundi erroneam fieri exiſtimat, & ita *zizania* vel *monſtra mundi* vocare non dubitat, *Tract.* 2. *de Peſtilit. c.* 1. Et ex hac hypotheſi *peſtem* viciſſim *cometam microcoſmi* appellavit, *Tract.* 1. *d. tit.*

COMEZ, eſt *gutta ſemis*, Rul. *in Lex.*

COMIDE, κομιδή. Vide *Educatio.*

COMISTE, κομιστὴ, idem, quod τροφὴ, *cibus*, alimentum, à verbo κομέω & κομίζω, curam gero, *alo*, nutrio, Heſych. Hinc derivativum κομιστικὸν, *nutriens*, apud Hippocr. *l. de Affect. XLIX.* 8. Vide Linden. *Ex. XVI.* §. 173.

COMITIALIS *morbus*, aliquando ſimpliciter idem, quod *epilepſia*. Vid. infra *lit. E.* Rationem hujus appellationis duplicem tradunt interpretes: Primum, quod olim concidente epileptico *comitia* interrumpebantur, unde & *ſonticus*, *ſacer morbus* dictus fuit ἱερὰ νόσος, ἢ θεήλατος. Deinde, quod in *comitiis* eo correpti maxime infeſtarentur, & detegerentur, quam rationem etiam medicorum filii maxime amplexantur, Rhod. *ad Scribon.* L. *n.* 12. Rob. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 284. *ſeq.*

COMMAGENUM, κομμαγηνὸν, ſæpe *Comagenum*, epitheton unguenti cujuſdam, cujus meminit Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. quod & *Syriacum* alias dicitur. Vocatum vero ita à *Comagene*, Syriæ parte, ubi fiebat, & unde apportabatur. Vim habuit calefaciendi & relaxandi. Mentio quoque fit apud Gal. *l.* 3. *de San. tu. c.* 10. unguenti *Commacini*, κομμακίνε, cui pares vires tribuit, ſed videtur mendoſa eſſe lectio, & ſubſtitui debere *Commagenum*, quod facilis lapſus ſit, quodque alibi nuſquam *Commacinum* legatur, recte notante Gorræo *in def. d. l.*

COMMANDUCATIO, pro *maſticatione* uſurpatur aliquoties apud Scrib. Larg. *n.* 9. 53. 55. 104. 165. Aliis quoque dicitur *manducare*, *mandere*, *commandere*, Rhod. *in Lex. Scrib.*

COMMEMORO, λέγω, idem, quod *dico*, Galen. *l. de dign. & cur. an. morb. c.* 5. *in pr.* De maxime neceſſariis nihilo pejus eſt bis terve eadem *commemorare.*

COMMENTARIUS, ὑπόμνημα, explicationem alicujus loci, vel rei ſignificat, ſi quid perſpicuum deſideraverit, Gal. *c.* 3. *de art. t.* 44. Dicuntur & ὑπομνήματα, quæ unuſquiſque ſtudioſorum conficit ſibi ex autorum lectione, *commentarii* ſeu libri ad memoriæ ſtudium confecti. *Adverſaria* quidam vocant ex Cicerone. Ab aliis *commentaria* ſignificatu vocabuli hodie non ita trito, C. Hofm. *comm. in Gal. l. de V. P. n.* 869.

COMMENTATIO, ἐξήγησις, explicatio, *explanatio*, ſcil. alicujus ſcriptoris antiquioris, cujus conditiones vide apud Gal. 2. *in* 1. *Epid. t.* 46. *fin.* & 1. *in* 3. *Epid. t.* 4.

COMMERCIUM, κοινωνία, *communio*, Vide *Confluxio.*

COMMI, κόμμι, vide *Gummi*. In genitivo *commis* ſæpe uſurpat Scribon. Larg. *n.* 23. 27. 28. 30. &c. Vide Rhod. *Lex. Scribon.* & *not. ad num.* 72.

COMMINUTIO, θρύψις, λείωσις, Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 8. σύνθλιψις, eſt, cum in minutiſſimas partes per colliſionem rem aliquam redigimus. Dici poteſt & *contritio.* Inſervit ei nonnunquam rei exſiccatio, toſtio, cribratio. Nam cum non omnia ſimul poſſint attenuari ſubtiliſſime, ſper angultum cribrum excutienda ſunt

ſunt ſubtilia, & opus cum craſſioribus repetendum; Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Eſt vel naturalis, vel artificialis. Ad illam pertinet *comminutio*, quæ fit dentibus, præſertim molaribus, Gal. *d. l.* Hæc fit variis inſtrumentis, imprimis autem in mortario. Jung. Rhod. *in Not. ad Scribon. n.* 111. De *comminutionis* ſignificatione diverſa accurate ſcripſit Celeb. D. D. Bohn. *Diſſ. Chymico-Phyſ. VII.* ubi & *attenuatio* dicitur.

COMMISSURA, ξυμβολή. Vide *Junctura. Raphe.*

COMMISTIO, *Commixtio*, σύμμιξις, μίξις, κρᾶσις, à κεράννυσθαι, *permiſceri*, Gal. *l.* 12. *de V. P. c.* 3. cum res diverſæ in unam veluti maſſam, vel acervum, conjunguntur. Quod fieri non poteſt, ut per totum aliquid cum alio miſceatur, niſi prius fuerit comminutum, Gal. *d. l.* Frequentiſſimum etiam in pharmaceuticis vocabulum. Specialiter vero *commiſtionis* ſpecies chymicis ea eſt, cum corpori calcinando vel ſulphur, vel vitriolum, vel ſal culinarium adduntur, iiſque igni admotis res ipſa in calcem redigitur, de qua ſpecie vide plura apud Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 3.

COMMODERATUS, σύμμετρος, epitheton ſani corporis. Vide *Symmetria. Commoderatio* etiam de anni temporibus inter ſe reſpondentibus dici poteſt *argumento* 3. *aph.* 111. &c. videatur Dieterich. Iatrei *ad vocab.* ἄρθρον, *num.* 947.

COMMODUS, ἄρμενος. Vide *Armenos*, *Chreſimos.*

COMMORIOR, ξυναποθνήσκω, dicitur de morbis, qui ad mortem uſque comitari ſolent hominem, Hipp. 2. *aph.* 39. 5. *aph.* 7. Jung. Diet. *Iatr. n.* 591.

COMMOTICA, κομμωτική, ſcil. ars, eſt pars medicinæ à *coſmetica* differens, quod circa fucum & pulchritudinem, vel ornatum adſcititium verſetur: *Coſmetica* vero naturalem tueatur pulchritudinem, Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. C. Hofman. *in Comm. ad Gal. de V. P. n.* 7. Unde & κομμωτικὰ medicamenta dicuntur pigmenta & fucus, quibus mulieres ſuæ formæ lenocinantur, ut vitia naturæ artificio celent. Dicitur Lat. *ars comptoria*, *fucatrix*, à κομμὸς, ornatus fictus, *fucus*, mangonium.

COMMOTIO, ὄχλησις, ἐνόχλησις, ab ὀχλέω & ἐνοχλέω, *commoveo*, moleſtam & tumultuariam agitationem humorum, vel excrementorum, vel materiæ morboſæ ſignificat. De *commotione tartari* legatur Parac. *l. de morb. Tartar. c.* 12. Thom. Willis vocat *effervescentiam immodicam*, quam egregie in vino declaravit *Ex. de ferment. c.* 7. Poteſt & *fermentatio inordinata*, *tumultuaria* vocari. Vide *Arados.* Unde hoc vocabulum pro adæquato genere & ratione formali febrium continuarum habuit Th. Sydenham. *Method. curand. febr. in princip.* Quid per *commotiones ſanguinis activas & paſſivas* in pathologia velit intellectum D. D. Stahlius videatur *in ejus propemptico ad Diſp. Inaugur.* Dn. Chriſtiani Alberti Richteri *de Venæſectionis patrocinio*; ſiquidem omnia huc inſerere nimis prolixum foret.

COMMUNICANTES febres dicuntur, quando in concurſu duarum febrium in uno ægro, decedente paroxyſmo unius, ſtatim & abſque ulla mora ſequitur paroxyſmus alterius. Laur. Bellin. *in Opuſc. Med. tit. de febr. p. m.* 553.

COMMUNICATIO, κοινωνία, dicitur de ſpecie generationis morborum per conſenſum, quando materia morbifica vel per μετάπτωσιν, hoc eſt *tranſmiſſionem* in alium locum relicto priori, vel per ἐπιγένεσιν, h. e. per *novi morbi generationem* ſuperſtite adhuc priori, communicatur. Rolf. *O. ac Meth. Comm. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 5.

COMMUNIS, *Communitas*, vide *Cœnos*, *Cœnotes.*

COMMUTATIO, ὑπαλλαγὴ, μεταβολὴ, idem, quod *mutatio*, de quo infra *ſuo loco.* Vide *Apallage.*

COMPACTIO, idem, quod *Compages.* Quamvis Paracelſus etiam de ipſa corporis & partium ſoliditate, quam congelationem etiam vocat, acceperit, quam à ſale obtinere exiſtimavit *Paramir. l.* 2. *c.* 1.

COMPAGES, *Compaginatio*, ξύμφυσις, σύστημα, *compago*, in genere ſumitur pro ſtructura, & organica denſitate & ſoliditate corporis ſuorumque membrorum. In ſpecie vero unionem, coalitionem, cohærentiam ſignificat, qua oſſa inter ſe uniuntur, Hipp. *ſ.* 2. *de artic. t.* 34. *ſ.* 4. *t.* 31. Dicitur & Hippocrati ξυμφυὰς, 3. *de fract. t.* 63. Ita maxilla inferior ex duobus oſſibus exacte *compaginatis* conſtare dicitur apud Gal. *com. ad dict. primum de artic. locum.*

COMPARATIO, παραβολὴ, dicitur, quando una res cum alia confertur, in quibus conveniat, aut diſcrepet. Oportet enim ea, quæ inter ſe *comparantur*, & in quibuſdam diſſidere, & in quibuſdam convenire, Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 2. Hujuſmodi *comparationum* catalogum prolixum reperire licet ap. eundem, quas conſignavit Aloyſ. Mundella *in Theatro vel Indice Galenico*, & Ant. Muſ. Braſſavol. *in Indic. ad Gal.* Effectus *comparare*, h. e. conferre, ſcil. medicamentorum, legitur apud Scrib. Larg. *n.* 38. *Comparanda* non debent tamen habere magnam inter ſe differentiam, monente Linden. *Ex. XII.* §. 6. ex Ariſtot. 3. *Top.* 1. Legi etiam poſſunt in Theatro Chym. variæ *comparationes*, v. g. Mercurii cum conjugibus, moralium ad chymica, naturæ cum pictore. Enimvero probe notanda quoque animadverſio & cautela Libavii, quod *comparatio* à ſimili non ponat eſſentiam, *Exam. Philoſ. viv. p.* 259.

COMPASSIO, ξυμπάθησις, eſt communicatio affectus, vel affectio per conſenſum, Hipp. *in præcept. XIII.* 1. Vide *Conſenſus.*

COMPENDIUM, βραχύλογος, διδασκαλία, ἐπιτομὴ, σύνοψις, ſuccincta pertractatio dicitur, in qua res ſaltem per ſummas contrarietates proponuntur aphoriſtice, relictis intermediis, ceu ex extremis cognoſcendis, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 4. Hæc diſcendi ratio, licet non careat utilitate ad primam & perfunctoriam cognitionem, inſufficiens tamen eſt, neque artificem facit peritum, uti oſtendimus *in Medic. Dogm. Præliminar. Dogm. I. p.* 3. Ita & Gal. *compendiariam* ἐπιτομὴν experiundi viam,

viam; ceu fallacem, damnat. *l.* 2. *de Temper. c.* 6. *Compendium* etiam pro utilitate, lucro & quæſtu accipi demonſtravit Joh. Rhod. *ad Scrib. n.* 22. & *in Lex.* Scrib.

COMPERTUS, idem, quod *Expertus.* Vid. *Experimentum.* Scrib. *n.* 106.

COMPESCO, συνείργω, accipitur pro reprimo, exicco, abſumo, v. g. carnem luxuriantem in ulcere. Scrib. Larg. *n.* 42. 90. 239. 240. Rhod. *in Lex.*

COMPETENS, τὸ δέον, *Competenter*, δεόντως, dicitur de omni eo, quod ad rem facit, quodque conveniens. Diet. *n.* 179.

COMPLANO, λειαίνω, λιαίνω, ſignificat apud Hipp. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 4. aſperitatem per medicamina tollo. Gal. *in comm.*

COMPLETIO, ἀναπλήρωσις, dicitur de arteriis, ſpiritu à corde ſuppeditato repletis ex mente Eraſiſtrati. Hæc differre dicitur ab *Impletione*, quod in contractione arteriarum non omnis ſpiritus evacuetur. Eſt ergo *Completio* ſaltem additio alicujus ad reſarciendum defectum, Gal. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 17.

COMPLEXIO, *Complexus*, ἐπιπλοκή, συμπλοκή, tripliciter accipitur: 1. pro diverſarum rerum conjunctione, v. g. morborum plurium complexione, unde & *Morbi Complicati* dicuntur, Dieter. *Iatr. n.* 574. ubi ἀλληλοδιαδοχίαν morborum vocat. Ita *febrium complexio* eſt, quando duæ febres diverſis temporibus invaſerunt. *Confuſio* vero, κρᾶσις, quando eodem tempore inceperunt, Gal. *l.* 2. *de diff. febr. c.* 8. Sic pulſuum *complexio* dicitur de differentiis pulſuum compoſitis *l.* 1. *de cauſſ. pulſ. c.* 11. Deinde etiam pro *Coitu* & conjunctione maris & fœminæ, Scribon. Larg. *n.* 18. Denique *Complexio* aliquando accipitur vulgariter pro *Temperamento*, apud Paracelſ. paſſim, Rul. & Iohnſ. *in Lex. Muſculi Complexi* qui dicantur, vide Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 2. *p.* 566. Nervos *complexos* D. Bidloo vocat undecimam nervorum Tab. IX. exhibitorum claſſem, dum pluribus tubulis oriuntur & dum deorſum tendunt, uno complexu omnes continentur ex medullæ caudæ medio corpore prodeuntes &c.

COMPOSITIO, σύνθεσις, quid ſignificet, pueris quoque notum eſt, ſcil. diverſorum conjunctionem, vel coadunationem, Rul. Frequentiſſime dicitur de medicamentorum ſimplicium conjunctione. Unde *medicamenta compoſita*, σύνθετα φάρμακα, vocantur. *Compoſitum* omne naturam ſapere ſimplicium *componentium* demonſtravit Gal. *l.* 1. *de Elem.* 3. Hinc *compoſiturus* medicamenta ſimplicium naturam probe cognitam habere debet, *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 14. *Compoſitus morbus* eſt, qui opponitur ſimplici, & coincidit cum *Complicato*, vel *Confuſo*, *l. de Typ. cap.* 3. De *Compoſitione Philoſophica*, quæ fit per viam lapidis Philoſophorum, deque *Eſſentiis Compoſitis* prolixe legatur Libav. *Alchym. Pharmac. cap.* 32. *alibique.* Aliquando *Compoſitio*, *Compoſitum* abſque additione medicamenti, accipitur pro pharmaco *compoſito*, apud Scrib. Larg. *n.* 5. 8. 10. 26. 200. 205. 253. & *aliis in locis*, de quibus vide in Rhodii *Lex. Scrib.* & ejus notas *p.* 11. Et vocabulum *Syntheſis* etiam ſic acceptum legitur ap. Q. Seren. *c. de lumbric. & tin. purg. verſ. ult. p.* 19. *ed. Keuch.* Vid. not. Keuchen. *ad h. l. p.* 210.

COMPOTATIO, συμποσία, συμπόσιον, οἰνοφλυγία, eſt veluti concertatio cum oblectatione in potando; unde hujuſmodi homines *Compotatores*, συμπόται, vocantur, Galen. *de dignoſc. & cur. an. morb. c.* 6.

COMPREHENSAMENTUM, κατάλημμα, dicitur de tertio interveniente vinculo, in faciendo nodo, Galen. *c.* 2. *de iis, quæ in medicatr. t.* 7. contracte *Comprenſio*, Scrib. *n.* 227.

COMPREHENSIO, κατάληψις, idem, quod firma & vera cognitio, quæ etiam vocari poteſt *Comprehenſiva imaginatio*, cui opponitur *Incomprehenſibilitas*, ἀκαταληψία, Galen. *l. de ſect. ad eos, qui introd. c.* 5. Hinc & *Comprehenſibile*, καταληπτὸν, coincidit cum *Cognoſcibili*, τῷ γνωστῷ, *l. de opt. doc. gener. in princ.* Vide *Catalepſis.*

COMPRESSÆ vulgo vocantur à Chirurgis pulvilli, ſive ſplenia, h. e. panni linei complicati partibus leniter comprimendis accommodati. Blaſ. *Med. Un. p. m.* 72.

COMPRESSIO, θλίψις, θλάσις, eſt modus vel ſpecies anguſtationis cavitatum, canalium, aut pororum, facta ob externæ cujuſdam rei violentiorem contactum. Ita *Compreſſio pulſus*, θλίψις σφυγμοῦ, apud Gorr. *p.* 182. & *Compreſſio ſtomachi*, quæ fit ex ciborum copia ſola quantitate moleſtorum, Galen. *Iſag. in Pulſus, c.* 10. *fere in fin.* Eſt igitur laterum cujuſcunque vaſis, vel canalis, vel pori foriſecus facta adſtrictio, differens ab obſtructione, vel oppilatione, quod hæc fit meatuum anguſtatio ab interpoſito aliquo intus corpore, *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. cap.* 5. & *de diff. morb. cap.* 7. *Compreſſio muſculorum* legitur apud Scrib. Larg. *n.* 84. *Compreſſionis* vocabulum minus accurate ſumſit Paracelſus, per *Compreſſiones Thoracis* intelligens omnes morbos Ventriculi, qui fiunt à Tartari vitio, *l.* 2. *de Tartar. tract.* 1. *c.* 2. & *alibi.* Alias *Compreſſio* idem eſt, quod *Conſtrictio.* Dicitur & *Oppreſſio.* *Compreſſio* pulſus, θλίψις σφυγμοῦ dicitur, quando incipiente paroxyſmo febri ſatis parvi & inæquales notantur pulſus, Gal. *l.* 1. *de differ. febr. c.* 7.

COMPRESSIVA *Medicina* dicitur Avicennæ medicamentum ſiccum, cauſſans in membro ſiccitatem & coadunationem ipſius ad ſeipſam, unde obturatur tranſitus & meatus. Et ex fortitudine compreſſionis & coadunationis partium membri ad invicem coguntur humiditates ſubtiles in ejus concavitatibus permanentes exprimi violenter ex motu ejus oppoſito. Avic. *l. de virib. cord. tr.* 2. *c.* 7.

COMPSEVOMENOS, κομψευόμενος, ſignificat eum, qui ad oſtentationem aliquid perficit cum induſtria, à verbo κομψεύεσθαι, venuſte & oſtentationis gratia facere. Hinc & κομψεία, idem, quod πανουργία, & κόμψευμα, *facetiæ*,

cetiæ, quæ dedecent Medicum, Gal. *l.* 3. *de San. tu. c.* 13. Lind. *Ex.* 10. §. 165. & κομψὸς πανοῦργος, *vaframentum* & *vafer.* Uſus Hipp. 4. *de artic. t.* 43. Vide Gal. *in com.* Foëſ. *Oec. p.* 347.

COMOPORIA, κομμωτικὴ, ſcil. ars. Vide *Commotice.*

COMPUNCTIO, παρακέντησις, & *perforatio*, quæ fit acu, Galen. *l.* 10. *de V. P. c.* 6. Vide *Paracenteſis*, *Thlaſis.*

CONARIUM, κωνάριον, *Conoides corpus*, ſive *Turbinatum*, κωνοειδὲς σῶμα, *Glandula Pinealis*, eſt particula cerebri, veluti firmamentum quoddam, venis à magna vena cava propagatis adjacens, Gal. *l.* 9. *de oper. Anatom. c.* 3. cujus ſubſtantia glandula eſt, figura autem *Cono* perquam ſimilis; unde ei nomen quoque eſt impoſitum. Utilitatem autem eandem eſſe exiſtimant aliqui, quæ eſt Pyloro ventriculi, nam ut hunc confirmant eſſe glandulam, prohibereque ex ventriculo cibum prius, quam is coctus ſit, in tenue inteſtinum transſumi: ad eundem modum & hanc glandulam, *Conarium*, in principio meatus ejus conſtitutam, qui ſpiritum ex medio ventriculo in Parencephalidis ventriculum tranſmittit, cuſtodem quendam eſſe aiunt, & velut œconomum non plures ſpiritus de ſeſe emittentem, quam quantum ſpiritus mitti oportet, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 14. Jung. C. Hofm. *comm. ad h. l. n.* 648. Recentiorum ſententiam de hac *Glandula* videas apud Barth. *Anatom. l.* 3. *c.* 6. Th. Willis *Anat. Cerebr. c.* 14. Warthon. *de glandul. c.* 23. M. Malpigh. *Exerc. de Cerebr.* D. D. Joh. M. Hofmann. *in Not. ad Microcoſm. Horn. p.* 200. *ſeqq.* *Glandulam pinealem* petroſam totam avellanæ nucis magnitudine, ceu cauſam cephalalgiæ continuæ & lethalis obſervavit in cerebro cujuſdam ægri præternaturali capitis figura præditi D. Berlingerius Gipſæus Profeſſor quondam Bononienſis, uti legitur *in Act. Erudit. Lipſ. de Ann.* 1699. *m. Sept. p.* 396. 397.

CONATUS, πεῖρα, πειρασμὸς, ὁρμὴ, ἐπιχείρησις, ſignificat actionis intenſionem fere ſupra vires, & cum quadam violentia. Italis *Sforza* vocatur. Rhod. *in Lex. Scrib.* v. g. *Conatus* in meiendo difficilis doloris plenus in ſtranguria, Linden. *S. M. Ex. XVI.* §. 32.

CONCALEO, *Concaleſco*, *concaleſio*, συνθερμαίνομαι, ſignificat calorem acquiro ab alia re calida, per contactum juncta, Scrib. Larg. *n.* 1. *&* 84.

CONCAVATIO, idem quod *Arcuatio*, de quo ſuperius.

CONCAUSSA, συναίτιον, dicitur, quæ licet affectum ſua vi producere valeat, generat tamen alteri cohærens, ut lapis in veſica & inflammatio. Nam ambæ urinæ ſuppreſſionis cauſſa ſunt, etſi per ſe utraque illam generare poſſit, Gal. *Introd. c.* 8.

CONCAVUS. Vide *Cavus.* In ſpecie *Concavum metallicum ardens* vocatur ſpeculum quoddam, omne genus metalli, ipſum etiam ferrum breviſſimo temporis ſpacio fundens, de quo videatur Relatio Pariſiis miſſa. *in Actis Philoſophic.* Oldenburgii *Ann.* 1669. *in Julio.*

CONCEDO, ἐνδίδωμι, idem quod *Remitto.* Ita *concedere* inflammationem, tumorem, duritiem &c. Dicitur Gal. *c.* 2. *in progn. Hipp. t.* 73.

CONCENTRATIO, eſt terminus Chymicus, qua vis medicamentoſa, ſive ſpiritus, ſive ſalis, ſive ſulphuris in concreto quodam intrinſece coërcetur & veluti in centrum repellitur, v. g. in Mercurio ſublimato, quod eſt concretum quoddam ſaleſum tertium ex Mercurio vivo & ſpiritu Salis, hic *concentratus* obſervatur, unde formam albam cryſtallinam repræſentat. Imo adhuc generalius terminis *Concentratio* & *Concentratus*, *a*, *um*, utuntur de medicamentis ſuis arcanis & quaſi catholicis jactantes eorum novas & inauditas vires contractamque veluti in exilis centri magnitudinem copioſam & vehementem efficaciam, ut verba D. D. Pechlini *l.* 11. *Obſ. Phyſ. Med. O.* 8. *p.* 217. mea faciam. Ita hodieque Halenſis Eſſentia dulcis *concentrata* nimium quantum pretio & encomio extolli ſolet. Dicitur alias de calore intrinſecus coërcito, qui etiam *Concentratus* vocatur.

CONCENTUS, ἁρμονία. Vide *Harmonia.*

CONCEPTACULUM, ἀγγεῖον, idem, quod *Vas.* Vide *Angos.*

CONCEPTIO, κύησις, eſt ſeminis comprehenſio in uteris mulierum ad fœtus generationem, ejuſque retentio, Dieter. *Iatr. n.* 486. Galenus dicit, eſſe motum contractionis uteri, dum ſemen in ſeipſum ejaculatum amplectitur, veluti manu quadam avidiſſime, *l.* 1. *de ſem. c.* 2. Inter recentiores nondum certo conſtat, an *Conceptio* in utero fiat, an vero in tubis? quod ſuſpicatur Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 27. An maſſa ſeminalis à maſculo concurrat ad *conceptionem*? quod negat Guil. Harvæus *de gener. anim. & in ſpecie appendic. Exerc. de Conceptione*, quam tamen hypotheſin reprobavit Barthol. *d. l. c.* 28. Noſtrum jam non eſt arbitria facere de his quæſtionibus. Quid? quod magna adhuc inter recentiores ſagaciſſimos etſi naturæ rimatores Phyſiologos & Anatomicos occurrat diſſenſio, ut animus lectoris fluctuet, dubiique ſit conſilii, cui velit aut poſſit aſſentiri. Ita licet hodieque pro rata habita fuerit Harvæi ſententia, quod ſeminis maſculi moles corporea nihil ad fœtus materiam conferat, neque in viviparis, neque in oviparis, ſi tamen fides habenda Antonii de Leewenhoek Anatomiæ & Contemplationi Epiſtolicæ, quando obſervaſſe ſe ſcripſit, in ranis maſculis ſuper fæmellas inſidentibus, quod ovis harum communicaverint animalcula, quorum incomprehenſibilem numerum in teſticulis diſſectis etiam invenit, ut & alia huc facientia, quæ ibi videantur, ita ut Vir ille curioſus non dubitaverit animi ſui ſenſa exprimere, quod ſibi videatur ex ſolo maſculorio ſemine fructum

ctum prodire, fœminam vero inſtar naturæ agri fructum tantum fovere, alere atque augere, quis inter eos arbitrum ſe ſiſtet? *Conceptio* Spagyrica in negotio lapidis Philoſophici dicitur, quando materia candida, ceu mulier myſtica, ſive Mercurius, & ſpiritus rubeus tingens, ceu maritus, poſt fermentationem à calore externo inductam, (quæ *Conjugium* & *Amplexus* vocantur) quieſcunt in vitro Hermetico, Libav. *Apocal. Herm. part. poſter. T.* 2. *p.* 395.

CONCEPTUS, τὸ κύημα, eſt illa maſſa, ex qua formatur fœtus in utero. Vocatur & *Ovum*, aſſerente Harvæo *Exerc. I. de gener. anim.* qui omnia animantia, etiam vivipara, atque hominem adeo ipſum, ex ovo progigni, primoſque eorum *conceptus*, e quibus fœtus fiunt, ova quædam eſſe credidit, & hodieque ſuos invenit adſtipulatores: Nos in medio relinquimus, præſertim, quod inter noviſſimos hypotheſin hanc de ovario & ovis in animalibus viviparis in dubium plurimis argumentis vocaverit Joh. Hieronym. Sbaragli Medicus Bononienſis, quæ ſi fuerint ſufficienter ſoluta, & nos poſtmodum de Generatione ex ovo ſententiæ prompte accedemus. Dicitur & *Conceptum* apud Scribon. Larg. *in epiſt. p.* 3. *ed. Rhod.* Vide *Fœtus.*

CONCESSIO, *Conceſſum*, ἐνδεχόμενον, id, quod licet, 1. *aph.* 7. Diet. *n.* 288.

CONCHA, *Conchula*, κόγχη, κόγχιον, varias habet ſignificationes. (1) notat animal *Teſtaceum* omne, ſive lævibus ſ. teſtis aſperis præditum; aliquando tamen contradiſtinguitur à Purpuris, Cochleis, Oſtreis, Conchyliis, uti prolixe oſtendit Aldrov. *l.* 3. *de anim. exanguib. c.* 1. De *Concharum* virtute Medica vide præter d. Autor. & Schröd. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 78. Harum omnium ſuccum ventrem ſolvere teſtatur Gal. *l.* 3. *de S. Fac. c.* 15. (2) ſignificat apud Anatomicos cavitatem auriculæ, & auris externæ præcipuam partem, inter Helicem & Anthelicem, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 9. quamvis & *Cochlea* poſt membranam tympani occurrens *Concham* vocaverit, *libell.* 4. *c.* 6. (3) Veteres quoque, præſertim Comicos, pudendum muliebre *Concham* vocaſſe, clare demonſtravit Rolf. *Ord. & Meth. part. gener. dic. Part.* 2. *c.* 33. (4) *Concham* etiam vocari patellam in genu, vult Gorræus *in def. p.* 233. quamvis alii *Conchum* dicant. (5) Diverſa quoque vaſorum & menſurarum genera denotat. Ita apud Hippocr. menſuram ſignificat, Græc. σκαφὶς dictam, quæ *Conchæ* capacitatem æquet, & myſtra duo contineat, ſive drachmas ſex ponderis, *l. de nat. mul. XXIX.* 2. *l.* 1. *de morb.mul.CVI.*6.*CIIX.*33. Vide *Cheme*, & Foëſ. *in Oec. p.* 343. *Concha* quoque dicitur labrum, vel vas æneum, ſeu pelvis tonſoria, Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 54. Item alveolus vitreus, ſive vas vitreum, in modum alvei formatum, cum ore & manubrio, Rul. *in Lex.* De *Conchis* ſaxatilibus ſive lapideis vide *A.* 3. *Ephem. Nat. Cur. Obſ.* 70.

CONCHIS, *quaſi concha*, dicitur faba cum valvulis, ſive involucris cocta, demonſtrante Rhodio *ad Scrib. Larg. n.* 233.

CONCHUS, κόγχος, vel idem eſt, quod *Concha*. Vel ſignificat aliquando Cranium. Cavitates quoque oculorum *Conchi* dicuntur Polluci. *Conchum* Græcorum fuiſſe vilem cibum, & facilem paratu, vult Lind. *Ex. X.* §. 74.

CONCHYLIS, κογχυλὶς, *Conchylium*, κογχύλιον, idem, quod *Concha*, Scribon. Larg. *n.* 191. In ſpecie vel eam denotat, quæ *Purpura*, πορφύρα, dicitur, cujus deſcriptionem, ſpecies, & uſum vide apud Aldrov. *d. l. c.* 5. Meminit prioris vocabuli Rob. Keuchen. *in not. ad Q. Seren. p.* 252. 295. Vel *Conchylium* alias accurate loquendo differt à Purpura, Buccino, aliiſque conchis, eſtque peculiaris oblonga ſpecies, quam deſcriptam invenies apud d. Aldrov. *l. c. c.* 15.

CONCIDENTIA, ξύμπτωσις, σύμπτωσις, idem, quod *Collapſus*, de quo ſupra. Cui opponitur μετεωρισμὸς, aut ἐπίδοσις εἰς ὄγκον, craſſities, & in molem majorem elatio. Meminit τῆς ξυμπτώσιος, Hippocr. 1. *aph.* 3. Cauſſa *Concidentiæ* corporis & vaſorum eſt nimia evacuatio & repentina, Dieter. *n.* 588.

CONCINNITAS, ἁρμονία, vide *Harmonia.* Alias *Concinnare* ex diverſis aliquid conficere ſignificat. *Cinnus* autem eſt commiſtio plurimorum, & in ſpecie potionis genus ex multis liquoribus confectum, ita dici ſolet teſte Non. Marcello. Hinc & *vinum Concinnatitium* idem, quod Factitium, σκευαςὸς οἶνος. Vide Linden. *S. M. Ex. X.* §. 198.

CONCOAGULATIO legitur in Robert. Boyle *Exerc. de nat. determin. effluv. c.* 2. *edit. Lat. Genev. p.* 22. 23. & denotat diverſorum ſalium ſimul diſſolutorum & ad cryſtalliſandum ſepoſitorum concretio mixta in cryſtallulos mixtam figuram obtinentes.

CONCOCTIO, πέψις, πεπασμὸς, idem, quod *Coctio*, de quo vocab. vide *ſupra.*

CONCORDIA, *Concordantia*, συμφωνία, dicitur, quando plures autores in una aliqua re, vel materia conſentiunt, quod optimum eſt hiſtoriæ judicatorium, Gal. *de ſubſig. Empir. c.* 10. & nihil magis fide dignum, quam *Concordia* ſuſpicione carens, *l. de V. S. adv. Eraſiſtratum, c.* 5. Sumitur & à Paracelſo pro Harmonia & *Concentu* tropico rerum, v. g. Elementorum: quam tamen parabolicam *Concordantiam* non incongrue reprobat Libav. *T.* 4. *de Philoſophia Harmonica Magic. Fratr. Roſ. Cr. p.* 283. Dicitur & eidem *Conformitas.*

CONCRETIO, πῆξις, σύμπηξις, eſt materiæ liquidioris in maſſam ſolidiorem condenſatio. Ferme coincidit cum *Congelatione*, ut patet ex Willis *de ferment. c.* 12. §. *Congelatio.* Ita de Gypſo poto ſcribit Scribon. Larg. *n.* 182. quod in aliqua parte ventris concreſcat, id quod potum eſt, & tactu quaſi ſaxum percipiatur. Hinc *concretile*, πηκτὸν, dicitur, quod condenſari & indurari poteſt, Gorr. *pag.* 372. Linden. *Exerc. V.* §. 117.

CONCUBITUS, συνουσία, idem, quod *Coitus*. Vide *ſupra*.

CONCUPISCENTIA, ἐπιθυμία, & *Concupiſcibilis facultas*, ἐπιθυμητικὴ δύναμις, eſt vis animæ ſenſitivæ, qua deſiderat & expetit objecta talia, quæ ſibi conveniunt, v. g. alimenta, & omnis generis voluptates. Hæc *cupiditas* conſiſtit in ſpirituum animalium cujuſque partis propriorum motu vegetiori, & expanſione ampliori, juxta Willis *de An. Brutor. Part.* 1. *c.* 9. Jung. Charlton. *Ex. IIX. Patholog.* §. 28. Dicitur & Gr. ὀργασμὸς, *turgeſcentia*, nam qui turgent ab aliqua materia, titillantur, commoventur & concitantur; unde & per *concupiſcere* à poſteriori explicari poteſt, Diet. *n.* 624. *Concupiſcentia* ſi exceſſerit, quomodo debeat corrigi, docet Rolf. *O. ac M. Com. Gen. l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 8. hauddubie ex Gal. *l. de cognoſc. & cur. anim. morb. c.* 6.

CONCURSUS, συνδρομή. Vide *Syndrome.*

CONCUSSIO, τὸ ῥῖγος, Galeno idem, quod *Rigor.* Vide *Rigor*, item *Cataſeiſis.*

CONDENSATIO, πύκνωσις, vel obſtructio meatuum corporis facta à refrigerantibus, adſtringentibus & ſiccantibus. *Condenſatio* artificialis dicitur & *Inſpiſſatio*, de quo *infra lit.* I. Gorr. *p.* 395. Unde *Condenſantia medicamenta*, πυκνωτικὰ φάρμακα, omnia frigida ſunt, quare poros cutis, & meatus in unoquoque corpore *condenſant* & contrahunt : cæterum inſtrumentum undique totum conſtringere nequeunt, *Gal. l.* 5. *de S. F. c.* 14. Coincidunt ferme cum *Incraſſantibus*, παχυντικοῖς.

CONDIMENTUM, ἥδυσμα, ἄρτυμα, dicitur, quicquid cibum reddit gratiorem, ita, ut non per ſe ſit edendo, ad ſuavitatem tamen alimentorum conferat, Gal. *l.* 4. *de S. F. c.* 16. præſertim, ſi fuerint acria, *c.* 17. Inter *Condimenta* Sal primas merito tenet, judicio Scholæ Salernitanæ, vid. Renat. Moræum in eandem *de conſerv. valet. c.* 8. & 9. *p.* 145. *ſeqq.* C.Hofm. *l.* 5. *Inſt. c.* 13. &c. Alias ἡδύσματα, dicuntur *Unguenta* ipſa, quibus ad ſuavitatem odoris *Aromata* adjuncta ſunt; alii non unguenta, ſed *aromata* ipſa ſic appellant, juxta locum Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXI.* 1. Imo in genere ἡδύσματα dici poſſunt, quæcunque rem aliquam jucundiorem reddunt, quemadmodum Gal. *l.*3. *de alim. fac. c.* 11. pinguedinem & adipem carnium *condimenta* eſſe dixit; & Plut. quietem laborum ἄρτυμα eleganti metaphora vocavit.

CONDITIO, κατάστασις, *Conſtitutio*, vide ſupra *Cataſtaſis.* Cui addi poterit *Conditio ægri* ſcitu neceſſaria; de qua eleganter Lindenus. *Conditionis* notitia cum plurimum conferat ad notitiam cauſſæ, Hipp. ipſe hanc jubet interrogando protinus bene inquirere. *Exerc. VIII.* §. 24. Paracelſ. per *Conditionem* intelligit unam & ſimplicem qualitatem, v. g. caliditatem, frigiditatem &c. quatenus opponitur *Complexioni*, ſive Temperiei, quæ in miſtione qualitatum conſiſtit, *Paramir. l.* 1. *c.* 4.

CONDITOR, pen. brev. δημιουργὸς, idem, quod *Creator*, *Opifex*, de Deo & de natura dicitur, Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. & *alibi. Conditor* etiam profeſſionis dicitur Hippocrates à Scrib. Larg. *in ep. ad C. Jul. Calliſtum.*

CONDITOR, pen. long. dicitur, qui rem aliquam artificioſe præparat, ut vel aſſervari melius, vel gratior fieri poſſit, v. g. qui ſaccharo res palato gratiores reddit. Gr. ὀψαρτύτης, (cur non & ſimpliciter ἀρτύτης ?) Ita & ταριχευτὴς in ſpecie dicitur, qui ſale carnes condit & aſſervat. Vide plura p. p. ad vocab. *Conditura.*

CONDITUM, κονδῖτον, ἀρτυτὸν, in genere ſignificat omne id, quod artis opera gratum redditum eſt, ſive alimentum, ſive medicamentum fuerit, vid. Schröd. *l.* 2. *c.* 46. In ſpecie variis cupediis compoſitis, qua alimentoſis, ſolidis & liquidis, qua medicamentoſis tribuitur. Ita vinum aromatibus *conditum*, aliis Mulſum *Conditum* vocabatur. Gal. *de facile parabil. tit. de Obſtructione renum.* Vid. Foëſ. *in Oecon. p.* 348. An idem cum Vino Hippocratico dicto, ſive *Clareto*, de quo ſupra ? Ita quoque formula Medicamenti ſuavis conſiſtentia Electuariis & Conſervis ſimilis, ex variis & ſuavibus parata, *Conditi* nomine venit. Dicitur & quibuſdam *Opiata*, Morell. *l.* 1. *Meth. præſcr. form. rem. ſect.* 2. *c.* 4. Ita legitur *Conditum* ſuave e pyris & perſicis paratum, apud Claud. Deodatum *Panth. Hygiaſt. l.* 1. *c.* 29. Dicitur *Conditum Compoſitum* Wekero *Antidot. gen. l.* 1. *c.* 32.

CONDITURA vel idem ſignificat, quod *Condimentum*, ἄρτυμα, materia illa qua aliquid *conditur*, ſal, ſaccharum, muria, aromata &c. vel denotat modum condiendi, & artem, Gr. ἄρτυσις dictam, qua alimenta vel medicamenta alioqui faſtidioſa palato & ſtomacho grata redduntur, aut etiam in longius temporis ſpatium integra aſſervantur, Weker. *Antid. gen. l.* 3. *c.* 23. Tranſlatum hoc quoque vocabulum ad corporum mortuorum præparationem, ne putredine tam facile pereant. De hac *Conditura* Cadaverum lege ſis Foreſt. *l.* 29. *Obſ.* 29. Rolf. *tr. de purgant. ſect.* 1. *art.* 2. *c.* 43. *ſeq.* ubi σμυρνισμὸν vocat. Latine etiam dicitur *Balſamatio.* Sub quo titulo etiam D. Gabriel Clauderus tractatum conſcripſit. Verum diverſos modos Balſamationis, cum veterum, tum Clauderi & Bilſii ventilavit D. Tobias Andreæ, uti conſtat *ex Actis Erudit. Lipſ. A.* 1683. Modum quoque *conditura* vaſorum & viſcerum exenteratorum peculiarem habuiſſe D. Bilſium ex Anatomicorum ſcriptis hodieque conſtat.

CONDUCTIO, σπασμὸς, idem eſt, quod *Convulſio.* Cæl. Aurel. *Acutor. l.* 3. *c.* 6. *p. m.* 182.

CONDUCTOR appellatur inſtrumentum Chirurgicum, Terebræ, qua caſei explorari ſolent, non abſimile, concavum, quod in Lithotomia poſt factam inciſionem in ſulcum catheteris immittitur, ut catheter eximi poſſit. Blaſ. *Med. Un. p. m.* 72. 341.

CONDYLOMA, κονδύλωμα, eſt carnis excreſcentia

callоſa

calloſa in digitis manuum ac pedum, præſertim vero circa anum & pudenda muliebria occurrens, ſic dictum, quod promineat in modum articuli, quem κόνδυλον appellant. Ideo vero præcipue in ſede oritur, ruga aliqua corporum in ano reduplicatorum inſurgente, ac præter naturam intumeſcente. Quum enim ſinuoſus ſit anus, rugas coagmentatas habet; ubi vero amplius intumuerit, tunc fit *Condyloma*. Et aliquando quidem citra inflammationem fit, & molle eſt, quandoque vero cum inflammatione, tumque durum eſt & dolorificum. Hæc Gorræus *p.* 238. Caſtellus. Enimvero omnino etiam cauſſam ſupponunt morbificam, portiones ſucci nutricii corruptas & excrementitiis mixtas, quandoque de malignitate venerea, vel Gallica participantes, Parac. *de nat. & orig. morb. Gall. l.* 8. *c.* 1. Ad *Condylomata* ceu ſpecies pertinent Thymus & Ficus. Ionſton. *Synt. Med. Noſocomic. l.* 5. *tit.* 4. *c.* 1. Medicamenta topica adverſus *Condylomata* lege apud Scrib. Larg. *num.* 224. *ſeqq.* Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 6. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 10 *& l.* 4. *c.* 13. Hæmorrhoides quoque cœcæ vel protuberantia venæ hæmorrhoidalis vocatur κονδυλώδης αἱμοῤῥοῒς Hippocr. *de hæmorrhoidib. III.* 12. 13. item ſimpliciter κονδυλώσις, ut *hæmorrhois* indicetur, quæ tuberoſam habet eminentiam, & ab ea, quæ mori fructum refert, diſtinguatur, Foëſ. *d. l.*

CONDYLUS, κόνδυλος, i. e. *tuberculum, nodus*, dicitur gibboſa explanatio radii & cubiti, quæ carpo dearticulatur; ob id etiam aliquando *capita* dicuntur, & *apophyſes*, Gal. *l.* 2. *de V. P. c.* 2. Dicuntur & *epiphyſes*, i. e. *artuum capita*: ubi enim os medullam habet, ejus finibus utrinque caput inſtar operculi cujuſdam, utplurimum vides adnaſci, *l.* 10. *de V. P. c.* 18. Vide *Articulus*. Deinde & vocabulum κόνδυλος ſignificat præternaturalem protuberantiam in dentibus, apud Hipp. *l.* 4. *Epidem. IX* 8. *XVII.* 8.

CONFECTIO, *Confectum*, vel accipitur pro *ſubactione*. Ita *confectum* thus legitur, κατειργασμένον, aceto acerrimo, apud Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 1. Vel *confecta* dicuntur materiæ ſaccharo ſicco obductæ, & ceu tectorio quodam obductæ, quod artificium *confectionis* nomine venit, Weker. *l.* 1. *Antidot. gen. c.* 48. Schröd. *l.* 2. *c.* 47. Quin & tabulæ, morſuli, rotulæ, *confectiones ſolidæ* vocantur, Weker. *d. l. c.* 42. Imo & electuaria quædam confortantia, vel cardiaca, *confectionis* titulo inſigniuntur, uti conſtat de decantatiſſima *confectione alkermes*, de qua videantur diſpenſatoria, Schröd. Rolfink. & alii. Huc pertinet *confectio humana* ad oculos, cujus deſcriptionem vide apud Rolf. *O. ac M. l.* 7. *ſect.* 2. *c.* 2.

CONFERENS, ξυμφέρον, à verbo ξυμφέρω, συμφέρω, *confero*, apud Hipp. ſignificat, quod utile eſt, & prodeſt, ſcil. ad ſanitatem. Eſtque unum criterium ex duobus, quo dignoſcitur omnis indicati, vel remedii in methodo conſervandi ſanitatem & medendi certitudo & veritas; præprimis evacuationum criticarum & ſpontanearum; *ex* 1. *aph.* 2. *&* 4. *aph.* 47. Hinc & loca illa, per quæ hujuſmodi evacuationes fieri ſolent, dicuntur χωρία ξυμφέροντα, loca *conferentia*, i. e. lege naturæ commoda, 1. *aph.* 21. Ita & de anni tempore accipitur, v. g. de autumno aquilonio & ſicco, 3. *aph.* 14. Huic opponitur ἀσύμφορον, *inutile*, damnoſum.

CONFERMENTATIO, dicitur *Fermentatio combinativa*, ſive *combinatoria* ad differentiam *fermentationis reſolutivæ*, eſtque motus efficientis in materia principiorum ejus pro circumſcriptione loci, temporis & caloris conjunctivus, quemadmodum eam prolixius deſcripſit D. D. Stahl. *in Diſquiſ. eleganti de Sanguificat. c.* 3.

CONFERTUS, *Confertim*, ἀθρόος, ἀθρόως. Vide *Athroon*.

CONFIBULA, CONFIBULATIO, ſunt termini potius Architectonici, & confibulæ dicuntur tanquam duplices fibulæ, quæ ſi quando quid hiet & aperiatur ad conſtringendum utrinque & comprimendum adhibentur, interpoſitis & interculcatis etiam cuneis, Rhodius *de Acia cap.* 4. *p.* 8.

CONFIDENTIA, vide *Fiducia. Eutolmia.*

CONFIRMAMENTUM, dicitur aſtri corpus in homine, vel corpus ſidereum & aſtrale, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CONFIRMATIO, ἰσχύρισις, *affirmatio*, & *confirmaturio*, ἰσχυραίνω, ἢ διισχυραίνω. Vide *Iſchyreſis*. Alias & *confirmare* idem eſt, quod *confortare*, reficere. Scribon. Marg. *n.* 104. 107. & de iis remediis, quæ dentes confirmant, *n.* 57. 59. 60. Græce dici poſſet ἱδρύομαι, fixam ſedem acquiro, *ex* 4. *aph.* 11. ubi de hydrope ſicco dicitur, quomodo *confirmetur*.

CONFITA, i. e. fex liquida ſtyracis. Pharmacop. Londin.

CONFLUENTIA, terminus Paracelſicus, ſignificans *concordantiam* & conjunctionem, vel confœderationem microcoſmi cum aſtris, morbi cum remediis, *l.* 2. *de podagr. morb.*

CONFLUXILE, σύῤῥουν, Gal. *l.* 1. *Meth. Med. c.* 2. Vide *Confluxio*.

CONFLUXIO, ξύῤῥοια, terminus eſt Hippocraticus, in loco notatu & explicatu digniſſimo *de Aliment. IV.* 24. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα. *Confluxio una*, *conſpiratio una*, *conſentientia omnia*. Et mirum, Foëſium horum terminorum expoſitionem *in Oeconomia ſua Hippocratica* neglexiſſe. Quam certum vero eſt, per *confluxionem* & *conſpirationem* hoc in loco intelligi admirandum illum corporis humani omniumque partium non tantum ſolidarum, ſed & humorum ſpirituumque vitalium & animalium conſenſum, concordantiam, & mutuam operam; ut recte Galenus *l.* 1. *meth. m. c.* 6. Totum corpus *conſpirabile* & *confluxile* idem eſſe, ac ſi dixiſſet Hippocr. omnes particulas mutuo à ſe affici; Ita qua ratione hoc in omnibus ac ſingulis fiat, optandum eſſet, ut aliquis accurate & ex veris principiis oſtendere ſibi proponeret. Dicitur & Latinis *commercium*, *conſortium*, κοινωνία. Confer ad Galen. *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 12. *l.* 3. *de fac. nat. c.* 13.

CONFOEDERATIO, Paracelſo idem, quod *confluentia*, *commercium*, *conſenſus*, *tr. de Tabe.* §. *contraria.*

CONFORMATIO, διάπλασις, eſt ſecunda ſpecies, vel differentia eſſentialis, aut modus conſiderandi ſubjectum medicinæ, hominem, quoad organicam ſtructuram vel ſoliditatem, & ſub ſe comprehendit quatuor ſpecies vel claſſes, 1. *conformationem* ſtricte dictam, διάπλασιν quoad *figuram*, σχῆμα, quoad *cavitates* & *meatus*, κοιλίας ἢ πόρους, & quoad *ſuperficiem*, ἐπιφάνειαν. 2. *Magnitudinem*, τὸ μέγεθος. 3. *Situm* vel *poſitum*, θέσιν ἢ κοινωνίαν. 4. *Numerum*, τὸν ἀριθμόν. Quæ *conformatio* & ejus ſpecies, ſi præternaturaliter ſeſe habuerint, dicuntur *morbi malæ conformationis*, vel morbi organici. Videantur inſtitutioniſtæ, in ſpecie *Dogmata noſtra Part. I. c.* 3. *& Part. II. c.* 4.

CONFORMITAS, vide *Concordantia.*

CONFORTANS, *Confortativum*, Græce dici poſſet, κραταιωτικὸν, βεβαιωτικὸν, aut καρδιακὸν, quaſi cordiale, eſt terminus technicus, pharmaceuticus & chymicus, diciturque de medicamentis, quæ corda hominum atque naturam corroborant, ut virtus expulſiva ejus valeat accidentia noxia quævis excludere. Potiſſima totius medicinæ methodus, in qua totus ſpagyricus labor inſudat, (utinam ſe res ita haberet!) Nam ſibimetipſi natura medicus eſſe debet. Homo, cui medici nomen tribuitur, miniſter naturæ tantum & ſervus veri medici. Si quid ultra præſumat, temerarium eſſe naturæ perſecutorem, imo perditorem, dicimus, quemadmodum terminum expoſuit Ruland. *in Lex.* & de verbo ad verbum ex illo Iohnſonus. Clarius *confortantia*, vel *confortativa* deſcribi poſſunt, quæ humorum, potiſſimum ſanguinis & liquoris nervoſi, ſpirituoſitatem, vitalitatem & activitatem, in quibus potiſſimus naturæ vigor conſiſtit, ocyus promovere valent. De vi *confortativa* macrocoſmica & microcoſmica vide Paracelſ. *de trib. prim. Eſſent. c.* 9. An vero in auro talis ſit vis *confortativa* cordialis, quemadmodum idem ſtatuit, ut & in ſmaragdo, non abſque ratione hodieque in dubium vocatur. Quid? quod de gemmis & coralliis, in quibus tamen evidentior adhuc vegetabilitas, non veriti ſint dubitare. Imprimis vero hanc materiam ventilarunt Petrus Monavius & Thomas Eraſtus, quorum ille vim *confortantem* auri & gemmarum defendit; Hic vero negavit. Legantur hac de re *epiſtolæ* à Laur. Scholzio *collectæ ep.* 208. 209. *ſeqq. &* 291. *ſeqq.*

CONFRICATIO dicitur in pharmaceuticis ſpecies trituræ, eſtque levis quædam attritio, per quam res facile pulverabiles digitorum friatu, aut ſolidioris corporis *confricatu* cito levigantur, ut amylum, ceruſſa, quæ ſtatim ut *confricantur*, pulverantur, ſicque *confricatio* & *attritio* ſecundum magis & minus tantum diſcrepare videntur, verbis I. D. Horſtii *Diſpenſat. Pharmac. Univerſ. Part. I. l.* 2. *c.* 10. *p.* 26. Alias *confrictio* etiam radicibus & fructibus ſucculentis adhibetur ad ſuccum commodius exprimendum. D.D.Wedel. *Pharm.Acroam. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 6. *p.* 51.

CONFRICATRICES, *frictrices* fœminæ valde libidinoſæ dicuntur, clitoride abutentes, Th.Barthol. *l.* 1. *Anat. cap.* 34. Cur has non putaverit C. Hofm. dici poſſe τριβάδας, *comm. in Galen. de V. P. n.* 1064. non video rationem; Licet enim Cœl. Aurelianus *de morb. chron. l.* 4. *c. ult.* τριβάδας vocaverit, quæ ὀλίσβῳ libidinem hanc exercuerunt; eadem tamen eſt ratio τριβῆς cum clitoride, niſi quis has vocare velit συντριβάδας, *confrictrices.*

CONFUSÆ febres dicuntur Laur. Bellino, quando plures febres ejuſdem vel diverſi generis eodem tempore affligunt ægrum, ſimul incipientes & una deſinentes, ita ut vix diſcerni poſſint, nihilominus ſervent ſingulæ naturam ſuam, neutraque illarum prævalet. *In Opuſcul. Medic. tit. de febr. p. m.* 252.

CONFUSANEUS, αὐτόπυρος, epitheton panis domeſtici & quotidiani, vide *Autopyros.* Legitur apud Ionſton. *Synt. Med. p.* 45.

CONFUSIO, κρᾶσις, vide *Complexio.* Porro *confuſio*, σύγχυσις, eſt commiſtio liquidorum, quæ per ſe fluere poſſunt: Itaque & conſiſtentia tum partibus, tum toti aquea eſt & fluida. Quæ enim eliquata ſunt, poſteaque *confunduntur*, ut pix & cera, & reſina &c. principaliter ſunt colliquationis, licet miniſtret illis *Confuſio* obiter, cum & ſine *confuſione* poſſent congredi. Rul. & Iohnſ. Alias *Confuſio* in malam partem accepta compoſitioni non æquipollet. Cum talis *Confuſio* ſit abſque artificio, ἀλόγως καὶ ἀμεθόδως Schenk. *S. C. & Pr.M.E. p.m.* 32. *ſeqq. Confuſio* quoque inter affectus oculorum refertur, quando propter ruptionem tunicarum, quæ in profundo ſunt, aliquando ex percuſſione, aliquando ſponte obortam, humores oculi *confunduntur*, cum pupillæ alteratione, ut primo major appareat, tandem vero contabeſcat & minor ſeipſa appareat. Galen. *def. Med.* Meminit quoque *Confuſionis* omnium Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. vocans ξύγχυσιν ὅλων, qua nihil aliud innuitur, quam cruditatum collectio, & inde dependens vitioſa nutritio, dum excrementitia cum utilibus permiſta ſunt, cujus cauſſa vel ſignum eſt alvi ſtupor, i.e. dejectio alvi deficiens, quemadmodum hunc locum recte expoſuit Valleſ. *in com.* Quid *confuſæ literæ* ſignificent ap. Scrib. Larg. *n.* 231. Philologis inquirendum relinquimus. Jung. Rhod. *in not. ad h. l.*

CONFUTATIO, ἔλεγχος, i. e. alicujus hypotheſeos, vel ſententiæ circa aliquam rem ex fundamentis veris vel veroſimilibus improbatio. Hæc in medicina duplex eſt: Una quidem ex anatome, altera ex conſequentia logica, vel rationali, ex notatu digniſſimo loco Galeni *l.* 6. *de P. c.* 13.

CONGELATI dicuntur *Ecſtatici*, quibus nullum movetur membrum, præter ſpiritualia, ſed ſunt veluti rapti, & interdum exiſtimant, ſe vidiſſe & audiviſſe Angelos &c. Valeſc. *de Tarant.* Phil. *Pharm. l.* 1. *c.* 22.

CON-

CONGELATIO, πῆξις, frequens in uſu terminus medicus, ſed diverſimode accipitur: Phyſice conſiderata *Congelatio* coincidit cum *concretione*, vide *Concretio*. In foro medico pathologico *Congelationes*, πῆξεις, omnes ægritudines dicuntur, quæ à cauſſa frigida & vehementibus algoribus ortum duxerunt, Galen. *l. de diff. morb. c.* 5. Scilicet, quando fit ſanguinis ſpirituumque p. n. fixatio. In ſpecie *catalepſin* & *nervorum rigorem* ſic vocant. Caſtell. Ita in peſte *Congelationem* ſanguinis fieri vult Paracelſ. *tr.* 2. *de peſtilit.* quamvis rectius *Coagulatio* dicatur. Imo de dentibus *Congelatio* dicta fuit, i. e. ſtupor. Joh. Anglicus *Roſ. Angl. p. m.* 929. In foro pharmaceutico & chymico *Congelatio* dicitur, quando materia prius liquidior condenſatur & concreſcit inſtar glaciei ſuper aqua, Rul. Ita & adeps *Congelari* dicitur apud Scrib. Larg. *n.* 271.

CONGENITUS, συγγενής. Vide *Connatus*.

CONGER, *Congrus*, γόγγρος, κόγγρος, eſt ſpecies ſerpentis marini, plane ſimilis anguillæ, unde & à nonnullis *anguilla marina* dicitur, cujus deſcriptionem & uſum in cibo ac medicina lege ſis apud Aldrovand. *l.* 3. *de Piſcib. c.* 25. Galen. inter piſces duræ carnis refert *l.* 3. *de Alim. fac. c.* 31.

CONGESTIO, συμφορά, συμφόρησις, συναθροισμός, (an non & ἁλία vel συναλία, à verb. ἁλίζω & συναλίζω?) idem, quod *Collectio*; quamvis à nonnullis diſtinguatur ab hac, quod *Congeſtio* fiat lente, Collectio vero cum impetu & confertim. Ionſton. *Syntagm. Med. Noſocom. Special. l.* 1. *Tit.* 1. *c.* 1. *Congerere* medicamenta legitur apud Scrib. *n.*38. A. M. A. Severino *l. de abſceſſ. per congeſt.* deſcribitur, quod ſit lenta humoris in parte, quæ nutritur, inquinati ac ſuperflui coacervatio. *c.* 8. ubi & abſceſſus hoc modo productos *Congeſtiles* appellat. Modum, quo fieri ſoleant *congeſtiones* humorum per cauſſas propiores & remotiores egregie aperuit & deſcripſit D. D. Stahl *in eleganti ſua diſſertatione de Motibus Humorum Convulſivis cap.* 8. *& ſeqq. p.* 28. *ſeqq.* Vere non minus quam accurate *congeſtiones* ſive collectiones (nam hi termini commode pro ſynonymis haberi poſſunt) ſanguinis, ſeri huic commixti & lymphæ in eas, quæ ad locum patentiorem, & alias, quæ in parvum fiunt, diviſit, quarum illæ ad ſecretionem tantum ſpectant, hæ quoque excretionem ſubſequentem habent, priores valde particulares, poſteriores vero univerſaliores appellans. Ibid. *c.* 11. *p.* 39. *ſeqq.*

CONGIUS, vide *Chus*.

CONGLACIATIO, idem, quod *Coagulatio*, vel *Congelatio*; Legitur apud D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. III.* §. 20.

CONGLUTINATIO, κόλλησις, eſt ſpecies unitionis adverſus ſolutam unitatem in partibus carnoſis factam, quæ & *Coalitus*, σύμφυσις, dicitur Gal. *Art. medic. c.*90. quamvis hoc vocab. etiam de duris partibus ſumatur. Vide *Coaleſcentia*. *Conglutinatio* quoque eſt per glutinum compoſitio, manente natura *conglutinatorum*. Itaque & reductio hic eſt, ſeu reſtitutio in integrum. *Glutinum* autem pro natura cujuſque varium eſt, & dicitur hic omne, quod viſciditate tenaci conjungit alterum alteri, aut etiam coërcet. *Congluten* vel *Conglutinativum* dicitur Paracelſo, quod ex putrefactione in *gluten* coloratum deſcendit, & ſubſtantia propria utriuſque corporis, ſubſtantialis ſcil. & vitalis, *l.* 1. *de Tart. c.*3. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

CONGREGO, ἀθροίζω, id eſt, *accumulo*. Vide *Athroezo*.

CONGRUITAS, Parac. rectius *Congruentia*, ἁρμονία, ἐναρμονία, idem, quod *Concordantia*. Paracelſ. *Paragran. tr.* 4. Hinc Adject. *Congruum* idem, quod *conveniens*, *conferens*, de quibus ſuis locis.

CONGRUMATUS, pro concretus, grumoſus, paſſim à recentioribus medicis uſurpatur, v. g. de ſanguine in ecchymomate à contuſione, quemadmodum in collegiis manuſcriptis aliquoties obſervavimus.

CONGRUS, γόγγρος. Vide *Conger*.

CONIA, κονία, tria ſignificat, *Lixivium*, *Calcem*, *Cinerem*. Ita Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 4. *Lixivium deſtillatum*, κονίαν στακτὴν exponit. Ex reliquiis enim quorumlibet corporum uſtorum ablutis *lixivium* fieri poteſt, præditum diverſis facultatibus, pro ejus, quod eluitur, natura. Ejus enim, quod empyreuma, ſeu igneam naturam habet acerrimam, ipſum quoque acerrimum eſt, ejus quod tale non eſt, etiam moderatius. Idem vero etiam ſimpliciter στακτὴ appellatur. *Conia* enim nihil aliud, quam *ablutio cinerum* eſt, *t.*7. *de S. Fac.* §. Conia. Alias datur & κονία ἀσβέστου, *lixivium calcis*. Quod ſi *cineri calx* addatur, id *lixivii* genus πρωτόστακτον appellatur. P. Ægineta autor eſt *l.*7. *c.* 3. §. *Conia* q. d. quod primum deſtillaverit, & eluentibus potiſſimum medicinis accommodatur. Sunt & alia *lixiviorum* genera, varias ſortita appellationes ab artificibus, quibus illa inſerviunt: ut πηλοποιητικὴ & σαπωναρικὴ, quorum illud figulis, hoc vero ſaponariis in uſu eſt, niſi quis malit paratum ex ſapone *lixivium* intelligere. Ab hac κονίας ſignificatione quoque dictæ ſunt *urinæ lixivio ſimiles*, οὖρα κονιώδεα apud Hipp. *Coac. tit.*582. quamvis aliis placuerit vertere per urinas pulverulentas aut cineritias; nobis tamen prior verſio magis arridet, quarum urinarum cauſſam egregie & ſolide expoſuit Cl. Willis *de urin. c.* 4. De reliquis binis ſignificationibus teſtimonia adeo certa non proſtant, quemadmodum ex Henr. Steph. *Theſaur.* conſtare poteſt. Adde tamen ex Galeni *exegeſi*, quod conia vinum ſit picatum, ita factum, ut injiciatur in vas figulinum piceæ hemina dimidia, quam qui cum ferventem colent, alii relinquunt.

CONIEMA, κονίαμα, dicitur parietis *incruſtatio*, aut *tectorium*, aut opus albarium, quo parietes calce aut gypſo dealbati inducuntur, & uſus Hipp. *l.*7. *Epid.X.* 9. quamvis potus *ibid.* ipſum parietem dealbatum ſignificare videatur. Foëſ. *Oec. p.* 348.

CONJECTURA, τεκμαρμός, dicitur rei cujuſdam notitia, –

titia, non ſimpliciter demonſtrativa & infallibilis, ſed ſaltem probabilis. Cujus cognitionis cum iterum varii dentur gradus, dum alia magis fallax & incerta, alia certior magis habeatur *conjectura*, in medicina ſaltem ea locum habet, quæ *artificioſa*, μετὰ τέχνης ἢ στοχασμὸς τεχνικὸς, dicitur, & quam proxime ad veritatem accedit, Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 9. Et hac de cauſſa refertur quoque medicina inter *artes conjecturales*, vel *conjectrices*, στοχαστικὰς, *l. Introduct. c.* 5. quamvis *l. de opt. ſect. ad Thraſyb. c.* 4. non tam propter præcepta, quæ ſatis firma ſunt, *conjectricem* dici velit, quam propter eventum, quod non ſemper fine ſuo potiatur. Jung. C. Hofman. *Inſtit. l.* 1. *c.* 1. §. 3. *ſeqq.* & *Dogmat. Medic. Gen. Noſtra proleg. p.* 4. Regnare vero videtur imprimis *conjectura* in parte Semiotica, quæ tamen ita eſt & eſſe debet artificialis, ut ad ſcientiam, quod ait Eraſtus *orat. de laud. Medicinæ*, prope accedat. Regnare etiam in determinandis medicamentorum, præſertim purgantium, doſibus: Scire ſane convenit & ſapienti στοχασμῷ colligere & dijudicare, quando, quanta, quænam, quomodo individuo cuivis apta neceſſaria, congrua, utilia: Artificioſe autem conjicere viri eſt, qui vires omnium, quæ ad eam artem pertinent, didicerit, memoriæque mandaverit, & in artis operibus, diligentia adhibita, ſe exercuerit, verbis notatu dignis, Dieter. *Iatr. n.* 2. Quod vero Dn. D. Ammannus *in præfat. parænef. ad diſcentes conjecturalem* ita expoſuerit, ſiquidem tota noſtra cognitio tam circa theoriam, quam circa praxin meris & nudis nititur conjecturis & opinionibus, profecto μέγα λίαν αἴτημα, quod quomodo non cedat in opprobrium artis, non intelligo.

CONIS, κόνις, *Pulvis.* Item *Pediculus.*

CONISALOS, κονίσαλος, Atticum vocabulum ſignificans terram in palæſtris athletarum & deambulantium pedibus conculcatam, ſudoreque eorum vel olei aſpergine irrigatam, quæ fere eundem cum ſtrigmentis uſum in molliendis & diſcutiendis bubonum & lactantium uberum & aliis tumoribus præſtabat, uti conſtat ex Galen. *l.* 10. *de S. F.* §. *Sudor*, ubi & πάτος dicitur, i. e. via conculcata. Vide Lang. *l.* 1. *ep.* 51.

CONISTERIUM, κονιστήριον, idem, quod *apodyterium*, de quo ſupra. Lang. *d. l.* Significat & infimam partem furni chymici, quæ Latinis *Cinerarium* dicitur, de quo vocabulo ſupra.

CONJUGATIO, *Conjugium*, συζυγία, ζεῦγος, idem quod *Copulatio*, *Conjunctio* duarum rerum. (1) dicitur de partibus numero duabus in corpore exiſtentibus, quæ ſemper æqualiter à medio abeſſe volunt, Gal. *l.* 15. *de V. P. c.* 2. (2) de pulſibus, vide *Conjugationes pulſuum* aliquot *l.* 1. *de cauſſ. pulſ. c.* 8. (3) *Conjugium* dicitur copulatio maris & fœminæ. Hæc ſignificatio myſtico & ſpagyrico ſenſu applicatur diverſimode. Imo omnia conſiſtere in *conjugio* duarum rerum dixit Paracelſ. *l. de morb. Tartar. cap.* 12. In ſpecie de *conjugio* medici & medicinæ loquitur idem *Comm. ad Hippocr.* 1. *aph.* 1. *Conjugium divinum* dicitur, quod conſtat ex mundo ſuperiore & inferiore. *Theatr. Chym. Vol. I. tr. Artificium ſupernaturale c.* 16. & *c.* 5. vocat *conjugium metaphyſicum*; *Th. Chym. Vol. I. pag.* 288. & 318. Ita in conficiendo lapide philoſophico utriuſque materiæ, mercurii & ſpiritus rubri conjunctorum & vitro hermetice incluſorum unio & mutua amplexatio, vel congreſſus, vocatur *Conjugium.* Libav. *Apocal. Hermet. part. poſter. p.* 395.

CONJUNCTA *cauſſa.* Vide *Continens*, *Cauſſa.*

CONJUNCTI quoque *morbi* dicuntur; & diſtinguuntur in connexos & conſequentes, quorum diſcrimen in hoc conſiſtit, quod morbo morbus accedat in connexis, ſuccedat in conſequentibus. Nempe ibi prior cauſſa manet duratque, hic abit & ceſſat. Hoc per μετάπτωσιν fit, illud per ἐπιγένεσιν. Linden. *S. M. Ex. VI.* §. 19. *Conjuncta morbi eſſentiæ* dicuntur, quæ quidem ab eſſentia ipſius ſunt inſeparabilia, ut magnitudo, motus, mos. Diſtinguuntur ab *adjunctis* morbi, quæ ſunt cauſſæ & ſymptomata: Hæc conſequentia; Illa antecedentia. *Conjuncta* ſigna dicuntur, quæ ſunt pathognomonica, & una cum antecedentibus & ſuccedentibus morbi naturam aperiunt. *Conjuncta* vero & *adjuncta* uno nomine appellantur *connexa morbi*, ἐπισυμβαίνοντα. Idem *Ex. IIX.* §. 68.

CONJUNCTIO, συζυγία, idem, quod *Conjugatio.* Ita de aſtris dicuntur *Conjunctiones*, quas medico ſcitu neceſſarias eſſe dixit Paracelſ. *Paragran. Tract.* 2. *de Aſtronom.* Vide *Aſtrum.* Interdum ſumitur pro *compoſitione*, v. g. *conjunctiones medicamentorum*; Helmont. *tr. Pharmacopolium &c.* Haud raro etiam per *Conjunctionem* intellexit Paracelſus convenientiam quandam inter morbum & ſubjectum. v. g. *Conjunctio peſtis & hominis*, *de Peſte cum additionibus l.* 1. *It. de Caduco matricis*, & *alibi. Conjunctio* quoque deſcribitur, quod ſit *copulatio* ſeparatarum qualitatum, vel adæquatio principiorum, cujus ſynonymon eſt *connexio*, eique opponitur *ſolutio*, ſuntque duo principia arduæ ſcientiæ ſpagyricæ, licet plura alia ſint principia. Ripleus *in Axiom. Philoſoph. in Theatr. Chym. Vol. II. pag.* 113. 114. *Conjunctionem* etiam ſpagyrici *fermentationem* dixere, M. Joh. Iſaac. *Oper. Mineral. l.* 1. *cap.* 136. *d. l. Vol. III. p.* 409. Et: *Conjungere* eſt *imprægnare*, *dealbare* & *rubificare. Roſar. abbreviat. Tract.* 2. *d. l. p.* 654. & Lagn. *in Harm. Chym. Vol. IV. p.* 751. *ſeqq.* De hac *conjunctione* videatur & Lullii *Practica cap.* 12. *d. l. p.* 144. & de *Conjunctione ſolis & lunæ. p.* 340. Vide & Orthelii *Commentar. in nov. Lum. Sendivogii c.* 11. *Vol. VI. pag.* 426. *ſeqq.*

CONJURATIO, *Conjurator*; accipitur apud Paracelſum pro arte & artifice curandi morbos per certas dejerationes & præſtigias diabolicas, quod Chriſtiano prohibitum eſſe aliquoties urſit; v. g. *l.* 9. *de ſignatur. rer. natur. l. principior. ſeu de myſteriis verm. c.* 6. *tract. de ſurditat.* §. *cura l.* 1. *Philoſ. ſagac.*

CONNATUS, ξυγγενὴς, συγγενὴς, ξυγγενῶς, *congenitus*, dicitur Hippocrati de eo omni, quod homini competit à prima nativitate, ejuſque rationem eſſe docet, quod ab homine hæc omnia habente genitus ſit, & deinde nutritus in homine hæc omnia habente, *ſect.* 1. *de nat. hum. t.* 27. In ſpecie de nativa vel *connata* diſpoſitione & propenſione ad morbum aliquem; unde & morbi tales *Connati* vocantur & *Hæreditarii*, *Prorrhet.* 2. & *l.* 3. *Epidem. ægrot.* 6. Ex eadem *cognatione*, qui tali morbo laborat, inſolita phraſi eidem appellatur ξυγγενὴς. *Prorrhet.* 2. Foëſ. *pag.* 437.

CONNEXIO, συμπλοκὴ, idem, quod *Conjunctio*, *Conjugatio*, *Commercium*. Ita partes Medicinæ adeo *connexas* eſſe & implicitas, ut nullo modo diduci ſine totius profeſſionis detrimento poſſint, ſcripſit Scrib. L. *n.* 200. *Connexa* & *Connexi Morbi* quid ſint, vide *Conjuncta*.

CONNIVEO, σκαρδαμύσσω ἢ καρδαμύσσω, dicitur, quando quis oculorum palpebras cito claudit, & cito aperit, uno verbo quoque appellatur *Nictare* vel *Nictari*. Galen. 5. *in* 6. *Epid. t.* 2. Foëſ. *Oecon. pag.* 569. Cui opponitur ἀσκαρδαμύσσειν. Vide *Aſcardamyctes*. Vocantur & Græce μύειν, ξυμμύειν, cum oculi clauduntur ex ſomno per membranam illam, qua oculus quaſi veſte integitur. Ita & uterus dicitur ξυμμύειν à conceptu Hipp. 5. *aph.* 51. cum ejus os peranguſtum ſit, uti explicavit Philotheus, & clauditur. Vide plura apud Dieter. *n.* 587. Abuſiva vero eſt licentia, quando Hæmorrhoides apertæ appellantur *Connnivententes*. Quæ *valvulæ Conniventes* in inteſtinis dicantur Kerkringio, videre licet *in Obſ.* 39. licet vero de his ſcripſerit, de his nihil ſcriptum ſe vidiſſe, egregie tamen monſtravit Theod. Jan. ab Almeloveen *in Inv. Novantiqu.* §. 21. *p.* 180. *ſeq.* quod videre potuiſſet, ſi voluiſſet, tum apud Hieron. Fabricium *de Inteſtinis* & Linden. *in Phyſiologic.*

CONNUMERATIO, συναρίθμησις, vide *Collectio*. Eſt opus mentis, quæ plures res ſimul comprehendendo conſiderat, Gal. 1. *de iis, quæ in medic. t.* 3. Dicitur & *Conſummatio*.

CONNUTRITUS, ξύντροφος, dicitur de morbis una nobiſcum educatis, & longinquo tempore hominum corpora infeſtantibus & quaſi connatis. Hipp. 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 6. Gal. *in comm.* & *l. de A. L.* & *Aq. XI.* 3. Idem quoque ſignificat, quod οἰκεῖον, *familiare*, accommodatum, conveniens. 3. *de fractur. t.* 23. & *t.* 44. Gal. *in comm.*

CONOIDES *corpus*, κωνοειδὲς σῶμα. Vide *Conarium*.

CONOPS, κώνωψ. Vide *Culex*.

CONQUASSATIO, συσεισμὸς, eſt ſpecies *Comminutionis*, qua humidiora concreta, in mortario lapideo aut vitreo, aut tudicula lignea contunduntur, donec per ſucculentiam propriam aut affuſum liquorem in pulticulam abeant, quam etiam ſi mollior fuerit, *Pollinem* vocant. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. VII.*

§. 27. Præter illam Chymicam & Oeconomicam ſignificationem hodieque adhuc alia phyſica ſingularis efficaciæ & neceſſitatis proponitur & à quibuſdam urgetur ac defenditur, v. g. à D. D. Wedelio *Ephemerid. Nat. curioſ. Dec. I. Ann. VI.* & *VII. obſ.* 2. & in ejuſdem *Phyſiologia Reformat. c.* 9. *p.* 274. *ſeqq.* quæ fit ab & in corde, quando ſyſtole ſua portiones ſanguinis & chyli admixtas comminuit, ut eo promtiores fiant ad fluxum, ſimulque etiam heterogeneæ diſponantur ad ſecretionem; quo etiam tendit ſua hypotheſi Guilielm. Cokburn. *Oecon. anim. p. m.* 29. & 32. Enimvero licet ea negari minime poſſit, an vero tanta ſit potentia, ut ejus vis per totum corpus ſeſe extendat, & hac ſola fiat ſecretio utilium ab inutilibus, nondum videtur ſatis demonſtratum; interim liberum unicuique ſit amplecti hanc hypotheſin vel relinquere.

CONSCIENTIA, συνείδησις, eſt actus animæ rationalis, & ita homini proprius affectus, quando mens humana relinquens animam ſenſitivam vel facultates animæ corporeas, ſua ſponte ad ſe redit, & vel propter occaſionem expergefacta, & erroris ſui conſcia, contra hanc animam brutalem ſive corpoream inſurgit & colluctatur. Th. Willis *de anim. Brut.* P. 1. *c.* 7. Hujus quoque puritati ſtudere debet Medicus.

CONSECRATIO, καθιέρωσις, & olim, & hodie ad Medicinam tranſlata fuit; Sed rectiſſime à Paracelſo damnata & rejecta, *tr. Philoſ. occulta tit. de Conſecrationibus*.

CONSENSUS, συμπάθεια, συμφωνία, ὁμολογία, uſurpatur in ſtatu ſecundum & præter naturam. In illo idem eſt, quod *Concordantia*, *commercium*, opera mutua. In hoc vero ſignificat, quando ad aliquam partem morbo correptam aliæ etiam non temere aut perfunctorie, ſed graviter compati ſolent. Ita jecore affecto ſingultus ſuccedit, compatiente ſtomacho, Gal. 6. *aph.* 16. Per *conſenſum* quoque dupliciter affici dicitur, uno modo, cum aliquid tranſmittitur ad aliquam partem, ut puta fumoſus vapor à ventriculo ad oculos; alio modo, quando impeditur communicatio illius, quod alteri deberet communicari, Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 1. & *alibi*, Charlton. addidit tertium modum, quando pars compatitur ob mutuam connexionem, vel operis ſocietatem. *Ex. III. Pathol.* §. 1. De rarioribus *conſenſibus* partium in ſtatu p. n. Vide *Ephemer. Nat. Cur. Ann. I. Obſ.* 20.

CONSEQUENS, ἑπόμενον, συμβεβηκὸς, ſignificat in foro Medico id, quod vel ſanitatem, vel morbum ſequitur. Et ita æquipollet vocabulo *Accidens* & *Symptoma*. Galen. *l.* 1. *M. M. c.* 9. Vid. *Dogm. noſtr. Part. I. cap.* 8. *dogm.* 1. Quid ſint *Morbi Conſequentes*, vide p. a. in *Conjuncta*.

CONSERVA, terminus eſt Pharmaceuticus, qui denotat flores, herbas, rarius radices, rariſſime carnes aut pulpas fructuum tenuiſſime inciſas, vel tuſas, & ſaccharo exacte mixtas, Weker. *Antidot. gen. l.* 1. *cap.* 31.

Hæc actio dicitur *Conſerviſatio*. Schröder. *l.*2. *c.*48. vid. & Schenk. *Syntagm. Comp. & præſcr. med. Part. ſpec. cl.* 3. *ſect.* 2. *c.* 1.

CONSERVATIO, φύλαξις, dicitur de re in ſua natura & per proprium calorem ſuſtentata, cui opponitur *Corruptio*, quæ fit per immoderationes externas, videlicet caloris, aut frigoris exceſſus, Gal. *l.*4. *de S.F. c.*14. Hinc non adeo à veritate declinavit Paracelſus dicens: Hominem in ſe habere *conſervatorem* & deſtructorem ſanitatis, modo rem obſcuris terminis non ita defœdaſſet. *Labyrinth. Medic. c.* 7. *Conſervatio* & *Conſervantia* quoque uſurpantur in Pharmaceuticis, de ſimplicibus quibuſdam, quæ adduntur aliis vel ad præcavendam eorum conſumtionem, uti Magneti ferrum adjungitur, Camphoræ grana pſyllii, milii; vel ne corrumpantur; quo pertinent, Sal, Saccharum, Mel & alia Condimenta, qua ratione *conſervantur* Cappares, Cucumeres, Olivæ, Cydonia &c. De *conſervatione* hujuſmodi medicamentorum legatur I. D. Horſt. *Part. I. Diſpenſ. Pharm. Univ. l.* 4. *c.* 12. *p.* 71.

CONSERVATIVUS, *a*, *um*, φυλακτικὸς, vel dicitur de parte Medicinæ principali, quæ ſanitatem præſentem tuetur. Vocatur alias *Methodus Conſervandi ſanitatem*, ὑγιεινή. Vid. *Dogm. noſtr. Part. IV. c.* 2. cui opponitur *Methodus medendi*, θεραπευτική. Vel tribuitur etiam cauſſis, quæ dividuntur in *Conſervatrices* & *Effectrices*, ſcil. ſanitatis, αἴτια φυλακτικὰ, καὶ ποιητικὰ τῆς ὑγιείας. Gal. *Art. Medic. c.* 84. *Conſervantia* Phyſicorum (h. e. Spagyricorum) præſertim ſunt medicamenta vitam & corpus à corruptionibus præſervantia. Talia potiſſimum ex iis rebus petenda, quæ longiorem vitam ac temperatiorem à natura nacta ſunt vegetabilia, quæcunque ſemper virent, & longiori tempore perſeverant: Inter mineralia, quæ mumialis eſſentiæ liquoris multum habent, & inter metalla, quæ ſunt ærugini minus obnoxia. Talia non ſunt *Conſerva* roſar. violar. &c. quæ *Conſervatione* ipſamet indigent ac mutuantur à ſaccharo, Rul. *in Lex.* Haud dubie huc referri deberet Arbor vitæ Helmont. niſi hæc ipſa hypotheſis multis adhuc ſcateret dubiis, quin & ineptis collectionibus, quas noſtri inſtituti ratio non admittit prolixius ventilare: Sufficiat, quod ab arbore longæva non liceat certi quid inferre ad hominis longævitatem. Quid enim de cervo aliiſque brutis dicendum maxime longævis, quæ tamen ad humanam vitam prorogandam nutrimenti loco vel minus, vel plane non conferunt? Sed manum de tabula.

CONSIDENTIA, ἀποκατάστασις, vide *Apocataſtaſis*. Eſt & ſpecies anguſtationis cavitatum vel meatuum, quando latera concidunt; Gr. συνίζησις. Jul. Alex. *not. ad Galen. de diff. morb. T. II. p.* 297.

CONSIDERATIO, σκέμμα, quid ſignificet, notum eſt. Tres *conſiderationes*, quæ tamen poteſtate unum ſunt, ſtatuit Galenus; primam, de propriis & communibus ſpeculari; ſecundam, an ſimilia vel diſſimilia ſint, ea, quæ inter ſe conferuntur, diſcernere; tertiam, quid idem, & quid diverſum ſit in rebus, conſiderare. *l.* 9. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 5.

CONSILIUM, βούλευμα, quid in genere ſignificet, notius eſt, quam ut opus ſit verbis. Notetur ſaltem egregia gnome: *Conſilium* ſapientis unicum multorum manus ſuperat. Inſcitia vero ſemper per ſe mala, juncta armis adhuc pejor eſt. Gal. *orat. exhort. ad artes*, *fere ſub fin.* In Medicina *Conſilium* dicitur ſententia illa, quam Medicus vel ſolus, vel cum aliis prius conſultans de hominis ſtatu vel ſec. naturam, vel præter nat. fert, & quid agendum ſit, juxta indicationes utriuſque methodi præcipit, aut præſcribit. Vide *Conſultatio.*

CONSISTENTIA duplicem potiſſimum habet ſignificationem Medicam: (1) de ætate, vel morbo, quando uſurpatur. Gr. dicitur ἀκμὴ, & ita idem ſignificat, quod *Status.* Vide *Acme*, ex Galen. 2. *de diff. febr. cap.* 11. (2) uſurpatur de humoribus aliiſque materiebus, qua utilibus, qua inutilibus, & denotat eorum conſtitutionem, ratione tenuitatis, vel craſſitudinis, ſoliditatis aut corporeitatis. Ita de Urinæ *conſiſtentia* legitur apud Galen. *l.* 9. *Meth. med. cap.* 4. Græce dicitur σύστασις, quod vocabulum & recentiores retinuerunt, uti patet ex Cl. Th. Will. *Ex. de Urin. cap.* 1. 3. 6. *&c.* quamvis Græcum vocab. σύστασις apud Hipp. collectionem, aut concretionem, vel *coacervationem* alicujus materiæ denotet, *Coac. t.* 238. *de morb. ſacr. XVIII.* 13. Verbum *Conſiſto* etiam aliquando ſumitur pro *Exiſto* cum alia quadam re. Scrib. Larg. *num.* 19. 27. 90. 102. 160. *&c.*

CONSOLIDANS, idem, quod *Sarcoticum*, aut *Epuloticum.* Ita Rul.

CONSOLIDATIVUM, *Conſolidatura*, medicamentum vulnera & ulcera carnibus recentibus *explens*, & *cicatricem obducens*, ἐπουλωτικὸν, *incarnans*, σαρκωτικὸν, vocatur; de quibus ſuo loco. *Conſolidare* quoque numeratur inter quatuor regimina Lapidis Philoſ. ap. Lagn. *in Harm. Chym. c.* 6. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 753. *fin.*

CONSOLOR, παρηγορέω. Vide *Paregoreo.*

CONSORTIUM, κοινωνία. Vide *Communicatio*, *Confluxio.* Tale *conſortium* tribus modis fieri ſcripſit Galen. 1. *in* 3. *Epid.* 4. vel propter viciniam, vel propter genus, vel propter familiaritatem operis.

CONSPERSIO, κατάπασμα. Vide *Catapaſma.*

CONSPICUUS, ἔκδηλος, manifeſtus, *evidens*, dicitur de homine, qui ſenſu increſcere deprehenditur, quod fit à ſeptimo ad decimum quartum annum, Hipp. *l. de Carn. XIII.* 13. deinde etiam de diebus quibuſdam, qui futuræ criſeos præbent indicium in morbis, unde Latinis *Indices* vocantur. Tales ſunt cujuſque ſeptimanæ dies quartus, ex 2. *aph.* 24. Vide Foëſ. *p.* 224. Dieter. *n.* 314.

CONSPIRABILE, *Conſpiratio*, ξύμπνουν, ξύμπνοια. Vide *Confluxio.*

CON-

CONSPUENDUS, καταπτυστὸς, dicitur de eo, qui ſui emolumenti & ornamenti nullam curam gerit, Gal, *in orat. ſuaſor. ad artes c.* 5.

CONSTANS, εὐσταθὴς, βέβαιος, ſumitur de bona conſtitutione corporis, & de morboſa. In illa dicitur à Metrodoro finis bonorum eſſe corporis *conſtans* & firma conſtitutio στερεὸς εὐσταθὲς κατάστημα, apud Clement. Alexandr. In hac legitur apud Hippocr. 3. *aph.* 8. de morbis *conſtantibus* boni moris, & æqualibus, item 2. *Epid. ſect.* 1. *n.* 20. Dieter. *num.* 361. Foëſ. *p.* 252.

CONSTANTIA, βεβαιότης, εὐστάθεια, dicitur de corpore & animo. De illo legitur apud Galen. *c. de nat. hum. t.* 39. ubi firmitatem corporis ab humore melancholico dependere ſtatuit, quemadmodum & *com.* 2. *de hum.* De anima vel mente occurrit apud Hipp. *l. de dec. orn. IX.* 15.

CONSTELLATIO, eſt terminus Aſtrologicus, denotans certum conſortium & communionem Aſtrorum ratione luminis vel influentiæ; Hunc terminum Spagyrici tranſtulerunt in ſuum forum, dum *Conſtellationem* dixerunt eſſe ſupernorum aſtrorum in inferna virium & virtutum impreſſionem & operationem, quæ conveniunt in concordantiam quandam naturalem. Et de hac ſibi perſuaſerunt haberi excellentiſſimam ſcientiam Phyſicam, quæ *Phyſiognomia ſignata* rerum naturalium in Sympathia ſuperiorum ad inferiora dicitur. Ruland. & Iohnſon. *in Lex.* Urget hanc ceu ſcitu valde neceſſariam Medico Paracelſ. *Paragran. tr.* 2. *de Aſtronomia.* Enimvero cum res nondum adeo expedita ſit de Influentiis, vel virtutibus Aſtrorum omnium in hæc inferiora, ſiquidem & Phyſici, Mathematici & Medici fuerunt, hodieque ſunt, qui eas in dubium adhuc vocent, Clariſſimi, v. g. Th. Willis *de febr. c.* 9. qui negat, Criſes à Lunæ ſiderumque influentiis dependere; & ſupra laud. Dn. Joh. Chr. Sturmius *in Tab. ſuis Aſtronomic.* (quamvis hactenus noſtrum addere calculum nondum libuerit;) hinc patet, quam incerta hæc ſit *Conſtellationum* & *Concordantiæ* ſuperiorum cum inferioribus ſcientia, nec adeo Medico ſcitu neceſſaria. Quid? quod Paracelſica illa doctrina ſit mere fictitia & ridicula. Tantum.

CONSTELLATUM, eſt epitheton unguenti contra dolores dentium, & ad ſananda vulnera, cujus baſin conſtituunt lumbrici vivi purificati à ſordibus (quidam etiam hos prius nutriunt aliquandiu vitellis ovi ad duritiem coctis) exiccantur poſtea in furno ſive clibano, dein pulveriſatis iis alia ingredientia adduntur & cum pinguedine aprugna & urſina in formam linimenti rediguntur, quemadmodum deſcriptio extat in Keſleri Redivivi *Proceſſ.* 170. Verum, quæ ſit hujus nominis ratio hariolari quidem non licet.

CONSTERNATIO, ἔκπληξις. Vide *Ecplexis.*

CONSTIPATIO, στῦψις, idem, quod *Adſtrictio.* Vide ſupra ſuo loco. *Conſtipationem* à Tartaro deducere conatus eſt Paracelſ. paſſim in ſcriptis ſuis, præſertim vero in *l.* 2. *de Tartar.*

CONSTITUTIO, κατάστασις. Vide *Cataſtaſis.*

CONSTRICTIO, vel idem eſt, quod *Adſtrictio*, στῦψις. Hæc per fundentia curatur. Ita verbum *conſtringere* ſumitur à Scrib. Larg. *n.* 104. Ita & *Conſtrictiva*, στυπτικὰ, dicuntur Chirurgis medicamenta labia vulnerum comprimentia. Rul. Vel dicitur de Motu cordis, quando coarctatur, ut ſanguinem in arterias exprimat. Gr. συστολή. Vide *Cor. Syſtole.*

CONSTRUCTIO, idem, quod *Generatio* aut *Factio* alicujus rei, cui opponitur *Deſtructio.* Lombard. *Margarit. pretioſ. c.* 16. in *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 659.

CONSUETUDO, ἔθος, ἐθισμὸς, in medicina ſignificat vel rerum non naturalium uſum per longum temporis ſpatium uno eodemque modo continuatum, quemadmodum hoc Hippocr. paſſim & Galen. integro libello *h. tit.* & ſparſim alibi hujus *Conſuetudinis* efficaciam, neceſſitatem, & utilitatem inculcavit; quorum loca omnia ſi placet inquirere, conſulatur Franc. Valleriola *Loc. Comm. l.* 1. *c.* 6. & Aloyſ. Mundellæ *Theatr. Galenic. lit. C.* vel ipſam corporis & omnium ſuarum partium continentium, contentarum & impetum facientium conſtitutionem eodem ſemper modo ſeſe habentem, per & propter conſuetum rerum non naturalium uſum. Dividitur in Bonam & Pravam; Illa conſervanda, hæc prudenter & leniter corrigenda mutandaque eſt. In genere *Conſuetudo* dicitur altera & adventitia natura, ἐπίκτητος φύσις, Gal. *l.* 2. *de mot. muſcul. c.* 7. *& c.* 3. *in l. de iis, q. in med. t.* 20. Quid per *Conſuetos* & *Conſueta*, εἰθισμένους, συνήθεις, καὶ συνήθεια, intelligendum ſit, ex dictis facile conſtat; Videatur Hipp. 2. *aph.* 49. 50. una cum commentatoribus ad illa loca, In ſpecie Dieter. *num.* 237. *ſeqq. & num.* 801. *Conſuetudines* etiam vocantur uſus longævi & ſolennitates, quas obſervant pleræque artes mechanicæ & opificia, quas ſi quis violaverit, jacturam famæ pati creditur, imo ſæpe cogitur, quamvis in ejuſmodi *conſuetudinibus* multa ſæpe abſurda, ridicula, ſtolida contineantur, unde minime iis inhærendum eſſe egregie demonſtravit P. Ammann. *Irenic. p.* 258. *ſeqq.* Quid *Aſſuefactio* vel *conſuetudo* motuum præternaturalium in generatione morborum præſertim ſpaſmoticorum præſtet, egregie monuit D. D. Stahl. *in Propemtico ad Diſp. inaugur. de Motu ſanguinis Hæmorrhoidali* Dn. Iuch. Erfurtenſ.

CONSULTATIO, συμβούλευσις, ſignificat illud officium Medici, quo quemadmodum nullum inter omnia Medicorum opera eſt illuſtrius, utpote quo ſolo à doctis Medicis indocti diſcernuntur; ita res ipſa facile teſtatum facit, in Medicina univerſa nihil quoque eſſe conſultandi methodo difficilius. Eſt vero *Conſultatio* nihil aliud, quam cum uno vel pluribus aliis Medicis inſtituta conſideratio ſtatus alicujus, ſive ſecundum, ſive præter naturam cum ſuis cauſſis & conſequentibus, & rite facta utriuſque Methodi Conſervativæ aut Curati-

væ per Indicationes & Remedia applicatio. Dicitur & *Collegiandi officium* à C.Hofm. *Orat.Iſag.* 2. *à me edita* p. 131. ubi plura de hoc argumento reperies. Legatur & Claudini elegans libellus *de ingreſſ. ad infirmos*. Inculcavit hujus muneris neceſſitatem & utilitatem ipſe Hipp. *de præcept. VII.* 1. *ſeqq. Conſultationes* olim vocabantur *Deliberationes Contentionesſque* apud Scribon. Larg. *in epiſt. ad Calliſthum princip.* ad quem locum vide notas Joh. Rhodii p. 15. Animæ quoque noſtræ pars dicitur *Conſultans*, βουλευόμενον μέρος, à Galen. *de form fœtus. c. 6.* Eſtque hæc functio animæ rationalis propria, uti patet ex Th. Will. *Tr. de An. Brutor. Part. I. c. 7.* differtque ab appetente, vel concupiſcente, quæ facultas vel vis quoque eſt Animæ Brutorum, vel corporeæ *d. l. c. 9*.

CONSUMMATIO, συγκεφαλαίωσις, idem, quod *Connumeratio*, de quo ſupra, i. e. in ſummam collectio. Gal. *l. 1. de iis, q. in med. t. 3.* Alias *Conſummare* idem eſt, quod perficere. Ita Scrib. Larg. *in Epiſt. ad C. Jul. Calliſt. p. 4.* dicit: Per antiquos autores *conſummari*, i. e. perfici profeſſionem, vide plura loca *in Lexic. Scribon.* Rhodii.

CONSUMMATUM, eſt epitheton Juris, ſive Brodii, vel liquidioris alimenti, ad culinam potius pertinentis, quam Pharmaciam, quod paratur ex carne, v. g. vitulorum, pullorum, caponum, perdicum, cancrorum, molliſſime etiam cum oſſibus contuſis cocta, additis aliis ſimplicibus nutrientibus, confortantibus, alterantibus, etiam aromatibus. Gallic. *Conſumé*. Schenk. *S. C. & Pr. M. F. p.* 109. 118. Morell. *de præſcr.form. l.* 1. *ſect.* 1. *c. 16*.

CONSUMTIO, σύντηξις. Vide *Colliquatio. Analoſis.* Cauſſam *conſumtionis* corporis dicit Paracelſus eſſe Sulphur, item Sal; Reſiſtere vero Mercurium *tr. de trib. Eſſentiis c.* 1. *ſeqq. Conſumere* etiam de tempore, & cibis uſurpatur, Scrib. Larg. *n.* 16. 17. 140. i. e. abſumere, impendere. Vid. *Lex. Scrib.* Rhodii.

CONTABESCENTIA, vide *Atrophia, Analoſis, Colliquatio, Conſumtio, Maraſmus, Phthiſis.* Vid. Lind. *Ex. IX.* §. 51.

CONTACTUS, ψαῦσις, dicitur, quando duæ partes ita naturaliter conjunctæ ſunt, ut ſeſe contingant. Cui opponitur *Abſceſſio*, διάστασις, ἀπόστασις, Gal. *c. 2. de iis, quæ in med. t.* 25. Ita corpora, quæ cor attingunt, videlicet pulmo, pericardium &c. dicuntur τὰ ψαύοντα τῆς καρδίας, *l. 3. de præſag. ex pulſ. c. 4. fin.* Verbum etiam ψαύεσθαι, Hippocr. non infrequens fuit, v. g. 1. *de fract. t.* 17. *ſ.* 3. *h. t. t. ult.* 3. *de artic. t.* 47. *l.* 4. *Epid. XX* 18.

CONTAGIO, *Contagium*, ἀπόρροια, ἀπόκρισις, Ciceroni olim *l. 2. de Divinat.* dicebatur ea vis, quæ à ſtella defluit, & in ſublunaria influit; Lind.*Ex.XI.*§.187. Hodieque vero plerumque & potiſſimum per *Contagium* intelligitur vis illa vel activitas, qua affectus quispiam reſidens in uno corpore ſui ſimilem excitat in alio; & quidem vel immediate & corporaliter per contactum, vel mediate & ad diſtans. Th. Willis *de febrib. cap.* 12. Charlton. *Ex. Pathol. X.* §. 34. D.D.Maur. Hofmann. *de morb. Contag. Diſp.* 1. *ſeq.* Vide *Apocriſis, Aporrhœa.*

CONTEMPLABILIS, θεωρητὸς, dicitur de diebus *indicibus*, quarto, undecimo, & decimo ſeptimo, ex quorum diligenti obſervatione intelligitur, quando, & qualis futura ſit criſis. Hipp. 2. *aph.* 24. Vid. Dieter. *n.* 391.

CONTEMPLATIO, θεωρία, ſignificat rei alicujus tractationem & conſiderationem in mente, quæ ſi prolixa fuerit, brevibus verbis exprimi non poteſt, Gal. *l. 5. de ſan. tu. c.* 1. *Contemplari*, ἐπιβλέπειν, i. e. cognoſcere, deliberare, ſcire, non dubitare, eſt Medico ſumme neceſſarium. Paracelſ. *comm. in* 1. *aph.* 1. Vide & Dieter. *n.* 311.

CONTEMTUS, καταφρόνησις. Vide *Cataphroneo.*

CONTENSIO, idem, quod *Tenſio*, τάσις. Vide *Taſis.*

CONTENTA, ἰσχόμενα, ἐνισχόμενα, dicuntur ab Hipp. *6. Epid. ſ.* 8. *t.* 19. humores in ſolidarum partium ſpatiis, vaſis, & cavitatibus concluſi, qui tamen non hac tantum ratione contineri dicuntur, ſed quod etiam ab ipſis ſolidis partibus regantur & gubernentur. Quod enim ii gignantur, quodque uſibus corporis inſerviant, id habent à ſolidis partibus. Hæc quidem Gorræus p. 198. & Caſtellus. Enimvero hæc ſententia repugnat veris hodiernis Artis principiis, quibus docemur, partes ſolidas potius ab humoribus vitalibus & ſpiritibus ſuam obtinere activitatem, ut ſint organicæ. Vide *Dogm. noſtr. P. I. c. 2. dogm. 3. & 5. Contenta* quoque dicuntur, quæ urinis ſanorum aut ægrorum præter aquoſam ſubſtantiam inſunt, Gr. περιφερόμενα. Suntque vel univerſalia, vel particularia, naturalia, aut præternaturalia. Will. *de Urin. c. 3. & 5. Dogmat. noſtr. P. 3. c. 4. d. 9. &* 11. quamvis Paracelſ. *contentum* dixerit non illud, quod in urina, ſed quod ſupra urinam eſt. Schol. *in libr. de urin. c. 3.*

CONTENTIO, τὸ διαφέρεσθαι, ἔρις, idem, quod *Controverſia, Diſputatio*, eſt diſcrepantia opinionum, quando unus alteri aſſenſum denegat, & diſſentit. Hæc aliquando juſta eſt, aliquando condonanda, Gal. *l. 3. de diff. pulſ. c.* 1. Olim etiam *Conſultationes* Medicorum dictæ fuerunt *Contentiones*, Scrib. Larg. *Epiſt. ad Calliſth. in princ. Contendentium lis diſputatioque* Celſ. *procem. l.* 1. *Contendere* quoque *ibid. & compoſ.* 38. accipitur pro *Aſſeverare*, Rhod. *in Lex. Scribon. Contentio* quoque dicitur συντονία, de nervoſis & fibroſis partibus, per ſpiritus animales aut vitales repletis, aut de ſtamine in textrina extenſo, per planas, Gal. *l. 1. de ſem. c.* 15. In ſtatu p. n. dicitur τάσις, σύντασις, *Contentio*, i. e. *Extenſio. c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 10. *& 6. Epid. ſ.* 1. *t.* 30. Opponitur huic *Relaxatio*, ἄνεσις.

CONTENTUS, æquivocum apud Latinos eſt vocabulum,

bulum. Vel enim ſumitur pro eo, quod ab aliquo continetur, Linden. *Ex. XV.* §. 71. Gr. ἰχόμενον, ἐνεχόμενον, συνεχόμενον. Vide *Contenta*, Gal. *l. de plenitud. c.* 3. ubi & mentio fit *Contentricis facultatis*, συνεκτικῆς δυνάμεως: vel ſumitur pro eo, quod eſt *expanſum*, Gr. συντεταμένον, cui opponitur *relaxatum*, κεχαλασμένον, 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 30. Gal. *in comm.* Vide *Contentio.* Per tranſlationem etiam *Pulſus* hoc modo dicitur *contentus*, ἔντονος, i. e. vehemens, qui cum reniſu quodam pulſat. *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 5. vel etiam ſignificat *ſatiabilitatem*, quæ Gr. dicitur ἀντάρκεια, & qui *contentus* ſua ſorte, ἀντάρκης; cui opponitur ἀπληςία, *inſatiabilitas.* Gal. *de dignoſc. & cur. animi morb. c.* 9. *in fin.*

CONTINENS, & hujus vocabuli æquivocatio ex præcedente pateſcit. Quando ſignificat rem, quæ aliam recipit, fovet, & ſervat. Gr. dicitur ἴχον, συνέχον. Ita partes ſolidæ ſunt *Continentia* reſpectu fluidarum. Et quædam cauſſæ morbificæ dicuntur *Continentes*, quæ ſemper morbum fovent. Imo febres quædam dicuntur *Continentes*, σύνοχοι, à *Continuis* diſtinctæ, quæ ſine exacerbatione perdurant uſque ad finem, Sylv. *l.* 1. *Prax. c.* 29. §. 3. Deinde & *Continens* dicitur, qui ſuos affectus per rationis moderamen vincere poteſt, Gr. ἐγκρατὴς: cui opponitur *Incontinens*, ἀκρατὴς, qui eſt mancipium cupiditatum & affectuum, Gal. *l.* 4. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 2. Magis adhuc reſtrinxit ſignificationem vocabuli *Continentia*, ἐγκράτεια ad victum Marſil. Cognatus libellum ſuum *de ſanit. tuenda* hoc titulo de *Continentia* inſcribens. Hermetici tropicam quoque attribuunt variam ſignificationem verbo *Continere*, v. g. ſumitur pro *informare*, *vivificare*, *exaltare*; vel pro *cohibere* & *inhibere*, ne avolet, aut efferatur; vel in *potentia habere* aliquid, ut poſtea in actum deducatur, Libav. *Apoc. Hermet. Part. poſt. T.* 2. *Oper. p.* 390. Rhaſes magnum ſuum opus multis libris conſtans inſcripſit *Continens.* Fallop. *tr. de purg. c.* 15. *Tom. I. p.* 52.

CONTINGENS, τὸ ἐνδεχόμενον, dicitur vel de iis, quæ à voluntate & arbitrio hominis pendent; vel de his rebus, quæ pendent à ſuis cauſſis & præviis diſpoſitionibus in natura. Primum non eſt determinata veritas quoad nos: Poſteriora admittunt prædictiones veritatis, quæ micare poſſunt radiis, ex ſolerti diſpoſitionum conſideratione. Rolf. *O. ac Meth. Gen. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 3. Jung. Gal. *de ſubfig. empir. in fin.* Ita res non naturales quædam, ceu cauſſæ & media ſanitatis & morborum, poſſunt dici *Contingentes*, ut ſunt Medicamenta, Operationes Chirurgicæ, in reſpectu ad ſex reliquas, Aërem, Cibum & potum &c. Charlton. *Ex. IV. Pathol.* §. 5.

CONTINUITAS, *Continuus*, συνέχεια, συνεχὴς, triplici gaudet ſignificatione, (1) in ſtatu ſec. naturam, de partium ſolidarum ſingularum integritate *continua*, ſive ἑνώσει naturali, cui opponitur differentia eſſentialis tertia morborum, *continuitas ſoluta*, vel *continuitatis ſolutio*, λύσις τῆς συνεχείας, cujus ſpecies vide apud Galen. *l. de diff. morb. c.* 11. & *l.* 4. *M.M. c.* 1. Dieter. *n.* 437. (2) in ſtatu p. n. de morbis, & in ſpecie de febribus, quædam dicuntur *continuæ*, συνεχεῖς, quæ in totum non intermittunt, licet aliquando quædam remiſſio appareat. *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 2. vide comm. Gal. *in h. l.* Recentiores vero *continuas* iterum ſubdiviſerunt in *continentes*, συνόχους, de quibus p. a. vocab. *Continens*; & *continuas* ſtricte dictas συνεχεῖς, quæ etiam non quidem totaliter intermittunt, interim vel quotidie, aut tertio, aut quarto die, aliove, exacerbationem habent. Sylv. *l.* 1. *c.* 31. (3) ſumitur pro indicatione medica contra ſolutam unitatem; v. g. ulceris indicatio dicitur vel unitio, vel agglutinatio, vel coitio, vel *continuitas*, aut *continuatio*, συνέχεια. Galen. *l.* 3. *Meth. Med. c.* 10.

CONTORQUEO, ἐπιστρέφω, accipitur ab Hipp. de vertebris colli intortis, 4. *aph.* 35. *Contorſio* aliquando etiam idem eſt, quod *Ileus*, volvolus, chordapſus, ſeu miſerere mei. Rul. & Iohnſ. *Contorſio* quoque vocatur ſpecies dislocationis oſſis incompletæ, in qua non exit totaliter, Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 2. *c.* 1. Foreſt. *l.* 9. *Obſ. Chirurg. Obſ.* 1. *Schol.* In ſpecie *contorſio* eſt luxatio vertebrarum dorſi in latus aliquod, & ita ſpecies gibboſitatis, Avic. *l.* 3. *fen.* 21. *tr.* 2. *c.* 12.

CONTORSIO vocatur affectus capitis rarus Arnoldo Bootio inter omiſſos numeratus, B. vero Meibomio bis viſus, quando caput in unam ſolum partem convertitur & torquetur, cujus exemplum ſingulare legitur apud Pechlinum *l.* 2. *Obſ.* 31. *p. m.* 293. de cujus cauſa dubitat, an in uno latere obſtructio, ſive ſpaſmotica contractio, an vero muſculorum in altera parte pareſis ſit dicenda.

CONTRACTIO, συστολὴ, vocabulum eſt homonymum. In ſtatu naturali ſumitur de actione muſculorum propria, Gal. *l.* 1. *de mot. muſc. c.* 9. Jung. Charlton. *Oecon. anim. Ex. XI.* Nic. Sten. *de Muſcul. & Gland.* Anonym. *de rat. mot. muſc.* apud Williſ. *Anat. Cerebr.* alioſque Anatomicos. Qua ſignificatione etiam de corde dicitur, quando ſanguinem e venis in ventriculos receptum in arterias, pulmonalem & aortam, exprimit ſeſe *contrahendo*, cui opponitur *diaſtole*, διαστολὴ, quæ non eſt vera diſtenſio, ſed ſaltim *relaxatio*, ſeu ad priſtinam figuram regreſſus. Vide *Cor.* Vera autem *diſtenſio* ſaltem in arteriis per ſyſtolen cordis magis oppletis locum habet, unde pulſus oritur. Vide *Pulſus.* 2. In ſtatu præternaturali accipitur de partium ſolidarum abbreviatione aut corrugatione, cum impotentia, vitiumque & actionum ſuarum deſtitutione, Galen. *de opt ſect. ad Thraſ. cap.* 51. Quæ membra dicuntur *contracta*, συνεσταλμένα, Hipp. 2. *de iis, q. in med. t.* 32. quibus opponuntur *diducta*, vel *expanſa*, ἐκπεπταμένα. Et affectus hic tendinum nervorumque proprius vulgo dicitur *contractura*. Paracelſ. *Theoric. fig. morb. univerſ. Tab.* 4. Rul. Helmont. *Sed anim. n.* 32. &c. cujus cauſſa

haud dubie in acido quodam ſpiritu vel halitu nervoſis partibus inimico ponenda, Gr. ἀγκύλη, vide *Ancyloſis.* *Contractæ* febres vocantur, quæ breviores in ſuo genere exactis morbis habent paroxyſmos, & his opponuntur *productæ*, quæ longiores habent paroxyſmos. Ionſton. *Syntagm. Medic. Univerſ. Part. II. Lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 2. *p.* 167.

CONTRADICTIO, ἀντιλογία; quando quis alterius ſententiæ & verbis κατ' ἀντικρυ e directo ſeſe opponit, eaque inficiatur. Fit vero non ſolum juſte, de quo Linden. *Ex. XII.* §. 162. ſed & haud raro falſo, vel ex petulantia, dum inter homines dantur, qui ſemper *contradicere* audent, eaque vituperare, quæ nunquam didicere, vel cognovere. Gal. *c.* 3. *in Hipp. l. de iis, q. in med. t.* 32. Et adverſus hos leges ſtatuendas optavit *l. adv. Julian. c.* 1.

CONTRAFISSURA, ἀπήχημα. Vide *Apechema.*

CONTRAHENS, vide *Contractio. Contrahens* quoque in parte pharmaceutica dicitur medicamentum, συνάγον, Gr. quod coincidit cum *condenſante*, πυκνωτικῷ, Galen. *l.* 5. *de S. F. cap.* 14.

CONTRAINDICATIO, ἀντένδειξις, *contraindicans,* ἀντενδεικνύμενον. Vide *Antendeixis.*

CONTRALUNARIS, Græce verti poſſet ἀντισέληνος, vel ἀντισεληνιαῖος. Uſus hoc vocabulo Dieter. de fœminis menſtrui immunditiæ ſuæ tempore concipientibus. *Iatr. n.* 586.

CONTRARIUS, ἐναντίος, quid in genere ſignificet, notiſſimum eſt. Ita & in foro medico *contrarium* dicitur de corporibus diverſis: Ita magnum parvo, laxum denſo, plenum vacuo eſt *contrarium.* De qualitatibus & potentiis; ita calidum frigido, humidum ſicco, aperiens obſtruenti, & viceverſa, *contrariatur*, imprimis vero in methodo medendi omne fert punctum, ceu ſcopus univerſaliſſimus, *contraria contrariorum eſſe remedia*, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ὑπάρχειν ἰάματα, quemadmodum hoc paſſim ex Hipp. & Gal. ſcriptis liquet, de cujus axiomatis limitatione vide ſis *Dogm. noſtr. P.* 4. *c.* 3. *dogm.* 3. *p.* 482. *ſeqq.* In ſtricta ſignificatione *contraria* dicuntur, quæ utrinque à medio æqualiter diſtant. Gal. *c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 20. *Contraria* realiter in natura exiſtere negare auſus eſt Helmont. *tr. Natura contrariorum neſcia*; Verum an feliciter & accurate hoc fecerit, non eſt hujus loci ventilare. Accipitur & *contrarium* de ſententiarum repugnantia & oppoſitione, & ita pene coincidit cum *contradictione*, in qua acceptione rectiſſime dixit Libav. *Alchymiæ tranſmutat. defenſ.* 2. contra Guibert. *Apolog. c.* 9. *T. III. pag.* 159. *Contrarii abſurditas veritatem contrarii confirmat. Contrarius* quoque idem aliquando eſt, quod *adverſarius*, hoſtis. Ita medicus *contrarius* vocatur is, qui fas profeſſionis egreditur, Diis hominibuſque inviſus, ap. Scrib. Larg. *n.* 199. *edit. Rhod.*

CONTRITIO, σύντριμμα, σύντριβη, σύντριψις; idem, quod ſimplex *tritura, tritus, tritio*, τριβή, τριμμός, eſt ſpecies comminutionis rerum craſſiorum & ſolidiorum, vel ſimplicium, vel compoſitarum, Wekerus *Antidotar. gen. l.* 3. *c.* 6. vocat *tuſionem*, ubi vide plura Schenck. *Syntagm. comp. & præſcr. med. p. m.* 289. Dicitur & craſſa minerva *pulveriſatio.* Vide *Pulvis, ſpecies.* Jung. *Lexic.* Rhodii *Scribonian. p.* 367. Aliquando, ſed abuſive, *contritio* vocatur ſolutio corporum, quæ fit per corroſionem. Vide *Corroſio.* Ita incertus autor *de Magni lapidis compoſ. c.* 39. in *Theatr. Chym. Vol. III. p.* 36. *Contritionem draconis* vocavit, quæ non fit ſuper marmore, nec manibus hominum, ſed eſt tantum aqua, quæ terit, & penetrat corpus & draconem de natura ſua propria & virtute.

CONTROVERSIA, τὸ διαφέρεσθαι, ἔρις. Vide *Contentio.*

CONTUMAX, contumacia, quid ſignificent, & quod ſint ſynonyma vocum pertinax & pertinacia, ex aliis Lexicis jam notum eſſe poteſt ac debet. Gr. ἀπειθὴς, ἐπίμονος, &c. In ſpecie vero eſt egregium epitheton morborum quorundam, qui vel diu durant, alias chronici dicti; vel ſæpe repullulant, vel in aliam faciem permutantur, vel alia novaque ſymptomata producunt, quemadmodum egregie morborum contumaciam expoſuit D. D. Stahl *in Propemtico quodam ad Diſp. Inaugural.* Dn. Hermann. Paul. Iuch. *de Hæmorrhoidalium motuum ſpaſmoticis affectibus.*

CONTURBATIO, τάραξις. Vide *Taraxis.* Legitur apud Joh. Stephanum *Paraphraſ. in Avic. l.* 3. *fen.* 3. *c.* 6. *p.* 158.

CONTUS, κόντος, dicitur inſtrumentum oblongum, quo naves reguntur & promoventur; nec non varia ferrea inſtrumenta longa in metallifodinis neceſſaria, v. g. *Contus* foſſorum, *Contus* tertius, *Contus* uncinatus, &c. Rul.

CONTUSIO, θλάσις, θλάσμα, Ionice φλάσμα, vel dicitur de morbo & ſpecie ſolutionis continui, cum grave aliquid ſupra corpus incidit, ac id ipſum collidit & continuitatem ſolvit citra deperditionem manifeſtam ſubſtantiæ aut externam rupturam, ubi plerumque in parte carnea cruor ſub cute colligitur; & *ſuggillatio*, ἐκχύμωμα, ſive effuſio dicitur, quia venæ exiguæ ſub cute rumpuntur, Gal. *c.* 3. *de his, q. in med. t.* 30. *de tum. p. n. c.* 105. In ſpecie quoque θλάσις, *contuſio* dicitur cranii vel calvariæ receſſus & incurvatio à violenta illiſione abſque fractura; quale quid ſtanneis vaſis & plumbis contingere videmus, ſi foris illidantur. Gal. *in def. Medic.* Jung. P. Æginet. *l.* 6. *c.* 60. & Job. à Meekren *Obſ. Chirurg. l.* 1. *p.* 13. *ed. Lat. Blaſii.* Res illa, quæ eſt cauſſa *contuſionis*, dicitur *contundens*, θλῶν, corpus grave ac durum, *Meth. Med.* 2. Membrum vero vel pars affecta, *contuſum.* θλασθὲν, διαθλασθὲν, *l.* 1. *de C. M. P. G. cap.* 4. item θλάσμα, Ionice, φλάσμα. Jung. *Lex. Scribon.* Rhodii *p.* 367. Vel dicitur de modo dividendi rem craſſiorem & ſolidam in particulas minores, ita plerumque coincidit cum *contritione*,

ne, quamvis hæc in minimas particulas dividat, *Contuſio* etiam portiunculas craſſiores complecti poſſit. Fit illa *Contuſio*, vel piſtillo in mortario, vel alio inſtrumento graviori, quo res ſolida diſſolvi poteſt. *Contuſum* dicitur etiam jus confortativum, ad cujus præparationem poſt coctionem carnoſarum partium oſſa etiam contunduntur in mortario, ut ſuccus exprimi poſſit. Eſt ſpecies juris conſummati reſtaurantis. Blaſ. *Med. Un. p. m.* 78.

CONVALESCENTIA, ἀνάληψις, ἀνάστασις ἐκ νόσου, eſt ſtatus ille hominis, in quo morbo prius defuncti & debiles incipiunt reſumere vires, & fieri rurſus habiles ad obeunda munera intermiſſa, verbis Linden. *Ex. XIII.* §.241. Tales dicuntur *Convaleſcentes*, ἀναληπτικῶς ἐχόμενοι, vel ἀναλαμβάνοντες ἐκ νόσου. Hos habere optimum licet paucum ſanguinem, unde renutritione & attemperatione potius tractandas eſſe, quam evacuationibus, recte docuit P. M. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 35. *A.* At ars, quæ ſpectat ad eos, *analeptice* dicta fuit ἀναληπτική, Galen. *de conſtit. art. med. c.* 20. quæ potiſſimum in dextra rerum ſex non naturalium applicatione conſiſtit. Statum *convaleſcentiæ* quidam ad *neutrum* referre non dubitant, quod quidem per nos licet, quamvis citra neceſſitatem urgentem fiat, vide *Dogm. noſtr. Prælimin. p.* 8. 9.

CONVENIENTIA, *Conveniens* duabus potiſſimum gaudet ſignificationibus. 1. ſignificat ſimilitudinem quandam, & idem eſt, quod *concordantia*, ὁμοιότης, ἁρμονία, Gal. *de ſubfig. empir.* 2. idem denotat, quod utile, *congruum*, conferens, σύμφορον, ἁρμόζον, προσῆκον. Dieter. *Iatr. n.*105. 589. 728. 929. Scribon. Larg. *n.*97.101. vide *Chreſimos.*

CONVERSATIO, ὁμιλία, vide *Homilia.*

CONVEXUS, κυρτὸς, κυφὸς, ſignificat protuberantiam & *gibbum*, qua naturalem, qua præternaturalem; & opponitur ei *Cavum*, τὸ κοῖλον, Gal. *6. aph.* 46. Ita hepatis pars exterior verſus hypochondria ſpectans dicitur *convexa*, *gibba*, κυρτή, quemadmodum interior *ſima*, σιμή. Ruff. *l.* 1. *c.* 28. allegante Lind. *Phyſiol. Med. l.*2.*c.*5. §. 91. In ſtatu p. n. *gibboſi* in dorſo ex vertebrarum ſitu mutato & luxatione dicuntur *convexi*, κυρτοὶ, alias κυφοὶ, ὑβοί. Galen. *dicto loco.* Hinc & hypochondriorum tumores & protuberantiæ κυρτώματα, i. e. *convexitates* ſive *gibboſitates* leguntur apud Hippocr. *Prognoſtic. ſect.* 2. *t.* 25. Jung. Galen. *comm. ad h. l.* quo nomine & gravidarum venter protuberans venit, 2. *Prorrh. XXXV. 6.* nec non à flatibus diſtenta alvus, *l.* 4. *Epid. VII. 6.* lien tumidus, & veluti *convexus*, κυρτὸς σπλὴν, *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *n* 65. Vide Foëſ. *p.* 366.

CONVIVIUM, συμπόσιον, quid ſignificet, notius eſt, quam ut indigeat verbis. Conſideratur vero in medicina, ut res non naturalis, medio ſe habens modo ad ſanitatem, vel conſervandam, vel deſtruendam. Illo reſpectu *Convivium* eſt commilitonum homilia, alacritatis animi pabulum, amicitiæ philtrum, & benevolentiæ parens. Imo, uno verbo, (juxta Ariſtarchi ſententiam) *convivium* ſobrie inſtitutum præſens animi corporiſque eſt pharmacum, deſcribente Langio *l.* 1. *Ep.* 1. Adde *l.* 3. *ep.* 6. Hoc vero reſpectu, quando ſc. abuſus intervenit, pertinet ad cauſſas procatarcticas morborum, & in ſpecie ad victum largiorem & importunum. Fucum in faciebus *convivantium* fœminarum detectum lege apud Gal. *orat. ſuaſ. ad art. c.* 6.

CONVOLVULUS, ἴψ, eſt nomen inſecti, vel vermiculi, qui ſe involvit pampino vitis. Dicitur & *involvulus*, apud Plautum, & *volvox*. Plura vide apud Linden. *Sel. Med. Ex. V.* §. 109. *ſeqq.* Deſcriptionem reperies ap. Aldrovand. *l.* 4. *de inſect. c.* 4.

CONUS, κῶνος, (1) ſignificat figuram, quæ à plurimis rectis lineis circuli extenſis in unum punctum coëuntibus circumſcribitur, Gal. *l.* 10. *de Uſ. P. c.* 12. *l.* 3. *de dign. pulſ. c.* 2. Helm. *tr. Formarum ortus n.* 39. Unde & corpus hujuſmodi figuram habens *Conus* dicitur, i. e. inverſus tubo, pyramis. (2) ſignificat *nucem* quandam, quam Hipp. κόκκαλον, recentiores στρόβιλον vocant, quam haud dubie etiam Gal. intellexit, inter edulia multi ſeminis referens, *l.* 5. *de Simpl. Fac. c.* 23. *Picem liquidam* à nonnullis κῶνον appellatam fuiſſe, ſcripſit Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 94. vid. Ant. Saraceni *Scholia ad h. l.* (3) *Conus fuſorius* dicitur vaſis chymici ſpecies, in quo aliquid funditur ſive liquatur. Morley *in Proleg. Collect. Chym. Leid. c.* 2. *fin.*

CONVULSIO, σπασμὸς, quæ vox etiam in Latinitatem recepta, *Spaſmus.* Qui vero ex recentioribus diſcrimen aliquod inter *Convulſionem* & *ſpaſmum* dari ſibi perſuaſum habent, nec autoritate ſufficienti, nec ratione certa nituntur: non illa, quia plerique veterum & recentiorum Græcorum & Latinorum indifferenter iis uſi ſunt: non hac, quia Latinum nomen *Convulſio* vix alio uſitato ac ne vix quidem quam per vocem σπασμὸς exprimi ſolet vel poteſt. Cum omnes arbitrarii motus muſculis obeantur, quando ad ſua capita retracti, unaque particulam, cui inſeruntur, ſimul attraxerint, ſi affectus aliquis p. n. in tenſionem muſculos ducens iiſdem acciderit, hunc motus ſequitur ſimilis quidem naturali, ſed citra voluntatem, & vocatur affectus *Convulſio.* Gal. *l. de Trem. palpit. &c. c.* 8. *&c.* Hæc & plura alia Caſtellus. Quæ tamen vel nihil, vel parum ad rem faciunt: Libet ergo accuratius & clarius exponere: *Convulſio*, σπασμὸς, interdum accipitur late, comprehendens omnes motus convulſivos, præſertim *epilepſiam*, ut 3. *aph.* 25. *ſect.* 5. *aph.* 2. 3. 4. 70. *& ſ.*7. *aph.*18, *& alibi.* De *epilepſia* vero vide infra *ſuo loco.* Interdum ſtricte vocatu *Convulſio*, vel in toto corpore, vel certo membro, muſculoſarum partium contractio permanens & rigiditas durans, proveniens à ſpiritu animali ſive liquore nervoſo portionibus exploſivis nitroſulphureis inquinato, juxta Willis *in Pathol. cerebri*; vel à nimia fibroſarum partium repletione & diſtenſione, juxta Sylv. *Pr. M. l.*2. *c.*23. §.9. *ſeqq.* Univerſalis tres

ſunt

ſunt ſpecies; *Tetanus*, τέτανος, (quamvis & hoc vocab. generaliter pro omni ſpaſmo proprie dicto accipiatur) quando totum corpus æqualiter rigidum & immotum eſt: ἐμπροσθότονος, ſi corporis muſculi anteriores contrahuntur, & corpus verſus anteriora convellitur, quo morbo laboraſſe mulierem apud *Luc. c. XIII.* exiſtimat Dieter. *n.* 779. & ὀπισθότονος, quando corpus ad poſteriora convellitur, & in dorſum ac ſcapulas contorquetur. Particularis *ſpaſmi* ſpecies ſunt in oculis, *ſtrabiſmus*, στραβισμὸς, quando oculi vel ſurſum, vel deorſum, vel ad latera contorquentur. In ore, *ſpaſmus cynicus*, σπασμὸς κυνικὸς, eſtque affectio muſculorum maxillarium, per quam os, naſus etiam, labrum, adeoque dimidia faciei pars in obliquum torquetur. Vocatur & *oris tortura*. Gal. 4. *de Loc. aff.* 2. In mandibula, τρισμὸς, quando dentes invitis nobis cum ſonitu concutiuntur, quamvis hic affectus ad motus *convulſivos* particulares potius pertineat. Datur tamen & vera *Convulſio* mandibulæ inferioris, ita ut os occluſum permaneat; In pene *ſatyriaſis*, σατυρίασις, de quibus omnibus *ſuo loco*. Convulſiones interiorum partium leguntur apud Scribon. Larg. *n.* 165. Plura de vera *ſpaſmi* natura & cauſſis lege apud Cl. Willis *de Morbis Convulſivis c.* 1. 2. *ſeqq.* Datur & *convulſio flatulenta*, vulgo *Cramphus*, ex flatulento ſpiritu muſculos & tendines replente, præcipue pedum, qui levi quandoque frictione ſanantur. Liddel. *l.* 3. *art. med. cap.* 8. Helm. *de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 135. Alias Corn. de Bontekŏe nimis audacter bonam etiam ſignificationem tribuit, *convulſionem* dicens eſſe motum animalem partium muſculoſarum & fibroſarum, internarum & externarum, quemadmodum hoc patet *ex Opuſcul. de Natura* §. 4.

CONVULSIVUS, σπασμώδης, vel dicitur de affectibus *convulſionem* quadantenus æmulantibus, ita tamen, ut non revera ſpaſmi ſint, ſed motus ſaltem *convulſivi*. Gal. *l.* 1. *de præſag. expulſ. c.* 4. *&* *c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 69. Th. Willis omnibus morbis generaliter attribuit *d. l.* Vel uſurpatur de pulſu, qui alias *vibratus*, κλονώδης, vocatur, in quo ad utrumque terminum tenditur arteria, quem convulſio ſequi ſolet, Gr. σπασμώδης σφυγμὸς, Gal. *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 12. *&* 1. *de diff. pulſ.* 28.

CONVULSUM, σπάσμα, dicitur ſpecies ſolutionis continui partium nervoſarum, quales ſunt fibræ, tendines, ligamenta, tunicæ, citra rupturam, Hipp. 5. *aph.* 25. Gal. *de art. med. conſtit. c.* 6. *l.* 2. *meth. med. c.* 2. Spaſmata quoque ſumuntur pro contentionibus ac concuſſionibus totius thoracis, quibus à facultate animali commovetur ad expectorandum & repurgandum ſputum. Aut contractiones corporis & concuſſiones ſignificant, quæ cum rigore fiunt, aut horrore initio pleuritidis, cum ſanguis & ſpiritus ad locum inflammatione tentatum feruntur, ex Hippocr. *Coac. t.* 382. *&* 425. exponente ita Foëſ. *Oecon. p.* 578.

COOPERARIUS, *Cooperans.* Vide *Coadjuvans.*

COOPERTIO, περιβολὴ, tegumentum, *amictus*, vel amiculum, quo corpus ab aëris injuria munitur, quod legitur apud Hippocr. *l. de dec. ornat. IX.* 8. Deducitur à verbo περιστέλλειν, vel περιστέλλεσθαι, *cooperire*, *tegere*, quo aliquoties uſus Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.*44. *l.* 2. *Epid. ſect.* 2. *n.* 57. *ed. Lind. l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *ægr.* 3. *&* 15. Gal. *l.* 3. *de diff. reſpir. c.* 11. Item de ventre & utero fœtum inveſtiente *l.* 1. *de morb. mul. l.I.* 13. Legitur & de medicamento, quod denti imponitur, ut involvat, veluti emplaſtrum, apud Scrib. L. *n.* 56. Cartilago quoque θυρεοειδὴς, ſive peltalis aut ſcutiformis, dicitur *coopertoria* Caſtello.

COOPTATIO dicitur, quando res in deſtillatione fixantur, & præſertim, ſi res fixandæ aquam in ſe contineant, uti vitriolum &c. Iohnſon. *in Lex.*

COORDINATIO, σύνταξις. Vide *Syntaxis.*

COOSTRUM, dicitur *intermedia pars diaphragmatis.* Rul. *in Lex.*

COPAIVÆ *balſamus* dicitur exoticum quoddam oleum nativum denſius à loco natali, quemadmodum Peruvianus, Indicus aliique. Meminit ejus aliquoties Jacobus le Mort *in Chym. Medico-Phyſica*, præſertim *c.* 16. Egregium in Gonorrhœa, ingreditur elixir antivenereum. Junge Morley *Coll. Chym. Leidenſ. c.* 137.

COPAL, eſt nomen *Reſinæ* duriuſculæ, admodum candidæ, vel ex albo flaveſcentis, pellucidæ, ſuaveolentis, in maſſam redactæ, quæ aſportatur ex India occidentali, ſive nova Hiſpania, ubi ex vulnerata arbore guttatim ſtillat. Dicitur & *Pancopal.* Habet vires calefaciendi, humectandi, reſolvendi. Vid. Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 382.

COPELLA, eſt nomen medicamenti chymici vel paſtæ, qua crucibulum obducendum, ad purificationem facientis, cujus deſcriptio extat in Hartmanni *Miſcellan. Chymic. Medic. h. tit. Tom. VI. Oper. in fol. p.* 6.

COPHOS, κωφὸς, non ſurdum & mutum tantum notat, ſed & ἀμαυρὸν καὶ ἀσθενῆ, hebetem & infirmum, & hinc verbum κωφόω, quod idem ſignificat, ac ἀμαυρόω, ἀμβλύνω, obſcurus vel hebes ſum. Galenus *in exeg.*

COPHOSIS, κώφωσις, Lat. *Surditas*, eſt abolitus, vel valde imminutus auditus, proveniens à deficiente ſpiritus animalis per nervum acuſticum affluxu & diſtributione propter varios morbos internos, vel externos inducta. In ſpecie *ſurditatis* à tympani relaxatione meminit Willis *Anim. Brut. part.* 1. *c.* 14. Alias duplex eſt, alia in fieri, quæ fugax eſt & levis, qualis repente fit in febribus. Gal. 4. *aph.* 28. *&* 60. & 1. *in* 1. *prorrh. t.* 32. alia habitualis, ſtabilis & fixa, quæ à variis morbis internis provenire poteſt. Foëſ. *Oec. p.* 370. Dieter. *Iatr. n.* 491. Alias duas ſpecies recenſet Linden. *Ex. IV.* §. 79. κωφὸς etiam *mutuum* ſignificat: Vide *Mutus*; quia *muti* à nativitate plerumque *ſurdi*. *Eph. N. C. ann. I. O.* 15. *Schol.*

COPIA, πλῆθος, ἁδρότης, idem, quod *multitudo*, *abundantia*, vide *Plethos*, *Hadros.*

COPISCUS, κόπισκος, eſt ſpecies thuris in Arabia &

& Smilo naſcentis, quod Indico minus multo & fulvius eſt. Dioſcorides huic ſecundum locum attribuit *l.* 1. *c.* 81.

COPOS, κόπ☉, *Laſſitudo*, *Fatigatio*, dicitur talis affectio corporis, qua pleræque functiones animales ob debilitatem quandam ſucci nervoſi præpedite ac minus vegete exercentur. Hinc potentia locomotiva vacillat, & ita affecti otium & ſeceſſum amant, corporis exercitia & labores devitant, penſa quævis ægre ſuſcipiunt, eaque ſtatim delaſſati remittunt, ut liceat (quidni vero liceret?) verba de *laſſitudine* ſcorbutica Cl. Th. Willis *de Scorbuto cap.* 4. ſano ſenſu generalius accepta huc referre. Diſtinguitur *laſſitudo* in eam, quæ ſanis etiam competit poſt corporis exercitia & labores propter diſſipatos ſpiritus vitales & animales prius novo pabulo reſarciendos; & in hanc, quæ præternaturalis eſt & morbos comitatur. Et hæc triplex eſſe dicitur: *Tenſiva*, *phlegmonoſa* & *ulceroſa*. *Tenſiva*, τονώδης, eſt, quando ob copiam ſanguinis vaſa diſtendentem citra inſignem impuritatem muſculoſæ partes & fibroſæ impediuntur, ne per ſpiritus animales expandi ſatis queant. Quæ ſpecies etiam ad latitudinem ſanitatis pertinere videtur. *Phlegmonoſa*, φλεγμονώδης, quæ & *æſtuoſa* vocatur, eſt, quæ à plethora cum efferveſcentia conjuncta dependet, & non ſolum diſtendendo, ſed & æſtum inferendo membris muſculoſis & nervoſis afficit. Linden. *Ex. XIV.* §. 86. 87. Dicitur & ὀστεοκόπος. Hæc vel iis ut plurimum contingit, qui validi licet, aſſueti tamen exercitationibus non ſunt; vel acute febricitantes comitatur. Unde & tales febres κοπώδεις, ἢ καυσώδεις dicuntur Hippocrati 4. *aph.* 31. & 74. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 24. *Coac. t.* 642. quamvis ſi jam malignitas quædam concurrerit, tertia ſpecies *laſſitudinis* p. n. potius intelligi debeat, quæ eſt *ulceroſa*, ἑλκώδης, & hæc provenit ab impuritate ſanguinis & ſucci nervoſi plerumque ſeroſa & ſalina cum defectu ſpirituaſcentiæ & activitatis debitæ conjuncta. Hæc ſi fuerit in iis, qui ſunt in ſtatu decidentiæ, h. e. nondum revera ægrotant, ad morbos tamen valde diſpoſiti, dicitur *laſſitudo ſpontanea*, κόπος αὐτόματος, & ſignificat morbos imminere, Hipp. 2. *aph.* 5. Quædam vero ſequitur & comitatur morbos jam præſentes, imprimis vero ſcorbuti ſymptoma ſolet eſſe familiariſſimum. Willis *d. l.* & alii autores, qui de ſcorbuto ſcripſerunt. Κόπον aliquando etiam ipſum *laborem* vehementiorem ſignificare exiſtimat Foeſ. *ex Hippocr.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 12. *Oecon.* p. 148. Enimvero non video tantam neceſſitatem, cum ſenſus etiam integer ſit, ſi per *laſſitudines* vertatur vocabulum κόποι.

COPRAGOGUM, κοπραγωγὸν, i. e. *ſtercus e primis viis educens*, vocatur electuarium e zizibis leniens apud Ruland. *curat. Empiric. cent. X. cur.* 79. & ex hoc apud Luc. Tozzum *Pract. Med. Part. II.* p. 130.

COPRIEMETOS, κοπριήμετ☉, id eſt, *merdivomus*, quando quis ſtercora vomitu per os rejicit in ileo deſperato. Uſus hac voce Hippocr. 2. *Ep. ſ.* 1. *n.* 71. *edit. Lind.*

COPROS, κόπρ☉, *ſtercus*, fimus, excrementum alvi in prima coctione ſegregatum ſignificat. Dicitur & Hippocr. κόπριον, κόπρανον, *Coac. tit.* 214. & 602. Conſideratur, vel ut res ſec. nat. quatenus eſt conſequens ſanitatis, vel ut res non naturalis, quatenus eſſe poteſt cauſſa procatarctica ſanitatis & morborum, vel ut res p. n. tanquam ſymptoma, ſi excrementa videlicet corrupta morbum ſequantur; vel ut medicamentum, quamvis ſordidum, & merito quoad internum uſum abrogandum. De facultatibus diverſorum ſtercorum vide Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 17. & *l.* 10. *tit. Copros.*

COPTON, κοπτὸν, κοπτὴ, dicitur medicamentum ad *placentæ* formam contundendo redactum, ſic dictum, quod non coqueretur, ſed tunderetur. Meminit Æginet. *l.* 7. *c.* 18. tanquam externum & parti affectæ ſtomacho, vel jecinori, imponendum. Interim & Gal. ad interna arteriaca dicta, h. e. quæ contra tuſſim & alia aſperæ arteriæ vitia adhiberi poſſunt, retulit *coptarium*, κοπτάριον, h. e. placentulam contra tuſſientes. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2.

COPULA, dicitur Capivaccio genus ſomni naturalis, & nihil aliud denotat, quam immobilitatem partis ſenſitivæ, *l.* 1. *Practic. cap.* 18. *p. m.* 528. *ſeq.*

COPULA, σύνδεσμ☉, idem, quod *ligamentum*, vide infra *lit. L. Copulatio*, vide *Coniugium*. *Copula* carnalis vocatur ipſe coitus maris & fœminæ, imo etiam ſimpliciter *copula* apud P. Zacchiam *in quæſtionibus Medico-Legalibus*. Loca quærantur *in Indice*.

COQUUS, ὁ μάγειρ☉, miniſter medici, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 11. qui proprie alimenta præparat ad victum quotidianum pro conſervanda, aut recuperanda ſanitate; Per metaphoram ad pharmacopœum quoque refertur, dum & ipſe *coquendo* quædam facit medicamenta. Imo & ventriculus dicitur *Coquus* noſter communis tropice; eſt enim coctionis officina & inſtrumentum, non quidem propria facultate, ſed beneficio fermenti & adjacentium viſcerum caloris vitalis. Vide *chylificatio*. Dicitur & *cocus*, præſertim in plurali *coci*, ad differentiam infinitivi paſſivi *coqui*, vid. *not.* Rhodii *ad Scrib. Larg. n.* 111.

COR, καρδία, dicitur ratione neceſſitatis & utilitatis principaliſſima pars ſolida organica corporis carnea muſculoſa, conſtans duabus cavitatibus, quæ *ventriculi* dicuntur, ſiniſtro anguſtiori, dextro capaciori per intermedium carneum ſeptem multis ſcrobiculis, ſed impervijs præditum diſtinctis, & duabus ad baſin, ſive partem latiorem annexis appendiculis, quæ *auriculæ*, vel *aures cordis* vocantur, exterius membrana quadam veluti amiculo munita, quæ *pericardium* appellatur, e vena cava ad auriculam dextram ſanguinem à toto corpore refluum excipiens, abhinc in ventriculum dextrum aſſumens, inde per contractionem & coarctationem in arteriam pulmonalem per ſubſtantiam pulmonis expellens,

pellens, poſtea per venam pulmonalem refluentem in auriculam ſiniſtram, & ex hac in ventriculum ſiniſtrum recipiens, medianteque contractione cum contractione ventriculi dextri coincidente in aortam, ſive arteriam magnam, per totum corpus diſtribuens. De *cordis* ſtructura videantur anatomici, & inter hos Linden. *Medic. Phyſiolog. l. 2. c. 6.* Bartholin. *Anat. l. 2. c. 6.* Tropice *cor* quoque dicitur *macrocoſmi* ſol, & viceverſa *cor* hominis ſol *microcoſmi*. Parac. *de Peſtil. Tract.* 1. *&* 2. alibique. Inter metalla *cor* dicitur *aurum*, inter elementa *ignis*. Rul. *in Lex.*

CORACINE, *ſphragis*, κορακίνη, σφραγὶς, eſt nomen paſtilli, quem ex Aſclepiade recitat Gal. *l. 5. de C. M. P. G. c.* 11.

CORACINUS, κορακῖνος, nomen piſcis, qua fluviatilis, præſertim in flumine Nilo, qua marini, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & medicina vide apud Aldrov. *l. 1. de piſc. cap.* 15. Bruyerin. *de re cib. l.* 19. *c.* 40. Differt à *corvo*, vel *corace*, de quo mox. Dicitur & *Graculus*. Galen. 3. *de alim. fac. cap.* 31.

CORACOBRACHIÆUS. Vide *Coracoides*.

CORACOIDES, κορακοειδὴς, eſt epitheton proceſſus acuti exiguique in interiore parte oſſis cervicis & ſcapulæ, qui, cum anchoræ vel corvini roſtri ſimilitudinem referat, *ancyroides*, ἀγκυροειδὴς à nonnullis, *coracoides* ab aliis nuncupatur, quandoquidem extrema ejus pars, uti corniculæ roſtrum, ad exteriora inclinat, Gal. *l. de oſſib. t.* 14. *c.* 1. *de art. t.* 2. De hujus oſſis deſcriptione, vide & Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 19. qui & σιγμοειδῆ dici, & per hunc proceſſum & cavitatem ſcapulam cum brachio jungi teſtatur. Ab hoc proceſſu propter originem & adhæſionem nomina quoque obtinuerunt muſculi *coracoidei*, vel *coracobrachiæi* & *coracohyoidei*, de quibus vide eund. *Anat. l.* 4 *c.* 1. *& l.* 3. *c.* 12.

CORALLATUM, eſt nomen medicamenti apud Paracelſum, cum epitheto *diaphoreticum*, cujus deſcriptionem vide apud eund. *l.* 3. *de morb. Gall. c.* 25. & explicationem apud Libav. *Apocal. Hermet. part. prior. c.* 5.

CORALLINUM, epitheton *Arcani* cujuſdam Paracelſici, quod alias dicitur *mercurius ſublimatus rubeus non corroſivus*, cujus deſcriptionem ex Crollii *Baſil. Chymic.* repetiit Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *cap.* 29. *fin.* Liquoris *corallini* meminit Parac. *l.* 3. *de vit. long. c.* 12. *Arcanum corallinum*, quod ex eſſentia auri eſt, laudat idem Paracelſ. adverſus Podagram *l.* 2. *de vit. long. c.* 1. de triplici *arcano corallino* Paracelſi vide Libav. *Apoc. Herm. p. prior. c.* 5. Hujus *arcani corallini Paracelſici* modum præparandi manifeſtare quoque voluit Helmont. *de febrib c.* 10. §. 10. 11. quod fieri debeat per abſtractionem liquoris alcaheſt à mercurio vulgo venali. Enimvero cum æque obſcurus ſit liqu r alcaheſt, facile quis intelliget, & hoc arcanum Paracelſicum eſſe revera arcanum, h. e. obſcurum, & ita medius negligi, quam operoſius inquiri, præſertim cum ſit mercuriale, cui temere non eſt fidendum.

CORALLIUM, *Coralium*, *Corallus*; κοράλλιον; κόραλος, imo & *Curalium*, quaſi τῇ κουρᾷ ἁλωτὸν, i.e. *tonſura* & *præſectione captum*, *Baſad* Arab. an inter vegetabilia, an vero mineralia referri debeat, valde dubium eſt. Ex utraque parte militant Viri doctiſſimi. Gorræus per lapidem ex pingui in mari arboris in formam concretum deſcripſit. Schröderus quoque *l.* 3. *c.* 6. lapidibus pretioſis ſubjunxit; cui ſubſcripſit Fr. Hofmann. *in clav.* vocans lapideam ſeu ſaxeam in fruticis ſpeciem concretionem, Helmont. *tr. Poteſtas medic. n.* 62. etiam lapidibus annumeravit, quamvis *tr. de Lith. c.* 1. *n.* 16. plantam lapideam dixerit. C. Hofm. vero *l.* 2. *Officin. c.* 153. §. 24. vegetabilibus annumerare non dubitavit, imitatus Ferdin. Imperatum *l.* 27. *Hiſt. nat. c.* 2. dicentem: Li *coralli* ſono numerate tra le piante, c' han vita nell' humore. Fruticem quoque marinum & plantam vocavit Chioccus *in Muſ. Calceolar. ſect.* 1. *in princ.* Noſtrarum non eſt partium, litem hanc dirimere; utpote, quod in foro medico ignorare parum affert detrimenti, ſcire parum emolumenti; Quemadmodum & hunc ſcrupulum: An *corallia* in fundo maris mollia naſcantur, & demum in aërem liberum producta indurentur in lapideam concretionem? De quo dubio videantur dicti autores: Placet tamen Frid. Hofmanni ἐπίκρισις distinguendo inter illorum germinationem & perfectionem: Quoad illam, mollia eſſe poſſunt; quoad hanc, dura quoque reperiuntur in profundo maris. De eorum generatione, differentiis, viribus, quas quidem chymici pene incredibiles attribuunt, videantur modo laudati autores, quibus jungantur Paracelſ. paſſim in ſcriptis ſuis, Croll. *in Baſil. Chym.* Ruland. *in Lex.* Iohnſ. &c. Jungatur & Iunken. *Chym. Med. Phyſ. P.* 1. *ſ.* 4. *c.* 8. *p.* 309. De *coralliis factitiis* vide etiam Paracelſ. *l.* 7. *de tranſmut. rer. natur.* Meminit & Rul. *d. l.*

CORAX, κόραξ, *Corvus*, Lat. æquivocum eſt nomen: (1) ſignificat *avis* rapaciſſimæ & notiſſimæ genus, cujus deſcriptionem & uſum vide apud Aldr. *l.* 12. *Ornith. c.* 1. adde Schröder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 51. (2) eſt nomen *piſcis* marini, corporis forma *milvo* piſci ſimilis, carne duriori præditi, non tamen contemnendi in cibis; De hoc vide. Rond. *l.* 10. *de piſc. c.* 71. Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 57. Hiſtoriam de *corvis* albis in Wetteravia vide *in Ephem. Nat. Cur. Ann. III. obſ.* 57. (3) *morbus* quoque in oculo, qui *ægilops* alias vocatur, Haliabbati dictus fuit *corvus*, teſte Manardo *in Epiſt.* (4) *Corax*, nomen eſt etiam medicamenti, videlicet *paſtilli* perutilis ad putridorum ulcerum, præſertim pudendorum nomas, cujus deſcriptio bis habetur apud Aët. *l.* 1. teſte Gorræo *p.* 241. Taceo plures ſignificationes huc plane non pertinentes, quas diligenter collegit Aldr. *Ornithol. d. l.* §. *Æquivoca.*

CORDA, *Chorda*, χορδὴ, vide *Chorda*.

CORDINEMA, κορδίνημα, ſcribitur & σκορδίνημα, ſignificat autem idem, quod καρηβαρία, vide ſupra *Carebaria*, i. e. *capitis gravitatem*, eo quod τὸ κάρα δινεῖται, caput in orbem vertatur, ita exponente Erotiano *in* Ono-

Onomaſtico p. m. 58. quamvis Hipp. ſemper uſus ſit vocab. σκορδίνημα pro *tenſione membrorum*, & verbo σκορδινᾶσθαι, tendi, *l.* 2. *Epid. ſ.* 3. *n.* 34. *& l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 4. ubi legitur σκορδινασμοὶ, *tenſiones membrorum* cum oſcitatione, *& l. de ſuperfœt. IX.* 3.

CORDIS compreſſio, cartilaginis mucronatæ depreſſio mulierculis. Septalius *de morb. mucronatæ cartil. c.* 2.

CORDOLIUM, καρδιαλγία. Laurenbergius *in antiquario.*

CORDOSUM, epitheton eſt fili contorti, inſtar reſtis ex diverſis filis, ut capreolum repræſentet, ſicut e Nicol. Florentino notavit Rhodius *de Acia p.* 212. barbare quidem, ſignificanter tamen ita vocari.

CORDYLA, κορδύλη, nomen piſcis, vide *Thunnus.*

CORE, κόρη, primum ſignificat *puellam*, *virginem*, quæ nondum nupſit, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 4. *Coac. t.* 549. Jung. C. Hofm. *in Galen. de Uſ. part. l.* 7. *n.* 482. dicitur & eidem ἡ κοῦρης *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 28. deinde ſignificat *pupillam*, mediam iridis in oculo partem, per quam viſus peragitur, ſive minorem oculi circulum intra iridem comprehenſum, per quem cernimus. Eſtque nihil aliud, quam tunicæ, quæ ῥαγοειδὴς, *Uvea* dicitur, foramen, in eum uſum à natura factum, ut per ipſum res viſibiles humori cryſtallino, vel potius ſpiritui animali & nervi optici expanſioni retiformi facilius paterent. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. in hac ſignificatione uſus Hipp. 2. *Prorrh. XXIIX.* 16. 31. Vide Foëſ. *Oec. p.* 349.

COREMA, κόρημα, ſignificat vel *purgamentum*, quod verrendo collectum eſt, vel ipſas quoque *ſcopas*, quibus vertitur, Gorr. *in def. d. l.* quamvis nullam addiderit autoritatem. Medicamenta quoque ad exterendam & levigandam cutim commoda vocat P. Ægineta κορήματα. *l.* 7. *voce Oſyris.*

CORIS, κόρις, id eſt, *Cimex*, vide ſupra.

CORIUM, βύρσα, δέρμα, δέρας, σκῦτος, quid ſit, etiam vulgo notum eſt, nimirum cortex, quo caro tegitur, quodque deglubi à carne poteſt, Lind. *Ex. V.* §. 42. *Coria* molliri per oleum dixit Galen. *l.* 2. *de S. F. c.* 5. *Coria* vetera uſta ad attritiones commoda eſſe legitur, *l.* 2. *de S. F.* De aliis *Corii* uſibus variis vide Aldrov. *l.* 1. *de quadruped. biſ. c.* 1. *p. m.* 334. *ſeqq. ed. Bonon.* *Cortex* quoque exterior granorum & fructuum *Corium* dicitur, v. g. *Coria malorum*, Scrib. Larg. *n.* 111. mali granati, *n.* 234. unde contracte *malicorium* dicitur *in offic.* Vide Rhod. *in not. ad h. l.* & *in Lex. Scribon.* Ervum ſine *corio*, Veget. *l.* 3. *c.* 4. *Corium terræ* legitur apud Rul. *in Lex. Coriaceum*, de animalibus legitur, βυρσώδης, apud Galen. *l.* 3. *de Al. F. c.* 41.

CORNELUS, *Carneolus*, vide *Sardius lapis.*

CORNESTA, idem, quod *Retorta.* Morley *Collect. Chym. Leidenſ. proleg. c.* 2.

CORNEUS, κερατοειδὴς, *Corniformis*, vide *Ceratoides.*

CORNICULA vocatur inſtrumentum chirurgicum parvum excavatum, quod majoribus membri aridi vaſis adhibitum ſine igne & ſolo oris ſuctu per exile & ſummum foramen nutrimentum potenter attrahit, teſte Sculteto *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XII. fig.* 7. ex Hildan. *Obſerv. Chir. Cent.* I. *Obſ.* 80. & Tulp. *l.* 3. *Obſ.* 49.

CORNICULARIS *proceſſus.* Vide *Ancyroides.*

CORNIGER, κερασφόρος, epitheton animalium, quibus cornua naturaliter accreſcere ſolent capiti. Dicitur & *cornutus.* Talibus animalibus plerumque deeſſe dentes ſuperiores notavit Galen. *l.* 6. *de Anat. admin. c.* 3.

CORNIX, κορώνη, κόμβα, κεραῖνα, eſt nomen avis rapacis corvini generis, cujus deſcriptionem, differentiam, & uſum vide apud Aldrov. *Ornithol. l.* 12. *c.* 2. Adde Schröd. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 50. *Cornix* etiam de oſſium proceſſibus acutis dicitur, Galen. *de oſſib. in proœm. l.* 2. *de V. P. c.* 14. Ita cubiti acutum proceſſum vocavit κορώνην Galen. *c.* 2. *in Hipp. de artic. in proœm.* & Hippocrat. *ſ.* 2. *de artic. t.* 5. κορώνον acutam apophyſin maxillæ inferioris. Barthol. *Anatom. libell.* 4. *c.* 11. *p.* 726. Horn. *Microc.* §. 12. D. D. Hofm. *Diſſ. An. ad h. l. p.* 33. 34. Vocantur autem ita hujuſmodi acuti proceſſus propter ſimilitudinem roſtri *cornicis*, Foëſ. *Oec. p.* 350.

CORNU, κέρας, dicitur proprie de eminentiis illis inſtar oſſium duris & ſiccis in quorundam animalium capitibus naturaliter productis, plerumque binis, rarius una, propriæ defenſionis gratia, quæ tamen inſignem etiam uſum præſtant in medicina, quorum catalogum vide apud Schröd. *l.* 2. *c.* 25. Apud Scribon. Larg. *n.* 8. 60. 141. legitur *cornum*, *corni*, *cornorum*, & plura hujusmodi inflexionis & declinationis exempla collegit ex aliis Rhodius *in Lexic. Scribon. p.* 367. Junge Robert. Keuchen. *ad Seren. pag.* 144. *&* 209. Aliquando tamen & præternaturaliter tales prominentiæ cum in brutis, tum in homine obſervatæ ſunt. Vide Hildan. *Cent.* 1. *O.* 25. *Ephemer. Nat. Curioſ. Tom. vel Ann. I. Obſ.* 30. & Nobiliſſ. D. D. Georg. Franci *Exerc. de Cornutis.* Jung. Boneti *Medic. Septentrion. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 1. *p.* 43. *ſeqq.* Ita pathologice *Cornua* quoque dicuntur additiones ſpiſſæ ſingulariter naſcentes ſuper juncturas in extremitatibus propter vehementiam operationis, Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 3. *c.* 14. Appellantur quoque *Cornua*, κέρατα, κεραίαι, uteri proceſſus, vel prominentiæ ad latera fundi uterini utrinque occurrentia, ubi vaſa deferentia inſeruntur, quæ tamen magis in non gravidis, quam gravidis notari poſſunt, Spigel. *de Hum. corp. fabr. l.* 8. *c.* 19. Aquapend. *de form. fœtu.* Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 29. Vide *Ceraæ.* Caſtellus vocat *apices matricis.* In ſpecie *Cornu Cervi* in chymicis eſt *alembici roſtrum.* Eſt autem in medicinalibus apud Paracelſ. herba vulneraria ob ſimilitudinem foliorum ad ejuſmodi *cornua* alludentem naturaliter ex arte ſignata, Rul. & Iohnſ. *in Lexic. Cornu divortii* ſpagyricis dicitur diſtractio duorum, vel potius trium principiorum eſſentialium, balſa-

Ee 2 mi

mi vitæ ſulphurei, Saliſque humidi diaphani, & Mercurii vitæ, ſive humidi radicalis; illius quidem per uſtionem; hujus vero per congelationem; Gerard. Dorneus *tr. Philoſ. Chymic. tr.* 2. *Vita brevis*, *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 468.

CORNUMUSA, idem, quod *Corneſta*, vel *Retorta*. Morley *d. l.*

CORNUSTIBIUM, à cornu, & ſtibio, h. e. gutto Corneo, in quo reponitur ſtibium, Anton. Nebriſſenſis *quinquagen. c.* 44.

COROLLA, στεφάνη. Vide *Corona*.

CORONA, ſumitur diverſimode: primum proprie Gr. στεφάνη, στέφανος, pro ſerto ex floribus, ſive faſce florum per ſeriem comprehenſorum. Hinc plectilis *corona* dicebatur. Junge Mercurial. *l.* 3. *Var. lect. c.* 9. & Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 271. Gal. *l. de cauſſ. procatarct. c.* 1. Ad cujus ſimilitudinem deinde per metaphoram, circulus varii coloris ab uvea tunica oculi dependens. *Corona* quoque dicitur, Galen. *c.* 1. *in progn. Hipp. t.* 10. Spigel. *l.* 10. *de H. C. F. c.* 9. quæ alias *Iris* vocatur. Ita & circulus ille in radice, vel baſi glandis in membro virili ſatis altam marginem habens, *Corona* appellatur, teſte Rolfink. *O. ac Meth. part. genital. part.* 1. *c.* 52. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 24. De *corona ſerpentina* ficta lege Libav. *tract. Chym. de Igne naturæ*, *cap.* 42. Barth. Euſtach. quoque *coronas* vocavit eminentias oſſium acutas, curvas, aut rotundas, *Opuſc. Anat. p. m.* 187. 188. quamvis ad Gr. κορώνη vocabulum hæc ſignificatio pertineat. Vide *Cornix*.

CORONARIUS, στεφανιαῖος. Vide *Stephaniæos*. Os *coronale* dici os frontis ſcribit Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 6. p. 706.

CORONE, κορώνη. Vide *Cornix*.

COROS, κόρος, *ſatietatem cum repletione* ſignificat, juxta Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 57. quamvis & alibi per *novella germina* e ramis adnata vertatur vox κόρσι, teſte Foëſ. *Oec. p.* 349.

CORPULENTIA, πάχος, παχυσμὸς, εὐσαρκία, παχύτης, *Corpulentus*, *Corporatus*, εὔσωμος, εὐσώματος, παχὺς, ἔνογκος, εὔσαρκος, opponitur maciei & extenuationi corporis, & abſumto, ἀτροφίῃ, καὶ λεπτῇ, καὶ ἐκπεπτηκυίῃ διαθέσει, 2. *aph.* 35. 44. *l.* 3. *aph.* 25. *l.* 5. *aph.* 46. *ſ.* 2. *progn. t.* 19. Galen. *l.* 2. *de temper. cap.* 4. *& de ſal. diat. t.* 12. Vide Diet. *Iatr. n.* 662. 663. 664. Dicitur & *Obeſitas* & *Obeſus*.

CORPUS, σῶμα, χρώς, quid in genere ſignificet, ex Philoſophicis perſpectum eſſe debet & poteſt; nimirum id, quod opponitur Spiritui, cujus eſt adaptatum ſubjectum, Schröd. *l.* 1. *c.* 5. In Medicina vel de *Corpore* humano, ſeu ſubjecto artis accipitur, vel de objecto, cauſſis & mediis ſanitatis & morborum corporeis. Quamvis Rul. & Iohnſ. animam quoque appellaverint *Corpus inviſibile*, ſiquidem tenet medium inter *corpus viſibile*, qua de cauſſa *corpus* ea parte vocatur, & *inviſibile* dicitur, quia participat de ſpiritu inviſibili. Iidem quoque *Corpora ſupercœleſtia* deſcripſerunt; quæ per mentem in imaginatione ſolum & non per oculos carneos cognoſcuntur. Suntque Spagyrorum ſubjecta mirabilium operum, ſi Diis placet. Chymicis Paracelſicis *Corpus* id omne dicitur, in quo virtutes rerum deliteſcunt, Iohnſ. Hinc non dubitant etiam Morborum *corpora* comminiſci, Paracelſ. *tr. Paragran. tr.* 2. Placet nobis egregiam *Corporis* animalis & ita etiam Humani, (quod eſt Artis Medicæ ſubjectum) deſcriptionem annectere e Rob. Boyle *eleganti libello de Corporum animalium poroſitate Latine reddito*: *Corpus* animalis non eſt rudis & indigeſta materiæ moles, ſed ingenioſa plane machina ad variarum operationum exercitium mirabiliter conſtructa, puta ad nutritionem, generationem, ſenſationem varioſque diſcrepantes locales motus, & propterea diſſimilarium ac organicarum partium (addere libet imo & ſimilarium) varietatem perite & varie conſtructam requirens.

CORPUSCULARIS, eſt epitheton Philoſophiæ hodieque magis receptæ e Democritea Schola ortum ſuum habentis, quando ex atomis omnia corpora conſtare ſtatuitur. Ettmüller. *Tom.* 1. *operum p.* 49. *b.*

CORRADIATIO, idem, quod *Concordantia*, *Conſtellatio*, *Colluſtratio*, figmentum Paracelſicum & Hermeticum nihil ſani continens, Libav. *de Philoſ. Hermet. mag. Fratr. Roſ. Cruc. not.* 10. *T.* 4. *Oper.* 283. 284.

CORRE, *Corſe*, κόῤῥη, κόρση, à κείρω, *tondeo*, ſignificat *tempora*, vel *maxillas*, quæ tonderi ſolent, Gorr. *p.* 24. Idem, quod κρόταφος.

CORRECTIO, διόρθωσις, ἐπανόρθωσις, ἐντροπὴ, vel dicitur de corpore & ejus membris, vel incurvatis, vel in ſitu p. n. exiſtentibus in priſtinum ſitum naturalem reſtituendis, Galen. *c.* 2. *de iis*, *q. in med. t.* 25. *c.* 3. *h. t.* Hipp. 2. *de artic. t.* 46. *& ſ.* 4. *t.* 64. Vid. *Dogm. Med. Gen. Part. VII. c.* 1. *dogm.* 4. Sumitur etiam pro curatione cauſſarum morbificarum à Gal. *l. de art. med. conſtit. cap.* 19. & opponitur *Conſervationi*, *l. art. medic. c.* 86. 87. *Correctiones* quoque fiunt in medicamentis, v. g. quando purgantibus validioribus adduntur quædam medicamenta illorum vehementiam infringentia, & flammæ vitalis continuationem conſervantia, quæ propterea dicuntur *Corrigentia*: aut quando in præparatione fit ſeparatio puri ab impuro, quem modum tantum *correctionis* titulo dignatus eſt Paracelſ. *Paragran. tr.* 3. *& l.* 1. *defenſ.* 3. Vid. & Libav. *Alchim. Pharm. c.* 19. Vel accipitur de mente ſive propria, ſive alterius, quando ea in opinione perverſa hærens reducitur veluti in viam, & emendatur, in qua ſignificatione expoſuit vocabulum ἐντροπὴ per *correctionem*, & quidem modeſtam, Linden. *Exerc. II.* §. 20. dum Medicus conatur ægro fugienda diſſuadere, & perſuadere ſequenda, debita dexteritate, ita tamen, ut ſi, urgente neceſſitate, oratio amorem requirat, ratio amorem præferat.

CORRECTOR vocatur D. Henrico à Deventer illud

lud medium; quo non ſolum opium, ſed & alia venena vegetabilia leni & amico modo veneno & nocivis qualitatibus privantur, retentis qualitatibus medicamentoſis, & ab illo deſcribitur *Lum. Nov. Obſtetric. c. 26. p. 97. ſeqq.* Idem quoque ſalem & oleum vocavit univerſalis omnis veneni vegetabilis *correctorem*, *ib. p.* 104.

CORRIGIA, ἱμὰς, *lorum* proprie ſignificat. Per tranſlationem etiam uſurpatur de tendinibus & ligamentis, quæ Galen. Græce vocavit ἱμαντώδεα, 1.*progn. t.* 7. Uvulæ vel gurgulionis affectus, cum longior, ſiccior & gracilior evaſerit, dicitur ἱμὰς vel ἱμάντωσις Aëtio *l.* 8. *c.* 43. Differt ἀπὸ κιονίδος, quod in hac gurgulio non extenuatus, ſed craſſitiem ex fluxione majorem adeptus ſit, Gorræus *p.* 192.

CORRIPIO, ἐπιλαμβάνω, idem, quod *invado.* Vide *Epilambano.* Unde dicitur *Correptus* morbo, malo, vel vitio, Scrib. Larg. *n.* 6. 16. 96. 99. 101. 171. ubi etiam *correptio*, i. e. acceſſio vel *invaſio morbi* legitur.

CORROBORATIO, *Corroborans*, ῥῶσις, ῥωστικὸς, τόνον διδοὺς τοῖς μορίοις, idem, quod *Confortatio*, *Confortans.* Vide ſupra. Dicitur de illa efficacia, qua vires vitales partium & corporis deficientes, vel imbecilliores reſtituuntur, Galen. *l.* 1. *ad Glauc. c.* 19.

CORROSIO, διάβρωσις, *eroſio*, dicitur & ἀνάβρωσις, vide *Anabroſis.* Præter illam ſignificationem Pathologicam magis adhuc recepta eſt Pharmaceutica & Chymica, qua deſcribitur *corroſio*, quod ſit calcinatio res coagulatas per corrodentes ſpiritus in calcem reducens. Eſtque duplex: *Vaporoſa*, vel *Immerſiva*, quarum omnium ſpecies expoſitas vid. apud Rul. & Iohnſ. Accuratius adhuc *Corroſionis* ſpecies expoſuit D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. XII.* §.7. Media illa & materiæ, quibus *corroſio* perficitur, dicuntur *Corroſiva*, διαβρωτικὰ, qualia etiam ſunt Chirurgorum medicamenta, quæ ſuperfluam carnem & excreſcentias depaſcunt, exedunt & abſumunt. Alias καθαιρετικὰ, νεμόμενα, σηπτικά. Vide *Cathæretica*, Rul. & Iohnſ. *Corroſivum minus* Paracelſi quod dicatur, vide in Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 147.

CORRUGATIO, ῥίκνωσις, *rugoſitas*, dicitur de cute, quando propter extenuationem coincidit, & in rugas contrahitur, Gal. 3. *in 6. Epid. t.* 29. aliis *t.* 21. Huic opponitur ἔκτασις, *extenſio* cutis cum refectione ac repletione, Foëſ. *Oec. p.* 554. Ita & Oculi Tabes nihil aliud eſt, quam *corrugatio* tunicarum aut pupillæ, Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 5. An *corrugatio* fibrarum in muſculis ſufficiat ad motum animalem, ventilat D. Bohn. *Circul. An. Ph. Progymn. XXIX.* negativam amplectens.

CORRUPTIO, φθορὰ, διαφθορὰ, quid in genere ſignificet, e Phyſicis ſciri poteſt. Specialius quatuor modis viventia cuncta *corrumpi* poſſe, docet Galenus *l. de maraſmo c.* 1. ubi *Corruptio* & *Marcor* pro Synonymis habentur. In Medicina reſtringitur *Corruptio* ad hominem, eique competentes partes continentes, contentas; & impetum facientes; nihilque aliud eſt, quam receſſus à ſtatu naturali ad naturæ contrarium. Suntque ejuſdem varii gradus, quorum ultimus conſiſtit in tanta everſione ad naturæ contrarium, ut non poſſit iterum ex naturæ coctione ad priſtinam naturam redire, Gal. 2. *aph.* 17. *Corruptum* quoque dicitur, quod alienum eſt à natura, indicatque ſui remotionem, *l. 9. meth. med. c.* 10. *fin.* *Corruptio* etiam attribuitur rebus non naturalibus, præſertim alimentis. Hinc elegantiſſime Linden. *Ex. V.* §. 119. Sane *corruptio*, inquit, ciborum multorumque & multigenerum, neque conſuetorum, ac alia ſuper aliam cruditas per ſe ſatis ſunt adducendo hominem in certum vitæ diſcrimen. Quin & *Corruptiones* aëris, aquarumque cauſſantur morbos, uti patet non ſolum ex Hipp. *de A. L. & Aq.* ſed & ex Paracelſ. *Labyrinth. Medic. c.* 11. quos morbos *Cagaſtricos* vocat, à *Cagaſtro.* Vide ſupra *Cagaſtrum.* *Corruptio* Chemiſtica nihil aliud eſt, quam totius à natura compoſiti ſuas in partes reſolutio, Gerard. Dorn. *Art. Chem. l.* 1. *c.* 5. *in Th. Chym. Vol. I. p.* 198. Quid vero idem per *Rotam corruptionis* intelligat, *tr. Artif. ſupernat. c.* 6. 7. videatur *p.* 296. Quibuſdam Spagyricis *corruptio* ſignificat terram nigram, quæ in operatione circa Lapidem Philoſophor. incipit poſt ſublimationem & deſtillationem ſubſidere in aqua uſque ad fundum vaſis, alias *Fœtidum menſtruale* quoque dicta. M. Joh. Iſaac. *Oper. Mineral. c.* 26. *in Theatr. Chym. Vol. III. p.* 435. Vide etiam *Deſtructio.*

CORSE. Vid. *Corre.*

CORSUFLE, eſt terminus Spagyricus, denotans compoſitionem quandam, quæ mutato nomine Ixir dicitur, de quo plura *in Turba Philoſoph. ſerm.* 30. & 31. *Th. Chym. Vol. V. p.* 24.

CORTEX, φλοιὸς, φλοὸς, φλοῦς, exteriorem cruſtam & tegmen, vel involucrum radicum, arborum, fructuumque ſignificat, quorum in Officinis uſitatiorum catalogum vide apud Schrod. *l.* 2. *Pharm. c.* 9. *Cortex extenſus* ſignum eſt perfectæ maturitatis, non rugoſus, Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 15. *Cortex* corium tegens deſcribitur à Lind. *Ex. V.* §. 42. Vide *Corium.* *Cortex* ovi pro *Teſta* venuſte legitur apud Q. Seren. Keuchen. *in not. ad illum p.* 205. In Anatomicis quoque *Cortex* dicitur exterior ſubſtantia cerebri cinerei coloris ad differentiam interioris candidioris, quæ medullaris & calloſum corpus dicitur, quemadmodum paſſim in ſcriptis Anatomicis legere eſt. Aliis vocatur *Corticalis ſubſtantia cerebri.* *Cortex* quoque in genere ſequiore vel fœminino legitur apud Scrib. Larg. *n.* 60. quamvis Barthius non ſatis Latinis addiderit. Vide Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 368. *Cortex æris* eſt *bracium*, vel *Bracium*, flos æris. *Cortex maris* eſt *Acetum Philoſophicum.* Rul. Iohnſ.

CORVINUS *lapis* dicitur ille, qui calefactus tonitru edere, & in India reperiri fertur, ab Incolis *Cocaote* vocatus, hauddubie propter portiones ſulphureo-ni-

troſas volatiles abundantes, Borell. *Cent.* 2. *O.* 38. Fr. Hofmann. *Clav. ad Schröd. l.* 3. §. 153.

CORUSCATIO, ἀςραπή. Vide *Aſtrape.*

CORVUS, κόραξ. Vide *Corax.*

CORYCUS, κόρυκος, legitur & κώρυκος, ſignificat *follem grandem*, vel *pilam majorem*, qua olim in *Corycino* balnei ædificio colluderent. Aliis deſcribitur per ciſtulam pannariam, aut vaſculum, utri vel folli ſimillimum ex pellibus conſutum. Alii teſtantur fuiſſe *Lanceam*, aut *Naviculam.* Vid. Lang. *l.* 1. *ep.* 52. Prima ſignificatio ſpectat ad exercitia corporis, dicitur κορυκομαχία, teſte Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 8. Junge Foëſ. *p.* 349. Annon hodieque luſus pilæ majoris huc ſpectaret? quæ pila Gallice dicitur & vernacule *un balon.* Diminutivum eſt κορυκίδιον, *Corycidium*, quod fuit etiam concavum, ex pellibus ſcutum & involucrum, quod ſagittantes ſiniſtro apponebant, Lang. *d. l.* Hoc nomine quoque *pila* minor manuaria venire poſſet. Hoc vocab. κόρυκος non debet confundi cum *Corycus*, κώρυκος, per ω, quod ſignificat *ſpecum.* Unde *Corycæus auſcultator.* Vide Hofm. *l.* 6. *Var. Lect. c.* 3.

CORYDOS, *Corydallus*, κόρυδος, κορύδαλλος, id eſt *alauda*, *galerita.* Vide *Alauda*, P. Æginet. *l.* 7.

CORYMBOS, κόρυμβος, *baccam hederæ* ſignificat. Sumitur & pro *mammis* à Q. Sereno *Medic. cap. de Mammis ſanandis.* Vide Rob. Keuchen. *not. p.* 160.

CORYPHE, κορυφή, primario *verticem* capitis ſignificat, qui eſt media & ſumma inter ſinciput & occiput pars, unde velut à centro circulus, capillorum proventus incipere videtur, Galen. *l. Introd. c.* 10. Dicitur etiam ςεφάνη, (quo & Latini reſpexiſſe videntur, dum *verticem* dixerunt à *vertendo*, nimirum propter flexum capillorum, quod illic velut in gyrum vertantur; quam etiam ob cauſſam quidam ex Græcis ἑλιγμὸν, & πόλον, ἀπὸ τοῦ πολεῖν, h. e. à *vertendo*, eandem partem appellarunt. Caſtell.) Aliis linea illa, qua capilli alii ad dextram, alii ad ſiniſtram vertuntur, κορυφὴ vocatur. Unde & δικόρυφοι, i. e. *bivertices* vocantur, non ii quidem, quibus os ſummum geminum eſt, ſed illa potius linea diſcrimenque capillorum. Secundario etiam aliis partibus attribuitur, v. g. *Principium Meſenterii*, quo ſpinæ dorſi alligatum eſt, vocatur κορυφὴ, i. e. *apex*, ſeu principium *Meſenterii* à Gal. *l.* 16. *de V. P. c.* 10. Item appellatur alibi ἄρτημα, *vinculum*, v. g. *l.* 6. *de Admin. Anat. c.* 6. & 4. *in* 6. *Epid. t.* 7. Jung. C. Hofmann. *comm. in Galen.* 4. *de V. P. n.* 216. Ita & *baſis cordis*, veluti operculum ventriculorum cordis, dicitur κορυφὴ, teſte eodem C. Hofmann. *d. l. n.* 336. hinc κορυφάδες connexio juxta umbilicum dictæ ſunt, auctore Gal. *in exeg.*

CORYZA, κόρυζα, eſt ſpecies *catarrhi*, in qua materia peccans per nares ſecernitur, Latinis *Gravedo.* Hipp. uſus hoc vocabulo, & derivativo κορυζώδης, 3. *aph.* 20. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 32. & *ſ.* 3. *t.* 6. Vide Foëſ. *Oecon. p.* 349. & ſupra *Catarrhus.*

COS, ἀκόνη, eſt lapis, in quo cultri & alia inſtrumenta ſecantia, aut pungentia terendo acui ſolent. *Cos Medica* vero eſt lapis, in quo tritura nonnullorum ſimplicium medicamentorum, quæ *præparata* in Officinis dici ſolent, fieri ſolet. Meminit Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 4. Alibi vocavit *cotem oculorum*, ἀκόνην ὀφθαλμικὴν, hauddubie, vel quia lapis plerumque cavitatem oculi repræſentat, vel quia Collyria lævigari in illo ſolent, Galen. *l.* 9. *S. F.* §. *de Lapidibus.* Dicitur alias *Porphyrites* lapis, ſuper quem alio lapide verſatili fit lævigatio aſperſa aliqua aqua deſtillata conveniente, ut fiat inſtar pulvis. Vide Schröder. *l.* 2. *c.* 76. *Cotis Naxiæ* mentionem facit Gal. *l.* 9. *S. Fac.* §. *Oſtracites Coticula*, vide *Lydius.*

COSCINOS, κόσκινος, id eſt, *cribrum.* Unde κοσκινίζω, *cerno*, cribro. Vide *Cerno*, *Cribrum.*

COSMETICA, κοσμητικὴ, eſt pars Medicinæ miniſtra ad Diæteticam & Pharmaceuticam pertinens, quæ tradit modum per media (quæ etiam *Coſmetica* vocantur,) naturalem ſervandi, aut reſtituendi, pulchritudinem. Vide *Decoratio.* Hæc quomodo differat à *Commotica*, vide ſupra *Commotica.* Quamvis Rolfink. hanc differentiam non attenderit, ſed *Coſmetica* remedia vocaverit etiam fucos ad album & rubrum, *Ord. ac Meth. Gen. l.* 7. *ſect.* 2. *c.* 12. 13. *Coſmeticum* Crollii ad delendas maculas & tollendam ſerpiginem vide etiam apud Libav. *Synt. Arc. Chymic. lib.* 7. *c.* 30. *Coſmeticum album* quomodo paretur & applicetur, e Collect. Leid. notavit Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I.* 88.

COSMETORGES, eſt vocabulum à Dolæo effictum, quo explicare & exprimere voluit Microcoſmetora, h. e. animam ſenſitivam particulariter in cerebri globoſa parte ſedem ſuam habentem in furorem actam, & ad iram commotam mediante ſanguine nimis efferveſcente & ſcoriis ſulphureis referto. *Encyclopæd. l.* 1. *c.* 2. §. 10. *p.* 14. Plura loca, ubi hujus vocabuli fit mentio, quærantur *in Indice.*

COSMOGRAPHIA, κοσμογραφία, eſt proprie ars & pars Matheſeos, tradens deſcriptionem, conſtitutionem Orbis terrarum, & ejuſdem partium. Hanc Medico ſcitu eſſe neceſſariam, urget Paracelſus non in eum finem, ut ſciat, quales caligas induant incolæ diverſi, ſed quibus morbis diverſis infeſtentur, *Defenſ.* 4. Idem ex hypotheſi illa accepta, quod *Homo* dicatur *parvus Mundus*, duplicem conſtituit *Coſmographiam*, *Macrocoſmi & Microcoſmi. Labyrinth. Med. c.* 4. per hanc intelligens partem Phyſiologicam Medicinæ, & Anatomiam, *de morb. Tartar. c.* 12. 18. & *alibi ſæpius.*

COSMOS, κόσμος, variis gaudet ſignificationibus: 1. denotat *Mundum* univerſum, quæ acceptio non eſt hujus loci. Vide *Mundus.* 2. apud Hippocratem ſignificat ordinem, & rerum ſeriem, cum in genere, tum in ſpecie, circa criſin & dies criticos. Vide *l.* 2. *de morb. mul. XLII.* 13. *XLIX.* 42. *ſ.* 3. *Prognoſt. t.* 7. Hinc & κόσμιοι, teſte Erotiano, ſunt εὔτακτοι, *bene ordinati*, &

κοσμητικὰ

κοσμηταὶ dicebantur, qui præerant adoleſcentibus ad moderandos eorum mores, Foëſ. *Oecon. p.* 350. Gorr. 3. ſignificat Galbei dicta. Vide *Galbeum.*

COSSUM, Paracelſo dicitur exulceratio circa nares gravior, proveniens ex mente illius, ex ſulphure albo, & ſale ſciſſo Martiali, *l. de apoſtem. ulceribus, c.* 39. Aliquando etiam participat de malignitate Gallica ſeu Venerea, *l. de ulcer. Gall. aliiſque affectibus, l.* 3. *c.* 5. Jungatur Marcell. Cuman. *Obſ.* 84. apud I. H. Velſch. *in Syllog. Curat. & Obſ. Medic. Cent. I. p.* 81. *Coſſi* etiam Italis, vel *Coxi* vocari Varos & ſimiles tumores parvos & duros in faciei cute obortos, ſcribit Foreſt. *l.* 5. *Obſ. Chirurg. O.* 7.

COSSUS, θρὶψ, πρηδὼν, eſt nomen vermiculi e lignis nati, præſertim e robore, & quartum genus *teredinis*, cujus deſcriptionem & uſum medicum vide apud Ul. Aldrov. *l.* 6. *de inſect. c.* 5. Legitur & aliquando in plur. *Coſſes, ibid.* Imprimis vero farina illa *Teredinum* hodieque notiſſima eſt & familiaris mulierculis noſtris in exiccandis excoriationibus infantum, Schröd. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 117.

COSTA, πλευρὰ & πλευρὸν, indifferenter ſumitur. Quid ſignificet, jam notum eſt. *Coſtæ* ſunt oſſa pectoris, quæ à collo toto ad ilia uſque ex anteriore parte ad utrumque latus protenduntur, Gal. *l. Introd. c.* 10. & 3. *de artic. t.* 37. Dividuntur in *legitimas* & *ſpurias.* Utrarumque deſcriptionem prolixiorem pete ſis ex Anatomicis veteribus & recentioribus, & inter hos e Barth. *libell.* 4. *Anat. c.* 17. *Coſta extrema* eſt, non parva illa revera ſpuria, quæ ab illis diſcedit, & carnoſæ parti diaphragmatis obducta eſt, ſed ipſi proxima, cui manifeſta jam membrana tenuis intus ſubtenditur, continuata cum ea, quæ omnes coſtas ſubcingit, & alias *Pleura* vocatur, Gal. *l.* 5. *de Anat adm. c.* 3. *fin. Coſta ſartoria* vocatur vulgo **das Fiſchbein** / eſtque firmamentum Ceti maxillæ fere oſſeum, quo utuntur ſartores ad firmanda veſtimenta, præſertim in ſexu fæminino. Uſus in Medicina eſt largior, dum præbet largam mucaginem, & meminit illius Dan. Ludovici *Diſſert. I. Pharmac. p.* 314.

COTARONIUM, terminus eſt Paracelſicus, ſignificans *liquorem*, in quem veluti principium materiale reſolvi poſſunt corpora naturalia, quin & ipſa Elementa. Reſpondere videtur *Mercurio, tr. Labyrinth. Medic. c.* 3.

COTHON, κώθων, fuit poculi fictilis genus ampli & capacis, quo ſe compotando invitabant, quæ compotandi ratio per verbum κωθωνίζεσθαι, & κωθωνίσαι, & ſubſtantivum κωθωνισμὸς exprimebatur, Foëſ. *Oec. p.* 366. Foreſt. *l.* 9. *Obſ.* 28. *in Schol.* Caſp. Hofm. *in Gal. de V. P. n.* 222. Apud Hippocratem vero *in Epiſtola ad Cratevam n.* 23. ſignificat *vas fictile*, in quo flores, folia aut radices conduntur. Ita & Galen. vaſculum fictile ad urendam cadmiam κώθωνα κεραμεῦν vocavit, *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 6.

COTIS, κοτὶς, Hippocrati *Occiput* & poſteriorem capitis partem ſignificat, *l.* 2. *de morb. XII.* 43. & *XX.* 3. Vide Foëſ. *p.* 350.

COTTABISMUS, κοτἶαβισμὸς, remedii nomen, cujus mentio fit à P. Ægineta in curatione Cachexiæ, *l.* 3. *c.* 47. Quale vero fuerit, non eſt facile dictu. Poteſt intelligi eo nomine *aquæ ſuperfuſio*, eo fere modo, quo veteres Athenienſes in illo convivali ludo, qui κότἶαβος dicebatur, facere ſolebant, ut Athenæus & Suidas ſcriptis ſuis prodiderunt. Poteſt & ſimpliciter accipi de *ablutione, deterſioneque* per *ſpongiam facta*, autore Phavorino, qui in Lexico ſuo κοτἶαβίζειν per ἀποσπογγίζειν interpretatur. Hæc Gorræus. Alii per *vomitum* explicant. Vide Henr. Stephan. *Theſaur. Græc. in Indic. voc.* Κότἶαβος.

COTURNIX, χεννίον, ὄρτυξ, ὀρτύκη, eſt nomen avis nulli non genti notæ, loca campeſtria amantis, inque ſegetibus mox maturis latitantis, & pulveri cœnove ſeſe obvolventis, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 13. *Ornith. c.* 22. Creditur innoxie helleboro veſci, Gal. *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 6. & hoc fieri propter convenientiam temperamentorum, *l.* 3. *de Temper. c.* 4. & multos ex eſu *coturnicum* diſtentionibus hypochondriorum correptos notavit idem, 5. *in* 6. *Epid. t.* 35. Jung. Schröd. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 52.

COTYLE, κοτύλη, *Cotyla, Cotyledon*, idem, quod *Acetabulum.* Vide ſupra ſuo loco. *Cotyla* ſanguinis apud Galenum conſtat unciis duodecim circiter. Petrus Salius *de Affectibus particularibus cap.* 22.

COTYLIS, κοτυλὶς, h. e. *concavitas coxæ* vel coxendicis, Hipp. *de oſſ. nat.* quamvis alii legant κοτύλη, Gorr. Conf. Gal. *exeg.* qui plenius deſcribit.

COURAP, ap. Indos in genere omnem *ſcabiem* ſignificat: Κατ' ἐξοχὴν vero illam *Herpetis* vel *Impetiginis* ſpeciem moleſtiſſimam dictis populis Endemicam, quæ ut plurimum alas, faciem, pectus, inguina, imo aliquando totum corpus occupat, cum pruritu intolerabili, adeo ut ægri dies noctesque manus abſtinere à ſcalpendo nequeant, ſed ſtatim iſtam voluptatem, quam ex unguium attritu homines ſentiunt, acerba pœnitentia ſequitur, ingens nempe dolor in crudis & cuticula detectis partibus, quas ungues aperuerunt, dum mordicans ac nitroſus iſte humor peccans partes nervoſas vellicat, & inde interulæ vel induſia ſine cruſtarum laceratione avelli nequeunt. Hujus cauſſa conſiſtit in ſero acerrimo & corroſivo. Vide plura ap. Jac. Bontium *meth. med. morb. Indiæ Or. c.* 17.

COXA, *Coxendix, Iſchion*, ἰσχίον, Paracelſ. paſſim *Schia* magnum femoris oſſis caput eſt, cujus cavitas *Acetabulum*, κοτύλη vel κοτυληδὼν vocatur, Gal. *l.* 2. *de fract. t.* 70. unde affectus articularis illius oſſis *Iſchia* & *Coxendix* appellatur. Inde *Iſchiadici* & *Coxarii*, i. e. *Coxæ* morbo laborantes, *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 16. *Iſchion*, ἰσχίον, etiam aliquando ſignificat ligamentum ipſum, quo femur *Coxendicis acetabulo* colligatur; interdum

terdum vero ipſum articulum. Sed & *Iſchia*, ἰσχία, dicuntur à quibuſdam partes carnoſæ ex utroque ſacri oſſis latere, quæ & σκαφία Græcis, à Latinis *Clunes* appellantur. *Os* autem *Coxendicis* eſt apophyſis oſſis ſacri, ad *Coxendicis* acetabulum undique pertinens. Os enim ſacrum, qua parte femoris caput ei inſeritur, *Iſchion* vocatum eſt. Hæc Caſtellus. Enimvero videtur *Os ſacrum* cum *oſſe innominato* confudiſſe, ſiquidem *Os-Iſchium* eſt pars Oſſis innominati, non ſacri, quod inter duo innominata interjacet cum vertebris dorſi contiguum. Videantur Anatomici, in ſpecie Barthol. *libell.* 4. *de Oſſib. c.* 15. *&* 16.

CRABATUS, κράβατος vel κράββατος, Latine alias *Grabatus*, idem, quod κλίνη, lectus. Vide *Cline*, *Lectus*. Duos κραβάτυς pro puerpera requiri, unum duriorem, ſi in ſella mulier parere nequit, alterum molliorem poſt partum, legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 48.

CRABRO, σφήξ, eſt inſecti veſpis ſimilis, ſed majoris nomen, cujus ictus potius inter cauſſas morbificas, quam alius quidam uſus inter remedia referri debet. Deſcriptionem vide apud Aldr. *l.* 1. *de Inſect. c.* 7.

CRADE, κράδη, *ramum ficulneum* ſignificat, Hipp. *de ſuperfœt. XXI.* 5.

CRÆNO, κραίνω, duplicem habet ſignificationem apud Hipp. Vel enim ſignificat *deſino*, ad finem pertingo, *ſ.* 3. *de artic. t.* 33. vel denotat *perficio*, effectum reddo, *l. de Virgin. morb. II.* 25. Foëſ. *Oec. p.* 352.

CRÆPALE, κραιπάλη, *Crapula*, ſignificat omnem capitis noxam, quæ ex vino vel alio potu generoſo largius ſumto fit, Hippocr. 5. *aph.* 5. Galen. *in comm. h. l.* παρὰ τὸ κάρηνον πάλλειν, à caput percellere. Qui differentiam inter *crapulam* & *ebrietatem* fingunt, λογομαχῦσι, Foëſ. *p.* 353. Diet. *n.* 475. Inter cauſſas vitam abbreviantes rectiſſime quoque *Crapulam* retulit Helmont. *Tract. Mortis Occaſiones*; ſi ſcil. vel frequentior fuerit, vel potus noxius. *Crapulam* privationis intellectus cauſſam ſtatuit Paracelſ. *Tract.* 1. *de morb. ament. c.* 4. *& hydropis tr. h. t.* Quæ *ebrietati* vel *crapulæ* reſiſtunt remedia, dicuntur ἀκραίπαλα, ἀμέθυστα, Diet. *d. l.* Inter quæ refert Dioſcorides Crocum, *l.* 1. *c.* 25.

CRAMA, κρᾶμα, *vinum dilutum*, & aqua temperatum ſignificat. Celſus *dilutam potionem* vocat, Gorr. *p.* 244.

CRAMBION, κραμβίον, decoctum *crambes* vel braſſicæ denotat Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XIV.* 12.

CRAMPUS, idem, quod *ſpaſmus flatulentus*, Helmont. *de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 135. Vide *Convulſio*.

CRANIUM, κρανίον, quaſi *parva Galea*, *Calva*, *Calvaria*, eſt os capitis craſſum, rarum, rotundum, oſſibus ſeptem (alii plura numerant) compactum, ſuturiſque veris tribus, Coronali, Lambdoide & Sagittali diſtinctum, Cerebrum contingens, atque utramque meningem contingens, quod quaſi κράνος, i. e. *galea*, cerebro adjaceat, ſic dictum, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 9. Accuratiorem deſcriptionem videre licet apud Anatomicos recentiores, præſertim Barthol. *libello* 4. *Anat. c.* 4. 5. *&* 6. Th. Willis *Anat. Cerebri c.* 4. De uſu *Cranii* medico videatur Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. inter partes corporis demortui quinta, Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l. p.* 675. *ſeqq.* Adde & Rhodium *ad Scrib. L. n.* 16.

CRANOCOLAPTES, κρανοκολάπτης, epitheton *Aranei* cujuſdam, qui quartum genus conſtituit apud Aët. *l.* 13. *c.* 18. ſublongi, viridis, ſtimulumque ſub collo habentis, atque ſi quem irruat, loca circa caput petentis. Junge Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 12. *Schol.* & Ul. Aldr. *l.* 5. *de Inſect. c.* 12.

CRANTER, κραντήρ, à κραίνω, perficio, epitheton dentium molarium, qui omnium noviſſimi, enaſcuntur. Iidem quoque σωφρονιστῆρες, ὀψίγονοι, ſero nati appellantur, vulgo etiam *dentes ſapientiæ*, quod eo tempore naſcantur, quo homo incipit ſapere, videlicet utplurimum ab anno 18. ad 26. Gorr. *p.* 245.

CRAPULA, vide *Cræpale*.

CRAPULA, Plin. *lib.* 16. *c.* 11. Reſina lota, non fex reſinæ, ut quidam volunt. Marſilius Cagnatis *Variar. obſer. l.* 2. *c.* 1.

CRASIS, κρᾶσις, *mixturam* in genere, uſitatius vero *temperiem*, *temperamentum*, apud Medicos ſignificat. Quid vero proprie ſit, non omnes accurate expoſuerunt. Vulgares *Complexionem* vocant. Galenus prolixos de *Temperamentis* libros conſcripſit. Verum multa ἀλλότρια inſeruit. Generalior de *Temperamento* doctrina ſpectat ad Phyſicum. In foro Medico accipitur de *Temperamento vitali* & actuali, quod quidem *Elementare* non excludit, ſed ſubjective includit, eſtque nihil aliud, quam ſpecies vel differentia eſſentialis ſanitatis prima, ceu facultas corporis humani ejuſque partium, functiones ſuas obeundi, proveniens à caloris vitalis in & cum ſanguine debita facta appropriatione, & continuatione. Plura vide *in noſtris Dogmat. Gener. Medic. Part.* 1. *c.* 3. E recentioribus doctrinam de *Temperamentis* Phyſiologico-Phyſiognomico-Pathologico-Mechanice egregie tradidit D. D. G. E. Stahl *in Diſſertat. lectu digna hoc ipſo titulo*, cujus deſcriptionem ἀξιομνημόνευτον addere libet: *Temperamentum* eſt legitima partium corporis ſolidarum & fluidarum inter ſe mutua proportio, qua utrarumque debitus motus, depuratio & conſervatio per ſecretiones & excretiones in fluidis & debita flexilitas in ſolideſcentibus conſervetur. Huic reſpondet quoque *Facultas Medicamentorum*, quæ etiam nihil aliud eſt, quam *Temperamentum actuale* ſpecificum, dependens à vitali principio eſſentiali portiones Elementares informante & exaltante. Ubi tamen notetur, effectum aliquando à *Temperamento Elementari* etiam provenire, qua tali, id quod per accidens fieri dicendum, v. g. Quando Aloe aut Rhabarb. ſiccant & adſtringunt. Hoc non tam à *Temperamento vitali* & eſſentiali dependet,

det, cujus virtute potius fermentationem augent, fundunt, liquant; quam à *Temperie* portionum terrearum, ſiccarum, quibus ſcatent, deſtructo aut oppreſſo vitali *Temperamento.* Vide etiam *Dogmat. Med. Gen. P. 6. c. 2.*

CRASSENA, terminus Paracelſicus, ſignificans portiones ſalinas, putrefactivas, & corroſivas, faciens ulcera, tumores diverſæ formæ, *libell. Theorico de Ulcer. c. 6.*

CRASSITIES, *Craſſitudo*, *Craſſus*, πάχος, παχυσμὸς, παχύτης, παχὺς, eſt nomen notiſſimæ ſignificationis. De his vocabulis vide Dieter. *n. 662. ſeqq.* Lind. *Ex. X.* §. 148. Attribuitur vero in Medicina diverſis rebus, v. gr. 1. Moli corporis, *Corpulentiæ*, vide *Corpulentia.* 2. *Membranis*, ita membrana exterior & prima cerebrum inveſtiens, quæ vulgo *Dura mater* vocatur, dicitur *Craſſa meninx*, Galen. *l. 9. de admin. Anat. c. 1.* παχεῖα μήνιγξ ἢ σκληρά, quam accurate delineatam exhibet D. Bidloo *Anatom. Tab. V. & VI.* 3. *Venis*, 1. *de art.* 53. φλὲψ παχεῖα. 4. *pulſui*, eſtque *pulſus craſſus*, qui & *turgidus* appellatur, & coincidit cum magno, Galen. *l. 1. de diff. pulſ. c. 5.* παχὺς ἢ ἁδρὸς, cui opponitur λεπτὸς, ἢ ἰσχνὸς, tenuis, vel gracilis. 5. *medicamentis*, quæ alias dicuntur, *craſſarum partium*, παχυμερῆ, quæ non facile in tenues partes diſſolvi poſſunt, quibus opponuntur τὰ λεπτομερῆ, *tenuia*, ſive tenuium partium, Galen. *l. 1. de S. M. Fac. c. 3. & alibi. Craſſum emplaſtrum*, id eſt, ſpiſſum, Scrib. Larg. *n.* 205. *Craſſe* obtinere, *n.* 46. 228.

CRATEO, κρατέω, verbum hoc ſignificat apud Hippocr. *vinco*, ſupero, *contineo*, & paſſivum κρατέεσθαι, *vinci*, ſuperari, 5. *aph.* 45. *l. 7. Epid. V.* 22. *l. 6. ſ. 5. t.* 37. Unde & κεκρατημένοι dicuntur deplorati, ægri, & *a morbo victi*, quibus deneganda medicina, *l. de Art. IV. 6.* quamvis etiam de *alvo adſtricta* accipiatur, teſte Linden. *Ex. IV.* §. 99. Jung. Foëſ. *p.* 353. Dieter. *n.* 477.

CRATER, κρατὴρ, communiter, *poculum amplius*, ſignificat. Rulandus vero *Craterem* deſcripſit per *alientum*, quod inferius amplius, ſuperius vero anguſtius eſt. Diminutivum eſt *Craterium*, κρατήριον, Foëſ. *p.* 353.

CRATERAUCHEN, κρατεραύχην, ἢ κρατεραυχὴν, *hominem valida cervice* præditum, robuſtum ſignificat, Hipp. *6. Epid. ſ. 1. t. 3.* Gal. *in comm.*

CRATIBULA, ἐσχάριον, φρύγετον, eſt inſtrumentum ex bacillis ferreis quadratis, & digitalis craſſitudinis, juxta ſe in acutum ita poſitis, ut ſemidigitale ſpatium interſit, factum focis conficiendis, carbonibus ſuſtentandis, & cineribus dimittendis inſerviens, Rul. & Iohnſ. Meminit ejus Willis *tr. An. Brutor. Part. II. c. 9.* pro foco ſicco parando in paralyſi.

CRATOS, κράτος, proprie *robur*, vim & potentiam ſignificat. Ita & κρατυσμὸς, *robur*, *firmitudinem ætatis* florentis viresque denotat, apud Hipp. *6. Epid. ſ. 8. t. 29.* à verbo κρατύνεσθαι, *roborari*, firmari, ſoli-deſcere; quo uſus Hipp. de oſſibus coaleſcentibus poſt fracturam, *l. de fract.* 41. & *ſ. 2. t. 6.* Improprie etiam à nonnullis κράτος pars ea manus, quæ ſub digitis eſt, & quidem interior magis, quam exterior, quia in interioribus totam Naturæ potentiam apprehendendi & continendi poſuit, dicitur, Gorr. *in def. p.* 245. Linden. *Medic. Phyſiol. l. 2. c.* 14. §. 85.

CRATYSMOS, *Cratynomæ*, κρατυσμὸς, κρατύνομαι, *robur.* Vide *Cratos.*

CRAUROS, κραῦρος, i. e. *friabilis.* Dicitur & θραυστὸς, εὔθραυστος, & ψαθυρὸς, & accipitur de omni eo, quod nec lentoris, nec pinguedinis quicquam habet, Gorr. *d. l.* & Linden. *S. M. Exercitat. V.* §. 41.

CREATIO, *Creatura*, *Creator*, κτίσις, κτίσμα, κτιστὴ, ἢ κτίζων, δημιουργία, δημιουργὸς. Horum vocabulorum propria & ſtricta ſignificatio non eſt hujus loci, quatenus ſcil. per *Creationem* intelligitur ortus rerum naturalium ex nihilo primævus, à divina omnipotentia, & liberrima voluntate dependens. Vide Schröd. *l. 1. c. 4.* Quod ſi vero in latiore ſignificatione accipiatur pro omni effectione naturali & opere, contradiſtinctis artificialibus, coincidit fere cum *Generatione*, & in hoc ſenſu Galen. *Naturam* vocat δημιουργὸν, quod Interpretes expreſſerunt per *Creatorem.* Et illius ſummam ſapientiam in *creationem* corporum naturalium, præſertim vero noſtra aliquoties deprædicavit *in l. 1. de Uſ. Part. c.* 18. *l. 9. de Hippocr. & Plat. decret. c. 8. & 9. & paſſim alibi.* Verum & hæc ſignificatio potius Phyſica, quam Medica dicenda. In hac latiori acceptione quoque verbo κτίζειν, aut κτίζεσθαι, uſus eſt Hipp. *3. de artic. t.* 41.

CREBER, πυκνὸς, πυκινὸς, *frequens*, cujus interveniens quietis tempus eſt breve, Gal. *de Pulſib. ad tyr. c. 4.* Dicitur de reſpiratione πυκνὸν πνεῦμα, *crebra ſpiratio.* Et fœmina apud Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. 4. t. 4.* πυκνοπνεύματος fuiſſe legitur; de Pulſu, Gal. *d. l. & l. 2. de dignoſc. pulſ. c. 1. alibique*; de morbis, v. gr. *Crebra* febris, πυκνὸν πῦρ: *l. 2. de morb. mul. XIV. 4.* quamvis fortaſſis rectius per *denſum* vertatur; *Crebra* fluxio, πυκινὴ ῥοὴ, *de Glandul. IX.* 19. Quod vero Galen. *d. l. de dign. pulſ.* differentiam aliquam inter celeritatem & *crebritatem* vult omnibus viribus comminiſci, non videtur neceſſarium, ſed mera inanis λεπτολογία. Alias Græcum πυκνὸς aliquando & *denſum* & *durum* denotat, v. g. alvi *durities*, πυκνότης κοιλίης, *6. Epid. ſ. 3. t. 1.* venæ *condenſatæ*, *induratæ*, φλέβες πυκνωθεῖσαι, *de ſalubr. diæt. t.* 27. & carne *denſa* præditi vocantur πυκνόσαρκοι. *Ibid.*

CRECE, κρέκη. De lapſu Galeni circa hanc vocem, quam in Hippocrate extare putavit, ab hoc fictam, ejuſque ſignificationem, quod ſonum odioſum notet, videatur Foëſ. *Oecon. Hipp. p.* 353.

CREDO, πιστεύω, *fidem adhibeo*, fido. Verbum notiſſimum. Uſus eſt Hippocr. 2. *aph.* 27. Vid. Diet. *n.* 683. In genere quoque recte dixit Gal. quod id, quod quiſque maxime cupit, etiam facillime *credat*, *de præc.*

præc. ad Poſthum. c. 10. Vix credendi effectus ſimplicium laudantur à Scrib. Larg. *n.* 19.

CREGYON, κρήγυον, *bonum*, acceptum, ſignificat idem, quod ἀγαθόν. Uſus Hippocr. *Coac. t.* 30.

CREMASIS, *Cremaſmus*, κρέμασις, κρεμασμὸς, *ſuſpenſio*, appenſio. Legitur apud Hipp. 4. *de artic. t.* 52. 60. *ſ.* 3. *de artic. t.* 56. Deſcendit à verbo κρεμάσαι, *ſuſpendere*, quo etiam ſæpe uſus Hippocrat. 1. *de art. t.* 14. *ſ.* 4. *t.* 43. 44. 46. &c. Foëſ. *Oecon. p.* 353. *ſeq.*

CREMASTERES, κρεμαστῆρες, dicuntur muſculi duo, utrinque ſcil. unus, à quibus teſtes ſurſum trahuntur. Eorum uterque gracilis & longus & cum vaſis ſpermaticis à muſculis hypogaſtrii deſcendit ad ipſos teſtes, eos relevans. Contrariis carent muſculis, qui contrarium motum efficiant. Nullus enim eſt, qui teſtes ad inferiora revellat, quod ſatis ſua gravitate ima petant, ægris præſertim & ſenibus. Hæc Caſtellus. De his muſculis vid. & Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 22. *p.* 214. Similia duo corpora muſculoſa etiam utero adeſſe, quæ κρεμαστῆρες dici poſſint, exiſtimat Gal. *l.* 14. *de V. P. c.* 11. *fin.* & *l.* 2. *de ſemin. c.* 5. C. Hofmann. *in comm. n.* 1038. *Cremaſteres* quoque denotant petiolos, vel pedes uvarum, teſte Linden. *Ex. X.* §. 192.

CREMER, nomen morbi Hungarici fere Endemii, quando nauſeam ex cibo vario inordinate ſumto, vel à potu nimiò contrahunt, & ſtatim alio ulnam manus in parte domeſtica fortiter fricant, hancque partem ſibi dolere dicunt. Poſt uſum alicujus Aquæ cordialis ſtatim evaneſcit. *Ephem. Nat. Cur. Tom. vel Ann. II. Obſ.* 28.

CREMNOS, κρημνὸς, duo ſignificat apud Hippocr. 1. *Labra pudendi* muliebris & eminentias ſive alas, *l. de loc. in homin. ed.* Foëſ. *p.* 423. vel *l.* 2. *de morb. mul. l.* 3. 5. juxta Linden. 2. ſignificat *labra ulcerum*, *d. l. de Loc. in hom. XLI.* 2. *edit. Lind.* Jung. Foëſ. *Oec. p.* 354.

CREMOR, χυμὸς, item χυλὸς. Vide *Chylus*, *Chymus*. Eſt enim *Cremor* idem, quod *Chymus*, Galen. *l.* 3. *de nat. fac. c.* 4. *Cremor ptiſanæ*, χυλὸς πτισάνης, eſt, ubi à decoctione quis Ptiſanam colaverit, deinde cremorem à decocti parte aquoſa ſeparaverit, *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 26. In Pharmaceuticis quoque & Chymicis vocabulum hoc frequenti in uſu eſt; ubi tamen notat potius formam ſiccam pulveris. Ita notus eſt *Cremor* Tartari, in Diſpenſatoriis, & apud Schröder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 408. *Cremor* Cryſtalli, *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. *Cremor* ſilicis, *d. l. n.* 18. Talci, *n.* 20. Saturni, *l.* 3. *c.* 14. *Cremor* vel Lac Sulphuris, Libav. *Alchym. Pharm. c.* 36. Schröd. *l.* 3. *c.* 28.

CREPATIO, CREPATURA, Gr. λακὶς, λάκισμα, proprie ſignificat rupturam partis alicujus mollis, ſed tenſæ cum ſonitu, qualis ſonitus etiam crepitus nomine venire ſolet, de quo p. p. ita de inteſtinis, utero dicitur illa membra crepuiſſe, quamvis non ſemper ſonus percipi queat, Wedel. *Pathol. Dogm. ſect.* 1. *c.* 6. *p.* 101. *Crepatura* Paracelſo vocatur Hernia inteſtinalis, *in Prælect. Chirurg. circa fin.*

CREPIDO, ἄμβη, ἀμβάνη. Vide *Amba*, *Ambon.*

CREPINUM, Paracelſo idem, quod *Tartarus. Crepinum introverſum*, id eſt, *Tartarus* correctus, *l.* 3. *de morb. Gallico*, *cap.* 30. Imo in *l.* 1. *de orig. & generat. luis Venereæ* hunc affectum *Crepinum* dicendum eſſe, à modo curandi ſtatuit.

CREPITATIO. Vide *Decrepitatio.*

CREPITUS, φῦσαι, φύσα, πέρδησις, πορδὴ, *flatum* per anum emiſſum cum ſono ſignificat. Siquidem alii ſunt ſilentes & ſine ſtrepitu, φῦσαι σιγῶδεις. *Crepitus* vero vocantur φῦσαι ψοφώδεις, ἢ ἐν ϛρόμφ, Hippocr. 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. & 4. *Epid. XX.* 13. *l.* 1. *Progn. ſ.* 2. *t.* 24. Generationem horum ex natura & doctrina flatuum petenda. Eſſe à Sulphure immundo, & ardere, vel accendi poſſe, ridicule ſtatuit Paracelſ. *l.* 1. *de Tartar. tr.* 2. *c.* 2. *in not. Crepitus lupi* eſt ſpecies fungi, Chirurgorum orbicularis vulgo *Boviſta* dicti, adverſus hæmorrhagias celebratiſſimi. Schröder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 411. In ſpecie *Crepitus oſſium* vocatur Symptoma quoddam ſcorbuticum, rarius tamen ſuperveniens, quando oſſium capita ex membri vel corporis quovis motu etiam leviori ſtrepitum edunt ingentem, quaſi nuda eſſent. Willis *de Scorbut. c.* 9. *Crepitus tendinis* vocatur ſonus tendinis in manu ſiti, cum digito premitur à Joh. Muys *in Prax. Chirurg. Ration. Dec. II. Obſ.* 5.

CREPUSCULUM, ἑσπέρα, ὀψινὴ ὥρα, eſt tempus veſperæ poſt Solis occaſum, ſic fortaſſe appellatum, quod res incertæ *creperæ* dicantur. Id quoque tempus noctis, an diei ſit, incertum eſt. Linden. *S. M. Ex. XVI.* §. 221. *ſeq.*

CRESCITIVA Virtus dicitur ſpecies *Vegetativæ* aut *Nutritiæ facultatis*, quæ in totius corporis diametris addit ſecundum proportionalitatem naturalem, quatenus ipſum ad finem augmenti perducat per illud, quod ipſum ex nutriente ingreditur. Avic. *l.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 6. *cap.* 1. Vocatur alias *Augmentativa Virtus.*

CRESCO, αὐξάνομαι, αὔξομαι, idem, quod *Augeor*, incrementum capio. Vide *Auctio.* Quid per *Philoſophiam Creſcentium* & *Fontium* intelligat Paracelſ. legatur *in Labyrinth. Medic. c.* 11.

CRESERA, κρησέρα, *Cribrum pollinarium* ſignificat, quo farina expurgatur & cribratur. Vocatur & ἀλευρότησις Polluci, *l.* 6. *c.* 11. Legitur & κρησέρη, *l.* 2. *de morb. mul. XI.* 32. Vide Foëſ. *Oecon. p.* 354. 355.

CRETA, vel denotat inſulam, patriam Andromachi, κρήτη dictam; unde κρὴς, *Cretenſis* dicitur, Galen. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 1. quæ ſignificatio non eſt hujus loci: vel ſignificat *Terræ* ſpeciem notiſſimam, γῆν κρητικὴν, candidam, quamvis Renodæus & vireſcentem & nigricantem faciat; quæ tamen non ſunt in uſu. An Græce κιμωλία γῆ dicenda? Vide *Cimolia.* De *Cretæ* vulgaris uſu vid. Schröd. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 3. De ſpeciebus *Cretæ* ſive *Creticæ terræ* legatur & Mercurial. *l.* 3. *Var. Lect.*

Lect. c. 21. Ruland. & Iohnſon. ſeqq. differentias fecerunt: 1. *Creta* argentaria, in qua micæ argenteæ intern tent: 2. rara, mollis: 3. dura: 4. lutea mollis Waldenburgica, quæ facillime lineas ducit: 5. tophacea: 6. In cinereo violacea dura: 7. Cœrulea, quæ effoditur in Thuringia prope oppidum Mogellam, qua fabri in pingendis parietibus utuntur: 8. viridis dura: 9. ſubviridis: 10. nigra mollis: 11. nigra mollis, argenteis maculis nitens: 12. nigra dura: 13. fabrilis candida, ex qua Cataloni ad Matronam parietes & muros exſtruunt. Unde etiam Argieræ portus extructus dicitur. Ex tot ſpeciebus colligere eſt, vocab. *Creta* generaliter accipi pro *Terra medicata* & *bolari*; quam ſuſpicionem confirmat Scribon. Larg. qui *Terram Samiam* aliquoties *Cretam* vocavit, *n.* 83. 86. 112. 189. Vide *Lex. Scrib.* Rhodii *p.* 368. *Creta ſutoria.* Vide *Melanteria.* Præter uſum medicamentoſum *Cretæ*, de quo apud Schröd. *d. l.* & Mynſicht. *Armament. Medico-Chymic. ſect.* 8. *in fin.* de *Mopſulis diacretæ*, hodieque abuſus *Cretæ* Zythepſis noſtris eſt familiariſſimus, quando cereviſiam tempore æſtivo aceſcentem magna copia *cretæ* vulgaris injecta emendare conantur, non ſine diſpendio ſanitatis, quia redditur Calcaria, & acris alkalizata, Paracelſ. *l.* 1. *de Tart. Tr.* 5. *c.* 2. *in explic.* Quid? quod haud raro portionibus impuris ſcatere ſoleat *Creta.* Nihilo tamen minus cogimur ſanitatis jacturam facere & pati, pro lubitu illorum cereviſiæ coctorum, quando alio potus genere deſtituimur. *Creta Vitrioli* vocatur Colcothar dulcificatum, quando in aqua ſolvitur calida, qua rubor tollitur & poſt exhalationem remanet colcothar ſubdulce albicans. Hartm. *Praxi Chymiatric. Tom. I. Oper. in fol. p.* 121.

CRETUS, i. e. *cribratus*, à *Cerno*, idem, quod *Cribro*, Scrib. Larg. *n.* 70. 115. 122.

CRIBRATIO, Gr. dici poſſet κοσκινισμὸς, eſt ſpecies ſecretionis, quæ ſolidiora in minores particulas redacta, aut etiam pulpoſa per cribrum trajiciuntur, ad ſeparandum tenuiora à craſſioribus. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. XV.* §. 2.

CRIBRATORIUM, *Cribrum*, κόσκινον, κρησέρα, quid proprie ſit, in vulgus notum eſt. Dicitur & quandoque *Colum*, ἠθμὸς. Pertinet ad inſtrumenta etiam Diætetica, Pharmaceutica, & Chirurgica. Unde rectiſſime vocavit Galen. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 2. *Cribrum Medicum*, κόσκινον ἰατρικὸν. Actio ipſa dicitur *Cribrare*, *Percribrare*, *Cernere.* Vid. *Lex. Scrib.* Rhodii *p.* 368. ejuſdemque notas *ad d. auth. n.* 61. 75. Per tranſlationem etiam *Cribrum* in Anatomicis uſurpatur, v. g. *Os Ethmoides*, ſive *Cribriforme*, *Cribroſum*, ad radicem naſi occurrens, cujus deſcriptionem vide apud Barthol. *libell.* 4. *c.* 8. & *Cribrum Renum*, quod à veteribus fictum eſſe ſtatuit idem, *l.* 1. *Anatom. cap.* 17.

CRICOARYTÆNOIDÆI dicuntur duo Muſculi, laryngem aperientes, de quibus legatur Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 11. *p.* 441.

CRICOIDES, κρικοειδὴς, epitheton *Cartilaginis* ad *Laryngem* pertinentis, ita dicta, quia *annuli* figuram imitatur. Κρίκος enim *annulum* & circulum ſignificat, uti conſtat ex Hippocr. *libell. de Anat. l.* 3. *in Mochlic. XXV.* 5. Dicitur & à quibuſdam *Cymbularis*, *Coopertoria*, Caſtell. Cartilaginis deſcriptionem vide apud Barthol. *Anat. l.* 2. *c.* 11. Aquapendens vocat *Innominatam*, cum tamen à Galeno & Oribaſio *Cricoides* jam appellata fuerit, *Tract. de Larynge vocis organo*, *part.* 1. & 3. *c.* 5.

CRICOS, κρίκος, vide *Circos.*

CRICOTHYROIDEI vocantur muſculi, qui judice Bartholino, rectius dicerentur *Thyrocricoidei*, *d. l. p.* 439.

CRIDONES, Vermiculi intercutanei, Hoſt. *epit. med.* §. 5.

CRIMNON, κρίμνον, dicitur *farina craſſior*, caſtrata, negligentius molita, & ſaltem per cribrum laxiora habens foramina trajecta, Dioſcor. *l.* 2. *c.* 112. Galen. *l.* 7. *de S. F.* §. *h. tit.* Meminit & aliquoties hujus vocabuli Hippocrat. de potu agens, in quo farina craſſior macerata fuit, *l.* 2. *de morb. XIV.* 15. *XXIIX.* 11. & ſæpius alibi. Aliquando vero uſus eſt fœminino κρίμνη, etiam *polentam* craſſiorem indicans, v. g. *l. d. nat. mul. XXIX.* 53. quamvis Lind. κρίμνον retinuerit. Derivativum etiam κριμνώδης, *polentarius*, *farinaceus*, de ſedimentis urinæ craſſioribus furfuraceis ſæpe uſurpavit, 7. *aph.* 21. *Progn. d. l. Coac. t.* 263. 588. cruditatum excrementitiarum & corruptarum copiam in maſſa ſanguinea indicantes. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 355. *ſeq.* Diet. *n.* 478.

CRINALE vocatur inſtrumentum quoddam Chirurgicum, Ophthalmicum, cujus figuram cum uſu exhibet Scultet. *Arm. Chirurg. Part.* 1. *Tab. IV. fig.* 1. & *Tab. XXXI. fig.* 5.

CRINATUM, κρινάτον, epitheton *ſuffimenti*, vel *Thymiamatis*, apud P. Æginet. *l.* 7. *c.* 22. h. e. *liliaceum*, à κρίνον, *lilium.*

CRINES, τρίχες, ſing. θρὶξ, *Pilus*, quid ſignificet, ſatis conſtat. Sunt vero *Pili* partes corporis ſecundariæ tenues, longæ, ſiccæ, ex cute erumpentes, à ſucci cujuſdam pene excrementitio-nutritii ſulphureo-ſalini crudi præſenti copia obortæ. Variant autem ratione coloris propter variam ſanguinis & ſucci nutritii conſtitutionem & temperiem. Qui *crinibus* vel *pilis* abundant, *piloſi*, hirti, *hirſuti*, δασεῖς vocantur; qui vero carent iis locis, in quibus eſſe deberent, præſertim in capite, *Calvi* appellantur. *Pilos* quoque non carere medicamentoſa virtute, vide apud Schrôder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. Locus, ubi *pili* abundant, præſertim in capite, dicitur *Capillitium*, τρίχωσις, τρίχωμα, Gorr. *in def.* Signaturam *crinium* eſſe valde fallacem, recte judicavit Parac. *l.* 9. *de Nat. rer.*

CRINITUS, a, um, κερκινόμενος, dicitur de plantis, quarum radices multis fibrillis vel capillamentis ad latera

tera diſperſis per terram diffunduntur, inſtar pedum cancrorum, apud Theophr. ſæpe. Vide Keuch. *not. ad Seren. p.* 148.

CRINOMENOS, κρινόμενος, id, quod *judicatur.* Vide *Criſis.*

CRINOMYRON, κρινόμυρον, unguentum *liliaceum*, quod & *Ægyptium album* & *Suſinum* vocabatur, ſignificat. Conſtabat lilio & quibuſdam aromatis, Gorr. *p.*246.

CRINONES, vocantur nonnullis practicis *vermiculi cutanei*, qui & *dracunculi* aliis dicuntur, ſummum pruritum ſub cuticula excitantes, & atrophiam ſive maciem corpori inferentes, haud dubie à ſucco nutritio vitioſo & coagulato provenientes, quorum capitula cineritii coloris e cute erumpunt, ſi inunctio facta fuit, prius linimento ex farina triticea, & melle parato, hinc vel novacula abraduntur, vel cruſta panis, Tim. à Guldenklee *l.* 5. *caſ.* 23. Vide *Dracontion.*

CRIOGENES, κριογενὴς, epitheton trochiſcorum ad expurgandum ulcera ſordida, apud P. Æginet. *l.*7.*c.*12.

CRIOMYXOS, κριόμυξος, vocatur proprie *muco in naribus abundans*, inſtar arietis. Tropice uſurpatur de hominibus ſtupidis, & vacui cerebri, Gal. *l.6. meth. med. c.* 3. C. Hofm. *com. ad Gal. de V. P. n.* 1025.

CRISIMOS, *Criticus*, κρίσιμος, κριτικὸς, vel de *morbis*, qui *judicantur*, vel de *diebus*, in quibus *judicari* ſolent, accipitur, apud Hipp. Gal. *l. de dieb. judicat. c.* 3. & 3. *progn. t.* 1. Vide Dieter. *n.* 482. Foëſ. *p.* 359. Frequentior tamen eſt poſterior acceptio. *Signa* quoque *criſima* fuſiſſime reperies apud Gal. 1. *aph.* 12. & *l.* 1. *de criſ. c.* 3. 7. 8. & 14. *l.* 3. *c.* 4.

CRISIS, κρίσις, *Judicium*, *Judicatio.* Quam certum vero & expeditum eſt, vocabulum hoc frequentiſſime uſurpatum in medicina non denotare *judicium* forenſe vel judicationem; tam intricatum, multiſque difficultatibus adhuc implicatum eſt, quid Hipp. Gal. & alii veteres recentioreſque medici per *criſin* intellexerint, aut potius, quænam ſit hujus vocabuli genuina ſignificatio? Interdum enim *Criſis* dicitur ſubita morbi in melius pejuſve ad vitam, aut mortem mutatio: Interdum ea, quæ antecedit judicium, humorum agitatio: interdum integra totius morbi ſolutio: interdum illa tantum morbi ſolutio, quæ ad bonum fit, nomine *criſeos* venit, Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 1. Quæ varietas ſententiarum oborta eſſe videtur à neglecta conſideratione comparationis inter *judicium* forenſe & *judicium* medicum; quæ ſi probe attendatur, res mihi videtur expeditu facilior, quænam ſignificatio adæquata ſit dicenda? Nimirum quemadmodum ad *judicium* forenſe ad minimum tria neceſſario requiruntur: *Judex*, *reus* & *teſtimonia*; ita quoque in criſi medica res ſeſe habere debet. Reo reſpondere ægrum, nullum eſt dubium. Teſtibus vel teſtimoniis comparare poſſe attributa varia cauſſarum & ſubjecti probe examinata & conſiderata, hoc etiam nemo facile inficias ibit. Quæritur ſaltem de *judice* medico, quis conſtitui debeat ac poſſit? Sane æger vel morbus non poteſt ſimul judicis & rei partes ſuſtinere. Ergo vel natura, i. e. vigor flammæ & temperamenti vitalis adhuc in ægro ſuperſtes, vel medicus judicis vices ſubire debent. Quia vero medici opera ſaltem miniſterialis eſt reſpectu naturæ, quæ dicitur ab Hippocr. morborum medicatrix. Igitur ſatis eſt, naturæ judicis medici officium attribuiſſe. Quibus ita poſitis facile quilibet rem hanc antea intricatam penitius conſiderans, neque quamvis mutationem ad vitam, vel mortem, in melius vel deterius, recte dici *Criſin*, quia mutatio, quæ fit in deterius, non fit virtute, aut vigore naturæ, ſed potius vi morbi, & ita deficit judex competens, quo deficiente, quis vellet dicere *Criſin?* neque humorum agitatio antecedens *Criſis* appellanda, quia adhuc ſub judice lis hæret, an illa agitatio à viribus vitalibus, an vero à vehementia cauſſæ morbificæ oborta ſit? quemadmodum nec in foro inquiſitio & ventilatio actionum proprie dicitur *judicium*, aut ſententia, ſed potius, quando actio deciditur per *judicem.* Relinquitur ergo, *Criſin* ſaltem dici adæquate, quando beneficio virium vitalium h. e. naturæ & adhuc ſufficientis vigoris humorum & ſpirituum cauſſæ morbificæ fit remotio, & ægri à morbo liberatio; id quod Galen. ipſe fateri coactus eſt, *l.* 3. *de criſ. c.* 1. quod ea, quæ repente fit, per excellentiam κρίσις dicatur, & à natura, ea, quæ præter naturam ſunt, ſuperante, exquiſite perficitur. Quam meam de *Criſis ſignificatione* ſententiam prolixius expoſitam reperies *in Dogm. Med. Gen. P. III. c.* 6. *dogm.* 8. *ſeqq.* Concidit ergo, ſtante hac ſententia, diſtinctio inter *criſin bonam* & *malam*, cum mala nulla detur. Siquidem judice favente, h. e. naturæ robore ſufficiente, in malum non poteſt fieri mutatio: Implicaret enim contradictionem manifeſtam. Diſtinctio vero in *criſin perfectam* & *imperfectam* ſuo ſtat talo, quarum illa cum manifeſta materiæ peccantis evacuatione, hæc cum remotione ad alium locum ignobiliorem conjuncta eſt. Quod ſi tamen aliis placuerit, retinere illas tricas & ambiguitates, per nos illis liceat. Jungi vero poſſunt circa hoc vocabulum, Foëſ. *Oec. p.* 357. Dieter. *n.* 479. *ſeqq.* Præter hanc ſignificationem *Criſis* etiam requiritur in medico, h. e. *judicium* exactum & rectum de viſis fieri & auditis, de futuris prædicendis, de agendis juxta veram methodum. Quam difficile vero hoc ſit, judicavit Hippocr. ſtatim ab initio 1. *aph.* 1. Prudentia igitur & exercitatione opus eſſe, quis non intelligit? Adde Linden. *Ex. V.* §. 6.

CRISPATURA, οὐλοποίησις, proprie dicitur de pilis contortis, & legitur apud Galen. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 3. *fere ad fin.* Improprie nonnulli recentiores medici uſurpant de ſpaſmodica contractione partium membranacearum & fibroſarum. Ita ſunt, qui ureterum *criſpaturam* accuſant in calculo renum urgentem, quamvis fortaſſis non abſque rationibus adhuc de ea dubitare poſſit, quod ulterius ventilare non eſt hujus loci.

CRISPELLA eſt forma alimenti, vel medicamenti, quale

quale exemplum contra hæmorrhoides commendatum tradidit Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p. m. 167. ſeqq.*

CRISSA *avis*, *Criſſatum*, κίγκλος, κιγκλισμὸς, vide *Cinclismus*, *Criſſare*, quid ſit, vide *Clados*.

CRISTA, λόφος, eſt prominentia illa mollis capitibus gallorum gallinaceorum ſuperpoſita, Galen. *l.* 2. *de A. Fac. c.* 21. Ad hujus ſimilitudinem & proceſſus acutus oſſis cribriformis & medius *criſta galli* dicitur, Barthol. *libell.* 4. *c.* 8. Pathologice quoque appellantur *Criſtæ* illæ *excreſcentiæ carneæ* fungoſæ *in ano* pullulantes obortæ utplurimum ex fœdo concubitu, de quo tacere præſtat, ad quarum radices plerumque fiſſuræ ſive rhagades adſunt. Ital. *Creſte*. Meminit *Criſtarum* Aquapend. *in tract. de Oper. Chirurg. ed. Patav. p. m.* 102.

CRITERIUM, κριτήριον, normam & fundamentum, ſecundum quod judicium aliquod inſtituitur, ſignificat. Galen. *l.* 1. *de V. P. c.* 8. Adde C. Hofm. *in Appendice Commentar.* in qua variæ lectiones continentur, *n.* 1143.

CRITHE, κριθὴ, *Hordeum* ſignificare, ex Botanicis conſtat. Diminutivum κριθίδιον, *hordeolum* ſignificans legitur pro decocto hordei apud Hipp. *l. de nat. mul. XLIX.* 3. 4. Ad ſimilitudinem *hordei*, nomen quoque hoc tribuitur *tuberculo* oblongo palpebræ cilio externa parte, qua pili ſunt, adnaſcenti, à materiæ crudæ cum ſanguine affluentis collectione oborto. Meminit hujus Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *n.* 10. Galen. *defin. Med. & Introduct. c.* 16. ubi & ποσθία, *præputiolum* vocatur, *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *&* 8. *fin.* Ægin. *l.* 3. *c.* 22. aliique.

CRITICUS, κριτικὸς, idem, quod κρίσιμος, ſcil. *ad criſin faciens*, vel pertinens, vel ut cauſſa, vel ut ſubjectum, vel ut ſignum. Vide *Criſimos*. Cæterum apud Æginetam *Criticon* eſt nomen medicamenti topici contra ſtigmata, h. e. cutim punctatis maculis decoloratam laudati, fortaſſis ab autore *Critone*, cujus in eodem quoque loco meminerat, *l.* 4. *c.* 7.

CROCE, κρόκη, *tramam*, vel ſubtegmen ſignificat; ſed ſumitur apud Hipp. pro *filo*, *l.* 2. *de morb. XIIX.* 11. Idem ſignificare vocab. κροκὶς exiſtimat Foëſ. *p.* 360. ex Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1.

CROCIDIZO, κροκιδίζω, idem fere, quod καρφολογέω, floccos evello vel colligo. Vide *Carphos*, à κροκὶς, floccus.

CROCINUM, κρόκινον, nomen collyrii & unguenti apud Ægin *l.* 7. *c.* 16. *&* 20.

CROCODES, κροκώδης, epitheton paſtilli vel *trochiſci*, quaſi *croceus* dicti, ob magnam quantitatem *croci*, quæ compoſitionem illam ingreditur. Ægin. *l.* 7. *c.* 12.

CROCODILUS, κροκόδειλος, dicitur animal Ægyptiacum amphibium quadrupes, oviparum, cujus deſcriptionem, differentiam inter terreſtrem & aquaticum, vim venenoſam per morſum, uſum in cibis medicamentoſum prolixius videre licet apud Ul. Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. ovip. c.* 15. Jungantur obſervationes communicatæ per Doct. Stubbes *in Act. Philoſoph.* Oldenburg. *Ann.* 1668. *in Junio*. Meminit aliquoties Gal. v. g. *l.* 4. *de V. P. c.* 2. quod ſolus *Crocodilus* non moveat inferiorem maxillam, *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 13. quod adeps *Crocodili* conditus ſit odoramentis, *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 10. quod adeps *Crocodili* ejus animalis morſum certo curet, *l.* 10. *de S. Fac.* quod ſanguis *Crocodili terreſtris* viſum acuere dicatur, ſed ſe noluiſſe experiri, & quod ſtercus hujus inter coſmetica retulerint mulierculæ delicioſæ, &c. *Crocodili terreſtres* ſunt nihil aliud, quam *ſcinci*, quorum uſus eſt iratas uxores conciliare, & in veneris conflictu victoriam reportare, verbis Lang. *l.* 1. *ep.* 65. Horum ſtercus jucundo nidore pollens *Crocodilea* vocatur, & non modo contra epilepſiam ex aceto mulſo bibitur, ſed etiam eſt fucus egregius mulieribus, monſtrante Rhodio *ad Scribon. L. n.* 14. *Crocodilum* ſolo anhelitu venenoſo inficere, teſtatur Paracelſ. *l.* 2. *de peſte cum addition. tr.* 3. Idem etiam *Crocodilos* inter ſerpentes manifeſte refert, *l. principior. ſeu de myſter. verm. c.* 6.

CROCOMAGMA, κροκόμαγμα, eſt retrimentum *Crocini* unguenti, ita dictum, quod expreſſis unguenti *crocini* odoramentis & in formas digeſtis paretur. Μάγματα enim appellantur, quæ expreſſa aliqua materia relinquuntur craſſa, fœculenta & lignoſa. Variæ vero ſunt differentiæ *crocomagmatis* variique uſus. Vide Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 5. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. *in fin.* Dioſcor. *l.* 1. *c.* 26. P. Ægin. *l.* 7. *c.* 12. Scribon. *L. n.* 4. 30. 70. 299. Rhod. *in not. ad n.* 4. Adde Gorræum *in def.*

CROCOPHANTOS, κροκόφαντος, κροκοφάντιον, dicitur ſacculus ſtupa contextus, cui *crocus* inditur, cujus meminit Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2.

CROCUS, CROCUM, κρόκος, κρόκον. Utrumque in uſu eſſe demonſtravit Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 368. Vel enim ſignificat plantam bulboſam, flore purpureo autumnali, cujus ſtamina flammea inſtar antheræ conſtituunt aroma notiſſimum *crocum officinalem*, ad cibos & medicamenta commendatiſſimum, de quo vide Schröder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 110. ut & veteres novoſque alios quam plurimos autores. Rulando vocatur *Crocus flos*. Vel denotat calcem purpuream ad *croceum* colorem vergentem, qui paratur ex antimonio, vel marte, vel venere, Idem *l.* 1. *c.* 3. *lit.* C. Libav. deſcribit per magiſterium minerale tingens, & per modum efflore ſcentiæ naſcens, *Synt. Arc. Chym. l.* 5. *c.* 20. ubi etiam putat, haud inepte dici poſſe *antheram mineralem*. Species vero ex variis mineralibus & metallis paratas recenſet *capp. ſeqq.* Varias *Crocorum metallicorum*, *Auri*, *Martis*, *Veneris*, & *Antimonii* præparationes tradidit Junken *in Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 89. *ſeqq.* *Crocus metallorum* eſt ille ipſe, qui ex antimonio paratur, Jung. Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect.* 10. *Crocus* vel *Crocum* etiam à Galeno dicitur de *vitello ovi*, qui λέκυθος alias Gr. vocatur, *l.* 3. *de facil. parab.* Foëſ. *Oec. p.* 360. *Crocum Arabicum* vocatur etiam compoſitio

quædam ſpagyrica ſatis obſcure deſcripta, quæ & *oleum Arabicum* dicitur, Ariſtot. *de perfecto Magiſterio : Th. Chym. Vol. III. p.* 116. Lapis Phil. vocatur *Crocus*, *Vol. IV. p.* 727.

CROMMYOXYREGMIA, κρομμυοξυρεγμία, ſignificat ructum acidum fœtentem & odorem cæparum referentem. Legitur apud Ariſtoph. vid. *Dogmata noſtra Med. Gen. P. II. c.* 11. *dogm.* 3. *p.* 282.

CRONOS, κρόνος, Vide *Saturnus*.

CROTALISTRIA, idem, quod *Ciconia*, apud Petron. *c.*37. quod roſtri colliſu ceu crotalo ſonum efficiat. Linden. *Ex. X.* §. 273. Vide *Ciconia*.

CROTAPHI, κρόταφοι, *tempora*, dicuntur oſſa duo cranii, utrinque ſingula ad aures ſita trilatera, parte ſuperiore ſuturis λεπιδοειδεῖ, ſive ſquamoſis poſteriore laterum τῆς λαμβδοειδοῦς additamentis, anteriore ſutura, quæ cranio & oſſi σφηνοειδεῖ communis eſt, terminata. Sunt autem omnium cranii oſſium infirmiſſima, tum quod tenuiſſima ſint, tum, quod pertuſa meatu auditorio & cavata, partim ad genæ ſupernæ diarthroſin, partim ad venæ jugularis ramos intus & foris excipiendos. Non ſunt vero ſimplicia, ſed multiformia, Caſtell. & Gorræus *p.* 250. Dicuntur *oſſa temporum*, quia vocab. *tempora* etiam latius accipitur, pro tota regione laterali inter oculos & aures. Jung. Barth. *l.* 3. *Anatom. procem. & libell.* 4. *c.* 6.

CROTAPHITÆ, κροταφῖται, vocantur *temporales* muſculi, quia *temporum* cavitatem & regionem occupant, oſſaque *temporum* tegunt; Maxillam vero inferiorem movent & furſum trahunt, atque ita os claudunt. Gal. *l. de muſc. diſſect. c.* 6. Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 11.

CROTON, κρότων, *Ricinum* ſignificat, & ad Botanicos pertinet. Vid. Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul.* 79. 11. Alias & Galenus κρότωνας apud Hippocr. *l.*2. *de morb.*14. per *bronchia* pulmonum exponit, Foël. *p.* 360. Meminit etiam κρότωνων Gal. *l.* 10. *de S. Fac.* §. *De ſanguine viridium ranarum*, & inſecta intelligit, quæ bovibus, ovibus, & canibus (hinc & κυνοραῖσαὶ, *raiſtæ canum* vocantur) infeſta, quorum hiſtoriam cum uſu in medicina vide apud Aldrov. *l.* 5. *de inſect. c.* 5. & e Seren. *c.* 36. Keuchen. *in not. ad h. l.*

CROTONE, κροτώνη, *excreſcentiam fungoſam* in arboribus proprie ſignificat, uti patet ex Theophraſt. *l.*1. *de plant. c.* 13. Dicitur alias σόγγρος, τρέμνον, *fungus*. Per tranſlationem etiam excreſcentias & *tumores fungoſos*, ad oſſium panniculos obortos κροτώνας dici, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 42.

CRUCIALIS, eſt epitheton inciſionis chirurgicæ, quæ fit decuſſatim. Legitur in Ruyſchii *Centur. Obſerv. Anatom. Chirurg. Obſ. LX.*

CRUCIATUS, πόνος λυπηρὸς, ἄλγος σφοδρότατον, *dolorem intenſiſſimum* ſignificat & tantum non intolerabilem, quique animam in conſenſum pertractam conficiat mœrore ac ſæpe deſperatione, qualis eſt dolor calculi, arthriticus, colicus, & præſertim *cardiaca paſſio*, ſive *cardiogmus*, Lind. *Ex. XIII.* §. 129. 130. & *dolor* hepatis in Cappadoce Hepatico, *Exerc. IX.* §. 41. Jung. & Scrib. Larg. *n.* 90. 171. Reſpondet doloribus in *cruciariis*, h. e. cruci affixis.

CRUCIBULUM, eſt vas fuſorium ex terra igni contumaciſſima factum, acutiore baſi vel fundo & tereti in ampliorem capacitatem forma triangulari vel rotunda definentem, pro fundendis & liquandis metallis & mineralibus formatum. Rul. & Iohnſ. *Lex.* Apud Hartmann. *in Prax. Chymiatr.* legitur in plurali crucibulos *Tom. I. Oper. in fol. p.* 133.

CRUCIUM VINUM dicebatur, quod in extremis offerri ſolitum eſt peccatoribus ad ſupplicium mortis deductis. Lind. *Ex. X.* §. 102.

CRUCUS, pro *Crocus*. Rul.

CRUDITAS, ὠμότης, *Crudus*, ὠμὸς, ἄνωμος, proprie de fructibus immaturis dicitur, deinde refertur ad cibos, humores, excrementa, morbos, quæ omnia ſi nondum acceperunt perfectam conſtitutionem in quolibet ſuo genere, *Cruda*, aut *Cruditates* dici poſſunt. Principium vero *crudorum* humorum potiſſimum à ventriculi ejuſque fermenti imbecillitate dependet, unde & morbus ipſe ἀπεψίας, vel δυσπεψίας, *Cruditatis* nomine exprimitur. Opponitur *cruditati & crudis*, coctio & cocta, πέψις, πέπανσις, πέπονα. Vide Foëſ. *Oec p.* 692. Dieter. *num.* 945. *Cruditates* genetrices multorum morborum eleganter & vere appellavit Linden. *Ex. XIII.* §. 149. *Crudus* etiam vocatur, qui *cruditatibus* laborat, Celſ. *l.* 2. *c.* 10. ubi dicit, *crudo* non eſſe ſanguinem mittendum, & Scrib. Larg. *n.* 122. in quo prohibet, ne *crudus*, i. e. *cruditates* in ventriculo habens, ſumat medicamentum.

CRUDIVORUS, ὠμοφάγος, dicitur de brutis & hominibus barbaris carnes *crudas* devorantibus, de quibus recte dicit Ariſtot. *l.* 9. *Hiſt. anim. c.* 1. quod talibus omnia ſint infeſta, & ipſa aliis.

CRUENTUS, αἱματώδης, αἱματηρὸς, dicitur de humoribus, vel excrementis potius, cruore, vel ſanguine extravaſato miſtis, v. g. de ſputo *cruento*, Ægin. *l.*3.*c.*31. Hipp. *Coac. t.* 390. expreſſe vocatur αἵματι ξυμμεμιγμένον, *ſanguine miſtum*, de urinis, *Coac. t.* 22. 272. 581. & alibi: de excrementis Hipp. *de nat. hum. ſect.* 2. *t.*10. *l.*3. *Epid.* Unde & dyſenteria αἱματηρὴ, *Cruenta* dicitur, Gal. 3. *in* 3. *Epid.*70. *& ad* 5. *aph.* 65. De ſudore *cruento* vide Baricellum, & alios.

CRUMA, κροῦμα, ſignificat *ſonum*, qui ex pulſatis organis muſicis percipitur, à κρούω, pulſo. Uſus Hipp. *l.* 1. *de Diæt. XV.* 16.

CRUNION, κρούνιον, nomen eſt medicamenti compoſiti, quod vim habet vehementem movendi urinam; quare ſic dictum eſt à *torrentis*, Gr. κρουνὸς, ſimilitudine. Legitur apud Aët. *l.* 12. *Gorr.*

CRUOR, apud Latinos ambigua gaudet ſignificatione. Aliquando ſumitur late pro *ſanguine*, & ita æquipollet Græco αἷμα. Vide *Sanguis*. Paracelſ. paſſim in ſcriptis.

ſcriptis. Ita enim aliquoties legitur apud Willis. Vel ſumitur ſtricte, & quidem pro *ſanguine venoſo*, Helmont. *tr. Blas human. n.* 21. *ſeqq.* vel pro *ſanguine extra vaſa* exiſtente à κρύω, Perott. *ad Mart.* Scribon. L. *n.* 193. 196. Vel pro *ichore ſanguineo*, Gal. *de Urin. c.* 22. *& l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Gr. ἰχώρ. Vide *Ichor*. Vel etiam pro *ſanguine congelato*, Gr. θρόμβος αἵματος, ut paſſim in autoribus legitur. Peculiarem deſcriptionem *Cruoris* legimus apud Paracelſ. *l.* 1. *de Tart. tract.* 1. *c.* 3. in notis: Viſcus ſecundæ generationis eſt *Cruor*, qui deſcendit à ſalibus: Eſt enim *Cruor* ſal egeſtum, i. e. rejectum & ſeparatum à primo ſale. Verum hæc ſunt Bœotica ænigmatica.

CRURALIS, epitheton *venæ* & *arteriæ* per crura & pedes excurrentium apud Barth. *libell.* 1. *An. c.* 9. *p.* 644. *& libell.* 2. *c.* 6. *p.* 658.

CRUREUS vocatur muſculus oſſi cruris affixus tibiam extendens. Barthol. *l.* 4. *An. c.* 12. *p.* 581.

CRUS, σκέλος, in plur. *Crura*, σκέλη, dicuntur extremæ corporis partes, quæ thoracem, & imum ventrem prætergrediuntur, ut, quicquid prominet ultra os ſacrum & carnoſos muſculos ibi inferne uſque ad pedes, id *Crura* dicantur. Dividit hæc Galenus in partes tres: εἰς μηρόν τε, καὶ κνήμην, καὶ πόδα, femur, tibiam & pedem, Gal. *Introd. c.* 10. *& alibi.* Suntque ambulationis inſtrumenta, *l.* 15. *de V. P. c.* 8. (unde & à currendo vocabulum deducitur per metatheſin literarum) & inceſſus fundamenta, *l. de parv. pilæ exerc. c.* 2. *fin.* *Crus* brevius deſcribitur à Dieterichio, quod ſit pars organica corporis à coxendice ad imum pedem protenſa, *Iatr. num.* 774. Æquipollet *pedi* anatomice ſumto, Linden. *Ex. VII.* §. 56. *Crus* contabeſcens per colliquationem σκέλος τηκόμενον legitur apud Hipp. 6. *aph.* 20. Sumitur tamen & aliquando ſtrictius pro parte pedis, quæ ſub genu ac poplite utrinque eſt, uti hoc demonſtrat ex Polluce *l.* 2. *c.* 4. Lind. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 12. §. 116. *Crura factitia* deſcripta vide apud Paræum *l.* 22. *Chir. c.* 13.

CRUSTA, vocabulum eſt πολύσημον. Vel ſumitur de animalibus *cruſtam* habentibus in ambitu corporis, ſive *cutim cruſtaceam*. Et ita Græcis dicitur ὄστρακον, & animalia *cruſtacea*, *cruſtata*, ὀστρακόδερμα, μαλακόστρακα, Gal. *de puer. epil.* etiam dicuntur ὄστρεια *c.* 5. de quibus vide Aldrov. *l.* 2. *de Exanguibus Cruſtatis.* De *cruſtaceis* Offic. Schröder. *l.* 2. *c.* 27. Vel accipitur pro *eſchara* Gr. ἐσχάρα, ἐφελκίς, quæ ulceribus veluti ſeptum, vel ſua ſponte, vel arte pyroticorum, ſive cauſticorum medicaminum uſu adnaſcitur, Gal. *l.* 5. *meth. med. c.* 5. Scrib. Larg. *n.* 25. Rhod. *in not. ad h. l.* Talia media dicuntur *Eſcharotica*, ἐσχαρωτικά, ſuntque duplicia, ignitum ferramentum, & medicamentum ſepticum, vel cauſticum. *l.* 5. *de S. F. c.* 15. Talia medicamenta abundant ſalinis acerrimis lixivioſis portionibus, uti patet ex lapide ſeptico parato ex lixivio fortiſſimo. Legitur & apud Hippocr. ἐσχαρώπτα κέγχρα, farinas & pultes farinaceas *cruſtam* facientes in craticula coctas, *l.* 4. *Ep. XXIII.* 11. Vel ſumitur pro *cuticula*, quæ liquoribus aut etiam partibus ſolidis ex aliqua congelatione ſuperficiaria adnaſci ſolet. Hanc Gal. vocat πυκνὸν ἐπίπαγον, *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 23. Talis *cruſta* obſervatur quoque in ſanguine extravaſato, de qua videantur *notæ noſtræ ad Jeſſen. p.* 174. *ſeqq.* Williſ. vocavit *cremorem*, *de febrib. c.* 1. Ita & in urinis conſpicitur quandoque *cruſta* albicans in ſuperficie concreſcens à particulis ſalis fluidi cum fixi portionibus combinatis. Idem *l. de Urin. c.* 5. *Cruſtam* quoque tribuit gulæ, ventriculo & inteſtinis in ſuperficie interiori, Barthol. *l.* 1. *c.* 9. *&* 10. quam *cruſtam villoſam* vocat Williſ. *Pharmac. Rat. Part. I. ſect.* 1. *c.* 2. & in parte poſtica, ſive convexa glandulis numeroſiſſimis annulatis conſitam eſſe docet.

CRUSTULA, idem, quod *Ecchymoma*, in oculo, h. e. ſanguis, qui ad conjunctivam tunicam à ſuis deſcendit arteriis, cum ipſa crepuerint. Fit autem duobus modis, ſcilicet ex oculi percuſſione & fiſſura conjunctiva; vel ex apoſtemate in conjunctivæ, & non ex ſui, fiſſura, Iſaac. *l.* 2. *Viatici c.* 3.

CRUSTUMINATUM, κρουστουμίνατον, genus dicitur potionis ex *cruſtumiis pyris* præparatum, cujus meminit Aëtius *l.* 5. De illis vero pyris optimis vide Scrib. Larg. *n.* 104. & Rhod. *in not. ad h. l.* ut & *in Lex. Scrib. p.* 369.

CRUX, σταυρὸς, quid ſignificet, notum eſt, & proprie ad medicum non pertinet. Videatur Lipſii libellus de *Cruce*. De ſignatura *Crucis* hieroglyphica videatur Johannis Dee Londinenſis *Monas Hieroglyphica Theor. XVI.* in *Theatr. Chym. Vol. II. p.* 197. *ſeq.* Signaturas *Crucis* veſtimentis cœlitus impreſſas malum quid portendere, vult Paracelſ. *Philoſ. l.* 2. *c.* 8. *l. Meteor. c.* 9. *& l.* 2. *de Meteoris; & de Meteoris ex Elemento ignis c.* 33. Legatur quoque, ſi placet, de forma *crucis* qualis fuerit, C. Hofm. *Com. ad Galen. de V. P. n.* 694. Tropice etiam *Crux cervi* vocatur à venatoribus *oſſiculum de corde cervi*, à figura, quam quodammodo refert, quod plurimum ad cordis affectus valere vana potius perſuaſio nobis videtur, quam experientia, multo minus ratione vera confirmata ſententia.

CRYBDEN, κρύβδην, ſignificat *clam*, latenter, occulte. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXII.* 12.

CRYMODES, κρυμώδης, eſt epitheton febris continuæ & ardentis accenſæ ab eryſipelate circa pulmonem conſiſtente, quemadmodum ex Aëtio *l.* 5. *c.* 89. notavit Gorr. Derivatur à κρυμὸς, idem, quod κρύος, *frigus*, *algor*, q. d. febris algida vel frigida, ſcil. ratione partium externarum.

CRYOS, κρύος, *frigus*, algor, glacies, & per metaphoram durities cruſtæ. Linden. *Exerc. V.* §. 41.

CRYPHINA, κρύφινα ἢ κρύφια, *animi ſenſa occulta* denotat, Hippocr. *l.* 7. *Epid. plane in fine;* quamvis Lind. κρύφιμα retinuerit. Foëſ. *p.* 360.

CRYPTOS, κρυπτὸς, *occultum* ſignificat vel latentem, uſur-

uſurpavit Hippocr. de Cancro, *6. aph.* 38. Vid. Dieter. *n.* 483. Vide *Occultus*.

CRYSORCHIS, κρυσόρχις, eſt teſticuli, aut *teſticulorum occultatio* vel receſſio. Galen. *in def. Med.*

CRYSTALLINUS, κρυσταλλοειδὴς, vel dicitur de humore oculi in medio ſito, duriuſculo, non omnino rotundo, ſed aliquantulum plano, pellucido & puro, ceu medio viſionis adæquato, & fere primario, cujus deſcriptionem & uſum vide in anatomicorum ſcriptis, præſertim Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 8. Dicitur hic humor etiam *glacialis*. Vel uſurpatur de membris corporis ſumme frigidis. Ita χεῖρας vocavit κρυσταλλίνας, *cryſtallinas*, Hipp. *l.* 7. *Epid. XV.* 36. h. e. quaſi congelatas.

CRYSTALLISATIO eſt operatio chymica ſalibus & ſalinis concretis propria, quatenus poſt corporatum liquoris illa diſſolventis quantitatem certam corpuſcula ſalina congregari rurſus & uniri incipiunt, donec vel ſola, vel cum aliis metallicis aut mineralibus combinata in diaphanam compagem diverſæ, cuivis tamen ſalis propriæ, figuræ abeant. D. D. Bohn. *Diſſert. Chym. Phyſ. XIII.* §. 23. *ſeqq.* D. D. Wedel. *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 3. *p.* 44. *ſeqq.* ubi *cryſtalliſatio* per coagulationem ſpontaneam & ſucceſſive ab intra perficiendam deſcribitur.

CRYSTALLUS, κρύσταλλος, communiter deſcribitur, quod ſit ſuccus intra terram frigore concretus. Itaque ex marmorum ſaxorumque canalibus effoditur, vel venis fibriſque detectis, aliquando aratro excitatur, & torrentibus defertur. Sunt qui dicunt, eſſe aquam cœleſtem gelu vehementiori duratam, Gorr. *p.* 251. Imo Ruland. non dubitat glaciem eſſe, quia impatiens eſt caloris, nec reperitur alibi, quam ubi maxime hybernæ nives rigent. Hanc ſententiam & Joh. Agricola de metallicis, & Matthiolus, aliique defenderunt. Enimvero falſitatem hujus opinionis ſolidis rationibus & experimentis detexerunt Andr. Chioccus *in Muſ. Calceolar. ſect.* 3. *p.* 193. *ſeqq.* Ferd. Imperatus *l.* 24. *c. ſeqq.* & Frid. Hofman. *in Clav. ad Schröder. l.* 3. *cap.* 8. §. 133. Jungatur *Scholion Natur. Curioſor. Ephem. A. I. O.* 73. Eſt igitur *Cryſtallus* revera corpus foſſile, ſive minerale lapidoſum, & gemma peculiaris ex aqueo ſucco, ſed cum terrea ſiccitate à frigore congelata, vel potius beneficio ſpecificæ & eſſentialis formæ lapidificæ (ſive ſpiritum, ſive ſemen petroſum dixeris, perinde erit) producta. De ejus virtutibus medicis vid. Ruland. Chioccum *d. l.* Schröder. *d. l.* & alios. Summatim: Facultatis eſt refrigerantis, præcipitatoriæ. Inde confert in omni alvi fluxu bilioſo, dyſentericis, cholericis, &c. *Cryſtallus* artificialiter ſumtus chymicis dicitur lapillus fragilis per congelationem factus. Congelatio autem ejuſmodi fit humore aqueo ſecedente & congelabili ſucco conſiſtente in formam lapilli, quod ſine calore evidenti etiam in cella fieri poteſt. Si tamen pars aquoſitatis divaporando diſſipatur, opus procedit citius. Itaque & lixivia glaciei ſolent decoqui ad craſſitiem ſapalem, aut ſedimento facto, quod innatat, depleri; reliquum congelat eo facilius. Hæc Ruland. *Lex.* Huc pertinent *cryſtalli* Nitri, Tartari, Solis, Martis, Mercurii, Veneris, Sulphuris, vegetabilium, de quibus legantur Libav. *in Syntagm. Arc. Chym. l.* 8. *c.* 39: *Alchym. Pharmac. c.* 22. Schröder. *in diverſis locis, quæ in indice quæri poſſunt*, *Diſpenſatoria*, *aliorumque practicorum ſcripta.* & e noviſſimis Helf. Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 99. Nos oportet brevitati ſtudere. *Cryſtallus* etiam pro ipſa glacie accipitur, haud dubie ex communi opinione, quamvis falſa ſupra tradita, apud Hippocrat. 5. *aph.* 24. Dieter. *n.* 484. *Cryſtalli* quoque Pathologice vocantur puſtulæ per univerſum corpus diſperſæ, lupini magnitudine, albæ ac inſtar cryſtalli diaphanæ, quas cum phlyctænis coincidere exiſtimat Ingraſſias *comm. in Avic. de Tum. p. n. p. m.* 194. E recentioribus quoque hoc nomine uſus D. Binninger. *Obſerv. Med. cent.* 2. *Obſ.* 94. *p.* 336.

CTEDONES, κτηδόνες, vocantur *fibræ*. Vide infra *Fibræ*.

CTEIS, κτεὶς, *pecten*, *pubes*, pili decoratus dicitur in hypogaſtrio juxta pudenda, ubi pili inhorreſcunt, Hippocr. 7. *aph.* 39. Alias proprie *pecten*, κτεὶς, dicitur inſtrumentum dentatum, quo capilli explicantur. Dieter. *n.* 485. de quorum forma antiqua vide Linden. *Ex. XI.* §. 71. A quibuſdam etiam κτένες dicuntur dentes quatuor primores acuti vel inciſores, qui & διχαστῆρες, τομεῖς, & γελασῖνοι dicti. Sunt etiam, qui κτένας vocant partem manus externam, τῷ θέναρι, ſive volæ oppoſitam, quam propterea alii ὀπισθέναρ, alii πρoκάρπιον, alii δόρον appellant. Sunt & κτένες θαλάσσιοι, *pectines marini*. Plinius *pectunculos* vocat, ſuntque conchæ *pectinatim* ſtriatæ bivalves, quarum deſcriptio videatur apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 69. Caſtell. Gorr.

CTENOS, κτῆνος, *Jumentum*, *Pecus*. Hinc κτηνιατρικὴ. Vide *Veterinaria*.

CTISIS, *Ctizo*, κτίσις, κτίζω. Vide *Creatio*.

CUBARIS, κυβαρὶς, ſpecies inſecti, quod dicitur *millepeda*. Vide *Aſellus*.

CUBATIO, κατάκλισις. Vide *Cataclifis*.

CUBIFORMIS, κυβοειδὴς, eſt epitheton oſſis, quod & *cubicum* dicitur, eſtque os, quod ab externis oſſis partibus, pedis firmum in terra ſtatuitur, externiſque *tarſi* partibus eſt locatum, & articulatur cavitati calcanei ad finem adjacenti, Galen. *l.* 3. *de V. P. c.* 7. Et hoc unicum os ex quatuor tarſi oſſibus ſolum nomine donatum eſt, cum reliqua tria careant nominibus. Eſt autem os hoc, ut reliqua *tarſi* oſſa, intus cavum, foris gibbum, cubo ſimile, quod latera ſex habeat cubo communia, admodum inæqualia & fere aſpera. Caſtell. Jung. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 21. Dicitur & *os teſſeræ*, Arab. *grandinoſum*, item πολύμορφον. Eſt etiam epitheton dorſi *auriculæ* ſeu *conchæ* partis externæ verſus caput, quæ aliis dicitur κυρτοειδὴς, *gibbiformis*. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 11. §. 4.

CUBIL

CUBIL, i. e. terra rubra. Rul. *Lex.*

CUBILE, *Cubiculum*, κοίτη, quamvis hoc vocabulum & *lectum*, & fulcrum, & omnia ad lectum pertinentia comprehendat, uti patet ex Hipp. *6. Epid. ſ.* 4. *t.* 19. *& ſ.* 8. *t.* 27. *ſ.* 2. *de R. V. I. A. t.* 50. Hinc κοιτονίτης, *cubicularius*, qui *cubiculo* præeſt, vocatur, Galen. *l. de præcognit. cap.* 5. quem Atticiſantes σωματοφύλακα vocant. Jung. Foëſ. *Oecon. p.* 346.

CUBITUS, κύβιτος, πῆχυς, eſt generaliter os, quod inter humerum & carpum, quod *brachiale* dicitur, ſitum eſt. Specialiter alterum ſaltem illius partis os grandius, quod alteri ſubeſt *radius* dicto, vocatur, Græc. Focile majus πῆχυς, ἀγκὼν, vide *Ancon.* ὠλέκρανον. Specialiſſime proceſſus quoque & articulatio illa ulnæ, cui reclinati inniti ſolemus, *Cubitus* appellatur, Græc. ὠλέκρανον, κορώνη, κορωνόν. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 360. *ſeq. &* 505. *ſeq.* Dieter. *n.* 3. Hofm. *in Galen. de V. P. n.* 92. Vocabulo κύβιτος uſus Hippocr. *l. de Loc. in hom. XI.* 11. Jung. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 72. *ſeqq.* Muſculi quidem *cubitum* flectentes & extendentes vocantur *Cubitei*, flexor quidem *internus*; Extenſor *externus*. Bartholin. *l.* 4. *An. c.* 9. *p.* 575. Eſt & πῆχυς, *Cubitus*, menſuræ nomen, qua verum intervallum dimetimur, eſtque extenſio à cubito uſque ad ſummum medium digitum pedis unius & dimidii, Hipp. 1. *de fract. t.* 16. Ab hoc derivantur πηχυαῖος, *cubitalis*, 2. *de fract. t.* 3. item ἡμιπηχυαῖος, δίπηχυς, τρίπηχυς, ἑξάπηχυς, *ſemicubitalis*, *duorum*, *trium*, *ſex cubitorum* ſcil. longus, quæ ſæpe apud autores occurrunt. Caſtell.

CUBUS, κύβος, ſignificat vel corpus, vel figuram hexædram, ſex quadratis lateribus conſtantem, qualis eſt teſſeræ, Galen. *l.* 8. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 3. Unde corpora alia ſimilem *figuram habentia* dicuntur κυβοειδῆ, *cubiformia*, *vel cubica*: Κύβοι, *cubos*, quoque à quibuſdam dici ſpinæ vertebras, & *præſertim* colli, vult Gorræus *in defin.*

CUCULATUM *majus* dicitur *aqua vitæ*, ſive ſpiritus vini. Rul. *Lex.*

CUCULLARIS dicitur muſculus, qui Galeno *Trapezius*, τραπέζιος, vocatur, ſcapulam movens vario modo, ob formam cucullum Monachorum referentem, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 3. *p.* 564.

CUCULLUS, πῖλος, πιλίον, aliquando totam veſtem, uſitatius tamen tegmen ſaltem capitis denotat, Aldr. *Ornith. l.* 5. *c.* 17. Dicitur & *Cucullio.*

CUCULUS, κόκκυξ, æquivocum eſt, ſignificat enim vel avem notiſſimam, inter rapaces referendam, accipitri ſimilem, cujus deſcriptionem & uſum medicum vide apud Aldrov. *d. l.* & Schröder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 53. Avem hanc ſanguinem vomere, ſi alvi fluxus, vel dyſenteria epidemica homines invaſerit, ſcripſit Paracelſ. *de peſt. Tractat.* 1. Vel piſcem, de quo legatur idem Aldrov. *l.* 2. *de Piſc. c.* 4. Gal. 3. *de Al. fac. c.* 31. inter piſces carnis duræ refert. Vel oſſis ſacri extremitatem. Vide *Cauda.*

CUCUPHA, nomen *Pileoli*, qui paratur ex ſindone vel linteo tenuiori, cum pulvere ſpecierum cephalicarum corone vel goſſypio excepto & interpuncto, ſeu interpaſſato, ut vocant. Videatur Petr. Moreil. *l.* 2. *de meth. præſcr. remed. form. ſect.* 2. *c.* 3. Schröd. *l.* 2. *c.* 78. qui ſæculis annumeravit.

CUCURBITA, σίκυον, σικύα, σίκυς, σίκυνος, Cucumis. Quid proprie ſit, Botanicis relinquimus. A figuræ vel formæ ſimilitudine *Cucurbitæ* vel *Cucurbitulæ* medicis dicuntur vaſcula illa, quæ cuti cum flamma affigi ſolent, cum vel ſine ſcarificatione. Dicuntur & *ventoſæ*, præſertim Italis. Parantur e materia metallica, vel vitrea, vel cornea, Dieter. *n.* 772. Quæ ſine ſcarificatione apponuntur, dicuntur leves, Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 4. Hippocrates vocavit σικύας, *l. de Medico*, *VI.* 1. *l.* 4. *de morb. VI.* 9. Dividuntur in magnas, & parvas, quæ *Cucurbitulæ* vocantur. Magnæ meminit Hippocr. 5. *aph.* 50. & Gal. *l.* 2. *ad Glaucon. c.* 6. *alibique.* Vid. & Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 46. Chymicis *Cucurbita* dicitur vas plerumque turbinatum, in cucurbitæ vel pyri formam turgeſcens. Et alia fundo globoſo prædita eſt, alia plano. Alia quoque aperta, cui alembicus imponi ſolet: alia cœca, quæ eſt vas, in quo diſſolutiones ſalium aliarumque rerum fiunt, Rul. *Lex.* & Iohnſ.

CUCURBITULA. Vide *Cucurbita.*

CULATUM, i. e. *Calcinatum.* Rul. Iohnſ. *in Lex.*

CULBICIO veteribus dictus fuit affectus ſtranguriæ ſimilis, vel potius ardoris urinæ ſpecies, Gallorum *chaude piſſe*, ab inflammatione paraſtatarum mediante acri & putreſcente ſemine producta dependens. G. H. Velſch. *in Sylloges Cur. & Obſerv. Medic. Epiſagmatis Obſerv.* 67. *p. m.* 42.

CULCITRA, ἐφάπλωμα, quid ſignificet ex aliis dictionariis vulgaribus conſtare poteſt ac debet. *Culcitra* perforata, cui fœmina parturiens in ſella obſtetricali inſidet, duplici modo deſcripta & depicta videatur in Henr. à Deventer *Lum. Nov. Obſtetr. c. XXVI. p.* 91.

CULEUS, κολεὸς, *ſaccum coriaceum* ſignificat. Eſt & nomen menſuræ liquoris omnium maximæ, qua Romani uſi ſunt. Continebat enim viginti amphoras, autore Plin. *l.* 14. *H. N. c.* 4. Interdum tamen paulo plus minuſve continentia vaſa *Culei* quoque vocabantur. Gorr. *p.* 244.

CULEX, κώνωψ, dicitur inſectum bipenne, aculeum habens in ore, cujus prolixam deſcriptionem cum ſpeciebus tradidit Aldrov. *l.* 3. *de Inſect. c.* 5. Remedia pro necandis & fugandis *culicibus* vide apud Gal. *l.* 3. *de fac. parab.* 60. & P. Ægin. *l.* 5. *c.* 1. Foreſt. *l.* 30. *O.* 12. *Schol.* Maculæ in febribus malignis epidemicis dicuntur Hippocr. κωνώπων ἀναδήγματα, *culicum* morſus, propter ſimilitudinem, *l.* 2. *Epid. ſect.* 3. *n.* 21. *l.* 7. *XXXIX.* 2. *Coac. t.* 564. Hodieque dicuntur communiter *petechiæ*, febres *petechiales.* Quis ergo dubitaret morbos hoſce Hipp. tempore fuiſſe cognitos?

CULICULA, legitur hoc vocab. apud Parac. *de pu-*

ſtul. Gallic. & claudicate, *l.* 10. *c.* 1. ſed quid proprie intelligat, non certo conſtat.

CULTER, *Cultellus*, μάχαιρα, μαχαίριον, μαχαιρὶς, quid in genere ſignificet, notum eſt, nimirum inſtrumentum, quo uti ſolemus ad diſſecandum corpora ſolida, mollia, v.g. carnes, membranas. *Cultri* uſus varius in medicina. In anatomicis *Cultros* exciſorios vocavit Gal. ἐκκοπεῖς, *l.* 7. *Anat. adm. c.* 12. inciſorium vero ἐπικόπιον, *l.* 8. *c.* 6. *Cultrum* falcatum, & raſorium chirurgicum depictum & deſcriptum vide apud Scultet. *Arm. Chirurg. Part.* I. *Tab. II. fig.* 2. & *Tab. XX. fig.* 2. De *cultro* venatorio vide Rhod. *ad Scrib. n.* 13. *Cultelli* utrinque acuti meminit Rul. *in Lex. Cultellos* quatuor e chalybe, partim inſtar ſerræ dentatos una cum aliis rebus, ligno, ferramentis, globis capillorum &c. in ventriculo agricolæ cujuſdam mortui repertos, recenſet Lang. *l.* 1. *Ep.*38. *fin. Culter* in Anatomicis tertius Lobus Hepatis vocatus fuit, ut eſt apud Theoph. Protoſpatarium *l.* 2. *de H. C. F. c.* 11. vide *Focus*.

CULTRIVORUS, μαχαιροφάγος, qui *cultrum* involuntarie deglutivit, cujus geminum exemplum de ruſtico Boruſſo & Bohemo vide allegatum apud Dieter. *Iatr. n.* 468. & alia duo de Baſileenſi & Londinenſi apud Bonetum *Medic. Septentrion. l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 16. *ſeqq. p.* 509. *ſeqq.*

CULUS, πρωκτὸς, ἕδρα, idem, quod *Anus*, Podex. Vide *Anus*.

CUMANUS lapis eſt ſpecies *Cadmiæ foſſilis*, ſeu potius *pſeudo-cadmiæ*, prorſus ineptus. Fallop. *tr. de metall. & foſſil. c.* 12. *Tom. I. oper. p.* 307.

CUMULATIM, ἀθρόως. Vide *Athroon. Cumulans, Cumulatum*, vide apud Scribon. *n.* 122. 227. Rhod. *in Lex. Scribon.*

CUNA, *Cunæ*, λίκνον, κοίτη, i. e. lectulus parvus pro infantibus, ita fabricatus pedibus & ſpondis ſuis, ut ad utrumque latus facile moveri poſſit. Moſchion. retinuit etiam in Græco κῦνα, & plur. κῦναι, *de morb. mul. c.* 14.

CUNCTATIO, μέλλημα, μέλλησις, dicitur mora illa noxia & tarditas in applicatione membrorum, quam in acutis ſemper pernicioſam recte dixit P. M. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 64. *B.*

CUNEALIS vocatur ſutura cranii inter ſpurias relata, quæ à lateribus oſſis cuneiformis, ubi oſſi frontis committitur, in anteriori cranii parte tranſverſim ad oſſis ethmoidis angulos fertur, Blaſ. *Med. Un. p. m.* 104.

CUNEATIO, σφήνωσις, i. e. applicatio in formam *cunei*, κατὰ σφῆνα. Legitur apud Scrib. *n.* 47. Vid. Rhod. *ad h. l.* & *in Lex. Scrib.* Proprie vero *cuneatio*, σφήνωσις, eſt *cuneo* adacto facta diviſio & fiſſio. Uſus Hipp. 3. *de fract. t.* 40.

CUNEIFORMIS, σφηνοειδὴς, epitheton oſſis in media baſi capitis, & cerebro inſtar baſis ſubſtrati, ita ut omnia fere capitis & maxillæ ſuperioris oſſa tangat, ὀςοῦν σφηνοειδὲς. Dicitur & *os baſilare*, *os palati*. Gal. *de oſſib. c.* 1. ſcribit apud veteres fuiſſe controverſum, ad quam pertineat partem, quod à nonnullis inter cranii, ab aliis inter genæ ſuperioris oſſa numeretur, quia inter utrumque eſt medium: vicit tamen eorum opinio, qui id cranio tribuunt. Eſt igitur unum ex oſſibus cranii, quod in capitis baſi collocatum inter capitis & genæ ſuperioris oſſa velut σφὴν, i. e. *cuneus* adigitur, atque immittitur. Sic dicitur à *cunei* forma vel potius uſu, quod omnibus ſuis partibus *cunei* modo ſe inſinuet inter oſſa capitis omnia, & prope omnia genæ ſupernæ. Nam os occipitis tangit λαμβδοειδὴς, atque ab eo diſtinguitur ſutura communi, deinde longo tractu attingit oſſa temporalia, & ſupra hæc angulum bregmatis, &c. Hæc Caſtell. Vid. Barth. *libell.* 4. *Anat. c.* 8.

CUNEUS, *Cuneolus*, σφὴν, σφηνεὺς, σφηνίσκος, proprie dicitur de inſtrumento, quo ligna & lapides in ſciſſuras indito vi mallei finduntur. Pertinet vero etiam *Cuneus* ad machinas medicas, & paratur præſertim, ad humeri caput in alam prolapſum, ac deinceps ad alios quoque uſus, Orib. *de machinam. c.* 4. Linteamentum in *cunei* formam contortum & inditum dicitur *cuneolus*, σφηνίσκος, Ægınet. *l.* 6. *c.* 4. Interpres reddidit *obturamentum*.

CUNICULUS, κύνικλος, κύνικος, δασύπους, eſt animalculum lepori ſimile, in Iberia frequens, Gal. *l.* 3. *de al. fac. c.* 2. cujus deſcriptionem & uſum in cibis atque medicina, vide apud Aldrov. *l.* 2. *de quadrup. digit. vivip. c.* 24. 25. Schröd. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 19. *Cuniculus* quoque dicitur quilibet meatus ſubterraneus arte factus, v.g. in metallifodinis. Unde ortum proverbium, *cuniculis* bellare i. e. non aperta vi, ſed dolis. Rul. *in Lex.*

CUNNUS, i. e. *pudendum muliebre*, τὸ γυναικεῖον. Vide *Vulva*. Rolfink. *O. ac Meth. Generat. dicat. part. Part.* 2. *c.* 32.

CUOGOLO vocatur lapis vitrarius materiam vitri præbens in fundo fluviorum & torrentis repertus & collectus forma lapidis teſtacei, Merettus ad Neri *Art. vitriar. p.* 292. Jungatur Ferrant. Imperat. *l.* 24. *H. N. c.* 16. vocatur & *Quocolos*. Vide *Tarſus*.

CUPEDIUS, κνιπὸς, *faſtidioſus*, vide *Cnipos*.

CUPELLA, *Copella*, *Capulla*, eſt catillus cinereus, utpote ex meris cineribus compactus, & lævore oſſium, aut ex aliis rebus parato conſperſus, ad aurum & argentum poliendum & depurandum, dum tenuibus plumbi bracteis involvitur, vaſculo immittitur, & igni imponitur. Hæc depuratio metallorum nobiliorum vocatur *cupellatio*, de qua legi poteſt ſatis perſpicue Jacob. le Mort. *Metallurg. contract. ſect.* 2. *p. m.* 265. 266. Iunken *Lex. Ph. Ch. P. I. p.* 99. *ſeqq.* ubi & *Argentum cupellatum* deſcribit; ita etiam dicitur *Aurum di cupella*. Videtur, hoc vaſculum veteribus quoque notum eſſe ex cineritio majore, qui eſt focus argenti & plumbi ſeparandi, expreſſum exemplum parvum. Libav. *Synt. A. Chym. l.* 1. *c.* 22. & *l.* 7. *c.* 24.

CUPEROSA, id eſt, *Æs uſtum*. *Cuperoſum* eſt vena mine-

mineralis cupri ſubterranea. Rul. *Lex. Cupreoſa* florida eſt dilutum chalcantoſum, cujus deſcriptionem vide apud Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 8. *c.* 41. Fallopius ſcribit, *cuperoſam* eſſe chalcantum puriſſimum, quod non habet admixtum æs, vel ferrum. *tract. de Tum. p. n. c.* 27. *Tom. II. Op. p.* 303.

CUPHOS, κῦφος, dicitur *levis*, & deſcribitur per ſuapte natura tendens ad ſuperiorem locum. Si de alimentis prædicatur, conſiſtentia debet eſſe rara & nullo negotio penetrabilis calori, & proinde concoctu facilis, citoque tranſiens. Si de morbis, denotat eorum remiſſionem & cauſſæ motum minorem, uti *6. aph.* 7. videre eſt. Vid. Dieterich. *Iatr. n.* 474. Linden. *Ex. V.* §. 90. Hinc deſcendit verbum κυφίζω, *levo*, *elevo*, proprie de onere. Metaphorice ad animum & corpus & ad morbos transfertur. Hipp. 2. *aph.* 27. Dieter. *n.* 473. Vide *Levis*.

CUPIDITAS, ἐπιθυμία, dicitur animi paſſio quædam, vel perceptio, affectus aut pathema, amoris effectus vel comes, qua anima diſponitur ad expetendum in futurum res, quas ut ſibi, vel corpori convenientes voluptatemque parituras repræſentat. Fit hoc, ſpiritus animales, ceu emiſſarios ſuos, diffundendo vel expandendo, ut rei ſenſoriæ expetendæ ſpeciem in ſe admittant. Poteſt hæc *cupiditas* rationalis, & irrationalis dici: Hoc, quia etiam brutis competit, quæ pariter deſiderio ducuntur ad rem aliquam commodi, vel voluptatis gratia, licet non intelligant, quod concupiſcunt. Illud vero, quatenus in homine rationis regimine ducitur, aut duci debet, ut ita nulla contradictio metuenda, uti putavit Galen. *adverſus Chryſippum*, *l.* 4. *de Hipp. & Plat. Decr. c.* 2. & 4. Jungatur Cl. Thom. Willis *de Anim. Brutor. part. I. c.* 9. & Charlton. *Ex. VIII. Pathol.* §. 24. 28.

CUPRUM, χαλκός, idem, quod *Æs*. Vide *Æs*.

CURA apud Latinos eſt æquivocum vocabulum. Vel enim ſignificat animi motum mixtum, triſtitiæ, & deſiderio reſpondentem, qua quis de re aliqua ſollicitus eſt. Gr. dicitur ἐπιμέλεια, φροντὶς, μελεδὼν & μελεδώνη, μερίμνη, vide *Merimne*, quod ultimum Hippocr. in uſu habuit, v. g. *l.* 1. *de morb. mul. LXI.* 3. 13. *l. de int. aff. VII.* 42. Dicitur & μελεδὴ, *l.* 1. *de morb. mul. XCII.* 15. Hic animi motus & exercitatio, ſi moderatior fuerit, facit ad ſanitatem, *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 10. *vel* 11. Quod ſi vero nimia fuerit, magnus morbus eidem dicitur, dum in melancholiam morbum degenerat, *l.* 2. *de morb. LXX.* 1. Vel ſignificat idem, quod *Medela*, *Sanatio*, Gr. θεραπεία, *curatio*, ἴασις. Vid. 1. *aph.* 6. Eſtque ea morbi ſublatio, quæ jam facta eſt, non quæ adhuc fit, Galen. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 3. Duplex habetur: Una à natura, altera ab arte. Linden. *Ex. VII.* §. 17. Morbi *curabilitas* à cognitione recta dependet. *Ex. VIII.* §. 61. *Cura*, medicina, *Curator*, medicus, ſcripſit Rob. Keuchen. *ad Seren. not. p.* 94. *Curatio* etiam aliquando ponitur pro purgatione, v. g. apud Scribon. Larg. *n.* 222. *Curatus* adeps ſuillus, i. e. *purgatus*. Vid. Rhod. *not. ad h. l. & Lexic. Scribon. p.* 369.

CURA, CURE, κουρὰ, κουρή. Græcum vocab. Latinis ſignificat tonſuram capillorum, quæ vel ſanitatis, vel ornatus gratia inſtitui ſolet. *Detonſi* Gr. κειρόμενοι vocantur, Hipp. 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 9. Gal. *in comm.* 4. *ad h. l.*

CURALIUM, κουράλιον, κυράλλιον, idem, quod *Coralium*. Vide ſupra. Rob. Keuchen. *not. ad Seren. p.* 276.

CURATORIA, *Curatrix*, θεραπευτικὴ, medicinæ pars princeps dicitur, quæ tum factum morbum tollit, tum fienti occurrit; minime vero (uti voluit Caſtellus,) imminentem aut futurum præcavet. Hæc enim eſt functio conſervatricis partis, ὑγιεινῆς. Utitur vero *Curatoria* tribus partibus miniſtris, diætetica, pharmaceutica, & chirurgica. Videantur paſſim inſtitutioniſtæ.

CURCULIO, κὶς, τρὼξ, μύδα, eſt nomen inſecti minimi, quod ex frumento naſcitur, & quidem variæ formæ, aliud e tritico, aliud ex hordeo, alia ex leguminibus, de quibus omnibus videatur Aldrovand. *l.* 2. *de Inſect. c.* 9. Legitur & *Gurgulio*.

CURIOSITAS ſumitur & in bonam, & in malam partem. Illo reſpectu idem eſt, quod *diligentia*, *cura*, intentio animi ad rem recte perficiendam, Græc. ἐπιμέλεια, σπουδὴ, Rhod. *in Lex. Scribon.* Ita Hipp. 2. *prorrhet. XV.* 8. utitur de eo, qui *curioſe* victum obſervat ad præcavendum arthritidem, ἐπιμελὴς τρόπον. Hoc vero reſpectu Græce dicitur περιεργία, περιττὴ ἐπιμέλεια, Galen. *l. de V. S. adv. Eraſiſtrateos*, *c.* 4. Eſtque inutilis & ſupervacanea circa rem aliquam opera & ſollicitudo. Ita Galenus frequentem ſyllogiſmorum conſtructionem peſſimam *curioſitatem* dixit, *l.* 2. *de Hipp. & Plat. dec. c.* 3.

CURMI, κοῦρμι, genus eſt potionis, *zytho* vel cereviſiæ noſtræ æmulæ ex hordeo factæ, cujus potu ſæpe pro vino veteres uſi ſunt. Verum noxium humorem gignere, dolorem capitis, & nervorum vires reſolvere dicitur, apud Dioſcor. *l.* 2. *c.* 110. Non videtur eſſe nomen Græcum, ſed ejus gentis, in qua parabatur. Gorr. *p.* 244.

CURSUS, δρόμος, quid ſignificet, in trivio notum eſt. At in Medicina conſideratur, ut actio crurum. Siquidem eſt ambulatio vehemens, C. Hofm. *ad Gal. de V. P. p.* 177. Eſtque ſimul motus corporis vehementior, & ita res non naturalis ad ſanitatis conſervationem, vel deſtructionem, pro uſu, vel abuſu, faciens. Utilitatem monſtrat Hippocr. *l.* 1. *de Diæt. XXX.* 10. *XXXIV.* 12. Noxam vero docet Gal. *l. de parv. pilæ exercit. cap.* 33. Aliquando ſumitur abuſive pro fluxu: *Curſus* urinæ, Seren. *de remed.* §. *Veſicæ & calculo purg.* Keuchen. *in not. ad ill. p.* 215. *Curſus* menſtruus *p.* 227. *ſeq.*

CURTUM, κολόβωμα. Vide *Coloboma*, & Æginet. *l.* 6. *c.* 26.

CURVAMEN, κύρτωμα, ὕβωμα, extuberantiam & gibboſitatem, vel ſecundum, vel præter naturalem denotat, Hippocr. 2. *prognoſt. t.* 25. Ita ventris tumor in prægnante dicitur κύρτωμα τῆς γαστρὸς, 2. *Prorrhet. XXXV.* 6. de liene *l.* 1. *Epid. ægrot.* 1. In ſpecie vero ὕβωμα vocari *curvamen* omne vertebrarum, patet ex Galen. *c.* 3. *de artic. t.* 53. Dicitur & *obſtipitas*, σκολίωσις, *d. l. t.* 40.

CURVUS, κυρτὸς, ὑβὸς, σκολιὸς, γαυσὸς, quid ſit, ex præced. deſcriptione facile patet. Κυρτὸς legitur de ventriculo, apud Hippocr. *l.* 4. *Epid. VII.* 6. de liene *l.* 2. *ſ.* 2. *n.* 65. ὑβὸς proprie de gibboſis in dorſo dicitur, 4. *aph.* 46. Jung. Dieter. *n.* 848. Huic opponitur λορδὸς, Galen. *in com. ad h. l.* σκολιὸς in compoſito uſus ἰθυσκόλιος, 3. *de artic. t.* 40. & verbo σκολιαίνεσθαι, ad latus *incurvari*, *t.* 48. γαυσὸς vel γαῦσος legitur 2. *de fract. t.* 69. & 4. *de artic. t.* 61. 64.

CUSCUTA, eſt proprie nomen plantæ herbis adnaſcentis intricatiſſime, quæ ſignificatio non eſt hujus loci. Improprie Paracelſo ſignificat excreſcentias in oſſibus, vulgo **überbein** / *l.* 7. *de orig. cauſſ. & cur. morb. Gallic. c.* 11. & *l.* 8. *cap.* 3.

CUSPIS, αἰχμὴ, ἄκρον, quid proprie ſignificet, non eſt hujus loci, ceu notiſſimum. Per tranſlationem dicitur extremitas in pene, ſive glans, Rolfink. *O. ac Meth. part. gener. inſerv. part.* 1. *c.* 47. & ſpecies quædam deligationis, ſive faſciæ, *n.* 91. apud Gal. de faſciis.

CUSTODIA, φύλαξις, διαφύλαξις, προφύλαξις, idem ſignificat, quod *Conſervatio*, *Præſervatio. Cuſtodes* pororum, φρουροὶ, dicuntur muſculi, Galen. *l.* 2. *de mot. muſc. c.* 4. & *Cuſtodiam* ſalutis facere, legitur apud Scrib. Larg. *n.* 84. vide Rhod. *Lexic. Scribon. p.* 370. Plane ſingulariter *Cuſtos* Helmontio ſignificat muci productorem, ſive poteſtatem muci effectricem. Tr. *Cuſtos errans* 5. *n.* 27. Quid *Cuſtos membranæ*, Gr. μηνιγγοφύλαξ, dicitur in Chirurgicis, vide infra in voce *Meningophylax*.

CUTACEUS, δερμώδης, idem, quod *Coriaceus*, βυρσώδης, epitheton quorundam animalium, concoctu difficilicium, Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 41.

CUTAMBULI dicuntur vel vermiculi ſub cuticula, aut ſuper eam repentes & titillantes, cum moleſtia; vel dolores vagi ſcorbutici inſtar talium vermiculorum diſcurrentium cum magno cruciatu & moleſtia ægrum infeſtantes, ab ichore tenuiſſimo volatili peculiari malignitate ſcorbutica inquinato provenientes. Vocantur & Veredarii vermes, vernac. **lauffende Warm.** D. Joh. Nic. Binniger *Obſ. Med. Cent.* 4. *obſ.* 42. *p.* 418. vide & *Vareni. Varus.*

CUTEUS *labor* Paracelſo dicitur generatio Tartari quotidiana, id eſt, uſnea ſuper uſneam, vel quaſi Tartarum ſuper Tartarum, *l.* 1. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 3. Verum quis intelligit hæc ænigmata Bœotica?

CUTICULA, ἐπιδερμὶς, δερμὶς, cutis ſuprema, & veluti tegumentum cutis aut operculum, eſt pars ſolida magis, ſimilaris, tenuis, exſanguis, poroſa, tegendæ cuti deſtinata, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 1. negat, eſſe partem corporis, ſed an rationibus ſufficientibus, dubito, quas ventilare non eſt hujus loci. Valvuloſam quoque eſſe Marcell. Malpighius primus invenit & declaravit *in Exercitatione Epiſtolica de externo tactus organo.* Sub *cuticula* arctiſſime connexum eſſe corpus reticulare & mucoſum tunicæ retiformi in oculo ſimile egregie docuit D. D. Joh. Maurit. Hoffmannus &c. *in Idea Machinæ humanæ Exercit. I. ſect.* 2. §. 7. *p.* 7. Cæterum cuticulam cum foraminulis, ſulcis in manu, protuberantiis veſiculoſis, crinibus, perforantibus aſperitatibus accurate delineavit Gothofr. Bidloo *Anatom. Tab. II.* Meminit ἐπιδερμίδος aliquoties Hipp. v. g. *de nat. pueri XVII.* 3. 7. 14. 18. *XIIX.* 1. & *alibi ſæpius in eod. libr.*

CUTICULARIS, δερματώδης, epitheton membranæ exterioris cerebrum inveſtientis, vulgo *Dura mater* dictæ, apud Gal. *l.* 9. *admin. anat. c.* 1. Defectus *cutis* lethalis in fœtibus diverſa exempla recenſet Ruyſch. *in Obſerv. Anatom. Chirurg. Cent. Obſ. LXXI.* & *ſeqq.*

CUTIO, à cutis duritie, idem quod *Millepeda*, *Aſſellus*, Cubaris. Vide *Aſſellus.* Rhod. *ad Scribon. Larg. n.* 31. & Lind. *Ex. XI.* §. 21.

CUTIS, δέρμα, eſt pars ſolida exterior, ceu integumentum corporis commune, & tactus inſtrumentum; cujus deſcriptionem videre licet in Anatomicis, in ſpecie apud Barth. *l.* 1. *Anat. c.* 1. Laudatus Joh. Maur. Hoffmann *d. l.* §. 8. *ſeqq. p.* 8. *ſeqq.* Accurate delineavit per microſcopium ſeſe exhibentem Bidloo *d. l.*

CYAMUS, κύαμος, proprie *fabam* ſignificat. Galenus *in exeg.* vult idem eſſe, quod Dioſc. ὑοσκύαμον vocat. Ob figuræ vero ſimilitudinem etiam inſectum illud *Millepeda*, quando ſeſe contrahit, κύαμος vocatur, teſte Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 39. Vide *Faba.*

CYANUS, κύανος. Vide *Cæruleus.*

CYAR, κύαρ, *foramen in acu* ſignificat apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 123. & *l.* 2. *de morb. XXXIII.* 15. 17. Apud Pollucem v. *l.* 2. κύαρ dicitur interius auris foramen. Lindenus vertit *Curvedo*, *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 11. §. 4.

CYATHISCOS, κυάθισκος, dicitur Specilli Chirurgici pars altera concava in parvi *cyathi* modum, qua aliquid vel extrahi, vel infundi poteſt. Gorr. Ægin. *l.* 6. *c.* 11.

CYATHOS, κύαθος, ita dicitur liquoris & rei aridæ communis menſura apud Romanos, ligulas ſive cochlearia quatuor continens, eratque Sextarii pars duodecima. Apud Atticos vero etiam communis liquidorum & aridorum menſura erat, ſed capiens conchas duas, ſive myſtra quatuor, ſive chemas quinque, ſive ſeſquiunciam. Rhod. ex Heſychio etiam tribuit uncias duas *ad Scrib. n.* 1. Alibi vero *n.* 127. ſeſcunciam, uti patet ex Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 7. *l. de pond. & menſ. c.* 4. 5. *ſeq.* Ægin. *l.* 9. *fin.* Apud Rom. *Cyathi* nota erat C. Apud Græcos vero X. Gorr. *p.* 251. Rhodius *in Diſſ. de Pond. & Menſ. ferme ſub finem* Cyathum

thum continere ſcribit olei ℥ii. vini ℥j. S. ℈4. Mellis drachmas 2. ſcrupul. 4. *Cyathorum cereorum*, κυάθων κηρίνων quoque meminit Gal. *de R. V. I. A. t.* 42.

CYBITOS, κύβιτος. Vide *Cubitus*.

CYBIUM, κυβίον, dicitur *Pelamys*, ſeu piſcis marinus grandior, qualis *Thunnus* eſt, in fruſta cubica vel quadrata diviſus, ex Plin. *l.* 32. *H. N. c.* 11. Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 18. An vero idem, aut quid ſignificet *Cybium* apud Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. in fin.* certo non conſtat.

CYBOIDES, κυβοειδής. Vide *Cubiformis*.

CYBOS, κύβος, vide *Cubus*.

CYCEON, κυκεὼν, dicitur miſcellanea potio, alimenti & potus rationem ſimul habens. Duplex videtur olim fuiſſe : Vilior cum aqua & farina mixtus, alter generoſior & delicatior cum vino & variis farinis, melle etiam interdum & caſeo paratus, uti patet ex Hippocr. *l.* 2. *de diæt.* IX. 1. 2. quamvis in poſteriori ſignificatione frequentius ſumatur. Aliquoties ejus meminit & alibi Hippocr. v. g. 2. *R. V. I. A. t.* 40. *l.* 2. *de Morb. XXXIX.* 19. *XLIIX.* 37. *l. de nat. mul. XXXII.* 21. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXII.* 7. *l.* 6. *Epid. ſ.* 6. *t.* 5. *& alibi ſæpius.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 362. Lang. *l.* 1. *ep.* 58. Lind. *Ex. X.* §. 107. Dicitur & *Cinnus*. Vide ſupra. Deſcendit à verbo κυκάω, miſceo, *concinno*, quod legitur apud Hippocr. *in epiſt. ad Damagetum n.* 295. quemadmodum & compoſita, ξυγκυκάω, *commiſceo*, *l. de int. aff. XIII.* 53. κατακυκάω & προσκατακυκάω, *l.* 3. *de morb. XXX.* 12.

CYCIMA, idem, quod *Lithargyrum*. Rul.

CYCLISCUS, κυκλίσκος, duplicem habet ſignificationem. Primo ſignificat idem, quod *Trochiſcus*, Gal. *l.* 10. *de S. Fac.* §. *Chole.* Deinde denotat ſcalprum exciſorium cavum, ſic dictum, quod ima ſui parte ad circuli figuram accedat, cujus uſus fuit præcipue in fracturis capitis, quum illæ uſque ad membranas pervenerunt. Veruntamen non abſque periculo adhiberi potuit, cum quatiat immodice caput. Gal. *l.* 6. *Meth. med. c.* 6. *Æginet. l.* 6. *c.* 90.

CYCLOPION, κυκλώπιον, idem, quod *album oculi*, ſive totum illud, quod in oculo albicat. Ariſtot. *l.* 4. *de hiſt. anim. c.* 8. Gorr. *p.* 253.

CYCLOPS, κύκλωψ, nomen quidem fabuloſum Poëtarum de nonnullis hominibus unum ſaltem oculum in vel ſub frontis medio habentibus, inter quos Polyphemus apud Homerum & Virgilium jure refertur : Obſervationes tamen teſtantur, talia monſtra aliquando in lucem producta fuiſſe, inter quæ notatu digna eſt obſervatio Borrichii de duobus, uno maſculini, altero fœminini ſexus Pariſiis à Chirurgo Tamponette ex utero extractis, quibus unus erat oculus rite confirmatus grandior cum duplici nervo optico, ſub media fronte ad radicem naſi ſitus, quam legere licet apud Bonetum, *Medic. Septentr. l.* 1. *ſect.* 22. *c.* 2. *p.* 221. qui deſumſit ex *Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 93. *p.* 182. *ſeqq.*

CYCLOS, κύκλος. Vide *Circulus*. Latine etiam *Cyclus* dicitur modus Methodicorum curandi per Diatnion, ita ut unus ſit reſumtivus, alter metaſyncriticus, quemadmodum eos deſcripſit Cœl. Aurelianus Methodicæ ſectæ deditus, *l.* 1. *Tard. Paſſ. c.* 1. *p. m.* 249. 250. 254.

CYCNARION, κυκνάριον, dicitur Collyrium colore album, ἄδηκτον, citra morſum, ubi Amylum, terra Samia & ceruſſa Rhodica prævalent. Mentio fit hujus medicamenti apud Gal. *l. Introduct. c.* 14. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 1. Æginet. *l.* 7. *c.* 16. ubi & *rubeus Cycnus* deſcribitur. Dicitur enim Cycnus vel Cygnus, κύκνος.

CYCNUS, κύκνος, *Cygnus*, *Olor*, eſt proprie nomen avis palmipedis aquaticæ, ad genus anſerinum (cum quibus tamen in odio vivit) forma, victu, & ideo fortaſſis etiam facultatibus, accedentis, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 1. Schröd. *l.* 1. *cl.* 2. *n.* 61. Improprie quid notet, vide *Cycnarion*.

CYDAR, id eſt, *Jupiter*, Rul.

CYDONIATUM, *Cydonatum*, κυδωνᾶτον, idem quod *Diacydonites*, compoſitio ex malis Cydoniis parata, additis aliis ſpeciebus. P. Ægin. *l.* 7. *c.* 11.

CYEMA, κύημα. Vide *Conceptus*, *Fœtus*.

CYGNUS, κύκνος. Vide *Cycnus*.

CYLICHNIS, *Cylichne*, κυλιχνὶς, κυλίχνη, κυλικὶς, vitioſe κυγχνὶς, ſignificat parvum calicem, aut pyxidem medicamentariam, Galen. *Exeg. Dict. Hipp.* Foëſ. *Oec. p.* 461.

CYLINDRUS, κύλινδρος. Vide *Magdaleon*.

CYLLO, idem, quod κυλλὸς, vide *Cyllos*. i. e. *mutilus*, Lind. *Ex. XI.* §. 39.

CYLLOS, κυλλὸς, *Cylloſis*, κύλλωσις, in genere *claudum*, curvum, mancum, *mutilum* ſignificat, Hipp. & Gal. tamen in ſpecie κυλλοὶ dicuntur, quibus crura extrorſum ſunt diſtorta, & intus ſinuata, vel incurvata, *l.* 2. *de artic. t.* 87. *& ſ.* 4. *t.* 3. *& alibi.* De aure quoque legitur 2. *de art. t.* 53. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 363.

CYMA, κύμα, quaſi κύημα, quo nomine veniunt teneriores coliculi ſcaporum, quos videmus appetente vere in prima germinatione prorumpere. Latini non tantum *Cymata* neutro genere dicunt, ſed etiam fœminino *Cymas*. Κῦμα alias *fluctum*, *undam* ſignificare, ex Lexicographis conſtat. Hinc deſcendit

CYMATODES, κυματώδης, *undoſus*, fluctuans, eſt epitheton *pulſus* inæqualis, præſupponentis impuritatem flatulentam & ſeroſam in ſanguine cum debilitata continuatione flammæ vitalis conjunctam. Tribuitur ſenibus à Walæo, *Inſtit. Medic. l.* 2. *c.* 5. Lege Galen. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 26.

CYMBALARIS. Vide *Cricoides*.

CYMBIFORME, idem, quod *Naviculare*, σκαφοειδής, vide *Naviculare*.

CYNANCHE, κυνάγχη. Vide *Angina*.

CYNANTHROPIA, κυνανθρωπία, eſt delirium Melancholicum, in quo homines exiſtimant ſe mutatos eſſe

in canes, eorumque mores æmulantur. Laur. Bellin. *de morb. capitis &c. p. m.* 513.

CYNCHNIS, κυγχνὶς, Hippocrati paneus calix eſt, & uſurpatur pro vaſe, in quo vel medicamenta aſſervantur, vel exhibentur, ἰατρικὴν πυξίδα, interpretatur Galenus *in exeg.*

CYNICUS, κυνικὸς. Vide *Caninus. Convulſio.*

CYNIPHES, vel culices, vel *muſcas* denotat. Helmont. credit, ea fuiſſe inſecta, quæ Moſes juſſu Dei in Ægypto in plagam produxit, nec Magi poterant imitari, *de Lithiaſ. cap.* 1. *n.* 15. Jung. Aldrov. *l.* 3. *de inſect. c.* 1. & 5.

CYNNABAR, idem, quod *Cinnabaris*. Rul.

CYNNIA, *Cymia*, *Carora*, ſignificat vas ſimile urinali. Rul.

CYNOCEPHALUS, κυνοκέφαλος, eſt nomen animalis ſimiæ quodammodo ſimilis, capite vero canem repræſentantis, cujus deſcriptionem vid. apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 7. Meminit aliquoties Gal. *l.* 1. *Admin. Anat. c.* 3. *l.* 11. *de V. P. c.* 2.

CYNODECTOS, κυνόδηκτος, hoc eſt, qui à *cane morſus* eſt. Legitur apud Dioſcorid. *l.* 2. *c.* 99. *edit. Saraceni.*

CYNODES, κυνώδης, *caninus*. Vide *Caninus.*

CYNODESMION, κυνοδέσμιον, dicitur vinculum, quo membri genitalis cuticula cum glande colligatur, id quod etiam κύνα, *canem*, appellarunt, Gorr. *p.* 254. Dicitur alias *frenum*, χαλινὸν. Vide Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 7. §. 78. Enimvero P. Ammann. aliam ſignificationem vocabulo *Cynodeſmus* tribuit *in Irenic. p.* 149. *ſeqq.* ſcribens denotare colligationem vel cohæſionem canum utriuſque ſexus in congreſſu, cujus cauſam Graf. *de Org. Viror. p.* 95. in defectum veſicularum ſeminalium refert, hinc beneficio alicujus excreſcentiæ ſpongioſæ circa oſſiculum penis canini tempore coitus tumefactæ in coitu detinentur, donec ſufficiens quantitas ſeminis affluxerit; Verum Ammannus exiſtimans canum cohæſionem fieri poſt ſeminis ejaculationem ſtatuit illam fieri ob intumeſcentiam penis, ob quam orificium internum vi aperit uſque in cavitatem uteri, quod poſtea conſtringitur, & ita inter anguſtias hæret non ſecus atque in partu difficili caput fœtus humani in vagina, collum vero in interno orificio clauſo remorari contingit.

CYNODONTES, κυνόδοντες, *dentes canini.* Vide *Caninus.* Meminit eorum Hippocr. 3. *aph.* 25. Vulgo ab oculis augenzähne/ Dieter. *n.* 488.

CYNOLOPHOI, κυνόλοφοι, dicuntur eminentiæ ſive proceſſus extantes in vertebris, quæ arcent occurrentia. Alex. Benedictus *l.* 1. *de hiſt. part. hum. corp. c.* 6. *p. m.* 1185. & *l.* 5. *cap.* 24. *p.* 1265.

CYNOLYSSA & CYNOLYSSUS, κυνόλυσσα & κυνόλυσσος, idem ſignificant, & illud quidem, quod *Rabies canina*, hoc vero quod *Rabioſus*: Leguntur apud Martin. Liſterum *Exercit.* 3. *de morb. Chronic. p. m.* 104.

CYNORAISTÆ, κυνοραισταί. Vide *Croton.*

CYNOREXIA, κυνορεξία. Vide *Appetitus Caninus.*

CYON, κύων. Vide *Canis*, *Caninus*, *Canicularis.*

CYOPHORIA, κυοφορία, ſignificat *graviditatem fœminæ*, ſive tempus, quo mulier utero gerit. Uſus eſt hoc nomine Dolæus *Encyclopæd. Pract. l.* 3. *c.* 13. *p. m.* 588. Verbum κυοφορέω, *gravida ſum*, uſurpavit Lucianus, notantibus Lexicographis.

CYPHI, κῦφι, eſt confectio quædam aromatica ad ſuffitum, qua quondam Ægyptii ſacerdotes uſi, Dioſc. *l.* 1. *c.* 14. Concinnabatur olim ex ſedecim rebus, quas recenſet Linden. *S. M. Ex. X.* §. 151. Sed poſtea etiam Antidotis addita. Unde tales compoſitiones, *Cyphoideæ*, κυφοειδεῖς, dictæ ſunt Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 7. P. Æginet. *l.* 7. *c.* 22. Rhod. *ad Scribon. Larg. n.* 70. Hier. Mercurial. *l.* 3. *Var. Lect. c.* 2. Duæ potiſſimum ſpecies: una Solaris & magna dicta, ex tribus rebus conſtans: altera Lunaris, ex 28. Ægin. *d. l.*

CYPHOS, *Cyphoſis*, *Cyphoma*, κῦφος, κύφωσις, κύφωμα, ſignificant *gibboſitatem*, gibberoſitatem, ceu morbum malæ conformationis, conſiſtentem in figura vitiata dorſi ob vertebrarum ſitum verſus exteriora mutatum, & luxationem plerumque à cauſſis externis violentis inductam. Et licet Hipp. *gibboſitatem* quoque ab aſthmate, aut tuſſi, fieri poſſe dixerit, 6. *aph.* 46. rarum tamen hoc eſt, & cauſſæ vehementia nihilominus reſpondet quoque externæ cuidam violentiæ. Leguntur illa vocabula apud Hippocr. 3. *de art. t.* 2. & *ſeqq.* & Gal. *in com. ad illos*, *ut & ad cit. aph.* Dicitur & ὀπισθοκύφωσις, item κύρτωσις, & qui hoc affectu laborant, κυφοὶ, κυρτοὶ, *gibboſi* vocantur. Huic opponitur λόρδωσις, de qua ſuo loco. Jung. & M. A. Severin. *l. de gibb. valg. & varis part. priori.*

CYPRINUM, κύπρινον, eſt nomen olei ſpiſſioris vel unguenti potius à floribus cyperi, qui magna copia ingrediuntur & ita baſin conſtituunt, ita dicti, cujus deſcriptio pompoſa habetur apud Dioſcoridem *l.* 1. *c.* 65. *ed. Sar.* Cerati ex *Cyprino* meminit Celſus *l.* 4. *c.* 23. contra morbum uterinum.

CYPRINUS, κυπρῖνος, nomen piſcis ariſtuloſi. Linden. *Ex. XI.* §. 230. Vide *Carpio.* Adde Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 76. Eſt & epitheton Pulveris, qui uſurpatur ad capillos cum naturales, tum artificialiter compactos (qui Calientra apud Dolæum vocantur) à ſordibus mundandos, ſiccandos & exornandos, cujus aliqua etiam deſcriptio extat in Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 153.

CYPRIUM *æs*, i. e. *Cuprum.* Scribon. Larg. *num.* 16. μέλαν τὸ κύπριον definit Galenus Cyprium cinerem, cujus uſus eſt ad oculos, *exeg.*

CYPSELE, *Cypſelis*, κυψέλη, κυψελὶς, idem eſt, quod *Cerumen*, ſive Aurium ſordes. Vide *Cerumen.* Unde & κυψελόβυστα nuncupantur, quæ ſordium altitudine adobruta latent. Rob. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 241.

CYRÆNIA, *Crocomma*, i. e. *fex olei*, & de *Croco.* Rul. Iohnſ.

CYRCANAO, κυρκανάω, ſignificat *miſceo*, turbo, confundo. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIII.* 5.

CYREBIA, κυρήβια, idem, quod ἄχυρα. Vide *Achyron.* Legitur hæc vox apud Hipp. *l. de nat. mul. LIV.* 5. *l.* 2. *de morb. mul. XLII.* 5. *LXXXI.* 5. Vide Foëſ. *Oec. pag.* 365. 366. Scribitur & κυρίβια. Gorræus *p.* 255.

CYRENAICUS, κυρηναικὸς, eſt epitheton Succi, *Laſerpitium* veterum dicti. Scrib. Larg. *n.* 167. Rhod. *in not. ad h. l.* Meminit & Æginet. *lib.* 7. *c.* 3.

CYREO, κυρέω, ſignificat *contingo*, evenio, incido, Hippocr. 4. *de art. t.* 36. ubi mendoſe in Græc. Galeni edit. Baſil. legitur κυρήσῃ. Dicitur & κύρω. Compoſita ſunt ξυγκυρέω, *Contingo*, quod legitur *l.* 1. *de morb. XXIII.* 5. προσκυρέω, *l. de præcept. VII.* 11.

CYRIACUS, κυριακὸς, epitheton eſt paſtilli ad nomas & putredines utilis. Appellatur & alio nomine *Aſclepius*, ἀσκληπιὸς. Gorr. *d. l.*

CYRIOS, κύριος, quod in ſubſtantivo *Dominum* ſignificet, notum, ſed non eſt hujus loci. Hippocrati adjective eſt epitheton dierum, qui in morbis certe aliquid judicant & decernunt, & in quibus criſes ratæ firmæque fiunt. Æquipollet ergo diebus *Criticis* ſtricte dictis, κρίσιμοις ἡμέραις. Occurrit autem *l.* 1. *de morb. X.* 12. *XI.* 8. *XXII.* 27. *XXIV.* 7. & in ſuperlat. κυριώτατη, *l.* 1. *de morb. mul. XXXIII.* 9.

CYRTOIDES, κυρτοειδὴς, *gibbiformis.* Vide *Cubiformis.*

CYRTOMA, *Cyrtoſis*, κύρτωμα, κύρτωσις, idem, quod κύφωσις, *gibboſitas*, Latine *Quaſſatio.* Vide *Cyphoſis*, *Curvus.* Tumores hypochondriorum κυρτώματα vocavit Hipp. 2. *progn. t.* 25.

CYSOS, *Cyſſaros*, κυσὸς, κύσαρος, *Anum*, podicem ſignificat, & idem, quod ὄρχος. Vide *Archus*, *Anus.* Occurrit apud Hippocr. *l. de nat. puer. IX.* 16. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 366.

CYSTEOLITHOS, κυστεόλιθος, idem, quod *Lapis Spongiæ*, ab uſu & virtute calculum veſicæ frangendi ita dictus. Schröder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 19. Verum an non majori jure ipſe *Calculus Veſicæ* hoc nomine venire poſſet?

CYSTHEPATICUS, κυσθηπατικὸς, eſt epitheton ductuum biliarium in hepate bovino in veſiculam fellis modo tribus, modo quatuor oſculis hiantium, qui potius ratione inſertionis *Hepaticyſtici* nominandi eſſent. Occurrit *in Actis Eruditor. Lipſ. A.* 1692. *m. Octobr p.* 434. ex Philippi Verheyen Profeſſ. Lovanienſis *corporis humani Anatomia.*

CYSTICÆ *Arteriæ* & *Venæ* dicuntur Anatomicis, non tam, quæ ad veſicam urinariam, quam quæ ad fellis veſiculam excurrunt. Barthol. *libell.* 2. *Anat. c.* 5. *p.* 655. *Cyſtica* medicamenta dicuntur, quæ veſicæ urinariæ deſtinata ſunt, & cum Nephriticis coincidunt. Morellus *de mater. medic. ed. Blaſ. p.* 354.

CYSTICUS, κυστικὸς, *Veſicalis*, epitheton venarum gemellarum e trunco venæ portæ ad veſicam felleam occurrentium, de quibus videantur Anatomici. De Hernia *cyſtica* vid. *Ecptoma.*

CYSTIS, κύστις, *veſicam* ſignificat primario & abſque adjectione illam, quæ urinam excipit, & foras per intervalla excernit, Hippocr. *l.* 4. *aphor.* 77. *ſeqq.* & *alibi.* Hujus deſcriptionem pleniorem vide ſis *in ſcriptis Anatomicis*, in ſpecie Thom. Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 20. Deinde & ſecundario cum additione folliculus ille bilem flavam ſub hepatis cava parte continens κύστις χοληδόχος, *Veſica fellis*, dicitur, Galen. *l.* 4. *de V. P. c.* 12. & *alibi.* Hujus hiſtoria videatur apud laud. Barthol. *d. l.* 1. *c.* 15. Veſicam felleam oſſeam notavit Rhodius *Cent. III. obſ.* 3. Cæterum dantur etiam *Veſicæ* minores in Anatomicis naturales, quales ſunt *Veſiculæ ſeminales*, ſive cellulæ, de quibus vide eund. *d. l.* 1. *c.* 23. Et ſi Malpighio credendum, ipſa ſubſtantia pulmonum tota *veſicularis* eſt, pene infinitas *veſiculas* orbiculares & ſinuoſas ex tenuiſſimis & leviſſimis membranis efformatas continens, Id. *l.* 2. *c.* 9. *Veſica parva* Græce dicitur κύστιγξ, juxta Galen. *in expoſ. voc. Hippocr.* Dari quoque *Veſicas præternaturales*, v. g. *Hydatidas*, & alias, ex Practicis obſervationibus conſtare poterit. De hydrope *veſicali* vide Eugalen. *de Scorbut. n.* 32. *p. m.* 153. *ſeqq.*

CYTHION, κύθιον, nomen eſt *Collyrii*, quod à cinereo colore etiam τέφριον vocatur, & deſcribitur à Corn. Celſ. *l.* 6. *c.* 6. Gorr.

CYZICENUS, κυζικηνὸς, epitheton *emplaſtri* facientis ad ulcera chronica & nervos præciſos apud Galen. *l.* 4. *de C. M. P. G. cap.* 13.

Δ. D.

Δ. Hac litera olim Symbolice quartanam febrem fuiſſe ſignatam, quæ litera aliis major eſt, patet ex Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 71.

DACETON, δακετὸν, eſt epitheton animalium, quæ morſu lædunt. δακετὰ θηρία legitur apud Nonum *de Morb. particul. cur. c.* 270.

DACNO, δάκνω, ſignificat *mordeo.* De Aquilone vento uſurpatur, quod oculos *mordeat*, Hippocr. 3. *aph.* 17. Hinc deſcendit δακνώδης, *mordax*, quod uſurpatur de frigido in ulceribus, 5. *aph.* 20. Jung. Dieter. *Iatr. n.* 172. 173. Gorræus *pag.* 68. vertit per *mordacitatem*, & deſcripſit per tangibilem qualitatem, quæ in corpus ſubiens exaſperat, & punctionis ſenſum inducit. Talis qualitas tribus ſaporibus ineſt, acido, amaro, & acri: Acido quidem, ut frigido ſimul & ſubtili: Frigidum namque non niſi in raris corporibus, qualia ſunt vulnerata omnia, oculi, os, nares, & venter, *mordicat.* Amaro vero & acri, ut calidis, *mordacitas* ineſt. Frigidum præſtat condenſando; calidum in duriora ſubiens diſſolvendo, fundendo, operatur. Dicitur & febris *mordax*, πυρετὸς δακνώδης, quæ manum Medici perpetim & æqualiter acri calore afficit & *mordet*; quales ſuntillioſæ, cum omni tempore,

pore, tum præcipue in ſtatu. Idem *in def.* De *mordacibus* humoribus agit Gal. *l. de plenit. c.* 8.

DACRYGELOS, δακρυγέλως, qui *lachrymatur ridens.* Joſ. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 237.

DACRYODES, δακρυώδης, *Lachrymoſus.* Dicitur improprie de ulcere humido & ſanioſo, apud Hippocr. 3. *de fract. t.* 7. Erotianus.

DACRYON, δάκρυον, ſignificat *Lachrymam*, quæ proprie eſt liquor excrementitius, ſeroſus, aut lymphaticus, ex oculorum glandulis prorumpens occaſione magnorum animi pathematum, doloris, triſtitiæ, commiſerationis, gaudii repentini &c. ſpiritus animales & ſanguinem ita agitantium & compellentium, ut portiones ſeroſas & lymphaticas largius ibidem deponant & dimittant. De *lachrymarum* natura, origine, & excretione legantur Warthon. *de Glandul. c.* 26. Th. Barthol. *Anat. l.* 3. *c.* 8. Th. Willis *de Anim. Brut. Part.* 1. *c.* 15. Glandulæ oculorum etiam Anatomicis dicuntur *Lachrymales*, & viæ illæ, ſive vaſcula, *Canaliculi Lachrymales*, *Puncta Lachrymalia.* Dividuntur *Lachrymæ* in Naturales & Præternaturales. Illæ ſunt, quas modo deſcripſimus. Hæ vero, quæ vel invitis nobis effluunt, Involuntariæ dictæ; ἀκούσια δάκρυα, quæ in febribus malum præbent ſignum, Hippocr. 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 80. Jungatur 4. *aphor.* 52. 1. *Prognoſt. t.* 10. *l.* 4. *Epid. XXVII.* 12. *& l.* 6. *ſect.* 1. *t.* 16. Vel Sanguineæ, cum ſanguineæ guttulæ lachrymarum inſtar ex oculis fluunt, Dieter. *Iatr. n.* 174. Improprie uſurpatur de ſuccis plantarum ſponte promanantibus, & in reſinam vel gummi concreſcentibus. Ita ſuccus papaveris *Opium*, δάκρυον, *Lachryma* dicitur, Rhod. *ad Scribon. num.* 86. *Lachryma Thuris*, Ægin. *l.* 7. *c.* 3. Gummi Oleæ Æthiopicæ, Scribon. *n.* 252. ſuccus lacteus Ficuum, Keuchen. *ad Seren. p.* 200. Vide Schröder. *l.* 1. *c.* 2. *lit.* L. Sordes quoque induratæ in oculorum angulis in cervis repertæ odoris gravis & penetrantis *Lachrymæ* Cervi vocantur, de quarum virtute medicamentoſa vid. Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 17. Dicitur contra venena & venenatos morbos Antidotum pretioſis regum theſauris anteponendum. Frid. Hofm. *in Clav. Schröder. ad d. l. p.* 659. Vide & C. Reies *Camp. El. q.* 67.

DACRYOPOEOS, δακρυοποιὸς, i. e. *lachrymas citans;* Dicitur de quibuſdam medicamentis acribus, ut ſunt Cepa, Raphanus marinus &c. Joſ. Laur. *Am. On. p.* 237.

DACTYLETHRA, & *Dactylithra*, δακτυλήθρα & δακτυλίθρα, ſignificat *digitale*, quod ex diverſis rebus paratum digitis applicatur. De *digitalibus* purgantibus ex Oribaſ. *Collect. Med. l.* 8. *c.* 6. legatur Rhod. *ad Scribon. Comp.* 180.

DACTYLIOS, δακτύλιος, *orbiculum paſtillum*, ſignificat, apud Hippocr. *de nat. muliebr. CV.* 24. Vide Foëſ. *Oec. p.* 145.

DACTYLODOCHME, δακτυλοδόχμη, eſt menſura quatuor digitorum tranſverſorum, qua intervalla dimetimur. Dicitur & δόχμη, παλαιστὴ ἢ δῶρον, Lat. *palmus*, Gorr. *p.* 99.

DACTYLOS, δάκτυλος, vel *fructum palmæ* denotat, quæ ſignificatio Botanicis relinquitur: vel ſignificat *digitum:* Horum quinque ſunt ordinarie in omni manu & pede hominum. In manibus peculiaribus nominibus gaudent. Primus & cæteris oppoſitus craſſior, *pollex*, ἀντίχειρ, quaſi *promanus* vocatur. Vide *Anticheir.* Secundus, *Index*, λιχανὸς, item *ſalutaris.* Tertius, *medius*, μέσος & longiſſimus. Quartus, παράμεσος, quaſi *medio proximus*, alias *annularis*, dictus: Quintus minimus, *auricularis*, μικρὸς. In pedibus carent nominibus propriis. Singuli terna oſſa, internodia, & articulationes habent. Conſulantur anatomicorum ſcripta v. g. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 88. *ſeqq.* C. Hofm. *Inſtit. libr.* 2. *c.* 104. *& in comm. ad Gal. LL. de Uſ. part. n.* 45. *ſeqq.* Barth. & *l.* 4. & *libell.* 4. *Anat. Dactyli marini* dicuntur Balani oſtreacei inter dura ſaxa in mari prope Anconam geniti, apud Aldrov. *de ſerpent. & dracon. l.* 2. *c.* 5. *Dactylus* ſive *digitus* eſt minima quoque menſura, quibus rerum intervalla dimetimur, unde proverbialis locutio: *Digitus dies* eſt, de qua vide Linden. *Ex. XVI.* §. 224. *ſeqq.*

DACTYLOTHECE, δακτυλοθήκη vocatur Paræo inſtrumentum Chirurgicum ad erigendum pollicem, vel alium quemvis digitum alias ſemper pendulum ex læſione; *l.* 22. *Chir. c.* 10.

DÆDALUS, vocatur *Mercurius*, Lang. *Harm. Chym. c.* 1. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 121.

DÆDION, δαΐδιον, diminutivum, *tædulam* ſignificans. Vide *Dæs.*

DÆMON, δαίμων, eſſe vocabulum μέσον & ambiguæ ſignificationis, in bonam ac malam partem, conſtat ex aliis Lexicographis, præſertim Henr. Stephani *Theſauro Græco.* Significat vero *Deum*, *Numen* vel *Genium* bonum, vel malum, item *Fortunam.* In bona ſignificatione accepit haud dubie Galen. *l.* 10. *de V. part. c.* 12. Vide C. Hofm. *in comm. n.* 761. In mala vero *comm.* 1. *in Prognoſt. t.* 4. Idem etiam ipſam animam rationalem, *dæmonem* noſtrum vocavit *l. de Conſuetud. c.* 4. Verum frequentior hodieque in foro Medico acceptio mala, quando ſumitur pro *Diabolo*, qui & *Cacodæmon* appellatur. In qua ſignificatione legitur apud Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 19. *Schol. l.* 30. *Obſ.* 8. *Schol.* Lang. *in Epiſt.* aliquoties apud Wier. Senn. & alios, ubi ejus præſtigiæ in producendis morbis, in decipiendis melancholicis, epilepticis &c. occurrunt, Rolfink. *Ord. ac Meth. Med. Spec. libr.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 29. Tales morbi quoque & ægroti vocantur *Dæmoniaci.* Huc pertinet *Dæmonium Caninum* vel *Lupinum*, quo nomine etiam exprimuntur *Cynanthropia* & *Lycanthropia.* Dolæus *Encyclopæd. l.* 2. *c.* 4. §. 2. *p.* 56. Chymici abuſive accipiunt in bonam partem. Ita Crollius ſingulis elementis *Dæmones* ineſſe

ineſſe dixit, teſte Libav. *in Exam. Philoſ. viv. ſec. deſcr. Hartm. p.* 141.

DÆMONIS ſtercus. Aſphaltus. Jo. Tagaul. *l.* 2. *c.* 4. *Inſt. Chir.*

DÆS, δαΐς, & per contractionem δᾴς, *tædam* ſignificat, apud Hipp. & materiam *tædariam*, *l.* 1. *de morb. mul. X.* 8. *LXIII.* 39. *CIIX.* 21. *l. de Steril. IIX.* 26. *XIII.* 31. *XIIX.* 18. *XXI.* 2. Diminutivum quoque δαΐδιον, *tædula*, legitur apud eundem *l.* 1. *de morb. mul. XXIIX.* 3. *XXIX.* 5. *& alibi.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 145.

DÆTIS, δαῖτις, *tædam magnam* denotat. Gal. *in Ex.* quamvis Foëſ. potius *parvam* ſignificare velit, quia eſt diminutivum, *d. l.*

DALNI, nomen eſſe inſectorum, e ſtercoribus oriundorum, incertum, patet ex Parac. *l.* 1. *Philoſ. ad Athen. t.* 20.

DAMA. Vide *Rupicapra.*

DAMNOSUS, ἀσύμφορος, βλαβερός. Vide *Aſymphoros.*

DAMNUM, βλάβη, idem, quod *noxa*, læſio, detrimentum. Vide *Blabe.*

DAPHNELÆON, δαφνέλαιον, i. e. *Oleum Laurinum*, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 49.

DAPHNIA, δαφνία, vocatur Gemma comitiali morbo medens, Plin. *l.* 37. *H. N. c.* 10. Anſh. Boët. *hiſt. gemmar. p.* 555. à Lauri figura ita dicta.

DARATOS, δάρατος, idem, quod ἄζυμος, *qui fermento caret.* Epitheton panis, apud Nicandr. Vide Gorr. *p.* 55. Heſychio dicitur δαρός.

DARIADESTUS, epitheton obſcurum apud Parac. *in Fragm. medic. l. de Epidem. c.* 1.

DARSIS, δάρσις, i. e. *excoriatio*, qua cutis à ſubjectis partibus ſcalpello deciditur & ſeparatur. Gal. *l.* 3. *Anat. admin. c.* 2. à verbo δέρω. Aliquoties uſus etiam eſt phraſi hac κατὰ δάρσιν ſeparare partes ab aliis Lyſer. *Cultr. Anat. l.* 1. *c.* 2. *p.* 22. 23. Meminit & Veſal. *l.* 2. *de H. C. F. c.* 6.

DARTA, idem, quod *fera Impetigo.* D. Binninger. *Obſ. Med. Cent.* 4. *Obſ.* 89.

DARTUS, δάρτος, nomen eſt membranæ, vel involucri, Teſtes inveſtientis, & quidem in viris communis, unde etiam ab aliis ſub ſcroti nomine comprehenditur, & conſtat ex panniculo carnoſo etiam tenuiori, quam alibi, veniſque & arteriis referto. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 22. In fœminis vero propria eſt teſtium, & quidem unica, quia communibus carent. Gal. *de diſſect. matric. c.* 9. Barthol. *d. l. c.* 26.

DAS, δᾴς, idem, quod δαΐς, vide *Dæs.*

DASYMMA, δάσυμμα, oculi vitium, vel idem, quod τράχωμα, vel gradu minori differens. Vide *Trachoma.* Aët. *l.* 7. Gorr. *p.* 100.

DASYPUS, δασύπους, h. e. villoſos pedes habens. Stricte *Cuniculum* ſignificat; interdum & *Leporem*, de quibus ſuis locis. Legitur apud Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 9.

DASYS, δασύς, ſignificat *denſus*, *aſper*, *piloſus*, *hirſutus* vel *hirtus*, pro conditione rerum, de quibus prædicatur. Ita Hipp. de lingua uſurpat, δασεῖαι γλῶτται, *aſperæ*, propter ſiccitatem linguæ. 1. *Prorrhet. ſ.* 1. *t.* 3. *Coac. t.* 234. De capillis uſus 6. *aph.* 34. de palpebris *denſis*, Gal. *comm. ad Prorrhet. text.* ubi & δασύστομος legitur, qui *denſam* habet vocem; δασύστερνος, qui *piloſum* habet pectus: de reſpiratione *denſa* Gal. *c.* 3. *de fract. t.* 61. de urina, 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 3. *Coac. t.* 176. 583. 593. *Epid. LIII.* 8. *l.* 7. Jung. Dieterich. *n.* 175. Hinc δασύτης, vel δάσος, *aſperitas*, *villoſitas*, *denſitas*. C. Hofm. *comment. in Gal. de V. part. n.* 724.

DAURA Paracelſo dicitur *Helleborus niger*, teſtimonio D. Ludovici *Pharmac. p.* 139. Dicitur & nonnullis *Dura.*

DEACUMINATA, ἀπόξη. Vide *Apoxe.*

DEALBATIO, λευκωσμός, vel λεύκωσις, vel pertinet ad Coſmeticam partem; v. g. quando dicitur *dealbatio* dentium, cicatricum, Foreſt. *l.* 31. *Obſ.* 4. 7. vel pertinet ad Spagyricam. Ita *Dealbatio* dicitur tertium opus in regimine Lapidis Philoſophici à Laurent. Ventura *in tr. de lapid. philoſoph. c.* 27. totiuſque operis initium & firmamentum. *c.* 30. Jungatur *Alchymia* incerti Auctoris *cap.* 36. *&* 41. in *Theatr. Chym. Vol. III. p.* 34. 38. *ſeq.* Adde *Vol. V. pag.* 201. *ſeq & 477. Dealbandi* quoque modos fucatos, quibus metalla tingi poſſunt, tradidit Paracelſ. *in Manual. Cuprum dealbandi* modi duo videantur in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 100. *ſeqq.*

DEAMBULATIO, περίπατος, proprie denotat motum corporis moderatiorem & exercitationem leviorem. Tropice vero etiam de animo uſurpatur. Ita cura vocatur animæ *deambulatio*, Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 11.

DEARGENTATIO, ἀργύρωσις, dicitur Tinctura Metallorum ignobiliorum v. g. Cupri in colorem argenteum, cujus modum ſat perſpicue tradidit Jacob. le Mort. *Metallurg. contract. ſ.* 2. *p. m.* 271.

DEARTICULATIO, διάρθρωσις. Vide *Abarticulatio.*

DEAURATIO, χρύσωσις, dicitur Tinctura fucata metallorum, monetarum, &c. in colorem aureum, quales aliquot tradidit Paracelſ. *Manual. primo.* Vide Jacob. le Mort *d. l.*

DEBILIS, ἀδύναμος, βληχρός, ἀσθενής, vide *Abebæos*, *Blechros*, *Aſthenes. Debilitatis* cauſſa in flammæ vitalis ſanguineæ impotentia conſiſtit. Hinc *debiles* dicuntur μικρόσφυκτοι, parvo pulſu præditi, teſte Linden. *Ex. X.* §. 155. *Debilitatis* morboſæ univerſalis, vel particularis cauſſas vide apud Helmont. *tr. Ignotus hoſpes morbus, n.* 74. dextre veris & perſpicuis principiis applicandas & explicandas.

DEBITUM cum epitheto *Conjugale* frequenter occurrit apud P. Zacchiam *Quæſt. Med. Leg. l.* 10. *Conſil.* 36. *alibique*, pro cohabitatione, coitu conjugum Venereo.

DEBUS, terminus Paracelſicus, remedium adver-

ſus iram, cujus meminit *tract. Apocrypha de vulner.* §. *de apogryphis vulner. bilis.*

DECAMYRON, δεκάμυρον, nomen Malagmatis apud Oribaſium, ſic dicti, quod ex decem aromatum generibus paretur. Refertur ab Aëtio & Æginet. *l.* 7. *c.* 18. ubi per Græcum νάρδε intelligi debet unguentum Nardinum, recte notante Gorræo *pag.* 111. Meminit Keuchen. *ad Seren. not. p.* 181.

DECANTATIO, καπάχυσις, idem, quod Defuſio, quando liquor aliquis à materia, quæ ſe præcipitavit, lente citra colationem aut filtrationem defunditur, & paſſim in autoribus occurrit, ut non opus ſit teſtimonia peculiaria apponere.

DECANUS, δεκανὸς, nomen officii & dignitatis diverſæ ſignificationis, pro varietate ſtatus vel eccleſiaſtici, vel ſecularis, uſitatum hodieque etiam in Univerſitatibus, ubi Præſes in aliqua Facultate *Decanus* vocari ſolet, eſtque dignitas ambulatoria. Olim in malam partem quoque fuiſſe uſurpatum pro præſtigiatoribus, conſtat ex Gal. *l.* 6. *de S. Fac. mox à principio.* Mentio fit quoque *Decani* cujuſdam, (hauddubie Eccleſiaſtici) qui centum & octuaginta ſex annos vixit, ejuſque Epitaphiam legitur apud Penotum *de Medic. Chym.* in *Vol. I. Th. Chym p.* 659.

DECATORTHOMA, δεκατόρθωμα, dici poteſt medicamentum compoſitum, quod ex decem ſimplicibus parari & componi ſolet, Keuchen. *ad Seren. d. l.* Coincidit fere cum δεκάμυρον.

DECENS, τὸ δέον. Vide *Deon.*

DECERNO, κρίνω, idem, quod *Judico.* Vide *Criſis.*

DECIDENTIA, καταπτωσις. Vide *Cataptoſis.* Dicitur etiam μεταπτωσις, eſtque epitheton quorundam morborum acutorum, qui ultra quatuordecim dies uſque ad vigeſimum imo quandoque ad quadrageſimum protrahuntur, Galen. *comm.* 1. *in progroſt. Hipp. t.* 25. *& alibi*, unde vocantur Acuti per *decidentiam* vel ex *decidentia.*

DECIDUUS dicitur de *Uvula relaxata*, aut *procidente*, quam Joh. Stephan. vocat *Deciduam Uvam. Paraphraſ. in Avicen. l.* 3. *fen.* 1. *cap.* 12. *p* 232.

DECLARATIO, ἑρμήνεια, ἐξήγησις, idem, quod *Explicatio*, Interpretatio. Galen. 4. *de diff. pulſ. c.* 2.

DECLINATIO, παρακμὴ, dicitur illud morbi tempus, vel univerſale, vel etiam paroxyſmorum particulare, quando cauſſa morbifica victas porrigit manus calori vitali, ſive naturæ victrici, cum ſymptomatum remiſſione. Sequitur ſtatum vel vigorem morbi, & præſente *declinatione* ceſſat periculum mortis. Et ſi quis moritur, non *declinationis* merito, ſed erroris ſuperadditi novique morbi inde dependentis culpa moritur. Vid. *Dogm. noſtr. p.* 424. *Declinatio* quoque dicitur ex Avicenna ſpecies diſlocationis oſſium, aut luxationis imperfectæ, quæ & *Contortio*, in qua os non totaliter exit e ſua ſede, vocatur, Foreſt. *l.* 9. *Obſ. Chirurg. Obſ. I. in Schol.*

DECLIVIS, *Declivitas*, κατάῤῥοπος, καταῤῥοπία. Vide *Catarrhopos.*

DECOCTIO, ἕψησις, ἀφέψησις, late idem eſt, quod *Coctio*, de quo *ſupra.* Frequentius tamen Latinum uſurpatur de coctione artificiali, vel culinaria, vel pharmaceutica. Stricte vero *Decoctio*, ἀφέψησις, denotat perfectam & plenariam alicujus rei coctionem, ad differentiam coctionis inchoatæ vel imperfectæ, quæ ſimpliciter *Coctio* dici poteſt. Medicorum *Decoctiones* fieri ſolent lento igne, clementer & curtis ignibus. Keuchen. *ad Seren. p.* 88. Jung. Rhod. *in Lexic. Scribon. lit. D.*

DECOCTUM, ἀπόζημα, ἕψημα, ἀφέψημα, in genere denotat omnem decoctionis effectum, ſive materiam, quæ cocta eſt. Specialiter vero in Pharmaceuticis eſt forma medicamenti liquida, (barbare etiam *Brodium* dicta) conſtans ex liquore viribus medicamentoſis impprægnato, interveniente debita ſecundum artem coctione. Differentias, & modum parandi *Decocta* artificioſum vide apud Weker. *Antidot. gener. l.* 1. *cap.* 14. *Special. l.* 2. *ſect.* 7. Morell. *l.* 1. *Form. Rom. ſ.* 1. *c.* 1. Schröder. *l.* 1. *c.* 3. *lit. D. l.* 2. *c.* 49. Hofm. *in Clav. ad h. l.* alioſque plures. Helmont. *Decocta* ſuſpecta reddere auſus eſt, quod non ſint entia, quali per deſtillationem proliciuntur, ſed tranſlationes entis in medium peregrinum, *tr. Aditus præcluſus ad cordium num.* 9. & præſertim febricitantibus non competere, *tr. de febrib. c.* 8. *num.* 3. Enimvero videtur adverſus ſolem loqui. Quod vero Solenander in imbecillitate ventriculi *Decoctorum* Stomachicorum dictorum uſum improbet *ſ.* 5. *p. m.* 513. ob aqueam humiditatem nimis relaxantem, majorem præ ſe fert veriſimilitudinem. Verum non eſt hujus loci, pluribus hæc ventilare. *Decoctum* graduatum, in quo reſtant vires reſiduæ. Georg. Melich. *in præcept. general. diſpenſatorii.*

DECOLLATUS, ἀτράχηλος. Vide *Atrachelus.* Jung. Rhod. *ad Scrib. n.* 194.

DECOLOR, *Decoloratio*, ἄχροος, ἀχροια. Vide *Achroi.*

DECOMPOSITUM, vocabulum augens ſignificationem compoſiti. In Phyſica Triſmegiſti hæc legitur deſcriptio, *Theatr. Chym. Volum. I. p.* 374. *Compoſita* ſunt ea, quæ patiuntur corruptionem & componuntur. *Decompoſita* vero ſunt illa, quæ jam in compoſitione per corruptionem & generationem convenerunt.

DECORATIO, κόσμος, Fallopie dicitur conſervatio vel reſtitutio pulchritudinis naturalis vel in univerſo corpore, vel in parte per ſe, & ars hoc præſtans eidem etiam vocatur *Decoratoria*, tr. de *Decoratione c.* 2. *Tom. II. p.* 327. Vide *Coſmeti a.*

DECORTICO, λέπω. Vide *Lepis.*

DECOSTIS, ἄπλευρος. Vide *Apleuros.*

DECREMENTUM, παρακμὴ, dicitur vel de ætate, quæ ſequitur conſiſtentem, & alias *ætas decreſcens* vocatur, vel de morbo, ubi idem eſt, quod *Declinatio.* Oppo-

Opponitur *Incrementum*, ἄυξησις. Legitur apud Paraceli. *Paramir. l.* 1. *c.* 3. *fin.*

DECREPITATIO, vel etiam ſimpliciter *Crepitatio*, Gr. ψόφος, dicitur *Strepitus* ille, quem edunt ſalia vim ignis experta, aut igni injecta, ob portiones nitroſas adhærentes; ita etiam aqueæ portiones oleoſis admixtæ & pinguibus ſuper igne crepitare ſolent. Legitur prius vocabulum apud D. Ludovic *Diſſert. I. Pharm. p.* 434. Accuratius hanc operationem deſcripſerunt celeberrimi Chymiatri D. D. Wedelius *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 3. *p.* 50. & D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. XII.* §. 6. Jung. Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 370. Sal *decrepitatus* quid ſit & quomodo fiat, vide apud St. Blancard. *Chym. vernac. c.* 13. §. 2.

DECREPITUS, ἐσχατογήρων, παρήλιξ, dicitur, qui ad ſenium extremum pervenit, & ad octuageſimum annum, vel paulo plus ſeſe extendit. Ætas quoque dicitur *decrepita*, ἔσχατον γῆρας, ὑπέρμετρον, ἀκρογῆρατον. Gal. *c.* 2. *aph.* 28. Jung. Dieter. *Iatr. n.* 375. Dicitur & in ſubſtantivo *Decrepitas*, apud P.Zacch. *Q. M. L. l.*1. *tit.*1. *q.* 9. *n.* 29. *& alibi.*

DECRESCENS, παρακμαστικὸς, dicitur de ætate, vide *Decrementum*, & de morbo, præſertim febre, quæ eſt ſpecies continuæ vel continentis. Vide *Acmaſtica.* Sylv. *lib.* 1 *Prax c.* 28. §. 4.

DECRETORIUS, κρίσιμος, κριτικὸς, idem, quod *Indicatorius.* Vide *Criſimos.*

DECRUS, ἀσκελὴς. Vide *Aſceles.*

DECUBITUS, vel de corpore dicitur, & idem eſt, quod *Cubatio*; Gr. dicitur κατάκλισις. Vide *Cataclyſis. Decubitus* ægrorum optimi, qui naturalibus ſimiles ſunt, Hippocr. *in progn.* Rolf. *O. ac M. Com. Spec. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 16. vel de humoribus de parte in aliam fluentibus, & vocatur ἀπόσκηψις, ἀπόσκημμα. Vide *Apoſcepſis.*

DECURSUS, ἀποδρομὴ Gr. dici poſſet, plerumque durationem alicujus rei, vel temporis, vel morbi denotat. Quamvis & verbum *decurro* aliquando ſignificet properare ad aliquid, v. g. ad medicamenta. Celſ. *l.* 6. *c.* 8. Rhod *in Lex. Scrib. p.* 371.

DECURTATUS, μείουρος, vel μειουρίζων, mendoſe μύουρος, eſt ſpecies debilis pulſus & deficientis, quando perpetuo diminuitur, nec minui deſiſtit, donec prorſus deficiat; quod ſi iterum redeat, & de integro augetur, *decurtatus reciprocus*, μείουρος παλινδρομῶν vocatur, Galen. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 11. Quod ſi in eo nulla ſervetur æqualitas, motuque ipſo frequenter deficiat, *deficiens inæqualis* appellatur, μείουρος ἀνώμαλος, 2. *de cauſſ. pulſ.* 11. Pulſus omnis *decurtatus* provenit ab imbecillitate facultatis pulſificæ, h. e. flammæ vitalis deficiente continuatione & activitate.

DECUSSATIO, *Decuſſatim*, Decuſſata figura; idem eſt, quod Chiaſmos, χιασμὸς, de quo jam ſupra dictum, vide *Chiaſmos.* Pertinet etiam hoc nomen ad delipationis ſpecies chirurgicas, quando faſciæ *decuſſatim* circumvolvuntur.

DECUSSIO, χάσις, *decuſſorium*, χασμεῖον, *Decutio*, χάζω. Vide *Schazo. Decuſſorium* inſtrumentum peculiare in cranio læſo cum ſuppuratione ad piam matrem vide apud Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. II. fig.* 11. *& Tab. XXIIX. fig.* 1. ut & apud Paræum *l.* 9. *Chir. c.* 21. Jung. Blaſ. *Med. Un. p. m.* 73.

DEDUCO, Gr. dici poſſet κατάγω, ἐξάγω, ſignificat etiam *evacuo.* v. g. *Deducere per nates.* Scribon. Larg. *n.* 9. Rhod. *in Lex. Scrib. d. l.*

DEFECTIO, vel de viribus corporis dicitur, vel de animo. Vide *Eclyſis*, *Lipothymia*, *Syncope.* Alias & *Defectio* olim dictus fuit *morbus lienis*, quando deficit trahere ab hepate feces ſanguinis, ex hypotheſi hodieque obſoleta & anatomicis principiis plane repugnante. Legitur vero apud Iſaacum *l.* 9. *Theoricæ c.* 35.

DEFECTUS, ἔνδεια, ἐνδεὲς, ἔλλειψις, ἔλλιπὲς, ſignificat abſentiam vel carentiam alicujus, quæ uſu æſtimatur, Gal. *l.* 1. *de cauſſ. pulſ. c.* 11. Opponitur ei *ſuperfluum*, περιττὸν, & utrumque à natura alienum. *l.* 1. *de V. P. c.* 32. Adjective etiam defecta criſis, ἐλλιπὴς κρίσις, Galeno eadem eſt, quæ criſis imperfecta ἀτελὴς, *l.* 3. *de Criſib. c.* 7.

DEFENSIO, ἀπολογία. Vide *Apologia.*

DEFENSIVUM, eſt vulgare chirurgis epitheton quorundam topicorum, quæ pertinent ad ἀποκρουστικὰ, ſive *repellentia*, verum ſaltem eorum proprie, quæ non ipſi parti affectæ, ſed vicinæ applicantur, pro interceptione: unde & διαληπτικὰ, *intercipientia*, & effectus διάληψις, *interceptio* vocatur, Rolf. *O. ac M. Meth. Spec. l.* 4. *ſect.* 1. *c.* 15. Paracelſus etiam ad interna tranſtulit, per *defenſiva* intelligens *confortativa*, & quæ ſymptomata graviora prohibent, quo pertinent gemmæ, & Spiritus auri. *libr.* 2. *de peſte c.* 4. *&* 5. *& in fragm. de Peſte*, quamvis fortaſſis præter meritum.

DEFERENTIA vaſa, vide *Ejaculantia.*

DEFERVESCO, *Deferveo*, ἀποζέω. Vide *Apozeo.*

DEFICIO, ἐκλείπω, ἀπαυδάω, ἐλλείπω, & de corpore, & de animo dicitur. Vide *Defectio.* Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 371. 372. In ſpecie *pulſus deficiens*, ἐκλείπων, dicitur, qui admoventi digitos videtur exolutus, & paulo poſt prorſus deſinit, ob defectum ſpirituoſitatis in ſanguine, Galen. *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 3.

DEFINITIO, ὅρος, ὁρισμὸς, eſt oratio explicans eſſentiam rei, Galen. *l.* 4. *de diff. pulſ. cap.* 2. *& ſeqq. alibique ſæpius.* Debet vero continere genus, differentias, ſubjectum, cauſſam efficientem, ſi perfecta eſſe velit, *d. l.* Quæ talis *deſinitio* dicitur in acquirenda cognitione morbi, eadem dicitur indicatio in exequenda curatione, verbis elegantiſſimis Lind. *Ex. IV.* § 19. De *definitionis* in medicina utilitate vide Rolfink. *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 2. *ſeqq.* Interdum eſſentiales, interdum cauſſales proponi ſolent, B. Hofm. *Com. de V. P. n.* 409.

DEFIXUS, vide *Devotatus.*

DEFLAGRATIO, ἐπιφλογισμὸς. Vide *Epiphlogiſma.*

DEFLOROR, ἀποπαρθενεύομαι, idem, quod *devirginor*, virginitatem depono. Vide *Apopartheneuomæ.*

DEFLUVIUM *capillorum*, vide *Alopecia.* In genere *defluvium* reſpondet Græco, ἀπόῤῥοὴ, vide *Aporrhoe.*

DEFLUXIO, *Defluxus*, καταῤῥυσις, κάταῤῥος, ῥευματισμὸς, dicitur, quando materia peccans, vel una cum ſanguine, vel liquore nervoſo, aut lympha à parte aliqua ſuperiori tranſit ad aliam inferiorem, ſive internam, ſive externam. Vide *Catarrhyſis*, *Catarrhus*, *Fluor*, *Rheumatiſmus.*

DEFORMITAS, *Deformis*, αἶσχος, ἀειδὴς. Vide *Æſchos*, *Aides.*

DEFRENS, θλασμὸς, ἄρτρα, quaſi fracta ſeges, vel *defrenſa. Frendere* fabam, fruges, ἐρεικεῖν, idem, quod frangere. Inde *nefrendes* pueri, qui per ætatem adhuc dentibus frangere non poſſunt. Rob. Keuchen. *ad Serenum p. 96.*

DEFRUTUM, ἕψημα, σίραιον, dicebatur olim ſpecialiter *muſtum ad dimidias coctum*, quemadmodum *ſapa* muſtum ad tertias coctum. Mediæ eſt facultatis lenis & citra acrimoniam extergentis. Ad condiendos cibos veteribus fuiſſe uſitatiſſimum, demonſtrat Linden. *Ex. X. §. 19. 29. 36. ſeqq. 60. ſeqq.* Poteſt tamen hoc vocabulum haud inepte aliis ſuccis ad ſpiſſitudinem coctis attribui, qui alias Arabib. & in offic. *Rokob* vocari ſolent. Gorr. Dieterich. etiam exiſtimat Græce dici poſſe ἀπόζιμα, *n. 734. fin.*

DEFUNCTUS, θανὼν, τεθνηκὼς, idem, quod *mortuus.*

DEGENERATIO, νόθευσις, νοθεία, dicitur, quando res quædam à priſtina ſua indole & natura recedit & mutatur in deteriorem. Ita ſanguis *degenerare* dicitur vel admiſtione rei extraneæ, vel demum errore indignati, vel avocati archei, Helmont. *tr. de febrib. c. 11. n. 6.*

DEGLUTITIO, κατάποσις. Vide *Catapoſis. Deglutitoris* inſignis, qui fruſta cultrorum, catenarum, araneas, coria, lacertos, bufones, calculos &c. ſine damno *deglutivit* & devoravit, hiſtoriam recenſet D. Binninger. *Obſ. Medic. Cent. 5. obſ. 7. p. 492. ſeqq.*

DEGMOS, δηγμὸς, in genere *morſum* ſignificat, & in ſpecie oris ventriculi, ab humorum & fermenti acrimonia, & malignitate dependentem, apud Hipp. *Coac. t. 636.* Quomodo differat à διωγμὸς, vide Lind. *Ex. XIII. §. 137.*

DEI, δεῖ, imperſonale, ſignificans *decet*, *oportet*, & monſtrat neceſſitatem medico in actionibus, præſertim in applicatione remediorum pharmaceuticorum & chirurgicorum. De cujus verbi emphaſi vide Dieter. *n. 177.* Inde τὸ δέον, *decorum*, neceſſarium. Vide & *Oportet.*

DEICTICOS, δεικτικὸς, *Indicans*, *Index*, vide *Index.*

DEIDIZOMÆ, *deidiſſomæ*, δειδίζομαι, δειδίσσομαι, δεδίσσομαι, ſignificat, *metuo*, timeo, & uſus eſt Hipp. *l. 1. de morb. mul. XLI. 17.*

DEJECTIO, ὑποχώρημα, ita ſolet Hipp. vocare in ſpecie excrementa per alvum exeuntia, *7. aph. 64. & alibi;* & quidem non tantum naturalia, verum etiam frequentius præternaturaliter ſe habentia. Sunt vero duplicia: Alia ſincera, quæ unum tantum obtinent colorem: Alia permixta & variegata; unde diverſa quoque *in prænot. Prognoſtic. Coac. textibus* tradidit Hippocr. prognoſtica & eventus boni, vel mali præſagia. Legitur & hoc vocab. apud Scrib. Larg. *n. 90. 92. 142.* & in diminutivo *dejectiuncula*, *n. 52.* Vocatur & διαχώρημα τῆς κοιλίης, apud Hippocr. *Coac. t. 601.* ubi optimam *dejectionem* deſcripſit. In aliis vero textibus ſeqq. malas addidit. Inquiratur in indice Ionſtoni *ad Coac. Hipp.* De præſagio ex *dejectionibus* legatur quoque Rolfink. *O. ac M. Med. Spec. l. 3. ſect. 2. c. 19.*

DEJECTORIUM, καταποτηρικὸν, vide *Catoterica.* Linden. *Ex. XII. §. 47. 53.*

DEILE, δείλη, in Lexicis exprimitur per *crepuſculum*, quod incertum eſſe an diei, an vero noctis intelligendum ſit, ex Lindeno ad vocem *crepuſculum* jam dictum eſt. Etenim conſtat ex aliis Græcis autoribus, δείλην & de matutino & de veſpertino dici. Interpretes tamen Hippocratis, præſertim Foëſius *ad l. 2. Epid. ſ. 1. p. 996. ſeq. & l. 6. Epid. ſ. 1. t. 14.* per veſperam vertunt, quaſi ſignificatio hæc ſit certiſſima, quamvis non videam, quid obſtet, quo minus aſcarides & alii morbi autumnales ſub crepuſculum matutinum vehementiores eſſe queant.

DEILOS, δειλὸς, *timidum* ſignificat, velut ad omne onus ob imbecillitatem *tædioſum*, Gal. *c. 1. de R. V. I. A. t. 22.* Foëſ. *Oec. p. 146.*

DEIMA, δεῖμα, notat *terrorem*, *metum*, terriculamentum, qualis eſt, qui à ſpectris incutitur. Hipp. *l. de Virgin. morb. l. 6.*

DEINOS, δεινὸς, hoc eſt, *gravis*, terribilis, eſt epitheton exaggerans. Uſurpat Hippocr. de febre *l. 7. Epid. ſ. 1. t. 17.* ubi Gal. & alii interpretes hecticam febrem intelligunt. Verum non video, quomodo hoc quadret cum addito epitheto πεμφιγώδης, h. e. bullam aut *flatum referens*, inflatus. Sane hecticorum corpora potius arida & exſucca conſpiciuntur. Videtur igitur potius malignæ febris lentæ ex ſumma cacochymia flatulenta obortæ ſpecies intelligenda hic eſſe. Fortaſſis non male dici poſſet *febris cachectica.*

DEINOSIS, δείνωσις, denotat *exaggerationem*, amplificationem. Legitur de ſuperciliis diſtentis, & convulſione retractis, apud Hipp. *2. de R. V. I. A. t. 44.*

DEIPNON, δεῖπνον, ſignificat *Cœnam.* Vide *Cœna.* Aliquando tamen & late pro omni cibo, vel cibatione videtur ſumi, v. g. *2. Prorrh. XII. 4.*

DEIRE, δειρὴ, *cervicem* aut *collum* ſignificat. Vide *Cervix.* Legitur apud Hipp. *l. 2. de mor. mul. LIV. 15.*

DEITAS, θειότης, quid proprie ſignificet, ſcil. *naturam divinam*, ad Theologos pertinet. Rebus quoque creatis & naturalibus *deitatem* ineſſe & independentiam voluerunt quondam ethnici. Sed luridas

dei-

deitates, & cœcitates vocavit Helmont. *tr. Promiſſa autoris n.* 15.

DELACHRYMATIVUS, ἀποδακρυτικὸς, vide *Apodacrytica.*

DELAPSIO, ἔκπτωσις, idem, quod prolapſus, vide *Ecptoſis.*

DELATIO, idem quod *indicatio*, quatenus medico oſtendit & repræſentat, ſive per ſimile, ſive per contrarium, quod apprehendere & præſtare debet pro fine ſuo obtinendo, Mich. Gavaſſetius *l. de indic. curat. c. 4. p. m.* 50.

DELECTATIO, ἡδονὴ, τὸ ἥδος, idem, quod *oblectatio*, *voluptas*, eſt animæ perceptio & paſſio, vel commotio excitata ab objectis externis ſub ſpecie bonorum à ſenſibus externis perceptis, conſiſtens in ſpirituum, ceu animæ emiſſariorum, expanſione & diffuſione. Huic opponitur *dolor*, de quo p. infra. De cauſſis *delectationis* & doloris, legi quidem poteſt Galen. *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. cap.* 6. Lang. *l.* 1. *ep.* 41. Verum accuratius hanc materiam pertractarunt Charlton. *Ex. VIII. Pathol.* §. 21. *ſeq.* & Th. Will. *de anim. Brut. Part.* 1. *c.* 8.

DELESIS, δήλησις, ſignificat *noxam*, detrimentum, idem, quod λώβωσις, φθορὰ, Hippocr. *in Juramento. II.* 3.

DELETERIOS, δηλητήριος, ſignificat *pernicioſum*, ſumme noxium. Eſtque epitheton venenorum. Galenus deſcribit *deleteria*, quæ nec ægris, nec ſanis proſunt, *lib.* 6. *in* 6. *Epidem. t.* 5. Idem etiam omnium purgantium naturam vocavit *deleteriam* & naturæ noſtræ adverſam, *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 12. id quod de fortioribus & electivis dictis intelligendum eſt, Vid. *Diſp.* 1. *noſtram de Remoris Purgationis.*

DELICTUM, ἁμάρτημα, ἁμαρτὰς, ἁμαρτία, ἁμαρτωλία, idem, quod *error*, *peccatum*. Qualia ab ægris, adſtantibus, à medico, committi ſolent. Unde & apud Hipp. & Galen. paſſim eorum fit mentio, v. g. 2. *de R. V. I. A. t.* 40. 48. *l.* 4. *Epid. XI.* 18. Galen. 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 14. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 36. Dieter. *n.* 46.

DELIGATIO, *Deligatura*, ἐπίδεσις, eſt operatio chirurgica, qua pars læſa & ſoluta continuitate laborans faſciis debitis munitur, aut ad unitionem promovetur. De hac paſſim Hipp. *in l. quæ ad medicatrin. pertinent*, Item, *de fractur. de vulner. ulcer. de Partic.* Tres ſpecies *deligationis* recenſet ex Avicenna Aquapend. *l.* 2. *Pentateuch. c.* 5. Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 11. *Schol. Glutinatoriam*, ſeu incarnativam, *retentivam* & *expulſivam*. Vide *Epideſis.*

DELIQUIUM, vel ſumitur pro virium animi & corporis jactura, & ita idem eſt, quod *lipothymia*, *defectio*, *ſyncope*, *eclyſis*, de quibus ſuo loco: vel accipitur chymice pro ſpecie quadam διαχεύσεως, ſive *diſſolutionis*, eſtque *liquatio* per deſcenſionem facta, quando corpora coagulata cellæ, aëri, puteo, aut alii frigido & humido loco, ſuper marmore, tabula vitrea, vel in manicam Hippocr. ut vocant, expoſita externæ humiditatis hiſce corporibus ſeſe adjungentis adjuvamine in liquorem reſolvuntur, & in ſubjectum vas defluunt atque deſtillant. Reſolvuntur autem in frigido potiſſimum pulveres calcinati, ſalia & ejuſmodi alia corpora ſalium naturam redolentia. Sed omnia, quæ in frigido reſolvuntur, in calido rurſus coagulantur. Et hoc eſt *deliquium* in aëre, vel vaporoſum. De hoc deliquio legatur etiam ex noviſſimis D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 1. Aliud quoque eſt *deliquium embapticum*, cum res in humorem demerſa eouſque continetur, donec deliquerit. Hoc fit dupliciter. Nam res aut vaſculo contenta immergitur, ut ipſa humoris ſubſtantia non accedat, vel ſaltem tenuiſſimus ſudor permeet, veluti cum in vaſe cereo, vel veſica bubula imponitur, & cum delicuit extrahitur, quæ res, ſi humor eſt calidus (quod fit plerumque) ſimulachrum balnei eſt; aut in ipſum humorem ſinitur diffundi, ſeu nude, ſeu lintea petia interveniente, qua ſimul ſegregantur ſordes. Et hic quoque vel frigidus liquor eſt, quo pacto gummi, ſucci inſpiſſati, ut ſaccharum &c. ſolvi poſſunt; vel indiget calefactione, ut in manna & ſimilibus pinguedinem ſuccumque tenacem habentibus. Humor autem ille, qui eſt medium ſolutionis, talis eſſe debet, ut, ſi eum ſegregatum cupimus, facile poſſit denuo ſeparari, nec peregrinam qualitatem invehat ſoluto, niſi ſtudio quærimus ſimul alterationem ejuſmodi. Hæc Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Jung. & Rolfink. *Chymic. l.* 2. *c.* 2. Ad priorem modum pertinet, liquor, vel oleum myrrhæ apud Schröd. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 392. & oleum tartari p. d. *d. l. n.* 408.

DELIRAMENTUM, φλεδὼν, idem, quod *Nugæ*. Proverb. locutio.

DELIRIUM, παραφροσύνη, παρακοπὴ, eſt generale nomen, denotans alienationem mentis, h. e. depravatam imaginationem & ratiocinationem, uno verbo, inſaniam, dementiam, *deſipientiam*, ſine & cum febre, comprehenditque varias ſpecies, phrenitidem, lethargiam, maniam, melancholiam, ſtupiditatem, quas omnes egregie declaravit & deſcripſit Th. Willis *de Anim. brut. Part.* 2. *cap.* 10. *ſeqq.* Generalis vero *delirii* ratio formalis in hoc conſiſtit, quod ſpiritus animales aut nimis irritati, aut in confuſionem acti huc illuc intra globoſam cerebri ſubſtantiam inordinate & tumultuoſe ferantur, & propterea incongrue animæ rationali phantaſmata offerantur, & proinde intellectus & voluntatis actus depravati ſequantur. An interdum in *delirio* ſola phantaſia vel imaginatio depravetur, ſalva ratiocinatione, & viciſſim an ſola ratiocinatio, ſalva phantaſia, lædi poſſit, uti Caſtell. ex Galen. *l. de differ. ſympt. cap.* 3. non eſt hujus loci ventilare. De *delirio* vide Diet. *Iatr. n.* 649. 653. Vide etiam *Inſania*. *Delirare*, eſt de *lira* ſeu recto rationis recedere & aberrare, *Liram* veteres vocabant foſſam rectam, quæ contra agros tuendos ducebatur, & in quam uligo terræ decurrit, Lind. *Ex. XII.* §. 169. Foëſ. *in Oecon. p.* 480. *& alibi.*

Deliriorum initium à ſomno deducere conatur, Helm. *tr. Demens Idea. n.*30. *ſeqq & tr. Jus Duumviratus, n.*30. & ita animæ ſenſitivæ attribuit, *de Lithiaſ. n.* 38.

DELITIÆ, τρυφή, idem, quod *gaudium*, *oblectatio.* Illas etiam vires corporis frangere, ſi immodicæ fuerint, teſtatur Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 10.

DELOO, δηλόω, ſignificat *indico*, manifeſto, teſtor. Uſus Hipp. 1. *aph.* 12. *&* 2. *aph.* 17. Vid. Dieter. *n.*182. Hinc δῆλον, manifeſtum, notum ſignificat, & δηλωτικὸς, *indicativus*, quo nomine indigitavit ſignâ *diagnoſtica* communiter dicta. Linden. *Ex. IV.* §. 51.

DELPHAX, δέλφαξ, idem, quod *ſcropha*, ſive ſus fœmina, quod δελφύας, i. e. *matrices*, *porcellorum* conceptacula haberent ita dicta. Unde & *porcelli* δελφάκια vocantur. Lang. *l.* 1. *ep.* 61.

DELPHINUS, δελφὶν, nomen piſcis eſt ex cetaceorum genere, Galen. *l.* 3. *de Al. fact. cap.* 37. duræ carnis, ob nimiam pinguedinem lardo porcorum non cedentem, *porcus marinus* dicti, cujus prolixam deſcriptionem, cum uſu in medicina vide apud Ulr. Aldrov. *l.* 1. *de Cetis*, *cap.* 7. Anatomen *delphini* ſeptentrionalium, ſive *phocænæ*, lege *in Ephem. Natur. Cur. Ann. III. Obſerv.* 20. *Delphines* quoque vocantur machinamenta dentata, quæ prohibent motum, id quod & unci faciunt. Orib. *de machin. cap.* 3.

DELPHUS, item *Edelphnus*, terminus Parac. quo denotatur ſeparatio aliqua de mineralibus, v. g. de Arſenico, *tr. de Peſtilit. Repetit. l.* 2. *de Tartar. tract.* 2. *c.* 3.

DELPHYS, δελφὺς, *uterum* ſignificat Hippocrati *l. de Sterilib. XII.* 8. idem, quod μήτρα, ὑστέρα, h. e. totum genitale mulierum membrum, matrix, naturæ arvus, conceptorium, vulva, & ſi quæ ſunt alia ſynonyma, quæ videantur apud Rolfink. *O. ac Meth. part. gener. dic. Part.* 2. *c.* 11. Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 7. §. 94. cujus deſcriptionem organicam & partes deſcriptas habere licet in anatomicis libris, præſertim apud Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 28.

DELTA, δέλτα, vocatur etiam pudendum muliebre, ut eſt apud Suidam, haud dubie, ob figuram triangularem, ſphæricam, notante Lindeno *Ex. Phyſiol. Medic. c.* 7. *artic.* 15. *p.* 318.

DELTICUS, terminus Paracelſicus impreſſionem vitæ alienæ, ad prolongationem vitæ facientem, denotans. Verum ſunt φλιδόνες. Legitur apud Parac. *l.* 1. *de vit. long. c.* 9.

DELTOIDES, δελτοειδὴς, h. e. figuram literæ Græcæ Δ. triangularem repræſentans, eſtque epitheton muſculi humerum vel ſuperiorem brachii partem occupantis carnoſi & triangularis, quem Nic. Steno in duodecim muſculos diſtinxit, inter ſe unitos. Plura de hoc muſculo videantur apud Barthol. *Anat. l.* 4. *c.* 2.

DELUMBATUS, *Delumbes*, quid ſignificet in aliis Lexicis quoque exponitur. Quod infans ab obſtetrice imperita in partus negotio *delumbari* queat, notavit D. Henr. à Deventer *Art. Obſtetric. c. XLIX. p.* 263.

DEMADESCO, καθυγραίνω, βρέχομαι, h. e. probe madeſio. Scribon. *n.* 73.

DEMANUS, ἄχειρ, qui manibus caret. Galen. *l.* 4. *de Hippocr. & Pl. decr. c.* 4.

DEMAS, δέμας, ſignificat *Corpus.* Quare ita vocetur, videatur apud Macrob. *in Scipion. ſomn. l.* 11. citante Linden. *Ex. XVI.* §. 107.

DEMENTIA, ἄνοια, παράνοια, idem, quod *amentia*, *delirium.* Vide *Amentia*, *Delirium.* Helmont. quod ſit vis ſoporifera errans, *tr. de Retentis.*

DEMERSIO, καταποντισμὸς, ponitur pro *ſubmerſione*, ab Helmont. *de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 46.

DEMETRIOS, δημήτριος, vide *Cerealis.*

DEMITTO, καταβάλλω, καθίημι, idem, quod *immitto*, *injicio*, unde κατάβλημα, vide *Catablema.* Verbum ſæpius occurrit apud Scrib. Larg. *n.* 123. 130. 255. &c. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.*

DEMIURGIA, *Demiurgos*, δημιουργία, δημιουργὸς, *creationem* & *creatorem*, ſignificat, q. d. publicum opus, & publice operans. Imprimis vero generationi hoc competit, in qua ſignificatione frequenter accipitur apud Galen. Latine quoque vocatur *opifex*, *opificium*, vide *Creatio.*

DEMONSTRATIO, ἀπόδειξις, eſt terminus potius philoſophicus, quam medicus, ſignificans probationem ex evidentibus, certis & indubitatis, tum ſenſu, tum intellectu talibus deſumtam, Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 4. *&* 5. An tales etiam locum habeant in medicina? ventilari ſolet, & ſano quoque ſenſu affirmari poteſt, cum & ars medica ſua habeat propria & confeſſa principia, quibus nititur. Pudeat ergo illos medicos, qui in artis ignominiam illa principia in dubium vocare imo omni ſtudio annihilare conantur.

DEMORSUS, idem quod Morſus, δῆξις, Legitur apud Fuchſ. *comm. in Gal. l.* 1. *de Sympt. cauſſ. c.* 1. *p. m.* 100. *b.* Vide *Dacno.*

DEMOS, æquivocum eſt vocabulum. Vel enim populum, cœtum multorum hominum ſignificat, & ita in Græco, penultima circumflectitur, δῆμος, quæ ſignificatio huc non pertinet. Vel, ſi in Græco ultima gravi accentu exprimitur, δημὸς, denotat *pinguedinem*, uti patet *ex Epiſtola* Democriti *de natura hominis ad Hippocr. n.* 63. Vide Foeſ. *Oec. p.* 148.

DEMOTIVUS *lapſus*, id eſt, *repentina mors.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

DEMULCEO, παρηγορέω, h. e. mitigo, *lenio.* Vide *Paregoreo.*

DEMUSCULATUM, ἄμυον. Vide *Amyon.*

DENARIUS, vel *denarium pondo* in Lat. verſione apud Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 11. & alibi ſumitur pro *drachma.* Hinc & in Græco δραχμα legitur. Idem pondus quoque denotari per *denarium cruciatum* in Scribonio, exiſtimo. Vide *Lexic. & Indic.* Rhodii *Scribonian.* Idem *in diſſ. de ponder. & menſ.* ſcribit denarium capere ſcrupulos III. & $\frac{1}{7}$ p. 41.

DE-

DENERVATIO, ἀπονεύρωσις, idem, quod Tendo. Vide *Aponeuroſis.*

DENIGRATIO, μελασμὸς, μέλασμα, Hippocrati dicitur, quando vel pars à frigore externo nigrorem contrahit, 5. *aph.* 17. & 20. Vide Dieterich. *n.*529. vel quando ex ſanguine extra venas refuſo per contuſionem, aut aliam cauſſam externam nigreſcit. Dicitur alias *ſugillatio*, ἐκχύμωμα, Hippocr. 2. *de fract. t.* 28. *l. de humid. uſ.* IIX. 4. quæ *denigratio* ſæpe principium putredinis gangrænoſæ aut potius ſphaceloſæ eſt, *ibid.XI.*25. *c.* 2. *Progn. t.* 9. *l.* 2. *Prorrh. t.* 7. *Coac. t.* 493. Vid. Foëſ. *p.* 404. Dicitur & *denigratio* de artificialibus apud Scrib. *n.* 208. & *in Theatr. Chym. Vol. III. de Alchymia incerti autor.* 32. *ſeqq. Denigratio* quoque vocatur ſpagyricis initium operis in magiſterio lapidis philoſ. eſtque materiæ vel elixiris prima diſſolutio, fitque *nigra*, unde & *caput corvi* dicitur, & eſt ſignum ſolutionis. Vocatur etiam acetum Philoſophor. Langn. *Harmon. Chym. c.* 1. 6. & 11. *in Vol. IV. p.*725.752.775. item *in Allegoriis ſapientium diſtinct.*10. *Vol. V. p.* 74. Senior de Chymia *ibid. p.* 207. *ſeq.*

DENODATIO, id eſt, *diſſolutio.* Rul.

DENS, ὀδὼν, ὀδοὺς, Ion. propria & notiſſima ſignificatione denotat partes oſſeas in utraque maxilla occurrentes, certis alveolis, quæ βόθρια dicuntur, infixas, quæ radices vocantur, & partim ſupra gingivas extantes. Infixio illa dicitur γόμφωσις, clavatio. Non enim aliter hærent, quam clavi in parietibus. *Dentes* ſunt triplicis ordinis: Primores in utraque maxilla quatuor: *Inciſores* τομεῖς, & γελασῖνοι vocantur. Proxime iis adſtantes acciti & ſocii, *canini* & *oculares*, κυνόδοντες Reliqui latiores *molares*, μύλοι, item κραντῆρες appellantur. *Dentium* deſcriptionem vide apud anatomicos, in ſpecie Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 13. & 24. *ſeqq.* Dieter. *n.* 600. Bartholin. *Anat. libell.* 4. *c.* 12. 13. *Dentes* arma hominum dicuntur apud Keuchen. *ad Seren. p.* 289. Per metaphoram quoque *dens* vocatur primario proceſſus ſecundæ colli vertebræ, & per conſequens tota illa vertebra ob ſimilitudinem, quam habet proceſſus cum dente Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *n* 69. Vocatur & ὀδοντοειδὴς, h. e. *Dentiformis*, Gal. *c.* 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 55. & *l.* 4. *de L. Aff. c.* 3. Vid. Foëſ. *Oecon. p.* 443. Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 15. *p.* 735. Dicitur & πυρηνοειδὴς, *nucleiformis.*

DENSITAS, *Denſus*, δασὺς, vide *Daſys*, & πυκνότης, πυκνὸς, quæ leguntur apud Hipp. 5. *aph.* 63.67. quamvis & crebritatem ſignificet, ſi de pulſu vel reſpiratione prædicatur, v. g. *l.* 6 *Epid. ſ.* 4. *t.* 4. Vide *Creber.*

DENTAGRA, ὀδοντάγρα, *forfex dentaria*, vel forceps *dentes* extrahens, forceps dentium. Dicitur & ψαλὶς, Lat. *Dentiducum*, *Dentarpaga*, *Odontagogum*, Rhod. *ad Scrib. n.* 53. Harum forficum ſpecies & figuras varias vide apud Paræum *l.* 16. *c.* 27.

DENTALIS *lapis*, dicitur materia illa tartarea, vel tophacea, quæ ex vitioſis portionibus coagulatis adhæret dentibus, & in lapideam fere duritiem conſolidatur, apud Helmont. *tr. Alimenta Tartari inſontia n.* 23.

DENTALIUM, *Dentale*, eſt ſpecies conchylii, vel conchula parva oblonga, exterius aſperula, intus læviſſima, tubuli modo concava, alteraque parte rimam habens canini dentis inſtar acuminatam, Schröder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 79. ubi ab entalio, quod conchula cornu inſtar foris ſtriata, intus lævis deſcribitur, diſtinxit. Verum Aldrovand. haud dubie conjunxit, quinque differentias dentaliorum proponens, ubi ſecunda & tertia entalia repræſentant. Pertinent vero hæc conchylia ad purpuras & buccina, *l.* 3. *de Teſtac. c.* 5. Ingrediuntur compoſitionem Ung. Citrini Offic. Hodieque vero entaliorum ſive conchularum ſympathicarum dictarum virtus contra anginam alioſque gutturis affectus inclaruit, notante Boneto *Medic. Septentr. Collatit. l.* 2. *ſect.* 7. *c.* 6. *p.* 340. e Simone Aloyſio Tuſtecio.

DENTARIUS, ὀδοντικὸς, epitheton medici vel chirurgi, qui ex profeſſo artem dentes evellendi & curandi exercet, Gal. *ad Thraſybul. c.* 24. ubi & *ocularius* & *auricularius*, ὀφθαλμικὸς καὶ ὠτικὸς legitur.

DENTARPAGA, vide *Dentagra.*

DENTES, συνόδων vel συνόδους, nomen piſcis ita dicti à dentium teretium & q. mutilorum æqualitate inſtar paxillorum, qui citharæ aptantur, Lind. *Ex. XI.* §. 77. Deſcriptionem vero & uſum in cibis laudabilem vide apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 12.

DENTES Columellares, Varroni, & Plinio, qui alias Varroni, Canini Vritn. *ad c.* 7. *l.* 2. *Varron. de re ruſtica.*

DENTIDUCUM, ὀδοντάγωγον. Vide *Dentagra.*

DENTIFRICIUM, ὀδοντότριμμα, dicitur medicamentum, quo utimur ad dentes confricandos, & à ſordibus purgandos, quin & gingivarum circumſitarum, quando humore fuerint prægnantes, depurationem & abſterſionem. Horum formulas vide apud Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c. ult. fere ad finem.* Weker. *l.* 2. *Antidot. Spec. ſect.* 47. Morell. *l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 7. Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 31. *fin.* Suntque non ſolum ſicca in forma pulveris, ſed & liquida. Schröd. *l.* 2. *c.* 61. Paræus *d. l. c.* 28.

DENTIO, ὀδοντοφυΐα, aliis & μυλιάω, (quod in ſpecie de molarium proventu dici poſſet,) hoc eſt, dentes accipio, dicitur de pueris, plerumque ſeptimeſtribus, Hipp. 3. *aph.* 25. Foëſ. *Oec. p.* 443. Jung. Dieter. *Iatr. n.*599. & Keuchen. *ad Seren. p.* 206. Hinc *Dentitio*, ὀδοντίασις, ὀδοντοφυΐα, ſignificans ipſam dentium eruptionem, quæ plerumque cum dolore & pruritu gingivarum fit, qui Græce dicuntur ὀδαξισμὸς, & à ſolutione continui violenta & urgente dependens.

DENTISCALPIUM, ὀδοντόγλυφον, dicitur inſtrumentum chirurgicum, non ſolum, quo dentes à ſordibus purgantur, vide *Odontoglyphon*; ſed etiam apud Scultet. id ſignificat, quo gingivæ à dentibus ſeparantur ad com-

commodiorem evulſionem, *Arm. Chir. Part. I. Tab. X. fig.* 10.

DENUDATIO, γύμνωσις, dicitur de oſſibus, quæ in fractura eminent, Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 16. *oſſa denudata*, γυμνέμενα.

DEO, δέω, ſignificat *ligo*, conſtringo, cui opponitur λύω, ſolvo, relaxo. Legitur apud Hippocr. 3. *de iis, quæ in medicat. t.* 25.

DEOBSTRUENS, ἀναςομωτικὸς, ἐκφρακτικὸς, idem, quod *aperiens*, epitheton facultatis medicamentoſæ. Vide *Anaſtomoſis.*

DEON, δέον, *decorum*, opportunum, quod decet, officium, à δεῖ, decet, oportet, vide ſupra *Dei*, Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 50. τὰ δέοντα urget Hipp. 1. *aph.* 1. non ſolum in medico, ſed & in ægro & adſtantibus, Jung. Dieter. *n.* 179.

DEOPPILANTIA, *Deoppilativa* etiam dicuntur medicamenta *aperientia*, *deobſtruentia.* Helmont. *tr. Aditus præcluſ. ad cond. viſc. n.* 3.

DEORSUM, κάτω. Vide *Cato. Deorſum* nihil excerni, eſt ſignum pathognomonicum ilei, ſi cum aliis jungatur. Linden. *Ex. IV.* §. 64.

DEPASCENS, νομώδης, eſt epitheton ulceris putredinoſi & proſerpendo erodentis vicinas partes, quod proprio nomine *phagedæna*, φαγέδαινα, & *herpes exedens* dici ſolet, Gal. 6. *aph.* 45. Hipp. alias vocat hujuſmodi ulcera νομὰς, 2.*Prorrhet. XXI.* 1. *l. de ulcer.XII.*11. Æginet. *l.* 4. *c.* 44. quamvis alias vocab. Νομὴ, *Nome*, etiam diſtributionem faſciarum, & involutionem pro deligandi ratione commodam ſignificet, teſte Gal. *cap.*2. *de iis, q. in medic. t.* 7. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 432.

DEPELLO, καταναγκάζω, h. e. deorſum pello, deorſum cogo. Vide *Catanancazo.*

DEPERDITIO, ἀποφθορὰ, id eſt, *abortus.* Vide *Abortus.*

DEPHLEGMATIO, idem, quod *rectificatio*, quæ competit chymicis liquidis, præſertim ſpiritibus, quando, vel per cohobationem, vel alia ratione, à phlegmate liberantur. Occurrit hic terminus paſſim in chymicorum ſcriptis.

DEPILATIO, μάδησις, alii & μάδησις, item ψίλωσις, i. e. *glabrities*, pilorum defluvium, Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *n.* 49. *l.* 3. *ſ.* 3. *t.* 25. *l.* 6. *ſ.* 6. *t.* 22.

DEPILATORIUM, ψίλωθρον, dicitur medicamentum, quod pilos corrumpit, eſtque triplicis generis: Quædam κατ' ἐξοχὴν ψίλωθρα vocantur: quædam craſſiores pilos attenuant, alia vero penitus extirpant, quæ ultima ſunt periculoſi uſus ob vim corroſivam. Galen. *l.* 1. *de C. M. S. L. cap.* 4.

DEPILIS, ἄθριξ, μαδαρὸς, περιμάδαρος, h. e. *pilis carens.* Vide *Athrix.* Quamvis & μαδαρὸς & περιμάδαρος prædicetur de ulceribus glabris, h. e. nimio humore diffluentibus, putridis, malignis, 6. *aph.* 4. & *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 2. & de urinæ ſedimento lævi & raro, *l.* 7. *Epid. XLI.* 6.

DEPLORATUS, ἀνέλπιςος, idem, quod *Deſperatus.* Hipp. deſcribit per victum à morbo κεκρατημένον ὑπὸ νοσημάτων, & talibus ægris vetat adhibere medicinam, *l. de arte XIII.* 1. *XIV.* 4. 5. Vide Foreſt. *l.* 2. *Obſ.* 20. *in Schol. ſub fin.* & *Dogmat. noſtr. in proleg. p.* 12.

DEPLUMATIO, Latine dici poteſt affectus palpebrarum oculi, qui Græce πτίλωσις vocatur, ubi cum tumore calloſo palpebrarum pili quoque earundem decidunt, eſtque compoſita affectio ex madaroſi & ſclerophthalmia ex mente Aëtii *l.* 7. *c.* 78. nec ſemper conjunctum habere pilorum defluvium, docet Ægineta, notante Ingraſſia *com. in Avic. de Tum. p. n. p.* 360.

DEPONO, ἀποτίθημι. Vide *Apotheſis.*

DEPORRIGO, ἀπορέγω. Vide *Aporego.*

DEPREHENSIO, κατάληψις, vide *Catalepſis.* Alias *Deprehenſio* quoque pro *dignotione* accipitur, Scrib. *n.* 183. 184. Vid. Rhod. *in Lex.*

DEPRESSIO, ἔσφλασις, idem ſignificat, quod impreſſio, introceſſio, ſcil. cranii. Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXIX.* §. 15. *ſeqq. poſt. fig.* 10.

DEPRESSUS, ταπεινὸς, *humilis*, epitheton capitis in oſſe, ſive extremitatis in oſſe rotundæ & orbiculatæ, quæ extremitas interdum oblonga & depreſſa eſt, προμήκης καὶ ταπεινὴ, interdum in mucronem deſinit & *corone* vocatur. Galen. *de oſſib. in proœm.*

DEPSO, δέψω, *mollio*, ſubigo, ſignificat, coriariorum more, quando coria macerant & ſubigunt. Hipp. 2. *de artic. t.* 13. Galen. *in comm.* Ita de cera quoque dici teſtatur.

DEPURATIO, Græc. dici poſſet καθαρισμὸς, *mundatio*, ſumitur à chymicis pro exaltatione alicujus rei. Vid. *Theatr. Chym. Vol. II. p.* 95. in Ægidii de Vadis *Dialogo c.* 8. & *Vol. III. p.* 56. *Roſar. abbreviati tract.* 3. Lang. *Harm. Chym. c.* 5. *in princ. Vol. IV. p.* 747. *Depuratoria febris* vocatur Th. Sydenham febrium intermittentium epidemicarum quædam ſpecies mitiſſima, in qua natura ita omnia ſymptomata moderatur, ut materiam febrilem coctione præparatam certo ſuo tempore ad exitum diſponat, vel per juſtam διαφόρησιν, vel per διαπνοὴν ſive tranſpirationem paulo liberaliorem, ita ut recte etiam *primaria naturæ febris* dici mereatur, quemadmodum deſcripſit eam *Obſerv. Med. de morb. acut. ſect.* 5. *c.* 6. *p. m.* 400. Jungatur e noviſſimis Joh. Pechet, Medicus Anglus, *in Promptuario Praxeos Medicæ c.* 20. *p. m.* 99. *ed. Amſtelodam.*

DERAS, δέρας, *Aureum Vellus* proprie ſignificat, de quo Poëtæ finxerunt, Jaſonem à Pelia patruo ex Theſſalia cum argonautis ablegatum in Colchos ad afferendum δέρας ab ignivomis draconibus cuſtoditum navigaſſe, quod etiam Medeæ aſtu acquiſitum in Theſſaliam attulit. Quæ fabula applicari ſolet ad chemiam, præſertim *chryſopœiam*, ut ita δέρας ſignificet librum, in quo ars conficiendi aurum ex metallis inferioribus & crudis conſcripta fuit. Lang. *l.* 1. *ep.* 53. *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 19.

p. 19. Libav. *T. III.* p. 211, 234. An fortaſſis in fabuloſitate quoque conveniunt? Vide *Vellus.*

DERBIA vocatur à Chirurgis *Impetigo*, Fallop. *tr. de Ulcer. c.* 23. *Tom. I. p.* 612. 613.

DERIS, δέρις, idem, quód δέρμα, *cutis, corium, aluta.* Hipp. 2. *de att. t.* 8.

DERIVATIO, παροχέτευσις, ἐποχέτευσις, dicitur in Medicina, quando humor aliquis evacuatione indigens, ſi per convenientem locum fieri nequit, artis auxilio evacuatur per proxima, v. g. ſi per urinæ vias propter læſam veſicam, aut renes educi nequeat ſeroſus humor, per alvum educendus. De ſanguinis *derivatione* agens ſcripſit Gal. 3. *meth. med. c.* 3. *Derivatio* ad vicina loca fit, cum id, quod per palatum vacuatur, per nares derivatur. Vid. Rolf. *O. ac M. Med. Sp. l.* 4. *ſect.* 1. *c.* 15. *Derivationem* in febribus eſſe impertinentem, non adeo inepte ſcripſit Helmont. *de febrib. c.* 5. *n.* 40. In pleuritide etiam non ſemper attendenda, *tr. Pleura furens n.* 8. *Rivare* eſt per rivos ducere. *Derivare* eſt à rivis ad latera divertere. Caſtell. *ex Oribaſio.*

DERMA, δέρμα, h. e. *Cutis*, item *Corium.* Vide *ſuo loco.*

DERMATODES, δερματώδης, epitheton craſſioris & exterioris membranæ cerebrum inveſtientis, *Dura Mater* dictæ, quaſi *Cutanea*, vel *Coriacea.* Gorr. p. 101.

DERSES, eſt occultus terræ fumus ſeu vapor, ex quo naſcitur omne lignum, & creſcit, h. e. *ſuccus arborum nutritius.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* ex Paracelſ. *l.* 3. *Philoſ. ad Athenienſ. text.* 3.

DERTRON, δέρτρον, quid ſignificet apud Hippocr. *l.* 5. *Epid. XIII.* 4. 7. non adeo certum eſt. Foëſ. *in Oec. p.* 147. exiſtimat, vel *Omentum*, vel *Peritonæum* denotare. Sed Linden. vertit ex Cornarii opinione per *inteſtinum* tenue.

DESCENSIO, κατάβασις, *Deſcenſus*, proprie dicitur de motu corporis, vel humoris moderatiori, vel remiſſiori deorſum, cui opponitur ἀνάβασις, *aſcenſus.* Vide *Catabaſis.* Dicitur & de ruptionibus deorſum factis, 6. *aph.* 22. Vel accipitur Chymice pro *deſtillatione per deſcenſum*, eſtque calida vel frigida. Illa eſt liquoris e corporibus eliciti vi caloris inverſo vaſe deſtillatio. Et fit hoc modo: Accipito cucurbitam terream, eique diſſolvendorum fragmenta imponito, eaque, ne inverſa cucurbita decidant, nonnullis majoribus fragmentis vel bacillis tranſverſe juxta ſe poſitis tegito; his peractis aliam cucurbitam, in qua parum aquæ ſit, huic inverſæ applicato, ita ut ſuperior exacte cum inferioris orificio conveniat, ſed inter utramque laminam aliquam ſatis fortem ferream inſtar lancis concavam & perforatam collocari oportet, quæ decidentia fragmenta, ne in ſuppoſitum vas delabantur, detineat. Tandem optimo luto clauſuras obfirmatas arefacito, vaſque in fornacem ſuam ponito, & vas recipiens in arena vel cineribus collocato, ut ab ignis violentia tutum eo facilius humorem *deſcendentem* recipiat. Diſſolvuntur autem hac *deſcenſione* omnis generis ligna, oſſa, & alia, quorum liquor per gravitatem aſcendere nequit. *Deſcenſio* frigida eſt, quando liquor diſſolutus in frigido *deſcendit*: Eſtque *Deliquium*, vel *Filtratio.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* Rolf. *Chymiæ l.* 2. *c.* 2. Denique *Deſcenſio* ſumitur abuſive pro mutatione alicujus rei in deterius, v. g. quando ex Auro fit Mercurius. Ruland.

DESCENSORIUM, dicitur fornax, vel *furnus Chymicus*, in quo fit deſtillatio per deſcenſum. Ruland.

DESICCATIO, *Deſiccans*, ξήρανσις, ξηραντικός, idem, quod *Siccatio*, *Siccans*, vide *Siccitas*, *Siccus. Deſiccatio oculi* eſt idem, ac ſpaſmus oculi. Galen. *in lib. ſpurio de oculis c.* 13. *Deſiccatio* quoque à Chymicis, licet improprie, ad *Calcinationes* refertur. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c.* 3.

DESIDEO, ἐξανίσταμαι, h. e. *exurgo ad exonerandam alvum.* Occurrit aliquoties apud Hippocr. *l.* 1. *Epid. ægrot.* 4. *l.* 7. *Epid. IX.* 4. & ſubſtantivum ἐξανάστασις conatus ad *deſidendum*, 2. *progn. t.* 14. & Gal. *c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 25. dicit: Comes mordacitatis eſt aſſidue *deſidere.* In hac ſignificatione quoque uſus Scrib. Larg. *n.* 227. Jung. Rhod. *in Lex. Scrib.* Dicitur & Latinis *Adſellare*, de quo verbo ſupra *ſuo loco.*

DESIDERIUM, ὁρμή, ὄρεξις, ἐπιθυμία, idem, quod *Appetitus*, *Cupiditas*, de quibus *ſupra.*

DESIDIA, ἀργία, *ignavia.* Vide *Argus.* Dicitur & *deſidies.* Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 377.

DESIPIENTIA, παραφροσύνη, idem, quod *Delirium*, cum ægri nihil rationi conſentaneum dicunt, aut agunt. Gal. 7. *aph.* 14. Vide *Delirium.*

DESME, δέσμη, *faſcem* ſive *faciſculum* ſignificat. Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 155. Vide *Faſciculus.*

DESMIDION, δεσμίδιον, ſignificat *Faſciculum*, ceu diminutivum vocabuli δεσμός, vinculum. Sumitur pro *Manipulo*, ut eſt apud Scribon. Larg. in Græco, vel, ut Celſus exponit, quantum manus complexu ſumitur, unde & δεσμίδιον χειροπληθές dicitur Gorr. p. 102.

DESMOS, δεσμός, *vinculum*, ligamentum, *faſcem*, vel faſciam ſignificat. Uſus Hipp. *de fractur. t.* 60.

DESPERATUS, ἀνέλπιστος, hoc eſt, de quo non ſpes amplius ſupereſt. Vide *Deploratus.* Dicitur de morbis & ægrotis morbo incurabili correptis, v. g. hydrope, 7. *aph.* 47. *Deſperata ulcera*, ἀπεγνωσμένα ἕλκεα, quoque dicuntur, quorum curationem plerique aggreſſi non abſolverunt, ſed tanquam ab inſanabilibus deſtiterunt, Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 5. Alias *Deſperatio* ſignificat ἀπογνῶναι ſive diffidentiam, & ad Theologos potius pertinet, quamvis & morbi ex *deſperatione* provenire ſoleant, quorum meminit Parac. *in Fragment. Medicis ad Tom. I. referendis cap. de deſperatis morbis;* & de eorum cura agitur *in Vol. I. Theatr. Chymici in tract.* Penoti *de medicam. Chymicis p.* 628.

DESPUMATIO, Græce dici poteſt ἀπαφρισμός, vel ἐπαφρισμός, dicitur ſpumæ detractio, cujus materia non ſolum

ſolum eſt ſuccus quidam concretus, lentus & includens flatum; ſed & ſimul ſordes omnis levior à calore ignis expurgata, vel etiam gravior albuminibus coacta & colligata. De hac actione Coquinaria & Pharmaceutica vide Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 36. & D. Wedelium *in Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 7. *p.* 63. *ſeq. Deſpumatio* etiam per tranſlationem vocatur in febribus intermittentibus materiæ febrilis jam ſubactæ & quaſi devictæ expulſio ſeu ſeparatio. Th. Sydenham. *Meth. Cur. febr. p m.* 70.

DESQUAMATIO, *Deſquamatum*, ἀπόσυρμα. Vide *Apoſyrma.*

DESQUAMATORIUM, epitheton Trepani, quod & *Exfoliativum* dicitur, quo tantum oſſis eximere licet, quantum videbitur. Paræus *l.* 9. *Chirurg. c.* 5. & inter noviſſimos Cornelius Sollingen *in Operationib. Chirurg.* allegantibus *Actis Eruditor. Lipſienſ. de Anno* 1693. *m. Auguſt. p.* 342.

DESTILLATIO, aliis *Diſtillatio*, Gr. στάλαξις, καταστάλαγμὸς, apud Latinos eſt æquivocum vocabulum. Vel enim Pathologice, & idem eſt, quod *Catarrhus*, *Catarrhyſis*, & *Defluxio*, *Rheuma*; de quibus *ſuo loco* dictum: Vel accipitur Pharmaceutice, aut Chymice, & eſt artificioſa prolectatio, vel extractio eſſentiæ medicamentoſæ ſub forma vaporis coagulata in formam liquoris, defertur per ſtillicidium, tranſlata à vaſe materiæ in excipulum deorſum locatum. Quod itaque *deſtillandum* eſt, reſolubile in conſiſtentiam humidam eſſe, neceſſe eſt, aut cum humore eſſe, ſive is connatus ſit, ſive foris adjectus. Sunt autem talia maxime vaporoſa, & quæ ſpiritus oleoſos habent. Unde ſi *deſtillanda* per naturam non ſunt talia, per artem eo ſunt deducenda. Et eſt inventa *Deſtillatio* eſſentiæ extrahendæ gratia principaliter, quanquam & famuletur abſtractionibus, depurationibus, & ſimilibus. *Deſtillationis* tres numerantur ſpecies: *Per aſcenſum*, cum, antequam *deſtillet* eſſentia extracta, ſublimetur ſpecies aërea, debetque ea eſſe continua, ab initio ad finem, cum opere interrupto vix aſcendat id, quod reliquum eſt. Per *deſcenſum*, vide p. a. *Deſcenſio*: *Per inclinationem*, quæ fit vaſe materiam continente inclinato, roſtro deorſum vergente; cumque illud vas plerumque ſit *Retorta* dictum, etiam hæc *Deſtillationis* ſpecies *per Retortam* opus nominatur. Quamvis & nonnunquam *Deſtillatio* per deſcenſum dicatur, quod parva fiat elevatio, indeque maxime deorſum reflexio, vel quod ſpiritus maxime deorſum revocentur & ſine alembico in curvatura coagulati deſcendant. Hæc Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Adde Rolfink. *Chymiæ l.* 2. *c.* 2. (qui etiam *Deſtillationis* alicujus naturalis mentionem fecit, qualis fit in generatione pluviæ, ſed hæc eſt extra forum Medicum.) Junge ex antiquioribus Matthiol. *de ratione deſtillandi aquas ex plantis*, Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 39. *ſeq. aliquot.* & ex recentioribus D. D. Wedel. *Pharmac. Acroamat. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 3. *p.* 99. *ſeqq.* D. D. Joh. Maur. Hofmann. *Diſſert. Chymic. X. h. tit.* I. Helfric. Iunken. *Corp. Pharmaceut. ſect.* 1. *c.* 3. *p.* 11. *ſeqq.* De *deſtillatione Spagyrica* in ſpecie circa negotium lapidis Philoſophici quære *in Theatr. Chymic. Indicibus Vol. II. p.* 411. 441. 451. *ſeq. Vol. III. p.* 377. 435. 562. 733. *Vol. IV. p.* 749. *Vol. VI. p.* 271.

DESTRINGO, ἀποψάω, ſignificat ſudorem & ſudorulentas corporis ſordes lacinia aut incurvata fricantis manu aut ſtrigili detergere. Lang. *l.* 1. *epiſt.* 51.

DESTRUCTIO, Gr. φθορὰ, διαφθορὰ, idem, quod Corruptio, Chymicis dicitur *diſſolutio*, vel deperditio priſtinæ & nativæ ſuæ formæ, vel conſiſtentiæ, & mutatio in alienam. Vid. Parac. & *Theatr. Chym. paſſim.* v. g. *Vol. I. p.* 294. Talis *Deſtructio* Spagyrica difficilior habetur labor, quam *conſtructio.* Lagneus *Harm. Chym. c.* 6. & Alan. *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 749. Vide etiam *Corruptio.*

DESUDATIO, ἐφίδρωσις. Vide *Ephidroſis.* Apud Avicennam *Deſudatio* notat Sudationem largiorem, quam ſequuntur interdum puſtulæ, tanquam ſudoris feces inobedientes ad exſudandum, unde & *Hidroa*, ἱδρῶα, *Sudamina* vocantur, perperam vero ὕδρῶα. Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 3. *c.* 8. Ingraſſ. *com. in Avic. l. de tum. p. n. p.* 172. 183. 191. *&c.*

DESURRECTIO, ἐξανάστασις, *deſurgo*, idem, quod *Deſido* vel *Deſideo*, h. e. ſecedo ad ponendam alvum. Vide p. a. *Deſideo.* Jung. Scribon. *n.* 112. 140. 142. Rhod. *in not. ad* 112. 140.

DETENTIO, aliquando ſignificat idem, quod *Catalepſis*, *Catoche*, de quibus vocabulis jam ſuo loco dictum eſt. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *Tit.* 1. *q.* 15. *n.* 9. 10.

DETENTUS, ἐχόμενος, proprie, qui ab altero habetur, & ita in alterius poteſtate eſt, ſive vi coactus, ſive neceſſitate. Unde & Gal. exponit per κατεχόμενος καὶ βιαζόμενος, 6. *aph.* 16. Lind. *Sel. Med. Ex. XII.* §. 17. *Detenta* quoque dicuntur ea, quæ *Retenta*; quæ noſtro commodo natura ad tempus moratur, *Ex. XV.* §. 71. *Differunt* à *Contentis*, quod hæc in genere dicantur, quod ratione ſuæ liquiditatis, vel fluiditatis contineri habeant neceſſe.

DETERGENS, ῥύπτων, idem, quod *Abſtergens.* Vide *Abluentia.* Jung. Gal. *l.* 8. *meth. med. c.* 4.

DETERSORIUS, ῥυπτικὸς, idem, quod *Abſterſorius*, Gal. 1. *de R. V. I. A. t.* 18. *Deterſorium* vocabatur Locus Balnei, in quo ſudor detergebatur, & ungebantur unctione indigentes. Fumanell. *lib. de Balneis mox à principio.*

DETONATIO, eſt terminus Chymicus, quo indicatur operatio deflagrationis & calcinationis per Nitrum in præparationibus Antimonialibus, de quibus vide Rolfink. Schröder. & alios, præſertim e recentioribus celeberrimos Chemiatros, D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. R. lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 3. D. D. Bohn. *Diſſ. Chym. Phyſ. XII.* §. 20. *&c.* Prolixum vero de *Detonationis* effectu,

quī eſt, per fuſum Stibium penetrare, penitus liquare, attenuare, Mercuriale, Arſenicale & Sulphureum recrementum in fumum vertere, purgare, & figere, vide apud Libav. *Defenſ. Synt. Chym. contr. Scheunemann. II. not.* 46.

DETONSUS, κειρόμενος, à κείρω, *tondeo*. Inde κουρὰ, tonſura. Vide *Cura* Græc.

DETOS, δετὸς, *vinctum tecti*, idem, quod αἴτωμα, 3. *de artic. t.* 23. Vide *Aetoma*.

DETRACTIO, καθαίρεσις. Vide *Catharefis*.

DETRITIO, ῥάκωσις, eſt affectus ſcroti, ſcil. cutis in ſcroto multa & nimia *extenſio*, Gal. *in defin. med.* Æginet. *l.* 6. *c.* 67. In genere etiam *Detritio* ſumitur pro *tritura*. Scrib. Larg. *n.* 130.

DEVALGATUS, βλαισούμενος, dicitur quorum oſſa ſunt valga. Opponitur *Demancato*, κυλλούμενος, Gal. *c.* 4. *de art. t.* 10. 11. Vide *Blæſus*.

DEVENIO, ἀφικνέομαι. Vide *Aphicneomæ*.

DEVENTRIS, ἀκοίλιος, qui carere videtur ventre. Vide *Acœlios*.

DEVIRGINO, ἀποπαρθενεύομαι. Vide *Apoparthenenomæ*. *Devirginatio* legitur in Scribon. *n.* 18. Barth. *l.* 39. *c* 16. *Adverſar.* putat, eſſe fœmellis proprium. Sed tamen & *Devirginare* puerum, dicit Varro apud Non. Marcell. *de prop. ſerm. in Cornucopia* Nic. Perotti *p. m.* 1473. *lib.* 27.

DEVORO, καταπίνω, idem, quod *Deglutio*. Tropice uſurpatur de ſcientiis intra nos recondendis, Gal. *l.* 3. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 8. Proprie *devorare* eſt magna aviditate multum cibi ad ſe rapere, non mandere, vix guſtare, adeoque ventriculum implere, ut oneri ſit non tantum, verum etiam revomatur ſæpe, verbis Linden. *Exerc. XIII.* §. 301. 302. *Devorare* medicamentum, paſtillos, mel, legitur apud Scribon. *n.* 87. 94. 116. 135. 155. 165. 198. Celſ. *l.* 4. *c.* 4. In Chymicis *Devoratio* quoque dicitur, quando Aurum depuratur Antimonio in igne fuſionis. B. D. Etmüller. *ad D. Ludov. Pharmac.*

DEVOTATUS, idem, quod *Defixus*, & utroque nomine appellatur, qui maleficio aut incantamento prohibitus eſt à Venereo congreſſu & ligatus. Apul. *de medic. herb. c.* 7. *n.* 1. Humelberg. *comm. ad h. l. p.* 65.

DEURENS, καύσων, idem, quod *Cauſos*, *Febris ardens*.

DEUS, Θεὸς. Neque hujus mentio omittenda in Medicina, cum ille ſit Autor principaliſſimus omnium bonorum, & ita quoque artis Medicæ, cauſſa primaria ſanitatis, & operationum Medicarum ſalutarium. Quod vivis valeſque, hoc ipſius *Dei* eſt. Quod medendi ſcientiam calles, conceſſu & beneficio *Dei* eſt. Quod cura tua feliciter ſub manu ſuccedat, benedicente Deo eſt. Quod uſque & uſque proficis in cognitione Naturæ & Artis, gratia Divina eſt. Imo quod & ægrotes, à Deo juſte nos caſtigante dependet. *Deus* enim eſt, qui vulnus facit, & manus ipſius ſanat. Hinc & Hippolyt. Guarinonius *in ſuo lectu digniſſimo Germanico tractatu de Cauſſis ſanitatem & vitam hominis deſtruentibus*, primam cauſſam Deum ſtatuere non eſt veritus, quod & Rolf. fecit *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 29. Plura videantur apud Lind. *Ex. III. Select. Med.* Abſit vero illa fictitia & ſuperſtitioſa *Dei* cultura, qualem Crollius & quidam ejus ſectatores commenti ſunt, *Deum* in creatione egiſſe Spagyrum, *Deum* & ſpiritum Cabaliſticum in unione eſſe, & quæ ſunt alia blaſphema, aut certe valde abuſiva, de quibus videatur Libav. *tr. de horribili impietate Magiæ Paracelſicæ.* Et dubito, an etiam Ænigmaticæ illæ alluſiones Fr. Baſilii Valentini *in ſcriptis ſuis Latinis & Germanicis*, ſalva pietate vera, poſſint approbari? Aliter res ſe habet cum tropicis phraſibus, nec S. Scripturæ adverſis, quod homo homini *Deus*; & ita Medici quoque *Dii* & Magiſtratus, Rhod. *ad Scrib. p.* 12. 14. 27. Medicamenta manus *Dei*, vel *Deorum* dicantur. Aliud eſt, rem per tropum explicare: aliud myſtice ſive per myſterium. ἄλις.

DEUSTIO, ἔγκαυσις, vide *Encauſis.* Gal. *de inæq. intemp. c.* 7.

DEUTERIA, δευτερία, δευτρεῖα, *Deuterias*, δευτερίας, *Deuterinar*, δευτερίναρ, Linden. *Ex. X.* §. 198. Accipiuntur hæc vocabula pro vino ſecundario, viliori, *Lora* alias dicto, parato ex aquea vinaceis affuſo illa macerante. Alias etiam Græcos τρύγα, Aſiaticos σιμφυλίτην vocaſſe, autor eſt Gal. *l.* 2. *de Al. fac. cap.* 9. Vide *Lora.* Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 13. etiam πότιμον appellari ſcripſit. Eſt potionis genus vile & noxium, de cujus viribus Gal. & Dioſcor. *d. l.* Lang. *l.* 1. *ep.* 27. *fin.* ubi & *Thamna* dicuntur.

DEUTERION, τὸ δευτέριον, item, τὰ δεύτερα, ſignificat *ſecundinas*, vel *ſecundas*, ita dictas, quod ſecundo poſt fœtum natum loco ordinarie & naturaliter excludantur. Hippocr. vocat τὰ ὕστερα, 5. *aph.* 49. τὸ ὕστερον, 2. *Prorrh. XXX.* 18. & *l.* 2. *Epid. ſ. V.* 42. χόρια, ſuntque nihil aliud, quam membranæ fœtum prius continentes, præſertim exterior *Chorion* dicta cum placenta Uterina. Nam interdum *Amnios* ceu interior cum fœtu ipſo excluditur galeæ inſtar inhærens. De his vide Harveii *Additamenta ad Exercit. de gener. animal.* Barthol. *l.* 1. *Anat. cap.* 36. Dieter. *num.* 876. Quæ p. n. retentæ in affectionem graviſſimam conjiciunt fœminas. Unde remedia fere eadem, ac ad partum neceſſaria, ſunt adhibenda, de quibus apud Hipp. Gal. & Practicos videre eſt.

DEUTEROPATHIA, δευτεροπάθεια, idem, quod συμπάθεια, *Conſenſus.* Uſurpatur de morbis per conſenſum, primo, qui per πρωτοπάθειαν obortus eſſe dicitur, ſupervenientibus. Legitur & apud Helmont. *de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 54.

DEXAMENE, δεξαμενὴ, in genere *receptaculum* ſignificat. Reſtringitur vero ad receptaculum aquarum ſive *labrum*, aut *ſolium aquæ calidæ*, in quo qui lavan-

 tur,

tur, etiam innatare poſſunt. Dicitur alio nomine κολυμβηθρα, Gal. *l.* 2. *de Tem. c.* 2. & ἵμβασις. Gorr. *p.* 101.

DEXIOS, δεξιος, h. e. *dexter*, duplicem habet ſignificationem. Primo denotat illam corporis regionem, vel illud latus, in quo hepar ſitum ſuum obtinet. De hoc *dextro* corporis latere recepta eſt opinio veterum, quod *dextra* ſint robuſtiora & calidiora ſiniſtris, & quod mares etiam magis in *dextro* uteri latere concipiantur & generentur, Hippocr. 5. *aph.* 48. & quod arteriæ ſint majores *dextri* lateris ſiniſtris, & quod morbi *dextri* lateris ſint periculoſiores. Enimvero videtur in pleriſque eſſe mera imaginatio & differentia fictitia. Imo dubitare quis etiam de rationibus Bartholini *l.* 4. *Anat. c.* 1. poſſet, ob quas *dextram* manum agiliorem eſſe docuit ſiniſtra. Enimvero non licet, nec libet hoc loco controverſari. Vide C. Hofm. *comm. in Galen. de V. P. n.* 854. *ſeqq.* Deinde ſignificat idem, quod *felix*, *congruus*, conveniens, v. g. *Dexter* uſus rerum non naturalium dicitur, qui opponitur *ſiniſtro* vel abuſui; quæ ſignificatio eſt per translationem. In utraque ſignificatione *Dextro* opponitur *ſiniſtrum*, τὸ ἀριστερόν. In circulo neque *dextrum*, neque *ſiniſtrum* dari, neque in natura, non male ſcripſit Helmont. *de Lithiaſ. cap.* 9. *n.* 45.

DEXIS, δῆξις, *morſus.* Vide *Dacno.*

DEXIUMÆ, δεξιοῦμαι, ſignificat *comiter excipio aliquem*, ac veluti dextra prehenſum deduco, aut dextram alicui porrigo. Legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. IX.* 8.

DEXTANS, in Gr. δεκάμοιρον, eſt nomen *ponderis unciarum decem*, tota libra diviſa in duodecim uncias. Meminit Scrib. L. *n.* 203.

DEXTER, δεξιός. Vide *Dexios.*

DIA, διά, hæc præpoſitio in Medicina frequentiſſimi uſus eſſe ſolet in appellationibus medicamentorum compoſitorum à baſi, vel potiori ſimplici ingrediente deſumtis, & ſignificationem obtinet præpoſitionis *De.* v. g. *Diacodion*, *Diacydonion*, *Diaphœnicon* &c. quorum etiam aliqua ſuo ordine in ſeqq. exponentur.

DIABEBOS, διαβεβώς, *diductum*, divaricatum & diſparatum ſignificat. Uſurpavit Hipp. *de malleolis* 4. *de artic. t.* 22.

DIABETES, διαβήτης, eſt *Urinæ profluvium*, *Hydrops ad matulam*, *Hydrops matellæ*, *Dipſacos*, *Diarrhœa in urina*, ὕδερος, εἰς οὖρα διάρροια, διψακός, ſynonyma ſunt, cum continuo & exuberanter per urinam redditur id, quod bibitur, nihil plane immutatum, Gal. *l.* 6. *de L. Aff. c.* 3. & *l. de diff. ſympt. c.* 6. Paſſio hæc talis eſt, qualis circa alvum Lienteria & Bulimos, extinctio, ut diceret quiſpiam, utriuſque virtutis, & retentricis & alteratricis, *l.* 1. *de criſ. c.* 12. Conſentit quidem quodammodo veſica, & copia urinæ premitur, at nec ipſe morbus, nec morbi cauſſa eſt in veſica, ſed in ſolis renibus. Eſt autem attrahendæ urinæ inexplebilis cupiditas, & ejus retinendæ impotentia, Attractionem tantam excitat vel calida & ſicca renum intemperies, vel humor bilioſus acris, ſalſus & renes aſſidue irritans, inque ipſo renum corpore impactus, vel, ut ait Aretæus, morbus aliquis acutus in renes firmatus & per criſin malignitatem ſuam in eos deponens, vel venenum aliquod deleterium, ex eorum genere, quæ veſicam & renes infeſtant, quale id eſt, quod à Dipſade ſerpente funditur. Hæc enim omnia ſitim ingentem movent, ob quam aſſidue æger bibit. Potum autem hunc avide renes attrahunt, antequam etiam in ventriculo concoquatur, ſed eum propter imbecillitatem non retinent, ſed talem effundunt, qualis ſumtus eſt, qua in re *Diabetes* appetentiæ caninæ perſimilis eſt, quam ὄρεξιν κυνώδη vocant. Nec vero id ſolum, quod bibitur, protinus crudum mingitur, ſed humor etiam copioſus à renibus colliquato corpore trahitur, in eoque *Diabeten* proprie conſiſtere, Aretæus arbitratur, definiens, eſſe σαρκῶν καὶ μελέων ἐς οὖρον σύντηξιν, hoc eſt carnium & membrorum in urinam colliquationem, ob quam & ſumma totius corporis macies eſt, & copioſior multo urina redditur, quam potus eſt. Quod ſi vel modico tempore à meiendo abſtinuerint, tument lumbi, teſtes & ilia. Rarum id prorſus mali genus, & à Galeno bis tantum viſum. Eo autem nomine appellatur, quod humor corporis nullo in loco conſiſtat, ſed ſubinde de loco in locum διαβαίνει, h. e. pertranſit, non aliter, quam aqua per ſiphonem, quem διαβήτην vocant Mechanici, ut ſcribit Celum. *l.* 3. *c.* 10. Latini nullum illi peculiare nomen dederunt. Hæc Gorræus & Caſtellus. Enimvero cum illud de Attractione vetus figmentum hodieque exoleverit, hujus affectus analyſin & expoſitionem per cauſſas veriorem & certiorem nobis reliquit Cl. Willis *Pharmaceut. Rat. Part. I. ſect.* 4. *c.* 3. ſtatuens, cauſſam proximam in ſanguinis deliquio, ſive nimia ſeroſitate colliquativa conſiſtere, dum compages ſanguinis nimis eſt laxata & diſſoluta. Paracelſus cauſſam hujus affectus ponit in ſale reſoluto & ſciſſo per ingreſſum acuti ſalis, *l.* 2. *de Tart. tract.* 3. *c.* 2. ubi plura legantur, & *in fragment. ad Tom. III. referendis.* Lectu etiam digna eſt Mart. Liſteri *Exercitatio II. Medicinalis de hoc affectu* aliquot exemplis illuſtrata. Obſervationes de *Diabete* varias vide *in Ephem. Nat. Cur. Ann. II. Obſ.* 162. 167. 175. 198. & *Ann. III. Obſ.* 183.

DIABIBASCO, διαβιβάσκω, pro διαβιβάζω ponitur, & ſignificatio *tranſcendo*, traduco, tranſmitto, apud Hipp. 1. *de fract. t.* 29.

DIABOLUS, διάβολος, infenſiſſimus ille animarum noſtrarum & corporum hoſtis & adverſarius. Dicitur & *Dæmon. Cacodæmon.* Vide *Dæmon. Diabolus* metallorum etiam appellatur *Jupiter* ſive *Stannum* à Chymicis, ideo, quod ſociatum aliis metallis eadem irreducibilia vel admodum difficulter reducibilia faciat. D. Etmüller. *ad Ludo. Pharm.*

DIABORBORIZO, διαβορβορίζω, ſignificat *murmuro.*

muro. Dicitur de hypochondriis apud Hipp. 5. *aph.* 64. Vid. Dieterich. *n.* 184. Linden. *Ex.* 6. §. 69. Vide *Borborygmos*.

DIABOTANUM, διὰ βοτανῶν, dicitur emplaſtrum ex herbis confectum, cujus deſcriptionem vide in Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2.

DIABROSIS, διάβρωσις, idem, quod ἀνάβρωσις. Vide *Anabroſis*, *eroſio*, à re acri & mordaci facta, ſive interna, ſive externis, igne, vel medicamentis, quæ propterea διαβρωτικὰ appellantur, media quodammodo inter ἐκφρακτικὰ καὶ καυστικὰ, i. e. extergentia & adurentia; ſunt enim extergentibus valentiora, & urentibus debiliora. Vide *Corroſio*.

DIACADMIAS, διὰ καδμίας, nomen Emplaſtri à *Cadmia* ceu baſi ita dicti, apud Scribon. Larg. *comp.* 242. cui ſimile legitur apud Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 14. à Lucio uſurpatum interque Epulotica relatum.

DIACARCINON, διὰ καρκίνων, nomen Antidoti ex Cancris adverſus morſum canis rabidi, quo & Æſchrion optimo cum ſucceſſu uſus legitur apud Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *De cancris uſtis.* Vid. Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 27. *Schol.*

DIACARYON, διὰ καρύων, i. e. *Rob nucum*, Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 2. Vide *Diſpenſat. Auguſt.*

DIACELTATESSON, terminus Paracelſicus, ad curam febrium ſpectans, quo uſus *l.* 2. *de vit. long. c.* 5. Videtur autem vomitum per Mercurium excitatum intelligere. In Rul. & Iohnſ. legitur *Diateſſadelton*, i. e. *Mercurius præcipitatus.* Alii volunt *Diaceltateſſon* Paracelſi eſſe medicamentum Chymicum, quod præbet Mercurius vivus à liquore Alcaheſt ſolutus. Aſt quia illo liquore ſeſe carere hodieque fatentur Chymici, quare & hoc medicamentum manet in occulto, & fortaſſis citra Artis detrimentum.

DIACENES, διακενῆς, ſignificat *fruſtra*, in vanum. Aliquoties legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. V.* 22. *X.* 42. *XLI.* 24.

DIACENOS, διάκενος, ſignificat, *cavernoſum*, fiſtuloſum, non vero ſimpliciter vacuum. Dicitur de corporibus poroſis, qualia ſunt Spongia & Pumex. Gal. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 6.

DIACHALASIS, διαχάλασις, à verbo διαχαλᾶν, ſignificat in ſpecie *ſuturæ laxationem* & diſſolutionem, apud Hippocr. *l. de vuln. capic. XV.* 5. 6. *XVI.* 1. 2. ubi & ῥῆξις κατὰ τὴν ῥαφὴν, *ruptio circa ſuturam* vocatur.

DIACHEIRISMOS, διαχειρισμὸς, *tractatio manuaria*, quæ manibus perficitur. Dicitur de medicamentorum præparatione apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 41. A verbo διαχειρίζω & διαχειρίζομαι, manibus aliquid tractare, quod occurrit *l.* 2. *de morb. mul. IV.* 11.

DIACHEOMÆ, διαχέομαι, proprie ſignificat *transfundi*, quando liquor de vaſe in aliud *diffunditur* vel potius *transfunditur*, ita ſumſit Hippocr. *l. de Affect. XLV.* 18. de vino per transfuſionem refrigerato, quam ſignificationem perperam omiſit Foëſ. *in Oeconom.* Tropice vero etiam ſignificat *diſſipari*, diſcuti. Uſurpavit Hippocr. de tuberculo, *l.* 4. *Epid. XXVI.* 3. Activum διαχεῖν, *diſcutere*, legitur apud Dioſcorid. *l.* 3. *c.* 170.

DIACHOREMA, *Diachoreſis*, διαχώρημα, διαχώρησις, à verbo διαχωρέω, generaliter ſignificat omnis generis *Excrementa* & *Excretiones* e corpore factas, Foëſ. *Oec. p.* 162. Gorr. *in def.* In ſpecie vero *Excrementa alvi* & *Excretionem per alvum*, 2. *aph.* 14. 18. *ſ.* 4. *aph.* 47. *ſ.* 5. *aph.* 64. Vide Dieterich. *n.* 204. *ſeqq.* Linden. *Ex. XIII.* §. 253. *ſeq.* Dicitur & Lat. *Diſtributio.*

DIACHORISIS, διαχώρισις, διαχωρισμὸς, ſignificat *ſeparationem* & disjunctionem, à χωρὶς, *ſeorſim.* Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 129.

DIACHRISTA, διαχριστὰ, dicuntur P. Æginetæ *l.* 1. *c.* 46. medicamenta, quæ faucibus, columellæ, palato, linguæ ad pituitam detergendam applicantur.

DIACHRISU, διὰ χρυσοῦ, nomen emplaſtri ad fracturas, *Aureum* dicendi, apud Gal. *ſpur. l. de Dynamidiis* §. *Ad oſſa fracta.*

DIACHYLON, διὰ χυλῶν, Emplaſtrum dicitur ex ſuccis compoſitum, emolliens, concoquens, Gal. *l.* 7. *de C. M. G. c.* 9. Vide & *Diſpenſatoria.* Variæ ejus in illis occurrunt deſcriptiones.

DIACHYSIS, διάχυσις, dicitur *Liquefactio*, *Fuſio.* Eſtque corporis ſicci ad humidius alteratio & permutatio. Contraria τῇ πήξει, *concretioni* vel *coagulationi.* Humiditas autem corporibus ſiccis inducitur, vel novo humore ſuperinducto, vel reſolutione partium aquearum, quæ antea in corpore latebant compreſſæ & conſtipatæ; vel diſſolutionem partium terreſtrium prius in unum coactarum. Ad primam ſpeciem pertinet *Elixatio*, *Maceratio.* Ad ſecundam *Fuſio.* Ad tertiam *Chylificatio* referri poſſet. Pathologice quoque uſurpari poteſt, ut ſit determinatio alicujus modi cauſſandi morbos, & ſignificet *Diffuſionem*, h. e. nimiam fluxionem, quæ opponitur στάσει ſ. ſtagnationi, quemadmodum egregie expoſuit Bernardinus Ramazzinus Medicus Mutinenſ. *in deſcriptione conſtitutionis Anni* 1650. *in territorio Mutinenſi*, quæ extat in *Ephemerid. Nat. Curioſor. Dec. II. Ann. IX. p.* 53. διαχυτικὰ medicamenta vocantur, quæ diffundendi & diſſolvendi vim habent apud Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 78. & *l.* 3. *c.* 59. *de Terebintho & Aniſo.*

DIACHYTOS, διάχυτος, eſt epitheton vini, quod & ὑπόχυτος οἶνος vocatur, quod paratur uvis in ſole ſiccatis loco clauſo per dies ſeptem in cratibus totidem pedes à terra alte, noctibus à rore defenſis, octavo die calcatis. Ita fieri *optimi odoris ſaporiſque vinum*, teſtatur ex Plin. *l.* 14. *c.* 9. Linden. *Ex. X.* §. 118.

DIACINCLIZO, διακιγκλίζω. Vide *Cincliſmos.*

DIACINEMA, διακίνημα, dicitur *dimotio*, cum oſſa paulatim excefferunt, *prolapſio* parva oſſium, apud Celſ. *l.* 8. *c.* 14. Ὀλίσθημα vero *integra* oſſium *prolapſio*

vocatur. Hipp. 3. *de fract. t.* 51. A verbo διακινέω, *dimoveo*, 2. *de artic. t.* 13.

DIACLYSMA, διάκλυσμα, ſignificat ſpecialiter *collutionem oris*, per liquores, qui in ore detinentur, iterumque expuuntur; & ſub ſe comprehendit *Gargariſmum*, & *Apophlegmatiſmum*, Schröder. *l.* 2. *c.* 61.

DIACNÆO, διακναίω, ſignificat *corrumpo*, lancino, corrodo. Dicitur & ἀποκναίω, Hipp. *l.* 1. *de morb. X.* 35. *lib.* 2. *de morb. mul. XIII.* 13. *XV.* 11. Significat & *defrico*, Rhod. *ad Scrib. n.* 55.

DIACOCCYMELON, διακοκκυμήλων. Vide *Diaprunum.*

DIACOCHLACON, διακοχλάκων, epitheton *Lactis*, in quo ſilices igniti extincti prius ſunt. Hippocr. vocat διαπεπυρωμένον, *l.* 7. *Epid. III.* 4. Linden. *Ex. XVI.* §. 82.

DIACODYON, διακωδύων, eſt *confectio ex capitibus papaveris*, cujus varias formulas veterum tradidit Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2.

DIACOLOCYNTHIS, διὰ κολοκυνθίδων. Vide *Hiera.*

DIACOMIZO, διακομίζω, idem, quod ἀνακομίζω, *reſtauro*, de quo vide ſupra *Anacomide.* Hipp. *l.* 2. *de morb. XLIX.* 23.

DIACOMMA, διάκομμα, *diſſectum*, *diſciſſum* ſignificat, etiam à διακόπτω, *diſſeco*, Hipp. 2. *Prorrh. XXV.*

DIACONES, δι' ἀκόνης, nomen Emplaſtri Critonis ex *Cote* parati, apud Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2.

DIACOPE, διακοπή, *diſciſſionem*, præciſionem & *diſſectionem* profundam ſignificat, apud Hipp. 7. *aph.* 24. *l. de cap. vul. VIII.* 6. à verbo διακόπτω, quo frequentius uſus idem 6. *aph.* 18. 19. 50. *Coac. t.* 503. 504. Vid. Dieter. *num.* 187. Foëſ. *Oec. p.* 150. Sumitur pro omni magno & profundo vulnere, Gal. *comm. ad* 6. *aph.* 18.

DIACOPRÆGIA, διακοπραιγία, dicitur medicamentum Topicum e *ſtercore caprino* factum, teſte Blancardo, quamvis nobis non licuerit in Græco autore Medico invenire hoc vocabulum.

DIACORALLIUM, Alexandri, non à Corallo, ſed ab Anagallide appellatum, quia non adſtringit, ſed penetrat, Heurnius *Meth. prax. l.* 2. *c.* 15.

DIACORUM, δι' ἀκόρου, confectio ex *Acoro*, ſive *Calamo aromatico*, à Meſue excogitata, cujus deſcriptionem & commendationem Zwolferianam vide *in Diſp. Auguſt. Claſſ.* 14.

DIACRISIS, διάκρισις, idem, quod κρίσις, in morbis humorum ſecretionem vel excretionem & *judicationem* denotat, Hipp. *l. de genitur. V.* 8. Verbum, διακρίνω, excerno, *ſecerno*, occurrit *in Coac. t.* 137. & *l.* 2. *de morb. LXIX.* 30. Opponitur τῷ συγκρίνειν, quod ſignificat miſcere, Gal. *l.* 4. *M. M. cap.* 4. Denotat etiam Chymicam ſolutionem. Vide *Solutio.*

DIACRITICE, διακριτική, dicitur à quibuſdam facultas *diſcretrix* vel *ſecretrix*, quæ bonum à malo ſecernat, & dijudicet in morbis, & hanc quintam nonnulli ſtatuunt quatuor miniſtris addendam. Gorræus *p.* 104. Enimvero exulent in Medicina hæ abſtractivæ ſubtilitates Philoſophicæ.

DIACROCIUM, electuarium de ovo. Plater. *de Curat. febrium peſtilentialium Tom.* 2. *c.* 2.

DIACROCU, διὰ κρόκου, διακρόκου, nomen Collyrii ſicci, quod *Crocum* recipit, apud P. Æginet. *l.* 7. *c.* 16. Gorr. *in def. p.* 105.

DIACYDONIUM, διὰ κυδωνίων, ſcil. μήλων, confectio Stomachica ex ſucco malorum *Cydoniorum*, vel *cidoneorum*, hodie adhuc uſitatiſſimum, commendatum vero & olim à Galeno, *l.* 6. *de San. tu. c.* 15. Jung. Diſpenſatoria, ubi & *Diacydoniati laxativi* mentio fit.

DIADAPHNIDON, διὰ δαφνίδων, nomen Emplaſtri, ad extrahendum & pus movendum, à *baccis lauri* ingredientibus ſic dicti, cujus deſcriptionem vide apud Celſ. *l.* 5. *c.* 19.

DIADEMA, διάδημα, generaliter quidem omnem *faſciam* denotat. Specialiter vero exprimit *faſciam capitis*, ſive *redimiculum*; qualia commendatur in doloribus capitis, ubi futurarum relaxatio metuitur. Foreſt. *l.* 9. *Obſ.* 53. *Schol.*

DIADEXIS, *Diadoche*, διάδεξις, διαδοχή, dicitur *humorum exceptio*, vel ſucceſſio, vel de parte ad aliam partem tranſitus, Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 2. *c.* 28. & Aretæus *l.* 2. *de cur. morb.* Vid. Foëſ. *p.* 149. Vocatur & ἔκδεξις, Gorr. *p.* 103.

DIADOSIS, διάδοσις, communiter *diſtributionem* quidem ſignificat, ut ita idem ſit, quod ἀνάδοσις, vide *Anadoſis*, Gal. *l.* 2. *de nat. fac. c.* 6. Verum denotare quoque poteſt *remiſſionem*, aut *ceſſionem morbi*, à verbo διαδίδωμι, quod in hac ſignificatione ſumſit Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 22.

DIÆRESIS, διαίρεσις, ſignificat *diviſionem*; A Galeno ſumitur generaliter pro *ſolutione continui*, cujus quatuor conſtituit ſpecies, *vulnerationem*, *contuſionem*, *eroſionem*, *ruptionem*, *l.* 5. *Meth. Med. c.* 2. Jung. Dieterich. *Iatr. n.* 15. *pag.* 118. Notat & *diſtinctionem*, Gal. *l.* 9. *de Hipp. & Plat. dec. c.* 6.

DIÆTA, δίαιτα, dicitur *victus ratio*, *vivendi modus ac lex*, *certa victus inſtitutio* & norma, non in ſolo cibo & potu conſiſtens, verum in omnibus aliis rebus nonnaturalibus quotidianis, Aëre, Otio, Exercitatione, Venere, Somno, Vigiliis, Repletione, Inanitione, Animi Affectibus, Gal. *ad Thraſybul. c.* 35. 3. *in* 3. *Epid. t.* 9. In *Diæta* duo hæc potiſſimum ſunt præcepta, in quibus tota fere vertitur: integram ſanitatem ſimilibus conſervandam; inclinatam autem & in vitium ruentem prope modico contrariorum uſu corrigendam eſſe. Diſciplina, quæ hanc inſtituit, *Diætetica*, διαιτητική, dicta eſt pars artis Medicæ miniſtra, cum quæ ſanis ad imminentes morbos arcendos, tum quæ ægris ad præſentes profligandos debetur, Gal. *l.* 11. *M. Med. c.* 15. Caſtell. & Gorr. Jung. Dieterich. *n.* 186. Lind. *Ex. XIII.* §. 206. *ſeqq.* Rhod. *ad Scrib. n.* 122. Rolf. *O. ac M. Med.*

Med. Sp. l. 14. *ſect.* 1. *c.* 1. *ſeqq. Dogmat. noſtr. med. gen. Part. IV. c.* 1. *Diæteticam* olim tempore Homeri minus fuiſſe excultam, refert Lang. *lib.* 1. *ep.* 51. Verum ex Iamblichio *in vit. Pythagor.* notavit Rhod. *ad Scribon. in not. pag.* 17. Pythagoreis in pretio fuiſſe maxime *Diæteticam*, Pharmaciam minus probatam. In ſtrictiori ſignificatione pro ſolo victu ſumſit Helmont. *tr. victus ratio*, & ſobrietatem, ſtatuit, eſſe totius *Diætæ* cardinem, *n.* 16. ubi ſimul Diætæ remedia in curandis morbis infida dixit & languida, *n.* 17. 18. verum ratione frivola. Non enim ideo victus ratio præſcribitur in curatione commoda, ut præſens morbi cauſſa per illam tollatur, ſed & ut cauſſæ futuræ proventus inhibeatur. Hinc rectius ſcripſit Scrib. Larg. *compoſ. num.* 200. Implicitas Medicinæ partes inter ſe & ita connexas eſſe conſtat, ut nullo modo diduci ſine totius profeſſionis detrimento poſſint. Ex eo intelligitur, quod neque Chirurgia ſine *Diætetica*, neque hæc ſine Chirurgia, id eſt, ſine ea parte, quæ medicamentorum utilium uſum habet, perfici poſſint, ſed aliæ ab aliis adjuventur, & quaſi conſummentur. Jung. Rhod. *not. ad h. l. p.* 288. Strictiſſime *Diæta* etiam ſignificat *Decoctum Diaphoreticum* ex ligno ſancto & ſimilibus paratum, vel etiam additur epitheton. *Diæta ſudorifica*, vel ſi purgantia addantur, *Diæta Sudorifico-Cathartica.* Blaſ. *Med. Univ. p.* 79.

DIÆTEMA, διαίτημα, idem quod *Diæta*, quamvis Gal. præter cibum & potum reliquas res non naturales ita vocaverit, ad *Thraſyb. c.* 28.

DIAGINOMÆ, διαγίνομαι, ſignificat apud Hipp. *ſuperſum*, vitam retineo, evado. Legitur *l.* 1. *de Morb. XXIV.* 10. & *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 19.

DIAGLAUCIUM, *Diaglaucii*, διὰ γλαυκίου, eſt nomen Collyrii ad incipientes lippitudines & ophthalmias laudati à Scribon. Larg. *compoſ.* 22. ita dicti à *Glaucio* ſucco herbæ, in Syria & Parthia pronatæ. Ejus vero uſum recentioribus exoleviſſe recte animadvertit Victor Trincavell. *de cur. part. l.* 4. *c.* 4. notante Rhodio *ad d. Scribon. loc. in notis p.* 61.

DIAGNOSIS, διάγνωσις, *Dignotio*, eſt præſentium per ſigna cognitio, Gal. *c.* 1. *in prognoſt. t.* 5. Rolf. pro tota Pathologia ſumpſiſſe videtur, *in Ord. ac Meth. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 3. & *ſ.* 2. *c.* 1. *ſeqq.* Plerique omnes Inſtitutioniſtæ ad morbos ſaltem reſtrinxerunt, ſed perperam, cum & ſanitatis præſentis per ſigna cognitio ſit ſcitu neceſſaria. Vid. *Dogm. noſtr. P.* 3. *c.* 1. *dogm.* 2. & *c.* 2. *per totum.* Signa, quæ hanc cognitionem promovent, dicuntur *Diagnoſtica*, διαγνωστικά, alias & δηλωτικά. Vide *Deloo.* Jung. Dieter. *n.* 1. quamvis Linden. proprio auſu & autoritate vocab. *Diagnoſtica* aliter acceperit pro *Pathognomonicis*, ſive propriis & demonſtrativis ſignis, *Ex. IV.* §. 51. contra receptam omnium aliorum ſententiam. Medicus quoque, qui per ſigna rem f. vel p. n. dignoſcit, dici poteſt διαγνωστικός, vel διαγνώμων, *arbiter*, vel diſcernendi potens. Dieter. *d. l.*

DIAGO, διάγω, vel ſignificat vitam duco, *perago*, ut Hipp. 3. *aph.* 18. vel ad morbos refertur tempora ſua *tranſigentes*, *l.* 1. *Ep. ſ.* 1. *t.* 20. Jung. Foëſ. *p.* 148. Dieter. 183.

DIAGRYDIUM. Vide *Scammonium.*

DIAISSO, διαΐσσω, ſignificat cum impetu tranſeo, *percurro.* Frequenti in uſu apud Hipp. *Coac. t.* 139. *l.* 1. *de morb. XXI.* 13. *l.* 1. *de morb. mul. LIIX.* 8. *l.* 2. *XXIV.* 7. Dolor quoque διαΐσσων πόνος dicitur, qui à parte primario affecta celeriter tranſit cum impetu ad partes vicinas. Gal. *l.* 2. *de L. Aff. c.* 7.

DIALAMBANO, διαλαμβάνω, ſignificat intermiſſionem ſumo, vel *intervallum facio*, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XCIII.* 20.

DIALEGOMÆ, διαλέγομαι, Hippocrati ſignificat ſermonem profero articulatum, vel locutionem, quæ etiam ſignum præbet notandum in ægris, uti patet *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 38. & 73. *l. de Carnib. XIX.* 1. 9. 12. *l.* 7. *Epid. ſ.* 7. *t.* 2. *Coac. t.* 228. *l.* 1. *prorrh. ſ.* 3. *t.* 36. *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 66.

DIALEIMMA, διάλειμμα, *intermiſſio*, eſt illud *intervallum*, quo febris ad *infebricitationem*, Gr. ἀπυρεξίαν, venit, antequam ſequens annotatio adveniat, Gal. *l. de morb. temp. c.* 3. Dicitur quidem in ſpecie in febribus ἀπυρεξία; in aliis vero morbis intermittentibus, ut Cephalæa, Epilepſia, Podagra, Calculo, ſimpliciter διάλειμμα, ἀπὸ τοῦ διαλείπειν, h. e. ab *intermittendo.* Significat ergo apud Hippocr. εἰλικρινῆ ἄνεσιν, ſinceram & puram *remiſſionem.* Vide Gal. 4. *aph.* 43. Datur enim & in continuis quibuſdam febribus quædam mutatio remiſſionem æmulans; ſed non eſt pura & *plenaria intermiſſio.* Accipitur & generaliter de *intervallis temporis*, Gal. *l.* 6. *de ſan. tu. c.* 7. Vide *Intervallum.*

DIALEIPO, διαλείπω, *intermitto.* Frequens verbum Hipp. de *febribus intermittentibus*, quæ dicuntur πυρετοὶ διαλείποντες, & quibus opponuntur continuæ ſive *non intermittentes*, μὴ διαλείποντες. Utrarumque cauſſam veram præ aliis expoſuit Cl. Th. Willis *de febrib. c.* 3. & *c.* 7. Illarum conſiſtit in ſucco nutritio heterogeneo ſanguini permixto, & tandem ad effloreſcentiam incitante; Harum ratio fundatur in intrinſeca ſanguinis ad effervefcentiam ob copiam ſulphurearum & ſpirituoſarum portionum exceſſivam diſpoſitione. Aliquando vero & διαλείπειν dicitur de *febribus continuis* ſuas mutationes & aliquales remiſſiones particulares periodicas habentibus, teſte Gal. *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 2. Διαλείπειν, etiam accipitur de ligaturæ *intermiſſione* in fractura cum ulcere vel vulnere, ubi ſpatium relinquitur pro ulceris curatione, Hipp. 3. *de fract. t.* 5. & 6. ubi διάλειψις, aliis διάληψις, legitur, h. e. *intermiſſio deligationis.* Vide & Dieter. de hoc verbo *num.* 188. Vide *Intermittens.*

DIALEPSIS, διάληψις. Vide *Interceptio* & *Dialeipo*.

DIALOES, δι' ἀλόης, dicitur de medicamentis *Aloën* baſin habentibus. Ita *Hiera* officin. *Picra* vocatur *Dialoës* à Gal. *lib.* 6. *de ſan. tuend. c.* 7. Ab Ægineta vero dicitur medicamentum in forma ſicca topicum, alias *Catapaſma* dictum, ad ulcera curanda faciens, *Dialoës*, *l.* 7. *c.* 13. ut & *Collyrium* quoddam *c.* 16.

DIALYSIS, διάλυσις, *diſſolutionem* ſignificat; & quidem de corpore & ejus membris denotat *languorem* & impotentiam ſuæ functionis propriæ, *l.*4. *Epid. XXV.* 6. cui opponitur σύντασις, *contentio corporis*, firmitas, Gal. 1. *in* 6. *Epid. t.* 18. Verbum quoque διαλύω, *diſſolvo*, h. e. languidum reddo, ita accipitur ab Hipp. & præſertim de ventis dicitur, v. g. Auſtro, 3. *aph.*17. unde & νότοι διαλυτικοὶ, auſtri *diſſolventes* corpora vocantur, *d. ſ. aph.* 5. Dieter. *n.* 189.

DIAMARENATUM, dicitur confectio ex ceraſis acidis in pulpam redactis & per cribrum trajectis, cum ſaccharo, ut & aromatibus parata, unde dividitur in *Diamarenatum ſimplex*, & *compoſitum*, apud Schrôd. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 85. Meminit & hujus medicamenti, contra febrem bilioſam commendans, ſed parari ſcripſit ex acinis quibuſdam creſcentibus in Veenlandia, *l.* 5. *Obſ.* 7. *in Schol.*

DIAMASTEMA, διαμάσημα. Vide *Maſticatorium*.

DIAMENO, διαμένω, *permaneo*, duro ſignificat. Uſurpavit Hippocr. de morbis fixam ſedem ſibi parantibus, 2. *aph.* 27. 28. Dieter. *n.* 190. Legitur & *l.*6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 50.

DIAMNES vocatur Barbaris Medicis propria affectio veſicæ, in qua urina egreditur involuntarie aut ignoratur ejus exitus, ſicut in ſomno. Diſtinguitur igitur à Diabete, expreſſe à Joh. Anglico *Roſ. Angl. Tom. I. p.* 512. 516.

DIAMORON, διὰ μόρων, nomen medicamenti in offic. notiſſimi, ſive *Rob. ex Moris* parati, cujus varios parandi modos etiam Gal. tradidit *l.* 6. *d. C. M. S. L. c.* 1. Videantur *Diſpenſatoria*.

DIAMOTOSIS, διαμότωσις, idem, quod μότωσις, à μοτὸς, linteamentum, quod vulneri inditur. Significat ergo *inſertionem linteamentorum* in cavitatem ulceris. Gorr. *p.* 106.

DIAMPERES, διαμπερὲς, διαμπερέως, adverbium uſitatum Hippocr. & ſignificat *per totum* prorſus, 3. *de fract. t.* 76. *l.* 2. *de morb. LX.* 3. *l. de intern. aff. IX.* 8. Uſus eſt quoque adjectivo διαμπερὴς, *penitus penetrans* & tranſiens, de dolore, *l.* 2. *de morb. mul. XVII.* 3. Vide Foëſ. *Oecon. p.* 153.

DIAMYDAO, διαμυδάω, ſignificat nimio humore *marceſco* & corrumpor. Hipp. *de cap. vuln. XXIIX.* 2.

DIANA, Chymicis ænigmatice dicitur *Argentum Philoſophorum*, *Luna alba*, *Terra virgo*. Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 31. *Dianæ arbor* quæ dicatur, vide *Arbor*.

DIANACATHIZO, διανακαθίζω, h. e. *colloco ad ſedendum*. Hipp. *l.* 2. *de morb. LXXIIX.* 15.

DIANANCASMOS, διαναγκασμὸς, *coactionem*, & per vim alicujus membri reſtitutionem ſignificat. Hippocr. 3. *de artic. t.* 49. ubi quidam διαναγκασμένε legunt.

DIANAPAVO, διαναπαύω, ſignificat *interquieſco*, per intervalla poſt motum vehementiorem quiete reficio, Hippocr. 2. *aph* 48. *& de ſal. diæt. t.* 26. Dieter. *n.* 191. idem, quod ἀνάπαυσις. Vide *Anapauſis*.

DIANISTESMOS, διανίστησμὸς, *jentaculum*, & quidem frugi, ita dictum, à ſurgendo. Idem, quod ἀκράτισμα. Lang. *l.* 1. *ep.* 55.

DIANOEA, διάνοια, ſignificat *mentem*, animum, ratiocinandi facultatem. In qua ſignificatione legitur apud Hipp. 2. *aph.* 33. *Coac. t.* 488. *& l.* 7. *Epid. l.* 14. Vide *Animus*. Dieter. *n.* 192. Aliquando & προαίρεσιν, *conſilium* denotat *præmeditatum*. Ita natura dicitur agere οὐκ ἐκ διανοίης, *non ex præmeditato*, *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 2. Foëſ. *Oecon. p.* 153.

DIANOEMA, διανόημα, *cogitationem* ſignificat, deque ægrorum imaginationibus & præceptionibus animi Medico probe conſiderandis ſumitur ab Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. Vide *Imaginatio*.

DIANOSEO, διανοσέω, *morbum traho*, cum varietate afflictionis, ſignificat, apud Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 7. 26. 32. Foëſ. *d. l.*

DIANTÆOS, διανταῖος, ſignificat *adverſus*, ex adverſo penetrans per totum, nullibi conjunctus. Dicitur de tendinibus, vel τόνοις nervoſis vertebrarum, apud Hipp. 3. *de artic. t.* 31. item de habena cum duobus ſeparatis loris, *t.* 49. de laqueo cum binis appendicibus adverſis in inſtrumento, quod dicitur, γλωσσόκομιον, Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 14.

DIANTLIZOMÆ, διαντλίζομαι, *valde laboro*, *tanquam in ſentina* hauriendo. Uſus Hippocr. *in præcept. VI.* 25.

DIAPASMA, διάπασμα, idem, quod κατάπασμα. Vide *Catapaſma*.

DIAPEDESIS, διαπήδησις, Lat. q. d. *Perſudatio*, *Tranſudatio*, eſt ſpecies viarum vel meatuum relaxatorum, ceu cauſſa morborum in cavitatibus apertis, conſiſtens in vaſorum tunicis extenuatis & rarefactis, ut feroſæ ſanguinis portiones tranſire poſſint, Gal. *l.* 3. *de cauſſ. ſympt. c.* 2. Fit ergo ex tunica rarefacta, ſanguine vero tenuato, unde tranſcolatur ſanguis, & ſudoris, aut roris more tranſmittitur, *l.* 5. *meth. med. c.* 2. Differt ab *Anaſtomoſi*, in qua tum majorum vaſorum ora aperiuntur, tum ſanguis cum impetu & copia prorumpit. Quod ſi contigerit aliquando διαπήδησις apertis etiam vaſorum oſculis, vaſa quidem omnino exigua ſunt, ex quibus ſanguis copioſus & cum impetu emanare non poteſt.

DIA-

DIAPEGMATA, διαπήγματα, διάπηγα, dicuntur in Chirurgicis inſtrumentis veterum majoribus *intercolumnia*, ſive partes tranſverſariæ ad crurum laterumque compaginem firmandam. Gorr. 9. p. 107.

DIAPEPLEGMENOS, διαπεπλεγμένος, ſignificat *Divaricatus*, Digreſſus. Dicitur de cruribus, Hippocr. *Prognoſt. ſ.* 1. *t.* 18. Gorr. De hujus vocabuli varia lectione vide C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 147. à verbo διαπεπλέχω, quod etiam denotat *divaricari*, vel cruribus diductis jacere. Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 70.

DIAPERÆOTHEIS, διαπεραιωθεὶς, *tranſmiſſus*, tranſiens. Dicitur ab Hippocr. de murmure flatuoſo, *Coac. t.* 282.

DIAPHANES, διαφανὴς, proprie *pellucidus*, lucidus, tranſparens ſignificat. Dicitur de urinis, Hippocr. 4. *aph.* 72. *Coac. t.* 579. Dieter. *n.* 199. de venis, *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 22. de auribus præ ſiccitate pellucentibus, *Coac. t.* 192. Dicitur de auro, quod ex antimonio & ☉c invicem fuſis paratur, apud Oſwald. Croll. *in Chymia aucta ab Hartmann. Tom. II. oper. p.* 76. Deinde denotat etiam valde candens & *ignitum*, & uſurpatur de cauteriis ferramentis ignitis, 1. *de artic. t.* 44. *l. de hæmorrhoid.* 23. *V.* 4. unde & ſimpliciter διαφανία dicuntur, *l. de Viſu. l.* 17. Ita de furni teſtis candefactis uſurpatur *l.* 2. *de morb. XLIV.* 17. A priori ſignificatione, *lapis* quoque *Specularis dictus fuit* διαφανὴς, quod vitro ſimilis tranſluceat. Unde & laminæ illius antiquitus vitri loco feneſtris inſertæ fuerunt, teſte Gal. *l.* 9. *de admin. Anat. cap.* 3. Ejus virtutem vero ſine morſu exiccantem, præſertim ſi uſtus fuerit, laudat *l.* 4. *de C. M. P. G. cap.* 1. Videatur & Chiocc. *Muſ. Calceolar. ſect.* 3. *p.* 281. *ſeqq. Diaphanitatem* omnibus rebus ineſſe, dixit Parac. *tr. de morb. color.*

DIAPHERO, διαφέρω, verbum eſt πολύσημον, & variæ ſignificationis apud Medicos Græcos. Communiter enim denotat *diſcrepo*, differo, uti paſſim apud Hippocr. videre eſt, præſertim *l.* 1. *de morb. XI.* 50. 55. *& alibi.* Porro ſignificat *duro*, *l. de intern. aff. XIII.* 18. item *perfero*, tolero, *ibid. & XLIII.* 19. *l.* 5. *Epid. VII.* 15. Ulterius ſumitur pro *tranſmittere* ad diverſa loca materiam, delegare, *l.* 4. *de Morb. VII.* 12. Tandem etiam pro *confero* ponitur, & idem ſignificat, quod ξυμφέρω, 5. *aph.* 22. Vide Foëſ. *Oec. p.* 160.

DIAPHEUGO, διαφεύγω, ſignificat *effugio*, evado, ſupero, Hippocr. 5. *aph.* 6. *&* 10. 7. *aph.* 50. *Coac. t.* 367. quamvis & in aliis ſimpliciter φεύγω, poſuerit, v. g. *t.* 379. 380. Dieter. *Iatr. n.* 201.

DIAPHLYXIS, διάφλυξις, notat effuſionem, *perfuſionem*, humectationem, à verbo διαφλύω, perfundo, humecto, Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* Foëſ. *p.* 761. Gorr. *p.* 109.

DIAPHOENICON, διὰ φοινίκων, dicitur *medicamentum ex Palmulis* vel dactylis. Eſtque vel internum, *Confectio de Dactylis* apud Meſuen *diſtinct.* 3. de Electuariis *fol. mihi* 114. *b.* vel externum, emplaſtrum ſtomachicum, calidum & frigidum, Meſuæ *in Diſpenſat. Auguſt.* Meminit & emplaſtri διὰ τῶν φοινίκων, Gal. *l.* 1. *ad Glaucon. c.* 14.

DIAPHOENISSOMÆ, διαφοινίσσομαι, ſignificat *rubeſio*, aut colore puniceo inficior, Hipp. *Coac. t.* 467. 489.

DIAPHONIA, διαφωνία, ſignificat *diſſenſionem*, diſcordiam, quam in Medicis abeſſe debere, monet Lang. *ex Galen. l.* 1. *ep.* 26. quia ignorantiæ ſuſpicionem gignit.

DIAPHORA, διαφορὰ, *Differentia*, dicitur notio, qua in Medicina ſanitas vel morbus ab alia ſanitate, vel morbo diſcrepat. Dicuntur interdum & *modi*, *ſpecies*. Dividuntur communiter in *Eſſentiales* & *Accidentales*, quamvis perperam à pleriſque Inſtitutioniſtis antiquioribus ad morbum ſaltem relata fuerit hæc diſtinctio, cum & Sanitatis dentur *Differentiæ Eſſentiales* & *Accidentales*. Vid. *Dogm. noſtr. P.* 1. *c.* 3. 4. *P. II. c.* 36. Rolfink. etiam excogitavit diviſionem *differentiarum*, deſumtam à ratione cauſſæ formalis, materialis, & efficientis, quam vide *in O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 113. Generalior acceptio de *differentiis* ætatum, corporum, regionum, cuilibet nota eſt, & patet ex verbo διαφέρω. Vide *Diaphero.*

DIAPHORESIS, διαφόρησις, in genere omnem evacuationem, quæ per habitum corporis & poros cutaneos fieri poteſt, ſignificat; non modo *inſenſibilem evaporationem*, quæ ἄδηλος διαφόρησις, ἢ διαπνοὴ, *inſenſibilis tranſpiratio* vocatur, & portiones vitioſas ſub ſpecie halitus evacuat, Galen. *l.* 13. *Meth. med. c.* 16. ſed etiam, quæ fit *per ſudorem*, & ſenſibiliter; unde & medicamenta ſudorem moventia διαφορητικὰ, *Diaphoretica* hodieque appellari ſolent, Rolfink. *O. ac Meth. Med. Sp. l.* 6. *ſect.* 1. *c.* 1. Suntque duplicia: Alia, quæ per rarefactionem & ſpirituaſcentiam adauctam operantur, cum *Attenuantibus* convenientia: alia, quæ figendo, & nimiam ebullitionem compeſcendo agunt, cum *Præcipitantibus* coincidentia. De his medicamentis legatur Willis *Pharm. Rat. P. I. ſect. V. c.* 1. *&* 2. Wedel. *Amœnit. Mat. Med. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 6. *p.* 343. *ſeqq.* B. Etmüller. *in Schröder. dilucidat. paſſim & prolixe.*

DIAPHOROS, διάφορος, præter communem ſignificationem, qua denotat *Differens*, *Diſcrepans*, à διαφέρω, ab Hippocrate quoque accipitur pro eo, quod ad rem facit, quod *multum intereſt*, & magni momenti, 1. *de artic. t.* 70.

DIAPHRADES, *Diaphradeos*, διαφραδὴς, διαφραδέως, aperte, *liquido*, Hipp. *de Loc. in hom. IV.* 4.

DIAPHRAGMA, διάφραγμα, *Septum tranſverſum* dicitur, quod Antiqui φρένες appellarunt, quia, ut putant aliqui, eo inflammato, mens ægrotat, quamvis veritatem hujus aſſerti in dubium vocaverit Willis *tr. An. Brut. Part. Pathol. c.* 10. Dictum vero *Diaphragma*, quod mediam & infimam corporis regionem, h. e. thoracem & abdomen διαφράττει, h. e. *dividat*, quaſi ſeptum quoddam medium. Eſtque muſculus rotundus, obliquus, in medio membranoſus vel nervoſus, in circumferentia carnoſus, palmarium reſpirationis organum;

cujus prolixiorem deſcriptionem videre licet in ſcriptis Anatomicis, v. g. Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 3. Porro vocabulum hoc *Diaphragma* aliis tribuitur partibus ob aliquam ſimilitudinem, v. gr. Interſtitio illi in faucibus ad gurgulionem vel uvulam, Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *n.* 86. *Septo* in naribus, Gal. *c.* 1. *in* 6. *Epid. t.* 4. *Septo laxo* & rugoſo, quo ventriculi cerebri diſtinguuntur, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 6. *Membranæ tympani* in aure, Id. *d. l. c.* 9. Et *mediaſtinum* dicitur διαφράττων ὑμὴν, Gorræus *in def. p.* 109.

DIAPHRATTON, διαφράττων. Vide *Diaphragma.*

DIAPHROS, διαφρὸς, idem, quod ἀφρίζων, *ſpumans*, Gal. *in Exeg.*

DIAPHTHORA, διαφθορὰ, generaliter quidem omnem *corruptionem* ſignificare ſolet: Specialiter vero apud Hippocr. notat *Abortum*, ſeu fœtus corruptionem, & coincidit cum φθορὰ vel ἀποφθορά. Vide *Abortus.* Occurrit hæc vox apud Hippocr. *Coac. t.* 515. 516. *& l.* 1. *de morb. mulier. X.* 17. Ita & verbum διαφθείρω ſignificat *abortio*, vel fœtum corrumpo, Hipp. 5.*aph.*53. *l.* 1. *de morb. mulier. XXXVII.* 2. *XCIIX.* 9. *l.* 7. *Epid. XXII.* 4. *XXXVII.* 7. Jung. Dieter. *n.* 202. *Corruptio* quoque *ciborum* in ventriculo dicitur διαφθορὰ, Gal. *l.* 2. *de Loc. aff. c.* 1.

DIAPHYLACTICOS, διαφυλακτικὸς, *conſervativus*, idem, quod προφυλακτικός. Ita apud Nonum *de M. P. C. c.* 154. leguntur διαφυλακτικὰ τῶν μαζῶν, i. e. mammillas *conſervantia*, & apud Gal. *l.* 1. *de C.M.S.L. c.* 2. de capillis conſervantibus dicitur.

DIAPHYSIS, διάφυσις, ſignificat *interſtitium*, intervallum, ſeptum, diſcrimen, ſpatiorum intercapedinem, Hippocr. *l. de arte XVII.* 19. 2. *de fract. t.* 37. *in Mochlici principio*, vel juxta Linden. edit. *de Oſſib. III.* 6. 10. *IV.* 10. in quibus tamen locis potius prominentiam aliquam vel partem ſolidam proceſſus modo prominentem ſignificare arbitramur cum Fallopio *in Obſerv. Anat. Tom. I. Op. p.* 362. Paræus διάφυσιν dici vult Ligamentum tertium, quo os tibiæ firmatur in articulo cum oſſe femoris *l.* 5. *Chir. c.* 36. Dicitur & de *pediculo*, ex quo fructus arboris inhæret ſurculo, & dependet, *l. de octim. part. IV.* 12.

DIAPLASIS, διάπλασις, vide *Conformatio.* In ſpecie vero ita dicitur à Chirurgis fracti oſſis compoſitio ejuſmodi, ut comminuti oſſis extrema ſe contingant, & omnes ejus partes ſibi ex adverſo collocentur, & in priſtinam unitatem reducantur, Gal. 1. *de fract. t.* 1. Gorræus *p.* 107. Interdum διάπλασις reſtrictum me legiſſe memini *in quodam MS. Chirurgico* ad correctionem curvatorum in tenellis corpuſculis, quæ manuum ope fit ſine inſtrumentis durioribus ad differentiam ἐκθλίσεως, quæ fit ope inſtrumentorum. Vide *Epitheſis.* Verbum διαπλάττω & διαπλάττομαι, & *conformare*, & partem in ſuum locum reſtituere ſignificat, Gal. 2. *de artic. t.* 46. Foëſ. *p.* 154.

DIAPLASMA, διάπλασμα, Dioſcoridi unctio vel fomentum toti corpori illitum, notante Scapula *in Lex.* quamvis locum Dioſcoridis reperire non potuerimus.

DIAPLESSOMÆ, διαπλήσσομαι, i. e. *divaricor.* Vide *Diapeplegmenos.*

DIAPLOCE, διαπλοκὴ, dicitur *implicatio*, & ſumitur pro ſuccorum, qui ad alimentum idonei futuri ſunt, miſcella ac permixtione, Hipp. *l. de Aliment. III.* 5.

DIAPNE, mictio involuntaria. San. Barolitan. *de ardore urinæ.*

DIAPNOE, διαπνοὴ, ſignificat *perſpirationem* ſive *tranſpirationem*, quando per corporis habitum & poros cutaneos aër ſubit, & rurſus expiratur una cum effluviis vaporoſis, aut fuliginoſis. Dicitur & ἄδηλος διαπνοὴ, *inſenſibilis perſpiratio*, quod hi motus obſcuri ſint, & nativi caloris beneficio per occulta cutis ſpiracula tenentur, cujus meminit Galen. 7. *aph.* 28. *& in l. de ſal. diæt. t.* 2. *fin. Diapnœam* vocat Helmont, & diverſam à ſudore eſſe oſtendit *tr. Tumul. peſtis*, §. *Præparata ſedes.*

DIAPOREMA, διαπόρημα, idem, quod ἀπορία, *anxietatem*, æſtuationem, & corporis jactationem inquietam ſignificat, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 44.

DIAPRESSOMÆ, διαπρήσσομαι, Ion. pro διαπράσσομαι, ſignificat *conficio*, perficio, exequor, *perago.* Frequenti in uſu apud Hippocr. *l.* 1. *de diæta XXXI.* 10. *l.* 2. *IIX.* 6. 31. *l. de Inſomniis I.* 8. 11. *l. de fiſtul. II.* 15. In ſpecie de actu Venereo ſumitur, *l.* 2. *Prorrhet. IIX.* 16.

DIAPRUNUM, vel *Diaprunis*, διακοκκυμήλων, nomen confectionis ex *Prunis*, vel electuarii, & quidem vel ſimplicis alterantis, vel compoſiti laxantis & ſolutivi. Vide *Diſpenſatoria Norimb. & Auguſt. Diapruni ſolutivi* uſum reprobat, ceu deterioris commatis, Linden. *Ex. XII.* §. 128.

DIAPSYCHO, διαψύχω, ſignificat proprie *refrigerare.* Verum Linden. exiſtimat, etiam aliquando denotare *Exſicco*, *Ex. V.* §. 104. Enimvero mihi non videtur neceſſaria expoſitio coacta & violenta in illo loco Athenæi, cum revera quoque cibi fortiores, quales ſunt calidiores, per frequentiorem coctionem, refrigerentur, diſſipatis portionibus calidis.

DIAPTERNES, medicamentum ex perna, & caſeo. Guil. Bud. *de morb. artic. curandis.*

DIAPTEROSIS, διαπτέρωσις, dicitur Erotiano *in Onomaſt. p.* 37. *F. aurium repurgatio*, quod purgandis auribus interdum pennas adhibeamus, ut tibicines repurgandis tibiis. Alioqui διαπτέρωσις notat alarum expanſionem, & eſt idem, quod διάπτυξις. Verbum διαπτερῶσαι etiam ſignificat *alas expandere*, explicare, Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 26. Foëſ. *Oec. p.* 155.

DIAPYEMA, *Diapyeſis*, *Diapion*, διαπύημα, διαπύησις, διάπυον, *ſuppuratum* & *ſuppurationem* ſignificat, 7. *aph.* 45. *Prognoſt. ſ.* 1. *t.* 31. *&* 40. Verbum διαπυέω, *ſuppurare* notat, 4.*aph.*82. *&* 5.*aph.*47. Vide Dieter. *n.* 193. 194. Unde & medicamenta *ſuppurantia* διαπυητικὰ

vocan-

vocantur, ſuntque moderate calida & humida; alias *Maturantia* dicta, Gorr. *p.* 107. Verbum διαπυΐσκω idem quod ἐμπυΐσκω, *ſuppuro.* Vide apud Gal. *de tum. p. n. c.* 3.

DIARCEO, διαρκέω, idem, quod βοηθέω, *ſuccurro,* auxilium fero, ſuppetias affero ſignificat apud Erotian. *in Onomaſt. p.* 38. *d.*

DIARIUS, ἐφήμερος. Vide *Ephemerus.*

DIAROCHAE, διάρροχαι, ad officinas chirurgorum pertinens vox eſt, & uſurpatur ab Hippocrate, explicatur ab Erotiano, quod ſint faſciarum ſpiracula, & in illis interſtitia, dicuntur vero παρὰ τὴν ῥίχαν, quæ ſpecies ἀναπνοῆς, exhalationis eſt.

DIAROMATICUM vocari poteſt medicamentum ex aromatibus compoſitum. Legitur apud D. D. Ludovici *diſſ. I. Pharmac. p. m.* 56.

DIARRHAGE, διαῤῥαγὴ, *diſruptionem* ſignificat, uſurpaturque de oſſibus ad tempora ab Hippocr. *Coac. t.* 188.

DIARRHECTUS, διαῤῥηκτος, i. e. *diſruptus*, à διαῤῥήγνυμι, diſrumpo. Dicitur & Lat. *Directus* de Liene, apud Plaut. *Curcul. a.* 2. *ſ.* 1. de quo verbo vide Linden. *Ex. IX.* §. 71.

DIARRHEPO, διαῤῥέπω, ſignificat *divergo*, vel in utramque partem inclino. Dicitur de iis, qui ob cruris brevitatem, dum ambulant, in utramque partem inclinare & propendere coguntur, Hipp. 3. *de artic. t.* 94.

DIARRHODON, διάῤῥοδον, medicamentum ex *Roſis* dictum, vel internum, vel externum. Inter notiſſima confectio, vel ſpecies ſunt ſpecies *Diarrhodon* Abbatis, in *Diſp. Nor.* & *Auguſt.* Inter cætera plura occurrunt hoc nomine *Collyria* apud Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Gorr. *p.* 108.

DIARRHOEA, διάῤῥοια, *alvi profluvium* in genere ſignificat præternaturale, Galen. *in defin.* & 1. *Progn. t.* 28. Specialius vero denotat alvi fluxum diſtinctum à Dyſenteria, Fluxu hepatico, Lienteria, & aliis. Et poteſt deſcribi, quod ſit frequens, largior, & diuturna excretio fluidorum ſeroſorum, & bilioſorum excrementorum, cum utilibus permixtorum, magis vel minus acrium, cum, vel ſine febre, torminibus, proveniens à bile ſalina longius e vaſis ſuis ad inteſtinum duodenum effuſa cum ſucco pancreatico, maſſam chyloſam e ventriculo exeuntem nimis colliquante, & ad excretionem inteſtina ſtimulante. Præter veteres autores Hippocr. 3. *de diæt. XII.* 248. & Galen. videantur Dieter. *n.* 195. Linden. *Ex. VII.* §. 65. Thom. Willis *de febr. c.* 10. & *Pharmac. Rat. P. I. ſ.* 3. *c.* 3. Fr. de le Boe Sylvius *l.* 1. *Pr. Med. c.* 11. §. 7. *c.* 13. §. 5. 6. *ſeqq. Diarrhœa* in urina, vide *Diabetes.* Διάῤῥοια τοῦ σπέρματος vocatur profluvium ſeminis præternaturale, quod alias *Gonorrhœa* dicitur. Moſchion. *de morb. mul. c.* 138.

DIARTHROSIS, διάρθρωσις, *dearticulatio*, dicitur aliquando generatim omnis oſſium compoſitio ad motum voluntarium comparata. Latine *Junctura.* Sed nonnunquam ſpeciatim ſumitur pro ea oſſium commiſſura, quæ motum inter ſe evidentem habet, Galen. *c.* 2, *de artic. t.* 9. Vide *Abarticulatio.* Jung. Foëſ. *p.* 156. C. Hofmann. *in com. ad Galen. de V. P. n.* 658. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 1. ubi tres ſpecies διαρθρώσεως conſtituit: ἐνάρθρωσιν, ἀρθρωδίαν, γίγγλυμον, de quibus *ſuo loco.* Vocatur & προσάρθρωσις.

DIASCHIS, διάσχις, *diſciſſionem*, diviſionemve aliquam ſignificat. Dicitur de vena diviſa apud Hipp. 3. *de fract. t.* 63.

DIASCHON, διασχὼν, οῦσα, ὸν, ſignificat penetrans, procedens, perrumpens. Legitur de oſſibus coſtarum fractis, quæ ad thoracis interiorem cavitatem non penetrant, Hipp. 3. *de artic. t.* 55. item de venis *l. de venis, XXVI.* 2.

DIASCINCI, vel *Diaſcincu*, διασκίγκου, epitheton *Antidoti Mithridatis*, Eupatoris, à baſi *Scinco* ita dicti, qua uſus eſſe Rex adverſus venena legitur apud Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 9.

DIASCORDIUM, eſt uſitatiſſima Antidotus in officinis, cujus Autor primus fuit Hier. Fracaſtorius, & revera ipſis prolixioribus & ſatis inconcinne compoſitis Antidotis aliis longe anteferenda. Deſcriptio occurrit *in Diſpenſatoriis*, neque negligenda in illam animadverſio Zwolf. Sylvius tamen in minori doſi multo efficaciorem deſcriptionem Diaſcordii excogitavit & poſteritati reliquit, quæ extat *l.* 1. *Prax. c.* 58. §. 22. *ſeqq.* ut & in Morlei *Coll. Chym. l eid. c.* 154.

DIASESAGMENOS, διασεσαγμένος, per totum *refertus* ſignificat, à διασάττω, i. e. *confertim impleo*, referſio. Dicitur de arteria valde repleta, ceu cauſſa pulſus pleni, apud Gal. *l.* 4. *de dign. pulſ. c.* 2. Idem, quod ναστὸς, vel ναστότερος.

DIASETHO, διασήθω, ſignificat *cribro*, incerno. Unde διασῆσαι, *incernere*, quod legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXV.* 4.

DIASMYRNON, vel *Diaſmyrnes*, διασμύρνης, διάσμυρνον, epitheton Collyriorum, quæ multum recipiunt σμύρνης, i. e. *myrrhæ*, Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Sang. columbæ,* & *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Scribon. Larg. *n.* 26. ad quem locum vide Rhodii *notas p.* 65.

DIASOSTICA, διασωστικὴ, dicitur I. A. van der Linden pars Medicinæ ὑγιεινὴ ſive *conſervandi ſanitatem,* in *Introduct. ad Medicinam edita à Schelhammero in part. poſter. Introduct.* Conring. *p. m.* 89. Dividitur in generalem & ſpecialem.

DIASPAO, διασπάω, ſignificat *divello*, non evello, apud Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 7. notante C. Hofm. *in comm. n.* 1143. Διάσπασις *diſperſionem* notat, vel diſtractionem, *divulſionem. Divulſio* inter cauſſas morbificas relata eſt vera diviſio ſeu diſtractio ac remotio à contactu, cujus ſenſus veluti undas in nervis facit, & flexiones fortiores, dependetque à ſtimulo divellente. Laur. Bellin. *de ſang. miſſ. in Opuſculis. p. m.* 170.

DIASPERMATON, διὰ σπερμάτων, nomen medicamenti Topici, vel *Malagmatis*, ita dicti, quod *ſemina* recipiat, præſertim Fœnugræcum, Galen. *l.* 7. *de C. M.*

P. G. t. 7. & aliter apud P. Æginetam *l.*7. *c.*18. Meminit tamen idem alterius interni, uti videtur, remedii *Diaſpermaton* dicti, quod vim narcoticam obtinuit, quamvis deſcriptionem non addiderit, *l.* 5. *M. Med. c.*13. Extat vero apud Æginet. *l.* 7. *c.* 12. ſub titulo *Trochiſcorum* vel *Paſtillorum.*

DIASPHAGE, *Diaſphaxis*, διασφαγή, διάσφαξις, proprie denotat *hiatum in muro* interrupto, aut diruto. Sumitur & tamen latius pro omni interſtitio, aut *Separatione.* Uſus Hipp. *l. de Loc. in hom. VIII.* 5. *& l.* 2. *Epid. ſect. I.* 69. *Fiſſura* illa in *Hepate*, ubi vena umbilicalis ingreditur, ab Herophilo dicta fuit διασφαγή, teſte Gal. *l.* 6. *Adm. Anatom. c.* 8. Vid. C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 1077.

DIASPHYXIS, διάσφυξις, ſignificat *pulſationem* arteriarum, & ita idem, quod σφυγμὸς, Hipp. *l. de Alim. X.* 15.

DIASTASIS, διάστασις, in genere *diſtantiam*, dimenſionem, diſparationem ſignificat. Numerantur vero tres *dimenſiones*, vel διαστάσεις, in latum, longum, & profundum, Gal. *l. de pulſ. ad tyron. c.* 2. Specialiter vero ſumitur de *oſſium diductione*, quæ vel per ſuturam, vel coalitionem mutuam juncta eſſe debent, Hippocr. 3. *de fract. t.* 63. Galen. *c.* 2. *de artic. t.* 1. *& in defin. Med.* Interdum dicitur διάστημα, *c.* 3. *de iis, quæ in med. t.* 31. Hoc vocab. διάστημα aliter tamen exponit *in Exeg. dict. Hippocr.* quod notet corporum ipſorum compoſitionem, vel compagem laxam lanis ſimilem. Eadem vox ab Hippocr. ſumi videtur pro intervallo, in quo Medicus ab ægro diſceſſit, *l. de dec. orn. XII.* 7. aut pro intervallo morbi, quo mutari ſolet. Vox vero διάστασις interdum *diſtenſionem* & porrectionem convulſivam ſignificat, Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 26. Venarum *diſtenſiones* vocat etiam διαστάσιας Aret. *lib.* 2. *acutor. c.* 2. Ventriculi διάστασιν *l. eod. c.* 7. Aliquando idem notat, quod διαστολὴ, Galen. *l.* 4. *diff. pulſ. c.* 8. 9. *&* 17. Jung. Foeſ. *Oec.* 157. Vide *Interſtitium.*

DIASTEMA, διάστημα. Vide *Diaſtaſis. Interſtitium.*

DIASTOLE, διαστολὴ, *dilatationem* & *diſtenſionem* ſignificat, & diverſis rebus tribuitur. Communiter dicitur de motu arteriæ, quando à cordis ſyſtole impulſo ſanguine diſtenditur, qui motus dicitur *Pulſus.* Vide *Contractio.* Deinde de Corde ipſo dicitur. Eſt nihil aliud, quam reditus ad naturalem ſtatum cum dilatatione, poſt præcedentem Syſtolen, ventriculorum quidem cordis, ut ſanguinem iterum ex auriculis expreſſum recipiant; auricularum vero, ut ex principiis Venarum Cavæ & Pulmonalis admittant, Walæus *de motu chyl. in Anat. Barthol. edit. ult. p.* 785. *ſeq.* Hanc *Dilatationem* propterea motum cordis accidentarium vocavit, ejuſque potius paſſionem, quam actionem, Bartholin. *l.* 2. *Anat. c.* 6. *p.* 371. In genere quoque διαστολὴ dicitur omnis *elevatio* & *extenſio in longum, latum & altum*, cordis, cerebri, & membranarum in ſenſum tactus cadens, Gal. *in defin.* Διαστολαὶ quoque vocantur Empiricis ſermones, quibus proprium quid à communi diſtinguitur, alias διορισμοὶ dicti, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Vide Foeſ. *d. l.*

DIASTOLEUS, διαστολεὺς, idem, quod διαστομωτρὶς, Foeſ. *Oeconom. p.* 413. *ſeqq.*

DIASTOMOTRIS, διαστομωτρὶς, ſcil. μύλη, in maſculino διαστολεὺς, generaliter omne inſtrumentum dilatatorium ſignificat, qualia ſunt, *Speculum Oris, Ani, Uteri*, quorum effigies vide in Chirurgicis, Aquapendente, Paræo, Sculteto, & aliis. Specialiter vero de *Specillo*, quo *os* clauſum diducitur, accipi poteſt. Vide Galen. *in Exeg.*

DIASTREMMA, διάστρημμα, διαστροφὴ, ſignificat *perverſionem*, *diſtortionem* membri, eſtque ſpecies luxationis, qua non ea modo, quæ juxta articulum ſunt, nervoſa, ſed & ipſe articulus leviter depravatur, ſuaque ſede commovetur, vulgo Verrenckung. Leguntur apud Hipp. *l.* 2. *Prorrh. XVI.* 24. *Coac. t.* 22. Eadem notione & talia membra διεστραμμένα, 2. *de iis, quæ in medic. t.* 73. à verbo διαστρέφειν, quod ſignificat diſtorqueri, perverti, apud eund. 4. *aph.* 49. *Prognoſt. ſ* 1. *t.* 10. *Coac. t.* 218. *l.* 2. *Prorrhet. XVI.* 18. Vid. Dieter. *n.* 197. *Diſtorſiones*, in recens natis infantibus refert Fallop. ad luxationes, & prolixius eas exponit *tract. de Luxation. c.* 15. *Tom. II. p.* 87.

DIASTREPHOMÆ, διαστρέφομαι. Vide *Diaſtremma.*

DIASULPHURIS, epitheton Medicamentorum internorum & externorum compoſitorum; à Mart. Rulando præſertim excogitatum, v. g. *Balſamus Diaſulphuris*, ſive oleum, item *emplaſtrum Diaſulphuris* ejuſdem: Utriuſque ſæpiſſime mentio fit in Curationibus Illius Empiricis v. g. *Cent. I. Cur.* 83. *ſeqq. & alibi*: Deſcriptiones quoque proponuntur à Morleo *Coll. Chym. Leid. cap.* 445. 446. an vero genuinæ ad mentem primi Autoris, nolumus determinare. Ita *Tincturam Diaſulphuris* Jac. le Mort tradidit, quæ legitur *d. l. cap.* 439.

DIATASIS, διάτασις, i. e. *diſtentio*, vel *diſtenſio.* Dicitur de membris in fractura, quando ab inferiore parte intenduntur, & à ſuperiore continentur, Hipp. 3. *de iis, q. in med. t.* 19. 22.

DIATECOLITHU, διὰ τηκολίθου, nomen medicamenti, vel antidoti, ita dicti à *lapide Judaico;* Græc. τηκόλιθος, qui ingreditur, apud Æginet. *l.* 7. *c.* 11.

DIATESSADELTON, dicitur *Mercurius præcipitatus* à Rul. & Iohnſ. Vide *Diaceltateſſon.*

DIATESSARON, διατεσσάρων, epitheton medicamenti compoſiti ex quatuor ſimplicibus. Eſtque vel *Internum*, quod deſcripſit Ægin. *l.* 3. *c.* 77. & in officinis *Theriaca Diateſſaron*, quæ ferme palmam præripit Theriacæ Andromachi ob majorem ſimplicitatem. Vid. Animadv. Zwölferi *ad Diſp. Aug.* vel *Externum* Emplaſtrum, quod videre eſt apud Galen. *l.* 5. *de C. M. P. G. cap.* 14.

DIATETTIGON, διὰ τεττίγων, i. e. medicamentum

tum ex cicadis, epitheton Antidoti nephriticæ; apud Ægin. *l.* 7. *c.* 11.

DIATHERMÆNO, διαθερμαίνω, idem, quod θερμαίνω, *Calefacio.* Videtur tamen præpoſitio διὰ augere ſignificationem, & *excalefactionem*, ſive intenſiorem calorem indigitare, Hipp. 7. *aph.* 51.

DIATHESIS, διάθεσις, ſignificat *diſpoſitionem* aut conſtitutionem alicujus corporis. Et Græcum & Latinum vocab. uſitatiſſimum eſt in Medicina, ſed ſub diverſa notione. Receptiſſima eſt ſignificatio, quæ denotat *facultatem* & *affectionem*, vel ſec. vel præter naturam; conſtituitque genus ſanitatis & morbi; de quo vide *Dogm. noſtr. P. I. c.* 2. *dogm.* 2. *& P. II. c.* 2. *d.* 2. Confer ſi placet, ad C. Hofmann. *Apolog. pro Gal. l.* 3. *p.* 1. *ſ.* 1. *c.* 4. *ſeqq.* & *animadv. in Montan. c.* 1. *&* 2. Interdum late ſumitur, complectens morbum, cauſſam & ſymptomata: interdum ſtrictius, pro diſpoſitione, vel conſtitutione morboſa, quæ eſt adhuc in fieri, vel in principio, nondum conſummata, Gal. 5. *in* 6. *Epid. t.* 3. Huic opponitur *diſpoſitio permanens*, *l. de diff. ſympt. c.* 1. Sumitur etiam pro ἕξει, vel habitudine, *l. ad Thraſyb. c.* 12. Complicatos quoque affectus à Græcis vocari διαθέσεις, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 4. *Diatheſes* & Symptomata pro uno eodemque habuit Helmont. *tract. ignot. hoſp. morb. n.* 66.

DIATHESMOS, idem quod διάφυσις, fiſſura, ruptura, Erotiano.

DIATRECHO, διατρέχω, *percurro*, pervenio cum celeriori motu, Hippocr. *l. de intern. aff. XLII.* 15.

DIATREPOMÆ, ſignificat *commoveor*, perturbor, deterreor, Hipp. *l.* 5. *Epid. XXX.* 22.

DIATRESIS, διάτρησις, h. e. *perforatio.* Uſurpatur à D. D. Georg. Frank à Frankenau *in Ephem. Nat. Cur. Ann. I. Decad. III. Obſ.* 123. *p.* 206. ceu remedium externum contra imperforatum anum, dubiique eventus.

DIATRETOS, διάτρητος, i. e. *Perforatus*, Gal. de hamo uſurpavit *l.* 8. *Anat. adm. c.* 4.

DIATRIBO, διατρίβω, tero tempus, cunctor, moror, *protraho* ſignificat, Hipp. *l. de vuln. cap. XXVII.* 2. Subſtantivum διατριβὴ, *mora*, notat *converſationem*, vel commorationem cum alio, *l. de Medico XI.* 8.

DIATRION *pipereon*, τὸ διὰ τριῶν πιπέρεων, nomen Specierum, vel Confectionis Stomachicæ, quæ recipit *tria Piperis genera*, longum, album, & nigrum, Galen. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 5. Vide *Diſpenſatoria.*

DIATRITÆRIUS. Vide *Diatrite.*

DIATRITE, *Diatritos*, διάτριτος, i. e. *triduana inedia*, unde *Diatritarii* dicebantur, qui eam præceperant, idem *Theſſalii*, ab autore Theſſalo, Methodicæ ſectæ chorago. Inventum fuit Empiricorum, conſiſtens totum in victus ratione, quam ita inſtituebant in omnibus ægris, ut primum in quarto die ipſos cibarent, poſt in ſexto, mox in octavo, deinde in decimo. Prima quidem cibatio poſt primam *Diatriton*, deinde alternis diebus, Gal. 4. *meth. med.* 4. Sed nugas eas & deliramenta multis in locis ridet.

DIAULODROMOS, διαυλόδρομος. Vide *Diaulos.*

DIAULOS, δίαυλος, ſignificat curſum reciprocum, revertentem, ac recurrentem. Dicitur & Circenſis, cum quis ad metam perveniſſet, flectens eo rurſus recurrebat, unde curſum inceperat. Pertinet ad exercitationes corporis & motus concitatiores, & meminit Hipp. *l.* 1. *de diæta XXXIV.* 12. *l.* 2. *XLI.* 12. *l.* 3. *IX.* 9. *XXIII.* 5. Gal. *l.* 7. *de Uſ. Part. c.* 14. *& l.* 16. *c.* 2. Qui tales curſus exercebant, vocabantur διαυλόδρομοι, aut dicebantur διαυλοδρομεῖν, *diaulon* currere, *curſum Circenſem* peragere, Foëſ. *Oecon. p.* 159. C. Hofm. *in Comm. ad Gal. de V. P. n.* 481.

DIAZOMA, διάζωμα, idem, quod διάφραγμα, *ſeptum, tranſverſum.* Vide *Diaphragma*, C. Hofm. *d. l. n.* 201. 238.

DIAZOSMA, διάζωσμα. Interpres Gal. vertit *cingulum*, rectius *munimentum*, *tegumentum.* Eſt alias vocabulum Architectonicum. Occurrit apud Gal. *l.* 8. *de Uſ. P. c.* 12. Vide C. Hofm. *d. l. n.* 1175.

DIAZOSTER, διαζωστὴρ, ſic à quibuſdam peculiari nomine vocatur duodecima dorſi vertebra, à cinctu ſic dicta, quod per eam partem cingimur, Gorræus *p.* 103.

DICÆOS, δίκαιος, variam & multiplicem habet ſignificationem apud Hipp. ut inquit Erotianus *Onom. p.* 35. *b. c. ſeqq.* Interdum idem, quod εὔλογον, h. e. rationi conſentaneum, *æquum*, 1. *de fract. t.* 3. Interdum ſimile & *æquale*, Hipp. *ſ.* 1. *de artic. t.* 34. 3. *de fract. t.* 31. Interdum *juſtum* & utile, 1. *de artic. t.* 21. Vide Foëſ. *Oec. p.* 165.

DICENTETON, δικέντητον, nomen collyrii calidi & acris ex ærugine, miſy, ſucco papaveris & gummi parati, lachrymas moventis, quo Ægineta uſus in ξηροφθαλμίᾳ *l.* 3. *c.* 23.

DICHALCON, δίχαλκον, pondus ſignificat *duorum æreolorum*, h. e. tertiam partem oboli, ſiquidem *obolus* ἐξ χαλκοῦς, *ſex æreola* continet. Proinde male apud Ægin. *l.* 3. *c.* 29. *in fin.* ſcriptum eſt Elaterii δίχαλκον ὅ ἐστιν ἡμιωβόλιον, cum ἡμιωβόλιον non duo, ſed tria contineat æreola, uti animadvertit Gorræus *p.* 113.

DICHASTERES, διχαστῆρες, epitheton Dentium *Inciſorum*, Gr. τομεῖς. Vide *Dens.*

DICHOPHYIA, διχοφυΐα, vitium eſt pilorum, quando finduntur & b furcantur, Gal. *in defin. Med.* Cauſſam vulgus dicit eſſe vermiculos, in pilis natos.

DICHOTOMOS, διχότομος, ſignificat in genere diviſum quid in duas partes æquales. Stricte uſurpat Galen. de Luna, quando eſt quadrangula, *l.* 3. *de dieb. Critic. c.* 2.

DICHROMOS, δίχρωμος, ſignificat *Bicolor.* In ſpecie dicitur de quibuſdam Emplaſtris, quæ & *Gilva* dicuntur, coloris ambigui, Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 1. Æginet. *l.* 7. *c.* 17. Neque enim particularis alicujus medicamenti nomen eſt, ſed multorum, quæ duplici colore prædita ſunt. Horum colorum autem ra-

tionem explicat, Gal. *l.* 2. *ad Glauc. cap.* 8. Quidam eadem quoque vocant διπρόσωπα, *Diproſopa*, id eſt, *bifacia*. Caſtell.

DICLEIS, δικλεὶς, epitheton *januæ bifidæ*, binas valvas continentis, q. d. *biforis*, Hipp. 1. *de artic. t.* 23. Plura vide in Foëſ. *p.* 165.

DICO, λέγω. Vide *Dictum*.

DICOCTA, δίκοκτα, dicebatur aqua calefacta prius, & poſtea nive refrigerata, teſte Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 4.

DICRÆOS, *Dicrus*, *Dicranos*, δικραῖος, δικρὸς, δίκρανος, quaſi δικάρανος, *bifidus*, biſulcus, veluti duos vertices habens, Hipp. *l. de loc. in hom. XIII.* 4. 5. 6. 7. 8. *l. de Ven. XXV.* 10. (quamvis Linden. διακραίνειν ſcripſerit *Coac. t.* 230. *l. de dieb. judicat. II.* 7. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 12. Vide Foëſ. *p.* 166.

DICROTUS, δίκροτος, i. e. *bis feriens* vel pulſans. Dicitur de ſpecie quadam pulſus, quando diaſtole arteriæ non perfecte abſolvitur, ſed intercipitur, pro ſubductione, aut inhibiti ſpiritus vitalis quantitate; deinde repetitur & abſolvitur, Galen. *defin. med.* Non vero propterea duo ſunt pulſus, ut Archigenes voluit, ſed eſt unus pulſus, cum arteria nondum perfecte fuit dilatata, ſed ictus ſaltem interceptus, quemadmodum ex malleis incudem percutientibus, & poſtea reſilientibus apparet, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 17. Cauſſa hujus pulſus haud dubie conſiſtit in impedita æquali ſpirituaſcentia ſanguinis, cordis ſyſtolen intercipiente, & dependente à portionibus excrementitiis, præſertim ſuliginoſis & fumoſis admixtis. Jung. *l.* 2. *de praſag. ex pulſ. c.* 8.

DICRUS, δικρὸς. Vide *Dicræos*.

DICTUM, εἰρημένον, γνώμη; *Dictio*, λέξις, quid ſignificet, notum eſt. In Medicina non eſſe temere *dictionem* obſcurandam, aut mutandam, monuit Gal. 3. *m. m.* 10.

DICTYOIDES, δικτυοειδὴς, i. e. *Retiformis*, *Reticularis*, epitheton implicationis, ſive plexus & contextus ramorum & ſurculorum arteriæ carotidis ad baſin cerebri, *Rete mirabile* alias dicti, cujus deſcriptionem vide ap. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 6. Will. *Anat. cerebr. c.* 4. *Reticulare* quoque *corpus* ex obſervatione Malpighii vocatur commune integumentum cuticulæ ſubjacens, diſtinctum à cuticula, ad quod pupillæ nerveæ proximum tactus organum definunt. Hoc eſſe ſubjectum nigredinis, non cuticulam, præter Malpighium *Exerc. de Tactus organo* à D. Pechlino confirmatus aſſeruit D. D. Hofm. *Diſſ. Anatom. ad Horn. Microcoſm. p.* 265. Vide & ſupra *Choroides*, & infra *Rete*.

DIDACTOS, διδακτὸς, à διδάσκω, proprie ſignificat *doctum*. Apud Hippocr. vero etiam denotat *exquiſitum*, accuratum, diciturque de ornatu, *l. de dec. ornat. II.* 7.

DIDASCALIA, διδασκαλία. Vide *Inſtitutio*.

DIDUCTUM Celſo eſt ſeparatio partium, in qua amplius ſuturæ aut fibulæ non eſt locus, ubi interpretatur Rhodius *de acia p.* 109.

DIDYMÆA, διδυμαία, eſt nomen *Malagmatis*, vel *Cataplaſmatis*, ad iſchiadicos, & pleraque alia ſimilia mala utilis, cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 10. *de C. M. S. L. c.* 2.

DIDYMI, δίδυμοι, h. e. *Gemini*, *Gemelli*, proprie dicuntur fratres uno partu editi, Hippocr. 5. *aph.* 38. Porro eodem nomine quoque veniunt *Teſtes*, qua viriles, qua muliebres, Galen. *l.* 14. *de V. P. c.* 12. *&* 14. Rolf. *O. ac Meth. de Part. Gener. inſerv. Part.* 1. *c.* 4. *& P.* 2. *c.* 2. Hos non eſſe glandulas, ſed potius congeriem minutiſſimorum vaſculorum ſeminalem materiam elaborantium & ſuſcipientium obſervarunt Graf. Horne, & alii, quibus moderni Anatomici omnes adſtipulantur. Glandulas tamen exiguas intertextas adeſſe & rationibus & autoritatibus comprobare auſus eſt D. D. Hoffm. Jun. *Diſſ. Anat. ad Microc. Horn. p.* 171. Vide *Orchis*. Propter aliquam ſimilitudinem tandem duæ protuberantiæ & eminentiæ, in ſubſtantia cerebri occurrentes, ſupra & ante conarium *Didymia*, διδυμία, vocantur, Latine *Teſtes*, quæ alias *Glutia*, γλουτία, *parvæ nates* dictæ ſunt, teſte Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 14. quamvis in recentioribus quatuor protuberantiæ numerentur, quarum duas majores *Nates*, γλουτία, minores vero *Teſtes*, ſive διδύμια appellarunt. Vide Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 6.

DIECBOLION, διεκβόλιον, idem, quod ἐκβόλιον, medicamentum *fœtum ejiciens*. Legitur in Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CXXIIX.* 1.

DIECHO, διέχω, quid proprie ſignificet, in Hippocratis loco, *l.* 5. *Epid. XI.* 12. non adeo planum eſt. Equidem plerique Interpretes per *penetrare* exponunt. Verum non videtur congrue dictum de vomitu, quod ægrum per ſex menſes penetraverit; quin mihi videtur, convenientius verti per *Diſtinere*, h. e. Vomitus per ſex menſes ægrum diſtinuit.

DIELINNYO, διελιννύω, ſignificat quieſco, à labore ceſſo, *otior*, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 50.

DIEMEÆ, eſt vocab. Paracelſ. notans peculiares ſpiritus, qui lapidibus inſunt & inhabitant, Philoſ. *ad Athen. l.* 1. *t.* 13.

DIEMI, δίημι, idem, quod διαίνω, *humecto*, madefacio ſignificat, Hipp. *d. l. t.* 5.

DIERECTUS, διάῤῥηκτος. Vide *Diarrhectus*.

DIERSÆ, διέρσαι, à verbo διείρειν, ſignificat *trajicere*, tranſmittere, Hipp. 4. *de artic. t.* 48. 55.

DIES, ἡμέρα, apud Medicos non ſolum *lucem*, ſed etiam *noctem* complectitur, non id tempus tantum, quo Sol ſupra terram fertur, appellantes diem, ſed etiam tempora noctis illi adjacentia, Galen. *l.* 2. *de criſib. c.* 2. Dicitur alias *Dies naturalis*, qui complectitur menſuram temporis 24. horarum. Dividuntur *dies* à Medicis in *fauſtos*, & *infauſtos*; item in *dies Criticos*, *Indices* & *Intercalares*, Diet. *p.* 376. Quando nocti opponitur,

nitur, vocatur *Dies* civilis, Linden. *Ex. XI.* §. 196. *Dies naturalis* quatuor ſua continet tempora, quæ quodammodo reſpondent quatuor anni temporibus. *Aurora* leni tepore vernat. Meridies Solis æſtu incaleſcit: *Crepuſculum* inſtar autumni qualitates aëris evariat. Deinde *nox* altera hiems frigore torpet, quo pori corporis, ne calor naturalis diffletur, conſtringuntur, Lang. *l.* 1. *ep.* 55. Jung. Hier. Mercurial. *l.* 3. *V. L. c.* 1. Horum quatuor temporum applicationem ænigmaticam ad Lapidem Philoſophicum vide ap. Libav. *in Apocal. Hermet part. poſter. p.* 405. *Tom. II.* Quod *Dies* in maſculino genere notet ſpatium duodecim horarum, juxta Grammaticos, uti notavit Rhod. *in Lex. Scrib.* non videtur univerſaliter verum.

DIESIS, δίεσις, *transmiſſionem*, diviſionem, item *humectationem*, vel madefactionem notat, à δίημι, de quo p. a. Vide *Diemi.* Eſt alias vox Muſicorum propria & principium Muſices elementorum ſignificat, in quo ſenſu legitur apud Gal. *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 8. Jung. C. Hofm. *l.* 1. *V. L. c.* 19.

DIESTECOS, διεστηκὼς, ſignificat *disjunctum*, diſparatum. Dicitur de oſſibus, in Hippocr. *Coac. t.* 187. item de urinis divulſis, 7. *aph.* 33. i. e. variantibus in colore & ſubſtantia. Vide Dieter. *n.* 209. Foëſ. *Oec. p.* 164.

DIETHICOS, διηθικὸς, h. e. *percolatus*, à διηθέω, colo. Dicitur de vino, quod & vinum *ſaccatum* dicitur, Theophraſt. *l.* 6. *de cauſſ. plant. c.* 24. ubi ſaltem ἠθικὸς τῶν οἴνων legitur. Vide Rhod. *ad Scribon. n.* 122. Vide infra *Saccatus.*

DIEXODOS, διέξοδος, idem, quod ἔξοδος, in genere ſignificat *exitum* & viam, per quam aliquid excernitur, v. g. in ſternutatione, 7. *aph.* 51. in pituitæ collectione, 7. *aph.* 54. Jung. Dieterich. *n.* 208. de alvi excrementis, *Prognoſt. ſ.* 2. *t.* 13. 1. *de fractur. t.* 46. Unde & nates, vel anus, dicuntur Ariſtoteli τὸ διεξοδικὸν, quod excrementa per illam partem tranſeant, *l.* 1. *hiſt. an. c.* 13. notante C. Hofm. *ad Gal. de V. P. n.* 177. quamvis menda ibi ſit in numero, dum c. 16. pro 13. legitur.

DIFFERENTIA, διαφορὰ. Vide *Diaphora.*

DIFFICILIS, *Difficultas*, χαλεπὸς, χαλεπότης, vide *Chalepos.* Exprimitur etiam in compoſitis vocabulis *difficultas* per particulam δυς, v. g. δύσκριτος, *difficilis* judicatu: δυσεντερία, *difficultas* inteſtinorum, δυσουρία, urinæ *difficultas*, vel ardor, de quibus vide ſingulis ſuo loco. Jung. *Lexic. Scribon.* Rhodii.

DIFFIDENTIA, ἀπιστία, dicitur, quando æger nullam fiduciam ponit in Medicum, aut quando Medicus de ſanitate ægri deſperat. Utraque eſt pernicioſa. De illa vide Lind. *Ex. II.* §. 30. De hac egimus vocab. *Deſperatio. Diffidere* propriis donis à natura conceſſis eſt *diffidere* Deo, Parac. *Fragm. Medic. ad Tom. I. referendis cap. de Deſperatis morbis.*

DIFFINITIO, ὁρισμὸς, idem, quod *Definitio.* Occurrit ſæpiſſime in Petri Aponenſis *Conciliatore controverſiarum*, quæ loca videantur in ejus indice.

DIFFLATIO, διαπνοὴ, idem, quod *Tranſpiratio.* Vide *Diapnoe.*

DIGASTRICUS, διγάστρικὸς, quaſi *Biventer* vocatur Muſculus quidam maxillæ inferioris, ideo, quod in medio tendinoſus factus bis carnoſus conſpiciatur. Dicitur & *Graphioides* à proceſſu ſtyliformi, Bartholin. *l.* 3. *Anatom. c.* 11. *p.* 356. Quamvis Lower. *de Corde c.* 1. omnes muſculos *Biventres* eſſe docuerit, notante & approbante D. D. Hofmann. *in Diſſ. An. ad Horn. Microc. p.* 252.

DIGERENS, *Digeſtivus.* Vide *Digeſtio.*

DIGESTIO, ἀνάδοσις, διαφόρησις, vide *Anadoſis*, *Diaphoreſis.* Verum Latinum vocabulum varias habet ſignificationes. In genere ſignificat mutationem & maturationem ſimplicem, qua in calore *digeſtorio* res concoquendæ diſponuntur ad vim ſuam exerendam. Eſtque vel *Naturalis*, vel *Artificialis. Illa* ſit in ventriculo, quando alimenta vi fermenti & caloris vitalis concoquuntur & præparantur, ut in chylum permutentur. Imo Helmontius ſex in corpore *digeſtiones* numeravit, de quibus vide paſſim in ſcriptis ſuis, præſertim *tr. Retenta*: item *Blas Human. n.* 22. & *alibi. Hæc* iterum duplex: Alia reſpicit uſum cum naturali quodammodo concurrentem, quatenus nimirum internus calor noſter per medicamenta artificialia diſponitur & excitatur, ut humores *digerat*, & diſponat ad ſegregationem inutilium ab utilibus. Talis *digeſtio* alias dicitur quoque *Præparatio* humorum, v. gr. ante purgantium uſum olim quoque uſitatiſſima, unde & talia medicamenta *Digeſtiva* vel *Præparantia* dici ſolent; quorum Catalogum vide apud Rolf. *O. ac M. Med. Sp. l.* 5. *ſ.* 2. *c.* 1. *ſeqq.* Talis *digeſtio* Chirurgis uſitata, quando Topicis *digeſtivis*, alias *Maturantibus* dictis, materia ſtagnans, collecta vel congeſta diſponitur beneficio caloris noſtri æſtuantis ad ſuppurationem & ſecretionem. Alia eſt mere artificialis & Chymica. Hanc in genere deſcripſit Ruland. *Digeſtio* eſt operatio, vel gradus Chymicus, ſimilis ventriculo, in quo & per quem materia coquitur in melius, ad ſeparationem puri ab impuro. Vel eſt ſubtiliatio μακροχρονικὴ, res crudas in calore *digeſtivo*, diſſolvens. Eſtque vel *Putrefactio* vel *Extractio.* Ger. Dornæus *in tr. Artificium ſupernatural. cap.* 5. quod habetur *in Theatr. Chym. Volum. I. p.* 289. *digeſtionem* deſcripſit per concepti ſeminis à ſemine fomentum, quo medio quidem oritur medicina perfecta & plus quam perfecta. Eadem verba leguntur in Ejuſd. *tr. de Philoſ. Chemica*, *d. l. p.* 421. Hæc artificialis *digeſtio* vel ſit immediate in vitro, nonnunquam alembico cæco ſuperimpoſito, nonnunquam in phiala, cui alia inverſo modo apicetenus intruditur: mediate in balneo, arena, cineribus, equino ſimo, vinaccis, Rolfink. *Chym. in art. form. red. l.* 2. *c.* 2. Ad mediatam pertinet *di-*

geſtio

geſtio in Athannore, quando turri Athannoris ad ſummum uſque impleta ignem in foro accendimus, & ferrea ſpatula, vel regiſtro pro noſtro arbitrio oſtiolum calorem ad Athannor tranſmittens dilatamus, ut intenſior aut remiſſior eſſe queat; Rul. Hinc reſultant *digeſtionis* gradus, mediantibus ignis, vel caloris gradibus productæ. De *Digeſtionis Chymicæ* laudibus etiam hyperbolicis vide Libav. *tr. Alchymia Pharmac. c.* 24. *in Tom.* 2. *Oper. p.* 185. & *Epiſtolam* Joël. Langelotti, *ad Naturæ Curioſos*, quæ legitur *Anno III. Ephemerid. N. C. obſ.* 59.

DIGITALE, δακτυλήθρα. Vide *Dactylethra.*

DIGITUS, δάκτυλος. Vide *Dactylus.*

DIGLOTTOS, δίγλωττος, q. d. *bilinguis.* Olim ita dicebatur homo duarum linguarum peritus, quod miraculum habebatur, Gal. *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 5. Vide *Bilinguis.*

DIGNOTIO, διάγνωσις. Vide *Diagnoſis.* Dicitur & τέκμαρσις.

DIGRESSIO, πληχάς. Vide *Plechas.*

DIHÆMATON, διὰ τῶν αἱμάτων, nomen Antidoti adverſus lethalia venena, & ſagittæ vulnera, ita dicti, quod inter alia recipiat *ſanguinem* anatis maris & fœminæ, & anſeris. Deſcriptionem vide apud Galen. *l.* 2. *de Antidot. c.* 8. *fin.* Æginet. *l.* 7. *c.* 11.

DIHALON, διὰ ἁλῶν, dicitur Emplaſtrum ex *ſalibus* communi & nitro paratum, Æginet. *l.* 7. *c.* 17. Valet ad ulcera ſordida.

DII, θεοὶ. Vide *DEUS.* De *Diis* tribus Hermetis, Deo, Mundo, & Homine, vide Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 50. & 129.

DIIPETES, διιπετὴς, id eſt, repente fluens, *diffluens.* Epitheton genituræ vel ſeminis promte defluentis, apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XXXIX.* 1. Vide Foëſ. *Oec. p.* 164.

DIISCHYRIEO, διισχυρίζω, affirmo, aſſevero. Vide *Iſchyreſis.*

DILANIANS, accipitur pro *Corroſivo*, ſive *Cathæretico*; & legitur apud Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 11. *in Scholiis.*

DILATATIO, εὐρυσμὸς, ἀνευρυσμὸς, διευρυσμὸς, à verbo εὐρύνω, διευρύνω, idem, quod *Rarefactio.* Vel ſumitur p. n. & dicitur de meatibus & cavitatibus dilatatis; Ita *dilatationes* vaſorum fieri etiam à ſanguine largius ad partes molliores promoto, abſque ſtaſi aut turgeſcentia docuit noviſſime D. D. G. E. Stahl *in laudata Differt. de Motibus humorum ſpaſmoticis cap.* 9. *p.* 34. *ſeqq.* vel Pharmaceutice de effectu medicamentoſo. Opponitur *Conſtructioni* πυκνώσει, στεγνώσει, Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 1. Porro *Dilatatio* idem eſt, quod *Diaſtole*, de quo ſupra. Verbum *dilatare* etiam aliquando ſumitur pro *extendere*, præſertim manibus emollire & tractare rem medicamentoſam, apud Scrib. Larg. *n.* 50. 205. 210. 212.

DILATATORIUM dicitur inſtrumentum Chirurgicum ad ſenſim deducendum os & dentes notiſſimum; hodieque etiam Balneatoribus notiſſimum. Vide Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XII. fig.* 5. & *Tab. XXXII. fig.* 7. Blaſ. *Med. Un. p.* 73. 341.

DILIGENTIA, σπουδή. Vide *Spude.*

DILUTUM, ἀπόβρεγμα, à *Diluo*, quod eſt diſſolvo aliquid liquore. Dicitur de formulis medicamentorum liquidis, v. g. *Diluta* purgantia, Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 38. *Tom. II. p.* 220. *Dilutum* à Rulando ſtricte ſumitur pro lixivio per cineres, vel terram facto. Verbum *Diluo* frequenter occurrit in Scribonii compoſitionibus. Vide *in Lex. Scrib.* Rhodii.

DIMENSIO, διάστασις, vide *Diaſtaſis.* De Chymicorum *trina dimenſione* vid. Ger. Dorneum *art. Chemic. l.* 1. *c.* 6. & Joh. Aug. Pantheum *Art. & Theor. tranſmut. metallic. Vol. II. Th. Chym. p.* 476.

DIMIDIUM, ἥμισυ, quid ſignificet, notum eſt. Frequenter illis additur in Medicina, quæ non perfectionem debitam acquiſiverant, aut in quibus aliquid deficit, Gal. 3. *in* 1. *Epid. t.* 5. Exprimitur vulgo per particulam *Semis.*

DIMINUTUM, μινύθημα. Vide *Minythema.*

DIMITTO, διαλείπω, ἀφίημι, idem, quod *remitto*, *deſino.* Vid. Diet. *n.* 137. 188. Sumitur & pro *Emittere*, v. g. *Dimittere* ſanguinem, Rhod. *in Lex. Scribon.*

DIMOTIO, διακίνημα. Vide *Diacinema.*

DINOS, δῖνος, ſignificat *vertiginem*, & ſi tenebræ oculis obverſantur, dicitur σκοτοδῖνος, σκοτοδίνος, item ἴλιγγος. Vide *Ilingos*, Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 42. Legitur vocab. δῖνος apud Hipp. *l. de cap. vuln. XX.* 4. Deſcribi poteſt vero *Vertigo*, quod ſit imaginatio depravata falſæ circumgyrationis objectorum, & ſui ipſius, interdum cum viſus obſcuratione, caſu, palpitatione cordis, aliiſque ſymptomatibus, proveniens à ſpirituum animalium vaporoſorum, aut flatulentorum, tumultuariam ſanguinis agitationem, ſimilemque vitioſitatem præſupponentium, inordinata agitatione & commotione. Videatur Willis *Part.* 2. *de anima brut. c.* 7. Sylv. *l.* 5. *P. M. c.* 34. §. 74. aliique Practici. Paracelſ. refert inter morbos caducos, *Paragraph. l.* 3. *c.* 1. §. 2. Cauſſam ejus dicit, eſſe virus rotans, Helmont. *tr. Ignota actio regim. n.* 25. *Dinos*, δῖνος, quoque eſt Erotiano Saltationis genus, ſic fortaſſe dictum, quod in gyrum agatur, *Onomaſt. p.* 36. C. Jung. Foëſ. *p.* 166.

DINOTATIO, διάγνωσις, idem, quod *Dignotio.* Vid. *Diagnoſis.*

DIOBOLON, διώβολον, eſt pondus *duorum obolorum*, ſive ſcrupuli unius. Unde διωβολιαῖος, *diobolaris.* Dicitur de paſtillis talis ponderis apud Galen. *l.* 7. *de C. M. S. L.* Vide Gorræum *p.* 113. Vocatur & *Gramma*, γράμμα.

DIODOS, δίοδος, *tranſitus*, via, idem, quod διέξοδος. Dicitur & διόδευσις, Hipp. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 35. *l. de flatib. XIV.* 2. *l.* 5. *Epid. XXIX.* 19. *l.* 7. *XXXV.* 9. Vide *Diexodos.*

DIOECESIS, διοίκησις, *diſpenſationem* ſignificat; Gal. *c.* 1. *de iis*, *q. in Med. t.* 1.

DIOGMOS, διωγμὸς, *fugam perſecutoriam* ſignificat. Differt à δηγμὸς, quod *morſum* notat. Vide *Cardiogmus*, & Lind. *Ex. XIII.* §. 137.

DIOLISTHÆNO, διολισθαίνω, ſignificat *elabor*, dilabor, effugio. Dicitur de rebus lubricis elabentibus, Hipp. 2. *de artic. t.* 56.

DIOMEDEA, *avis*, ita dicta ab inſulis *Diomedeis*, quæ hodie *Dremiti* vocantur, cujus deſcriptionem & uſum in cibo & medicina vide apud Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 3.

DION, Δῖον, nomen menſis apud Macedones tantum, in cujus initium incidit æquinoctium autumnale, Galen. *c.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 1.

DIONCOSIS, διόγκωσις, vocabulum eſt Methodicorum, ſignificans διάτασιν, ſive *diſtentionem*, tumefactionem corporis, vel à fuſione humorum & inundatione, vel à collectione excrementorum factam, Gal. *de opt. ſect. c.* 28. Huic opponitur, ξύμπτωσις.

DIONYSIA, διονυσία, nomen Emplaſtri Heræ Cappadocis, quod mirabile habetur ad abſceſſus, item ad mammas & inguina, vim habens trahendi, & per latentes meatus diſcutiendi. Deſcriptionem vide apud Ægin. *l.* 4. *c.* 18. Aët. *l.* 15. Gorr. *in def. p.* 111. Meminit & Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. cap.* 16. Eſt nomen Hederæ διονυσία, quod non eſt hujus loci.

DIONYSISCI, διονυσίσκοι, dicuntur oſſeæ eminentiæ, quæ prope tempora naſcuntur. Vocantur & κέρατα, *Cornua*, detorto à cornigeris animalibus nomine. Sic dicuntur à Baccho, quem Poëtæ Cornutum finxerunt. Hæc Gorr. *d. l.* & Caſtellus. Sed mirum, quod alii Anatomici Græci non meminerint. Autor definitionum medicarum inter affectus p. n. numerat.

DIONYSIUS, διονύσιος, eſt autoris nomen, cujus leguntur Collyria & Emplaſtra apud Celſum, *l.* 6. *c.* 6. Scrib. L. *cap.* 212. Vel eſt nomen *Lapidis*, ſive gemmæ nigræ, vel fuſcæ, duræ, mixtæ, ſeu ſparſæ, rubentibus maculis vel guttulis, quæ trita ex aqua ſaporem vini & odorem facit. Inde reſiſtere fertur ebrietati, quia reſolvit & expellit vapores, unde fit ebrietas. Gemma eſt pretioſa, de qua conſule Plin. *l.* 37. *c.* 10. Solin. *in polyhiſtor. c.* 40. Albert. *in ſuo lapidario*, & alios. Hæc Ruland.

DIONYSOS, διόνυσος, nomen *Collyrii* apud Aët. *l.* 7. & referri poteſt inter *Diaſmyrna* & *Chiaca*. Nam & Myrrham continet, & vino *Chio* lævigatur. Non diſſimilem ab eo compoſitionem habet Æginet. *l.* 7. *c.* 16. titulo Malabathrini collyrii & Iſothei, Gorræus *d. l.*

DIOPOS, δίοπος, (vitioſe, notante Foëſ. *p.* 167. δίοπτος,) à διέπειν, regere, adminiſtrare, ſignificat *rectorem navis*, vel gubernatorem, apud Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXIIX.* 16. & *l.* 7. *XX.* 4.

DIOPTRA, διόπτρα, *ſpeculum*. Ita dicuntur inſtrumenta ad ſinum muliebrem, vel anum, vel alias cavitates dilatandas. Vocatur & κατοπτὴρ, κάτοπτρον. Quod ad ſedem dilatandam uſurpatur, appellatur διόπτριον, h. e. *ſpecillum*, Æginet. *l.* 6. *c.* 78. Alias *Dioptra* ſignificat *perſpicillum*, ad objecta diſtantia accuratius contemplanda. De *Belgicis Dioptris* vide C. Hofmann. *in Comm. in Gal. de V. P. n.* 719. 727. Vide *Dyoptra*.

DIOPTRISMOS, διοπτρισμὸς, vocatur illa operatio Chirurgica, quæ applicat *ſpecilla*, vel *ſpecula* corporis ſinubus dilatandis, ano, utero, ori, &c. Ægin. *l.* 3. *c.* 66.

DIOPTRON, διόπτρον, idem, quod *lapis Specularis*, alias *Diaphanes* dictus. Vide *Diaphanes*. Keuch. *ad Q. Seren. p.* 166.

DIORISMOS, διορισμὸς. Vide *Diaſtole*, *Limitatio*.

DIOROSIS, διόρωσις, apud Hippocratem eſt illa mutatio, qua aliquid in ſeroſum vel aqueum humorem convertitur, uti teſtatur Galenus *in exegeſi Hippocratis*.

DIORRHESIS, διόῤῥησις, *ſereſcentiam* notat, idem, quod διοὔρησις, vide *Diureſis*; quamvis hoc vocab. potius excretionem ſeri per meatus urinarios ſignificet, notante quoque C. Hofm. *ad Foëſ. Oec. in M. S.*

DIORTHOSIS, διόρθωσις, *directionem* & correctionem ſignificat, & quidem chirurgicam membrorum fractorum, luxatorum, & à ſede naturali dimotorum, Hippocr. 4. *de artic. t.* 64. *ſ.* 3. *de iis*, *q. in medic. t.* 2. à verbo διορθοῦν, *corrigere*, in priſtinum locum redigere, quo uſus idem, 2. *de artic. t.* 46. ubi & διόρθωμα pro διόρθωσις legitur.

DIORYX, διώρυξ, *foſſam*, canalem, & *aquæductum* ſignificat, Hipp. *l. de A. L. & Aq. XXXVII.* 8.

DIOSCUROS, διόσκουρος, idem, quod *Parotis*, juxta nonnulles, Gal. *in def. medic.* Gorr. *p.* 112.

DIOSPHYRON, διόσφυρον, alias διόσπυρον, apud Theophr. *l.* 3. *H. Pl. c.* 23. eſt fructus ceraſo ſimilis, relatus inter alimenta pauci nutrimenti, & pravi ſucci, Gal. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 38.

DIOSPOLITICON, διοσπολιτικὸν, perperam in Caſtello *Diaſpoleticum*, eſt compoſitum medicamentum carminativum, cujus geminam deſcriptionem tradit Gal. 4. *de ſan. tu. c.* 5. Legatur & P. Ægin. *l.* 7. *c.* 11. ubi refert inter Antidotos, & vocatur *Dioſpolites*, διοσπολίτης.

DIOTA, (an *Dyota?*) eſt vaſculum vel poculum, paratum ex ligno juniperino, laricino, betula, & cinamomo, caryophyllis, cum reſina incruſtatum, Rhod. *ad Scrib. n.* 135.

DIPHROS, δίφρος, *ſellam* ſignificat, & uſus Hippocr. de *ſella* perforata ad excipiendum ſuffitum, vel fomentum in ſinum muliebrem, *l. de Steril. XVI.* 5. δίφρος μαιευτικὸς, i. e. *ſella obſtetricalis*, ad partum neceſſaria & commoda deſcribitur à Moſchione *de morb. mul. c* 46. 47.

DIPHRYGES, διφρυγὲς, eſt perfecti æris veluti fex ſubſi-

ſubſidens, & cohærens imæ fornacum parti, tanquam uſtorum in foco lignorum cinis ablato ære viſitur, Gorr. *d. l.* Schröd. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 2. deſcribit, quod ſit genus recrementi metallici, quod ſubſidet, dum æs in fornace fuſum aqua frigida perfunditur. Rulandus vero diſtinxit *Diphryges* in *Nativum* & *Factitium*. *Illud* eſt, quod in Cypro gignitur, & extrahitur ſolum lutoſum, ex luto cujuſdam ſpecus, & extractum Sole ſiccatur, mox circumpoſitis ſarmentis uritur. Et ideo *Diphryges* vocatum eſt, quod à Sole, & à ſarmentis uratur, torreatur, & areſcat. Tale etiam Goſlariæ in ſpeluncis gignitur, colore flavum, & ſarmentis quoque uritur, unde *Biſcoctum* dicitur. *Factitium* eſt duplex: primum nihil aliud eſt, quam fex æris perfecti: alterum vero eſt, quando Pyrites, ut calx, concrematur in camino, donec rubeſcat, ut Rubricæ. Vid. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 120. Plin. *l.* 34. *c.* 13. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Diphryges*, ut & *alibi*, vires ejus valde extollit. Verum hodieque rariſſimi eſt uſus, dicente Schrödero. At Rulandus animadvertit hanc negligentiam, dicens: Proh dolor! nulla jam Diphrygis eſt nota Chirurgis, imo neque habetur in Pharmacopoliis, adeo res bonæ contemtæ jacent ſocordia. Utinam talia revocarent ad uſum medicum noſtri Phyſici! ſed ſurdis narro fabulam.

DIPHTHERA, διφθέρα. Vide *Iſale.*

DIPLANGIUM, idem, quod *Diploma*, Rhod. *ad Scrib. n.* 73. Vide *Diploma.*

DIPLAO, διπλάω, h. e. *diffringo*, in fragmenta reſolvo. Legitur ap. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 4.

DIPLASIASMUS, διπλασιασμὸς, id eſt, *Duplicatio*, quæ eſt duorum muſculorum, qui ab ipſa ſcapula excipiuntur, ad exteriora poſterioraque membrum circumagunt, quatenus ambo ſimul agentes brachii circumductionem efficiunt, Gal. *l. de muſc. diſſect. c.* 18.

DIPLOE, διπλόη, dicitur oſſis calvariæ *duplicata lamina*, & interior ejus pars rara ac laxa, cavernoſa & molliſſima, qua oſſa inter ſe connectuntur, Hippocr. *l. de cap. vuln. II.* 2. 3. *XXIV.* 3. Galen. *l.* 6. *meth. med. c.* 6. Διπλόη quoque dicitur propria uteri tunica, veluti ex duabus tunicis compacta, pumicis inſtar foraminoſa, de qua vide Rolfink. *O. ac Meth. de Part. gener. dicat. P.* 2. *c.* 23.

DIPLOMA, δίπλωμα, idem, quod διπλοῦν ἀγγεῖον, *duplex vas.* Lat. etiam *Diplangium* dicitur, Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 73. Coquere vero *in diplomate* nihil aliud eſt, quam aquam fervidam in magno quodam lebete continere, ac poſtea vaſculum, quod pharmacum coquendum in ſe habet, imponere, circa lebetem vero præuſtas prunas aut ligna accenſa, fumum non edentia, ſuccendere, & ita coquere, Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 8. Nec caret magna ratione ejuſmodi coctio. Impedit enim, ne ignis violentia diffiprentur eorum vires, quæ coquere volunt. Minus enim aqua fervens agit, quam vel ignis, vel calor ſiccus. In arte deſtillatoria *Diplomati* reſpondet *Balneum Maris* vel *Mariæ*. Vide *Balneum.*

DIPLOOS, *Diplus*, διπλόος, διπλοῦς, ſignificat geminatus, *duplicatus*, duplex. Hippocr. *l.* 1. *Epid. XLVI.* 13. & *l. de morb. ſacro VI.* 6.

DIPNOOS, δίπνοος, *biſpirus*: dicitur de vulneribus penetrantibus, vel de foramine, duobus veluti oculis prædito, Galen. *in Exeg. dict. Hipp.* Foeſ. *p.* 168.

DIPROSOPOS, διπρόσωπος. Vide *Dichromos.*

DIPSA, δίψα, *ſitim* ſignificat, quæ eſt cupiditas animæ ſenſitivæ excitata in ſiniſtro cumprimis orificio ventriculi, tunicaque interna gulæ, faucium & ventriculi, confirmataque per motum aliquem ſpirituum & ſanguinis præcipue, ab effluviis & halitibus ſalſis, muriaticis lixivioſis concurrentibus. Eſtque vel naturalis, quæ omnium prima nuper nati paſſio eſt, Sylvius *l.* 1. *Pr. Med. c.* 1. §. 1. vel Præternaturalis, Aucta, Imminuta, Depravata, Abolita; de quibus omnibus *d. l.* Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 23. meminit *Sitis.* levioris & ſuperficiariæ. Jung. noſtra diſp. V. *de Remor. Purg. th.* 2. & *ſeqq.* Legatur & Dieter. *n.* 210. quamvis ejus cauſſam, nimirum calorem & ſiccitatem non approbemus. Helmont. ſitim vocat præconem laticis vel deficientis, vel alieno vitio corrupti, *tr. Latex humor.* & *Tuſſis n.* 27. Plura vide *in Indice.*

DIPSACOS, διψακὸς, vide *Diabetes.* Eſt alias nomen plantæ, quæ & *Labrum Veneris* & *Carduus fullonum* vocatur.

DIPSAS, διψὰς, nomen eſt ſerpentis valde venenati, à cujus læſione ægri vehementiſſime æſtuant, & ſitiunt, & utplurimum fatiſcentes intereunt, Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 8. Ejus deſcriptionem vide apud Ul. Aldrov. *l.* 1. *Hiſt. ſerp. & drac. c.* 8. Terra quoque arida dicitur διψὰς, *ibid.*

DIPSETICOS, διψητικὸς, dicitur de iis, quæ *ſitim excitant*, & opponitur ἄδιψος. Andr. Tiraquell. *de Nobil. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 1296.

DIPSODES, διψώδης, *ſiticuloſus*, à δίψα, *ſitis.* Vide Dieter. *n.* 212. Hipp. mentionem facit 4. *aph.* 54. & 5. *aph.* 64.

DIPYRENON, διπύρηνον, inſtrumentum Chirurgicum, quod *Specillum* vocatur, biceps, duo capita habens, veluti nucleos averſa ſui parte, ſummaque ſui cuſpide, qua aliquando perforata erat, ut linum velut acus traheret. Meminit Gal. *l.* 2. *de ſem. c.* 1. *l.* 9. *de admin. Anat. c.* 1. Hippocr. vocat μήλην κασσιτερίνην ἐπ' ἄκρου τετρημένην, *Specillum* ſtanneam in extremo perforatum, *l. de fiſtul. II.* 14. Jung. Foeſ. *Oec. d. l.*

DIPYRITES, *Dipyros*, διπυρίτης, δίπυρος, epitheton panis *biſcocti*, ſeu bis ignem experti, qualis panis nauticus eſſe ſolet. Meminit Hippocr. *l. de int. aff. XXIIX.* 16. Jung. Lind. *Ex. XVI.* §. 142.

DIRADIATIO, ἀκτινοβολισμὸς, apud Helmont. ſignificat actum ſpiritus animalis momentaneum, quo defert animæ, vel voluntatis imperium & nutum ad muſcu-

muſculos, ceu organa motus voluntarii, *tr. de Lithiaſ. c. 9. n. 75.* Dicitur & *Irradiatio.* Confirmat hanc ſententiam Charlton. *Oec. An. Ex. XI.* §. 3.

DIRECTORIUS, idem, quod *Dirigens.* Vide p. p.

DIRECTUS, ὀρθός, idem, quod *Rectus*, apud Scrib. *n.* 142.

DIRIGENS, vel *Directorius*, dicitur de medicamentis ſimplicibus, quæ in compoſitione adduntur baſi juvandi gratia, non quidem ad nutum Medici, quod talia ſint, ſed quatenus vel vehiculum præbent, vel quod parti affectæ habeantur veluti appropriata. Schenk. *Synt. Comp. & præſc. med. form. p. m.* 22. *ſeqq.* Jung. *Dogm. Medic. Gen. noſtra. p.* 750. *ſeqq.*

DIS, particula adaugens ſeparationem, v. g. *Diſcocta*, pro coquendo diſſoluta. De hac particula vide Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 375. Italis familiaris particula negationem, vel remotionem aliquam ſignificans in compoſitis vocabulis.

DISCERPTIO, τίλμα. Vide *Tilma.*

DISCESSUS, præter communem & omnibus notam ſignificationem Chymicis peculiariter dicitur ſeparatio unitorum, cum penitius unita caloris ſolventis potiſſimum efficacia ſeparantur, diſceduntque. Hoc perficitur exſpiratione & reſolutione commiſtorum. *Diſceſſus* per *expirationem* eſt, cum pars in ſpiritum attenuata diſcedit. Et expiratio tunc nominatur principaliter, cum in aërem liberum elevatur dimittiturque. Quando enim excipitur, deſtillatio vel ſublimatio nuncupatur, quæ operationes nonnunquam pro *exſpiratione* famulantur. Eſt autem *Expiratio* in humidis vapidiſque, Rul. & Iohnſ. *Lex.*

DISCISSIO, διακοπή. Vide *Diacope.*

DISCOBOLOS, δισκοβόλος, qui *diſcum* in ſublime jaculatur. Comprehenditur ſub Athletis in lata ſignificatione, Dieter. *n.* 11.

DISCOIDES, δισκοειδής, epitheton humoris Cryſtallini, q. *diſciformis*, apud Aët. *l.* 7. *c.* 1. quia habet aliquam compreſſam rotunditatem. Gorr. *d. l.*

DISCOLORATIO, idem, quod *Decoloratio*, ἀχροια. Vide *Achroi.*

DISCORDANTIA, *Diſcrepantia*, διαφωνία, opponitur *Concordantiæ*, vel *Concentui*, *Conformitati*, de qua ſupra vide *Concordia*, ut ex oppoſitione facile innoteſcat.

DISCREPO, διαφέρω, idem, quod *Differo.*

DISCRETA purgatio Fallopio dicitur ea, quæ certum & determinatum humorem evacuat, *tr. de purg. ſimpl. c.* 1. *Tom. I. Op. p.* 4.

DISCRETIO, διορισμός. Vide *Diaſtole*, Gal. 3. *meth. med. c.* 3.

DISCRETIVUS, διαγνωστικός. Vide *Diagnoſis.*

DISCRETORIUM, dicitur etiam *ſeptum tranſverſum*, Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 3.

DISCRIMEN, eſt apud Latinos ambiguæ ſignificationis. Vel enim idem eſt, quod διαφορά, differentia, de quo ſupra, vide *Diaphora.* Vel ſignificat periculum, damnum, Scribon. *n.* 70. Vel etiam eſt nomen faſciæ, reſpondentis *Tholo* Glaucii, Gal. *de faſciis n.* 11.

DISCRIMINATIO, διάφυσις. Vide *Diaphyſis.*

DISCUNEATIO, σφήνωσις, eſt cuneo adacto diviſio, vel divulſio. Dicitur & *Cuneatio.* Tale quid fit, quando ligna finduntur, Hippocr. 3. *de fract. t.* 40. Galen. *in Comm.* Jung. Foëſ. *Oecon. p.* 605.

DISCUS, δίσκος, orbis, ex ferro, ære, lapide, ligno, qui exercendi corporis cauſſa in auras projiciebatur. Pertinet igitur ad exercitia corporis, Gal. *l. de parv. pilæ exercit. c.* 5. Vide *Dioſcobolos.* Aliter expoſuit Andr. Cæſalpin. dicens, *Diſcum* fuiſſe apud antiquos luſorium inſtrumentum, quod, qui longius projeciſſet, victor erat, hodie *Rullam* vocari, ſive ligneam rotulam, quæ filo circumducta & projecta longius rotundo plana tranſfigit *l.* 8. *de Plantis c.* 76. *p. m.* 366. *Diſcus Solis* dicitur Chymicis *Argentum vivum ex auro*, Rul. Sed ab aliis refertur inter non Entia, à Fallopio inter Chymiſtarum mendacia. *tr. de Metall. ſ. foſſil. c.* 37. *Tom. I. p.* 345.

DISCUSSIO, *Diſcutiens*, *Diſcuſſorius*, διαφόρησις, διαφορητικός. Vide *Diaphoreſis.* Verbum *Diſcutio* legitur etiam ap. Scrib. *n.* 12. 44. 206. 214. *& alibi.*

DISEPHTHOS, δίεφθος, *biſcoctus*, idem, quod *Dipyros*, Lang. *l.* 1. *Ep.* 66. Proverb. κράμβη δίεφθος θάνατος. De Braſſica διεφθῶ vide & Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 1.

DISGREGATIO, διαχώρησις, & διαχώρισις, Græcis nominibus dici poteſt pro diverſo conſiderandi modo: Vid. *Diachoreſis* & *Diachoriſis.* Proſper Martian. in *Annotationibus ad Hippocrat.* 1. *aph.* 22. p. 432. 433. per *Diſgregationem*, non ſemper intelligi debere voluit exactam ſeparationem unius ab alio, ita ut diverſa occupent loca; quæ Græce diceretur διαχώρησις, à διά & χῶρα, locus, ſed etiam ſignificare tantum ſeparationem illius mixtionis, quæ eſt in fieri, & diſſolutionem vel deunionem, ita ut unus humor præ altero proprias vires exerat, cui ſignificatui reſponderet Græca vox διαχώρισις, à διά & χωρίζω, ſeparo: quam poſteriorem ſignificationem etiam arripuit D. Wedelius *Pathol. Dogm. ſect.* 2. *c.* 2. 198. 199. *ſeq.* Enimvero, quod uterque celeberrimus Autor *diſgregationem* poſteriorem cauſſam cruditatum conſtituat, mihi ſalva eorum autoritate veroſimile non videtur, niſi per abuſivam cruditatis acceptionem evitandam potius quam inducendam, id explicetur. Certe in cruditate proprie tali non eſt *diſgregatio* humorum urgens, & prædominium unius humoris præ altero; ſed ſolum inſufficiens & imperfecta miſtarum portionum concoctio, ulteriori digeſtione, fermentatione & motu progreſſivo cum calore vitali indiga, ut ad maturitatem & perfectionem perveniat.

DISJUNCTUS, Gr. dici poſſet διάζυγος, διάζευκτος, eſt epitheton morborum apud Fernel. *l.* 1. *Patholog. c.* 10. Suntque *Disjuncti morbi*, qui in diſtantibus ſejunctiſque partibus conſiſtunt, quarum nec functio, nec uſus eſt communis, nec una alteri affectum confert & impertitur. His opponuntur *Conjuncti*, σύζυγοι, & ſubdividuntur in *Connexos* & *Conſequentes*, de quibus vide ſupra ſuis locis. Jung. Linden. *Ex. VI.* §. 19.

DISLOCATIO, idem, quod *Luxatio*, ſcil. egreſſus oſſis e ſede ſua naturali, in qua fuit conjunctum, Avic. *l.* 4. *fen.* 5. *tr.* 1. *per totum.* Foreſt. *l.* 9. *Obſ. Chirurg.* 1. *in Schol.*

DISPENSATIO, διοίκησις. Vide *Diœceſis.*

DISPENSATOR, διοικητὴς, ἐπίτροπος, proprie dicebatur autore Feſto, qui æs penſans expendebat, non adnumerabat. Urbis Romæ quippe initio veteres gravi ære utebantur, Rhod. *ad Scrib. n.* 231. *& in Lex.* In Medicina vero accipitur pro Pharmacopœo, præſertim quando occupatus eſt in componendis medicamentis, ubi prius ſimplicia colligit, & ordinate collocat, dicitur *diſpenſare* in Officinis. Archeus quoque vocatur naturalis *diſpenſator* mineralium à Ger. Dorneo, *in Genealog. Mineral. c.* 8. *Volum.* I. *Chym. Theatr. p.* 575.

DISPENSATORIUM, terminus eſt technicus, notans vel locum & officinam, vel ſæpius librum, in quo agitur de compoſitionibus medicamentorum. Græcis ἀντιδοτάριον fuiſſe dictum, demonſtrat egregie Schenk. *S. C. & P. M. F. p.* 359. Ita habemus in promtu *Diſpenſatorium* Norimbergenſe, Auguſtanum, Londinenſe, Romanum, &c. Helmontius, eadem perſtringens & examinans, ita dici vult à *diſpenſatione* ſive ſubſtitutione unius pro altero, *tr. Pharm. & Diſpenſ. modern. n.* 24.

DISPERSIO, διάσπασις. Vide *Diaſpao.*

DISPERSUS, *morbus*, σποραὶς, vel σποραδικὸς. Vide *Sporadicus.*

DISPLICENTIA, δυσαρέστησις, à δυσαρεστέω, *diſpliceo*, dicitur de hominibus jam ad ſtatum p. n. vergentibus, Melancholicis, Galen. *libr.* 8. *meth. med. Diſplicens corpus* apud Scribon. *n.* 188. exponit Rhodius per marcidum, vulgo Melancholicum. Cœlius Aurelian. *l. de morb. chron. c.* 4. dicit de Veneris uſu, quod *Diſplicere* facit ſibimet corpus cum pallore, & quadam debilitate, vel mœſtitudine.

DISPOSITIO, διάθεσις. Vide *Diatheſis. Diſpoſitio* materiæ conſiſtit in particularum minimarum inter ſe ordinatarum figura ex principiis modernæ Philoſophiæ, Linden. *Ex. X.* §. 20. *Diſpoſitio* & *Diſpoſitum* Paracelſo dicitur ſeparatio per naturam ab Ilech: inde fluit tempus reſolvendi, ſcil. moriendi, rei per rem, materiæ per materiam, naturæ per naturam, corporis per corpus, per ſpecies, per genera, per ſimiles, unum poſt aliud, uſque in conſumtionem materiæ primæ in ultimum Ens. *de Tart. l.* 2. *tract.* 2. *c.* 3.

DISRUPTIO dicitur ſpecies puncturæ vehementioris & majoris, quando punctio pervenit ad carnem, & ita indiget regimine vulneris & regimine doloris. Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 2. *c.* 9.

DISSECTIO, διακοπὴ, ἀνατομὴ. Vide *Anatome*, *Diacope.*

DISSECTOR, Anatomicus. Valeſ. *in Hipp. de alimen.*

DISSENSIO, διαφωνία. Vide *Diaphonia. Diſſenſio*, quæ in verbis cernitur, cum eadem ſententia ſervatur, omittenda eſt; cum ſenſum immutat, non eſt plane contemnenda, Gal. *c.* 3. *de humor. t.* 29.

DISSEPTUM, id eſt, *Diaphragma*, *Septum tranſverſum.* Barthol. *l.* 2. *Anatom. c.* 3.

DISSIDENTIA, διάστασις, διάστημα. Vide *Diaſtaſis*, idem, quod *Diſparatio.*

DISSIMILARIS, ἀνομοιομερὴς. Vide *Anomœomeres.* Idem eſt, quod *Inſtrumentalis*, ὀργανικὸς, Galen. *de diff. morb. cap.* 3. quamvis ſi accurate rem conſideres, etiam *ſimilares* corporis partes ſint organicæ, v. g. Vena, Arteria, Nervus &c.

DISSIMILIS, ἀνόμοιος, *Diſſimilitudo*, ἀνομοιότης, quid ſignificet, notum eſt. Ejus vero rationem quoque habendam eſſe in Medicina, præſertim quoad morbos & ſymptomata, teſtatur Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 20. *ſ.* 1. *de iis, quæ in med. t.* 1. *ſ.* 3. *aph.* 3. & Gal. *in com.* Cauſſam *diſſimilitudinis* creaturarum, ita ut nihil in rerum natura poſſit videri in omnibus & per omnia ſimile cuipiam alteri, eſſe Ignem multiplicem, qui pro diverſitate ſubjecti, in quod influit, variatur, vult Ger. Dorneus *de Tranſmut. metall. cap.* 3. *in Theatr. Chym. Vol.* I. *p.* 503.

DISSIPO, σκεδάω, σκεδάννυμι, idem, quod *Diſpergo.* Ita Galen. *l.* 9. *Meth. med. c.* 17. puerorum ſubſtantiam facillime *diſſipari*, propter humiditatem, ſcripſit. Aliquando etiam idem eſt, quod *Diſcutio*, v. g. *Diſſipare* ſuppurationem, vel inflationes. Scribon. *n.* 89. 263.

DISSOLOGISTOS, διςολόγιστος, dicitur de eo, quod dupliciter efferri poteſt, vel duplicem admittit ſcripturam, apud Galen. *c.* 1. *de iis, q. in med. in principio.*

DISSOLUTIO, διάλυσις. Vide *Dialyſis.* Quod ſi animi defectum denotat, Græce etiam dicitur ἔκλυσις. Præter illam Pathologicam ſignificationem uſitata quoque hæc dictio eſt Chymicis, eſtque prima ſpecies ſeparationis ſive διακρίσεως, Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2. *Diſſolutio* miſtioni opponitur, Gaſto Claveus *in Apolog. Chryſopœiæ & Argyrop. Vol.* II. *Theatr. Chym. pag.* 28. 30. 174. *&c.* & deſcribitur ibidem, quod ſit miſti corporis partium eſſentialium, quæ unicam formam conſtituebant, ſecretio in alias partes, manentibus in illis quibuſdam ſenſibilibus accidentibus prioris materiæ aut ſubjecti. Unamquamque rem *diſſolvi* per rupturam vinculorum, quæ eam ſtringunt, ſcripſit Helmont. *tr. Tar-*

tarus

tarus non in potu n. 18. Talem *diſſolutionem* mixti, præſertim aquarum Thermalium egregie diviſit Fallop. in *Naturalem*, quando portiones in ipſo fluxu quædam ſegregantur, uti videre licet in Thermis Carolinis, ubi canalibus adhæret tophacea materia: & *Artificialem*, quæ triplex eſt: per *Coctionem*, per *Evaporationem* & per *Elambicationem*, *tr. de Aq. Thermal. cap. 9. Tom. I. p.* 222. De diviſione *Diſſolutionis* in *majorem* & *minorem*, vide *Theatr. Chymic. Vol. I. p. 296.* ubi & myſtica, metaphyſica, ſed fortaſſis etiam ridicula definitio *Diſſolutionis* bis occurrit: *Diſſolutio* dicitur cognitio ſeu coitus maſculi cum fœmina metaphyſicus, & iſtius ab illo concipientis id ipſum, quod concipere debet. In Pharmaceuticis etiam *Diſſolutio* vocatur, quando medicamenta ſimplicia & compoſita diluuntur in humore quopiam idoneo ad conſiſtentiam mediocrem, liquidiorem aut craſſiuſculam, uti deſcripſit Joh. Dan. Horſt. *part. I. Diſp. Pharmac. Univ. l. 2. c. 17. p. XXX.* An vero recte Trituræ ſpeciem dixerit, dubitamus.

DISSOLUTUS *morbus* vocatur Dyſenteria apud Walther. *Sylv. Medic. p.* 488.

DISTANTIA, dicitur aliquando pro *Dimenſione.* Vide *Dimenſio.* Gr. διάστασις.

DISTEMPERANTIA, δυσκρασία. Vide *Dyſcraſia. Diſtemperies* idem, quod *Intemperies.* Legitur apud Petr. Mich. de Calderia aliquoties.

DISTENTIO, apud Latinos diverſas obtinet ſignificationes. Vel enim accipitur pro *dilatatione* v. g. arteriarum in pulſu, uti Heraclides apud Gal. *l. 4. de diff. pulſ. c.* 10. & ita reſpondet Græco διαστολή, διάστασις, vel fortaſſis rectius διάτασις. Vide *Diaſtaſis*, *Diaſtole*, *Diataſis.* Vel dicitur de corporis *diſtenſione* in oſcitatione vel hiatu, Gal. *l. 3. de diff. reſpir. c.* 10. ubi in Græco habetur σκορδινώμενοι. Vel notat ſpeciem convulſionis, quæ τέτανος vocatur. Vide *Convulſio.* Hipp. 4. *aph.* 57. Gal. *in com. & l. 3. de L. Aff. c.* 10.

DISTICHIA, *Diſtichiaſis*, διστιχία, διστιχίασις, item διστριχίασις, eſt morbus in numero aucto pilorum palpebræ alterutrius, vel utriuſque, dum alius ſub ordine naturali ordo ſucceſſit, partim à copia ſucci nutritii pilorum proprii, partim à cutis poroſitate pilorum proventui favente dependens, Gal. *in def. Med.* Æginet. *l. 6. cap. 8. & 11.* in quo ultimo mendoſe legitur δυστιχία.

DISTILLATIO, pro *Deſtillatione* ſæpe uſurpatur.

DISTINCTIO, διαίρεσις, διορισμὸς, idem, quod *diviſio*, ſcil. totius in partes, generis in ſpecies, univerſalis in particularia. Significatio eſt notiſſima. Res vero ipſa non caret uſu in Medicina.

DISTORTIO, *Diſtorſio*, διάστρεμμα, διαστροφή. Vide *Diaſtremma*, Hippocr. 2. *de iis, q. in medic. t.* 33. Oculi *diſtortio* ſpecialiter dicitur *Strabiſmus*, item ἴλλωσις, de quibus vide *ſuo loco.*

DISTRACTIO, διάσπασις, deſcribitur à Rul quando partes *diſtrahuntur*, qualibet manente in ſua homogenea. Itaque quaſi divulſio quædam hic fit diverſorum antea cohærentium aut unitorum, citra reſpectum extractionis unius in altero exiſtentis vel comprehenſi. *Diſtractio* autem eſt duplex, *Separatio*, aut *Calcinatio.*

DISTRIBUTIO, apud Latinos diverſimode accipitur. Si de humoribus nutritiis, reſpondet Græco ἀνάδοσις. Vide *Anadoſis.* Vel de excrementis, dicitur Græce διαχώρησις. Vide *Diachorema.* Aliquando etiam ſumitur pro *Diſtinctione*, vel *Diviſione*, apud Libav. *Defenſ. 2. Syntagm. arc. Chym.* contra Henn. Scheunem. *not.* 53.

DITRICHIASIS, διτριχίασις, idem, quod διστιχίασις, eſt oculi morbus, cum pilis naturalibus alii ſubnaſcentes ipſum pungunt, fluoremque concitant. Galen. *introd. c.* 15. Vide *Diſtichia.* Gorr. *p.* 122.

DIVAPORATIO, ἐξάτμισις, dicitur in ſiccis, fumidis, vel halabilibus exhalatio. Nam Chymici ſpiritum tam humidum habent, quam ſiccum. *Divaporatio* inſtituitur in aliquo vaſe, veluti, pro rei conditione, olla, ſartagine, cucurbita &c. Fitque gradibus caloris diverſis. Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

DIVERGO, διαῤῥέω. Vide *Diarrheo.*

DIVERSORIUM, quid proprie ſignificet, aliunde notum eſt. Tropice vero à quibuſdam recentioribus, ni fallor, D. Rivino, dicitur de Glandulis Meſaraicis & Receptaculo lumbari, in quibus chylus e vaſis lacteis affluens moram quandam nectit & affuſione lymphæ diluitur, atque ita ad ulteriorem motum & aſcenſum per ductum Pecquetianum diſponitur.

DIVERTALLUM, Paracelſo dicitur, quicquid ex elementis generatur, *Philoſ. ad Athen. l. 2. text.* 5. eſt generatio elementorum. Rul.

DIVES, πλούσιος, quis dicatur, omnibus notum eſt, ſcil. qui bonis fortunæ abundat. Verum Joh. Fr. Picus Mirandula, *l. 3. de Auro c.* 4. ita deſcripſit: Is proprie *dives* eſt, qui religione imprimis imbutus Chriſti, deinde ſincera pollet ſanitate mentis & corporis, demum auri & argenti faciendi poteſtate præditus eſt. *In Theatr. Chym. Vol. II. p.* 116. 368. 369. Verum ubinam eſt ille albus corvus?

DIVINATIO, *Divinatrix*, πρόγνωσις, προγνωστική. vide *Prognoſis.* Rulandus *Divinationem* deſcripſit, quod ſit incertum præſagium, vel prædictio à cogitatione ex propria luce deſumtis, ut cum dicitur: Hoc mihi mens mea, vel cor præſagiit, vel animus meus angelus indicat. De *divinationibus* licitis vide Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 32.

DIVINUM, θεῖον, apud Hippocr. variis gaudet ſignificationibus. Ita dicitur principium illud & primaria cauſſa rerum humanarum, vel in hominibus, in ſpecie ſexus fœminini, *l. de Nat. Muliebr. I.* 2. 11. Vel ſignificat aliquid ita occultum & incomprehenſibile, cujus cauſſam neque ſenſu, neque cogitatione aſſequi poſſis. *l. de morb. ſacr. I.* 4. 6. 9. *II.* 5. *Prognoſt. ſ.* 1. *t.* 4. Vide Gal. *ad h. l.* In ſpecie à pleriſque Interpretibus accipitur τὸ θεῖον, ſive divinum, pro aëris conſtitutione peculiari, quæ magis proprietate totius ſubſtantiæ,

quam primis ſuis qualitatibus noſtra corpora offendat. Dicitur alias νοσερὰ ἀπόκρισις, Hipp. *l.* 2. *de nat. hum. t.* 4. Confirmat Charltonus *Ex. Pathol. X.* §. 22. & nos *in Dogm. Med. Gen. p.* 191. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 267. *Divina paſſio* dicitur Arculano Amor inſanus, teſte Foreſto *l.* 10. *Obſ.* 29. *in Schol.* Alias Avicennæ & Iliſcus vocatur. Vide *Iliſcus.* De *Divino* in Chymia vid. Libav. *de igne natur. c.* 25. τὸ θεῖον etiam ſignificat *Sulphur.* Vide infra *Sulphur.* Alias epitheton *Divinus* additur quibuſdam medicamentis ceu hyperbolicum Encomium v. g. Aqua *Divina* Fernelii, cujus deſcriptio extat etiam in Iunken *Lex. Chym. Pharm. p.* 1. *p.* 31. Ceratum *Divinum* Sculteti *in ſuo Armamentario Chirurgico*, & multa alia ſic etiam ipſi Hippocrati θεῖος, *Divus*, ſive *Divinus*, epitheton attribuitur, quemadmodum olim inter Philoſophos & ſapientes *Divinus* Plato dictus fuit.

DIVISIO, διαίρεσις, quotupliciter accipi poſſit, legatur apud Gal. *l.* 9. *de Hipp. & Plat. decr. in fin.* De *diviſione* Medicinæ ſpecialis in Commentatoriam & Conſultatoriam vide Rolfink. *in O. ac M. Med. Sp. t.* 1. *ſ.* 1. *c.* 2. *Diviſio* quoque dicitur de operatione Pharmaceutica, quando artifex v. g. maſſam pilularum *dividit* in globulos, vel alias particulas. Vid. *Lex. Scribon.* Rhodii. *p.* 376.

DIVITIÆ, πλοῦτος, quid ſignificet, in triviis notum eſt. *Divitiarum* finis juxta naturam haud longius profertur, quam, ut ne eſuriamus, ne ſitiamus, ne algeamus, Gal. *l. quod opt. Medicus &c.* Hinc *divitiis* præſtare non virtutis, ſed fortunæ munus dixit, *l. de cogn. & cur. an. morb. c.* 9. Vide *Dives.*

DIUM, αἰθήρ. Vide *Æther.* Sub *Dio* exponere vocat προεξαιθριάζειν, Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 2.

DIURESIS, διούρησις, proprie ſignificat *excretionem urinæ*, vel ſeri per meatus urinarios: Unde & virtus διουρητικὴ, medicamentorum & medicamenta *Diuretica*, διουρητικὰ φάρμακα, nomen habent, aut ſalinæ naturæ, aut actualiter humidæ tenuis, ſive ſeroſæ. Hipp. *de affect. XLIV.* 37. *l.* 2. *Prorrh. XXXI.* 7. Gorr. *d. l.* Confer. ad Gal. *l.* 11. *meth. med. c.* 19. & *l.* 5. *de Sim. Fac. c.* 20. Catalogum horum medicamentorum vide paſſim in Practicis, præſertim Rolf. *O. ac M. M. Sp. l.* 9. *ſ.* 4. Egregie etiam de iis ſcripſit Iunken. *Chym. Med. Phyſ. P. II. ſ.* 1. *c.* 4. *p.* 484. *ſeqq.* Foëſius tamen *in Oecon. p.* 167. exiſtimat, vocab. διούρησις, & verbum διουρεῖν, aliquando apud Hippocr. ſumi pro διόῤῥωσις & διοῤῥοῦν, mutatione in ſerum ſive ſereſcentia, ſeroſum fieri. v. g. *l. de ſteril. III.* 14. 15. *l.* 1. *de morb. XXIIX.* 5. 8. *L.* 14.

DIUTURNUS, χρονικὸς, μακροχρόνιος, vide *Chronicus.* Dicitur & *Diutinus.* Junge *Lex. Scrib.* Rhodii *pag.* 376.

DIVULSIO, διάσπασις. Vide *Diaſpao. Divulſio* urinæ eſt, cum hypoſtaſis hinc inde eſt divulſa, & quaſi hinc inde nebuloſa. Parac. *l.* 1. *de Urin. judic. c.* 2.

DIURNUS, ἡμερινὸς, dicitur de morbis & præſertim de febribus, quarum paroxyſmi accidunt in die & opponuntur nocturnis, νυκτερινοῖς. Petr. Mich. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 305.

DIVUS, δῖος, θεῖος, θεσπέσιος, epitheton, quod Viris Claris & Imperatoribus ſolet attribui, ut & Medicis. Ita Gal. *Divum Gaium* vocavit, *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Jung. Rhod. *ad Scribon. p.* 27.

DIYDROS, δίυδρος, idem, quod δίυγρος, Hipp. *l. de intern. aff.* alii legunt διάθερος.

DIYGROS, δίυγρος, *humidum*, perhumectatum ſignificat, vel *dilutum*, Hippocr. *l. de intern. aff. XXII.* 8. *XLVI.* 3. & alias *in eodem libro.*

DIYLISMOS, διυλισμὸς, *liquationem*, *tranſcolationem*, vel *ſaccationem* ſignificat, à verbo διυλίζω, *liquare.* Dicitur de *vino liquato*, οἶνος διυλισμένος. Plura vide apud Linden. *S. M. Ex. X.* §. 219. *ſeqq.*

DLADUS, dicitur *Stella*, quæ habet *Cataractam*, arte ſc. Paracelſ. *fragm. de Anat. Ocul.*

DNOPHERON, δνοφερὸν, *caliginem*, tenebroſum, atrum ſignificat. Ita & δνοφερώδης. Hipp. *l. de morb. ſacr. XV.* 6. 16.

DOCHME, δοχμὴ, *palmum* ſignificat, ſive menſuram apud Græcos, qua rerum dimetiuntur intervalla. Sic dicta eſt ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι. Conſtat ex quatuor digitis, ſubintellige tranſverſis. Vide *Dactylodochme*, item *Palaſte.*

DOCHMOS, δοχμὸς, δόχμιος, h. e. *obliquus*, recurvus. Uſus Hipp. *lib.* 2. *de morb. mul. XXXVI.* 1. Erotian. *Onomaſt. p.* 37. *d.*

DOCIMASTICE dicitur, ars, quæ modum tradit explorandi corpora præcipue foſſilia, ut cognoſcatur, quantum vel metalli vel mineralis in iiſdem deliteſcat, D. Ol Borrich. *in tr. h. tit.* §. 1.

DOCOS, δοκὸς, *trabem*, vel *tignum* ſignificat, quemadmodum & δοκὶς, *trabeculam*, vel parvam trabem. Inter inſtrumenta Chirurgica ad curandas fracturas meminit Hipp. 2. *de fract. t.* 48.

DOCTILETUS, dicitur Paracelſo quoddam remedium contra cancrum. *tr. Labyrinth. Medic. c.* 10. In Indice quoque legitur *Dactyletus.*

DOCTOR, Gr. Διδάσκαλος, eſt notiſſimus honoris titulus, quemadmodum Viris Eruditis, & in aliis ſcientiis atque facultatibus probe peritis & exercitatis, ita & Artem Medicam rite callentibus, publica Superiorum autoritate, præviis examinibus & probationibus probe exantlatis ſolenniter attributus: quamvis non omnibus æquo jure competat, ſed quandoque ſint, qui titulo tali fruantur citra omne eruditionis veræ meritum, quos *Doctorculos ſemicrudos* haud inepte vocavit Lind. *Ex. V.* §. 12. Dicuntur autem Medici *Doctores*, non quod neceſſe ſit, ut doceant alios, ſed quod tantam ſibi Artis Medicæ comparaverint ſcientiam, ut data occaſione alios quoque docere poſſint, Linden. *E. XII.* §. 192. *Doctores*, dicit, h. e. *Imperatores vitæ & necis*, ſatis me hercule ambitioſe, cum Hipp. vocaverit Miniſtros, ὑπηρέτας. Nec male Libav. ſcripſit contra Scheu-

Scheunemann. *defenſ.* 2. *Tom.* 3. *p.* 42. quod quilibet *Doctor* vi juramenti debeat vera docere, & falſa redarguere in ſua profeſſione.

DOCTRINA, διδασκαλία, παιδεία, inter Medico neceſſaria refertur ab Hipp. *Lege II.* 8. Jung. Linden. *Ex.* I. §. 17. Dividitur in latam vel *diffuſam*, Gr. διεξοδικὴν, & *compendiariam*, καὶ ἐπιτομὴν. Illa quidem reddit perfectos artifices: interim tamen neque hæc tanquam inutilis rejicienda, cum ſummam totius rei brevibus complectatur, Gal. 3. *de iis*, *q. in med. t.* 17. Quod vero ſint, qui per compendiariam *doctrinam* non verentur artem noſtram brevem & vitam longam promittere, illi magnopere falluntur, & alios quoque fallunt, cum ad artificem peritum minimè ſufficiat methodus, aut doctrina compendiaria, ſed requiratur longa circa particularia exercitatio, uti rectiſſime hoc paſſim inculcavit Galenus.

DODECADACTYLON, δωδεκαδάκτυλον, nomen *Inteſtini*, inter tenuia primi, à longitudine *duodecim* digitorum tranſverſorum ſic appellati, Latine *Duodenum* dicti, Helmont. *tr. Septuplex digeſtio n.* 2. Cohæret mediante pyloro, ſive orificio dextro ipſi ventriculo. Vid. Galen. *l.* 6. *de Admin. Anat. c.* 9. Olim quidam non dignati ſunt vocare inteſtinum, priuſquam in anfractus orbeſque convolvatur, ſed ipſum ἔκφυσιν, *productionem*, *appendicem*, appellarunt, *cap.* 12. Hodieque clarum inſertione duorum ductuum Biliarii & Pancreatici. Junge Bartholin. *Anat. l.* 1. *c.* 10. qui longitudinem 12. digitorum in dubium vocavit.

DODECATHEON, δωδεκάθεον, epitheton Antidoti cujuſdam ex duodecim ſimplicibus conſtantis, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 11.

DODRA, antiquis potionis genus ex novem ſpeciebus confectum. Raymundus Mindererus, *Aloedarii c.* 12.

DODRANS, σπιθαμή, nomen ponderis & menſuræ in quantitate continua & diſcreta uſitatum, ſignificans tres quartas partes totius, v. g. novem uncias, aut duodecim digitorum. Occurrit apud Scribon. Larg. *n.* 42.

DOEDYX, δοίδυξ, ſignificat *Cochleare*. Significat & *Radium* ſive *Piſtillum*, cum quo aliquid in mortario tunditur. Gorr. *p.* 114.

DOGGA proprie nomine Arabico vocatur *Panaritium* ſive *Reduvia* apud Avenzoar *l.* 8. *Theor. c.* 18. & *l.* 4. *Pract. c.* 17. allegante Ingraſſia, *com. in Avic. l. de Tum. p. n. p.* 289.

DOGMA, δόγμα, in genere *ſententiam* vel opinionem de aliqua re vel materia ſignificat, C. Hofm. *in com. ad Gal de V. P. n.* 53. Unde quædam *dogmata* ſunt incerta, quædam probabilia, quædam abſurda &c. Galen. *l.* 8. *de Hipp. & Plat. decret. c.* 9. & *alibi.* Enimvero aliquando ſpecialiter & accurate *Dogma* Medicum dicitur, quod nititur vera ratione & experientia. Hinc &, *Medicina Dogmatica* & *Medici Dogmatici*, δογματικοὶ, item λογικοὶ, contradiſtinguuntur ab aliis ſectis, Methodica & Empirica, earundemque ſectatoribus, Galen, *de ſubfig. Empir. c.* 7. 8. & 9. & *alibi*; *l. de ſecta*, *de opt. ſect. &c.* Jung. Gorræum *d. l.* & alios.

DOLICHOLITHOS, δολιχόλιθος, hoc nomine appellavit D. Georg. Hier. Velſchius lapidum genus ex Comitatu Tyrolenſi ad ſe allatum, nigricans, Phaſeolcs magnitudine & figura accurate repræſentans, attritione nonnihil odoratum. *Ephem. Nat. Cur. Ann. I. Obſ.* 157.

DOLICHOS, δολιχὸς, interdum & δόλιχος, triplicem habet ſignificationem. I. notat legumen oblongis ſiliquis conſtans, quod aliis *Phaſeolus*, aut *Lobus* dicitur Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 28. Deinde ſignificat *Curſum*, aut certum curriculi ſpatium, duodecim, aut ſecundum alios, viginti quatuor ſtadiorum, & ita curſum diu continuatum, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 10. *fin.* Junge C. Hofm. *comm. ad Gal. de V. P. n.* 481. ubi & δολιχεύειν, i. e. *dolichum currere*, & δολιχοδρομεῖ legitur. Denique adjectivum eſt, & ſignificat *longum*, prolixum. Vide Lexicographos.

DOLIUM, πίθος, quid ſignificet, & pueri norunt. Varium quoque uſum habent *dolia* in arte Medica & Pharmaceutica. Præſertim vaporarii hydropicorum per *dolium* meminit Gal. *l. de util. reſp. c.* 4. *Dolia*, quæ muſto vel vino replentur, collocanda eſſe cum interſtitio, ne inter ſeſe vitio ſerpant, ex Plinio *l.* 14. *c.* 21. notavit Linden. *Ex. X.* §. 184. *Doliolum* diminutivum eſt, Græc. πιθάριον. *Doliola* ex Tamarice parata ſpleneticis proficua laudat Rhod. *ad Scribon. c.* 128. Parantur etiam ex larice, junipero, betula &c.

DOLOR, ἄλγος, ἄλγημα, ὀδύνη, πόνος, &c. in genere triſtis eſt ſenſus, ut *Voluptas* blandus, vel ſuavis, Gal. *l.* 2. *de L. A. c.* 2. Unanimi quoque Medicorum conſenſu certum eſt, *Dolorem* non eſſe morbum, ſed ſymptoma; & quidem Actionem læſam. Qualis vero actionis læſæ ſpecies ſit, nondum expeditum eſt. Plerique veteres & recentiores ſtatuunt, actionem eſſe *Depravatam*, & quidem actionem *Tactus*; Nobis vero veriſimilius videtur, eſſe *p. n. Auctam*, uti demonſtravimus *in Dogm. N. Med. Gen. n.* 273. *ſeqq.* Alii referunt ad Animi paſſiones ſive Affectus, v. gr. Willis *de An. Brut. Part. I. c.* 9. & Charlton. *Ex. Barthol.* 8. Differentiæ *doloris* ſunt multifariæ, v. gr. *Dolor* Gravativus, Tenſivus, Acutus, Punctorius, Rarus, Levis, vel cum ſtupore quodam Pulſativus, Ulceroſus, Pruriginoſus, Criticus, &c. Inter recentiores videatur & Laur. Bellin. *in ejus opuſc. Medic. tr. de morb. cap. p.* 568. *ſeqq.* Cauſſa *doloris* proxima conſiſtit in ſolutione continui partium nervoſarum repente & cum vehementia, ſed diverſimode fiente, unde anima mediantibus ſpiritibus animalibus perſentiſcit. Cæterum quod vocab. *Dolor* etiam ſumatur pro ipſo morbo & parte affecta, patet ex Rhod. *ad Scrib. in Not. p.* 16. & Rob. Keuch, *ad Q. Seren. in not. p.* 116.

DOLUS, δόλος, δολοφροσύνη, ſignificat *deceptionem*, fallaciam, aut circumventionem. Hunc Medico quandoque eſſe licitum, teſtatur Rolfink. *O. ac M. M. Sp. l.* 14.

l. 14. *ſ.* 13. *c.* 17. & aliæ Obſervationes. Omnis vero *dolus malus* abſit à Medico, ceu viro probo, cui ſuprema lex eſt: Salus Ægri. *Fallacias* etiam Chirurgicas quære apud Sculcet. *Arm. Chirurg. in Indice primo lit. F.*

DOMESTICUS, οἰκεῖος, quid proprie ſignificet, huc non pertinet, & cuilibet notum eſt. Per tranſlationem in Medicina notat id, quod alicujus naturæ eſt familiare, conveniens, accommodum. Unde & morbi quidam dicuntur *domeſtici*, h. e. οἰκεῖοι, Hipp. 2. *aph.* 34. Vide Dieter. *n.* 605. Ita & de muliere quadam ſibi familiari, vel *domeſtica* uſurpat Hipp. *de nat. puer. IV.* 9. Hoc quoque epitheto exornatur *Syrupus de Spina Cervina* in Diſpenſatoriis, quando *Domeſticus* vocatur, haud dubie ad commendationem pro uſu frequentiori, quamvis non ubique ſit in uſu ob nauſeam & ſegnitiem, ob quas etiam exulare juſſit Ludovic. *in Pharmac. Diſſert. I. p.* 152. Alii vero ejus uſum in infantibus valde commendare non verentur.

DOMINA, δεσπότις, quid ſignificet, ex aliis Lexicis jam conſtare debet. In Medicina vero præbet epitheton aquæ ad partum & menſes promovendos pretioſioris Mynſichto, ut Aquam *Dominarum* vocaverit *Arm. ſect. XIX.*

DOMINATUS, δυναστεία, à δυναστεύω, *dominor*, dominatum teneo, prædominor. Dicitur vel de tempeſtate, quæ vel in toto anno, vel in certa ejus parte prævalet & *dominium* obtinet, Hipp. 3. *aph.* 5. Gal. vocavit κρατῆσαι, c. 3. *in* 3. *Epid. t.* 8. vel de humoribus prærogativam præ aliis & ſuper alios habentibus, 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 18. ubi προστάσις legitur, quod vocab. Gal. *per dominatum* expoſuit, à verbo προεστάναι, præeſſe. Vid. Dieter. *n.* 214. Ita Aër dicitur δυνάστης, *dominus*, dominans, prædominans in omnibus ſymptomatibus, Hipp. *l. de flatib. IV.* 9.

DOMITUS, ſupin. verbi *Domare*, accipitur pro *valde coctio* à Q. Sereno in hoc verſu: *Ovum valde teres domitum ferventibus undis*, Gr. κάθεφθον. Vide Keuch. *in not. ad illum p.* 153.

DOMUS, *Domicilium* (veteribus *Domicolium*, teſte Keuchen. *d. l. p.* 128.) Gr. οἶκος, quid ſignificet, nemini non notiſſimum eſt. *Domorum* vero quoque rationem eſſe habendam Medico, exemplo reconvaleſcentium demonſtrat Galen. *l.* 7. *Meth. med. c.* 6. Jung. *l.* 10. *c.* 8. & *alibi*. Ita inter cauſſas morbificas refertur *domus* recenter calce illita à Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 8. (ad quem locum adde C. Hofmann. *comment. n.* 465.) *comm.* 1. *in* 1. *Prorrh. t.* 8. *l. de Uſ. reſpir. cap.* 4. *&c.* Quomodo *domus* elotæ, vel clauſæ virus peſtilens infringant, ſcripſit Helmont. *in Tumul. peſtis.* §. *Præſervatio.* Cæterum vox *Domus* per metaphoram cochlearum quoque teſtis & ſpeluncis ferarum tribuitur, docente Keuchen. *ad Seren. p.* 185.

DONO, ἐπιδίδωμι, ſumitur interdum pro *Exhibeo*, Do, Scribon. *n.* 13. quamvis Barthius parum Latine dictum judicaverit, *lib.* 49. *adverſ. c.* 16.

DONUM, δῶρον, vide *Doron. Donum Veneris* quid dicatur Chymicis, vide apud Libav. *defenſ. I. contra Scheunemann. T. III. Oper. p.* 20.

DORCADIZON, δορκαδίζων. Vide *Caprizans.*

DORCAS, δορκάς. Vide *Capreolus.*

DOREA, qui interdiu, non noctu videt, Rhaſ. & Mer. *de affect. oculor. c.* 1.

DORIS, *Doridos humor*, ſignificat *aquam marinam*, præſertim apud Poëtas. Uſus Q. Serenus *in Medicina metrica.* Vide Keuchen. *in not. ad illum p.* 159. 271.

DORMIO, vide *Somnus. Dormire* an aperto ore conducat? vide C. Hofmann. *in comm. ad Gal. de V. P. n.* 402. 813.

DORMITATIO uſurpatur pro ſomnolentia ab Hartmanno in *Prax. Chymiatr. T. I. p.* 97. *edit. Cardeluc.* de oleis Chymice deſtillatis, in ſpecie de uſu olei Croci.

DORON, δῶρον, ſignificat *donum*, rem aliquam gratis ab altero acceptam. Ita ipſa quoque Medicina *Donum Dei* jure dicitur, & Medicus à Siracide *cap.* 38. Ita ſanitas inter bona temporalia præſtantiſſimum *Dei donum* laudatur. Porro Græc. δῶρον idem ſignificat, quod δοχμή, *palmus*; unde δίδωρον, τετράδωρον, πεντάδωρον, &c.

DORPESTOS, δόρπηστος, aut δορπηστός, ſignificat *cœnam*, aut cœnæ tempus, apud Hipp. *l.* 5. *Epid. XI.* 17. Jung. Foëſ. *p.* 169.

DORPOS, δόρπος, idem, quod δορπηστός, *cœna*, Gorr. *p.* 114. quamvis Lang. *l.* 1 *ep.* 55. per *prandium* verterit, quod & cœnam ἐπιδορπίδα dici ſtatuerit.

DORSALIS, νωτιαῖος, dicitur de *Medulla ſpinali* à Gal. 5. *aph.* 65. Eſt etiam epitheton certæ ſpeciei Atrophiæ, quæ dicitur *Tabes Dorſalis*, quæ libidinoſis & Veneri nimis deditis familiaris; in qua febris expertes bene quidem comedunt, nihilo tamen minus colliquantur & marceſcunt, conquerentes ſibi videri ex ſuperioribus partibus à capite veluti formicas in ſpinam prorepere, & una cum urinæ alvique excretione ſemen quoque liquidum copioſe effluit, unde ad generationem poſtea fiunt inepti. Cujus cauſſa ſine dubio in ſucci nutritii ſanguiniſque tenuioris vitio colliquativo ſpiritus quoque animales irritante conſiſtere videtur.

DORSUM, νῶτον, in plur. νῶτα, dicitur poſterior pars Thoracis, ſive medii ventris à cervice uſque ad ſeptum tranſverſum. Celſus vocab. νῶτον plerumque reddidit per ſcapulas, *in text. Hippocr.* 2. *Prorrh. XXXVI.* 14. 15. *XLIV.* 3. 6. *aph.* 22. Verum ſtrictius, quam par eſt, recte animadvertente Foëſ. *Oec. p.* 436. Alii latius acceperunt *Dorſum*, dicentes totam poſteriorem corporis partem ab occipite uſque ad extremum Coccygem, triginta quatuor vertebris compactam, uti Ariſt. *l.* 1. *Hiſt. An. c.* 15. Verum accuratius Anatomici lumbos & os ſacrum cum coccyge ad continentes imi Ventris ſive abdominis referunt; *Dorſum* vero poſteriorem Thoracis partem conſtituunt. Bartholin. *l.* 2. *Anat. in proœm.* Gr. dicitur μετάφρενον, Gal. *Introd. c.* 10.

c. 10. Pars naſi ſuperior oſſea & immobilis dicitur Dorſum, cujus pars acuminata *Spina* vocatur. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 10. Bidloo *Anat. Tab. XIII. fig.* 1.

DOSIS, δόσις, uſitatiſſimum Medicis vocabulum, quo innuitur *quantitas* medicamenti, vel ſimplicis, vel compoſiti, quæ una vice homini præſertim ægro exhibetur. Ejus inventio determinata adeo eſt difficilis, ut nihil ſit, quod in praxi Medica artem magis reddat conjecturalem, quam ſingulorum præſidiorum quantitas, Gal. *de cur. rat. p. S. M. c.* 12. Nihilominus omnem operam impendat Medicus, præſertim in purgantibus, ne vel ægrum in diſcrimen vitæ conjiciat, vel Medicus ſeſe ludibrio exponat, Paracelſ. *defenſ.* 3. *& Paragr. l.* 3. *c.* 4. §. 1. Vid. *Dogm. noſtr. Med. Gen. P. VI. c.* 5. *p.* 755. *ſeqq.* & *not. ad Jeſſen. de Sang. V. S. miſſ. p.* 131. De *Doſibus* plerorumque medicamentorum vide præter alios, apud Schroder. *l.* 1. *c.* 33. & Excell. D. D. Georg. Franci, Prof. Heidelberg. *Appendicem Synopſeos Inſtit. Medic. continentem Delineationem Doſium Medicamentorum.*

DOTHIEN, δοθιήν, id eſt, *Furunculus*, Gal. *l.* 2. *meth. med. c.* 2. de quo nomine notavit Galenus, quod nec locum affectum repræſentet, nec cauſſam, quæ ipſum efficit. Significat autem tumorem ἀποςηματώδη, ex craſſis humoribus in carnoſis plerumque partibus conſiſtentem, mitem quidem, cum ſolam cutem occupat, ſed pervicacem & malignum, ubi ſubter actis radicibus erumpit, *l. de tum. p. n. c.* 15. Jung. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 7. Eſt ex genere inflammationum in abſceſſus degenerantium, & reſpondent *Varis*. Meminit quoque Hipp. *l. Affect. XXXV.* 12. *& l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 28. Vid. & Ægin. *l.* 4. *c.* 23. Junge Sennert. *l.* 5. *Med. Pr. p.* 1. *c.* 9. Cauſſa ejus conſiſtit in ſanguinis craſſioris & fœculenti extravaſati collectione.

DOXA, δόξα, duplicem habet ſignificationem: (1) notat *opinionem* incertam de aliqua re. Unde, qui tales fovent opiniones, dicuntur δοξαστικοί. (2) ſignificat famam, *gloriam*, & honorem, cujus etiam rationem probe habere debet Medicus, monente Hippocr. *l. dec. orn. V.* 8. ad quem locum vide egregiam Exercitationem Linden. *S. M. Ex. II.* §. 23. Vide & *Gloria.*

DRACATIUM, id eſt, *Saturnus*. Rul. & Iohnſ.

DRACHMA, δραχμή, nomen eſt ponderis & menſuræ. Duplex fuit olim, *Ægyptia*, & *Attica*. Illa pendet obolum, ſcribente Cleopatra; hæc vero ſcrupulos tres, vel obolos ſex, qualis etiam hodieque uſitata eſt in officinis. Harum octo faciunt unciam. Signum eſt ʒ. Olim fuit, ☋. Gal. *de ponder. & menſ. cap.* 2. Menſuralis *drachma* etiam octava pars unciæ eſt, & nonageſima ſexta libræ. Dicebatur & olim ὁλκή, *Holca*, cujus nota fuit  Galen. *d. l.* Vide Gorræus *p.* 115.

DRACHUM, eſt terminus Paracelſicus obſcurus, cujus meminit *in Philoſophia l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 3. *in fin.* *Caſtelli Lexic. Med.*

Videtur denotare ultimam diſſolutionem elementi aquæ, vel ejus conſumptionem.

DRACO, δράκων, eſt vocabulum multæ ſignificationis. (1) nomen eſt *piſcis marini*, qui & *Araneus* à quibuſdam vocatur, cujus pleniorem deſcriptionem legeſis apud Aldr. *l.* 2. *de piſc. c.* 50. De hujus ictu venenato & remediis adverſus illum egit quoque Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Sulphur*, *& l.* 11. §. *Draco marinus &c.* Alias caro ejus inter alimenta nihilominus refertur, & quidem duræ carnis, *l.* 2. *de Al. fac. c.* 31. (2) ſignificat *Serpentem* variæ formæ & magnitudinis monſtroſæ, de quo legatur d. Aldrov. *l.* 2. *de Serpent. & Dracon. c.* 12. ubi ſtatim ab initio homonymiam hujus vocabuli prolixe declarat. Huc referri debent obſervationes de *Draconibus Carpathicis*, & eorum ſpeluncis, quæ extant *in Ephem. Nat. Cur. An. III. Obſ.* 139. *&* 194. Præter has proprias ſignificationes (3) à Spagyricis frequentiſſime tribuitur hoc nomen *Mercurio*, ſive *Argento vivo*, non ſolum in operationibus Lapidis Philoſophici, uti videre eſt *in ſcriptis* Baſilii Valentini, & paſſim *in Theatr. Chym.* Rul. *in Lex.* Libav. aliquoties; ſed & in operationibus medicamentoſis e Mercurio paratis. Ita Mercurius dulcis ſublimatus ſive meteorizatus dicitur *Draco mitigatus*, Schrod. *l.* 3. *c.* 15. *p.* 406. Duo *Dracones* Quercetani ſunt Argentum vivum ſublimatum & Regulus Antimonii, Libav. *Apoc. Hermet. Part. prior. c.* 9. *Draco* etiam dicitur *Sulphur*, quod extrahitur e corporibus per magiſterium, Luc. Rodargirus *de ſolut. Philoſ. c.* 6. *in Th. Chym. Volum. V. p.* 735. Reliquas ſignificationes ceu huc non pertinentes omittimus.

DRACONITES, *Dracontias*, ſive *Drachates*, δρακοντίας λίθος, nomen Gemmæ lapideæ, de qua Plinius pluribus *l.* 37. *c.* 19. quod fiat e cerebro draconum. Sed niſi viventi abſcindatur, nunquam gemmaſcit, invidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus draconibus caput amputari debet, & ita auferri. Rul. Ei tribuunt virtutem, omnia venena fugandi, & venenoſos morſus curandi. Tales etiam *Draconites* ex noſtris Hydris & Chelydris colligi ferunt nonnunquam, de quibus idem Rul. opinatur, vel ex cerebro hydriorum colligi, vel ex ſpuma per attritionem mutuam excitata generari. Enimvero Fr. Hofm. detexit hanc fraudem dicens, concurrere circumforaneorum impoſturam, plebeiis obtruſam, dum nihil aliud ſunt, quam Chelæ vel Squillæ marinæ, quæ dentatæ ab uno latere interiore ſemifalcatæ, ebore quovis nitidiores, quas affabre ea parte, qua dearticulatæ fuerunt, committunt, capſuliſque oſſeis & ligneis decenter inſerunt, vulgo ſchlangen-krönlein. *In Clav. ad Schrod. l.* 3. *c.* 8.

DRACONTION, δρακόντιον, Latine *Dracunculus*, duplicem potiſſimum habet ſignificationem: *Botanicam*, quæ non eſt hujus loci, dum plantam Aro ſimilem acrioris facultatis denotat. Ruland. vult, etiam hoc nomen competere Craſſatellæ vel Ophiogloſſo, in *Lex.*

Et *Pathologicam*, quando ſignificat ulcus, quod latio-nem habet nervi à proxima parte. Dicitur vero *Dracunculus*, quod nervus in motibus membri recedat in ulcus, & ſeſe in ullo occultet, Galen. *in def. Medic.* Vel ſunt corpuſcula nervoſa, frequentius in tibiis genita, calore, craſſitudineque lumbricis ſimilia, in Arabiæ locis familiaria. Gal. *l. 6. de loc. Aff. cap. 3.* quem tamen affectum ipſe nunquam vidit. Aëtius ex Leonida *Dracunculum* lumbrico ſimilem eſſe dixit, interdum magnum, alias parvum reperiri, & frequentius quidem in cruribus, aliquando vero & in brachiorum muſculis oriri & conſiſtere; naſci autem in Æthiopia atque India maxime pueris, lumbricis latis non abſimilem, moverique ſub cute ſine moleſtia, verum temporis progreſſu circa *Dracunculi* extremitatem ſuppurationem fieri, cuteque aperta *Dracunculum* caput exerere, quem ſi quis tentet attrahere, dolorem ingentem moveri, præſertim ſi eum abrumpi contigerit. Quod enim intus relinquitur, acerbiſſimos dolores excitare, proinde ut ne intro animal recurrat, valido filo brachium conſtringi oportere, idque quotidie agendum eſſe, ut *Dracunculus* progrediens paulatim integer excludatur. Verum Soranus, ut refert ex eo P. Ægineta, *l. 4. c. 59.* non exiſtimat animal eſſe, ſed nervoſam quandam ſubſtantiam, quæ opinionem motus ſolum præbeat. Sed quid revera ſit, nemo Medicorum explicare poteſt, qui Europam incolunt; poſſe tamen animal eſſe, ratio nobis dictitat, cum non modo in ventriculo atque inteſtinis creari, verum etiam ex cute erumpere tum pediculos, tum majora quandoque animalia, compertiſſimum habeamus ex hiſtoriis. Incertitudinem quoque hanc, quid de veterum *Dracunculis* ſtatuendum ſit, non diffitetur Horſt. *l. 8. Conſult. & Epiſt. Medicin. Obſ. 8. Tom. II. oper. p. 409.* Meminit & eorundem *in Inſtit. Med. Diſp. XI. in additam. Tom. I. oper. pag. 299.* Item Caſp. Reies *Camp. Elyſ. quaſt. 36. n. 7.* Jungatur D. Etmülleri Obſervatio de *Crinonibus*, quæ extat *in Actis Eruditor. Lipſienſ. An. 1682.*

DRACUNCULUS, δρακόντιον. Vide *Dracontion.*

DRAGANTUM, vel idem, quod *Tragacanthum*, ſpecies Gummi cujuſdam, vel eſt idem, quod *Vitriolum*, vulgo *Zegi*, præſertim *Hiſpanicum.* Rul. *in Lex.*

DRAGETA, idem, quod *Tragea*, apud Foreſt. *l. 3. Obſ. Chirurg. O. 3. in Schol.*

DRAGMIS, δραγμὶς, dicitur *Pugillus*, quantum tribus digitis comprehenditur, Hipp. *l. 2. de morb. LIII. 26. l. 1. de morb. mul. CI. 58. l. de nat. mul. XXIX. 11. XC. 4. l. de int. aff. LIIX. 6.* Interdum ſcribitur per χ, δραχμὶς, quam ſcriptionem etiam Linden. retinuit. Verum videtur accuratior eſſe per γ, δραγμὶς, quia deſcendit à verbo δράττω, prehendo: unde & δράγμα, *manipulus.*

DRAPTOS, δραπτὸς, *dilaniatum*, divulſum, dilaceratum ſignificat. Gal. *in Exeg. dict. Hipp.*

DRASTICOS, δραστικὸς, i. e. *Activus.* Uſurpatur de Medicamentis præſentis efficaciæ & multarum virium, in ſpecie de purgantibus fortioribus uſurpari quoque ſolet.

DRIFF, *Drif*, Helmontio dicitur *Lapis Butleri*, vel ejuſmodi poteſtativum fermentativumque remedium, tr. *Butler.* Paratur ex uſnea, ſale marino, & ente veneris, cum Ichthyocolla ſoluta, habeturque *Periapton Salutis Magneticum*, quo ſolo attactu extremo linguæ apice ſalutem afferri creditur *Ephem. Nat. Cur. Ann. II. Obſ. 53. Schol.* Plura de *Drif* vide apud Joh. Marcum Marci *in Philoſ. veter. reſtit P. IV. ſect. 1. ſubſect. 9.* Ejus efficaciam ſuſpectam reddere auſus eſt D. Ludov. *in Pharmac. Diſſert. I. p. 125.* Alii ex modernis docent parari *Driff* ex capite mortuo Vitrioli Veneris beneficio ſalis volatilis urinæ à fœtore liberati: differt hoc Driff a Mercurio Diaphoretico ut & Oleo Vitrioli Veneris. D. Etmüll.

DRIMYLEON, δριμυλέων, i. e. *acris leo.* Ita impudentiſſime appellaſſe Menodotum Empiricum omnes Medicos & Philoſophos, qui ratione niterentur δριμυλέοντας & δριμυμώρους: id eſt, *acres fatuos*, ſive ſtultos, teſtatur Gal. *l. de ſubfig. empir. c. 13.*

DRIMYMOROS, δριμύμωρος, *acris ſtultus.* Vide *Drimyleon.*

DRIMYPHAGIA, δριμυφαγία, ſignificat *eſum acrium.* Uſus aliquoties hac voce Dioſcorides: uſi & alii Medici. Gorræus *in defin. p. 116.*

DRIMYS, *Drimytes*, δριμὺς, δριμύτης. Vide *Acre.* Confundi interdum cum *Acido*, τῷ ὄξει, docet Galen. 1. *in 6. Epid. t. 29.*

DROGISTA, μυρεψὸς, μυροπώλης, idem, quod *Pigmentarius*, Pigmentorum inſtitor. Rhod. *ad Scribon. in not. p. 62.*

DROMEDARIUS, vel *Dromeda*, eſt genus *Camelorum*, cujus deſcriptionem pleniorem vide apud Aldrovand. *l. de quadrup. biſulc. c. 34.* & circa ſtructuram Anatomicas obſervationes in Oldenburg. *Actis Philoſoph. Ann. 1669. in Julio.*

DROMOS, δρόμος. Vide *Curſus.*

DROPACISMUS, δρωπακισμὸς, vide *Dropax.*

DROPACISTOS, δρωπακιστὸς, dicitur vel de *Dropacibus*, vel de ſimilibus topicis medicamentis, quæ *dropacum* modo illinuntur, quæ alias à Galeno appellantur πιττωτὰ, *Picata* medicamenta. *c. 3. de iis, q. in med. t. 32.*

DROPAX, δρώπαξ, eſt medicamenti Rubificantis forma quædam, interdum liquidioris, in modum malagmatis, interdum ſiccioris, emplaſtri modo, prout uſus exigit, parata, vel ad alimoniam & vitam partibus conciliandam, vel etiam ad vitia inveterata & contumaciora educenda inventa. Dividitur in ſimpliciorem, & compoſitum: in *Dropacem* veterum & recentiorum. Vid. Morell. *Form. rem. l. 2. ſ. 1. c. 14.* Schröder. *l. 2. c. 53.* Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Dicitur & *Picatio*, πίττωσις, item, δρωπακισμὸς. Rolf. *O. ac M. Med. Sp. l. 4. ſ. 9. p. 2.* Vocatur & ψίλωθρον, *depilatorium*, ab effectu, quod pilos evellat. Keuchen. *ad Q. Seren. p. 196.*

DRO-

DROSATUM, δροσάτον, idem, quod *Roſatum*. Keuchen. *d. l. p.* 226.

DROSOMELI, δροσόμελι, *mel roſcidum*, quod & ἀερόμελι vocatur, q. d. *mel aërium*. Hodieque dicitur *Manna*. Junge Galen. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 39. Vide *Mel: Manna*.

DROSOS, δρόσος. Vide *Ros*.

DRUPA, δρυπετής, epitheton Olivæ, q. d. *decidua*, caduca, Æginet. *l.* 1. *c.* 81. De hoc vocab. vide Hier. Mercurial. *Var. Lect. l.* 1. *c.* 3. & C. Hofmann. *l.* 5. *V. L. cap.* 1.

DRYINUS, δρύινος, q. d. *Querculus*, nomen ſerpentis veneno ſiſſimi, & fœtentis, cujus meminit Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 8. Æginet. *l.* 5. *c.* 15. Ita dicitur, quia ad quercuum radices degit. Delineationem & deſcriptionem ulteriorem vide apud Aldrov. *l.* 1. *Hiſt. ſerpent. & drac. c.* 14. Dicitur & *Chelydros*, χέλυδρος.

DRYOPETIS, etiam ſignificat *Ranunculum viridem*, ſive *Calamiten*, à calamis, in quibus degit, ita dictum. Schröder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 31.

DRYPETES, δρυπετής. Vide *Drupa*. Dicitur etiam *Drupus* de aliis fructibus maturis & deciduis. Gorræus *d. l.*

DUA, pro *Duo*, antique dici, patet ex Scribon. *num.* 45. 81. 82. 156. *&c.* pondo *dua*. Vide Rhod. *in Indice Scrib. p.* 376.

DUALITAS, δυάς, i. e. numerus binarius, quam nonnulli materiam infinitam eſſe dixerunt, ſed ſtulte, judicio Galen. *l.* 3. *de dieb. Crit. c.* 11. *Dualitatem* morbum dixit, quemadmodum *Unitatem* ſanitatem, Ger. Dorneus *in tract. de Vita brevi*, *Tom. I. Theatr. Chym.* imo mortem per diſſectionem ab unitate receſſum & corruptionem. Idem *tr. Phyſica Geneſis. p.* 357.

DUAMIR, ſpecies Serpentum ingredientium compoſitionem Theriacæ. Rul. Sunt ergo Viperæ.

DUBEL COLEPH, eſt compoſitio e Corallio & Carabe. Rul. *in Lex.*

DUBELECH, dicitur apoſtematum cavitas in genere manifeſta cum ſolutione continui. Rul. & Iohnſ.

DUBLETUS, idem, quod *Nodus*, eſtque Tumor pituitoſus ad abſceſſus cum folliculo pertinens. Amat. Luſit. *cent.* 3. *cur.* 100. *in Schol.* Foreſt. *Chirurg. Obſ. l.* 3. *O.* 7. *Schol.* Habetur alias pro vocabulo generali apud Arabes, quod æquipollet Græco ἀπόστημα & Latino *Abſceſſus*, ſive *Vomica*, I. H. Velſch. *ad Marcell. Cuman. Obſ.* 8. *Cent. I. p. m.* 38. Legitur & *Dablet* ibidem. Item *Dubelet* & *Dubeletti* in operibus Meſuæ *fol.* 362. *b.*

DUCIA à Barbaris dicta fuit *Gutta*, vel *Cura per Stillicidium*, Fallop. *tr. de aq. therm. & met. c.* 10. & 13. *Tom. I. p.* 229. 249. Apud Andr. Baccium legitur *Duccia*, cujus duplicem modum tradidit *de Therm. l.* 2. *c.* 14. *p.* 112. *ſeqq.* Inter Balnea etiam Lucenſia quartum vocatur de *Ducciis l.* 3. *p.* 313.

DUCO, ἄγω, i. e. *Educo*. Vide *Ago*. Aliquando *ducere* etiam idem eſſe, quod *Bibere*, monſtrat Keuchen. *ad Q. Seren. pag.* 193. 194. Alias *Duco* ſumitur pro *Traho*, ἕλκω. Unde.

DUCTILIS, *Ductibilis*, ὁλκιμος, εὐόλκιμος, dicitur de eo, quod diſtractum propter viſciditatem non divellitur, ſed continuum manet. Uſurpatur de farina triticea, Hipp. 2. *de artic. t.* 44. *vel* 45. Per metaphoram etiam Galen. attribuit dolori hepatis continuato & qſ. viſcido, *lib.* 2. *de L. Aff. cap.* 8. Ita & Metalla *Ductibilia* vocantur omnia, quæ ſunt liquabilia, quæ originem ducunt ex Mercurio. Nam materia eorum eſt ſubſtantia aquea, miſta cum ſubſtantia terræ, commiſtione forti, & non poteſt unum ab altero ſeparari. Richard. Anglicus *in Correctorio c.* 5. *Theatr. Chym. Vol. II. pag.* 288.

DUCTUS, ab Anatomicis ſæpe ſumitur pro *Canalis*, σπλήν. Vide *Canalis*. Ita apud Bartholin. leguntur *Ductus* Chyliferus *libell.* 1. *c.* 3. *appendic.* 2. *Ductus* Lactei, Roriferi, Biliarii, Pancreaticus, Lymphatici, &c. Quære *in Indice* dict. Autoris. Ductus Muci excretorios invenit Nic. Steno Peier. *Exerc. XXII.* & *Ductum* Proſtatæ Joh. Dan. Major cum Caſp. Manhio Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 23.

DUDAIM, Hebr. *Mandragoram* denotare dicit Schröder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 201. quod ventilare non eſt hujus loci.

DUELECH. Vide *Dulech*.

DUELLA, dicitur tertia unciæ pars, octonis ſcrupulis terminata. Rhod. *ad Scrib. n.* 145.

DUELLUM, μονομαχία, in genere ſignificat pugnam & concertationem inter duo. Sumitur autem vel in bonam, vel in malam partem. In bonam, quando dicitur *Duellum* Animi cum Corpore, à Ger. Dorn. *tr. Vita Brevis. Theatr. Chym. Vol. I. pag.* 234. 472. *ſeqq.* In malam, quando cauſſa morbifica pugnat cum calore & flamma vitali, & ita coincidit cum *Dualitate*.

DUENEC, eſt *Mercurius Philoſophorum*, qui & *Leo viridis*. *Dux* ſolutivus auri, Libav. *Apoc. Hermet. part. poſter. in prooem.*

DUENECH, eſt *Antimonium*. Rul. & Iohnſ.

DUENEZ, *limatura ferri*. Idem.

DULCACIDUM, ὀξύγλυκυ, (an non & γλυκύοξυ) quando miſtura eſt facta dulcis & acidi. Robert. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 126. 127. 243.

DULCEDO, *Dulcor*, γλυκύτης, *Dulcis*, γλυκύς, dicitur vel de qualitate guſtatili, ſive ſapore; vel materia ſuavem ſaporem habente; & moderato ſuo calore cognata & familiari. Hinc & Hippocr. κατ' ἐξοχὴν per γλυκὺ intellexit ſanguinem in oppoſitione ad τὸ πικρὸν, amarum, id eſt, bilem flavam, *l. de nat. hum. t.* 4. Dulcia proprie dicta ex acido conſtare, probare conatus eſt diverſis phænomenis & experimentis Iunken *Chym. Med. Phyſ. P. I. ſ.* 2. *cap.* 8. *p.* 133. *ſeq.* Interdum *dulce*, γλυκὺ, pro vino *dulci* poſuit *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIIX.* 1. Dicitur Latinis *paſſim*. Accipitur aliquando latius pro omni ſapore ſuavi, quatenus opponitur ſalſo, acri, amaro. Ita quicquid

 ἄποιον

ἄποιον eſt, *dulce* vocatur, v. g. aqua *dulcis*, licet ſit inſipida. Præter has proprias ſignificationes accipitur *Dulcedo* & *Dulcis* pro Voluptate & Grato. Ita ab Anatomicis v. gr. Columbo *Clitoris* dicta fuit *Dulcedo Amoris*, Bartholin. *lib.* 1. *Anat. c.* 34. A Chymicis ceruſſa vocatur *Dulcedo Saturni*, Rul. De *Dulcedine* Saturni vide quoque Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 36. *De dulcedine* Vitrioli & Mercurii, *l.* 8. *c.* 14. *&c.*

DULCIARIUS, σιτοποιὸς, vocatur piſtor, qui panes mellitos conficit ſive bellaria & placentas ex melle. Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 4.

DULCICHINUM, Bulbocaſtanum. Doronicum Calamus & Juncus odoratus Moly. *Epiſt.* 4.

DULECH, *Duelech*, terminus eſt Paracelſicus & Helmontianus. Rulandus ita deſcripſit: *Dulech* eſt Tartari ſpecies, in humano corpore, lapis ſpongioſus, periculum & dolorem maximum creans. Verum Paracelſus contradiſtinguit à Tartaro, dicens, eſſe medium quod inter Tartara & calculos, *l. de morb. Tartareis c.* 11. *& alibi.* Quid Helmontius de *Duelech* ſtatuat vide *in tract. de Lithiaſ. c.* 2. 3. 4. *ſeqq.*

DUO, δύο, quid ſignificet, notum. *Duo* diſſimilia non poſſe conjungi ſine medio, legitur in M. Joh. Iſaaci *oper. mineral. cap.* 141. *Theatr. Chym. Vol. III. p.* 508. Ita & Lapidem Philoſ. vocari *Opus ex Duobus*, vide in Lagn. *Harmon. Chym. c.* 2. *Vol. IV. p.* 733. *ſeq.*

DUODENUS. Vide *Dodecadactylos.*

DUPLEX, διπλοῦς. Vide *Diploos.*

DUPLICATIO, διπλασιασμὸς. Vide *Diplaſiaſmos.*

DUPONDIUM, διπόνδιον, nomen ponderis, pendetque drachmas quatuor, Gal. *libr. de pond. & menſ.* ex Cleopatra.

DURACENA, epitheton malorum *Perſicorum*, ceu peculiaris ſpecies, à quorum nucleis cultro, aut dentibus caro ægre avellitur. Lang. *l.* 1. *ep.* 67.

DURATIO, διαρκεια, ſignificat rei alicujus permanentiam abſque omni viciſſitudine, uniformem conſtantiam, Helmont. *tr. de Tempore n.* 35. De ficta illa & impia *duratione* hominis Aſtralis Crolliani vide Libav. *Exam. Philoſ. vivent. ſec. Harm. ſect.* 13. *Tom. IV. Oper. p.* 120. *fin.*

DURATUS, σκληρωθεὶς, pro *Induratus*, à verbo *Duro*, i. e. ſolidius aliquid reddo. Ita & Rhodius expoſuit verbum activum & paſſivum, Durare corpus, id eſt firmare, & Durari, id eſt firmari, atque opponit verbo mollire, molliri, *de Acia p.* 208. *Durata* ova, caſeus &c. *Duratum* etiam pro *Macerato* accepit Scrib. *n.* 23. Vid. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 377.

DURDALES, dicuntur Paracelſo Spiritus corporei, inhabitatores arborum. *Philoſoph. ad Athen. l.* 1. *text.* 13. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

DURITIA, *Durities*, σκληρότης, σκληρυσμὸς, *Durus*, σκληρὸς, dicitur de qualitate tactili corporum ſolidorum, quando tactui renituntur, nec ſponte cedunt. Græc. ἀντιτύπα. Gorræus dividit *Durum* in tres ſpecies: in ſumme, vel abſolute *durum*, ut terra: in exceſſive *durum*, ut os, cornu, unguis &c. & in comparative *durum*; quod reſpectu alterius mollioris ita dicitur, licet abſolute non ſit *durum*. Ita Pulſus *durus* Gal. Dicitur σκληρὸς σφυγμὸς, ubi arteria ſiccior rigidiorque in modum corii apparet, *l. de pulſ. ad Tyron. c.* 3. Ita *Dura* mater vocatur membrana ſive meninx *Craſſa* exterior, cerebrum inveſtiens, ſaltem comparative ad interiorem Tenuiorem, quæ *Pia* mater vocatur. Omnem *Duritiem* eſſe ex Sale, vult Parac. *Paramir. l.* 2. *c.* 1. Ita *durities* Tartari ex ſale miner. *l.* 1. *de Tart. tr.* 4. *c.* 2. *in not. Duritia* alia eſt naturalis, alia præternaturalis. Inter has pertinet *durities* mammarum, Scrib. *num.* 220. Hepatis, Lienis, quæ *Scirrhus* dicuntur. *Dura ulcera* ὀχθώδη, i. e. verrucoſa vocant, quæ callum contraxerunt, & prætumidas ac duras oras habent, Galen. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 12. Cur *dura* corpora non ſentiant, vide C. Hofm. *comm. ad Gal. de V. P. n.* 160. Accipitur etiam pro *ſiccitate* & *aſperitate.* Ita cutis *durities* apud Hippocr. *l.* 4. *Epid. XXVII.* 11. Aliquando pro *obſtructione*: Ita Alvus *dura* legitur 3. *aphoriſmo* 5. Interdum tropice *Durus* ſumitur pro gravi, moleſto. Ita Anginæ & Paraplegiæ Hippocr. dictæ ſunt *duræ*, *libr.* 6. *Epid. ſ.* 7. *t.* 1. Ita Acetum *durum* apud Q. Seren. *in libr. metrico* §. *Porrigini depellendæ.* Vide Keuchen. *in not. p.* 98.

DUUM, ſæpe occurrit apud Scribon. Pondo *duum*, pro *Duo* vel *Duorum*, *n.* 15. 56. 63. 65. 66. *&c.* Vide *in Lex. Scrib.* Rhod. *d. l.*

DUUMVIRATUS, terminus Helmontianus, quo indicare voluit poteſtatem peculiarem in totum corpus, quam conjunctive habent Lien & Ventriculus, *tract. Septuplex Digeſtio. n.* 11. Vide & integrum ejus tractatum *de Jure Duumviratus.*

DUX, ἡγεμὼν, Chymicis vocatur *Mercurius Philoſophorum.* Vide *Duenec.*

DYNAMIS, δύναμις, ſignificat *facultatem*, *potentiam*, à qua actio procedit. Terminus in medicina uſitatiſſimus. Vel ita deſcribitur, quod ſit proprietas totius ſubſtantiæ vel eſſentiæ, Galenus 4. *in* 6. *Epid. tex.* 5. *& alibi.* Uſurpatur vel de corpore humano, ejuſque partibus, & ita plane coincidit cum *Diſpoſitione.* Vide *Diatheſis.* Non ſolum de membris ſolidis, ſed & humoribus Hipp. *l. de vet. medic. XXXIX.* 5. 6. ita de ſemine dicitur, quod inſit δύναμις πλαστικὴ, *vis* plaſtica ſive *facultas* formatrix, quæ eadem eſt cum Anima vegetativa. Vid. C. Hofmann. *de gener. hom. l.* 2. *cap.* 1. *ſeqq.* Imo ſunt ex recentioribus Phyſiologis nonnulli, qui vocabulum hoc ad omnia corpora naturalia mixta extendunt, ſtatuentes δύναμιν æquipollere *Naturæ*, & ſignificare ejus vim ab Autore Deo primum inditam agendi & movendi materiam, atque ita ſpecifice formandi, ut forma uniuſcujuſque corporis mixti ſubſtantialis ſit & dici poſſit δύναμις, h. e. virtus

virtus vel vis propria, ab omnibus aliis diſtinguens. De qua ſignificatione videatur celeb. Gotofr. Guil. Leibnizii *ſpecimen Dynamicum in Act. Erudit. Lipſ. Anni 1695. M. April. p.* 145. *ſeqq.* ejuſdemque ulterior declaratio *in dictis Actis A.* 1698. *M. Septembr. p.* 427. *ſeqq.* vel de remediis, imprimis, medicamentis, quæ etiam nihil aliud ſunt quam proprietates & diſpoſitiones ſecundum totam eſſentiam, à quibus operatio procedit. De his vide *Dogm. Noſtr. Med. Gen. P. VI. c.* 2. Dicuntur autem δυνάμεις, ſive *facultates*, ad oppoſitionem eorum, quæ actu ſunt. Nam *facultates* indigent alio principio, quod prius in actum deducat, ſive actuet, nimirum calore noſtro, vel flamma vitali. Ignis vero operatur actu ſecundo, citra noſtram actuationem, & aqua refrigerat immediate &c. Δυνάμεις quoque haud raro vocantur ipſæ medicamentorum *compoſitiones* apud Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. ὠτικαὶ δυνάμεις, *l.* 4. *c.* 1. ὀξυδερκεῖς δυνάμεις, i. e. aciem exacuentes compoſitiones, *l. adverſ. Lyc. c.* 7. τετραφάρμακος δύναμις, Tetrapharmacum medicamentum. Δύναμις ſumitur quoque à Philoſophis technice pro arte στοχαστικῇ, *conjecturali*, qualis ipſa quoque eſt *Medicina.* C. Hofmann. *inſtit. l.* 1. *c.* 1. §. 2. Linden. *Ex. V.* §. 12. Dogm. noſtr. *in procem.* Jung. Foëſ. *p.* 170. Gorræum *p.* 117. Vide *Vires.*

DYNASTEUO, δυναστεύω, ſignificat principatum obtineo, prævaleo, *prædominor.* Uſus Hipp. 3. *aph.* 5. Jung. Dieterich. *n.* 214. Unde δυνάστης, *dominator.* Vide *Dominatus.*

DYOPTRA, (rectius *Dioptra*) Rulando dicitur aſſerculus perforatus, ſeu tabula lignea manubriata circa medium, in latum fiſſa, ut per eam faciei prætenta abſque oculorum injuria ignis atque operis modum contemplari poſſimus.

DYOTA, eſt vas Circulatorium à duabus auribus, vel una utrumque brachium lateribus applicatum habente dictum. Hujus inferior pars eſt in modum cucurbitæ, cui impoſitus eſt Alembicus, in ſummo canalem, qui liquori infundendo inſerviat, habens, in loco autem conveniente duobus roſtris incurvatis & in cucurbitam à Capitello humorem condenſatum devehentibus præditum. Rulandus & Iohnſonus *in Lexicis.*

DYS, δυς, particula aliis vocabulis præfigi ſolita, notat imperfectionem, *difficultatem*, malignitatem, vel tale quid. In genere nihil boni, ſed potius malum quid ſignificat, verbi gratia, *Dyſenteria*, *Dyſthymia*, *Dyſuria*, &c. Vide Dieter. *n.* 215.

DYSÆSTHESIA, δυσαισθησία, in genere *ſenſus difficultatem*, ſive defectum ſenſuum, h. e. abolitam ſenſationem, vel imminutam ſignificat. Galen. *de diff. ſympt. c.* 2.

DYSALTHES, δυσαλθής, *curatu difficilis*, apud Hipp. 3. *de artic. t.* 10.

DYSANAGOGOS, δυσανάγωγος, eſt epitheton materiæ, quæ per excreationem difficulter ſurſum movetur ob lentorem & viſcoſitatem, Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 1.

DYSANIOS, *dyſenios*, δυσάνιος, δυσήνιος, ſignificat *anxium*, moroſum, *triſtem*, qui non eſt animo ſecuro, ſed fere ſemper angitur. Hipp. *l.* 3. *Epid. ægrot.* 2. *poſt ſtat. peſtil.* Gal. *in Comm.* 3. *in l.* 3. *t.* 82. Junge Foëſ. *dicto loco.* Gorræus δυσήνιος plane contrario modo interpretatus, quod ſit is, qui non facile triſtatur, *p.* 119.

DYSCHERES, δυσχερής, ſignificat *difficilis* tractatu, à δυς & χεὶρ, quaſi d. *manibus non facile tractabilis.* Unde adverbium δυσχερῶς, *difficulter*, cum moleſtia. Legitur apud Hipp. 1. *aphor.* 25. Idem quod δυσφόρως. Dieter. *n.* 224.

DYSCHRESTOS, δύσχρηστος, ſignificat *diſcommodus*, incommodus, inutilis, quo difficulter uti poſſumus. Contrarium eſt εὔχρηστος, *commodus*, utilis. Occurrit apud Hipp. 2. *aph.* 54. Dieter. *n.* 225.

DYSCHROOS, *Dyſchrus*, δύσχροος, δύσχρους, *male coloratus*, fere coincidit cum ἀχρόοις, de quibus ſupra. Vide *Achroi.* Opponitur huic εὔχρους, *bene coloratus.* Utrumque legitur in Hippocr. 5. *aph.* 41. Jung. Dieter. *n.* 226.

DYSCINESIA, δυσκινησία, ſignificat *impotentiam movendi*, h. e. vel abolitum, vel imminutum motum localem, Galen. *de ſympt. diff. c.* 2. Huic opponitur εὐκινησία, *facilitas ad motum*, mobilitas. Illud legitur apud Hippocr. 3. *aph.* 17. Jung. Dieterich. *n.* 218.

DYSCOETEO, δυσκοιτέω, ſignificat *moleſte cubare*, aut decumbere. Occurrit apud Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 25.

DYSCOLOS, δύσκολος, ſignificat *difficilis*, moleſtus. Dicitur de morbis non facilibus ſolutu, gravioribus, cum periculo conjunctis, interdum & ſine periculo. Frequenter legitur apud Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 25. 28. 49. *Coac. t.* 11. 13. 37. 309. item de ſignis malis & moleſtis, *Coac. t.* 160. 276. Hinc & verbum δυσκολαίνω, *moleſtiam facio*, exhibeo, quod legitur 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 16. Vide Foëſ. *p.* 172.

DYSCOPHOS, δύσκωφος, vocatur, qui *graviter ſurdus* eſt, aurium gravitate laborans, Hippocr. *Coac. t.* 197.

DYSCRASIA, δυσκρασία, ſignificat *Intemperiem*; & opponitur Temperamento, ſive κράσει. Vide *Craſis*, Eſt autem *Intemperies* duplex. Alia Sanitatis: alia Morborum. Illa eſt abſque manifeſta læſione actionum conjuncta. De utraque vide Inſtitutiones, & præſertim *Dogmata noſtra*, *P.* 1. *cap.* 3. & *Part.* 2. *c.* 3. Dicitur etiam ſæpe de ipſis humoribus, v. g. *Dyſcraſia* ſanguinis, id eſt, ſanguinis *intemperies*, h. e. in qualitate quadam exceſſus, aut defectus.

DYSCRITOS, δύσκριτος, *judicatu*, vel ſolutu *difficilis.* Uſurpatur de morbis ad criſin difficulter pervenientibus, ſive qui difficulter judicantur, Hippocr. 3. *aphor.* 8. ubi opponuntur εὐκρινέες, *judicatu faciles*, 4. *aph.* 29. 30.

30. *Coac. text.* 15. Alias vocantur & ἀκέλτοι. Vide *Acritos*, & δύσλυτοι, *difficulter ſolubiles*. Galen. *comm. ad d. aphor.* 30. Jung. Foëſ. *p.* 173. & Dieter. *n.* 219.

DYSECOIA, δυσηκοΐα, idem, quod βαρυηκοΐα, *auditus difficultas*, Foreſt. *l.* 12. *Obſ.* 12. *Schol.*

DYSEGERTOS, δυσέγερτος, h. e. *qui difficulter e ſomno excitatur*. Legitur apud Nonum *de M. P. C. c.* 29.

DYSELCIA, δυσελκία, ſignificat *difficilem ulcerum curationem*, qualis eſt in corporibus mollibus & multo humore præditis, v. g. in hydropicis. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *n.* 75. Hujuſmodi humor vocatur δυσελκὴς, in quo ulcera ægre ſaneſcunt, cui opponitur εὐελκής. Utrumque legitur 2. *de R. V. I. A. tit.* 51. Prius etiam *l.* 2. *de morb. l.* 5. Vide Foëſ. *p.* 261.

DYSENIOS, δυσήνιος, idem quod δυσάνιος. Vide *Dyſanios*.

DYSENTERIA, δυσεντερία, *difficultas inteſtinorum* cum exulceratione. Unde & Galen. *l.* 6. *de L. A.* ἕλκωσις ἐντέρων, exulceratio inteſtinorum vocatur. Celſus Latine expreſſit per vocab. *Tormina*, *l.* 2. *c.* 8. Ita & Scribon. *n.* 85. *Dyſentericos*, id eſt *torminoſos*, ſcripſit. Deſcribitur *in defin. medic. Galeno adſcriptis*, quod ſit exulceratio inteſtinorum, cum inflammatione, & cruentarum, aut etiam ſtrigmentoſarum, ſordium excretione, morſum & alvi dolorem, ac inteſtinorum afferens. Vide & Dieter. *n.* 216. Confer *ad Hippocr. l. de Affect. XXV. & l.* 1. *de Diæta XIX.* 14. 15. *ſeqq.* Junge Linden. *Ex. XVI.* §. 34. 35. Accuratior definitio hæc fieri poſſet: *Dyſenteria* eſt excretio alvi p. n. frequens, cruenta, ſtrigmentoſa, aut purulenta, interdum & aquea, vel lymphatica, cum dolore ventris, ſuperveniente teneſmo, virium proſtratione, aliiſque ſymptomatibus, proveniens ab interna inteſtinorum exulceratione & vaſculorum corroſione, per & propter acrimoniam humoris ſanguinis, bilis, ſucci pancreatici, liquoris lymphatici oborta, febrem magis vel minus malignam conjunctam habente. Videatur Willis *Pharmac. Rat. Part.* 1. *ſect.* 3. *c.* 3. *de febrib. c.* 10. *n.* 4. Sylv. *l.* 1. *c.* 11. §. 12. *ſeqq.* P. Barbette *lib.* 4. *c.* 5. *& alii.* Obſervationem de Dyſenteria ἀνώπῳ, ſive indolente vide *Ephem. N. Cur. Ann. II. c.* 43.

DYSEPULOTUS, δυσεπούλωτος, dicitur de ulcere, quod *cicatrice difficulter obducitur*. Interdum coincidit cum ulcere κακοήθει, ſive *maligno*, interdum differt, quatenus citra diſpoſitionem malignam partis affectæ ab humorum acrium affluxu ulcus oritur, Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 18. Dicuntur & Philopono δυσεπούλωτα, Gorr. Vid. Foreſt. *l.* 7. *Chirurg. Obſ.* 12. *Schol.*

DYSEXANALOTOS, δυσεξαναλωτος, ſignificat id, *quod difficulter conſumitur*, Hipp. de alimento uſurpavit *l. de Alimento XI.* 4. ubi & oppoſitum ejus legitur εὐεξανάλωτον, *quod facile conſumitur*. Lindenus ita deſcripſit. Proprie δυσεξανάλωτον illud eſt, quod ſemel appoſitum membris perquam difficulter à calore atteritur, & cum inſenſibili tranſpiratione digeritur, *Ex. XIII.* §. 61.

DYSEXODOS, δυσέξοδος, ον. dicitur de eo, quod *difficilem habet exitum*, aut minatur, Hippocr. *l.* 4. *Epid. XIX.* 13.

DYSIATOS, δυσίατος, Ion. δυσίητος, h. e. *curatu difficilis*. In Comparativo δυσιητότερος occurrit apud Hipp. *l.* 11. *Prorrhet. t.* 96. quemadmodum & δυσίητος aliquoties apud illum reperitur, ut mirum ſit, quod Foëſius *in Oecon.* id omiſerit.

DYSIS, δύσις, *Occaſus*. Uſurpatur de Aſtris, Sole, Luna, & reliquis, eſtque vel *verus*, vel *apparens*, qui & *Heliacus* dicitur, Linden. *Ex. XI.* §. 178. Vide *Occaſus*.

DYSODES, δυσώδης, ſignificat *graveolens*, fœtidus. Occurrit frequenter apud Hippocr. v. g. 4. *aph.* 47. 7. *a.* 44. 69. *l.* 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 66. *Coac. t.* 292. Hinc & ſubſtantivum δυσωδία, *fœtor*, quod etiam legitur *Coac. t.* 406. Contrarium eſt εὐώδης & εὐωδία. Dieter. *Iatr. n.* 227.

DYSONEIROS, δυσόνειρος, eſt epitheton, quod ſignificat *inſomnia perturbans*, ſomnum per inſomnia moleſta inquietum reddens. Legitur apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 7. de vino novo. Jung. Linden. *Ex. X.* §. 28.

DYSOREXIA, δυσορεξία, dici poteſt juxta Blancardum *appetitus imminutus*, ad differentiam anorexiæ, ſive appetitus aboliti, verum in nullo autore alio, neque etiam in Lexico Stephani vel Scapulæ Græco reperire licuit.

DYSORGIA, δυσοργία, ſignificat *iram gravem*, vehementem. Hippocr. *l. de vet. medic. XIX.* 28. *l. de Humor. IV.* 3. ubi δυσοργησίη legitur.

DYSPATHIA, δυσπάθεια, h. e. *ad patiendum difficultas*. Gal. *libr.* 1. *de V. P. c.* 15. *l.* 2. *c.* 7. & 8. Adjectiv. δυσπαθὴς, cui opponitur εὐπάθεια, i. e. diſpoſitio facilis ad paſſionem, vel affectum, *ibid. &* 4. *de V. P. c.* 14.

DYSPEPSIA, δυσπεψία, juxta Etymologiam ſignificat *difficultatem concoctionis*, ſcilicet in ventriculo. At Gal. vult, rectius tribui hoc vocabulum *depravatæ alimenti concoctioni*, ſive alimentorum in ventriculo corruptelæ, *de ſympt. diff. c.* 4. Eſtque ſymptoma actionis naturalis depravatæ. Depravatur autem, cum alimenta in qualitatem à natura alienam permutantur. Ea gemina ſtatuitur, κνισσώδης καὶ ὀξώδης, h. e. nidoroſa & acida. Hæc e frigidis, illa ex calidis provenit, ſcil. fermentum ventriculi depravantibus. Caſtell.

DYSPHONIA, δυσφωνία, id eſt, *vocis difficultas*, quemadmodum *Aphonia*, ἀφωνία, ejuſdem abolitio, Gal. *de dif. ſympt. c.* 3. Oritur vel à vitio ſpirituum animalium & intemperie organorum voci inſervientium, vel à læſa eorundem ſtructura organica.

DYSPHORIA, δυσφορία, *Dyſphoros*, δύσφορος, ſignificat

gnificat *difficultatem*, moleſtiam, difficile, *moleſtum*. Utrumque frequenter legitur apud Hippocratem 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 54. *Coac. t.* 2. 265. 479. *libr.* 5. *Epid. XXIV.* 18. *lib.* 7. *Epid. LVII.* 20. *lib.* 2. *aph.* 13. 54. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 43. *Coac. t.* 8. 11. *&c.* Contrarium eſt ἐυφορία, ἐύφορος, *tolerantia* & tolerabilis. Dieter. *n.* 223.

DYSPNOEA, δύσπνοια, id eſt, *difficilis reſpiratio*, difficultas ſpirandi, Gal. *l.* 1. *de diff. ſpir. c.* 1. Eſtque ſymptoma læſæ reſpirationis, commune aſthmaticis, orthopnoicis, peripneumonicis, ſynanchicis, phthiſicis, hydropicis, ſcorbuticis, & aliis ſimiliter male affectis, à quo ægri δυσπνοϊκοὶ appellantur, Gal. *in defin. & alibi.* Cauſſæ igitur variant, quamvis proxima & conjuncta non variet, quæ eſt impedita aëris per aſperam arteriam reciprocatio, ſive ea ab obſtructione, ſive à diaphragmatis per flatus tenſione aut compreſſione, ſive ab aliis cauſſis provenerit, Jung. Dieterich. *n.* 221. Peculiarem cauſſam mediatam *dyſpnoeæ* diuturnæ connexionem pulmonum ad latera cum pleura per fibroſos nexus ſtatuit Bartholin. *Anat. l.* 2. *c.* 9. Plura de variis reſpirationis læſæ ſpeciebus vide apud Will. *Pharm. Rat. P.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. *& ſeqq.*

DYSPNOON, δύσπνοον, δύσπνουν, idem, quod δύσπνοια, *difficultas reſpirandi*. Legitur apud Hippocratem *Coac. t.* 17.

DYSRACHITIS, δυσραχίτης, eſt nomen Emplaſtri apud Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 3. Valet ad fiſtulas, calloſos ſinus &c.

DYSTHANATOS, δυσθάνατος, vel active, vel paſſive ſumi poteſt, tum de eo, quod difficilem & moleſtam mortem infert, tum de hominibus hujuſmodi mortem laborioſam oppetentibus, Hippocr. *libr.* 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 20. Gal. *in comment. ad h. l.* Repetitur *Coac. t.* 249.

DYSTHENEO, δυσθενέω, ſignificat *viribus deficio*, infirmis ſum viribus. Hippocr. *libr.* 2. *de Morb. LII.* 24. *LVI.* 8. ubi tamen in ed. Linden. legitur δυσθυμεῖ & *LXV.* 7. ubi δυσθενεῖ occurrit.

DYSTHERAPEUTOS, δυσθεράπευτος, id eſt, *difficulter curabilis*, vel curatu difficilis. Dicitur de ulceribus apud Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 1.

DYSTHESIA, δυσθεσίη, ſignificat *diſplicentiam*, moroſitatem. Erotian. *Onomaſt. p.* 37. *b.*

DYSTHRAYSTOS, δύσθραυστος, i. e. ægre fragilis. Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 4. *& paſſim alibi*

DYSTHYMIA, δυσθυμία, id eſt, *animi mœror*, abjectio & deſponſio, & verbum δυσθυμεῖν, animum deſpondere, triſtari, Hippocr. 6. *aph.* 23. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 75. *l.* 3. *Epid. ægr.* 2. *poſt. ſtat. peſtil.* Foëſ. Oec. 172. Dieter. *n.* 217. Opponitur ἐυθυμία, animi tranquillitas, præſentia.

DYSTOCIA, δυστοκία, *partum difficilem* ſignificat, à δυστοκέω, difficulter pario, quod legitur apud Hipp. 5. *aph.* 35. Partus vero difficultas à variis cauſſis dependet, quarum aliæ fœtum, aliæ uterum concernunt. Vid. Diet. *n.* 12. Conſulantur Autores *de morb. mulier.* Mercatus, Rod. à Caſtro, & alii. Jungatur & *Epiſtola* D. Joh. Lud. Hannemanni *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 14.

DYSTOECHIASIS, δυστοιχίασις, dicitur à Medicis ordinis pravitas pilorum in palpebris. Vide Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 46. *ſchol.* Lat. *Hiſpiditas.*

DYSURIA, δυσουρία, in genere eſt *urinæ difficilis excretio.* Quatenus vero diſtinguitur à Stranguria & Iſchuria, ſignificat doloroſam urinæ excretionem, ſive Ardorem Urinæ, Hipp. 3. *aph.* 31. *&* 7. *aph.* 48. Eſt igitur Dyſuria ſive ardor urinæ mictio cum dolore intenſiori & ardore proveniens à ſolutione continui in orificio veſicæ, aut meatu urinario per cauſſas varias inducta, Sylv. *libr.* 1. *P. M. c.* 57. §. 11. In generali ſignificatione videtur accepiſſe Linden. *Exerc. IV.* §. 98. *& VI.* §. 13. Obſervationem ſingularem mulieris *dyſuria* extinctæ, in cujus corde duo calculi reperti ſunt, vide apud Helmontium, *tr. Retenta in edit. fol. p. m.* 381.

E.

E & H. Græcum merito conjunguntur, quia veteres hæc duo elementa uno eodemque charactere notarunt, teſte Gal. 3. *in* 6. *Epid. t.* 40.

EAO, ἐάω, ſignificat *ſino*, miſſum facio, ceſſo. Uſus Hipp. 1. *aph.* 20. Vid. Diet. *Iatr. n.* 229.

EAR, ἔαρ, contracte ἦρ, ſignificat *Ver*, inter quatuor anni tempora primum, & ſaluberrimum, ex Hipp. 3. *aph.* 9. Accipitur vero diverſimode *Ver*: vel Aſtronomice, quando Sol ingreditur ſignum Arietis in Zodiaco: vel ſaltem vulgariter, quando remittente frigore blandior incipit tempeſtas, quod in diverſis regionibus quoque variat. Conſtitutio ejus eſt calida & humida, temperatiſſimaque, unde & corpora ſana, Gal. *l.* 3. *de cauſſ. pulſ. c.* 6. Huic reſpondet pueritia & juventus inter ætates, ex 3. *aphor.* 18. Jung. Dieter. *n.* 228.

EBENUM, dicitur & *Ebenus*, ἔβενος, *Hebenus* & *Hebenum*, lignum eſt exoticum, cujus arborem depictam habet Dominic. Chabræus. Schröder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 129. quidem nullius uſus eſſe, ſcripſit, in medicina, præterquam quod Paracelſ. oleum ac ſal ejus maxime commendet. Enimvero Fr. Hofmann. *in clav. ad h. l.* non dubitat aſſerere, magnam habere cum ligno Guajaco affinitatem, & eſſe inſignis efficaciæ contra luem Gallicam. Ejus virtutem eſſe calefacientem, deterſoriam & ſubtilem, & inter ocularia medicamenta propterea commendari, teſtantur Gal. *l.* 6. *de S. F. & P.* Æginet. *l.* 7. De *Ebeno* factitio ex aliis lignis parando, vide Libavium, *Synt. Arc. Chymic. l.* 6. *c.* 3.

EBET vocatur infirmitas dentium, quando quis habet dentes frigoris, caloris, duritieique impatientes. Joh. Stephanus *Paraphraſ. in Avic. l.* 3. *fen.* 7. *cap.* 25. *p.* 222.

EBRIECATUM, eſt terminus Paracelſicus, ſignificans alienam ſapientiam hominis, qua recedit & deflectit ab humana ſapientia, quale quid fieri videmus in ebriis. Plura de hoc vide *Philoſoph. ſagac. l.* 1. *cap.* 5. Eſt & *Ebriecatum cœleſte*, quando ex peculiari afflatu Divino homo loquitur, aut agit, qualis homo dicitur *Ebriecator*, vel *Inebriecarius Cæleſtis*, *lib.* 2. *c.* 5.

EBRIETAS, μέθη, quid ſignificet, notum eſt, quando nimirum plus bibitur, quam ut vinci poſſit à natura. Ridiculam Jacobi Forolivienſis Etymologiam vide apud Dieter. *n.* 524. Pertinet inter cauſſas morborum externas, Galen. *l. de cauſſ. morb. c.* 3. & plerumque excitat febrem Diariam. Linden. *Ex. X.* §. 240. *ſeqq.* ubi plura de hoc malo reperies. In ſpecie prolificationi obeſſe teſtatur Lang. *l.* 2. *ep.* 9. C. Hofm. *in Galen. de V. P. num.* 806. De aliis malis effectibus, vide plura in Autoribus. Jung. Helm. *tr. Spiritus vitæ n.* 13. Dicitur & οἰνοφλυγίη. Vide *Oenophlygie.*

EBRON, id eſt, *Paradiſus*, locus ille purus & amœnus, in quo fuerunt Adam & Eva Protoplaſtæ, ante lapſum. Paracelſ. *lib. de gener. Stult. l.* 1. *tr.* 2.

EBSEMECH, nomen eſt *Argenti vivi* ex Cambar ſublimati, Lagn. *Harm. Chym. c.* 1. *in Th. Chym. Vol. I. p.* 728.

EBULLITIO, ἀνάζεσις, dicitur ſpecies *Efferveſcentiæ*, vel *Elixationis* fortioris materiæ liquidæ cum generatione bullarum, à calore fortiori. Sumitur & pro Fermentationis gradu majori. Vide *Fermentatio.* Placet etiam nobis Diviſio *Ebullitionis* (quæ ad Fermentationem quoque commode applicari poteſt) in *Perfectivam* & *Corruptivam.* Illa eſt in exemplo Muſti, quum reſidentia liquidat, ac vinum puriſſimum reſultat. Hæc vero contingit ex humorum à vitioſis cibis genitorum prava qualitate ac per hoc naturam ſtimulante, ita quidem, ut, ſi valida virtus ſit, nihilominus perfectiva evadere poſſit; ſi vero natura ſuccumbere cogitur, ad mortem permutatur, eſtque fervor vini ſimilis, quum corrumpitur, aut in acetum permutatur. Ingraſſ. *comm. ad Avic. de Tum. p. n. pag.* 204. Quid magis concinne ad hodierna principia dici potuiſſet?

EBUR, Gr. ἐλέφας, vide *Elephas.*

ECBÆNON, ἐκβαῖνον, vel ἐκβησόμενον. Vide *Eventus.*

ECBALLO, ἐκβάλλω, duplicem habet apud Hipp. ſignificationem. Vel enim denotat *abortio*, vel fœtum ejicio abortivum, *l.* 1. *de morb. mul. LXXXVI.* 4. *CX.* 8. 9. 12. *l.* 4. *Epid. XV.* 7. Hinc talia remedia eidem dicuntur ἐκβόλια *dict. loc. de morb. mul. & l. de nat. mul. XC.* 1. Vide *Abortus.* Vel ſignificat *Os aliquod* exarticulatione dimoveo, vel *ſede ſua ejicio*, 4. *de artic. t.* 32. quamvis in Græco legatur ἐμβάλλειν, injicere, quod potius contrarium eſt verbo ἐκβάλλω. Sed hoc potius approbant Cornarius & Foëſ. *in Oec. p.* 185. nec improbat C. Hofm. *in not. MMSS. ad ill. loc.*

ECBOLIOS, ἐκβόλιος. Vide *Ecballo*, *Abortus.*

ECBRASSO, ἐκβράσσω, ſignificat *cum impetu ejicio*, velut ebulliendo expello. Unde ἔκβρασμα, *rejectamentum*, quod de maris ſordibus uſurpatur. Verbum legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. VI.* 2. *l. de int. aff. I.* 19. *l. de glandul. II.* 16. Jung. Foëſ. *p.* 185. ἐκβράσματα quoque vocantur papulæ ardentes & fervidæ, quæ alias ἐκζέματα dicuntur, Gorr. *p.* 126.

ECBYRSOMA, ἐκβύρσωμα, dicitur Articulus, vel os cute extans, foras eminens, veluti extra corium eminentia & ejectio, q. d. *Excutatio*, Gal. 4. *de artic. t.* 34. Aliquando & ἐκβύρσωσις, *l. Medicus vel Iſagog. c.* 17.

ECCATHARTICOS, ἐκκαθαρτικὸς, h. e. *purgans per exteriora*, ſcil. per poros cutis, competitque nitroſis & amaris, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 12. Synonymon eſt ἐκφρακτικὸς τῶν πόρων. Pertinet ad *Diaphoretica*, & opponitur τοῖς ἐμπλαστικοῖς, Obturantibus. Deſcendit à verbo ἐκκαθαίρω, vel ἐκκαθαίρομαι, *expurgo* & *expurgor*, quod uſurpavit Hipp. de iis, quæ e thorace rejiciuntur, 2. *de R. V. I. A. t.* 27. Hinc ἐκκάθαρσις, *expurgatio* idem, quod *Purgatio.*

ECCHAUNOO, ἐκχαυνόω, ſignificat *tumidum reddo*, & inflatum inani aliqua concepta opinione & aura populari, Hipp. 3. *de artic. t.* 20. Junge Linden. *S. M. Ex. XIII.* §. 10.

ECCHLOEUMÆ, ἐκχλοιοῦμαι vel ἐκχλοοῦμαι, ſignificat apud Hipp. *vireo*, aut ex *virore palleſco*, qualis color in cachecticis & ictericis, hepaticis & ſanguine defectis apparet, *Coac. t.* 490. 621. *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *n.* 31. Jung. Foëſ. *p.* 195.

ECCHYLOMA, *Ecchyloſis*, ἐκχύλωμα, ἐκχύλωσις. Vide *Extractio*, *Extractum.*

ECCHYMA, ἔκχυμα, idem, quod ἔκζεμα, Erotian. *Onom. p.* 41. *fervida eruptio*, Puſtula, quamvis Barthol. Euſtach. *ad h. l.* notaverit, vocab. hoc non reperiri in Hippocr. Poteſt & uſurpari fœm. ἔκχυσις, *effuſio.* Verbum ἐκχέω, *effundo*, legitur 6. *aph.* 20. de ſanguine extravaſato.

ECCHYMOMA, *Ecchymoſis*, ἐκχύμωμα, ἐκχύμωσις, i. e. effuſio, *Sugillatio*, & eſt affectio circa cutem, cum tenuibus in ipſa venis contuſis ſanguis per fiſſuras effunditur, nondum in grumos coactus, ſed poſtquam per διαπήδησιν effuſio ipſa facta eſt. Contingit ſane aliquando, ubi ita coierit, temporis progreſſu eundem liveſcere, & denigrari, parvis nimirum grumulis ex diſperſo in multas cutis partes ſanguine coactis, Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. & *l.* 4. *meth. med. c.* 1. Eandem vocat ἐκχύμωσιν ſolutionem continuitatis, cum contuſione & ruptione conjunctam. Generatim vero Hippocr. ſolitus eſt vocare *Ecchymoſes*, ex vaſculis ſanguinis effuſiones & inanitiones, & alio nomine κενώσιας, *l.* 6. *Epid. ſ. II. t.* 9. quæ effuſio in phlegmone quoque

fit

ſit à cauſſa interna, ubi ſanguis e vaſis effunditur, & tumor excitatur, tactu mollis & cedens. Diſtinguit tamen Galen. *6. aph.* 20. Phlegmonem ab Ecchymoſi, quod in Phlegmone ſanguis per muſculorum cavitates ſola ratione contemplabiles ſecundum minimas ſui partes effunditur: In *Ecchymoſi* vero in ſpatia effluit, quæ venis adjacent. Species *Ecchymomatis* ſunt *Hypopion* & *Hypoſphagma*, ὑπώπιον καὶ ὑπόσφαγμα, & ſanguinis ad ungues concurſus ex plaga. Atque id quidem proprie ſignificat *Ecchymoſis*. Hæc Caſtell. Jung. Foëſ. 1. *p.* 196.

ECCLISIS, ἔκκλισις, ſignificat *declinationem*, oſſis à ſede ſua emotionem & exceſſum, *luxationem* ad exteriora. Hippocr. 4. *de artic. t.* 4. Verbum ἐκκλίνεσθαι, *luxari*, foras prorumpere, occurrit *d. t.* 61. quamvis in Græco textu, ut & apud Foëſ. *Oecon. p.* 186. legatur τὰ ἔξω ἐγκεκλιμένα, quod fortaſſis mendoſum eſt, pro ἐκκεκλιμένα, ſenſu verborum ſuadente.

ECCOPE, ἐκκοπή, *Exciſio*, diviſio eſt Calvariæ, qua os offenſum refractum eſt, Gal. *in def. med.* Ægin. *l.* 6. *c.* 90. Verum poteſt etiam accipi de operatione Chirurgica, qua aliquid e corpore exſcinditur, ab ἐκκόπτω, *exſcindo*. Dicitur & ἐκτομή.

ECCOPEUS, ἐκκοπεύς, idem, quod ἐκτομεύς, dicitur culter, vel *Scalper exciſorius*, quo utebantur antiqui in oſſium ſectionibus, ac præcipue capitis, Gal. *l.* 4. *adm. Anat. c.* 4. *& l.* 7. *c.* 2. Horum ſcalprorum tres ſpecies ponit Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6. cavos, anguſtos, & planos. Primi vocantur κυκλίσκοι ἢ κυκλισκωτοὶ καὶ φακωτοὶ lenticulares: ſecundi στενοὶ, anguſti, ξυστῆρες, tertii μηλιωτοὶ, ſpecilli formam habentes. Jung. Ægin. *dicto loco*. Foëſ. *p.* 186.

ECCOPRIZO, ἐκκοπρίζω, ſignificat *alvi fæces depono*, Hippocr. *l.* 1. *Epid. ægr.* 4. *poſt ſtat. peſtil.* Hinc & medicamenta promoventia excretionem alvi mitiora dicuntur ἐκκοπρωτικὰ, quæ movendi tantum ſtercoris, & ea, quæ in ſpatiis inteſtinorum primæque regionis viis continentur, dejiciendi vim habent. Linden. *Ex. XII.* §. 50.

ECCRINOLOGICA, ἐκκρινολογική, dicitur pars quædam Diætologiæ & quidem quinta, docens excernendorum in corpore ejuſque partibus neceſſariorum ſalubrem uſum, notante Joh. Ant. von der Linden *Manuduct. ad Medicinam* à D. Schelhammero addita D. D. Conringii *Introductioni ad Medicinam p.* 92.

ECCRISIS, ἔκκρισις, ſignificat *excretionem*, expulſionem, ſive materiæ excrementitiæ, aut morbificæ e corpore remotionem, ſive per alvum, ſive per alias vias convenientes. Dicitur de perfecta Criſi. Accipitur etiam pro ipſa materia, quæ excernitur, 2. *aph.* 15. Vid. Dieter. *n.* 250.

ECDEXIS, ἔκδεξις, idem, quod διαδοχή, *ſucceſſio*. Vide *Diadexis*.

ECDORA, ἐκδορὰ, ſignificat *excoriationem*, Dioſc. *l.* 5. *c.* 129. in ſpecie de *excoriatione* urethræ ſumſit Caſtelli *Lexic. Med.* P. Ammann. *Irenic. p.* 141.

ECDORIOS, ἐκδόριος, dicitur de medicamentis urendi vim habentibus, ſive cauſticis, quæ cutem abradunt & exulcerant, quaſi *Excoriantia*, ἀπὸ τοῦ ἐκδέρειν, Dioſc. *l.* 3. *c.* 70.

ECHECOLLON, ἐχέκολλον, dicitur medicamentum *glutinoſum*, & tenax, quod affectæ parti appoſitum extrinſecus firmiter adhæret, ut ipſum vinculo contineri non neceſſe ſit. Idem diſtrahendo plurimum extendi poteſt. Gorr. *in defin. p.* 162. Meminit Galen. *c.* 2. *de iis, q. in medic. t.* 23.

ECHEION, ἠχεῖον, uſurpatur de vaſis in theatris collocatis. Occurrit apud Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 5. Vid. C. Hofm. *in comm. n.* 445. *& l.* 1. *V. L. c.* 19.

ECHEL, id eſt, *Sol*, Laur. Ventura *de Lap. Philoſ. c.* 30. in *Theatr. Chym. T. II.*

ECHENEIS, dicitur Piſcis ænigmaticus & parabolicus in mari philoſophico Lapidis, de quo Libav. *T. II. Oper. p.* 3. 27. 28. Vide *Remora*.

ECHIDNA, ἔχιδνα, *Vipera*, dicitur & ἔχις. Sumitur vel generaliter pro omni ſerpente, vel ſpecialiter pro ſpecie ſerpentis viviparæ, quæ ſerpentibus communibus habetur venenoſior, hieme in ſcopulis ſopita deliteſcens & terra obtecta, Schrôder. *l.* 5. *cl.* 1. *num.* 37. Plura vide de ejus venenoſitate, in quo conſiſtat, apud Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Dicitur quaſi *Vivipara*, quod tamen aliis quoque ſerpentibus commune. De virtute carnis *Viperarum* diaphoretica & alexipharmaca vide Gal. *in lib. de Antid. de Theriaca ad Piſon. ad Pamphilian. & l.* 11. *de S. Fac.* Ægin. *l.* 7. *c.* 3. *lit. E.* Jung. Aldrovand. *Hiſtor. Serp. & Drac. l.* 1. *c.* 2. Bald. Angel. Abbatium *tr. de admirab. Viperar. nat. & facultat.* *Echis* Vipera maſculus, *Echidna* Vipera fœmina. Rul.

ECHIES, dicuntur catuli, ſeu filii *Echidis*. Idem & Iohnſ.

ECHINOPHTHALMIA, ἐχινοφθαλμία, dicitur *Inflammatio palpebrarum*. Foreſt. *l.* 7. *Obſerv.* 20. *Schol.*

ECHINUS, ἐχῖνος, eſt vocabulum multæ ſignificationis, cujus homonymiam vide ſis apud Aldrovand. *l.* 2. *de Quadrup. digit. vivipar. c.* 37. *& l.* 3. *de Teſtac. c.* 40. Latinis dicitur etiam *Erinaceus*. Denotat vero duo præſertim animalium genera, unum *terreſtre*, aculeatum, cujus deſcriptionem vid. apud Aldrov. *l. priori citato*; de cujus viribus præter illum ſcripſit quoque Gal. *l.* 11. *Simpl.* Jung. Schrôder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 22. Item *Act. Hafn. Vol.* I. *Obſ.* 20. *p.* 49. *Erinacei* terreſtris anatomia legitur *d. l. Obſ.* 90. *p.* 173. Alterum marinum, teſtaceum, de quo vide Aldrov. *in loco poſteriori allegato*. De uſu ejus in cibis legatur Gal. *l.* 7. *de Al. fac. c.* 38. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. cap.* 14. Bruyer. *de re cib. l.* 21. *c.* 10. Porro vocab. ἐχῖνος quoque notat *ſinum ventris interiorem* in animalibus, qui aſper, cancellatus, cruſtatus, & magnitudine reticuli, Lat. *Omaſum*. Gorr. *p.* 162. *Omaſum* nihil aliud eſſe, quam

quam inteſtinum rectum, διαφράγμα ſcripſit C. Hofm. *l.* 3. *Inſt. Med. c.* 31. §. 8. In ſpecie Gallinarum *tunica ſtomachi interior Echinus* quoque vocatur, Aldrov. *l.* 9. *Ornithol. cap.* 2. Significat quoque vas vel *ollam* apud Hipp. *l. de nat. mul. CIII.* 4. *& alibi.* notante Erotiano *p.* 50. *b.* Reliquæ ſignificationes Botanicæ non ſunt hujus loci.

ECHIS, ἔχις. Vide *Echidna.*

ECHO, ἔχω, verbum notiſſimum, ſed diverſæ ſignificationis apud Hipp. notante Foëſ. *Oec. p.* 256. Notiſſima eſt ſignificatio, quando notat *Habere.* Interdum vero ponitur pro *ſignifico*, 3. *de R. V. I. A. t.* 14. Gal. *in comm.* Interdum pro *utero gerere* accipitur, *l.* 4. *Epid. XII.* 19. Aliquando pro *Sum*, ut *l.* 2. *Epid. VI.* 37. Interdum ſumitur pro *Præbeo*, παρέχω, *l. de Medico IV.* 23. Aliquando *Detineo* ſignificat, & ita dicitur de morbis, qui ægrum detinent, vel infeſtant, *Prognoſt. ſ.* 2. *t.* 65. Et ita paſſiv. ἔχομαι, *detineor*, de homine morbo detento. & correpto ſæpe accipitur, 4. *aph.* 34. 35. Jung. Dieter. *n.* 367. Lind. *Ex. XII.* §. 122. 123. *XIII.* §. 21. 25.

ECHO, ἠχώ, eſt Sonus reciprocus, quæ ab imitatione vocis humanæ imago quoque dicitur, eſtque reſonantia ex repercuſſione ſimplici, vel multiplici ejus ſoni, à quo eſt emiſſus, quem etiam obiter audiunt alii præſentes. Libav. *Defenſ. Syntagm. contra Scheunem. II. not.* 57. *Tom. III. Oper. p.* 111.

ECHOS, ἦχος, ſignificat *ſonum*, ſonitum, & pertinet inter ſymptomata qualitatum audibilium mutatarum. Legitur apud Hippocr. 1. *Prorrhet. ſ.* 1. *t.* 18. *Coac. t.* 131. 161. 193. 194. Foëſ. *p.* 265.

ECLACTIZO, ἐκλακτίζω, ſignificat *calcitro*, calces jacto, excalcitro. Legitur apud Hippocr. *Coac. t.* 109. *ſ.* 4. *de artic. t.* 64.

ECLAMPSIS, ἔκλαμψις, item ἐπίλαμψις, ſignificat ſplendorem, fulgorem, *effulgeſcentiam* & emicationem, quales ex oculis aliquando prodeunt, Hippocr. *Coac. t.* 218. ubi λαμπηδὼν vocatur. Metaphorice ſumitur de emicatione flammæ vitalis in pubertate & ætatis vigore, *l.* 6 *Epid. ſ.* 1. *t.* 5. quam ab aëre deducere non veritus eſt Charlton. *Ex. Pathol.* §. 2. Deſcendit à verbo ἐκλάμπω, *effulgeo*, emico, quod legitur in propria & metaphorica ſignificatione v. g. 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 32. *Coac. t.* 351. *l. de vet. medic. XXIX.* 26. *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 10. Foëſ. *p.* 187.

ECLEÆNOMÆ, ἐκλεαίνομαι, ſignificat *exteri*, levigari, leniri, explanari, & ſumitur de cicatricibus, quæ delentur. 2. *Prorrh. XXIIX.* 33.

ECLECTICA dici poterit quoque Medicina illa, quæ hodieque ex veris fundamentis Phyſiologicis, Anatomicis, & Chemicis proponitur, ad differentiam ſectarum aliarum, quales fuerunt olim Methodica, Empirica, Galenica, & hodieque Paracelſica, Helmontiana, quemadmodum & hunc terminum Philoſophi applicare ſolent ad ſuas diſciplinas & ſcientias.

ECLECTOS, ἐκλεικτὸς, dicitur de forma medicamenti *Arteriaci*, Lat. *Linctus*, & Offic. *Looh.* Vocatur & *Eclegma*, in affectibus arteriæ aſperæ frequens, Galen. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. ἔκλειγμα ἀρτηριακόν. Ore aſſumtum ſenſim liqueſcit & deglutitur. Vid. Weker. *Ant. gen. l.* 1. *c.* 33. *Spec. l.* 2. *ſect.* 24. Schröd. *l.* 2. *c.* 50. Morell. *de formul. remed. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 3. & alii. Significare poteſt & in genere *Electuarium.*

ECLEIPO, ἐκλείπω, ſignificat *deficio*, item animi deliquium patior. Hippocr. 6. *aph.* 29. & 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 38. Dieter. *n.* 251.

ECLEUCOS, ἔκλευκος, *valde albicans*, aut candidus. Dicitur de habitu corporis, *Coac. t.* 614. *l.* 2. *Epid.* 1. 76. Dicuntur alias tales ὑπόλευκοι, aut κεχλωροὶ, de excrementis, 1. *Prorrh. c.* 2. *t.* 18. & *Coac. t.* 615.

ECLIPSIS, ἔκλειψις, eſt terminus Aſtronomicus, denotans obſcurationem luminis Solaris, vel Lunaris reſpectu viſus noſtri. Hinc duplex *Eclipſis*, Solis & Lunæ, Gal. *l. de dignot. & cur. cujuſque animi peccat. c.* 3. *Eclipſis Solis* fit interveniente Lunæ diſco inter corpus ſolis & oculum noſtrum, quod contingit in Novilunio. *Eclipſis Lunæ* fit interveniente umbra terræ ſe porrigente ad diſcum Lunæ e directo Soli oppoſitæ, & impediente, ne ſol Lunam illuminare queat. Utraque eſt vel totalis, vel partialis. Plura vide in Scientia Coſmica Clariſſ. Dn. Joh. Sturmii *Part. Spec. Tab. V.* ubi & mentio fit *Eclipſeos Terræ.* De *Eclipſibus* plurium dierum miraculoſis vide C. Hofmann. *Comm. in Galen. de V. P. n.* 720. *ſeqq.* Omnem *Eclipſin* Solis & Lunæ fieri, quoties eſt Luna concentrica mundo, dixit Helm. *tr. Form. ortus Num.* 47. Num *Eclipſes* ratione ſanitatis in homine malum portendant, aut cauſſas morbificas internas diſponant, hodieque à nonnullis Aſtronomis in dubium vocatur. Noſtrum non eſt, dijudicare. Spagyricis *Eclipſis* dicitur ænigmatice *Caput Corvi.* Rul. Iohnſ. quando Aqua Mercurialis, cui Sol & Luna inerant, in ſuperficie omnino nigra apparet in operatione Lapidis Philoſophici, uti colligere eſt ex M. Joh. Iſaaci *lib.* 2. *Oper. Miner. c.* 25. *fin. Theatr. Chymic. Vol. III. p.* 434. Paracelſ. quoque *tr. de Peſtilentia Eclipſes* vocat *irregularitates pulſuum* in homine. Metaphorice *Eclipſin* quoque dici poſſe de artium & ſcientiarum per tempus aliquod obſcuratione, quando non floruerunt. Ita in ſpecie in Indice Etmülleri *ad Medicum Theoria & Praxi generali inſtructum Part. prior.* legitur, ſub ſeculo VI. ad XIV. Eclipſin paſſam fuiſſe Medicinam, nec incrementum cepiſſe ob ignoratam accuratiorem Anatomiam & Chemiam, quemadmodum in ipſo textu *capitis* 1. §. 11. *ſeqq.* explicatur.

ECLOGE, ἐκλογὴ, idem, quod ὑπόμνημα, *Excerptum*, Explicatio hiſtorica. Ita dicuntur ἐκλογαὶ τῶν ἀνατομῶν, *Hiſtoriæ Anatomicæ*, C. Hoſm. *com. in Gal. de V. P. n.* 2. & 869.

ECLYSIS, ἔκλυσις, ſignificat *exſolutionem*, virium proſtrationem, & deliquium facultatum animalium, & vitalium languorem, provenientem ab impedita flammæ vitalis ſanguineæ continuatione, vel propter oppreſſionem & ſuffocationem, vel propter diſſipationem ſpirituum; & ita idem eſſe vult, quod *Lipothymia*, Dieter. *n.* 252. Vid. Sylv. *Pr. Med. l.* 1. *c.* 34. Will. *Pharm. Rat. Part.* 1. *ſ.* 6. *c.* 1. Meminit hujus vocabuli Hipp. 7. *aph.* 8. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 24. *Coac. t.* 245. 249. 256. Vid. Linden. *Ex. XIII.* §. 474. Verbum eſt ἐκλύομαι, *viribus deficio.* 2. *aph.* 41. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 3. *tit.* 28. *Coac. t.* 158. 588. Ἔκλυσις etiam aliquando ſignificat alvi ſolutionem, *Coac. t.* 634. Confer ad Lind. *Ex. IV.* §. 71. Jung. Foëſ. *p.* 188.

ECMÆNO, ἐκμαίνω, h. e. *vehementer inſanio*, vel deliro, Hippocr. *l.* 3. *Epid. ægr.* 4. & 13. *poſt ſtat. peſt. l.* 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 10. 17. *ſ.* 2. *t.* 41.

ECMAGEION, ἐκμαγεῖον, *Expurgatorium*, abſterſorium, vertit C. Hofmann. *in comm. ad Gal. de V. P. n.* 202. 1060. Verum in Lexicis redditur per expreſſum alicujus rei ſimulacrum. Eſt epitheton Lienis apud Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 7. quia νόθον ἧπαρ, ſpurium hepar, & ita veluti *ſimulacrum.* Prior vero ſignificatio non quadrat ad principia hodierna, cum lien non ab hepate ſanguinem accipiat, ſed hepati tradat.

ECMASSO, vel *Ecmatto*, ἐκμάσσω, ἢ ἐκμάττω; ſignificat *efformo*, & fingo. Hipp. aliquoties uſurpavit, *l. de nat. mul. CV.* 24. *l. de Steril. XVII.* 8. *l.* 2. *de morb. XIV.* 28. Significat quoque ἐκμάττω, *abſtergeo*, *l. de int. aff. XLIII.* 31. Galen. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 4.

ECMIÆNOMÆ, ἐκμιαίνομαι, ſignificat *polluor*; contaminor, præſertim effluvio ſeminis, & ita idem eſt Hippocr. quod ὀνειρώττω, *l. de ſuperfœtat. XIIX.* 9. quamvis in ed. Linden. legatur ἐκμαίνηται, deſæviat. Hier. vero Mercurialis vult, legendum eſſe ἐκμιαίνηται, *l.* 2. *V. L. c.* 11.

ECNEPHIAS, ἐκνεφίας, *e nube proveniens.* Dicitur de imbre, de vento, de febre, apud Hippocr. teſte Galeno *in Exeg.* Gorr. *p.* 127. reddidit cum Sole factus, cum tamen & de Sole dicatur ἐκνεφίας, i. e. *æſtuoſus*, *nubium expers*, aut e nubibus prorumpens, Foëſ. *p.* 189.

ECNESTEUO, ἐκνηστεύω, *jejunium longius perfero.* Hippocr. *l.* 2. *de morb. LIII.* 32.

ECPAGLÔS, ἐκπάγλως, adverb. ſignificat *vehementer*, ſtupendum in modum. Frequens Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. X.* 3. *t.* 2. *LVI.* 3. & *in epiſt. ad Philopœmenem. n.* 4.

ECPALEO, ἐκπαλέω, & ἐκπαλαίω, *eluctor*, ſignificat, evibro, vi quadam emoveor. Uſus Hipp. de articulorum emotione violenta e ſua ſede. Unde ἐκπάλησις, *emotio*, ἐκπαλής, *emotus*, 3. *de fract. t.* 63. 3. *de art. t.* 88. 93. Gal. *comm. ad d. l. t.* 98.

ECPEPIESMENOS, ἐκπεπιεσμένος, everſus, expreſſus; *protuberans*, dicitur de ulcere labra protuberantia habente, Hipp. 3. *de fract. t.* 27. licet alii legant ἐκπεπληγμένον, de quo poſtea.

ECPEPLEGMENOS, ἐκπεπληγμένος. Vide *Ecplexis.*

ECPEPTAMENOS, ἐκπεπταμένος, *expanſus*, hians, apertus. Dicitur de vulneribus hiantibus, 2. *de iis q. in medic. tex.* 25. 31. de figuris membrorum, *l. de vet. medic. XXXIX.* 10.

ECPHERO, ἐκφέρω, ſignificat *perfero* ad debitum tempus, & uſurpatur de gravidis fœtum ad maturitatem geſtantibus, Hipp. *l. de nat. mul. XIX.* 1. *libr.* 1. *de morb. mul. XXXVII.* 1. & 13. *l. de Sterilib. XXIII.* 3. Alias proprie ſignificat *effero*, exporto, unde ἐκφερόμενα dicuntur, quæ cum urina excernuntur, *libr.* 7. *Epidem. XXI.* 28.

ECPHRAXIS, ἔκφραξις, id eſt, *pororum apertio* & recluſio, Galen. *l.* 11. *M. M. c.* 13. ubi opponitur τῷ ἐμφράξει. Inde ἐκφρακτικὰ medicamenta oppoſita Emplaſticis. Vide *Deobſtruens.* Dicuntur & ἐκκαθαρτικά. Vide *Eccatharcticus.*

ECPHYAS, ἐκφυάς, idem, quod ἔκφυσις, *appendix.* Epitheton inteſtini cœci, C. Hofm. *Comm. in Gal. de V. P. n.* 258. Vide *Ecphyſis.*

ECPHYSESIS, ἐκφύσησις, *Efflatio*, ſive *Exſufflatio*, eſt expiratio aëris copioſiſſimi confertim facta, Gal. *l.* 2. *de mot. muſcul. c.* 9. *l.* 2. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4. Ejus opifices ſunt muſculi omnes intus inter coſtas ſiti, adjuti etiam iis, qui ad thoracem perveniunt ex ſcapulis & dorſo, atque aliis etiam magnis, qui in Epigaſtrio habentur, Galen. *libr. de V. P. c.* 7. *l.* 2. *de diff. reſp. c.* 13. Oritur à ſanguinis ſpirituoſi, vel vaporoſi nimia efferveſcentia. Eſtque duplex, ψοφώδης, καὶ ἄψοφος, cum ſono, & ſine ſtrepitu, *l. de uſ. reſpir. c.* 2. & *l.* 4. *de L. Aff. c.* 2. Vide C. Hofm. *d. l. n.* 606. Utraque eſt ſpecies ἐκπνοῆς, *exſpirationis*, ſed violentæ, *l. de uſ. pulſ. c.* 7.

ECPHYSIS, ἔκφυσις, in genere *proceſſum*, appendicem in aliqua parte naturalem ſignificat, Gal. *l.* 2. *adm. Anat. c.* 5. In ſpecie ita dicitur *Inteſtinum duodenum*, Galen. *l.* 5. *de V. P. cap.* 3. In oſſe dicitur alio nomine ἀπόφυσις. Vide *Apophyſis.*

ECPICRUMENOS, ἐκπικρούμενος, *amareſcens*, dicitur de ore, Hipp. 4. *aph.* 17. Jung. Dieter. *n.* 255. ob portiones bilioſas regurgitantes per pylorum in ventriculum, effluvia verſus ſtomachum & gulam emittentes. Gal. *l. de plenit. c.* 11.

ECPIESMA, ἐκπίεσμα, 1. generaliter dicitur oſſis in multas partes diffractio, in qua intruſæ oſſis partes deorſum, vel introrſum ſeparantur, & membranam ſubjacentem innixu ſuo premunt, Gal. *in def. Med.* 2. ſpecialiter ἐκπίεσμα vocatur talis fractura cranii, ubi fracturæ oſſicula deſcendunt, & meningem cerebri comprimunt, Æginet. *lib.* 6. *cap.* 90. Significat & ἐκπίεσμα, apud Medicos rei cujuſque detrimentum, quod expreſſo ab ea

e ſucco ſupereſt, nec id tantum, ſed etiam ſæpenumero ſuccum ipſum, ut cum dicitur μυροβαλάνε ἐκπίεσμα, vel quod idem eſt, μυροβαλάνε πίεσμα, quod & ἀπόθλιμμα & μάγμα appellatur. Sumitur in ea ſignificatione apud Dioſcor. *l.* 4. *c.* 160.

ECPIESMOS, ἐκπιεσμὸς, in genere *Expreſſionem* notat. Specialiter inter affectus oculi refertur, diciturque prolapſus totius oculi extra ſuam cavitatem, ut prominens appareat. Differt tamen à *Procidentia*, πρόπτωσις dicta, quod in hac uvea tantum tunica, in illa totus oculus fere erumpat. Hoc malum intellexit Celſus, cum ait, nonnunquam ingentem inflammationem tanto impetu erumpere, ut oculos ſua ſede propellat, *l.* 6. *c.* 6.

ECPLAGEOMÆ, ἐκπλαγέομαι, *percellor*, perterrefio, Hipp. *Prognoſt ſ.* 3. *t.* 34.

ECPLEROMA, ἐκπλήρωμα, *Supplementum* vocatur, quod à Chirurgis intruditur, ad complendum ſinum, vel cavitatem aliquam, pro meliori deligatione, veluti ſunt pilæ parvæ duræ, coriaceæ, & ſimilia, Hippocr. *Mochlic. VIII.* 17.

ECPLETHRIZO, ἐκπλεθρίζω, pertinet ad motus corporis celeres, quando quis in ſexta parte ſtadii, quæ πλέθρον dicitur, prorſum retrorſumque viciſſim, idque ſæpe in utramque partem ſine flexu curſitat, unoquoque curſu breve quiddam de ſpatio demit, quoad denique in uno greſſu conſtiterit. Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 9.

ECPLEXIS, ἔκπληξις, *Stupor*, obſtupeſcentia dicitur, cum ægri apertis oculis quieti manent attonitis ſimiles, neque aliquid agunt, aut dicunt, Gal. *com. ad* 7. *aph.* 14. vel eſt mentis conſternatio & *ecſtaſis*, ex aliqua repentina perturbatione proveniens, *Def. med.* Jung. Dieter. *num.* 256. Huic opponitur περιχάρεια, *exceſſus gaudii*, & ſcimus amborum occaſione plures interiiſſe ſubito, Gal. *l.* 12. *meth. med. c.* 5. Charlton. expoſuit per *Animæ contractionem* & ſubſequentem *Examinationem*, *Ex. VIII. Pathol.* §. 24. Deſcendit à verbo ἐκπλήσσομαι, percutior, conſternor. Quod vero idem verbum etiam ſignificet *hiare*, aut diductis eſſe labris & oris, unde ἐκπεπλεγμένον, vel ἐκπεπληγμένον ἕλκος, ulcus diſtans, hians, diductum, ex Galeno & Homero conatur probare quidem Foëſ. *p.* 190. mihi non videtur cum Lexicographis reſpondere, ſed mendam ſubeſſe & ſubſtituendum verbum ἐκπλίσσομαι per ι, & præterit. ἐκπεπλιχμένον, egredior, dehiſco &c.

ECPNOE, ἐκπνοή, ſignificat *Exſpirationem*, ceu motum thoracis, quo aër, vel ſpiritus foras fertur, & fit, ut docet Galen. *l.* 2. *de muſc.* tantum confidentibus in ſe muſculis, qui inſpirationem fecerunt, eſtque actio valde remiſſa, quæque etiam eſt, in non valentibus loqui, C Hofmann. *Com. in Galen. de V. P. n.* 474. Huic opponitur εἰσπνοή, *Inſpiratio*, de qua paulo inferius. Vide *Eiſpnoë*. Jung. Sylv. *lib.* 1. *Pr. med. c.* 23. Willis *Pharm Rat P. II. ſect.* 1. *c.* 4.

ECPSYCHEO, ἐκψυχέω, ſignificat *exanimor*, animo deficio, idem, quod λειποψυχέω, Hipp. *l.* 1. *de morb. IV.* 2. *XIII.* 15. 16. quamvis in primo loco legat Foëſ. ἐκψύχουσι, præter neceſſitatem.

ECPTERUMÆ, ἐκπτερῦμαι, *alatus fio*, quaſi alis ſubditis in altum vehor. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de diæt. XIIX.* 8.

ECPTOMA, *Ecptoſis*, ἔκπτωμα, ἔκπτωσις, dicitur Hipp. oſſium, vel articulorum e ſede ſua prolapſio vel emotio, citra fracturam. *Excidentia*, *Luxatio.* Idem, quod ἐξάρθρωσις, ἐξάρθρωμα, 1. *de fract. t.* 1. §. 3. *de iis, q. in med. t.* 31. (vide Gal. *in comm.*) *l.* 1. *de morb. V.* 15. At vero *in l.* 3. *Epidem. in ſtat peſtil.* ἐκπτώσεις ſignificant partium corruptarum decidentias & mutilationes. Cum additione ὑστέρων etiam de ſecundinis excidentibus legitur 5. *aph.* 49. Vid. Dieter. *n.* 257. & de utero *prolapſo*, *l. de Natur. muliebri.* Verbum quoque ἐκπίπτω de omenti prolapſu uſurpatur 6. *aph.* 58. Dieter. *n.* 254. Cæterum de *Luxatione* ejuſque differentiis, vide Chirurgiæ ſcriptores veteres & recentiores. Ita inter hos inveni apud Ruyſchium *in Obſerv. Anat. Chir. Cent. I. O.* 98. prolapſum veſicæ urinariæ in ſcrotum, ita ut propterea non dubitaverit titulo *Herniæ cyſticæ* inſignire.

ECPYEMA, ἐκπύημα, ἐκπύησις, dicitur ab Hippocr. copioſa puris collectio, tumore aliquo, præſertim phlegmone, ſuppurato, *vomica abſceſſus cum ſuppuratione*, *Coac. t.* 630. 7. *aph.* 20. 22. Verbum eſt ἐκπυίσκω, in pus vertor, 6. *aph.* 20. vel ἐκπυέω, 7. *aphor.* 38. *ſ.* 2. *prognoſt. t.* 52. Vid. Dieter. *Iatr. n.* 258. 259. Hinc & medicamenta *virtute ſuppuratoria pollentia*, ἐκπυητικὰ vel ἐκπυΐσκοντα vocari conſtat e Gal. *l.* 5. *S. F. c.* 2. 6. & 8.

ECPYRIAOMÆ, ἐκπυριάομαι, ſignificat *igneſco*, incendor. Hippocr. 5. *aphor.* 63. Dieter. vero ἐκπυρόω, vel ἐκπυροῦμαι, expoſuit, *n.* 260.

ECREGMA, ἔκρηγμα, primo notat abſceſſus *ſegmentum*, fruſtum abruptum. Ita Gal. legit 4. *de artic. t.* 63. quamvis in omnibus Exemplaribus occurrat ἐρρήγμασι. Foëſ. *p.* 192. Deinde ſignificat *eruptionem*, vel puſtulam, 7. *Epid. VII.* 5. Verbum ἐκρήγνυμι, *erumpo*, effringo, legitur 4. *aph.* 82. & 7. *aph.* 57. Dieter. *n.* 262.

ECREXIS, ἔκρηξις, *rupturam* ſignificat, & uſus eſt Hippocr. de vulva vel matrice *l. de Sterilib. III.* 1.

ECRHYTHMOS, ἔκρυθμος, *nullum ſervans rhythmum*, eſt ſpecies Pulſus *Arrhythmi*, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 9. Vide *Arythmus.*

ECROE, ἐκροή, *effluxum*, aut effluvium ſignificat, & curſum, per quem humor expurgandus elabitur & effluit, Hipp *l.* 2. *Epid. I.* 52. Deſcendit à verbo ἐκρέω, *effluo*, vel ἐκρύω, 6. *aph.* 27. Dieter. *n.* 261. Hinc provenit & ἔκρους, vel ἔκροος, *effluxus*, *l. de virg. morb. II.* 7. Foëſ. *d. l.* Item ἔκρυσις, idem, quod ἐκροή.

ECRYTIZO, ἐκρυτίζω, ſignificat *erugo*, h. e. rugas tollo. Jul. Alex. *Ann. in l.* 1. *Galen. de C. M. S. L. c.* 3. *Tom. II. Oper. p.* 790.

ECSARCOMA, ἐκσάρκωμα, *Excreſcentia carnea.* Vocatur alias ὑποσάρκωσις, Gorr. *p.* 128.

ECSTASIS, ἔκστασις, Hippocrati *vehementem mentis emotionem* & delirium ſignificat. Confer *ad Coac. t.* 486. *l.* 2. *Prorrhet. XVI.* 12. 13. 14. Adde Gal. *com.* 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 19. Alia eſt *cum ſilentio*, μετὰ σιγῆς, *d. l.* Alia ἔκστασις μελαγχολική, quæ *furioſa* dicitur, μανική, *mentis emotio*, qualis eſt atra bile percitis, & plerumque in furorem erumpit, 7. *aph.* 5. Dieter. *num.* 263. *c.* 1. *in* 1. *Prorrh. t.* 14. Vigilias habet conjunctas, & ita Comati contraria. Ita & verbum ἐξίσταμαι ſignificat *graviter delirare*, *Coac. t.* 437. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 19. *ſ.* 2. *t.* 3. 48. *ſ.* 3. *t.* 5. 6. & alibi ſæpius. Vide Foëſ. *p.* 218. *ſeqq.* Vide *Delirium.* Aliis tamen ſignificat abſtractionem mentis à corpore ad contemplanda cœleſtia, quam alio nomine ἀναγωγὴν appellant. Vide *Catalepſis. Enthuſiaſmus.* Senn. *Medic. Pr. l.* 1. *p.* 2. *c.* 30. Ἐκστατικὴ δύναμις dicitur facultas alienandi animum, qualis eſt in Hyoſciamo, Coriandro viridi, & Ephemero. Caſtell.

ECSTROPHIOS, ἐκστρόφιος, *Extractorius*, epitheton remediorum hæmorrhoidibus cœcis extrahendis, aperiendiſque convenientia, quo poſtea facilius medicamenta adhiberi poſſint. Vid. Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 7. Unde & effectus ibid. dicitur ἐκστροφή, *extractio.*

ECSYRINGUMÆ, ἐκσυριγγοῦμαι, in fiſtulam abeo, *fiſtuloſus fio.* Dicitur de abſceſſibus, vel ulceribus, quando in fiſtulas degenerant, Hipp. *Coac. t.* 395. In *Prognoſt.* vero *ſ.* 2. *t.* 64. ſimpliciter effertur per συριγγοῦμαι, Foëſ. *p.* 193.

ECTANYO, ἐκτανύω, idem, quod ἐκτείνω, *extendo*, Hipp. 3. *de fract. p.* 63.

ECTARATTOMÆ, ἐκταράττομαι, commoveor, *perturbor.* Hipp. 4. *aph.* 60.

ECTASIS, ἔκτασις, *extenſio*, eſt cutis affectus, cum in longitudinem & latitudinem extenditur. Opponitur huic ῥίκνωσις, *corrugatio*, *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 21. item σύγκαμψις, *inflexio*, 3. *de iis*, *q. in medic. t.* 20.

ECTELYNSIS, ἐκτήλυνσις, *effœminatio*, *mollities.* Dicitur metaphorice de cutis & carnis laxitate & mollitie, 5. *aph.* 16. *de humid. uſ. III.* 2. (ἀτονίαν vocat Gal. *in comm.*) Uſurpatur etiam de cruribus, *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 12. de vinculi laxitate in deligationibus, 3. *de iis*, *q. in med. t.* 6. Unde & ἐκτεθηλυσμένον legitur, 3. *de fract. t.* 81. & *lib.* 1. *de morb. XXIX.* 12. à verbo ἐκθηλαίνω, *effœmino.*

ECTEXIS, ἔκτηξις, *colliquationem* ſignificat. Vide *Colliquatio*, Hipp. 2. *Prorrhet. XV.* 5. & ἐκτηκόμενον αἷμα, ſanguis *colliquatus*, fuſus, *Coac. t.* 639. Et quia *colliquationem* illam ſanguinis ſequitur macies, poteſt ἔκτηξις hanc quoque denotare. Ita ἐκτηκτὸς dicitur de abdomine tabefacto, 2. *aph.* 35. Vide Dieter. *n.* 265.

ECTHLIMMA, ἔκθλιμμα, vocat Hipp. *exulcerationem*, quæ fit in ſumma cute, ex compreſſione violenta, Gal. *comm.* 2. *de fract. t.* 65.

ECTHLIPSIS, ἔκθλιψις, *eliſionem*, *expreſſionem* denotat, v. g. oculorum, *Coac. t.* 218. Foëſ. *p.* 186.

ECTHYMA, ἔκθυμα, ab ἐκθύειν, quod ſignificat *cum impetu ferri*, erumpere, denotat papulam ſuper cutem erumpentem, *efflorefcentiam* cutaneam ab humoribus ſuperfluis ſalſis & tenuibus ſub cuticula coagulatis. Dicitur & alio nomine ἐξάνθημα, quo pertinent Variolæ, Morbilli, Petechiæ, &c. Vid. Linden. *S. M. Ex. XI.* §. 189. Hujuſmodi *Ecthymata*, ſtribiligines nigras, vibices, pellis vocat tincturas ſuperficiales, quæ Archeum denotant affectum, Helmont. *Tumul. Peſtis.* §. *Præparata ſedes.*

ECTOME, ἐκτομή, idem, quod ἐκκοπή, *exciſio*, exſectio. Vide *Eccope.*

ECTOMIAS, ἐκτομίας, ἔκτομος, i. e. *Caſtratus*, *Eunuchus*, Exſectus. Vide *Caſtratus.*

ECTOMON, ἔκτομον, præter vulgares ſignificationes notat etiam helleborum nigrum vel veretrum, ab effectu forte, quo ejus uſus nimius virilitatem adimit. Galenus *in lexico Hipp.* ἐλλέβορον μέλανον interpretatur.

ECTRAPELOGASTROS, ἐκτραπελόγαστρος, ἢ ἐκτραπελογάστωρ, *monſtroſum habens ventrem.*

ECTRAPELOS, ἐκτράπελος, dicitur de omni eo, quod à communi ſeu ordinaria natura degenerat, Linden. *Ex. XI.* §. 142. 143.

ECTREPSIS, ἔκτρεψις. Hoc vocabulum pro ἔκτριψις ſubſtituendum eſſe in Hippocr. 1. *de iis*, *quæ in medic. t.* 19. volunt Foëſ. *in Oec. p.* 194. & C. Hofm. *in not. MMSS. ad Gal. comm. in h. l.* quia ex connexione textus colligere licet, denotare hic corporis tractandi mutationem & perverſionem ad latera commodam, à verbo ἐκτρέπω, *perverto.* Ἔκτριψις vero *deletionem* ſignificat, quamvis non ſit diſſimulandum, nomen ἔκτρεψις in aliis Lexicis non occurrere, & optimus forte interpres τῆς ἐκτρέψεως eſt Galenus *in exegeſi Hipp.* εἰς τὰ σπλάγχνα ἔσω παρέκκλιξις.

ECTRIMMA, ἔκτριμμα, *intertriginem*, attritum, h. e. cuticulæ, vel cutis extremæ exulcerationem ſignificat, quales fieri ſolent circa os ſacrum femore fracto, & longo tempore eodem habitu collocato, Hippocr. 3. *de fract. t.* 26.

ECTRIPSIS, ἔκτριψις. Vide *Ectripſis.*

ECTROPE, ἐκτροπή, ſignificat *diverticulum*, per quod materia peccans abſcedit, & veluti cuniculis actis in ſinum ſe recipit, Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. 45. Sunt ergo ἐκτροπαὶ veluti divortia & ſubterfugia, & à populari via deflexiones, digreſſiones, commutationes, quæ in humorum tranſpoſitu fiunt, Foëſ. *p.* 194.

ECTROPION, ἐκτρόπιον, eſt ſuborta caro in palpebra, quæ ſua gravitate palpebram foras evertit, Gal. *in defin. Ægin l.* 3. *c.* 22. vocat ἐκτροπὴν τοῦ βλεφάρου, *everſionem palpebræ*, ubi etiam cauſſam dicit eſſe cicatricem.

ECTROSIS, *Ectroſmos*, ἔκτρωσις, ἐκτρωσμὸς, à verbo ἐκτιτρώσκω, abortio. Vide *Abortus.*

ECTYLOTICA, ἐκτυλωτικὰ, vitioſe ἐκπιλωτικὰ, vel ἐκπιλωτικὰ, ſignificare medicamenta *Callum abſumentia* vult I. D. Horſt. *Part.I. Diſpenſ.Pharmac.Univ.l.2. c.14.p.XIII.* ſed qua autoritate nitatur, non conſtat. Nos in nullo Græco Autore reperire potuimus. Si vero licitum eſt fingere, poſſent etiam dici ἐκπωρωτικὰ. Sunt autem nihil aliud, quam καθαιρετικὰ. Vide *Cathæreticos.*

ECZEMA, ἔκζεμα, *puſtula ardens* & fervida dicitur, dolorem ciens citra ſaniem. Ingens enim fervor omnem materiam abſumit, Gorr. *p. 126.* Caſt. Vel potius cauſſa in fuliginoſis ſiccioribus effluviis cum pauca humiditate junctis conſiſtit. Apud Dioſcorid. legitur ἐκζέσμα, & quidem rectius, quam ἐκζέμα, ita etiam ἔκζεσις, efferveſcentiam ſignificat.

EDAPHOS, ἔδαφος, ſolium, *pavimentum domus* ſignificat, Moſchion. *de morb. mul. c. 163.*

EDAX, βορρός. Vide *Borros. Edaces* dicuntur multi cibi: *Voraces*, qui præ aviditate tuburcinantur, & raptim manducant, Lind. *Ex. XIII. §. 159. Edacitas* refertur inter cupiditates nimias nocivas, eſtque deſiderium alimenti ſolidioris, quemadmodum *Bibacitas* liquidioris, Jul. Alex. *l. 22. Salubr. c. 6.*

EDELPHISMENOS, ἠδελφισμένος. Vide *Adelphixia.*

EDELPHUS dicitur Paracelſo, qui ex elementorum natura prognoſticat, Rul. & Iohnſ. Vide Paracelſ. *l. 2. de Tartar. tr. 2. c. 3. & in Scholiis ad h. l.*

EDENTULUS, ἀνόδους, νωδὸς, i. e. dentes non habens, *carens dentibus.* Hunc ſemper mancum pronunciavit Fallopius, ideo, quod omnes literas exprimere non poſſit. *Tract. expoſit. de Oſſib. c. 16. Tom. I. p. 503.* Obſervationem infantis bimuli dentibus adhuc carentis vide apud Bonet. *Med. Septentr. Collat. l. 18. ſect. IV. c. 5. p. 327.*

EDES, *Edez*, id eſt, *Aurum Elempius*, *Electrum.* Rul.

EDESMA, ἔδεσμα, *edulium*, idem, quod βρῶμα. Vide *Broma.*

EDIC, *Edich*, *Edir*, i. e. Mars, ferrum, chalybs. Rul.

EDUCATIO, apud Latinos duplicem habet ſignificationem. Vel enim accipitur de victus ratione pueris competente, & ita Gr. dicitur τροφὴ, uti patet ex Galen. *l. quod an mores ſeq. temp. corp. c. 10.* item κομιδὴ. Æginet. *l. 1. c. 5.* Vel ſumitur pro *Inſtitutione puerorum*, & ita vocatur παιδεία, διδασκαλία, παιδομαθία, παίδων ἀγωγὴ, Gal. *de cogn. & cur. an. morb. c. 7.* cujus neceſſitatem in Republ. egregie inculcat Lang. *l. 3. ep. 6.* De *educatione* pro futuro Medico vide Linden. *Ex. I. §. 21. ſeqq.*

EDUCTIO, ἀναγωγὴ, Dieter. *n. 54.* Vide *Anagoge. Educere* aliquando accipitur pro *Bibere.* Rhod. *ad Scribon. n. 122.*

EDULCORATIO, γλύκανσις Græce dici poſſet, duo ſignificat: 1. modum medicamentum, vel alimentum liquidum, vel ſiccum ſaccharo vel melle dulce reddendi ad gratiorem ſaporem; 2. modum medicamenta Chymica à ſalina acrimonia liberandi affuſione aquæ frequenti, quæ Ablutio, vel etiam Lotio vocatur. Hujusmodi *Edulcorationis* aliquoties meminit etiam Schröder. v. g. in præcipitationibus & ſublimationibus Vitrioli, alibique. Deſcripſit & Jacob. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c. 18.* Duplici modo *edulcorationem* perfici, uno, qui fit mediante Sale Alcali, & locum habet in pulveribus corroſivis, v. g. Mercurio præcipitato rubro, dulci &c. altero, qui fit aqua vel frigida, vel calida: Legitur in Morley *Coll. Chymic. Leid. c. 266.*

EDULIUM, ἔδεσμα. Vide *Broma. Cibus.*

EFFECTIVUM, ποιητικὸς, eſt proprium Artium, unde & Medicina dicitur ἐπιστήμη ποιητικὴ, Galen. *art. medic. c. 3.*

EFFECTUS, ἔργον, dicitur omne id, quod ab alio, tanquam à cauſſa ſua, producitur, & dependet. Dicitur & *Effectum. Effectuum* varietas ab una cauſa dependet à materiæ diſpoſitione. Ita Sol terram adurit & indurat, ceram liquefacit, Lang. *l. 2. ep. 17.* Alias qualis cauſſa, talis effectus. Si cauſſa per ſe agit, ſequitur effectus per ſe. Si cauſſa per accidens operatur, *effectus* quoque per accidens ſtatuendus. Unius *effectus* poſſunt etiam plures eſſe cauſſæ, ſed ſubordinatæ: & vice verſa unius cauſæ plures *effectus*, Libav. *de Philoſ. Harmon. Mag. T. IV. Oper. p. 283.* Sæpe etiam *Effectus* accipitur pro Medicamentorum utilitate, quam actu præſtiterunt in corpore humano, Scribon. *n. 19. 97. 75. 106. &c.* Vid. *Lexic.* Rhodii.

EFFERVESCENTIA, ζέσις, ἔκζεσις, terminus hodieque in Medicina receptiſſimus, denotatque interdum idem, quod *Fermentatio*, de quo vocab. infra: interdum vero & frequentius exceſſivam fermentationem, ſive motum intrinſecum vehementiorem, aut nimiam agitationem alicujus liquoris mixti, ex activis & paſſivis portionibus conſtantis, obortam vel à calore quodam extraneo, vel interno quodam fomite heterogeneo ad luctam illam irritante. Videatur ex recentioribus Cl. Willis *de efferveſcentia vini*, *de ferment. c. 7.* & *de febr. c. 1.* ubi & ſanguinis *efferveſcentia* deſcribitur, quemadmodum & *c. 2. ſeqq.* In artificialibus quoque alia calida, alia frigida, Sylv. *l. 1. Pr. Med. c. 14. §. 8. 16. c. 19. §. 71.* Inter naturales etiam referenda *Inteſtinalis* ex confluxu bilis & ſucci pancreatici, *c. 11.* item *Vitalis*, quæ excitatur ex portionibus ſalinis, oleoſis, volatilibus ſanguinis permiſtis, cum portionibus acidis Lymphæ, *c. 19. §. 2. 3. ſeqq.* Quamvis utraque ab aliis recentioribus Phyſiologis in dubium vocetur, imo negetur, v. g. prior à D. D. Bohn. *Circ. An. Prog. X.* poſterior ab eodem *d. l. Prog. IV.* verum non eſt noſtri inſtituti arbitrium facere, quænam opinio ſit amplectenda. Medicamenta quoque compoſita *efferveſcere* dicuntur ob contrarietatem ſimplicium ingredientium, Scribon. *n. 45. 207. 250.* *Efferveſcentia* Chymica eſt, quando cum evidenti motu perficitur mediante furni igne, ubi ſpiritus ſubtiliores avolant, ut, niſi vas alicu-

bi

bi rima ſit prædítum, diſſiliat. Iunken. *Chym. Med. Phyſ. p. 1. ſ. 1. c. 4. p. 62.*

EFFICACIA, δύναμις, idem, quod *Virtus*, Potentia agendi in aliud. Hinc & *Efficax* dicitur medicamentum aliquoties apud Scrib. L. Vide Rhodii *Lex. Efficacia* per experientiam nota dicitur rerum virtus, Ger. Dorn. *Specul. Philoſoph. P. 2. c. 3.*

EFFICIENS, δραστικὸς, ποιητικὸς, eſt nomen notiſſimum *cauſſæ*, qua aliud producitur, aut fit. Hæc in Medicina vel ſola, vel potiſſimum intelligitur, quando cauſſæ fit mentio. Vide *Cauſſa*. Jung. Linden. *Ex. XII.* §. 100.

EFFIDES, id eſt, cinis Plumbi, vel Ceruſſa, Rul. Iohnſ.

EFFILA, maculæ, vel tinctura à Sole facta in facie, vel alia parte in cute, Ruland. & Iohnſon.

EFFLATIO, ἐκφύσησις. Vide *Ecphyſeſis*.

EFFLORATIO, ἐξάνθημα, ἐξάνθισμα. Vide *Exanthema*.

EFFLORESCENTIA, idem. Vide *Exanthema*.

EFFLUVIUM, ἀπόῤῥοια. Vide *Aporrhœa*. Cæterum, cum *Effluviorum* conſideratio hodieque in Philoſophia & Medicina inſignem fœneretur lucem & utilitatem, eorum miram ſubtilitatem, determinatam naturam, & inſignem efficaciam tribus per hos titulos diſtinctis Exercitationibus egregie pro ingenii ſui ſagacitate Robert. Boyle deſcripſit.

EFFLUXUS, ἐκῤῥοή. Vide *Ecroe*, *Exerrhoſis*.

EFFOEMINATIO, ἐκθήλυνσις. Vide *Ecthelynſis*. Vide & *Androgyni*.

EFFRACTURA, Paræo dicitur tertia fracturæ cranii ſpecies, ſeu oſſis depreſſio, quando vehementiſſimo ictu labat os, & intro effringitur. Differt à Contuſione, in qua os non labat. *l. 9. Chir. c. 6.*

EFFRENIS, idem, quod immoderatus, exceſſivus cum aliquo impetu. Ita *effrenes* humores dicti ſunt *Turgentes*. Fallop. *tr. de purg. ſimpl. c. 16. Tom. I. p. 67. Effrenis* purgatio eſt nihil aliud, quam ὑπερκάθαρσις, quam Barbari *Effrenitationem* vocaverunt. Id. *d. l. c. 7. p. 35.*

EFFUGIO, διαφεύγω. Vide *Diapheugo*.

EFFULGESCENTIA, ἔκλαμψις. Vide *Eclampſis*.

EFFUSIO, ἐκχύμωμα, ἐκχύμωσις. Vide *Ecchymoma*.

EGELIDUM, medium inter calidum & frigidum. Ref. *med. Epiſt. 63.*

EGESTIO, ἔκκρισις, idem, quod *Excretio*. Vide *Eccriſis*. Plerumque de alvi excretione ſumitur. Verbum *Egeſturire* legitur inter ſigna calculi veſicæ apud Ionſton. *Syntagm. Medicinæ Univerſ. p.* 1001. quo nihil aliud innuitur, quam quod alvus etiam irritetur ad excretionem, quando calculus ſtimulat ad meiendum, hinc ægros ſæpe teneſmo laborare ſcripſit Sennert. *Pr. Med. l. 3. Part. 8. ſect. 1. c. 2.*

EGOITAS, terminus Helmontianus barbarus, quo indicatur Intellectus noſtri lumen, veluti intrinſecum contemplans, deliberans, *tr. Confeſſio Autoris, n. 7.*

EGREGORSIS, ἐγρήγορσις, *Vigilia*, vigilantia, expergefactio, cujus eſſentia & ratio formalis conſiſtit in libertate & expanſione ſpirituum animalium, in cerebro & toto nervoſo genere, Gal. *def. Med.* Willis *de An. brut. part. 1. c. 16. ſub fin.* Jung. Charlton. *Ex. VII.* §. 4. ubi *Vigilias* vocat *Exercitium ſenſuum internorum & externorum*. Jungatur Bohn. *Circ. Anat. Phyſiol. Progymn. XXX. in principio.* De pulſibus *expergiſcentium* vid. Galen. *l. 3. de cauſſ. pulſ. c.* 10.

EJACULANTIA, vel *Ejaculatoria* vaſa dicuntur, quæ & *Deferentia* appellantur, quæ ſemen in teſtibus elaboratum excipiunt, deferunt & in congreſſu ejiciunt in colem, quorum deſcriptionem vide in Anatomicis, ſpeciatim in Bartholin. *l. 1. Anat. c. 21. ſeqq.* Pertinent huc veluti partes, Corpus variciforme, Paraſtatæ, Proſtatæ, Veſiculæ ſeminales &c.

EICE, εἰκῆ, adverbium uſitatum Hippocrati, ſignificans *temere*, abſque conſilio, negligenter, in elegantiſſima gnome: μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾷν, *nihil temere, nihil inconſiderate*, *6. Epid. ſ. 2. t. 25.* Legitur & *l. 6. Epid. ſ. 8. t. 49.*

EIDECHTES dicitur, quod vel aſpectu, vel fœtore eſt abominandum & exoſum, Hipp. *l. 2. de morb. mul. VIII. 1. XVII. 9.*

EIDESIS, εἴδησις, ſignificat *ſcientiam*, vel *conſcientiam*, uti vult Linden. *Ex. III.* §. 3. Occurrit apud Hipp. *de dec. orn. VI. 2.*

EIDOS, εἶδος, in genere *ſpeciem*, quæ generi ſubjicitur, ſignificat, quæ & aliis nominibus διαφορὰ, τρόπος, *differentia*, *modus*, à Medicis dicitur, teſte Gal. *c. 1. de iis*, *q. in medic. t. 8. & c. 2. t. 3.* Specialiter vero apud Hipp. denotat corporis *naturam* & *temperamentum*, & differentiam ab aliis corporum naturis, Gal. *c. 2. de nat. hum. t. 14. l. de ſal. diæt. t. 5. l. 2. Prorrh. XVII. 2. 8. 12. &c.* Jung. Foëſ. *p.* 181.

EJECTIO, ἐκβολὴ, idem, quod *Excretio*. Dicitur & *Dejectio*. Vide ſupra.

EILAMIDES, εἰλαμίδες, dicuntur Polluci *membranæ cerebrum inveſtientes* binæ, ideo, quod cerebri medullam involvant, ab εἰλέω. Vocantur alias *Meninges*, Gorr. *p.* 125.

EILEMA, εἴλημα, εἴλυμα, ſignificat apud Hippocr. *convolutionem* inteſtinorum doloroſam, aut tormina, & refertur inter morbos à flatibus, *l. de flatib. XIV.* 1. Linden. deſcripſit, quod εἰλήματα ſint dolores fixi, & veluti clavi muro pacti, quorum cauſſa eſt flatus intra tunicas inteſtini incluſus, *Sel. M. Ex. IV.* §. 14. Significat & *Involucrum*. Vide *in lit. I.*

EILEON, *Ileum* Lat. eſt nomen inteſtini tenuis ordine tertii, quod incipit, ubi jejunum definit, omnium longiſſimum, à frequentibus circumvolutionibus ita dictum, cujus deſcriptionem vide apud Anatomicos, & in ſpecie Barthol. *l. 1. Anat. c.* 10.

EILEOS,

EILEOS, εἰλεὸς, & cum aſpir. εἰλεὸς, *Ileus*, eſt affectus inteſtini *Ilei* vehementiſſimus. Dicitur & *Volvulus*, cujus prolixam deſcriptionem & expoſitionem egregie tradidit Linden. *Ex.IV. per totum, & ſeqq.* Jung. Dieter. *num.* 240. Sunt & qui ſcribunt, ἴλεος, Heſych. Vocatur & *Miſerere mei*, *Chordapſus*. Meminit Hippocr. 3. *aph.* 22. Interdum ſub *Colica* comprehenditur à Veteribus. Apud Scribon. *n.*116. deſcribitur, quod ſit inflatio inteſtinorum; ſed monet recte Rhodius *in Not.* verius dici inflammationem. Ex recentioribus vid. Sylv. *l.* 1. *Pr. Med. c.* 15. P. Barbette *l.* 4. *c.* 7. & ex noviſſimis Anglis Joh. Pechey *in promptuario Praxeos Medicæ c.* 31. & Joſeph. Iakſon *in Enchiridio Medico c.* 23. Ex his ſeq. deſcriptio dari poteſt: *Ileus*, vel *Paſſio Iliaca* eſt dolor acerbiſſimus inteſtini Ilei, vel etiam (ſec. nonnullos) cœci, cum conſtipatione alvi, tumore ventris chordæ inſtar tenſivo, ſubſequente etiam rejectione fecum per os, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus, proveniens ab inflammatione quandoque gangrænoſa, aut alia graviori ſolutione continui dictæ partis, per ſanguinis motum impeditum oborta, inteſtinorum motum periſtalticum invertente.

EILETHERES, εἰληθερὲς, aliis ἑλαθερὲς, ἑλαθερὲς, ſignificat *in* vel *à Sole calefactum*. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de Morb. XXX.* 7. *LXVI.* 17. *LXIIX.* 20. Et εἰληθερεῖν dicitur *inſolatus*, qui in Solis radiis corpus exponit, Gal. *l.* 8. *meth. med. c.* 2.

EILICRINES, εἰλικρινὴς, *ſincerus*, purus, merus, impermixtus, dicitur de ſubſidentia in urina, *Coac. t.* 586. εἰλικρινῶς adverb. *pure*, *ſincere*, legitur de criſi, *l.* 4. *Epid. III.* 9.

EILUMENOS, εἰλούμενος, *contortus*, convolutus, ab εἰλέομαι, vel εἰλέω, *contorqueo*, coarcto, Gal. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 32.

EIOTHOS, εἰωθὼς, *conſuetus*, perennis, ſolitus. Ita εἰωθεῖα κίνησις, motus *conſuetus*, perennis. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. XXX.* 18. Jung. Lind. *Ex. XIII.* §. 230. *ſeqq.*

EIRION, εἴριον, εἶρος, *lanam*, & quidem, ῥυπαρὸν, *ſuccidam* ſignificat, quæ vim mitigandi & digerendi habet, præcipue ubi bene carminatæ ſunt. Legitur & ἔρια οἰσυπηρὰ ob *œſypum* & *ſuccum ſordium*, quo imbutæ ſunt, Hipp. 2. *de fract. t.* 72. *l.* 3. *t.* 24. *l.* 4. *de art. t.* 24. *l. de ulcer. XV.* 6. *l.* 2. *de morb. mul. LXV.* 6. 7. *LXVI.* 7. *& alibi.* Videatur Foëſ. *p.* 183. 184.

EIRYOMÆ, εἰρύομαι, idem, quod ἕλκομαι, *traho*. Frequens Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 10. *Coac. t.* 51. *l.* 2. *de morb. mul. XXII.* 6. Foëſ. *d. l.*

EISAGOGE, εἰσαγωγή. Vide *Tyrocinium*.

EISBOLE, εἰσβολὴ, proprie *injectionem* ſignificat; Medicis vero denotat *inſultum*, & *aggreſſionem primam* morbi, vel paroxyſmi, quæ alias & ἐπισημασία dicitur, Galen. *l. de temp. morb. c.* 6. Item *irruptionem*.

EISPNOE, εἰσπνοὴ, *Inſpiratio*. Eſtque pars reſpirationis, qua aër intra pulmonem per os & nares trahitur ad cordis & ſanguinis ventilationem, Gorr. Jung. C. Hofmann. *comm. in Galen. de Vſ. P. num.* 316. vel potius (juxta modernorum Phyſiologorum ſententiam) ad ſanguinis rarefactionem & elaſticitatem continuandam. Vid. infra *Reſpiratio*. De *Inſpiratione* integra & læſa vide apud Will. *Part.* 2. *Pharm. Rat. ſect.* 1. *c.*1.2.3.

ELABORATIO, Gr. dici poſſet ἐξεργασία, φιλοπονία, eſt operatio manuaria, qua res in ſubſtantia, eaque potiſſimum materiali, mutata *elaboratur*. Id enim nunc *elaborare* appellamus, cum remotis ignobilioribus materiæ partibus, quæ ſeu obiter adhærent, ſeu quovis modo adminiculum præbent eſſentiæ, præſtantiſſimam elicimus. Itaque & maxime viget hic impuri à puro ſegregatio. *Elaboratio* aut eſt ſolutio, aut coadunatio. Hæc Rul. & Iohnſ. *Elaborationis* Chymicæ, vel Philoſophicæ modos ſex vide apud Libav. *Tract. de Igne naturæ c.* 37. *Tom. II. Oper. p.* 79. *Elaborare*, i. e. *multum laborare*, anniti, valde laborare, Scrib. *n.* 38. Rhod. *in Lexic.*

ELÆOMELI, ἐλαιόμελι, genus quoddam Reſinæ Palmyris Syriæ familiare. Id ex vetuſtis arborum caudicibus manat pingue, unguinoſum, craſſius melle, reſina tenuius, perinde quaſi nunc e lapidibus quibuſdam, quod πετρέλαιον nominant. Iis, quibus inſederit, hæret admodum pertinaciter, atque ſi edatur, marcore conſumit, & viribus deſtituit, veternumque inducit, Gorr. *in def. p.* 131. Junge P. A. Matthiol. *in Apolog. adv. Amat. Luſitan.* §. *h. t.* Legitur & apud Dioſcor. ipſum *l.* 1. *c.* 37.

ELÆON, ἔλαιον, id eſt, *Oleum*, ab ἐλαία, *Olea*. Nam *Oleum* ſimpliciter dictum denotat *Oleum olivarum*, h. e. ſuccum pinguem ex olivis maturis expreſſum. Trium enim generum *Olea* occurrunt in Medicina uſitata: *Olea expreſſa*, de quibus vide Schröder. *l.* 2. *c.*71. *Cocta per infuſionem & coctionem*, *d. l. c.* 72. & *deſtillata*, *d. l. c.* 70. Jung. Fr. Hofm. *in clav.* De *Oleis Expreſſis & Coctis* non inepte quoque ſcripſit Jac. le Mort. *Pharm. Med. Phyſ. c.* 28. *p.* 204. *ſeqq. Olea* in genere, præſertim communi, mediæ eſſe naturæ inter humectantia & ſiccantia, docet Galen. *lib.* 2. *de S. Fac. c.* 25. *Olea* in genere omnia ſalinæ eſſe naturæ, & à ſalibus perfectione ſaltem differre, ita ut *Olea* ex ſalibus & hæc viceverſa ex illis confici queant, expreſſe ſcripſit Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 2. *c.* 1. *p.* 78. Aliquando vocab. ἔλαιον etiam accipitur apud Hipp. pro *pinguedine*, vel adipe, v. g. Vituli marini, ſeu Phocæ, *l. de nat. mul. XXII.* 13. *XXIX.* 167. 181. *l. de exſectione fœtus*, *IV.* 5. Anſeris, *l. de nat. mul. XXIX.* 124. 135. 140. *LXV.* 3. *LXIIX.* 2. *LXXX.* 2. Suis, *l.* 1. *de morb. mul. XC.* 11. Vide Foëſ. *p.* 197. *Butyrum* quoque vocari ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος, *oleum de lacte*, teſtatur Lind. *Ex.XVI.*§.119. Derivativum eſt ἐλαιώδης, *Oleoſus*. Ita nuces, amygdalas, & ſemina alia habent ἐλαιῶδες, *oleoſam* ſubſtantiam, C. Hofmann. *l.* 3. *V. L. c.* 22. Vide *Oleum*.

ELÆOPINES, ἐλαιοπίνης, *oleo infectus*, imbutus. Uſur-

Uſurpatur de veſtibus ſordidis, quibus opponuntur puræ, Hipp. *de ſal. diæt. t.* 11.

ELÆOSACCHARUM, Gr. dici poteſt ἐλαιοσάκχαρον, eſt terminus Pharmaceuticus, denotans mixturam Olei deſtillati cum Saccharo, v. g. olei ℈j, ſacchari ℥j, vel circiter, Schröd. *l.* 1. *c.* 3. Ejus encomium & formulas vide apud Rolfink. *Chymiæ l.* 4. *ſect.* 6. *c.* 1. *ſeqq.*

ELAGUIR, *Vitriolum viride.* Rul.

ELAMBICATIO dicitur modus *Diſſolutionis* aquarum Thermalium ad inveſtigandam virtutem mineralem, fitque duplici modo, uno in balneo Mariæ, qui difficilior, altero igne in vitris, quem prolixius deſcribit Fallop. *tr. de Aq. Therm. c.* 9. *Tom. I. p.* 224. Andr. Bacc. *de Therm. l.* 2. *c.* 3. *p. m.* 87.

ELANULA, *Alumen duriſſimum inſtar ferri.* Id.

ELAPHOCAMELOS, ἐλαφοκάμηλος, i. e. Cervicamelus, vocatur animal quadrupes, partim cervum, partim camelum referens, ex Peru Indiæ Occidentalis regione Antuerpiam delatum, cujus deſcriptio prolixior extat in Matthiol. *l.* 5. *Epiſtolar. p. m.* 211.

ELAPHOS, ἔλαφος. Hinc *Elaphographia*, i. e. *Cervi deſcriptio.* Vide *Cervus.*

ELAPS, *Elops*, ἔλαψ, ἔλοψ, nomen ſerpentis, cujus meminit ex Aëtio Foreſt. *l.* 30. *O.* 18. *in Schol.* De hoc videatur Aldrov. *Hiſt. Serpent. & Drac. l.* 1. *c.* 15. ubi & alias hujus vocis ſignificationes huc non pertinentes invenies.

ELAPSUS, ἔκπτωσις. Legitur apud Augen. *Tom. III. p.* 115. vide *Ecptoſis.*

ELASIS, ἔλασις, ELATER, ἐλατὴρ, hodieque etiam à recentioribus ſunt introducti termini, quibus expulſionem impetuoſam & agitationem ſpirituum, præſertim animalium, nec non cauſſam & principium, unde illa expulſio dependet, explicare. Coincidit cum *Exploſione*, de quo vocab. paulo inferius. Imprimis vero Aëri inſignis *Elater* tribui ſolet, ſeu ſpontanea vis dilatandi ſeſe, num vero in omnibus ita ſeſe habeat, fortaſſis alia occaſio ventilandi ſeſe offeret. Meminit etiam hujus ex Pecqueto Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 9. *p.* 427. Vide *Elaſticus.*

ELASMA, ἔλασμα, in genere denotat *Laminam.* Vide infra *Lamina.* In ſpecie vero ſignificat fiſtulam Clyſteris, quæ ano immittitur, demonſtrante Linden. *Ex. IV.* §. 101. Deſcendit à verbo ἐλαύνω, vel ἐλάω, quod varias obtinet ſignificationes, v. g. ſignificat *diduco*, extendo, quando de materia dura diducta uſurpatur. Item agito, *moveo*, ſtimulo, unde ἐλατὴρ, ἐλαστικὸς, *Elater*, *Elaſticus*, qui termini latinitati quoque donati hodieque frequentiſſimo ſunt in uſu apud Wilſium, & alios, dum ſpiritui animali & liquori nervoſo attribuitur qua ſec. qua p. nat. virtus *Elaſtica*, & impetum faciens. Vide *Tract. Anat Cerebr de An. Brutor. de Morbis Convulſivis.* Ita & Aëri tribuitur *vis elaſtica* nitroſa, & penetrabilis. Malach. Truſton. *de reſpir. pag.* 33. Vide & Cl. Sturmii *Collegium Curioſum*, & p. 3. *Elaſis.*

ELASSON, *Elatton*, ἐλάσσων, ἐλάττων, *minor.* In ſpecie Hippocr. uſurpavit de *minoribus* ſtatura corporis, 2. *aph.* 54. Dieter. *n.* 270. De Vino tenuiori, vel *minori* legitur in Sacris, *Joh.* 2. *v.* 10. Vide Rhodii *Lex. Scribon. Exiguum* vinum.

ELATERIUM, ἐλατήριον, ſumitur ſtricte & late. *Stricte* pro medicamento purgante valido, quod fit ex Cucumere agreſti, ſuccus ſcil. inſpiſſatus ex fructu Cucumeris per expreſſionem, de quo Schröd. *l.* 4. *cl.* 5. *n.* 443. Rolfink. *O. ac M. M. Sp. l.* 5. *ſ.* 6. *c.* 5. *& tr. de Purg. ſect.* 3. *Art.* 5. Libav. *Synt. Arc. Chym. lib.* 8. *c.* 7. Late pro omni valido purgante per alvum, notante Galen. *c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 35. & plurimis locis ex Hippocr. Hoc confirmat Foëſ. *d. l.* Jungatur & Joh. Nic. Pechlin. *de Purgant. c.* 21. Derivatur ab ἐλαύνω, *agito*, commoveo.

ELATON, ἐλατὸν, Ariſt. 3. *Meteorol. c. ult.* i. e. *Malleo ductile*, propr etas metallorum. Vide *Malleabile.*

ELECTIO, ἐκλογὴ, αἵρεσις, quid ſignificet, notum eſt. Eſt vero præſertim circa uſum & præparationem remediorum Diætæ, Pharmaciæ, & Chirurgiæ maxime neceſſaria *electio*, ut patet ex Methodo medendi. Ita aliquando propter conſuetudinem eligendus cibus & potus paulo deterior, Hipp. 2. *aph.* 38. De *Electione* ſimplicium medicamentorum vide Weckeri *Antidotar. General. l.* 1. *c.* 1. *ſeqq.*

ELECTRODES, ἠλεκτρώδης, *Succino ſimilis.* Uſurpavit Hippocr. de alvo dejiciente ſuccino ſimilia, hoc eſt, excretione alvi ſplendicante & recente, *l.* 4. *Epid. XXII.* 16. Vide Foëſ. *p.* 261.

ELECTRUM, ἤλεκτρον, *Succinum*, nihil aliud eſt, quam ſuccus bituminoſus, ſeu reſina terræ & arborum vetuſtarum optime digeſta, exinde in mare traducta, atque ibidem præcipue concreta, Schröder. *l.* 3. *cap.* 50. Fr. Hofm. *in Clavi ad h. l.* eſtque duplex: Album, & Citrinum, in Officinis uſitatum. Plures alias ſpecies propoſuit Andr. Chioccus *Muſ. Calceolar. ſect.* 2. *p.* 180. *ſeqq.* Eleganter quoque *ſuccini* hiſtoriam tradidit Iunken *Chym. Exp. Cur. Part. I. ſect.* 4. *c.* 7. *p.* 302. *ſeqq.* Sunt tamen alii, qui *ſuccinum* ſpeciem picis foſſilis ſeu bituminis eſſe ſibi perſuaſum habeant, propterea quod & in locis longe à mari diſtantibus & e montibus terræ firmæ effodiatur. Vide *Act. Philoſoph.* Oldenburg. *Ann.* 1666. *menſ. Novembr.* Jungatur & *Acta Haſn. Vol. I. Obſ.* 57. *p.* 110. *ſeqq.* Dicitur & *Carabe*, *Gleſſum.* A *Succino* paleas & feſtucas attrahi, quemadmodum à Magnete ferrum, vulgatiſſima eſt opinio, cujus etiam meminit Galen. *l.* 1. *de nat. fac. c.* 14. quam tamen nihi i æſtimare conatus eſt Pechlin. *de purgant. c.* 2. Medicamenta ex *Succino* vide paſſim in Pharmaciæ Scriptoribus, præſertim ſupra alleg. Schroder. & Hofmanno. De *Succino artificiali* idque parandi modo legatur Jac. le Mort *Ch. Med. Phyſ. cap.* 10. *p.* 110. *ſeq. Electrum*

quoque Populi albæ lachrymam dicunt; quæ juxta amnem Eridanum deſtillat, & in ſpiſſitudinem coit, aureo colore, quod ſi levigatur bibatur, ſtomachi & alvi fluxiones & ſanguinem compeſcit, *Ægin. l.* 3. *c.* 3. Apud Chymicos etiam diverſas & ex parte quoque ſatis obſcuras obtinet ſignificationes. Vel enim denotat *Aurum* quoddam imperfectius, ſive nativum, ſive factitium; cujus portio quinta eſt Argentum, ita dictum, quod Soli oppoſitum magis ſplendeat, quam Aurum & Argentum. Rul. Vid. Libav. *Synt. A. Chym. l.* 4. *c.* 9. *& l.* 7. *c.* 24. Vel Theophraſto eſt mixtura compoſiti metalli, ex omnibus ſeptem Planetis in unum corpus colliquatis, Parac. *de nat. rer. l.* 8. *de ſeparat. rer. natur. in princ.* Rul. Ex ſimili conſtabat Virgilii Campanula, tempore regis Artus, quæ adulterio contaminatos tam viros, quam fœminas de ponte in aquam præcipitavit, ſolo ſonitus clangore. Fertur etiam e ſimili rite conflato metallo Scyphus guſtatorius fabrefactus toxicum nullum admittere; quod ſi forte injiciatur, ebullire, quicquid in eo liquoris continetur, edito ſtrepitu maxime perceptibili, ac ſi nitrum in prunas conjiceretur. Aliud narrat Paracelſ. de ſimilis *Electri* compoſitione, ſe vidiſſe quendam Hiſpanum habentem ejuſmodi Campanulam, pondere vix ſeſquilibræ, per quam inſcriptis aliquot characteribus & verbis, tot ſpectra prodigiaque, quot vellet, convocabat, edebat & abigebat pro ſuo arbitrio. Voluit is perſuadere Paracelſo, vim iſtius Campanulæ in verbis ac characteribus magis, quam in ſonitu, vel metallo conſiſtere. Verum Paracelſ. rem non ita ſe habere, ut aſſerebat, etſi pro variatione ſcripturæ varia etiam ederentur prodigia, maximam potentiam in metallo ſitam eſſe deprehendit. Hæc Rul. & Iohnſ. Enimvero quid ſi quis plane de veritate hujus effectus dubitaret? Videntur ſane ſatis fabuloſe hæc ſcripta. *Electrum* eſt metallum, ex alio factum per artem, ſed illi, ex quo factum eſt, non amplius ſimile, v. g. ſi æs, vel cuprum arte paratur candidum, aut ſi ex cupro fit orichalcum, vocatur *Electrum* &c. Paracelſ. *de reb. nat. c.* 9. *de Arſenico*, Ger. Dornæus *de genealog. mineral. cap.* 18. *Th. Chym. Vol. I. p.* 586. Ad præparationem Lapidis Philoſophici baſeos loco recipi juſſit *Electrum minerale immaturum.* Idem *in Manuali de Lapid. Philoſoph.* cui incredibiles attribuit vires. Videatur etiam Nota Etmülleri ad Ludovici *Diſſert.* 1. *Pharmaceut. p.* 121. ubi varias opiniones de Electro immaturo recenſuit, tandem ſuam annectit, exiſtimans eſſe metallorum rudes ſpecies, prout in radice ſua adhuc quaſi concluſæ hærent, & alias *Saturnus Philoſophicus* vocatur. *Electri* annulos ait ex Paracelſo Iohnſonus, digitis geſtari ſolitos, præcavere, ut nunquam aliquis ſpaſmo, vel odontalgia, vel epilepſia corriperetur, adeo, ut ſimul atque Epileptici digito, quem annularem vocant, annulus talis applicatus eſt in paroxyſmo, ſubito de illo depulſus, & quaſi digitis abſterſus evanuerit, & æger à lapſu confeſtim reſurrexerit. Imo ſi quis annulorum iſtorum in digito annulari geſtetur, & abditus quidam morbus foras erupturus eſt, annulum iſtum exſudare videas jugiter, & ab inſigni quadam ſympathia decolorari cernas ad oculum. Obſervatu porro dignum eſt, *Electrum* hoc noſtrum adverſus infeſtos ſpiritus, vel genios noxios eſſe amuletum præſtantiſſimum. Cœlica enim *Electro* ineſt operatio quædam, omniumque planetarum agit in illo influentia, cum harmonia quadam ſuperiorum & inferiorum omnium. Sed *Electrum*, quod in venis metallicis ex Auro & Argento natura concretum eſt, uti Matheſius ſcribit, non tam numeroſa pollet virtute, ac illud, quod artificum induſtria ex ſeptem metallis in igne fabrefactum eſt, uti Geber, Lullius, Paracelſus, & alii hujus rei artifices teſtantur. Et tam magno in pretio habuerunt veteres iſtiuſmodi Metallum, quod varia ſibi ex iſto fictitia conflabant, in uſum domeſticum, & vaſa ex *Electro* inter ſupellectilem aſſervabant rariorem præ aureis & ſmaragdinis. Hæc Iohnſon. Nugarum ſatis. De *Electri* variis ſignificationibus & præparationibus lege Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect.* 11. *c.* 2. *ſeqq.* *Electrum minerale*, vel metallicum duorum, vel plurium ejuſmodi corporum mixtura deſcribitur à Dorneo *de tranſm. met. c.* 11. *Th. Ch. Vol. I. p.* 529. imo in omnium ſex Voluminum Indicibus ſat multa de *Electro* reperies. *Electra* quoque vocantur compoſitiones metallicæ, quarum una ex antimonio cum Sole & Luna facta vocatur *Electrum Majus*: altera ex Jove & Marte dicitur *Electrum Minus.* Utriuſque meminit D. Ludov. *Pharmac. Diſſert.* 1. *p.* 329. Jungatur *Nota* Etmülleri *ad h. locum.*

ELECTUARIUM, *Electarium* etiam dicitur, & eſt medicamentum Syrupo & Eclegmate craſſius, conſtans ex medicamentis durioribus pulveriſatis, melle, ſyrupo, ſaccharo ſyrupiſato, vel alii alicui convenienti liquori melligineo, id eſt, mellis conſiſtentiæ accurate mixtis, Schröder. *l.* 1. *c.* 3. Weker. *Antid. gen. l.* 1. *c.* 28. Dividuntur in *Alterantia* & *Purgantia.* Utrorumque Catalogum vid. apud Weker. *Ant. Spec. l.* 2. *ſect.* 21. Schröd. *l.* 2. *c.* 51. & prolixiſſime Iunken *Artis Pharmaceut. ſect.* 3. *c.* 8. *p.* 459. *ſeqq.*

ELEMENTATUS, *a*, *um*, Paracelſo ſignificat exceſſum aliquem caloris, vel frigoris. Ita Pulſus *elementatus*, calidus, vel igneus, & Pulſus *elementatus* frigidus dicitur, *in Scholiis ad libros de Urinis.*

ELEMENTUM, στοιχεῖον, vocatur corpus ſimplex, ex quo quidque primum conſtituitur, & in quod ultima reſolutio fit, cujus partes non ſunt diverſi generis, ſed homogeneæ. Refertur autem *Elementum* ad aliquid, ſicut & Pars, Gorr. *p.* 432. *Elementum* appellatur minima pars ejus rei, cujus eſt *elementum.* Omnium autem corporum, quæ gignuntur & corrumpuntur, quatuor ſunt *Elementa*: Ignis, Aër, Aqua, Terra. Ut minimum intelligatur id, quod minime

nime diviſionem ſuſcipere poteſt, Gal. *l.* 8. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 2. Enimvero fuerunt, & ſunt, qui numerum illum quaternarium impugnant, non ſolum ex Philoſophis recentioribus Gaſſendicis, ſeu Democriteis, ſed etiam ex Medicis, præſertim Chymicis. Libav. *Synt. A. Chym. l.* 7. *c.* 34. Zacharias *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 739. Ita & Cl. Willis *de ferment. c.* 1. in dubium vocavit. Noſtri nunc non eſt inſtituti, hæc prolixius ventilare, præſertim cum Medici facile acquieſcere poſſint in *Elementorum* ſenſibilium hypotheſi, qualia etiam dici poſſunt partes ſimilares, reſpectu diſſimilarium, & magis compoſitarum. *Elementum primum & ſecundum*, quid Carteſio & ejus ſectatoribus dicatur, in illius ſcriptis inquiratur. Prius deſcripſit ſuccincte D. Joh. Schreyer Medicus quondam Cizenſis, quod ſint ſubtiliſſimæ, mobiliſſimæ, velociſſimæ ac penetrantiſſimæ particulæ ignem conſtituentes, ſolaris corporis hoſpes ac productum, *tract. Fluidum magnum Membr. V.* §. 4. *p.* 1. Illius *Elementi* primi & ſecundi aliquoties meminit Theodor. Craanen *in Lumin. ſuo Rationali ad Henr. Regii Praxin Medicam.* & noviſſime Frid. Hoffmann. *in Fundament. Medicinæ c.* 2. §. 28. Verum an non hiſce terminis obſcura per æque obſcura declarentur, alii judicent. *Elementa* porro matrices rerum dicuntur, in & ex quibus generantur omnia. Rul. De *Elementis Chymicis* vide Libav. *Alchym. Pharmaceut. c.* 8. *Elementum* Parac. eſt corruptibilis ac tranſitura mundi eſſentia, & omnium, quæ patiuntur mutationem, anxietatem, atque neceſſitatem, in diem uſque ad extremum conſumtionis hujus mundi. Item: Eſt eſſentia ſpirituum in *elementis* deliteſcentium & degentium: item Aſtrum eorum, Rul. *Elementorum* diviſionem in Simplicia, Compoſita, & Decompoſita vide apud Ger. Dorneum *art. Alchym. l.* 1. *c.* 4. *in Th. Chym. Vol. II. p.* 524. Interdum & *Elementum* dicitur de primis principiis artium & diſciplinarum; de literis, ceu principiis vocum; de cauſis rerum &c. Unde Libav. *d. l.* Et quis omnes acceptiones hujus vocabuli huc vellet compilare?

ELENCHUS, ἔλεγχος, ſignificat communiter abſtractive vel *argumentum*, probationem; vel *criminationem*, accuſationem; vel *dedecus*, opprobrium. Hippocr. vero in concreto ſumſit de Medicis indoctis, *l. Præcept. VI.* 3. Vocatur & redargutio eorum, quæ non ſe recte habent. Opponiturque τῇ δοκιμασίᾳ, approbationi, Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 20. *fin.*

ELEOSCEINUM apium, quod ſoli in montibus expoſitum naſcitur.

ELEPHANTINUS, ἐλεφάντινος, nomen eſt *Emplaſtri*, quod habet ceruſſæ partes 30. ceræ partes 45. olei heminam, aquæ ſextarium. Eſt autem compoſitio percandida; ideoque *Elephantina* nominatur. Habetur apud Aëtium gemina. Gorr. *p.* 133.

ELEPHAS, *Elephantus*, ἐλέφας, vocabulum diverſarum ſignificationum, (1) notat animal quadrupes vaſtiſſimum, cujus prolixam deſcriptionem & uſum in Medicina vide ap. Ul. Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. c.* 9. C. Hofm. vocat ſapientiſſimum, & proboſcidem habet loco manus, *comm. in Gal. de V. P. n.* 27. 28. Hujus animalis Anatomicam hiſtoriam noviſſime tradidit A. Moulins Medicus Collegii Trinitatis prope Doublinum, uti patet *ex Act. Erud. Lipſ.* 1684. (2) *Ebur* ſeu dentes *Elephanti*, decantatiſſimi etiam in Medicina uſus, de quo etiam vid. Aldrov. *d. l. c.* 14. Schröd. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 20. *Eboris* vires vermes necandi & icterum curandi extulit Jac. le Mort. *Pharmac. Chym.* unde deſumſit Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 155. Hoc uſtum, vel calcinatum vocatur *Spodium*, cum additione *ex Ebore.* (3) ſignificat *Morbum*, & quidem malignum duum generum: aut *Lepram Arabum*, quæ *Græcorum Elephantiaſis* vocatur, ἐλεφαντίασις, ἐλεφαντία, quam & Medici cancrum totius corporis definiunt. Apud Ruland. hæc leguntur quoque epitheta, *Heracleus morbus*, *Leo*, *Satyriaſis*, *Leontiaſis*. Vid. & Keuch. *ad Seren. p.* 124. Caſtellus ſeqq. de hoc morbo notavit: *Elephas* (qui & *Elephantiaſis* dicitur) morbus eſt, in quo naturalis faciei figura mutatur, reſimatur naſus, labra craſſa fiunt, extenuantur aures ad Satyrorum effigiem, Gal. *l. de cauſſ. morb. c.* 7. ex ſanguine melancholico primam generationem habens, quam affectionem, cum incipit, σατυριασιν nominant, tum à genarum rubore & facie Satyris perſimili, tum propter inexplicabilem & impudentem coëundi libidinem. Aliqui vero oſſeas eminentias, quæ in temporibus fiunt, ſic vocant. In aliis autem partibus quoque fiunt tales oſſium eminentiæ, quas *Exoſtoſes* vocant, *l. de tum. p. n. c.* 14. Ἐλέφας καὶ ἐλεφαντίασις univerſi corporis cancer eſt, qui nullam omnino admittit curationem. Id nominis nactum eſt hoc malum, quod in eo cutis corio *Elephanti* ſimilis videatur. Nam maculis quibuſdam ad atrum colorem vergentibus inficitur, atque inæqualiter aſpera, craſſa, ac veluti ſquamis fœda, livens, ferinaque redditur. Nec *Elephas* quicquam (apud aliquos) à Lepra Arabum differt. Sunt vero alii, qui differentiam inter *Lepram* & *Elephantiaſin* conſtituunt, præſertim hanc, quod *Lepra* cutem occupet, *Elephantiaſis* carnem. Vid. Rhod. *ad Scribon. n.* 250. Vocarunt & veteres morbum hunc ἡράκλειον, h. e. *Herculeum*, quod nullus eo major ſit & violentior. Nam morbo ingraveſcente primum quidem ſtupet cutis, deinde ſenſum prorſus amittit, ut ne acu quidem compuncti dolorem ſentiant, aut fervente aqua affuſa urantur. Hæc Caſtell. Videatur & Ionſton. *Synt. med. Pr. Part. III. L.* 1. *tit.* 1. *c.* 11. Nobis ita definire placet: *Elephantiaſis* eſt ſcabies, vel totius corporis, vel etiam certi membri, cancroſa, maligna, ſicca, & furfuracea, vel ſquamoſa, cum tumore cancroſo, & aliis plurimis ſymptomatibus gravioribus ſtipata, proveniens à maſſæ ſanguineæ ſalina maligna coagulatione &

lenta putredine, ſuccum nervoſum & nutritium ad νέκρωσιν diſponente, & graviſſime corrumpente. Vide & D. D. Maur. Hofm. *Sciagr. Morb. Contag. Diſp. ult.* 40. Signa *Elephantiaſis* videantur apud Hildan. *in Epiſt.* 24. Cur vero hujuſmodi homines adeo ſalacitate nimia afficiantur, non adeo planum eſt, determinare. Aut *Elephantiaſis* ſignificat *Arabibus* tumorem pedum ulceroſum malignum à ſanguinis atrabiliarii putredine corroſiva & corruptione ſuccum nutritium quoque perdente obortum. Vide Ionſton. *d. l. c.* 10. Hanc quoque intellexit Lang. *l.* 1. *ep.* 12. *&* 17. (4.) *Elephas* quoque notat Chymice *Aquam fortem.* Ruland. *in Lex. Elephantias* quoque ſignificat *ſerpentem.* Aldrov. *Hiſt. Serp. ac Drac. l.* 1. *c.* 1. §. *Epitheta*, *& c.* 15.

ELEPODATUM, id eſt, *limatum.* Rul. & Iohnſ.

ELERSNA, idem, quod *Molybdæna.* Rul. & Iohnſ.

ELESMATIS, id eſt, *Plumbum uſtum.* Rul. & Iohnſ.

ELEVATIO eſt vocabulum diverſæ ſignificationis. Dicitur de Pulſu, vel potius arteriæ diſtenſione, & ita reſpondet Græco διάστολή: vel de tumore, ſeu intumeſcentia membri. Ita *Elevatio* ſtomachi Foreſt. *l.* 18. *Obſ.* 30. *in Schol.* Gr. dicitur ἔπαρσις, ἔπαρμα. *Elevationes* jecoris, lienis, hypochondriorum leguntur aliquoties apud P. M. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 14. Vel dicitur Chymicis artificioſa *ſubtiliatio* & *ſublimatio* (Gr. μετεωρισμὸς) quando partes ſpirituales à corporeis, ſubtiles à craſſis, non fixæ à fixis, inſtar fumi, vi ignis *elevantur*, & à ſummitate capitelli condenſantur. Eſt & vel ſicca, vel humida. Sicca, vulgo *Sublimatio*, eſt, qua partes ſiccæ ſubtiliores elevantur, cum adhærentia ſui vaſis. Hæc ſequenti modo peragitur. Accipio materiam aliquam ſublimandam, eamque vel ſolam, vel aliis admixtam materiebus, vaſi alicui vitreo aut terreo inferius lato, vel rotundo includo, ita ut duabus partibus vacuis tertia impleta ſit. Vaſi huic, ſive cucurbitæ, alembicum cœcum in vertice parvo foramine perforatum impono, luto obduco, &, ne ſpiritus aut partes ſublimatæ exhalare poſſint, obfirmo. Deinde in catinum arenarium, tribus digitis à fundo & parietibus, intercedente arena, vel in ignem liberum pono, caloremque per gradus augeo. Primo autem gradu omnis humiditas abeat, neceſſe eſt, quod impoſita vitro lamina aliqua ferrea levigata facile exploro. Cum enim humiditas aliqua adhuc reſidua eſt, laminæ illa adhæret, ſed quando omnis humiditas diſceſſit, ſpiritus ſicci aſcendunt, & hinc alembici foramen ſuperſtrato aliquo vitro adæquato, luto bono, ne ſpiritus exſpirent, claudo. Tandem ignem tantiſper foveo, donec omnis materia *ſublimanda* elevata eſt. Nonnulli loco cucurbitæ ſcutella, vel concha aliqua terrea materiam continente cum vitreo cono parietibus vaſis inferioris rite accommodato utuntur. Rul. Ita Flores Sulphuris & alii parantur per ſublimationem. Vide de hac Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2. nec non D. Wedel. *Pharmac. Acroamat. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 4. *p.* 111. *ſeqq.* Humida dicitur alias *Deſtillatio*, de qua vide ſupra ſuo loco.

ELEVATIVUS, eſt epitheton Aquæ, quæ *Elevativa* dicitur D. Joh. Schreyero Medico Cizenſi *in tract. Fluidum Magnum Membr. X.* §. 1. *&* 2. *p.* 37. 38. & eſt ſupracœleſtis ad primordia aquæ chaoticæ pertinentis, ex qua ſidera prodiiſſe ſcribit Becherus. Diſtinguitur à Congelativa, quæ eſt in globo terraqueo.

ELEVATORIUM, (perperam *Elevaterium*) eſt nomen inſtrumentorum Chirurgicorum diverſorum, quale etiam Paræus invenit, de quo vide Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. III. fig.* 4. *Elevatorium* linguæ *Tab. XI. fig.* 7. Blaſ. *Med. Un. p.* 73.

ELIDRIUM, *Elidrion*, vel eſt gummi *Maſtix*, vel notat *Mercurium*, ſive *Rhaponticum.* Vel eſt maſſa metallica parata ex duabus partibus argenti, una auri, & una æris inter ſe miſtis. Rul.

ELIGII *morbus* dicitur Joh. Anglico *fiſtula* propter curationem, quia patiens fiſtulam habens ex itinere ad locum illum calefit, & ita materia conſumitur atque curatur. *Roſ. Angl. p.* 1029.

ELINNYO, ἐλιννύω, ſignificat otior, *ferior*, quieſco, immoror. Verbum frequens Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 53. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 5. *ſ.* 4. *t.* 13. *l.* 1. *de fract. t.* 9. 45. *l.* 3. *de iis*, *q. in med. t.* 20.

ELIOTROPIA, (rectius *Heliotropia*,) eſt nomen Gemmæ, vel lapidis pretioſi, cujus mentio fit in Ger. Dornei *tr. de gemmar. fruct. Th. Ch. Vol. I. p.* 487. ubi dicitur, quod gignatur ex cœlo Veneris & ex cœlo & terra Martis cum terra Lunæ. Aliter paulo ejus compoſitio traditur à Lullio *in Tract. Animæ tranſmutatio. Volum. IV. p.* 190.

ELIQUATIO, idem, quod *Colliquatio*, vide ſupra *ſuo loco.*

ELIXATIO, ἕψησις, eſt ſpecies coctionis notiſſima in re culinaria, qua maſſa quædam ſolida per liquidum affuſum vi caloris externi fervefactum diſſolvitur, coquitur & emollitur, aut liqueſcit; quemadmodum fit quotidie in culina, ubi videre eſt, panem aquæ aut lacti incoctum, motu igniculorum (qui per ollæ corpus penetrant in liquorem primum & hinc in panem) diſſolvi panem & attenuari, & liquefactum permiſceri cum aqua, aut lacte, atque ita redigi in unum corpus quaſi homogeneum, quod pultem nominamus. Linden. *Ex. XIII.* §. 166. ubi etiam *Elixationem* in ventriculo fieri ſtatuit, pro chyli elaboratione, quamvis alii ſint, qui negent, & fermentationem urgeant, cum tamen fermentatio *Elixationi* minime opponatur, quemadmodum colligere licet ex Will. *de ferm. c.* 7. *ſub fin. & c.* 9.

ELIXIR, terminus Pharmaceuticus & Chymicus, de cujus origine & etymologia legi poterit Rolf. *Chym. l.* 4. *ſect.* 2. *c.* 1. ubi & variæ ejus ſignificationes occurrunt. Apud Rulandum ſeqq. leguntur. *Elixir*, *Elei*, id eſt, Medicina. *Elixir* medicina eſt incomparabilis conſervandæ vitæ & pellendis morbis dicata. Vel *Elixir* eſt fermentum, cujus minima quantitas ſui generis ingentem molem in paſtam ſibi ſimilem penetrando con-

conglutinat. *Paſta* h. l. eſt ſpiritus vitæ hominum, internuſque vitæ balſamus. Eſt interna corporis conſervatrix in eo ſtatu, in quo illud reperit. *Elixir* autem externus arte balſamus ab externis conquiſitus ac præparatus in ſpagyricum fermentum. Vel *Elixir* etiam eſt medicina fermentata, vel ex auro ſolo, vel ex ſeptem metallis. Vel *Elixir* eſt ſpecies ex pluribus diverſi generis ſimplicium ſpeciebus compoſita. Itaque cum Oleum Terebinthi componitur cum floribus Sulphuris, & oleo Myrrhæ; quando quintæ vini eſſentiæ miſcetur tinctura Croci: magiſteria vegetabilium magiſteriis mineralium, ſeu eſſentiis, ſeu extractis aliis, & ſimilia coadunantur in medicinam compoſitam, *Elixir* vocantur. Potiſſimum tamen excellunt *Elixiria* liquida, quæ forma ſua repræſentant aquas bezoardicas, aliaſque ſtillatitias compoſitas, quibus ob cognationem nomen communicatur. Aliis *Elixir* diſtat ab omnibus aliis eſſentiis, quod fiat ex pluribus, & detur vel ad ſanitatem in eodem ſtatu detinendam, vel ad imminentes morbos arcendos, præſervandumque à putredine. Hodieque communiter accipitur pro liquore ſpirituoſo, facultatibus præcellentibus, mediante infuſione imprægnato. Hinc convenit utplurimum cum *Tincturis liquidis*, Schröd. *l.* 2. *c.* 52. Rolfink. *d. l. & ſeqq. capp.* Jung. Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 8. *c.* 43. & D. Wedel. *Pharm. Acroam. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 7. *p.* 302. *ſeqq.* & prolixius D. Iunken *Corp. Pharmac. ſect.* 3. *c.* 9. *p.* 565. *ſeqq.* *Elixir* etiam dicitur Lapis Philoſophicus, Robert. Vallenſis *de verit. & antiquit. Chym. c.* 1. eſtque vel perfectum, vel imperfectum. Vide plura *in Theatr. Chym. Vol. I. II. III. & V.* Lacinius dicit: *Elixir* paratur ex tribus, Sole, Luna, & Mercurio, conſiſtentiæ mediæ inter molle & durum, mollius ac ſubtilius, quam Mercurius. Secus enim aurum exinde paratum fit intractabile. Ex *Elixir* fit Azoth, & eſt prima pars laboris circa lapidem Philoſophicum. *Elixir* duplex eſt: album, & rubrum &c. Rul. In *Elixir Paracelſi* animadvertit Helmont. *tract. Arcana Paracelſ.* Hodieque etiam commendatur à Chymiatris. *Elixir proprietatis Paracelſi* duplici modo paratum, vel cum acido ſive ſpiritu Sulphuris, vel ſine acido cum alcali paratum. Plures formulas Elixir Paracelſici videbis in laud. Iunk. *loc. cit. p.* 568. *ſeq.* Quid Frundekio *Elixir arboris vitæ* dicatur in *Tractatu h. tit.* nimirum præparatio lapidis Hæmatitis cum Sale Ammoniaco, videatur *in Collect. Leidenſ. c* 213. *&* 322.

ELIXIS, ἔλιξις, ſignificat *Linctum*, idem, quod ἔκλειγμα, Hipp. *lib.*7. *Epid.VI.*10.*IIX.*12. Vid. *Ecleigma.*

ELIXIVIATIO vocatur operatio, quando poſt calcinationem alicujus materiæ affuſa aqua ſal aliquod extrahitur fixum. D. Wedel *Ph. Acroam. l.* 1 *ſ.* 1. *c.*4. *p.*21.

ELLEBORUS, *Elleboriſmus*, pro *Helleborus*, *Helleboriſmus*, ponitur. Vide infra *Helleborus.*

ELLOBOS, ἔλλοβος, dicitur de ſeminibus, quæ in ſiliquis continentur, ut fabæ, phaſeoli &c. Gorr. *ex Theophraſt. p.* 134.

ELLYCHNIOTOS, ἐλλυχνιωτὸς, *linimenti* genus apud Chirurgos, Galen. *Introduct. c.* 19. ſic dictum, vel quod in *Ellychnii* formam componeretur; vel, quod verius eſt, ex eadem materia conſtaret, ex qua *ellychnia* fiebant, quibus vis erat ad ſupercreſcentia ulcera non mediocris, Gorræus *p.* 135.

ELLYCHNIUM, ἐλλύχνιον, ſignificat *funiculum* in candelis, ſive *lucernarium*, ut flamma continuetur. Extinctus vero ab Hippocr. ad ſuffocationem uteri in ſuffitu commendatur, *l. de Nat. mulier. XXII.* 12. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXI.* 6.

ELOANX, dicitur *Auripigmentum. Elome*, idem, Rul.

ELOGIUM ſignificat apud Paræum *Renunciationem*, ſive Judicium Medici de ægri ſtatu. Vide *Renunciatio.* Alias notum eſt, quod *Elogium* idem ſit, quod Commendatio, Laus.

ELONGATIO, eſt ſpecies luxationis imperfectæ, Græce παράρθρωμα, ad differentiam *Luxationis*, vel *Exarticulationis* perfectæ, quæ ἐξάρθρωμα vocatur. Illa fit, quando ligamentum ſaltem articuli elongatur, ita tamen, ut os non penitus exeat e junctura. Foreſt. *l.* 9. *Chirurg. Obſ.* 1. *Schol.* *Elongatio* etiam accipitur pro remedio Chirurgico, & quidem primo in curatione Luxationis, Fallop. *tr. de luxat. c.* 3. *Tom. II. p.* 65. Idem, quod *Extenſio.*

ELOPITINIUM, *Dragantum*, *Vitriolum.* Rul.

ELOS *maris*, *plumbum uſtum.* Idem.

ELPIS, ἐλπὶς, *Spes*, eſt inter affectus animi, cujus ſignificatio notiſſima, de hujus natura vide Willis *P.* 1. *An. brut. c.* 9. Charlton *Ex.* 8. *Pathol.* Hæc cupiditas futuri cum opinione fovet ægrum, etiam dum mors fere in labris eſt. Ægroto enim dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur. Uſus Hippocr. hoc vocabulo 4. *aph.* 74. Jung. Dieter. *n.* 276. Spem aliquando fruſtrari, ut moriatur aliquis, de quo Medicus fuit ſecurus, teſtatur Linden. *Ex. III.* §. 10.

ELUTRIATIO, μεταγγισμὸς, dicitur materiæ liquidæ ex uno vaſe in aliud transfuſio, ut vel ſordes craſſiores, vel etiam materia exſiccanda per affuſum liquorem vel macerata, vel levigata prius à liquore illo iterum liberetur. Vide paſſim in libris Pharmaceuticis.

ELUVIES, vel *Eluvio*, ſignificat in genere Effluvium materiæ fluidæ, aquæ vel alius, quemadmodum ex aliis Lexicis conſtat. In foro Medico denotare excrementum quoddam uteri vitioſum & humoris lymphatici ceu materiæ fluoris albi, teſtatur Peehlin. *Obſ. Ph. Med. l.* 1. *O.* 36. *fin.*

ELUXATIO, ἐξάρθρωσις, idem, quod *Luxatio*, *Exarticulatio.*

ELYTRON, ἔλυτρον, ſignificat *tegumentum*, involucrum, vaginam, putamen. Ita tunicas ſpinalem medullam involventes Hipp. vocavit ἔλυτρα, Gal. 3. *de art. t.* 33. Ita quoque ſeminum folliculi vocantur apud Dioſc. *l.* 2. *c.* 111. *& l.* 4. *c.* 167. Unde & ἐλυτροειδὴς dicitur tunica teſtium propria, quaſi *Vaginalis*, eſtque proceſſus perito-

næi, & in ea fieri hernias, vult Rolf. *O. ac M.gen.dic.part.*1. *c.* 16. qui ab ἐρυθροειδεῖ diſtinguit. Alii tamen eandem eſſe arbitrantur. Vid. Barthol. *l.* 1. *An. c.*7. Hac fœminas carere, dixit Gal. *l. de diſſect. vulv. c.* 9. Vide *Vagina.*

ELZ, *Elzimar*, id eſt, *flos æris.* Rulandus.

EMACIATUS, λεπτυνόμενος, idem, quod *Extenuatus.* Vide *Leptyſmos.*

EMANSIO commodius vocabulum videtur Etmüllero ad exprimendum menſium defectum, quam Suppreſſio, quia hoc nomen rectius de actu fluentibus cohibitis uſurpatur.

EMBALLO, ἐμβάλλω, *Embole*, ἐμβολή, & verbum & nomen hoc accipitur chirurgice de repoſitione oſſis articulatione ſua elapſi, apud Hippocr. 1. *de fract. t.* 9. *ſ.* 2. *t.* 40. 51. 52. Per metaphoram etiam ſignificat *hoſtiliter* vel *violenter invadere*, aggredi, *l.* 5. *Ep. XIII.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 202.

EMBAMMA, ἔμβαμμα, hoc eſt, *Intinctus*, eſt ſpecies condimenti liquidi, in quod intingimus cibum ad ſaporis commendationem, appetitum excitandum, aut cruditates p. n. digerendas; quale fuit olim acetum conditum, vinum ſaccharo edulcoratum: item Moſtarda e ſinapi. Gorr. *p.* 135. & Rolf. *O. ac M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 24.

EMBAPHION, ἐμβάφιον, acetabulum, ſive vaſculum, quo medicamenta vel alimenta induntur, aut menſurantur. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. Cl.* 1. *l.* 2. *LXXIV.* 21. *LXXXVII.* 14. *LXXXIX.* 8. *Atramentarium* quoque dici ἐμβάφιον, alias μελανδοχεῖον, monſtrat Linden. *Ex. V.* §. 26.

EMBASIS, ἔμβασις, inſeſſus, *labrum*, ſolium aquæ calidæ, in quo quis lavatur. Dicitur & κολυμβήθρα, δεξαμένη. Gorr. *d. l.*

EMBATE, ἐμβάτη, ſignificat *pelliceum indumentum*, vel tegumentum, Hipp. *l. de int. aff. LIX.* 15. Quidam volunt etiam, aliquando idem eſſe, quod ἔμβασις, labrum, aut pelvim ad lavandum. Foëſ. *d. l.*

EMBOLE, ἐμβολή. Vide *Emballo. Repoſitio.*

EMBORISMA, Emboriſmum, corrupto vocabulo Latino, legitur pro Anevryſma: quemadmodum & *Hyporyſma.* Ingraſſ. *comm. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 112. *fin.*

EMBOTHRUMÆ, ἐμβοθρεῦμαι, *foveam recipio*, incavor in foveam, vel ſcrobem, Hipp. *l. de Cord. IV.*17.

EMBOTUM, notat Corniculum auriculare, altero extremo latiore, altero anguſtiore, teſte Foreſt. *l.* 12. *Obſ.* 9. *Schol. in fin.* Meminit & P. Morellus *l.* 2. *de formul. remed. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 9. *circa finem*, quamvis talis tubulus vel ſyphunculus aliis quoque corporis partibus adhiberi poſſit v. g. utero, peni, quemadmodum videre licet apud Claudin. *l.* 2. *de Ingreſſ. ad infirmos ſect.* 2. *c.* 29. *p.m.*315. & in *Obſervationibus* Marcelli Cumani à *Welſchio collectis Obſ.* 21. quamvis hic non probet hoc nomen, exiſtimans ἔμβολον, embolum eſſe dicendum, h. e. *Injectorium*, Infundibulum. *in Not. ad h. l.*

EMBREGMA, *Embroche*, ἔμβρεγμα, ἡ ἐμβροχὴ, medicamenti, vel auxilii genus eſt, cum locis affectis liquore aliquo humectatis perfuſiſque lanam deinceps, aut linteum eodem liquore imbutum imponimus, imbecillius Cataplaſmate. Sed tamen ubi commode aptari id non poteſt, ut in capite, ibi ἡ ἐμβροχὴ apte adhibetur, & illis ſimiliter, qui propter imbecillitatem ferre non poſſunt Cataplaſmatum gravitatem: item præcordiis inflammatis per initia morborum, quo tempore intempeſtivus eſt uſus Cataplaſmatum, præterea fracturis & contuſionibus, cum Emplaſticis uti non licet, Caſtel. Meminit & C. Hofm. *com. ad Gal. de V. P. n.* 366. 574. Schröder. ita deſcripſit: *Embrocha*, irrigatio, inſtillatio, ſtillicidium, eſt fomentationis genus, cum liquor fomentans ſtillatim ſeu guttatim in partem fomentandam funditur, *l.* 1. *c.* 3. Dicitur & *Embrochatio. Impluvium.* Vide P. Morell. *Meth. præſcr. form. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 7. Vocatur & ἐπιβροχὴ, Gal. *l.* 13. *Meth. M. c.* 22.

EMBRITHES, ἐμβριθὴς, *gravis*, ponderoſus, per metaphoram de morbis dicitur. Hippocr. *in Epiſt. ad Sen. Abderit. fin.*

EMBROCATIO, EMBROCHE, vide *Embregma.*

EMBRONTETOS, ἐμβρόντητος, *attonitus*, proprie à tonitru, conſequenter & de apoplexia correptis dici poteſt, Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 69. *Schol.*

EMBRYO, *Embryon*, ἔμβρυον, *fœtum in utero*, & quidem jam membris ſuis delineatum ſignificat. Differt ergo à vocab. κύημα, conceptus, de quo ſupra; item à γονή, de quo infra, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 9. Diet. *n.* 277. Hippocr. meminit 5. *aph.* 31. 48. 60. Per metaphoram etiam uſurpavit vocab. de aliis involutis & incluſis, *tr. de Caducis*, §. 2.

EMBRYONATUM, de Sulphure interno, quod præcellit, Spagyrice dicitur, ab origine ſpecifica, ut Sulphur embryonis, auri, lapidis &c. *Embryonati* ſulphuris duæ notandæ conditiones. Una ex fixa volatilis fit: altera purus & vivus eſt ignis inviſibilis & viſibilis. Utraque in ſimilem conſummationem tranſit, ligni videlicet ac morbi. *Embryonati ſulphuris* extractio fit, vel per ſublimationem, vel per deſcenſum. Videatur Ger. Dornæus *de genealog. miner. c.* 17. in *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 584. Illius *Sulphuris Embryonati* acidum eſt *Univerſale Eſurinum*, omnium metallorum & mineralium principium activum, quod, dum adhuc in forma nativa exit, rodendo mineras coit cum his in Vitriolum. Hoc Baſilium ſub *Spiritus Vitrioli albi* nomine olim quæſiviſſe autor eſt D. Etmüller. *in notis ad Ludovici Pharmac.* Alias & *Sal acidum Embryonatum* dicitur, quod in terræ viſceribus delitescit, nulli alii corpori junctum.

EMBRYOTHLASTES, ἐμβρυοθλάστης, inſtrumentum dicitur chirurgicum, ad contundenda oſſa in extrahendo fœtu accommodatum, quod & πίεστρον dicitur, Hipp. *l. de morb. XCVI.* 4. Gal. etiam exponit per θλάσις, vel θλάστης, Foëſ. *p.* 507.

EMBRY-

EMBRYOTOMIA, ἐμβρυοτομία, idem, quod ἐγκατατομὴ τοῦ ἐμβρύου, i. e. *exſectio fœtus in utero mortui.* Foëſ. *in not. ad libr. Hipp. h. tit.* Differt ab Hyſterotomia vel Hyſterotomotocia, quæ eſt fœtus vivi per ſectionem uteri exemtio, ſive Partus Cæſareus. Cæterum *Embryotomia* etiam embryonis diſſectionem Anatomicam notat juxta Blancard.

EMBRYULCOS, ἐμβρυουλκὸς, idem, quod ἑλκυστὴρ, ὄνιξ, uncus ferreus ad extrahendus fœtum. Ἑλκυστὴρ legitur apud Hipp. *d. l.* Deſcriptionem & delineationem vide apud Chirurg. Scriptores, præſertim Aquapendent. *de oper. Chirurg.* Operatio quoque dicitur ἐμβρυοϊλκία, ἢ ἐμβρυουλκία, Ægin. *l. 3. c. 76. fin.* quam Rolfink. ἐμβρυουστερουλκίαν vocavit, *O. ac M. M. Spec. l. 4. ſ. 1. c. 35.* deſcribens, quod ſit portentoſum artis Medicæ opus terribile intuentibus, puerperis deſperabundis exoptabile. De hac vid. Aquapend. *l. cit.* Paræus *l. 23. Chir. cap. 26.* Hildan. *cent. 6. Obſ. 64. & in epiſt. ad P. Croquerum.* P. Barbett. *Chir. P. 1. c. 23.* & e noviſſimis Cornelius Sollingen Med. D. & Chirurgus Hagenſis *in peculiari tractatu Chirurgiæ ſuæ annexo.*

EMBULA, id eſt, Canna, vel *fiſtula.* Rul.

EMEDULLO, ἐξεντερίζω, id eſt, cortice libero, *exentero*, λεπίζω. Rhod. *ad Scrib. n. 74. 95.*

EMERICUS, nomen lapidis pretioſi adeo duri, ut ab artificibus adhibeatur ad ferrum, chalybem & alias gemmas cryſtallo aut chalybe duriores ſecandas. Rob. Boyle *tr. de corp. ſolid. poroſit. c. 2. & 6.*

EMESIA, ἐμεσία, *Emeſis*, ἔμεσις, *Emeſma*, ἔμεσμα, idem, quod ἔμετος, *vomitus.* Vide *Emetos.* Hippocr. *l. 2. de Morb. XXXVI. 9. XXXIX. 25. LXXII. 8. l. 1. Prorrh. ſ. 2. t. 28.*

EMETICUM, ἐμετικὸν, i. e. *Vomitorium.* Vide *Emetos. Vomitoria.*

EMETOCATHARTICUM, ἐμετοκαθαρτικὸν, dicitur hodiernis quibuſdam Medicis, præſertim Chymicis, medicamentum ſurſum deorſumque purgans, in quibus fingendis & excogitandis ſicut curioſi eſſe ſolent præter neceſſitatem & utilitatem, ita nec intermittunt nova quoque comminiſci, & attribuere nomina, ut eo facilius applauſum inveniant.

EMETOS, ἔμετος, *Vomitum* ſignificat, qui nihil aliud eſt, quam excretio violenta per os, proveniens à ventriculi motu convulſivo, per ſpirituum animalium in fibris tunicarum præſentium irritatorum exploſionem, quemadmodum egregie hoc demonſtravit Willis *Pharmac. Rat. Part. I. ſ. 2. cap. 1.* Cauſæ externæ *Vomitionis* ſunt omnia illa irritamenta improportionata, tunicam interiorem ventriculi nerveam vellicantia, ſive ori ingeſta, ut Alimenta, Medicamenta, quæ propterea dicuntur ἐμετικὰ, *vomitoria*, Venena; vel in ventriculo genita, h. e. materies quædam, & ſaburra corrupta &c. *Vomitus* alius eſt ſpontaneus, *1. aph. 2. 6. aphor. 15.* alius arte factus, de quo vide Willis *d. l. ſ. 2. c. 2.* Verbum eſt ἐμέω, *vomo*, Dieter. *n. 278. 279.*

EMINENTIA, ἐξοχὴ, ἐξάνθημα, ſignificat omnem protuberantiam, vel tumorem etiam exiguum, præternaturalem. Eſtque vel ulceroſa, Foreſt. *l. 8. O. 17. Schol.* vel non ulceroſa, ut callus, verrucæ. Scribon. *n. 227.* de quibus omnibus ſuo loco. Vide *Protuberantia.*

EMISSARIUS, dicitur in Medicina de ſpiritibus animalibus, qui ſunt animæ rationalis *Emiſſarii*, Charlton. *Ex. VIII. Pathol.* & alii. *Emiſſarium* puris, i. e. ulcus, Scribon. *n. 206. 229.* Ita *Emiſſarium* idem eſt, quod Excerniculum, de quo vide infra *ſuo loco.* D. Wedel. *Pathol. ſect. II. c. 3. p. 206. 207.*

EMMENAGOGA, ἐμμηναγωγὰ, ſunt medicamenta ſanguinem menſtruum fœminarum ſubſiſtentem promoventia, caute à Medicis præſcribenda, fœmellis præſertim cœlibibus ſuſpectis. De horum natura, uſu & efficacia legatur Cl. Wedelius *in Amœnit. Med. l. 2. ſect. 2. c. 11. p. m. 394. ſeqq.*

EMMENIA, ἐμμήνια, idem, quod καταμήνια, ſanguis menſtruus fœminarum. Vide *Menſtruum.*

EMMOTOS, ἔμμοτος, *Linamentarius*, dicitur de eo, qui vel quod curatione indiget per *linamenta*, διὰ μοτῶν θεραπείας. Ita de hominibus uſurpatur, *3. de artic. t. 55. 59.* de utero *l. de nat. mul. VI. 5. l. 2. de morb. mul. XXIX. 4. & 5. aph. 47.* Vid. Dieterich. *n. 280.* de ulceribus, *3. de artic. t. 93. l. de intern. aff. XVI. 11.* Jung. Foëſ. *p. 203.*

EMOGIA, vitioſe ob ignorantiam vel negligentiam Græcæ Linguæ pro *Hœmodia* legitur, i. e. Stupor dentium. Joh. Stephan. *Paraphraſ. ad Avic. l. 3. fen. 7. c. 23. p. 222.* Vide *Hæmodia.*

EMOLLIENS, μαλθακτικὸς, μαλακτικὸς, dicitur de remediis, quæ temperata humiditate & calore blando vim habent ſolidiora & duriora reſolvendi. Vide *Dogm. Med. Gen. P. VI. c. 2. dogm. 9.* Coincidit cum χαλαστικοῖς, *Laxantibus*, de quibus ſupra. Vide *Chalaſticos.* Jungatur & D. Wedelius *Amœn. Med. l. 1. Sect. 2. c. 1. p. 42. ſeqq.* ubi prolixius expoſita reperies. *Emollitio* dicitur μάλθαξις, *3. de R. V. I. A. t. 13.* *Emollitio* oſſium quei fiat, vide *Os.*

EMOTIO, ἔκστασις, vel de mente dicitur, & ita pertinet ad *Delirium.* Vide *ſuo loco*; vel de parte corporis: & ita coincidit cum *Luxatione*, aut morbo in ſitu mutato.

EMPASMA, ἔμπασμα, idem, quod κατάπασμα, inſperſio. Vide *Catapaſma.*

EMPEIRIA, ἐμπειρία, *Experientia.* Dicitur & πεῖρα, *1. aph. 1.* Eſtque nihil aliud, quam ejus, quod frequenter & eodem modo viſum eſt, comprehenſio & memoria, Galen. *ad Thraſyb. c. 11.* Eſt ſumme neceſſaria in arte Medica, ceu ſubſidium, criterium & fulcrum artis, ſed non ſolum quin etiam ratio conjungenda. Qui vero ſoli *Experientiæ* confidunt, dicuntur *Empirici*, cujus ſectæ primus autor extitit Heraclion, qui naturæ cognitionem, rationalemque diſciplinam nihil ad Medicinam pertinere profeſſus, in uſu & expe-

experimentis eam poſuit. Vide Gal. paſſim *in ſcriptis* potiſſimum in *Theatr. Mundellæ*, voc. *Experientia. Experientia* eſt vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis. Iſta eſt conſenſio omnium exemplorum: Illa conſenſio multorum exemplorum: Hæc, cum in uno aliquid obſervatum eſt, Dieter. *Iatr. n.* 665. ubi plura de hoc argumento reperies. Dicitur alias proverbialiter ſtultorum magiſtra *Experientia*, Linden. *Ex. XII.* §. 119. 182. *Experientiam* deſcripſit Ger. Dorn. quod ſit veritatis manifeſta demonſtratio, *Spec. Philoſ. cap.* 3. *Th. Chym. Vol. I. p.* 243. Ita etiam laudavit Meneus *in Aur. Vell. l.* 2. *Vol. V. p.* 404. At Hippocr. *d. l.* fallacem eam dixit, σφαλερὴν, ſi ſcilicet ratione deſtituatur. Ἐμπείρων vocatur, qui gnarus eſt alicujus rei, Linden. *Exerc. XIII.* §. 150.

EMPEPHLASMENOS, ἐμπεφλασμένος, infarctus, *intro cedens*, depreſſus. Dicitur de oſſe, *l.* 2. *Prorrhet. XXII.* 2.

EMPEROS, ἔμπηρος, idem, quod πηρὸς, *mutilus*, membris non abſolutus, Hipp. *l.* 1. *de morb. l.*8. *III.* 12. conf. Erotianus.

EMPHASIS, ἔμφασις, *repræſentationem*, ſive ſpecularem oſtenſionem ſignificat in definitione Indicationis apud Gal. *l.* 2. *M. M. c.*7. prolixius genus hoc exponente Mich. Gavaſſetio *de Indic. cur. c.* 2. *p. m.* 48. *ſeqq.*

EMPHERES, ἐμφερὴς, *ſimilis*, affinis, Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 7. Linden. *Ex. XI.* §. 148. 150.

EMPHEROMENOS, ἐμφερόμενος, dicitur de contentis in urinis, nebula, ſedimento, ſublimamento, Hipp. *l.* 7. *Ep. XXI.* 28. quamvis Linden. legerit ἐκφερόμενα. Vide Foëſ. *p.* 206.

EMPHRACTICOS, ἐμφρακτικὸς, *obſtruens*, *infarciens*, idem, quod ἐμπλαστικὸς, Galen. *l.* 5. *de Simpl. Fac. c.* 11. eſt viſcoſæ, vel terrenæ naturæ, mordacitatis expers, & corpori applicatum tenaciter adhæret, ibid. Opponitur τῷ ἐκφρακτικῷ. Vide ſupra *Ecphraxis*.

EMPHRAGMA, ἔμφραγμα, *obturamentum*, impedimentum. Legitur apud Hippocr. *l. de part. octimeſtr. II.* 8.

EMPHRAXIS, ἔμφραξις, *Obſtructio*, eſt meatuum, aut cavitatum naturalium ſtipatio, ex copia, vel vitioſa qualitate, puta lentore & craſſitie humorum proveniens. Et ita pertinet ad morbos organicos, ceu modus certus, per quem meatus anguſtantur. Vid. *Dogm. noſtr. p.* 254. 255. An plenaria detur valorum ſanguineorum in vivo homine *obſtructio*, in dubium noviſſime vocavit D. Gaetke *in Diſſert. Inaug. de Vena Portæ*, *ſect.* 3. *p.* 35. aſt mihi nullum videtur dubium, verum quod abſque mox ſubſequente ſanguinis corruptione diu durare poſſit, de hoc merito dubitatur.

EMPHRON, ἔμφρων, id eſt, *mentis compos*, Hipp. *Coac. t.* 139. *modeſtus*, *l.* 7. *Epid. VII.* 10.

EMPHYSEMA, ἐμφύσημα, *inflationem* ſignificat ex flatuoſi ſpiritus copia in corporis cavitatibus collecta, tumorem flatulentum, Hipp. *l.* 3. *Epid. ægr.* 13. *poſt ſtat. peſtil. l.* 4. *de R. V. I. A. t.* 115. (ad quem locum vide Noſtr. Diſp. V. *de Remor. purg.* θ. 17. *ſeqq.*) *l.* 2. *Epid. ſ.* 3. *n.* 122. 123. Reſtrinxit Blaſius hoc vocabulum ad tumorem flatulentum palpebrarum, *Med. Univ. p.* 194. Significat & Inſufflationem. Vide *Flatus*, *Inſufflatio.*

EMPHYTOS, ἔμφυτος, *Innatus*, Nativus, connatus. Dicitur de calore noſtro vitali apud Hippocr. 1. *aph.* 14. quod tamen non ita intelligendum eſt, quod idem numero calor maneat, qui ab initio conceptionis fuit, ſed ſaltem idem ſpecie. Continuatur enim, inſtar flammæ, per multiplicationem. Vide *Calidum. Ingenitus.*

EMPIPLAO, *Empimplemi*, ἐμπιπλάω, ἐμπίμπλημι, h. e. *impleo*, repleo, apud Hippocr. *l. de R. V. I. A. t.* 44. & 7. *aph.* 55.

EMPIPTO, ἐμπίπτω, *incido*, vel *intervenio*, *invado.* Vel dicitur de morbis & ſymptomatibus intervenientibus, Hipp. 4. *aph.* 46. Junge Dieter. *n.* 282. vel dicitur de diebus quaſi Criticis *intercidentibus*, παρεμπίπτουσι, in quibus Criſes fiunt, ſed ſecundariæ & imperfectæ, Gal. *c.* 3. *progn. t.* 1. Vid. *Invado.*

EMPIRICA, ἐμπειρικὴ. Vide *Empeiria.* De triplici genere *Empiricæ* vide Keuchen. *in prolegom. ad Q. Seren. p.* 50.

EMPLASSOMÆ, ἐμπλάσσομαι, i. e. *intus formor*, imprimor, obſtruor. Aliquoties uſus hoc verbo Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. IX.* 11. *X.* 6. *XIII.* 11. & *l.* 2. *de morb. XIII.* 3.

EMPLASTICOS, ἐμπλαστικὸς, idem, quod ἐμφρακτικὸς, *obſtruens.* Vide *Emphracticus.*

EMPLASTRUM, ἔμπλαστρον, nomen medicamenti externi ſolidioris, quam Ceratum & Unguentum viſcidum, quod linteo, vel alutæ inductum corpori & cuti applicatur, & adhæreſcit, P. Morell. *Meth. Form. remed. l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 11. Weker. *Antid. gen. l.* 1. *c.* 37. *Emplaſtrorum* vero hiſtoriam & catalogum vide apud eundem Aut. *ſpec. l.* 2. *ſect.* 29. Schröd. *l.* 2. *c.* 53. & alios, præſertim D. Iunken. *in Corp. Pharmaceut. ſect.* 3. *c.* 10. prolixiſſime Emplaſtrorum materiam pertractantem. Quod dentibus imponitur, vocavit Scrib. *quaſi Emplaſtrum*, *num.* 56. *Emplaſtrum* animarum tradit Libav. *Synt. A. Ch. l.* 1. *c.* 18. *Emplaſtris* nihil eſſe admiſcendum, quod non poſſit per totum generaliter diſſolvi, vult, & fortaſſis non abſque ratione, Helmont. *Pharmac. ac Diſp. Modern. n.* 57. Ars conficiendi *Emplaſtra* dicitur *Emplaſtropœia*, ἐμπλαστροποιΐα, Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G.*

EMPLATTOMENA medicamenta, ἐμπλαττόμενα, dicuntur eadem, quæ ἐμπλαστικὰ, quæ exiguis totius corporis meatibus adhærent, & prohibent, ne quid per urinas, aut cutim effluat, aut diffletur, Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 2.

EMPNEUMATOSIS, ἐμπνευμάτωσις, *inflatio*, idem, quod ἐμφύσημα. Vide *Emphyſema*, Gal. *in defin. Medic.* Uteri ἐμπνευμάτωσις, Æginet. *l.* 3. *c.* 70. Nominatur & πρῆσις vel πρῆσμα. Foëſ. *p.* 204.

EMPOLEO, ἐμπολέω, i. e. *dego*, vivo, verſor; Hipp. *l.* 4. *de morb. XXIII.* 20.

EMPOREUOMÆ, ἐμπορεύομαι, ſignificat *invado*, *inſector*. Dicitur de iis, qui temere in artem Medicam inſultant, & nundinantur quæſtus gratia, Hippocr. *l. de arte l.* 13.

EMPRION, ἐμπρίων, *ſerratus*, eſt epitheton pulſus inæqualis, in quo pars arteriæ alia magis diſtenta videtur, alta minus, & proprius habetur omnis magnæ inflammationis, Galen. *l. de pulſ. ad tyr. c.* 11.

EMPROSTHOTONOS, ἐμπροσθότονος, eſt ſpecies convulſionis. Vide *Convulſio.*

EMPSYCHOSIS, ἐμψύχωσις, ſignificat *animæ in corpus migrationem*, ſive animæ cum corpore conjunctionem. Dicitur & μετεμψύχωσις, Gal. *fragm. de ſubſt. fac. natur.* Meminit & Helmont. hujus vocabuli *tr. Jus duumviratus*, §. 9. Latine dici poſſet *Animatio.*

EMPYEMA, ἐμπύημα, item ἐμπύησις, ἐμπύη, Aretæo triplicem habet ſignificationem: (1) Significat omnem ſuppurationem in genere, ſive mutationem in abſceſſum purulentum, & ita coincidit cum vocab. διαπύημα, *Diapyema*, Galen. *com. ad* 5. *aph.* 8. *ad* 7. *aph.* 44. *l. de Tum. p. n. c.*3. *com.* 1. *in prognoſt. t.* 40. (2) ſignificat *collectionem puris in pulmonibus*, qui affectus & *Vomica pulmonis* dicitur, & coincidit cum Phthiſi; quo pertinet 5. *aph.* 10. (3) & quidem uſitatiſſime ſignificat puris collectionem in cavitate Thoracis extra pulmonum ſubſtantiam. Huc ſpectant 5. *aph.* 8. 7. *aph.* 38. Comm. Galen. *in* 6. *aphor.* 27. & 7. *aphor.* 44. Ægroti, in quibus ſuppuratio fit, dicuntur ἔμπυοι, vel ἐμπυικοὶ, Gal. *l.* 4. *de cauſſ. pulſ. c.* 2. & alibi. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 205. Diet. *n.* 284. 285.

EMPYOS, ἔμπυος, *ſuppuratione affectus*. Vide *Empyema*. Dicitur etiam de *linamentis* ad ſordes purulentas abſtergendas, ἔμπυοι μοτοὶ, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XLVI.* 12.

EMPYREUMA, ἐμπύρευμα, ſignificat *ignitionem* quandam, ſive calorem ſiccum adventitium, veluti combuſta accipiunt, Galen. *l.* 9. *de S. Fac. in princ.* ex Ariſtot. *l.* 2. *de part. anim. c.* 2. *in fin.* Tale *empyreuma* etiam aquis deſtillatis ineſſe, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 53. & C. Hofm. *in præfat. ſuper Officinalia.* *Empyreuma* quoque notat reliquias caloris febrilis poſt paroxyſmum. Diſpoſitio quædam eſt neutra, mediaque inter febrem & febris intermiſſionem, intermittentium & putridarum febrium propria, ut ſoluta acceſſione ſuperſit nonnihil caloris, vel in ipſis humoribus relicti, vel adhuc ſolidis etiam partibus impreſſi, quem aliqui febris fomitem appellant. Huic contraria eſt ἀπυρεξία, ſive *Infebricitatio.* Hæc Caſtell. & Gorr. *p.* 138.

EMPYROS, ἔμπυρος, Hipp. dicitur *febricitans*, qui febre detinetur, *l.* 2. *de morb. XXXVI.* 23.

EMULGENTES Arteriæ & Venæ dicuntur rami ab Arteriæ Aortæ & Venæ Cavæ trunco deſcendente excurrentes ad Renes inſignes, quorum illa ſanguinem adferunt, ut ſuperfluum & inutile ſerum cum ſalinis portionibus effœtis deponant; hi vero ſanguinem ab illis recrementis liberatum revehunt ad truncum Venæ Cavæ. Barthol. *libell.* 1. *c.* 8. & *libell.* 2. *c.* 5.

EMULSIO, eſt nomen medicamenti liquidi à junioribus inventi, quod lac colore æmulatur, ex medulla fructuum, ſeminumve lacteſcentium contuſorum & tritorum paratum, interveniente liquore appropriato. Pertinet formula inter medicamenta Magiſtralia, quæ ex tempore præſcribuntur & parantur, non Officinalia, quia mox mucum contrahit & corrumpitur. Hujus hiſtoriam & deſcriptionem vide apud Weker. *Antid. ſpec. ſect.* 5. P. Morell. *Form. Rem. l.* 1. *ſ.* 7. *c.*7. Schroder. *l.* 2. *c.* 14. Schenk. *de med. comp. p.* 150. *Emulſorium* legitur pro *Emulſione* apud Foreſt. *l.* 26. *O.* 6.

EMUNCTORIUM dicitur locus, per quem fit expurgatio vitioſi aut inutilis, Rul. & Iohnſ. Ita Glandulæ dicuntur *Emunctoria*. Ita Cutis eſt corporis *emunctorium*, Paracelſ. *Paramir. tract.* 2. *c.* 9. *ſeqq. l.* 3. *Tract.*4. &c. Ita Naſus cerebri dicitur *Emunctorium* &c.

ENÆ Chartarum apud Marc. Empir. pro imæ, id eſt, filamenta Chartæ tenuia, quæ ipſam reddunt horridam, Salmaſ. *in Solinum.*

ENÆMOS, ἔναιμος, & ἐναίμων, (1) dicitur de medicamento topico, quod glutinat, Galen. *l.*4. *M. Med. c.*5. imponiturque maxime cruentis vulneribus ſiſtendo ſanguini, *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 21. cum cruor, qui αἷμα dicitur, ex cute ipſa vulnerata, vel etiam ex carne in roris ſpeciem diſtillat, atque ideo & *ſanguinarium*, & *cruentis opitulans*, & *glutinatorium* dicitur, *l.*3. *d. tit. t.*2. Meminit aliquoties Hipp. 3. *de fract. t.*3. *l.*4. *de artic. t.*26. *l.* 5. *Epid. XXXIV.* 12. *l. de ulcer. II.* 13. Conſtat ex medicamentis non pinguibus, ideoque ἀλίπαινα (vide ſupra *Alipæna*) nominantur; cum debeant ſiccare, & citra abſterſionem leniter adſtringere. Maxime ex bitumine componuntur, cumque varii ſint generis, duo tamen habentur præſtantiſſima: unum βάρβαρον, *Barbarum*: alterum *Cyzicenum*, κυζικηνὸν, appellatum (de quibus ſupra ſuis locis.) Celſus *l.* 5. *c.* 19. (2) dicitur de corpore, & ejus partibus *l.* 2. *ſect.* 3. *n.* 110. *l.* 6. *Epid. ſ.* 6. *t.* 27. de venis, *l. de venis XXVII.* 7. ubi opponitur ὀλίγαιμος, *pauci ſanguinis* vena, de nervo, *l. de Humid. Uſ. V.* 6. ad quem locum Interpretes non conveniunt, quid per Nervum ſanguineum intelligendum ſit. Foëſ. exiſtimat, panniculum carnoſum, qui ſub cute occurrit, denotari. Erotian. vero per venam exponit. Jung. Linden. *Ex. XIII.* §. 449. *ſeqq.*

ENÆOREMA, ἐναιώρημα, ſignificat Hippocrati & aliis ſublime quiddam in urina *innatans*, & per mediam urinam pendulum, Lang. *l.* 2. *ep.* 41. *Sublimamentum* Latine dici poſſet. Dicitur & νεφέλη, *Nubes* vel *Nubecula*, Gal. *com.* 2. *in Progn. t.* 29. & Erotianus, qui ex Hippocr. ἐπαναιώρημα dicit forte rectius. Variant vero ἐναιωρήματα in ægris. Interdum eſt tenuius, & nubeculæ ſimile, quod vocat Hipp. ἐναιώρημα ἐπινέφελον, *l.* 3. *Epid. ægr.* 1. 3. & 5. interdum genituræ vel maſſæ ſeminali ſimile, & vocatur γονοειδὲς, *l.* 1. *Epid. ægr.* 1. & *l.* 3. *Epid. ægr.* 3.

ægr. 3. interdum rotundum, diſperſum; non reſidens; στρογγύλον, διεσπαρμένον, ὅτι οὐχ ὑφέστηκε, *l.* 1. *Epid. ægr.* 1. & *l.* 3. *ægr.* 11. *poſt ſtat. peſt.* Idem dicitur & μετέωρον, i. e. *ſublime*, ſuperficiem ſuperiorem occupans, *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. 9. 12. *poſt ſt. peſt.* Urina cum *ſublimamentis* dicitur οὖρον ἐναιωρεύμενον, ἢ ἐναιωρούμενον, 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 4. & 31. *Coac. t.* 198. Sed aliquando oculi dicuntur ἐναιωρεύμενοι, *ſublimes*, ſuſpenſi, quales cernuntur in moribundis, 1. *Prognoſt. t.* 10. Vide Foëſ. *p.* 208.

ENANTESIS, ἐνάντησις, dicitur Galeno *occurſus vaſorum* ſanguiferorum, quando vaſis deſcendentibus alia deſcendentia obviam veluti veniunt, notante Boneto *Anat. Pract. lib.* 1. *Part.* I. *Obſ.* 8. *p.* 11. Qualem *occurſum* aliquando obſervari inter venam mammariam & epigaſtricam in recto abdominis muſculo, teſtatur Barthol. *lib.* 1. *An. c.* 6. *p.* 55.

ENANTIOS, ἐναντίος. Vide *Contrarius.*

ENARGES, ἐναργής, *manifeſtus.* Uſurpavit Hipp. de inſomniis 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 5. & *Coac. t.* 90. Dicitur & liquidus, Galen. *l.* 2. *de ſan. tu. cap.* 4.

ENARICYMON, ἐναρικύμων, idem, quod ἀρικύμων, *fœcundus, da.* Vide *Aricymon.*

ENARTHROSIS, ἐνάρθρωσις, eſt ſpecies διαρθρώσεως, cum cavum excipientis oſſis altum admodum eſt, caputque, quod in id inſeritur, oblongum, Galen. *l. de oſſib. in proœm.* Ejus pauca ſunt exempla, ut cruris cum iſchio, & forte tali cum oſſe navis ſpeciem referente. Latine dici poteſt *Inarticulatio.* Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 2.

ENAULIA, ἐναυλία, proprie dicitur via interior, vel trames, aut fiſtularis via aut interior habitatio, ac domicilium. Sed Hippocr. metaphorice uſurpavit de vulvæ interiori cavitate, ſive vagina, vel collo, *l.* 2. *de morb. mul. XIIX.* 13. Verbum ἐναυλίζομαι ſignificat *immorari*, permanere, 2. *de nat. hum. t.* 10.

ENCANTHIS, ἐγκανθίς, duplicem habet ſignificationem. Vel enim accipitur pro immoderato augmento angulorum oculi, cui opponitur ῥοιάς, *Rhœas*, immoderata eorundem diminutio, Galen. *l. de diff. morb. c.* 9. Vel ſumitur pro exceſſu & carnis excreſcentia in oculi angulo majore, *l. defin. medic.* nec eſt tumor toto genere *p. n. l. de tum. p. n. cap* 17. Pterygio oculorum plerumque ſuccedere ſolet. Alias malum hoc canibus frequens minus homines corripit, & eos, magis, qui in mari verſantur. Cujus duæ differentiæ obſervantur: ſiquidem aliquando hoc carnis incrementum benignum eſt, & tenerum, laxum, & ſine dolore, quod medicamentis ſiccis conſumendum eſt: aliquando vero malignum, durum, inæquale, & cum dolore punctorio, quod manu curare, & ſcalpro evellere oportet, Caſtell. De medicamentis πρὸς ἐγκανθίδας vide Galen. *l.* 4. *de C. M. S. c.* 7. De hoc affectu legatur & Aquapendens *tr. Operat. Chir. h. tit.* Quod & Caruncula in angulo majori naturaliter ſe habens dicatur ἐγκανθίς, vult C. Hofm. *comm. ad Galen. l. de V. P. n.* 750.

ENCARDION, ἐγκάρδιον, late ſignificat medium uniuſcujuſque rei, *meditullium.* Stricte vero dicitur medulla caudicis, ἐγκάρδιον, quæ & ἐντεριώνη apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 12. Strictiſſime quoque locum ſignificat, ubi cor ſitum obtinet. Gorr *p.* 122.

ENCARPOS, ἔγκαρπος, *fructuoſus*, in ſe fructum habens. Unde ἔγκαρπα dicuntur fructus, vel poma, quæ multum ſeminis in ſe habent, & hæc ſunt διαχωρητικά, alvum ſubducentia, Hipp. *l.* 2. *de diæt. XXIIX.* 2.

ENCARSIOS, ἐγκάρσιος, *tranſverſus.* Refertur ad modos frictionis à Galen. *l* 2. *de ſan. tu. c.* 3. *princ.*

ENCATACECLEISMENOS, ἐγκατακεκλεισμένος, *interclufus*, interceptus. Uſurpat Hipp. de excrementis, quæ longo tempore non dejecit alvus, 1. *de R. V. I. A. t.* 32.

ENCATADAMASTHEN, ἐγκαταδαμασθὲν, dicitur corpus *afflictum*, *perdomitum*, Hippocr. *l.* 7. *Epid. XXXIX.* 3.

ENCATALEIPOMÆ, ἐγκαταλείπομαι, ἢ ἐγκαταλιμπάνομαι, ſignificat *relinquor*, & dicitur apud Hipp. de iis relictis, vel morborum reliquiis, quæ poſt morbi judicationem aut ſolutionem adhuc in corpore humano de materia peccante, vel ejus effectu reſidua ſunt ex 1. *aph.* 12. *l.* 2. *Epid. ſect.* 3. *n.* 72. *l.* 6. *ſect.* 2. *t.* 12. *vel* 32. juxta Linden. in qua ſectione aliquoties hoc verbum legitur. Vid. Dieter. *n.* 223.

ENCATALEPSIS, ἐγκατάληψις, idem, quod ἀπόληψις, vel κατάληψις. Vide *Apolepſis*, *Catalepſis.* Legitur apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ* 2. *t.* 12.

ENCATANTLESIS, ἐγκατάντλησις, ſignificat apud Hippocr. perfuſionem aquæ factam, atque coincidit cum ἐπαντλήσει. Vide *Epantleſis.* Legitur *l. de decent. ornat. VII.* 17.

ENCATHISMA, ἐγκάθισμα, eſt *ſeſſio in aqua medicata* ab imis pedibus, vel feminibus, uſque ad umbilicum, ita ut ſupernæ partes non madeſcant, Galen. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 13. Hodieque vocatur *Semicupium.* In quibus affectibus hoc remedii externi genus conveniat, non eſt hujus loci determinare. Alias vocatur & *Inſeſſio.* Vide *Inſeſſio.* Meminit For. *l.* 27. *Obſ.* 24. *Schol.* Hild. *de dyſent. c.* 19. & *de lithotom. c.* 9. Habet & Pathologicam ſignificationem, qua denotat corporis abſceſſus, tumores, excreſcentias, corpori velut inſidentes & balneis fomentiſque indigentes, Apul. *l. de medic. herb. c.* 38. *n.* 3. Humelberg. *comm. ad h. l. pag.* 143. Legitur & *Encatheſma.* Diminutivum ἐγκαθισμάτιον legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 35.

ENCAUMA, ἔγκαυμα, in genere ſignificat *Inuſtionem*, puſtulam ex uſtione contractam. Deinde ita dicitur ulcus in oculo, quod à febre utplurimum cum cruſta impura in nigro, aut albo oritur. Ac in nigro quidem dum fit, ſæpe profundum eſt, ac fere ſemper in ipſa expurgatione major tunicarum eroſio contingit, adeo, ut humores paulatim diffluant, & totus oculus effundatur. Hæc ex Aëtio *l.* 7. *c.* 26. Gorræus *p.* 122.

Cauſſa

Cauſſa eſt eadem, quæ aliorum ulcerum, materia nimirum ichoroſa ſalinis, lixivioſis, corroſiviſque particulis ſcatens. Ægineta ἐγκαυμα appellavit, *l.* 3. *c.* 22.

ENCAUSIS, ἔγκαυσις, vocatur *Æſtus*, ardor, *incenſio*, *inuſtio*. Dicitur vero ita à Galen. *l.* 1. *de diff. febr. c.* 3. illa caloris actio in corpus, quam inducunt cauſæ externæ, ſive ſolis operatio, ſive ignis, ſive affectus vehementiores &c. *Encauſis* quoque dicitur pictura, vel cælatura per cauteria potentialia peracta, de qua Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 1. *c.* 23. *& l.* 6. *c.* 6. Vocatur & Pictura *Encauſtica*, & Artifex *Encauſtes*.

ENCAUSTUM, ἔγκαυστον, materia illa, qua perficitur cœlatura, vel pictura *Encauſtica*, cujus tres numerantur ſpecies: *Cerographia*, κηρογραφία, *Ceſtrographia*, κεστρογραφία, & *tertia*, quæ *penicillo* peragitur, Libav. *d. l.* Hinc & cœlati, ſculpti, dicuntur ἐγκαυστοὶ, teſte Rhod. *ad Scribon. n.* 231. In Officinis quoque quibuſdam materia Atramenti ſcriptorii dici ſolet *Encauſtum*. Quod nomen etiam in re vitraria idem ſignificat, quod Amauſum vel Smaltum, Merett. in *Neri Art. vitraria l.* 6. *c.* 93. *p. m.* 165. De *Encauſto* Hermetico ad Chr. ad. Balduino invento videatur in Ejuſdem *Hermete Curioſo Inventum VI.*

ENCEIMÆ, ἔγκειμαι, i. e. *incumbo*. Uſurpatur de utero, quando iſchio incumbit, Hippocr. 5. *aph.* 47. Diet. *n.* 234.

ENCEPHALOS, ἐγκέφαλος, *Cerebrum*. Vid. ſupra *ſuo loco*.

ENCERIS, ἐγκηρὶς, *grumus ceræ*, vel maſſa informis, quando liquata infunduntur mortario in frigore, Galen. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *l.* 4. *c.* 5.

ENCEROSIS, ἐγκήρωσις. Vide *Inceratio*.

ENCHALINOMÆ, ἐγχαλινῶμαι, ſignificat *frenor*, vel frenis cingor, Hipp. *l. de venis XXVII.* 8.

ENCHARAXIS, ἐγχάραξις, Medicis dicitur *Scarificatio*, quæ eſt cutis & ſubjectæ carnis per ſcalpellum ſectio, non punctim, ſed cæſim facta. Differt à Phlebotomia, quod hæc uno vulnere venam adaperiat; illa multis vulnuſculis & ſectionibus cutem dividat. Differentiæ potiſſimum tres conſtitui poſſunt. Aut enim tenuis & ſuperficiaria eſt *ſcarificatio*, aut magna & profundior, aut intermedia, Galen. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 7. Plura de *ſcarificatione* vide apud eundem integro libell. *de cucurbitul. ſcarificat. &c.* Imprimis vero ad renutritionem facere, teſtatur Oribaſ. *l. de ſcarific. cap.* 20. citante Rhodio *ad Scrib. n.* 55. Jung. & Petri Pauli Magni Romani Chirurgi libellus Italicus inſcriptus: *Diſcorſo ſopra le ventoſe.*

ENCHEIRESIS, ἐγχείρησις, proprie ſignificat generationem, vel *tractationem manibus factam*; vel ſi quis negotium aliquod propria manu aggreditur; Exercitium. Ita Galen. libros ſcripſit ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν, de cujus tituli Latina verſione vide C. Hofm. *Var. Lect. l.* 2. *c.* 13.

ENCHEIRIA, ἐγχειρία, idem, quod ἐγχείρησις, manus aggreſſio; *adminiſtratio manuaria*. Legitur apud Hipp. 2. *de artic. t.* 40. Libavius partem Chymiæ, quæ agit de inſtrumentis & operationibus, vocavit *Encherian*, tract. *de Igne naturæ cap.* 36.

ENCHONDROS, ἔγχονδρος, duplicem habet ſignificationem, à primitivo χόνδρος, quod & *granum*, & *cartilaginem* notat. Itaque & derivativum hoc 1. ſignificat *granuloſum*, grumoſum, in qua ſignificatione uſus eſt Dioſcorid. *libr.* 1. *c.* 83. deinde *Cartilagineum*, teſte Gorræo, *pag.* 123.

ENCHORIOS, ἐγχώριος, idem quod ἐνδήμιος, vernaculus, vide *Endemius*, *Epichorius*.

ENCHRIMPTO, *Enchripto*, ἐγχρίμπτω, ἐγχρίπτω, idem, quod χρίμπτω, ſignificat *applico*, admoveo, *implico*, appropinquo. Uſus Hippocr. de oſſibus, quæ in fracturis inter ſe *implicantur*, & mutuo attactu ſe offendunt, 2. *de artic. t.* 35. & de compoſ. προσεγχρίμπτω, *l.* 3. *t.* 112. de utero ad inguina, pectinem & veſicam procumbente, *l.* 2. *de morb. mul. XXXIII.* 15. Junge Foëſ. *p.* 179.

ENCHRISTA, ἔγχριστα, vocantur medicamenta liquida, quæ *illinuntur*, Celſ. *l.* 5. *c.* 24.

ENCHYLOS, ἔγχυλος, quaſi dicas, *Inſuccatus*, udus, madidus. Idem, quod νοτὸς, Galen. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 2.

ENCHYMA, ἔγχυμα, idem, quod ἔγχυσις, *infuſionem* ſignificat. Ita plenitudo quoad vaſa vocatur πλῆθος κατὰ τὸ ἔγχυμα. Non ſolum ſanguinis, verum etiam ad omnem vaſorum arte factorum repletionem applicari poteſt, Gorræus *p.* 124. Vide *Infuſio*.

ENCHYMOMA, *Enchymoſis*, ἐγχύμωμα, ἐγχύμωσις, *humorum vitalium* in partes ſolidas *infuſionem* ſignificat ap. Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 4. *n.* 26. quale quid fieri videmus in ira, verecundia, aut gaudio, quod ſanguis in venulas cutaneas rapiatur, ut color vividus, floriduſque appareat. Huic opponitur *Ecchymoma* & *Ecchymoſis*, de quo ſuperius.

ENCHYTOS, ἔγχυτος, dicitur de eo, *quod infunditur* & inſtillatur. In ſpecie ἔγχυτα vocantur medicamenta, quæ oculis inſtillantur, ut Fœnugræci decoctum, Lac muliebre, & alia Collyria liquida, Gal. *l. de rem. fac. parab. c.* 10.

ENCISSEUOMÆ, ἐγκισσεύομαι, ſignificat *implicor*, inſtar hederæ. Legitur apud Hippocr. de venis *XX.* 7. Poſſet etiam uſurpari de venis ſpermaticis pampiniformibus.

ENCLYDASTICOS, ἐγκλυδαστικὸς, h. e. *intus fluctuans*, aut fluctus faciens. Dicitur de aqua apud Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 40. De pure *lib.* 1. *de morb. XI.* 4.

ENCLYSMA, ἔγκλυσμα, idem, quod *Clyſma*, vel *Enema*, ſignificat. Vide *Enema*. *Clyſter*. Legitur apud Dioſcorid.

ENCOELION, ἐγκοίλιον, ſignificat *Abdomen*, *Hira*, videlicet omnia viſcera ſub coſtis recondita, ἐγκοίλια vocantur. Linden. *Ex. IX.* §. 57. 58.

ENCOLPISMUS, ἐγκόλπισμὸς, proprie *inſinuationem* ſignificat. Uſurpatur vero de applicatione remediorum uterinorum in ſinum muliebrem à Moſchione *de morb. mul. c.* 132.

ENCOPE, ἐγκοπὴ, ſignificat proprie *inciſionem*, qualis aliquando contingit in capitis oſſibus, eſtque ſoluta continuitas ab aliquo acuto diſſecante facta. Coincidit cum vocibus διακοπὴ & ἕδρα. Caſtell. Gorr. p. 123. Improprie etiam ſignificare poteſt *impedimentum*, interceptionem. Derivatur à verbo ἐγκόπτω, *incido*, impedio; in qua poſteriori ſignificatione legitur apud Hipp. *in præcept. XI.* 3.

ENCRANIS, *Encranion*, ἐγκρανὶς, ἐγκράνιον. Vide *Cerebellum.*

ENCRASICHOLUS, ἐγκρασίχολος, nomen *piſciculi littoralis*, ad *Sardas* vel Sardonos Italorum pertinentis. Sale conditus uſurpatur ad cibum. Cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 3.

ENCRATES, ἐγκρατὴς, id eſt, *validus*, firmus, robuſtus. Hipp. *l.* 7. *Epid. VII.* 14. *IIX.* 14.

ENCRIS, ἐγκρὶς, *placentæ* genus, dum farina bene ſubacta in oleo primum coquitur, mox mel adjicitur. Ταγηνίαν Pollux vocavit, quod patinis fere frigatur. Gorr. *d. l.* C. Hofm. *l.* 2. *V. L. c.* 13. *fin.*

ENCRYPHIAS, ἐγκρυφίας, epitheton *panis*, qui & ἀγοραῖος, i. e. *forenſis* aut *venalis* dicitur, quod in foro vendendus exponatur. Gorr. *d. l.*

ENCYLINDOTOS, ἐγκυλίνδωτος, *in orbem* vel *cylindri* formam *convolutus*. Dicitur de lana utero applicanda, *l.* 1. *de morb. mul. CII.* 57. Foëſ. *p.* 178.

ENCYMON, ἐγκύμων, dicitur *prægnans*, *gravida*, ab ἐγκύω, concipio. Gal. *c.* 3. *in progn. t.* 30.

ENCYRO, ἐγκύρω, ἢ ἐγκυρέω, ſignificat *incido*, irruo. Hipp. uſurpat de flatibus *l. de vet. med. XLI.* 1. Jung. 1. *de artic. t.* 45. At vero ἐγκυρσάσῃ definit Erotianus, quod ἐπικλαστικὸν vel κατακλαστικὸν eſt: ſed mendum ſubeſſe auguratur in Hippocratis libris Foëſius, quod anne forte in voce ἐγκυρσάσῃ potius quærendum, & ἀγκυρσάσῃ legendum eſt metaphorica ſignificatione.

ENDEDINEMENOS, ἐνδεδινημένος, *intro convolutus*, introrſum converſus. Eſt epitheton oculorum vitioſe ſe habentium, aut etiam inſtabilium, & δινήσει quadam affectorum, apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 27. Linden. reddidit per tremulos oculos, à tremore, vel motu convulſivo muſculorum ocularium mira celeritate atque inceſſanter oculi orbitam in omnem partem rapientium, *Ex. IV.* §. 93.

ENDEIA, ἔνδεια, *indigentia*, defectus, *penuria* dicitur, quæ opponitur *Plenitudini*, *Abundantiæ*. Huc pertinet κενεαγγίη, vaſorum inanitio. 1. *aph.* 2.

ENDEIXIS, *Indicatio*, communitas, ſcopus. Terminus frequentiſſimus in arte Medica, & præſertim in Methodo Medicinali. Eſtque nihil aliud, quam monſtratio, vel determinatio juvantis, vel indicati ex indicante, h. e. curata determinatio agendorum in Medicina ex cauſis modoque generationis cum ſanitatis, tum morbi. Hinc duplicis generis ſunt *Indicationes*. Aliæ ſunt *Conſervatoriæ*, ad methodum ὑγιεινὴν ſpectantes: aliæ *Curatoriæ*, ad methodum θεραπευτικὴν pertinentes. Quamvis plerique confundant, & in genere tres conſtituant etiam medendi methodum concernentes *indicationes*, *Præſervatoriam*, quam ad cauſſam, Gr. προφυλακτικὴν: *Curatoriam*, quam ad morbum: & *Vitalem*, quam ad vires corporis referunt. De quibus vide paſſim in Autoribus, præſertim apud Rolfink. *Ord. ac M. Med. Sp. l.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 11. *ſeqq.* Noſtram vero ſententiam invenies *in Dogm. Med. Gen. Part. IV. c.* 1. 2. 3. & 4. Egregie quoque de *Indicationibus*, *Indicantibus*, & *Indicatis* diſſeruit Linden. *Ex. VIII.* §. 63. *ſeqq.* & *alibi*, quorum loca vide *in Indice* illius Autoris.

ENDEMOS, *Endemios*, ἔνδημος, ἐνδήμιος, *Vernaculus*, alicui populo familiaris, quaſi *Patrium* dixeris, eſt epitheton morborum communium, multis in una regione viventibus ob cauſſam communem illi regioni familiarem, Galen. *c.* 1. *in* 1. *Epid. in proœm.* & *in defin.* Vernaculi morbi ſunt, qui in quibuſdam locis abundare ſolent. Differunt ab *Epidemicis*, quod hi certis ſaltem temporibus infeſtare ſoleant, propter cauſſam vitio aëris infecti aut intemperatioris conſtantis prægreſſi contractam. Illi vero nullo non tempore ſolent eſſe familiares, v. g. Scorbutus maritimorum & paluſtrium locorum incolis. Vid. *Dogm. noſtr. P. II. c.* 6. *Dogm.* 11. *Vernaculo* morbo revera *vernaculum* remedium extare aſſeruit Hartmann *in Diſp. Chymico-Medic.* 1. *Auctar.* 7.

ENDESIS, ἔνδεσις, *colligationem*, *connexionem* per vinculum ſignificat, & ea pedis pars apud Hippocr. hoc vocabulo intelligitur, in quam tibiæ oſſa deſinunt, & ad talos ligamentis connectitur, *l. de venis XXIV.* 2.

ENDICA, ſignificat *feces in fundo*. Morienes vero ita ſcripſit: *Endicam* quære in vitreis vaſis & repone tantiſper, donec aceſcat. Nam in dulci materia nihil præſtare poteris. Hæc corporibus addita & in terram ſic mutatis, conſervat illa, ne comburantur. Quando enim corpora amittunt animam, tunc facile comburuntur. *Endica* omnibus corporibus utilis, idonea reddens & vitalia, præſervat à putredine & ignis conſumtione. Dicitur & *Moſe hazuania*. Hæc Ruland.

ENDOEASTOS, ἐνδοιαστὸς, ſignificat *dubius*, anceps. Frequens vocab. Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XXIV.* 2. *Coac. t.* 121. *l. de Criſib. IV.* 11. *l.* 1. *de morb.* I. 9. III. 10. *l.* 2. *Epid. ſ.* 4. *n.* 20.

ENDON, ἔνδον, *Interne*. Vide *Exo.*

ENDOSIS, ἔνδοσις, *remiſſio*, intermiſſio, dicitur de febribus, præſertim continuarum, quando ſuis particularibus acceſſionibus inſignes habent ad remiſſionem, aut declinationem mutationes, Galen. *c.* 3. *in* 1. *Epid. t.* 2. Differt ab ἀπυρεξία, quod hæc de febrium intermittentium totali remiſſione dicatur. Verbum ἐνδίδωμι ſignificat *remitto*, & non modo de febribus, ſed & de aliis morbis

bis & ſymptomatibus ceſſantibus & remittentibus accipitur, *com.* 3. *in progn. t.* 73. De corpore quoque ſumitur, quando à morbo non minuitur, nec decrementum capit, 2. *aphor.* 28. Dieter. *n.* 289.

ENDROMIS, veſtis dicitur balnearia, hirſuta villi longioris, quæ ex Gallia mittebatur, cujus uſus in balneis & gymnaſiis præcipuus erat. Ant. Fumanell. *de Baln in princ.*

ENEDRE, ἐνέδρη, ſignificat proprie *inſeſſionem.* Hinc & ἔνεδροι dicuntur Hippocrati, qui equis firmiter inſident. *l. de A. L. & Aq. XLVII.* 7. Verum vocab. ἐνέδρη ſtrictius uſurpavit de applicatione & impoſitione ferularum Chirurgica, 2. *de fract. t.* 65. *ſ.* 3. *t.* 13. 40. Alias vocab. ἔνεδρα etiam *cavillationem* denotare, monſtravit Linden. *Ex. X.* §. 266.

ENELLAGMENOS, ἐνηλλαγμένος, i. e. inter ſe *alternatus*, alius alium recipiens. Uſurpatur de vertebris, quarum proceſſus ita committuntur, ut vertebra vertebram alteram viciſſim excipere videatur, 3. *de artic. t.* 45. *vel* 46.

ENEMA, ἔνεμα. Vide *Clyſter*, *Infuſum.*

ENEOS, ἐνεός, idem, quod κενεός, *vanus*, inutilis, & per tropum *ſtolidus*, qui nec audit, nec videt. Hippocr. 2. *de iis*, *q. in med. t.* 9.

ENEREISIS, ἐνέρεισις, compreſſionem, *illiſionem* ſignificat. Hipp. *d. tit. l.* 3. *t.* 6. Unde & ἐνερεισθεὶς, *impactus*, *infixus*, denotat, *l.* 6. *Epid. ſ.* 6. *t.* 26.

ENERGEMA, ἐνέργημα, proprie *Opus* ſignificat, quod ſequitur actionem tanquam effectus. Ita Excernenda & Retinenda ſunt *opus* functionum naturalium. Chylus eſt ἐνέργημα chylificantis ventriculi &c. Interdum tamen pro ἐνεργεία ſumitur. Ita Cruciatus ἐνέργημα ὀδύνης, *opus* doloris vocatur. Linden. *Ex.XIII.* §. 309.

ENERGIA, ἐνέργεια, Vide *Actio. Operatio.*

ENERGOS, ἐνεργὸς, ſignificat non ſolum actuoſum, alacrem ad functiones, ſed & moribus cultis præditum, humanum apud Hippocr. *l. de A. L. & Aq.* notante Joh. Bapt. Perſona *comm. in Gal. l. quod an. mor. ſeq. &c. p. m.* 289.

ENERGUMENI, ἐνεργούμενοι, in malam partem ſumto vocabulo dicuntur, *Obſeſſi* à *Dæmonio*, ſive vere tales, ſive falſo & ex mentis errore. Qua ſignificatione accepit D. Binninger *Obſerv. Medic Cent.* 5. *Obſ.* 32. *p.* 523. *ſeqq.* Singularem etiam & plane admirandam *Energumenæ* hiſtoriam refert Joh. Matth. Neſter. *Obſerv.* 2. *Promtuario Macaſii annexa.*

ENERVATIO, æquivocum eſt. Vel enim idem ſignificat, quod ἀπονεύρωσις, id eſt, *tendo*, Gal. *l.* 1. *de L. Aff. cap.* 6. de quo ſupra: vel proprie notat *repurgationem* à fibris & membranulis, quæ etiam Curatio dici ſolet, teſte Rhod. *ad Scribon. n.* 212. vel tropice accipitur pro *debilitatione*, Gr. ἔκλυσις. Vide *Eclyſis.* Dieter. *n.* 253.

ENGASTRIMYTHOS, ἐγγαστρίμυθος, dicitur proprie, *qui concluſo ore loquitur*, quod ventre vocem edere videbatur. Tranſlatum vero ad mulierem fatidicam *Pythiam*, quæ divaricatis cruribus ex ventre inferiore & partibus genitalibus vaticinium protulit. Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXV.* 8. *l.* 7. *XVII.* 7. Jung. Jac. Rolandi de Belebad. *Agloſſoſtomographiam c.* 6. in *Anno III. Ephemer. Nat.Cur.p.*588. Latine dici poteſt *Ventriloquus*, de quo vocab. etiam infra *ſuo loco.*

ENGENES, ἐγγενὴς, *ingenitus*, congenitus, idem etiam, quod οἰκεῖος, *domeſticus*, familiaris. Gal. *in Exeg. dict. Hipp.*

ENGERASCO, ἐγγηράσκω, *ſeneſco*, inſeneſco. Hipp. 2. *aph.* 54. idem, quod ἀπογηράσκω, *d. l. aph.* 53. Dieter. *n.* 231.

ENGIGNOMÆ, ἐγγίγνομαι vel ἐγγίνομαι ſignificat inſum, *innaſcor*, invado. Uſus Hippocr. 4. *aph. XLIV.* de tuberculis aut doloribus poſt febres longas ſeſe in articulos inſinuantibus. Et mirum, quod neque Foëſius neque Dieterich. verbi hujus emphaſin expoſuerint.

ENGISOMA, ἐγγίσωμα, ἐγγίσωμα, inſtrumentum dicitur, quod in calvariæ fracturis dum fuit adhibitum, vel etiam juxta alios eſt oſſis pertuſio, cum pars affecta in profundum deſcendit, ac ſuper illæſum os corruit. Galen. *l.* 6. *M. M. cap.* 6. *& def. Med.*

ENGLOTTOGASTOR, ἐγγλωττογάστωρ, i. e. *linguam in ventre habens*, dicitur, cui in ſolius ventris commodum cura eſt intenta. Linden. *Exerc. XI.* §. 131.

ENGOMPHOSIS, ἐγγόμφωσις, idem, quod γόμφωσις. Vide *Gomphoſis.*

ENGONIOS, ἐγγώνιος, *Angularis*, quando duo membra connectuntur ad angulum ſive rectum, ſive obliquum. Hippocr. 1. *de iis, quæ in medic. t.* 17. *ſ.*3.*t.*20. *Mochlic. IX.* 14. *XXII.* 5. Gal. *l.* 6. *M. M. c.*5. Vide Foëſ. *Oec. p.* 176.

ENIAUTOS, ἐνιαυτός. Vide *Annus.* Hinc ἐνιαύσιος, *annuus*, dicitur de morbis & ulceribus, 6. *aph.* 45. & *l.* 1. *de nat. hum. t.* 42.

ENISCHOMENOS, ἐνισχόμενος. Vide *Contentus.*

ENISTEMI, ἐνίστημι, *inſiſto*, inhæreo, urgeo. Hipp. *l.* 5. *Epid. XXXI.* 7. Unde ἔνστασις, *inſtantia*, dictio Democriti ſectatoribus familiaris, cum morbos atomorum in vacuos meatus ingreſſu & obſtructione oriri docuit, hujuſmodi ingreſſionem & infixionem ſignificans. Hier. Mercur. *l.* 4. *Var. Lect. c.* 13. Foëſ. *p.* 211.

ENIXA, idem, quod Puerpera, & aliquoties legitur in ſcriptis P. M. de Calderia, *Tom.II. Oper. p.*74.77. *&c.* Alias apud Chymicos *Enixum* eſt epitheton Salium tertii generis ex acido & alcali geniti, quod alias *Neutrum*, *Tertium*, juxta Glauber. *Mirabile*, juxta alios *Anomalum* dicitur, & utriuſque vires, ſed refractas, poſſidet. Vide David. von der Beke, Barnerum caſtigat. Hodiernis etiam *Sal ſalſum* appellari ſolet, quod ex acido & alcali junctis reſultat, v. g. Tartarus Vitriolatus, & alia. Hæc Enixa vel Media ſalia rurſus dividit

Iunken in *Acida*, *Salſa*, *Armonicalia*, *Vitriolica*, *Nitroſa* & *Aluminoſa*, quemadmodum eorum deſcriptiones videri poſſunt *in Corpore ejus Pharmaceutico ſect. III. c. 27. p. 297.*

ENNEAPHARMACOS, ἐννεαφάρμακος, medicamentum ex novem ſimplicibus conſtans. Ita dicitur Peſſus quidam, qui ad uteri & ſedis inflammationes confert. Galen. *l. 9. de C. M. S. L. c. 6.* Æginet. *l. 7. c. 24. fin.* Antidotus Heraclidis apud Gal. *l. 2. de antidot. c.14.* Ita & Emplaſtra quædam apud Aët. & Celſ. *enneapharmaca* dicuntur, teſte Gorræo *p. 142.*

ENNEAZO, ἐννεάζω, ſignificat *adoleſco*, juvenor. Hipp. 2. *aph.* 54. Dieter. *n.* 293.

ENOCH creditur *Hermes Triſmegiſtus* fuiſſe, juxta pleroſque Spagyricos. Zacharius in opuſculo *Th. Chym. Vol. I. p.* 723. Menens *Aurei Veller. l. 1. c. 4. in Vol. V. p.* 256.

ENOCHDIANUS Paracelſo dicitur, qui longævitate æmulatur *Enochum* Prophetam. Hinc *Enochdiana vita* eidem eſt vita admirabiliter longæva. Vid. *l. 4. de vita long. c. 6. l. 5. c. 2. & 5.*

ENOCHLEO, ἐνοχλέω, *infeſto*, *perturbo*, moleſtia afficio ſignificat. *Coac. t.* 195. & 2. *aph.* 50. 4. *aph.* 57. Vid. Dieter. *n.* 294. Vide *Infeſto.*

ENODIOS, ἐνόδιος, in via poſitus, *in via habitans.* Apud Hipp. vero eſt nomen proprium, *l. de morb. ſacr. IV.* 40. Junge Foëſ. *p.* 211. 212.

ENOECESIS, ἐνοίκησις, vide *Inhabitatio.*

ENOMOS, ἔνωμος, *crudus.* Vide *Cruditas.* Hipp. 5. *aph.* 67. Vid. Dieter. *n.* 296.

ENORMON, ἐνορμῶν, *impetum faciens.* Dicitur & ſimpliciter ὁρμῶν, epitheton Spirituum aptiſſimum, & rei naturam exprimens, videlicet ſummam levitatem, tenuitatem, & activitatem. Vide *Pneuma.* Hipp. *l. 6. Epid. ſ.* 8. *t.* 19. ubi tamen ſimplex verbum legitur ὁρμῶντα, quod idem eſt, Gal. *l. de rigor. c.* 5.

ENPHLEBOTOMEO, ἐνφλεβοτομέω, ſignificat Hipp. *diſtribuo venas in multas partes*, vel ramos, vel propagines, *l. de ven. XXVI. 6.* Conf. Erotianus.

ENRHYTHMOS, ἔνρυθμος, epitheton pulſus alicujus, qui ordinis rationem obſervat aliquam. Differt ab εὐρύθμῳ, ſaltem gradu, cum hic ita dicatur, quando exactus ordo inter pulſus invicem ſubſequentes obſervatur, reſpectu celeritatis, vehementiæ & æqualitatis; Nihilominus adhuc ἔνρυθμος dici poteſt, licet unum attributum non plenarie adſit. Junge Gal. *l. 1. de diff. pulſ. c. 9.*

ENS, τὸ ὄν, vel Metaphyſice, vel Medice exponi poteſt. Illa ſignificatio non eſt hujus loci, ſed petenda à Philoſophis. Secundum hanc coincidit cum *Exiſtente*, *Subſtantia*, ὑπάρχον, ὕφεσις, Gr. dictis. Gal. *l. 2. Meth. med. c. 7. fin.* A Paracelſicis & Chymicis aliter deſcribitur *Ens*, quod ſit extractum minerarum primum, quæ nondum attigerunt perfectionem, ſuntque ſeminales potentiæ fœcundiores. Hinc nominari ſolet & materia prima, quæ eſt cujuſque generis, & vim ad id proximam habet, ex qua primum motus naturalis ad ſubſtantiam exiſtit. Petitur primum Ens e Mineralibus potiſſimum. Hinc enim metallorum & gemmarum actu quidem illis vacuæ, at potentia fœcundæ inveniuntur. Ita Illuſtr. Boyleus *Ens* ſuum *Veneris* e Colcothar Vitrioli prius edulcorato aqua pluviali ſublimando cum duplici quantitate Salis Ammoniaci conficit, notante Joh. Franc. Vigani, *Medull. Chym. p.* 5. Paulo aliter à Marggravio paratum legitur in Morley *Coll. Chym. I. Leid. c.* 530. Deſcriptio *Entis Veneris* ſimilis legitur in Roſ. Lentilii *Miſcell. Medico-Curioſ. P. II. p.* 577. Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.*108. & Joſeph. Iakſon in curatione Maniæ aliquoties loco Vomitorii commendavit *Enchirid. c. 7. & 8. Ens Horizontis* dicitur Electrum minerale immaturum, uti patet ex Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. II. ſect. 1. c. 7. p.* 549. In Vegetabilibus quæritur ex plantis, cum adhuc ſunt in herba, vel immaturis fructibus. Animalium claſſis non multa præbet, niſi e ſanguine conficere velis, & ovis. Ita & Ranarum ſimiliumque ſpermata ad hunc vocantur uſum. Hæc Ruland. & Iohnſ. Ita & Paracelſus *Ens* dixit eſſe originem, vel ſcaturiginem, quæ potentiam habet corpus regendi, *Paramir. de quinque entib. morb. l. prolog. 2. num. 7. prologo 3.* Hinc varia paſſim occurrunt *Entia* : *Ens* Dei, creatum aſtrorum, humorum, ſeminis : *Ens* Naturæ Longum & Breve : *Ens* virtutis, morborum, veneni &c. de quibus omnibus in Indice Operum ſuorum quærere licet, quæ tamen pleraque, ceu figmenta exoterica & inepta, partim etiam magica, rejicit Libav. *in ſcriptis ſuis* aliquoties. In Lapidis Philoſophici magiſterio *Ens primum* dicitur illa Tinctura, cujus beneficio metalla tranſmutantur, Ger. Dornæus *de tranſm. metall. cap.* 14. *Th. Chym. Vol. I. p.* 534. *Ens primum Auri* abuſive Chymicis audit *Pulvis* quidam *Antimonialis*, cujus deſcriptio quædam extat (ſi fides illi tribuenda) in Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 49. *proc.* 8. Helmontius rurſus *Ens* aliter expoſuit, tria conſtituens *Entia* : *Ens* reale, quod eſt veritas : *Ens* mentale, quod eſt Ratio : & *Ens* Rationis, quod eſt Non *Ens*, putatione matre oriundum, *tr. Venatio ſcientiarum, n.* 27. *Ens veneni* vocatur impuritas mucilaginoſa, & tartarea, quæ non habet in ſe virtutem expulſivam, ſed ſtypticam, aluminoſam & adſtringentem, & omnibus alimentis ineſt, *Introductione ad vitalem Philoſophiam Tract. altero. Part. priori c.* 14. 15. imo etiam Aſtris viſibilibus Ens veneni ſpirituale attribuitur *c. 5. p.* 19. *Tom. VII. Operum Hartmanni in fol.*

ENSIFORMIS, *Enſiculatus*, ξιφοειδὴς, eſt epitheton Cartilaginis parti infimæ Sterni adnatæ gladii vel enſis effigie, figura triangula; interdum penitus oſſeæ. Dicitur & *Mucronata*, cujus deſcriptionem vide apud Anatomicos, præſertim Bartholin. *libell. 4. de Anat. c.*18. Vocatur alias & *Furcella*, vel *Furcula*, quod in fine nonnunquam bifida obſervetur.

ENSTACTON, ἔνςακτον, q. d. *Inſtillatitium*, nomen Collyrii ita dicti, quod oculis inſtillaretur liquidum. Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Ægineta vero vocavit ςακτικὸν, *l.* 7. *c.* 16. Rhod. *ad Scrib. num.* 34.

ENSTALAXIS, ἐνςάλαξις. Vide *Inſtillatio.*

ENSTASIS, ἔνςασις, *Inſtantia.* Vide *Eniſtemi.*

ENTALIUM, *Entali*, *Entale.* Vide *Dentalium. Entali* quoque idem, quod *Alumen ſciſſum*, quod aliquando generatur ex Sale gemmæ, Paracelſ. *tr.* 2. *Chirurg. magnæ cap.* 8. Rul. Unde & in genere Sal *Entalicum* dicitur acidum aluminoſum, quæ omnia ex frigido coagulantur. Parac. *Paramir. l.* 2. *c.* 6. Tale Sal *Entalicum* ſtatuit idem cauſſam icteritiæ, *l. de Icterit. c.* 1. Sal *Entalicum* Microcoſmi rejicitur per alvum. *Paragraphor. l.* 1. *c.* 2. §. 2.

ENTASIS, ἔντασις, *intenſionem*, aut internam tenſionem ſignificat, quæ & ſimpliciter τάσις, aut ξύντασις vocatur. Legitur in Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 17. 21. *l.* 4. *Epid. XIII.* 19. Galen. *Com. in* 3. *Epid. t.* 5. *& comm.* 3. *d. l. t.* 17.

ENTATICOS, ἐντατικὸς, *intenſivus*, tribuitur medicamentis internis & externis Venerem ſtimulantibus; alias *Incentiva*, dictis; item *Satyrica.* Dieter. *n.* 206. *in fin.* Tale Emplaſtrum legitur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 17.

ENTERADENES, ἐντεραδένες, h. e. Glandulæ inteſtinales, quas D. Joh. Conr. Pejerus egregie deſcripſit *peculiaribus Exercitationibus*, & hoc nomen Græcum ipſis attribuit *in ep. ad D. Joh. Jac. Harder.* quæ occurrit in Pœonis & Pythagoræ *Exercitationibus Epiſtolicis Anatomico-Medicis Ex.* 32. Vocavit & illius ſcriptum hic *Enderadenographiam.*

ENTERENCHYTÆ, ἐντερεγχύται, vocantur inſtrumenta Chirurgica ad Clyſteres inteſtinis injiciendum deſtinata. Scult. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XIII. fig.* 4. 5.

ENTERIONE, ἐντεριώνη, idem, quod ἐγκάρδιον. Vide *Encardion.*

ENTEROCELE, ἐντεροκήλη, eſt *Hernia inteſtinalis*, quando inteſtina prolabuntur vel ad inguina, vel ad ſcrotum, ob rupturam peritonæi, & tumorem gignunt, Galen. *l. de differ. morb. cap.* 10. Hujus obſervationes & curationes vide apud Hildan. *Cent.* 2. *obſerv.* 81. *ſeqq. cent.* 6. *obſerv.* 73. *& alias.* Tales ægri vocantur *Enterocelici*, *d. l.*

ENTEROMPHALOS, ἐντερόμφαλος, dicitur *Hernia umbilicalis*, quando inteſtina umbilicum protuberare faciunt. Dicitur & ἐξόμφαλος, quamvis hoc vocab. omnem umbilici protuberantiam denotet, ab aliis quoque cauſſis obortam. Hildan. *epiſtol. ad Mich. Doring. in oper. p.* 900. Affectus hic mulieribus præſertim tempore partus haud raro contingere ſolet.

ENTERON, ἔντερον, *Inteſtinum*, & pluraliter ἔντερα, *Inteſtina*, dicuntur corpora oblonga, cava, rotunda, membranoſa, à ventriculi orificio dextro ad extremum anum protenſa, diſtribuendi ad vaſa lactea chyli & continendi, expellendarumque fœcum inſtrumenta, fibris circularibus aliiſque prædita, & varie circumgyrata, quorum prolixiorem deſcriptionem reperies in Anatomicis, ſpecialiter Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 10. 11. & D. Bidloo *Anat. Tab.* 39. *&* 40. Etſi vero revera unum & continuum ſit *Inteſtinorum* corpus, loco tamen, magnitudine, numero orbium & anfractuum variare & diſtingui, hincque ſenarium reſultaſſe numerum, ita ut tria priora dicantur *Tenuia* : *Duodenum*, *Jejunum & Ileum*; tria reliqua *Craſſa* : *Cœcum*, *Colon* & *Rectum*, notum eſt, de quibus omnibus ſuo loco. Gal. *l.* 5. *de V. P. c.* 3. *& l.* 6. *Anat. admin. cap.* 6. Jung. Diet. *n.* 295. Ob hanc diviſionem dixit Linden. *Inteſtinum* re unum, appellatione geminum. *Ex. IIX.* §. 2. Aliquando & ἔντερον in ſingulari κατ' ἐξοχὴν denotat *Colon*, apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 3. notante Gal. *in comm.* Jung. *l. de humor. XI.* 16. Ἔντερα quoque ſignificant ſacculum, vel folliculum, in quem medicamenta ad fotum immittuntur, forte quia ut veſica, ſic & *Inteſtina* ad eum uſum accommodari poſſunt. Hipp. *l.* 3. *de morb. I.* 20. Foëſ. *p.* 212. Per metaphoram etiam Lumbrici terreſtres dicuntur ἔντερα γῆς, *inteſtina* terræ, notante Foreſt. *l.* 21. *obſ.* 29. *Schol.*

ENTEROPIPLOCELE, ἐντεροεπιπλοκήλη, eſt nomen Herniæ in ſcroto potiſſimum, quando omentum & inteſtina ſimul devolvuntur & prolabuntur. Hinc Gal. ad tumores compoſitos refert. *l. de tum. p. n. c.* 15.

ENTEROSCHEOCELE, ἐντεροσχεοκήλη, dicitur nonnullis ex licentia Græcis familiari componendi voces, *Hernia ſcrotalis Inteſtinalis*, quando inteſtina in ſcrotum prolabuntur : vide *Oſcheocele.*

ENTHEASTICOS, ἐνθεαςικὸς, epitheton Melancholici, qui putat, à majori quadam vi ſe defendi & exornari, vaticinaturque futura. Videatur Æginet. *l.* 3. *c.* 4. Latine *Divinaculus*, *Vaticinator.*

ENTHEMATA, ἐνθέματα, vocari, quæ cruentis vulneribus confeſtim injiciuntur, ad reprimendas inflammationes & inhibendum ſanguinem ſcripſit Andr. Tiraquell. *de Nobil. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 130. *b.* ſed nullum autorem, ubi occurrat, addidit, quamvis ipſius autoritas omni exceptione major ſufficere poſſit.

ENTHERMOS, ἔνθερμος, idem, quod πολύθερμος, *impenſe calidus.* Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 13. 19. Gal. *in comm.*

ENTHETOS, ἔνθετος, in genere dicitur *Impoſitus*; *Inditus.* Specialiter vero ſumitur de medicamentis, quæ naribus imponuntur, ad ſiſtendam hæmorrhagiam. Hipp. vocat ἐνθέντα, *l.* 4. *Epid. XXII.* 2. *& l.* 6. *ſ.* 6. *t.* 25. A verbo ἐντίθημι, *impono*, *ingero*, *l.* 6. *ſ.* 2. *t.* 2.

ENTHLASIS, ἔνθλασις, internam colliſionem & contuſionem, *Illiſionem* ſignificat, à verbo ἐνθλάζω, *imprimo*, introrſum cogo, quod uſurpavit Hippocr. *l. de int. aff. XLVII.* 11. 13. Jung. Foëſ. *p.* 211. Gal. *l. de diff. morb. c.* 11. Vide *Illiſio.* Sennert. *Inſtit. Med. l.* 2. *part.* 1. *c.* 10.

ENTHRASSO, ἐνθράσσω, idem, quod θράσσω, *perturbo*, moleſtiam affero, *pungo.* Hipp. 3. *de artic. t.* 47.

ENTHU.

ENTHUSIASMUS, ἐνθουσιασμὸς, id eſt, *fanatica perculſio*, ſeu numinis afflatio eſt, veluti cum quidam in ſacris faciendis mente capiuntur, ſi quæ viderint, aut ſi tympana, vel tibias, vel ſigna audierint. Gal. *in def.Med.* Pertinet ad deliria Melancholica. *Enthuſiaſmum* Paracelſicum pro ſingulari artis Medicæ notitia acquirenda vocat *Diabolicum* Libav. *Tom. IV. oper. p.* 79. Vocatur & *Raptus*. Vide infra.

ENTHYMEMATICOS, ἐνθυμηματικὸς, epitheton & proprietas boni Medici, quod debeat eſſe *argutus*, *præmeditatus*, & acris in reſpondendo, Hippocr. *de dec. orn. II.* 26.

ENTOMON, ἔντομον. Vide *Inſectum*.

ENTRICHOMA, ἐντρίχωμα dicitur à quibuſdam extremus palpebrarum ambitus, ſive extrema ora, in qua excreſcunt cilia. Gorr. *p.* 144.

ENTRIMMA, ἔντριμμα. Vide *Intritum*.

ENTROPE, *Entropia*, ἐντροπὴ, ἐντροπίη, ſignificat *pudorem*, verecundiam, Hipp. *l. de dec. orn. I.* 16. *V.* 5. Linden. reddidit, *Modeſta correctio. Ex. II.* §. 20.

ENTYPOSIS, ἐντύπωσις, dicitur Humeri acetabulum, alias ὠμοκοτύλη. Eſtque articulatio humeri cum brachio. Gorr. *p.* 144.

ENULON, ἔνουλον, *caro* dicitur *gingivarum interna*; quemadmodum externa dicitur οὖλον, & media inter dentes ἀρμὸς, Gorr. *ex Polluce*, *p.* 143.

ENUR, eſt occultus vapor aquæ, ex quo lapides generantur. Rul. & Iohnſ.

ENUREO, ἐνουρέω, idem, quod οὐρέω, *mingo*, mejo, immingo. Hipp. *l.* 7. *Epid. XV.* 43. ubi tamen Linden. cum Cornario exponit per *mingere in ſtratum*, in qua ſignificatione etiam uſus Nic. Piſo *d. M. C. & C.l.*3.*c.*41. & antiquior Nonus *de M. P. C. c.* 180. Hinc etiam nomen ἐνούρησις, *immictio*, h. e. Urinæ incontinentia, quod una cum verbo legitur apud Solenandr. *Conſil. XI. p. m.* 345.

ENYDREOMÆ, ἐνυδρέομαι, id eſt, *madeſio*, humector. Erotian. *Onom. p.* 41. *c.* 1.

ENYPNION, ἐνύπνιον, *Inſomnium*, idem, quod ὄναρ, ὄνειρος, ὄνειρον, quid ſignificet, notum eſt. Referuntur *Inſomnia* à Medicis inter ſigna ſanitatis & morborum, quamvis valde dubia & incerta. Hinc Hippocr. integrum ſcripſit libellum de *inſomniis*, & Gal. tractatum de præſagio ex *inſomniis*. Ex recentioribus vero egregie de *inſomniis*, quid ſint, & eorum generationis modo egit Th. Willis *Anim. Brutor. Part. I. t.* 16. *Inſomnia* vel ſunt Divina, vel Naturalia, (ſub quibus tamen & ægrotorum comprehenduntur) vel Diabolica. Dicitur & *Somnium*. Videatur & de *Inſomniis* Caſp. Rejes *C. El. q.* 37. Jungatur deſcriptio *Somnii* apud Linden. *Ex. XV.* §. 37.

ENYPOSAPROS, ἐνυπόσαπρος, *intus ſubputridus* ſignificat, & uſurpavit Hippocr. de ſputo in hepaticis, *Coac. t.* 446.

ENYSTRON, ἤνυστρον, eſt ventris ſinus in quadrupedibus, dictus *Abomaſum*. Hic venter eſt magnitudine amplior *Omaſo*, quod ἐχῖνον vocant, forma oblongior, cancellis intus & cruſtis multis, magnis & levibus inornatus. Ab eo proxime inteſtinum ſequitur. Gorr. *p.* 178. Jung. Ariſt. *l.* 3. *de part. an. c.* 14. Bart. *l.* 1. *An. c.* 9. *Abomaſum* prorſus eſſe fictitium contra Gazam ſcripſit C. Hofm. *l.* 2. *Inſt. Med. c.* 31. §. 8.

EON, ἠὼν, dicitur totus oculorum ambitus. Gorr. *p.* 175.

EPACMASTICOS, ἐπακμαστικὸς, *accreſcens*. Vide *Acme*. Dicitur & ἀναβατικὸς. Vide *Anabaſis*.

EPACROS, ἔπακρος, dicitur de eo, quod in ſummitate acutum eſt, vel in anguſtum tendit. Hipp. *l.* 2. *de morb. LIX.* 25. Foëſ. *p.* 221.

EPAEIROMÆ, ἐπαείρομαι, *attollor*, inſurgo, ſignificat. Uſurpatur de humoribus inordinate commotis. Hipp. *l. de humid. uſu*.

EPAGOGION, ἐπαγώγιον, dicitur genitalis membri *Præputium*, apud Dioſcor. *l.* 3. *c.* 25. quamvis dubitet, apud quem eſt caput 23. Verum approbat C. Hofmann. *l.* 4. *Var. Lect. c.* 33. Quod vero Gorræus *p.* 146. ſcripſerit ἐπαγώγια ſignificare *præputia* tantum male affecta, nullam prorſus video rationem.

EPAIO, ἐπαΐω, ſentio, *percipio*. Frequens verbum Hippocr. 2. *Prorrh. XXVI.* 2. 4. *l.*2. *de morb. XXI.* 9. *l.*1. *de morb. mul. XLII.* 5. *l.* 2. *LIIX.* 15.

EPAISSO, ἐπαΐσσω, & med. ἐπαΐσσομαι, ſignificat *cum impetu irruo*, irrumpo. Legitur in Hipp. *l. de nat. puer. IX.* 7. Linden. vertit per *Exſilio*.

EPALEIPHO, ἐπαλείφω, proprie ſignificat *ſuperlino*; tranſlatitie exacuo, *irrito*, in qua ſignificatione legitur de cancro exaſperato, Hipp. *l.* 5. *Epid. X.* 21.

EPANACLESIS, ἐπανάκλησις, *revocatio*. Dicitur de calore Hipp. *l.* 5. *aph.* 21. & *l. de humid. uſ. XI.* 16. Diet. *n.* 307. Junge *Dogmata noſtra Med. Gen. P. IV.* 2. *pag.* 480. 481.

EPANADIDOMI, ἐπαναδίδωμι, ſignificat *increſco*, ingraveſco. Uſurpatur de morbis ab initio minus vehementibus, progreſſu vero temporis in gravius tendentibus, *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 29. & *l.* 1. *de morb. mul. XLI.* 5.

EPANADIPLOSIS, ἐπαναδίπλωσις, *reduplicatio*. Vide *Anadiploſis*. Vocatur & ἐπανάληψις, *repetitio*. Gal. *l. de morb. tempor. c.* 8.

EPANALEPSIS, ἐπανάληψις, *repetitio*. Vide *Epanadiploſis*.

EPANAPHERO, ἐπαναφέρω, *reaſſumo*, repeto, ſignificat, & quidem apud Hipp. de viribus reſumptis uſurpatur, *Coac. t.* 1. ubi ἐπανεγείροντες, ſeſe *recolligentes*, occurrit.

EPANAPNEO, ἐπαναπνέω, ſubinde & crebro *reſpiro*, Hipp. *l.* 7. *Epid. XLVI.* 13.

EPANASTASIS, ἐπανάστασις, *prorumpens eminentia*, *eruptio*, puſtula. Legitur in Hippocr. *Coac. t.* 220.

EPANCYLOTOS, ἐπαγκυλωτὸς, dicitur Laquei ſpecies

ſpecies apud Oribaſium, quo ſinus ſuper ſinum injicitur, faciens ad corpora figuranda. Gorr. p. 146.

EPANEMEO, ἐπανεμέω, ſignificat *vomitum ſubinde repeto*, revomo. Hipp. *Coac. t.* 568.

EPANEREUGOMÆ, ἐπανερεύγομαι, *crebro eructo.* Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 59.

EPANORTHUMÆ, ἐπανορθοῦμαι, idem, quod διορθοῦμαι. Vide *Diorthoſis.*

EPANTHISMA, ἐπάνθισμα, ſignificat *Efflorescentiam*, idem, quod ἐπάνθημα. Occurrit apud Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 21. *ſ.* 2. *t.* 25. *Coac. t.* 579. à verbo ἐπανθέω, *effloreſco*, quod legitur *l.* 7. *Epid. XXIII.* 19.

EPANTLESIS, ἐπάντλησις, *perfuſionem aquæ*, aut infuſionem ſignificat, qualis fieri ſolet in balneis, Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 50.

EPAPHÆRESIS, ἐπαφαίρεσις, in genere dicitur *repetita ſublatio*, vel evacuatio. In ſpecie vero vocatur ita ſanguinis miſſio repetita, apud Gal. *l. de cur. rat. per ſang. c.* 1.

EPAPHROS, ἔπαφρος, *ſpumans* ſignificat, idem, quod ἀφρώδης. Occurrit in Hipp. *ſ.* 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 60. *& ſ.* 3. *t.* 1. ubi mendoſe legitur ἐπάφων, notante C. Hofm. *in Notis ἀνεκδότοις ad Gal. opera, h. l.* Foëſ. *p.* 223.

EPARGEMOS, ἐπάργεμος, dicitur, qui in ulcuſculo oculi, quod ἄργεμα dicitur, laborat. Vide *Argemon.*

EPARITA dicitur Paracelſo lutum quoddam argillaceum, haud dubie à calore atrorubente. Unde & *Tartarus Eparitinus*, *l. de morb. Tartareis c.* 4.

EPARMA, *Eparſis*, ἔπαρμα, ἔπαρσις, in genere *omnem tumorem*, vel *intumeſcentiam* in parte aliqua obortam ſignificat. Neque ullam video ſufficientem rationem, quam ob Interpretes ſtatuerint, ſtricte & ſpecialiter denotare tumorem ad aures obortum, cum Hippocr. ſemper exprimat addendo παρ' οὖς, *ad aures*, v. g. *Coac. t.* 626. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 10. *Lib.* vero 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 1. vocab. ἔπαρμα plane omiſerit, notante Gal. *in comm.* Uſurpatur vero etiam de præcordiorum tumore, *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. *poſt ſt. peſt.* item de ventris tumore, *Coac. t.* 86. 142.

EPAURISCOMÆ, ἐπαυρίσκομαι, ſignificat *haurio*, *fruor*, fructum capio. Frequens Hippocr. *l.* 4. *de morb. II.* 2. 4. *XI.* 12. 18. *XVI.* 38. 39. *XIIX.* 2.

EPAUXES, ἐπαυξὴς, *increſcens*, incrementum capiens ſignificat, diciturque de morbis. Fere idem, quod ἀναβατικὸς, vel ἐπακμαστικὸς. Legitur apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 26. Aët. *l.* 3. *c.* 8. notante Foëſ. *p.* 222.

EPEDANOS, ἠπεδανὸς, ſignificat *Debilis*, infirmus, quaſi ἀνεδανός. Cui opponitur ἔμπεδος. Legitur illud apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XIII* 9. *XLIV.* 3. *CVI.* 3.

EPENCRANIS, ἐπεγκρανὶς, vide *Cerebellum.* Sic vocat Eraſiſtratus apud Galen. *lib.* 8. *de V. P. cap.* 13.

EPHEBÆON, ἐφήβαιον, *Pubes*, *Pecten*, item *Aqualiculus*, id totum dicitur, quod eſt ab Hypogaſtrio, ſeu imo ventre, (quem & *Sumen* vocant) uſque ad pudenda. Gorr. Caſtell. ex Galen. *Introd. c.* 10. ubi & ἐφήβειον & ἥβη vocatur. Unde & *Ephebia*, ἐφηβία, *Pubertas*, & *Ephebi*, ἔφηβοι, *Puberes*, denominantur. Gal. *l.* 2. *de temper. cap.* 5. *& comm. de ſal. diæt. t.* 7. ubi puberum deſcribitur ætas, quod ſit media inter pueros & adultos. Alias *Ephebæum* quoque vocabatur apud Romanos & Græcos locus peculiaris in palæſtris & medius, & erat exedra ampliſſima, in qua Rhetores, Philoſophi & alii liberalibus ſtudiis addicti ſedentes diſputabant. Lang. *l.* 1. *ep.* 51.

EPHEDRA, ἐφέδρα, eſt nomen herbæ arboribus inſidentis, quæ Polygonum bacciferum ſcandens Bauhino dicitur in Pinace. Alias hoc nomine quoque venire inſtrumentum quoddam Chirurgicum reponendis membris luxatis idoneum, ſcribit Joh. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 309.

EPHEDRANA, ἐφέδρανα, idem, quod γλουτοὶ, *nates*, vel natium prominentiæ, Gorræus *Defin. p.* 161. ex Polluce, Cœl. Rhodig.

EPHEDRIA, ἐφεδρεία, apud Gal. ſignificat obſervationem, dijudicationem, & correctionem, *l. de cogn. cur. animi morb. c.* 1.

EPHEDRON, ἔφεδρον, eſt *ſella* firmior, & ſedile ſtabile, in quo æger, vel etiam Chirurgus, aut Medicus, firmiter deſidere poſſit. Hipp. *l.* 2. *de morb. XLV.* 9. *&* 2. *de fract. t.* 3.

EPHELCIS, ἐφελκὶς, dicitur *ramentum*, ſeu cruoris exigua guttula, quæ interdum tuſſi in hæmoptica paſſione rejicitur, Galen. *l.* 4. *de L. Aff. c.* 5. item ulcerum cruſtula, *l.* 3. *de ſymptom. cauſſ. c.* 2.

EPHELIS, ἐφηλὶς, eſt *aſpredo* & *nigrities in facie* ex ardore ſolis progenita, aut etiam ab inflammatione ortum ducens. Quæcunque enim cauſſa ſimilem aſperitatem & colorem excitarit, perinde eſt. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *Prorrh. XXXI.* 9. *l. de Aliment. IV.* 18. *l. de ſteril. VI.* 8. *l.* 2. *de morb. mul. LXIIX.* 1. Plinius aliquando *diſcolorem à Sole cutem*, aliquando à Sole uſtam, vel à Sole aduſta interpretatur, eoque vitio deformes *Solatos* appellat. *Alii vitia cutis* ſimpliciter Latine reddunt. Linden. vertit *Maculas Solares*, *Ex. XI.* §. 189.

EPHEMERIDES, ἐφημερίδες, vocantur proprie conſignationes, & calendaria, quæ ſiderum ortus & occaſus ac tempeſtates dieſque faſtos indicant. Lang. *l.* 1. *ep.* 36. Per tranſlationem vero apud Helmont. *Morbi concentrici*, qui aſtra reſpiciunt, & præſertim ad Lunæ ſyzygiam moventur, vocantur *Ephemerides* ægrorum, v. g. Epilepſia, *tr. de Morb. Archeal. n.* 18. Vulgus etiam vernacule dicere ſolet: Perpetuum habet calendarium hic, vel ille æger.

EPHEMERUS, ἐφήμερος, eſt epitheton quarumdam febrium intermittentium, quarum tota conſtitutio unica acceſſione horarum viginti quatuor circumſcribitur, Gal. 4. *aph.* 55. Jung. Dieter. *n.* 365. Latine *Diaria*, unicum durans diem, ſcil. ut plurimum. Nam *Synochus ſimplex* non putris dicitur etiam Medicis *Ephemera plurium dierum. Ephemeræ* meminit Hippocr. 4. *aph.* 55. *l.* 2. *Epid. ſ. III. n.* 60. Cauſſam veram harum febrium vide

vide apud Willis *l. de febr. c.* 8. quæ eſt ſubtilium & ſpirituoſarum ſanguinis portionum accenſio, vel effervescentia. Jung. Sylv. *l.* 1. *P. M. c.* 28. Fr. Piens *de febr. part. ſpec. c.* 1. Quod vero Helmont. ſcripſit, *Ephemeram* ſedere in ſtomachi cavo, & plerunque ex vitiato cibo oriri, propterea etiam à vomitu, vel peracta digeſtione ſponte ceſſare, particulariter ſaltem verum eſt. *Tr. de febrib. c.* 9. §. 23. Richart. Morton. *in Pyretologia Exercit. I. c.* 2. cauſſam conſtituit harum febrium ſpiritus animales agitatos & nimium motos, qui tamen potius videntur eſſe productum accenſi vel effervescentis ſanguinis ſpiritu ſi, qui ſpiritus animales in cerebro commovet & exagitat.

EPHESIS, ἔφεσις, ſignificat *provocationem in jus*, vel ad litem. Applicatur vero non inepte deſiderio laſcivo fœminarum, dum viri congreſſum anxie deſiderant & ad Venerem quaſi provocant. Moſchion *de morb. mul. c.* 128. 138.

EPHESTIAS, ἐφεστιάς, nomen *Emplaſtri* egregie *reſiccantis*, quod & μάγνος alio nomine dicitur. Ejus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 10. inter remedia Hydropicorum. Gorr. *p.* 161.

EPHIALTES, ἐφιάλτης, Latine *Incubus*, vel *Incubo*, Gr. etiam ἐπιβολὴ καὶ πνιγαλίων, eſt nocturna corporis oppreſſio, & quædam quaſi ſuffocatio, cum quis ab initio ſomni ſupinus jacens, grandi ſe mole opprimi, atque ab alio invadi imaginatur, cum difficili reſpiratione, immobilitate ac voce præpedita prope ſuffocari æger videatur. Forte ex veteribus quidam Dæmonem, alii Cupidinem, alii incubantem vetulam, aut externam quandam vim, quæ quieſcentes invaderet, & pondere oppreſſos gravaret, eſſe voluerunt, quamvis tota mali cauſa intra corpus eſſet. Vid. Rhod. *ad Scrib. n.* 100. Ea autem cauſſa nulla eſt alia, quam materies quædam vaporoſa incongrua ſpiritibus animalibus, præſertim in cerebello, ſtuporem aliquem inducens, ut mox à functionum ſuarum ſenſitivarum & locomotivæ muniis paululum ceſſent. Hinc una cum Corde Pulmones, Diaphragma, & Thoracis muſculi impediuntur & quaſi conſtringuntur, quemadmodum egregie modum generationis *Incubi* deſcripſit Th. Willis *An. Brut. P.* 2. *c.* 6. Hinc noſtro judicio *Incubus* potius ad morbos pectoris vel medii ventris, quam ad capitis morbos referendus eſſet.

EPHIDROSIS, ἐφίδρωσις, ambiguæ ſignificationis eſt vocabulum apud Hipp. monente Galeno aliquoties *in comm. ad Prorrh.* v. g. *com.* 1. *t.* 7. *c.* 2. *t.* 7. & 60. *c.* 3. *t.* 33. Plerumque tamen *Sudatiunculam* tenuem ſignificat inutilem & malæ notæ. Nihilominus aliquando etiam uſurpatur de ſudore bono & critico, *c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 17. *Coac. t.* 36. & 136. A. Th. Williſio accipitur generaliter pro omni *Sudatione* vel *Sudore*, *Pharm. Rat. Part.* I. *ſ.* 5. *c.* 1. *ſeqq.* Vide *Hidros.*

EPHIPPIUM, ἐφίππιον, hujus vocabuli propria ſignificatio non eſt hujus loci, ex aliis Lexicis jam nota. Per comparationem tributum hoc nomen oſſi *ſphænoideo*, ſive *cuneiformi*, ob quatuor parvos proceſſus formam *ephippii*, ſive ſellæ, quæ equo imponitur, repræſentantes; Sinus glandulam pituitariam excipit. Barthol. *Anat. libell. IV. c.* 8. *p. m.* 718.

EPHISTAMÆ, ἐφιστάμενα, ſignificat *innato*, & dicitur de materia urinæ innatante, Hipp. 7. *aph.* 34. Diet. *n.* 366.

EPHODOS, ἔφοδος, triplicem habet ſignificationem apud Hippocr. (1) ſignificat vias & meatus, per quos corporis recrementa deponuntur, *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 34. & *ſ.* 5. *t.* 2. (quamvis alii textum hunc aliter explicent per aggreſſiones naturæ. Verum ex ſubſeqq. verbis patet, de *viis* & meatibus *excretoriis* ſermonem eſſe.) (2) *invaſionem* notat *hoſtilem* & incurſum, vel inſultum, 3. *Progn. t.* 3. (3) ἔφοδοι Hipp. ſæpe dicuntur rerum ſimilium, vel diſſimilium *acceſſiones*, quæ corporis temperaturam juvant, vel lædunt, 1. *de diæt. XXIV.* 11. *XXV.* 5. 7 Foëſ. *p.* 256.

EPIALOS, ἠπίαλος, eſt epitheton febris cujuſdam, in qua ſimul ægri febricitant, & rigore corripiuntur, uti deſcribit Gal. *l.* 2. *de diff. febr. c.* 6. Dici poſſet *febris algida*, aut *cum tremore*, ab antiquis Latinis *Quercera* dicta. Eſt vero lenta & mitis febris, cujus meminit Hippocr. *l. de A. L. & Aq. IV.* 7. *l. de ſuperfœt. XXIX.* 3. *l.* 4. *Epid. X.* 9. De genere Quotidianarum eſſe videtur, unde veteres à pituita vitrea & acida deduxerunt. Verum cauſſa ejus vera ex cauſſa febris *Quotidianæ* potius deducenda, de qua vide Willis *de feb. c.* 5. & Piens *part. ſpec. de febr. c.* 10. Vide *Quotidiana*. Ab hoc eſt ἠπιαλώδης πυρετὸς febris, in qua rigor & cremor concurrunt juxta Erotianum in Ηπιαλώδης πυρετός.

EPIALTES, ἐπιάλτης, idem, quod *Ephialtes*, i. e. *Incubus*. Vide *Ephialtes*.

EPIBEBLEMENOS, ἐπιβεβλημένος, dicitur Hipp. veſtimentis, vel ſtragulis tectus, aut *amiculo opertus*, *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 14.

EPIBROCHE, ἐπιβροχή. Vide *Embregma*.

EPICÆROS, ἐπίκαιρος, vel ſignificat *opportunus*, tempeſtivus, Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 12. *l.* 3. *ſ.* 3. *t.* 29. & *l.* 1. *de R. V. I. A. t.* 2. & 24. Vel idem eſt, quod *inſignis*, magnus, notabilis, & uſurpatur de morbis & membris corporis, Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 51. *l.* 2. *de fract. t.* 17. 22. & *ſ.* 3. *t.* 47. 63. *l.* 3. *de artic. t.* 59. 108. Vel etiam notat *periculoſum* valde & inſignem habens malignitatem, *l. de virgin. morb. II.* 18. & *l.* 1. *Epid. ægr.* 8. Vide Foëſ. *p.* 227.

EPICANTHIDES, ἐπικανθίδες, dicuntur *ambo oculorum anguli*, alias κανθοὶ dicti. Gorr. *p.* 149.

EPICAR, ἐπίκαρ, i. e. *ad partem inferiorem*. Opponitur τῷ ἀνάκαρ. Vide ſupra *Anacar*.

EPICARPIUM, ἐπικάρπιον, dicitur medicamentum regioni pulſus in carpis manuum applicandum, qualia ſunt Emplaſtra, vel Unguenta antifebrilia, item Confortativa, ut Sacculi pro pulſibus &c. Aliis *Pericarpia* dicuntur. Vide *ſuo loco*.

EPICAUMA, ἐπίκαυμα, eſt velut ex igne facta cru-

ſtoſa

ſtoſa *exulceratio*, quæ oculi nigro accidit. *Inuſtio* Lat. dici poſſet. Galen. *defin. Med.* Vide *Encauma*. Jung. Foreſt. *l. XI. obſ.* 17. *Schol.*

EPICERASTICOS, ἐπικεραστικὸς, dicitur & κατακεραστικὸς epitheton medicamentorum, quæ vim habent temperandi & obtundendi malignitatem vel morſum, i. e. ichoreſcentiam ſalinam corroſivam & ulceroſam humorum in aliqua parte contentorum; veluti uva paſſa mordentes in ventriculo humores obtundit. Galen. *l.* 1. *de Al. fac. cap.* 2. vide & *l.* 2. *de Simpl. fac. c.* 12. ubi & ἐπικεραννύντα dicuntur. Videatur & Pet. Morell. *de Materia medica p. m.* 342. *edit. Ger. Blaſii.*

EPICEROS, ἐπίκερος. Vide *Hypoceros.*

EPICHÆRECACIA, ἐπιχαιρεκακία, *malevolentia*, quando quis alterius malis oblectatur. Refertur inter cauſſas morbificas à Rolf. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 107.

EPICHEIRON, *Epicheirion*, ἐπίχειρον, ἐπιχείριον, idem, quod σῶστρον, ſive præmium, quod Medico, vel Chirurgo ſolvitur pro opera & ſtudio Hipp. *in præcept. II.* 9. à verbo ἐπιχειρέω & ἐπιχειρίζομαι, manum admoveo alicui negotio. Hipp. *l.* 5. *Epid. X.* 18.

EPICHLIÆNOMÆ, ἐπιχλιαίνομαι, ſubinde caleſco, *intepeſco*, ſignificat, & quidem plerumque præternaturaliter ap. Hipp. *Coac. t.*621. *l.*4.*Ep.XIX.*6.*l.*2.*ſ.*2.*n.*19.*l.*6.*ſ.*7.*t.*2.

EPICHNUS, ἐπίχνους, ſignificat ſordes, vel *lanugi-noſam concretionem*, & metaphorice aliquoties tribuitur oculis ſqualidis, & obtenebratis, Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 17. *Coac. t.* 561.

EPICHOLOS, ἐπίχολος, i.e. *bilioſus*, dicitur de corpore, Hipp. *l.* 5. *Epid. XI.* 14. *XIII.* 6. Idem quod *Cholericus.*

EPICHORDIS, ἐπιχορδὶς, dicitur *Meſenterium* Aretæo *l.* 2. *de cauſſ. & ſin. ac. morb. c.* 6. citante Foëſ. *p.* 235. Ita vero vocatur, quia ſupra chordas, i.e. inteſtina ſitum eſt.

EPICHORIOS, ἐπιχώριος, idem ſignificat, quod ἐπιδήμιος. Vide *Epidemius*, quamvis etiam ſumatur pro ἐγχώριος ſive *Endemio* de Scorbuto apud Suidam *l.* 6. *Geograph.* Vid. *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec.I. Ann.II. Obſ.*284.

EPICINDYNOS, ἐπικίνδυνος, *valde periculoſus*. Hipp. 4. *aph.* 43. Vid. Dieter. *n.* 317. Opponitur τῷ ἀσφαλὴς, ſecurus, item ἀκίνδυνος. *Ibid.*

EPICOELIS, ἐπικοιλὶς, *Cilium* ſignificat, uti interpretatur Gaza, quo nomine veteres extremum ambitum genæ ſuperioris deſignarunt. Gorr. *p.* 140.

EPICOEMASIS, ἐπικοίμασις, *decubitum ad dormiendum*, & ipſam dormitionem ſignificat, à verbo ἐπικοιμάομαι, 5. *aph.* 27. Jung. Dieter. *n.* 316. Legitur & hoc vocab. 2. *de artic. t.*50. Sed quomodo verſio Latina quadret, *vellicationem* aut ſcalpturam reddens, non video. An cum Cornario legendum ἐπίκνησις?

EPICOLICA dicitur Gliſſonio ea corporis pars, quæ colo inteſtino accumbit, notante Blancardo *in Lexic.*

EPICOPHOSIS, ἐπικώφωσις, idem, quod κώφωσις, *ſurditas*. Vide *Cophoſis*, quamvis ſtricte *ſurditatem* potius alii morbo ſupervenientem ſignificare videatur. Legitur apud Hipp. 1. *Prorrh. ſect.* 3. *t.* 49.

EPICRASIS, ἐπίκρασις, proprie *contemperationem* ſignificat. In Medicina vero ita dicitur *curationis ratio per vices* inſtituta, quæ opponitur ei, qua confertim & in totum cauſſa morbifica removetur. Gal. *l.*9. *meth. med. c.* 10. Neque vero neceſſe eſt ſemper evacuationem intelligi: ſed & per ἐπίκρασιν curatio perfici poteſt ſucceſſive & per vices alterando, mitigando, ad excretionem diſponendo vitioſos humores, permiſſa ſoli naturæ evacuatione, quæ eorum partem vel convertat in alimentum ſanguinis, vel per alvum, urinas, ſudorem, aut aliter expurget. Caſtell.

EPICRATEIA, ἐπικράτεια, ſignificat *exſuperantiam*, quæ duplex eſt: alia materialis, alia virtualis, vel qualitativa. Gal. *l.* 3. *de S. Fac. c.* 16.

EPICRATETICUS, ἐπικρατητικὸς, apud Galen. ſtricte dicitur de facultate coërcendi, aut retinendi alvum, quæ tribuitur juri gallinarum, & opponitur τῷ ὑπακτικῷ, ſubducendi virtuti, *l.* 11. *de S. Fac.*

EPICRATIS, ἐπικρατὶς, apud Hipp. ſignificat *ſudarium*, ſive linteum ad detergendos ſudores, item ex tenui ſtamine paratum capitis tegumentum & involucrum. Hipp. *in Præcept. IX.* 14.

EPICRISIS, ἐπίκρισις, id eſt, *Adjudicatio*, Gal. *ad Thraſyb. c.* 6. Quæ mutua inter ſe dependentia connectuntur, per appellatam ἐπίκρασιν, à Græcis, id eſt, *adjudicationem*, judicanda ſunt.

EPICRUSIS, ἐπίκρουσις, certa quædam dicitur *percuſſio*, qua mangones puerorum tanquam præſidio ſuccurrunt iis, quibus à natali die gracilia ſunt membra. Gal. *l.* 14. *Meth. med. c.* 16.

EPICTENION, ἐπικτένιον, locus eſt imi ventris ſupra pectinem, unde & ἐπίσειον, & *Pubes* alias dicitur, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXVI.* 3. Significat & *lanuginem* in lanificio pectini inſidentem, & Galenus notat *exegeſi Hipp.* quam inſubditio medicamento exhibet, Hipp. *ibid. C.* 10. *CXX.* 8. Jung. Foëſ. *p.* 228.

EPICYEMA, *Epicyeſis*, ἐπικύημα, ἐπικύησις, *Superfœtatio*, *Superimprægnatio*, eſtque ſecundus fœtus conceptus gravida jam exiſtente muliere, id quod fit, cum fœtu jam concepto non clauditur exacte uterus, ſed ſemen aliud, vel potius ovulum, etiam poſtea intro admittit, *lib. de ſuperfœtat.* Tempore partus rem non carere periculo, experientia nos quoque docuit. Aliquando & mola carnea cum fœtu conjuncta ἐπικύημα vocatur. *lib.* 5. *Epid. V.* 14. Jung. Diet. *Iat. p.* 875. *ſeqq.*

EPIDEIPNON, ἐπίδειπνον. Vide *Poſtcœnium.*

EPIDELOS, ἐπίδηλος, ſignificat *conſpicuus*, evidens, & dicitur vel de homine, qui ſenſu increſcere deprehenditur, ut primo, ſecundo, tertio & quarto ſeptenario &c. Hipp. *l. de Carnibus XIII.* 13. Vel uſurpatur de diebus futuram criſin manifeſtantibus, qui latine *Indices*, vel *indicativi* vocantur, 2. *aph.*24. Vid. Diet. *n.*314.

EPIDEMIOS, *Epidemos*, ἐπιδήμιος, ἐπίδημος, eſt epitheton morborum ex genere communium, id eſt *populariter graſſans*, à communi, ſed tamen inſolita &

minus familiari, cauſſa ortus. Cauſſa vero illorum non ſemper eſt aëris vitium malignum & venenatum, ſive peſtilens, ſed interdum etiam ſaltem conſtans & diu perdurans anni temporum intemperies & dyſcraſia, humores & ſpiritus ad communem vitioſitatem diſponens; quemadmodum patet ex hiſtoriis febrium *Epidemicarum* apud Willis *cap.* 17. Qui ab illa cauſa proveniunt, ſunt vere *Contagioſi*, *Peſtilentes*, hi non item, quamvis recte dicantur *Maligni*. Epitheton hoc poſtea ipſis remediis contra peſtem & morbos peſtilentes addi cepit; hinc legitur Aqua *Epidemia* Londinenſis in D. David. de Spina *Manuali Pharm. Chym. p.* 59. quamvis *in ipſo Diſpenſatorio Londinenſi* 1680. *edito* non extet.

EPIDERIS, ἐπιδερὶς, ſic dicitur aliquibus in pudendo muliebri adnata caruncula, quæ aliis *Nympha*, aut *Clitoris* vocatur. Gorr. *ex Polluce p.* 145. Rolf. *de Part. generat. Part.* 2. *c.* 42.

EPIDERMIS, ἐπιδερμὶς. Vide *Cuticula.*

EPIDESIS, ἐπίδεσις, genus ligationis eſt ad ſanguinis profluvium fluentibus vaſis injectæ, quanquam ipſum vas circulo non complectatur, ſicut vinculum; Verum cum ex parte ſuo complexu committat quodammodo vulnerati membri labra diſſidentia, &, quæ ſuperimpoſita ſunt, contineat, merito inter claudentia remedia numeratur, ex Gal. *l.* 5. *meth. med. cap.* 3. Verum non video, quid obſtet, quo minus omnis *deligatio* in genere ἐπίδεσις vocari poſſit. Vide *Deligatio.*

EPIDESMOS, ἐπίδεσμος, dicitur faſcia, quæ plagulis aut ſpleniis ſuperinducitur & ſuperligatur. Latine *ſuperfaſciatio*, *ſuperligamen*, Hippocr. 3. *de iis*, *quæ in med. t.* 6. Huic opponitur ὑπόδεσμις, de quo *ſuo loco.*

EPIDIDYMIS, ἐπιδιδυμὶς, ita dicitur appendix & parvus quidam veluti teſticulis, teſtis capiti ſuperimpoſitus, cujus hiſtoriam & uſum vide apud Anatomicos, præſertim Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 22. 23. Inepte vertitur *Supergeminalis.* C. Hofmann. *in Comm. ad Gal. de V. P. n.* 1016.

EPIDORPION, ἐπιδόρπιον, dicitur *menſa ſecunda*, ubi bellaria, quæ etiam hoc nomine venire ſolent, apponuntur. Lang. *l.* 2. *ep.* 51.

EPIDOSIS, ἐπίδοσις, *Additamentum*, vel incrementum ſignificat, à verbo ἐπιδίδωμι, *augeor*, increſco. Utrumque & de corporis naturali incremento, & de morborum augmento ſumi poteſt. Idem ergo eſt, quod *augmentum*, vel *augmentatio.* Hipp. *l.* 2. *aph.* 31. 32. *l.* 5. *Epid. XIII.* 8. *l.* 6. *ſ.* 4. *t.* 26. Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 3. *& l. de Morb. tempor. c.* 2. Jung. Foëſ. *p.*225. Dieter. *n.*315. Linden. *Ex. XV.* §.91. Eſt ſpecies ſecunda temporum morbi particularium, ſecundum Galen. *de opt. ſect. c.* 37.

EPIDROME, ἐπιδρομὴ, *accurſionem*, affluxumve humorum ſignificat. Galenus exponit per ἐπιῤῥοὴν, 3. *de iis*, *quæ in med t.* 31.

EPIEICES, ἐπιεικὴς, ſignificat *æquus*, moderatus, *lenis.* Frequenti in uſu apud Hippocr. præſertim etiam adverbium ἐπιεικέως. Tribuuntur vero vel hominibus, Gal. *c.* 3. *in Prorrh. t.* 67. vel morbis & ſymptomatibus morbos comitantibus, & leniter ſeſe habentibus. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 12. *Coac. t.*143.209.255.374.*l.*5. *Epid. XV.*2. *XXIIX.* 3. & alibi ſæpius. Lind. *Ex. VII.* § 5. Vide Foëſ. *p.* 226. Subſtantivum quoque ἐπιείκεια, *æquitatem*, moderationem & lenitatem ſignificat, 3. *de fract. t.* 34. Tropice notat probabilitatem, veroſimilitudinem.

EPIGASTRION, ἐπιγάστριον. Vide *Abdomen.* Barthol. *l.* 1. *Anat. in princ. Epigaſtricam Venam* & *Arteriam* deſcriptas vide in Anatomicorum monumentis.

EPIGEIOS, ἐπίγειος, *terreſtris* terræ propior, humilis. De plantis dicitur *humilibus*, Galen. *l.* 4. *de S. F. c.* 15.

EPIGENNEMA, *Epigeneſis*, ἐπιγέννημα, ἐπιγένεσις, *Superveniens*, accidens priori accedens, ab ἐπιγίνομαι, *ſupervenio*, accedo. Dicitur de omni re præternaturali, quæ manente priori ſupervenit, ſive morbus novus fuerit, ſive ſymptoma. Cauſa quoque morbifica propagata dicitur κατ᾽ ἐπιγένεσιν. Differt à μεταπτώσει, quod in hac prior focus morbidus ceſſet & alius fiat. Legitur ſubſtantivum apud Hipp. *Coac. t.* 230. Verbum vero ἐπιγίνομαι frequentius occurrit. Unde & ſymptomata, ceu ſigna, quæ non ſtatim à principio morbi adſunt, dicuntur ἐπιγινόμενα, accedentia, *ſupervenientia*, 6. *aph.* 35. *& alibi.* Vid. Galen. *in comm.* Foëſ. *p.* 224. Dieter. *n.* 312. Rolf. *O. ac M. M. Sp. lib.* 2. *ſ.* 3. *c.* 5. *& l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 48. Linden. *Ex. VI.* §. 22. *ſeqq. VII.* §. 12. 14. *XII.* §. 125. Ἐπιγένεσις etiam Latinitati donatum uſurpatur de modo formationis fœtus & animalium, qui fit per additionem partis poſt partem, quemadmodum patet ex Harveji *de gener. animal. Exerc.* 45.

EPIGLOTTIS, ἐπιγλωττὶς, id eſt, *Superlingula*, eſt membrana cartilaginoſa, rotunditatis oblongæ, in interiori gutturis parte collocata, Gal. *l.* 1. *de Loc. aff. cap.* 1. vel eſt laryngis quinta cartilago, quæ rimam *Glottis* dictam ex junctura duarum Arytænoidearum obortam tegit & claudit, ne ex cibo & potu aliquid in aſperam arteriam decidat, ſed clauſa in gulam abeat; quamvis Bartholinus exiſtimet, aliquid de liquidis in tracheam tranſire, *l.* 2. *Anat. c.* 11. Legitur apud Hipp. *lib. de Corde*, *II.* 1. Vide & Lang. *l.* 2. *ep.* 44.

EPIGLOTTUM, Paracelſo dicitur inſtrumentum argenteum ſimile ferreo inſtrumento, quo utuntur calcearii, & adhibetur ad palpebras ſurſum tollendas, poniturque ſubtus ſupercilia, & pili diriguntur. *Scholio in libr.* 6. *Paragraphor. de Lepra.*

EPIGLUTIS, ἐπιγλουτὶς, dicitur *femoris & natis pars exterior*, quemadmodum pars ſub natibus ad femur depreſſa ὑπογλουτὶς vocatur. Gorr. *ex Ariſt. l.* 1. *Hiſt. an. c.* 14. vid. *p.* 145.

EPIGONATIS, *Epigonis*, ἐπιγονατὶς, ἐπιγονὶς, & ἐπιγουνὶς, dicitur μύλη, *Mola*, ſive *Patella genu*, eſtque os cartilaginoſum, latum, rotundum, intus læve, & cavum, toti genu ſuprapoſitum. Duabus conſtat ſubſtantiis, oſſea interiora, altera cartilaginea exteriori. Ad latera

aſperum

aſperum eſt, quo commodius tendines tibiam extendentes aptarentur. De hac vide Anatomicos, & in ſpecie Barthol. *libell.*4. *Anat. c.* 21. Legitur apud Hipp. *l. de ven. XXIV.* 3. *XXV.* 2. An *Patella* frangi poſſit, fruſtra in dubium vocatur, ſiquidem D. Fr. Ruyſchius *in Centur. Obſervat Anatomico-Chirurgic. Obſ. III.* exemplum notatu dignum propoſuit, ſimul docens, patellam aliter eſſe conſtitutam in corporibus vivis, aliter in ſceletis, nimirum in his per exſiccationem ita indurantur, ut difficile ſit eas frangere; in illis ſunt extrinſece duriori lamina ſolum obductæ, intus vero ſubſtantia oſſeo-ſpongioſa præditæ.

EPIGONON, ἐπίγονον, Hipp. idem eſt, quod ἐπικύημα, *ſuperfœtatio*, *l.* 1. *de diæt. XXIV.* 1. Gorr. *d. l.*

EPILABE, ἐπιλαβὴ, ita dicitur *apprehenſio*, anſa, & locus, qui prehendi poſſit, quique injectum vinculum firmat & retinet, eminentiam aliquam habet, quæ injectis laqueis moræ ſit, ut inhæreant, nec elabantur. Hipp. 3. *de artic. t.* 50. Jung. Foëſ. *p.* 228. à verbo ἐπιλαμβάνω, *apprehendo.*

EPILAMPSIS, ἐπίλαμψις. *Effulgeſcentia.* Vide *Eclampſis.*

EPILATHERA, eſt particularis Anatomia. *Epilathera* ad hunc modum debet conſiderari, quod in omnium minutiſſima gutta quoque Anatomia Microcoſmi conſtet. Quilibet enim Spagyricus gradus virtutis ſuæ tinctura eſt. Et cuilibet Medico intelligendum venit, in unaquaque gutta, quotquot etiam ſunt, tot etiam integras eſſe Anatomias, ut in Microcoſmis & in Elementatis. Ita Iohnſonus explicavit hunc terminum. Unde vero excerpſerit has ſubtilitates, reperire non potui. Rulandus plane non habet.

EPILEMPSIS, ἐπίληψις, idem, quod *Epilepſia.* Legitur apud Hipp. *Coac. t.* 599. ex mente Foëſ. *p.* 228. quamvis Linden. ἐπίληψιν legerit, quod etiam veroſimilius, & magis congruum. Vide *Epilepſia.*

EPILENTIA, Paracelſo dicitur quoque *Epilepſia*, *Def* 2.

EPILEPSIA, ἐπιληψία, ἐπίληψις, *Morbus Comitialis*, (vide *Comitia*) *Caducus*, *Herculeus*, *Sacer*, *Puerilis.* Vide Dieter. *n.* 319. Lang. *l.* 1. *Epiſt.* 25. Late etiam *Convulſionis*, σπασμὸς, nomine venit, (vide *Convulſio*) eſt primaria ſpecies morborum convulſivorum, poteſtque ex principiis recentiorum veris commode ita deſcribi, quod ſit varia & mixta actionum animalium læſio, imprimis vero motus animalis depravatus, interdum & abolitus, convulſivus, clonicus, vel totius corporis, vel quarundam ejus partium, cum aliis pluribus ſymptomatibus, ſtridore, ſpuma oris, clamore, compreſſione dentium, præſertim vero contractione pollicis, proveniens à ſpirituum animalium, ſive nervoſi liquoris, per auram malignam nitroſam, vel vitriolaceam exploſivam, vel congelativam irregulari commotione, expanſione, agitatione, præſertim in appendice cerebri medullari & nervorum principio facta, ex hypotheſibus Th. Willis, *de morb. convulſ. c.* 2. & 3. Paracelſus refert inter *morbos Caducos*, quorum ſex numerat, Theriacæ morbor. *Tab. V.* cujus cauſſam ſtatuit Mercurium, vel potius fumum Mercurii, *Scholion ad l.* 3. *Paragraphor. c.* 2. §. 3. Helmontius ab Archeo furioſo deducit, *tr. de Ideis morboſ. n.* 34. & virus vocat inebrians, ſoporiferum, & quodammodo furioſum, quod primitus circa ventriculum eluceſcit, *tr. de morb. Archeal. n.* 17. *Epilepſiæ* per conſenſum ab aura adſcendente exemplum evidens vide *in Ephem. Nat. Cur. Ann. III. Obſerv.*336. ut & in tract. Galeni *de puero Epileptico.* De *Epilepſiæ* cauſſa fuiſſe votum Cratonis: Utinam ante finem vitæ ſuæ exitum aliquis oſtendat? teſtatur D. Hofm. *Com. ad Gal. de V. P. n.* 597. Qui hoc morbo laborant, vocantur ἐπιληπτικοὶ, Hippocr. 2. *aph.* 45. & ſymptomata convulſiva τὰ ἐπιληπτικὰ, 5. *aph.* 7. *Coac. t.* 522.

EPILESMON, ἐπιλήσμων, *oblivioſum* ſignificat, cui memoria debilitata eſt ex ſpirituum animalium impedita actuatione. Legitur apud Hipp. *Coac. t.* 161.

EPILOGISMUS, ἐπιλογισμὸς, communis eſt quædam ratio, & omnium aſſenſu comprobata. Vide *Analogiſmus.*

EPIMELES, ἐπιμελὴς, *ſollicitus*, curioſus. In ſpecie uſurpatur de eo, cui victus ratio curæ eſt, 2. *Prorr. XV.*8.

EPIMORIOS, ἐπιμόριος, *ſuperpartialis*, epitheton differentiæ pulſuum, reſpectu numeri ad numerum, cum, quot eſt diſtentio ſive diaſtole temporum, totidem eſt ſyſtole, ſive concidentia, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 9.

EPIMYLIS, ἐπιμυλὶς, idem, quod μύλη, ἐπιγονατὶς, *Mola*, *Patella genu.* Vide *Epigonatis.* Junge Foëſ. *p.*229.

EPINEMESIS, ἐπινέμησις, ἢ ἐπινέμωσις, *adminiſtrationem*, aut diſtributionem ſignificat; qualis Medico neceſſaria propter ſubjectorum varietatem, ut ſciat addere, vel adimere, prout circumſtantiæ exigunt. Hipp. *in præcept. VI.* 29.

EPINENEUCOS, ἐπινενευκὼς, id eſt, *annuens*, vel innuens. Eſt epitheton pulſus inæqualis in una pulſatione & diverſis arteriæ partibus, quoties pulſus magnus circa duos Medici digitos medios ſentitur, minor autem ſub extremis, Gorr. *p.*151. ex Galen. *in Iſag. pulſ.* Dicitur & περινενευκὼς, *circumnuens*, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ c.* 20. Hecticis familiaris, *l.* 14. *de cauſſ. pulſ. c.* 10.

EPINEPHELOS, ἐπινέφελος, nubeculam offerens, *nubiloſus.* Dicitur de urinæ ſedimento nubeculam repræſentante, Hipp. 4.*aph.*71.*Coac.t.*575.*l.*3.*Epid. ægr.*1. & 3. Uſurpatur etiam de Autumno *nubiloſo*, *l.* 3. *Epid. ſ.*3.*t.*3.

EPINOEMA, ἐπινόημα, *commentum*, inventum ſignificat, hoc ſeculo in Medicina frequens. Legitur vero apud Hippocr. de ſcala quadam, in qua perverſa ſpina reducebatur, 3. *de artic. t.* 20.

EPINOTION, ἐπινώτιον, idem, quod ὠμοπλάτη, *Scapula*, Gorr. *p.* 152.

EPINYCTIS, ἐπινυκτὶς, *puſtulam nocturnam* ſignificat. Eſt ſpecies exanthematis, ἐξανθήματος. Vide *Exanthema* Plinio dicitur *Puſtula livens & noctibus inquietans*, Hinc enim nomen ſumit, vel quod noctu oriatur,

tur, vel quod infeſtet, magnumque dolorem moveat. Cauſſa eadem, quæ aliarum ſolutionum continui ſuperficialium, ſive exulcerationum cutanearum, ſcil. portiones ſubtiliores ſalinæ, vel ſeri ſanguinei, vel ſucci nutritii lymphatici.

EPIOS, ἤπιος, id eſt, *mitis*, lenis. Uſurpatur de febribus benignioribus, ab Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXIIX.* 7. *l.* 7. *Ep. I.* 6. 14.

EPIPAROXYNESTHÆ, ἐπιπαροξύνεσθαι, i. e. *ſuperexacerbari*, acceſſionem morbi repetere, ingraveſcere, veluti reduplicare. Dicitur de febribus, quarum paroxyſmi plures habent inſultus ac veluti reduplicationes, uti in Semitertiana, quæ tertio die duplicatam habet acceſſionem cum quotidiana continua & ἀναδίπλωσις quaſdam. Provenit hoc à materiæ febrilis heterogenea turgeſcentia, Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 23. Eſt & ἐπιπαροξύνεσθαι, *irritari*, & de abſceſſibus ſub aure abortis dicitur, 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 70. Finxiſſe hinc videtur propria autoritate Blancard. nomen *Epiparoxyſmus*, in alio enim ſcriptore Medico vix occurret.

EPIPASTOS, ἐπιπαστὸς, idem, quod καταπαστὸς. Vide *Catapaſma*. Gorr. ἐπίπαστα quoque olim vocabantur medicamenta, quæ vulneribus ſanandis apponuntur, Lind. *Ex. XIII.* §. 323.

EPIPECHY, ἐπίπηχυ, dicitur *pars cubiti ſuperior*, ſicut ἀγκὼν, inferior, de quo vide ſupra. Vide *Agoſtus.* Gorræus *p.* 152.

EPIPEPHYCOS, ἐπιπεφυκὼς, *Adnatus.* Vide *Adnata tunica.*

EPIPHÆNOMENOS, ἐπιφαινόμενος, dicitur de iis ſymptomatibus, quæ poſt morbum præſentem apparent, nec una cum morbo ſtatim ſunt præſentia. Hipp. 1. *aph.* 12. An aliqua differentia ſit τῶν ἐπιφαινομένων, ab ἐπιγινομένοις, uti vult Linden. *Ex. XII.* §. 125. valde dubito. C. Hofm. vocat νεωτερισμὸν, novationem vanam, *Inſtit. libr.* 4. *c.* 28. §. 18. Vide *Epigennema*, Dieter. *n.* 312. 331.

EPIPHANIA, ἐπιφάνεια, ſignificat habitum corporis exteriorem, ſummam corporis. Uſus eſt Theon Medicus *l.* 4. *de particul. exercitiis*, teſte Gal. *l.* 3. *de tuend. ſan. c.* 8. Vide *Superficies.*

EPIPHLEBOS, ἐπίφλεβος, dicitur, cui venæ ſunt amplæ & prominentes, quales ſunt gracilioris & calidioris temperamenti, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 25. Aretæus *l.* 2. *de cur. morb. ac. c.* 2.

EPIPHLOGISMA, ἐπιφλόγισμα, *Deflagratio*, incendium ſuperveniens, ſive ardor, vel fervor alicujus partis, veluti à flamma obortus, propter exuberantem humorum, præſertim ſanguinis, caliditatem. Hippocr. 5. *aph.* 2. Jung. Dieter. *n.* 332.

EPIPHOITEOS, ἐπιφοιτητός, *accedens*, ſuperveniens. De dolore legitur *Coac. t.* 332.

EPIPHORA, ἐπιφορὰ, generaliter omnem *impetum humorum*, imprimis ſanguinis, inflammatorium in totum corpus, vel aliquam partem ſignificat, ab ἐπιφέρεσθαι, cum impetu ferri, Scrib. Larg. *n.* 243. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.* Specialiter vero influxum humoris in oculos inflammatorium denotat, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *& l. Introduct. c.* 15. Dieter. *n.* 891.

EPIPHOROS, ἐπίφορος, dicitur fœmina *Gravida*, ſive utero gerens, aut vicina partui; aut juxta alios ſumitur de illa, quæ facile concipit. Legitur apud Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 11. (vide Gal. *in comm.*) *Coac. t.* 514. 517. 519. 523. 537. Jung. Holler. 2. *in comm. ad hæc loca p.* 1010. & 1017. Ionſton. *in Not. ad d. t.*

EPIPHYSIS, ἐπίφυσις, i. e. *Appendix*, eſt oſſi quid adnatum, non continuum, ſed contiguum, veluti accretio ab ἀπόφυσει, quæ proceſſus eſt oſſis continuus, ſeu ejus continua portio, Hipp. 2. *de fract. t.* 35. Vide Gorr. *p.* 153. & Foëſ. Barthol. *libell.* 4. *c.* 1. *fin.* Ἐπιφύσεις quoque dicuntur prominentiæ palpebris adnatæ ex craſſioribus quibuſdam humoribus excrementitiis obortæ, *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 48.

EPIPIGMA, quod & *Epipoma*, ἐπίπωμα, dicitur, eſt inſtrumentum ligneum, figuram habens literæ Π. & inverſi Π. uſurpatum ad prolapſum humeri caput reponendum, Oribaſ. *de machinam. c.* 4.

EPIPLASMA, ἐπίπλασμα, in genere idem eſt, quod *Cataplaſma*. Specialiter dicitur de farina triticea in hydrelæo decocta, & vulneribus impoſita apud Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 2. *in princ.*

EPIPLEROSIS, ἐπιπλήρωσις, *ſuperimpletio* ex opinione Eraſiſtrati dicebatur, quando arteriæ in dilatatione replebantur ſpiritu à corde immiſſo, Gal. *l.* 4. *de diff. pul. c.* 6. & 17.

EPIPLEXIS, ἐπίπληξις, *increpatio*, objurgatio Medico quandoque neceſſaria, Hipp. *l. de dec. orn. IX.* 16. & verbum ἐπιπλήσσω, *increpo. XI.* 18.

EPIPLOCE, ἐπιπλοκὴ, idem, quod συμπλοκὴ. Vide *Complexio.*

EPIPLOCELE, ἐπιπλοκήλη, eſt ſpecies *Herniæ*, quando *Omentum* prolabitur in tunicas & cavitatem ſcroti. Galen. *de diff. morb. cap.* 10. Eſtque morbus in ſitu.

EPIPLOOCOMISTES, ἐπιπλοοκομιστὴς, epitheton hominis, qui præ brutis maximum habet omentum. Quamvis hoc impugnaverit Veſalius, ſcribens, quod omnia fere quadrupeda majori omento ſupra inteſtina explicato undique donata ſint, quam homines, & ita de hominibus extraordinario & quodammodo præternaturali omenti augmento præditis expoſuerit. Lat. *Omenti geſtatores* reddens, *l.* 5. *de H. C. F. c.* 4. Vel etiam ita dicitur, qui hernia laborat omenti *Epiplocele* dicta, Gal. *l.* 6. *Adm. Anat. c.* 5.

EPIPLOOMPHALON, ἐπιπλοόμφαλον, eſt *Hernia umbilicalis*, orta à prolapſu omenti in umbilicum per violentiam continuum ſolventem excitata, Gal. *in defin.*

EPIPLOON, *Epiplun*, ἐπίπλοον, ἐπίπλουν, *Omentum*, quaſi Operimentum, aliis *Rete*, *Reticulum*, *Zirbus*, eſt pars membranoſa duplicata, veluti ex duplici peritoneo & adipoſa ſubſtantia conſtans, arteriis veniſque & paucis

paucis nervulis intertexta, inteſtinis veluti innatando incumbens. Ejus hiſtoriam vide in Anatomicis, præſertim Barthol. *l.* 1. *c.* 8. Vocab. Græcum occurrit apud Hipp. 5. *aph.* 46. 6. *aph.* 58. *lib.* 1. *de morb. III.* 36. *Coac. t.* 502. *l. de nat. mul. XIX.* 5. *& alibi ſæpius.* Adde Diet. *n.* 322.

EPIPLOSCHEOCELE, ἐπιπλοσχεοκήλη, herniam omentalem in ſcroto ſignificat, quo vocabulo uſus eſt D. D. Chriſtoph. Maur. Hoffmannus *in Diſſertatione ſua Inaugurali hoc titulo.*

EPIPOLÆOS, ἐπιπόλαιος, levis, perfunctorius, *ſuperficiarius*, mitis. Dicitur de ſiti parva, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 23. Vide *Exercit. de Remor. purg. Diſp. V. t.* 2. de oſſe, quod minus profundum eſt, ſed in ſuperficie extat, *l. de cap. vuln. XXV.* 4. *XXIX.* 2. de febre miti, 2. *aph.* 28. Vide Dieter. *n.* 323.

EPIPOLASIS, ἐπιπόλασις, *redundantiam* humorum & fluctuationem ſignificat, Hippocr. *l. de hum. II.* 51. ubi opponitur κατάβασις, deſcenſus humorum. Deſcendit à verbo ἐπιπολάζω, *redundo*, fluctuo. Hippocr. 1. *de Nat. hum. t.* 22. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 67. *l.* 2. *de diæt. XXV.* 3. Apud Chymicos *Epipolaſis* eſt, cum ſublimatum ad ſuperficiem duntaxat aſcendit, eique inſidet. Et quidem primum e centro ad ſuperficiem eſſentiæ extrahuntur, ſed nonnunquam eadem operatio inſervit repurgationi. Duplex eſt: *Humida*, & *Sicca.* Illa dicitur, cum e re in humore excedente collocata ſublimatum enatat, emergitque uſque ad ſummum, ubi ſubſiſtens apparet. Itaque & *Sublimatio per Enatationem* ſeu *Emerſionem* appellari poteſt. Adjuvatur autem hæc levitatis naturalis inclinatione & diſſidio diverſarum, & procuratur non modo per calorem actualem, ſed & potentialem. *Epipolaſis ſicca* eſt, cum immediate ex reipſa ſublimatum efflореſcit, eique cohæret proxime in ſicco. Et peragitur modis variis, opera, caloris elevantis, & clauſuris apertis viam egreſſui laxantis. Hæc Rul. *in Lex.*

EPIPOMA, ἐπίπωμα. Vide *Epipigma.*

EPIPONOS, ἐπίπονος, ſignificat *laborioſus*, moleſtus, difficilis. Uſurpatur de excrementis difficulter prodeuntibus, Hipp. 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 15. *libr.* 2. *Epid. ſ.* 3. *n.* 51. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 24.

EPIPOROMA, ἐπιπώρωμα, dicitur *Callus*, vel tophus *in articulis* enatus & induratus, apud Hipp. *libr.* 2. *Prorrhet. XV.* 2. 7.

EPIPTYXIS, ἐπίπτυξις, *complicatio*, occluſio *labiorum*, C. Hofmann. *comm. in Gal. de V. P. n.* 1169.

EPIPYRETTO, ἐπιπυρέττω, ſignificat *inſuper febricito*, diciturque de ægro, in quo febris & repetit, & ingraveſcit, 1. *Prorrhet. ſect.* 1. *t.* 15. *Coac. t.* 95.

EPIRIGEO, ἐπιῤῥιγέω, ſignificat *inſuper*, vel ſubinde *rigeo*, quando rigores frequentiores & repetiti urgent. Hipp *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t* 7.

EPIRRHOE, ἐπιῤῥοή, *influxum* ſignificat, vel affluxum humorum in partem, à verbo ἐπιῤῥέω, *influo*, Hippocr. 5. *aph.* 23. Vide *Influentia*, *Influxus.*

EPISARCIDIUM, ἐπισαρκίδιον, idem, quod *Hypoſarcidium.* Vide *Anaſarca.*

EPISCHESIS, ἐπίσχεσις, inhibitionem, *ſuppreſſionem*, retentionem excernendorum denotat. Gal *c.* 2. *in* 3. *Epid. t.* 4. ab ἐπίσχω, *cohibeo*, ſupprimo, ſiſto. 5. *aph.* 50.

EPISCHION, ἐπισχίον, dicitur *Os pubis*, *Pecten*, quod eſt os tranſverſum & latum in imo ventre, quod pubi ſubjacet & munit inteſtina. Gorræus *p.* 153.

EPISCHON, ἐπισχών, dicitur de ægro, in quo morboſa acceſſio ceſſat, inhibetur, aut differtur. Hippocr. *Coac. t.* 79. *l.* 5. *Epid. XXXI.* 7. *l.* 7. *IX.* 5. 15. *XLIV.* 5.

EPISCLEROS, ἐπίσκληρος, *induratus.* Legitur de ventre, Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 46.

EPISEION, ἐπίσειον, ἐπίσιον, idem, quod ἐφήβαιον. Vide *Ephebæum*, id eſt, *Pubes*, *Aqualiculus.* Occurrit apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIX.* 5. *l.* 2. *VI.* 5. *& alibi ſæpius.* Piccolom. *Præl. Anat. p.* 72.

EPISEMASIA, ἐπισημασία, in genere *ſignificationem*, vel *Conſignificationem* & *Annotationem* ſignificat, à verbo ἐπισημαίνω, indicium vel ſignum aliquod præbeo, quod in hac ſignificatione legitur apud Hipp. *l. de nat. puer. V.* 5. *&* 4. *de R. V. I. A. t.* 89. Aſtrologorum judicia de tempeſtatibus ex ſiderum phaſibus dicuntur ἐπισημασίαι, Linden. *Ex. XI.* §. 191. In ſpecie vero ſignificat primum inſultum febrilem, in quo ægri ſolent horrere, refrigerari, oſcitare, pandiculari, dormitare, aut aliud quid ſimile pati. Vide *Annotatio.* Denique & ſpecialiſſime verbum ἐπισημαίνεσθαι, ſignificat *ſuſcipere aliquam notam*, aut characterem, *ex epilepſiæ paroxyſmo.* Unde & pueri tales dicuntur ἐπίσημα παιδία, & qui carent, ἄσημα. Hipp. *l. de morb. ſacro. IX.* 5. 9. *X.* 1.

EPISPADEN, ἐπισπάδην, *affatim*, unico hauſtu, avide. Inter Compotatores vulgo effertur: *hauſticos.* Occurrit apud Hipp. *l. de int. aff. XXIX.* 4.

EPISPASMOS, ἐπισπασμός, vel idem eſt, quod εἰσπνοή, *Inſpiratio*, uti vult Galen. *c.* 5. *in* 5. *Epid. t.* 32. vel juxta alios celeriorem & præternaturaliter crebram inſpirationem notat. Poſſet etiam exponi de *Attractione* in genere. Unde ἐπισπαστικὰ φάρμακα, idem, quod ἑλκτικά, *Attrahentia*, *Attractiva* dicta, de quibus vide in genere ſupra *Attractio.* Quas Hippocrates intellexerit *ſorbitiones* per ἐπισπαστικὰ ῥοφήματα in febribus ardentibus, 4. *de R. V. I. A. l.* 18. Galen. *in comm.* conſtare poſſe negat; At Hor. Augen. exponendum eſſe textum per alimenta ſorbilia purgantibus mixta. *Tom. II, Epiſt. & Conſil. Medic. p. m.* 344. Specialiter *Epiſpaſticum* dicitur medicamentum aridum inſpertile ad malignorum ulcerum curationem non inefficax, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 5. ἐπισπαστικὸν Emplaſtrum, quod aperit & educit pus, vel ſi quid aliud ſubeſt, Scribon. *L. n.* 216.

EPISPHACELIZO, ἐπισφακελίζω, ſignificat prorſus *ſphacelo*, h. e. totali mortificatione & νεκρώσει corrumpor. Hipp. 1. *de artic. t.* 63. unde & ἐπισφακέλισις, *totalis mortificatio*, 3. *de artic. t.* 55. Junge *t.* 59.

EPISPHÆRIA, ἐπισφαίρια, dicuntur anfractus cerebri & gyri exteriores, ut vaſa ſanguinea per cerebri ſub-

ſubſtantiam melius diſtribuantur, uti notavit Blancard. *in Lex.*

EPISPHALES, ἐπισφαλὴς, valde *periculoſus*, Hipp. 2. *aph.* 35. & *l. de vet. med. XVII.* 13. Jung. Dieterich. *n.* 317.

EPISPHRAGIZOMÆ, ἐπισφραγίζομαι, ſignificat *obſigno*, inſigno. Ita Chymici *obſignant* vaſa ſigillo Hermetico. Vide *Sigillum.* Rhod. *in Lex. Scribon.* Signare vas, ne vires evaneſcant.

EPISPHYRION, ἐπισφύριον, dicitur fibulæ ſpecies, qua antiqui ocreas ſupra malleolum conſtrinxiſſe ex Homeri *Iliad. V.* ſcribit Rhod. *de Acia p.* 19.

EPISPLENOS, ἐπίσπληνος, *lienoſum*, lienis tumore vexatum ſignificat, Hipp. *l.* 7. *Epid. LII.* 7.

EPISTAGMOS, ἐπισταγμὸς, inſtillationem in genere ſignificat. Quod vero apud Dioſcorid. *l.* 3. *c.* 23. catarrhum denotet, exiſtimat C. V. Schneider. *de Catarrho*, *l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 4.

EPISTASIS, ἐπίστασις, vel ſignificat apud Hippocratem idem, quod ἐπίσχεσις, *ſuppreſſio*, retentio excernendorum, *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 46. 62. *Coac. t.* 233. 244. 487. *&c.* vel ſignificat *ſuperficiem* urinæ, inſidentiam, & opponitur ὑπόστασις, *ſubſidentiæ* in urina. In hac ſignificatione ſumitur, 7. *aph.* 35. & verbum ἐφίσταται, *aph.* 34. Vide Foëſ. *p.* 232. Dieter. *n.* 325.

EPISTATEO, ἐπιστατέω, ſignificat Hippocr. *morbis præſum* & ægrorum curam habeo, *l. Præcept. V.* 13. *X.* 12. Dicitur & προστατέω, *præficior*, dicto loco, *X.* 8.

EPISTAXIS, ἐπίσταξις, ſignificat στάξιν, i. e. *ſanguinis e naribus ſtillationem repetitam*, à verbo ἐπιστάζω, ſæpius *ſanguinem e naribus ſtillo.* 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 56. *Coac. t.* 87. 237.

EPISTEME, ἐπιστήμη. Vide *Scientia.*

EPISTOMION, ἐπιστόμιον, in genere ſignificat *Operimentum*, vel Obturamentum. Chymicis vero *epiſtomia* dicuntur ſpiracula in furnis, ſive *Ventilia*, quæ & *Regiſtra* vocantur. Morley *in Collect. Chym. Leidenſ. Prolegomen.*

EPISTOREO, ἐπιστορέω, ſignificat *inſterno*, videlicet corpus durum re molli, uti fit in Chirurgicis operationibus, quando inſtrumenta dura involvuntur & ſuperſternuntur ſtragulis, aut linteis mollibus, ne lædant, Hipp. 3. *de artic. t.* 49. & *ſ.* 4. *t.* 59.

EPISTROPHE, ἐπιστροφὴ, in genere *inverſionem* ſignificat. Specialiter vero ſumitur pro *Recidiva* morbi, quando morbus, qui ceſſavit, revertitur, Hippocr. *Coac. t.* 256. Dicitur alias ὑποστροφὴ, aut ὑποτροπή. Verbum quoque ἐπιστρέφω ſumitur de vertebrarum perverſione, quando collum intorquetur, 4. *aph.* 35. Vide Dieter. *n.* 326.

EPISTROPHEUS, ἐπιστροφεὺς, nomen primæ colli vertebræ apud Medicos antiquos. Nam ea ſuper ſecundam vertitur, veluti ſuper axem, quam ob cauſſam etiam ſecunda hæc ἄξων à veteribus dicta fuit. Gorræus *d. l.*

EPISYNANCHE, ἐπισυνάγχη, occurrit nomen hoc in Epiſtola quadam Mich. Piccarti ad Caſp. Hofmannum, in qua deſcripſit ſuam adverſam valetudinem, quando poſt febrem catarrhalem curatam Noribergam profectus & per octiduum ibidem commoratus morbo alio infeſtatus fuit, quem Medicos *Epiſynanchen* appellare ſcribit, in quo collum ita afficiebatur, ut cibum reſpueret & potus per nares rediret, à quo tamen etiam feliciter liberatus fuit. Extat Epiſtola *in Mantiſſa II. Epiſtolarum ad C. Hofmannum annexa G. Richteri Epiſtolis ſelectioribus p. m.* 587. Verum in nullo Græco autore Medico, neque etiam in aliis Lexicis reperire potui. Legitur quidem in veteri quodam Lexico ἐπισυνάγγαι ex Theophraſt. *l.* 4. *de cauſſ. plantar. c.* 12. ſed ſignificat locum in Aſia; quamvis & alia lectio annotata ſit, nempe αἱ πυσυνάγγαι. An fortaſſis Epiſynanche idem erit affectus cum Paraſynanche?

EPISYNTHETICE, ἐπισυνθετική. Vide *Supercompoſitiva.*

EPITASIS, ἐπίτασις, Hippocr. dicitur morborum, præſertim febrium, *intentio* & acceſſionis initium, 4. *de R. V. I. A. t.* 114. Verbum quoque ἐπιτείνομαι ſignificat *augeſco*, gliſco, *Coac. t.* 116. & *libr.* 5. *Epid. XXI.* 18. Vide Lind. *Exerc. XV.* §. 94. Interdum vero ἐπίτασις quoque idem ſignificare videtur, quod ἐπίστασις, *ſuppreſſio*, retentio, 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 46. & 48. quamvis alii legant ἐπίστασις. Foëſ. *p.* 233.

EPITECNOS, ἐπίτεκνος, *fœcundus*, h. e. diſpoſitus ad generationem liberorum. Dicitur de utroque ſexu, Hipp. 5. *aph.* 62. *Fœcunditatis* cauſſa potiſſimum in bona temperie maris & fœminæ conſiſtit. Dieter. *n.* 486. Imprimis vero ſobria victus ratio exigitur. Lang. *l.* 2. *ep.* 9. *Fœcunditatem* ſeminis oriri potiſſimum ex motu in actu amoris minimis particulis impreſſo, probabiliter hodierni docent Doctores, inter quos celeb. D. Bohn. *Circul. Phyſiolog. progymn.* 1. *p.* 17. 18. & Joh. Bapt. Lamzweerde *de Hiſtor. molar. uter. c.* 22. *p.* 246.

EPITEDEUMA, ἐπιτήδευμα, vocatur *vitæ inſtitutum* vel genus, quod homo obit, aut utilitate, aut neceſſitate adductus, Gal. *com.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 1. Legitur & apud Hipp. 2. *Prorrhet. XI.* 23. *XV.* 9.

EPITEX, ἐπίτεξ, Ionice, ſignificat *partui vicinam*, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LI.* 9.

EPITHEMA, ἐπίθημα, ἐπίθεμα, varias habet ſignificationes; (1) notat *Operculum*, Hipp. *l.* 2. *de morb. XXV.* 15. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 8. Gal. *l.* 2. *de V. P. c* 9. (2) eſt nomen medicamenti externi, ſive topici generale, ſive liquidum ſit, ſive ſolidum. Specialiter tamen in Praxi denotat recentioribus medicamentum liquidum, quod panno, ſpongia, linteo, ſtuppa exceptum parti alicui imponitur, quorum deſcriptionem & exempla vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 56. Weker. *Antid. gen. l.* 1. *c.* 19. & *Spec. l.* 2. *ſect.* 13. P. Morell. *Form. remed. l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 3. (3) apud Veteres *Epithema* notabat medicamentum externum Ceratis valentius, ex unguentis & ſimilem

lem

lem vim habentibus compoſitum, Galen. *l.* 7. *Meth. Med. c.* 4.

EPITHESIS, ἐπίθεσις, varias in Lexicis obtinet ſignificationes. In genere ſignificat *impoſitionem*, item invaſionem, porro etiam defenſionem. In Chirurgicis vero ſignificare correctionem membrorum curvatorum, quæ fit mediantibus inſtrumentis, ad differentiam διαπλάσεως, quæ correctio fit manibus, in tenellis corporibus, me legiſſe memini in Collegio quodam manuſcripto Chirurgico.

EPITHREPTOS, ἐπίθρεπτος, bene habitus, *bene nutritus.* Legitur in Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XXXIII.* 4.

EPITHYMIA, ἐπιθυμία. Vide *Cupiditas.*

EPITOCOS, ἐπίτοκος, *fœcundus*, de Fœminis legitur, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 55. Alias dicuntur ἐπίτοκοι, 5. *aph.* 62. de quo p. a.

EPITOME, ἐπιτομή, idem, quod *Synopſis.* Vide *Compendium.*

EPITROPE, ἐπιτροπή, *Cura*, procuratio. Vide *Cura.* Hipp. *l. dec. orn. XII.* 8.

EPOCHE, ἐποχή, primum dicitur *ſuſpenſa ſententia*, nihilque certi definiens: quod eſt de nulla re pronunciare, nec aſſeverare certo, Gal. *de opt. doc. gen. in princ.* Deinde aliquando idem ac ἐπίσχεσις, *ſuppreſſio*, retentio, *c.* 2. *in* 3. *Epid. t.* 4. Vide *Epiſcheſis.*

EPOCHETEUSIS, ἐποχέτευσις, *Derivatio*, idem, quod παροχέτευσις, vide *Derivatio*; à verbo ἐποχετεύομαι, *derivor*, quod legitur apud Hipp. *l. de Venis XXI.* 9. quamvis Lind. ἐποχετεύομαι poſuerit, quam ſcriptionem reprobavit Foëſ. *p.* 236.

EPODE, ἐπῳδή, ἐπῳδὴς, in genere *Incantationem* ſignificat. Vide *Incantatio.* In ſpecie vero notat curandi rationem præſtigioſam per certa carmina & cantilenas, de qua vide Lang. *l.* 1. *ep.* 33. & *l.* 2. *ep.* 46. Rob. Keuchen. *in proleg. ad Serenum.* Qui tales cantiones accinit, dicitur ἐπῳδὸς. Jung. Gal. *l.* 17. *de V.P. in fin.* & C.Hofm. *comm. ad d. l. n.* 1140.

EPODYNOS, ἐπώδυνος, valde *dolens* ſignificat. Hippocr. *c.* 2. *in l.* 1. *Prorrhet. t.* 18.

EPOEDEON, ἐποιδέων, *intumeſcens*, tumidus. Idem, quod οἰδαλέος, *d. l. t.* 18.

EPOMBROS, ἔπομβρος, ſignificat *pluvioſus*, valde pluvius, de tempeſtate dicitur apud Hipp. 3. *aph.* 11. 12. 13. Unde ἐπομβρία, *tempeſtas pluvioſa*, 3. *aph.* 15. Dieter. *n.* 335.

EPOMIS, ἐπωμὶς, dicitur ſuperior humeri pars, quæ ſuperjecta eſt humeri articulo cum brachio, *Superhumerale.* Occurrit apud Hipp. 1. *de art. t.* 4. & *l.* 3. *t.* 44. Gal. *l.* 1. *Admin. Anat. c.* 11. Vide C.Hofm. *ad Gal. de V.P. n.* 105.

EPOMPHALION, ἐπομφάλιον, ἐπομφαλικὸν, dicitur medicamentum, quod umbilico impoſitum alvum movet. Talia vide apud Ægin. *l.* 7. *c.* 9.

EPOPS, ἔποψ. Vide *Upupa.*

EPOREDIANA balnea, vulgo Porretana. Joan. Pet. Arlunus *de Balneis.*

EPOSILINGA, id eſt, *Squama ferri*, Rul. Iohnſ. *Caſtelli Lexic. Med.*

EPSILOMENOS, ἐψιλωμένος, *denudatus*, carne exutus. Dicitur de Oſſibus 5. *aph.* 22.

EPULIS, ἐπουλὶς, dicitur *Tuberculum* & carnis excreſcentia *in Gingivis* proveniens, & ad intimos molares dentes ſeſe extendens, ita ut æger aliquando os operire nequeat, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 9. Cauſſa eſt ſolutio continui, facta per inflammationem, & ſuccum nutritium ſanguinis dimittens. Vid. Scribon. *n.* 61. & Rhod. *in not. Ephem. Nat. C. An. II. Obſ.* 255.

EPULOTICUS, ἐπουλωτικὸς, epitheton medicamentorum, quæ non liquare, ſed indurare carnem, deſiccare, & cicatricem inducere apta ſunt. Suntque omnia terreſtri ſiccitate prædita, & adſtringentia. Vide Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 16. Dicitur & συνουλωτικὸν, Gal. *l.* 13. *M. M. c.* 5.

EPUREO, ἐπουρέω, *urinam facio*, idem, quod ſimplex οὐρέω. Lind. *Ex. V.* §. 71.

EQUICERVUS. Vide *Alce*, cujus deſcriptionem vide etiam apud Aldrov. *lib.* 1. *de quadruped. biſulc. c.* 32.

EQUI Clibanus, fimus equinus Chymic. Alb. Magnus *de mineralibus l.* 3. *t.* 1. *c.* 10.

EQUITATIO, ἱππεία, ἱππασία, ἵππευσις, eſt motus corporis quandoque fortior, quando equo inſidens curſum abſolvit. *Equitatio* continuata ſolet etiam ſterilitati anſam dare, teſte Hipp. *de A. L. & A.* & Lang. *l.* 2. *ep.* 9. Quod Th. Sydenham equitationem in phthiſi tanquam certiſſimum remedium commendaverit & D. D. Stahlius illud ſpecioſe propugnare non dubitaverit *in quodam Propemptico ad Diſp. Inaugur. de Fundamentis pathologiæ practicis Dn. Joh. Sam. Carl. Oering.* ulteriori adhuc diſquiſitione & confirmatione indigere omnino arbitror, de qua phthiſi, de quo morbi tempore particulari, an in principio, vel augmento &c. intelligendum ſit, & quænam alia circa uſum illius remedii adhuc obſervanda ſint? quandoquidem phthiſin adeo eſſe intricatum & difficilem morbum nemo inficiabitur, atque ideo præter equitationem recte adhibendam etiam aliis adminiculis & remediis congruis opus eſſe nullum mihi eſt dubium. Interea nihil de autoritate & fide laudatiſſimorum illorum autorum volo derogatum.

EQUUS, ἵππος, homonymon eſt vocabulum. Proprie notat animal quadrupes notiſſimum, ſolidipes, utriuſque ſexus, cujus prolixam deſcriptionem reperies in Aldrovand. *l.* 1. *de quadruped. ſolidip. cap.* 1. & uſum medicum apud Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n. XXI. Equi* Anatome deſcripta legitur *in Act. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. XI. p.* 36. *ſeqq.* De *Equis* praſinis lege Lang. *l.* 1. *ep.* 78. & Fr. Hofmann. *in clavi ad Schrod. l.* De *Equis* Magicis & Diabolicis præſtat tacere, quam ſcribere. Improprie vero ἵππος, *Equus*, dicitur oculorum quidam affectus, quibuſdam inſitus, quibus oculi nullo tempore manere poſſunt quieti, ſed ſubinde nictant inſtabiles, Gal. *l. def. med.* & *c.* 1. *prognoſt. t.* 21. & *c.* 2. *in* 1. *prorrhet. t.* 11. Cauſſa ſine dubio in inveterata ſpirituum animalium agitatione in muſculis palpebras moventibus

conſiſtet. An vero propterea non ſit morbus dicendus; quia Medicorum nemo meminit, non eſt nunc mearum partium ventilare. Sane in ipſa actione viſus aliquod impedimentum præbere mihi non videtur dubium.

ERADICATIVUS dictum olim fuit de purgatione fortiori & de purgantibus violentioribus, ad oppoſitionem *Minorativæ* purgationis. Fallop. *de purg. ſimpl. c.* 16. *Tom. I. p.* 61.

ERECTIMANCUS, ὀρθόκυλλος, ὀρθόκωλος. Vide *Orthocolos.*

ERECTUS, ὀρθὸς, idem, quod *Rectus*, dicitur de corpore vivo & plerumque ſano. Unde & Galen. egregie hoc demonſtravit, *Erectum* eſſe, provenire & ab animo & ſpirituum præſertim animalium vigore. Nam illis abſentibus corpus deorſum fertur & in terram declinat, *l. de palpit. trem. rigor. c.* 4.

EREGMOS, ἐρεγμὸς, in ſpecie *Fabam freſam* fractamque ſignificat, ut ita ſit idem in faba, quod ptiſana in hordeo, aut χόνδρος in alica. Late tamen aliquando de omni legumine freſo accipitur, notante Gal. *com.* 4. *aph.* 46. Foëſ. etiam vult, interdum pro *lomento*, aut farina fabarum ſumi, quod negat Gorræus *p.* 154. Dicitur & ἐρεγμὸς, ἔρεγμα, ab ἐρείκω, *frango*, quod aliquoties occurrit in Hipp. v. g. *l.* 2. *de morb. LXV.* 14. *l.* 1. *de morb. mul. CIV.* 5. *l.* 2. *VI.* 28. Subſtantivum ἔρεγμα legitur *Coac. t.* 631. *l.* 2. *de morb. mul. LXXIV.* 13.

EREISMA, ἔρεισμα, ſignificat *fulcimentum*, vel ſtabilimentum. Idem quod ἕρμασμα, στήριγμα, v. g. in Chirurgicis, per faſciam & vinculum, Gal. *c.* 3. *de iis, q. in med. t.* 36. *&* 2. *de fractur. t.* 77. Deinde ſignificat illiſionem cum impreſſione, aut impetu. Hippocr. 2. *de fract. t.* 24. Deſcendit ab ἐρείδω, *innitor*, adurgeo. Unde ἀντερείδω, *renitor.*

EREMÆOS, ἠρεμαῖος, *quietus*, lenis. Dicitur de igne apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXIV.* 11.

EREMOS, ἔρημος, *deſertus*, derelictus, deſtitutus: Uſurpat Hipp. de oſſe curatione deſtituto, *l.* 7. *ep. in fin.*

ERETHISMOS, ἐρεθισμὸς, generaliter in Medicina ſignificat omne *irritamentum* comprehendens cuncta, quæ quovis modo vires vitales reddunt infirmiores, & ita flammam ſive calorem vitalem labefactant, aut criticos conatus impediunt, ſive ſint acres & vitioſi humores in corpore, & alia præternaturalia, lumbrici, calculi &c. ſive res externæ, vigiliæ, ira, mœror, quemadmodum ita expoſuit Gal. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 54. Unde & hujuſmodi res dicuntur σημεῖα ἐρεθιστικὰ, ſigna *irritantia.* Legitur in hac ſignificatione vocab. ἐρεθισμὸς, 1. *aph.* 20. In ſpecie aliquando ſumitur pro *irritatione* facta per alvum, *l.* 1. *Epid. agr.* 2. *&* 12. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 237.

ERETRIA, *Eretrias*, ἐρετρία, ἡ ἐρετριὰς, ſc. γῆ, terra: Eſt ſpecies terræ, quæ nomen habet ab urbe Eubœæ *Eretria*, ſita prope Chalcidem. Arab. dicitur *Canabil.* Sunt duæ ipſi colorum differentiæ, Alba & Cinerea. Modice pinguis. Vim habet extergendi validam; ſi lavetur, aut uratur & poſtea lavetur, magis adhuc ſiccat. Vide Dioſcor. *l.* 5. *c.* 171. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* Quod vero Foreſt. terram rubram minutam, ut arenam, ſcripſit *l.* 7. *Chirurg. Obſ. XI. in Schol.* non quadrat cum Dioſcoridis deſcriptione. Meminit & Hippocr. *libr.* 3. *de Morb. XXVII.* 7. 11. *Terræ Eretriadis*, quæ rubram tincturam præbet, ſed an cum illa coincidat, quæ à Dioſcoride deſcribitur, certo non conſtat.

EREUTHOS, ἔρευθος, ſignificat *Ruborem*, v. g. faciei, ſignum plenitudinis ſanguinis, ſed etiam aliquando lixivioſitatis nimiæ & ichoroſitatis ſalinæ, præſertim in ſcorbuticis. Vocabulum legitur apud Hipp. *l.* 3. *Epid. ægr.* 12. *poſt ſtat. peſt.* à verbo ἐρεύθω, *rubeo*, *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *n.* 36.

EREUXIS, *Eryge*, *Ereugmos*, ἔρευξις, ἐρυγὴ, ἐρευγμὸς, dicitur Latine *Ructus*, eſtque proprie nihil aliud, quam excretio flatuum per os. Dicitur & *Eructatio*, cujus cauſſa nulla alia eſt, quam inordinata fermentatio & diſſolutio alimentorum facta à fermento quodam heterogeneo & improportionato ad materiam diſſolvendam, unde effluvia vaporoſa & halitus excitantur, qui coagmentati prius, poſtmodo ſurſum tendentes, cum impetu exitum per ſtomachum & gulam ſibi parant, & hinc ſonora flatus excretio, quæ *Ructus* nomine venit. Vid. Sylv. *l.* 1. *Pr. Med. c.* 9. In hypochondriacis haud dubie ab aciditate ſucci pancreatici & fermenti chylificantis *acidi ructus* ſunt frequentes, unde ὀξυρεγμία dicitur. Vide *Oxyregmia.* Vocab. ἔρευξις legitur apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 32. *vel* 33. *& l. de Humor. II.* 17. Foëſ. etiam ſcripſit, quibuſdam ἔρευξιν omnem tranſpirationem & emiſſionem ſpirituum per corpus denotare. Sed nullo probavit exemplo. Legitur & aliquando ἔρευξις, *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 22.

ERGALIA Andr. Libavio dicitur pars miniſtra *Encheriæ*, explicans inſtrumenta alchemica. *Alchymiæ l.* 1. *c.* 2. *&* 3.

ERGASTERIUM, ἐργαστήριον, idem, quod *Laboratorium.* In ſpecie *ergaſterion* quoque dicitur pars furni, in qua materia medica mediante capella, alembico, retorta, &c. reponitur, & Chymice alteratur. Morley *in Collect. Leid. proleg. c.* 2.

ERGATA, nomen *machinamenti*, vel inſtrumenti *attractorii*, quod ad cochleæ fœminæ, περικόχλιον dictæ, conſtitutionem concurrit. Oribaſ. *de machinam.*

ERGMA, ἔργμα, *impedimentum* ſignificat, vel *ſeptum*, Hipp. *l. de Steril III.* 2.

ERGON, ἔργον, *Opus*, omnem partium corporis actionem & functionem indicare, præcipue tamen ad ſenſiles animi facultates referri vult Foëſ. *Oec. p.* 263. & quidem ex Hipp. *l.* 6. *Ep. ſ.* 8. *t.* 35. In ſpecie ἔργα τῆς φύσεως, *opera naturæ* dicuntur, quando irritata agit in alienum ſubjectum cum vi quadam, ſed felici ſucceſſu, v. g. in ſternutatione, tuſſi, ex Gal. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 3. C. Hofmann. *l.* 3. *Inſtit. c.* 9. §. 2. Linden. *Ex. XV.* §. 142. Imprimis vero ἔργον tale notat actum, vel *opus*, quod

cum

cum moleſtia quadam conjunctum eſt, aut difficultatem quandam præ ſe fert: Hinc ἐργώδης idem, quod χαλεπὸς, *difficilis*, moleſtus, Hipp. 2. *aph.* 37. & 4. *aph.* 15. Vid. Diet. *n.* 337. Nec moleſtia carent ἔργα κύπριδος, *munia* Veneris, de quibus vide Rob. Keuch. *ad Q. Seren. not. p.* 217. Vide *Opus.*

ERICERON, ἐρίκηρον, eſt *ſpecies Collyriorum* τῶν ξηρικῶν, cujus aliquot differentiæ ab Aëtio recenſentur. Non dubium eſt, ſic vocari à fructu *Erices*, quem recipiunt, quem Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L.* inter mediocriter adſtringentia enumerat. Gorr. *p.* 155.

ERICIS, ἐρικὶς, *Hordeum craſſius diviſum* etiam ſignificat, teſte Galen. *in Exeg. dict. Hipp.*

ERICTOS, ἐρικτὸς, *freſus*, fractus. Vide *Ereigma.*

ERIGMA, ἔριγμα. Vide *Eregmos.*

ERIMOIDES, legitur apud Parac. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *cap.* 3. *in comm.* & videtur ex contextu innoteſcere, quod denotet ſabulum, vel ſubſidentiam in urina arenoſam.

ERINACEUS, ἐχῖνος. Vide *Echinus.*

ERION, ἔριον, *Lanam* ſignificat, magni in Medicina uſus. Ejus duæ ſunt differentiæ, *pura* & *ſordida*: *Pura* dicitur, quæ lota eſt, *ſordida* vero illota, quam Græci ἔριον ῥυπαρὸν καὶ οἰσυπηρὸν, Hippocr. vero πίνεον & πινώδες appellant. Eſt autem πίνος idem, quod ῥύπος, ſordes. Vide *Eurion. Lana.*

ERIPHOS, ἔριφος, i. e. *Hœdus*, pullus caprinus tenellus, ſeu caper tenellus, ea propter uti natura cum capris convenit, ita & viribus, quas tamen ratione juventutis teneriores & imbecilliores obtinet. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 9.

ERMESIA, ἑρμησία, compoſitionis cujuſdam nomen eſt, qua Magos quondam uſos eſſe perhibent ad liberos generandos pulchros bonoſque. Conſtabat nucleis pineæ nucis tritis cum melle, myrrha, croco & palmeo vino, atque ita admixto lacte bibere jubebant. Similiter & à conceptu puerperas partum enutrientes ſic fieri conſtantes animo & forma excellentes atque bonos alumnos pollicebantur. Hæc Gorræus *pag.* 156.

ERODINIUM, eſt indicium alicujus rei, vel futuræ hiſtoriæ, quæ tantiſper adhuc latet homines, donec adveniat, tum demum vocatur ex incerto notum, & certius præſagium. Hinc dicitur *Erodenium corpus*, quod indicat diſpoſitionem ſingularem. Item Hiſtoria *Erodenia*, Paracelſ. *de Podagricis l.* 2. §. *Necromantia.* Rul. *in Lex.*

EROS, ἔρως. Vide *Amor.*

EROSIO, διάβρωσις, idem, quod *Corroſio*, vide *ſupra.*

EROTOLEPTOS, ἐρωτόληπτος, dicitur proprie is, qui *ardet amore mulieris honeſto.* Linden. *Ex. XV.* §. 46.

EROTOMANES, ἐρωτομανὴς, vocatur, qui furore quodam ſectatur vagas & illicitas libidines, Lind. *d. l.* *Erotomaniam* etiam aliquando in canibus venaticis fuiſſe veram obſervatam, ita ut libidinarentur, non tamen coiverint vel ſe commiſcuerint, notavit Lentilius *Miſcell. Medico-Practic. Part. II. p.* 530.

ERRATICUS, ἄτακτος, ἄτυπος, vide *Ataclos*, *Atypos. Erraticæ* Luis Venereæ meminit Parac. *l.* 8. *de Gallicis papulis & aliis ſymptom. cap.* 9. & Locorum *erraticorum* in morbo Gallico, *lib.* 3. *Chirurg. magn. de morb. Gall. cap.* 5.

ERRATUM, *Error*, ἁμαρτία, διαμαρτία, σφάλμα, πλάνη, quid ſignificet, notum eſt. *Erroribus* quoque expoſitam eſſe artem Medicam, & eos, qui eam exercent, fatetur, Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. ubi cauſſas quoque errorum adduxit, ignorantiam, malam judicationem, negligentiam in conſcribendo. *Errores* hujusmodi notari, intereſt & artis & poſteritatis. Lind. *Ex. XII.* §. 160. *ſeqq.*

ERRHINON, ἔῤῥινον, Latine, *Naſale*, epitheton medicamentorum, quæ *naribus*, quas Græci ῥῖνας vocant, capitis purgandi gratia induntur. Gal. *l.* 5. *Simpl. Fac. c.* 20. Materiæ & formulæ variæ ſunt, de quibus vide Weker. *Antidot. Gen. l.* 1. *c.* 18. & 47. *Spec. l.* 2. *ſect.* 11. P. Morell. *Form. Rem. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 8. Schroder. *l.* 2. *cap.* 55. Rolfink. *O. ac. M. M. Sp. l.* 6. *ſect.* 4. *c.* 1. *Errhinorum* ſpecies ſunt *Ptarmica*, πταρμικά, *Sternutatoria*, quæ Sternutationem movent.

ERRHIPSIS, ἔῤῥιψις, projectio, *proſtratio* & dejectio dicitur apud Hippocr. cum corpus velut mortuum ac inanime omni robore perfecte exoluto & remiſſo proſtratum eſt, quod extremum virium lapſum denotat, *l. de humor. III.* 15. Junge Gal. *com.* 1. *ad hunc lib. t.* 24. ἔῤῥιψις ὀμμάτος, *oculorum projectio*, cum oculi præ imbecillitate amplius aperti eſſe nequeunt, ſed eorum vis omnino languida eſt & proſtrata, oculoque ferocienti opponitur, qui delirium portendit, *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *ſub fin.* Vide Foëſ. *p.* 242.

ERRHOMENOS, ἐῤῥωμένος, *valens*, validus, ſanitatem præ ſe ferens. Uſurpatur de diverſis rebus naturalibus & non naturalibus apud Hippocr. v. g. de vultu, *Coac. t.* 296. *lib.* 2. *Epid. ſ. VI.* 12. de vigiliis *l. de Criſib. IX.* 1. de animo vel mente, 2. *aph.* 33. Vid. Linden. *Ex. XIII.* §. 298. 491.

ERROR *externus*, ἀποτυχία τῆς ἐνεργείας, dicitur quando natura in agendo excidere cogitur ab intentione operis deſtinati, ob non bene ſe habentes cauſas externas. Idem *Ex. XV.* §. 147. Vid. Senn. *Inſt. l.* 2. *P.* 3. *ſ.* 1. *c.* 2. & C. Hofm. *l.* 3. *Inſt. c.* 9. §. 7. & 9. *Errores* hujuſmodi externi fiunt poſtea cauſſæ morborum. Rolfink. *O. ac Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 25. *Error lymphaticus* vocatur Hydropis ſpecies *Anaſarca* à Q. Seren. notante Keuchen. *in not. p.* 193.

ERUCA, vocabulum eſt homonymon, & plantam & animal inſectum ſignificans. Priorem Botanicis relinquimus. Juxta poſteriorem Gr. dicitur κάμπη, Latine etiam *Bruchus*. Eſtque inſectum vulgaris notitiæ,

 originem

originem trahens, vel ex ſtirpium excrementis vel ex ovis papilionis. Species totidem ſunt, quot plantarum, inquit Schroder. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 102. *Erucarum* vero deſcriptionem prolixiorem pete ex Aldrov. *libris de inſectis*, præſertim *l.* 2. *c.* 1. *ſeqq.* *Erucas* ex opere pueri prodiiſſe una cum aliis mirandis notavit Lentil. *d. l. Part. I. p.* 90. In ſpecie *Erucas*, quæ in piceis naſcuntur, & propterea πιτυοκάμπαι appellantur, facultate eſſe Cantharidum, teſtatur Gal. *l.* 11. *de S. F. tit. Pityocampe*, Jung. Lang. *l.* 1. *ep.* 81.

ERUCTATIO, ἔρευξις. Vide *Ereuxis*.

ERUGO, ἐκρυτίζω. Vide *Ecrytizo*.

ERUPTIO, ἔκρηξις, ἔκρηγμα, καταῤῥηξις, vel ſignificat excretionem alicujus materiæ confertim & largiter factam, verbi gratia, *Eruptio* ſanguinis, puris, in qua ſignificatione aliquoties legitur apud Scribon. Larg. *n.* 46. 66. 84. 206. 240. Vide *Lexic. Scribon.* Rhodii. Vel notat affectiones ulceroſas cutaneas, & ita idem eſt, quod *Exanthema*, ἐξάνθημα, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 6. Æginet. *l.* 4. *c.* 9. Vide *Ecregma*.

ERYGE, ἐρυγὴ, ἔρυγμα, *Ructus*. Vide *Ereuxis*.

ERYGMATODES, ἐρυγματώδης, epitheton *morbi flatulenti* & ructuum effectivi, qualis eſt Hypochondriaca affectio. Gorr. *ex Hipp. p.* 157. Conf. Galen. *exegeſi*.

ERYMA, ἔρυμα, ſignificat *munimentum*, vallum, *propugnaculum*, & tribuitur Deo apud Hipp. *de morb. ſacr.* IV. 56. Viris bonis *in Epiſt. ad S. P. Q. Abder. in princ.*

ERYSIBE, ἐρυσίβη, vocatur *Rubigo*, morbus frugum & fructuum. Vide *Rubigo*.

ERYSIPELAS, ἐρυσίπελας, eſt tumor præter naturam, non alte deſcendens, ſed in cute conſiſtens, à bilioſo ſanguine obortus, colore pallido rubente, Galen. *l.* 14. *meth. med. c.* 1. *& l.* 2. *ad Glauc. c.* 1. vel ex veris principiis ita deſcribi poteſt: *Eryſipelas* eſt intemperies calida & ſicca cum materia, plerunque particularis certi membri, rariſſime totius habitus externi corporis, cum tumore leviori, rubedine diluta, dolore acerrimo, proveniens ab efferveſcentis ſanguinis bilioſi portionibus ichoroſis tenuioribus ſubſiſtentibus & effloreſcentibus. Dividitur in *Purum* & *Spurium*, quod poſterius participat vel cum inflammatione, vel alterius Tumoris p. n. genere, Galen. *dicto loco*. *Eryſipelas* vero vocatur, quaſi *Vicinitraha* aut *Vicinirubra*, ab ἐρύω, & πέλας, vel ἐρυθρὸς, *c.* 3. *de iis, quæ in med. t.* 30. Habet & alia nomina, ut *Ignis Sacer*, *S. Antonii*. Vide Dieter. *n.* 343. Helmont. appellavit *Apoſtema maxime igneum*, in quo excandeſcit ſpiritus vitalis à cauſſa morbifica laceſſitus, & veluti ad iram provocatus, *tr. Natura Contr. neſcia n.* 30. & *Blas humanum.* 28. Species *Eryſipelatis* eſt *Zona*, vel ζωςὴρ, de quo infra. Jung. *Eph. N. C. Ann. III. Obſ.* 4. Iunken. etiam meminit alius *Eryſipelatis*, quod *Puerile* vocat, inter morbos infantiles referens; quodque ſæpe purpuræ miliaris ſpecie effloreſcit, alias internis torminibus infantes affligit, quiete privat, & excrementa alvi ex flavo virideſcentia ſecedere facit, hujus cauſſam refert in matrum diſpoſitionem bilioſam texturamque rariorem & externas ſubitam ſanguini phlogoſin inducentes, *Chym. Med. Phyſ. Part. II. ſect.* 2. *c.* 2. *p.* 791. *ſeq.* *Eryſipelatodes*, ἐρυσιπελατώδης, dicitur, quod indolem *eryſipelatis* præ ſe fert, quamvis non ſit ex aſſe.

ERYTHACOS, ἐρυθακὸς, Vide *Rubecula*.

ERYTHEMA, ἐρύθημα, *ruborem*, vel rubedinem ſignificat, idem, quod ἔρευθος. Vide *Ereuthos*. Uſurpatur ſæpe ab Hipp. 7. *aphoriſmo* 49. *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 26. *l.* 1. *Epid. ægr.* 14. & *in Coacis textibus* aliquoties. Vide Foëſ. *p.* 242.

ERYTHRINUS, ἐρυθρῖνος, al. ἐρυθεῖνος. Lat. Plinio *Rubellio* (quamvis hoc nomine aliud piſcis genus veniat) eſt piſcis marinus, ita dictus à colore rubro, cujus deſcriptionem & uſum in cibis vide apud Aldrovand. *l.* 2. *de Piſcib. c.* 9.

ERYTHRION, ἐρύθριον, nomen eſt Malagmatis, cujus deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 18.

ERYTHROEIDES, ἐρυθροειδὴς, epitheton tunicæ teſtium intimæ. Vide *Elytron*.

ERYTHROS, ἐρυθρὸς, *Ruber*, rubens dicitur. Hipp. 4. *aph.* 71. 5. *aph.* 65. & alibi ſæpius. Vide *Ereuthos*.

ESAPHE, ἐσαφὴ, *contrectationem digitis immiſſis factam* ſignificat, à verbo ἐσαφάω vel ἐσαφάσσω, *digitis contrecto*, quo aliquoties uſus Hipp. *l. de nat. mul. XI.* 12. *XXXI.* 14. *XXXIII.* 3. & alibi ſæpius. Vide *Eſmaſamenos*.

ESCA, *Eſculentum*, βρῶμα, σῖτος, idem, quod *Cibus*. Vide *Broma*. *Cibus*.

ESCHARA, ἐσχάρα, *cruſtam* ſignificat, vide *Cruſta*. Alias proprie ſignificat locum, ubi focus ſtruitur. Rhod. *ad Scribon. n.* 25. *Eſcharas* fieri miniſterio ſalium acutorum, docet Helmont. *tr. poteſtas medicam. n.* 4. Hinc *Eſcharoticus*, ἐσχαρωτικὸς, *cruſtam inducens*, de quo etiam ſupra in voc. *Cruſta*.

ESCHAROPEPA, ἐσχαρόπεπα, epitheton τῶν κριμνῶν farinarum craſſiorum apud Hippocr. *l. IV. Epidem. XXIII.* Foëſ. *Oeconom. p.* 245.

ESCHATIÆ, ἐσχατιαὶ, dicuntur Hippocrati *membrorum extremitates*, aut extremæ partes, 1. *de fract. t.* 40.

ESCHATOS, ἔσχατος, *extremus*, ſummus, ultimus. Quando tribuitur morbis, ſignificat *extreme* periculoſus, quibus nulli alii ſunt acutiores, 1. *aph.* 6. quando doloribus, exprimit *acutiſſimam* etiam & maximam moleſtiam, 1. *aph.* 7. quando diætæ, vel victui tenui, *ſummam* tenuitatem denotat *ibid.* Jung. Diet. *n.* 345.

ESCIAMENOS, ἐσκιαμένος, dicitur de membris corporis velatis & tectis, veluti umbraculo. Hipp. *l.* 2. *de morb. XXXV.* 3.

ESCURA, idem, quod *Eſchara*, caro nigra emortua, quæ per cauterium, vel medicamentum corroſivum à bona vivaque carne ſeparatur ac deciditur, Rul. *Lex.*

ESDRA, ἔσδρα, eſt nomen *Antidoti* cujuſdam prolixæ

lixæ ex valde contrariis compoſitæ, & quidem ex 50. circiter ſimplicibus apud Ægin. *l.* 7. *c.* 11. qui πολύχρηστον vocat, & vehementer deſiccandi vim tribuit.

ESEBON, vel *Alſebon*, id eſt, *Sal commune*. Rul. & Ichnſ.

ESMASAMENOS, ἐσμασσάμενος, *manum immittens*, ad contrectandum, vel implorandum. Verbum ἐσμάσσω vel ἐσμάττω, *imprimo*, legitur apud Hippocratem *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 20. & 3. *de art. tex.* 47. Coincidit cum ἐσαφάω. Vide *Eſaphe.*

ESMYRNISMENOS, ἐσμυρνισμένος, *Myrrhatus*. Epitheton vini myrrha conditi; quale Chriſto Servatori Judæos crucifigendo dediſſe exiſtimat Linden. *Ex. X.* §. 141.

ESOCHE, ἐσοχὴ, dicitur *eminentia* & excreſcentia, aut tuberculum intus latens in anno, quemadmodum ἐξοχὴ tale ſignificat in dicta parte foris eminens. Apud Gal. utrumque legitur cum remediis, *de fac. parabil. l. . c. 6. 7. & 51.*

ESPHLASIS, ἔσφλασις, Intropulſio, ſignificat *ceſſionem partis introrſum factam* à re externa violenter imprimente. Legitur de oſſe Cranii apud Hippocr. *l. dec. vuln. VII.* 5. ubi & verbum ἐσφλᾶσαι & ἐσφλώμενον, *imprimi*, *impreſſum*, occurrit. De hac legitur obſervatio ſingularis apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 17. *p.* 54. & *Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 69.

ESSATUM *potentiale* eſt virtus, potentia & vis medicamentoſa, quæ ineſt vegetabilibus & mineralibus. Quam virtutem ſi beneficio extractionis ſibi junxerit Spiritus vini, vocatur *Vinum Eſſatum*, quando vino deſtillato rectificatoque adduntur herbæ, ut earum extrahat eſſentias, ut Vinum de Meliſſa, Pulmonaria &c. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* ex Parac. *l.* 8. *Paragraph. c.* 2. §. 2. item *in Schol. ad h. l.* & in Theſſallo II. *de gradibus & compoſ. c.* 2. Quin & alia medicamenta inſigni virtute medicamentoſa impræignata *Eſſata* vocari patet ex eodem *l.* 2. *de Tartaro Tract.* 1. *c.* 6. Ita quondam D. Michaël Rupertus Beſlerus, Medicus Norimbergenſis, juncta duorum Pharmacopœorum, Joh Schmidii & Martini Brentelii opera *Anatomiam Eſſatam* inſtituit, in qua, mediante Vulcano, & omnibus & ſingulis corporis humani partibus, membris & excrementis medicamenta ſine ulla alia additione confici poſſe demonſtratum fuit. Verum an non potius ad oſtentationem, quam utilitatem, hic labor fuerit, alii judicent.

ESSENTIA, οὐσία, dupliciter accipitur: Phyſice & Medice, vel Chymice. Juxta illam ſignificat rerum naturalium quidditatem, ſive internum principium ſubſtantiale, aut formam, quæ dat eſſe rei: Vocatur & *Natura*, de quo infra. Chymice accipitur generaliter & ſpecialiter. Generaliter *Eſſentia* eſt extractum ſimplex e rebus tota ſua natura perfectis productum. Et nominatur *Eſſentia* ideo, quod in elementariis loculamentis nata & comprehenſa totius ſubſtantiæ miſturæ pars ſit perfecta, natura & eſſentiali ratione virtuteque inſtructa. Talis poteſt fieri ex omni miſtorum genere, Minerali, Vegetabili & Animali, magno cum proventu, quemadmodum hoc plurimis exemplis monſtravit Rolfink. *Chymiæ l.* 4. *ſect.* 1. *per totum.* Junge Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 8. *c.* 1. 2. 3. D. D. Wedel. *Pharmac. in A.F.R. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 7. & 8. Plures etiam extant in Morley *Coll. Chymic. Leid.* quæ loca videantur in Indice. Specialiter *Eſſentia* eſt duplex, *Succus* & *Myſterium*, Rul. Ad *Myſterium* pertinet *Eſſentia quinta*, ſive *Quinta Eſſentia*, quæ eſt materia corporalis ex omnibus, quibus vita ineſt, ſeparata ab omnibus impuritatibus ac corruptibilitatibus ſubtiliſſime purgata, in qua omnis rerum potentia eſt & medicina. Vel eſt aliquid præter elementa, nec ex craſi horum ortum, divinum auctore & effectis, Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* vide *Quinta.* Quod in *Eſſentiarum Chymicarum* præſertim ex Antimonio & ſimilibus mineralibus venenoſis elaboratione vanæ occurrant ſæpe jactationes, teſtatur Libav. *Tract. de Igne Nat. c.* 35. De differentia inter *Eſſentiam* Philoſophice & Chymice acceptam non inepte ſcripſit Helmont. *tract. Tria prima Chymic. princip. & c. n.* 76. 77. Abuſive quoque vocab. *Eſſentiæ* ſumi, quando *Eleoſaccharis* tribuitur, notavit Schrod. *l.* 1. *c.* 3. *lit. E.*

ESSENTIALE, οὐσιώδης, in genere dicitur, quod participat de eſſentia alicujus rei, ſive ad eſſentiam pertinet. In ſpecie vero Chymicis *Salia Eſſentialia* vocantur, quæ parantur ex Decoctis vegetabilium, & modus deſcribitur ab Ang. Sala, ut & Rolf. *Chym. l.* 5. *ſ.* 1. *art.* 1. *c.* 5. *ſeqq. p. m.* 286. *ſeqq.* quamvis juxta aliorum ſententiam, non ſint vera Salia, ſed ſaltem ſaliniformia. Hæc ſalia *Eſſentialia* ſunt nihil aliud quam Tartarus plantarum conflatus ex acido & alcali: Morley *Collect. Chym. Leid. cap.* 11. In ſpecie *Eſſentiale* ſuum *principale* vocavit Kreuchnerus Nitrum Vitriolatum *d. l. c.* 300.

ESSENTIFICATUM, dicitur de Mercurio, vel argento vivo ſublimato puro, quando inſtar cryſtalli pellucet. Hinc *Eſſentificatum Cryſtallinum* Libav. *Apocal. Hermet. part.* 1. *c.* 8. *Tom. II. Oper. p.* 452. Vel dicitur de Spiritibus Alcalicis deſtillatis, addito Sale proprio v. g. Spiritus C. C. eſſentificatus.

ESSERÆ, *Eſſeræ*, *Saire*, vocantur puſtulæ, parvæ ſcabiei, bullarum inſtar, vel ſquamarum, niſi quod carnem habeant exuberantem. Rul. Paracelſus vocat *ſquamulas pediculares*, & deducit ex vaporibus Talci, vel Cachimiæ, hinc morbum familiariſſimum metalliſoſſoribus dixit, *tr. de ulcerib. & apoſtemat. c.* 47. Foreſtus ad *Epinyctidas* retulit *Obſ. Chirurg. l.* 1. *Obſ.* 15. *Schol.* Jungatur quoque de hoc affectu legendus Ingraſſias *comm. ad Avic. de tum. p. n. p.* 186. *ſeqq.*

ESSODINUM, eſt *certum rei futuræ præſagium* ex indicio. Rul. Opponitur igitur *Erodinio*, de quo *p. ſupr.*

ESTHIOMENOS, ἐσθιόμενος, dicitur depaſcens, *exedens*, corroſivus, de morbis, quorum cauſſa conſiſtens in ſalinis corroſivis & acerrimis portionibus depaſcitur & corrumpit ſolidam quoque carnoſarum & aliarum

rum partium mollium, quin & aliquando duratum ſubſtantiam. Ita dicitur *Herpes* ἐσθιόμενος, ſive *exedens*, Ulcus *depaſcens*, Lupus, Zona ſerpens, vel Zoſter, Galen. *l. de tum. p. n. c. 9.* Rul. *in Lex.* Paracelſ. *in fragm. Med. ad Tom. II. pertinentibus* omne *Eſthiomenon* à ſale Arſenicali deducit: item, ex ſale Mercuriali Herpetem ſive Lupum: *l. de ulcerib. c. 7. & alibi.* Excrementa quoque alvi quædam dicuntur ἐσθιόμενα, *corrodentia*, Hippocr. *l. 4. Epidem. XII. 7.*

ESURIES, & *Eſuritio*, idem, quod *Fames*, Gr. λιμὸς. Vide *Fames.*

ESURINUM, Paracelſo dicitur, *Acetoſum medicamentum*, quod ſua natura famem tantam excitare valet, ut etiam appetat non eſculenta, & eadem concoquat, *l. de Tartareis morb. cap. 16.* Non inepte quoque Charltonus Fermentum ventriculi chylificans vocavit *Acidum Eſurinum*, *Oecon. An. Ex. II. §. 6.* Ita & *Spiritus Veneris* nonnullis vocatur *Acetoſa Eſurina*, Morley *Colleſt. Chym. Leid. c. 497.* Aceti *eſurini* deſcriptio videatur apud Poterium *Pharmac. Spag. l. 2. c. 10.*

ETESIÆ, ἐτησίαι, dicuntur quidam *Venti anniverſarii*, qui poſt exortum caniculæ ſpirant Boreales, vel *Aquilonares*, temperantque æſtum ſolarem per 40. circiter dies. Unde ſi defecerint, non temere ſuſpectum reddunt aëris ſtatum, teſte Hipp. 1. *in* 1. *Epid. t. 7. & cap. 3. in 3. Epid. t. 8.* & *l. 2. ſ. III. 5.*

ETHAS, ἐθὰς & ἠθὰς dicitur, qui alicui rei aſſuetus eſt. Ita uterus vocatur *aſſuetus* genituræ & conceptui, *l. 1. de morb. mul. l. 12. XXVII. 5.* Homines morbis *aſſueti*, ἐθάδες τῇ νόσῳ, *l. de morb. ſacr. XIV. 1.* Morbi *conſueti* vel familiares etiam ita appellantur, *l. 2. de morb. mul. XVII. 12.*

ETHEES, dicitur *Aurum Rhenanum*, pretioſum, Rul. *Lex.*

ETHEL, & *ignem* & *nigredinem* denotat. Turba *fol. 61.* *Ethelia* eſt corpus aduſtum ſiccum, rubrum & album, *Auri colla. Ethelia* Tinctura rubra. Eſt & flos albus auri. Hæc Ruland. Idem quod Terra alba, Sulphur album, Magneſia, Langn. *Harm. Chym. c. 1. Vol. IV. p. 729.*

ETHESIUS, dicitur *Chryſolithus* lapis. Rul. & Iohnſ. Vide *Chryſolithus.*

ETHICA, idem, quod *Hectica.* Vide *Hectica.*

ETHMOIDES, *Ethmos*, ἠθμοειδὴς, ἠθμὸς. Vide *Cribratorium.*

ETHOS, ἔθος, ἐθισμὸς. Vide *Conſuetudo.*

ETHOS, ἦθος. Vide *Mos.*

ETNOS, ἔτνος, ſignificat edulium ex omnis generis leguminibus confractis & elixis. Legitur apud Hipp. *l. 4. de R. V. I. A. t. 112. l. 2. de morb. LII. 14. l. 2. de Morb. mul. XXIIX. 33. l. 7. Epid. XXXIII. 11.*

ETOS, ἔτος, idem, quod ἐνιαυτὸς. Vide *Annus.*

ETRON, ἦτρον, pars infima ventris, *Hypogaſtrium.* Vide *Abdomen.*

ETYMOLOGIA, ἐτυμολογία, i. e. explicatio nominis, ratione ſuæ originis. Ea licet ſcitu neceſſaria Medico ſit, fallax tamen, & incertum præbet argumentum, teſte Galen. *l. 2. de Hippocr. & Plat. decr. c. 2.*

EVACUATIO, κένωσις. Vide *Cenoſis.* Duplex eſt, alia naturalis, artificialis alia. Id quod ſupra omiſſum eſt.

EUÆMIA, εὐαιμία, i. e. bonitas ſanguinis. Legitur apud Fernel. *l. 2. Pathol. c. 14.*

EUALTHES, εὐαλθὴς, qui *facile ſanatur*, Hipp. 2. *de artic. t. 47. & c. 4. t. 35.* inde Erotianus εὐαλθέα, εὐθεράπευτα.

EUANALEPTOS, εὐανάληπτος, qui *facile ex morbo vires recolligit*; fere idem qui cum priori, Hipp. *l. 6. ſ. 4. Epid. t. 8.*

EUANASPHALTOS, εὐανάσφαλτος, idem, quod εὐαλθὴς, cui opponitur δυσανάσφαλτος, *qui difficulter curatur*, Hipp. *l. de Alim. VI. 5. 7.*

EVANESCO, ἀφανίζομαι. Vide *Aphanizomæ.*

EUANTHES, εὐανθὴς, *floridus.* Pro diverſa tamen ſubjectorum, de quibus dicitur, natura, diverſimode quoque exponi debet, v. g. quando de ſanguine, ſignificat *rutilantem*, Hippocr. *Coac. t. 631.* Si de urina, *rubicundam* & pellucidam notat, *ibid. t. 586.* Deſcendit à verbo εὐανθέω, *bene floreo*, *l. de nat. mul. VIII. 1.* quamvis ſuſpecta lectio videatur pro ἐκθέω, *excurro.*

EUAPHION, εὐάφιον, nomen medicamenti ad hæmorrhoidas, ſic dicti à lenitudine, cujus meminit Gal. *l. 9. de C. M. S. L. c. 7.*

EUAPOLYTOS, εὐαπόλυτος, dicitur de eo, *quod facile abſolvitur*, recedit, aut abſcedit, Hippocr. 1. *de artic. t. 69. & in Mochlic.*

EVAPORATIO, *Evaporans*, διαφόρησις, διαφορητικὸς. Vide *Diaphoreſis. Evaporatio* quoque Chymicis dicitur ſublimatio liquidæ materiæ, & reſolutio in halitus. Eſt & ſecundus modus Diſſolutionis artificialis aquarum Thermalium ad inveſtigandas particulas minerales. Vide *Diſſolutio.* De *Evaporatione* aquæ, quæ fit, cum Aqua paradiſi adſcendit in cœlum, ac guttatim in terram decidit, vide M. Joh. Iſaaci *oper. miner. cap. 24. in Th. Chymic. Tom. III. p. 430.*

EUBASTACTOS, εὐβάστακτος, i. e. *qui probe ſuſtentatur.* Uſurpatur de vulnere in deligatione re aliqua molli, ſuppoſita probe ſuſtento, Hipp. 3. *de fract. t. 31.*

EUCARDIOS, εὐκάρδιος, idem, quod εὐστόμαχος, *ventriculo gratus*, Galen. *in Exeg. Dict. Hipp.*

EUCATASCEPTOS, εὐκατάσκεπτος, *bene deorſum vergens.* Junctum legitur cum p. a. dicto εὐβάστακτος, de vulnere. Hipp. *d. l.*

EUCHERES, εὐχερὴς, *facilis*, periculo vacans. Dicitur de convulſionibus, Hipp. 1. *Prorrhet. ſ. 3. t. 27. Coac. t. 349.* Opponitur δυσχερὴς, *difficilis.* Vide ſupra *Dyſcheres.*

EUCHROEA, εὐχροια, *bonitas coloris*, v. g. Faciei, Hipp. *Coac. t. 67. & 213.* Dicitur alias ſaturus rubor, qui fixus & ſtabilis, non refluus, ut in verecundiam datis, Linden. *Ex. IV. §. 60.* Index eſt ſanguinis boni, & ſanitatis documentum. Tales homines dicuntur εὔχροοι, Hipp.

Hipp. 5. *aph.* 42. cui opponuntur δύσχροοι. Jung. Diet. *n.* 364. Ἔυχροον quoque nomen eſt Emplaſtri ap. Scribon. Larg. *comp.* 203. & meminit quoque Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Junge Rhod. *in not. ad Scribon. loc.*

EUCHYLOS, ἔυχυλος, *ſucci bonitate præditus.* Adv. ἐυχύλως legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mulier. XXXIII.* 2. Dicitur & ἔυχυμος.

EUCHYMIA, ἐυχυμία, i. e. *ſuccorum in corpore bonitas*, Gal. *l.* 2. *S. Fac. c.* 13. Imprimis dicitur de alimentis bonum ſuccum nutricium præbentibus. Unde Gal. integrum libellum conſcripſit de boni & moli ſucci cibis, περὶ ἐυχυμίας καὶ κακοχυμίας. Ἔυχυμος quoque dicitur τροφὴ, nutrimentum *boni ſucci*, *l.* 6. *de ſan. tu. c.* 7.

EUCINETOS, ἐυκίνητος, *motu facilis*, expeditus ad motum, mobilis, Hipp. 3. *aph.* 17. Vid. Diet. *n.* 353.

EUCOELIOS, ἐυκοίλιος, dicitur de ceraſis recentibus, quod *alvum leniter ſubducant*, plus tamen, quam natura per ſe faceret, apud Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 134. *vel juxta Saracen.* 157.

EUCRASIA, ἐυκρασία, *Temperamentum bonum* ſignificat, id eſt, conveniens uniuſcujuſque naturæ, ætati, ſexui, & vitæ conditioni. Hinc magna eſt ejus latitudo, Galen. *l.* 1. *de ſan. tu.* 5. Et qui tales adeptus eſt, dicitur ἔυκρατος, *bene temperatus*; qui caret, δύσκρατος, Galen. 2. *de Temper. c.* 1. In quo vero conſiſtat temperamentum, de eo vide ſupra *Craſis.*

EUCRINES, ἐυκρινὴς, duplicem habet ſignificationem. Vel enim notat *diſtinctum*, explicatum, *diſcretum*, Galen. *c.* 2. *de iis, q. in med. t.* 2. & 22. vel ſignificat *judicatu facilis*, & dicitur de morbis, Hipp. 3. *aph.* 8. ubi opponuntur etiam δύσκριτοι, *judicatu difficiles.* Item *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. 20. 21. Idem de ſignis *boni judicii*, v. gr. de excrementis alvi, *Coac. t.* 615. Dicitur & ἔυκριτος, 1. *aph.* 12. Jung. Diet. *n.* 354. 355.

EUCYCLOS, ἔυκυκλος, *orbicularis*, circularis. Dicitur de deligatione partem affectam circumcirca complectente, Hippocr. 2. *de iis, q. in med. t.* 2. quamvis alii ἔγκυκλος legant.

EUDEPSETOS, *bene mollitus*, ſubactus. Legitur de Corio, Hipp. 2. *de artic. t.* 13.

EUDIA, ἐυδία, ſignificat *ſerenitatem*, & tranquillitatem aëris, maris, cœli, regionis. Occurrit aliquoties, ut & adjectivum ἔυδιος, *ſerenus*, apud Hipp. v. g. 3. *aph.* 12. *l. de A. L. & A. XXV.* 4. *XXVI.* 4. *XXXII.* 2. *l. de Inſomn. XI.* 1. *l.* 7. *Epid. LI.* 13. Vide Foëſ. *Oecon. p.* 247. Diet. *n.* 349.

EUDIAPNEUSTOS, ἐυδιάπνευστος, dicitur, *cui libera eſt corporis tranſpiratio*, quod hominum genus nec aſſidue ægrotat, nec longo tempore, ideo quod excrementa fuliginoſa & vaporoſa facile per halitum digerantur, Gorr. *p.* 159.

EUECOOS, ἐυήκοος, dicitur *qui auditu pollet*, Hipp. 3. *aph.* 17. Jung. Diet. *n.* 351.

EUECPLYTOS, ἐυέκπλυτος, dicitur de eo, *quod vim habet detergendi*, abluendi. Epitheton Ptiſanæ apud Hipp. 1. *de R. V. I. A. t.* 18.

EUECTICUS, ἐυεκτικὸς. Vide *Euexia.*

EUEIDES, ἐυειδὴς. Vide *Pulchritudo.*

EUELCES, ἐυελκὴς, *cui ulcera facile ſanantur.* Vide *Dyſelcia.*

EUELPIDION, ἐυελπίδιον, epitheton *Collyrii* liquidi *Diarrhodon* dicti, quod & *Diaſmyrnum* vocatur apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

EUEMBOLOS, ἐυέμβολος, dicitur Chirurgus *luxata inſtaurandi & reſtituendi probe peritus*, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 82.

EUEMES, ἐυεμὴς, *facilis ad vomendum*, propenſus ad vomitum, cui opponitur δυσεμὴς, Hipp. 4. *aph.* 6. 7. Dieter. *n.* 352.

EUENIOS, ἐυήνιος dicitur, *qui facile cedit*, & compeſcitur, v. gr. Torpor, ap. Hipp. *l. de Virgin. morb. II.* 16.

EVENTATORIUS, hoc epitheton legitur apud I. C. Claudinum *de ingreſſu ab infirmos l.* 2. *c.* 2. & uſurpatur de Venæ ſectione, quæ ſolum refrigerationis, non evacuationis, gratia inſtituitur. Fortaſſis rectius diceretur, *Eventilatoria.*

EVENTILATIO, proprie dicitur, quando aliquid jactatur in aëre, v. gr. linteamina, Ruland. Verbum *eventilo* Gr. dicitur λικμάω, vel ἀναλικμάω.

EVENTUS, ἀποβαῖνον, ἀποβησόμενον, ἐκβησόμενον, Hippocr. dictus, 2. *Prorrh. XVII.* 6. *de dec. orn. IX.* 3. *ſ.* 4. *de R. V. I. A. t.* 66. terminus eſt notiſſimus, denotans *exitum* morborum ſive ad ſalutem, ſive ad mortem. Dicitur & *Terminatio morbi*, Dieter. *num.* 823. De *eventus* diviſione. Vid. *Dogm. Med. G. P. III. c.* 6. *Dogm.* 3.

EUEPÆSTHETOS, ἐυεπαίσθητος, *ſenſu acri* & exquiſito *præditus*, Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXV.* 4.

EUEPIA, ἐυεπίη, *facundia*, verborum elegantia etiam Medico conveniens ad perſuadendum ægris, Hipp. *l. de dec. orn. II.* 33.

EUERES, ἐυήρης, ſignificat proprie *remigationi aptum.* Late tamen tribuitur omni inſtrumento etiam Medico & Chirurgico idoneo, & *ad uſum expedito*, Hipp. *l. de Medico, III.* 8.

EVERRICULUM dicitur Paræo *Specillum*, quo poſt extractum calculum veſica expurgari poteſt à ſabulo, ſanguinis grumis aliiſque præter naturam corpuſculis, *l.* 16. *Chir. c.* 42.

EVERSIO, ἐκτροπὴ, ἐκτρόπιον, ſtricte dicitur de *affectu palpebrarum.* Vide ſupra *Ectropion.* Jung. Foreſt. *l.* 15. *Obſ.* 41.

EVESTRUM, dicitur *Firmamenti perpetuum* in quatuor elementorum mundi. Idem *Spiritus Propheticus*, qui per præcedens ſignum præſagit, & aliquid certo prædicit. Item *Corpus ſidereum hominis*, quod

nob:s

nobis aut mortem futuram, aut aliud malum indicat; Rul. & Iohnſ. *in Lexicis.* Confer. ad Paracelſ. *Tract.* 2. *de peſtilitat.* item *l.* 9. *de Nat. rer. fere ad fin. l.*2. *Philoſ. ad Athenienſ. t.* 18. *ſeqq.*

EUETHES, εὐήθης, i. e. *boni moris.* Vide *Benignas.*

EUEXIA, εὐεξία, eſt *bona corporis habitudo*, vel *bonus corporis habitus*, Galen. *l. de ſan. tu. c.* 8. uti huic oppoſita *Cachexia*, i. e. *pravus corporis habitus*, εὐεξία καὶ καχεξία. De hac ſuperius dictum in *Cachexia.* Illam complent bona omnium partium temperies, actionum robur, euchymia, ſanguinis, carnis, totiuſque corporis ſymmetria, quemadmodum hoc patet ex eleganti deſcriptione apud Hippocr. *in pracept. IX.* 1. *ſeqq.* Eſt autem duplex ἡ εὐεξία, una eſt, ἁπλῶς, quæ in optima corporis conſtitutione deprehenditur: altera vero μετὰ προσθήκης εὐεξία, quam habent ſingulæ corporum naturæ propriam, & in comparatione dictam. Itaque ἡ ἁπλῶς εὐεξία nihil aliud eſt, quam perfecta & abſoluta ſanitas, quæque non facile à cauſſis inſalubribus offenditur, ſed quia ἕξις, i. e. habitus eſt, firma conſtanſque perſeverat. Quæ autem ab hac deficit, modo nondum vitioſa ſit, non jam εὐεξία, ſed ab omnibus ὑγίεια, *ſanitas*, nuncupatur, ſcil. in latitudine, quæ eadem eſt cum μετὰ τῆς προσθήκης εὐεξία. Tunc enim non ſimpliciter, ſed hujus vel illius εὐεξία dicitur. Sic ἡ τῶν ἀθλητῶν εὐεξία, *bonus athletarum habitus*, non ſimpliciter talis dicitur, quoniam optima non eſt, quam periculo proximam eſſe Hippocr. pronunciavit, & negavit, natura eſſe comparatam. Nam ut reliqua habuerit optima, attamen ſanguis, & præcipue carnoſum genus in ea ſupra modum excrevit, *ex* 1. *aphor.* 3. Hæc Caſtell. Derivatur ab *Euexia Euecticus*, εὐεκτικός, & non modo dicitur de hominibus, qui tali gaudent εὐεξία, Dieter. *n.*350. ex Plutarcho; ſed etiam ars, & pars Medicinæ, quam alii *Gymnaſticam* vocant, *Euectica* appellatur, quæ optimum corpori habitum inducere ſtudet, Gal. *ad Thraſybul. c.* 30. *& de ſubſig. emp. c.* 4. Jungatur Lang. *l.* 1. *ep.* 51.

EVISTIOLA, denotat affectum externum in nucha excreſcentem, à cerebri impuritate inveterata, quam Lepram vocat abuſive Paracelſ. *Schol. in lib.* 6. *Paragraphor.*

EULE, εὐλή, *vermis.* Et quidem εὐλαὶ dicuntur peculiariter illi, qui in corpore ex vulnere, vel ulcere naſcuntur. Occurrit hoc vocabulum apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 43. 47.

EULOGIUM, dicuntur Rhaſi *Exanthemata, Variolæ*, & *Morbilli*, teſte Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 41. *in Schol.*

EULYTOS, εὔλυτος, *ſolutu facilis.* De excrementis uſurpatur apud Hippocr. 2. *Prognoſt. t.* 65. *Coac. t.* 135. 455. 644. De orificio uteri, *l.* 2. *de morb. mul. IIX.* 19.

EUMENES, εὐμενής, *benevolus*, amicus, Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 30. *lib.* 1. *de morb. mul. LXIII.* 23. Aliquando & firmum, ſcil. abſque violentia, notat, 2. *de artic. t.* 28. 32.

EUNE, εὐνή, *cubile*, cubatio, Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 50. ubi jungitur cum κοίτῃ. Vide *Cubile.* Interdum vero etiam *coitum* ſignificat, *l.* 2. *de morb. mul. LXI.* 6.

EUNOSOS, εὔνοσος, dicitur, qui proclivis eſt ad morbum ſive labilis in paſſionem, uti ſcripſit Cœl. Aurel. *l.* 1. *Act. morb. c.* 1. *p. m.* 10.

EUNUCHION, lactuca, ab effectu, quia venerem comprimit, Rod. à Caſtro *lib.* 1. *cap.* 15. *de morb. mul.*

EUNUCHUS, εὐνοῦχος. Vide *Caſtratus.* Meminit Hippocr. 6. *aph.* 28. Jung. Dieter. *n.* 357. Dicitur & Latinis *Spado.*

EUOCHIA, εὐωχία, *Convivium*, epulæ lautæ, opiparæ. Hinc verbum εὐωχέομαι, *epulor large*, quo uſus Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XIV.* 4. 7.

EUOCHOS, ἔνοχος, *validus*, firmus, firmiter tenens. De vinculo uſurpatur, Hipp. 3. *de artic. t.* 22. & de figura corporis, ſive poſitu ad membrum læſum citra moleſtiam tenendum, 3. *de fractur. t.* 63.

EUODES, εὐώδης, *ſuaveolens*; contra δυσώδης. Vide *Dyſodes.* Ευώδης legitur *l.* 5. *Epid. XXVII.* 7. eſt & nomen Collyrii εὐῶδες apud Scrib. L. *n.* 26. Vid. Rhod. *in not. ad h. l.*

EUODIA, *Euodos*, εὐοδία, εὔοδος, εὐοδής, *facilis via.* Vide *Anodia.*

EVOMITIO, idem, quod Vomitus. Vide *Emetos.*

EUONCOS, ἔνογκος, *juſta mole præditus*, mediocriter tumidus. De ventre Hippocr. 2. *prognoſt. t.* 19.

EUPARAGOGOS, εὐπαράγωγος, *agilis*, diſpoſitus. De oſſibus apud Hipp. 1. *de fract. t.* 41.

EUPATHIA, εὐπάθεια. Vide *Dyſpathia.*

EUPEGES, εὐπηγής, *ſolidus*, compactus, denſus. Tribuitur utero, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXVII.* 3.

EUPETES, εὐπετής, *promtus*, facilis, proclivis. Uſurpatur de excretionibus & fluxionibus, *l.* 1. *de morb. mul. XCI.* 9. *l.* 2. *de morb. XXVII.* 13. de geſtatione in utero, *l. de Septim. partu III.* 15. & alibi ſæpius. Ευπέτεια quoque ſignificat *otium*, ignaviam, 2. *de Nat. hum. t.*14. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 251.

EUPHLECTOS, εὔφλεκτος, dicitur de eo, *quod facile flammam concipit*, Linden. *Ex. IX.* §. 61.

EUPHORBIUM, εὐφόρβιον, eſt ſuccus concretus alicujus Plantæ arboreſcentis, quæ & *Euphorbia* dicitur Plinio & Sereno (vide Keuchen. *in not. ad Seren. p.*284.) acerrimæ & cauſticæ facultatis. Unde correctione opus eſt. Vide Schroder. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 444.

EUPHORIA, *Euphoros*, εὐφορία, εὔφορος, *tolerantia*, *toleratu facilis.* Pertinet inter Criteria dextri uſus remediorum, una cum altero ξυμφορία, Hipp. 1. *aph.* 2. *&* 23. *cap.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 22. *Coac. t.*257. *l.*6. *Epid. ſ.*4. *t.* 12. *& ſ.* 7. *t.* 6. Jung. Dieter. *n.* 363.

EUPHRONE, εὐφρόνη, idem, quod νύξ, *Nox.* Non ſolum vocab. Poëtis uſitatum, ſed & Hippocr. *l. de nat. mul.*

mul. CVII. 4. l. 1. de morb. mul. LXII. 17. 20. 22. & alibi. Foëſ. p. 254.

EUPHYIA, εὐφυΐα, *bonitatem naturæ* ſignificat, Hipp. 4. *de artic. t.* 64. Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 9. Εὐφυΐα, i. e. *partium naturalis conſtitutio*, & bona diſpoſitio. C. Hofm. *com. ad d. Gal. l. n.* 37.

EUPNOEA, εὔπνοια, *reſpirationis facilitas*, vel *Reſpiratio* ſec. naturam, cui opponitur δύσπνοια, *Difficultas reſpirandi*, de qua ſupra in *Dyſpnœa.* Indicat vero εὔπνοια neque thoracem, neque cor, neque pulmonem, neque ſeptum tranſverſum, neque ullas partes adjacentes affectu aliquo detineri, Galen. *c.* 1. *Prognoſt. t.* 25. Balneum quoque, quod levem reſpirationem facit, dicitur εὔπνοιον, 3. *de R. V. I. A. t.* 58.

EUPORIA, εὐπορία, *promtitudo*, expeditio, facilitas operandi, Hippocr. 2. *de iis, q. in med. t.* 1. Hinc εὐπόριστα dicuntur Medicis remedia, vel *facile parabilia*, quæ apud ſingulos copioſe in promtu ſunt, Galen. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. vel promtæ activitatis. Ita Gal. & Dioſcor. integros libellos περὶ εὐπορίστων ſcripſerunt, quos & alii recentiores ſunt imitati.

EURHYTHMIA, εὐρυθμία, vel dicitur de *pulſus concinnitate*, quando ſuum *rhythmum* & ordinem ætati, naturæ, & temperamento proprium ſervat, & talis pulſus dicitur εὔρυθμος, à ſanguinis homogenea fermentatione & diſtributione æquabili dependens, Galen. *l.* 1. *de differ. pulſ. c.* 9. Alias & εὐρυθμία in genere dicitur de chirurgica curandi ratione jucunda, cum Chirurgus compoſite & expedite inſtrumentis utitur ad artem accommodatis, Hipp. *l. de dec. orn. VII.* 20. & 2. *de iis, q. in medic. t.* 1. Jung. Lind. *Ex. XVI.* §. 2.

EUROEOS, εὔροιος, à quibuſdam ita dictus *lapis Judaicus*, quaſi *facile fluens*, quod urinam movere, & calculos frangere dicatur. Gorr. *p.* 160.

EUROS, εὐρώς, ſignificat *ſitum*, *mucorem*, humorem corruptum & putrefactum. Legitur ap. Willis *de ferm. c.* 8. ubi rationem illius corruptionis tradidit. Unde εὐρώδης, vel εὐρώεις, de eo dicitur, quod *mucoris* particeps eſt, *ibid.*

EURRHUS, εὔῤῥοος, εὔρους, *fluidus*, facile fluens. Dicitur de corporibus diſpoſitis ad excretionem, Hipp. 2. *aph.* 9. Vide Dieter. *n.* 358.

EURUS, εὖρος, ventus ab Oriente ſpirans, Galen. 5. *M. M.* 7. ſalutaris præ aliis. Dicitur & *Subſolanus.* Vide Dieter. *n.* 578. Commentum Paracelſicum de *Euro Microcoſmico* hominis in Pyſoro vide Parac. *de Colica.* *Euronotus* eſt ventus participans de plaga cœli Septentrionali & Orientali.

EURYCHORIA, εὐρυχωρία, *ſinus*, ſpatium, cavitas interna, Gorr. *Capacitatem* reddidit. Caſp. Hofm. *com. ad Gal. l. de V. P. n.* 1167.

EUSARCOS, εὔσαρκος, *bene carnoſum*, *quadratum* ſignificat, ſed tamen σύμμετρον, cujus carnoſa moles non eſt impedimento in actionibus obeundis. Tale corpus nec gracile, nec minus craſſum, ſed medium *Caſtelli Lexic. Med.*

inter hæc conſtituitur, Galen. *l.* 1. *de Temper. c.* 9. & *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 11. Gal. *com. de ſal. diæt. t.* 5. Egregiam εὐσαρκίας deſcriptionem reperies apud Linden. *Ex. XV.* §. 109. Junge Diet. *n.* 359. Legitur vocab. apud Hipp. 4. *aph.* 7. 5. *aph.* 21.

EUSCHEMOSYNE, εὐσχημοσύνη, ſignificat *decentem habitum* Medici, ſive ornatum, cum artis ſuæ, quam ſibi longo præceptionum uſu confirmavit, dignitatem & autoritatem morum honeſtate & probitate, omnisque Philoſophiæ & melioris literaturæ utilis & neceſſariæ cognitione veluti conditam exornat, atque inde ſibi gratiam, exiſtimationem, & celebritatem apud alios conciliat. De hac integrum libellum ſcripſit Hippocrates περὶ εὐσχημοσύνης. Jungatur Linden. *Exerc. II.* §. 15. *ſeqq.*

EUSCHETOS, εὔσχετος, ſignificat *bene retentum*, apud Hipp. 3. *de iis, q. in med. t.* 21.

EUSEMIA, εὐσημία, *bonam ſignificationem*, ſive bonorum ſignorum præſentiam ſignificat. Legitur apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 34. Hinc εὔσημος κρίσις dicitur, quæ cum bonis ſignis à ſua indicatoria die fuit indicata, ut quum undecimo die coctionem in urina, noctem gravem, quæ acceſſionem præcedit, inſultus cum concuſſione pulſuum, criticam commotionem & ſudores bonos citra horrenda pericula habuit, Gal. *l.* 1. *de dieb. Critic. c.* 7.

EUSITIA, εὐσιτία, bonum appetitum ad cibos & *bonam cibationem*, denotat. Inde εὔσιτοι dicuntur, qui cibi deſiderio tenentur, & bono ſunt ventriculo. Verbum eſt εὐσιτέω, *cibum appetentia capio*, cui opponitur ἀσιτέω, *averſor cibos.* Utrumque legitur in Hippocr. 2. *aph.* 31. 32. Vid. Dieter. *n.* 360. εὔσιτος vero *in Coac. t.* 127.

EUSPLANCHNOS, εὔσπλαγχνος, dicitur is, *qui robuſtis eſt viſceribus*, Hippocr. *l.* 2. *Prorrh. XI.* 6. *XVII.* 8.

EUSTALIA, εὐσταλίη, *decens* ac ſuccincta *diſpoſitio* ac conſtitutio *alicujus rei*, vel partis dicitur. Ita de genu legitur apud Hippocr. 4. *de artic. t.* 64. & Adjectivum εὐσταλὴς de membris corporis, 3. *de fractur. t.* 52. *l. de ſuperfœt. V.* 5. Adverb. εὐσταλέως quoque non infrequens Hipp. notat, decenter, ſuccincte, *compoſite*, *l. de dec. orn. XI.* 13. *l. de iis, q. in med. t.* 16. *l.* 2. *t.* 14.

EUSTATHES, εὐσταθής, *ſtabilis*, conſtans, firmus. Tribuitur ab Hippocr. anni temporibus, *l.* 3. *Epid.* ſub finem ſtatus peſtilentis; & morbis, 3. *aph.* 8. ubi & ἀκατάστατοι opponuntur, i. e. *inconſtantes.* Item *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 20. 21. Uſurpari etiam poteſt de firma corporis conſtitutione ſana, & de nutritione firma, uti oſtendit Dieterich. *n.* 361.

EUSTOMACHUS, εὐστόμαχος, i. e. ſtomacho vel *ventriculo conveniens* & utilis. Epitheton cibi ventriculo grati, apud Gal. *l.* 6. *de Tu. ſan. c.* 9. *fin.*

EUTAMIEUTOS, εὐταμίευτος, *facile parabilis.* Dicitur

Dicitur de extenſione, quæ facile promitur; & reconditur, Hipp. 2. *de artic. t.* 32.

EUTAXIA, εὐταξία, h. e. *ordinata* corporis *conſtitutio*, & legitur apud G. Thomſon. *in Acu Magnetic. Latine reddita per Gothofred. Heniken. c.* 10. *p.* 65.

EUTHANASIA, εὐθανασία, uti Theologis notat beatam & placidam mortem fidelium: ita in Medicina ſignificat mortem facilem abſque gravioribus ſymptomatibus, v. g. convulſionibus. In qua ſignificatione Octavium Cæſarem Auguſtum accepiſſe autor eſt Sueton. *in vit. Octav. cap.* 99.

EUTHENIA, εὐθηνία, *vigor*, *exuberantia*, proſpera valetudo, à verbo εὐθηνέω, proſpere habeo, *bene valeo, exubero*, quo uſus Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XXXII.* 9. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 26.

EUTHESIA, εὐθεσίη, exponitur à Galeno per *ingenitum corporis habitum*, quemadmodum & annus εὐθετής vocatur, h. e. fertilis & fœcundus, *in Exeg. dict. Hipp.* Proprie tamen & ſtricte potius videtur ſignificare partium corporis bonam collocationem & *ſitum optimum.* Hinc εὔθετα Hippocrati dicuntur, *quæ bene ſunt collocata* & diſpoſita, 3. *de iis, q. in med. t.* 21. & verbum εὐθετίζω, de oſſibus *bene collocatis*, 2. *de fract. t.* 65. & *l.* 1. *de artic. t.* 73. Transfertur etiam ad firmam & bonam deligationem, & ſpleniorum collocationem, 1. *de fract. t.* 32. Metaphorice vero εὔθετοι Hippocr. dicuntur accommodati, opportuni, *l. de dec. orn. II.* 21. 27.

EUTHYMIA, εὐθυμία, dicitur *animi tranquillitas*, bonitas, lætitia, ſecuritas, quæ in ægris etiam utilis ad excitandam ſpirituaſcentiam. Meminit Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXXI.* 15. & *l.* 7. *XLV.* 1. ubi ſimul ἀθυμία, *animi abjectio*, opponitur. Qui lætum hujuſmodi animum habet, dicitur εὔθυμος.

EUTHYNTOS, εὐθυντὸς, dicitur de eo, *quod e curvo in rectum reduci poteſt.* Huic opponitur τὸ καμπτὸν. Vide *Camptos.* Gorr. *p.* 160.

EUTHYORIA, εὐθυωρία, *Rectitudo*, rectus trames, recta via. Non eſt aliud, quam directio quædam meatuum, per quos humorum deductiones fieri commode poſſunt. Hipp. alias peculiari nomine ἴξιν vocavit, *de R. V. I. A. t.* 29. (vide comm. Gal. *ad h. l.*) *l.* 1. *de morb. mul. XXXIII.* 12. & aliquoties *in L. de fract.* Vide Foëſ. *Oecon. p.* 284. Etiam ἰθυωρίη legitur 3. *de fract. t.* 31. Quamvis vero hæc *rectitudo* & conſenſus partium κατ' ἴξιν quotidiana experientia confirmata ſit, ejus tamen rationem reddere valde difficile, ſi non impoſſibile, fatente Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 15. §. 12. *ſeqq.* & §. 63. quamvis à vero minime aberraſſe nobis videatur Anton. Alvarez, *Rectitudinem* & directionem, dicens, in locorum communione & fibrarum ratione conſiſtere. *Part. I. Conſ. & epiſtol. Medicin. depulſ.* 11. *contra Salvium Sclanum p. m.* 64.

EUTHYPOROS, εὐθύπορος, *directus*, in rectum procedens. Epitheton tenſionis, quando membrum fractum tenditur in directum, Galen. *l.* 6. *Meth. Med. c.* 5.

EUTHYS, εὐθὺς, *Rectus.* Dicitur & ἰθὺς. Unde κατ' ἰθὺ, *e directo*, legitur apud Hippocr. 1. *de iis, q. in med. t.* 15.

EUTOCOS, εὔτοκος, idem, quod ἐπίτεκνος, *fœcundus.* Vide *Epitecnos.*

EUTOLMIA, εὐτολμία, eſt affectus animi ſanitatem conſervando aut recuperando adjuvans, qui dicitur *Confidentia*, ſive animi concitatio, cum ad adipiſcendum magnum aliquod bonum, aut depellendum malum animus movetur. Martin. Akakia *in Gal. art. parv. p.* 113. & 124. Opponitur huic ἀτολμία, *diffidentia*, *animi dejectio.*

EUTONOS, εὔτονος, *valens*, firmus, robuſtus. Præſertim dicitur de corpore, ejuſque membris ſolidis debitum tonum, vel tenorem obtinentibus, Hippocr. 3. *aph.* 16. Uſurpavit etiam de exercitio valido abſque celeritate, Gal. *l.* 2. *de ſan. tuend. c.* 9. Lind. *Ex. X.* §. 110. ita ſcripſit. Græci εὔτονον vocant, cui unus velut & perpetuus tenor atque conſtantia virtutis ac mollitudinis eſt.

EUTRAPELIA, εὐτραπελία, ſignificat *comitatem*, affabilitatem, & debitam facilitatem, quam requirit in Medico Hippocr. *de dec. orn. VII.* 2. ubi αὐστηρὸν, *auſteritas*, *n.* 3. opponitur.

EUTROPHIA, εὐτροφία, id eſt, *bona & uberior nutritio*, Gal. *l.* 3. *de ſan. tu. c.* 8. Opponitur huic ὀλιγοτροφία, *parcior nutritio.* Ibid.

EUTROPOS, εὔτροπος, *variabilis*, facile mutabilis. Hoc vocabulo veteres ambigua ſignificatione uſos eſſe, partim in bona, partim in mala, teſtatur Galen. *c.* 3. *in* 1. *Prorrhet. t.* 6.

EUTYCHIA, εὐτυχία, *felicitatem*, fortunam bonam ſignificat, qua quandoque gaudent imperitiores Medici, Hippocr. *de arte V.* 8. Opponitur ἡ ἀτυχία, *fortuna adverſa.*

EVULSIO, ἀποτιλμὸς, ἐκτιλμὸς, τιλμὸς, à verbo ἀποτίλλω, *evello*, cujus meminit Hipp. 1. *Prognoſt. t.* 23. *Dentium evulſionem* inveniſſe Æſculapium tertium e Ciceron. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 22. notavit Th. Janſ. ab Almelov. *R. I. On. p.* 20.

EXACERBATIO, παροξυσμὸς. Vide *Paroxyſmus.*

EXACTUS, σκεθρὸς, idem, quod ἀκριβὴς, *accuratus*, Hipp. *l.* 3. *de artic. t.* 60. Vide Gal. *com. ad h. l.* & *c.* 1. *de fractur. t.* 45. *Exactior* uſus legitur apud Scribon. Larg. *n.* 97. ubi tamen Rhodius *in Lexic.* notat, cultioribus Latinis non eſſe vocem adeo puram; Martiali vero & Plinio Juniori non diſplicuiſſe.

EXAEIREUMENOS, ἐξαειρευμένος, *elevatus*, aſſurgens. Dicitur de tumoribus p. n. apud Hippocr. 2. *de fract. t.* 72. & verbum ἐξαείρομαι, *attollor*, *t.* 64.

EXÆMOS, ἔξαιμος, *exſanguis*, idem, quod λείφαιμος, defectus ſanguine ob multam profuſionem. Unde verbum ἐξαιμάσσομαι, ſanguinor. Lind. *Ex. XIII.* §. 462. *ſeq.*

EXÆ-

EXÆRUMÆ, ἐξαιρῦμαι, ſignificat *perflari*, ab aëre perſpirari. Legitur in Hippocr. *de nat. puer. XXXI.* 5. quod male Scapula reddidit evaneſco, contra ſenſum.

EXÆSIOS, ἐξαίσιος, ſignificat *immoderatum*, ingens, excedens. Hipp. *l.* 7. *Epid. XLVII.* 19.

EXÆTHRIAZOMENOS, ἐξαιθριαζόμενος, *aëri libero*, vel ſub dio *expoſitus*. Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 9.

EXALIPTES, ἐξαλείπτης, ἐξαλίπτης, idem, quod *Alipta*, unctor. Vide *Alipta*.

EXALLAGE, ἐξαλλαγὴ, cum additamento τῦ χροὸς, dicitur immutatio coloris, & refertur inter vitia oculorum, quando humores in oculis calore peccaverint, unde παρόρασις ſive depravatum de coloribus judicium ſequitur, ut ictero laborantibus, qui quicquid viderint, flavere arbitrantur. Theophraſt. *l.* 4. *de cauſſ. plantar.* Nonus & alii.

EXALMA, *Exalſis*, ἔξαλμα, ἔξαλσις, i. e. ſaltus, *exultus*, in ſpecie de vertebrarum e ſuo loco eruptione, aut expulſione dicitur, Hippocr. 3. *de artic. t.* 45. 46. à verbo ἐξάλλομαι, *exilio. Ibid.*

EXALTATIO, Gr. dici poteſt μετεωρισμὸς, terminus eſt Spagyricus, denotatque *Sublimationem*. Vel eſt operatio, qua res affectionibus mutata ad altiorem ſubſtantiæ & virtutis dignitatem perducitur. Eſtque duplex: *Maturatio*, quæ nihil aliud eſt, quam exaltatio e rudi cruditate ad maturum & perfectum; cujus ſpecies quatuor ſunt: *Digeſtio*, *Circulatio*, *Fermentatio* & *Projectio*, de quibus ſuis vide locis. De *Gradatione* vide etiam ſuo loco. Vel *Exaltatio* ita deſcribitur, quod fit ſubtiliatio, μικρυγχρονικὴ, res ſenſim diſſolvendo in puriorem ac majorem virtutis ſuæ gradum tranſponens; & fit *Circulatione*, aut *Ablutione*. Hæc Rul. & Iohnſon. Vide & Georg. Riplei *Axiomata Philoſophica XII. Portarum in Th. Chym. Vol. II.* & Joſ. Quercetani ad Jac. Aubertum, *Ibid.* nec non Libav. *Apocal. Hermetic. part. poſter.* Notabilia & *Porta X.* de Exaltatione *in Tom. II. p.* 433. *ſeq. Exaltatio Aquæ* dicitur ipſe Lapis Philoſoph. apud Lagn. *Harm. Chym. Vol. IV. p.* 719.

EXAMBLOSIS, *Exambloma*, ἐξάμβλωσις, ἐξάμβλωμα, i. e. *Abortus*. Vide *Abortus*.

EXAMEN, ἐξέτασις, ἐξετασμὸς, ſignificat *accuratam perveſtigationem alicujus rei*. Ita dicitur *Examen*, *Examinatio* alimentorum, medicamentorum, ægrorum, membrorum &c. *Examen* Vitrioli legitur in Ger. Dorneo *Genealog. miner. c.* 15.

EXANASTOMOSIS, ἐξαναστόμωσις, idem, quod ἀναστόμωσις, *obſculorum in vaſis apertio*. Vide *Anaſtomoſis*.

EXANASTROPHE, ἐξαναστροφὴ, *Reconvaleſcentia*, & verbum ἐξαναστρέφω, *reconvaleſco*, ſignificat, Dieter. *n.* 298.

EXANEMUMÆ, ἐξανεμῦμαι, flatu, vel *vento diſtendor*, elevor. Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LII.* 1. & *de nat. mul. LXIV.* 1.

EXANGIZO, ἐξαγγίζω, *exhaurio*, evacuo. Hipp. *l. de vet. med. XL.* 9.

EXANGUIS, ἔξαιμος, vide *Exæmos*. *Exangues* quoque corporis partes dicuntur oſſa, cartilagines, quæ humore naturæ ſuæ analogo aluntur lentore & albedine prædito, Gal. *c.* 3. *de artic. t.* 65.

EXANIMATIO, duplicem admittit ſignificationem: (1) denotat veram *mortem*, & ita idem eſt, quod θάνατος. Quo ſenſu legitur apud Scrib. *n.* 196. (2) apparentem ſaltem mortem, & ita coincidit cum *animi deliquio*, Græce dicitur ἀψυχία, ἐκψυχία, ἔκλυσις. Vide *Apſychia*, *Eclyſis*, *Ecpſychia*.

EXANTES, ἐξάντης, id eſt, *ſanus*, incolumis, q. d. ἔξω τῆς ἄντης, *extra noxam*. Legitur in Hipp. *l.* 1. *de morb. X.* 56. *l.* 3. *III.* 11. *l.* 5. *Epid. XIX.* 1. *lib.* 1. *de morb. mul. LXIX.* 4.

EXANTHEMA, ἐξάνθημα, item ἐξάνθισμα, in genere denotat omnem *effloreſcentiam*, aut eruptionem præternaturalem in cute, ſive cum aliqua ſolutione continui fuerit, ut ſunt Puſtulæ, Papulæ, Variolæ, quo etiam pertinent alia nomina, *Ecbraſmata*, *Eczeſmata* &c. Sive abſque ſoluta continuitate colorem ſaltem cutis mutatum, ſive maculas cutaneas. Quo pertinent *Morbilli*, *Petechiæ*, *Maculæ Scorbuticæ*, *Hepaticæ*, *Lentigines*, &c. Vide Gal. *com. ad l.* 6. *aph.* 9. Hipp. Dieter. *n.* 299. Foëſ. *Oec. p.* 213. *ſeq.* Verbum eſt ἐξανθέω, *effloreſco*, erumpo. Quod etiam Hipp. de ulceribus uſurpavit, *l. de morb. ſacr. VII.* 8.

EXANTHROPIA, ἐξανθρωπία, idem eſt, quod ἀπανθρωπία, tertius gradus Melancholiæ juxta Wedel. *Patholog. Dogmat. ſect. II. c.* 9. *p.* 597. Vide *Apanthropia*.

EXAPLOSIS, ἐξάπλωσις. Vide *Synneuſis*.

EXAPSIS, ἔξαψις, *accenſionem*, inflammationem ſignificat. Uſurpatur de alimentorum corruptione, quando in ventriculo ſuccenduntur & æſtuoſi fiunt, quem effectum caſeo tribuit Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 91. Provenit vero hoc à fermenti chylificantis nidoroſa & ſalina ſulphurea qualitate vitioſa.

EXARAGMA, ἐξάραγμα, idem, quod σύντριμμα, ſignificare vult Gal. *colliſionem*, *confractionem*, *in Exeg. dict. Hipp.*

EXARCHIATROS, ἐξαρχίατρος, dubium eſt, quid proprie ſignificet. C. Hofm. inclinat in hanc ſignificationem, quod *Exarchiatri* ſint Comites Archiatrorum, qui præſunt Collegio Medico, *l.* 5. *Var. Lect. c.* 28. Quemadmodum & ἐξίατρος denotat talem Medicum, qui præ aliis artis ſibi inſignem peritiam paravit, *d. l. c.* 26.

EXARMA, ἔξαρμα, idem, quod ἔπαρμα, *tumor elatus*. Hipp. *l.* 4. *Epid. XX.* 14.

EXARSIO ſignificat intemperiem valde calidam abſque tumore à ſanguinis exæſtuatione & nimia efferveſcentia inductam, & quidem cum ſiccitate, qualis in febribus hecticis reperitur, Fallop. *de Tum. p. n. cap.* 3. *Tom. I. p.* 621.

EXARTEMA, ἐξάρτημα, idem, quod *amuletum*; *periaptum*, ligatura, ubi plerumque ſuperſtitioſa, aut vana, aut magica coincidunt. Robert. Keuchen. *in proleg. ad Q. Seren. p.* 54.

EXARTHREMA, ἐξάρθρημα, ἐξάρθρωμα, ἐξάρθρωσις, *Luxatio* dicitur, & quidem totalis, quando totus articulus à ſua ſede naturali excidit. Gal. *l.* 2. *M. M. c.* 2. Dicitur & ἔκπτωσις, & ἔκπτωμα. Vide *Ecptoma. Luxatio* vero parva vocatur παράρθρημα. Vide *Luxatio*.

EXARTHROS, ἔξαρθρος, Hippocrat. dicitur quaſi *exarticulatus*, cui articuli natura prominent & exerti ſunt, 1. *de artic. t.* 35. Gal. *in comm. ad h. l.* quamvis & æger, cui membrum luxatum eſt, ἔξαρθρος dici poſſit.

EXARTICULATIO, ἐξάρθρωσις. Vide *Exarthrema*.

EXARYSIS, ἐξάρυσις, *exhauſtionem* ſignificat, idem, quod ἀπάντλησις, vel ἐξάντλησις, Gorr. *p.* 144. Derivatur à verbo ἐξαρύω, quo ſæpe uſus Hipp. *l. de Loc. in hom. XL.* 3. 12.

EXASPERATIO, ἀποτραχύνσις, ἐξατράχυνσις, τραχύτης, idem, quod *Aſperitas*. Vide *Aſperitas*. Dicitur vel de morbo in ſuperficie, quando partis alicujus ſuperficies præternaturaliter inæqualis fit, quæ levis eſſe debeat, *Dogm. Med. Gen. l.* 2. *c.* 4. *dogm.* 5. Et in hac ſignificatione legitur apud Scribon. L. *num.* 72. & 122. Ita fauces *exaſperatæ* &c. vel de remedio, quo nimium lævigata exaſperantur. Hipp. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 4. & Galen. *in comm.* Talia medicamenta dicuntur τραχύνοντα, *Exaſperantia*, qualia ſunt acria, acida, & adſtringentia, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. tit.* 18. *Exaſperare* etiam ſæpe à Medicis uſurpatur pro *Exacerbare*, quando v. g. Dolor dicitur *exaſperari*, h. e. augeri, exacerbari.

EXCALEFACTIO, idem, quod *Calefactio*, θερμότης, vel θέρμανσις.

EXCANDESCENTIA, ὀξυθυμία, dicitur ſpecies *Iræ* celerioris, quando quis levi etiam de cauſſa ad iracundiam commovetur. *Præceps ira* quoque vocatur, & conſiſtit in ſpirituum vitalium & animalium præpropera accenſione & agitatione, ſanguiniſque præſertim circa præcordia æſtu & ebullitione ad habitum corporis quoque diffuſa. Pertinet igitur inter affectus & pathemata animi, quæ medio modo ſeſe habent, ita ut quandoque cauſſa morbifica eſſe poſſit, Gal. *l.* 3. *de diffic. reſpir. c.* 10. quandoque vero remedium præbeat pro calore excitando, Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. IV.* 26. Qui ad hujuſmodi iram proclives ſunt, appellantur ὀξύθυμοι, Galen. *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 78. Vide Foëſ. *Oec. p.* 457.

EXCANTATORIA, eſt ſpecies *Magiæ præſtigioſæ* & diabolicæ, quæ & *Incantatoria* vocatur, de qua vide Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 29.

EXCASTRATUS, idem, quod *Caſtratus*. Vide ſupra. Scrib. L. *n.* 9. Rhod. *in Lexic. Scrib.*

EXCAVATIO, λόρδωσις, vide *Lordoſis*. Alias in genere *Excavatum*, idem, quod *Cavatum*. Vide *Cavatus*.

EXCEPTIO dicitur de medicamentis ſiccis, quando incorporantur liquore quodam. Ita pulveres & ſpecies Theriacam ingredientes dicuntur *excipi* melle, & ſimile quid etiam fieri ſolet in ſyrupis compoſitis, ubi ſicca ſaccharo *excipiuntur*.

EXCEREBRATUS, ἀνεγκέφαλος, tropice dicitur inſipiens, *amens*, Galen. *l.* 3. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 4.

EXCERNICULUM vocant haud raro recentiores Medici partes excretioni alicujus humoris dicatas. Ita capſulas renales atrabiliares Petruccius vocavit *excerniculum*, & receptaculum atræ bilis, *Spicil. Anat. p.* 72. & D. D. Wedel. *Pathol. ſect. II. c.* 3. culum & cuticulam, uterum, penem, inter flatuum *excernicula* & emiſſaria recenſet.

EXCERPTUM, ἐκλογή. Vide *Ecloge*.

EXCESTRENSE vocatur oleum quoddam e multis ingredientibus vegetabilibus oleo maceratis & coctis, cujus deſcriptio extat *in Pharmacopœa Coll. Lond. p.* 325. *ſeqq.*

EXCIDENTIA, ἔκπτωσις. Vide *Ecptoſis*.

EXCIPULUM dicitur Vaſculum vitreum, quo excipitur liquor e retorta vel alembici roſtro deſtillans. Occurrit apud Paræum *Chirurg. l.* 26. *c.* 5. & 9. Legitur & in Petri Guiſſonii *Diſſertat. Epiſtolica de tribus Chymicorum principiis*.

EXCISIO, ἐκκοπή, ἐκτομή. Vide *Eccope*.

EXCITATIO refertur inter ſpecies motuum naturalium, quæ comprehendit ſub ſe fermentationem, digeſtionem, maturationem, volatiliſationem, putrefactionem &c. quando videlicet à cauſſa vel interna ſubſtantia ſpirituoſa à tenuiori vel externa agente particulæ miſti inter ſe moventur, ut varias novas determinationes ſuſcipiant à textura, poris & diſpoſitione corporis, quemadmodum terminum hunc ita accepiſſe P. Franciſcum Tertium de Lanis S. I. Brixienſem *Tom. III. Magiſterii Artis & Naturæ Libr. XV.* legitur *in Actis Eruditor. Lipſ. de Anno* 1693. *m. April. p.* 146.

EXCLAMATIO, βοή, idem, quod *Clamor*. Vide ſupra ſuo loco.

EXCLUSORIUM idem ſignificat, quod Fœtum pellens vel abortum promovens medicamentum. Uſurpatur à Theodoro Priſciano *in Phœnomen. Euporiſtor. l.* 3. *Gynæcia dicto c.* 6. *p. m.* 147.

EXCOCTIO, ἕψησις, eſt ſpecies *Elixationis*, vel *Colliquationis*, quæ fit ob nimiam humiditatem, non autem ſiccitatem, uti fit in carnibus elixis, quæ nimia redundante humiditate *excoctæ*, & exactæ ſunt. Et tribuitur metaphorice corpori, quod per nimium ſomnum, veluti per quandam elixationem, diſſolvitur. Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 55. Gal. *in comm. Excoctio*, & *Excoctor* dicitur de liquatione metallorum crudorum, vulgo ſchmeltzen. Rul.

EXCOECATIO, idem, quod *Cœcitas*.

EXCORIATIO, δάρσις. Vide *Darſis*: *Excoriatorius*, vel *Excorians*. Vide *Ecdorius*.

EXCORS,

EXCORS, ἀκάρδι@, idem, quod *Secors*, quaſi ſine corde. Epitheton tropicum meticuloſi. Gal. *l.* 3. *de Hipp. & Pl. Decr. c.* 4.

EXCORTICATIO, λέπισμα, idem, quod *Decorticatio*, id eſt, *Corticis* exterioris detractio, uſitata v. g. in 4. ſeminibus frigidis majoribus, Schroder. *l.* 1. *c.* 14. Fr. Hofm. *in Clav. p.* 28.

EXCREMENTUM, *Excretum*, *Excernendum*, item haud raro abſtractive *Excretio*, Gr. περίττωμα, διαχώρημα, (vide *Diachorema*) in genere notat omne id, quod in corpore alendo nec confici, nec aſſimilari potuit. Cumque corpori non adnaſcatur, nec adcreſcat, propterea per ipſius laxiora intus ſpatia ſupervacaneum errat, Gal. *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 3. Vel *Excrementum* generaliter eſt omne ſuperfluum per naturam ejectum. Rul. Accuratius vero ita deſcribi poſſunt *Excrementa*, quod ſint ea, quæ vel ex opificis inſtituto vel propter copiam, vel propter degenerem conditionem ex corpore ſecerni & ejici poſtulant. Unde fluit quoque diviſio in *Excrementa Naturalia* ſive ſec. naturam, & *Præternaturalia*. Utrorumque Catalogum vide *in noſtris Dogm. Medic. Gen. P. I. c. 9. & P. II. c.* 11. Jung. Dietr. *n.* 205. 206. Notanda quoque diſtinctio in *liquida* & *ſolida*, Linden. *Ex. XI.* §. 108. Dividuntur & in *Excrementa* primæ, ſecundæ & tertiæ coctionis. Dieter. & plerique inſtitutioniſtæ. Maculas in Aſtris, ut & Ignes cadentes & ſimilia Meteora ignita *Excrementa* vocaſſe Parac. patet *ex tract.* 1. *de peſtilitate*, & confirmat Libav. *T. IV. Oper. p.* 147.

EXCRESCENTIA, ὑπερσάρκωσις, σαρκοφυΐα, *caro excreſcens*, luxurians, eſt ſpecies morbi in numero excedente, quando maſſa quædam carnoſa p. naturaliter parti alicui accreſcit, ex luxuriante ſucco nutritio, aut per ſolutionem continui aberrante; quo pertinent σύκωσις, *ficus*, *polypus*, *unguis in oculo* &c. Σαρκοφυΐας meminit Hippocr. 3. *de fract. t.* 45. quamvis mihi videatur potius ſignificare regenerationem carnis deperditæ neceſſariam non ſuperfluam, ὑπερσάρκωσις vocatur à Gal. *l.* 3. *meth. med. c.* 6. & ulcus, cum excreſcentia carnis dicitur ὑπέρσαρκον, *l.* 2. *M. M. c.* 2. Vid. & Scribon. *n.* 37. & 228. Verrucas ſimileſque *excreſcentias* collecto in conum lumine Lunæ per vitrum ſuperradiatas, donec frigus intro ſenſerint, ſponte deinceps evaneſcere, ſcripſit Helmont. *tr. Formar. Ort. n.* 55.

EXCRETIO, διαχώρησις, vel ſumitur proprie pro ipſa actione excernenda rejiciendi, eſtque Naturæ munus, Lind. *Ex. XIII.* §. 258. vel, quod frequentius, pro *Excremento* ipſo actionem excretoriam præſupponente. Vide *Excrementum*.

EXCUSSIO quibuſdam recentioribus ſignificat exiſtentiam cauſſæ morbificæ extra partem affectam, v. g. in palpitatione cordis cauſſa morbifica eſt vel ab intra & circa cor, & dicitur ab *Oppreſſione*, vel aliunde eſt, & dicitur ab *Excuſſione*. Bonet. *Anat. Pract. lib.* 2. *ſect.* 8. *Obſ.* 31. *in not. p.* 655.

EXCUSSUS, Ital. *ſcrollato*, dicitur, quando quid madefactum iterum in aëre agitatur, ut ſuperflua humiditas adhærens ſeparetur, ne medicamentum, cui intingitur, nimis adhæreat. Scrib. L. *num.* 10. Vide Rhod. *in not.*

EXCUTATIO, ἐκβύρσωμα. Vide *Ecbyrſoma.*

EXECHEBRONCHOS, ἐξεχέβρογχος, *gutturoſus* dicitur, qui guttur in anteriorem partem prominens habet. Hipp. 3. *de artic. t.* 8.

EXECHEGLUTOS, ἐξεχέγλουτος, vocatur, qui prominentes habet nates, q. d. *Cluneminulus*, quales ſunt, quibus utrumque femur in exteriorem partem luxatum eſt. Hipp. *d. l. t.* 95.

EXEDENS, ἐσθιόμενος. Vide *Eſthiomenos.*

EXEGESIS, ἐξήγησις, eſt obſcura orationis *explicatio*. Gal. *l.* 2. *de diff. reſp. c.* 1. & *com.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 56. Medico quoque neceſſaria & utilis. Dicitur & *Explanatio.*

EXELASIS, ἐξέλασις, vide *Exploſio.*

EXELCOSIS, ἐξέλκωσις, i. e. *Exulceratio.* Legitur apud Moſch. *de morb. mul. c.* 135.

EXELCYSMUS, ἐξελκυσμὸς, eſt oſſis, vel oſſium deductio à ſuperficie in profundum. Gal. *in def. Med. fin.*

EXEMPLUM, παράδειγμα, quid ſignificet, notum. Horum obſervationes Medico maxime neceſſarias eſſe, docet Gal. *l.* 9. *Meth. med. c.* 4. *in princ.* & *l.* 2. *de cauſſ. pulſ. c.* 13.

EXENTERIZO, ἐξεντερίζω. Vide *Emedullo.*

EXENTHROPISMENOS, ἐξηνθρωπισμένος, ab ἐξανθρωπίζω, id eſt, *ad hominis uſum* & *naturam accommodatus.* Legitur apud Hippocr. *l. de octimeſtr. partu. III.* 26.

EXERAMA, ἐξέραμα, *vomitum*, vel materiam vomitu rejectam ſignificat, à verbo ἐξεράω, *vomitu rejicio*, quo uſus Hipp. *l.* 4. *de morb. XXIII.* 16. Significat etiam *exhaurio l.* 2. *de morb. LIX.* 28.

EXERCITATIO, ἄσκησις, Exercitium, ἄσκημα, γυμνάσιον. Dicitur de corpore & animo. Utraque neceſſaria ſcitu in Medicina, & utilis. Interdum etiam per abuſum noxia. *Exercitatio* corporis conſiſtit in motu locali corporis, & membrorum validiori. Cujus varias eſſe differentias docuit Fr. VallerioIa *libr.* 2. *LL. CC. cap.* 10. Vide *Dogm. Noſtra Med. Gen. P. V. c.* 5. *dogm.* 2. & dividi poſſunt in Serias & Ludicras. Illæ *Laborum*, hæ *Ludorum* nomine venire ſolent. Quid ſit *Exercitatio* ſanitatis, ἄσκησις ὑγιὴς, docet Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 22. Quando *exercitatio* ſalubris, vel inſalubris ſit, monſtrat Gal. *Art. Med. c.* 85. *Exercitatio* acuta, cujus celeres ſunt motus, γυμνάσιον ὀξὺ, corpus extenuat; contraria craſſum reddit. Multa corpus ſiccat, mediocris obeſum præſtat, *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 3. *Mentis exercitatio* dicitur,

quando animus exercetur in artis alicujus ſtudio cum aſſiduitate, & cura. Hippocr. etiam vocat τριβὴν, item χειροτριβίην, uſum artis præceptorum, *l. Præcept. X.* 16. 18. Hanc quoque inculcavit, ceu neceſſariam Gal. *l.* 2. *de loc. Aff. cap.* 1. ubi tres modos propoſuit; quorum primus verſatur circa corporis partes & membra; ſecundus circa cauſſas & diſpoſitiones; tertius circa accidentia & ſymptomata. Videantur plura loca, ſi placet, *in Theatro* Mundellæ, aliiſque Autoribus.

EXERCHOMÆ, ἐξέρχομαι, *abeo*, recedo, & uſurpatur aliquoties de morbo apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. XIII.*23.*LXVII.* 23. *l. de int. aff. XLIX.*17.*LI.*50.*LIII.*17.

EXERRHOSIS, ἐξέῤῥωσις, ἐξεῤῥύησις, ἢ ἐξέῤῥευσις, idem, quod ἐκροὴ, *Effluxus*, *effluvium.* Legitur in Hipp. *l. 6. Epid. ſ. 6. t.* 27.

EXERYTHROS, ἐξέρυθρος, ſignificat *prærubrum*, ſive valde rubrum. Alii de rubore extrinſeco exponunt. Utrumque verum eſſe poteſt, pro diverſitate ſubjecti, de quo dicitur, licet prior ſignificatio ſit uſitatior. Uſurpatur vero apud Hippocr. de oculis *c.* 3. *l.*1. *Prorrh. t.* 45. de excrementis & urinis *d. l. t.* 35. *& ſ.* 1. 31. *Coac. t.* 569. Vide Foëſ. *p.* 217.

EXESTIÆ, ἐξεσίαι, dicuntur eminentiæ & *extantia fila in linteis*, quæ interdum dedita opera, interdum etiam temere fiunt. Et meminit hujus vocabuli Hippocr. 2. *de iis, q. in medic. t.* 26. Mendoſe legitur à Gal. & Erotiano ἐξάσις vel ἐξασίας.

EXESUS, διαβεβρωσμένος, idem, quod *Corroſus*, corruptus, σηπτὸς. Dicitur de dentibus apud Scrib. L. *n.* 53. 95.

EXETRIASMENOS, ἐξητριασμένος, id eſt, *colatus*, percolatus, Galen. *in Exeg. dict. Hipp.*

EXEUCRINEO, ἐξευκρινέω, ſignificat Hippocr. *coapto*, diſtincte & convenienter compono, diciturque de oſſibus rite in naturalem ſedem reſtitutis, 2. *de fract. t.* 62.

EXEUNUCHIZO, ἐξευνουχίζω, ſignificat *caſtro.* Vide *Caſtratus.*

EXFOLIATIVUM, vide *Deſquamatorium.*

EXHALATIO, ἀναθυμίασις, dicitur & *Evaporatio.* Græce etiam πνεῦμα vocatur, uti patet ex Dieter. *n.* 697. quia nihil aliud eſt, quam aër, vel ſpiritus per calorem in aërem e corporibus mixtis elevatus & diſcedens. Três *exhalationum* ſpecies conſtituit Gal. *l. de cauſſ. morb. c.* 3. *fuliginoſam*, *vaporoſam*, & *fumoſam*, quamvis alibi etiam *flatuoſæ* meminerit, *com.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 15. Verum nimis ſtricte uſurpavit vocabulum *Exhalationis* de excrementitiis & præternaturalibus; cum tamen revera etiam ipſe calor noſter vitalis & Flammula, ſive Biolychnium nihil aliud ſit, quam *Exhalatio ſpirituoſa*, ignea, quemadmodum hoc jam olim in publica quadam Diſput. *de Fermentat. ſanguinis* defendere non dubitavi, & ſuo calculo Charlton. *in Occon. Anim. Ex. I.* aliique comprobarunt. *Exhalatio* quoque *Artificialis*, vel Chymica datur cum ſpiritus ſicci per calorem in aërem elevati diſcedunt. Et fit potiſſimum in ſiccis tritis, poſitiſque ſuper tabulis ferreis, vel catinis plani fundi, vel etiam clibanorum pavimentis; Igni ſuccenſo, vel circum ſuprave adhibito torrentur, donec halitus ſint abſumpti, ut in venis metallicis evenit. Rul. & Iohnſ. *Exhalata* naturalia in univerſum fæcem poſt ſe relinquere tam in vivis, quam inanimatis, excepto ſanguine, vult Helmont. *tr. Plas human. n.* 34. Verum adhuc dubitatur de aſſertionis hujus veritate.

EXHAUSTIO, ἐξάρυσις. Vide *Exaryſis.*

EXHIBITIO, πάρεξις, dicitur Hippocrati, quando æger ſe Medico exhibet & ſiſtit, ad dignoſcendum & curandum, 3. *de iis, q. in med. t.* 19. (vide Gal. *in comm. ad h. l.*) Ita & verbum παρέχω, *exhibeo*, hac ſignificatione ſumitur *l. de int. aff. XXXVII.* 13. Sed & de Medici officio dicitur, quod & reciproce ſeſe ægro *exhibere* debeat expeditum, 1. *aph.* 1. Vid. Dieter. *n.* 654.

EXIATROS, ἐξίατρος. Vide *Exarchiatros.*

EXINANITIO, κένωσις. Vide *Cenoſis.*

EXIPOTICOS, ἐξιπωτικὸς, epitheton aliquod medicamentorum *digerentium* aut præparantium, quod Gal. coincidere exiſtimat cum ἐπισπαστικοῖς, vel attrahentibus, *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 9. Enimvero major emphaſis latet in hoc vocabulo ἐξιπωτικὸν, ad hodierna principia faciens; quatenus modum tacite exprimit, per quem operantur: Nimirum ſegregando excrementitias portiones ab utilibus & in organis viſceribuſque colatoriis veluti exprimendo, & ad excretionem ita diſponendo, de quo modo plura legantur *in Diſp. noſtr. de Purgat. modo ac viis ad alvum*, *annexa Remoris Purgationis*, *θ.* 43. *ſeqq.*

EXISCHIOS, ἐξίσχιος, dicitur ſpecialiter *Os femoris luxatum* ex acetabulo *Iſchii*, vel coxæ, item *Coxa luxata.* Unde & illi homines, quibus nates rotundæ extant & coxa eminet, ἐξίσχιοι vocantur, quos paulo ſuperius ἐξεχογλούτους diximus. Vid. Hippocr. *Mochlic. XI.* 10. *XXIV.* 10. *&* 3. *de art. t.* 103.

EXISCHON, ἐξίσχων, id eſt, *prominens*, tumidus, extans, cui opponitur ἐγκοίλος, *incavatus.* Dicitur utrumque de oculis, 1. *Prognoſt. t.* 10.

EXISTIMATIVA *Virtus* vocatur ſpecies animæ ſenſitivæ exaltata, ultra *Imaginativam*, qua animal judicat, quod lupus eſt inimicus, & proles dilecta. Accedit proxime ad Rationalem, Avic. *l.* 1. *fen.* 2. *doctr.* 1. *c.* 5.

EXITELOS, ἐξίτηλος, ſignificat evanidum, exoleſcens, *exile*, diciturque de alimentis nullum incrementum conferentibus. Hippocr. *de Alim. I.* 7. Prædicatur etiam de defectu aliquo naturæ minori, *Præcept. IX.* 10. inde Erotianus idem dicit ἀσθενὴς, ac infirmus.

EXITIALIS, *Exitium*, ὄλεθρος, ὀλέθριος, idem, quod

quod *Pernicioſus*, *Pernicies*. Dicitur de eventu morbi funeſto, & ſignis eundem indicantibus.

EXITURA generaliter eſt omne *Apoſtema*, quod ſaniem ejicit. Rul. Walther. *in Sylv. Med. p.* 10. Latine etiam *Abſceſſus ſuppuratus* dici poteſt. Sæpe legitur hoc vocab. in Avicenna, idem ſignificans, quod *Abſceſſus*, quando materia colligitur in tumorem calidum, *l.* 4. *fen.* 3. *tr.* 1. *c.* 20. *ſeqq.* Jung. Foreſt. *l.* 1. *Obſ. Chirurg.* 1. *Schol.* Paracelſus vero latius extendit, *Exituram* dicens, quod omne excrementum alias naturale quidem, ſed corruptum ſit *Exitura*, v. g. mucus purulentus, urina putreſcens, ſudor & ſtercus putreſcens. Pus in auribus ipſi dicuntur *Exituræ*, *l. de Ulceribus & Apoſtem. ſuppur. c.* 59.

EXITUS, ἔξοδος, διέξοδος. Vide *Diexodos*. Scribon. L. *n.* 192. Sumitur etiam aliquando pro *Eventu* morbi.

EXMIRALDUS vocatur *lapis* quidam *factitius*, aut *nativus*, cujus compoſitio, vel generatio ſatis obſcure deſcribitur à Lullio *Tract. Animæ tranſmutat. Th. Ch. Vol. IV. p.* 190.

EXO, *Exothen*, ἔξω, ἔξωθεν, particula uſitata Hippocrati, in genere ſignificans *Externe*. Juncta vero cum articulo τὰ, vel ſignificat *partes corporis externas* & remotiores à corde, ceu fonte caloris, ut ſunt, manus, pedes, naſus, aures, labia, & aliquando tota cutis, uti patet *ex* 4. *aph.* 48. collato *cum* 2. *Prognoſt. t.* 4. Videatur Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 15. §. 11. vel denotat *cauſſas externas* remotiores concurrentes in ſanitatis, vel morborum generatione. Quo pertinet 1. *aph.* 1. Jungatur Dieter. *n.* 306. Aliquando ſimpliciter poſitum ἔξω, *foras*, notat *locum exteriorem*, quo vergit materia morbifica ſalutariter, 6. *aph.* 37. & 1. *Prognoſt. t.* 40. Huic opponitur ἔσω, *intus*.

EXOCHAS, *Exoche*, ἐξοχάς, ἐξοχὴ, dicitur in *ano* genitum *tuberculum*, quod callum nondum contraxit. Si namque jam contraxit, κονδύλωμα vocatur. *p.* 146.

EXOCULATIO, ἐξομμάτωσις, dicitur vel *totalis oculi ablatio*, vel *virtualis ejuſdem privatio*. C. Hofm. *V. L. l.* 4. *c.* 39.

EXOCULATUS legitur apud D. Henr. à Deventer *in Arte obſtetricandi Cap. XLV. p.* 200. pro orbo oculis, aut cujus oculi lumen non capiunt.

EXODOS, ἔξοδος, *Exitus*. Vide *Diexodos*.

EXOLCYSMOS, ἐξολκυσμὸς, idem, quod *Exelcyſmos*. Vide p. ſuperius.

EXOMPHALOS, ἐξόμφαλος, ſubſtantive & adjective accipitur. Subſtantive ſignificat *Umbilici prominentiam*, quæ variis de cauſſis fit, Gal. *defin. med.* Hinc *Herniæ umbilicalis* ſpecies complectitur. Adjective notat *homines tali umbilici prominentia laborantes*, ſive rupto omento, aut peritonæo, aut procidente inteſtino, vel laxatis muſculis tranſverſis, ſive carne ſubnata, ſive ſanguine, aut alio humore ibidem collecto. Gal. *l. de tum. p. n. c.* 16.

EXONCOMA, ἐξόγκωμα, vocatur magnus & valde prominens tumor, Latin. *Protuberantia*, & uſurpatur à Galeno de protuberante vertebra poſt luxationem, *l.* 4. *de L. A. c.* 3. Legitur apud Hippocr. *l. II. Epid. ſect.* 2. *edit. Foëſ. p.* 1017. & mirum, quod Foëſ. neque *in Oeconomia ſua*, neque *in Annotationibus ad illum loſum* vocem hanc expoſuerit.

EXONEIROSIS, ἐξονείρωσις, *pollutio nocturna*, ſive ſeminis in ſomno excretio. Eſt ſpecies *Gonorrhœæ*. De hac voce & verbo ἐξονειρώσσω lege Linden. *Ex. XV.* §. 35. *ſeqq. fere per totum.* Vide infra *Gonorrhœa*.

EXOPHTHALMIA, ἐξοφθαλμία, dicitur *Oculi totius prominentia* extra ſuam orbitam, qualem ex hypochondriaca obſtructione cum inſigni tumore conjuncta obortam notavit Bonetus *Med. Septentr. l.* 1. *ſ.* 22. *c.* 64. *p.* 260.

EXOPTOS, ἔξοπτος, percoctus, *excoctus*. Hippocr. *l.* 7. *Epid. LV.* 15. Vide *Biſcoctus*.

EXORCISMUS, ἐξορκισμὸς, *Adjurationem* ſignificat, & quidem magicam, qua dæmonia, quæ homines obſidebant, & morbis affligebant, profligantur. Cujus inventio Salomoni accepta refertur, teſte Langio *l.* 1. *Ep.* 34. *Exorciſta* eſt ſuperſtitioſus artifex, qui manes ac ſpiritus adjurationibus evocat, ac apparere facit. Rul. Cur vero *Exorciſtarum* verba non ſemper operentur, vide apud Helmont. *tr. de magnet. vuln. cur. n.* 172.

EXORESCENTIA febr. exacerbatio. Petrus Merenda *de rat. evacuationis l.* 2.

EXORNATORIUS, κοσμητικὸς, κομμωτικὸς. Vide *Commoticus*, *Coſmetica*.

EXOSIS, ἔξωσις, *expulſionem* ſignificat, Hippocr. 3. *de artic. t.* 45. à verbo ἐξώσαι, *expellere*, quod legitur *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 2. quod idem eſt, quod ἐκκενοῦν, *evacuare*, Gal. *in comm.*

EXOSSIS, *Exos*, epitheton piſcis *Huſonis Ichthyocollæ*, ita dicti, quod oſſibus & ſpinis careat. Vide Schrod. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 81. Aldrov. *l.* 4. *de piſc. c.* 11. & *l.* 5. *c.* 4. Hirudo quoque *Exos* dicitur, teſte R. Keuchen. *ad Seren. p.* 233.

EXOSTOSIS, ἐξόστωσις, Lat. *Exoſſatio*, *oſſis eminentia* & extuberatio, quacunque corporis parte præter naturam contigerit. Peculiari tamen nomine oſſium tubera, quæ in genis contingunt, σπινθαρισμοὶ dicuntur. Non dubium eſt, hujus tumoris, qui præter naturam eſt, materiam craſſam eſſe & melancholicam. Sunt autem hujuſmodi tumores Gallico morbo laborantibus familiares. Hæc Gorr. *p.* 145. & Caſtell. *ex Galen. l. de Tum. p. n. c.* 14. Meminit *c. l.* 14. *M. M. c.* 7.

EXOTHEN, ἔξωθεν. Vide *Exo*.

EXOTICOMANIA, ἐξωτικομανία, nomine hoc à

Roſ.

Roſ. Lentilio efficto indicatur amor remediorum peregrinorum, qua ſimplicium, qua compoſitorum, quam etiam rectiſſime improbavit *in Miſcell. Medico-Practicis Part. II. p.* 548. cui opponitur *Exoticadenia*, ἐξωδενία, h. e. odium erga medicamenta peregrina, quæ etiam nulla digna laude eſt. *d. l.*

EXOTICUS, ἐξωτικὸς, *extraneus*, peregrinus. Remedia *exotica* dicuntur, quæ aliunde e peregrinis terris transferuntur; & horum uſum non ſemper præferendum eſſe domeſticis, judicat Schroder. *l.* 1. *c.* 13. & Fr. Hofm. *in clav. ad h. l. p.* 26.

EXPANSUS, ἐκπεπταμένος. Vide *Ecpeptamenos.*

EXPEDITIO, εὐπορία, idem, quod *promtitudo*, facilitas in operationibus Medicis & Chirurgicis. Hipp. 2. *de iis, q. in medic. t.* 1. Vide *Euporia. Expeditus* pro *Liberatus*, curatus, legitur apud Scrib. L. *n.* 171.

EXPELLENS, ὠστικὸς, ἐκκριτικὸς, epitheton eſt medicamentorum virtutem expellendi habentium, præſertim virus peſtilens ad exteriora. Ita Decoctum *expellens* ejuſmodi legitur apud Iunken *in Corpor. Pharmaceut. Sect. III. c.* 7. *p.* 401.

EXPERGEFACTIO, ἐγρήγορσις. Vide *Egregorſis.*

EXPERIENTIA, πεῖρα, ἐμπειρία. Vide *Empeiria. Experientiæ* varias ſpecies propoſuit Cornel. Bontekoe *in opuſculo de experientia.*

EXPERIMENTATOR dicitur Paracelſo, qui utitur remediis ſine ſcientia ad ſortem. *Paragran. tr.* 1. *de Philoſoph. tr. de Epilepſia, l.* 1. *de morb. Podagric.*

EXPERIMENTUM, vocatur remedium, quod per experientiam innotuit; quamvis ratio virtutis nondum ſatis perſpecta. Paracelſ. vocat *Experimentum ad ſortem* & ſine ſcientia, *Labyrinth. Medicor. c.* 6. Alias etiam ſæpe ſumitur pro ipſa *Experientia.* Vide Dieter. *n.* 665. Quod ſæpe etiam *Experimenta* fallant, teſtis eſt magiſtra ſtultorum *Experientia.*

EXPLANATIO, ἐξήγησις, idem, quod *Explicatio.* Vide *Exegeſis.*

EXPLANTATIO, ἀπόφυσις, vide *Apophyſis.* Legitur apud Ingraſſ. *comm. in Gal. l. de Oſſib. p.* 22.

EXPLETIO, πλήρωσις, πλησμονὴ, idem, quod *Repletio, Impletio.*

EXPLORATIO quid ſignificet, ex aliis Lexicis jam notum eſſe debet. Refertur autem in foro Medico inter Chirurgicas operationes, denotans modum per inſtrumenta inquirendi in affectus attributa, v. g. profunditatem, cuniculos &c. Blaſ. *Medic. Un. p.* 38. *Exploratoria* inſtrumenta lege apud eund. *d. l. pag.* 71.

EXPLOSIO, ἐξέλασις, ἐξέλασις, ἐκκροτισμὸς, hodieque terminus eſt receptiſſimus, quo exprimitur impetus ille, quem præſtat pulvis pyrius, aurum fulminans & ſimiles mixturæ nitro-ſulphureæ, dum igni admoventur. Poſtea tropice applicatur ad ſpiritus animales, dum motum animalem ſive localem efficiunt in ſtatu ſec. & præternat. ex hypotheſi Williſii *de ferment. c.* 10. & *Patholog. cerebr. c.* 1. 2. *alibique.*

EXPOSITIO, ἔκθεσις, idem, quod ἐξήγησις, *explicatio.*

EXPRESSIO, ἐκπιεσμὸς, ἔκθλιψις, eſt humidæ & tenuis ſubſtantiæ ſeparatio à ſicca & craſſa per violentam & validam compreſſionem facta. Fit autem vel torculari, vel prelo, vel manu, vel aliis inſtrumentis, prout neceſſitas, aut vis major exigit. *Expreſſionis* uſus latiſſime patet in infuſis, decoctis, ſyrupis, oleis, & id genus aliis. Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 31. Rulandus paulo aliter deſcripſit: *Expreſſio* eſt extractio per prælum, quo coacta res ſubſtantiam forma liquida effundit. Ejus uſus excellit in ſuccis, & aliis quibuſdam extrahendis.

EXPULSIO, ὦσις, ἀπόκρισις, ἔκκρισις, vide *Apocriſis, Eccriſis.* Adde & Rolf. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 28. *Expulſoria ligatura* dicitur, quæ in antiquis ulceribus & ſinubus locum habet, ut collectam e fundo materiam & colluviem extrudat, &, ne quid amplius in locum affectum confluat, valide prohibeat. Foreſt. *l.* 6. *Obſ. Chirurg.* 11. *Schol.*

EXPULTRIX *facultas*, ἀποκριτικὴ δύναμις. Vide *Apocriſis.* Gal. *l.* 5. *de Loc. Aff. c.* 7.

EXPURGATIO, ἐκκάθαρσις, idem, quod *Purgatio.* Vide inf. *in Pur.*

EXQUISITUS, ἀκριβὴς, γνήσιος. Vide *Acribes.*

EXSICCATIO, *Exiccatio*, ξήρανσις, ἀποξήρανσις. *Exſiccans*, ξηραντικὸς. Vide *Siccatio, Siccans, Siccus.*

EXSOLUTIO, *Exolutio*, ἔκλυσις. Vide *Eclyſis.*

EXSPIRATIO, *Expiratio*, ἐκπνοή. Vide *Ecpnoë.* De *Exſpirationis* ſpecie convulſiva vide Gal. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. & 4. *aph.* 68.

EXSPUITIO, πτύσμα, πτύσις. Vide *Ptyſis.* Hujus organon linguam eſſe vult Jacob. Rolandus de Belebad *in tr. Gloſſoſtomograph. c.* 3. Vid. *Ephem. N. C. Ann. III. in fin.*

EXSUCCATIO, ἐκχύμωμα, idem, quod *Sugillatio.* Vide *Ecchymoma.* Hipp. 3. *de iis, q. in med. t.* 30.

EXSUCTIO, ἐκμύζησις, idem, quod *Suctio*, h. e. violenta attractio liquoris, quemadmodum infantes lac e papilla eliciunt ore.

EXSUDATIO, ἐφίδρωσις. Vide *Ephidroſis.*

EXSUFFLATIO, ἐκφύσησις. Vide *Ecphyſeſis.*

EXSUPERANTIA, ἐπικράτεια. Vide *Epicrateia.*

EXSURRECTIO, ἀνάστασις. Vide *Anaſtaſis.*

EXTA, σπλάγχνα, ἱερὰ, idem, quod *viſcera*, præſertim abdominis. In ſpecie etiam ſolum de Hepate uſurpatur à Poëtis, teſte Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 17. Coincidit cum vocabulis ἐγκοίλιον, & *Hira.* Vide *Encœlion.* Unde & olim Sacrifici gentilium vaticinantes ex inſpectione viſcerum *Extiſpices* vocabantur, teſte C. Hofm. *C. ad Gal. de V. P. n.* 189.

EXTENSIO, τάσις, ἔκτασις, κατάτασις, ἀνάτασις; vide *Anataſis, Ectaſis, Catataſis, Taſis. Extenſio qualita-*

qualitatum in ſubjecto aliquo eſt acquiſitio formæ accidentariæ, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 377.

EXTENUATIO, λεπτυσμὸς, λέπτυνσις, dicitur totius molis corporis detractio, imminutio & collapſio, aut ſubſidentia, aut utcunque appellare libet: cui opponitur παχυσμὸς, *Incraſſatio*, Gal. *c.* 3. *in* 6. *Epid. t.* 29. Duplex vero eſſe poteſt *Extenuatio*: alia, quæ fit ab evacuatione ſenſibili, aut inſenſibili portionum utilium & nutritiarum excedente: altera, quæ oritur à cacochymia, ſive collectione & præſentia portionum vitioſarum & inutilium. Dieter. *n.* 499.

EXTERGENS, *Exterſorius*, ῥυπτικὸς, idem, quod *Abſtergens*, *Detergens*. Vide *Abluentia*.

EXTERIOR, *Externus*, *Extimus*, ἔξω, ἔξωθεν. Vide *Exo*.

EXTINCTIO, σβέσις, communiter dicitur de flamma ignis vi quadam oppreſſa & e medio ſublata. In foro Medico vero à nonnullis accipitur de ſpecie quadam mortis, quando flamma vitalis ſuffocatur & ſupprimitur. Id quod etiam in iis, qui naturali morte intereunt, fieri circa dextrum ventriculum ſolet. Verbum *extinguo* etiam Gr. dicitur ἀποσβέννυμι. Hipp. 1. *aph.* 14. Jung. Dieter. *n.* 88. Verbum σβεσθῆναι etiam uſurpatur de tuberculis præter rationem evaneſcentibus, Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 63. Gal. *com. ad h. l.* Vide Foëſ. *p.* 560.

EXTRA, ἔξω. Vide *Exo*.

EXTRACTIO, ἐξαγωγὴ, ἐξολκὴ, ἐξελκυσμὸς, ἐκχύλωσις, accipitur dupliciter: 1. & proprie, chirurgice & corporaliter, quando opera manuaria & inſtrumentorum congruorum aliquid extrahitur. Quo pertinet *Extractio* fœtus, calculi, globorum e vulnere; de quibus vide in Chirurgicis: 2. Pharmaceutice & improprie, & ita *Extractio* eſt digeſtio e corporea concretione partes ſubtiliores ac puriores ab affuſo aliquo menſtruo apprehenſas, relictis fœcibus, diſſolvens. V. g. ſumo Rheubarbari q. v. illique pulveriſato tantum ſpiritus infundo, ut quatuor digitis illi ſupernatet, clauſoque vaſe per quatriduum ad digeſtionem in balneum colloco. Poſtea aperto vaſe per inclinationem ſpiritum coloratum à radice ſeparo, affuſoque alio ſpiritu vas clauſum rurſus ad digeſtionem pono, idque tantiſper, donec ſpiritus non amplius coloratur. Tunc enim omnis Tinctura & Eſſentia e Rheubarbaro *extracta* eſt. Porro confuſis omnibus *Extractionibus* ſpiritum in B. M. abſtraho, reſiduamque eſſentiam in vitreo vaſe ad uſum reſervo, diciturque *Extractum Rhabarbari*. Vel *Extractio* eſt ſegregatio eſſentiæ, quæ e corpore ſuo extrahitur. Fit hic una etiam diſtractio, & potiſſimum ei famulatur reſolutio commiſtorum, nonnunquam etiam calcinatio, coactio & ſimiles, & intelligitur *extrahi* eſſentia in unum collecta, & veluti prolici, quanquam id non fiat ſine ſolutione continui & divulſione. Et ſic nobiliores eſſe diſtractionibus *Extractiones* manifeſtum eſt, quanquam interdum vel famulentur aliis vel eorum locum cedant. Hæc Ruland. Adde Weker. *Antidot. Gen. l.* 3. *c.* 35. Rolf. *Chym. l.* 4. *ſ.* 3. *c.* 1. *ſeqq.* Jacob. le Mort *Chym. Medico - Phyſ. cap.* 15. Interdum etiam *Extractio* ſumitur pro *Evacuatione*, & coincidit cum *Eductione*. Vid. Dieter. *n.* 6. & 54.

EXTRACTUM, Gr. dici poſſet ὀπὸς vel ἐκχύλισμα, eſt, quod e corporea concretione, relicta craſſitie elementari, extrahitur. Eſtque hoc quaſi medulla & pars nobiliſſima ſubſtantiæ totius in elementis producta, & quaſi ſeminata, in quorum quoque ſinu conſervata eſt, & ad nobilitatis ſuæ perfectionem innutrita. Habet quidem radicem quadantenus ab elementis, unde etiam exiſtit familiaritas congenerationis & ſuſtentationis, ſed principaliter à vi creantis Dei, & per cœli occultos influxus, porro etiam in natura conſervantis dependet. Hinc *Extracta* præſertim nobiliora æthereæ & cœleſtis naturæ dicuntur æmula, beneque præparata & dextre ad ſalutem humanam adhibita, Deo ſimul benedicente, multum in re medica poſſunt. Cum vero etiam ab elementis ſeu matricibus ſuis pleraque quam exactiſſime liberentur, (nam inæqualis eſt in his quoque elaboratio) conſtat inde, quomodo à magiſteriis differant, cum quibus elementa potius conjuncta manent, (niſi interdum negligatur quiddam, aut inter depurandum ſecedat) veruntamen exaltantur ad æmulationem *Extractorum*. Deinde etiam, quantas habeant in celeriter juvando, ob ſubtilitatem eſſentiæ penetrantem corpora tota, prærogativas, patet. Iſtis autem appellatur nominibus, non quod plane ad elementa non pertineant *Extracta*, ſed quod in collatione cum parte craſſa, nobilis altera videatur Anima, Balſamus vitæ, Eſſentia puriſſima, & cœleſtis naturæ eſſe (quanquam nonnihil etiam à cœlo habeat) vel ſecundum materiam, ſi his aliqua fides eſt, qui in ſegregatione cœleſtis lucis à terra obſcura non omne abſceſſiſſe æthereum ex Platone putant, aut ſaltem poſtea in ortu miſtorum aliquid inde repetitum, idque comprobat ratio agentium e cœlo corporum in hæc inferiora. Hæc Ruland. & Iohnſon. Confer. etiam ad Lib. *Synt. Arc. Ch. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 8. *c.* 9. *ſeqq.* Liquor ille pro diverſitate materiæ varius, quo fit *Extractio*, dicitur à Medicis & Chymicis *Menſtruum*. Plura circa *Extractorum* Hiſtoriam vide apud Weker. *Antidot. gen. l.* 1. *c.* 34. & *Spec. l.* 2. *ſ.* 26. Schroder. *l.* 2. *c.* 57. cum *Clavi* Frid. Hofmann. Rolf. *d. l.* Wedel. *Pharmac. Acroam. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 8. Iunken. *Corp. Pharmaceut. ſect. III. c.* 12. *p.* 677. *ſeqq. plur.* ubi etiam Eſſentias liquidas ad Extracta refert. Alias idem Autor notanter *in Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 113. ſcripſit; Prout diverſa ſunt vegetabilium & animalium conſtitutiva, pro eo & diverſa requiruntur menſtrua, gummoſa aquoſis, reſinoſa ſpirituoſis extrahi amant generaliter. *Diſpenſatoria Norimberg.* &

Auguſtan. cum Zwolferi *Animadverſ.* & alios Autores, imprimis & D. D. Wedel. *Ph. I. A. F. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 7. & 8. Impugnavit earum virtutem & Magiſteria prætulit Helmont. *tract. Pharmac. ac Diſpenſat. modern. n.* 21. 22.

EXTRANEUS, ἐξωτικός. Vide *Exoticus.*

EXTRAVASATUS, EXTRAVENATUS, dicitur de ſanguine, qui e vaſis effluxit, ſive adhuc hæreat intra partes corporis molliores, ſuggillationem, vel ecchymoma conſtituens; ſive penitus e corpore ſeparatus fuerit. Illud vocabulum frequentius in uſu eſt. Hoc legitur apud Joh. Bapt. Carcan. *ſerm.* 2. *lect.* 5. *fol. m.* 84. *b. Extravenari* vel etiam *Extravaſari* etiam dicitur de ſanguine propter læſam arteriam rei coaleſcentem in aneuriſmate ſtagnante & ſacculum efformante apud Hildan. *de gangr. & ſphacelo. c.* 4.

EXTRAVERSIO, *Extravertens*, *Extraverſum* hodieque à Chymicis uſurpari ſolet pro oppoſito *Concentrationis*, quando vis quædam ſalina, alcalica vel acida, prius intus deliteſcens evocatur, ut eo citius vires ſuas exerat, v. g. in Mercurio vivo Sulphur peregrinum in mineris aſſociatum operibus artis ſolet *extraverti*, unde vomitus, ſeceſſus, ſalivationes, &c.

EXTREMUS, ἔσχατος. Vide *Eſchatos.* Omnium metallorum *extrema* vocantur Sulphur & Argentum vivum à Nicol. Flamello *in Annotation. additis Th. Chym. Vol. I. p.* 733.

EXTUBERATIO, idem, quod *protuberantia.* Dicitur etiam de ἐξαρθρώσει vertebri, vel luxatione. Gal. *l.* 9. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4.

EXTUSSIO, ἀναβήττω, ἐκβήττω, ſignificat materiam per *tuſſim* excerno. Occurrit apud Gal. 7. *aph.* 37. *l.* 7. *de Simpl. Fac.* §. *Conus. Extuſſitum* dicitur ἀναβηχθὲν *l. de conſt. art. med. c.* 16.

EXUBERATIO, dicitur de Labore Spagyrico, quando tanquam ex uberibus emulgetur & extrahitur labore, v. g. cum Argento vivo minerali fit aqua prima. Libav. *Apoc. Hermet. Part. poſter.* Vid. *Tom. II. Oper. p.* 421. Aliter Lull. *in Practica c.* 27. quod *Exuberatio* humidi nutritivi & nutrientis fit appropriare nutrimentale ad temperamentum proportionatum qualitatibus nutriti, ut non ſit nimis frigidum, aut calidum, &c. *Vol. IV. Th. Ch. p.* 164.

EXUBERES, alias Græce ἀπογάλακτοι, dicuntur pueri, qui uberum ſuctum jam deſueverunt, quemadmodum *Sububeres*, ὑπομάζιοι, qui adhuc ſugunt, & ſunt ſub ubere. Keuchen. *ad Seren. p.* 206.

EXULCERATIO, ἕλκωσις, ἕλκωμα, ἕλκος, vide *Helcoma*, *Helcos.*

EXUMBILICATIO, ἐξόμφαλος, ὀμφαλοκήλη, dicitur alias *Hernia umbilicalis*, *Umbilici procidentia*, προπτωσις τοῦ ὀμφαλοῦ, Ægin. *l.* 3. *cap.* 51. Ægri quoque vocantur *Exumbilicati*, ab Ingraſſia *comm. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 249.

EXUNGULARE, roſarum folia liberare à foliis, i. e. partibus albis, quæ capiti proximæ. Nic. Menander *de Roſ.*

EXUROS, ἔξουρος, ſignificat *in anguſtum tendens*, coarctatum. Uſus Hippocr. de pudendis *lib.* 2. *de morb. mulier. XLI.* 6. & de peſſariis *d. l. XXV.* 13.

EXUSTIO, idem, quod *Deuſtio*, ἔγκαυσις. Vide *Encauſis.*

EXUVIÆ, ἔναρα, λάφυρα, λεβηρίς, vocantur cuticulæ, quas ſerpentes præſertim tempore verno exuunt & deponunt. Appellatur etiam ab aliis *Senecta*, *Syphar*, *Spolium*, *Vernatio*, *Exuvium*, Foëſ. *p.* 376. Vide Aldrov. *lib.* I. *Hiſt. Serp. & drac. c.* I. Harum *Exuviarum* vero virtutem medicam lege apud Schroder. *l.* 5. *cl.* I. *c.* 33. Alias & in latiori ſignificatione *Exuviæ* quoque ſignificant omnia tegmina, veſtes, lectos, indumenta, & ipſam quoque corporis cutem, teſte Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 214. Vide *Leberis. Geras.*

EXYDATOO, ἐξυδατόω, i. e. *in aquam reſolvo*, diluo, in aqueam naturam converto. Legitur apud Hipp. *l. de fiſtul. III.* 2. & *l.* 4. *Epid. XXVII.* 21. Hinc ἐξυδάτωσις, idem, quod ἀποτυχία τῆς αἱματώσεως, *fruſtrata ſanguificatio*, quando loco ſanguinis humor aquoſus generatur & colligitur, unde promte aqua inter cutem emergit. Gorr. *pag.* 146.

EXYGIÆNO, ἐξυγιαίνω, ſignificat *convaleſco.* Hipp. 2. *de fract. t.* 12.

EXYGROS, *Exygrænomenos*, ἔξυγρος, ἐξυγραινόμενος, h. e. *perhumidus*, valde humidus, perliquidus. Dicitur de Excrementis, Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 4. *Coac. t.* 613. *c.* I. *de morb. mulier. XXII.* 4.

EZEZICH, id eſt, *Sal.* Ruland. & Iohnſon. *in Lex.*

F.

FABA, κύαμος, eſt vocabulum æquivocum. Proprie notat *legumen* & fructum *ſiliquoſum*, de quo vide Botanicos, & Schroder. *lib.* 4. *cl.* I. *n.* 140. & paſſim apud Gal. Dioſcor. Mercur. *V. L. l.* 2. *c.* 6. & alios. Ob cujus aliqualem ſimilitudinem, præſertim reſpectu hili, glans penis *Faba* à quibuſdam nationibus dicta fuit, teſte Rolf. *O. ac Meth. part. gener. dicat. Part. I. c.* 52. Deinde & improprie *Faba* eſt nomen ponderis, nimirum tertia pars ſcrupuli. Rul. & Iohnſ. quamvis & circa hujus determinationem res valde ſit incerta propter varietatem *fabarum.* Siquidem *Faba Ægyptia* multo major, quam vulgaris, vel noſtra, teſte Galen. *lib.* I. *de Al. Fac. c.* 19. Apud Scribon. aliquoties occurrit doſis medicamenti determinata per magnitudinem *fabæ*, ubi tamen interdum intelligenda eſt *faba* major drachmæ ponderi reſpondens, interdum Lupini granum quatuor granis pondere reſpondens. Vide Rhod. *in Not. ad Compoſ.* 13. 74. 75. 95. Pythagoram quoque Ovum Philoſophorum, h. e. Lapidem vegetabilem, animalem & metallicum *Fabam* appel-

appellaſſe, vult Marcellus, docente Joh. Chryſippo Faniano *tr. de Artis metallicæ metamorphoſi, in tr. Chymic. Vol. I. p.* 41. Vide *Cyamos.*

FABACIUM olim dicebatur *edulium ex fabis paratum.* C. Hofm. *l.* 4. *V. L. c.* 38. Legitur etiam in fœmin. *Fabacia*, genus libi e fabis confecti. Apitius *in Culinaribus.* Ital. Torta di fave, Favanella. Joh. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 348.

FABER, *Fabricator*, τέκτων, δημιουργὸς, quid proprie ſignificet, pueris quoque notum eſt, videlicet *opificem*, qui e materia ſolida & dura opus aliquod perficit. In foro Medico ſumitur tropice. Ita natura, anima, flamma vitalis, imo & Deus ipſe dicuntur *Fabri* naturales. Vide *Demiurgos.* Quam comparationem etiam Ger. Dorneus ita proſecutus ad Phyſicam Triſmegiſti *Vol. I. Th. Chym. p.* 372. Uti lignum & ipſa dolabra nihil efficiunt, niſi *faber* illa moverit ad actum; ita cœlum & elementa nihil generare poterunt, niſi *faber*, aut *fabri* cœleſtes in inſtrumento cœlo motum, ut animam excitent, medium inſtrumentum inter *fabrum* & materiam Elementorum. Fatetur hoc & Paracelſ. *Paramir. l.* 2. *c.* 6. Quo ſenſu etiam Helmont. Archeum ſuum *Fabri* titulo exornavit, tr. *Archeus faber.* Vide *Archeus. Faber* quoque nomen Piſcis, cujus deſcriptionem & uſum vide apud Aldrov. *l.* 1. *de Piſcib. c.* 25. Athenæo χαλκεὺς dicitur. Inſtrumentum etiam aliquod operoſum & magnum *faber* vocatur apud Oribaſ. *de machinam. cap.* 25. *in claſſ.* 7. *oper. Gal. edit. Baſil. Latina.*

FACETIÆ, κόμψευμα. Vide *Compſeuomenos.*

FACH eſt Medicina Turcica, conſerens omnibus venenis, Santes Ardoyn. *l.* 1. *de venen. p. m.* 63.

FACIES, πρόσωπον, *vultus*, dicitur pars capitis anterior in homine non capillata, comprehendens quicquid tota fronte, auribus, oculis, naſo, & ore ad mentum uſque circumſcribitur, Gal. *l. Introduct. c.* 10. Dividitur in ſuperiorem, quæ *frons* dicitur, vel inferiorem, in qua organa ſenſuum externorum ſunt, ut oculi, nares, aures, & os, in quo lingua aliæque partes latitant. Barth. *l.* 3. *Anat. in proœm.* Vide & C. Hofm. C. *in Gal. de V. P. n.* 763. In brutis vocari *faciem* προτομὴν, & in avibus ῥάμφοι, notarunt ex Polluce Gorr. & Caſtell. *Faciei* conſideratio ad prognoſin utilis eſt, vel in ſtatu ſec. vel p. n. De illa egit Hipp. *Coac. t.* 128. 296. de bono colore, *ibid. t.* 213. 214. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 14. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 34. Ad hanc vero pertinet, *facies cadaveroſa*, ſive *Hippocratica* dicta προσώπου διαφθορὴ, quæ deſcripta legitur *Coac. t.* 212. Vide *Dogm. noſtra P. III. c.* 6. *d.* 4. Sylv. *Prax. Med. l.* 1. *c.* 37. §. 17. Utramque conſiderationem conjunxit Rolf. *Ord. ac M. Med. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 25. De *faciei* conſenſu cum aliis corporis partibus vide *Ephem. Nat. Cur. Ann. I. obſ.* 20. Per metaphoram aliarum quoque rerum eminentiæ πρόσωπα, ſive *facies* dicuntur, uti patet ex Hippocr. *l.* 2. *de morb. XII.* 9.

FACILITAS, *Facilis*, ῥαστώνη, ῥᾴδιος, ῥᾷος, εὐφορία. Vide *Euphoria*, *Rhadios*, vel *Rhaſtone.*

FACINUM dicitur *metallum*, vel minera metalli. Rul.

FACIO, ποιέω, eſt proprietas quoque artis Medicæ, & pertinet ad Medici, ægri, adſtantium officia, ex Hippocr. 1. *aph.* 1. Vid. Diet. *n.* 702. Alias verbum *Facio* varias habet ſignificationes, omnes tamen ex Lexicis Latinis communibus notas. Confer, ſi placet etiam ad I. Rhodii *Lex. Scrib. p.* 383.

FACULTAS, δύναμις, vide *Dynamis.* Confer etiam ad *Dogm. Noſtr. p.* 20. 85. 706. *ſeqq.*

FÆCULA, FÆX. Vide *Fecula*, *Fex.*

FALCANOS, alio nomine eſt *Arſenicum*, vulgariter *Auripigmentum.* Rul.

FALCIFORMIS, δρεπανοειδὴς, vocatur ſinus ille, quem efformat membrana cerebri exterior, ſive *Dura Mater* reduplicatione in capitis vertice, & cerebrum dividit in dextram & ſiniſtram partem, quia parte poſteriore latior, anguſtiore arctatur, ut falcis meſſoriæ figuram repræſentet. *Falx* etiam ab anatomicis vocatur, Barth. *l.* 3. *Anat. c.* 2.

FALCO, φαλκὼν, eſt nomen avis rapacis ad *Accipitris* pertinentis, cujus prolixam deſcriptionem, differentias, uſum, & morbos ei familiares vide apud Aldrov. *l.* 6. *Ornitholog. per totum.* Meminit & Helmontius *Falconis* peſte correpti, qui per plateam delatus infecerit alios omnes *falcones*, qui triduo abinde illhac delati ſunt. *Tumul. Peſtis* §. *proprietas peſtis.*

FALDELLA vocatur ſplenium ſive linamentum tortile, στρεπτὸς μοτὸς, ad uſum Chirurgicum. Legitur in Jeremiæ Martii *Obſervationibus* apud Velſchium in *Sylloge Obſerv.* 54.

FALERNUM, φάλερνος, epitheton *vini generoſi* à loco, monte Campaniæ *Falerno*, ita dicti, craſſioris & fulvi coloris, cujus meminit Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 10. Dicitur & *Aminæum*, ab oppido hujus nominis in Campania. Hinc & vitis & uva *Aminæa.* Rhod. *ad Scribon. n.* 64. Adde *n.* 30. Confer. & ad Jul. Alex. *Annot. ad Gal. l.* 1. *de Antid. c.* 1.

FALLACIA, ἀπάτη. Vide *Apateon*, *Dolus.*

FALSITAS, *Falſum*, τὸ ψεῦδος, quid ſignificet, notum, nimirum quicquid vero contrarium eſt, & eſſe non debet, Ger. Dorneus *in Philoſ. ſpeculat. c.* 2. *Th. Ch. Vol. p.* 240. Non admittit excuſationem, vel conſolationem, Galen. *c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 13. quamvis non omne *falſum* ſtatim ſit deridendum, *l.* 8. *de Hippocr. & Plat. decr. cap.* 9.

FALX, δρεπάνη, δρέπανον. Vide *Falciformis.*

FAMA, φήμη, δόξα. Vide *Doxa. Fama* deſcribitur, quod ſit *Nomen bonum*, Lind. *Ex. X.* §. 90. Qui *famam* proſequuntur, ſæpe famem aſſequuntur. *Ex. XI.* §. 42.

FAMELICUS, λιμώδης, λιμῷ ἐχόμενος, λιμοκρατούμενος, fame correptus, vel detentus. Vide *Fames. Febres* quoque *Famelicas* vocavit Sylvius, quibus con-

juncta eſt *Fames* inexplebilis & rabida, *l.* 1. *Prax. cap.* 30. §. 27. 147.

FAMES, λιμὸς, πεῖνη, in genere ſignificat omnem ciborum defectum & inediam, Galen. 2. *aph.* 16. Accuratius tamen exponitur per αἴσθησιν ἐνδείας, per *ſenſum indigentiæ*, qui ſit in orificio ventriculi ſiniſtro & nervis ad illud excurrentibus, *l.* 4. *de V. P. c.* 7. Et hæc dicitur *Fames Animalis*; quemadmodum defectus alimenti in toto corpore *Fames Naturalis*, C. Hofm. *C. ad Gal. L. L. de V. P. n.* 198. *Fames* conſiderari poteſt dupliciter, in ſtatu ſecundum, & in ſtatu præter naturam. Illo modo conſiderata eſt cupiditas, vel deſiderium eſculentorum, proveniens ab effluviis & halitibus acidis, ſpiritus animales in orificio ventriculi ſiniſtro & ejuſdem nervis & per continuitatis conſenſum ipſius ventriculi gulæque tunica interna moleſtiæ quodam ſenſu afficientibus; & contrahentibus, quorum impreſſio cerebro communicatur, in quo itidem ſpiritus animales cerebri afficiuntur, & per hos proſecutio rei deſideratæ exſuſcitatur; quemadmodum hoc nervoſe deſcripſit Th. Will. *de An. Brut. P. I. c.* 9. Jungatur Bohn. *Circul. Anat. Progymn. VIII.* ubi recte negare videtur famem naturalem qua talem, vulgo deſcriptam, quia in ſanis oritur deſiderium ad alimenta, antequam defectus alimenti in corpore animadverti poſſit. Cauſſam vero illorum halituum blande acidorum recte cenſet Sylvius Alimentorum prius aſſumtorum reliquias reſtitantes, atque à deglutitæ continuo ſalivæ parte ipſis adhærente magis magiſque fermentatas, *lib.* 1. *Prax. Med. c.* 2. §. 3. Commenta vero ſunt, quæ veteres de ſuctione venarum, primum extremarum, deinde majorum ramorum, deinceps trunci, & per hunc denique venarum ſtomachi & meſenterii, propoſuerunt; quemadmodum nec Helmontii opinio cum rei veritate quadrare videtur, qui *famem* à ſplene inſpirari in ſtomachum docuit, *tr. Pylorus Rector. n.* 20. *Fames præternaturalis* quadruplex eſt: *Aucta*, *Abolita*, *Imminuta*, *Depravata*, de quibus videatur Sylv. *d. l.* Ad nimiam etiam pertinet βούλιμος, vide ſupra *Bulimos*, λιμαγχία, λιμοκτονία, de quibus infra lit. L. Ad abolitam ἀνορεξία, ἀσιτία, ἀποσιτία. Vide *Anorexia*. Ad depravatam pertinent vocab. *Pica*, *Citta*, *Malacia*, de quibus etiam ſuis in locis. A vocabulo *Fames* deſcendunt *Famelicus*, λιμώδης, *Fameſco* vel *Fameo*, λιμώττω. Dieter. *n.* 504. Linden. *Ex. XIII.* §. 146.

FAMILIARIS, οἰκεῖος. Vide *Domeſticus*.

FAMULA, οἰκέτης, vide Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XLIX.* 1.

FAR, χόνδρος, vide *Alica*. *Far* eſt nomen commune; Hinc *Far* adoreum, triticeum, hordeaceum, zeæum, Jul. Alex. *Not. in lib.* 8. *Meth. med.* Gal. *c.* 2. *& in l.* 4. *de ſan tu. c.* 4. Ad hordeum inciſum reſtrinxit Mercurial. *libr.* 4. *V. L. cap.* 18.

FARCIMINALIS, ἀλλαντοειδής. Vide *Allantoides*.

FARCTURA; *Fartura* dicitur in Pharmaceuticis, quando exenterata animalia, aut excavati fructus medicamentoſis, vel alimentoſis rebus, ſive ad jucunditatem ſive ad peculiarem utilitatem repleuntur. Joh. Dan. Horſt. *Part. I. Diſpenſ. Pharm. Univ. l.* 2. *c.* 30. *p. XXXVI.*

FARCTUS, *Infarctus*, ἔμφραξις, idem, quod *Obſtructio*. Vide *Emphraxis*.

FARINA, ἄλφιτον, κρίμνον. Vide *Alphiton*, *Crimnon*. *Farinarum* officinalium Catalogum vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 58. Jungatur & D. D. Wedel. *Pharm. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 1.

FARREA *nubes*, dicitur Sereno Sammonico *Furfuratio*, ſive *Pityriaſis*, *cap.* 3. Junge Heurn. *de morb. cap.* 5.

FASCIA, σπάργανον, ἐπίδεσμος. Vide *Epideſmos*, *Faſciola*, σπαργάνιον. Unde & *Faſciatio*, ἐπίδεσμος, ἡ σπαργάνωσις dicitur. Varium *faſciarum* apparatum, delineationem & uſum quære in Scultet. *Armam. Chirurg. & Indice.* De verbo *faſciare* vide Keuchen. *ad Seren. p.* 90. Per metaphoram *Faſcia* quoque tribuitur quibuſdam corporis partibus. Ita membrana exterior renum à Peritonæo laxe adhærens *Faſcia renum* vocatur, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 17. Et muſculus tibiæ, Abductor dictus, *Faſcia lata* appellatur; Id. *l.* 4. *c.* 12. Vocatur & *Inſtita*, *Tænia*. *Faſcialis* Muſculus vocatur inter flexorios Tibiæ, qui & *Sartorius* dicitur omniumque fere muſculorum longiſſimus. Barthol. *d. l. p.* 581. *Faſcialis* eſt quoque epitheton lumbricorum latorum inteſtinalium, qui æqualiter ſunt extenti, ad differentiam cucurbitinorum, qui inſtar ſeminum cucurbitæ cohærentium exhibent ſuas connexiones. Blaſ. *Med. Un. p.* 336.

FASCICULUS, δεσμίδιον, χειρόπληθες, in foro Medico idem eſt, quod *Manipulus*, ſive quantum manu comprehendi poteſt, Rhod. *in Lex. Scribon.* Ant. vero Muſa Braſſavolus *in Indice Galenico* vult, eſſe, quantum duobus digitis comprehendi poteſt. Φάκελλος etiam Græce dicitur Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XCIII.* 11. Vide Foëſ. *p.* 649. Quid per *faſciculos* in ſubſtantia renum intelligat D. Gothofr. Bidloo, unum eorum delineatum exhibens, videatur *in Anatomic. Tabul. XLIII. fig.* 4. *&* 5.

FASCINUM, βάσκανον, *Faſcinatio*, βασκανία, habetur pro genere quodam incantationis, quando ſeu intuitu, ſeu laudatione, non ſolum infantes & homines, ſed & agni, pulli gallinæ, equi &c. inficiuntur, ut marceſcant, & emoriantur. Refertur inter cauſſas morborum occultas. De hoc argumento vide I. Lang. *l.* 2. *ep.* 36. Sennert. *Med. Pr. l.* 6. *part.* 9. *c.* 1. Inter noviſſimos prolixiſſime hoc argumentum pertractavit D. D. Frommannus, *integro libro h. tit.* *Faſcinum* quoque olim vocatum fuiſſe *Membrum virile*, teſtis eſt Rolfink. *de partibus generationis*, *part. I. c.* 43.

FASTIDIUM eſt cibi & potus, vel alterutrius averſatio, Gr. ἀνορεξία, ἀποσιτία, de quibus omnibus ſupra

ſupra lit. A. dictum. Junge, ſi placet, Sylvium *l.* 1. *P. M. c.* 3.

FASTIGIATI *Furni* vocantur, qui pluribus aludel ſive ſublimatoriis impoſitis ſunt exornati, D. Ludovic. *Pharmac. p.* 203. Videatur etiam de his Glauber. *in Furn. Philoſ.*

FATALIS Linea quæ dicatur, vide *Linea.*

FATIGATIO, κόπος, πόνος. Vide *Copos.*

FATUITAS, μώρωσις νωθρότης, coincidit cum *Amentia*, de qua ſupra. Eſt enim mentis læſio, qua una cum memoria ratio etiam perit, Foëſ. *Oec. p.* 423. Williſius expreſſit per *Stupiditatem*, qui hoc argumentum egregie explicavit, *de An. Brut. Part.* 2. *c.* 13.

FATUM, εἱμαρμένη, ſignificat aliquam neceſſitatem inevitabilem à cauſſa quadam ſuperiori dependentem. Quo etiam pertinet *Adraſtea*, de qua ſupra. Duplex *Fatum* conſtituit Lang. *l.* 1. *ep.* 78. Aliud *Divinum* & *naturale*, quod ex indiſſolubili cauſſarum cohærentia dependet: aliud *conditionale*, ſive neceſſaria ex hypotheſi ſcil. veritatis, aut quæſiti conſecutio. Paracelſ. per *Fatum* ſigna quædam ex homine, vel re mortua deſumta intelligit, item Manes, *l.* 1. *de vit. long. c.* 7. *l.* 2. *Philoſoph. c.* 1. & de modo pharmacandi, *tr.* 4. Rulandus ita deſcripſit: *Fatum* eſt perpetuum quiddam & inſenſile aſtrorum cœli, ſolis & lunæ. Prædictionem ex *fato*, vel hujuſmodi ſignis Paracelſus vocavit d. l. *Fatomanciam.* Eidem quoque *Prædeſtinatio* paſſim in ſcriptis appellatur.

FAUCES, φάρυγξ, dicuntur ſpatium illud internum, ſive interior oris locus, ubi ſimul conveniunt & gulæ & gutturis partes extremæ, Gal. *l.* 4. *de L. Aff. c.* 3. *in fin.* & *c.* 4. *prognoſt. t.* 16. Jungatur Dieter. *Iatr. num.* 889. Appellantur & Græce ἰσθμὸς, *Iſthmus*, vel ἴσθμιον, Galen. 3. *aph.* 26. Vocab. vero φάρυγξ aliquando & ipſam Gulam denotat, teſte Lang. *l.* 2. *ep.* 43. & confirmatur ex epiſt. Democriti ad Hipp. in hujus operibus occurrente, *de Natura hominis n.* 40. Videatur Foëſ. *Oecon. p.* 651. In plurali φάρυγγες, affectus, ſive morbos *faucium* ſignificare conſtat ex Hippocr. 3. *aph.* 5. *lib.* 6. *Epid. ſ. VII.* 11. 12. Adde Galen. *com.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 66.

FAVIFORMIS, Græce dici poſſet κηριοειδὴς, eſt epitheton abſceſſuum vel ulcerum putridorum & cæcorum, quæ circum adductis digitis primoribus expreſſa ſanioſum mucorem forulatim reddunt, ad eum fere modum, quo favus mel. Legitur apud M. Aur. Severinum *de noviſſime obſervatis abſceſſib. c.* 20.

FAVILLA, αἰθάλη, idem, quod *fuligo*, eſtque nihil aliud, quam ἐκκαυμα τῦ λιγνυώδεος, h. e. *fuligo* uſta. Applicatur commode portionibus ſanguinis aduſtis. Vide Lind. *Ex. XV.* §. 126. 127.

FAULEX, id eſt, *Chalybs.* Rul.

FAVONIUS, ζέφυρος, nomen venti ab occidente ſpirantis, ſive occidentalis. Ruland. Eſtque humidus & lenis, Galen. *comm.* 3. *de hum. t.* 13.

FAUNORUM ludibria, Plin. *Natur. hiſt. lib.* 25. *c.* 4. Incubus. Idem *lib. eodem c.* 7. morbus ſonticus, idem Comitialis.

FAUNUS, φαῦνος, nomen Deaſtri, vel Dæmonis gentilium fictitii, ſive Satyri laſcivi, cujus ideo mentio fit in foro Medico, quod olim Ethnici ſuperſtitioſi perſuadere voluerint, incubum ab hujuſmodi dæmonibus inſultantibus oriri, quod ceu fabuloſum merito repudiandum. Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 50. 51. *in Schol.* Rhod. *ad Scrib.* Helmont. *tr. Venatio ſcientiar. n.* 35. vocat Ens rationis.

FAVUS, κηρίον. Vide *Cerion. Favi* ſingularem deſtillationem pro ſolutione auri vide apud Libav. *Synt. Arc. Chym. lib.* 3. *c.* 5. Dicitur & ab Ingraſſia *Favoſa tinea*; item *Favoſitas*, *comm. in Avic. de Tum. p. n. p.* 172. 175.

FEBRIS, πυρετὸς, & frequentiſſime quoque apud Hippocr. *in Epidemiis* πῦρ, teſte Foëſ. *Oec. p.* 545. Secundum communem omnium hominum conſenſum eſt caliditas præter naturam, maxime quidem in totum animal effuſa; ſin minus, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobiliſſimis accenſa, Galen. *com.* 1. *in* 6. *Epid. t.* 29. cum is calor adeo auctus eſt, ut hominem offendat, & actionem cordis lædat, *lib.* 8. *meth. med. c.* 1. Accuratius tamen & ex hodiernis artis principiis *Febris* generaliter deſcribi poteſt ſeq. in modum, quod ſit intemperies cordis & totius corporis p. n. calida, ſed diverſi generis, cum variis ſymptomatibus, mitioribus vel vehementioribus, proveniens à ſanguinis diverſimode ſeſe habentis varia præternaturali fermentatione, benigna vel maligna, cum vel ſine corruptione aut congelatione, aut coagulatione putrefactiva. Vel cauſſaliter ex Willis *de febr. c.* 3. quod ſit motus inordinatus ſanguinis, ejuſque nimia efferveſcentia, cum calore, ſiti, aliiſque præterea ſymptomatis, quibus œconomia naturalis varie perturbatur. Qui plura circa *Febrium* etymologiam, deſcriptionem, differentias deſiderat, ille quærat, & inveniet paſſim in vet. & rec. ſcriptis, præſertim Galen. *de diff.* & *cauſſ. febr.* & ex recentioribus C. Hofmann. *de febr.* Sennert. *h. t.* Dieterich. *n.* 78. Sylv. *lib.* 1. *Pr. Med. c.* 27. *ſeqq.* Franc. Piens *de febb.* Th. Sydenham *tit. eod.* & quamplures alios. Potiores quoque differentias deſcriptas vide in *hoc Lexic.* ſuis locis, v. g. *Ephemera*, *Quotidiana*, *Tertiana* &c. Deſcriptio *Febris* apud Lind. *Ex. XV.* §. 34. ſtrictior eſſe videtur, competens ſaltem benignioribus, ſalutaribus, & intermittentibus, quando ſcripſit: *Febris* eſt fervor toties repetitus & à Natura excitatus in ſpiritu, ut ſe impedientem materiam ſubigat & diſponat ad excretionem, & excernat, quam primum poſſit, eaque excreta viribuſque receptis, quarum in laborioſo hoc opere fecit jacturam, deinceps pergat libere & inculpate fungi officio ſuo. Helmontii hypotheſin de *febrium* natura vide ſis *in pec. tr. de inaud. febrium doctrina.* Quæ adverſus Williſium ſcribere abſque applauſu auſus eſt Edmund. Demeara, lege *in Examine*

Diatribes Williſianæ. Cornel. quoque Bontekoë non veritus eſt ad unum omnes de *febribus* autores veteres ac recentiores incuſare errorum cum circa theoriam, tum circa praxin, *in quadam Diatriba*, ſed qualem ille ſententiam defenderit, hactenus nobis nondum innotuit. Noviſſime etiam de *Febribus* D. Laur. Bellini labor in publicum prodiit in operis ſui argumenta varia continentis *Membro IV. h. tit. à p.* 247. *ad* 437. quamvis, pace illius Viri laudatiſſimi, ejuſdem deſcriptio juſto latior videatur, quæ ita ſe habet: *Febris* eſt vitium ſanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus, cum hæc definitio ſalva veritate pluribus aliis morbis humoralibus, præſertim à ſanguine dependentibus, facile poſſit applicari. Rich. Morton, Collega Londin. Regius & Cenſor *in ſua Pyretologia* ſtatuit de omnibus febribus etiam leviſſimis, fomitem febriferum eſſe deleterium ſive venenum, uti patet *ex Act. Eruditor. Lipſ. A.* 1693. *m. April. p.* 150. *ſeq.* Non inepte quoque febrium generationis modum ſuccincte licet & generaliter propoſuit Joh. de Muralto *in Vade mecum Anatomico Exerc. III.* §. 6. *p. m.* 85. 86. Qui *febre* laborat, dicitur *Febricitans*, *Febriens*, paſſim in Autoribus.

FEBRIFUGA, ληξιπύρετα, dicuntur medicamenta febrem ſedantia, vel tollentia, vel *Antifebrilia*, Galen. 2. *de Antidot. c.* 6. Tale Acopon deſcribit *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 12. Dieter. *n.* 745. etiam vocari dicit τὰ τοῦ πυρετοῦ σβεστήρια, *febrem extinguentia.* Alii ſcribunt ἀλεξιπύρετα, ſed melius ληξιπύρετα. Rhod. *ad Scrib. n.* 95. *Febrifugi* admirabilis præparationem ex Stanno & Mercurio tradit Libav. *Synt. A. Ch. l.* 7. *c.* 35. Centaurium minus κατ' ἐξοχὴν *Febrifuga* vocatur teſtimonio Botanicorum & Schrod. *l.* 4. *cl.* 1. *num.* 83. *Antifebrile Crollii* vide *in Diſpenſatoriis*, & d. Schroder. *lib.* 5. *cl.*3. *n.* 78.

FECLA, φέκλη, Gal. *l.* 1. *de C.M.S.L. c.*8. & σφέκλη, Æginet. *l.* 7. *c.* 3. in τρὺξ, Rhod. *in Lex. Scrib.* id eſt, *fex vini*, vel *aceti.* Rul. & Iohnſ. Idem quod *Fecula.*

FECOSITAS, idem, quod *Feculentia*, refertur inter ſpecies luti, & exponitur per quandam *ſpurcitiem.* Fallop. *tr. de Therm. aq. & metall. cap.* 16. *Tom. I. Oper. p. m.* 252.

FECULA, *Fæcula*, τρὺξ, generaliter idem ſignificat, quod *Fex*, de quo paulo inferius. Scrib. *n.*226. 228. 230. Specialiter eſt terminus Pharmaceuticus, vel Chymicus, (quamvis modus præparandi non adeo ſit artificioſus, ut inter Chymicos labores relatus fuerit) & notat *Extractum farinaceum*, ſive Amylum ex radicibus quibuſdam viridibus paratum per ſubſidentiam ad inſtar fecum, Libav. *Alchym. Pharmaceut. c.*1. *&* 21. qui etiam exiſtimat, in deſpectum artis hoc nomen eſſe impoſitum, cum hujuſmodi farina ſit potius medulla, cremor, & flos quidam ſeſſilis talium radicum. At Zwolferus contrarium ſtatuit, dicens, *Feculas* eſſe pulveres farinaceos ſucco ſuo nativo orbatos, conſequenter etiam omnis virtutis & efficaciæ expertes. *Animadv. in Pharmac. Auguſtan. in Mantiſſ. Hermetic. h. tit.* Vocatur & *Cerſæ*, *Ceruſſæ*, ibid. *Fecularum* Catalogum lege apud Schrod. *l.* 2. *c* 59. Confirmat judicium Zwolferi F. Hofm. *in Clav. ad Schrod. d. l.* At Cl. D. D. Wedelius duriorem ſententiam Zwolferi ſtatuens laudem debitam *feculis* conceſſit, *Ph. I. A. F. R. l.* 2. *ſ.* 3. *cap.* 3. *Fecula* vocatur etiam condimentum ex fece vini factum acidum, Turneb. *Adverſar.* Item Uva pinguis decocta uſque ad craſſitudinem mellis, Joh. Laurent. *Am. On. p.* 349. *Fecula*, φέκλη & σφέκλη, notat etiam lixivium, vel condimentum lixivii ad inſtar ſarmentorum acrimoniam habens, quo mulieres capillum ungere ſolent, ut rutilus eſſet crinis. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 103. Paracelſo *Fecula Urina* vocatur, cum urina vernacule frangi dicitur, ſeu corrumpitur, ſignum nutrimenti, *lib.* 1. *de Urin. Judic. tract.* 2. *c.* 1. Eſt ſpecies Rubini in urina, *in Scholiis ad d. l.*

FECULENTUS, τρυγώδης. Vide *Fex.*

FEDUM, id eſt, *Crocus.* Rul. & Iohnſ.

FEL, χολὴ, idem, quod *Bilis.* Vide *Bilis.* Helmontii de *felle* opinionem lege *in Scholar. Humor. ſt. paſſiv. decept. c.* 2. §. 24. *Fellis* genera in officinis uſitata tradit Schroder. *l.* 2. *c.* 30. quamvis omiſerit piſcium *fel*, quod tamen non minus laudatur in medicamentis ophthalmicis, teſte Galeno & aliis. *Fel vitri* vocatur ſpuma vitri, Ruland. Libav. *Apoc. Herm. part. prior. c.* 17. Dicitur alias *Aphronitrum. Fel Draconis* eſt Argentum vivum ex Stanno, Rul. & Iohnſon. Centaurium minus quoque appellatur *Fel terræ.* Scribon. *n.* 227. Rhod. *in not. ad h. l. Fel* etiam refertur inter nomina Lapidis Philoſ. *in Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 727.

FELEBRIS, *Fellebris*, θηλάστρος, θηλοτής, dicitur, *qui lac ſugit*, vel qui adhuc lacte vivit. Keuchen. *ad Seren. p.* 290.

FELICITAS, εὐτυχία. Vide *Eutychia.*

FELILECH, *Faules*, eſt *Ferrum.* Rul. Iohnſ.

FELIS, αἴλουρος, vide *Catus.* De *fele* per os pariente ex Bartholino vid. *Ann. I. Ephemer. Nat. Cur. Obſerv.* 109. *Schol.* & Rolfink. *de part. gen. inſerv. Part.* 2. *c.* 45. *Felis* ex ore mulieris & viri rejectæ geminam hiſtoriam vid. *d. l. Ephemerid.*

FELLA, id eſt, Aqua Sulphurea, vel ſulphurata. Rul.

FELLIFLUA *paſſio* dicitur *Cholera* apud Cœl. Aurelianum, notante Dolæo *Encyclopæd. l.* 3. *c.* 4. §. 1. *p.* 415.

FEMEN, περίναιον. Vide *Interfemineum.*

FEMINA. Vide *Fœmina.*

FEMUR, *Fœmur*, μηρὸς, an Latinum à *ferendo* deſcendat, quod totius corporis reliquum ferat & ſuſtineat, veluti onus, in medio relinquimus. Idem fere, quod *Crus.* Os magnitudine cunctis animantis oſſibus præſtat, ſupra coxendici, infra tibiæ oſſi alligatur, cujus cervicis duo ſunt exigui proceſſus, quos *Trochanteres*,

teres, τροχαντῆρας, vocant, quorum exteriorem, qui longe major eſt, *Gluton*, γλουτὸν, appellant. Galen. *de oſſib. c.* 21. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 21.

FENESTRA, θυρὶς, ὀπὴ, quid proprie ſignificet, notum eſt, nec hujus loci exponere. Per metaphoram *Feneſtra* quoque ab Anatomicis vocatur meatus auditorius interior, nec non duo foramina in cavitate conchæ ſtatim poſt tympanum occurrentia, unum ovale, alterum rotundum, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. & Lind. *Medic. Phyſiolog. l.* 2. *c.* 11. §. 15. 16.

FERA, θὴρ, θηρίον, ſignificat animal infenſum, quod difficillime, aut plane non cicurari poteſt. Qualia dantur in ſolo ſaloque, Linden. *Ex. XI.* §. 91. Leonem & alia ſimilia grandiora & ferociora animalia κατ' ἐξοχὴν *feras* appellari, teſtatur Galen. *l. quod anim. mor. ſeq. temp. c.* 2.

FERA *regia*, βασιλικὸν θηρίον, idem eſt, quod *Baſiliſcus*, de quo adhuc dubitatur, an fuerit in rerum natura, Galen. *l.* 10. *de Si. Sac. in proœm.* Per tranſlationem θηρίον etiam non ſolum de hominibus dici, patet ex Linden. *d. l.* §. 115. 119. ſed etiam ex Hippocr. conſtat, quoſdam morbos θηρία, *feras*, appellari, v. g. ulcera maligna, *Coac. t.* 467. 468. uti quidem vult Foëſ. *Oec. p.* 270. quamvis Linden. & alii animalcula in interaneis genita, v. g. lumbricos ſive vermes intellexerint. Utramque opinionem admiſit Ionſton. *in Notis ad hos textus.* Jung. *lib.* 6. *Epid. ſ.* 7. *t.* 7. *cum comm. Galen.*

FERCULUM, idem, quod *Cibus*, *Cibarium*, βρῶμα.

FERINUS, θηριώδης, ſignificat naturam, vel indolem fere nocivam & malignam obtinens. Transfertur ad morbos malignos inſignem humorum pravitatem præſupponentes, Galen. *c.* 1. *in* 6. *Epid. t.* 14. Ita lumbrici non ſolum hoc nomine veniunt, ſed & Tuſſis, 6. *Epid. ſect.* 2. *t.* 17. Deſipientia ſive mentis emotio, *c.* 1. *in* 1. *Prorrh. t.* 25. & *c.* 3. *t.* 31. *Coac. t.* 85. & 155. de ulceribus mali moris theriomata dicta præcipue ab aliquibus dici monet Erotianus, qui addit & vermes, quia in illis gignantur, ita dici, & ipſam phthiſin, forte quoniam pulmonum ulcus. Ægri quoque vocantur θηριώδεις, *ferini*, hujuſmodi morbis malignis correpti, *l.* 4. *Epid. VIII.* 7. Jung. Foëſ. *Oec. d. l.* Victus quoque *ferinus*, θηριώδης, vocabatur brutis communis, quo priſcis ſeculis homines utebantur, Hipp. *de veter. medic. VII.* 4. *XIII.* 22. Ad animum etiam referri poſſe *feritatem*, τὸ ἄγριον, ἀγριότητα, quod idem eſt, ac τὸ θηριῶδες, vide *Agrion.*

FERION, terminus fictitius Spagyricus, qui legitur *in Th. Chym. Vol. V. pag.* 159. Quid vero ſignificet, ex deſcriptione ibidem data nemo percipiet.

FERMENTATIO, ζύμωσις, quid proprie ſignificaverit olim, minus fuit perſpectum. Hinc ſaltem apud Hippocr. mentio *Fermentationis*, ζυμώσεως, & verbi ζυμοῦσθαι, *fermentari*, facta in ſtatu p. n. quibus nihil aliud indicavit, quam elevationem aliquam in tumorem, diſtentionem & inflationem, v. g. Hepatis *fermentatio*, i. e. intumeſcentia, *l.* 5. *Epid. III.* 24. Venter *fermentatus l. de vet. med. XX.* 8. Et quamvis hoc in loco non fiat ſermo de ſtatu p.n. tamen minus perſpicua eſt *Fermentationis* ſignificatio. Urinæ *fermentatio*, *c.* 2. *in* 1. *Prorrhet. t.* 40. Alvi fecum *fermentatio*, *Coac. t.* 604. Ita nec apud Galen. alio ſenſu occurrit. Recentiores vero Medici ex Philoſophia Platonica in uſum revocarunt, generaliter *per fermentationem* intelligentes terreni cujuſdam & ſolidi motionem & ab aëre intus concepto diſtentionem, inflationem, & in tumorem levem elevationem. Quam Platonicam deſcriptionem integro libello *Anatomia Fermentationis Platonicæ* dicto declaravit Ant. Günth. Billichius, & hunc viciſſim *Exercitationibus* illuſtravit Conringius. Hos poſtmodo alii ſecuti ſunt viri doctiſſimi, applicantes ad humores, præſertim ſanguinem & chylum, v. gr. Th. Willis *Exerc. de ferment. & de febrib.* Jung. Mart. Kerger. *tract. de fermento:* Mart. Schook. *h. t.* Ex quibus hæc deſcriptio ſufficere poteſt. *Fermentatio* eſt motus quidam intrinſecus & varia agitatio particularum alicujus corporis mixti activarum & paſſivarum cum tendentia ad perfectionem; vel propter mutationem ad aliud. Et ita duplicis generis eſt: Naturalis una, alia præternaturalis. *De fermentatione* in ventriculo, vide voc. *Chylificatio.* Adde Barthol. *lib.* 1. *Anat. c.* 9. & alios. A Chymicis quoque *fermentatio* in uſum tranſlata. Hinc Rul. & Iohnſ. deſcripſerunt, quod ſit rei in ſubſtantia per admiſſionem fermenti, quod virtute per ſpiritum diſtributa totam penetrat maſſam, & in ſuam materiam immutat, exaltatio. Ideo enim inventa eſt, ut ex ſymbolico ignobiliore, efficacia medicinæ *fermentantis*, nobiliſſima fiat ſubſtantia, ad quam pervenire natura finit. Potiſſimum autem in metallis, quorum natura ad mutua eſt proclivis, locum habet, & ab imitatione maſſæ *fermentatæ* nomen invenit. Vel *Fermentatio* eſt *fermenti* cum *re fermentanda* incorporatio. Rolfink. *Fermentationem* cum Putrefactione conjunxit, ceu gradu ſaltem differentes, *Chymiæ lib.* 2. *c.* 2. Jung. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. cap.* 4. Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 4. *p.* 60. *ſeqq.* Imprimis vero & ſingulariter *fermentatio* ad negotium lapidis Philoſophici applicata legitur in ſcriptis Spagyricorum, præſertim Gerard. Dornæi *Theatr. Chym. Vol. I. Tit. Artificium ſupernaturale*, *p.* 292. 313. Jung. Libav. *Apoc. Hermetic. Part. poſter. de porta Fermentationis Riplæi*, *Tom. II. Oper. p.* 406. & 434. *ſeq.*

FERMENTUM, ζύμη, quid ſit, obſcurum. Communiter, ſed ſtrictius juſto tribuitur in panificio maſſæ farinaceæ, quæ acorem contraxit, Gal. *l.* 6. *de S. F.* § *Zyme.* Sed revera etiam aliis rebus ſimilem affectum præſtantibus attribui poteſt, & in genere deſcribi, quod ſit materia firma, tanquam fixa, quæ ſuæ naturæ materiam ad ſuam firmatam conditionem præparat, quæ etiam ante præparationem non magis, quam illa habebat, ut, *fermentum* panis eſt farina firmata in paſtam,

quæ farinam ſimilem, raram & diſcontinuam in aliam paſtam fermentatam adducit, Rul. De varietate *fermentorum* pro diverſo uſu & materiæ fermentandæ conditione vid. Willis *d. l. c. 6. & ſeqq.* Kerger. *ſect. 2. c. 1. de fermento.* *De fermento* chylificante vide *Chylificatio.* An particularia dentur *fermenta* naturalia in diverſis corporis partibus, non concedit loci anguſtia hic ventilare. A Spagyricis *fermenti* vox ſæpe abuſive ſumitur pro anima, ſole, luna. Vide *Theatr. Chym. Vol. III.* Libav. *dicto loco.* Ita Dornæus *in Philoſ. Chymic.* ſcripſit: Minus perfectum in majus poſſe progredi in infinitum, mediante forma & cœlo, tanquam *fermentis*, quod pauciſſimis etiam artificibus hactenus cognitum fuit. Vide *Vol. I. Theatr. Chymic.* & quære *in Indice.* Imo ipſum Lapidem Philoſophicum, metalla ipſa nomine *fermentorum* complectuntur. Unde Rulandus ita deſcripſit: Quale *fermentum*, tale & fermentatum. Et ſicuti parum *fermenti* paſtæ multam farinam in ſuam naturam & paſtam convertere poteſt: ita etiam *fermentum Chymicum* fermentandum, cui adjunctum eſt, ſibi aſſimilat. Intelligunt autem Philoſophi, i. e. Spagyrici, per *fermentum* verum corpus & veram materiam, quæ proprio ſuo Mercurio conjuncta illam in ſuam naturam convertit. Deinde etiam lapidem ipſum volunt eſſe *fermentum* corporis perfecti. Cum enim lapis adeo ſubtilis, (ut Philoſophi aſſerunt) ſit, ut ſuper corpus imperfectum projectum in modum olei ſupernatet, neque cum illo permiſceatur, opus eſt corpore aliquo primam illius affinitatem redolente, quod illum recipiat, atque in alia corpora introducat. Nam quamprimum corpus illud lapide infectum & fermentatum eſt, ſtatim in tincturam abit. Hæc Rul. & Iohnſ. De *fermentatione* & *fermentis* Lapidis Phyſici, vel Philoſophici vide plura *in Th. Chym. Volum. IV. p. 607. Vol. VI. p. 110. ſeq.* *Fermentum album*, id eſt, argentum. Felda idem. *Fermentum*, id eſt, Elixir, idem.

FEROX; θρασύς. Vide *Thraſos.*

FERRAMENTUM, σιδήρεον, *inſtrumentum ferreum* Chirurgis neceſſarium ſignificat. Hippocr. *l. 3. de fract. t. 39. & l. 1. de artic. t. 43.* Vocatur & σίδηρος, *6. Epid. ſ. 6. t. 5.* Ita & apud Ruland. inſtrumenta metallifoſſoribus uſitata vocantur *Ferramenta.*

FERRATUS, σιδηρόδετος, vel dicitur de re aliqua ferro munita, vel etiam à Medicis ſumitur de liquore ſpiritu ferri impRægnato; v. g. Aquæ *ferratæ.* Acidulæ *ferratæ.* Rolfink. *O. ac Meth. M. Sp. l. 9. ſ. 3. c. 1.* Libav. *Synt. Arc. Chym. l. 1. c. 10.*

FERRETUM vocatur *Æs nigrum*, vel *Cyprium*; vel ex *ferro factum*, quod officinæ plus nimio urendo efficiunt. Libav. *Synt. Chymic. l. 6. c. 4.* *Ferretum* Hiſpanicum eſt optimum æs uſtum. Fallop. *de Metall. ſ. foſſil. c. 14. Tom. I. p. 311.* C. Merettus *Not. in Anton. Nari Artem vitrar. l. 1. c. 14. & 15. p. 332.*

FERRUGO, ἰὸς σιδήρου, id eſt, *rubigo ferri.* De hujus virtute Medica vide Dioſcor. *l. 5. c. 93.* *Ferrugo* vel ſumitur pro ferri vitio & ſitu, & ita idem eſt, quod *Rubigo*; vel etiam pro *ſcoria ferri*, vel caca, Græc. σκωρία dicta, quæ & *Stercus* dicitur, Scribon. *n. 188.* Rhod. *in annot.* Ruland. & Fr. Hofmann. *in Clav. ad Schroder. l. 1. c. 2.* *Ferruginis* & ulcerum eandem eſſe generationem, vult Paracelſ. *Paragran. tract. 1.*

FERRUM, σίδηρος, dicitur metallum ignobilius conſtans ex Mercurio & Sulphure minus liquabili, crudiori, ſeu, ſi mavis, ex Sale, quæ partibus terreis crudioribus immixta ſunt, Schrod. *l. 3. c. 11.* Fr. Hofmann. vero *in Clavi* negat, de Sale nobis aliquid conſtare. *Ferrum* invenit Celmes & Damanæus in Cypro item Idæus Dactylus, ſicut e Clemente Alexandr. *Strom.* notavit Th. Janſ. ab Almelov. *R. I. On. p. 26.* ubi plura ad ferrum pertinentia occurrunt. Purgatum *ferrum* per ignem in furno Anemio fortiſſimum fit *Chalybs.* Unde etiam *Medulla ferri* dicitur Libavio *Apocal. Herm. Part. prior. c. 20.* Modus conficiendi chalybem e ferro juxta le Mort legatur in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. 1. p. 82.* *Ferrum potabile* Willis apud eundem *d. l. p. 116.* Et in uſu interno loco *ferri* ſemper *Chalybem* recipere præſtat, monente Schrodero. De *Chalybis* & ferri depurati virtutibus variis, præparationibus & medicamentorum formulis, conſulantur veteres & recentiores Practici, & inter hos Libav. *d. l.* & *Synt. Arc. Chym. l. 2. c. 21.* Schroder. & F. Hofm. *d. l.* Willis *Patholog. cerebri c. 11.* & alii. Ruland. ita deſcripſit: *Ferrum* eſt metallum lividum, multum, parum, rubrum, albedine non pura participans, durum. Nam ſi ſulphur fixum, terreum argento vivo fixo terreo commixtum fuerit, & hæc ambo non puræ, ſed lividæ albedinis fuerint, ſi ſuperat ſulphur, fit ferrum. In ſumma, ſi argentum vivum fuerit poroſum, terreum & immundum, fœtidum & terreum, & fixæ ſubſtantiæ (tanquam ſi pene morbidus cum muliere menſtruoſa coit) *ferrum* generatur. Tribuitur autem iſtud metallum à Chymiſtis *Marti*, & *Mars* dicitur, utpote cujus uſus plurimum ſit in bello. Porro *Ferrum* eſt duplex: *Nativum* & *Factitium.* Nativum eſt purum, & reperitur in fodinis, grana veluti, ſeu maſſa. Alterum autem conflatum, ſeu excoctum eſt id, quod excoquitur in officinis ferreis, & quidem vel ex lapidibus ferreis, vel ex terra rubra ferrugine quaſi læſa, ut in Sileſia, Marchia. Species ſingulas enumerare huc non pertinet. Sufficiant hæc ex Rulando & Iohnſon. Aliquando & *Ferrum*, σίδηρος, accipitur pro *Ferramentis*, ſive inſtrumentis ferreis, ad ſectionem, vel uſtionem neceſſariis. Hipp. 8. *aph. 6.* Add. Dieter. *Iatr. n. 771.* Rhod. *ad Scribon. in proœm. p. 19.* *Ferrum* quoque vocatur Lapis Phil. *Theatr. Chym. Vol. IV. p. 727.*

FERSÆ vulgo dicuntur *Morbilli*, à fervore fortaſſis, juxta Foreſt. *l. 6. Obſ. 32. in Schol.*

FERU, *Zegi*, id eſt, *Stannum*, *Metallum.* Rul. & Iohnſ.

FERU-

FERULA, νάρθηξ, æquivocum eſt, 1. notat plantam, de qua vide Botanicos, 2. in Chirurgicis ſignificat ad deligationem fracturarum uſitatiſſimum inſtrumentum, videl. *Aſſulas* leves ad firmandum oſſa repoſita neceſſarias, Hipp. 1. *de fract. t.* 41. *l.* 3. *t.* 12. *&* 3. *de iis*, *q. in med. t.* 11. Harum apparatum cum uſu monſtravit etiam Scultet. *Arm. Chirurg. Part.* I. *Tab.* LII. *fig.* X. & explicavit *ad Tab. LVI. p.* 145.

FERVOR, idem, quod *Æſtus*, *Effervefcentia*, Græc. καῦμα, ζέσις, φλόγωσις. Vide *Æſtus*, *Cauma*, *Effervefcentia.*

FESTINATIO, *Feſtinantia*, quid ſignificet, notum eſt. Ejus detrimentum in opere lapidis Phil. inculcatur *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 771. *ſeq.*

FEX, *Fæx*, Græce, τρὺξ, proprie dicitur de recremento inutili vini, quod Gr. σφέκλη dicitur. Rhod. *in Lexic. Scribon. p.* 384. quemadmodum Olei recrementum *Amurca* vocatur. Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 17. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 132. Vocatur alias exiccata *fex Vini Tartarum* vel *Tartarus.* De *fece uſta*, quod acre eſt medicamentum, Galen. *libr.* 1. *de C. M. S. L. c.* 7. & alibi, Dioſc. *d. l.* Latius vero denotat omne excrementum. Hinc & frequentiſſime *Feces* pro excremento alvi ponuntur. Sedimentum quoque in urina hoc nomine venit; unde *Urina feculenta.* Chymicis in genere *Fex* inter adjectanea eſt, quæ à puris eſſentiis ſeparata ſeponuntur & ſubſidunt. *Fex vitri*, id eſt, *Sal vitri.* Rul. De *fecibus* Lapidis Philoſophici videantur *Oper. Mineral.* M. Iſaaci *l.* 1. *c.* 113. *& l.* 2. *c.* 33. 34. Quid per *Fecem Cœli* intellexerit Libavius, legatur *Tom. II. Oper. p.* 43. ſcil. *in Tract. de Igne naturæ c.* 23.

FIBER, κάστωρ, vide *Caſtor.*

FIBRA, ἲς, *Villus.* Plur. ἶνες, *fibræ*, dicuntur fila quædam oblonga, gracilia, alba, ſolida, valida, omnis generis corporis partibus inſerta, uti recte deſcribit Gorræus *p.* 195. Vel ex Galeno: *Fibræ* ſunt tenues quædam, & ſubtiliores nervorum, & ligamentorum propagines, aponeuroſes & derivationes, quibus opitulantibus (perinde ut manus digitis) nervi & muſculi actiones ſuas obeunt, *l.* 5. *de V. P. c.* 11. *& l.* 1. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 10. Accuratiorem vero Fibrarum conſiderationem tradunt Willis *Anat. Cerebr. c.* 19. Bartholin. *Anat. l.* 1. *c.* 5. Dividuntur in *Nervoſas* & *Sanguineas.* Illarum potiſſimum tres ſunt: Rectæ, obliquæ & orbiculares, vel circulares. Harum vero meminit Hipp. *l. de carn. vel Principiis* I.X. 16. *& l.* 2. *de Morb.* XLV. 34. *Fibræ* vocantur & κτηδόνες, *l. de Cord.* XII. 10. Vid. Foëſ. *p.* 282. *Fibra jecoris* pro jecinore: Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 171. Alias Lobi hepatis *Fibrarum* nomine venerunt, ut eſt apud Theoph. Protoſpatarium *l.* 2. *de H. C. F. c.* 11. Dicitur & in diminutivo *Fibrilla*, pro *fibra*, à Carteſio Barthol. *d. loc. c.* 2. A Botanicis per tranſlationem *Fibræ* ſumuntur vel pro filamentis & ſtaminibus plantarum, arborum, intextis; vel capillamentis extrinſecus adnaſcentibus, e. g. radicibus & ſimilibus, Schroder. *l.* 1. *c.* 2. *Lit. F.* Priores etiam κτηδόνες vocantur à Theophraſto *l.* 5. *Hiſt. pl. cap.* 2.

FIBULA, περόνη, ſtricte ſignificat os tibiæ exterius & tenuius, quod & *Sura*, *Canna minor*, *Focile minus* appellatur, cujus deſcriptionem vide apud Bartholin. *Anat. libell.* 4. *c.* 21. Tibiæ extrinſecus attenſum, ut radius cubito. Late vero varias obtinet ſignificationes: v. g. ſumitur pro Radio, qui cubito in brachio jungitur, Hipp. *l. de Loc. in hom.* XI. 7. 8. *ſeqq.* Etiam pro appendice oſſis, *d. l.* XI. 5. 6. *ſeqq.* Plura loca vide apud Foëſ. *p.* 503. *Fibula* quoque ad inſtrumenta Chirurgica & machinas refertur ad Oribaſ. *de Machin. c.* 4. Rul. Unde actio illa *fibulatio* vel *infibulatio* dicitur, & pars *fibulis* arctata legitur apud Scrib. *n.* 206. Cæterum doctiſſimus Rhodius magnam operam impendit proponendi Fibulæ notationem, deſcriptionem & differentiam in ſua *Exercitat. de Acia cap.* 4. *ſeqq.* verum cum ipſe fateatur, quaſdam fibulas non eſſe Medicas, non operæ pretium mihi videtur, prolixiorem hic proponere ſingularum expoſitionem, præſertim quod *cap.* 2. *p.* 6. ſcripſerit de Fibula præter raritatem parum conſtare, ac fere voce tenus. Hinc etiam alia nomina *in dicta diſſertatione* occurrentia, ut *Fibularium*, *Fibulatio Fibularum*, & fortaſſis compoſita ſuo loco relinquere placet. Fibularum Chirurgicarum obſcuritatem laudatus autor aliquoties agnoſcit *c.* 7. ut non niſi conjecturis earum notitia nitatur. Interim, cui placet, autorem ſibi comparet, & ſi quæ ſibi commoda viſa fuerint, ad vocem Fibulæ in hoc Lexico pro lubitu adjungat, *Fipula*, *Fixula*, *Fiſula*, quia non ſunt amplius in uſu, prætermittuntur.

FICATIO, σύκωσις. Vide *Ficus.*

FICATUS, συκωτὸς, dicitur, cum de viſceribus animalium ficuum ſiccarum eſu ſaginatis, tum de edulis ex hujuſmodi viſceribus paratis, præſertim vero de jecinore, Galen. *lib.* 3. *de Alim. Fac. c.* 12. *com.* 3. *de R. V. I. A. t.* 11. Jul. Alex. *not. ad loc. prior.* Foëſ. *Oec. pag.* 594.

FICEDULA, συκαλὶς, à ficuum eſu ſic dicta, nomen avis æquivocum eſt. Primo enim notat aviculam parvam, quæ & *Paſſer gramineus. Atracapilla* vocatur, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & Medicina pete ex Aldrov. *l.* 11. *Ornithol. c.* 36. deinde avem majorem, alias *Gallinago* dictam, de qua inferius *Gallinago.* Ita ex Alberto vocavit Schrod. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 54.

FICTILE, ſcilicet vas, κεράμιον, ὀστράκιον, ἀγγεῖον, i. e. vas figulinum, teſtaceum, Hippocr. *l. de nat. mul.* CI. 12. *l.* 2. *de morb. mul.* LXXII. 14. Scribon. Larg. *n.* 65. 269.

FICUS, σῦκον, primo ſignificat fructum arboris, quæ *Ficus* dicitur, Gr. συκῆ, quæ ſignificatio non eſt hujus loci. Hinc συκίτης οἶνος, *vinum ex ficubus*, ſive *Caricis* maceratis paratum, quod & κατορχίτης οἶνος dicitur, Dioſcor. *lib.* 5. *c.* 41. Et συκιὸν, *decoctum ficuum*

cuum ſive *caricarum* appellatur, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXIIX.* 8. *XXXI.* 7. Deinde denotat affectum p. n. nimirum excreſcentiam aliquam carneam, & quidem vel in oculo, ejuſque palpebris, Hipp. & Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 48. vel in mento, & eſt tumor natus ex craſſiori humore, & ſeroſiori tenuitate, quam Varus, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 4. & 7. *in fin.* vel in ano, à thymo ſola magnitudine differens. Vel in digitorum extremis, Jul. Cæſ. Arantius *l. de Tum. p. n. c.* 72. *p. m.* 299. Synonyma horum affectuum ſunt σύκωσις, σύκωμα, *Ficatio*, *Ficoſus tumor*, vel *Ficoſa eminentia*, *Mariſca.* Cauſſa vero in ſucco nutritio corrupto, & propter ſolutionem continui aberrante & collecto conſiſtit. *Ficus cutis*, *Lichen* Plinii & Dioſcor. dicitur verruca innaſcens cuti ad crura equorum, quæ medicamentum aptum ad matricem præbent. Rul. *Ficus* etiam ſumitur pro *Tinea*, & ulcerum capitis manantium ſpecie, teſte Heurn. *de morb. capitis c.* 7. Capivacc. *Med. Pr. l.* 1. *c.* 5.

FIDA, i. e. *Aurum*, *argentum*, Rul.

FIDDA, *Fidde*, id eſt, *Luna.* Idem legitur *in Theatr. Chym: Vol. IV. p.* 957.

FIDES, πίστις. Non intelligitur hic Theologica vel Chriſtiana, quamvis & hanc neceſſariam eſſe Medico pio proboque nemo dubitabit. E contrario valde dubito, an venia, vel excuſatione digni ſint illi inter Chriſtianos, qui Medici *fide* Chriſtiana prorſus carentis, v. gr. Judæi, opera utuntur? Sed *Fides* hoc loco notat aſſenſum, quem Medicus præbet ad ea, quæ audivit, aut legit. Hanc non temere eſſe temerariam, ſed perſpectam & cautam, aliquoties inculcavit Galen. v. g. *l.* 1. *de ſem. c.* 2. & *l. de peccator. animi propr. cognit.* & *medela c.* 6. &c. *Fidem Hippocratis* ſcriptis habendam eſſe, demonſtravit Lind. *Ex. VI.* §. 7. *Fides naturalis Magica*, ſive miraculoſa Paracelſicorum merito reprobatur à Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 70. *ſeq.*

FIDICINALIS, epitheton eſt muſculorum in digitis, qui alias lumbricales Anatomicis vocantur, ab uſu dictorum *Fidicinales*, quem præſtant iis, qui Muſicam inſtrumentalem fidibus exercent, Guil. Kouper. *in Myologia Reformata c.* 28. vid. *Supplementa Actor. Lipſienſ. Tom. II. ſect. XI. p.* 509.

FIDUCIA, πεποίθησις, *Confidentia*, eſt *fides* ægrorum in Medicos firma. Hæc quantum valeat ad curationem felicem reddendam, docet Hippocrates *in Prognoſt. proœm.* & ex hoc Linden. *Ex. XV.* §. 4. Et Avic. dixit: *Confidentia*, quam habet infirmus de Medico, plus facit ad ſanitatem, quam Medicus cum omnibus ſuis inſtrumentis.

FIENS, ἀγένητον. Quænam ſit differentiæ ratio inter *Fientem* & *Factum* morbum, explicare quoque non infeliciter auſus mihi videtur Ingraſſias *comm. ad Avic. de Tum. p. n. pag.* 49. comparatione inſtituta ab Homine *Fiente* & *Facto.* Homo *fiens* dicitur & dici poteſt non ſolum ille, qui eſſe ſuum adhuc in generatione habet & formatione, in utero perficienda. Poſtquam vero perfectus in lucem egreditur, homo procul dubio factus eſt; ſed etiam ille quoque, qui *factus* licet, toto tamen adoleſcentiæ tempore, dum adhuc increſcit & augetur, propter illam futuram quantitatem *fiens dicendus*; poſtquam vero jam adultus, *factus* dici meretur. Ita & morbus *fiens* dicendus, cum ille, qui gigni incipit, eſtque in principio; tum hic, qui nondum ad vigorem ſuum pervenit, vel ſtatum, partibus aliis denuo adductis continuo increſcit. Imo illi quoque *fientes* dici ſolent & poſſunt, qui etiam in ſtatu ſuo opus habent portionibus cauſſæ morbificæ continuo ſuccedentibus, ut eſſe ſuum retineat, quales ſunt Cauſus, Tertiana, & alii ſimiles. Vide plura *d. l.*

FIGENS, vide *Fixatio.*

FIGULINUS, vide *Fictile.*

FIGURA, σχῆμα, *Figuratio*, varias habet ſignificationes: 1. dicitur illa diſpoſitio & conſtitutio extremitatis corporis, ſive ſpecies corporis externa, quæ in oculum incurrit, Jul. Alex. *ann. in Gal. l.* 7. *de Hipp.* & *Plat. decr. c.* 7. ubi quidem in genere *Figura Sphærica*, ſive circularis, prærogativam obtinet ante reliquas omnes, teſte Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 11. *l.* 4. *c.* 7. *l.* 7. *c.* 7. *l.* 8. *c.* 11. *l.* 10. *c.* 15. Jung. C. Hofm. *comment. ad dict. loc.* præſertim *n.* 641. 642. Schroder. in genere figuram latius deſcripſit, quod ſit, quæ reſultat ex conformatione & configuratione, quæ res ſcil. vel bene habita, pinguis, carnoſa, ſucculenta, vel e contra male habita, macilenta, ſtrigoſa, gracilis: vel ampla, magna, extenſa, vel e contra, *l.* 1. *c.* 34. In ſpecie vero membrorum corporis *figura media* optima dicitur, ubi nulla exceſſiva tenſio aut flexio nimia occurrit, quæ ſunt extremæ, Gal. *l.* 2. *de mot. muſcul. c.* 1. Hinc & *recta* membri *figura* ſervanda; & obſervanda in Chirurgicis, & ea vocatur, quæ eſt maxime accommodata ad functionem illius membri propriam, Hipp. 1. *de artic. t.* 49. Galen. *in comm. in Foreſt. l.* 8. *Obſ. Chirurg.* 2. *Schol.* Qualis *figura* corporis naturalis ſi fuerit vitiata, conſtituit *morbos figuræ*, vel adventitios, vel nativos, Galen. *de diff. morb. c.* 7. In hac ſignificatione quoque tribuitur medicamentis, v. gr. *Figura Emplaſtri*, Scribon. Larg. *n.* 157. Vide Rhod. *in Lex.* 2. *Figura* etiam de morbis ipſis dicitur, Hipp. 6. *Epid. l.* 8. *n.* 44. 3. *Figura* idem ſignificat, quod *Character.* Vide ſupra *Character.* Rhod. *ad Scribon. n.* 199. Dieter. *n.* 683. *Figurata medicamenta* dicuntur Fallopio, quæ certam obtinent formam vel *figuram* externam, ut ſunt: Rotulæ, Trochiſci, Pilulæ, &c.

FILAMENTUM tropice dicitur de materia illa viſcida concreta pilorum inſtar in urinis quorundam ægrorum occurrente, quam à ſale volatili & oleoſo gigni exiſtimat Sylv. *l.* 1. *Pr. Med. c.* 55. §. 48. Vide *Trichiaſis.*

FILELLUM, vide *Canis.*

FILETUM dicitur vinculum illud nervoſum ſub lingua, quod obſtetrices ſolent ungue, aut numuli acie reſecare

reſecare ſtatim poſt partum: ſæpe etiam à Chirurgaſtris ſorfice, aut phlebotomo diſſecatur non ſine vitæ & ſermonis periculo, teſte etiam nuperrima experientia, cum tamen rariſſime illam neceſſariam obſervaverimus operationem. Occurrit vocabulum illud apud Omnibon. Ferrar. *libr.* 3. *de morb. infant. c.* 44. *p. m.* 130.

FILIUS, υἱὸς, quid proprie ſignificet, & pueris in trivio notum eſt; ita & quid *Filia*, θυγάτηρ, ſit. Tropice tamen & ænigmatice à Spagyricis applicatur variis operibus, v. g. in negotio Lapidis Philoſophici. Poſt albedinem emergens Rubedo, quæ dicitur *Rex diadematus*, vel coronatus, vocatur etiam *Filius nigri & albi*, non quod albedo & nigredo efficiendi vim habeant, ſed quod talis facta ſit ſucceſſio colorum, Libav. *Apocal. Hermet. Part. poſter. Tom. II. Oper. p.* 395. Jung. & *T. IV. p.* 736. 758. Imo non verentur ipſum *Filium* in SacroSancta Divina Trinitate illis figmentis applicare, uti patet ex Fr. Baſilii Valentini concluſionibus. *Filius* quoque *unius oſtium* eſt *Vitriolum* vel *Auripigmentum. Filius unius diei* dicitur *Ovum*, item *Lapis Philoſophicus*, *Filius Veneris*, *Aurichalcum.* Rul. & Iohnſ.

FILLETIN, i. e. *Lamina ferri.* Rul.

FILONES dicuntur *fibræ lapidum.* Fallop. *tr. de Metall. ſ. foſſil. c.* 8. *Tom. I. p.* 287.

FILTRATIO, eſt ſubductio per *filtrum.* Id autem colum Chymicum eſt. Itaque & *colatura*, ſeu *percolatio* appellari poteſt. Fit potiſſimum in humidis, e quibus aquoſitas tenuis tranſit, reſiſtentibus ſpiſſis & oleoſis. Praxis ejus principaliter ſic habet. Charta emporetica convolvitur, aut complicatur, vel loco ejus pannus villoſus conſuitur in ſacci formam, aut vaſi applicatur, veluti infundibulo &c. Liquor infuſus ſinitur paulatim in excipulum deſtillari, unde hæc operatio *deſtillatio per filtrum* dicitur. Vel *Filtratio* eſt deſcenſio frigida, humores aquoſos per *filtrum*, ſeu chartam bibulam convolutam, vel complicatam, in modum infundibuli, relictis in *filtro* fecibus, dimittens. Sed pro *filtro* etiam alia adhibentur, utpote Manica Hippocr. Pannus laneus, lineus, ſetaceus &c. Hæc Rul. & Iohnſ. Vide ſupra *Colatio.* Jung. Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Wedel. *Pharm. Acroam. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 4. *Filtratura* quoque apud quoſdam recentiores legitur pro *Colatura*, h. e. maſſa illa, quæ per filtrum aut colum jam tranſiit. *Filtratio* quoque Phyſiologice dicitur peculiaris cujuſdam fluidi à ſanguine per glandulas quaſi per cribra ſecretio à D. Bernhardo Conor *in Epiſtola de ſecretione animali p.* 5. quæ extat *in ſuo Evangelio Medici*, cujus mentio ſupra facta in voce *Evangelium.*

FILTRUM, quid in genere ſignificet in foro Medico-Chymico, ex præcedentibus jam conſtat. Noviſſime autem nomen hoc tributum legitur cuidam lapidi exotico Mexicano rariori & pretioſiſſimo, qui ſub profundo aquarum in quibuſdam ſinus Mexicani locis inſtar fungi ad centum circiter ulnarum ſuccreſcit altitudinem & in aperto aëre lapideſcit, cujus fruſta majora magno in pretio habita, vel in formam ollæ aut mortarii redacta, ut aquam recipere poſſint, ſingulari virtute pollent aquam purificandi, ut certam etiam ſecum inſenſibilium quantitatem deponat, quo purior & levior retenta etiam frigiditate reddatur. Prolixior ejus hiſtoria Gallice & latine annexa eſt. Diſſertationi Phyſico-Medicæ D. D. Mich. Bernhardi Valentini Profeſſoris Gieſſenſis, Naturæ Scrutatoris celeberrimi, *de Filtro Lapide*, Reſpondente Joh. Georgio Freudenbergio Argent. editæ A. 1702.

FILUM, νῆμα, quid ſignificet, notiſſimum eſt. Uſus ejus quoque eſt in operationibus Chirurgicis varius, ad ſuturas & deligationes. *Filum ſericum*, νῆμα σηρικὸν, nectendis arteriis & venis commodiſſimum eſſe ſcripſit Gal. *l.* 13. *meth. med. c.* 22. *in fin.* De variis *fili* ſpeciebus videatur Rhodius *de Acia p.* 194. ubi definitio *Fili* ex Non. Marcell. ſumta, quod ſit ducta res quæque ad tenuitatem habetur, quam ventilare non eſt mei inſtituti. Tropice *Filum Arſenicale* dicitur arſenicum ſublimatum, & *Filum* ex alumine plumoſo. Ruland.

FIMBRIA, πάρυφμα, vocatur *reſegmentum indumentorum*, aut, quod ab indumentis detrahitur; qualia ob mollitiem continendis, aut conſtringendis deligationibus ſuperponuntur, unde & καταβλήματα vocantur, Hippocr. 3. *de iis*, *q. in med. t.* 8. Galen. *in com. ad h. l. & cap.* 2. *de art. t.* 31.

FIMUS, κόπρος. Vide *Copros. Fimi* cur quidam incaleſcant, quidam non? vide Helmont. *de febrib. c.* 2. *n.* 11. *ſeqq. Fimus* quoque vocatur ænigmatice *Mercurius*, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 722.

FINIS, τέλος, dicitur id in genere, in quo artifex, cum fecerit, acquieſcit, Galen. *l. ad Thraſybul. cap.* 16. Eſt igitur perfectio quædam, & bonum, *c.* 13. Artis Medicæ *finis* omnium conſenſu eſt *Sanitas*, iſque eſt ultimus. Verum intermedius eſt *Medici officium*, hoc eſt, facere & proſpicere omnia, quæ ad illum obtinendum ſunt neceſſaria. Eſtque geminum: Conſervare omnia, quæ ſunt ſecundam naturam; & Removere omnia, quæ ſunt præter naturam. Vid. *Dogm. noſtr. in proleg. dogm.* 4. An vero in Natura omnia fiant propter finem, recte negavit C. Hofm. *com. ad Galen. l. de V. P. n.* 666. *ſeq.* Interdum coincidit cum *Termino*, Gr. πέρας, dicto.

FIREX, i. e. *Oleum.* Rul. Iohnſ.

FIRFIR, id eſt, *color rubeus.* Iidem.

FIRMAMENTUM, eſt vox æquivoca. Vel enim ſumitur pro cœlo naturali toto, à lunæ ſitu elementis proximo, uſque ad extremam univerſi cerati naturalis concavitatem, Ger. Dorn. *in tr. Phyſica geneſis*, *in Th. Chym. Vol. I. p.* 345. Hocque dicitur *Macrocoſmicum.* Vel huic Analogice æquiparatur *Firmamentum* hominis, ſeu *Microcoſmi*; de quo Parac. paſſim in ſcriptis ſuis, præſertim vero *Paramiri*, *tr.* 3. *c.* 1. 2. 3. *&c.* Crollius *Firmamentum* vocat Lumen naturæ, quod homini

omnia naturaliter influit. Hoc egregie, ceu commentitium, perſtrinxit. Libav. *tr. de princip. ſcient. Paracelſicæ Magiæ ſec. Croll. ſect.* 11. *T. IV. Oper. p.* 21. Vel ſignificat idem, quod *fulcimentum.* Gr. ἔρεισμα, σήριγμα, Gal. *l.* 3. *de iis, q. in med. t.* 36. Vide *Ereiſma.* Hinc & *Firmamentum* dicitur ἐστηριγμένον, 4. *aph.* 30. Vel *Firmamentum* notat *Lazurium.* Rul. Iohnſ.

FIRMITAS, *Firmus*, ἀσφάλεια, ἀσφαλὴς, βεβαιότης, βέβαιος. Vide *Aſphalia*, *Bebæos*, *Conſtans.* *Firmitas* particularum eſt illarum quies. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c.* 10. Opponitur *Fluiditati.*

FIRNISIUM *mineralium* vocat *Antimonium* Parac. *de morb. metallifoſſorum*, *l.* 1. *c.* 7.

FISARUM, id eſt, *Confectio Salis Ammoniaci.* Rul. Iohnſ.

FISSICULATIO & verbum *Fiſſiculo* ſumitur pro Anatomicis diſſectionibus in corpore humano ejuſque partibus inſtitutis, à D. Jacobo Menſelio Medico Pariſienſi *in epiſt. ad Joh. Pecquetum Meſſi Aureæ Anatomicæ Sibold. Hemſterruſii annexa p.* 343. & 353.

FISSURA, ῥαγὴ, eſt ſpecies ſolutionis continui potiſſimum in oſſibus, quando ſecundum longitudinem franguntur; quamvis & de naturalibus rimis & poris uſurpetur ab Hippocr. *l. de nat. puer. I.* 18. De *Fiſſura* in hepate vide ſupra *Diaſphage.* Vide *Rhagas.*

FISTULA, σύριγξ, proprie notat inſtrumentum aliquod concavum, oblongum, inſtar arundinis excavatum, qualia ſunt Tibiæ Muſicæ, Gal. *c.* 2. *in progn. Hipp. t.* 64. Ita Siphunculus, quo aliquid loco cuidam infunditur, & in ſpecie, per quem clyſteres injiciuntur, *Fiſtula* dicitur, Rhod. *ad Scrib. n.* 39. Lind. *Ex. IV.* §. 101. & noviſſime Henr. à Deventer D. *in Lum. Nov. obſtetricant. c.* 26. Ita & *Fiſtula Cochleariformis* pro uvula relaxata deſcripta apud Scultet. conſpicitur *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. IX. fig.* 7. Dicitur Latine etiam *Syringa*, qualem *tentativam* exhibet idem *Tab. XVII. fig.* 7. Tranſlatum vero vocabulum etiam (1) ad partes quasdam naturales, v. g. Penis, aut potius meatus in pene intermedius vocatur *Fiſtula urinaria*: uno verbo, *Urethra*; & penis ipſe nervus *fiſtuloſus*, *l.* 6. *de L. Aff. cap.* 6. Aſpera arteria dicitur *fiſtula* pulmonis, Hipp. 2. *de morb. XLIIX.* 2. & Vena portæ in hepate, *lib. de nat. mul. XLVI.* 2. Foramen, per quod medulla ſpinalis per vertebras omnes tranſit, nonnullis vocatur *Fiſtula ſacra*, teſte Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 14. *p.* 733. (2) ad morboſam conſtitutionem, & ſignificat ſinum anguſtum, oblongum, & calloſum, Galen. *l. de tum. p. n. c.* 5. pertinet ad abſceſſus, quorum materia, ſive ſanies, ſibi ſinum parat in partibus mollioribus, unde Hipp. dicitur συριγγῶδες, ἐκσυριγγοῦν, ὑποσυριγγῶδες, Hippocr. 2. *progn. I.* 64. *Coac. t.* 395. Junge totum libell. de *Fiſtulis.* Plura de his in Chirurgiæ Scriptoribus, Paræo, Aquapendente, Hildano, Barbette, & aliis. Species ſunt *Fiſtula lachrymalis*, *Fiſtula ani.* *Fiſtularum* conformationis cauſſam in ſalem referre conatur Paracelſ. *Paramir. l.* 2. *c.* 5. Deſcriptio generalis hæc dari poteſt: *Fiſtula* eſt ulcus cum uno, vel pluribus cuniculis callo magis, vel minus obductis, ſine inſigni dolore, proveniens à materiæ putridæ portionibus retentis, ſalinis, coagulativis, & carnoſas partes indurantibus.

FIXATIO, *Fixio*, Græce dici poſſet πῆξις, παγίωσις, terminus eſt technicus Chymicorum, denotans ſpeciem *Coagulationis.* Eſtque rei volatilis & fugacis ad permanendum in igne firmatio, & aſſuefactio, ut non amplius fugiat. Comparatur imprimis rei fixæ additione, Rolfink. *Chymic. l.* 2. *c.* 4. Rulandus ita deſcripſit: *Fixatio* eſt rei ignem fugientis, ut eum non amplius fugiat, ſed in eo *fixa* permaneat, per ignem aſſuefactio, ſive ea fiat per calcinationem, ſive per decoctionem lentam & diuturnam, ſive per crebram ſublimationem, ſive per crebro iteratam ſolutionem & coagulationem, ſive tandem per rei fixæ additionem perficiatur. Adde Libav. *Synt. Arch. Ch. l.* 6. *c.* 11. & *Alchym. Pharmac. c.* 15. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. cap.* 5. Morb. *Coll. Chym. Leid. cap.* 369. Wedel. *Pharm. Acroam. l.* 1. *ſect.* 4. *c.* 7. Quæ ita figuntur, dicuntur *Fixa.* Per quæ vero fit *fixatio*, vocantur *Fixatoria.* Item *Figentia.* *Fixa* cum cibis aſſumta fieri volatilia, vult Helmont. *de Lithiaſ. c.* 3. *n.* 24. De *fixatione* vide plura *in Th. Chym. Vol. IV.* quæ loca quæras in Indice.

FLABELLUM, ῥιπίδιον, inſtrumentum ad refrigendam faciem uſitatum. Unde & ῥιπίζω, *ventilo*, ſignificat. Utrumque legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 136. Gallicum *Eventail.*

FLAGÆ, ſunt ſpiritus, qui norunt ſecreta hominum, vel ſpiritus à rebus in ſpeculo apparentibus. Rul. & Iohnſ. ex Paracelſo *Tract.* 2. *de Peſtilitate*, & *l.* 1. *Philoſoph. ſagac. tit. de Nectromantia.*

FLAGELLATIO, *Flagellum*, μαστίγιον, quid proprie ſignificet, notum eſt. Tropice dicitur quoque de morbis, Parac. *Paramir. Tract. V. c.* 2. &c. Ita Lues Gallica vocatur *flagellum* ſcortatorum, Foreſt. *lib.* 32. *Obſerv.* 2. *in Schol.* Quod *flagellatione* languens Venus excitari poſſit, vide Dieter. *num.* 100. Veteres quoque uſos *flagellis* ad curandam maciem corporis, & id operis feciſſe ferulis parvis levibus modice illitis, quæ gracilibus partibus incuterentur, donec modice intumeſcerent, e Gal. *l.* 14. *M. M. c.* 16. notavit Laur. Bellin. *tr. de ſang. miſſ. inter Opuſcula p.* 183.

FLAMMA, *Flammula*, φλὸξ, φλογίον, φλογμὸς, proprie de igne dicitur. Eſt enim ignis genus, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L c.* 2. *fin.* & fit aëre, vel aëreo in ignem mutato, *l.* 3. *de Temp. c.* 1. *Flammæ* acidum quoddam ineſſe demonſtravit Fr. Hofmannus *Clav. ad Schroder. p.* 226. 232. 244. Helmont. deſcripſit per accenſam fuliginem, *tr. Complexion. atque miſtion. Elemental. figment. n.* 7. & per exhalationem pinguem, *tr. Formar. Ortus n.* 28. Hujuſmodi *flammæ* generationem e puteo, item e ventriculo & inteſtinis, qua vivorum, qua mortuorum, per obſervationes confirmatam vid. *in Ephemerid.*

Nat.

Nat. Curioſ. Ann. I. Obſ. 33. & 77. Per tranſlationem vero vocabulum *Flamma* à Medicis accipitur vel de calore nativo vitali, qui propterea *βιολύχνιον* dicitur. Vide *Biolychnion*, *Calidum*. Jung. Willis *part. I. de An. brutor. c.* 2. *ſeqq.* Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 6. Vel de calore præternaturali corporis & partium ejus, Hippocr. *l. de veter. med. XXXII.* 9. *l. de capit. vuln. XXII.* 1. *l.* 1. *de morb. mul. LX.* 2.

FLAMMABILITAS, idem ſignificat, quod *inflammabilitas*. Illud legitur apud D. Joh. de Muralto in *ſuo Vade mecum Anatomico Exerc. I. in annexo* 10. *p.* 28.

FLATUARII (qui nobis Chymici) Conſtantino Imperatori. Marcellus Donat. *Dilucidar. in Flav. Vopiſcum.*

FLATUS, *φῦσα*, *φύση*, item *πνεῦμα*, *flatuoſus ſpiritus*, in genere ſignificat congeriem halituum, vel vaporum, veluti quadam membrana incluſorum. Specialiter vero à Medicis accipitur de hujuſmodi congerie halituum in corpore humano genita, præſertim in ventriculo, inteſtinis, hypochondriis, utero, veſica, &c. Horum generationem quamvis plurimi veterum & recentiorum deducere auſi ſint, v. gr. Hipp. integro *l. de flatib.* Galen. *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. Jung. ex recentioribus Helmont. de *flatibus*, Dieter. *Iatr. n.* 912. & alii plures. Videantur & Notæ noſtræ ad Ieſſen. *judic. de ſang. V. S. miſſo*, *p.* 193. *ſeqq.* tamen vix clarius hæc doctrina apud ullum alium reperietur, quam apud Willis *Pharm. Ration. P.* 1. *ſect.* 3. *c.* 1. Lindenus non male cruditatis ſobolem dixit, *Ex. VII.* §. 45. De *flatibus* e pene erumpentibus vid. *Ann. II. Ephemer. Nat. Cur. Obſ.* 46. Vide etiam ſupra *Crepitus*. *Flatulentus* Gr. dicitur *φυσώδης*. *Flatulenta* affectio dicitur *morbus Hypochondriacus*. *Flatus furioſus* qui dicatur, vid. ſupra *Ambulo*.

FLAVUS, *ξανθὸς*, *Luteus*, nomen coloris à rubore igneo ad albedinem declinantis, Galen. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 22. intenſioris tamen, quam *ὠχρὸς*, pallidus color. *Flavedinem* excrementorum non ex bilis tinctura, ſed ex propriæ putrefactionis vitio oboriri, vult Helmont. *tr. Scholar. Humi paſſ. decept. c.* 5. *n.* 15. ſed videtur committere fallaciam oppoſitorum; ſiquidem bilis excrementitiæ admiſtio, ut & ſucci pancreatici promovet illam putrefactionem portionum ab aſſumtis chylificatis fæculentarum & terreſtrium. Vide *Xanthos*.

FLEMEN, quaſi *Flegmen*, Gr *χεῖδμα* dici poſſet τοῦ ποδὸς, ſignificat tumorem pedis circa talos. *Flemina* dicuntur, quum labore viæ ſanguis defluit circa talos & tumorem facit. Aliter Flavius Caper: *Flemina* ſunt, ubi abundant crura ſanguine. *Flemina*, cum in manibus vel pedibus calloſi ſulci ſunt, Dieter. *n.* 465. Keuchen, *ad Q. Seren. p.* 280.

FLERESIN, *Flerecin*, idem eſt, quod Arthritis, ſicut legitur apud Stephan. Blancardum *de ſcorbuto c.* 20.

FLETUS, *κλαυθμὸς*, lamentatio, pertinet inter cauſſas ſanitatis, & morborum procatarcticas. Vide *Dacryon*, *Clauthmerizo*.

FLEXIO, *καμπή*. Vide *Campe*. Unde & *καμπύλον*, & *καμπυλότης* ap. Hipp. legitur. *Incurvatum*, ſeu flexum & *Incurvatio*. Vide *Campilon*.

FLOCCUS, *κροκὶς*. Vide *Crocidizo*. *Floccus* notat lanuginem, aut teneros fructus, Rhod. *ad Scribon. n.* 154. Non eſt ſemper ſignum lethale, in febribus acutis *floccos* evellere, *Ephem. Nat. Cur. Ann. III. Obſ.* 269.

FLORIDUS, *ἀνθηρὸς*. Vide *Anthera*. Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 7.

FLOS, *ἄνθος*. Vide *Anthos*. Quibus addi poſſunt quoad chymicam ſignificationem deſcriptiones. *Flos* eſt bolus per ſublimationem extractus. Ex centro & imis partibus elevandus & producendus eſt, ut in ſummitate forma ſicca coagulet. *Flos* ſpirituoſa rei ſubſtantia eſt. *Turbith* vero magis terrea. Omnis *Flos* per ſe volatilis eſt & ſpirituoſus, quanquam ingenio magiſtrali poſſit figi, & ad naturam Turbith aliquando adduci, Ruland. & Iohnſon. *Flores* in Chymia ſunt ſubtiliores partes corporis per ſublimationem à craſſioribus particulis ſub forma ſicca ſeparatæ, Schrod. *l.* 2. *c.* 60. ubi ſimul Catalogum *Florum* Chymicorum invenies. Deſcriptiones quoque eorum leguntur in Iunken *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 116. *ſeqq.* De vocab. *Flos* homonymia & Chymica acceptione legito etiam Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect.* 4. *c.* 1. *ſeqq.* *Flos* etiam vocatur farina illa tenuiſſima, quæ lapidibus innaſcitur, v. g. *Flos Aſſii lapidis*, Rhod. Scribon. *n.* 72. *Flos* capillorum vocatur color naturalis in ætate vegeta, & opponitur canitiei, Keuch. *ad Seren. p.* 101. *Flos æris*, i. e. *Viride æris*. *Flos Cheiri*, id eſt, *Auri eſſentia*. An *Flores* Auri dentur revera tales, quorum meminit Rolfink. *Diſſert. Chymic. IV.* & Blancard. *in Chymia vernac. c.* 5. §. 16. Chemicis ventilandum relinquitur, quamvis placeat mihi candor Blancardi dicentis, nihil ſingulare in illis *Floribus* Solis contineri, quia ſunt *Flores* Salis Ammoniaci. *Flos* Cœli, vide *Cœlifolium*. *Flos* Salis, Gr. *ἁλὸς ἄνθος*. *Flos* ſectorem Croë alii volunt eſſe Croci *flores*, ob additionem croë, putantes errorem illorum, qui ſcripta Paracelſi manu non exacte legunt *e* pro *ci*. Rulandus vero per tranſpoſitionem deprehendit, eſſe florem nucis moſchatæ, ut *ſonath anthos* denotat: alii *florem* Chelidoniæ extractum. *Flos* quoque vocatur ipſe *Lapis Philoſ. Th. Chym. Vol. IV. p.* 727. *Flos vini*, vide *Anthoſmias*. Jung. Linden. *Ex.* 10. §. 131. *ſeqq.* *Flos virginitatis* vocatur ille ſanguis, qui in primo coitu à mulieribus poſt deflorationem funditur; vel ipſa membranula, *Hymen* dicta. Barthol. *l.* 1. *An. c.* 31.

FLUCTUATIO, *κλύδων*. Vide *Clydon*. Meminit &

& Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 4. *in Schol.* *Fluctuatio* corporis navigantium promovet digeſtionem. Helmont. *tr. Blas human. n.* 36.

FLUIDITAS, *Fluidus*, quid ſignificet, ex aliis Lexicis notum. Scilicet dicitur de omni eo, quod mobilitate facili præditum eſt. Refertur autem hodieque inter differentias eſſentiales primigenias corporum compoſitorum. Dividitur *Fluidum* ſimilare in Æthereum ſive ſpirituoſum, quod in continuo modo conſiſtit, eſtque ſubtiliſſimum; & in Aqueum, craſſiorem conſiſtentiam habens. *Fluidum* Diſſimilare & compoſitum etiam duplex ſtatuitur: aliud Ramoſum, cujus textura libere à ſe moveri poteſt vehiculo ſpirituoſo interno adjuta. Tenui enim materiæ innatantes globulos ſuper & juxta ſe invicem poſitos microſcopio conſpicuos ramoſorum figura exhibet. Aliud *Fluidum* viſcoſum, in quo præpollet materia aquea, aërea craſſior, ut & ſalina, quemadmodum prolixius de his diſſeruit Jacobus le Mort *in Pharmac. Medico-Phyſica.* Nimirum eo hodieque perventum eſt, ut quilibet ſibi licentiam ſumat fingendi nova Artis principia Phyſica e ſuo cerebro, ut non male quis cerebrina principia dicere poſſet.

FLUOR, *Fluxio*, *Fluxus*, ῥεῦμα, ῥόος, ῥεῦς, ῥύσις, varias habet apud Medicos ſignificationes. Accipitur enim aliquando late pro omni defluxione, & ita convenit cum vocibus *Catarrhyſis*, *Catarrhus*, de quibus *ſupra.* Hippocr. ſpecies varias recenſet *l. de Glandulis fere toto.* Aliquando ſtricte & cum additione, v. gr. *Fluxus* ventris, cum ſemper & aſſidue humida dejiciuntur excrementa ſine teneſmo & lienteria, Gal. *c.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 36. Jung. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 202. *Fluxus hepaticus*, ἡπατικὸς, in quo ob imbecillitatem hepatis ab intemperie frigida inductam alvi ſedimenta, aquæ, in qua nuper mactata caro abluta eſt, redduntur ſimillima, Gal. *l.* 5. *de Loc. Aff. c.* 7. Sylvius negat, ſe unquam hunc affectum vidiſſe, exiſtimat vero cauſam ejus in copioſo ſero ſanguini admiſto, & vaſa ſimul relaxante conſiſtere, *l.* 1. *Prax. Med. c.* 13. §. 24. P. Barbette putat, eſſe ſpeciem *fluxus* hæmorrhoidalis, *Pr. l.* 4. *cap.* 6. Aliquando ſtrictiſſime cum & ſine additione de *Fluxu muliebri*, Hippocr. *l. de nat. mulier. XV.* 11. *XLV.* 1. *LXXXIV. ſeqq.* Cujus variæ ſunt ratione coloris excretorum ſpecies: *Fluor albus*, cujus deſcriptionem & cauſam vide infra in *Gonorrhœa*: *Ruber*, ſive *Cruentus*, & hic vel coincidit cum menſtruo, καταμηνίοις, *l.* 2. *de morb. mul. LIX.* 5. (eſt alias *in fin. l. de loc. in homine*) *LXI.* 6. *LXIII. ſeqq.* vel diverſus, & ita cauſſa eadem cum aliis ſanguinis profuſionibus, ſolutio continui venarum uteri ob copiam, vel acrimoniam ſanguinis. *Crocei fluoris* hiſtoriam vide *Ephem. Nat. Cur. A. III. Obſerv.* 115. Aliquando accipitur pro *Defluvio capillorum*. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 117. ἡ ῥύσις τῶν τριχῶν. Trallian. *l.* 2. *c.* 2. Denique *Fluores* dicuntur lapides ex fodinis, ſimiles gemmis ipſis, ſed minus duri. Metallici vocant *fluores.* Siquidem ignis calore, ut glacies ſole, liqueſcunt & fluunt. *Fluores* ſunt quaſi contrarii metallis iſtis mediis, ſeu remotis, qua in ſpiritus & aërem reſolvuntur. Theophraſtus ipſos ſi noviſſet, ὀκ συῤῥοῆς vocaſſet, quod fluxu in terra fierent. Sed videtur, ignotos omnino fuiſſe veteribus. Sunt variæ ſpecies à colorum & formæ, vel figuræ differentia deſumtæ, quas prolixe collegit Ruland. *in Lexic. p.* 217. *ſeqq.* Sed omnia compilare non eſt hujus loci.

FLUTA, idem quod *Muræna.* Vide infra ſuo loco *lit. M.*

FOCALE, σφαραγεῖον, ἀσφαραγεῖον, σκεπαστήριον λάρυγγος, dicebatur veteribus faſcia, vel ligaculum, quo adverſus aëris injurias fauces muniebant, ex Quinctiliano *Inſtit. Or. l.* 5. *c.* 3. Rhod. *ad Scribon. n.* 80. Hodie Germanis receptiſſimum eſt.

FOCHA, quid proprie ſit, non licet certo determinare. Interpretes Avicennæ Coſtæus & Magius expoſuerunt, quod ſit potus factus ex hordeo, idem ex paſſulis. Avic. *de removend. nocum. in uſu rerum non natur. tr.* 5. *c.* 18. alii tamen *Focham* etiam tribuit potui aromatico, qui facit ad coitum, *l.* 1. *ſum.* 1. *tr.* 6.

FOCILE *majus* & *minus*, dicuntur duo oſſa cubiti, quorum alterum majus, alias *Radius*, alterum minus *Cercis* vocatur. Vide *Brachium*, *Cubitus.* Barthol. etiam Tibiæ geminis oſſibus attribuit. Vide *Libell.* 4. *Anat. c.* 20. 21.

FOCUS, ἑστία, proprie dicitur arte factus locus planus, aut concavus, ex fictilibus, aut ferro, in quo ignis ſtruitur, & vel coctio, vel liquatio perficitur. Ita in metallurgia *Focus excoctorum*, in quo plumbum purgatur, aut in quo maſſæ plumbeæ liquantur, Ruland. & Iohnſ. Per tranſlationem vero etiam *Focus morbi*, v. gr. *febris*, dicitur ea corporis pars, quæ prima ſolida ſua in ſubſtantia immodice fuerit calefacta, quæ Cor, vel Jecur, vel Ventriculus ſtatuitur, Galen. *l. de maraſmo cap.* 7. Aut aliter: *Focus febris* dicitur particula, quam vel obſtructio, vel putredo, vel inflammatio obſederit, *l.* 11. *meth. med. cap.* 20. Jung. Petr. Mich. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 118. *ſeqq.* In Anatomicis quoque metaphorica occurrit ſignificatio, quando Lobus hepatis primus dicebatur olim *Focus*, ex vana perſuaſione, illam partem facere ad coctionem, quemadmodum ſecundus *Menſa* dictus fuit, quod alimenta membrorum in ipſum apponi credebantur, tertius, *Culter*, quartus *Auriga*, ceu ad diſtributionem alimentorum facientes, de quibus nominibus legi poterit Theoph. Protoſpatarius *lib.* 2. *de H. C. F. cap.* 11. Vocabulum Græcum ἑστία etiam eſt nomen Emplaſtri alicujus nobilis apud veteres, quod ſic dictum eſt, quia ex Græci nominis literarum calculo, quæ in ἑστία continentur, indicatur, ipſum

Drach-

Drachmis DXVI. conſtare. Refertur ad Necepſonem Regem. Conducit omni vulnerum generi. Deſcriptio ejus habetur apud Aët. *l.* 15. Hæc Gorræus *in defin.*

FODINA, μέταλλον, in genere idem ſignificat, quod *fovea*, vel cuniculus ſubterraneus. Specialiter vero notat ea loca ſubterranea, e quibus metalla eruuntur. Hinc *Aurifodina* &c. Tropice in aure cavitas illa anfractuoſa Labyrinthus dicta vocatur etiam *Fodina*. Barthol. *libell.* 4. *c.* 6.

FOECUNDUS, *Fœcunditas*, ἐπίτοκος. Vide *Epitecnos.*

FOEMINA, *Fœmella*, γυνή, γύναιξ, θῆλυ, nomen ſexus muliebris proprium. Lind. per ſimplex e *femina* ſcribit, *Ex. X.* §. 200. 164. *XIII.* §. 542. *&c.* Sumitur late & ſtricte. Late complectitur puellas, virgines, viduas & conjuges, & ſaltem differentiam ſexus indicat. Stricte ſignificat mulierem, quæ vel in conjugio vixit, vel adhuc vivit. Ejus officia vide ap. Gal. *l.* 3. *de cauſ. pulſ. c.* 2. Eſt imperfectior mare, C. Hofm. *ad Gal. de V. P. n.* 980. *ſeqq.* Fœminam in marem mutatam refert Rhodius *cent. III. Obſ.* 4. Quid *fœmina* Spagyricis dicatur in lapidis Philoſophici magiſterio, vide apud Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 7. Baſil. Valentin. *tr. de Lapide Philoſoph.* & ſimiles Autores &c. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 724. 736. & alibi.

FOEMINITAS, *Fœminans.* Vide *Maſculinitas.*

FOETABULUM idem ſignificat, quod *Abſceſſus cum folliculo.* Quod nomen excogitavit M. Aurel. Severin. *l. de Abſceſſibus anomalis*, commodius illud ſtatuens, quam germen, ſiquidem in animante tales abſceſſus gignuntur. Germinis autem vox ad Vegetabilia potius ſpectat. *d. l. c.* 3. *fin. & ſeqq.*

FOETATIO, *Fœtificatio*, idem, quod *Impregnatio*, ϰυοποιΐα, κύησις, Gal. *l. de ſeptimeſtri part. in princ. & l. an omnes particulæ animalis, quod fœtatur, fiant ſimul:* quamvis neutrum in Græco habeatur Codice.

FOETIDUS, *Fœtor*, δυσώδης, δυσωδία. Vide *Dyſodes.* Exempla graviſſimi *fœtoris* in hominibus vivis vide *Ann II. Ephem. N. Cur. Obſ.* 191. *Fœtens* quoque habetur Lapis Philoſ. *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 745.

FOETISARE, barbarum verbum, id eſt, *gignere*, producere. Legitur *in Th. Chym. Vol. V. p.* 454.

FOETUS, κύημα, proprie vocatur *conceptus* in utero, ex ſemine factus, quando viſcerum cordis, jecoris, cerebri indiſtincta adhuc & informia adſunt rudimenta, & ita carnea apparet ſubſtantia, non vero amplius ſeminalis, quam alias Hippocr. genituram, γόνον, appellat, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 9. *Fœtus* duplex: Maſculus & Fœmininus. Varias *fœtus* humani figuras ratione magnitudinis & temporis à conceptione diverſi delineatas videre licet in D. Gothofr. Bidloo *Tabb. Anatom. LVII. & LXII.* & ſelectorum e diverſæ magnitudinis *fœtibus* paratorum Icones *Tabb. C. CI. & CII.* De nutritione *fœtus* in utero elegantem tractatum ſcripſit Claudius de Courvée. Vide *Conceptus.* Junge Barthol. *l.* 1. *An. cap.* 28. *Fœtus* à Ger. Dorneo deſcribitur, quod ſit mixtum ex utriuſque parentis ſubſtantia productum ad ſui perfectionem. *Art. Alchymiſt. l.* 3. *c.* 15. *fin. Fœtus* Spagyricus vocatur illa medicina catholica Spagyricorum. Id. *in Philoſ. Chemica Th. Chym. Vol. I.*

FOLIATA *terra* vocatur *Sulphur* perfecte mundatum, purificatum, & dealbatum. *Th. Ch. Vol. IV. p.* 720. Hodieque etiam *Sal Tartari Eſſentiale* & Chymicorum *Arcanum Terræ foliatæ Tartari* titulo inſignitur, magnopere laudibus extollitur, eſtque nihil aliud, quam Tartarus regeneratus, cujus deſcriptionem vide apud Rolfink. *Chymic. l.* 5. *ſ.* 1. *art.* 1. *c.* 14. D. Ludovic. *Pharmac. Diſſ. I. p.* 392. ad quem locum junge Etmulleri *Annotationes in ſuis operibus.* Morley *Collect. Chym. cap.* 467. Iunken *Corp. Pharmac. ſect. III. c.* 18. *p.* 82. aliiſque in Chymicorum monumentis præſertim MSS.

FOLIATUM, φυλλίατον, nomen unguenti pretioſi, quo divites ſolum utebantur Romæ ad ſtomachum & caput. Dictum etiam *Spicatum*, σπίκατον, Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. *l.* 8. *c.* 1. *& l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 12. nec non alibi.

FOLIUM, φύλλον, hujus ſignificatio propria & nota pertinet ad Botanicos, qua lata, qua ſtricta pro *Malabathro*, Rhod. *ad Scribon. n.* 170. Improprie *Folia daturæ* dicuntur, quaſi *folia* aurea. *Folia* notant pura & à ſordibus ſeparata. Hinc quando Spagyrici dicunt: *Vertite aurum in folia*, volunt indicare: Solvite in liquorem, ut anima parce extrahatur, quæ Sulphur tingens eſt, Rul. Iohnſ. In Mineralogia *Folia* Auri & Argenti ſunt tenuiſſimæ laminæ dictorum metallorum. Schrod. *l.* 1. *c.* 2. *Folium* quoque vocatur ipſe Lapis Philoſ. *in Theatr. Vol. IV. p.* 727. In Anatomicis quoque lacunam illam triangularem, ubi concurſus eſt ſuturæ ſagittalis & coronalis in infantibus, membranaceam *folium* vocari, ſcribit Blaſ. *Med. Un. p. m.* 106. Anatomico-Pathologice *folium* quoque dicitur Columella laxata apud Arnoldum de Villanova *Breviarii l.* 2. *c.* 2. allegante Walthero *in ſylva Medica p. m.* 372.

FOLLIS, *Folliculus*, φυσητήρ, eſt inſtrumentum, quo non modo aurifabri, ſed & alii artifices utuntur ad inflandum aërem, Gal. *l.* 9. *Anat. admin. c.* 2. *fin.* qua ratione corium ad *folles* conficiendos debeat præparari, vide apud Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 6. *c.* 14. Ab Anatomicis ſumitur pro Veſicula, κύστιγξ dicta, ut *Folliculus* fellis. Vide *Ciſtis.* Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 15. Botanicis & Pharmaceuticis *folliculus* dicitur theca tenuis, quæ granum vel ſemen continet involutum. Schr. *d. l.* Ita in Chirurgico-Pathologicis *folliculus* vocatur exterior ſuperficies membranam mentiens, quæ continet materiam abſceſſuum anomalorum, ſive cum *folliculo* dictorum, quales ſunt Steatoma, Atheroma, Meliceris. De quibus ſuo loco.

FOM,

FOM, i. e. *ſonus*, vel *vox*. Rul.

FOMENTUM, πυρία, θερμάσμα, dicitur omne id, quod quovis modo foris applicatum corpus calefacit actu, ut ſpongia aqua calida imbuta, & ſimilia, Gal. *l.* 2. *de R. V. I. Art.* 1. 2. *ſeqq. Fomenta* pertinent ad *Epithemata*. Vide *Antid.* Weker. *Gen. l.* 1. *c.* 20. P. Morell. *l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 3. Dicitur & *Fotus*, *Fomentatio*. Harum noxam attingit Sylv. *l.* 1. *Pr. M. c.* 15. §. 23. Vide *Pyria*. Alias egregie *fomentorum* differentias & ſpecies enumeravit Celſus *l.* 2. *c.* 17. & in certas claſſes redegit Wilh. Pantinus *in annot. ad h. l. p.* 271.

FOMES, ἔναυσμα, ζώπυρον, quid proprie ſignificet, notum. Nimirum ignis ſuſcitabulum. *Fomites* præſentaneos parandi modum docet Libav. *S. A. Chym. l.* 6. *c.* 1. Per metaphoram ita dicitur cauſſa interna, vel antecedens, qua morbus fovetur & continuatur. Jul. Alex. *l.* 1. *Annot. in Gal. l.* 1. *Art. Cur. ad Glauc. c.* 4. *p.* 601.

FONS, πηγή, quid proprie ſignificet, non eſt hujus loci, niſi quatenus aqua fontana inter res non naturales quoque refertur. De *fontium* varietate diſſeruit Helmont. *tr. Supplem. de Spadanis fontibus*, *n.* 1. *ſeqq.* Impropria & tropica ſignificatio frequentior eſt in foro Medico. Hipp. vocavit ſanguinem, bilem, pituitam, & aquam quatuor *fontes* corporis, *l.* 4. *de morb. X.* 17. *XI.* 1. Ita *Fontes Signorum* appellantur eæ res, vel circumſtantiæ, e quibus ſigna ſanitatis & morborum deſumuntur, *Dogm. noſtr. Part.* 3. *c.* 1. *dogm.* 7. Materia quoque præſidiorum Medicorum triplex *Fontium* nomine venit ap. Inſtitutioniſtas: *Fons Diæteticus*, *Pharmaceuticus*, *Chirurgicus*, Rolf. *O. ac M. Med. Spec. l.* 4. *ſect.* 1. *c.* 3. Anatomicis pars illa, quæ in infantibus recens natis membranoſa reperitur ad commiſſuram coronalem & ſagittalem, quæque progreſſu temporis in os, ſed tenuius induratur, *Fons pulſans* vel pulſatilis, aliis *Fontana* & *Fontanella* dicitur. C. Hofm. *ad Gal. de V. P. n.* 574. Barthol. *libell.* 4. *de oſſib. c.* 6. Joh. van Horne *Microc.* §. 42. D. D. Hofmann. *in Diſſ. ad h. l. p.* 177. quamvis & in adulto obſervatas fuiſſe *Fontanellas* ex Friderico Lachmund notaverit Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſect. III. c.* 5. & 6. *p.* 45. Chymicis Mercurius *fons Chymiæ* indigitatur. Nic. Flamellus *annot. in Dionyſ. Zachariæ opuſcul. Theatr. Chymic. Vol. I. & IV. p.* 721. 725. Libav. *Apoc. Hermet. Part. prior. c.* 5. *Fons Philoſophorum* eſt Balneum Maris, vel Mariæ. Rul. & Iohnſ.

FONTALE *acetoſum*, idem, quod *Acidulæ*. Parac. *l. de Tartar. morb. C.* 16.

FONTICULUS, *Fontanella*, eſt nomen remedii Chirurgici, nihilque aliud ſignificat, quam ulcuſculum in aliqua corporis parte, plerunque vero in brachio ad muſculum deltoidem, in pede vero vel ſupra, vel infra genu, ſive ferro ignito, ſive cauterio potentiali paratum, ad blande & leniter educendos vitioſos humores ſuperfluos. Eſt vero *Fonticulorum* uſus in variis morbis, imo in omnibus ferme corporis noſtri affectionibus, à defluxione dependentibus, in quacunque intemperie *Fontanellæ* conveniunt, teſte Dieter. *n.* 744. Jung. *Eph. N. C. A. III. Obſ.* 156. & 214. Plura apud Bartholin. *Syntagm. de Cauteriis*, Glandorpium *in Gazophylacio Fonticul. & Seton.* D. Schorerum *tract. German. de fonticul.* & ex noviſſimis Reimund Reſtaurant. tractatum, dictum Hippocrates de *Inuſtionibus* ſive *Fonticulis*, cujus etiam mentio fit *in Act. Erud. Lipſ.* 1683. Jungatur *Epiſtola* D. Joh. Lud. Hannemanni *ad G. Barthol. in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 12. *p.* 21. *ſeq.* Quinam impugnaverint Autores, lege apud Rolfink. *O. ac M. Med. Sp. l.* 4. *part.* 2. *c.* 5. *ſeqq.* Vide ſupra *Cauterium*. *Fonticulorum* naturalium hiſtoriam vide *in Ephem. N. Cur. Ann. II. Obſ.* 257. Alteram *Fontanellæ* ſignificationem vide p. a. in *Fons*.

FORAMEN, τρῆμα, dicitur locus quidam apertus, *forando* veluti factus, Galen. *l. de cauſſ. morb. c.* 11. Linden. *Ex. V.* §. 37. *Foratio*, τρῆσμα, dicitur Gal. *ibid. Foramen cæcum* quid ſit in Anatomicis, vide ſupra *Cæcus*. *Foratio* idem eſt, ac *Perforatio*, ſive *Trepanatio*, qua utimur in fracturis capitis, cum uſque ad cerebri membranas calvariam dividimus, Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 2. ubi Gr. ἀνάτρησιν vocavit. *Foraminulentum* os dicitur quoque *Cribriforme*, ſive *Ethmoides*.

FORBICINA (rectius fortaſſis Forficina, aut Forcipina) eſt nomen inſecti ſive vermis auricularis vulgo dicti, quia Germani & Belgæ credunt, quod in aures irrepat, ut cerebrum offendat. Ita vocatur à cauda bifurcata ad inſtar forficis, vel forcipis. Deſcribitur ab Ul. Aldrovando *de inſectis l.* 5. *c.* 8. *p.* 570. *ed. Bon.*

FORCEPS, πυράγρα, (ita dicta, quod ignita teneri poſſint) καρκῖνος, eſt nomen inſtrumenti Chirurgici ferrei, variæ formæ, quo aliquid apprehenditur, eximitur, aut effringitur. Ita *forceps* dentium, ὀδοντάγρα. Vide *Dentiducum*. Dicitur & *Dentarpaga*. *Forcipes* pro calculo eximendo, Paræus *l.* 16. *Chirurg. c.* 42. *Forceps* ocularis, Hildan. *cent.* 1. *Obſerv.* 2. *Forceps* pro extrahenda mola, *Cent.* 2. *Obſerv.* 52. pro abſciſſione mammarum, *Obſ.* 79. pro apprehendendo vaſe ſanguineo ad conſtringendum laqueo, *l. de gangr. & ſphacelo cap.* 19. *Forceps* parva *in Ciſta milit. cl.* 19. Confunditur cum *Forfice* & *Forpice*. Vid. Rhod. *ad Scribon. n.* 53. Vide *Forfex*. *Forcipum* delineationem quære in Aquapendent. Paræi, Hildani *Operibus* & in Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tabulis*, quæ loca monſtrabit Index primus.

FORFEX, ψαλὶς, τομὶς, eſt inſtrumentum Chirurgicum ferreum, vel ex chalybe paratum, bifidum, vel biſulcum, quo aliquid reſecatur, Rhod. *d. l.* quamvis ibidem confundatur cum *forcipe*, quod & Rul. fecit, deſcribens: *Forfex* eſt inſtrumentum oblongum & biceps, quod manibus facile comprimi & dilatari poteſt, igni imponendis dirigendiſque prunis atque vaſis aptum. Eſt & alia *forficum* ſpecies, qua

vaſa tantum ex igne ſuſtollimus, quæ inſtar *forcipis* complicatur. Mentio fit *forſicum* apud Oribaſ. *de machinam. c.* 5. *Forſices* etiam dicuntur, quibus pili reſecantur, diverſæ tamen à novaculis, quia bifidæ. Hildan. *Ciſt. mil. cl.* 19. Junge Sculteti *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XII. fig.* 4. *Tab. XVII. fig.* 4. *& Tab. XX. fig.* 1.

FORIS, *foras*, ἔξω. Vide *Exo.*

FORMA, εἶδος, ἰδέα, μορφή, eſt æquivocæ ſignificationis. Vel enim ſignificat internam & ſubſtantialem naturam & principium activum corporis naturalis, qualis eſt anima in homine, animalibus, & vegetabilibus, Gal. *quod anim. mor. temper. corp. ſeq. c.* 3. *l.* 2. *de ſem. c.* 1. vel denotat externam ſpeciem & pulchritudinem, *Orat. ſuaſ. ad artes c.* 5. *ſeq.* Unde ἀειδὴς, *deformis*, & εὐειδὴς, *formoſus*, Diet. *n.* 9. Juxta priorem ſignificationem opponitur *materiæ*, & ſpeciem conſtituit, unde & ſubſtantiæ modus vocatur, Linden. *Exerc. X.* §. 19. quamvis Carteſianam ſapiant Philoſophiam, quæ ibi traduntur, qui negat *formam* ſubſtantialem ſpecificam. Verius mihi videtur ſcripſiſſe Fr. Hofm. *in Clav. ad Schroder. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 16. A *formarum* ſpecificarum in ſeminibus, aut his analogis deliteſcentium diverſitate ex aqua producuntur diverſa vegetabilium, terrarum, mineralium, ſalium, liquorum, lapidum, animalium genera, & per ſpecies exſurgunt. Ab his *formis* ſpecificis dependent virtutes medicamentoſæ, quæ ſunt veluti *formæ* ſubordinatæ, uti vocat Idem *ad l.* 1. *c.* 36. *p.* 38. Helmont. rurſus aliter de *formarum* eſſentiali ratione docuit, uti videre eſt *in tr. Formarum ortus.* Egregie quoque de *forma* rerum naturalium intrinſeca ſcripſit Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 1. *p.* 3. *ſeq.* Chymici per *formam* intelligunt vel ſpiritum mundi, à quo corpora naturalia producuntur: vel deſcribunt, quod *forma* rerum ſit virtus generativa, quæ ſibi ſimile quodque producere poteſt, ut, hominis *forma* latet in homine, & non in alio; arboris in arbore, nec non in metallo metalli, Ger. Dorneus *tr. Artific. ſupernatur. c.* 5. *in Th. Chym. Vol. I.* Vel *Formæ* rerum ſunt influxus cœleſtium, quos à ſuperioribus habent inferiora: occultata potentia, vis & virtus cujuſque rei, Rul. & Iohnſ. Vel *Forma* ipſis idem eſt, quod *Quinta Eſſentia*, Libav. paſſim in ſcriptis. Vel etiam de externa alicujus rei figura. Hinc *formas* plantarum reſuſcitare, *formas* fundere apud eundem legitur *in Syntagm. Art. Chym.* & alibi.

FORMATIO, σχηματισμὸς, plerumque ponitur pro externa *figuratione*, v. gr. *formare* pilulas, globulos, paſtillos, apud Scrib. Vide *in Lex. Rhod.* Sumitur tamen & pro *generatione*, v. g. *Formatio* fœtus paſſim legitur.

FORMATRIX *virtus*, δύναμις πλαστική. Vide *Dynamis.* A Galeno deſcribitur, quod ſit ea, quæ jacto in uterum ſemine, ſive in terram, ſtatis temporibus univerſas & ſingulas conflat partes ejus, quod gignitur, quæ eſt optima & ſumma ars, quæ omnia alicujus gratia molitur, ſic, ut nihil otioſum ſit, aut ſupervacaneum, *lib. de nat. fac. c.* 6. Vocatur ibidem δύναμις γεννητική, *facultas generatrix.* Eſt ipſa anima vegetativa, Lang. *l.* 1. *ep.* 14.

FORMATUS, epitheton eſt Muſculorum proprie dictorum, ad differentiam Non-formatorum ſive informium, non inepte excogitatam à D. D. Bohnio *Circul. Anat. Phyſ. Prog. XXIX. p.* 452. per illos intelligens partes carneo-tendineas omnes, quas dudum Anatomici uno ore Muſculorum nomine dignas judicarunt; per hos vero carneo-fibroſas congeries, v. g. tunicas præſertim medias, ventriculi, inteſtinorum &c.

FORMICA, μύρμηξ, eſt nomen inſecti mira providentia dotati, ita ut inter rationalia Cicero & Celſus referre non fuerint veriti, cujus deſcriptionem prolixam & uſum in Medicina vide ap. Aldr. *l.* 5. *de inſect. cap.* 1. Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 103. Fr. Hofmann. *in clav. ad h. l.* Jungantur obſervationes communicatæ à D. Edmundo King, Societatis Regiæ Anglicanæ Socio apud Henric. Oldenburg. *in Act. Philoſoph. Ann.* 1666. *Formicas* ex melle & pane ſecalitio generari, docet Helmont. *tr. poteſtas medic. n.* 37. *Formica* quoque dicitur *Verrucæ* ſpecies, quæ Gr. μυρμηκία, verruca formicaria vocatur, tumens & calloſa, colore nigricans, baſi lata, & cute ſeſſili, in exciſione dolores afferens, morſiunculis *formicæ* ſimillimos, à quo etiam nomen accepit, Foreſt. *l.* 23. *obſ.* 9. Meminit illarum Hipp. *l. de humid. uſu VIII.* 11. Dolor ille etiam μυρμηκιασμὸς, μυρμηκίασις, *formicatio* vocatur, Galen. *l.* 3. *de fac. parab.* Foëſ. *Oec. p.* 420. Dieter. *n.* 38. *Formicæ*, verrucalia apoſtemata vel porralia, ſeſſiles verrucæ *formicantes*, *formicationes*, *myrmeciæ.* Ruland. & Iohnſ. *Lex.* vel clarius: Formicæ quoque vocantur exiliſſimorum vaſculorum ſanguineorum varicoſæ intumeſcentiæ ſubtiliſſimæ cum in ano, tum in glande penis, quæ vix abſque venereo inquinamento naſcuntur, notante DD. Stahlio *in Diſſert. de motu hæmorrhoidali. c.* 4. *p.* 13. *Formica* etiam non ſolum de *Verrucis*, quæ *Myrmeciæ* dicuntur, accipitur; verum & notat *Herpetem Miliarem*, docente Ingraſſ. *comm. ad Avic. de tum. pr. n. p.* 181. *ſeqq.*

FORMICANS, μυρμηκίζων, eſt epitheton *pulſus* inæqualis, & omnium minimi, apud Gal. *formicarum* motui ſimilis, eſtque nullus alius, quam vermiculans imminutus, à ſumma paupertate flammæ vitalis & cordis ſyſtole imbecilla dependens, *l. de Pulſ. ad Tyron. c.* 8. *& l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 26. 27.

FORMIX, idem, quod *Noli me tangere*, ſive *Herpes eſthiomenos*, alias *Lupus* dictus. Walther. *Sylv. Med. p.* 654.

FORMULA, eſt terminus technicus, diciturque de medicamentorum, qua ſimplicium, qua compoſitorum, conſtitutione, cum quoad conſiſtentiam, tum quoad deſcriptionem. *Formularum* differentias vide apud

apud Schrod. *l.* 1. *c.* 32. *Formula urina* Paracelſo dicitur urina rubra, clara, de qua *in lib. de Urinis & Scholiis* paſſim legere eſt.

FORNAX, κάμινος, quid ſignificet, omnibus notum eſt. Dicitur & *Furnus. Fornacum* & *Furnorum* Medicorum hiſtoriam & differentias vide apud Schr. *l.* 1. *c.* 20. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l. p.* 29. Theodor. ab Hoghelande, *l. de Alchem. diffic.* ſeptem *furnorum* genera numerat: Calcinatorium, Sublimatorium, Deſtillatorium, Deſcenſorium, Fuſorium, Solutorium, & Fixatorium, ex Gebro. His addit *Furnum ſecretum.* Ger. Dorn. *Art. Chemiſtic. l.* 2. *c.* 2. *ſeqq.* tres peculiares formas *fornacum* exhibet, ſecundum tres motus perpendiculares extructas, ſurſum, deorſum, & lateraliter latum. Plura de hac re vide apud Dan. Milium *l.* 2. *Baſil. Philoſ. de furnis & vaſis Philoſ. c.* 2. Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 17. Rul. potiſſimum *fornacum* meminit, quarum uſus eſt circa metallifodinas, v. g. *Fornax* prima vitrariorum, & etiam ea, in qua excoquuntur venæ. *Fornax*, in qua plumbum ab argento ſeparatur. *Fornax*, in qua plumbum & argentum ab ære ſeparantur. *Fornax*, in qua ferrum excoquitur. *Fornax*, in qua panes ærei ccquuntur torrefacti. *Fornax*, in qua calefiunt panes ærei. *Fornax*, quæ foraminibus vento inſpiratur. *Fornax*, furno ſimilis. *Fornacem anemiam* porro ſic deſcripſit, quod fiat e ferro inſtar tripodis, cum coniſterio & foco, quæ duæ regiones per craticulam diſcernuntur. Coniſterium clauditur janua ferrea, per quam aër ſubintrat. Focus autem eſt apertus & intus luto craſſo obductus. Ergaſtulum eſt liberum ſpatium. Plerumque enim accommodantur res per ſartaginem, ollam, catinum triangularem, & ſimilia, ita ut inſiſtant prunis, vel paramper demittantur. Quanquam autem ignis nonnunquam flabello vel follibus intendatur, tamen ſubintrantis aëris, ſeu venti vis maxima eſt. Itaque & eo in loco collocari debet, ut janua coniſteri vento, vel aëris motui exponatur, ſitque nullus alius exitus undiquaque feneſtris & aliis clauſis, præter ſurſum tendens ſumarium, ut ita aër cogatur per prunas elabi. Id autem tunc maxime fit, cum liquare aliquid magno igni, aut calcinare volumus. Vide infra *Furnus.* De *Fornace* balneariorum vide Rhod. *ad Scribon. Larg. n.* 60. *Fornacula* eſt diminutivum.

FORNIX, καμάρα, item ψαλίς. Vide *Camara.* Quid ſit *fornix cerebri*, vide apud Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 6.

FORPEX, vide *Forfex.*

FORTIFICANS, idem, quod *Confortans*, *Corroborans.* Helmont. *d. febrib. c.* 8. *n.* 14.

FORTUITUS, τυχαῖος, dicitur de iis, quæ ſine humano conſilio, vel caſu, vel natura eveniunt, Galen. *l. de ſubſig. Empir. c.* 2. *Fortuitam* curationem merito improbat Libav. *tract. Artis Med. Hippocr. & Herm. typus Tom. III. Oper. p.* 119. Vide *Fortuna.*

FORTUNA, τύχη, opponitur Arti & Naturæ, Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 7. Veriſſime exiſtimavit Helmontius, omnes omnium *fortunas*, tam proſperas, quam adverſas, concernere diſpoſitionem divinam, non autem inclinationem, multoque minus ab aſtris dependere, licet in firmamento ſint præſignatæ, *tr. Aſtra neceſſitant, non inclin. n.* 41. An *fortuna* aliquid poſſit, in arte Medica & Medico diſceptatur. Negare videtur Hipp. *l. de loc. in hom. LVIII.* & ex eo Mercurial. *l.* 2. *Var. L. c.* 12. Enimvero diſtinguendum eſt inter *fortunam* temerariam, ſive paganam, & chriſtianam, cumque ſcientia, prudentia, & vera pietate conjunctam. Hæc omnino requiritur in Medico. Vide de hac re plura ap. Rolf. *Chymiæ l.* 1. *c.* 4.

FORTUNATUS, εὐτυχής, idem quod *Felix.* Vide *Eutychia.*

FOSSA, σκάμμα, præter vulgarem ſignificationem Anatomicis dicitur interior cavitas, & *rima magna* pudendi muliebris, quæ apparet diductis labiis, quæ & *Foſſa navicularis* dicitur. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 32.

FOSSICIUS, idem, quod *Foſſilis*, ὀρυκτός. Dicitur de eo, quod e terra effodi ſolet, eſtque epithet. *Salis* ap. Scribon. L. *n.* 59. 60. Dioſc. *l.* 5. *c.* 126. Vocatur alias *Montanus*, Rhod. *in not. ad h. l.* Offic. *Sal gemmæ*, Schrŏd. *l.* 3. *c.* 22.

FOSSIO, σκαφή, σκαπάνη, refertur à Gal. inter exercitia corporis validiora *l.* 2. *de ſan. tuend. c.* 8. & 9. à verbo σκάπτω, *fodio.* Hinc *foſſores* dicuntur, qui mineram metallorum e terris eruunt. Gr. σκαπτῆρες.

FOSSULA, βόθριον, ita vocatur affectus oculi apud Capivaccium, *Pract. l.* 1. *c.* 33. vide *Bothrion.*

FOTUS. Vide *Fomentum.*

FOVEA, βόθρος, præter receptam ſignificationem etiam ab Anatomicis accipitur pro *pudendo & ſinu muliebri.* Rolf. *de part. genit. part.* 2. *c.* 32. Vide *Foſſa. Foveola*, βόθριον. Vide *Bothrion.* In ſpecie *Foveola*, βόθρον, eſt parvum ulcus, & cavum in nigro oculi, Gal. *def. med.* In Therapeuticis *Fovea* J. C. Claudino dicitur Vaporarium vel Sudatorium particulare minus, in quod unum vel duo tantum crura inſeri poſſunt ad ſudandum, & hac ratione differt à Stupha, quæ totum corpus vel plura hominum corpora recipere poteſt. *Appendix ad libros de Ingreſſu ad infirmos ſect. I. p. m.* 391.

FRACES, στέμφυλα τῶν ἐλαιῶν, dicuntur carnes olivarum expreſſæ, unde *Amurca*, ſive feces in oleo, Plin. *l.* 15. *c.* 16. Lind. *Ex. X.* §. 199. Hinc *Fracedo* deſcendunt & *Fracidus* odor, de quibus vide Helmont. *tr. Blas meteoron. n.* 12. & *tr. Tumulus Peſtis*, § *Fermentum peſtis*, ubi fermentationem & exhalationem putidam & fœtidam ſignificat.

FRACTURA, κλάσις, κλάσμα, item ἄγμα, κάταγμα, paſſim apud Hippocratem lib. περὶ ἀγμῶν, & Galen. *in comm.* eſt ſpecies ſolutæ unitatis in partibus

bus duris, oſſibus & cartilaginibus durioribus, proveniens ab externo violenter continuitatem diſſolvente. Ejus differentias vide in Chirurgiæ Scriptoribus, præſertim Hieron. Fabr. ab Aquapend *Pentateuchi l. 4. c. 1.* Sennert. *M. Pr. lib. 5. part. 5. per totum.* P. Barbette *Chirurgiæ part. 1. c. 3.* & alios. Dicitur & *Fractio*, Dieter. *num.* 437. De *fracturis* gravidarum curatu difficilibus vide *Ephem. N. Cur. Ann. I. Obſ. 25.*

FRÆNATOR eſt epitheton muſculorum quorundam diverſis motibus capitis ſuper primam & ſecundam cervicis vertebram inſervientium, noviſſime inventorum, à Dn. Dupré Chirurgo Pariſienſi in Xenodochio *Hôtel-Dieu*, quemadmodum legere eſt *in Act. Erudit. Lipſ. de A. 1699. in Septembr. p. 397. ſeqq.* Gall. vocatur *Rengorgeurs*, cui Græcum reſponderet χαλινωτῆρες.

FRÆNUM, vide *Frenum.*

FRAGIFORMIS eſt epitheton trium nævorum in capite Helwigii occurrentium, de qua obſervatione legatur Bonet. *Medic. Septentr. l. 1. ſect. 1. c. 8. p. 11.*

FRAGILIS, κραυρὸς, dicitur de ſicco, quod facile in minores particulas diſſolvi poteſt, Gal. *l. de Simpl. Fac. c. 11. & lib. de bon. & mal. ſucc. c. 10.* Hinc *fragilitas*, κραυρότης. *Ibid.* De *Fragilitate*, vel *Friabilitate* metallorum lege Jacobum le Mort *Metallurg. contract. p. m. 271.* eſtque nihil aliud, quam ineptitudo ad ſuſtinendum malleum. Opponitur *Malleabilitati*, de quo *infra.*

FRAGMEN, *Fragmentum*, ἄγμα, κάταγμα, vel idem eſt, quod Fractura: Vel particulas quaſdam à toto ſolido corpore ſeparatas ſignificat. Ita *fragmina* calculi dicuntur ſabulum & granula. Scrib. Larg. *n.* 152. Vide *Lex.* Rhodii.

FRATERNITAS, ἀδελφιξία, item *Fratratio.* Vide *Adelphixia.* Peculiaris quoque eſt Spagyricorum quorundam *Fraternitas de Roſea Cruce*, de qua vide judicium Libavii *integro tract. de Philoſophia Harmonica Magica Fratrum Roſeæ Crucis, Operum Tom. IV.* & Dieter. *Iatr. p.* 1208. *Fratres Lombardorum*, vel *Salernitanorum* dicuntur partus monſtroſi, verminoſi. *Ephem. N. Cur. An. I. Obſerv.* 1. Frater quoque vocatur & *fratris uterini* lapis Philoſoph. *Th. Chym. Vol. IV. pag.* 727. & *Frater Mercurii* dicitur *Sol*, vel Aurum, *p.* 725.

FRAUS, ἀπάτη, idem quod dolus, impoſtura, deceptio. De *fraudibus* Pharmacopœorum nonnullorum legatur elegans libellus inſcriptus: *Declaratio Fraudum & Errorum apud Pharmacopœos commiſſorum* Liſſeti Benancii *cum Dialogo* Joh. Anton. Lodetti Dialogo ejuſdem argumenti à celeberrimo quondam Bartholino Latinitate donatus. Optandum vero eſſet, ut in gratiam boni publici potius vernacula lingua divulgaretur, ut & Magiſtratui & ſubditis fraudes illæ melius innoteſcerent, & communi opera adverſus illas competentia inveſtigarentur & excogitarentur.

FRENA, dentium alveoli apud Atium Cletum *de morbis ſtrangulator.* c. 3.

FRENANS *medicamentum*, χαλιναγωγὸν, dicitur Fernelio, quod ferocientes humores, turgentes & quoquoverſum impulſos coërcet atque compeſcit, *Therap. l. 5. c. 2.* Idem, quod *Domans.*

FRENGO, σαρκάζω, ſignificat proprie ſupremis labris, vel etiam dentibus aliquid evello, uti faciunt bruta ἀμφόδοντα, utrinque dentata. Hippocr. *l. de artic. t.* 28. Gal. *in comm.* Adde Foëſ. *Oec. p.* 558. Improprie ſignificat *ſubſannare* morſis labris & irridere. Unde *ſarcaſmus* ſive *ſubſannatio* vocatur in Rhetoricis.

FRENUM, *Frænum*, κυνοδέσμιον, dicitur vinculum illud, quo præputium glandi penis adhæret. Alii *Canem* vocant. Rolf. *de part. P.* 1. *c.* 3. Barthol. *l.* 1. An. *c.* 24. *Frenum* etiam vocatur in fœminis anguſtia tenuis ſinus pudoris externi, labia arctius jungens uteri ſinus colli ex parte obtendens, quæ aliquam notam virginitatis præbet in virum nondum expertis. Linden. *Phyſiol. Med. l. 2. c. 7. art. 15. p.* 318. Vide etiam *Chalinos.*

FREQUENS, πυκνὸς, idem, quod *Creber.* Vide *Creber. Frequentia* ſpecialiter dicitur Ger. Dorneo *in Philoſ. Speculativa capitul.* 5. concepti circa veritatis amorem perſeverantia.

FRESUM, ἔρεγμα, à *frendo.* Vide *Eregmos.*

FRIABILIS, ψαθυρὸς, *Friabilitas*, ψαθυρότης, dicitur de eo corpore, quod eſt inter humidum & ſiccum medium, & facile in minimas particulas poteſt diſſolvi, Galen. *de bon. & mal. ſucc. c.* 10. Ita caro *friabilis* nulli legitur *l. 3. de Al. Fac. c.* 27. Dicitur & ψαφερὸς, vide *Pſapheros*, item θραυστὸς, vide *Thrauſtos.*

FRICATIO, *Frictio*, τρῖψις, ἀνάτριψις, vide *Anatripſis.* Duplex eſt: *ſicca & humida.* Illa eſt, quando corpus univerſum, vel membrum ejus ſolis manibus, vel linteo, nullo admiſto humido, aut pingui corpore *fricatur.* Eadem & chirothecis aliquando perficitur, διὰ χειρίδων, Rhod. *ad Scribon. n.* 180. Hæc vero dicitur, quæ fit per aquæ & olei admiſtionem. Alias *frictio* in genere duobus modis uſurpatur: uno quidem, pro omni motu, qui extrinſecus tam ſanis, quam ægris adhibetur ad cutem, quovis tempore: altero vero, vel eſt pars exercitationis, vel potius, ut ait Gal. exercitationi ſubſervit. Differentiæ ſex *frictionum* numerantur. *Mollis*, *Dura*, & inter eas *media*; *Multa*, *Pauca*, & in eo genere *mediocris*. *Dura* ligandi, *mollis* ſolvendi, *multa* minuendi, *mediocris* carnem generandi vim habet, Galen. *l. 2. de ſan. tuend. c. 3.* & in ſpecie de *frictione* cum oleo, *l. 2. de Sim. Fac. c.* 18. & alibi. Vide Rolfink. *O. & M. Med. l. 4. ſ.* 10. [illegible] c. 1.

FRIGEFACTIO, *Frigefaciens*, *Frigiditas*, *Frigus*, *Frigidus*, ψυχρότης, ψυχρὸς, ψύξις, ψύγμα. Terminorum ſignificatio nota eſt. Opus eſt diſtinctione. Vide infra *Frigefaciens*.

FRIGIDARIUM, vocabatur ahenum in balneis veterum, frigidam continens aquam, quemadmodum reliqua duo, *Caldarium*, calidam, & *Tepidarium* tepidam continentia, Fumanell. *de Baln. mox à princ.*

FRIGIDUM etiam accipi poteſt, prout ſupra de *Calido* diximus, ſubſtantialiter, & accidentaliter. Subſtantialiter dicitur de aqua, nive, glacie, aut aliis, quæ deſtituuntur principio calido ſubſtantiali. Hinc Helmontius recte dixit, *Frigus* non eſt principium vitale, ſed extinctionis, *tr. Progymnaſm. Meteor. n.* 25. Imo etiam homines, quibus calor, vel flamma vitalis eſt imbecillior ſecundum vel p. n. dicuntur *frigidi*. Ita Fœminæ reſpectu virorum dicuntur *frigidæ*. Impotentes quoque ad Venerem vocantur *frigidi*. C. Hofm. *V.* L. *l.* 4. *c.* 43. Accidentaliter, vel qualitative iterum dupliciter ſumitur: efficienter, & effective, ſive ut efficiens, & effectus. Ad illum reſpectum pertinent

FRIGEFACIENS, *Refrigerans*, *Frigefactio*, & conſiſtit in actuali, vel potentiali ſufflaminatione, oppreſſione, vel extinctione caloris & flammæ vitalis. Remedia *refrigerantia* Hipp. dicuntur ψύγματα, *l.* 2. *de morb. XVI.* 15. 18. *XIX.* 9. *l. de nat. mul. XII.* 19. *l.* 2. *de morb. mul. XXXIIX.* 8. Hæc virtus conſiſtere hodieque creditur in particulis acidis nitro-tartareis, rigidis, quæ coagulum inducere poſſunt aliis corporibus, illaque à motu nimio cohibere, ita ut in ſtatum aliqualem quietis reducantur, verbis Jac. le Mort *Pharm. Medic. Phyſ. c.* 8. Effectus reſpectu *frigidum* dicitur, & quidem in ſtatu ſec. naturam, quando caloris vitalis exceſſus eſt correctus. Uſitatius vero in præternaturali & frequentius occurrit. Ita extrema membra *frigida* ψύξις ἀκρωτηρίων, 7. *aph.* 1. 26. *frigiditas* pedum, 4. *de R. V. I. A. t.* 39.

FRIGUS paroxyſmos febriles quoſdam præcedens, præſertim in intermittentibus, dependens à portionum ſucci nutritii aceſcentia, ſuccum quoque nervoſum corrumpente. Vid. Will. *de febr. c.* 3. *ſeqq.* Sylvius ex acido ſucco pancreatico lympha & pituita deducit, *Pr. M. l.* 1. *c.* 27. §. 33. Dicitur hoc etiam Græc. χειμὼν. Vide *Cheimon*. Alias quidam volunt, quod *frigor* dicatur *frigus* febrile, *frigus* vero illud, quod hyemis proprium eſt. Illud vocatur & frigidor, ut eſt apud Schneider. *de Catarrho l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2. *circa finem.* *Frigus* etiam aliquando ſumi pro catarrho & affectu capitis à vitioſis humoribus dependente, monſtrat Keuchen. *ad Seren. p.* 122.

FRINGILLA, nomen aviculæ notiſſimæ, quæ etiam vulgo *Vinco rubeus* dicitur. Uſus ejus eſt in cibis. Alias deſcriptionem vide in Aldrov. *l.* 18. *Ornith. c.* 6.

FRITTA eſt nomen ſpeciale ad artem vitrariam pertinens, deſumtum à verbo *Frittare*, quod eſt frigere. Significat vero materiam illam, quæ nihil aliud eſt, quam Sal cineresve in arena frigendo concreti. Antiquis dicta fuit Hammonitrum, ab aliis & quidem rectius Ammonitrum, ab ἄμμος, arena. Plin. *l.* 36. *H. N. c.* 26. Videantur Notæ Chriſtoph. Meretti *in Ant. Neri Artem Vitrar. l.* 1. *c.* 8. *p.* 308. *ſeqq.* Italis dicitur *Bolito*.

FRIXUS, *Frictus*, φρυκτὸς, φρυγόμενος, τηγανισμένος, πεπηγανισμένος, τηγανιςὸς, dicitur de iis, quæ in ſartagine torrentur, vel *friguntur*. Unde & panis τηγανίτης, in ſartagine *frixus*. Omnia *frixa* ſiccius dare alimentum & flatulentia carere, docet Galen. *l.* 1. *de Al. Fac. cap.* 22. *& lib.* 3. *cap.* 2. Confirmat Linden. *Exerc. V.* §. 105. *Fricta reſina*, vel *frixa*, quæ κατ' ἐξοχὴν Græc. φρυκτὴ dicitur, notat *Colophoniam*, ad differentiam liquidæ, ſive humidæ. Ita vero vocatur, quia torretur, aut uritur, uti docet Dioſcor. *l.* 1. *c.* 93. Subſtitui poteſt Terebinthina, teſte Galen. *l.* 6. *meth. med. & alibi.* Vid. Foëſ. *Oec. p.* 668. Scribon. aliquoties meminit *n.* 203. *ſeq.* Vid. Rhod. *in not. ad primum n.* 203.

FRONDIS, φυλλὰς, θαλλὸς, item *Frundis*, pro *Frons*, notat ramuſculum arboris, vel fruticis folioſum, ut *Delphica*, vel *Perſica frondis*. Keuch. *ad Seren. p.* 134. 210.

FRONS, *Frondis*, idem, quod *Frondis*. *Frons*, *frontis* vero Gr. μέτωπον, dicitur pars capitis anterior depilis, ſupra oculos ſita, & ad tempora uſque protenſa. *Frons* corrugata, contracta, dicitur Hippocr. μετώπου συναγωγὴ, *Coac. t.* 213. Sudor *frontis*, μετωπιδίου ἱδρὼς, *l.* 2. *de morb. mul. LVI.* 6. Vena in *fronte*, 5. *aph.* 68. vide Dieter. *n.* 546. *Frontis* deſcriptionem vide apud Barthol. *lib.* 3. *Anat. c.* 7.

FRONTALE, προμετωπίδιον, nomen medicamenti externi, vel topici, quod *fronti* applicatur. In ſpecie vero ſignificat topicum refrigerans & hypnoticum ex cephalicis frigidis contuſis ſacculo lineo quatuor, vel quinque digitos lato exceptis, vel etiam idem, quod ἀνακόλλημα. Vide *Anacollema*. Deſcriptionem lege apud Morell. *de form. remed. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 1. Meminit & Foreſt. *l.* 7. *Obſerv.* 23. *& in Schol.*

FRONTO, μετωπίας, Polluci dicitur, cui frons ampla & lata. Differt à *Cilone*, cui frons prominens. Lind. *Ex. XI.* §. 38.

FRUCTUS, καρπὸς, in genere ſignificat omne id, quod plantæ ultimo proferunt, adeoque & ſemina, vel grana complectitur, Gal. *c.* 1. *de nat. hum. t.* 15. In ſpecie tamen id nominis ſibi reſervant *fructus* majores, pyra, poma, pruna, nuces, & his ſimilia, Schroder. *l.* 2. *c.* 12. ubi catalogum officinalium *fructuum* invenies. Dividuntur in fugaces & ſolidiores, qui reponi poſſunt. De utrorumque facultatibus, vide paſſim apud Galen. præſertim *l. de atten. vict. rat. c.* 10. Dividuntur & in maturos, vel immaturos. Tropice *fructus* terræ

terræ etiam vocantur metalla, quatenus ex ſua matre, aqua, in aliam matrem ſubintrant, nempe terram, in qua perficitur arborum ſuarum operatio, radicibus in aqua defixis. Ger. Dorneus *de geneal. mineral. c.* 3. & 4. *Fructus* etiam metaphorice omne commodum ſignificat.

FRUGALITAS, εὐτέλεια, σωφροσύνη, notat mediocritatem in aſſumendis cibis, & *temperantiam.* Hæc eſt noverca Medicorum, & apud priſcos tanta fuit, ut ad victum nihil opſonii deeſſe exiſtimaverint, modo ne deeſſet olus, verbis Scaligeri apud Lind. *Ex.XVI.*§.160.

FRUGES, in genere idem, quod *Fructus.* In ſpecie tamen denotat duo genera: *Frumenta* & *Legumina.* Claud. Deodat. *l.* 1. *Panth. Hyg. c.* 27. Jul. Alex. *l.*8. *Sal. c.* 8. C. Hofm. *Inſtit. l.* 5. *c.* 4.

FRUITIO, ἀπόλαυσις. Vide *Apolauſis.*

FRUMENTUM, Gr. σῖτος, ſignificat omnia granorum genera, ex quibus panis conficitur. Idem quod *Fruges.* Hinc *Frumentacea* guſtamenta, σιτηρὰ γεύματα, Hippocr. 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Jung. Gal. *in comm.* De *frumentorum* conſervatione, morbis &c. vide *Ephem. N. Cur. An. II. Obſerv.* 112. Quod puellæ cuidam in Norwegia *frumentum* ex oculis & alia ſtillaverint, quemadmodum e Thoma Barthol. notavit Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſect.* 22. *c.*53. *p.*254. fides ſit penes Autores.

FUCA, φυκὶς, *Phycis* etiam Lat. eſt nomen piſcis ſaxatilis bonæ carnis, & grati ſaporis, cujus meminit Galen. *l.* 3. *de Alim. Fac. c.* 30. & *l. de atten. vict.rat. c.*8. Ejus vero deſcriptionem uſumque in cibis & medicina pete ex Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 8.

FUCATUS, idem tropice, quod Palliativus. Ita *fucata* elephantiaſis curatio eorum ægrorum, qui nullo remedio in integrum reſtitui poſſunt, traditur & legitur apud Julian. Palmarium *de morbis contagioſ. l. de Elephantiaſ. c.* 7.

FUCUS, φῦκος, eſt homonymum. Vel enim ſignificat *Inſectum* quoddam veſpis, vel apibus ſimile, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 5. Vel ſignificat colorem, vel *pigmentum* & ornatum peregrinum, quo *fucamus* aut faciem, quod pertinet ad *Coſmeticam;* quorum *fucorum* exempla vide apud Foreſt. *l.* 31. *per totum;* aut capillos, Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 100. Græc. χρῶμα. Hinc & herba marina, ſpecies *Algæ*, unde tinctura quædam deſumitur, φῦκος, *fucus*, dicitur, C. Hofm. *l.* 2. *de V. L. c.* 28. 29.

FUGA, φυγὴ, refertur inter affectus animi, & opponitur cupiditati, eſtque paſſio animi conſiſtens in depreſſione ſpirituum, & malum abſens e longinquo adſpiciens, de quo affectu vid. Willis *An. Brut. Part. II. c.* 9.

FUGAX, ὡραῖος, idem, quod *Horarius*, eſt epitheton fructuum quorundam, qui naſcuntur eo tempore, quod Horam vocant. Eſt autem *Hora* Græcis id anni tempus, in cujus medio caniculam exoriri contingit. Dicuntur vero *fugaces*, quod recentes ad reponendum ſint inepti, v. g. Cucurbitæ, Mora, Pepones, Melopepones, &c. de his vid. plura apud Galen. *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 2. Abſceſſus *fugaces* dicuntur M. A. Severino, qui de loco uno leviter in alium transferuntur. *l. de Abſceſſ. Critic. c.* 14. *p. m.* 25.

FUGILE, vel excrementum auris denotat, & ita cum *Cerumine* coincidit. Ad cujus ſimilitudinem etiam ſordes flavæ in urina apparentes *Fugilis* nomine veniunt apud Paracelſum, cerebrique & aurium dolores ſignificant, *in Schol. ad Lib.* 2. *de Urin. cap.* 1. Vel Apoſtema circa aures notat, quod *Parotis* vocatur. Rul. & Iohnſ. Walth. *Sylv. Med. p.* 1210. Paracelſ. & *Fugilativum* vocat *l.* 2. *de Tartar. tr.* 2. *c.* 5. Apud Foreſtum dicitur *Fugilla*, & in genere idem eſt, quod Bubo, i. e. Apoſtema glanduloſum. In ſpecie vero *Parotis* ſive tumor glandularum ſub ipſis auribus ita vocatur. *Obſ. Chirurg. l.* 3. *Obſ.* 7. *Schol.*

FUGITIVUS, addito *Servus*, vocatur Chymicis Mercurius, ideo, quod, etſi putent ſe probe eum ligaſſe, nihilominus effugiat. Vide *Servus.*

FULCIMEN, *Fulcimentum*, ἔρεισμα, στήριγμα. Vide *Ereiſma.* D. Henr. à Deventer *fulcimenti* κατ' ἐξοχὴν nomine inſignivit in ſella parturientium perforata aſſeris poſterioris partem ſuperiorem, cui parturiens dorſo lumbiſque incumbit & acclinata quieſcit. *Lum. Nov. pro obſtetr. c.* 26. *p.* 90.

FULICA, λάρος, ἐρωδιὸς, juxta Ciceron. eſt nomen avis aquaticæ, cujus deſcriptionem & uſum in cibis ac medicina vide apud Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 13. Meminit & Jul. Alex. *Salubr. l.* 13. *c.* 4.

FULIGO, λιγνὺς, eſt terreæ materiæ ad plenum peruſtæ exhalatio, & differt à *fumo*, qui eſt exhalatio à ſemiuſta & humida materia proveniens, Galen. *adverſ. Lyc. c.* 2. *fin. Fuligo* vapor terreſtris, *Fumus* miſtio quædam ex terreſtri & aquea ſubſtantia, *lib.* 8. *meth. med. c.* 5. *fin.* De ejus natura & facultatibus medicamentoſis vide Gal. *l.* 7. *de Sim. Fac. h. t.* Schrod. *lib.* 4. *cl.* 2. *n.* 384. Fr. Hofm. *in Clav. p.* 584. *ſeq. Fuliginem* e fumo provenire vult Iunken *Chym. Exp. Cur. P. I. ſect.* 3. *c.* 11. *p. m.* 242. *Fuligo* quoque eſt, qua pictores utuntur, & fit variis modis, & multis ex rebus. Apud nos fit ex tæda. Dioſcor. *fuliginem* prædicat e vitrariis officinis, cujus vis medica eſt, adſtringere & erodere, *l.* 5. *c.* 182. (de *fuligine thuris* & alia ex myrrha, reſina & ſtyrace, *vid. eund. l.*1. *c.* 84. 85.) Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Per ſimilitudinem *fuligo* quoque vocatur excrementum terreum oleoſi ſanguinis, quod illi in flammulam vitalem, quem Spiritum vocamus, accenſo & deflagrato ſupereſt, Linden. *Ex. XV.* §. 125. D. D. Hofm. *in Diſſert. Anat. ad Horne Microc. p.* 152. *fuliginem* excrementum aqueum vapidum, ſalis & ſulphuris ſpirituoſi parte maxima orbatum pronunciavit. Eſtque vel naturalis, vel præternaturalis, quando excedit. Hæc evacuari debet per poros cutis. Lind. *Ex. XIII.* 400. *ſeqq.* A purgantibus vero augetur, §. 374. Retentæ

vero *fuligines* valde nocent, *Ex. XV.* §. 132. Inde oritur lingua λιγνυώδης, *fuliginoſa*, nigra, Hippocr. *lib.* 3. *Epid. ægr.* 12. *poſt. ſtat. peſtil.* & *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 14. Saliva *fuliginoſa* & ſputum, *l.* 2. *de Morb. L.* 2. *Coac. t.* 390. Jung. Foëſ. *pag.* 384. 385. Hanc de *Fuliginibus* ſententiam præſertim per exſpirationem à natura propellendis adeo abſurdam dixit Charltonus, ut Heraclito riſum excutere poſſet, *Oecon. Ann. Ex. IIX.* §. 14. an vero ſatis probaverit, merito adhuc dubitatur. *Fuligo metallorum* proprie dicitur *Arſenicum*, ſæpe etiam *Mercurius*. Rul. Iohnſ. Helmont. paulo aliter de *fuliginis* natura docuit, ſtatuens, omnem *fuliginem* partim eſſe ſal volatile concreti præſervatum ab inflammatione propter aquæ evolantis commiſtionem, partim eſſe oleum, quod evolandi celeritate combuſtionem præterfugit, *tr. Complex. atque Miſt. Element. figm. n.* 33. *Fuligines ſanguinis* non eſſe cauſſam Aſthmatis, aut Tuſſis, vult Idem *tr. Aſthma & Tuſſis n.* 54. *ſeqq.* De ſpiritu *fuliginis* vid. Schrod. *d. l.* & Hofmann. Willis *Pharm. Rat. Part. I. ſect.* 5. *c.* 2. Spagyricis *fuligo* duplex eſt: Humida & ſicca. Humida eſt cœleſtis vapor per deſtillationem prolectus: Sicca per ollam & cooperculum æreum, ut, à Cinnabari vapor albus. Nicol. Flammellus *Annot. Theatr. Chym. Tom. I. p.* 778.

FULMEN, κεραυνός, quid proprie ſignificet, Phyſicorum eſt, docere: Nimirum ignis in nubibus accenſus, & cum fragore, quem *Tonitru* vocant, disjectus, in nitroſis, ſulphureis & aliis particulis, quales ad pulveris pyrii conſtitutionem concurrere ſolent, conſiſtens. Vide plura apud Joh. Marc. Marci *Philoſ. vet. reſt. Part. II. ſect.* 5. *ſubſ.* 1. & *Ephem. N. Cur. Ann. II. Obſ.* 27. *Fulmen* Chymicis dicuntur flores cupellati argenti in ipſius cum plumbo repurgatione. Unde *Fulminare* metalla idem eſt, ac repurgare, potiſſimum quæ perfecta dicuntur. Vide *Tonitru*.

FULMINATIO, (an non Gr. κεραύνωσις dici poſſet?) eſt gradatio metallica cum excoctione ad purum in cineritio, cujus perfectio veluti effulgente indicatur ſplendore. Inde etiam nomen operi eſt, quod *Coruſcatio* veluti in fulmine apparente fulgure fiat. Nam poſtquam aſſumtæ ſegregatæque ſunt alienitates (veluti fluores adjecti, plumbum mineralia conjuncta) nubecula quædam ſulphurea obequitat per ſuperficiem, unde poſtea purpureus elucet ſplendor, quem *fulgur*, vel *fulmen*, aut etiam florem nuncupare ſolent, qui cum diſparet, relictus Regulus refrigeratur. Rul. & Iohnſ. De *lapide fulminari*, Auro *fulminante*, vide *Ceraunios*, *Ceraunochryſos*. De muſco clavellato & ſimilibus herbis *fulminantibus Ephem. N. Cur. A. I. Obſ.* 97. *in Schol.*

FULVUS, κιῤῥός. Vide *Cirrhos*.

FUMANS eſt apud Chymicos epitheton cujuſdam Spiritus, cujus duo habentur proceſſus; Unus quidem eſt Mercurialis & Jovialis, qui & *Fumitorium* perpetuum vocatur, organis reſpirationis valde noxius, nihilominus Steph. Blancardus uſum aliquem externum aſſignat, nimirum ſi tophis gallicis illinitur, *in ſuo vernaculo tractatu de Venere obſeſſa & examinata*, *p.* 192. Alter eſt Ill. Rob. Boyle *in Tract. de Odorib. Experim.* 34. & e floribus ♃ & ⊖)(ci paratur cum calce viva mixtis, eſtque minus noxius, ita ut ipſi uſus ſingularis in aſthmate pituitoſo & promovenda expectoratione, ſero etiam coagulato reſolvendo attribuatur. *Fumans nix* dicitur *Calx viva*, Rob. Keuchen. *ad Q. Seren. p.* 243. *ſeq.*

FUMARIA corporis majora, Arteria & ſtomachus. Cælius Aurel. *Chronic. l.* 1. *c.* 1.

FUMIGATIO, Gr. καπνισμὸς, ἀποκαπνισμὸς, ὑποκαπνισμὸς, Chymicis eſt per fumum acrem corrodentemque calcinatio. Et fit diverſo modo: Metalla nobiliora afflatu plumbi fuſi, vel hydrargyri fragilia redduntur & poſtea comminuuntur terendo cum ſale. Rul. & Iohnſ. Vel *Fumigatio* dicitur ſpecies ſolutionis Chymicæ & ad calcinationes pertinet, quando metallum, vel materia ſolvenda, per vaporem vel fumum adſcendentem e particulis ſalinis cujuſcunque notæ ſuperficietenus corroditur, & temporis tractu in pulverem redigitur. Jac. le Mort *Chymic. Medico-Phyſ. c.* 3. *p.* 20. Ita & Calcinatio philoſophica vulgo dicta Cornu Cervi eſt nihil aliud, quam *Fumigatio*. Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 141. Alias *fumigata* dicuntur κεκαπνισμένα, ut ſunt carnes, piſces &c. Parac. *l.* 2. *de Tartar. tract.* 1. *cap.* 1. Apud Medicos vero *fumigatio*, ἀποκαπνισμὸς, dicitur, quando rei alicujus nidor ſuffitæ per infundibulum imbibitur, vel per arundinem fumus hauſtus excipitur, uti fit cum Nicotiana, vel Tabaco. Dioſcor. *l.* 3. *c.* 126. Plin. *l.* 26. *H. N. c.* 6. Vocatur & *Fumigium* Foreſt.

FUMITORIUM, cum epitheto, *perpetuum*, vocatur Spiritus Fumans prior. Vide *Fumans*.

FUMUS, καπνὸς; quid ſit, & qualis exhalatio, vide *Fuligo*. *Fumus* proprie eſt id, quod ex rebus, cum cremantur, exhalat, Lind. *Exerc. XV.* §. 124. 128. In nobis eſt idem, quod fuligo. Paracelſ. omnem *fumum* exiſtimat eſſe de narcotico anodyno cum ſtupefactione innata, *l.* 10. *Paragr.* §. 2. Spagyricis & Metallurgis *Fumus albus* eſt Mercurius. *Fumus citrinus* eſt Sulphur, *Rubeus* eſt Auripigmentum. *Fumus viroſus*, vel virus eſt aura illa, vel vapor venenoſus, qui aliquando oritur cum periculo vitæ in metallifodinis, vulgo ſchwaden. Sunt & *Fumi* Alchemici venenoſi, v. g. in operationibus Mercurialibus & Antimonialibus, contra quorum virus opus eſt remediis, de quibus vide Magiſtri Odomari *Practicam ad diſcipulum in Tom. III. Theatr. Chym. Fumus duplex* eſt materia lapidis Philoſophorum, i. e. Sulphur & Argentum vivum. Efferarius Monachus *de lap. Philoſoph. ibidem.*

FUNAMBULO, σχοινοβάτης, vocatur hiſtrio quidam, qui agilitate membrorum mira præditus graditur, ſaltat ſuper funem, ſuſpendens ſe variis modis. Exempla

rariora vide apud I. Alex. *l. 6. Salubr. c.* 4. & Lang. *l.* 1. *ep.* 10. σχοινοβατικὴ, *funambulatio*, Foëſ. *n.* 609.

FUNCTIO, ἐνέργεια, idem, quod *Actio*, de quo ſupra *ſuo loco*. Adde Barthol. *in proœm. Anat.* & Willis *An. Brut. P. I. c.* 4.

FUNDA, σφενδόνη, Medicis eſt nomen *faſciæ*, vel *Mitellæ*, vel deligationis certæ, naſo, jugulo, labio inferiori applicandæ, Gal. *de faſciis*. Hipp. 1. *de art. t.* 74. Foëſ. *p.* 604.

FUNDALIA, vocavit Lullius *Feculas*, ſive *Gerſas*, teſte Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 21. Vide *Fecula*.

FUNDAMENTUM, βάσις. Vide *Baſis*.

FUNDO. Vide *Fuſio*.

FUNDULUS, κωβιός. Vide *Cobites*. *Fundula* etiam dicitur alia piſciculi ſpecies, quæ alias *Capito* dicitur, aut *Gobio capitatus*. Aldrov. *libr.* 5. *c.* 27.

FUNDUS, πυθμὴν, dicitur de inferiore parte ventriculi, Galen. *l.* 5. *de L. A. c.* 6. Item de inferiore parte teſtium, uti ex Polluce notavit Fallop. *in Obſ. Anat.* T. 1. *p.* 418. De *Fundorum* terræ varietate vide Helmont. *paradox.* 1. *n.* 3. 16. πυθμενόθεν, *funditus*, pro omnino, prorſus, legitur apud Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 42. Adde Foëſ. *p.* 543. *Fundus urinæ*, idem, quod *ſedimentum*, Parac. *de Urin. judic. l.* 1. *Tr.* 1. *c.* 3. *& alibi.*

FUNESTUS, θανάσιμος, θανατώδης, idem, quod *Lethalis*, dicitur de eventu morbi ad mortem terminante, & quidem dupliciter, vel ſimpliciter & neceſſario, vel magna ex parte, Gal. 5. *aph.* 2. *&* 3. Vide Dieter. *Iatr. n.* 385. Lind. *Ex. XII.* §. 27.

FUNGUS, μύκης, diverſimode accipitur. Aut enim notat excreſcentiam terræ, vel excrementum terræ quoddam variæ formæ & figuræ, ſuntque hujuſmodi *Fungi* rudimenta plantarum: *Eph. N.C. A. II. O.* 54. quorum tres ſpecies recenſentur: Eſculenti, Officinales, & Venenoſi *fungi*, de quibus vide Botanicos, præſertim Cluſium de *fungis*. Officinalium Catalogum lege apud Schroder. *l.* 2. *c.* 13. Tales *fungos* terreſtres dicit Helmont. eſſe *Leſſas terræ* pelle obductas, ſive fumum tranſcorticem, *ir. Imago ferm. impregn. n.* 31. *Fungus* minimus dicitur *Fungillus Mithridaticus*, *Eph. N. Cur. A. III. Obſ.* 34. Inter omnia eſculenta *fungi* peſſimi ſunt cibi, Galen. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 4. *& de puer. epil.* Aut ſignificat *Fungus* excreſcentiam quandam in partibus ulceratis ex humore nutritio corrupto natam, vel uti tuberoſam eminentiam, cujus meminit Hippocr. *lib.* 2. *de morb. XLIIX.* 10. Clarius vero apud Galen. *l.* 1. *de L. Aff. c.* 1. *& c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 49. Horum plures obſervationes quære in Hildan. *Cent.* 1. *Obſ.* 15. *Cent.* 2. *O.* 35. 36. *Cent.* 3. *O.* 1. *l. de Ich. & Mulcer. c.* 23.

FUNICULUS, cum epitheto *umbilicalis* dicitur congeries vaſorum umbilicalium fœtus cum ſuo involucro, cujus miram contorſionem obſervavit & delineavit D. Raytchius *in Centur. obſerv. Anat. Chirurg. Obſ. XI.* Ejus naturalis deſcriptio videatur apud Anatomicos, & inter noviſſimos apud D. D. M. Hoffmann. *Id. Machin. hum. ſect.* 13. §. 11. *Conf.* Barthol. *lib.* 1. *Anat. c.* 37.

FUNIS, σχοῖνος, σχοινίον, quid ſit, non indiget declaratione. Pertinet inter inſtrumenta Chirurgis neceſſaria, uti patet ex Hipp. 4. *de artic. t.* 63. ex quo loco ſimul patet, *navium funes* vocari ὅπλα, *armamenta*, teſte Gal. *in comm. ad h. l.* Arabes venam Medianam vocaſſe *Funem brachii*, teſtatur Joh. Zecchius *lect.* 11. *in ſect.* 1. *Aph. Hipp. p. m.* 109.

FURCULA, idem, quod *Clavicula*. Avic. *l.* 4. *fen.* 5. *tr.* 1. *c.* 8. Vide ſupra, *Clavicula*. *Furcilla* etiam idem eſt, quod *Bulimus*, quæ ſignificatio, uti minus eſt obvia, ita paſſim ignorata. Lind. *Ex. XIII.* §. 58.

FURFUR, πίτυρον, proprie ſignificat pelliculam ſive corticem, quæ à frumento inter molendum abſcedit. In qua ſignificatione apud Hipp. & Gal. aliquoties occurrit, v. g. Hipp. *l.* 7. *Epid. XXXIII.* 8. *l.* 2. *de diæta XL.* 19. Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 8. *& alibi*, ubi *furfurum* facultatem detergentem ad gargariſmata laudat. Qua fini & frequenter Clyſterum decoctis addere ſolent Galli, uti patet ex Philiberti Guybert. *Médecin Charitable idiomate Gallico expreſſa, in principio.* Ab hujuſmodi *furfuribus* panis dicitur πιτυρίας, *furfuraceus*, ubi *furfur* à farina non eſt ſeparatus, qui & αὐτόπυρος συγκομιστὸς, vocatur Gal. 1. *c.* 2. & omne *furfureum* πιτυρῶδες habere vim deterſoriam dicitur *c.* 12. ab eorum ſimilitudine etiam πίτυρα, *furfures*, dicuntur particulæ excrementorum cum urina prodeuntes, Hippocr. 2. *de Nat. hum. t.* 21. unde & πιτυρώδης ὑπόστασις, *furfureum* ſedimentum, & urina *furfurea* vocatur, *Coac. t.* 581. *com.* 2. *Progn. tex.* 28. *libr.* 7. *aph.* 44. Vide Diet. *n.* 684. *Furfuroſi* quoque vocantur, quibus aſſidue ſquamulæ, veluti *furfures* in ſcabie gignuntur, quæ & pectendo, aut ſcalpendo decidunt. Unde & affectus πίτυρα, *furfures*, aut πιτυρίασις, *furfuratio* vocatur, quæ *Porrigo* dicitur, Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 6. Seren. *de re medica c.* 3. ubi & *Farrea nubes* appellatur, Keuchen. *in not. p.* 94. Cauſſa ejus conſiſtit in portionibus ſiccioribus ſalinis & ad ſcabiem ſiccam referri poteſt. *Furfuriſca* etiam vocatur ille morbus. Vitalis *de Furno Medicin. c.* 69. *p. m.* 74.

FURIOSUS, μανιακὸς, vide p. p. *Furor*. Porro eſt etiam epitheton *Flatus*, de quo vide ſupra *Ambulo*.

FURNUS, idem, quod *Fornax*, vide ſupra. Rolfink, expreſſe ſcripſit, pari paſſu ambulare, *Chym. l.* 2. *c.* 17. *Furnus* eſt locus, capſa, & velut officina Vulcania ignis coërcendi, regendi, recteque adminiſtrandi gratia excogitata. Vocatur ibidem Domicilium & Clauſtrum Vulcanium. Ruland. ita deſcripſit: *Furnus* eſt locus, in quo ignis ad materiam Chymice tractandam dextre & convenienter accommodatur. Eſtque *Apertus* vel *Tectus*. *Apertus* eſt, cujus pars ſuperior eſt aperta. Eſtque tum *Probatorius*, tum *Ventoſus*. Probatorius vel docimaſticus dicitur, in quo metalla perfectiora purgantur, examinantur, vel, ut uſitatiori rem vocabulo

bulo delineem; fulminantur. *Furnus* ventoſus ſeu *Anemia* dicitur, in quo beneficio venti ignis vim augentis mineralia liquantur & funduntur. *Furnus tectus* eſt, cujus ſuperficies tecta eſt. Eſtque vel *ſimplex*, vel *compoſitus*. Ille, qui ſimpliciter & abſolute alterius adminiculo conſtat, eſtque vel *Calcinatorius*, vel *Diſſolutorius*. Ad calcinatorium pertinet *Cæmentatorius* & *Reverberatorius*. *Diſſolutorius* eſt vel *Aſcenſorius*, vel *Deſcenſorius*. Ille eſt vel ſiccus, & quidem aut in *veſica*, aut in *catino* arenario; vel *Humidus*, ſive *Balnei*. *Furni compoſiti* dicuntur ii, ubi uno igne plures *furni* foventur, ut ſunt *Athanor* & *Acediæ furnus*, de quibus ſupra Rul. Plura legantur apud D. D. Wedel. *Pharm. in A. F. R. l.* 1. *ſ.* 5. *c.* 2. Joh. Franc. Vigani *Medull. Chymiæ circa fin. de Furnis & Vaſis*. Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 196. *ſeqq.* Iunken *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 2. *p.* 36. *ſeqq.*

FURO, ἰκτὶς, idem, quod *Viverra*, ſive *Muſtela Sylveſtris*. Vide *Ictis*.

FUROR, μανία, eſt ſpecies vehementioris delirii abſque febre, cujus accuratam deſcriptionem invenire licet in Willis *An. Brut. part. II. c.* 12. Vide ſupra *Delirium*. Junge Dieter. *n.* 512. 518. Ejus ſpecies eſt *Furor* ἐρωτικὸς, *amatorius*. Helmont. negat *furorem* eſſe mentis affectum, aut animam rationalem lædi, *tr. Formar. ortus n.* 79. *& tr. Imago mentis n.* 6. Qui tali affectu laborant, vocantur *furioſi*, μανιακοὶ, μαινόμενοι. Vide *Mania*.

FURUNCULUS, δοθιὴν. Vide *Dothien*.

FUSANEUS, χυτὸς, ῥυὰς, dicitur de piſcibus, qui gregatim ſimul natant, & fuſim retibus capiuntur. Aldrov. ex Ariſtotele *l.* 2. *de piſc. c.* 18. *& l.* 3. *c.* 18. Quando vero de morbis dicitur, eſt Gr. σποραδικὸς, vide *Sporadicus*, & opponitur Endemiis, vel Epidemiis. Gal. *in def. Med.*

FUSCUS, φαιὸς, πελὸς, eſt nomen coloris inter nigrum & candidum medii, magis tamen ad nigrum vergentis, Gal. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 3. Dicitur *umbroſus*, σκιαρὸς, σκιώδης. Hinc quædam medicamenta Galen. dicuntur φαιὰ, *fuſca*, Gal. *l.* 6. *de C. M. S. G. cap.* 8. 10. *Fuſcedo faciei* legitur apud Foreſt. *l.* 31. *Obſ.* 3. *in Schol. Fuſcedo linguæ* vulgo dicitur *Angina*, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 4.

FUSIO, χύσις, terminus eſt Chymicus, exprimens in genere liquationis ſpeciem per ignem. Unde & *fuſio* & ſolutio per ignem pari paſſu ambulant. *Tract. de Alchemia* incerti Autoris *c.* 32. *in Volum. Chym. III.* Uſitatius vero *Fuſio* de metallorum & mineralium liquatione dicitur, *Liquefactio* de pinguibus & concretis, notante Iunken *Corp. Pharmaceut. ſect.* 1. *c.* 2. *num.* 4. *p.* 9. *& c.* 4. *num.* 2. *p.* 18. Jungatur & Wedel. *Pharmac. Acroam. l.* 1. *ſect.* 4. *c.* 2. *p.* 145. *ſeqq.* Specialiter *Fuſio per Antimonium* dicitur, qua verum aurum non modo à metallis imperfectis, ſed etiam ab ipſo argento ſeparamus, & fit hoc modo: Accipio aurum aliis metallis mixtum, ipſique tres partes Antimonii pulveriſati commiſceo, & in crucibulo igni contumaci in furnum ventoſum pono. Poſtea juvante, ſi placet, folle probe liquefactum in pyramidem calefactam ſevoque illitam transfundo, ubi labris malleo concuſſis regulus aurum continens in apice reſidebit, quem malleo detrunco. Antimonium porro reſiduum rurſus in tigillo igni ad tertiam etiam vicem impono, & prædicto modo procedo, ut omne aurum ex antimonio protrudatur. Tandem regulos hoſce ſingulos in catillo terreo prope follem pono, carbonibuſque ſuperpoſitis in modum fornicis ignem accendo, tam diuque flammam ſuperinduco, quouſque omni antimonio evaporato aurum purum putumque reſideat, quod ſtatim coagulatur. Hæc Rul. & Iohnſ. Vide & Rolfink. *Chym. l.* 2. *cap.* 2. *Fuſorum*, quæ Gr. χυτὰ vel πακυντὰ dicuntur, Catalogum lege apud Libav. *Synt. A. ch. l.* 2. *cap.* 4. *ſeqq.*

FUSOR proprie dicitur in Arte vitraria, qui debitum ſali, cineribus & arenæ pondus aſſignans vehementi igne efficit, ut in maſſam coëant & albedinem cum diaphaneitate acquirant, quod ſi metallum juſto durius atque adeo fragile fit, ſal vel cineres, ſi tenerius vel mollius, arenam addit miſcendo, uſque dum illud temperamentum aſſequatur, quod non aliter, quam operando dignoſcitur. Chriſt. Meretti *ad Ant. Neri Art. Vitr. p.* 269.

FUSTIGATIO quid ſignificet, ex aliis Lexicis peti & haberi poteſt, nimirum plagas baculo vel fuſte inflictas. An vero fuſtigatio, nec non tortura, remedii loco eſſe poſſit podagricis? quæſtionem movet P. Ammann *Irenic. p.* 174. reſpondens eſſe quidem liberrimæ voluntatis, ſed remedium ignominioſum.

FUSTIS *piſtillaris*, ξύλον ὑπερειδὲς, inter inſtrumenta refertur ad articulos reponendos ab Hippocr. 4. *de artic. t.* 57.

FYADA, id eſt, *Mercurius*, *Fumus albus*. Ruland. & Iohnſ.

G.

GRæcum Γ apud Medicos Græcos *unciam* notat; Rhod. *ad Scribon. n.* 71. Vide textum Græcum Galen. *in libris de compoſ. Medic. & facile parabilibus*; item *de pond. & menſ.*

GABAL, vide *Cabales*.

GABALLA, *Gaballia*. Vide *Cabala*.

GABANALA, nomen dicit fuiſſe primævum artis Cabaliſticæ ab Autore. Paracelſus *Philoſ. ſagac. l.* 1. §. *Probatio in Necromantiam*.

GABIREA, γαβιρέα, ſpecies eſt Myrrhæ pinguiſſima læto & pingui ſolo naſcens, quæ copioſam ſudat Stacten, teſte Dioſc. *l.* 1. *c.* 77. Gorr.

GABRICU, terminus eſt Spagyricus, denotans *Maritum Philoſophicum*, i. e. *Sulphur Philoſophorum*, cujus fœmina dicitur *Beya*, i. e. Aqua Mercurialis, *Th. Chym. Vol. III. p.* 675. *& Vol. IV. p.* 736.

GADOS,

GADOS, γάδ@-, idem, quod *Galeus*; de quo infra *ſuo loco*. Vide Linden. *Ex. XI*. §. 24. *ſeqq*.

GÆA, γαῖα, *Terra*. Vide Ge.

GÆODES, γαιώδης, vel appellative, vel proprie accipitur. In illa ſignificatione idem eſt, quod *Terreſtris*, *Terrenus*, à γαῖα, *terra*. Vide *Ge*. Hac vero ſignificatione notat lapidem de genere *Aetitarum*, etiamſi Dioſcorid. ſeparatim de utroque differat *l*. 5. *c*. 161. 169. Terram in ſe complectitur, utplurimum quidem candidam, ſed aliquando pallidam, aliquando luteam, ſolaque figura à *Belenite* differt. Hic enim inſtar ſagittæ oblongus eſt, *Gæodes* vero rotundus. Muſcus, qui ei adhæreſcit, olet violam. Hic lapis adſtringit, ſiccat, caligines oculorum diſcutit, & illitus ex aqua teſtium mammarumque inflammationes ſedat. Hæc ex Dioſcor. *d. l*. Gorræus.

GAGATES, γαγάτης, eſt ſpecies lapidis minus pretioſi, ita dicta à fluvio *Gagas* in Lycia, vel ſecundum alios in Cilicia, ex liquido bitumine, vel ex ſucco pingui & bituminoſo concreti, qui igni admotus ardet & bituminis odorem reddit. Perperam à nonnullis confunditur cum Succino. De hujus differentiis & uſu Medico vide Gal. *l*. 9. *de S. Fac. l*. 9. *de C. M. S. L. c*. 2. Scribon. *n*. 225. Rhod. *in Not. ad h.l*. Dioſcor. *l*. 5. *c*. 146. Lang. *l*. 1. *ep*. 75. Chioccum *Muſ. Calceol. ſect*. 3. *p*. 355. *ſeq*. Schroder. *l*. 3. *c*. 33. Hofm. *in clav. ad h. l*. Rulandus cum ſuccino confudiſſe videtur.

GAIETANUS, γαϊτανὸς, eſt epitheton vinculorum ex materia ægre putreſcibili factorum, cujus meminit Gal. *l*. 13. *Meth. med. cap*. 22. *ad fin*. Jul. vero Alexandrinus opinatur, ſignificari hoc nomine fides chordasque ex animalium nervis eductas concinnataſque, quæ vulgo *Gavetæ* dicuntur, & materia eſt corrumpi aut putreſcere non admodum facilis, *in notis ad h. l*.

GALA, γάλα, *Lac* ſignificat. Eſt vocabulum valde æquivocum. Proprie & uſitatiſſime ita dicitur liquor ille candicans, calidus, dulcis, tenuis ad mammas & ubera collectus, & ſuctione, vel preſſione externa papillarum infantibus & brutis noviter excluſis pro nutrimento elicitus & excretus. De hujus materia ingens eſt Medicorum veterum & recentiorum diſſenſus, dum alii ſanguinem & quidem menſtruum *Lactis* materiam ſtatuerunt, inter quos eſt ipſe Hippocr. quamvis non penitus expreſſe ſcriptum reliquerit, tamen facile colligi poſſe videtur *ex* 5. *aphor*. 39. Galenus vero διαῤῥήδην aſſeruit *l. de V. S. adv. Eraſiſtratum c*. 5. unam eſſe οὐσίαν vel eſſentiam *lactis* & menſtruorum & amborum communes fontes, nempe venas. Quos principes ſecutus fuit poſtmodo totus pene Doctorum Medicorum chorus. Alii tamen pauciores receſſerunt ab illa recepta ſententia, & Chylum pro *Lactis* materia ſubſtituerunt, inter quos primus nobis videtur Proſper Martianus *in præfat. ad Hippocr. librum de Nat. Pueri p*. 42 43. quamvis ſanguinem ex parte adhuc admiſerit. Hunc ſecuti & alii ex recentioribus, ſolum chylum urgentes, de quibus videatur Bartholin. *Anat. libr*. 2. *c*. 1. Proſtant & noviſſime habitæ *Exercitationes Academicæ* de hoc argumento in hoc Lyceo Altdorffino, & alibi habitæ. Egregie etiam ventilavit opiniones de materia ſanguinis ſecundum recentiorum phænomena Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ*. 2. *c*. 2. *p*. 93. *ſeqq*. Solus Hier. Barbatus ſerum *lactis* materiam pronunciavit, illud à ſanguine ſeparari & in *lac* aſſimilari judicans. Verum rectiſſime Barthol. *d. l*. de hac hypotheſi ſcripſit: *Recte*, *ſed non ſolum*. Pinguius enim *lac* chylum requirit. q. d. ſi ſolum ſerum *lactis* eſſet materia, unde provenirent butyroſæ & pingues ejus portiones quandoque ſat copioſæ? Inter Alimenta vero optimi ſucci & laudabilis cum coctionis, tum diſtributionis, principatum obtinere, veriſſime docuit Gal. *l*. 3. *de Al. fac. c*. 15. & cum eo plures alii. Jungatur Dieter. *n*. 165. Quo alimenti reſpectu triplex potiſſimum præter humanum nobis in uſu eſſe *Bubulum*, *Caprillum*, & *Ovillum*, novimus ex C. Hofmann. *Inſtit. Med. l*. 5. *c*. 19. §. 1. & aliis. Verum quoad uſum medicamentoſum addi debent *equinum* & *aſininum*. *Lac* virtutibus medicamentoſis egregiis humectandi, refrigerandi, mitigandi pollere, etiam ex Gal. & aliis conſtat. Vid. Linden. *Ex. XVI*. §. 78. Hinc uſus & internus & externus eſſe ſolet. Ad artificioſas lactis præparationes pertinet *lac* πεπυρωμένον, quod & διακοχλάκιον vocatum fuit, quando ignili ſilices in illo fuerunt extincti, Idem *d. l*. §. 82. γάλα σεσεισμένον, *lac* quaſſum nihil aliud eſt, quam *lac* ebutyratum, & portione ſua butyroſa per agitationem & conquaſſationem privatum, Id. §. 108. *ſeqq*. Improprie & tropice *lac* quoque terminus eſt Pharmaceuticus, & tribuitur diverſis medicamentorum ſimplicium & compoſitorum formulis, v. g. Emulſionibus. Schroder. *l*. 2. *c*. 14. ſuccis herbarum expreſſis, Libav. *Synt. Arc. Chym. l*. 8. *c*. 6. v. g. Papaveris, Scribon. *n*. 22. Peucedani, *n*. 166. 170. (vid. Rhod. *in not. ad hæc loca*) *Lac* Papaveris, i. e. *Opium*, Ruland. Ita & aliæ præparationes hoc nomine veniunt. *Lac* Sulphuris, perlarum: *Lac* Virginis. De quibus videantur Diſpenſatoria, Schroderus, Libav. & alii. Cæterum *Lac Virginis* quoque vocatur mixtura e lixivio acri ſmegmatopœorum & olei viridis ſambuci, Chr. Meretti *ad Neri A. Vitr. p*. 327. e noviſſimis Iunk. *Lex. Ch. Ph. P. I. p*. 125. 126. Denique in lapidis Philoſophici labore Mercurius, ſive materia ad album redacta, *Lac Philoſophorum*, item *Lac virginis* vocatur, quæ & ſuccus Lunariæ dicitur. Rul. Ger. Dorneus *in Philoſ. Chemica*. Item *de transm. metall*. Dionyſ. Zacharius *in opuſc. Theatr. Chym. Vol. I. III. & alibi*, de quibus in Indice, Libav. *Apoc. Hermet. Part. poſterior. Heptad. Hermet. monad*. 6. *in Tom. II. Oper. p*. 403. *ſeqq*. Imo & ipſe *Lapis* Phil. vocatur etiam *Lac*, *Th. Chym. Vol. IV. p*. 727. *Lacte*, pro *Lac* veteres quoque poſuiſſe, teſtatur Rhod. *ad Scribon. n*. 22. *Lactes* quid ſint, vide infra *Lactes*.

GALACTINA, γαλάκτινα, vide *Lacticinia*.

GALACTITES, γαλακτίτης, dicitur lapis ex ſaxo calcario naſcens, ſicut & *Melitites*, μελιτίτης, cui & in reliquis notis valde ſimilis eſt, cinereo colore, qui cum coti atteritur, ſuccum reddit lacteum & dulcem, ex quo nomen ſuum accepit. Singulis fere annis capit incrementum, quo fit, ut aliquando magnitudine pueri caput exæquet. Caloris aliquid habet atque abſtergit, ad oculorum fluxiones & ulcera inungitur. Oportet autem in aqua tritum pyxide plumbea recondere, propter vim glutini, quod obhæret. Idem mulieres lacte copioſo implet, ſi tritus poſt balneum cum aqua aut vino dulci bibatur. Hæc Gorræus. De hoc lapide legatur Gal. *l. 9. de Sim. Fac.* §. *Hæmatites*. Dioſcor. *l. 5. cap.* 150. *Ægin. l. 7. c. 3. lit.* L. Chioccus *Muſ. Calceol. ſect. 3. p.* 277. 399.

GALACTODES, γαλακτώδης, duplicem habet ſignificationem (1) notat *tepidum* in modum lactis recentis, quod neque calidum, neque frigidum eſt. Dicitur & *Egelidum*. Ita dicitur de vino, Hipp. *l. 7. Epid. L.* 7. de qua Aët. *l. 3. Tetrabil. 1. c.* 170. ubi frigidæ opponitur. Et apud Gal. *l. 7. meth. med.* ἐδέσματα γαλακτώδη vocantur edulia *tepida*: (2) ſignificat colorem *lacteum*, & ita dicitur de excrementis *lacteum* colorem obtinentibus. Hippocr. *l. 3. Epid. ægr.* 13. *poſt. ſtat. peſt. de urina*. Gorræus.

GALACTOPHOROS, γαλακτοφόρος, i. e. *Lactiferus*. Epitheton canalium, vel vaſorum, aut chylum ad mammas recta pro materia Lactis deferentium, quos omnino adeſſe nonnulli ſibi perſuaſum habent, vel potius ductus illi & tubuli, qui e glanduloſa mammarum ſubſtantia ad papillam, veluti ad centrum colligunt, de quibus tubulis legi poterit Bartholin. *l. 2. Anat. cap.* 1. *p.* 332. Dicitur & communiter *Lacteus*, de quo vocabulo paulo inferius.

GALACTOPOEETICA, γαλακτοποιητική, ſcil. facultas, dicitur aptitudo illa in mammis, lac vel e chylo, vel ex ſanguinea maſſa, conficiendi.

GALACTOPOSIA, γαλακτοποσία, dicitur curatio morborum quorundam v. g. arthritidis, phthiſeos, per potum lactis. Chr. Benettus *in Theatr. Tabid. Exerc.* 26. Th. Bonet. *Anat. Pract. l.* 14. *ſect.* 1. *Obſ.* 32. §. 5. *p.* 1440.

GALACTOPOTES, γαλακτοπότης, i. e. *Lactipotor*. Pollux.

GALARIAS, γαλαρίας, idem, quod *Callarias*, nomen piſcis, qui & *Aſellus* dicitur. Lind. *Ex. XI.* §. 28.

GALARICIDES, vel *Galaractis* lapis, idem, qui Galactites. Albert. & Anshelm. Boëtius de Boot. *hiſtor. gemm. & lapid. p.* 559. *ſeqq.*

GALATURÆ, dicuntur mucilagines ſemin. cydonior. aut pſyllii factæ per aquas, v. gr. cancrorum, aut ſpermat. ranar. in affectibus oculorum efficaces. Meminit hujus vocabuli D. Ludovic. *Pharmac. diſſ* 1. *p.* 415.

GALAX, γάλαξ, idem, quod γλαύξ. Vide *Glaux*.

GALAXA, *Galacia*, terminus Paracelſicus. Dicitur eſſe ſpina ignis, *lib. 2. de Gallicis puſtulis, ulceribus &c. cap.* 5. Alias communiter notat lineam illam albam in cœlo, quam Cic. *Circulum lacteum* quoque vocavit, Gr. γαλαξίας κύκλος, eſtque nihil aliud, quam congeries minutiſſimarum ſtellarum fixarum, ſive nebuloſarum ſtellarum. Vid. Dn. Sturm. *in Scientiæ Coſmicæ Part. Gen. Tab.* 3. Hujus principium eſſe ſulphur ſubtiliſſimum, eſſe cauſſam hyemis, nebulas producere, docet Paracelſ. *Fragment. de Anat. oculor.* item *l. 1. de morbis metallifoſſor. tr. 2. c. 1. & in fragmentis huc pertinentibus.* Idem etiam analogice *Calaxam* in homine ſtatuit *Paragran. tr. 2. de Aſtronomia*, ſpecialiter in cranio poroſitates hoc nomine inſignivit, *l. 1. de Podagricis*. Charlton. quoque vias & diſtributionem chyli *Galaxiæ* nomine exornavit, *Exerc. 3. Oec. Animal.*

GALAXIAS, γαλαξίας, eſt etiam nomen lapidis, qui alias μόροχθος, vel μόροξος, item, λευκογραφὶς vocatur, quem Gal. cum Galactite confundit, *lib. 9. de Si. Fac.* §. *Schiſtus*. Dioſcorides vero ſeparavit, *l. 5. c.* 150. & 152.

GALBANETUM Paracelſo dicitur balſamus, qui penetrat venas & ligamenta, cujus deſcriptiones vide *l. 2. de Tartaro tr. 1. c. 6. & in explicatione.* Iohnſonus vero *Galbanetum* deſcribit, quod ſit liquor ex *Galbano* de Terebinthina dilutus. *Lexic. Chym. lib.* 2. Ejus deſcriptio habetur apud Schrod. *l. 4. claſſ. 2. p.* 196. quam etiam B. Etmüllerus ſuo calculo comprobavit. Junge Jac. le Mort *Pharm. Chym. Phyſ.* & ex hoc Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 200. Significat & *felem*, de quo animali vide ſupra *Felis*.

GALBANUM, γάλβανον, χαλβάνη, vocatur gummi quoddam plantæ ferulaceæ Syriacæ, quæ *Metopium* dicitur, intenſe flavum, inflammabile, vim habens calefaciendi, reſolvendi, Galen. *l. 8. de Sim. Fac.* Dioſcorid. *l. 3. c.* 97. Schroder. *lib. 4. cl. 2. n.* 385. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rhod. *ad Scribon. n.* 81. In ſpecie quomodo ſignum præbeat fœcunditatis, lege apud Lang. *l. 1. ep.* 49. Galbani Crocati deſcriptio & uſus videatur apud Mynſicht. *in armamentar. Chymic.*

GALBEUM, & in plur. *Galbei*, vel *Calbei*, κόσμιον, κόσμοι, dicuntur *Armillæ*, quæ & ornatus, & juvandæ valetudinis cauſſa uſurpantur, uti demonſtravit ex Sueton. *in vita Galbæ c.* 3. Keuch. *in not. ad Seren. p.* 272.

GALBULA, num. plur. nuces Cupreſſi. Fal. *c.* 21.

GALBULUS, *Galgulus*, *Galbula*, *Galgula*, eſt nomen avis, quæ alias *Picus nidum ſuſpendens*, item, *Chlorion*, Gr. χλωρίων, κελεός, κολιός dicitur, cujus deſcriptionem & uſum in Medicina vide apud Aldrov. *l. 12. Ornithol. c.* 39. Alia quoque avicula lutea *Galgulæ* nomine venit, quæ alias *Cirlus mas* appellatur, apud eundem *lib. 18. Ornithol. c.* 21. cujus hodieque uſus in cibo notiſſimus. Keuchen. vocat *Galgalum* & *Hianticillum*, *proleg. ad Q. Seren. p.* 53. Dicitur & *Charadrius*, de cujus vi adverſus icterum occulta vide Lang. *l. 2. ep.* 36.

GALE, γαλῆ, γαλέη, *Muſtela*, eſt nomen animalculi, quadru-

quadrupedis, vivipari, digitati, cujus ſpecies, differentias, deſcriptionem, uſumque in cibis & medicina vid. apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. digit. vivip. c.* 15. 16. Anatomiam Muſtelæ ſuccincte propoſuit Joh. de Muralto *in vade mecum Anatomico Exerc.* III. *ſub finem p.* 108. Sed & piſcis notiſſimus *Muſtela* vocatur, qui Gr. σαῦρος, Lat. *Gobius fluviatilis* dicitur, Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 84. Deſcriptionem & uſum lege in Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 7. de uſu cineris *muſtelæ* combuſtæ quadrupedis vide apud Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* & Ægin. *l.* 7.

GALEA, κράνος, γαλέα, quid proprie ſignificet, non ſpectat ad Medicum. Improprie & per metaphoram ita dicitur *Amnios* membrana. Vide *Amnios*. Barthol. *lib.* 1. *Anat. c.* 36. Eſt & nomen faſciæ, ſive deligationis in capite factæ apud Gal. *de faſciis*, *n.* 29. Piſcis etiam, qui & *Aſellus* vocatur, *Galea* & *Galeus* vocatur, Lind. *Ex. XI.* §. 54. *Galea*, dicitur quoque *Capitis Dolor.* Valeſc. *de Tarant. Phil. Pharm. l.* 1. *c.* 7.

GALEANTHROPIA, γαλεανθρωπία, dicitur ſpecies delirii melancholici ſimilis lycanthropiæ, aut cynanthropiæ, cum homines arbitrantur, ſe factos eſſe feles, eorumque mores æmulantur, à γαλῆ vel γαλέη, felis. Laur. Bellin. *de Urin. & Pulſib. in Opuſcul. ſuis Medicis p.* 513.

GALENA, *Galene*, γαλήνη, æquivocum eſt. Vel enim idem ſignificat, quod *Molybdæna*, μολυβδαίνα, quæ eſt vel nativa, vel factitia. Illa eſt minera plumbi, vel potius plumbi & argenti ſimul. Plin. *l.* 34. *c.* 8. Rhod. *ad Scribon. n.* 220. Latine *Plumbago* dicitur. Ruland. & Iohnſon. *in Lex. Chym. l.* 2. Hæc eſt ſpecies *lithargyrii*, videlicet recrementum illud, quod in purificatione argenti, vel auri per plumbum fornacis folio concretum adhæret & peruſtum. Schrod. *l.* 3. *c.* 19. Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 397. Ejus virtus ſimilis eſt lithargyrii, videlicet ſiccare & refrigerare, Galen. *l.* 9. *de Sim. Fac.* Deinde γαλήνη fuit olim primum nomen Theriacæ, ſic ab Andromacho & aliis, qui anteibant, appellabatur, ſi videlicet viperæ carnes nondum admiſtas haberet. Eſt autem ita dicta γαλήνη, quia corporibus tanquam aliqua morborum tempeſtate vexatis tranquillitatem & veluti ſerenitatem inducit, Galen. *l. de Theriaca ad Pamphilian.* Gorr. Libav. *Alchym. Pharmac. cap.* 14.

GALENION, γαλήνιον, nomen eſt Malagmatis anodyni, cujus compoſitionem habet P. Æginet. *l.* 7. *c.* 18.

GALENUS. Nomen alterius Artis Medicæ poſt Hippocratem Principis, prænomine *Claudius* & à patria cognomine *Pergamenus* dicti. Cujus ſingularem induſtriam in amplificanda arte Hippocratica ſcriptis quidem quamplurimis & prolixioribus per omnes Medicinæ partes, licet Helmontius & multi ex Neotericis hodieque adhuc vel ſubſannare vel aſperioribus verbis perſtringere non erubeſcant, rectius tamen illi nobis facere videntur, qui gloriam illius ſartam tectamque cupiunt. Quamvis enim prolixitate nimia moleſtus eſſe videatur, neque ad vera hodierna principia ipſi tum temporis ignota non quadrent hujus ſcripta, multa tamen in illis continentur lectu pariter & notatu utilia. Quid? quod ſine dubio haud pauci temere de illo judicent, veluti cœcus de coloribus, cum vel ob ignorantiam Græcæ linguæ, vel ob pretii, quo opera Autoris illius veniunt, magnitudinem nunquam viderint, aut legerint, ſaltem aliorum judicio ſeſe mancipantes. Qui vero nimium *Galeni* ſcriptis tribuunt, & omnia pro oraculo habent, illi jure merito *Galenici*, vel *Galeniſtæ*, & eorum Medicina *Galenica* appellatur.

GALEONYMOS, γαλεώνυμος, idem, quod *Galeus*, Gal. *l.* 3. *de Al fac. c.* 31.

GALERITA, vide *Alauda*.

GALEUS, γαλεός, Lat. *Muſtelus*, dicitur genus quoddam piſcium carne dura præditorum, Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 31. Suntque ejus variæ rurſus ſpecies, de quibus erudite diſſerit Linden. *Ex. XI.* §. 56. *ſeqq.* Dorioni idem eſſe *Galeum*, cum *Aſino* & *Gado* piſce, teſtatur Idem §. 26. Prolixiorem deſcriptionem *Galeorum*, vel *Muſtelorum* & uſum vide apud Aldrov. *lib.* 3. *de piſc. c.* 31. 32. 33.

GALEXIAS, γαλεξίας, etiam γαλαξίας, dicitur, piſcis e Muſtelorum genere, ſed delicatior, & molliori carne præditus, propterea apud Romanos magni æſtimatus, Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 31.

GALGALUS, *Galgula*, *Galgulus*, vide *Galbulus*.

GALIANCONES, γαλιάγκωνες, dicuntur Hippocrati, qui ob capitis humeri in alam prolapſum brachium juſto brevius & gracilius habent, partes vero circa cubitum tumentiores, muſtelæque cubito præditi ſunt, quos ideo *Muſtelancos* quidem vocant, alii ſimpliciter *Ancos*. Hujus mali vero duplex à Galen. aſſignatur cauſſa: vel quando adhuc in utero humeri luxantur, vel quando poſt ortum adhuc tenera ætate juxta humeri caput in intimis partibus alteque ſuppurationes oriuntur, ſive ſecentur, ſive urantur, ſive per ſe pus aperiatur, ut ab eo ſcriptum. Meminit aliquoties eorum Hipp. 1. *de artic. t.* 59. 60. & *l.* 3. *t.* 88. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 18. Vid. Gal. *comment. ad illa loca.* Adde Foëſ. *Oecon. p.* 132. Foreſt. *l.* 9. *Chirurg. Obſ.* 4. *in Schol.*

GALIAS, γαλίας, nomen piſcis minoris, quam *Galeus*. Dicitur & *Aſellus*, *Catellus*. Linden. *Ex. XI.* §. 28. Vid. Aldrov. *d. l. c.* 34.

GALLA, κηκὶς, duplicem habet ſignificationem; unam ad Botanicos pertinentem, quando notat excrementum quercuum globoſum, interdum ſolidum, interdum perforatum: alteram, quando ſumitur pro atro & aſpero vino, docente Keuchen. *ad Seren. p.* 98.

GALLATURA, vocatur portio illa albuminis in ovo paulo denſior & craſſior, quam vernacule den Vogel appellant, & creditur eſſe ſignum fœcunditatis ad pulli generationem. Legitur apud Euſtach. Rudium *Pract. lib.* 1. *c.* 20. citante Sennerto *Med. Pract. l.* 5. *P.* 3. *ſ.* 2. *cap.* 23.

GALLERIDAS, γαλλερίδας, idem, quod *Aſinus piſcis*. Linden. *Exerc. XI.* §. 24. 28. 34. 41. Jul. Alex. *l.* 14. *ſalubr. c. 9.*

GALLIA, & Algalia odoramentum unde Galia Alphagina, Moſchata. Pet. Caſtellus, de Hyæna odorifera.

GALLICULA, σανδάλιον, eſt ſpecies calceamenti, de quo egregie diſſerit Rhod. *ad Scribon. num.* 161.

GALLICUS, epitheton vel venti intermedii inter Eurum & Boream, magis tamen ad Septentrionem accedentis, vulgo Nord Nord Oſt. Rul. *in Lex.* vel morbi graviſſimi, ita ut mirum ſit, Italos & Gallos hodieque pene pudorem omnem exuiſſe, ut morbum hunc vilipendant, ceu minime ſordidum & obſcœnum, cum ſit totius corporis virulenta & contagioſa cachexia, uti recte vocavit Ionſton. *Syntagm. Noſocomic. ſpec. l. 6. Tit.* 1. Dicitur alias *Lues Venerea*, *Morbus Gallicus*, *Hiſpanicus*, *Italicus*, *Neapolitanus*, *Syphilis*, *Pudendagra*, *Variola magna*, Senn. *Med. Pr. l. 6. P. 4. c.* 11. Fernelio dignum ſcortatorum flagellum. Quamvis vero de hoc affectu, ejus natura, cauſſis, & curatione integra in publicum prodierint Volumina, inter quæ ſub titulo *Aphrodiſiaci* ingens proſtat Volumen compilatum, & ab Aloyſio Luſino Utinenſi collectum & editum, præter Practicorum aliorum ſcripta, à quibus hoc argumentum pertractatum eſt; vix tamen ac ne vix quidem adhuc de vera & accurata hujus morbi indole, cauſſis, & generatione certos nos eſſe licet, ob indeterminabilem ſymptomatum in diverſis individuis varietatem. Nihilominus hanc addere libet deſcriptionem ex hodiernis Artis principiis erutam: *Morbus Gallicus* eſt intemperies cum materia univerſalis, ſive totius corporis maligna, lenta, per varios affectus particulares & ſymptomata, tumores, ulcera, exanthemata, nodos, gummata, atrophiam, dolorem nocturnum in ſcapulis & artubus, virium proſtrationem, gonorrhœam & alia ſeſe exerens, ortaque ab intricate heterogenea ſanguinis, ſucci nutritii, & nervoſi corruptione, congelatione, coagulatione, lenta putredine, per fermentationem inordinatam ſeſe multiplicante & continuante. Junge, ſi placet, Iunken *Chym. Exp. Cur. P. II. ſ.* 1. *c.* 22. *p.* 739. *ſeqq.*

GALLINA, vide *Gallus.*

GALLINAGO, σκολόπαξ, *ruſtica perdix*, *Scolopax*, *Ruſticula*, dicitur avis longiori roſtro prædita, vulgo *Sneppa* dicta, inter delicias & dapes nobiliores pertinens, cujus deſcriptionem & diverſas ſpecies cum uſu in cibis & Medicina vide apud Aldrov. *l.* 20. *c.* 51. *ſeqq.* Claud. Deodat. *Panthei Hygiaſt. l.* 1. *c.* 37. *p. m.* 368.

GALLINULA, nomen eſt generale avis aquaticæ, varias ſpecies ſub ſe comprehendens, quarum deſcriptionem & uſum alimentarium vide apud Aldrov. *d. l. c.* 32. *ſeqq.*

GALLOPAVO, (an *Meleagris?*) *Gallus Indicus*, *Pavo Indicus*, item *Calecutenſis*, cum Gallina ſunt volatilia hodieque notiſſima, quorum deſcriptionem & uſum in cibis vide apud Aldrovand. *l.* 13. *Ornithol. cap.* 4. Cl. Deodat. *l. d. p.* 359.

GALLOS, γάλλος, idem, quod *Eunuchus*, ἀπόκοπος, *Caſtratus*, cui execta ſunt virilia, *Spado*. Foeſ. *Oecon. p.* 132. Eſt & nomen *Dropacis* apud P. Ægin. *l.* 7. *c.* 19. & Aëtium *l.* 3. *c.* 180. citante Gorræo.

GALLUS, ἀλέκτωρ, ἀλεκτρυὼν, *Gallina*, ἀλεκτορὶς, ἀλεκτρύαινα, ſignificat animal pennatum domeſticum, biceps, notiſſimum, criſtatum, utriuſque ſexus. Prima eſt inter aves pulveratrices dictas. Mas vocatur cum additione *Gallus gallinaceus*. *Caſtratus* vero *Capo* vel *Capus* appellatur. Horum omnium prolixam deſcriptionem & uſum in cibis ac medicina ampliſſimum invenies præter Galen. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31. 33. in Aldrov. *l.* 14. *Ornith. c.* 1. *ſeqq.* Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 55. Frid. Hofmann. *in clav. ad h. l.* Deodat. *d. l.* De *Gallis gallinaceis* cornutis vid. *Ephem. Nat. Cur. An. I. Obſerv.* 30. *Gallus* & *Gallina* refertur inter nomina Lapidis Phil. *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 727.

GALREDA, eſt ſpecies *Gelatinæ*, nimirum ſuccus inſpiſſatus, viſcoſus, lucidus, fitque plerunque ex Decoctis partibus animalium cartilaginoſis, v. g. ex pedibus vituli, porcellorum &c. Schroder. *lib.* 1. *cap.* 3. *lit. G.* *Galredam* quoque pro mucagine accipi excrementitia, patet ex Paracelſ. *lib.* 2. *de morb. metalliſoſſor. tract.* 2. *c.* 3.

GALTIHENUM, *Galithenum*, terminus Paracelſicus ſatis obſcurus, quo tamen indicare videtur virtutem illam occultam curæ Caduci, quæ debet induci in eſſentiam Mumiæ, *tr. Berthonea l.* 1. *c.* 15.

GAMAHEU, *Gamahæi*, *Gamathei*, ſunt lapides, quibus cœleſtes vires & ſupernæ conſtellationes imprimuntur, mirandis characteribus, imaginibus & figuris inſigniti, quales aliquando natura fabrefactos videre contingit e montibus erutos, quandoque ſecundum ripas aquarum. Ruland. & Iohnſon. *in Lexic.* *Gamahe* vim obtinet aſtralem in commovendis ſpiritibus & principiis Microcoſmi. Paracelſus quoque plurimum attribuit hujuſmodi *Gamahæis* imaginibus & characteriſmis, quod à cœli influentia proveniant, uti paſſim in ſcriptis ſuis videre eſt. Unde quartam ſpeciem Magicæ artis *Gamaheos* quoque vocavit, *Philoſ ſagac. l.* 1. *c.* 4. Dicitur alias *Taliſmanica*. Verum Helmont. inter ſcurrilia dæmonia refert, *tr. Poteſtas medicaminum n.* 62. Damnavit quoque Libavius *in Paracelſica ſentent. Biblicar. depravatione ex* Crollio *Tom. IV. oper. p.* 53. *ſeqq.* *Gamaheum conjugium* dictum fuit à Magis virium & proprietatum cœleſtium cum elementaribus conjunctio. Dorneus *tr. congeries tranſm. metallor. c.* 19.

GAMANDRA. Vide *Gamboidea.*

GAMBOIDEA ſcil. *Gutta*, Epitheton Gummi; quod alias communiter dicitur *Gummi Gotte*, item *Gummi ad Podagram*, de cujus hiſtoria & viribus vide Rolfink. *tr. de Purgant. ſect.* 13. *art.* 8. *p.* 417. *ſeqq.* Vocatur

catur & *Succus Indicus Purgans*, Item *Gummi Gamandræ*, de quo etiam integrum ſcripſit libellum Mich. Reudenius Medicus quondam Nariſcorum Curienſis. Jung. Schroder. ſub tit. *Ghitta lemau l.* 4. *cl.* 4. *p.* 255. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* D. Ludov. *Pharm. Diſſ.* I. *p.* 144. Vide infra *Ghitta Iemau.*

GAMMAROS, vide *Cancer.*

GAMMAUT Italis dicitur *ſcalpellus falcatus*, quo apoſtemata commode aperiuntur, in parte gibba retuſus, in cava acutus. Scult. *Arm. Chir. Part.* I. *Tab. XIV. fig.* 5.

GAMPHELE, γαμφηλὴ, idem, quod γένυς, *Maxilla.* Vide *Genys.* Gorr.

GAMPSONYX, vel *Gampſonychos*, γαμψώνυξ; γαμψώνυχος, i. e. *aduncos ungues habens.* Epitheton animalium rapacium, ut ſunt leones, lupi &c. C. Hofmann. *ad Gal. Libb. de V. P. n.* 138.

GAMPSOS, γαμψὸς, *incurvum*, inflexum, aduncum ſignificat. Gal. *in exegeſ. voc. Hipp.* Foëſ. *Oec. p.* 133. Lind. *Ex. XI.* §. 68.

GANGAMON, γαγγαμὸν, ſic à plerìſque appellatum eſt *Omentum*, quia propter varium venarum & arteriarum contextum reti piſcatorio, quod Græce γάγγαμον dicitur, ſimile videatur. Aliis autem, qui circa umbilicum cernitur, quaſi nervorum quidam contextus γαγγαμὸν vocatur. Gorr.

GANGITIS, γαγγίτις, idem quod *Gagates*, de quo ſuperius. Gorr.

GANGLION, γάγγλιον, dicitur nervi nodoſa & renitens contractio, nullo præter naturam colore, doloris expers, proveniens à ſucci nervoſi propter ordinem fibrarum per cauſſam externam, plagam videlicet, vel nimiam compreſſionem nervorum turbatum concretione & nervi conſequente induratione, Galen. *in def. med. & com.* 2. *de artic. t.* 56. ubi quidem Hipp. ipſe in contextu vocat γαγγλιώδεα. His fere notis deprehenditur. Tumor eſt pravus, non in profundo, ſed ſub cute ſaltem deliteſcens, inæqualis in compreſſione ad latera recedens. In multis corporis partibus occurrere poteſt, ſed in manibus & pedibus frequenter, rarius in cubito & capite oritur. Gorr. Foreſt. *l.* 26. *obſ.* 8. penis *Ganglion* notavit. De *Gangliis* in artubus vid. *Ephem. N. Cur. An. III. O.* 326. *Ganglii* in Carpo paulo ante partum plane evaneſcentis & poſt partum in priſtinum locum redeuntis obſervationem vide *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 56. *p.* 110. *Ganglia* quoque vocari corpora olivaria vel potius oliviformia, Gallice *les corps olivaires*, legitur in Anonymi libello Gallico: *Eſſais d'Anatomie, Diſcours* 4. *des nerfs.*

GANGRÆNA, γάγγραινα, Medicis vocatur partis alicujus ob inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem, incipiens mortificatio & corruptio, Gal. *l.* 2. *ad Glauc. cap.* 9. Cum enim pars omnino emortua eſt, σφάκελος, *Sphacelus*, h. e. *Sideratio*, nominatur, quæ eſt *Gangrænæ* terminus. *Gangræna* vero eſt ad Sphacelum via. Foëſ. *Oec. p.* 130. Dieter. *n.* 807. Dicitur & *Ignis S. Marcelli*, *Antonii*, *&c.* Gal. *in def. med.* paulo aliter deſcripſit: *Gangræna* eſt mutatio coloris à ſtatu naturali in alienum, & mortificatio membri cum vel ſine ulcere. Cauſſa eſt ſanguinis & ſucci nutritii νέκρωσις, ſive corruptio totalis cum flammæ vitalis extinctione & continuatione abolita conjuncta. Plura de *Gangræna* vide apud Practicos, præſertim Hildan. *integro tractatu: de Gangræna & Sphacelo. Gangræna* quoque quibuſdam vocatur avis quædam, quæ *Merops* alias dicitur, teſte Aldrov. *l.* 12. *Ornitholog. c.* 45.

GANIMEDES, Chymicis dicitur *Sulphur album* & verus *Ganymedes p.* 203. Fabri Panchymici, quia in cœlum rapitur & extollitur, ſeu ſublimatur, Iohnſ. *in Lex. l.* 2.

GARGALE, *Gargalos*, *Gargaliſmos*, γαργάλη, γάργαλος, γαργαλισμὸς, *titillationem*, *irritationem*, *pruritum* quoque ſignificat. Erotianus *in Onomaſtic. Hipp.*

GARGARA, proprie *ſummitatem Idæ montis* notare, docent Hiſtorici. Late etiam pro omni *ſummitate montium* accipi poſſe, vult Keuchen. *in proleg. ad Scren. p.* 73.

GARGAREON, γαργαρεὼν, *Gurgulio.* Vide *Columella.* Et præter ea notandum, gargareonem dici à gargaliſmo ſive titillatione, quæ in trachea arteria fit, teſte Erotiano.

GARGARISMA, *Gargariſmus*, γαργάρισμα, γαργαρισμὸς, accipitur quandoque late pro omni *Collutione oris*, quæ alias διάκλυσμα dicitur, de quo ſupra. Proprie vero eſt hujus ſaltem ſpecies, diciturque ita medicamentum liquidum, affectibus oris, gingivarum, faucium, laryngis, aliquando & capitis dicatum, *gargariſando*, ut vocant, fauces colluens, ſine deglutitione. P. Morell. *de remed. formul. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 5. Weker. *Antidotar. gen. l.* 1. *c.* 17. *Special. l.* 2. *ſect.* 10. Schr. *lib.* 2. *c.* 61.

GARGATHUM vocabatur lectus, in quo mente devii & ſpiritibus afflati immundis detinebantur, Joh. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 377.

GARIP, id eſt, aliquid aliud, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 370.

GARON, γάρον, etiam maſcul. γάρος, *Garum* dicitur liquamen ex piſcibus ſale conditis, aut maceratis paratum, ita dictum à *Garo* piſce, quem tamen ſe ignorare fatetur Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 39. Qualis veterum ratio componendi & parandi *Garum* fuerit, etiam incertum eſt. Vide Jul. Alexandr. *l.* 15. *Salubr. c.* 9. *& l.* 18. *c.* 16. Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 53. Linden. *Ex. IX.* §. 69. *Garo* tribuitur vis alvum laxandi, Gal. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 22. ſi ante alios cibos ſumatur. Alias facultas ejus eſt calida & ſicca, unde ad ulcera putreſcentia quidam uſi ſunt. Nonnulli & dyſentericis injecerunt, *l.* 11. *de Sim. Fac. in fin.* Species

Gari ſunt σπάνιον γάρ⊙, *Hiſpanum*, ὀξύπορον, *oxyporum*; *nigrum*, & *Sociorum* dictum Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. αἱματίον, *cruentum*, Lind. *d. l.* Foëſ. *Oec. p.* 133.

GARRULUS, nomen eſt avis ad picas pertinentis, unde & *Pica marina* dicitur, circa Argentoratum urbem abundantis, cujus deſcriptionem & uſum in cibo vide apud Aldrov. *Ornithol. l.* 12. *c* 15. Quid *Garruli* ſint Bohemici, vide ſupra in *Ampelis*. Alias *Garrulus* & *garrulitas*, ἀδόλεσχ⊙, ἀδολεσχία, quale notet vitium in Medico quoque improbandum, non eſt hujus loci. De hoc Galen. *l.* 3. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4.

GARSELLA, animal moſchum producens, Mercur. *de comp. med. l.* 1. *c.* 15.

GARUM ex inteſtinis, & oxelo, Senert. *pract. l.* 3. *prax.* 1. §. 2. *c.* 1.

GAS, nomen eſt Helmontianum, in genere denotans *ſpiritum non coagulabilem*, qualis e fermentante vino, itemque ruber ille, qui Chryſulca operante eructatur. Specialiter vero de variis ſubjectis prædicatum diverſas quoque obtinet ſignificationes, v. g. *Gas vitale* eſt ſpiritus vitæ noſtræ, lumen & balſamus, præſervans à corruptione &c. *tr. Complex. atque Miſtion. figm. n.* 42. *Gas pingue ſulphureum*, quod enecat homines, præſertim in cryptis & fodinis: *Gas ſylveſtre*: Ad quam ſignificationem quoque reſpexit G. Thomſon *in Explicatione Terminor. Artis præmiſſa acui Magneticæ*, dicens, quod Gas ſit ſylveſtris & inviſibilis ſpiritus, qui coërceri & concludi non poteſt ſine noxa ejus, in quo continetur, exurgens ex fermentatione concurrentium quorundam corporum, quæ quaſi eructant aut expellunt inimicam hanc materiam. *Gas ventoſum*, quod eſt Aër: *Gas ſiccum*, quod eſt ſublimatum: *Gas cereviſiæ*, i. e. exhalans ſpiritus e doliis, vel lacubus, quando fermentatur, *tr. de flatib.* 3. 4. *ſeqq. Gas ſalium* eſt aqua, item *uvæ* &c. *d. l. Complex. &c. n.* 37. 38.

GASAR, i. e. *lomus*. Ruland.

GASSELA, vel *Gazella*, idem quod *Capra Sylveſtris Africana*, vel *Dorcas*. Vide *Rupicapra*.

GASTER, γαστὴρ, *Venter*, accipitur late & ſtricte. Late ſignificat totum abdomen, ſive eam corporis regionem, quæ ſepto tranſverſo; hypochondriis & pube circumſcribitur. Gal. *l.* 4. *de Uſ. part. c.* 9. *princ.* Junge C. Hofm. *comm. in h. l. n.* 210. Specialiter vero & communiori uſu γαστὴρ notat *ventriculum*, cibi ſcil. & potus receptaculum, officinam illam chylificantem, cujus deſcriptionem vide apud Anatomicos, Barthol. *l.* 1. *Anat. cap.* 9. Willis *Pharmac. rat. Part.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2. Ita ſumitur apud Hippocr. *lib.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 7. Hinc γαστρὸς ἔκφυσις, i. e. *ventriculi* appendix, vocatur *inteſtinum duodenum*, Galen. *l.* 2. *de temper. c.* 6. Aliquando totum alvum inferiorem, id eſt, *ventriculum cum inteſtinis* notat, *lib.* 4. *Epid.* I. 19. Sæpe vero accipitur pro *utero*; Hippocr. 5. *aph.* 30. 31. 34. 37. 38. 51. 52. 55. 60. 61. & 7. *aph.* 27. Junge Dieter. *n.* 157. Adde Lind. *Ex. XI.* §. 109. 110. 122. *ſeqq Ex. XIII.* §. 94. γαστὴρ quoque dicta fuit Rapa apud Lacedæmonios, ut ſcribit Athenæus, Gorræus.

GASTERANAX, eſt vocabulum noviſſime efficitum à Dolæo, quo exprimere voluit facultatem veterum nutritivam, ſive animæ vegetativam ſpecialem, in ventriculo & inteſtinis ſedem habentem, præſidem chylificationis, diſtributionis, & excrementorum ſecretionis, & ſi quæ ſunt aliæ ſubordinatæ functiones. Vocatur eidem etiam *Brithnimalia* (de quo vocab. ſupra *ſuo loco.*) De utroque videatur D. Autor *Encyclopæd. l.* 3. & loca ſpecialia quærantur in Indice. Qua neceſſitate & utilitate talia fingantur nomina, judicare nolumus.

GASTRICA VASA, Vena & Arteria, nec non *Gaſtroëpiploica*, quæ in Anatomicis dicantur, quære in Bartholin. *Anatom. libell.* 1. & 2 & *loca in Indice.*

GASTRIMARGOS, γαστρίμαργ⊙, *intemperantem*, qui ventre inſanit, *comedonem*, ſignificat, apud Heſychium. Lind. *Ex. XI.* §. 126.

GASTRINUM, id eſt, *cinis clavellatus.* Rul. & Iohnſ.

GASTROCNEMIA, & *Gaſtrocnemion*, γαστροκνημία, γαστροκνήμιον, ſignificat *Suram*; eſtque poſterior carnoſæ tibiæ pars, ſeu tibiæ venter, ſiquidem extuberat, propter muſculorum eam tibiæ ſedem occupantium craſſitiem, ut anterior pars tibiæ carnis expers dicitur *Anticnemium*, ἀντικνήμιον, Hipp. 4. *de artic. t.* 10. *l.* 2. *de iis*, *q. in med. t.* 16. Galen. *l.* 1. *de muſculor. anatom. c.* 32. *l.* 2. *Anat. adminiſtr. cap.* 4. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. & *l.* 16. *c.* 8. Hinc & *Muſculi Gaſtrocnemii* vocantur, quia ſuram conſtituunt. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 13.

GASTRORAPHIA, γαστρορ͂αφία, ſignificat, *Abdominis ſuturam*, cujus operationis Chirurgicæ meminit Gal. *lib.* 5. *Anat. admin. c.* 6. & Scribon. *n.* 206 Jung. Rhod. *in not. ad h. l.* Hanc deſcripſit ex Petro Pigræo Chirurgo Regio Iobus à Meekren. *in Obſerv. Medico-Chirurg. c.* 48. *p.* 212. *ſeq.*

GAUDIUM, χαρὰ, εὐθυμία, εὐφροσύνη, eſt inter affectus animi etiam quandoque vehementiores, eſtque jucunda commotio animæ de fruitione boni, quod impreſſiones cerebri ei repræſentarunt, ut ſuum, ſibi impenſe gratulantis, dum ſpiritus e cerebro in cor & ſanguinem copioſe motu interdum placido, interdum vehementiori effuſi efficiunt, ut hic celeriori motu circuletur. Charlton. *Exerc. VIII. Pathol.* §. 29. *Gaudium nimium* aliquando morborum & mortis cauſſa exiſtit. Gal. *l.* 2. *de cauſſ. Symptom. c.* 5. Foreſt. *l.* 17. *obſ.* 8. *Schol.* Rolf. *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 106. Differentiam inter Gaudium & Iram docuit Jul. Alex. *l.* 22. *Salubr. c.* 4. Diſcrimen inter *Lætitiam* & *Gaudium* à Rolfink. propoſitum non obſervatur. De pulſu *lætitiæ* & *lætorum* vide Gal. *l.* 4. *de cauſſ. pulſ. c.* 3.

GAVETA,

GAVETA, vide *Gajetanus.*

GAUSOS, γαῦσος, & γαυσὸς, *gibboſum*, obſtippum incurvum, ſignificat. Dicitur de femore apud Hippocr. 2. *de fractur. t.* 69. & 4. *de art. t.* 61.

GAZEL, GAZELLA, idem, quod *Capra.* Indica Gazella eſt capra moſchi. vide *Moſchus.*

GE, γῆ, γαῖα, i. e. *Terra.* Significatio ejus triplex: Phyſica, Medica, Spagyrica. Phyſice accipitur, vel ſimiliter pro Elemento ſiccilſimo & frigido, vel diſſimilariter & mixte pro globo *terræ* ſive *Tellure* alia corpora naturalia comprehendente, quæ conſideratio e Phyſicis petenda, cum non ſit hujus loci. Medice ſignificat glebam & portionem *Terræ* virtute medicamentoſa varia pro diverſitate regionum, mineralium, aliarumque circumſtantiarum à ſpiritu Macrocoſmico, vel univerſali imbutam, cujus varias ſpecies earumque hiſtoriam & catalogum, uſum & præparationis modos vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 2. Frid. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Legi quoque poterit, cui ad manus fuerit Rul. *in Lex.* Quid? quod ſpecies *terrarum*, vel omnes, vel præcipuas ſigillatim & unamquamque in litera ſua initiali explicatam *in hoc Lexico* reperturus ſis. Apud Hippocr. mentio fit γῆς κεραμικῆς, i. e. *argillæ*, σμηκτίδος vel σμηκτικῆς, *detergendi vim habentis*, χαλκιτίδος, ἐρετριάδος, *Eretriæ*, quarum expoſitio etiam haberi poteſt in propriis ſuis literis initialibus. Ad Spagyricam vel Chymicam ſignificationem pertinet, 1. quatenus conſtituit corporum ſubſtantiam & reliquarum fluidarum & mobilium retardat motum. Sunt enim particulæ terreſtres fluidarum & mobilium ſolida & quieta receptacula, in quibus medium quendam adſciſcunt ſtatum fixo volatilem. 2. quatenus à nonnullis *Terra* inter cauſſas efficientes principales operationum Chymicarum refertur, v. g. quando in deſtillatione Salis, Nitri additur argilla, bolus, Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 13. Item, quando proponunt *Terram Elementatam*, quæ nihil aliud eſt, quam *Sal Paracelſi*, in quo quatuor elementa, velut in proprio ſuo domicilio, ſedem habent atque manſionem. Ger. Dorneus *tr. Phyſica Geneſ. die tertio.* Vel *Terra* à corporibus metallicis in Sulphur elevata *Naturæ Sal* dicitur *Philoſophorum*, vel *Mercurius vegetabilis*, vel medium extrema conjungens omnia ad unum finem, id eſt cœlum, cum forma, vel Clavem Philoſophicam cum perfectis corporibus, & *hæc terra* etiam dicitur *Elementata Mercuriata.* Idem *in Philoſoph. Chemica.* Lapis Spagyricus etiam dicitur *Terra foliata*, in quam oleum fixum ſata, germen eſt. Id. *ibid. Terra damnata mortua* vocatur in Argyro & Chryſopœia portio illa impura in ſuperficie Lapidis coquendi ſupernatans & abjicienda. Gaſto Claveus *in Apologia & Chryſop. Theatr. Chym. Vol. II.* & *tr. de Alchemia incerti Autoris c.* 33. *in Theatr. Chym. Vol. III.* Alias *Terra Mortua* damnata in genere eſt omnis materia terreſtris ab elixivatione reſidua & ita omnibus facultatibus efficacibus deſtituta. Medicamenta quoque Chym. quædam *Terræ* nomine veniunt, ut *Terra Tartari foliata ſecretiſſima*, Rolf. *Chym. l.* 5. *ſ.* 1. *artic.* 1. *c.* 14. *Terra ſancta Rulandina*, Id. *l.* 5. *ſ.* 7. *c.* 1. *Terra Salomonis* vocatur Hartmanno materia quædam & paſta, e qua vaſa formari queunt, & deſcribitur *in Miſcellaneis Medico-Chymicis p.* 58. *Operum in folio.*

GEBULUM, i. e. *reparandium.* Coagulare idem. Rul. *in Lex.*

GECHYTON, γήχυτον, ſignificat externam terræ partem, mollem ac minime lapidoſam, apud Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Gorr.

GEGONEO, *Gegoniſco*, γεγωνέω, γεγωνίσκω, ſignificat *vociferor* alta voce, & muſculorum omnium expirationi inſervientium contentione exclamo. Jul. Alexandr. *annot. in Gal. l.* 2. *de motu muſcul. c.* 9.

GEGYIOMENOS, γεγυιωμένος, ſignificat *enervatum*, & viribus exſolutum, à γυιόω, *membra frango*, enervo. Deſcendit à nomine γυῖον, *membrum.* Hippocrat. 3. *V. R. l. Ac. t.* 59. Galen. *in comm. ad h. l.*

GEISON, γεῖσον, & γεῖσσον, item, γείσωμα per metaphoram dicitur pars, quæ in ſuperciliis prominet, veluti imbricamentum quoddam aliorſum humores derivans. Proprie *grundam* vel *ſuggrundium* notat, h. e. tecti partem prominentem, qua ſtillicidia arcentur à parietibus. Gorr.

GELASINOS, γελασῖνος, epitheton dentium quatuor mediorum & anteriorum, qui per riſum patent. Vocantur alias *Inciſores*, τομεῖς. An & cavum illud, quod in media bucca per riſum apparet, *Gelaſinus* Martiali dicitur? Gorr.

GELATINA, Gr. γαλακτινή, teſte Jul. Alexandr. *V.* 19. *ſalubr. c.* 16. eſt terminus Pharmaceuticus (Rolf. inter Chymicas operationes refert *Chym. l* 4. *ſ.* 4. *c.* 1. ſed non video, quid labor hic ſubtilitatis Chymicæ contineat) denotatque ſuccum inſpiſſatum puriorem, cum ſaccharo in ſcatulas effuſum & congelatum. Harum hiſtoriam vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 62. & Rolf. *d. l.* Parari ſolet quoque à coquis e decoctis pedum vitulinorum, ſuillorum, vervecinorum, cujus modum tradit J. Alex. *d. l.*

GELATIO, πῆξις, *Gelatum*, idem, quod *Congelatio, Congelatum.* Legitur apud Scrib. *n.* 179. 180. Vide *Congelatio. Gelatus* quoque dicitur Anton. Benivenio æger Catoche vel Catalepſi laborans, quando in paroxyſmo memoria amiſſa eodem habitu corporis, quo deprehenſus, permanet, patentibus oculis & inconnivis nil loquens, nil cognoſcens, nil audiens, donec remittente paroxyſmo ad ſe redeat. *In Obſervat. rarior. medicin.* apud Rembert. Dodonæum *c.* 102. *p. m.* 194.

GELBUM, *Gelſum*, nomen *Marchaſitæ* in Ungaria, vel potius *Pyritis* ſæpe argento prægnantis, Lib. *S. A. Ch. l.* 2. *c.* 24. *Gelbum* vel *Geldum* quoque dicitur Lapis Phil. *Th. Ch. Volum. IV. p.* 727.

GELIDUS, ψυχρὸς, idem, quod *Frigidus*. Et *Gelu*, idem, quod *Frigus*.

GELION, idem, quod *Folium*, φύλλον, Rul. *in Lex.*

GELOS, γέλως, *Riſus*, eſt motus ex contractione labiorum & expiratione interciſa ſonora hilaritatem declarans, Gorr. Pertinet ad affectus animi, qui cum voluptate conjuncti ſunt, & quidem vehementiori, Charlton. *Exerc. IIX. Pathol.* § 24. In ſtatu p. n. *Riſus* eſt ſpecies convulſionis, vel ſpaſmi convulſivi, qualis oritur ex uſu herbæ Sardoniæ, ſive *Alpii riſus* dicti, item ex abuſu Croci, aut à præcordiorum inflammatione. Vide Senn. *M. Pr. l. 6. p. 7. c. 11.* De vocab. γέλως vide quoque Dieterich. *n.* 158. Talia pharmaca riſum p. n. moventia vocari poſſunt γελωτοποιὰ, Libav. *Syn. A. Ch. l. 8. c. 7.* *Riſus* etiam vehementior referri poteſt inter remedia potentiora, uti patet ex ridicula illa hiſtoria curati apoſtematis ex ſpina retenta in gutture Marchionis de Ferraria, qui à muliere quadam per verba quædam in aurem Marchionis dicta: Si anum meum invenies, anum meum verberabis: Si anum meum invenies, anum meum punges; terque repetita addendo ſignum Crucis; ita ad riſum commotus fuit, ut apoſtema ruptum fuerit cum profuſione puris albi & ſpinæ, ita Marchio liberatus, uti notavit Galeacius *de ſancta Sophia in l. 9. Rhaſ. c. 49. fin. fol. m.* 38. *b. ſeq.*

GEMELLI, δίδυμοι, idem, quod *Gemini*. Vide *Didymi*. *Gemellos* quoque oculos vocavit Paracelſus *in Fragm. Anatomiæ Oculor.*

GEMINI, δίδυμοι, idem, quod *Gemelli*. Apud Mathematicos eſt nomen aſteriſmi certi in Zodiaco, quæ ſignificatio non eſt hujus loci.

GEMMA, λίθος, diverſimode accipitur. 1. Generaliter pro omni lapide pretioſo, quorum ſingulorum mentio fit in ſuis locis & litteris initialibus. In hac ſignificatione occurrit apud Schroder. *l. 3. c. 5.* Chiocc. *in Muſ. Calceolar. ſect.* 3. & alios. De *Gemmarum* ſive lapidum pretioſorum generationis modo vide *Th. Chym. p.* 427. 2. Specialiter pro *unione*, ſive *margarita*, quales reperiuntur in certis concharum, quæ propterea margaritiferæ vocantur, generibus: De quibus vide Aldrovand. *l. 3. de Teſtac. c. 41. ſeq.* De utriſque valde adhuc controvertitur, an recte in uſum Medicum veniant, an ſecus? De qua controverſia vide Fr. Hofm. *in Clav. ad d. Schroder. loc.* Paracelſus paſſim in ſcriptis ſuis videtur fortaſſis nimium extollere earum utilitatem. An quoque diſtinguendum inter *Gemmas* in ſpeciali ſignificatione, quibus propter vim vegetativam major efficacia concedi poteſt, quam mineralibus inanimatis, *Gemmarum* nomine venientibus? Noſtrarum jam non eſt partium, litem hanc exacte dirimere. Helmontius *Gemmarum* in genere originem tribuit aquæ, quæ continet Ideam ſeminalem & mineralem, *tr. de Lithiaſi c. 1. n. 7. 8.* Idem negare quoque videtur, *Gemmas*, quæ lapideam habent duritiem, quicquam agere, aut pati in nos, aut à nobis, *de febrib c. 15. n. 15.* 3. Abuſive, quando Paracelſus *Tartarum* quoque in genere *Gemmam* vocat *l. 1. de Tart. tr. 1. c. 1. & tract. 2. c. 2. & 3. & in fragmen. ad h. l.* *Gemmæ* quoque artificiales, ſive factitiæ ita dicuntur κατασκευαστικῶς, de quibus vide Libav. *Synt. A. Ch. l. 3. c. 8. l. 7. c. 21. Tr. Chymic. de Igne natur. c. 43. &c.* De variis tincturis *Gemmarum* artificialium vide Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 202. An & *Sal Gemmæ*, nec non Pulvis Mynſichti ex illo paratus & *Gemma vitæ* ab eodem appellatus, *Armam. Medico-Chym. ſect. 1. p. m.* 28. abuſiva ſaltem hujus vocabuli fruuntur ſignificatione?

GEMONIS, γεμωνὶς, idem, quod *Aëtites*, lapidis nomen, ſic dictum, quoniam quaſi prægnans ſit, id, quod etiam *Aëtitæ* proprium eſt, Gorr. à γέμω, plenus ſum.

GEMURSA, nomen morbi apud priſcos inter digitos pedum naſcentis, hodieque penitus obliteratum, teſte Plinio *l. 26. c. 1.* & ex hoc Lang. *l. 2. ep.* 13.

GENA, γένυς, dicitur ea faciei pars, quæ inter naſum & aures ſita eſt, quæ bene coloratis & ingenuis pudore ſuffuſis rubet. Vocatur & *Mala*, Gal. *Introduct. c.* 10. Ima γένυς, *Gena*, ſignificat *Maxillam* tam ſuperiorem, quam inferiorem. Additur autem ad diſtinctionem ἡ ἄνω καὶ ἡ κάτω. Dicitur & alio nomine γνάθος, ſed ambigua pariter ſignificatione. Vocatur ἡ ἄνω γένυς, *Maxilla ſuperior*, pars faciei fronti proxime ſubjecta, auris utrinque ab imo & gingivis terminata. Non unico oſſe, ſed pluribus ſolidis, duris, & levibus conſtat, ἡ κάτω γένυς, *Maxilla inferior*, dicitur faciei pars infima & mobilis, dentes inferiores continens. Conſtat oſſe non ſimplici, ut plerique putant, ſed gemino, ſicuti Hippocr. & Galeno viſum eſt, quorum diſtinctio medio in mento eſt, ubi ſutura apparet, in pueris quidem evidenter, in adultioribus autem paulo obſcurius, quæ etiam in provectis tamen coctura ſatiſcit. Aliter namque ea duo oſſa ſeparari vix poſſunt, adeo inter ſe τῇ συμφύσει coaluerunt. Hæc Caſtell. Gorræus. Accuratam *Genæ* utriuſque deſcriptionem vide *in ſcriptis Anatomicis*, præſertim Bartholin. *libell. 4. Anatom. c.* 9.

GENEIAS, γενειὰς, *lanugo prima*, qua genæ inveſtiuntur. Sic dicitur & faſciæ genus, ſive circuitus, qui ſub mento circumagitur, ut habetur apud Gal. *de faſciis*. Gorr.

GENEION, γένειον, i. e. *Mentum*, dicitur pars genæ, vel maxillæ inferioris in acumen tendens. Ruffo quoque dicitur ἀνθερεὼν, de quo ſupra, vide *Anthereon*. Ab aliis ὀξύγενυς vocatur, teſte Polluce. Hac in parte duo oſſa genæ inferioris συμφύσει conjunguntur, de qua junctura p. a. dictum. Vocab.

γένειον

γένειον legitur apud Hipp. *in Epiſt.* vel potius *in Epiſt. Democriti ad Hippocr. de nat. hum. n.* 31.

GENER, vocatur Lapis Phil. *in Th. Ch. Vol. IV. p.* 727.

GENERALIS, γενικὸς, κοινὸς, idem, quod *Univerſalis*, ὁ καθόλε Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 6. dicitur de præceptionibus Medicis præmittendis, antequam ad exercitium artis circa particularia, vel ſingularia deveniamus, paſſim apud Gal.

GENERATIO, γένεσις, in genere dicitur via ex imperfecto ad actum perfectum, Gal. *lib. an omnes particulæ fiant ſimul? in princ.* Proprie *Generatio* eſt ortus rerum naturalium ex ſemine, i. e. quo principia rerum, quæ proxime in ſemine exiſtunt, ex præexiſtente materia, parantur ac ſubinde fotu matricis in actum ſecundum, ſpeciem ſuam, emergunt. Partes itaque *generationis* ſunt tum ſeminis præparatio, tum ejuſdem emerſio. Et hic modus oriendi proprius eſt rebus nativis primariis, videlicet vegetabilibus & animalibus, horumque membris genuinis. Schroder. *l.* 1. *cap.* 4. Quo & collimat Helmont. ita deſcribens, quod *Generatio* nihil dicat aliud, quam fluxum ſeminis ad perfectionem, maturitatem, proprietatem, explicationem occultorum, & conſummationem ordinum ad ſuos fines, *tr. Ignotus Hoſpes morbus n.* 38. Dividi ſolet in *Univocam* & *Æquivocam*. Verum hanc diviſionem non ſolum improbavit C. Hofm. *l.* 1. *de gen. hom. c.* 1. *lit. D.* ſed & Fr. Hofm. *in Clav. ad d. Schrod. loc.* In ſpecie de *Generatione* animalium & hominis plurima vide in libris Phyſiologicis & Anatomicis præſertim recentioribus; Siquidem nobis nec licet, nec libet, omnia huc referre. Improprie etiam dicitur *Generatio* productio Excrementorum aut vitioſarum portionum, v. g. Puris, Hippocr. 2. *aph.* 47. Accommodatum quoque *Generationis* nomen chymicis operationibus, & in genere deſcribitur, quod ſit ex occultatione manifeſti mox occulti manifeſtatio, quod qua ratione intelligendum ſit, vide apud Rolf. *Chymiæ l.* 2. *c.* 5.

GENEROSUS, idem quod *vehemens*, potens, *efficax*. Dici ſolet, vel de vino, quod Gr. πολυφόρον, item, καρτερικὸν vocatur, Linden. *Ex. X.* §. 111. *ſeqq.* vel de remediis, præſertim univerſalibus, venæ ſectione & purgatione. De V. S. vide *Not. noſtras ad Ieſſen. tr. de Iud. Sang. V. S. miſſo p.* 31. *ſeqq.*

GENESIS, γένεσις. Vide *Generatio.*

GENETHLIACUS, γενεθλιακὸς, jam olim dicebatur de quibuſdam μάντεσι, ſive vatibus, uti patet ex Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 16. Hodieque tribuitur aſtrologis ex figura cœli tempore nativitatis thema quoddam vel computum aliquod inſtituentibus, & de natura hominis non ſolum, verum etiam de mere contingentibus & fortuitis vaticinantibus, quorum vanitatem tamen egregie hactenus & cordate detexit Clariſſimus & Excell. Dn. Sturmius, paſſim in ſcriptis.

GENIOGLOSSI, vocantur muſculi linguæ proprii, quos Riolanus *Myloglosſos* appellat, apud Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 12. *p.* 546. & 549. Alii vero qui ad os hyoides pertinere exiſtimant, vocant *Geniohyoideos.*

GENITALIS, γεννητικὸς, dicitur cum de membris & partibus organicis utriuſque ſexus generationi inſervientibus, quæ alias αἰδοῖα, *Pudenda* vocantur, Rolf. *hoc tit. part.* 1. *c.* 2. tum de meatu, quem paraſtatam varicoſum vocant, qui maxima via eſt, quod genituram à teſtibus hauſtam ad colis radicem defert, Galen. *l.* 1. *de ſem. c.* 15. tum etiam de ſemine ipſo, qui *Genitalis* humor appellari ſolet à Medicis. Vide *Genitura.* Mediante humore dicitur etiam de *ſpiritu*, qui cauſſa generationis exiſtit & ex animali vitalique ſpiritu compoſitus eſſe videtur; ſeminalis craſſioris materiæ veluti amiculo incluſus, de quo etiam erudite diſſeruit D. D. Hofmann. Iun. *in Diſſ. Anat. ad Joh. van Horne Microc. p.* 176. 179.

GENITURA, γονὴ, γόνος, duplicem habet ſignificationem. Vel enim plerumque notat *ſemen*, & quidem genitale, ſive fæcundum, aut utero jam injectum, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 9. quamvis hæc differentia inter γονὴν καὶ σπέρμα non ſemper obſervetur, imo rariſſime, cum & ipſe Hipp. pro ſemine poſuerit, uti patet ex 6. *aph.* 2. Vel ſignificat ipſas *partes genitales* utriuſque ſexus, ex Hippocr. *l. de Humid. uſu VI.* 2. 3. Jung. Proſp. Martian. *in Annot. ad h. l. p.* 129. Dieter. *n.* 167. Foëſ. *Oec. p.* 140. *ſeqq.*

GENIUS, δαίμων, Vide *Dæmon.* Deum ſingulis hominibus *Genium* dediſſe, qui in ſuprema corporis parte habitat, & nos à terra ad cœleſtem cognitionem extollit, docet Gal. *l.* 6. *de Hipp. & Pl. decr.* 2. Plura circa vocis *Genius* variam ſignificationem vide apud Caſp. Rejes *p.* 89.

GENOS, γένος, *genus*, proprie non eſt terminus Medicus, ſed Logicus. Hinc etiam in foro Medico varias obtinet ſignificationes. Interdum indifferenter *genus* pro ſpecie, differentia, formaque dicitur. Gorræus, Rhod. *in Lex.* Interdum contradiſtinguitur ab illis. Interdum etiam notat ſtirpem vel familiam aliquam certam, Gal. 5. *aph.* 59. Tria *genera generaliſſima* vocat Triſmegiſtus Mineralia, Vegetabilia & Animalia, in Phyſica. *Vol. I. Theatr. Chymici.*

GENTILITIUS, Epitheton morborum à parentibus in liberos propagatorum, & ita idem ſignificans, quod *Hæreditarius.* Dicitur & *Parentalis.* Rolfink. *Ord. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 28. 35. & ex hoc D. D. Joh. Zeller. Medicus Charitopolitanus, *Diſp. Inaug. de Affectib. Hæreditar. theor.* 1. §. 2.

GENU, γόνυ, eſt femoris & tibiæ dearticulatio & artificioſiſſima connexio, in qua ſinus eſt quidam prominens, alterius caput excipiens, quod anteriori parte,

quo firmius fieret, *rotula*, ſive *patella* munivit, quam μύλην & ἐπιγονατίδα vocant, quæ prohibet, ne femur curvatis, aut per declivia currentibus loco excidat & dilabatur, Gal. *l. de oſſib. c.* 21. *ſeqq. & l. Introd. c.* 10. Eſt autem ea dearticulatio omnium expeditiſſima, juſtiſſimaque, ut ſcripſit Hipp. 4. *de artic. t.* 66. præterea firmiſſima magnoque naturæ artificio comparata, ut quæ in ea epiphyſes & cavitates ita conſtruxit & fabricata eſt, ut neque laxior ſit Epiphyſeon in cavitates ingreſſus, neque etiam adſtrictior. Continentur autem & firmantur extrinſecus ſuperciliis quibuſdam ipſorum oſſium & ligamentis, aliis quidem in profundo poſitis, aliis autem in circuitu totam dearticulationem comprehendentibus. Hæc Gorr. & Caſtell. Jungatur & Dieter. *n.* 168.

GENUGRA, terminus Paracelſicus pro *Gonagra*, denotans ſpeciem Arthritidis in Genu.

GENUINUS, ὀψίγονος. Vide *Opſigonos.*

GENYS, γένυς. Vide *Gena.*

GEODES, γεώδης, nomen lapidis à terra, quam intra ſe comprehendit, ita dicti, ejuſdem cum *oſtracite* virtutis, ſiccatoriæ & adſtrictoriæ. Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *de Oſtracite*, & P. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. §. *Lithi.* Affinis habetur Aëtiti, eſtque fortaſſis hic immaturus adhuc.

GEOGRAPHIA, γεωγραφία, proprie dicitur ſcientia Mathematica quædam, quæ docet deſcriptionem mundi ſive globi terreſtris, & diſtinctionem in ſuas regiones, regna & urbes. Paracelſus vero more ſolito etiam finxit *Geographiam Microcoſmicam*, *tr. Labyrinth. Medicor. c.* 4. *fin.* Imo nec veritus eſt, comminiſci Geographiam cœleſtem, ceu partem Mathematicæ adeptæ, *tr. Philoſoph. ſagacis l.* 2. *c.* 4.

GEOMANTIA, γεωμαντία, proprie eſt ars & ſcientia terrarum notiſſima. Sed *h. l.* juxta Paracelſum dicitur, cum aſtra terræ ſe patefaciunt hominibus, ut inde prophetiam, aut præſagium ſumant, quod ſortitur effectum Dicitur etiam *Aſtronomia terræ*, quæ dupliciter operatur, aut per Aſtronomicas calculationes, aut per puncta. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Meminit aliquoties Paracelſ. in ſcriptis ſuis v. g. *de Caducis tract.* 2. *& in fragment. Medic.*

GEOMETRIA, γεωμετρία, proprie etiam dicitur pars ſcientiæ Mathematicæ, docentis, agros & partes terræ metiri; unde & Rulandus deſcripſit, *Geometria*, finitura, decempedatura, agri menſura. Paracelſus tamen etiam commentus eſt *Geometriam Medicam*, quæ docet metiri altitudinem cœli & terræ, & eorum, quæ in ſe continent, *tr. Alia declaratio totius Aſtronomiæ.*

GEONOMUS, γεωνόμος, legitur apud Paracelſ. *l.* 3. *de Tartar. tr.* 2. *c.* 3. & videtur idem eſſe, quod *Geomantes*, i. e. vates ex aſtris terræ.

GEOPILYSIA, γεοπλυσία, eſt ſeparatio per dilutionem. Rulandus quidem *in ſuo Lexico* nominis hujus Græci meminit in deſcriptione *Separationis per dilutionem*, verum in nullo Græco Autore invenire potui, neque in Lexico Græco Latino. Vide *Separatio.*

GERÆTEROS, γεραίτερος, natu major, *ſenior.* Uſurpatur ab Hippocr. de iis, non qui ſimpliciter ſenes ſunt, ſed in collatione & comparatione ad eos, qui trigeſimum annum exceſſerunt. Qui enim ab ea ætate ad ſenectam uſque annis excedunt, hi per comparationem *ſeniores* ab eo appellantur, Gorr. & Foëſ. Occurrit apud Hippocr. 2. *prognoſt. t.* 69. ubi opponitur τοῖς νεωτέροις, junioribus. Vide *Comm.* Gal. *ad h. l.*

GERANDRYON, γεράνδρυον, dicitur vetus quæcunque arbor. Gorr.

GERANION, γεράνιον, 1. nomen eſt herbæ, cujus variæ ſunt ſpecies, quæ ſpectant ad Botanicos. 2. eſt nomen emplaſtri, ſic dicti, quod præter cætera gruis pennas uſtas recipiat. Tribuitur Polleti. Deſcriptio ejus habetur apud Aëtium. Hæc Gorræus. Γεράνη, ἡ γεράνεια, quoque notat inſtrumentum quoddam, de quo ſupra. Vide *Ciconia.* Latine etiam *Grus* vocatur.

GERANIS, γερανίς, nomen faſciæ vel vinculi ad humerum excidentem, vel jugulum fractum ab Hippocrate, vel, ut aliis placet, à Perigene inventi, Gal. *lib. de faſciis n.* 74 Meminit & Æginet. *l.* 6. *c.* 99.

GERARAT, dicuntur animalcula venenata, ſicut ſcorpiones, habentia corpus gibboſum & caudas acutas, de quorum veneno calido, ejus læſione & cura vide Avic. *l.* 4. *fen.* 6. *tr.* 5. *c.* 4.

GERAS, γῆρας, *ſenectus*, *ſenium*, vocatur illa ætas, quæ habetur utplurimum frigida & ſicca, quando homo jam eſt in deſcenſu, hoc eſt, quando humores vitales, præſertim ſanguis & ſpiritus animalis, defectionem naturalem patiuntur ſpirituaſcentiæ & activitatis, unde corpus ejuſque membra organica, digeſtio, motus fluidorum progreſſivus & reliqua corporis animique munia paulatim elangueſcunt, donec ſanguis neque laudabili chylo reparatus, neque debita filtratione depuratus, indies magis magiſque vapeſcit, & tandem mors naturalis ſponte ſua furtim obrepit. Cumque certe ætatum cum anni temporibus ſit correſponſio, *ſenectus* reſpondet hyemi, quia ſicut ſol tempore hyemis, velut alto axe deſcendit, & ſaltem oblique radiis ſuis terram petit; ita quoque calor vitalis refractis plane viribus partes ſolidas afficit. Dividi quoque ſolet *Senectus* in tres claſſes, *crudam*, *mediam*, & *decrepitam.* Plura vide apud Dieter. *n.* 161. Qui in *ſenectute* ſunt conſtituti, dicuntur Græcis γέροντες, item πρεσβῦται, *ſenes*, de quibus lege eundem *n.* 160. De proverbio: Γέροντες δὶς παῖδες, *Senes* bis pueri, vide Lang. *l.* 1. *ep.* 55. & *Chiliad.* Eraſmi. Γῆρας ἐκ νόσου, *ſenectus* ex morbo dicitur marcoris ſpecies, vel febris μαρασμώδης, *tabida.* Galen. *l.* 2. *de præſag. ex pulſ. c.* 4. *& l. de marcore c.* 5.

Vide

Vide Foëſ. *Oecon.* p. 135. & C. Hofm. *comm. in Gal. de V. P. n.* 697. Sumitur etiam pro *Exuvio ſerpentum*, Gr. alias λεβηρὶς dicto. Galen. *in Exeg. & l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Erot. *in Onom.* De *Senecta ſerpentum* vide Lib. *Tom. II. Op. p.* 152. *ſeqq.*

GERMANUS, æquivocum eſt vocabulum. Vel enim appellativam habet ſignificationem, & reſpondet Græco ἀδελφὸς, aut ἠδελφισμένος, ſiquidem omnia, quæ ſimilia congruentiaque exiſtunt, atque ut quiſpiam dixerit, genere juncta cognataque ſunt, conſuevit Hipp. vocare ἠδελφισμένα, h. e. *germana*, teſte Galen. 2. *de R. V. I. A. t.* 33. Vide *Adelphixia.* Vel eſt nomen proprium certorum Europæ populorum, de quibus Geographi conſulantur. De *Germanulis* ſive cadaveribus exiccatis fere tripedalibus in Inſulis *Canariis* & Fortunatis repertis lege Helmont. *tr. Demonſtratur Theſis n.* 82.

GERMEN, βλαστὸς, βλάστημα, proprie arborum κυήματα vel κύματα, primas eruptiones denotat, de quibus Galen. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 60. Transfertur etiam ad alia, de quibus ſupra in *Blaſtema.* Quæ dicatur Spagyrica *germinis* pullulatio & augmentatio, legatur in Jodoci Greveri Presbyteri *Secreto*, ſi poteris intelligere & hariolari ex obſcuris illis ænigmatibus, *Vol. III. Theatr. Chymici.*

GERMINATIO, præter propriam ſignificationem Phyſicis & Botanicis relictam, qua notat additionem novellarum partium in plantis, teſte Andr. Cæſalpino *l.* 1. *de Plant. c.* 3. & 4. Spagyricis quoque dicitur quædam peculiaris tranſmutatio metallorum, præſertim argenti, quando mediante aqua forti, Mercurio, parvaque quantitate argenti ſuper prunarum igne mediocriter valido in vitro progerminant rami argentei, de qua germinatione videantur ex relatione Olai Borrichii *Acta Philoſoph.* Oldenburg. *Ann.* 1668. *m. Septembr. & Novembr.*

GEROCOMICE, γηροκομικὴ, dicitur ea medicinæ pars, quæ ſenum regimen tradit, iiſdemque convenientem vitæ ac victus rationem præſcribit, Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 4. & *de ſubfig. empir. c.* 4. Lang. *l.* 1. *ep.* 79. Incertum vero videtur, an ad ὑγιεινὴν, an ad θεραπευτικὴν pertineat, cum ſenum corpus neutrum eſſe videatur, & ſenectus non exacta plane ſanitas, ſed vel morbi & ſanitatis affectio quædam media, vel omnino ejus generis non eſt, quæ firma conſtanſque ſit, quam ἕξιν appellant, ſed potius fallax & incerta, quæ κατὰ σχέσιν dicitur. Plures tamen eam ſalubris Medicinæ partem eſſe ſtatuunt. Hæc Gorr. & Caſtell. & quidem recte. Nam & ſenum ſanitas eſt ſanitas, licet infirmior, & inconſtantior, quam aliarum ætatum. Hinc & nos inter methodos ſanitatis tuendæ particulares referre non dubitavimus, *Dogmat. Med. Gen. P. IV. c.* 2. *d.* 5. *p.* 475.

GERON, γέρων. Vide *Presbyter.*

GERSA, id eſt, *Ceruſſa.* Rul. *in Lex.* Sumitur & pro *Fecula.* Vide ſupra *Fecula.*

GERULA, Paracelſo dicitur monſtroſa planta, vel degeneratio ex tranſplantata Paſtinaca, *l.* 3. *de puſtulis Gallicis, ulceribus &c. c.* 4.

GERYON, γηρύων, nomen monſtri vel Centauri tricorporis, quem Hercules dicitur confeciſſe. Tribuitur per metaphoram *Mercurio* à Libav. *Synt. A. Ch. l.* 7. *c.* 15.

GESOR, id eſt, *Galbanum*, Rul. *in Lex.*

GESTATIO, φορά, quid in genere ſignificet, notum eſt, nimirum oneris alicujus portationem. Unde Gal. dixit *l.* 12. *de V. P. cap.* 13. quod *geſtatum*, βασταζόμενον, minus eſſe oporteat *geſtante*, βαστάζοντος. Stricte vero *Geſtatio* Medicis dicitur nihil aliud, quam geniti in utero infantis ad partum uſque permanſio atque mora, totum id complectens tempus, quod à genito intus infante ad ejus excluſionem intereſt. Dieterich. *num.* 486. *pag.* 661.

GEUMA, γεῦμα, Hippocrati dicitur id, quod guſtatur, h. e. cibus, *edulium*, *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 59. *l.* 2. *ſ.* 3. *n.* 31. *l.* 3. *ægr.* 6. Foëſ. *Oec. p.* 135.

GEUSIS, γεῦσις, *guſtus.* Vide infra *Guſtus.*

GHITTA *lemou*, nomen exoticum purgantis ſimplicis vehementioris, & haud dubie venenoſi, quod alias *Gummi Gotte*, *Gummi ad podagram*, *Gutta Cambodia*, aliiſque nominibus appellari ſolet. Plura de hoc purgante vide apud Schrod. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 445. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Rolfink. *tr. de purgant. ſect.* 13. *art.* 8. Nos experientia docuit, ejus uſum non adeo ſecurum eſſe, uti quidem Autores eundem commendant.

GIALAPPA, *Gialapium*, item *Jalappa*, & hoc nomen eſt purgantis electivi vulgo dicti, mitioris tamen & propter majorem ſecuritatem hodieque frequentiſſimi uſus, cujus deſcriptionem prolixam pete ſis e Schroder. *l.* 4. *cl.* 13. *n.* 427. Fr. Hofm. *in clav. ad loc.* Rolfink. *d. l. ſ.* 2. *art.* 3.

GIBAR, id eſt, *medicina metallica.* Rul. & Iohnſ.

GIBBEROSITAS, *Gibboſitas*, *Gibber*, *Gibbus*, κύφωσις, κυφὸς. Vide *Cyphoſis.*

GIBUM, id eſt, *Caſeus.* Rul. & Iohnſ.

GICH, *Gepſin*, i. e. *Gypſum.* Rul. & Iohnſ.

GIFFÆ, idem ſunt, quod *Fugillæ*, h. e. humores pone aures. Bayrus *in Enchirid. Practic. l.* 4. *c.* 10. *p.* 118. Vide *Fugile.*

GIGARTON, γίγαρτον, ſignificat nucleum vel granum acinorum uvæ, virtutis ſiccantis in ſecundo, & refrigerantis in primo. Æginet. *l.* 7. *c.* 3. Meminit & Linden. *Ex. X.* §. 192. ubi docet, Latinis *vinacium* quoque vocari. Vocantur illi nuclei etiam Latine *Arillæ*, quamvis nomen hoc non in omnibus Lexicis occurrat. Ex *arillis* paſſularum induſtria Chymicorum elicere audet Spiritum acidulum, item oleum Empyreumaticum, imo ſunt, qui Sal volatile ex iis paraſſe jactitant. Verum cui bono hæc ſuperflua curioſitas?

GIGAS, γίγας, dicitur de hominibus præter leges naturæ proceris & elatis. Rul. & Iohnſ. cujus cauſſam peculia-

peculiarem inveſtigare quidem conatus eſt Parac. ſed magis obſcuravit, quam declaravit. Nobis videtur acquieſcendum eſſe in liberrima & imperſcrutabili voluntate ſummi & maximi Creatoris. De vocab. *Gigas* vid. etiam Caſp. à Rejes *q.* 25. *n.* 8.

GIGERIÆ, ſignificat τὰ ἔντερα, σπλάγχνα ἢ ἀκρῶα (vel ἀκρεῖα) inteſtina, viſcera, & extremas partes gallinarum, uti exponit Heſychius, teſte Keuchen. *not. ad Q. Seren. p.* 261. Non. Marcell. & Nic. Perottus expoſuerunt per inteſtina gallinarum, & quæ cum iis coquuntur.

GILLA, vel *Grillus*, eſt vitriolum ſua ſponte reſolutum in aquam. Nonnulli putant, à natura talem exhiberi liquorem. Sunt, qui hoc nomine Salis Armoniaci aquam appellant. Purgat ventriculum, Rul. & Iohnſ. Meminit Parac. *de viribus membror. l.* 2. *c.* 4. *Gilla* eſt *Sal Vitrioli* ſolutum emeticum, inquit Frid. Hofm. *in clav. ad Schr. l.* 1. *c.* 3. *p.* 4. *Gilla Theophraſti* eſt Vitriolum album, aqua ſolutum, filtratum, iterum inſpiſſatum & ſiccatum. Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 125. ubi merito ejus uſum improbavit, quod & nos experti ſumus in defectu commodioris Emetici ſemel jam olim præſcribentes, non tamen in tanta doſi, quam dictus Autor poſuit, ubi quidem effectum præſtitit aliquoties, verum poſtea per aliquot dies ſaporem induxit ſtomacho & ori cupreoſum, ut perſona quæ aſſumſerat, omnes cibos faſtidiverit, & difficulter ab eo faſtidio liberata fuerit.

GILVUS, *Helvus*, κιῤῥὸς, medium inter album & ruffum ſignificat colorem. Dicitur & *Melinus*, *Citrinus*. Rul. & Iohnſ. Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 4. Vide *Cirrhos*. *Dichromos*.

GINGIBER, pro *Zingiber*, nomen aromatis notiſſimi, de quo in Botanicis. Vid. Rhod. *in not. ad Scribon. n.* 165.

GINGIBRACHIUM & *Gingipedium*, idem, quod *Scorbutus;* qui ita dictus à quodam Regnero Snoy, multæ eruditionis & exercitatæ praxis Medico, à gingivis, brachiis & pedibus corrupto ſanguine infeſtis. Foreſt. *l.* 20. *Obſ.* 11. *in Schol.* Denominatio quidem craſſa & pingui Minerva facta, judicio Sal. Alberti apud Senn. *de Scorbut. c.* 1. Vide infra *Scorbutus*.

GINGIVÆ, τὰ οὖλα, carnes ſunt, quæ ſunt circa dentes, Gal. *l.* 9. *de V. P. c.* 15. ubi primum e locellis ſuis vel alveolis emergunt, *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 8. quarum connexio χαλινὸς dicitur. In iis dentes nuper natorum latent, & veluti in præſepiolis conditi ſunt, & ut ſiccioribus adſtrictioribuſque continentur, ita redundante humiditate laxioribus decidunt. Nervos habent à tertio pari, ut & dentes, per quos ſentiunt & dolent, ſæpeque in iis dolor eſt, qui in dente putatur eſſe. Hæc Caſtell. Vid. *Ulon.* Jung. Dieter. *n.* 632. Barthol. *l.* 3. *Anat c.* 12.

GINGLYMOS, γίγγλυμος, proprie *cardinem* ſignificat, qui cum porta vertitur, aut potius ferramenta illa duo pectinatim invicem ſe ſubeuntia, clavo transfixa, quorum alterum oſtio, alterum parieti inſeritur, in quibus oſtium ipſum ceu cardinibus vertitur. *Cardo maſculus* dicitur *Clavus ferreus*, qui ingreditur in cavitatem, quæ *Cavitas* vocatur *Cardo fœmina*. Fallop. *Expoſ. de Oſſib. c.* 12. *Tom. I. p.* 482. Hinc vocab. tranſlatum ad ſpeciem *Diarthroſeos*, ſive *Dearticulationis*, qua oſſa ſeſe invicem ingredientia conjunguntur, ut vertebræ inter ſe, ac cubitus humeruſque colligantur, Galen. *de oſſib. in proœm.* ita, ut unius caput in alterius cavitatem condatur, & viciſſim hujus caput in illius ſinum excipiatur; qui tamen *in exegeſi Hipp.* videtur γιγγλυμὸν, qui cardo januæ eſt, & γίγγλυμα, quod huc pertinet, diſtinguere. Ab hac articulationis ſpecie *Humeri orbita* γιγγλυμοειδὴς dicitur Veſal. *lib.* 1. *de H. C. F. cap.* 23. Eſt enim hæc διάρθρωσις pleriſque oſtiorum cardinibus ſimilis, in quibus ferramenti utriuſque (quod proprie à Græcis γίγγλυμος appellatur) tum ejus, quod parieti infixum eſt, tum alterius, quod oſtio adhæret, pectines mutuo implexu ſeſe ſubeunt. Quæ quidem compoſitionis ratio non videtur ἀπὸ τῆς ῥαφῆς, à *ſutura*, valde differre. In quibus vero oſtiis clavus craſſior parieti affixus oſtii verticillum ſubit, non γίγγλυμος, ſed verius γόμφωσις dicitur. Hæc Gor. & Caſtellus. Adde Bartholin. *libello IV. Anat. c.* 1. *p.* 693. *edit. ult.*

GINSENG, nomen Sinicæ radicis, Japonibus *Niſi* dictæ, hominis divaricatis cruribus præditi figuram referentes, cui hodieque majus encomium tribuitur, quam Thee, quippe virtute ſpiritus vitales excitandi & calorem corporis ſuavem largiendi pollenti, tametſi in duodecima unciæ vix parte ſumptæ & in B. M. coctæ; de qua plura legantur apud P. Ammann. *Irenic. p.* 268. *ſeqq.* ubi oſtendit non eſſe Mandragoræ, ſed potius Dauci Iavanici ſpeciem.

GIR, *Gith*, i. e. *Calx viva*. Rul.

GIRGIES, i. e. *albi lapides fluminis*. Idem.

GIRMER, i. e. *Tartarum*, Id. & Iohnſ.

GISISIM, i. e. *Gummi*. Iidem.

GIT, *Gith*, diverſimode ſumitur. Vel enim idem eſt, quod *Gir*, Rul. vel ſignificat herbam *Nigella*, ſive *Melanthium*, dictam; vel *Piper*, teſte Rhod. *ad Scribon. n.* 69.

GITENON, i. e. *ſatum commune*. Rul.

GLABRITIES, *Glaber*, φαλακρότης, φαλακρὸς. Vide *Calvities*. *Madaros*.

GLACIES, *Glacialis*, κρύσταλλος, κρυστάλλινος. Vide *Cryſtallus*, *Cryſtallinus*. *Glaciem* in Helvetiæ montibus inveteratam, duobus tribuſve annorum millibus communem exuere & cryſtallinam duritiem perennitatemque acquirere, ſcripſit Joh. Jacob. Wagnerus *in Hiſtor. Helvetiæ curioſa ſect. II. art. V. p.* 24. De *Glacie Mercuriali* vide Libav. *Apocal. Herm. P. I. c.* 9.

Glaciale

Glaciale lepræ venenum deſcribit Helmont. *de Lithiaſ. c. 9. n. 22.* De *Glacie* & *Coagulatione* ſcripſiſſe tractatum Dan. Bartoli, patet *ex Act. Lipſ. A.* 1682.

GLADIALIS, eſt ars, qua juxta firmamenti curſum aſtrorum gladii cuduntur & enſes, quibus & incudes reſiſtere nequeunt. Inde vocatur & *Incuſida.* Parac. dicit eſſe ſpeciem Philoſophiæ adeptæ, *l.* 1. *Philoſ. ſagacis.*

GLADIATOR, μονομάχος, qui cum altero certamen ſubit gladio. Horum vulneratorum curam olim Galeno fuiſſe demandatam ob peritiam Anatomicam ſcripſit *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 2. Cibus illorum frequens fuerunt fabæ, *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 19. De hoc vocabulo vide & Rhod. Scrib. *n.* 101.

GLADIUS, μάχαιρα, ξίφος, σπάθη, quid ſignificet, notum eſt. Optimus qualis eſſe debeat, docet Galen. *l.* 1. *de V. P. c.* 11. *Gladiolus*, μαχαίριον, refertur inter inſtrumenta Chirurgica, quo in excidendo utuntur Medici. Dicitur & *Cultellus.* Legitur apud Hippocr. *lib.* 1. *de morb. mul. XCVI. t.* 22. *l. de Medico V.* 2. Alibi uſurpat vocabul. μαχαιρὶς, *l.* 2. *de Morb. XLV.* 21. *Gladiolus* cum addito ὀξυβελὴς, quod Galenus interpretatur φλεβότομον, venæ ſectorium; alibi autem cum epitheto ϛηθοειδὴς uſurpatur de ſcalpello utrinque acuto ad perforandum pectus vel locum intercoſtalem, in abſceſſu pulmonum vel empyemate, uti deſcripſit Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. II. fig.* 1. dicens ab Hippocr. etiam *Spatham* vocari, de quo tamen dubitamus, cum nec Foëſius notaverit *in Oecon.* neque nos locum invenire potuerimus. De *Gladio Delphico* vide C. Hofm. *com. ad Galen. V. P. n.* 248. *Gladius*, ξιφίας, eſt nomen piſcis marini, de quo videatur Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 21. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 81.

GLAGOS, γλάγος, idem, quod γάλα, *Lac.* Hinc γλαγόεις, *lacteus.* Lind. *Ex. XI.* §. 43.

GLAMA, *Gleme*, γλάμα, γλήμη, *ſordes oculorum*, lippitudo, pro λήμη. Unde γλαμυροὶ ὀφθαλμοὶ, *glamioſi* aut *gramioſi* oculi dicuntur, ſordidi ac humidi, pituita laborantes, Hippocr. *l.* 2. *de Morb. mul. IX.* 6. *XII.* 5. Vide Foëſ. *Oec. p.* 136. Keuchen. *Not. ad Serén. p.* 241.

GLANDIUM, vide *Thymus.*

GLANDOSUM *corpus* Veſalio dicuntur *Proſtata*, *l.* 5. *de H. C. F. c.* 13. *p.* 645. *ſeqq.* Fallopius vero vocavit *glandoſum adſiſtens* in *Inſtit. Anat.* Vide *Proſtatæ.*

GLANDULA, ἀδὴν, corpus quoddam carniforme eſt, laxum & fungoſum, quod utique velut cunei quidam vaſorum diviſionibus incubantes, fulcimentum ipſis ſuggerunt, ut à nullo violento caſu afficiantur, Galen. *l.* 4. *de V. P. c.* 20. Sunt autem proprie ſic dictæ *Glandulæ*, quas Græci ἀδένες vocant, imbecilliores corporis partes, ad quas valentiores corporis partes ſupervacua ſibi tum quantitate, tum qualitate, & præſertim ad eas, quæ rariores natura ſunt, tranſmittunt, quippe valentius eſt arteriarum, venarum, nervorum, muſculorum robur, imbecillius autem, aut prorſus nullum corporum, quæ *Glandularum* ſunt naturæ, *l.* 13. *Meth. Med. c.* 5. *in princ.* Hæc Caſtellus de *Glandulis* in genere. Videatur & Hippocr. *lib. de Glandulis*, & Galen. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 6. Verum earum deſcriptio, differentia & uſus hodieque accuratior habetur ap. Th. Warthon. *integro Adenographiæ libello.* Nic. Stenon. *de Muſculis & Glandulis.* Quibus jungatur Illuſtris & Excellentiſſimi Dn. Frid. Ferdin. Illmeri à Wartenberg. Phil. & Med. D. S. Cæſ. Majeſt. Archiatri, & in incluto Viennenſi Athenæo Profeſſ. Publ. *Adenographiæ Exercitatio*, ſuccincte eſſentiam & naturam *Glandularum* in genere & ſpecie comprehendens. Ex his libet hanc adjicere deſcriptionem: *Glandula* eſt parenchyma ſpermaticum, molle, friabile, & ſpongioſum, una communi membrana univerſim & frequenter pluribus privatis fruſtulatim coagmentatis incluſum, ex materia ſpermatica fabricatum, vaſis omnis generis ſtipatum, partim depurationi, partim ſecretioni, partim etiam elaborationi inſerviens. E recentioribus D. Bernhardus Conor Medicus Regius Anglus *in Epiſtol. de Secretione animali p.* 7. rejiciens illorum deſcriptionem, qui crediderunt, Glandulas nihil aliud eſſe, quam venas, arterias, nervos & alia vaſcula in nodum complicata aliam ſubſtituit, quod *Glandula* ſit membranula cava foraminulis pertuſa, arteria, vena, nervo & excretorio vaſculo ſtipata. Dividuntur trifariam *Glandulæ*: 1. in *Conglobatas* & *Conglomeratas*: 2. in perpetuas & adventitias: 3. in exteriores & interiores. De uſu *glandularum* alimentario vide Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 6. *Glandularum* potiorum deſcriptiones reperies quoque ſub propriis nominibus, ſub literis eorum initialibus. *Glanduloſa corpora*, τὰ ἀδενώδη σώματα, olim diſtinxerunt à *Glandulis*, teſte Galen. *l.* 14. *Meth. Med. cap.* 11. laxitate & raritate majori. Verum hodieque illa diſtinctio non amplius obſervatur, teſte laudatiſſ. D. Illmero *d. l. th.* 3. *Glandula* quoque Arabib. dicitur apoſtema ſcirrhoſum, ſicut Nux avellana, aut etiam paulo minus, multoties ſuper volam manus, interdum ſuper frontem, in principio dum comprimitur, diſſolvitur, aliquando vero redit in priſtinam formam. Avicen. *l.* 4. *fen.* 3. *tr.* 2. *c.* 6. & 7. Videtur autem *Ganglion* intelligere. Ita & *Glandula Guidonis* eſt Tumor glandi ſimilis, mollis, ſolus mobilis, ſine radicibus à circumjectis partibus ſeparatus, maxime in emunctoriis & juncturis proveniens. Blancard. *in Lex.*

GLANDULOSOCARNEUS, Græce dici poſſet, ἀδενοσαρκώδης, vel ἀδενόσαρκος, quamvis fortaſſis in nullo Græco autore vetere reperiatur, eſt epitheton excreſcentiarum quarundam, quas in veſica obſervavit D. Ruyſchius *in Cent. I. Obſerv. LXXIIX. p. m.* 99.

GLANIS, γλάνις, nomen eſt piſcis marini & fluviatilis, cujus deſcriptionem & uſum in cibis vide apud Aldrovand. *l.* 5. *de piſc. c.* 5. Habetur à nonnullis ſimilis *Siluro.* Idem.

GLANS, βάλανος, æquivocum eſt vocabulum. 1. notat fructum arboris, *Quercus* dictæ. 2. cum additione *Myrepſica* ſive *Unguentaria* eſt fructus arboris exoticæ Myricæ, de quo Galen. *l. 6. de Simpl. Fac.* quæ duæ ſignificationes ad Botanicos pertinent, Lang. *l.* 1. *ep. 66.* 3. *Glans* dicitur extrema totius colis, ſive membri virilis pars, cujus cutis, quæ eam veſtit, *Præputium*, πόσθη, dicitur, Galen. *l.* 5. *Meth. M. c.* 15. Rolfink. *de part. genit. Part.* 1. *c.* 51. Barthol. *l.* 4. *Anat c.* 24. Porro 4. *Glans* idem eſt, quod *Suppoſitorium*, ceu medicamentum topicum anodicatum, oblongum duos, tres, quatuorve digitos tranſverſos, figura tereti & rotunda, candelæ inſtar, olim glandis forma ad alvum ſolicitandam maxime, & ad alios ani affectus comparatum, P. Morell. *l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 13. *de form. remed.* Weker. *Antidot. Gener. lib.* 1. *c.* 49. *Spec. ſ.* 44. Schroder. *l.* 2. *c.* 83. In hac ſignificatione *Glans*, βάλανος, occurrit apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 83. *& l.* 3. *de Morb. XV.* 20. Gal. *l. 6. de C. M. S. L. c.* 3. Aliquando & pro Peſſo ſumitur, Hippocr. *l.* 1. *de Morb. mul. CXIIX.* 2. 5. 14. *CXIX.* 13. *CXX.* 9. *Peſſaria* minora βαλανίδες, ſive *glandes* parvæ eidem dicuntur, *lib.* 2. *de morb. mul. XLV.* 6. Tandem 5. accipi pro ſtrumis & ſcrophulis, quas Græci *Naphthas* vocant, patet ex Lang. *lib.* 3. *ep.* 4. *in fin.*

GLAREALIS, idem, quod *ſabuloſus*, Gr. ψαμμώδης, à *glarea*, ſive arena. *Aquæ glarealis*, in vulnere meminit Helmont. *de Lithiaſ. c. 6. n.* 20.

GLASSA, eſt genus *vernicis* ſiccioris. Rul. & Iohnſ.

GLAUCOS, γλαυκὸς, *glaucus*, eſt nomen coloris miſti ex viridi & albo. Dicitur *Cæſius*. Differt omnino à fuſco, uti recte demonſtrat Libav. *Defenſ. Syntagm. contra Scheunemann. not.* 48. *Tom.* 3. *p.* 95. 96. γλαυκὸς quoque Hippocrati vocatur, qui cæſiis eſt oculis, *l.* 2. *Epid. ſ. 6. n.* 7. Uſurpatur & de urina, οὖρον γλαυκὸν, quæ eſt cornu pellucido ſimilis, media inter lacteam & charopam, apud Actuar. *l.* 1. *c.* 8. teſte Gorræo *in definit.* *Glaucus* quoque veteribus fuit nomen piſcis majoris pelagii, ſive marini, cujus deſcriptionem uſumque in cibis & Medicina tradidit Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 16.

GLAUCOSIS, *Glaucoma*, γλαύκωσις, γλαύκωμα, accipitur late & ſtricte. Late, pro omni coloris naturalis in oculo mutatione in præternaturalem & glaucum. Stricte, pro humoris cryſtallini colore in *glaucum* mutato, proveniens ab illius humoris nimia ſiccitate & concretione. Differt à *ſuffuſione*, ἀπὸ τοῦ ὑποχύματος, quod in hoc affectu peccet extranei humoris, & aliunde affluentis concretio: in illo ipſius humoris cryſtallini condenſatio & reſiccatio. Vid. Dieter. *n.* 163. Foëſ. *Oecon. d. l.* C. Hofm. *Comm. in Galen. de V. P. n.* 731. Aliquando tamen color ille eſt abſque manifeſta læſione viſus, & tales homines dicuntur γλαυκώπεις, unde & Minerva γλαυκῶπις dicta, cæſios oculos habens.

GLAURA, *Glaure*, eſt nomen Paracelſicum mineralis, cum epitheto *Augurelli*, quod & *Electrum minerale immaturum*, item *Nympha* vocatur, *Th. Chym. Vol. VI. p.* 649. Meminit & Helmont. *tr. Pharm. ac Diſp. modern. n.* 50. & Frid. Hofm. *in Clav. Schroder. l.* 3. *cap.* 15. *in fine.* Legitur & hoc vocabulum apud Ludov. *Pharm. Diſſert. I. p.* 121.

GLAUX, γλαῦξ. Vide *Noctua.*

GLEBA, βῶλος. Vide *Bolus.*

GLECHONITES, γληχωνίτης, ſcil. οἶνος, nomen vini medicati ex *Pulegio*, quod Græc. γλήχων dicitur, parati. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 62.

GLENE, γλήνη, proprie & primario *oculi* cavitatem & *pupillam* ſignificat. Per tranſlationem quoque ita dicitur oſſium cavitas, & ſinus leviter depreſſus, ac obſcurus, ac leviter ſinuoſa cavitas, & obſcure deſidens, in quam os inſeritur, quemadmodum contra profundior cavitas, & altius deſcendens κοτύλη, h. e. *Acetabulum*, vocatur, Galen. *l. de oſſib proœm. & c.* 2. *de fract. t.* 52. Hippocr. vero γλήνην vocat χώραν γληνοειδῆ, i. e. *ſinum pupillæ oculi adinſtar leviter depreſſum*, 4. *de artic. t.* 64. Jung. Foëſ. *p.* 136. Hinc primæ cervicis vertebræ ſinus in inferiori regione leviter tantum cavi γληνοειδεῖς appellati ſunt. Valleſ. *l.* 1. *de H. C. F. c.* 15.

GLENOIDES, γληνοειδής. Vide *Glene.*

GLEUCINON, γλεύκινον, epitheton Unguenti cujuſdam, Lat. *Muſteum*, à γλεῦκος, *muſtum*. Meminit illius Galen. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 14. ubi varias compoſitiones tradit. Simpliciorem compoſitionem proponit Dioſc. *l.* 1. *c.* 67. Inter acopa refertur & relaxantia à Gal. Emollit, calefacit, horroribus & nervorum, vulvæque vitiis auxiliatur. Dioſc. Gorr.

GLEUCOS, γλεῦκος, *Muſtum* ſignificat. Eſtque ſuccus uvarum recens expreſſus, crudus, flatuoſus, unum hoc in ſe boni continens, quod alvum laxet; quod niſi contingat, tanto magis noxium corpori evadit, Hippocr. *l.* 2. *de diæt. XXIII.* 1. *Muſtum* duplex habetur: *Lixivium*, Gr. πρόχυμα, item οἶνος πρότροπος, πρόδρομος, h. e. ſponte defluens, antequam calcentur uvæ; alterum *vulgare*, quod vi expreſſum eſt, quam vim vel pes, vel prelum præſtet, Græce τραπητὸς οἶνος, Linden. *Ex. X.* §. 174. *ſeqq.* ubi plura de *muſto* reperies. Idem Autor etiam erudite demonſtrat τὸ γλεῦκος aliquando ſignificare vinum dulce, generoſum, valde inebrians, & caput aggravans, quod de *muſto* alias dici nequit. Unde & γλευκίσας olim dictus fuit, qui tali vino dulci nimium utebatur, §. 252.

GLEUXIS, γλεῦξις, vel γλύξις, dicitur vinum, quod multum *hepſematis*, i. e. ſapæ, aut defruti admixtum ſibi habet. Linden. *d. l.* §. 62.

GLIS, ἔλειος, γίλειος, μυοξὸς, vel μυοξίας, dicitur muris ſpecies, eſtque animal quadrupes ſomnolentum, ita, ut dormiendo pingueſcat. Cujus deſcriptionem, uſumque in cibis & Medicina prolixe tradidit Ul. Aldr. *l.* 2. *de quadr. dig. vivipar. c.* 29. De ſymptomatibus ex eſu pulveris *glirium* edulcorato obortis videantur

Ephem.

Ephem. N. Cur. An. III. Obſ. 40. *Glis montanus* idem eſt, quod *Mus Alpinus*, ſive *Marmota*, aut *Murmentum*.

GLISCHRASMA, γλίσχρασμα, idem, quod γλισχρότης, *lentor*, viſcoſitas. Hippocr. 1. *de R. V. I. A. t.* 18.

GLISCHROCHOLOS, γλισχρόχολος, dicitur de excrementis glutinoſis, & ſimul bilioſis. Hippocr. *l.* 4. *Epid. XXIIX.* 4 quamvis γλισχρόχροα alii legerint, verum inepte, ſiquidem glutinoſitas non de colore dici poterit. Vide Erot. *p.* 33.

GLISCHRODES, γλισχρώδης, idem, quod γλισχρὸς.

GLISCHROS, γλισχρὸς, *lentum*, viſcoſum, glutinoſum ſignificat. Per metaphoram uſurpavit Hipp. de febribus *l.* 4. *Epid. XXII.* 15. Hinc verbum γλισχραίνειν, *viſcoſum reddere* ſignificat, & προσγλισχραίνειν *magis viſcoſum* reddere, quod legitur apud eundem 3. *de R. V. I. A t.* 26. Ita & καταγλισχραίνειν, *d. l. t* 10. Diet. *n.*671.

GLISCO, αὔξω, ἐπιτείνομαι, idem eſt, quod *augeſco*, paulatim vires ſumendo & intendendo. Proprie de incremento ignis dici videtur. Per tranſlationem vero eleganter etiam de flamma vitali, de calore febrili, aliiſque vomitibus morboſis accipi poteſt & aſſolet. Febris dicitur *gliſcere*, quæ de paroxyſmo in paroxyſmum ingraveſcit. Linden. *Ex. XV.* §. *94. 95*.

GLISOMARGO, eſt *Creta candida*. Rul. & Iohnſ. *in Lex*.

GLOBUS, *Globulus*, σφαῖρα, σφαίριον, quid ſignificet, notum eſt, & partim hujus non eſt loci. Reliqua vide infra voc. *Pila*, *Pilula*, & ſupra voc. *Catapoſis*. Referuntur & *Globi* ad inſtrumenta Chirurgica; Ita *Globi* & *Globuli* uterini adverſus procidentiam deſcribuntur apud Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXII. fig.* 8. In Anatomicis *Globulus Naſi* vel *Orbiculus* dicitur pars naſi inferior catilaginea & mobilis. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 11. *p.* 527. *Globulos* etiam vocavit prominentias illas rotundas & veſiculares, quæ inter alias cuſpidatas ungues & ungulæ dictas, aliquando etiam bicipites conſpiciuntur in peculiari linguæ involucro, & delineatas exhibet Gothofr. Bidloo *Tab. Anat XIII. fig.* 2. 3. 4. Alias *Globoſæ particulæ* hodieque etiam referuntur inter principia materialia corporum naturalium præſertim liquidorum, de quibus videantur *Obſervationes Microſcopicæ* Ant. Lewenhoek, quarum mentio fit *in Act. Erud Lipſ.* 1682. Ita Caſp. Bartholinus Th. filius gloriatur ſe vidiſſe beneficio microſcopii globulos in ſanguine exiſtentes, de quo legatur *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 3.

GLOEOS, γλοιὸς, *ſtrigmentum*; ita dicuntur ſordes, quæ in balneis, aut palæſtra ab hominum cute deradebantur, multi quondam in Medicina uſus. Calefaciunt enim modice, emolliunt, & diſcutiunt, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 34. *ſeqq.* ubi ῥύποι dicuntur, Ægin. *lib.* 7. *c.* 3. *t. Glœos*. Inde deſcendit γλοιώδης, *ſtrigmentoſus*, h. e. ſtrigmenti modo craſſus & viſcidus. Dicitur de excrementis apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. II.* 27. quamvis in Edit. noviſſ. Linden. legatur ἰλυώδεις, *viſcoſæ*. Alia exemplaria habent γλυώδεις. Foëſ. *Oecon. p.* 137. Et verbum γλοιάζειν, quod ſignificat conniventes oculos verſare exponente Galen. *in Exeg. dict. Hippocr.*

GLOMER, id eſt, *rotundum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex*. Inde *Glomeratus*, & verbum *Glomerari*, quod de nubibus uſurpat Q. Seren. *c.* 3. Vid. not. Keuchen. *pag.* 99. Subſtantivum quoque habetur *Glomus*, Gr. στρόμβος. Scrib. *n.* 142. Adde Rhod. *in not.*

GLOMUS, στρόμφος, quid ſignificet, p. a. dictum. In foro Medico *Glomus piloſus* deſcriptus & depictus legitur in D. Ruyſchii *Obſervat. Anatom. Chirurg. Obſ. XVIII.*

GLORIA, δόξα. Vide *Doxa*. *Gloria* Medicorum Deus ſit, & huic cedant, Lind. *Ex. III.* §. *16*. Horridum eſt, *Gloriam* Deo debitam ratione aliqua frivola ſibi ex parte attribuiſſe, vere ſcripſit Helmont. *tr. Confeſſio Autoris n.* 14. Qui vero magis *gloriæ* ſtudioſus eſt, quam veritatis, ſuccumbit, ut amator puellarum, Gal. 2. *de iis, q. in med. t.* 1. Sophiſtis ſolius *gloriæ*, nullam veritatis eſſe curam, dixit Idem *l.* 10. *de V. P. c.* 9. Ignis *gloria* vocatur id, in quo velut gloriatur & exultat ignis, quod eſt omnis materia facilis ad exardeſcendum, & in qua, ut citiſſime concipitur, ita & ardet ſingulari cum vigore tumoreque, h. e. vivida & fugax flamma e virgultis ad repentinos uſus excitata, aliiſque id genus cremiis, ἐυφλεκτα vocant Gr. Gloriam vero καύχημα. Linden. *Ex. IX.* §. *6*.

GLOSSA, *Glotta*, γλῶσσα, γλῶττα. *Lingua* dicitur pars illa carnoſa, laxa & fungoſa, præcipuum ſermonis & guſtus inſtrumentum; cujus Anatomicam deſcriptionem vide apud Barthol. *l.*3. *Anat. c.*13. & alios Anatomicos, præſertim Malpighium & Fracaſſatum *hoc tit.* Gothofr. Bidloo *Tab. Anat XIII.* linguæ ſpecificum involucrum egregie delineatum exhibet. Haud raro etiam accipitur tropice de voce & ſermone, v. gr. γλῶσσα ἀσαφὴς, *lingua* obſcura. Hippocr. *lib.* 7. *Epid. XII.* 13. *XIII.* 19. ἀκρατὴς, incontinens, 7. *aphoriſm.* 40. *&c.* Vid. Foëſ. *Oec. pag.* 138. Dieter. *n.* 164. Γλῶττα ἄκρη *lingua* ſumma vocatur ſummum *linguæ* cacumen, *Coac. t.* 230. Vide *Lingua*.

GLOSSOCATOCHOS, γλωσσοκάτοχος, dicitur inſtrumentum illud Chirurgicum, quo lingua deprimitur, P. Ægin. *l. 6. c.* 30.

GLOSSOCOMON, *Gloſſocomion*, γλωσσόκομον, γλωσσοκόμιον, vel κομεῖον, nomen eſt Atticum, ut ſcribit Galenus, & proprie ſignificat arculam, in qua homines recondunt res pretioſas, & quam multi iter facientes portant. Eſt autem oblonga & anguſta. Nam ejus ſimilitudine Medici Hippocrate poſteriores (nam Hippocratem id genus inſtrumenti non noviſſe, Galenus autor eſt) machinam quandam chirurgicam fracto femori, vel cruri, ubi callus circumdatur, accommodatam γλωσσοκόμον appellarunt. Eſt autem machina cava, oblonga, & ad femoris proportionem arcta, ſuperna parte trochleas utrinque ſingulas habens ad latera

ſitas,

ſitas, & inferna parte tranſverſum axem, ad quem alligati laquei contrarium nixum toti membro gemina tenſione efficiunt, uti depictam exhibet Gorr. *in defin.* quamvis hodieque non amplius ſit in uſu, ſed minori apparatu arcula, aut theca cruribus reponendis idonea adhibeatur, quæ etiam hoc nomine jure venire poteſt. Meminit hujus Inſtrumenti Galen. *l.* 7. *de V. P. c.* 14. *&* 2. *de fract. t.* 64. Jung. C. Hofm. *comm. ad LL. de V. P. n.* 479. Foëſ. *pag.* 137. De hoc inſtrumento vide & Fabr. Hildan. *cent.* 5. *Obſerv.* 86. quamvis nomen hoc non uſurparit, nec non Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XXIV. fig.* 4. *& T. XLIX. fig.* 4.

GLOSSOMANES, γλωσσομανὴς, dicitur is, qui materno linguæ amore veſano captus mavult non intelligo in converſatione civili, quam peregrinis in ſermone vocibus uti, quantumvis receptis, Lind. *Ex. X.* §. 208.

GLOSSOPETRÆ dicuntur linguæ ſerpentum in inſula Melitea ſive Maltha repertæ, quarum quemadmodum & oculorum luteorum ſingularem vim alexipharmacam intus & foris applicatam nonnulli indubitatæ veritatis exiſtimant. Vide Frid. Hofm. *in Clav. ad Schrod. l.* 3. *c.* 2. *p.* 130. *ſeq.* Plura de *Gloſſopetris* vide apud Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 417. 418. Annumerat quoque Idem lapidibus fulmineis *d. l. p.* 310. *ſeq.* Sunt vero corpora triangularia, quorum alia foſſilia, alia marina ſtatuuntur. D. Etmüllerus de his crediſſe videtur, quod ſint dentes ex piſce Carcharia mortuo excidentes, in mari mediterraneo ad inſulam Malthæ appellentes ſpeluncis inſinuando, induratione lapidis ſpeciem acquirentes, *in annotat. ad D. D. Ludovic. Diſſ. I. Pharmaceutic.*

GLOTTIS, γλωττὶς, Anatomicis proprie dicitur illa rimula modulandæ voci accommoda, quam efformant cartilagines duæ arytænoides cum muſculis ad anguſtationem & dilatationem illius rimulæ deſtinatis. Videantur Anatomici, præſertim Bauhin. *lib.* 3. *c.* 94. *ſeq.* C. Hofm. *in Gal. de V. P. n.* 473. Aquapend. *de Larynge vocis Organ. c.* 2.

GLUTA, dicitur vis tenacis picis & efficaciæ, Rul. & Iohnſ.

GLUTÆUS, γλουτιαῖος, epitheton muſculorum nates conſtituentium, & femur extendentium, quorum deſcriptionem vide in Anatomicis, præſertim Barthol. *Anat. l.* 4. *c.* 11. *p.* 579.

GLUTEN, κόλλα, *Glutinum*, in genere omne id ſignificat, quo duo corpora ſicca firmiter uniuntur. Variat vero pro corporum uniendorum diverſitate. Vulgare gluten dicitur ξυλοκόλλα, ταυροκόλλα, item κόλλα τεκτονικὴ, *gluten fabrile*, Galen. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 7. Præſtantiſſimum fit ex auribus taurorum & genitalibus. Fit & ex quibuſvis pellibus inveteratis & decoctis, Rhodiacum cæteris præſtantius. De hujus virtute Medica legatur Dioſcor. *l.* 3. *c.* 101. Scrib. *n.* 254. Rhod. *in not.* Qui autor etiam plura de *Glutino* tradit *in Diſſert. de Acia*, quæ loca in indice quærantur, cum nec liceat nec libeat omnia huc afferre, ſiquidem quæ ad nominis ſignificationem pro inſtituti ratione jam adducta ſunt, ſufficere quoque poſſunt. Metallis alia ſunt *glutina*: v. g. auro eſt ſanterna, aut borax, ferro argilla, maſſis æris cadmia, laminis alumen, æramentis ſtannum, ſtanno argentum, marmori & plumbo reſina, vitro maſtiche &c. Gorr. *Gluten librarium* ex ſimila & polline (aliis garo) paratum, vim habet emplaſticam & concoquendi, Galen. *l.* 7. *de S. Fac. t. Colla.* De *glutine Chondrillæ* Lemniæ vide Libav. *Syntagm. A. Ch. l.* 8. *c.* 6. *Gluten* quoque eſt *fel tauri.* Item *Gluten* vel *Synovia* eſt pars corporis nobiliſſima, ſubtilis, pura, alba, perſpicua, ſal reſolutum dulce & humor naturalis, ſeu liquor in omnibus juncturis membrorum inſtar albuminis ovorum, in qua perſpicua materia ſi generetur Tartarus ob ſal reſolutum, quod habet in ſe quandoque coagulatum, oritur inde podagra, cujus etiam locum & verum domicilium eſſe aſſerit Rul. Iohnſ. *in Lex.* De hoc legi etiam poteſt Paracelſ. paſſim in ſcriptis, præſertim *l.* 1. *de Tartaro tract.* 4. *cap.* 2. Spiritus quoque vocatur *Gluten* animæ & corporis ab Hartmann. *Diſp. Chymico-Medica IV. Gluten de aquatico* vocatur prima ranarum materia ſive cryſtallina ranarum mucilago, vulgo Sperma ranarum dicta, Helmont. *tr. Formarum ortus n.* 57. Fr. Hofmann. *in Clav. l.* 1. *c.* 2. *p.* 3. *Gluten Spagyricum Aquilæ* eſt vera Aqua Mercurialis, Libav. *Apoc. Hermet. part. poſt. Tom. II. Oper. p.* 351.

GLUTIA, γλουτία, i. e. parvæ *nates Cerebri*, dicuntur duæ eminentiæ Cerebri oblongo rotundæ, quarum concurſum hominum conjunctis inter ſe femoribus & natibus rectiſſime comparaveris, quibus & aliæ duæ minores conjunguntur, *Didymia* ſive *Teſtes* cerebri dictæ. Quarum omnium veram deſcriptionem & uſum reperire licet in Anatomicis, præſertim Barthelin. *l.* 3. *Anat. c.* 6. & Th. Willis *Anat. Cerebr. c.* 14.

GLUTINATIO, κόλλησις. Vide *Conglutinatio.*

GLUTINATORIUS, κολλητικὸς. Vide *Colleticus.*

GLUTINOSUS, κολλώδης, vide *Colla.*

GLUTOS, γλουτὸς, *Nates*, i. e. muſculoſa illa caro in ſumma femoris parte prominens, quæ ſedentibus pulvini vicem præbet. Hipp. 2. *de fract. t.* 44. γλουτὸς quoque dicitur proceſſus alter cervicis oſſis femoris gibboſus & exterior, quem & τροχαντῆρα μέγαν appellant, dictus vel à ſimilitudine, quam habet cum natibus, vel quod muſculi, quibus *nates* conſtant, ei præcipue inſerantur. Galen. *l. de Oſſib. c.* 21. Gorr. & Caſtellus. Muſculi *nates* conſtituentes vocantur *Glutæi.* Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 579. Vide *Nates.*

GLUTTUPATENS, epitheton ventriculi, vel ſtomachi apud Q. Serenum, quod Keuchen. ita declaravit: id eſt, in quam crebris *glutis* ſaliva, ſive decocta deglutiuntur & abſorbentur. *Gluttire* proprie eſt ſalivam ſorbere, quod fit per intervalla in gargarizantibus, *in not. p.* 149.

GLYCASMA, γλύκασμα, γλυκασμὸς; ſignificare conjectatur Linden. vinum dulce ex muſto paratum. *Exerc. X.* §. 15.

GLYCEA, potio dulcis. Janus Cornarius *cap.* 22.

GLYCYCHYMOS, γλυκύχυμος, dicitur de iis, quæ dulcem habent ſuccum, Galen. *l.* 2. *de Sim. Fac.*

GLYCYPICROS, γλυκύπικρος, *dulcamarus*, præter ſignificationem Botanicam, qua ſpeciem Solani notat, ſignificat ſaporis genus ex melle & abſinthio mixtis oriundum, de quo Gal. *l.* 3. *de S. Fac. c.* 16. ubi etiam occurrit, quod Poëtæ amorem γλυκύπικρον vocarint ob effectum, quem producit, diverſum.

GLYCYS, *Glycytes*, γλυκὺς, γλυκύτης. Vide *Dulcis*, *Dulcedo*, *Paſſum*. γλυκέα quoque vocari fella κατ' ἀντίφρασιν h. e. dulcia, cum ſint amariſſima, ſcripſit Cœl. Aurel. *Tard. paſſ. l.* 3. *c.* 1. *p. m.* 394.

GLYPHO, γλύφω, *ſcalpere*, ſculpere ſignificat. Dicitur de phreniticis pilos evellentibus, vel *ſcalpentibus*. Hippocr. *l.* 3. *Epid. ægr.* 15. *poſt. ſtat. peſtil.*

GLYXIS, γλύξις. Vide *Gleuxis*.

GNATHOS, γνάθος, ambigue accipitur. Interdum idem eſt, ac *Gena*, γένυς, & patet ex *l.* 5. *Epid. XXVI.* 10. notante Galen. *l.* 2. *de art. t.* 19. Interdum ſtrictius ſignificat Maxillam & *Buccam*, ſeu eam partem, quæ ſub mala eſt, vel gena, totumque illud ſpatium, quod ab aure ad aurem porrigitur. Hippocr. 4. *aph.* 31. & 6. *aph.* 19. Dieter. *n.* 165. Interdum ſumitur pro ea tantum maxillæ parte, qua lateſcit & articulatur. Hippocr. 2. *de artic. t.* 19. Interdum pro integris oſſibus maxillæ, quibus dentes infiguntur, *l.* 5. *Epid. VII.* 7. *XII.* 1. 3. *XXXV.* 14. Adde Foëſ. *p.* 138. *ſeq.* Vide *Maxilla*.

GNESIOS, γνήσιος, idem, quod *Legitimus*, genuinus. Dicitur frequenter de morbis, qui præſtitutam ſibi formam & ideam non excedunt. Hippocr. etiam de ſudoribus uſus eſt 4. *de R. V. I. A. t.* 10.

GNIDIUS, κνίδιος, ab inſula *Gnido*, κνίδω, ſub Zona temperata, ſita in mari Ægeo, Gal. 4. *aph.* 14. Epitheton ſententiarum Medicarum ibidem conſcriptarum de victu acutorum, quarum meminit Hipp. ſtatim in princ. *de R. V. I. Ad.* Jung. Gal. *in comm. ad priores textus illos.* Eſt & Epitheton grani alicujus purgantis, quod *Coccum gnidium* vocatur, Gal. *l.* 7. *de S. F.* eſtque fructus *Laureolæ*, de quo vide Botanicos, & Schrod. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 429. cum Rolfink. *tr. de purg. ſect.* 9. *art.* 2. qui ſaltem ſub *Mezerei* nomine expoſuit.

GNIEST eſt ſaxi ſpecies. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

GNOME, γνώμη, eſt æquivocum. Interdum apud Hippocratem notat *mentem*, & eſt idem, quod διάνοια, νοῦς, *animus*, v. g. 2. *aphoriſm.* 6. 5. *aphoriſm.* 16. & 1. *de iis*, *q. in med. t.* 3. *libr.* 6. *Epid. ſect.* 8. *n.* 5. 41. 74. & paſſim alibi. Vid. Dieter. *n.* 166. Lind. *Ex. XV.* §. 40. Deinde etiam ſignificat *ſententiam* aliquam determinatam & ab opinione diſtinctam. Vide Galen. *in comm. ad d. l. de iis*, *q in medic.*

GNOMI dicuntur homunciones, vel ſpiritus corporei ſub terra viventes, alias *Pygmæi*, cubitali vix altitudine. Ruland. & Iohnſ. Meminit & Paracelſus, v. g. *Tract.* 2. *de peſtilit. cap.* 1. *in fragment. ad T. IV.* & *alibi.*

GNOMOLOGIA, γνωμολογία, dicitur ſententiarum elocutio, cum quis ſententias loquitur & oracula, aut *ſententioſus ſermo*, qualis à Medico elegante requiritur. Hippocr. *l. de dec. ornat. V.* 13. Jung. Lind. *Ex. II.* §. 28.

GNORIMOS, γνώριμος, communiter ſignificat cognitum, *notum*. Hippocr. vero ſpecialiter uſurpavit de infantibus, qui communi & uſitato tempore partus excluduntur, h. e. nonimeſtribus, *l. de Septimeſt. part. V.* 15.

GNYX, γνὺξ, i. e. *genu flexo*, aut in genua, ἐπὶ τὸ γόνυ. Cui etiam reſpondet ὀκλὰξ, *geniculatim*. Galen. *l.* 3. *de V. P. c.* 15. Adde C. Hofm. *in comm. ad h. l. n.* 166.

GOBEIRA, *Meſpila*, *Agabor*, i. e. *Pulvis*. Rul. & Iohnſ. *Lex.*

GOBIO, *Gobius*, κώβιος, item, χλωρὸς. Rondel. *l.* 6. *de piſcib. c.* 16. eſt nomen piſcis, cujus multæ ſunt differentiæ, quocirca nihil mirum, ſi diverſi autores diverſa de his ſcripſerint, & rerum ipſarum diſtinctio difficilior inde facta fuerit. Videatur Rondelet. *d. l.* & *cap. ſeqq.* & Aldrovand. *l.* 1. *de piſc. c.* 20. Apud Galenum aliquoties *Gobionum* mentio fit. Semper vero inter cibos meliores & boni ſucci referuntur, *lib.* 3. *de bon. & mal. ſucc. cibis cap.* 9. Schrod. *Muſtelam* quoque *fluviatilem* appellat *Gobium fluviatilem*, Gr. σπῖρον, *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 48. An *Gobii ſaxatilis* ſpecies mutetur brevi tempore in vitro Hermetice clauſo aſſervatus in apum regem, fides ſit penes Autorem Paracelſ. *de Peſtilit. Tract.* 1.

GOETIA, γοητεία, eſt ſpecies magiæ diabolicæ, id eſt, invocatio dæmonum maleficorum juxta ſepulchra facta, quæ ob id aſpergine luſtralis aquæ & tædarum igne expiabantur, ne vel dæmones ea obſiderent, vel obeſſent, quem ritum ad Pontificios emanaſſe quiſpiam ſuſpicari poſſet. Lang. *l.* 1. *ep.* 33. Eſt ſoror *Necromantiæ*, *ibid.* & *l.* 2. *ep.* 46. Differre volunt à *Magia* in hoc, quod hæc ſit imploratio dæmonum bonorum ad boni alicujus aſſecutionem, Suidas & Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 23.

GOMORRINUS, epitheton ſeminis & conjunctionis impuræ generativæ apud Paracelſum, quando fœtus producitur partim brutalis, partim humano ſimilis. Cum vero ipſe Autor fateatur eſſe turpiſſimum de hac re ſcribere *tract. de Vermibus*, igitur & nos tacere præſtat.

GOMPHIASIS, γομφίασις, γομφιασμὸς, vocabulum Dioſcoridi, uti videtur, proprium, *l.* 2. *c.* 63. denotans morbum dentium, & quidem molarium; in ſpecie vero eorundem mobilitatem. Hinc non abſque ratione C. Hofm. manu ſua addidit loco illi Dioſcoridis potius ἀγομφίασιν dici debere, aut ἀγόμφωσιν, quia γόμφωσις dentibus fere molaribus propria conjunctio, vel inſertio eſt. Vid. & Annot. Joh. Anton. Serraceni *ad d. Dioſcor. loc. Vacillatio* vero dentium illorum, ſive mobilitas

mobilitas oritur à ſuperfluo ſeroſi humoris corrupti per ductus ſalivales affluxu & collectione, gingivarumque relaxatione & corruptione, quale quid ſcorbuticis familiare eſſe, patet ex Willis *de ſcorbut. c. 3. §. 9.*

GOMPHIOS, γόμφιος, & in plurali γόμφιοι dicuntur *dentes molares*, ſive *clavales*, quod clavorum modo genis infigantur. Unde & γόμφωσις dentium fere propria. Sunt vero dentes aſperi, ampli, lati, molendis atterendiſque cibis deſtinati, à caninis ad extremam uſque mandibulam pluribus radicibus infixi. Dicuntur alias & μύλαι, vel μύλοι, h. e. *Molares*, quia molis uſu & aſperitate quodammodo ſimiles ſunt. Ultimi ſive extremi eorum vocantur σωφρονιστῆρες, qui omnium noviſſimi oriuntur quaſi *dentes ſapientiæ*, item *Genuini*. Gorr.

GOMPHOS, γόμφος, vide *Clavus*.

GOMPHOSIS, γόμφωσις, ſpecies συναρθρώσεως, ſive *Coarticulationis*, cum adinſtar clavi os oſſi infigitur, vel cum os unum alteri penitus eſt infixum, ita ut ne tantillum quidem (veluti dentes ſuis alveolis) moveantur. Galen. *l. de oſſibus proœm.* Per γόμφωσιν quoque juncta quædam oſſa dici poſſunt in Carpo, Metacarpo, Tarſo, Pedio, & aliis quibuſdam partibus. Synarthroſes enarthroſi & arthrodiæ ſimiles, ſola motuum magnitudine ab ea differentes. Gorr. & Caſtell. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 1. Latine *Clavatio* dicitur D. D. Hofmanno Jun. *ad Microcoſm.* Horne *Diſſert. An. p.* 27.

GONAGRA, γονάγρα, eſt ſpecies arthritidis, quando cauſſa ſolutionis continui dolorifica genua occupat. Vide *Arthritis*. Paracelſo paſſim dicitur *Genugra*.

GONCHOTOS, γογχωτὸς, idem, quod γλωχινωτὸς, *ſulcatus*. Uſurpatur de telis ab Æginet. *l. 6. c.* 88.

GONE, γονὴ, vide *Genitura*. Aliquando etiam pro matre poni, ex Heſychio demonſtravit Linden. *Ex. IIX. §.* 26.

GONGRONA, γογγρώνη, in genere notat omnem tumorem nervoſorum corporum cum duritie rotundiorem, à rotundis in arborum truncis tuberculis fungoſis & eminentiis (quas γόγγρους Græci vocant) nominatum; uti ita ſumitur in Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. 3. t.* 14. Gal. *in comm.* Cauſſa in ſucco nutritio aut nervoſo congelativo conſiſtit. Specialiter vero tumorem in collo, qui βρογχοκήλη, *Bronchocele* dicitur, ſignificat. Vide *Bronchocele*. *Gongrona*, γογγρώνη, dicitur tumor quidam, eſtque Bronchoceles ſpecies ſive Strumæ, rotundior gutturis eminentia, cum duritie, quales in quibuſdam arboribus appendices ſunt, quas *Gongros* vocat Ingraſſ. *ad Avicen. de Tum. p. n. p.* 371.

GONGYLION, vel *Gongylidion*, γογγύλιον, γογγυλίδιον, ſignificat *pilulam parvam*, idem, quod καταπότιον. Erotian. *Onomaſt. p. 33. f.* Galen. *in Exeg.* à γογγυλὶς, quod *rapam* ſignificat, Hippocrat. *l. de intern. affect. XLIII.* 33.

GONGYZO, γογγύζω, ſignificat *murmuro*. Quod ipſum verbum fictum eſt ad imitationem ſoni, quem murmurantes ita proferunt, ut loqui audias; verum quod dicant, non intelligas. Lind. *Ex. X. p.* 37.

GONIMOS, γόνιμος, eſt πολύσπορος in Medicina, proprie & primo ſignificat *fœcundum*, ad generationem idoneum. Ita uſurpatur de ætate ab Hippocr. *lib. 1. de diæt. XIIX.* 14. Deinde idem eſt, quod *vitalis*, βιώσιμος alias dictum, & dicitur de fœtu, vel infante in utero. Hippocr. *d. l. XIX. 9. l. de ſuperfœtat. II. 20. III. 1. IIX.* 3. Vel etiam accipitur pro *genuino* & germano fœtu, non adoptivo, ὁ οὐκ εἰσποιητὸς, Foëſ. *Oec. p.* 140. Denique cum de tempore, die, menſe, vel anno prædicatur, ſignificat *impar*, criticum, quia tempus impar fere criticum exiſtit, & aliquid commodi gignit. Hipp. *l. 2. Epid. ſ. V.* 27. 30. *ſect. VI.* 8. 11. 18. 20. Huic opponitur ἄγονος, dies vel menſis *par*, *ibid.* 19. 24. Erotian. *p. 32. A. B.*

GONIOSIS, γωνίωσις, dicitur ab Archigene ſpecies pulſus decurtati, ſive flexus in pulſu decurtato, quem in alto repræſentat, non autem circuli figuram. Fit hujuſmodi pulſus ob imbecillitatem flammæ vitalis, quæ attollere onus nequeat. Gal. *l. 2. de præſag. ex pulſ. c.* 11. Gorr.

GONOIDES, γονοειδὴς, *genituræ ſimilis*, dicitur de recrementis alvi & urinæ albis, viſcidis, craſſis. Hipp. *l. 1. Prorrhet. ſ. 2. t. 60. Coac. t.* 186. 233. 362. 580. *l. 1. Epid. ægr.* 1. *lib. 2. Epid. ſ. III.* 95. *l. 3. Epid. ægr. 3. & 4. l. 6. Epid. ſect. 2. t. 28. l. 7. Epid. XV.* 44. Vide & Erotian. *d. l.* C. Foëſ. *Oecon. p.* 141.

GONORRHOEA, γονόῤῥοια, generali quidem ſignificatione dicitur omnis involuntaria ſeminis excretio, ſive intento pudendo, ſive citra hujus tenſionem. Sed quæ proprie *Gonorrhœa* dicitur, eſt, autore Galen. *6. de L. Aff. c. 6.* perpetua ſeminis excretio ſine pudendi tenſione. Quæ vero intento pudendo fit, propter convulſionem accidit, inque ea duo morbi conjunguntur, videlicet Priapiſmus & *Gonorrhœa*. Gorr. & Caſtell. De triplici *Gonorrhœæ* differentia vide & Lang. *l. 2. ep.* 5. Eſt utrique ſexui communis, & cum noctu plerumque contingat, ὀνειρωγμὸς, vel ἐξονειρωγμὸς, *Pollutio nocturna* vocatur, de quo affectu vide Linden. *Ex. XV. per totum.* Nobis libet hanc annectere deſcriptionem: *Gonorrhœa* eſt præternaturalis, involuntaria & intempeſtiva materiæ ſeminalis, vel veræ, vel vitioſæ, vel materiæ cujuſdam excrementitiæ & corruptæ excretio e genitalibus, cum corporis macie, oculis concavis, interdum & magna virium proſtratione, proveniens à partium ſeminis aſſervationi dicatarum intemperie, laxitate aut ſoluta continuitate, per varias cauſſas externas oborta & excitata.

GONOS, γόνος, idem, quod γονὴ. Vide *Genitura*.

GONY, γόνυ. Vide *Genu*.

GONYALGIA, γονυαλγία, i.e. *Dolor genu occupans*, & idem fere, quod *Gonagra*, legiturque apud Joh. Stephan.

Stephan. *Conſil. Med. Dec.* 4. *conſ.* 9. *pag.* 336. *operum ed. Venet.*

GORGONEI fontes dicuntur illi, in quibus ineſt vis lapidifica, ita ut corpora indurentur in ſoliditatem lapideam, quorum meminit Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 6. *c.* 14. Hinc & *Spiritus lapidificus* à quibuſdam effictus vocatur *Gorgonicus*, verum præter neceſſitatem videtur introductus, cum particularum diverſarum excrementitiarum concurſus in loco quieto, præſertim terreſtrium & ſalinarum ſufficere poſſit ad calculi generationem.

GORGONIAS, γοργονίας, dicitur à quibuſdam *Corallium*, propterea, quod quamprimum, ubi ex alto in aërem profertur, ſolet lapideſcere, à Gorginibus filiabus Phoni, præſertim Meduſa, cujus crines in ſerpentes mutatos, qui aſpexit, in ſaxum converſus eſt, imo & virgulæ in littore lectæ, quas Perſeus in littore ſubjecerat, induruerunt, nomenque *Corallium* adeptæ ſunt, uti fabulantur Poëtæ, præſertim Ovid. *l.* 4. *Metamorph. fab.* 16. 17. *ſeqq.*

GOSEL, id eſt, *animal cornutum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

GOSSIPIUM, γοσσίπιον, idem, quod *Bombax*, Cotonum. Vide *Bombax.*

GOSSUM, idem, quod *Botium Gulæ.* Vide *Bronchocele.* For. *l.* 3. *Chir. Obſ.* 13. *in Schol.*

GOTTE, vide *Gamboidea. Ghitta Jemou.*

GRACILIS, ἰσχνὸς, *Gracilitas*, ἰσχνότης, item ἰσχναςμὸς, idem fere eſt, quod λεπτὸς, *tenuis*, & λεπτότης, *tenuitas*, niſi, quod hæc differentia intercedere videatur, quod *Gracilitas* plus ſapiat aliquid præternaturale, & maciem includat, quam tenuitas; quamvis nec hoc diſſimulandum, quod utrumque indifferenter & de ſtatu naturali & præternaturali aliquando accipiatur ab autoribus. Cl. Roſ. Lentilius *Graciles* deſcripſit, qui non habent carnes multas, ſed ſufficientes tamen ob conſtitutionem calidam & ſiccam. *Miſcell. Medico-Pract. P. III. p.* 191. Prædicatur vero de variis rebus: v. g. de toto corpore ejuſque partibus. Hippocr. 4. *aph.* 6. 2. *de fract. t* 57. de faucibus, 2. *ſ.* 1. *prorrh. tex.* 54. & *ſect.* 3. *tex.* 12. *Coac. t.* 262. 265. de mammis 5. *aph.* 37. 38. 53. de muſculis. In ſpecie *Gracilis Muſculus* dicitur quartus tibiam flectens apud Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 582. de reſpiratione *l.* 4. *Epid. XIIX.* 10. de pulſu Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 5. de linteis & faſciis 2. *de fract. t.* 72. de tumoribus ſubſidentibus & detumeſcentibus *d. l. t.* 73. de doloribus *Coac. t.* 491. Verbum quoque ἰσχναίνειν, *gracileſcere*, legitur 5. *aph.* 25. 55. & *de humid. uſu X.* 14. & 2. *de fract. t.* 72. Plura vide apud Foëſ. *Oec. p.* 289. Dieter. *n.* 411. 412. Linden. *Ex. XV.* §. 7. 22. 23. *ſeqq.*

GRACULUS, *Gracculus*, κολοιὸς, κοραχίας, primario nomen avis eſt, cujus variæ dantur ſpecies, de quibus earumque uſu in cibis & medicina vide Aldrovand. *l.* 12. *Ornithol. c.* 6. *ſeqq.* Deinde *Graculus* piſcis marinus eſt, qui Græc. κορακῖνος vocatur. Vide *Coracinos.*

GRADATIO, Gr. dici poſſet κλίμαξ, dicitur metallorum in gradu affectionum exaltatio, qua pondus, color & conſtantia potiſſimum ad gradum excellentem perducitur. Neque enim in ſubſtantiam per ſe transfigurandam vim habet, ſed duntaxat qualitates, vel quantitates in gradu ex occulto in manifeſtum producit, nihil mutata ſpecie priori, veluti ſi natura dedit Aurum album, *Gradatio* id rubificat: ſi volatile, figit, ſi impurum, purificat &c. Rul. & Iohnſ. *in Lexico.* Gerard. Dorneus *tr. de tranſmut.* quatuordecim *gradationes* recenſet *c.* 21. quæ tamen omnes vel per aquas fortes, vel per olea, vel per liquores fiunt. Paracelſ. *de tranſmut. metall. in princip.*

GRADUS, Galeno Gr. dicitur τάξις; in Medicina denotat determinationem ordinatam exceſſus alicujus in qualitatibus medicamentorum in comparatione & reſpectu ad temperatiſſimum, ſive ad τὸ σύμμετρον. Galen. *l.* 3. *de ſim. fac. c.* 13. & *l.* 1. *de C. M. P. G. cap.* 2. De *graduum* vero inventione quæ noſtra ſit ſententia, vide *in Dogm. Med. Gen. P. VI. c.* 2. *dogm.* 7. *p.* 703. *ſeqq.* Chymici alios *gradus* rerum tradunt, & quidem quatuor, juxta ordines matricum. Nam quæ ex terra proveniunt, primi dicuntur *gradus*: Quæ ex aëre, ſecundi *gradus*: Quæ ex aqua, tertii, & quæ ex igne, quarti vocantur *gradus.* Porro, qua virtute ſingulo *gradu* ſeorſim aliud ab alio vincitur, punctorum eſt, non *graduum.* Iohnſ. *in Lex.* ex Paracelſ. *l.* 2. *Paramir. c.* 6. Helmontius partim alios commentus eſt, & quidem Chymicos reſpectu ignis quindecim; *tr. Calor efficienter non digerit num.* 33. *ſeqq. Gradus* quoque applicantur in Phyſiologicis & Pathologicis caloris in ſanguine diverſæ virtuti exceſſivæ vel deficienti. Hinc recte ſcripſit P. M. de Calderia, *Gradum* non poſſe ſimul eſſe naturalem & violentum. *Tom. I. Oper. p.* 24. Hecticæ *Gradus* communiter numerari ſolent tres. In *ſcala tranſmutationis* metallorum ſeptem *gradus* recenſentur principales, calcinatio, ſublimatio, ſolutio, putrefactio, deſtillatio, coagulatio & tinctura. Ger. Dorn. *de Tranſmut. metall. c.* 1.

GRÆA, γραῖα, γραὺς, Moſchion. *de morb. mul. c.* 19. ſignificat 1. anum ſive *vetulam.* 2. *pelliculam* illam, quæ lacti, aut *pulticulæ* refrigeratæ inducitur concreſcens. 3. *cutem rugoſam* circa umbilicum, ſenectutis indicium, qualem vetulæ habent. Dicitur & γραῦς. Gorr.

GRÆCUS, ἕλλην, eſt denominativum à *Græcia* regione Europæ. *Græca Magia* eſt ars ſuperſtitioſa à *Græcis* inventa, vel ſaltem culta, viſiones vanas tractans, qua efficiebant, ut apparerent ea, quæ vere non erant; indeque magnam apud ignarum vulgus ſapientiæ captarent exiſtimationem, cum nihil aliud eſſet, quam oculorum aciei per obfuſcationem tranſmutatio, ex imaginationibus hominum ſumens exordium, quorum aſſenſus cum infideli conatu per omnis mendacii imaginationem conjungebatur in ſimilitudinem.

Rul. & Iohnſ. *in Lex.* qui merito addidit *ſeqq.* Quid non molitur in vanis hominibus nequam artifex?

GRALLÆ ſunt inſtrumenta lignea ambulatoria, quibus utuntur claudicantes, aut plene pedum uſu deſtituti ad ambulandum, vulgo **ſtelzen** Ita ſæpius loco trophæorum relinqui ſolent in thermis aliiſque aquis ſalutiferis dictis, quamvis interdum fraus & dolus malus ex conventione deliteſcere ſoleat, teſte experientia. Meminit harum in paralyſi Willis *Anat. Brut. Part. II. c. 9.*

GRAMIA, idem, quod *Glama*, λήμη, *ſordes oculorum.* Paſſim legitur in Practicis, præſertim apud Plemp. *Ophthalmogr. l. 5. c. 3.* vide *Glama.*

GRAMINULÆ vocantur ranunculi, nondum omnibus pedibus inſtructi, uti refert ex Athanaſio Kirchero Oligerus Jacobæus *de Ranis & Lacertis cap. 1. p. 15.*

GRAMMA, γράμμα, primo ſignificat *Literam*, *Scriptum.* Vide *Litera.* Deinde notat *Scrupulum*, ſcripulum, vel *ſcriptulum*, quod eſt vigeſima quarta pars unciæ, Gal. *lib. de pond. & menſ. c. 2.* Ita vero dicebatur ponderis id genus, quod uncia in tot partes divideretur, quot eſſent apud Græcos literæ, quæ illi γράμματα vocant. Ejus nota apud Latinos fuit inverſum ℈. Hodieque ſignatur ℈.

GRAMME, γραμμή, *Lineam* ſignificat. In Anatomicis circulus pupillam ambiens, *Iris* vocatus, dicitur quoque γραμμὴ κυκλοτερής, *linea circularis.* Gorr. Vide *Linea.*

GRANA. Vide *Migrana.*

GRANAGRANUM Paracelſo dicitur Arcanum aliquod in morbo caduco matricis ob ſimilitudinem formæ, quamvis incertum ſit, quid per *Granagranum* velit intellectum, *tr. de Caduco Matricis §. 9.*

GRANATRISTUM Paracelſo idem eſt, quod *Anthrax* ſive *Carbunculus. Chirurgiæ l. 5. tr. 1. c. 5.*

GRANATUS inter lapides pretioſos refertur, eſtque gemma pellucida ex flavedine rubens, ignis inſtar, miniique nativi, vel factitii colorem fere referens. Eſt ſpecies *Carbunculi.* Nomen obtinet à *pomo Granato*, cujus granorum colorem æmulatur. Dividuntur *Granati* in Orientales & Occidentales. Inter hos Bohemici reliquos antecellunt. De virtutibus horum gemmarum vid. Schroder. *l. 3. c. 5. n. 2.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Fr. Hofmann. *in Clav. ad Schroder. d. l.* De monte *Granatorum* in Bohemia lege *Ann. II. Ephem. Nat. Cur. Obſ.* 78. Paracelſus abuſive quoque accepit vocab. *Granatus*, omnibus Elementis attribuens, & ſcribens: *Granatus* aqueus coagulatur: igneus carbonizatur: terreus herbatur: aëreus nubeſcatur. Sic hominis ſanguiſatur, *in Fragm. Medic. ad Tom. I. referendis.* Tartari quoque ſpeciem quandam eſſe formam *Granatam* ſtatuit, *fragm. ad Tom. III. referendis. Granatum pomum* à Barbaris appellari cartilaginem mucronatam ſcribit Fallop. *in Expoſ. de Oſſib. Tom. I. Oper. p. m.* 518. *ſeqq.*

GRANDA eſt nomen Lapidis Philoſ. *in Th. Ch. Vol. IV. p.* 727.

GRANDEBALÆ vocantur Hadr. Junio *pili ſubalares*, quorum uſus eſt, ne partes illæ, quæ citiſſime & maxime ſudant, à frequentioribus & valentioribus brachii motibus atterantur, Caſp. Bauhin. *Anat. l. 2. cap. 2.*

GRANDO, χάλαζα, vide *Chalaza.* Paracelſ. quoque abuſive portiones calculoſas & tartareas congelatas in ventriculo, renibus, aut veſica, hoc nomine indigitat, dicens: *Grando* eſt granum generatum à liquido per ſalem. Ita *grandines Tartari*, *l. 1. Tract. 1. cap. 1. in explicat. & in fragm. Grandinoſumos* idem eſt, quod *os Cubiforme* ſive *Teſſeræ*, Bartholin. *libell. 4. Anat. cap. 21. p.* 753.

GRANULA dicitur Chymicis *puſula*, ſive pulvis puſillus *granulando* concinnatus. Libav. *Synt. Arc. Chym. l. 4. c. 3. ſeqq.* ubi *granula* metallorum in ſpecie quoque exponit.

GRANULATIO, eſt in *granula* comminutio. Ei ſervit fuſio. Eſt enim propria metallorum, & perficitur variis modis. Fuſa metalla in aquam effunduntur, cujus vi diverberata diſſiliunt. Fundi vero in catino, vel trulla cochleari ferreo debent. Nonnunquam aquæ imponuntur ſcopæ è viminibus exilibus, ut eo melius diſſiliant. Loco ſcoparum tabella, vel colatorium anguſtiſſime pertuſum, vel crates ad uſum venit. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

GRANUM, κόκκος, χόνδρος, vide *Coccos*, *Chondros. Granum nil* eſt ſemen Indici. Eſt & nomen ponderis, quorum 20. vel 24. ſcrupulum, vel ſcripulum conſtituunt: Gr. σιτάριον, Galen. *de ponder. & menſur. c. 3.* Intelligi autem debent *grana* hordei, vel piperis integra & perfecta. *Granum noſtrum* Spagyricis quid ſignificet, Bœoticum ænigma eſt, de quo Libav. *in Apoc. Hermet. Part. poſter. Tom. II. Oper. p.* 443. & 448. *Granum* frumenti dicitur Lapis Philoſ. *in Th. Chym. Volum. IV. p.* 719. *Granum incombuſtibile metallorum* eſt radicale eorum humidum, & quaſi ſemen quoddam ſolis & lunæ, quod natura iis inſevit, ut data occaſione in ſolem & lunam excoquerentur per naturam longo tempore, & per artem brevi, *p.* 729.

GRAPHICON, γραφικὸν, κατ' ἐξοχὴν dicitur *atramentum ſcriptorium*, Galen. 4. *de C. M. S. L. c.* 8. Adde Lind. *Ex. V. §.* 26.

GRAPHIOIDES, γραφιοειδὴς, idem, quod βελονοειδὴς, ἢ ϛυλοειδὴς, id eſt, acui vel ſtylo ſimilis. Eſtque epitheton proceſſus tenuis oblongi in oſſe petroſo. Bartholin. *libell. 4. Anatom. cap. 6.* Vide *Acus.* Eodem quoque nomine venit *cubiti proceſſus*, quem e directo parvi digiti porrectum à *Graphii*, ſeu ſtyli modo Græci Anatomici ſic vocant, Galen. *l. 1. de admin. Anat. cap.* 10.

GRA-

GRAPHISCOS, γραφίσκος; nomen ferramenti chirurgici cum epitheto Διοκλεῖος, *Dioclis*, ab autore, qui inter priſcos Medicos maximus habitus eſt. Fuit vero inſtrumentum telis e corpore extrahendis accommodatum, conſtans ex lamina ferrea, vel ænea ab altero capite duos utrinque deorſum converſos uncos habente, ab altero duplicata lateribus leniterque extrema in eam partem inclinata, quæ ſinuata eſt, inſuper ibi etiam parte, quæ perforata eſt. Hæc juxta telum tranſverſa demittitur, deinde ubi ad imum mucronem ventum eſt, paulum torquetur, ut telum foramine ſuo excipiat. Cum in cavo mucro eſt, illico duo digiti ſubjecti partis alterius uncis ſimul & ferramentum illud extrahunt & telum. Celſus *l.* 7. *c.* 5.

GRAPPA, morbus apud Solen. *ſ.* 5. *Con.* 15.

GRASSA, i. e. *Atticar*, vel *Borax*. Rul. & Iohnſ.

GRASTIS, γράστις, dicitur à quibuſdam *hordeacea farrago*, quanquam & multi non indocte *ſemiaridum fœnum* interpretentur. Reperitur & κράστις. Gorr.

GRATIA, χάρις, vide *Charis*. Peſtem quoque vocari *Gratiam Dei*, eo quod hoc malum *Flagellum Dei* ſit, quo nos caſtigat & in gratiam revocat, teſtatur Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 21. *Schol.*

GRAVATIVUS, βαρὺς, idem quod *Gravis*. Vide *Baros*, *Dolor*. Epitheton doloris, quando cauſſa pondere, vel mole ſaltem moleſta in partibus nervoſis ſolutionem continui tentat.

GRAVEDO, idem, quod *Gravitas*, βάρος, vide *Baros*, *Carebaria*. Deinde ſignificat ſpeciem Catarrhi, quæ dicitur *Coryza*. Vide *Coryza*, *Catarrhus*. Rhod. *in Lex. Scribon.*

GRAVEOLENS, *Graveolentia*, δυσώδης, δυσωδία. Vide *Dyſodes* Galen. *l.* 4. *de Sim. Fac. c.* 22. *Graveolentia* in Ileo mortis ſignum. Linden. *Ex. IV.* §. 86.

GRAVIDA, ἡ κύουσα, Heſych. κυμὰς, ἡ ἐν γαστρὶ ἔχουσα, Hippocr. *ſect.* 5. *aphoriſm.* 29. *ſeqq. plur.* dicitur fœmina, quæ concepit & in utero gerit. Vide *Cyeſis*, *Conceptio* &c.

GRAVIS, *Gravitas*, βαρὺς, βαρύτης. Vide *Baros*. Quibus addi poteſt, quod etiam morbus *magnus* vocetur *gravis*, vel propter excellentiam partis, vel propter vehementiam ſymptomatum, vel propter malignitatem. Alias *gravitas* in genere notat moleſtiam inſignem ex præſentia rei obortam. Ita *gravitas* ventris, corporis, apud Scrib. *n.* 50. 183. 188. *&c.* Vide *Lex. Scribon.* Rhodii. Huc pertinet & verbum *Gravari*, id eſt, premi. Keuch. *in not. ad Q. Seren.*

GRAUS, γραῦς. Vide *Græa*. Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 4. Legitur & apud Hippocr. *l. de Sterilib. XXII*, 2. & apud Gal. *com.* 2. *in prognoſt. Hipp. t.* 35.

GRAVUS, *Marmor*, *Porphyrites*, marmor porphyreticus, rubeus, ad modum Purpuræ, cujus uſus eſt in ſpontaneis rerum ſolutionibus. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

GRESSURA, πληχὰς, πλιχὰς, vocatur locus inter duo crura medius, quo videlicet in diductione feminum, greſſuum viciſſitudines deambulando efficiuntur. Locus eſt medius inter anum & pudenda, cujus media pars περίναιον, *Interfemineum* vocatur, eo quod duobus feminibus interjacet. Legitur apud Hippocr. 2. *de fract. t.* 70. 3. *de artic. t.* 90. Adde Gal. *com. ad hæc loca & in* 4. *de art. t.* 45. Jung. Foëſ. *in Oecon. p.* 515.

GRESSUS, βάδισις, idem, quod *Ambulatio*. Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 2. Eſt igitur *Greſſus* motionis ſpecies, quando animal transferendo univerſam ſuam molem pedibus ab uno ad alium locum tranſit, Joh. Alphonſus Borellus *de motu animal. Part. I. c.* 1. *in princip.*

GRIPHOMENOS, γριφόμενος, implicatus, revolutus, *irretitus*, à *rete* piſcatorio γρῖφος, aliis γρῖπος dicto. Uſurpatur de doloribus circa præcordia implicatis. Hippocr. 1. *Prorrh. c.* 3. *t.* 8. Vide Gal. *comm. ad h. l.* C. Hofmann. *in Notis* ἀνεκδότοις notavit, alios γριπώμενα, quoſdam γριπώμενα, alios γραφόμενα, legere. Vide Foëſ. *p.* 142. & Gorr. *in def.* γρῖφος etiam quæſtionem ænigmaticam tropice ſignificat. Lang. *l.* 1. *ep.* 27. *& l.* 3. *ep.* 6.

GROSSUS, a, um, terminus barbarus, ſed tamen in Pharmaceuticis & Chymicis uſitatus, ſignificans *Craſſum*. Legitur & *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 770. Apud Avicenn. diſcrimen habetur inter *Groſſum* & *Viſcoſum*, quod illud indigeat diſſolutione, hoc inciſione & attenuatione, & ita differant, ut lutum à glutino. *l.* 1. *fen.* 4. *doctr.* 5. *c.* 24.

GRUMA eſt *Tartarus vini*. Rul. *in Lex.*

GRUMUS, θρόμβος, eſt liquidæ rei in unam maſſam concretæ & coagulatæ fruſtum. Ad lac & ſanguinem tranſlata vox eſt medicis, imprimis Hippocr. frequenter de ſanguine uſus eſt concreto, 4. *aph.* 80. *Coac. t.* 123. *l.* 5. *Epid. V.* 5. Idem tamen etiam de excrementis uſurpavit, v. g. bilis *grumo l.* 2. *de morb. LXXIII.* 2. de urinis *grumoſis* 4. *aph.* 69. *& Coac. t.* 597. de vomitu *grumoſo t.* 636. Hujuſmodi concretio dicitur Latin. *Grumeſcentia*, Gr. θρόμβωσις, Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 16. Jung. Dieter. *Iatr. n.* 395. Hæc *Grumeſcentia* in ſanguine eſt indicium & effectus acidi peccantis. Chymicis *Grumus* dicitur ſpecies puſulæ, ſive pulveris craſſioris ex ſuccorum conſiſtentium congerie coacervatus, qualis fit in dilutis & lixiviis, in quibus cryſtallinorum granorum minuta congeries coagulando exiſtit. Ita cum muria coquitur, fit *grumus* ſalis. Libav. *Synt. A. Ch. l.* 4. *c.* 3.

GRUS, γέρανος, æquivocum eſt. Proprie notat animal volucre magnum, cujus deſcriptionem prolixam uſumque in cibis & medicina vide apud Aldrovand. *l.* 20. *Ornitholog. c.* 5. Adde Schroder. *lib.* 5. *cl.* 2. *n.* 56. Deinde ſignificat piſcis marini ſpeciem *Gladio* piſci congenerem, uti patet ex Æliano *l.* 15. *H. An.*

An. c. 9. Tertio Lapidem quoque quendam Chymicis notare teſtatur Aldrov. *d. l.* §. *Æquivoca*, quamvis in nullo ſcripto Chymico reperire licuerit. Tandem & machinam ſive inſtrumentum quoddam notat, quod & *Ciconia*, *Geranium* vocantur. Vide *Ciconia*, *Geranium*.

GRYGALLUS, γρυκόκκυξ, major & minor vocantur aves montanæ in Helvetiæ montibus repertæ, ſummæ bonitatis carnem habentes, notante J. J. Wagnero *Hiſtor. Helvet. Curioſ. ſect. IV. Artic.* 2. *p.* 199. Jung. Aldrovand. *Ornitholog. l.* 13. *c.* 8. *&* 9. *ed. Bon. p.* 69. *ſeqq.*

GRYLLUS, γρύλλος proprie dicitur Inſectum alatum vaginipenne, ſcarabæis potius, quam cicadis ſimile, focorum terrarumque acidarum incola, ſtridulo ſuo cantu ſedulum, cujus deſcriptionem ulteriorem cum uſu in Medicina vide in Aldrovand. *l.* 4. *de Inſect. c.* 2. Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 104. Muſtelam marinam Italis quoque *Grillum* dici, autor eſt idem Aldrov. *d. l. Grillus* vel *Grilla* vocatur quoque *Vitriolum*, teſte Ger. Dornæo *de Genealog. mineral. c.* 16. Rul. *in Lex.* vocab. *Gilla.*

GRYPALOPEX, γρυπαλώπηξ, cognomen quidem Satiri cujuſdam apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 52. qui ex nimio ſeminis profluvio, vel gonorrhœa diurna & nocturna in tabem lethalem incidit. Potuit tamen fortaſſis ita fuiſſe appellatus, quod lumbis fuerit incurvis & dorſo inflexo, ex tabe dorſali. Ἀλώπεκες enim dicuntur muſculi dorſi inferiores ad lumbos ſiti. Foëſ. *Oec. p.* 143.

GRYPHIUS. Vide *Pes.*

GRYPHUS vocatur *Lapis Philoſophicus in Th. Chym. Vol. IV. p.* 727.

GRYPOSIS, γρύπωσις, generaliter dicitur *incurvatio*, aut inflexio, & reſtringitur ad *unguium aduncationem* e Cœl. Aurelian. *l.* 2. *acut. cap.* 32. quemadmodum & verbum γρυπᾶσθαι de unguibus uſurpatur apud Hipp. 2. *progn. t.* 60. *Coac. t.* 402. Foëſ. *p.* 112.

GRYPS, γρυπὸς, γρὺψ, nomen avis peregrinæ, unde adhuc dubitatur, an in rerum natura detur? Legi poterit Aldrov. *l.* 10. *Ornithol. c.* 1.

GUAIACUM, *Guajacan*, *Lignum ſanctum*, Gr. ἁγιόξυλον, eſt Lignum arboris cujuſdam exoticæ ex India allatum, cujus virtutes in lue Venerea curanda omnia reliqua ſimplicia alias commendata antecellunt. Fertur, Reges Caſtiliæ & Portugalliæ Fernandum, Johannem Henricum, & Emanuelem primum ex Auſtralis Oceani inſulis ad nos attuliſſe. Lang. *lib.* 1. *ep.* 63. Lignum & Cortex ſolent in uſum vocari. Plura vide apud Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 161. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Claudin. *append. lib. de ingreſſ. ad infirm. tit. de remediis generoſioribus ſect.* 3. De extractione *gummi Guajacini*, Libav. *Alchym. Pharmaceut. c.* 20.

GUARINI ſunt homines ex influentia cœli viventes. Rul. & Iohnſ. Meminit eorum Paracelſ. *l.* 5. *de vit. long. c.* 2.

GUASSEM vocantur *Stigmata*, ſive Maculæ nigricantes, de quarum cura vide Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 2. *c.* 7.

GUAVIL, id eſt, *Stellio*, ſpecies Lacertæ marinæ. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

GULA, οἰσόφαγος, λαιμὸς, vide *Læmos*, olim & στόμαχος dicta. Veteres ita nominabant eam partem, quæ inter fauces & os ventriculi ſuperius intermedia eſt. Ariſtoteles vero & qui poſt ejus ſeculum ſcripſerunt, *ſtomachum*, quod nos *gulam* appellamus, vocarunt. Via eſt eorum, quæ cum devorantur, tum vomitione rejiciuntur. Gal. *l.* 5. *de l. Aff. c.* 5. Hippocr. meminit & deſcripſit *libell. de Anatomia*, *vel Roſectione II.* 13. Pleniorem juxta partes deſcriptionem vide apud Anatomicos, & inter hos Bartholin. *lib.* 2. *Anat. c.* 12. Willis *Pharm. Rat. P.* 1. *ſ.* 1. *c.* 2. Lang. exiſtimat, *Gulam* quoque vocari φάρυγγα, quæ tamen vox in genere *fauces*, & principium *œſophagi* & laringis potius ſignificat, *l.* 2. *ep.* 43.

GULO, *Guloſus*, γαστρίμαργος, dicitur, qui *gulæ* nimium indulget. Vide *Gaſtrimargos. Gulo* eſt quoque nomen animalis voraciſſimi, in Suecia notiſſimi. Helmont. *tr. de magnetic. vuln. cur. n.* 165. Aldr. *l.* 1. *de quadr. digit. vivip. c.* 11. Hiſtoriam quoque illius animalis *Gulo* vernacule *Vielfras* dicti breviter ſcripſit Apollon. Menabenus Medicus Inſubris *in tractatu de Alce.*

GUMA, *Gumma*, eſt vocab. æquivocum. Vel enim eſt idem, quod *Mercurius*, *Argentum vivum. Guma gumi* oleum, ſulphur coagulum. *Guma* paradiſi, Auripigmentum. *Guma* cupri eſt ſtillicidium Veneris. Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Gumma Philoſophicum* vocatur fermentum illud compoſitum ex Mercurio & materia prima metallorum & oleo facta inceratione conjunctis. Dorn. *tr. de Artificio ſupernatural. c.* 14. *in Theatr. Chym. Vol. I.* & plura *Tom. IV. p.* 77. 719. *ſeqq.* 987. Quære *in Indice* plura. *Vol. V. p.* 15. *Gumma* quoque notat tumorem, vel tuberculum durius, plerumque indolens, in lue Venerea perioſtio adhærens, à materia viſcida congelata & corrupta ſucci nervoſi, aut potius lymphæ obortum, de quo affectu vide Aquapend. *tr. de operat. Chirurgic. tit. de Gummatibus.* Meminit & Helmont. *tr. Tumulus peſtis.* §. *Præparata ſedes.*

GUMMI, κόμμι, dicitur & *Gummis*, *Commis* in fœmin. Rhod. *in Lex. Scrib.* & *in not. ad Scribon. n.* 72. in genere ita dicitur lachryma congelata concretaque, ſive liquor concretus in truncis arborum ipſam producentium, velut reſina quoque in multis viſitur, quæ reſinam proferre poſſunt. Cæterum quod Emplaſticæ ſit potentiæ, conſtat, Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *Gommi. Gummi* ſimpliciter dictum ſignificat *Arabicum*, Rhod. *ad Scrib. n.* 21. *Gummata* vel ſunt *Naturalia*, vel *Artificialia.* De utriſque vide Schrod. *l.* 2.

l. 2. *c.* 21. Naturalium reſolutionem ſuccinctè tradidit Iunken *Chym. Exp. Cur. P.* 1. *ſ.* 3. *c.* 7. *p.* 206. Artificialium extractio proponitur & à Libav. *Alchym. Pharmaceut. cap.* 20. Nec Chymici deſtituuntur *Gummatibus.* Ita *Gummi* legitur Joviale apud Schrod. *l.* 3. *c.* 14. *Gummi* cryſtallinum Mercurii *tr. Ignis naturæ c.* 35. *Gummi* Benedictum in Magiſterio Lapidis Philoſophorum. Idem *Tom. II. Oper. p.* 351. *Gummi ad Podagram*, *Gummi Gamandræ* &c. Vide ſupra *Gamboidea. Ghitta Jemou.*

GUMMI RESINÆ, vocantur concretæ arborum lachrymæ in oleo promtius, attamen & in aqua, licet difficulter ſolubiles. Schrod. *l.* 2. *c.* 20.

GUMMOSITAS, idem, quod *Guma*, vel *Gumma.* Foreſt. *lib.* 32. *Obſ.* 19. *in Schol.*

GUNALGES, γυναλγής, dicitur Hippocr. qui genuum dolore conflictatur, *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 13.

GUR, terminus Spagyricus, cujus ſignificatio ignota. Legitur *Th. Ch. T. VI. p.* 322.

GURGULIO, γαργαρεών. Vide *Columella. Gurguliones* quoque vocantur inſecta ſive vermiculi in farina, uvis Corinthiacis atque paſſis geniti. Legitur hæc vox *in Act. Philoſoph.* Oldenburg. *Ann.* 1668. *m. Jun.* quamvis alias *Curculiones* dicantur. Vide *Curculio.*

GUSTABILIS, γευστός, dicitur de qualitatibus ad guſtum pertinentibus. Gal. *l.* 2. *de L. Aff. c.* 8.

GUSTUS, γεῦσις, item *Guſtatus.* Hujus vocabuli homonymiam jam olim indicavit Gal. *l. de odor. Inſtrum. c.* 1. *in princ.* Non ſolum earum rerum ſenſum, quæ in *guſtatum* cadunt, ſed etiam vim guſtandi *guſtum* appellant. Nimirum *guſtus*, γεῦσις, active ſumto vocabulo denotat ſpeciem ſenſuum externorum quandam tactui plane ſimilem: cujus organum ſenſorium omnium Doctorum conſenſu *Lingua* habetur, cui aliquatenus ſubobſcure tamen palatum & ſuperior gulæ pars ſubſerviunt. Quænam vero proprie pars linguæ primarium ſit inſtrumentum, in eo nondum conveniunt. Varias ſententias collegit Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 13. e quibus veroſimillima videtur Malpighii & Fracaſſati ſententia, papillas nerveas linguæ ſtatuentium, *in Exercitat. h. t.* quam & confirmavit D. Car. Reygerus *in not. ad Jac. Rul. de Bellebad Gloſſoſtomographiam*, *Ann. III. Ephemer. N. Cur. p.* 569. Alias de hujus ſenſus natura egregie quoque & accurate ſcripſit Th. Willis *An. Brut. P. I. c.* 12. Helmontius alium *guſtum* linguæ & alium ſtomachi eſſe ſcripſit *tr. Poteſtas medicam.* §. 27. Paſſiva ſignificatione *Guſtus* idem eſt, quod *Sapor*, de quo ſuo loco. Ita ſumſerunt vocab. Scrib. Larg. *n.* 190. *ſeq.* Adde Rhod. *in Lex. Scrib.* Paracelſ. *in Fragm. Med. & alibi.*

GUTTA, σταγὼν, στάγμα, æquivocum eſt. Proprie notat particulam minimam, ſive ſtillam materiæ liquidæ, & ita refertur inter minimas menſuras Pharmaceuticas; qua ratione ingredi ſolent liquores Chymici nonnulli efficaciſſimi, v. g. olea quædam & ſpiritus, aut Sales liquidi. *Gutta* quoque vocatur *Ros*, *Th. Chym. Vol. VI. p.* 753. *Gutta* etiam ſumitur pro Embrocha ſive *Stillicidio.* Fallop. *de Therm. aq. & met. c.* 13. *Tom. I. p. m.* 249. Tropice vocab. *Gutta* de quibuſdam morbis dici ſolet, v. g. *Apoplexia* ita dicta fuit, quia creditum à nonnullis ſanguinis *guttam* e capite ad cor delabi, idque ſuffocare. Dieter. *num.* 85. Parac. *Paragr. l.* 1. §. 7. *Gutta ſerena* vocatur affectus quidam oculorum, ubi viſus eſt abolitus propter nervorum opticorum anguſtiam, nihilque vitii in oculis animadvertitur, niſi quod pupilla nigrior & amplior apparet. *Gutta roſacea* dicitur quoque rubedo in facie, ſimilis illi, quæ tinctura eſt lepræ incipientis. Rul. & Iohnſ. cujus cauſſa ſunt portiones lixivioſæ ſanguinis coagulatæ & ſtagnantes ſub cute. Foreſt. *lib.* 2. *Chirurg. Obſ.* 9. *in Schol.* & alii Practici.

GUTTALIS, rectius *Gutturniformis*, ἀρυταινοειδής, dicitur Cartilago apud Barthol. *l.* 2. *Anat. l.* 11. *p.* 443.

GUTTATIM contabeſcere ſignificat lente conſumi, Linden. *Ex. IX.* §. 52. Sudor στάγδην, fluens, i. e. *guttatim*, eſt modulus exercitationum. Hipp. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 8.

GUTTEO, id eſt, *gumma*, quæ eſt marinum. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

GUTTETA eſt epitheton Pulveris de Gutteta dicti, cujus ex officinis Monſpelienſibus deſcriptionem exhibet L. Riverius *Prax. Med. l.* 1. *c.* 8. & noviſſime laudibus extollit Georg. Baglivus *Med. Rom. L.* 1. *Prax. Med. c.* 9. *tit. de Dolore in genere*, *convulſione & motibus convulſivis p. m.* 78. contra dolores capitis pertinaciſſimos & fere ad maniam accedentes. An fortaſſis à voce Gallica *Goutte*, quæ inter alias ſignificationes etiam convulſionem ſive ſpaſmum denotat.

GUTTUR, λάρυγξ. Vide *Arteria aſpera*, *Larynx.*

GUTTURNIUM, ἀρυταίνα. *Gutturniformis.* Vide *Arytænoides.*

GUTTUROSUS, ἐξεχέβρογχος, vide *Exechebronchos.*

GUTTUS dicebatur vas guttatim oleum fundens, quo poſt lavationem in balneo utebantur. Fumanell. *de baln. mox à princ.*

GYION, γυῖον, Hippocr. ſignificat vel *totum corpus*, uti patet ex *l. de intern. affect. XI.* 13. *XXXV.* 6. *XXXVI. l.* 7. vel *membra majora*, juxta Erotianum. Junge Foëſ. *Oec. p.* 143. Scribitur & abſque ι ſolo υ.

GYIOO, γυιόω, ſignificat membra frango, *enervo*, dicitur de corporis & membrorum imbecillitate. Frequenti in uſu apud Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 33. &c. Vide *Gegyiomenus.*

GYMNASION, γυμνάσιον, non ſolum locum ſignificat *Palæſtra* quoque dictum, ubi ſe exercebant athletæ & alii, uti vult Dieterich. *n.* 169. ſed & ipſum

Exer-

Exercitium vel *Exercitationem*, uti patet ex Hippocr. *l. 6. Epid. ſ.* 1. *t. 6. & ſ.* 3. *t.* 8. *ſec. Galen.* Foëſ. *d. l.* Jul. Alex. *l. 6. Salubr. c.* 1. Vide *Exercitatio.*

GYMNASTES, γυμναςής, dicebatur olim is, qui exercitationibus publicis, & loco, ubi fiebant, præerat. Callebat enim omnia exercitationum genera, & earum uſum & modum noverat. Gorr. *in def.* Lang. 1. *ep.* 51.

GYMNASTICA, γυμναστική, dicitur pars Methodi ὑγιεινῆς, ſanitatem exercitatione conſervans, de qua paſſim videatur Gal. *in libris de ſan. tuend.* Sed eſt & alia ars athletis propria, ſed magis vitioſa, quia plerunque extra naturæ limites progreditur, & qui eam callent, vocantur γυμναστικοὶ, *athletæ*, quorum corporis habitus videtur quidem ſumme bonus, ſed revera periculoſiſſimus ex Hipp. 1. *aph.* 3.

GYMNOCRITHON, γυμνόκριθον, quaſi *Hordeum nudum.* Latine *Scandella*, Cereale ſemen in Cappadocia proveniens, ut ſcribit Oribaſ. *l.* 1. *Collect. Med. c.* 1. forte id hordeum, quod decorticatum naſcitur, & quod vulgo hordeum mundatum appellatur. Gorr. Meminit Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 13. & Jul. Alex. *l.* 8. *Salubr. c. 6.* ut & *in not. ad Gal. d. l.* item *in not. ad l. 6. de Sim. Fac. c. de Ægilope*, ubi γυμνοκριθὴ legitur.

GYMNOS, γυμνός. Vide *Nudus.*

GYMNOSPERMOS, γυμνόσπερμος. vide *Angioſpermos.*

GYNÆCEIA, γυναικεῖα, *muliebres purgationes* ſanguinis ſignificat, cum menſtruas, Hippocr. *l. 6. Epid. ſ.* 1. *t.* 7. *ſec.* Gal. *& ſ.* 8. *t.* 55. 56. Dicitur etiam καταμήνια, ἐμμήνια. Vide *Menſtruum*; tum partus purgationes 5. *aph.* 28. (ubi utræque intelligi poſſunt) *Coac. t.* 513. 518. 522. 548. Junge Foëſ. *d. l.* Diet. *n.* 170. Vide *Lochia.*

GYNÆCEUM, γυναικεῖον, interdum idem eſt, quod γυναικωνῖτις, *mulierum conclave*, cujus meminit Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 2. Unde & olim Gynæceorum præfectas obſtetrices plerunque fuiſſe, demonſtrare conatur Rhodius *ad Scribon. n.* 122. Interdum vero γυναικεῖον à quibuſdam dicitur *Stibium* ſive *Antimonium*, quod eo mulieres decoris cauſſa cilia illinerent. Gorræus.

GYNÆCOMANES, γυναικομανής, dicitur nimio & inſano fœminarum amore captus. Linden. *Ex. X.* §. 208.

GYNÆCOMASTON, γυναικομαστὸν, muliebris mammæ & ſubjectæ additæque mammis pinguedinis auctio eſt præter naturam. Gal. *in def.* muliebrium *mammarum nimium incrementum.* Caſtell. & Gorr. Cauſſa haud dubie in copia ſucci nutritii chyloſi exceſſiva conſiſtit.

GYNÆCOMASTOS, γυναικόμαστος, dicitur tumor mammillarum in viris p. n. adeo ut mammis mulierum ſimiles fiant. Eſt morbus auctæ magnitudinis. Gal. *in defin.* Ingraſſ. *com. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 375.

GYNÆCOMYSTAX, γυναικομύσταξ, i. e. *Barba muliebris*, & ita dicitur pubes ſupra pudenda muliebria erumpens, quando pubeſcunt. Rolfink. *de part. genital. Part. II. c.* 34.

GYNANTHROPOS, γυνάνθρωπος, dicitur homo ex hermaphroditorum genere, qui fœminini ſexus genitale recte conformatum habet, virile non item, quemadmodum Androgynus vocatur maſculinum ſexum recte conformatum habens, uti e Domino de Val Riolanum notaſſe *de Hermaphroditis c.* 12. refert P. Zacchias *Quæſt. Medico Legal. l.* 7. *Tit. I. quæſt.* 8. *n. 6.*

GYNE, γυνὴ, *mulierem* ſignificat, eſtque nomen, quod ambitu ſuo tam conjugem fœminam, quam ſejugem complectitur, quamvis rarius de virgine uſurpetur. Dieter. *n.* 171. Linden. *Ex. IIX.* §. 25. *ſeq.*

GYPS, γὺψ. Vide *Vultur.*

GYPSOS, γύψος, *Gypſum*, ita dicitur, quod ex lapidibus toſtis & ambuſtis exprimitur. Cognata calci res eſt, ſed non eſt ita calidum. Differunt, quod calx reſtincta humore aliquo acquirit calorem; *Gypſum* non accenditur. Duo ſunt potiſſimum ejus genera: Unum *nativum*, ſeu foſſile e terra, ſummitate potiſſimum illius, eſtque ſimile fere nitro, latis venis: Alterum *factitium* ex lapide albo, ſimile alabaſtro, cujus tamen varia ſunt genera pro diverſitate locorum. Rul. & Iohnſ. De virtute Medica *Gypſi* lege Galen. *l. 9. de S. Fac. h. t.* Dioſcor. *l.* 4. *c.* 134. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. In ſpecie vinum conſervare, teſtatur I. Alex. *l.* 17. *c. 6. Salubr.* Hinc *Gypſata vina* accepta venenis omnibus contraria eſſe ſcripſit Ardoyn. *l. de venen. p.* 34. Nocet vero intus ſumptum Senn. *Med. Pr. l. 6. part. 6. c.* 2.

GYRINUS dicitur apud Plin. rana recens nata adhuc quoad formam imperfecta nigra, oculo ſaltem & cauda inſignis *l. 9. H. N. c.* 51. teſte Aldrov. *l.* 3. *de Piſc. c.* 61. Verum contra Plinium animadvertit Oliger. Jacobæus *de Ran. & Lacert. c.* 7. *pag.* 5. *ſeqq.* per autopſiam perſuaſus, quod macula ſaltem nigra in ovulis racematim cohærentibus conſpiciatur à ranis fœminis excretis, quæ macula progreſſu temporis in *gyrinum* permutetur; & fortaſſis ſi Etymologiæ aliquid tribuendum, nomen γύρινος à γῦρος orbis deſcendens, competeret ipſi maculæ vel globulo nigro cum primo ranarum rudimento in ovulis obſervato.

GYRIS, γῦρις, id eſt, *pollen* ex farina, qui amylo virtute ſua reſpondet. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. *h. t.* Gal. *l. 9. de C. M. S. L. c.* 3. Moſchion. *de morb. mul. c.* 136. Gorr.

GYROFALCO, *Girfalco*, nomen avis rapacis ad *falcones* pertinentis, cujus deſcriptionem & uſum vide ap. Aldrov. *l.* 7. *Ornithol. c.* 3.

H.

HABENA, πλάκμων, ad inſtrumenta Chirurgica refertur, & ſignificat ſpeciem vinculi, quo vulnerum labia contrahuntur, & vices ſuturæ ſuſtinet. Legitur apud Gal. 2. *de iis, q. in med. t.* 8. *fin.*

HABEO, ἔχω. Vide *Echo.*

HABILIS, i. e. diſpoſitus, commodus. Ita Corpus *habiliſſimum* quadratum vocatur, neque gracile, neque obeſum. Celſus *l.* 2. *c.* 1. Jung. Pantin. *not. ad h. l.*

HABITATIO, οἴκησις, locum, in quo commorari & vivere ſolemus, ſignificat, id eſt, *domicilium.* Pertinet inter τὰ ἔξωθεν, quæ etiam conſideranda ſunt in Medicina, ex Gal. *c.* 1. *aph.* 1.

HABITUDO, κατάστασις, vide *Cataſtaſis. Conſtitutionem* corporis vel bonam, vel malam ſignificat. Gal. *l. de opt. corp. conſtit. & l. de opt. habitu.*

HABITUS, ἕξις, variis gaudet ſignificationibus, etiam in foro Medico. In genere notat *conſtitutionem*, vel habitudinem corporis, aut alterius alicujus rei conſtantem & perennantem ſive firmam, cui opponitur διάθεσις, *Diſpoſitio.* Gal. *ad Thraſybul. c.* 12. *& l. de opt. habitu in princ.* quæ διάθεσις etiam vocatur σχέσις, de quo *ſuo loco.* Deinde ſignificat corporis & partium conſtitutionem ſive habitudinem, ſtructuram & compoſitionem, qua ratione dicitur corpus eſſe *habitus* denſi, rari, ſolidi, compacti, laxi. Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 31. *&* 40. Galen. *in comm.* Eſt vero corporis *habitus* duplex: *Bonus*, Gr. εὐεξία, & *malus*, καχεξία. Vide *Euexia*, *Cachexia. Habitus*, ἕξις, etiam ſumitur pro membrorum vinctorum *habitu* & figura, ſive conſtitutione poſt deligationis tempus, & huic θέσις, poſitio, ſitus opponitur. Hipp. 3. *de iis, q. in medic. t.* 21. Gal. *in comm. ad h. l.* Adde Foëſ. *Oecon. p.* 218.

HADES, ᾅδης, *infernus.* Vide *Orcus.*

HADID, id eſt, *ferrum.* Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

HADROS, ἁδρὸς, ſignificat *uberem*, *largum*, abundantem; & dicitur de homine bene nutrito, craſſo, pingui, adulto. Hippocr. *l. de genitur. IV.* 9. de pulſu largo, Galen. *def. med.* cui opponitur ἰσχνὸς, gracilis; de diæta vel victu largiore & pleniori, 1. *aph.* 5. *&* 7. de purgatione fortiori, 4. *aph.* 9. Jung. Dieter. *n.* 7. & C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 855. *ſeqq.*

HÆCCEITAS, Scoto dicitur *quinta eſſentia* Chymicorum, ſive eſſentia ſpecifica, principium vitale activum, cujus virtute medicamenta operantur. Libav. *tr. de igne naturæ*, *c.* 25. *fin.*

HÆMA, αἷμα, Græcis vocatur *Sanguis*, liquor ille vitalis, & naturæ noſtræ familiariſſimus, de cujus origine, generatione, motu circulari, fermentatione, uſu & examine, quoad ſtatum ſecundum & præter naturam, paſſim in ſcriptis veterum & recentiorum Medicorum quamplurima leguntur. Apud illos imprimis Hipp. Gal. & Avic. nunc *ſanguis* ſumitur pro omni in venis concluſo ſucco, h. e. maſſa liquida e quatuor humoribus pituita, utraque bile, flava & atra, & *ſanguine* ſtricte dicto conſtante; nunc ſtricte pro quarta ejus parte reliquis tribus e directo oppoſita. Enimvero cum illa opinio jam dudum propter varias abſurditates, quibus ſcatet, abſoleverit, præſtat, recentiorum ſcripta conſulere, præſertim Thomæ Willis *Exerc. de Febribus cap.* 1. *&* 2. *ſeqq.* Gualt. Charlton. *Exerc. Oecon. Anim. IV. V.* D. D. Maur. Hoffmanni *Synopſ. & Prudent. Medic.* Notas noſtras *in Jeſſenii Judicium de Sang. V. S. miſſo*, & alios plures, quamvis nec in his omnibus cuncta applauſum mereri, Adraſtea cogat fateri, præſertim quando ſtatuitur, univerſam Medicinam dependere ex *ſanguinis* ſec. & p. n. cognitione, qua hypotheſi & morborum externorum plerorumque cognitio & curatio e foro Medicinæ excludi, & internorum quoque plurium à ſucco nervoſo, ſpiritibus, flatibus, quin & excrementis immediate dependentium tractatio magis obſcurari, quam illuſtrari videtur. Nobis hac vice ſufficit, ex veris principiis & neotericorum monumentis hanc annectere deſcriptionem *ſanguinis* Phyſiologicam: *Sanguis* eſt humor vitalis, ſive ſubſtantia in brutis & homine fluida, e particulis diverſis activis & paſſivis conſtans, rubicunda, primum in conceptu ex colliquamento ſeminali producta, & ſucceſſive virtute flammæ, ſive ſpiritus vitalis multiplicata, & ex chylo quotidie accedente continuata, & ita cum ad individui conſervationem, tum ad ſpeciei propagationem deſtinata. In reſolutione Chymica *ſanguinem* promere Aquam, Spiritum, Sal volatile, Oleum & ſal fixum, præter alios demonſtravit etiam Iunken. *Chym. Exp. Cur. P.* 1. *ſ.* 2. *c.* 1. *p.* 74. *ſeqq.* An vero talia ſint propterea pro principiis conſtitutivis habenda, non eſt hujus loci ventilare. *Sanguinis* Anatomiam Phyſicam exhibet etiam D. Gothofr. Bidloo *Tab. Anat. XXIII. fig.* 16. & globoſas veſiculas, fibrillas, maſſulam ſtriatam ovi albumini ſimilem monſtrans. Potus *ſanguinis* calentis contra epilepſiam merito ſuſpectus habendus. Tropice & abuſive quoque vocabulum *ſanguis* dicitur de vegetabilibus & mineralibus. Dornæus *de tranſmut. metallor. c.* 17. Ita *Sanguis Draconis* Arabibus Medicis eſt ſuccus Anchuſæ. Fallop. *de Metall. S. foſſil. c.* 36. *Tom. I. p.* 343. *Sanguis Satyrii* (vitioſe Satyrionis) eſt liquor ſanguineo colore ex radicibus Satyrii cum pane piſtis, & longa digeſtione quaſi in oleum ſanguineum liqueſcentibus. Iohnſon. *in Lex. Sanguis Antimonii* legitur apud Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 8. *c.* 22. *Sanguis viri ruſſi* eſt Sulphur marcaſitæ. Libav. *de igne natur. c.* 20. *& Apocal. Hermet. part. prior. c.* 15. Iohnſ. *Sanguis duorum fratrum* eſt *ſanguis* draconis vena terræ. In magiſterio lapidis

dis Philoſophici Mercurius quoque *Sanguis* dicitur Philoſophorum, Libav. *Synt. A. Chym. l.* 7. *c.* 8. Ger. Dornæus *tr. Artific. ſupernatur. c.* 5. ubi quidem variis epithetis ænigmaticis inſignitur, v. gr. *Sanguinis Leonis*, *ruffi*, *viridis*, *Meduſæ* &c. Vide Libav. *Tom. II. operum*, & quære *in Indice.*

HÆMALOPS, αἱμάλωψ, proprie dicitur cruenta *ſuffuſio in oculis* ex plaga, ictu, effuſo nimirum ſub locum læſum ſanguine oborta, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. *& l. de fac. parabil.* Unde & Archigenes dicebat, *Hæmalopa* idem eſſe malum cum *Hypoſphagmate*, atque etiam in omni alia parte contingere poſſe, præterquam in oculo. Dicitur autem αἱμάλωψ quaſi αἷμα ἐν ὠπί. In latiori vero ſignificatione ſumſit Hippocr. pro omni Sanguine concreto, & veluti ſugillato, *l. de natur. puer. IV.* 29. *XV.* 6. *Coac. t.* 553. Dioſcor. *l.* 2. *c.* 95. ubi αἱμαλωπὶς legitur. Jung. Foëſ. *Oecon. p.* 10.

HÆMASSO, αἱμάσσω, ſignificat *ſanguinare*, cruentare, ſanguinem profundere. Legitur de gingivis apud Nonum *de M. P. C. c.* 113. *&* 114. αἱμασσόμενα οὖλα, i.e. *cruore ſuffuſæ* gingivæ. Dicitur & ἐξαιμάσσω. Linden. *Ex. XIII.* §. 463.

HÆMATEROS, αἱματηρὸς, id eſt, *ſanguineus*. Dicitur alias κάθαιμος, vel ἔναιμος. Linden. *d. l.* §. 449. Ita δυσεντερία αἱματηρὰ vocatur, quando ſanguis evacuatur per inteſtina abſque exulceratione, Galen. *c.* 5. *aph.* 65. *Sanguinea* Chymicis quoque dicitur *Nitrum*. Rul. Iohnſ.

HÆMATIA, *Hæmation*, αἱματιὰ, αἱμάτιον, eſt epitheton *Gari* ſive liquaminis cujuſdam ſubrubicundi, ex inteſtinis piſcium, cæteriſque, quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis parati. Lat. dicitur *Sanguiculum*. Lind. *Ex. IX.* §. 69.

HÆMATICOS, αἱματικὸς, *ſanguineus* dicitur de partibus, quæ ex ſanguine primum credebantur conſtitutæ, Linden. *Ex. XIII.* §. 446. Vid. *Sanguineus.*

HÆMATINOS, αἱμάτινος, *ſanguineus*, dicitur de iis, quæ à ſanguine ſunt colorata, tanquam à cauſſa. Lind. *d. l.* §. 447.

HÆMATITES, αἱματίτης, nomen eſt lapidis, vel glebæ duriuſculæ & mediæ naturæ inter terram, lapidem, & metallum, ita dictæ, vel quod colore ſanguinem æmuletur, vel quod ſanguinem ſiſtendi vim obtineat. De cujus ſpeciebus & uſu vid. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* Schrod. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 9. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Andr. Chioccus *in Muſ. Calceolar. ſect.* 3. *p.* 269. *ſeqq.* 403. Arab. *Sedeneg*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Parac. negat quoque eſſe lapidem, ſed potius lutum coagulatum, *l. de morb. Tartareis c.* 4. *Hæmatites* quoque vocatur Lapis Philoſoph. *Th. Chym. Vol IV. p.* 727.

HÆMATITINOS, αἱματίτινος, Epitheton Collyrii cujuſdam ap. Gal. *d. l.* quod ex lapide Hæmatite paratur. Alias & *Tartarus Hæmatitinus* legitur apud Parac. *d. l.* qui facilius reſolvitur, quia inſtar lapidis non induruit.

HÆMATITIS, αἱματῖτις, *ſanguinaria*, eſt epitheton venarum ſanguinem vehentium: Hipp. *l. de morb. ſacr. XVI.* 28. qualis ſi intumuerit, vocatur κονδυλώδης αἱματῖτις, *l. de Hæmorrhoid. III.* 12. ubi & ſimpliciter κονδυλῶσις appellatur.

HÆMATOCELE, αἱματοκήλη, & in ſpecie, αἱματόμφαλος dicitur ſpecies *Herniæ*, juxta Ingraſſiam, quæ à ſanguineis portionibus occluſis oritur. *Comm. in Avic. de Tum. p. n. p. m.* 254.

HÆMATOCHYSIS, αἱματόχυσις, *effuſionem* vel *profuſionem* ſanguinis præcipue ſpontaneam, qua criticam qua ſymptomaticam, ſignificare videtur, & ita idem eſt quod *Hæmorrhagia*. Legitur vero aliquoties apud Th. Willis præſertim *in Pharm. Rat. P. II. Sect. III. c.* 1.

HÆMATODES, αἱματώδης, *ſanguineus*, cruentus; idem, quod αἱματηρὸς.

HÆMATOPHLOEBOESTASIS, αἱματοφλοιβοίστασις, dicitur *ſanguinis* ſuo impetu exundantis ac *intumeſcentis ſuppreſſio*, Gal. *in exeg. dict. Hipp.* quaſi dic. αἵματος φλεβῶν στάσις. De hujus vocis varia ſcriptione vid. Foëſ. *p.* 11. De affectu vero ipſo junge Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſect.* 1. *Obſ.* 1. *Schol. p.* 2.

HÆMATOSIS, αἱμάτωσις, *ſanguificationem* ſignificat, cujus rationem pete ex deſcriptione ſanguinis. Vide *Hæma*. Junge Autores ibid. citatos.

HÆMOCERCHNOS, αἱμόκερχνος, exponitur bifariam ab interpretibus. Vel enim dicitur de ſanguine excreto per os cum ſtridore quodam in faucibus, Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* vel de excretis cruentis, ſive ſanguine perfuſis, ſed ſiccis; κέρχνος enim & ſtridorem & Atticis ſiccum ſignificat: Erotian. *p.* 12. Conf. Gal. *in Lex. Hipp.*

HÆMODIA, αἱμωδία, eſt affectus, qui dentes gingivaſque infeſtare ſolet, cum quiſpiam & auſteros & acidos cibos ingeſſerit, adeoque dentium quidam quaſi ſtupor cum dolore conjunctus inde ſequitur, qui portulacam manducatam mederi experientia probat, Gal. *l.* 2. *de L. A. c.* 6. Legitur & apud Hipp. *l.* 2. *Prorrhet. XXXV.* 11. *l.* 2. *de morb. XVI.* 7. Verbum quoque αἱμωδᾶν ipſi in uſu fuit, i. e. dentes obſtupeſcere, *l. de Humor. IV.* 6. *lib.* 2. *de morb. LIII.* 7. *LXXI.* 11. *l. de int. aff. VII.* 14. Sunt &, qui τῆς αἱμωδίας nomine omnem ſimpliciter dentium dolorem intelligunt.

HÆMOPHOBUS, αἱμοφόβος, i. e. *ſanguinem mittendi timidus*, Gal *l.* 9. *de meth med. cap.* 5. *circa fin.*

HÆMOPTYICUS, αἱμοπτυϊκὸς, id eſt, qui ſanguinem ſputo per os ejicit, Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 4. ſive vomendo, ſive tuſſiendo, ſive ſcreando, ſive ſimpliciter expuendo, *l.* 4. *de L. A. c.* 4.

HÆMOPTYSIS, αἱμόπτυσις, dicitur ſymptoma retinendi excreti, h. e. ſanguinis per os ejectio, ἀναγωγὴ τοῦ αἵματος, Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. cap.* 4. Aliquando eſt ſymptoma peſtis aëreæ, Parac. *tr.* 2 *de peſtil. c.* 1. *de curat.* Obſervationem *Hæmoptyſeos* ſine tuſſi, vide *in Ephem. N. Cur. Ann. II. Obſ.* 45. Quod *Hæmoptyſis* non ſemper periculum Phthiſeos conjunctum

habeat,

habeat, teſtatur Obſervatio D. Joh. Henr. Brechtfeld *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 105. *p.* 196. cui plane ſimilem (exceptis periodis, quæ in noſtro ſubjecto non fuerunt ſtatæ, ſed incertæ) in quodam Studioſo ὁμωνύμῳ & nos notavimus, feliciterque curavimus. Perperam ſcribitur aut pronunciatur *Hæmoptoſis* & *Hæmoptoicus.*

HÆMORRHAGIA, αἱμοῤῥαγία, generaliter ſignificat *ſanguinis profluvium copioſum*, largum, quacunque ex parte effundatur; ἀπὸ τοῦ ῥαγῆναι. Vide Diet. *Iatr. n.* 20. 21. Huc pertinet locus 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 9. & 4. *aph.* 27. ubi verbum αἱμοῤῥαγεῖν legitur. Specialiter dicitur de ea, *quæ per nares fit*, ſanguinis profuſione. Ita accipitur paſſim apud Hipp. 1. *Prorrhet. com.* 3. *t.* 37. *ſeqq. pluribus*, & paſſim *in Epidemiis.* Vide Foëſ. *p.* 12. Eſt vero αἱμοῤῥαγία alia critica, & cum ſanitatis commodo, alia ſymptomatica & noxia. Cauſſa omnis conſiſtit in aliqua ſolutionis continui ſpecie, ſive ἀναστόμωσις, ſive διαπήδησις, ſive διάβρωσις fuerit, de quibus ſingulis in ſuis locis. Dicitur & αἱμοῤῥοια, Hippocr. *Coac. t.* 632. Unde & αἱμοῤῥοικὸς ſanguinis eruptionem efficiens, 5. *aph.*24. quamvis & Gal. αἱμοῤῥαγικὸς legerit. Diet. *n.*22.

HÆMORRHOIS, αἱμοῤῥοΐς, ſtrictiori & frequentiori uſu Medicis ſignificat *profluvium ſanguinis ex venis, quæ ſunt in ano.* Hipp. *l.* 3. *aph.* 30. *l.* 6. *aph.* 12. 21. & *alibi.* Interdum vero ſaltem tumorem illarum venarum abſque ſanguinis eruptione denotat, quem paulo ſuperius αἱματίτιδα κονδυλώδη, ἢ κονδύλωσιν vocari notavimus. Latinis appellantur *Hæmorrhoides cœcæ*, ad differentiam fluentium, quæ *apertæ* vocantur. Aliquando & ipſæ venæ in ano *Hæmorrhoidum* nomine veniunt, quæ alias *Venæ Hæmorrhoidales* vocantur Anatomicis, & de his vide Barthol. *libell.* 1. *Anat. c.* 4. Profluvium *Hæmorrhoidum* eſt vel criticum & ſalutare, quod & hyperbolice Germanis vocatur *aurea vena*, die güldne Ader; vel ſymptomaticum & periculoſum. Plura de hoc argumento lege apud Diet. *n.* 23. De *Hæmorrhoidibus* morboſis integrum libellum ſcripſit Hippocr. *h. tit.* Plane abuſive vocavit *Hæmorrhoides* narium excreſcentias carneas p. n. in naribus Valeſcus de Taranta, eaſque duplices vel albas, molles & doloris expertes, vel duras, rubras & fuſcas conſtituens. Philon. *Pharmaceut. l.* 2. *c.* 56. *in principio.*

HÆMORRHOSCOPIA, αἱμοῤῥοσκοπία, h. e. *ſanguinis effluxi inſpectio* & contemplatio; qui terminus inepte fictus legitur ap. Helmont. *tract. Scholar. Humoriſt. Paſſ. Decept. c.* 1. *n.* 51. ubi *deceptoriam* vocat illam artem, nec abſque veriſimilitudine, ſiquidem & experientia confirmat, ariolatores & cruoris inſpectores ſæpe falli & fallere, præſertim qui vulgari, vana, & ſuperſtitioſa tabula *Hæmorrhoſcopiæ* etiam Calendariis quibuſdam adjungi ſolita utuntur.

HÆMORRHUS, αἱμόῤῥους, contracte pro αἱμόῤῥοος, primo eſt epitheton vaſorum ampliorum & inſignium, quæ aperta magnam ſanguinis copiam profundunt. Hipp. 2. *de fractur. t.* 24. *l. de Venis X.* 1. 2. 3. *XIIX.* 5. *l. de Hæmorrhoid. IV.* 8. *l. de Affection. XXX.* 9. 10. *l.* 1. *de morb. III.* 4. *VII.* 21. &c. Vide Foëſ. *d. l.* Deinde eſt nomen ſerpentis venenoſi, qui & Lucano *Hæmorrhois* in fœmin. dicitur, cujus morſu multus ſanguis prorumpit. P. Æginet. *l.* 5. *c.* 16. Foreſt. *l.* 30. *Obſerv. in Schol.* Hujus ſerpentis deſcriptionem vero prolixius tradit Aldrovand. *de dracon. & ſerpent. l.* 1. *c.* 5.

HÆMOSTASIA, αἱμοστασία, ſignificat ſanguinis ſtagnationem & motum à copia impeditum, & legitur apud Theophil. Bierling. *in Theſauro Medico Pract. p.* 1107. quamvis in nullo alio autore Græco reperire licuerit.

HÆREDITARIUS, vide *Hæreditarius.*

HÆRESIS, αἵρεσις, *ſectam* ſignificat h. e. peculiarem aliquam in arte, vel ſcientia præceptorum & fundamentorum rationem. Ita in Medicina tres potiſſimum Sectas occurrere docuit Galen. *l. de opt. ſecta c.* 7. & alibi, *Dogmaticam*, *Empiricam*, & *Methodicam.* Neque hodie ars Medica deſtituitur *ſectis* & *ſectariis*, quamvis facile ad illas tres referri poſſint, v. g. *Chymica* & *Helmontiana* ad Empiricam, & *Compendiaria* Medicina ad Methodicam. Enimvero conſultius eſt, non ſe addicere uni *ſectæ.* Non ambitio unius *ſectæ* indelebile malum eſt, Galen. *l.* 1. *de fac. natur. c.* 17. & uni *ſectæ* addicti facile mentiri ſolent, *l.* 3. *de L. Aff. c.* 2. Circa Anatomiam quoque hodieque ſectæ occurrunt, v. gr. de Bilis ſucci Pancreatici uſu ſingulari, &c.

HAGER, *Hagiar*, Arab. i. e. *Armenius lapis*, de quo ſupra *ſuo loco.*

HAGIOXYLON, ἁγιόξυλον. Vide *Guajacum.*

HAL, dicitur *Sal*, Rul. & Iohnſ.

HALATION, ἁλάτιον, dicitur medicamentum ex *ſale* confectum, purgandi vim habens. Conſtat utplurimum magna ſalis portione cum purgantibus, ſcammonio, lathyridibus, epithymo, ut & aliis tenuium partium ſimplicibus, cujus formulam tradit Ægineta *lib.* 7. *c.* 5. Uſus eſt cum cibis, ſicut ſalis, aut mane etiam aliquo liquore dilutus jejunis certa menſura exhiberi poteſt. Gorræus.

HALCHEMIA, vocatur Artificium vel ratio ſalem fuſilem præparandi, παρὰ τὸν ἅλα χέειν. Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 6.

HALCYONION, ἀλκυώνιον, eſt ſpuma maris concreta admiſtis ſordibus tenuiſſimis. Ita dicitur ab *Halcyonibus* avibus, quæ ex ſpuma innatante nidos effingunt. De quibus avibus, ut & *Halcyonio* vide prolixe Aldrov. *lib.* 20. *Ornithol. c.* 60. Schroder. *lib.* 5. *cl.*2. *n.* 44. Quinque genera *Halcyonii* refert Dioſc. *l.* 5. *c.* 136. & ex hoc Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* Theophraſtus *Halcyonium* pumicem eſſe ſcribit. Hodieque *Halcyonia* minus ſunt uſitata, unde nolumus eſſe prolixiores.

HALEC, *Halex*, *Alec*, μαινὶς. Vide *Harengus.*

HALELÆON, ἁλέλαιον, dicitur *oleum ſali mixtum*, & ſal ex oleo diligenter tritus, quo in laxis articulorum doloribus utitur Galen. *l. de facil. parabil. c.* 23.

ceu remedio confirmandis articulis idoneo; annotante Foëſio *Oecon. p.* 27. Hoc nomine etiam exornavit Ol. Borrichius ſuccum ſulphureum rubei coloris inflammabilem una cum cubicis ſalinis cryſtallis per proceſſum deſtillatorium aquæ nivalis, vel pluvialis productum, de quo proceſſu legatur laud. Autor in Hermetica & Ægyptiorum ſapientia vindicata contra Conring. *l.* 2. *c.* 7.

HALES, ἅλης, ἀλὴς, ſignificat *confertum*, coacervatum, *cumulatum*. Frequenter occurrit apud Hippocr. præſertim neutrum ἅλες, v. g. *l.* 1. *de Morb. X.* 50. *XII.* 2. *XXX.* 24. *l.* 2. *II.* 10. *IX.* 2. *l.* 4. *XXV.* 14. *Coac. t.* 300. & in plurimis aliis locis, quæ collegit Foëſ. *p.* 28. Hinc deſcendit verbum ἀλίζομαι, quod *colligi*, coacervari ſignificat, & non minus Hippocr. uſitatum, v. g. *Coac. t.* 339 & alibi ſæpiſſime, & adverb. ἅλις ſatis, cumulate.

HALIÆETUS, ἁλιαίετος, nomen volucris rapacis. Lat. *Aquila marina*, Accipiter marinus, qui circa mare, & in littoribus & oris piſcibus & aquatilibus inſidiatur, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & Medicina vide apud Aldrov. *l.* 2. *Ornithol c.* 3.

HALICA, pro *Alica*, χόνδρος. Vide *Alica.* Occurrit cum aſpiratione apud Scribon. Mercurialem, & alios.

HALICES dicuntur Pandiculationes poſt ſomnum. Avic. *l.* 1. *Fen.* 3. *doctr.* 2. *c.* 13.

HALIEUTICON, nomen Emplaſtri, quod duplex habetur apud Aëtium *l.* 15. *cap. de Emplaſtr. diſcuſſoriis & attractoriis.* Gorr.

HALIMAR, id eſt, *Cuprum.* Rul. & Iohnſ.

HALINITRON, ἁλίνιτρον, i. e. *ſalnitrum.* Fr. Hofmann. *in clav. ad Schr. p.* 3. Gorræus deſcripſit, quod ſit ſucci concreti ſpecies, acris, ſalſi, ſubamari, rari, tenuis, levis, & aërei, qui facile in pulverem ſolvi poteſt, & ignem concipere, & in ignem mutari. Ex eo pulvis tormentarius paratur, ad excutiendos globos ferreos & plumbeos. Ubique fere *ſalpetrum* vocatur. Abſtergit, & vires non valde à *nitro* diffidentes poſſidet, etiamſi ab amaro & vero illo Nitro multum differat. Hæc Gorr. Libavius vero ex Paracelſo duplex *Halinitrum* ſtatuit, unum *animale* ex lotiis hominum & beſtiarum in terra natum, inque ea coagulatum in corpus: alterum *minerale*, quod *Petræum*, ſive *Salem petræ* nominat. Plura de *Halinitro* vide apud illum *Apocal. Herm. part. pr. c.* 17. Modum purificandi tradit *Synt. Arc. Ch. l.* 7. *c.* 32. & 4. Vide *Nitrum.*

HALISCOMÆ, ἁλίσκομαι, *capior*, teneor. Dicitur de iis, qui lentis morbis & chronicis infeſtantur. Hippocr. 5. *aph.* 70 Gal. *in comm.* Dieter. *n.* 41.

HALITUS, ἀλιτμὸς. *Halituoſus*, ἀτμώδης. *Halitus.* idem eſt, quod *Vapor*, eſtque humor attenuatus, deſcribente Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. cap.* 6. *Halituoſus ſpiritus*, ἀτμῶδες πνεῦμα, idem, quod *Flatus*, 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 3. & *l.* 14. *meth. med. c.* 7. Vide *Flatus.* Sumitur & aliquando latius, comprehendens & exhalationem humidam, quæ vapor, & ſiccam, quæ *Fumus* vocatur, Gal. *c.* 3. *de humor. t.* 13. Vide quoque *Exhalatio, Vapor.* Alimenta *halituoſa* dicuntur, quæcunque per cutem foras exhalare apta ſunt. Gal. *l.* 8. *meth. med. c.* 2. Vocantur alias *Diaphoretica.*

HALLE, ἅλλη, i. e. *ſaltus.* Dicitur de ſanguine à circumferentia & partibus externis ad interiora recurrente in horrore & tremore. Hippocr. *l. de flatib. XI.* 7. Foëſ. *Oec. p.* 30.

HALLEREON, *Halcreon*, juxta Hermetem vera *Aquila* eſt. Parac. *Scholiis in l. de grad. & compoſ. l.* 4. *c.* 6. Iohnſ. *Lex. Chym.*

HALLUCINATIO, παρόρασις. vide *Paroraſis.*

HALMA, ἅλμα, idem, quod ἅλλη, *ſaltum* ſignificat. Vocatur & Gr. πήδημα. Et Heſychius ſcribit, ἅλμα vocari primam fœtus in utero agitationem & commotionem. Foëſ. *p.* 32.

HALME, ἅλμη, ſignificat *Muriam*, quæ eſt nihil aliud, quam aqua ſalſa, in qua res condiuntur, ut melius conſerventur. Tres ejus ſummæ differentiæ recenſentur à Gorræo. Prima eſt *muria* valde diluta, in qua etiam caſeus mollior demergitur, & in qua ſal conjectus adhuc liqueſcit. Secunda eſt *muria* temperata, in qua nec ſal amplius liqueſcit, nec caſeus mergitur. Tertia eſt nimium ſalſa, ita, utplurimum ſalis, minimum aquæ inſit. Ab ἅλμη, *muria*, vocantur olivæ ἁλμάδες, i. e. *muria conditæ*, ſicut κολυμβάδες eæ dicuntur, quæ ſuo oleo innatant, quamvis Græci hos terminos haud raro confundant, uti videtur feciſſe P. Ægin. *l.* 1. *c.* 81. Vide *Muria.*

HALMYRAX, ἁλμύραξ, eſt *Nitri ſpecies*, quæ ſua ſponte ex terra effloreſcit, & extra terram reperitur, vel in convallibus, & campis, vel in lacu. Et per æſtatem caneſcunt convalles apud Medos, ut Plinius ſcribit *l.* 31. *H. N. c.* 10. Sic autem dicitur partim ex ſapore, quem habet ſubſalſum, partim ex eo, quod e terra erumpit. Gorr.

HALMYRIS, ἁλμυρὶς, in genere notat *ſalſuginem*, Hipp. *l. de humid. uſu VII.* 8. In ſpecie nomen *Braſſicæ* eſt, teſte Gorræo.

HALMYRODES, ἁλμυρώδης, *ſalſuginoſus.* Eſt Epitheton quarundam febrium apud Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 29. quo tangentibus pruritum quendam excitant, perinde atque à ſale & aliis corporibus ſalſis. Unde & cutis δέρμα ἁλμυρῶδες vocatur *ibid. ſ.* 6. *t.* 12. Excretio quoque *ſalſuginoſa* cum alvi perturbatione occurrit. *Coac. t.* 641. Aliquando legitur ἁλμώδης, quod idem eſt, ac ἁλμυρῶδες, *l. de humid. uſ. XI.* 8. & *l.* 7. *Epid. XIV.* 9.

HALO proprie dicitur circulus ille candicans circa ſolem aëre vaporibus nebuloſis referto apparens, uti conſtat ex Meteorologicis. Unde translatum nomen ab Anatomicis, Area rubra utrique papillam mammarum

rum ambiens Halo quoque vocatur. Apud Bartholinum dicitur *Areola l. 2. Anat. c. 1. p. 326.*

HALOSACHNE, ἁλοσάχνη, pro ἁλὸς ἄχνη, *ſalis ſpuma*, quæ eſt ſpumoſi maris lanugo, ſive ramentum in exilibus petris inventum, ut ſcribit Dioſcorides *l. 5. c. 127.* eſtque nativi ſalis ſpecies ad mare geniti ex ſpuma maris exiccata. Virtus quoque ſalina, de qua Gal. *lib. 11. de S. Fac. fere in fine.*

HALOSANTHOS, ἁλοσάνθος, pro ἁλὸς ἄνθος. Galen. *d. l. ſalis flos*, quid proprie ſit, non ſatis certum eſſe ſcribit. Gorr. Dioſcorid. docet *d. l. c. 129.* ex flumine Nilo defluere, & lacubus quibuſdam innatare; crocei coloris, & odoris ingratioris. Georg. vero Agricola hunc non *florem ſalis*, ſed *florem maris* eſſe docet, quamvis *florem ſalis* non deſcribat.

HALS, ἅλς, *Sal*, quamvis, quid vulgo ſignificet, etiam pueris notum eſſe videatur; in foro tamen Medico valde æquivocum, obſcurum, & intricatum eſt nomen, ita, ut, ſi omnes de *Salis* ſignificatione opiniones vellemus proponere, integro tractatu opus eſſet & volumine. Vulgaris acceptio *Salis* eſt de corpore quodam minerali, in aqua ſolubili ac denuo in ſalinam cryſtallinamque formam coagulabili. Et ita *Sal* duplex eſt: *naturalis* & *artificialis*. Illius ſpecies primariæ ſunt, *Sal* commune, Gemmæ, Nitrum, (hæc vocat *ſalia muriatica naturalia* Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. c. 13. p. 130.*) Alumen, Ammoniacum, Vitriolum, quorum hiſtoriam, uſum, præparandi modos, & alia vide apud Schroder. *l. 3. c. 20.* Frid. Hofmann. *clav. ad h. l.* & *in hoc Lexico* ſuis ſub literis initialibus. *Artificialium* materia triplex eſt, *vegetabilis*, *animalis*, & *mineralis*, quorum ſalium tantus eſt numerus, ut non liceat omnes recenſere. Videatur Schroder. *l. 2. c. 79.* Hofm. *in clav.* Rolf. *Chym. lib. 5. ſect. 1. per tot.* Libav. & alios Practicos. In ſpecie de *Sale Auri* placet judicium Blancardi, quod ſit potius particulæ *Salis* quam auri. Præparatio videatur in ejus *Chymia vernacula c. 5. §. 16. Sal Panis* apud Meſuen *fol. 78.* vocatur *Sal* culinarius ad cibos, quemadmodum vulgo panes vocant ſaccharum in formas fuſum. Dividuntur *Salia* artificialia in *eſſentialia* & *cineritia*: item in *volatilia* vel *fixa*. *Sal eſſentiale* quid ſit, vide *Eſſentiale*. Chymicis vero & recentioribus Philoſophis *Sal* accipitur pro ſimpliciori corpore & principio corporum naturalium univerſali & eſſentiali, ſine cujus præſentia corpus conſiſtere, & perfecte mixtum corpus dici nequit. De qua ſignificatione legatur Willis *Ex. de ferment. cap. 2.* & Joh. Joach. Becher. *in Oedip. Chymic. Tit. II. §. 1. 2. ſeqq.* Conſiſtit vero in corpuſculis minimis variam figuram anguloſam obtinentibus & proinde penetrandi incidendique vi pollentibus. Corpuſcula illa eſſe duplicia, *acida* & *alcalina*, communis fuit hactenus Chymicorum ſententia, quam etiam arripuit Iunken *Chym. Exp. Cur. P. 1. ſ. 1. c. 1. p. 15. ſeqq.* quamvis alii ſint negantes Alcali naturaliter ineſſe corporibus naturalibus actu; ſed artis opera ſaltem produci. Nos litem hanc non facimus noſtram. Miſſos quoque facimus ingenii luſus, quos Helwigius de *Sale Naturæ* prodidit in ſuo Introitu ad Phyſicam. A *ſalini* illius principii bona conſtitutione ſanitas, corruptione morbi deduci ſolent. Medicamentorum quoque vires pleræque *ſalino* principio acceptæ referuntur. Impugnare tamen univerſalitatem hujus opinionis non dubitavit Fr. Hofm. *in Clav.* negans, ad omnium corporum naturalium conſtitutionem *ſalem* tanquam principium concurrere, quia multa dantur *ſalis* expertia, *l. 1. cap. 11.* & *l. 2. cap. 79.* Atque hæc pro inſtituti ratione hoc loco ſufficere poſſunt.

HALSINELLÆ dicuntur in arte vitraria unci in latere fornacis firmati, in quibus utenſilia, dum caleſiunt, vertuntur & quieſcunt. C. Meretti *in Neri præfat. de arte Vitrar. p. 272.*

HALTER, ἁλτὴρ, maſſam ſignificat plumbeam, lapideam, aut ex alia materia metallica, aut ſimiliter graviori factam, qua utebantur olim palæſtritæ in exercendis corporibus, teſte Galen. *l. 2. de ſan. tu. c. 11. l. 5. c. 3. l. 6. c. 14.* Hujuſmodi jactus *halterum* Gr. dicitur ἁλτηροβολία, apud Oribaſ. Foëſ. *p. 33.* Meminit & hujus exercitii, vel ludi Jul. Alexand. *l. 6. Salubr. cap. 10.* ἁλτῆρες quoque alias vocantur *palangæ* vel *perticæ illæ*, ſive haſtilia, quibus funambuli utuntur ad firmius æquilibrium, aut tranſilientes foſſam ad majorem vim ſaltus.

HAMALGAMA, ἀμάλγαμα, pro *Amalgama*, i. e. calcinatio per Mercurium. Libav. *tr. de Igne natur. c. 30.*

HAMARTEMA, *Hamartia*, *Hamartolia*, *Hamartas*, ἁμάρτημα, ἁμαρτία, ἁμαρτωλία, ἁμαρτάς, *errorem*, erratum, delictum in foro Medico ſignificat apud Hipp. Vide *Erratum. Error.* adde Foëſ. *p. 36.*

HAMIA, pro *Amia*, nomen piſcis duræ carnis. Gal. *l. 3. de Al. fac. c. 31.* Vide *Amia.*

HAMMA, ἅμμα, dicitur *Nodus*, vinculum & nexus, qui in faſciarum connexione & colligatione effici ſolet. Hippocr. *de iis, quæ in medicatr. t. 7. 8. 9. ſeqq.* ubi vid. *comm.* Galeni. Vide *Nodus.*

HAMMONITRUM vitioſe pro *Ammonitrum*. Vide *Fritta.*

HAMULUS, ἀγκιστρον, *Hamus*, inſtrumentum Chirurgicum, quo aliquid apprehenditur, aut elevatur. Ita pro nervis elevandis *hamuli* meminit Galen. *l. 8. admin. Anat. c. 4.* Hildan. *Hamulum* pro mola extrahenda exhibet *Cent. 2. obſ. 52.* Plura vide in Chirurgiæ ſcriptoribus, in ſpecie apud Scultet. *in Armam. Chirurg. Part. I. Tab. VIII. fig. 9. T. XV. f. 5. T. XXXI. f. 8. T. XXXIV. f. 3. Hamus* quoque nomen faſciæ eſt apud Galen. *de faſciis n. 91.* Qui plura de Hami notatione, differentiis, uſu legere deſiderat, adeat, ſi placet, Rhodium *in differt. de Acia c. 11. p. 148. ſeqq*

HAPALOS, ἁπαλὸς, *mollis*, mitis, lenis, ſignificat. Ita ἁπαλὸν φάρμακον, *molle* medicamentum dicitur, quale

quale ex ovi luteo & roſaceo cerato confici poteſt, & oculorum inflammationibus adhibetur. Item ἁπαλὸν κολλούριον, *lene* & mite collyrium. Gorr. Hinc verbum ἁπαλύνω, *emollio*, lenio, quod aliquoties occurrit apud Hipp. *l. de Humid. Uſ. I.* 17. *IIX.* 11. *Mochlic. XXI.* 11. 3. *de artic. t.* 63. Lingua ἁπαλυνομένη, i. e. *mollis* reddita per affluxum humidum. *Coac. t.* 232. Subſtantivum ἁπαλυσμὸς, *emollitio* occurrit 3. *de artic. t.* 64.

HAPHE, ἀφὴ, idem, quod ἅψις. Vide *Hapſis.*

HAPLOTOMIA, ἁπλοτομία, dicitur *ſimplex ſectio*, pertinetque ad Chirurgiam. Galen. *Introduct. c.* 18.

HAPLUS, ἁπλοῦς, *ſimplex* ſignificat. Uſurpatur de linteis Hipp. *d. l. t.* 14. Significat & *Similare*, Gal. *l.* 1. *de nat. fac. c.* 6. Tropice de animi *ſimplicitate. l. de vet. med. XXII.* 18.

HAPSICOROS, ἀψίκορος, vocatur, qui, ſimulatque dapes vel libavit, veluti ſatiatus prorſus ſtatim abſtinet. Latine *Tædulus.* Linden. *Ex. XIV.* §. 63.

HAPSIS, ἅψις, item, ἀφὴ, diverſa ſignificat, juxta verbi ἅπτω & ἅπτομαι variam ſignificationem. 1. notat *Tactum*, qui eſt ſenſus externus ampliſſimus, conſiſtens in perceptione objecti tangibilis beneficio fibrarum nervearum ſpirituum animalium copia refertarum facta, & per nervorum ductus ad commune ſenſorium propagata. De quo plura apud Willis *de Anim. Brutor. Part. I. c.* 11. Deinde ſignificat *connexionem*, & fere idem, quod ἅμμα. Tertio *læſionem* ſignificat; Hinc Hipp. *de mentis alienatione* uſurpat, ἅψις φρενῶν. 3. *de R. V. I. A. t.* 41. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIIX.* 24. Vide Foëſ. *p.* 87.

HAPSUS, glomum ſtuparum, filamentorum, aut lanæ ſignificat, quibus Chirurgi utuntur. Hildan. *de ciſta militari.*

HAPTO, *Haptomæ*, ἅπτω, ἅπτομαι, *tango*, *necto*, lædo, ſignificat. Vide Hapſis. ἅπτομαι ſignificat & *accendo.* Linden. *Ex. XI.* §. 171.

HARENA, idem quod *Arena*, vide *Arena.*

HARENCHUS, *Harengus*, *Harenga*, μαινὶς, nomen piſcis notiſſimi in cibo & medicina uſitati, cujus deſcriptionem & uſum vid. apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. cap.* 10. Schrod. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 80. qui *Halecam* vocat, quod tamen improbat Aldrov.

HARMA, *Harmation*, ἅρμα, ἁρμάτιον, nomen collyrii τραχωματικοῦ, quod efficax eſt ad aſperitatem palpebrarum, cujus deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 16. & Scrib. *n.* 28. Ita vero dicitur, quaſi *Quadriga* i. e. currus cum quatuor equis, quo Ptolemæus rex uſus eſſe dicitur. Rhod. *ad h. Scribon. loc.*

HARMODIA, ἁρμόδια, adverbium pro ἁρμοδίως, ſignificat *congrue*, apte, apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XXXVII.* 11. ubi tamen apud Linden. ἄλλως legitur, Foëſ. *p* 94.

HARMONIA, ἁρμονία, in genere *concordantiam*, concentum ſignificat ſive *concinnitatem.* In ſpecie vero ἁρμονία eſt ſpecies συναρθρώσεως, qua inter ſe oſſa apte committuntur & concinne junguntur, ut in capite. Sunt autem maxillæ ſuperioris oſſa, adhæc narium & quædam capitis oſſa ad hunc modum inter ſe juncta, Gal. *l. de oſſib. in proœm.* Differt à ſutura, quod in hac ſint extremitates oſſium veluti ſerratæ: in *Harmonia* vero per lineam ſimplicem combinentur. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 1. Ita omnes fere epiphyſes connectuntur. *Harmonia* etiam medicamenti nomen eſt in catapotia coacti, & perutilis ad ſiſtendas fluxiones ſive deſtillationes, apud Galen. *libr.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. *in fin.* Eſt etiam medicamentum ἀνώδυνον βηχικὸν, h. e. ad tuſſim comparatum, doloris expers, cujus deſcriptio eſt apud Aëtium *l.* 8. Eſt quoque emplaſtri nomen apud eundem. Ad generalem *Harmoniæ* ſignificationem pertinet locus elegans apud Langium *l.* 1. *ep.* 41. ubi per *harmoniam* in qualitatum proportione & membrorum corporis compaginis unitate conſiſtentem contemperatam fieri voluptatem, per ſolutam vero dolorem excitari, ex Socrate docuit. De *Harmonia* Macrocoſmi & Microcoſmi vid. Paracelſ. *in paragran. & alibi.*

HARMOS, ἁρμὸς, dicitur Polluci ſpatium illud, quod eſt inter dentes, ſeu *caro* inter dentes media. Gorræus.

HARMOZOMÆ, ἁρμόζομαι, ſignificat apte compingor, coaptor, firmor, fulcior, apud Hipp. 2. *de iis, q. in med. t.* 6. *& c.* 3. *c.* 26. Galen. 2. *de fract. t.* 36.

HARPA, *Harpyja*, ἁρπυία, nomen monſtroſi & verminoſi partus uteri, ex crebro fructuum, olerum, aliorumque ciborum mali ſucci uſu geniti. *Ephem. N. Cur. An. I. obſ.* 1. Vocantur *Lombardorum fratres.* Eſt & nomen monſtroſæ volucris apud Aldrov. *l.* 10. *Ornithol. c.* 2. quæ tamen pleraque figmenta videntur Poëtica.

HARPAX, ἅρπαξ, vulgo ſignificat *rapax*, epitheton ferarum quarundam volatilium & terreſtrium. A quibuſdam vero ita vocatur *Succinum*, quod affrictu calefactum paleas & res alias leves ad ſe trahat, & retineat. Gorr. *Harpax*, miſtura ex calce, & ſulphure vivis, Holler. *inſtitut. Chirurg. l.* 3. *cap.* 5.

HARUNDO, κάλαμος, pro *Arundo.* Ejus ſignificatio propria pertinet ad Botanicos. Tropice *Harundines* vocavit Helmont. venas, arterias, inteſtina & canales omnes, *tr. Tumulus Peſtis.* §. *Imaginat. Peſtis requiſita &c.*

HASACIUM, id eſt, *Sal Ammoniacum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

HASTELLÆ vocantur *Plagulæ*, vel *Aſſerculi*, qui adhiberi ſolent in deligatione fracturarum ad firmitatem membri, Avicen. *lib.* 4. *fen.* 5. *tr.* 1. *c.* 7. 8. Vide *Ferula.*

HAUSTUS, Gr. ῥόφημα dici poſſet, dicitur quantitas certa potus, quantum videlicet uno ſpiritu aliquis ebibere poteſt. Refertur inter doſes medicamentorum liquidorum, purgantium & alterantium. Hinc uſus obtinuit,

obtinuit, ut *Hauſtus* nominemus, qui uno veluti *hauſtu* ſorberi queunt. Lind. *Ex. XIII.* §. 356.

HEBDOMADA, *Hebdomas*, ἑβδομὰς, ſignificat tempus ſeptem dierum naturalium. Dicitur & *Septimana.* Quod temporis ſpatium quomodo in criſibus numerari debeat, docet Gal. *comm.* 2. *de humor. t.* 20.

HEBE, ἥβη, tria notat hæc vox: 1. *Lanuginem* pudendorum, ſive pilos ſupra pudendorum regionem erumpentes: 2. *locum*, ubi iſta lanugo ſuccreſcit: & 3. *ætatem*, qua incipit creſcere, quæ Lat. *Pubertas* dicitur, nec certo definiri tempore poteſt. Dieter. *n.* 371. Jung. Galen. *c.* 3. *aph.* 27. 28. & *l.* 5. *aph.* 7.

HEBES, *Hebetudo*, ἀμβλὺς, ἀμβλυωπία. Vide *Amauroſis*, *Amblyopia.*

HECATOMBE, ἑκατόμβη, nomen collyrii vel medicamenti ophthalmici ad cicatrices craſſas apud P. Æginet. *l.* 7. *c.* 16.

HECATONDRACHMON, ἑκατόνδραχμον, ſcilicet ἔμπλαστρον, nomen emplaſtri viridis apud Galen. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 2.

HECTEUS, ἑκτεὺς, dicitur menſura Attica ſex, aut octo choenices capiens, & *ſexta pars medimni.* Meminit Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXIV.* 21. Adde Foëſ. *p.* 193.

HECTICA *febris*, ἑκτικὸς πυρετὸς, ſæpe ſimpliciter *Hectica*, duplicem habet ſignificationem. Primum ſic dicitur omnis *febris ſolutu difficilis*, qualiſcunque fuerit; & ita opponitur τῇ σχετικῇ, h. e. *febri ſolutu facili.* C. Hofm. *de febrib. c.* 12. & 29. Deinde ſpeciatim magis dicitur *Hectica febris*, quæ diariæ & putridæ opponitur, diciturque juxta nonnullos *Hectica*, quod in *habitu* corporis, ἕξιν appellant, h. e. in partibus ſolidis, tanquam in ſubjecto conſiſtat. Eſt enim *Hectica* febris calor p. n. in ſolidis partibus ipſius cordis accenſus. Caſtell. & Gorr. Verum Sennert. hanc denominationis rationem improbat, *tr. de febrib. l.* 3. *c.* 1. & Piens *tr. de febribus in ſpecie c.* 4. *p.* 45. 46. Nobis naturam hujus febris optime deſcripſiſſe videtur ex recentioribus Thomas Willis, quando inter ſymptomaticas retulit, & *lentam* vocavit, & cauſſam ejus in mala ſanguinis diatheſi, videlicet nimis ſalſa & acri, ideoque circulationi & nutritioni minus apta poſuit. Hinc vel obſtructiones pulmonis & viſcerum, vel ulcera ſequi docuit, *c.* 11. *de febribus.* Ex quibus hanc libet ſubjicere deſcriptionem: *Febris Hectica* eſt intemperies calida & ſicca totius corporis cum variis ſymptomatibus, præſertim vero caloris externi in extremis partibus poſt paſtum exacerbatione, corporis macie, ſudore nocturno, & aliis conjuncta, proveniens à ſanguinis acrioris & ſalſi effervescentia p. n. lente continuata. Apud Paracelſ. ſæpe barbare dicitur Febris *Ethica* pro *Hectica. Paramir.* & *alibi.*

HECTICUS *pulſus*, ἑκτικὸς σφυγμὸς, Galeno dicitur, qui non magnopere variat, ſed manet in perpetuum ſibi ſimilis, nec ſolvitur unquam, quod totus corporis habitus morbum induat in ejuſmodi hecticis febribus, *l. de pulſ. ad Tyron. c.* 8. Eſtque ſpecies inæqualis pulſus confinis formicanti, qui Græcis μυρμηκίζων dicitur, ſed eo adhuc minor. Phthiſi, Empyemati & Febri Hecticæ proprius eſt. Galen. *l.* 3. *de præſag. ex pulſ. c.* 4. ubi etiam *ſtabilem* dici poſſe ſcribit. Gr. μόνιμον ἀνωμαλίαν σφυγμοῦ.

HECTICUS *Spiritus*, ἑκτικὸν πνεῦμα, dicitur tertia ſpecies inſiti ſpiritus, Gr. ἔμφυτον, qui lapides continet; contradiſtinctus à reliquis duobus; *Naturali*, qui animantia & ſtirpes nutrit, & *Animali*, qui ſentiendi, omniſque motus facultatem animantibus exhibet. *Hecticus* in toto corpore ſedem ſuam habere creditur, Gal. *l. Introduction. c.* 13. Verum tota doctrina de Spiritibus inſitis non caret abſurditate, teſte C. Hofm. *Inſtit. l.* 2. *c.* 150. §. 10. *ſeqq.*

HECUSIOS, ἑκούσιος, idem, quod καθ' ὁρμήν. Vide *Voluntarius.*

HEDERACEUS, ἑλικοειδὴς, *Hederarius*, epitheton vaſorum præparantium arteriæ & venæ, ad teſtes utrinque excurrentium inter ſe intricato plexu conjunctarum, unde & *Plexus pampiniformis*, *Capreolaris*, κισσοειδὴς vocatur, Galen. *l.* 1. *de ſem. c.* 12.

HEDONE, ἡδονὴ, *Voluptas*, quid ſignificet, notum eſt; eſtque perceptio animæ ſenſitivæ extrema, in qua omnes reliqui affectus acquieſcunt. Conſiſtit vero in grata & concinna ſpirituum per objecta ſenſoria facta alteratione, expanſione, agitatione & motu, uti prolixius eam deſcribere auſus eſt Th. Willis *An. Brut. P. I. cap.* 9. Add. Charlton. *Ex. IIX. Patholog.* §. 21. & 22. Vide *Voluptas.*

HEDOS, ἕδος. Vide *Sedile.*

HEDRA, ἕδρα, æquivocum nomen eſt. Vel enim ſignificat *podicem*, ſive anum, ὄρρον, δακτύλιον, vide *Anus*; vel etiam excretionem ipſam alvi, Lind. *Ex. IV.* §. 99. Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXIV.* 12. & *l.* 7. *XIIX.* 15. Unde & vernacule *Sedis* nomine venire ſolet. Vide Lind. *Ex. IV.* §. 99. vel denotat *ſedem* & baſin, ut in abſceſſibus & ſinubus ſubjectam abſcedenti corpori partem. Hippocr. 2. *de iis, q. in medic. t.* 27. Et *in Mochlico XXII.* 6. locum proprium & ſedem partis congruam notat. Ἕδρη quoque Hippocr. dicitur oſſis fracturæ ſpecies, ita ut teli veſtigium maneat eſſe diſciſſo, &, qua inſederit, appareat. Dicitur alias διακοπή, *l. de cap. vulner. XIV.* 6. 7. & *XVI.* 12. Galen. *c.* 2. *de artic. t.* 9. Jung. Foëſ. *pag.* 180.

HEDRÆOS, ἑδραῖος, ſignificat *ſedentarius*, ſeſſilis, Epitheton somni ſeſſim facti apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 15.

HEDRICOS, ἑδρικὸς, epitheton remediorum ad podicis, vel ſedis affectus, apud Ægin. *l.* 3. *c.* 59. ex quo allegavit Foreſt. *l.* 23. *obſ.* 9. *in Schol.*

HEDYCHROON, ἡδύχροον, eſt Magma per paſtillos digeſtum multis aromatis conſtans. Primum ab Andromacho inventum & deſcriptum proditur. Deſcriptio

habetur

habetur apud Gal. *l.* 1. *de Antidot. c.* 10. & *de Theriac. ad Piſon. c.* 13. P. Æginet. *l.* 7. *c.* 11.

HEDYNTHOS, ἡδύντης, *ſuaveolens*, ſive odoribus, vel aromatibus ſuaviter imbutum ſignificat. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 7. & *l. de Steril. XI.* 26.

HEDYS, ἡδὺς, ſignificat *ſuavis*, jucundus, gratus. Hippocr. vero ſumit ſtrictius de condimento aromatico, *l.* 2. *de morb. mul. XLVII.* 21. & *LXXXIV.* 3. ut ita idem ſit cum τῷ ἡδύντης. Foëſ. *Oec. pag.* 261. Vide *Jucundus.*

HEDYSMA, ἥδυσμα, in genere ſignificat *condimentum* omne, alteri gratiam & ſuavitatem concilians. In qua ſignificatione Galen. *l.* 3. *de alim. fac. c.* 11. pinguedinem quoque & adipem carnium ἡδύσματα eſſe dixit. Cibis enim ſuavitatem potius conciliant, quam in alimentum convertuntur. Strictiori vero ſignificatione ἡδύσματα vocantur illa, quibus ſuavis odor unguentis conciliatur. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXI.* 2. Rhod. *ad Scribon. n.* 122. Erant autem potius liquida, & plerumque, uti patet ex Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. *in fine* fere ad differentiam τῶν συμμάτων, quæ corpus & conſiſtentiam dabant unguentis; utriſque tamen eadem odoris gratia, uti patet ex Plin. *l.* 13. *H. N. cap.* 1. Jung. Linden. *Ex. X.* §. 77.

HEGEMONICOS, ἡγεμονικὸς, *principalis*, primarius: Epitheton facultatum animalium quarundam, quales ſunt ratiocinatrix, imaginatrix & recordatrix. Gal. *l. de diff. ſympt. c.* 3. ἡγεμονικοῦ ſedes eſt in cerebro. C. Hofm. *comm. in Gal. de V. P. n.* 550.

HEILEOS, εἰλεὸς, idem, quod εἰλεός. Vide *Eileos.*

HEILESIS, εἵλησις, idem, quod εἵλη vel ἕλη, eſtque *ſolis ardor*, ſplendor & æſtus. Gal. *l. quod anim. mor. ſeq. temp. corp. c.* 9.

HEILIPUS, εἰλίπους, quaſi *flexipes.* Epitheton bonum apud Hipp. 1. *de art. t.* 28.

HEL, id eſt, *mel.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Ch.*

HELCOMA, ἕλκωμα, *exulceratio*, idem quod ἕλκωσις, ἕλκος. Occurrit apud Hipp. *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 47. Vide *Helcos.*

HELCOS, ἕλκος, Latine *Ulcus* vel *Hulcus.* Accipitur late & ſtricte. In illa ſignificatione notat omnem ſolutionem continui in partibus carnoſis & mollibus factam. Hinc Hippocr. ἕλκεα carnis vitia & calamitates dicuntur *l. de Medico IX.* 11. & ita ſæpe confunditur cum vulnere, 2. *Prorrhet. XIX.* 10. *XXII.* 12. *XXIII.* 1. *l.* 5. *Epid. XIV.* 7. *l.* 4. *de morb. XXV.* 1. Imo generaliſſime omnes morbos ἕλκεα vocare non eſt veritus Hipp. 3. *de fract. t.* 4. Stricte vero *Ulcus*, ἕλκος, ea dicitur ſolutionis continui ſpecies in partibus mollibus, quæ cum deperditione ſubſtantiæ ab eroſione facta eſt. Vid. *Dogm. noſtr. Part. II. c.* 5. *dogm.* 4. *p.* 137. *ſeq.* & jungantur Chirurgiæ ſcriptores.

HELCOSIS, ἕλκωσις, idem, quod ἕλκος, *exulceratio.*

HELCTICOS, ἑλκτικὸς, *attrahens*, attractivus. Dicitur de facultate miniſtra & de medicamentis. Vide *Attractio. Epiſpaſmos.*

HELCYDRION, ἑλκύδριον, i. e. *ulcuſculum* aut puſtula ulceroſa. Galen. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 9. & P. Ægin. *l.* 3. *c.* 3. Foëſ. *p.* 200.

HELCYSMA, ἕλκυσμα, vocatur *argenti ſcoria*, quia uncino e catinis eximitur, iiſdem fere viribus pollens, quibus μολύβδαινα. Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 101. Ægyn. *l.* 7. *c.* 3.

HELCYSTER, ἑλκυστὴρ, dicitur Hippocr. inſtrumentum ferreum, fœtui extrahendo accommodatum. *Tractor*, vel attractorius dici poſſet. Eſtque *uncus* quidam *ferreus*, qui fœtui mortuo infixus ex utero extrahit, ἐμβρυουλκὸς, de quo vocab. ſupra. Illud occurrit *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 6. Alibi vocavit ὄνυχα, *Unguem*, *l. de ſuperfœt. V.* 1.

HELIACUM, ἡλιακὸν, eſt epitheton τοῦ κύφεως; quod alias κῦφι μέγα vocatur, rebus 36. conſtans. Ejus compoſitio habetur apud Ægyn. *l.* 7. *c.* 22. Vide *Cyphi.*

HELICIA, ἡλικία. Vide *Ætas.*

HELIOCAES, ἡλιοκαὴς, eſt nomen compoſiti medicamenti aridi, quod vel maximas carnis excreſcentias uſque ad penitiora adurit. Deſcriptio legitur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 13.

HELIOS, ἥλιος. Vide *Sol.*

HELIOSIS, ἡλίωσις, *Inſolatio*, h. e. corporis in ſolo apricatio. Remedium veteribus Medicis ad multos corporis affectus, Hydropem, Iſchiadem, Nephritin, Paralyſin &c. uſitatum. Gorr. & Foëſ. *p.* 261.

HELIOTROPIUM, ἡλιοτρόπιον, eſt proprie nomen diverſis plantis attributum, v. g. Cichorio, Flori Solis &c. quod pertinet ad Botanicos. Verum hoc nomine quoque appellatur Gemma quædam, quæ naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſmaragdo ſimilis, ſanguineis tamen diſtincta eſt guttis. *Heliotropium* vero dicunt, quia dejecta in vas aquæ fulgorem ſolis accedentem percuſſu ſanguineo mutat, maxime Æthiopica. Eadem juxta aquam ſpeculi modo ſolem accipit deprehenditque defectus ſubeuntem lunam oſtendens. Magorum impudentia *Heliotropium*, valere dicit, unctum ſucco herbæ ejuſdem nominis, ne gerens illam conſpiciatur. Hanc & reddere divites & homines bonæ famæ, valere contra venena & fluxus ſanguinis, vide Plin. *l.* 37. *c.* 10. Hæc Rul. & Iohnſ. Vid. & Andr. Chioccus *in Muſc. Calceol. ſect.* 3. *pag.* 219.

HELISSOMENOS, ἑλισσόμενος, eſt epitheton doloris Iliaci vehementioris, qui facit, ut inteſtinum verti videatur, uti eleganter Celſus *l.* 4. *c.* 14. Videtur autem verti, quod torminibus & tumultuantibus undis urgeri videtur. Linden. *Ex. VII.* §. 5.

HELITIS, ἡλῖτις, dicitur *ſquama æris*, ſic dicta quaſi *clavaris*, quæ principem in deficcando locum obtinet. Gal. *lib.* 9. *de S. Fac.* Dioſcor. *lib.* 5. §. 89. Gorr.

HELIX,

HELIX, ἕλιξ, vocatur ambitus auris exterior, qui & *Capreolus* dicitur ob tortuoſitatem. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 9. Lind. *Med. Phyſiol. lib.* 2. *c.* 11. §. 4. Alias ἕλιξ etiam idem eſt, quod εἰλίπες, *flexilis* pedibus, eſtque epitheton boum, teſte Foëſ. *Oec. p.* 199. Occurrit apud Hipp. 1. *de art. t.* 28.

HELLE, id eſt, *Viſcus.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

HELLEBOROS, ἑλλέβορος, ſæpe etiam ſine adſpiratione ἐλλέβορος, ſignificat *Veratrum*, eſtque nomen plantæ duplicis, quarum una *album* Veratrum, altera *Nigrum*, ſive *Helleborus albus* & *Niger* vocatur. Pertinet inter purgantia fortiora & deleteria utrumque. Plura quoque de utroque vide non ſolum in ſcriptis Botanicis, verum etiam apud Dieter. *Iatr. n.* 274. Foëſ. *Oec. p.* 201. Rolfink. *de purgant. ſect.* 7. *art.* 1. Purgatio facta per *Helleborum* vocatur Hippocr. ἑλλεβορισμὸς, de quo integrum vide ejus tractatum.

HELLESPONTIA, ἑλλησποντία, nomen Emplaſtri, cujus duplex legitur deſcriptio, una quidem Andromacho autore, altera Hera apud Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 10. 11.

HELMINTHAGOGUM, ἑλμινθαγωγὸν dicitur medicamentum *vermes expellens.*

HELMINTHES, ἕλμινθες, interdum etiam ſine aſpiratione ἕλμινθες, *Lumbrici* dicuntur, in genere *vermes* in corpore humano geniti, quorum tria genera notiora numerantur: 1. *Teretes* rotundi, ἕλμινθες στρογγύλαι, qui in inteſtinis tenuibus plerunque conſiſtunt, & aliquando ventriculum ſubeunt, ita ut interdum per os rejiciantur, quibuſdam e naribus egrediantur. Frequentes ſunt pueris & puberibus. 2. *Lati*, ἕλμινθες πλατεῖαι, aliquando κειρίαι, item ταινίαι, *faſciæ.* Vocantur & *Cucurbitini* ob figuræ cum ſemine cucurbitæ ſimilitudinem. Longitudine hi adeo interdum excedunt, ut ego quoque excretum aliquem notaverim longitudine quinque circiter ulnarum Norimbergenſium. Plin. *l.* 11. *H. N. cap.* 33. tradit, tricenum pedum tænias ventris aliquando viſas, interdum plurium. Hi per tota inteſtina extenduntur, quibus arctiſſime cohærent. De *lumbrico lato* noviſſime diſcurſum edidit Eduard. Tyſon, Medicus Long. Anglus, uti conſtat *ex Act. Erud. Angl.* 1684. 3. ἀσκαρίδες, *Aſcarides*, teretes & tenues lumbrici, & vermiculi, qui in extremo inteſtino plerunque inveniuntur, infantibus & pueris maxime familiares; hiſce nomen aſcaridum unice tribuit Galenus *in exegeſ.* Plura circa *vermium* in homine natorum deſcriptionem vide apud Ulyſſ. Aldrov. *l.* 6. *de Inſect. c.* 2. ut & in Practicis. Pertinent vero *Lumbrici*, ἕλμινθες, ad excreta, vel excernenda toto genere præter naturam, licet eorum generatio à ſucco non plane excrementitio, ſed crudo & vitalibus portionibus ſcatente, dependeat. Paſſim quoque leguntur Obſervationes *vermium* in aliis corporis partibus genitorum, v. g. in Pericardio, Sylv. *l.* 1. *Prax. cap.* 35. §. 22. in Renibus, *l.* 1. *c.* 55. §. 54. Ita quoque aliæ adhuc dantur *vermium* differentiæ, à forma, figura, magnitudine, de quibus conſulantur Obſervationum & Hiſtoriarum Medicarum ſcriptores. Vide *Lumbricus.*

HELNESED, id eſt, *Corallus.* Rul. & Iohnſ.

HELODES, ἑλώδης, quæ & τυφώδης. Epitheton *febris humidæ*, cum à prima ſtatim die ægrotantes ſudant, ſudoreque ipſo aut nihil, aut certe parum levantur. E contra ſicca ac ſcabra viſitur lingua, duraque tanquam corium cutis, plurimusque adeſt in corpore ſqualor, Gal. *adverſ. Lycum c.* 2. Jung. C. Hofmann. *de febrib. c.* 54. Haud dubie eſt ſpecies febris ardentis colliquativæ à ſanguinis ichoroſi efferveſcentia & accenſione dependentis. An huc pertinet *Anglicus ſudor*, ſive febris ſudatoria? Vide ſupra *Anglicus ſudor.*

HELOS, ἕλος. Vide *Limne.*

HELOS, ἧλος. Vide *Clavus.*

HELOSIS, ἥλωσις, vocatur palpebrarum inverſio, & in utroque oculi muſculo convulſio, qui affectus & κάμπυλον vocatur. Vide *Campylon.* Galen. *l.* 10. *de V. P. c.* 9. Verum C. Hofmann. *in comm. ad h. l. n.* 747. vitium ſubeſſe, & potius appellandum eſſe ἴλλωσιν, ab ἰλλαίνειν, ex Foëſio docet. Vide *Illoſis.*

HELOTIS dicitur nonnullis *Plica Polonica*, ſive cirrus capillorum, teſte Sennert. *Med. Pract. l.* 5. *part.* 3. *ſ.* 2. *c.* 9. vide etiam *Diſpp. Medic. Baſilienſ. Decad. IV. diſp.* 7. & infra *Plica.*

HELUNHAI, id eſt, annulus Salomonis in arte nigromantiæ. Rul. Iohnſ.

HELVUS, color dicitur ſimilis coagulo, quo alutarii coria præparant. *Theatr. Chym. Vol. IV. pag.* 765.

HEMERA, ἡμέρα. Vide *Dies.*

HEMERALOPS, ἡμεράλωψ, dicitur de affectu oculorum, oppoſito τῷ νυκτάλωψ, & haud dubie notat illum morbum, quando aliquis interdiu ſaltem videt, noctu vero, vel veſperi nihil videre poteſt. Meminit Gal. *in Introduct. c.* 15. *in princ.* ſed *in ſeqq.* non expoſuit. Subſtant. ἡμεραλωπία.

HEMERESIOS, ἡμερήσιος, *diurnus*, ſive unius diei. Vel etiam de eo, quod *interdiu* fit, dicitur, & opponitur τῷ νύκτωρ, *nocturno.* Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XXIII.* 4.

HEMEROCOETOS, & *Hemerocœtis*, ἡμεροκοιτος, ἡμεροκοίτης, nomen piſcis, qui & ἀγρονοσκόπος, & καλλιώνυμος vocatur, de quo ſupra in *Callionymus.* Vide C. Hofmann. *in comm. ad Galen. de V. P. n.* 129.

HEMIANDROS, ἡμίανδρος, id eſt, *Semimas*, vel ſemivir, ita dicitur Hermaphroditus apud Lucianum.

HEMIANTHROPOS, ἡμιάνθρωπος, q. d. *Semihomo*, idem, quod *Maniacus*, apud Joh. Stephanum *Decad.* 1. *Conſil.* 1. *in Operib. p.* 297.

HEMICERAUNIOS, ἡμικεραύνιος, faſciæ, nomen ad dorſi & pectoris deligationem, refertur à Galen. de

de faſcinis n. 95. ſub nomine Apollonii Junioris. Gorræus.

HEMICHOON, ἡμίχοον, id eſt, *dimidiatus congius.* Eſt nomen menſuræ, quod legitur apud Hippocr. *l. de int. affect. XLV.* 9.

HEMICONGION, ἡμικόγγιον. Vide *Semicongius.*

HEMICOTYLION, ἡμικοτύλιον. Vide *Quartus.*

HEMICRANIA, ἡμικρανία, alias & ἑτεροκρανία, eſt ſpecies doloris capitis circa dimidiam capitis partem, aliquando dextram, aliquando ſiniſtram, modo in latere, modo in ſyncipite, modo in vertice, modo in occipite, quæ varietas hauddubie dependet à mala quadam prædiſpoſitione partis affectæ, de qua legatur Willis *P. II. An. Brutor. c.* 1. Ex quo etiam cauſſa illius doloris peti poteſt. Jungantur huc ea, quæ ſupra tradidimus ad vocab. *Cephalæa, Cephalalgia.* Ἡμικρανικὰ φάρμακα vocantur medicamenta *Topica*, curandis *hemicraniis* convenientia. Gorr. & Caſtell. Singularem *Hemicraniæ* curationem vide *in Ephem. Nat. Cur. An. III. Obſ.* 184.

HEMIDOLICHOS, ἡμιδόλιχος, i. e. *dimidiatus dolichi curſus*, qui juxta Scaliger. in Addendis eſt ter repetitus δίαυλος. De quo vide C. Hofmann. *comm. in Gal. de V. P. n.* 481. Pertinet ad motum corporis. Vide ſupra *Diaulos*, & *Dolichos.*

HEMIDRACHMON, ἡμίδραχμον, *pondus drachmæ dimidiæ.* Gorræus.

HEMIECTON, *Hemiecteon*, ἡμίεκτον, ἡμιέκτεον, quaſi *ſemiſextam* menſuram ſignificat dimidiati ſextarii quatuor chœnices capientem, eſtque pars duodecima Medimni Attici. Gal. *de ponder. & menſ. c.* 5. Ægin. *l.* 7. *c.* 26. *fin.* conf. *Erotianus.* Apud Hipp. vero *l. de Sterilib. XIIX.* 14. 15. videtur potius ſignificare ſellam pro ſuffitu immittendo mulieri. Aut etiam ollam ſignificare poteſt, quatuor chœnices capientem, cui veluti ſellæ inſidere debet mulier ad capiendum ſuffitum diductis cruribus, notante Foëſ. *Oec. p.* 262.

HEMIMOERION, ἡμιμοίριον, exponit Erotian. *in Onomaſtic. p. m.* 51. *E.* per dimidium drachmæ & ita idem eſſet, quod ἡμίδραχμον. Alias ἡμιμοίριον dimidiam partem ſignificat Polluci, *l.* 6. *c.* 36. Foëſ. *d. l.*

HEMINA, ἡμίνα, κοτύλη, eſt nomen menſuræ & ponderis, cujus tamen magna eſt differentia pro locorum & rerum menſurandarum diverſitate. Ita alia eſt *Hemina* Attica, alia Italica, alia Epheſina, Alexandrina alia, & hujuſmodi. Porro ſi *Hemina* oleum accipiat, minus pendet, quam ſi eadem vino impleatur, ac vino etiam ponderoſius mel invenitur, verbis Jul. Alexandr. *comm. in Galen. l.* 4. *de tuend. ſan. & l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 15. *Tom. II. oper. p.* 409. 410. 747. 748. Vide *Acetabulum.* Refertur & *Hemina* inter menſuras aridorum, & continet cyathos octo. Gal. *de ponder. & menſur. c.* 5. Ægin. *l.* 7 *in fin.*

HEMIOBOLION, *Hemiobolon*, ἡμιοβόλιον, ἡμιωβόλιον, ἡμιόβολον, pondus eſt *dimidii oboli*, ſive duodecima pars drachmæ. Drachma enim ſex obolos habet; Gorr. Erunt ergo circiter quinque grana. Gal. *l. de pond. & menſ.*

HEMIOLIUM, ἡμιόλιον, eſt *pondus drachmarum duodecim*, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 5. Significat alias *ſeſquialterum*, ſive totum cum dimidio. Lat. *Seſquiuncia, Seſcuncia.*

HEMIONIS, ἡμιονὶς, id eſt, *muli ſtercus.* Hipp. *l. de nat. mul. LXXXV.* 4. & *l.* 2. *de morb. mul. LXXI.* 5. Lind. legit ἡμιόνȣ ὀνίδα.

HEMIOPON, ἡμίοπον, exponit Galen. per *dimidium*, ἥμισυ, *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *p.* 262.

HEMIPEPTOS, ἡμίπεπτος. Vide *Semicoctus.*

HEMIPLEGIA, *Hemiplexia*, ἡμιπληγία, ἡ ἡμιπληξία, idem, quod παραπληγία, παραπληξία, eſt plerumque in alterutro latere corporis immobilitas, ſenſuſque privatio, quam etiam *Apoplexiam* vocat Hippocr. *c.* 2. 1. *Prorrhet t.* 50. Differt igitur ab *Apoplexia*, ut à toto pars differt, quamvis differentia hæc potius cum *Paralyſi* locum habeat. In Apoplexia enim & mente & corpore reſolutos & attonitos eſſe conſtat; in Paralyſi, quemadmodum & in *Paraplegia*, aut *Hemiplegia*, mente ſanos eſſe notamus ægrotos. Galen. *defin. med.* Vide *Apoplexia, Paralyſis.*

HEMIRHOMBION, ἡμιρρόμβιον. Vide *Hemitomon.*

HEMIRYPOS, ἡμίρυπος, *ſemiſuccidus.* Dicitur de lana Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 10.

HEMISY, ἥμισυ, i. e. *Dimidium.* In Officinis exprimitur vocabulo *Semis.* Vide *Dimidium.*

HEMITOMON, ἡμίτομον, *dimidiatum* & ſemiſectum dicitur. Eſtque nomen alicujus deligationis, quæ alias ἡμιρρόμβιον, ſive *ſemirhombus* dicitur, & ad eoſdem pene uſus, ad quos *rhombus*, adhibetur. Meminit Hippocr. 2. *de iis, q. in med. t.* 2. Gal. *in com. ad h. l.* Foëſ. *d. l.* & conf. Erotianus.

HEMITRITÆOS, ἡμιτριταῖος, quaſi *Semitertiana*; quamvis hoc Latinum nomen, ceu ineptum, improbet Keuchen. *ad Seren. p.* 274. Legitur apud Hippocr. 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 23. *ſ.* 2. *t.* 16. *ſ.* 3. *t.* 2. & 5. Quemadmodum vero nomen hoc febris quandam graviſſimam ſpeciem denotare, unanimis Medicorum eſt conſenſus; Ita e contrario tantus inter eos eſt diſſenſus, qualis ſit febris, & quæ ejus natura, ut nec hodieque certo conſtare poſſit de hac re. Spiegel. *integrum tractatum de Semitertiana* ſcripſit. Videatur & Sennert. *de febrib. l.* 2. *c.* 21. C. Hofm. *de febrib. c.* 51. Ex recentioribus Willis & Sylvius plane omiſerunt. Franc. Piens eam dari, aut peculiarem ſpeciem conſtituere διαῤῥήδην negavit, *tract. ſpec. de febr. c.* 13. Ut noſtram, ſalvo aliorum judicio, addamus ſententiam, ſtatuimus, non quidem neceſſarium eſſe, ut hæc febris ſpecies aſſeratur, cum implicite ſub malignis & implicatis comprehendatur. Quod ſi tamen placuerit peculiariter illam determinare, poſſet deſcribi, quod ſit febris compoſita, maligna, putrida, participans in

quibuſdam

quibuſdam de tertiana, proveniens à ſanguinis bilioſi cum feroſis & crudis portionibus permixti fermentatione præternaturali ad diſſolutionem malignam, vel putredinem vergente. Qui poſſunt, meliora in medium proferant.

HEMITYBION, ἡμιτύβιον, dicitur eſſe indumentum lineum utrinque fimbricatum, & pro ſudario, aut peplo ſumitur. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb.* *LII.* 33. *&* 2. *de artic. t.* 46. Vide Foëſ. *p.* 263.

HEMIUNGION, ἡμιούγγιον. Vide *Semuncia.*

HEMIXESTON, ἡμίξεστον, idem, quod ἡ κοτύλη; *Acetabulum*, quia ξέστης capit duas κοτύλας. Gorr.

HENOSIS, ἕνωσις. Vide *Unio. Unitio.*

HENRICUS *rubeus*, eſt Vitriolum ad rubedinem calcinatum. Rul. & Iohnſ.

HEOLOS, ἕωλος, *heſternus*, pridianus, item *vetus.* Uſurpatur apud Hippocr. de pane biſcocto, *l. de int. aff. XXI.* 8. & intelligendum de tempore præterito, ſive propius illud ab hodierno, ſive longius abſit. Linden. *Ex. XVI.* §. 148.

HEPAR, ἧπαρ, *Jecur*, dicitur viſcus illud maximum abdominis, ſitum in dextro hypochondrio, cujus hiſtoriam vide apud Anatomicos, præſertim Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 14. accuratius adhuc delineatum apud Gothofr. Bidloo *Tab. Anatom. XXXIIX.* Circa hujus uſum maxima inter veteres & recentiores eſt diſſenſio, quorum illi principatum tribuerunt, & ſanguificationis organum conſtituerunt, & venarum omnium principium. Hi vero de principatu illo dejecerunt, exequias illi pararunt, & ſaltem uſum colatorium bilis eidem attribuerunt; quamvis hodieque denuo veterum opinionem ab orco revocare auſus ſit D. D. Joh. Jac. Waldſchmid, Prof. P. Marpurgenſis, in quadam Diſputatione, in qua ſanguificationem in *hepate* fieri διαῤῥήδην, defendere auſus eſt. An vero ſat firmis rationibus? alii videant. Mihi ſane non videtur. Poſt illam nuperrime D. D. Georg. Ern. Stahl *in ſua accurata & lectu digna Diſſertatione de Sanguificatione c.* 4. hepati ſanguificationis prærogativam per venas Meſaraicas chylum recipiendo vindicare non eſt veritus, verum an hypotheſis illa de chyli in venas Meſaraicas ingreſſu ſatis ſit confirmata, non eſt noſtrarum partium jam ventilare. Ejus ſubſtantiam eſſe glanduloſam, Malpighius *in Exerc. de Hepate* demonſtrare conatus eſt. Aliquando *Hepatis* magnitudinem nimium quantum excedere, patet ex Obſervationibus apud Schenkium, Hemſterhuſium, & alios; addi poterit & hæc noſtra Obſervatio *hepatis* in gallo gallinaceo unius anni reperto tantæ magnitudinis, ut diſcum ſtaneum vulgarem tegeret, & quindecim unciarum pondus haberet. Similis legitur *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 92. *p.* 180. *ſeq.* In utero quoque maſſa illa carnoſa, quæ alias *Placentæ* nomine venit, *Hepar uterinum* vocari, conſtat ex Anatomicis ſcriptis. Vide *Placenta.* In meditullio lapidum ad ædificia erutorum haud raro reperitur maſſa quædam friabilis, veluti ſuccus concretus, inſigni virtute ſiccante prædita, quam vulgo *Hepar lapidum* vocant. Vide *Ephem. Nat. Cur. An. II. Obſerv.* 63. Sæpe etiam legitur vocabulum *Epar* abſque aſpiratione. *Hepar* quoque eſt nomen Lapidis Philoſ. *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 727. A Chymicis etiam *Hepar* cum additione Antimonii, vocatur ob colorem obſcure rubeſcentem Maſſa illa Antimonii, quæ alias *Crocus Metallorum* dicitur. Vide *Crocus.*

HEPATARIUS, idem, quod *Hepaticus.* Linden. *Ex. X.* §. 60.

HEPATEROS, ἡπατηρὸς, *hepaticus*, ſive jecorarius. Eſt epitheton dyſenteriæ cujuſdam, quando aquoſus ſanguis excernitur, ei aquæ perſimilis, in qua caro recens mactata lota ſit, Gorr. Vocatur alias *Fluxus*, ſcil. alvi *hepaticus.* Hunc P. Barbette negavit *Prax. l.* 4. *c.* 6. Sylvius quoque nunquam ſe obſervaſſe ſcripſit, *l.* 1. *P. M. c.* 13. §. 24. Vide *Fluor.*

HEPATICUS, ἡπατικὸς, generaliter dici poteſt de omni illo, quod ad hepar ſive jecur pertinet. Ita vena *hepatica*, alias jecoraria, arteria *hepatica*, ductus biliarii *hepatici*, Medicamenta *hepatica* vocantur. In ſtatu quoque præternaturali late vocari poſſunt *Hepatici* omnes, qui morbo quodam hepatis laborant. Veteres tamen ita appellarunt eos, qui inflammatione hepatis laborarunt, quemadmodum pleuriticos, phreniticos, à parte affecta inflammata vocare ſolent. Ita & Hippocr. videtur accepiſſe *Coac. t.* 446. *ſeq.* monente Foëſ. *in Oecon. p.* 263. Hinc & inflammatio ipſa ἡπατῖτις dicta fuit. Verum recentiores vocabula *Hepatitis* & *Hepaticus* uſurparunt de affectu Hepatis citra inflammationem, quando imbecillitas Hepatis peccat, ut ſecretionis officio non rite fungatur, cum vel ſine tumore & duritie. Hinc cachexia aut fluxus *hepaticus* alvi oritur. Gal. *l. de differ. ſympt. c.* 5. *& l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. *l.* 5. *de L. A. c.* 7. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 6. Linden. *Sel. Med. Ex. IX.* §. 6. *ſeqq. pluribus. Hepaticum rubrum* vocatur medicamentum e Cryſtallis Tartari cum Tinctura ſantali rubri nutritis & imbibitis paratum, uti ſcribit D. D. Wedel. *Pharm. Acroam. l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 5. *p.* 25. *fin.*

HEPATITIS, ἡπατῖτις. Vide *Hepaticus.* Dicitur etiam de vena apud Hipp. *l. de Ven. XIV.* 1. 9. *XV.* 5. *alibique.* Lind. *Ex. XIII.* §. 419. Verum vanam non eſſe hanc appellationem venæ in brachio vel manu, patet ex circulationis invento, & ex anatomica inſpectione, qua conſtat, venam illam nihil de *Hepatis* ſubſtantia participare.

HEPATUS, ἥπατος, λεβίας, nomen piſcis, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & medicina, vide apud Aldrovand. *l.* 1. *de piſc. c.* 12. Meminit & Jul. Alex. inter mediæ conſtitutionis piſces, & *Citharis* jungit, *l.* 14. *Salubr. c.* 8.

HEPHÆSTIAS, ἡφαιστίας, nomen emplaſtri ad inducendam cicatricem optimi. Parabatur ex teſta, ea

 maxime,

maxime, quæ in fornacibus uſta eſſet, eo, quod deſiccandi, abſtergendique vim majorem haberet.

HEPHÆSTOS, ἥφαιςος. Vide *Vulcanus.*

HEPHTHOTES, ἑφθότης, generaliter *coctionem*, elixationem ſignificat. Specialiter dicitur de excoctione corporis, & colliquatione, apud Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 55. quod Galen. *in comm.* per νωθρότητα τοῦ σώματος, tarditatem corporis, exponit. Sic ἑφθοὶ dicuntur, qui febricitantes ob nimiam humiditatem corpus exolutum acquirunt, *l.* 4. *Epid. IIX.* 6. Foëſ. *p.* 254. *ſeq.*

HEPSANA, ἕψανα, dicuntur *cocta* alimenta, elixa cum jure. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. X.* 9.

HEPSEMA, ἕψημα. Vide *Defrutum.*

HEPTAMENOS, ἑπτάμηνος. Vide *Septimeſtris.*

HEPTAPHARMACUM, ἑπταφάρμακον, medicamentum laxans, ſuppurans, carnemque gignens, ſic dictum à numero ingredientium ſeptenario, ut ſunt ceruſſa, ſpuma argenti, cera, pix, colophonia, adeps taurinus, thus, ut habetur apud Aët. *l.* 15. *c.* 22. Gorr.

HEPTAPLEUROS, ἑπτάπλευρος, i. e. *ſeptem coſtas habens.* Fuit olim epitheton Ligurum apud Pollucem, teſte Veſalio *l.* 1. *de H. C. F. c.* 16. quamvis ordinarie omnibus hominibus competat, ſi coſtas ſpurias à legitimis ſeparaveris.

HERACLEIOS, ἡράκλειος, i. e. *Herculeus.* Epitheton *Epilepſiæ*, quæ *Herculeus morbus*, ἡρακλείη νόσος, dicta fuit, Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XVII.* 6. vel quia ſolus Hercules ex heroibus hoc morbo laboravit; vel propter magnitudinem & vehementiam morbi, & expugnandi difficultatem, uti voluit Gal. *c.* 6. *in* 6. *Epid. t.* 7. cum quo conſentit Ariſtoteles apud Erotianum, qui etiam addit maniam ità nominari, qua ſolus heros olim correptus fuit. *Magnes* quoque vocatur *lapis Heraclius*, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 15. *&* *l.* 6. *de L. Aff. c.* 5. Vide *Magnes.* item Lapis Lydius. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 353.

HERBA, βοτάνη, dupliciter accipitur. Interdum late pro integra planta; interdum ſtricte, videl. in Officinis Pharmaceuticis, ubi *herbæ* idem fere ſunt quod folia, & diſtinguuntur à floribus, Schr. *l.* 2. *c.* 11. De *Herba Oſſifraga* vide *Eph. N. Cur. An. I. Obſ.* 38. *Herba* quoque dicitur lapis Phil. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 727. item Herbalis, quia habet animam vitalem, ſeu multiplicabilem, *p.* 721.

HERBA inguinalis ad tumores commendata, Aſter atticus, Dodon. *in hiſtor. plantarum.*

HERBA inguinalis. Ital. al. Bubonium Taber. neon. vulgo aſter atticus Maſſar. *de peſte lib.* 2.

HERBA ſalutaris, id eſt, ſpina alba, qua Chriſtus coronatus eſt. Marcell. Burdigallenſ. *c.* 23.

HERBA Sancti Fiaci, Verrucaria. Holler. *l.* 1. *c.* 43.

HERBA S. Innocentii, Poligonum majus. Daret. *Enarrat. in Holler. l.* 1. *c.* 58.

HERBA Sancti Pauli, aliis herba paralytica. Vulgo Primula Veris.

HERBA Viperaria, Scorzonera. Bauhin.

HERBA vitri, id eſt parietaria. Matth. de *Grad. c.* 36. *in* 9. Rhaſis.

HERBA Ungarica, Aleæa, Anonym. Sylv. *de med. compoſitione l.* 2. *c.* 34.

HERBARIUS, βοτανικὸς, dicitur apud Gal. *l.* 1. *de Antidot. c.* 2. qui herbas & plantas colligit, & vendit ad uſum Medicum. Hodieque etiam Herbarum Scriptores *Botanici* ſive *Herbarii* vocari ſolent.

HERBEUS, ὠχρὸς, nomen coloris, quem vulgo *olivaſtrum* vocant. Eſtque *pallor luteus*, *luror buxeus*, color Ictericis proprius. Lind. *Ex. IX.* §. 18.

HERBIVORUS, ποηφάγος, epitheton animalium ad differentiam σαρκοφάγων, *carnivororum* brutorum, quorum hæc robuſtiora & magis ferocia ſunt illis. Hæc etiam pedes habent multifidos: Illa vero ungulas ſolidas, ὁπλὰς, aut bifidas, χηλὰς, Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 2. *princ.*

HERCULES, ἡρακλῆς, nomen proprium Herois fortiſſimi apud Gentiles, diciturque fuiſſe Jovis & Alcmenæ filius. A quo *Herculeus morbus*, h. e. Epilepſia, nomen ſuum juxta nonnullos accepit, uti p. a. dictum. Cujus ratio gemina dari ſolet; vel quod *Hercules* hoc morbo laboraverit, & coturnicis ope ab hoc liberatus fuerit; vel quod per comparationem, ſicut *Hercules* invictus fuit habitus, ita & hic morbus inveteratus nulla Medicorum ope ſuperetur. Vincent. Alſar. à Cruce *de Epilepſ. l.* 1. *lect.* 1. *fol. mihi* 3. 6. De hoc *Hercule* refert Athenæus ex Epicharmo, quod aures non minus, quam quadrupeda, movere potuerit, notante C. Hofm. *comm. in Gal. de V. P. n.* 1110. Per tranſlationem nomen hoc quoque tribuitur quibuſdam validioribus medicamentis. Ita ἡρακλῆς, *Hercules*, fuit nomen collyrii fiſtularis, quod ægilopas radicitus tollere credebatur, ap. Aët. *l.* 14. *c.* 55. & alius medicamenti ſiccantis, carnemque, quæ ſupercreſcit, excedentis, quod recipit ſquamæ æris, miſyos, chalcitidis uſtæ atramenti ſutorii, aluminis uſti æquas portiones. Nomen fuit ἡρακλέως ξηρὸν, i. e. *Herculis ſiccum*, ſive ſiccans, uti ex eodem notavit Gorræus. Inter Chymica celebre eſt catharticum & emeticum, quod dicitur *Hercules Bovii*, de quo vide Schrod. *l.* 3. *c.* 15. & Willis *Pharm. Rat. Part. I. ſ.* 2. *c.* 2.

HEREDITARIUS, σύμφυτος, ξυγγενὴς, alii cum diphthongo ſcribunt. *Hæreditatis* legitur apud Grems *Arbor. integr. & ruinoſ. l.* 2. *c.* 4. §. 10. Latinum idem, quod *Connatus.* Epitheton morborum, quorum cauſſa cum parentum ſemine in liberos aut poſteros tranſlata eſt, quaſi tranſplantatione facta, quales ſunt Phthiſis, Arthritis, Lithiaſis &c. Charlton. *Ex. III. Pathol.* §. 7. Caſp. à Rejes *Camp. Elyſ. q.* 54. *n.* 17. Parac. *Paramir. l.* 2. *c.* 7. De *hæreditariorum* morborum natura, cauſſis, & differentiis ex profeſſo ſcripſit Dermutius de Meara

Meara tractatum *Pathologia Hæreditaria* inſcriptum; & à filio Edmundo de Meara editum & annexum *Examini ſuo de Febrib.* Egregiam quoque induſtriam impendit in conſcribenda diſquiſitione Inaugurali *de Morbis Hereditariis* D. D. Johannes Zellerus, non ita pridem Profeſſor Publ. in Illuſtri Tubingenſi Studiorum Univerſitate conſtitutus. Rolfink. etiam vocavit *Parentales.* Vide *Parentalis.*

HEREOS, ſpecies amoris imaginarii apud Parac. in pollutione nocturna, *l.* 3. *de orig. morb. inviſibil.*

HERMA, *Hermaſma*, ἕρμα, ἕρμασμα, *fulcimentum*, idem, quod σήριγμα, ab ἑρμάζω, item ἑρματίζω, *fulcio.* Dicitur & ἔρεισμα. Vide *Ereiſma.* Legitur & apud Hippocr. ἑρμασμὸς. 3. *de fract. t.* 22.

HERMAPHRODITUS, ἑρμαφρόδιτος, dicitur, cui vitioſa eſt genitalium conformatio, ita, ut utriuſque ſexus pudenda adſint, vel adeſſe videantur. Hinc & hujuſmodi homines vocantur ἀνδρόγυνοι. Plura de *Hermaphroditis* videantur apud Caſp. Rejes *Camp. Elyſ. q.* 48. per totum, ubi ſimul tractat: An dentur *Hermaphroditi*, qui utriuſque ſexus perfecta habent genitalia? quod negaſſe videtur Galen. *l.* 2. *de ſem. c.* 3. *in fine.* Addantur & Obſervationes aliæ, v. gr. *Ephem. N. Cur. An. II. Obſ.* 203. 253. *& An. III. Obſ.* 168. Hiſtoria ſingulariſmi *Hermaphroditi* utriuſque ſexus membra genitalia ſimul referentis habetur in Oldenburg. *Actis Philoſoph. Ann.* 1667. *M. Febr.* Quid Paracelſus per *Hermaphroditica experimenta* & medicamenta velit, Lector ipſe arioletur ex *l.* 4. *Paramir. de orig. morbor. matric.* De *Hermaphrodito* Spagyrico vide *in Th. Chym. Vol. V. p.* 804.

HERMES, ἑρμῆς, nomen proprium, & notat 1. *Mercurium*, Ethnicorum Deum, ceu Deorum nuncium & interpretem. 2. Philoſophum poſt Moſen in Ægypto clariſſimum, qui *Triſmegiſtus* appellatus fuit, teſte Suida. Huic tribuitur peculiaris Philoſophia Spagyrica paucis ænigmaticis dicteriis, ſub titulo *Tabula Smaragdina Hermetis.* comprehenſa, de qua videatur *Theatr. Chymic. Vol. I.* ſub titulo *Phyſica Triſmegiſti*, cum notis Gerardi Dornei. Hinc & *Pater Alchemiſtarum* vocatur *in tr. Alchemia* incerti Autoris, *c.* 30. *Vol. III. Theatri Chym. p.* 28. 29. Ferunt etiam de eo, quod 25000. Volumina conſcripſerit, *Vol. V. p.* 256. Quam *Hermeticam* doctrinam falſe perſtringit Dieter. *n.* 829. Jungatur & Conring. *tract. de Hermetica Medicina.* Libavius vero duplices conſtituit *Hermeticos* Doctores, quorum alii ſunt *Dogmatici*, horum anteſignanum conſtituit *Quercetanum*, alii vero ſunt *Empirici*, quos vocat flagitioſos *Paracelſiſtas*, eoſque repudiat *in defenſ. Syntagm. Chym. contra Scheunem.* Vide *Mercurius. Hermetis avis* vocatur in proceſſu Lapidis Philoſoph. quando vi ſublimationis, ceu quarto igne ſeparatur à corpore ſpiritus, *Th. Chymic. Vol. IV. p.* 550. *Hermeticum ſigillum* quid ſit, vide *Sigillum.*

HERMESIA quoque vocatur *Chymia Hermetica* apud Libav. *tr. de Igne Natur.*

HERMETICUS. Vide *Hermes.*

HERMOLAOS, ἑρμόλαος, nomen collyrii τῶ ϛαλτικῶ, hoc eſt, reprimentis ſiſtentiſque fluxiones. Eſtque duplex: unus magnus, alter parvus, apud Aëtium, & ex hoc Gorr.

HERNIA, κήλη, *Ramex*, *ruptura*, dicitur item *crepatura*, eſt in genere tumor p. n. umbilici, inguinum, ſcroti, obortus ex relaxatione, aut ruptura peritonæi, ſubſtantiam aliquam corporis, vel omentum, vel inteſtina, aut aliam materiam carnoſam, flatulentam, ſcirrhoſam, ſeroſam admittente & continente. Ejus quoad ſubjectum & cauſas variæ ſunt differentiæ, v. g. *Enterocele*, *Omphalocele*, *Hydrocele*, *Sarcocele* &c. de quibus omnibus & ſingulis propriis in locis & literis initialibus.

HERODIUS, idem, quod *Chryſaëtos*, aut *Hierofalco*, h. e. Aquilæ ſpecies maxima, & veluti heros inter aquilas. Aldrov. *l.* 2. *Ornithol. c.* 2.

HEROION, *Heroon*, ἡρωΐον, ἡρῷον, h. e. monumentum, ſive fanum heroi extructum. Legitur apud Hippocr. 2. *in* 6. *Epid. t.* 35.

HEROS, ἥρως, quid proprie ſignificet, notum eſt, nec hujus eſt loci ulterius exponere. Obiter ſaltem notari poteſt, Paracelſum ſpiritum talis vocaſſe *Heroem coagulationis*, *l. de morb. Tartar. c.* 9.

HERPES, ἕρπης, eſt tumor eryſipelaceus, puſtuloſus, ſive cum exulceratione, proveniens à portionibus ichoroſis, & lixivioſis ſanguinis, in habitu corporis ſubſiſtentibus, corrodentibus, ſive exulcerantibus, aut etiam ulterius depaſcentibus. Ejus duplex habetur ſpecies: *Miliaris*, κεγχρίας, & *Eſthiomenos*, ſive exedens. Vide ſupra *Cenchrias* & *Eſthiomenos*, quorum ille benignioris eſt indolis, hic malignioris. De utroque vide Galen. *l.* 2. *de art. cur. ad Glauc. c.* 1. In ſpecie ἐσθιομένε meminit & Hippocr. 5. *aph.* 22. Plura ex Practicis & Chirurgiæ Scriptoribus petantur, v. g. Hier. Fabr. ab Aquapend. *l.* 1. *Pentateuch. Chir. c.* 20. Hildan. *cent.* 1. *Obſ.* 99. Senn. *Med. Pr. l.* 5. *part.* 1. *c.* 17. P. Barbette *Chirurg. Part. II. libr.* 1. *c.* 1. Latine *Serpigo* quibuſdam dicitur. Caſtell.

HERPETON, ἑρπητὸν, ἑρπηϛικὸν, idem, quod *Herpes*, vocatur ulcus ſerpiginoſum, *puſtulæ ſerpiginoſæ*, apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ.* 3. *n.* 58. *& Coac. p.* 628. ἑρπετὰ quoque *reptilia*, vocari pediculos capitis & reliqui corporis, ſcribit Gorr. *in defin.* Alias & feles, mures &c. *reptilibus* annumeravit Galen. *l.* 6. *de Anat. adm. cap.* 4.

HERPSIS, ἕρψις, ἑρπυσμὸς. Vide *Reptatio.*

HESMIC, i. e. quarta pars libræ. Rul. & Johnſ. *in Lex.*

HESPERA, ἑσπέρα, *veſpera*, ſi vocis hujus uſum ſpectemus, tripliciter accipitur. Primum de tempore, quando ſol inclinat ad veſperam. Deinde, quando

ſol jam occidit. Denique ſera *veſpera* dicitur ſub crepuſculo. Linden. *Ex. XVI.* §. 219. *ſeqq.*

HESTIA, ἑϛία, i. e. *Focus.* Vide *Focus;* cui adde, quod cor dicatur ἑϛία τῆς φύσεως, *focus* naturæ. C. Hofmann. *com. in Galen. de V. P. n.* 179. 311. Ἑϛία quoque nomen eſt emplaſtri apud veteres nobilis, cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 15. ita dictum, quod ex Græci nominis literarum calculo indicetur, conſtare 516. drachmis. Refertur ad Nicepſonem Regem. Gorræus.

HESYCHIA, ἡσυχία, h. e. *Quies*, eſtque res non naturalis motui oppoſita, & ita indifferens cauſa procatarctica ad ſanitatem & morbum, quatenus vel moderata & opportuna, vel immoderata & importuna fuerit. De noxis *quietis* vitioſæ vide Charlton. *Ex. VII.* §. 3. Ἡσυχῆς, *quietus*, ſumitur etiam pro moderato, ſive non moleſto. Uſurpatur de tuſſi leviori, Hippocr. *l.* 4. *Epid. XIIX.* 19. Vide etiam de hoc vocab. Dieter. *num.* 381.

HETEROCRANIA, ἑτεροκρανία, idem, quod *Hemicrania.* Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 3.

HETEROGENEUS, ἀνομοιομερὴς, vel idem eſt, quod *Diſſimilaris*, vide *Anomœomeres:* vel etiam hodieque uſurpatur ad exprimendam naturam, & indolem alicujus rei naturæ noſtri corporis, humorum & ſpirituum adverſam & purgantem, v. g. quando ſanguis portionibus vitioſis excrementitiis ſcatet, dicitur ſanguis *heterogeneus* apud recentiores. Helmont. *tr. Schol. Humoriſt. paſſ. decept. c.* 1. *n.* 15.

HETERORRHOPOS, ἑτερόῤῥοπος, dicitur de eo, quod in alteram partem vergit, hoc eſt, *ambiguum*, v. gr. de tumoribus Hippocr. 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 10. 13. *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 60. 79. Et ægri dicuntur ἑτεροῤῥοπέες, quando in illis inſignis mutatio notatur, vel ad ſalutem, vel ad mortem, 4. *de R. V. I. A. t.* 56. Vide Foëſ. *p.* 245.

HETERORRHYTHMOS, ἑτερόῤῥυθμος, eſt epitheton & ſpecies pulſus ἄῤῥυθμε, quando aliquis alterius ætatis habet pulſum. Gal. *in defin. Medic.*

HETOEMOCOPIA, ἑτοιμοκοπία, dicitur Hippocr. inanis labor, aut *prompta elatio*, nugacitas, vel loquacitas, *in Præcept. IX.* 31.

HEURESIS, εὕρεσις. Vide *Inventio.*

HEXAGIUM, ἑξάγιον, ponderis nomen eſt, quo utitur Actuarius in aurea antidoto Alexandri. Pendet autem quatuor ſcrupula. Latini *Sextulam* appellant. Gorræus. At Jul. Alexandr. pendere ſcribit drachmam unam cum dimidia, *Annot. in Galen. l. de fac. parab. Tom. II. Oper. p.* 857.

HEXAPHARMACON, ἑξαφάρμακον, nomen emplaſtri ad perniones exulceratos, cujus deſcriptio habetur e ſex ingredientibus apud Æginet. *l.* 3. *c.* 79.

HEXIS, ἕξις. Vide *Habitus.*

HIANS, vide *Chaſco*, *Ecplexis*, *Channa*, *Seſeros.*

HIANTICILLA. Vide *Galbulus.*

HIATULA, χήμη. Vide *Chama.*

HIATUS, χασμὸς. Vide *Chaſme.*

HICESIA, ἱκεσία, ἱκέσιος, nomen emplaſtri veterum utiliſſimi ad ſtrumas, abſceſſus, lienem & articulos, cujus meminit Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 14. & deſcripſit Æginet. *l.* 7. *cap.* 17. Perperam Latine ſcribitur *Iceſii* emplaſtrum.

HICNEOMENOS, *Hicneuomenos*, ἱκνεόμενος, ἱκνεύμενος, *competens*, conveniens, opportunus. Dicitur de tempore apud Hippocr. 3. *de fract. t.* 63. Foëſ. *p.* 279.

HIDROA, ἱδρῶα, ἱδρῶα, *ſudamina*, ſunt puſtularum genus ex bilioſis & acribus ſalinis humoribus cutem lancinantibus obortarum, præſertim æſtatis tempore ex ſudoribus provenientium & vexantium. Unde *papulas ſudorales*, aut *ſudoroſas* non inepte quis diceret cum Dieter. *Iatr. n.* 401. Meminit harum Hippocr. 3. *aph.* 21.

HIDRONOSOS, ἱδρωνόσος, ſignificat febrem, in qua plurimus ſudor p. n. prodit, quæ alias Sudor Anglicus dicitur. Blancard. *in Lex.*

HIDROS, ἱδρὼς, Lat. *Sudor*, eſt excrementum humidum tertiæ concoctionis per cutis poros in aquæ ſpeciem erumpens, cujus materia eſt humor tenuis de ſero & lympha participans, ejuſdem cum urina & lachrymis generis, in hoc ſaltem ab illa differens, quod *ſudor* cum violentia quadam naturæ ſecernatur & excernatur, quemadmodum & *Lachrymæ; Urina* vero magis ſpontaneo motu ſecedat. De *ſudoris* cauſſis & differentiis vid. Baricellum *integr. tractat. de Hydronoſa Natura.* Dieter. *n.* 402. In genere ſufficiat, *Sudorem* alium eſſe bonum & ſalutarem, alium noxium & malum. Ad bonum pertinet ſpontaneus criticus, & artificialis; ad malum vero ſpectant *Sudor* nimius, deficiens, paucus, depravatus; quorum utriuſque claſſis deſcriptiones egregie tradidit D. Rotenbeccius *in binis Exercitationibus.* De *ſudore* prorſus nigro inſtar atramenti ſalutari & excreto legatur ſingularis obſervatio D. Olai Borrichii *in Act. Hafn. Vol. I. Obſerv.* 70. p. 155. *Sudor* Rulando dicitur Aqua permanens. *Sudor hermaphroditici ſalis*, i. e. liquor vel ſpiritus halinitri. Libav. *Apoc. Hermet. Part. pr. c.* 11. Quid ſit *Sudor Mercurii* Spagyricus, vide apud eund. *in Proœm. Part. poſt. Apoc. Herm. T. II. Oper. p.* 330. 331.

HIDROTICOS, ἱδρωτικὸς, vide *Sudoriferus.*

HIDROTOPOEOS, ἱδρωτοποιὸς, ſignificat *Sudorificum*, vel Sudoriferum. Ita medicamenta vocantur ἱδρωτοποιὰ, *ſudorem moventia*, apud Nonum *l. d. M. P. C. c.* 109.

HIDRYNOMÆ, & *Hidryomæ*, ἱδρύνομαι, ἱδρύομαι, ſignificat proprie *firma ſede collocor*, *firmor.* Frequens Hippocr. v. g. 4. *aph.* 11. 1. *Prorrhet. ſ.* 1. *t.* 36. *Coac. t.* 315. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 1. De utero in ſuam ſedem collocato *libr.* 2. *de morb. mulier. XXXVII.* 2. In ſpecie de urinæ ſedimento uſurpatur *Coac. t.* 575. & aliquoties *in Epidem.* Vid. Foëſ. *p.* 277. de venis perpetuo motis *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 16. de tuſſi, *l.* 4. *Epid. XII.* 23. Per translationem etiam

etiam de mente tranquilla & firma prædicatur 1. *Prorrh. ſect.* 1. *t.* 20. *l.* 3. *Epid. ægr.* 15. *p. ſt. peſt.*

HIDUS, id eſt, *flos æris.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

HIERACION, ἱεράκιον, nomen eſt plantæ, de qua vide Botanicos. Porro ita quoque vocatur collyrium ad obſcurum viſum & ſcabras affectiones, apud Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. hauddubie ab Hierace Autore ita dictum. Gorr.

HIERACITES, ἱερακίτης, nomen lapidis, vel, ut Plinius vult, Gemmæ, vernacule *Lapis accipitrum*, ita dictus à colore *Hieracis*, id eſt, *accipitris* ſimili, de quo videatur G. Agric. *libr.* 5. *foſſil. p. m.* 263. Aldrov. *lib.* 3. *Ornithol.* §. *Denominata.* Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Aphroſelinus*, & Ægineta *l.* 7. *c.* 3. §. *Lithi.* Laudant ad ſiſtendas hæmorrhoides.

HIERATICUM, ἱερατικὸν, epitheton 1. ſuffitus, ſive κῦφι ſacrificulorum, quod Diis gentilium adolebant. Gorr. 2. Malagmatis Aſclepiadæ *Pontificium* inſcripti, ſtomachicis, hepaticis & ad viſcerum dolores. Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 5.

HIERAX, ἱέραξ. Vide *Accipiter.*

HIEROGLYPHICA, ἱερογλυφικὰ, vel dicuntur de Characteribus in Medicina, ab Hermete Triſmegiſto aliiſque excogitatis, quorum adhuc valde ferax eſt medicina, teſte Schenck. *Synt. compon. & præſcr. med. p.* 84. *ſeq.* Vide *Character.* Vel de plicis & rugis in manibus, pedibus, fronte, e quibus vana curioſitas Chiromantarum multa prædicere ſolet.

HIEROS, ἱερὸς, h. e. *ſacer*: Primum eſt epitheton cum *oſſis*, vide *Os.* Ut & vaſorum ad illud os excurrentium v. g. *Arteria* & *Vena Sacra*: Porro Muſculi: ita *Sacer Dorſi muſculus* vocatur, qui ab oſſis ſacri parte poſteriori ad ultimam dorſi vertebram deſinit, & deſcribitur à Bartholin. *Anatom. l.* 4. *c.* 7. Bidloo *Anat. Tab. XXX.* tum morbi, v. g. *Comitialis*, qui alias *Epilepſia* vocatur ob magnitudinem & vehementiam ſymptomatum, Hippocr. *l. de morbo ſacro*, item *Eryſipelatis*, quod *Sacer Ignis* dicitur, maligni. Si quidem veteres Græci omnia vocarunt ἱερὰ, quæ fuerunt horrenda & magna, Keuchen. *ad Samonic. p.* 246. 285. Deinde eſt nomen medicamenti etiam Latinis *Hiera* dicti, cujus variæ proſtant apud Autores & in Diſpenſatoriis formulæ. Famoſiores ſunt *Hiera* Picra, quæ & Galeni, nec non Andromachi, *Hiera* diacolocynthidos, quæ & Antiochi, *Hiera* Logadii, *Hiera* Ruffi, *Hiera* Archigenis, Themiſonis, Antipatri, Juſti &c. Gorr. Harum deſcriptiones vide apud Ægin. *l.* 7. *c.* 8.

HILARIS, *Hilaritas*, ἱλαρὸς, ἱλαρότης, dicitur de animi lætitia, eſtque idem, quod *Gaudium*, vide *Gaudium.* Theriacam quoque ἱλαρὴν, *Hilarem*, appellatam fuiſſe patet, ex Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 6.

HILUM, proprie dicitur macula illa nigricans fabarum propria, de qua egregie diſſerit I. Alexandr. *Annot ad l.* 2. *de Al fac. c.* 19.

HIMAS, ἱμὰς, proprie *corrigiam*, lorum ſignificat. Vide *Lorum.* Per ſimilitudinem vero ita vocatur Gurgulionis vel *Uvulæ*, ſive columellæ *laxitas*, quando longior graciliorque evadit. Differre dicitur à *Cionide*, quod in hac Gurgulio non extenuatus eſt, ſed craſſitiem ex fluxione ſolito majorem adeptus eſſe videtur. In illo vero affectu & graciléſcit & ſecundum craſſitiem imminuitur. Aët. *lib.* 8. *cap.* 43. Dicitur & ἱμάντωσις. Gorr. Vocatur & Latinis hic affectus *Lorum*, quia loro ſimilis gurgulio propendet. Nic. Piſo *de M. C. & C. l.* 2. *cap.* 1.

HIMEROS, ἵμερος, notat cupidinem & *deſiderium*, præſertim *amatorium*, vel Venereum, uti demonſtrat Foëſ. ex Homero *Iliad.* γ. & ξ. *Oecon. p.* 281. Deſcendit à verbo ἱμείρομαι & ἱμερῶ, quod frequens apud Hippocr. ſignificans appeto, deſidero, *virilem amorem concupiſco*, *l. de morb. mul. X.* 13. (quamvis apud Linden. ἀείρεται pro ἱμείρεται ſcriptum ſit, an mendoſe?) *XIV.* 7. *XXVI.* 32. *XXXIIX.* 14. *c.* 4.

HINNULUS, νεβρὸς, *pullum cervinum* notat, cujus coagulum ingreditur Antidotum apud Galen. *l.* 2. *de Antidot. c.* 10. Sumitur vero aliquando latius pro fœtu aliorum animalium, præcipue tamen cervi, capræ, damæ fœtus ita vocantur. Rhod. *ad Scrib. n.* 13. ubi plura de coagulo *hinulei* reperies.

HIPPACE, ἱππάκη, dicitur *caſeus equinus*, Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XLIV.* 14. Dioſc. *l.* 2. *c.* 50. quamvis ibidem etiam moneat, nonnullos coagulum equinum ita vocaſſe, quos imitatus Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 21. Plura de *Hippace* vide apud Mercurial. *l.* 2. *V. L. cap.* 26. Saracen. *not. ad loc. Dioſcor.* cit. Foëſ. *Oec. p.* 283. Linden. triplicem ſignificationem vocabulo huic attribuit, quod not. 1. Caſeum, 2. Oxygala, & 3. Equile, ſive cubile equorum. *Ex. XVI.* §. 121. *uſque ad* 130.

HIPPANTHROPOS, ἱππάνθρωπος, idem, quod *Centaurus*, monſtrum illud fictitium Poëtarum. C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. num.* 122. Vocatur & *Hippocentaurus.*

HIPPOBINOS, ἱππόβινος, i. e. inſtar equorum valde *libidinoſus*, qui inexplebiliter Venerea ſectatur, Lat. *Laſtaurus*, validæ & præfervidæ libidinis homo. Gaſp. à Rejes C. *El. Q.* 44. *n.* 24.

HIPPOCAMPUS, ἱππόκαμπος, eſt inſectum animal marinum, cujus deſcriptionem, venenum, & uſum in medicina vide apud Aldrov. *l.* 7. *de Inſect. c.* 16. Meminit *Hippocampi* uſti contra Alopecias, Gal. *l.* 1. *de C. M. S L. c.* 1. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. Alias legitur & in fœminino *Hippocampe. Campe*, κάμπη, ſignificat *Erucam.* Unde Hippocampen demonſtravit reperiri in locis maritimis, præſertim Venetiis, cujus facies eſt equi, dorſum vel cauda erucæ, P. Ammann. *Irenic. p.* 189. Per tranſlationem *Hippocampos* vocavit proceſſus ventriculorum cerebri ſuperiorum, ſive anteriorum Arantius, notante C. Hofmann. *com. in Gal. de V. P. n.* 559. 643. & Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c* 8. §. 134.

HIPPOCRATES, ἱπποκράτης, nomen proprium Medicorum

dicorum aliquot antiquiorum, præſertim vero illius *Artis Medicæ principis Coi*, qui & *Magnus* dictus fuit, de quo plura apud Galen. & alios. Hunc fuiſſe tritavum Ariſtotelis Philoſophi pro indubitato habet Joh. Jac. Baſſus *l.* 1. *de Hippocr. & Gal. decret. cap.* 1. *p. m.* 3. Hujus præſertim ſententiæ & aphoriſmi tantam invenerunt fidem, ut canonis inſtar habeantur. A Principe hoc vera Ars Medica, quæ *Dogmatica* & *Rationalis* vocari ſolet, dicitur quoque *Hippocratica*. Quamvis vero *Hippocrates* merito dux artis & omnis boni autor laudetur, & ſi quæ ſunt alia encomia; laus tamen illa non ſine grano ſalis intelligenda. Hinc recte Galen. *l.* 9. *M. Med. c.* 8. cum Trajano Imper. comparans ſcripſit, omnem ad medicationem viam aperuiſſe, ſed ita, ut cura & diligentia opus ſit ad abſolutionem. Præſertim vero hoc ipſi condonandum, quod in Anatomicis non adeo fuerit exercitatus, & ita in Phyſiologicis rem non ubique acu, quod dicitur, tetigerit. Vid. C. Hofmann. *c. ad Gal. de V. P. n.* 35. 36. & alios. *Hippocratis Manica* quid ſit, vide *Manica.*

HIPPOCRATICUS, ἱπποκρατικὸς, non modo dicitur de doctrina Medica; verum etiam in ſpecie de *vino*, alias *ſaccato* dicto, οἴνῳ σεσακκισμένῳ, σακκίᾳ, quando nimirum ſaccis indita ſunt aromata, & poſt colaturam ſaccharum additum. Vide Linden. *Ex. X.* §. 222. 223. ubi & *Lachrymam Sponſæ* appellari ſcripſit. Vocatur alias *Claretum*, de quo ſuperius ſuo loco. *Hippocratica facies* quæ dicatur, vide ſupra in *Facies*. *Hippocraticum ſcamnum* quid ſit, vide ſupra *Bathron.*

HIPPOGLOSSUS, ἱππόγλωσσος, eſt nomen piſcis, & quidem *Soleæ majoris*, Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 34. Vide *Solea.*

HIPPOLITHUS, ἱππόλιθος, dicitur *lapis*, vel calculus in ventriculo, aut inteſtinis equorum nonnullorum repertus, qui uti lapidi Bezoar occidentali figura & laminea ſtructura non abſimilis eſt, ita & viribus eundem æmulari ſtatuitur. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 21. Jung. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l. p.* 661. Hujuſmodi lapidem magnitudine pomi pendentem largiter dimidiam libram pond. civ. ex liberalitate Viri Nobiliſſ. & Spectatiſſ. Dn. Wilh. Graſſelii, Civis & Mercatoris primarii Norimbergenſis ego quoque poſſideo, qualem alium & ipſe laudatus Vir ejuſdem magnitudinis aſſervat. De tali lapide equino in inteſtinis genito diſſeruit etiam D. D. Wedelius & ex hoc Bonetus notavit *Med. Sept. l.* 3. *ſect.* 26. *c.* 37. *p.* 788. Depictos etiam illos exhibet Philipp. Jacob. Sachs à Lewenſtein *in ſua Gammarologia c.* 14 *p.* 302.

HIPPOMANES, ἱππομανὲς, ambiguum valde eſt vocabulum. Vel enim ſignificat fruticem, alias *Cynocrambe* aut *Apocynum* dictam, ideo, quod equos in furorem concitet, ſi eo veſcantur. Theocrit. *Idyll.* 2. Vel ſuccum e Tithymallo expreſſum. Theophr. *l.* 9. *H. Pl. c.* 15. quamvis alii *Hippophaës* legant: Vel notat ſuccum extillantem ex equarum genitalibus, dum equiunt, Ariſtot. *l.* 6. *H. A. cap.* 18. Vel id, quod pullis equarum adhæret in fronte, *d. l. c.* 22. Quidam pro ſecundina equarum accipiunt. Meminit *Hippomanis Equarum* D. Ludovic. *Diſſert. Pharm. I. p.* 516. Creditur à nonnullis habere virtutem conciliandi amorem, vel partum promovendi.

HIPPONE, ἱππώνη, nomen eſt malagmatis, cujus Philagrius autor perhibetur. Deſcriptio habetur apud Aët. *lib.* 12. notante Gorræo.

HIPPOPOTAMUS, ἱπποπόταμος, id eſt, *Equus fluviatilis*, eſt animal ferum, quadrupes, exoticum, cujus deſcriptionem & uſum varium prolixe exhibet Aldrov. *l.* 1. *de quadr. digit. vivipar. c.* 12. In ſpecie corii hujus feræ uſti uſum monſtrat Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 9. Teſticuli aridi potu oblati contra morſus ſerpentum, Æginet. *l.* 7. *c.* 3. Quod *Hippopotamus* obeſus & plethoricus venam ſibi vulneret arundine, & plagam limo obducat, ex Plinio refert Rolfink. *O. ac M. Med. Spec. l.* 4. *ſ.* 1. *c.* 4.

HIPPOS, ἵππος. Vide *Equus.*

HIPPOSIS, ἵππωσις, mendoſe, pro ἴπωσις, *preſſio*, de quo ſuo loco. Mendam hanc inculcavit Foëſ. *p.* 186. & C. Hofmann. *in ἀνεκδότοις notis ad Gal. com.* 3. *de artic. t.* 49.

HIPPOSORCHIS, ἱππόσορχις, haud dubie denotat pulverem teſticulorum equinorum in deſcriptione Pulveris ad Dyſtaſiam *in Diſpenſator. Auguſt. cl.* 9. cum ad normam vocum Græcarum aliarum compoſitarum melius exprimi potuiſſet per *Hipporchis*, ἱππόρχις.

HIPPURIS, ἵππουρις, primum nomen eſt plantæ, quæ *Equiſetum* dicitur. Deinde apud Hipp. *l.* 7. *Epid. LVIII.* 12. videtur omnino indicare morbum quendam ex continua equitatione, ſive quædam fluxio fuerit ad inguina & partes genitales, ſive imbecillitas, ſive attritus, ſive alius id genus affectus, notante Foëſ. *Oecon. pag.* 286.

HIPPUROS, ἵππουρος, nomen piſcis, qui & κορυφαίνης item *Urinator* vocatur, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 17.

HIRA, circa hujus vocabuli orthographiam & ſignificationem ambigunt & diſcrepant Autores. Veteres libri legunt *Chira*. Alii *Hilla*. Quidam reſtringunt ad *Inteſtinum Jejunum* νῆστις dictum: quidam ad omnia inteſtina. Linden. vero adhuc latius ad omnia *Interanea* abdominis τὰ ἔντερα extendit, quæ ſententia & nobis placet. Gr. dici poteſt τὸ ἐγκοίλιον. Lind. *Ex. IX.* §. 53. 57. &c. Dieter. *Iatr. n.* 783.

HIRBELLUM legitur apud Paracelſum, quod deliros reddat homines, ſed quid ſignificet, non conſtat, *tr. de Surditate.*

HIRCUS, τράγος, æquivoca ſunt vocabula. Proprie notant animal quadrupes notiſſimum, quod & *Caper* dicitur, de quo ſupra in *Capra*. Ejus carnem peſſimam dixit Galen. *l.* 3. *de Al. fac. cap.* 2. & *l. de atten. vict. cap.* 8. Paracelſus vero dicit, apud Spagyros *Hircum*

eum quoque dici maſculum Caniculum caſtratum & nutritum herbis diaphoreticis, *l.* 1. *de præp. tract.* 3. *tit. de Corallis.* Sanguis *hirci* habetur pro ſingulari remedio adverſus pleuritidem & alios morbos malignos, inſignique vi pollet ſanguinem concretum diſſolvendi; de cujus præparatione præter Diſpenſatoria Norimb. & Auguſtan. nec non Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 9. videatur & Helmont. *tr. Pylorus Rector*, *n.* 73. *ſeqq.* Propter fœtorem huic bruto familiarem & ſalacitatem vocab. τράγος, *hircus*, ad diverſos quoque affectus hominum tranſlatum obſervatur. Ita intumeſcentia teſtium tempore pubertatis in adoleſcentibus cum mutatione vocis in graviorem hoc nomine τράγος venit, quod patet ex *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 27. & Gal. *lib.* 14. *de V. P. cap.* 7. Unde & verbum τραγᾷν & τραγίζειν, *hircire*, in ea ſignificatione accipitur, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 25. & Gal. *l.* 2. *de Sem. c.* 5. Olidus quoque ille fœtor proprie ſub alis incubans, ex quo τραγομάσχαλοι dicuntur, *hircus*, τράγος, appellatur, & illi juvenes ad virilitatem accedentes *Hircoſi* aut *Hirquitalli* dicuntur. Foëſ. *p.* 621. *l.* 2. *ep.* 6. τράγος etiam edulii genus eſt, quod ex zea parabatur aut ex olyra, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 18. In vite, cum fructu carens frondium luxuria laborat, & fructuum inopiam foliorum ubertate compenſat, vitium vocatur τράγος, ex Ariſtot. *l.* 5. *de Gen. an. cap.* 18. Theophraſt. *l.* 5. *de cauſſ. plant. c.* 10. 13. Tandem Anatomici τράγον, *hircum*, appellant eminentiam illam auribus tempora verſus adnatam tegminis inſtar, quæ irruentia in aurem vel excipit, vel prohibet, quia hac in parte pili creſcunt. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 9. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 11. §. 4.

HIRQUUS, vide *Angulus.*

HIRSUTUS, *Hirtus*, *Hirtitas*, idem, quod *Piloſus* & *Piloſitas.* Vide *Daſys.*

HIRUDO, perperam per y apud P. M. de Calderia & alios βδέλλα, *ſanguiſuga*, inſectum eſt paluſtre, inſtar lumbrici oblongum, ſanguinem ex hominibus & equis exugere valens, cujus deſcriptionem, uſum in arte Medica & noxam venenoſam cum remediis vide apud Aldrov. *l.* 7. *de Inſectis c.* 11. & 12. Adde Schrod. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 105. Obiter hic notetur, ingenioſiſſimum alias Lindenum lapſum eſſe, quod crediderit, *hirudines* elicere non niſi tenuem ſanguinem, *Ex. XIII.* §. 409. Siquidem hoc manifeſte repugnat experientiæ, cum & nos obſervaverimus, quod elicuerint etiam craſſum, fibroſum & fœculentum ſanguinem. Jungatur obſervatio & diſcurſus de *hirudinibus* lectu dignus D. I. Val. Willii Medici quondam Regii Dani Caſtrenſis, *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 73. vid. *Bdella.*

HIRUNDO, χελιδὼν, æquivocum eſt, diverſa ſignificans, (1) animal volatile, ſive avem diverſæ ſpeciei, cujus deſcriptionem uſumque in Medicina vide apud Aldrovand. *l.* 17. *Ornitholog. c.* 6. *ſeq* Schroder. *d. l. cl.* 2. *n.* 55. (2) notat piſcem marinum volantem, Venetis *Lucerna* dictum; quem etiam deſcripſit Aldrov. *l.* 2. *de piſcib. cap.* 3. (3) ſignificat etiam ſpeciem ſerpentis *hirundinis* colorem obtinentis, cujus longitudo circiter cubiti unius, & interficit hominem ante bihorium, Avicenn. *l.* 4. *fen.* 6. *tract.* 3. *c.* 21. (4) χελιδὼν, *hirundo*, vocatur cavum illud, quod fit in flexura brachii humani & flexura ungulæ equinæ, Lind. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 73. & *Ex. XIII. Sel. Med.* §. 414. (5) Ex Suida quoque conſtat, hoc nomine venire *pudendum muliebre*, & mirum, Rolfinkium hac in re valde curioſum non adjeciſſe appellationibus genitalium mulierium *in O. ac M. de Part. generat.* dicatis. Tandem Aurelianus *l.* 1. *c.* 4. teſtatur, *equorum impetiginem*, h. e. ſquamulas anteriorum crurum ſub armorum partibus in ipſis animalibus natas vocari *hirundines*, χελιδόνας. Vide Aldrov. *l. prius citat.*

HISCURIA, vitioſe ponitur pro *Iſchuria*, & occurrit apud P. M. de Calderia *Tom. III. Oper. p.* 221. *ſeqq.*

HISMAT, id eſt, *ſpuma argenti.* Rul. & Iohnſ.

HISPANICUM *viride*, id eſt, *Hiſpalenſis*, h. e. *viride æris.* Iidem. Alias *Hiſpanicum* quoque epitheton *vini* generoſi à loco natali ita dictum.

HISPIDITAS, in genere idem, quod *Hirſuties* vel *Hirtitas*, δασύτης. Specialiter vero juxta Aëtium *l.* 7. *c.* 66. duos ſignificat affectus, vel *relaxationem genarum*, quæ Græcis φαλάγγωσις dicitur, ob nimium humorum ſuperfluorum affluxum; vel pilorum in genis ſuborientem depravatam propaginem, ita ut intro vergentes pungant tunicas, & oculorum defluxus provocent. Græce vocatur διστιχίασις. Vide ſupra *Dyſtichiaſis.* Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 46. *in Schol.*

HISTAMENOS, ἱστάμενος, *conſiſtens*, ab ἵστημι *conſiſto*, ſto. Uſurpatur non ſolum de ætate, quæ ad ſummum vigorem pervenit annorum circiter 40. uſque ad 50. ſed etiam de tumoribus, qui ad ſummum pervenerunt, quibus opponuntur, οἰδήματα καταπαυόμενα, *remittentes*, 2. *prognoſt. t.* 3.

HISTORIA, ἱστορία, eſt oratio, vel enarratio eorum, quæ viſu perſpecta, Gal. *l. de ſubfig. Empir. c.* 10. vel eſt enarratio eorum, quæ ſæpius iiſdem de rebus experta ſunt. *l. de optima ſecta paſſim.* Clarius fortaſſis ita deſcribi poterit: Quod ſit oratio, vel enarratio de aliqua re, vel perſona ſingulari ſecundum omnes circumſtantias & attributa circa illam rem, vel perſonam obſervata. Convenit cum *Caſu Medico*, vel Obſervatione Medica. Vide *Caſus.* Hujuſmodi *hiſtorias* quamplures reperire libet *in Theatro Galenico* Mundellæ, & alibi, præſertim etiam apud Caſp. à Rejes *in Indice Campi Elyſii Quæſtionum.* Placet quoque deſcriptio *Hiſtoriæ* à B. Caſp. Hofmanno relicta *l.* 6. *V. L. c.* 26. *Hiſtoria* eſt vera ac ſeria rerum geſtarum narratio. Tales *Hiſtoriæ* ægrotorum ſunt veluti cynoſura ad quemvis morbum in quocunque homine cognoſcendum facilius, prænoſcendum certius, curandum denique tutius, ſi ſanabilis,

ſin minus, palliandum jucundius, ſi abſtinere curatione non licet, veriſſime ſcripſit Linden. *Ex. IV.* §. 1.

HISTOS, ἱστὸς, dicitur malus in navi, ſive lignum erectum, ex quo velum ſuſpenditur. Sumitur vero ab Hippocr. pro inſtrumento chirurgico ligneo, in cujus ſummo aliud lignum tranſverſum imponitur, ex quo trochlea dependet ad ſcalæ demiſſionem, 3. *de artic. t.* 25. Gal. *ad h. l.*

HISTRICUS, ἱστρικὸς, denominativum à provincia *Hiſtria*, ſive Iſtria Illyrico contermina, & dicitur de oleo *Hiſtrico*, quod optimum, ubi majori opus eſt adſtrictione, Galen. *lib.* 11. *meth. med. c.* 16. Adde Jul. Alex. *notas ad h. l.*

HIZO, ἵζω, ſignificat *ſubſideo*, deſideo. Dicitur de naſo quando os palati deceſſit. Hipp. *l.* 4. *Epid. IX.* 2. *& l.* 6. *ſ.* 1. *t.* 4.

HOCLAX, *Hoclaſti*, ὀκλὰξ, ὀκλασὶ, *flexis genibus*, ab ὀκλάζω, labaſco, Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 14. Vide *Gnyx.*

HODOEPORIA, ὁδοιπορία. Vide *Iter.*

HODOS, ὁδὸς, vide *Via.*

HOEDUS, ἔριφος, vide *Eryphos. Capra.* Adde Gal. *l.* 6. *de L. A. c.* 6. Mercur. *l.* 1. *V. L. c.* 25.

HOLCAS, ὁλκὰς, apud Hipp. ſignificat *navim onerariam*, *l. de flatib. V.* 4.

HOLCE, ὁλκὴ, duo ſignificat: 1. *attractionem*, ab ἕλκω, *traho*, Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXII.* 18. Deinde eſt nomen ponderis, eſtque idem, quod *Drachma.* Gal. *l. de ponder. & menſur.* ut & *in l.* 2. *de Antidot.* Gorr. *in defin.*

HOLCIMOS, ὁλκιμὸς, dicitur de eo, quod trahitur & ducitur, & in varias partes ſequax eſt, nec divellitur, ſed continuum manet, veluti quæ lenta ſunt; tenacia & glutinoſa, Gal. *c.* 2. *de artic. t.* 45. ubi in Hippocr. verbis legitur ἐνόλκιμον. Dicitur & de hepate tumore affecto, *l.* 2. *de L. Aff. c.* 8. Lat. *Tractorius.*

HOLERA, antiq. pro *Cholera.* Keuch. *not. ad Seren. p.* 152. Aliquando & pro plurali *Olera.* Idem *p.* 173.

HOLIPPÆ, dicuntur placentulæ tenuiſſimæ inſtar laminæ paratæ ex maſſa farinacea tenui & ſaccharo, & ferventi ferro duplicato & figurato affuſæ & igni admotæ, pro Bellario, quamvis & *Purgantes* olim paratæ in Diſpenſatoriis extent.

HOLMISCOS, ὁλμίσκος. Vide *Mortariolum.*

HOLMOS, ὅλμος. Vide *Mortarium.* ὅλμος etiam dicitur *Truncus corporis*, exceptis artubus. Fallop. *Expoſ. de Oſſib. Tom. I. Oper. p.* 521.

HOLOPHLYCTIDES, ὁλοφλυκτίδες, idem quod φλυκτίδες, ſive φλυκταίνα, *puſtulæ.* Gal. *in exeg. voc. Hippocr.* & Erot. *in Onomaſt. p.* 85. quamvis ſine aſpiratione ibid. legatur, ſicut & in Gorræo.

HOLOS, ὅλος. Vide *Totus.*

HOLOSCHERES, ὁλοσχερὴς, ſignificat integer. Uſurpatur ab Hippocr. de ſanguine omnes ſuas portiones integrales complexo, *l. de Alim. V.* 7.

HOLOTHURION, ὁλοθούριον, quid proprie ſit incertum eſt; an animal, an vero planta; ut ita ad zoophyta referendum videatur, de quo videatur Ul. Aldrov. *l.* 4. *de Zoophitis c.* 4. libuit tamen hic facere mentionem, quia Jac. Bontius *in obſervationibus ſelectis Medicinæ Indorum annexis Obſerv. VII.* ſcribit, potum nimium ex oryza & holothuriis paratum *Arac dictum* occaſionem dediſſe morbis chronicis implicitis graviſſimis in uno ſubjecto, unde & potum maledictum vocare non dubitavit.

HOLOTONICOS, ὁλοτονικὸς, dicitur de convulſione univerſali, quæ Tetanus eſt, quando totum corpus riget. Schenk. *in obſ.*

HOLSEBON, item *Helſebou*, id eſt, *Sal commune* præparatum. Rul. & Iohnſ.

HOMALOS, ὁμαλὸς, ſignificat *æquabilis*, juſtus, unde conjungitur cum τῷ δὲ κοίλῳ, apud Hippocr. 3. *de fract. t.* 31. Legitur & *l.* 4. *Epid. XX.* 3. Verbum etiam ὁμαλύνω, h. e. *explano*, ad æqualitatem redigo, occurrit *l. de Hæmorrhoid. IV.* 2. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 452.

HOMARTEO, ὁμαρτέω, id eſt, *ſequor.* Hippocr. *l.* 2. *de morb. LIX.* 8.

HOMERDA, dicitur *Stercus humanum*, ſive excrementum alvinum in inteſtinis, præſertim craſſioribus congregatum. Blaſ. *Med. Univ. Part. Hygiein. lib.* 1. *ſ.* 2. *p. m.* 5. *& l.* 5. *ſ.* 2. *ſubſect.* 4. *p.* 10.

HOMILIA, ὁμιλία, triplicem habere dicitur ſignificationem apud Hipp. Primo ſignificat *converſationem* & colloquium cum aliis, *l. de Medico t.* 31. Deinde *connexionem* & cohæſionem partium & præcipue oſſium inter ſe, 1. *de artic. t.* 5. ubi verbum ὁμιλέω legitur: & denique *exercitationem*, *d. l. t.* 36. An fortaſſis *colligiandi rationem* hac voce innuere voluit Cous?

HOMO, ἄνθρωπος, quid ſignificet omnibus eſt notiſſimum. Dicitur, ita appellari ab *humo*, quia e terra creatus. Parac. *Philoſ. ſag. l.* 1. *cap.* 8. Vocatur etiam *Microcoſmus*, cujus tamen nominis rationem Paracelſici nimium extendunt. Vocatur quoque *Centrum mundi*, & *centrum omnium rerum*, *d. l. c.* 6. *&* 7. *Quinta eſſentia mundi*, *d. l. c.* 2. *& in tr. Explicatio totius Aſtronomiæ.* Hic non ſolum eſt ſubjectum ſanitatis & morborum, atque ita totius Medicinæ, vide *Dogm. Noſtr. pag.* 5. ſed etiam objectum, quatenus refertur inter βοηθήματα, ſive remedia. Quænam vero ſint remedia, quæ ab *homine* deſumuntur, vide in Daniel. Bekeri *Medico Microcoſmo*, Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. & D. D. Joh. Paul. Wurfbain, *Exerc. de Medicamentis ex homine deſumtis.*

HOMOCHROEA, ὁμοχροία, *æquabilitas ſuperficiei*, & lævor habitus exterioris in corpore, vel parte ejus dicitur, Hipp. *l. de cap. vuln. II.* 1. ubi Linden. per ſimilitudinem coloris interpretatus eſt, quod tamen non videtur cum ſcopo textus quadrare. Neque etiam neceſſe eſt propter etymologiam illam expoſitionem apprehendere, cum χρὼς & habitum corporis, & corpus ipſum ſignificet. Idem *l.* 1. *de fract. t.* 9. Vide Foëſ. *p.* 254.

p. 254. Fallop. *in Hippocrat. de vulner. cap. 6. Tom. I. pag.* 549.

HOMOEOMERES, ὁμοιομερὴς, *ſimilaris*. Dicitur de partibus, quæ in ſimiles dividi poſſunt particulas, hoc eſt, omnes earum particulæ & ſibi mutuo & toti ſimiles habentur. Vide *Dogmat. noſtr. pag.* 29. 37. Opponitur *Diſſimilari;* non vero Organico, quia & *Similares* Medicis ſunt organicæ, *d. l.* Vide *Diſſimilaris.*

HOMOEOTROPOS, ὁμοιότροπος, *conformis*, dicitur de medicamentis, quæ inter ſe conveniunt, & optime miſceri poſſunt. Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 11.

HOMOETHNIA, ὁμοιθνία, dicitur gentilitas, *cognatio*, & partium inter ſe *conſenſio*, qua altera alteri etiam affectum communicat, & quadam inter ſe conſenſione conſpirat, Hipp. *l. de Loc. in hom. III.* 7. *& l.* 2. *de morb. mul. LIIX.* 17. Foëſ. *p.* 453.

HOMOGENES, ὁμογενὴς, opponitur τῷ ἑτερογενὴς. Eſtque vel idem, quod *ſimilaris*, ὁμοιομερὴς, vel dicitur de omni eo, quod ſemper unam eandemque indolem & naturam retinet. Ita quoque febris dicitur ὁμογενὴς, qualis eſt continua æqualis, *Gorr.* Dicitur & Latine *Homogeneus.*

HOMOLINON, Hippocr. linum crudum quid ſit & quomodo fiat, res incognita fere omnibus, Mercur. *lib.* 3. *c.* 23. *de Comp. medicam.* Foëſ. *in definit. medicis* omiſit. Linimentum potius ex flavo & impolito filo textum. Salmaſ. *in Solin. p.* 766.

HOMOLOGEO, ὁμολογέω, accipitur ab Hipp. pro *conſentio*, congruo, v. gr. 2. *de iis, q. in med. t.* 16. *&* 2. *Prorrhet. XLIV.* 8.

HOMONOPAGIA, dicitur Arculano Dolor capitis, notante Heurnio *de morb. capit. in ſing. partib. c.* 9.

HOMONYMIA, *Homonymos*, ὁμωνυμία, ὁμώνυμος, id eſt, *Æquivocatio*, *Æquivocus.* Termini ſunt potius Logici, quam Medici. Nihilominus aliquoties ejus mentionem facit Gal. *l.* 1. *de temper. c.* 7. *fin. l.* 2. *c.* 5. *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 3. *l.* 1. *Meth. Med. c.* 5. *in fin.* Idem quoque *Homonyma* diſtinguit inter perfecte talia, & quodammodo talia, 4. *de R. V. I. A. t.* 13.

HOMOPHYLOS, ὁμόφυλος, *Congener* ſignificat; ejuſdem generis, gentis, & ordinis, cognatum. Hipp. *ſ.* 1. *de nat. hum. t.* 10. Huic opponitur τὸ ἀλλόφυλον, *peregrinum*, alienum, exoticum, *l. de A. L. & Aq. XXXIII.* 3. Coincidit ergo ὁμόφυλον cum ὁμοιθνία.

HOMOPLATÆ, vide *Omoplata.*

HOMORUSIA, eſt nomen Medicamenti, quod confert ad debilitatem hepatis, lienis, & eorum duritiem, deobſtruit, urinam provocat, & calculum frangit. Deſcribitur ab Avic. *l.* 5. *ſum.* 1. *tr.* 1.

HOMORYSMIA, *Homoryſmos*, ὁμορυσμία, ὁμορυσμὸς, ſimilitudo ſpeciei, figuræ, ſimilis, vel ejuſdem ſpeciei, aut figuræ. Ῥυσμὸς enim prout σχῆμα καὶ τύπον. Legitur apud Hipp. *l. de Diſſectione* I. 3. *II.* 1. 6. *III.* 6. 19. Jung. Foëſ. *p.* 454.

HOMOTECHNOS, ὁμότεχνος, dicitur ejuſdem artis ſocius & *Collega*, qui probe artem, quam profitetur, callet. Hippocr. *l. de præcept. VI.* 9. in quo Medicus Naturæ ipſius dicitur *Collega* & ſocius. Linden. *Ex. XIII.* §. 525.

HOMOTONOS, ὁμότονος, *æqualis*, æqualem tenorem ſervans. Poteſt generaliter de omni morbo dici, qui eundem tenorem perpetuo ſervat. Specialiter tamen uſurpat Galen. de febribus continuis, quæ alias dicuntur ἀκμαστικαὶ, quæ ab initio uſque ad finem æquales perdurant, ad differentiam ἐπακμαστικῶν & παρακμαστικῶν, de quibus vide *Anabaſis* & *Epacmaſticos.* Gorræus *in defin.*

HOMUNCULUS, ἀνθρώπισκος, ἀνθρώπιον, hominis notat diminutivum. Quæ Paracelſus de *homunculis* habet, intelligens per illos vel imagunculas ad hominum ſimilitudinem factas ex cera, ligno, metallo, quæ hominem ſidereum in ſe habent; vel maſſam illam negromanticam, quæ *Alreona* vocatur, cum præſtigias ſapiant magicas & diabolicas, præſtat ſilentii peplo involvere, aut Lethæis mergere aquis, quam prolixe explicando ſe ſuſpectum facere, aut anſam dare aliis, ut in errores pernicioſos ſeducantur.

HONOR, τιμὴ, quid ſignificet, notum eſt. Capilli quoque dicuntur *Honor capitis* à Q. Sereno, id eſt, ornatus, κόσμος. Vide Keuchen. *in not. p.* 118.

HOPLE, ὁπλὴ, *Ungulam* ſignificat, quales habent animalia herbivora. Galen. *l.* 3. *de V. P. c.* 2.

HOPLITODROMOS, ὁπλιτοδρόμος, dicebatur ille olim, qui curſum vehementiorem (qui ad exercitia corporis vehementiora pertinet) armatus iniit; alii enim inermes hoc fecerunt. C. Hofmann. *com. in Gal. de V. P. n.* 480.

HOPLOMACHICUS, ὁπλομαχικὸς, epitheton motuum armata manu factorum, Galen. *l.* 2. *de ſan. tu. cap.* 11.

HOPLOMOCHLION, ὁπλομόχλιον, nomen inſtrumenti chirurgici univerſalis, toti corpori humano adaptandi & applicandi, quod delineatum exhibet Aquapendens *in figuris æneis Operibus Chirurgicis annexis.*

HOPLON, *Arma*, plur. ὅπλα, & quidem uſitatius inſtrumenta bellica & militaria ſignificat. Apud Hipp. ὅπλα vocantur *funes*, ſive ex ſtuppa, lino, aut alia re confectos, quales ſunt navium etiam rudentes, 3. *de artic. t.* 25. Adde Galen. *in Exeg. dict. Hipp.* Erotian. *in Onomaſt. p.* 84. *a.* Foëſ. *p.* 458.

HORA, ὥρα, variis modis accipitur. (1) generaliter pro omni anni tempore, Hippocr. 1. *aph.* 2. 3. *aph.* 1. 3. 4. *& alibi ſæpius.* (2) Græci ὥραν vocarunt illud anni tempus, quod eſt ſub medio caniculæ, in quo fructus matureſcere contingit. Unde & fructus maturi ὡραῖοι vocantur, Galen. *l.* 2. *de Al. fac. cap.* 2. *princ. & cap.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 19. (3) ſignificat particulam diei, quarum viginti quatuor integrum diem naturalem complent. Qua ſignificatione videtur accepiſſe

 Hippocr.

Hippocr. 4. *aph.* 30. *&* 5. *aph.* 5. Gal. *l.* 5. *de tu. ſan. cap.* 4. Quæ acceptio vocis *Hora* etiam apud Latinos uſitatiſſima eſt. Vide Foëſ. *pag.* 693. Dieter. *n.* 946.

HORÆOS, ὡραῖος, generaliter *tempeſtivum* ſignificat, quod debito tempore fit & opportune, Aurelian. *l.* 3. *de tard. paſſ. cap.* 8. præcipue vero Hippocr. 3. *aph.* 8. *&* *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *n.* 20. Strictius vero dicitur de fructibus tempore æſtivo maturis. Vide p. a. *Hora.* Aqua etiam quædam dicitur ὡραῖος, *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 19. Strictiſſime quoque τὰ ὡραῖα ſignificant *menſes fœminarum tempeſtivos*, ſive fluxum menſtruum opportunum, Hippocr. *l. de ſuperfœt. XXIV.* 1. Vide Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 947.

HORARIUS, ὡραῖος. Vide *Horæus.*

HORCOS, ὅρκος. Vide *Juramentum.*

HORDEATUM vocatur medicamentum liquidum internum ex hordeo ad crepaturam cocto paratum, vulgo Decoctum hordei ſimplex dictum, quamvis & alia v. g. ſemina frigida majora & minora, amygdalæ etiam addi poſſint. Schenk. *Synt. comp. & præſcr. med.* p. 116. 135. *ſeq.*

HORDEUM, *Ordeum*, κριθή. Vide *Crithe.*

HOREON, ὥρειον, *inveteratum* ſignificat, ab ὧρος, *tempus.* Erotian. *p.* 124. *b.* quamvis Galen. *in exeg. voc. Hipp.* ſine aſpiratione legat, & per curam gerens exponat.

HORION, ὅριον, *terminus*, finis alicujus rei dicitur. Erotian. per confinium περιορισμὸν exponit, *Onom. p.* 82. *d.* Occurrit apud Hippocr. *lib.* 6. *Epid. ſ.* 6. *t.* 17. *&* 4. *de artic. t.* 35. 36. 2. *de iis*, *q. in med. t.* 31.

HORISMOS, ὁρισμὸς, eſt *definitio* & artis præceptum ſententia quadam comprehenſum. Hippocr. *l. de præcept. X.* 6.

HORIZON, ὁρίζων, proprie eſt terminus Mathematicus, cujus deſcriptionem vide in Clariſſ. Sturmii *Tab. Aſtronomicis Part. Gen. Tab. I.* Spagyricis vero *Horizon* vocatur *Mercurius Auri.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Horizontale aurum* Adeptis vocatur *Mercurius liquore alcaheſt fixatus.* Vel juxta Jacob. le Mort *in Chym. Medico-Phyſ.* Pulvis Præcipitati ruberrimi, quod Paracelſo *Arcani Corallini* nomine venit poſt affuſionem ſpiritus vini rectificatiſſimi & hujus abſtractionem relictus. Vide Morley *Coll. Ch. Leid. c.* 266. *proceſſ.* 5. *&* 10. *Ens Horizontis* vocatur etiam Electrum minerale immaturum apud Iunken *Chym. Exp. Cur. P. II. ſ.* 1. *c.* 7. *p.* 549.

HORME, ὁρμὴ, dicitur *impetus*, & appetitus naturalis, quo ad id, quod ſenſu percepimus, movemur. Opponitur τῇ προαιρέσει, ἢ βουλήσει. Gal. *l.* 2. *prognoſt. t.* 6.

HORMÔN, ὁρμῶν, *impetum faciens.* Vide *Enormon.*

HORNUS, *Hornotius*, σητάνιος, ἢ σητάνιον, id eſt, *hoc anno productus.* Dicitur de frumento, & in ſpecie de tritici quodam genere, & ejus farina, apud Hippocr. 2. *de artic. t.* 43. Galen. *in comm. ad h. l.* item Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. II.* 5. *V.* 18. *LXIX.* 3. *&* 4. *de R. V. I. A. t. ult.* Dioſcor. *lib.* 2. *c.* 103. ubi per iota ſcriptum eſt σιτάνιον, quemadmodum & in Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 112. *&* *l.* 2. *de morb. XX.* 15. Vocatur alias τρίμηνος πυρὸς, τριμηνιαῖος, Dioſcor. *d. l.* Theophraſt. *l.* 8. *cap.* 4. *Hiſt. plant.* Plura vide apud Foëſ. *p.* 563. 564.

HOROS, ὧρος, idem, quod ὥρα, *Tempus*, *Annus.* Legitur apud Hipp. *in lib. ſpur. de ſept. partu*, *n.* 16. Inde ὡρογράφοι, *temporum Scriptores.* Erot. *dict. loc.*

HOROSCOPUS, ὡροσκόπος, olim dicebatur præſtigiator, qui ex herbarum indicio, quis dæmonum quavis hora præſideret, & quid ejus auſpicio feliciter fieri vel auſpicari poſſet, indicabat. Tales vero herbas dari, merito Galen. inter pluſquam pueriles fabulas refert, *l.* 6. *de S. Fac. in prooem.* Confirmat Lang. *l.* 1. *ep.* 72. Alias *Horoſcopus* eſt terminus Aſtrologicus, nec hujus loci, eundem explicare.

HORRIDUS, φρικώδης, *Horrificus*, dicitur, de eo, quod vel ab horrore dependet, vel horrorem comitem habet. Ita cutis aſpera, inæqualis inſtar cutis anſerinæ (uti vulgo appellatur) dicitur φρικώδης, Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 29. Φρικώδης παροξυσμὸς, paroxyſmus *horridus* dicitur in febre, qui cum horrore incipit, qualis eſſe dicitur ſemitertianæ legitimæ paroxyſmus. Unde & ipſa febris φρικώδης πυρετὸς vocatur, i. e. *horrida.* Galen. *l.* 2. *de diff. febr. c.* 9. *&* 1. *in* 1. *Epid. t.* 23. quamvis Hippocrati etiam febres ita dicantur, quæ ſubinde inhorreſcunt. *Coac. t.* 12. 13. Vide Foëſ. *p.* 667.

HORROR, φρίκη, eſt motus quidam convulſivus cutis & cuticulæ, & coactus, minor quam in rigore, & major, quam in frigore, proveniens ab aëris frigidiſſimi injuria vellicante habitum corporis & cuticulam; vel à portionibus acrioribus, acidis, nitroſis, in ſucco nervoſo & nutritio, aut in lympha, & ſero ſanguinis hærentibus, partes nervoſas, & fibras cutaneas pungentibus, & ad motum leviorem convulſivum irritantibus. Vide Willis *de febr. c.* 3. & Fr. Sylv. *Pr. Med. l.* 1. *c.* 30. §. 83. Meminit Hipp. φρίκης ſive *horroris* aliquoties, v. g. 5. *aphor.* 61. 7. *aph.* 4. *Coac. t.* 8. 16. 584. Eſt & φρίκη ἀκατάστατος, i. e. *horror inconſtans*, quando non ſervat eandem indolem in febribus inconſtantibus. Vide Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 910.

HORTUS, κῆπος, quid proprie ſignificet, notiſſimum eſt. De *hortis* rarioribus quibuſdam legantur *Ephem. N. C. Ann. III. Obſ.* 31. Metaphorice *Hortus* dicitur *genitale membrum in ſexu muliebri*, Rolfink. *O. ac M. de part. gen. inſerv. P. II. cap.* 33. *Hortus* quoque comparatur à Paracelſo ejuſque ſectatoribus homini, vel corpori humano. Parac. *de Caducis paragr.* 3. Gerard. Dornæus *in Philoſ. Chemica.*

HUCHA, nomen piſcis inter *Lucium* & *Truttam*, ſeu Trottam medii, proximioris tamen *Truttis*, & forma & carnis qualitatibus. Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 137.

c. 137. ubi *Truttam fluviatilem alteram* vocat, & Jul. Alex. *l.* 15. *Salubr. c.* 5.

HULCUS, ἕλκος, pro *Ulcus*. Vide *Helcos*.

HUMANUS, æquivocum eſt vocabulum. Vel enim dicitur de eo, quod ad hominem ſpectat, v. g. *humana* caro, *humanum* corpus, &c. Græce ἀνθρώπινος. Vel ad mores & converſationem pertinet; eſtque idem quod *comis*, φιλάνθρωπος, & *humanitas*, φιλανθρωπία. Talis omnino decet Medicum, utpote quæ lucri & gloriæ eſt parens. Lind. *Ex. II.* §. 32.

HUMECTATIO, ὕγρανσις, ὑγρασμὸς, Hipp. 1. *de hum. III.* 14. idem, quod *Madefactio*, ab ὑγραίνω, *humecto*, quod occurrit 7. *aph.* 70. *Humectatio* duplex eſt: Interna, quæ fit cibis & medicamentis; & Externa, vel ſuperficialis, quæ fit balneis, infuſionibus. Huc pertinet καταιόνησις. Vide *Catæoneſis*. Remedia *Humectantia*, ὑγραίνοντα, ἢ ὑγραντικὰ, ſunt duplicia: actu, vel poteſtate talia. De *humectante* virtute remediorum vide *Dogm. N. P. VI. c.* 2. *dogm.* 9. *p.* 710. *Humidum* effective hodieque omne id dicitur, in quo præpollet aqua cum pauciſſimo ſpiritu & terra, & ita quamcunque materiam reddere potis eſt aquoſam, ubi aliis occurrit corporibus, ſi in motum redigatur, verbis Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. c.* 8. *p.* 29.

HUMERARIUS, ὠμιαῖος, dicitur de eo, quod ad humerum pertinet. Ita *Vena humeraria* eſt, quæ obliquius à clavicula ſenſim recedens ſe porrigit ad *Humerum*, Galen. *l. de venar. & arter. diſſ. cap.* 6. *l.* 3. *de Anat. admin. cap.* 5. *c.* 1. *de artic. t.* 53. Barthol. *libell.* 1. *Anat. c.* 7. Vocata quoque fuit ab Antiquis *Cephalica*, quia in capitis affectibus ſecari ſolita, ſed ſuperſtitioſe. Huic venæ reſpondet Arteria *Humeraria*, ſive *Humeralis*. Barthol. *libell.* 2. *c.* 2.

HUMERUS, ὦμος, totum illud ita dicitur, quod apparet in ea dearticulatione, qua ſuperior *humeri* pars, quæ *Epomis* & *Superhumeralis* dicitur, ad collum vergit, & à poſteriori parte os *Scapulæ*; ab inferiori autem quod, dum totum brachium attollitur, manifeſtum fit, & *Ala* nuncupatur, Gal. *c.* 1. *de artic. t.* 4. Alias *Humerus* quoque dicitur de parte prima brachii, quæ unico oſſe conſtat, quæ alias *Brachium* κατ' ἐξοχὴν dicitur. Barth. *libell.* 4. *Anat. c.* 20. Linden. *Ex. XIII.* §. 412. Plura de diverſis *Humeri* ſignificationibus vide apud eund. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 64. *ſeqq.*

HUMIDUS, ὑγρὸς, ſumitur 1. vel ſubſtantive vel adjective. Subſtantive idem eſt, quod *Humor* vel *Humiditas*, de quo poſtea. Adjective, vel ut efficiens, vel ut effectus conſideratur. Efficientis reſpectu coincidit cum τῷ *Humectans*, de quo vide *Humectatio*. Effectus vero reſpectu *Humidum* dicitur, quod *humectum* eſt, aut humorem in ſe continet.

HUMILIS, *Humilitas*, ταπεινὸς, ταπείνωσις, καταστολὴ, dicitur vel de animæ virtute & proprietate, qualis eſſe debeat in Medico, vide apud Lind. *Ex. II.* §. 23. *ſeq.* vel de re corporea: Muſculus oculum deorſum verſus malas trahens vocatur *Humilis*, item *Deprimens*. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 9. *p.* 513. Ita Pulſus *Humilis* ταπεινὸς Galeno dicitur, qui alto eſt oppoſitus, quando arteria non in altum extenditur, Galen. *l. de pulſ. ad tyron. c.* 2. Tumores quoque cum compeſcuntur, ut ſubſideant, eleganter Græcos per ταπεινῶσαι, *humiliare*, exprimere, teſtis eſt Diet. 604. *in fin.*

HUMOR, *Humiditas*, ὑγρότης, ὑγρασία, ὑγρηδὼν, τὸ ὑγρὸν, latiſſime denotat omnem fluidam, & humectare aptam natam ſubſtantiam vel materiam, comprehendens etiam ſuccos. Reſtringitur tamen interdum à Medicis, ita ut *Humor* & *Succus* idem non ſint. *Humor* enim *humiditas* quædam eſt, quæ in corpore animantis eſt; *Succus humiditas*, quæ in fructibus, quibus veſcimur, continetur & ex medicamentis vegetabilibus exprimitur, Galen. *c.* 1. *de humor.* Hæc Caſtell. Verum nondum ſufficiunt. In foro Medico *Humores* appellantur τὰ ἰσχόμενα, vel ἐνισχόμενα, *contenta*, quæ in aliis receptaculis continentur. Suntque vel naturales, vel præternaturales. Illi rurſus duplices: Utiles & Vitales, inter quos *ſanguis* principatum jure merito tenet. Inutiles ſive excrementitii, qui ex neceſſitate miſtionis, & ob longiorem moram in corpore gignuntur; de quibus omnibus paſſim *in Inſtitutionibus*, ut & *Dogmatibus noſtris*. Præternaturales plerumque ex excrementitiis vitiatis fiunt. Excrementitios Hippocr. plerumque vocavit ὑγρασίαν, ὑγρηδόνα, ὑγρότητα, uti patet ex 3. *aph.* 24. 31. *aph.* 56. *lib.* 1. *de morb. mul. XXXII.* 4. 13. *XXXIII.* 5. De quatuor *Humoribus* commentitiis in ſanguine jam ante dictum eſt. Vide *Hæma. Humores* quoque oculorum, præſertim cryſtallinus & vitreus, minus accurate hoc nomine indigitantur, cum potius ſint partes ſolidæ, nec humectare aptæ, Linden. *Ex. XV.* §. 67. *Humor aqueus*, ſive *elementaris* vocatur, quo tanquam viſco terreæ corporum partes junctæ cohærent, eſtque rerum omnium concretarum communis, & univerſum inanimorum, ſive lapidum, ſive metallorum, genus hoc ipſo glutinatum ſuſtinetur, Ewaldus Vogelius *de lapid. phyſici condition. c.* 4. *Tom. III. Theatr. Chym. p.* 589. *ſeq. Humor vitæ* dicitur, omnia viventia, ne areſcant, ſuſtentans, fomentum & pabulum calidi naturalis, alias *radicalis Humor*. Rul. & Iohnſ. *Humor radicalis Metallorum* ſtatuitur à Spagyricis *Argentum vivum*. Georg. Ripleus *in Axiom. Philoſoph. Tom. II. Theatr. Chym. p.* 124.

HUMORISTA, terminus Helmontianus, quo ſcoptice appellat Galenicæ ſectæ Doctores Medicos, præſertim qui quatuor in ſanguine ſtatuunt, & electivam virtutem educendi diverſos humores credunt & defendunt; quod vocabulum paſſim in ſcriptis ejus occurrit.

HUNC, *Hucci*, id eſt, *Jupiter*, *Stannum*. Rul. & Iohnſ.

HUSSO, *Huſo*, Plinio *Mario*, nomen piſcis grandioris cetacei, ita, ut aliquando quadringentas libras penderet,

deret, oſſibus, excepto capite & ſquamis carentis, Danubio fluvio fere proprii, cujus deſcriptionem & uſum in cibo & Medicina prolixe videre licet in Aldrov. *l.* 4. *de piſcib. c.* 11. ſuccinctius apud Jul. Alex. *l.* 15. *Salubr. c.* 1. & Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 81.

HYACINTHUS, ὑάκινθος, nomen eſt plantæ aut floris, quod pertinet ad Botanicos. Deinde ita dicitur gemma, vel lapis pretioſus, pellucidus, ex flavedine rubens, igniſque flammam imitans, quoad vires cordiales & alexipharmacas in frequenti uſu, cujus duæ dantur ſpecies: *Orientalis*, qui pretioſior, & *Europæus* in confinibus Sileſiæ & Bohemiæ. Variat etiam colore. Plura vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Ger. Dornæus *in Gemmarum ſtructura*, *Tom. I. Th. Chym. p.*487. docet generari *Hyacinthum* ex cœlo & terra Martis, cum terra Solis mixtis.

HYÆNA, ὕαινα, nomen animalis, ſed quale veteres intellexerint, non conſtat. Alii enim inter quadrupeda referunt, & vel ſpeciem *lupi*, vel ſpeciem *felis*, vel *zibethi* conſtituunt; alii inter piſces grandiores referunt marinos, & vel *Glaridem*, vel *Centrinen*, vel *Caprum* conſtituunt. Vide Caſp. à Rejes *Camp. El. q.* 57. *n.* 17. Rhod. ad Scrib. *n.* 38. Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 9. fel inter ophthalmica præſtantiſſima refert. De corio, vel pelle *Hyænæ* vide Scrib. *n.* 172. cum notis Rhodii *ad h. l.* In oculis *hyænæ* lapides *Hyænias* propterea dictos & quidem in vaſis inveniri, & ſi credimus, linguæ hominis ſubditos futura prædicere, notavit Plin. *l.* 37. *H. N. c.* 10.

HYALODES, *Hialoides*, ὑαλώδης, ὑαλοειδὴς, *vitreus*, *vitri ſpeciem referens*, vel etiam conſiſtentia. Primo dicitur de *humore oculi*, qui ambit cryſtallinum poſteriori parte, ita, ut diametrum ejus non excedat. Eſt inſtar vitri fuſi, vel ad ignem liquefacti. De cujus ſtructura & uſu vide in Anatom. præſertim Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 1. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 10. §. 48. *ſeqq.* Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. Deinde prædicatur de excrementis. v. gr. de *Urina vitrea*, Hipp. *Coac. t.* 150. 158. De *pituita vitrea*, quæ alias vocatur Praxagoræ, ὑαλώδης, χυμὸς, *humor vitreus*, & facit urinam γονοειδῆ, geniture ſimilem. Gal. *c.* 2. *n.* 6. *Epid. t.* 37. *l.* 1. *de præſag. ex pulſ. c.* 4. Foëſ. *Oec. p.* 630.

HYALOS, ὕαλος, dicitur *vitrum*, h. e. materia quædam dura, pellucida, ex ſale cinereo, & arenis, ſive materia ſabuloſa, vi ignis fortiſſimi liquatis parata, quod artificium dicitur *Vitrificatio*, de qua lege Willis *de ferment. c.* 12. præſertim Ant. Neri *Artem Vitrariam* cum Notis Chr. Meretti, idem Gunkelii *de arte Vitraria* vernaculum ſcriptum: De utraque vulgari & Chymica *vitrificatione* egregie quoque ſcripſit D. D. Wedelius *Pharmac. Acroamat. l.* 1. *ſect.* 4. *c.* 4. *Vitrum* dicitur omnium ultimum & extremum, quia non amplius converti poteſt in aliam rem. M. Joh. Iſaac. *Oper. mineral. c.* 86. Libav. *Syntagm. A. Chym. l.* 7. *c.* 19. Quamvis autem *Vitrum* adeo denſum ſit & compactum corpus, ut plane impervium videatur, ejus tamen penetrabilitatem à ponderabilibus flammæ partibus detexit experimentisque pluribus confirmavit Rob. Boyle *in Appendice Experimentis de ſiſtendis & ponderandis corpuſculis igneis ſubnexa*, ut & *tract. de poroſit. corpor. ſolidor. c.* 8. ubi & artificium deſcribit vitra coloribus tingendi, qua ſuperficialiter, qua intimius, non ſine lectoris oblectamento. Propter convenientiam quandam *Vitrum* quoque dicitur de quibuſdam operibus Chymicis ex Antimonio, Mercurio, Minio, Stanno paratis, de quibus vide Willis *d. l.* Rolf. *Chym. l.* 5. *ſ.* 12. Schrod. *l.* 3. *c.* 17. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* & alios. *Vitrum* quoque lunæ ſive argenti deſcriptum legitur in Steph. Blancardi *Chymia vernacula c.* 6. §. 16. & e calce Lunæ cum chryſocolla & igne liquatis paratur.

HYANCHE, ὑάγχη, vocatur ſpecies anginæ ſpuriæ, quando cum humore ex utraque colli parte deglutitio & reſpiratio impeditur, quod in ſuum collis contingit ſæpius. Cæl. Aurel. *de morb. l.* 3. *c.* 1. *p. m.* 160.

HYARITH, i. e. *Luna*. Rul. & Iohnſ.

HYBERNUS, χειμερινὸς, χειμέριος. Vide *Cheimon*, *Hyems*.

HYBOMA, ὕβωμα, idem, quod κύφωσις, *Gibboſitas*. Vide *Cyphoſis*, & ὑβὸς, idem, quod κυφὸς. Galen. 6. *aph.* 46. quamvis alibi ὕβωμα dixerit omnem vertebrarum everſionem p. n. ſignificare, 3. *de artic. t.* 53.

HYDALEOS, *Hydatænon*, *Hydatænomenos*, ὑδαλέος, ὑδαταίνον, ὑδαταινόμενος, ſignificat *Aquoſus*, vel *Aqueſcens*. Occurrit apud Hipp. *l.* 2. *Prorrh. II.* 18. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 7. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 74. Vide Foëſ. *p.* 651.

HYDARTHROS, ὕδαρθρος. Vide *Meliceria*.

HYDATÆNOMENI, ὑδαταινόμενοι, dicuntur ap. Hipp. qui promti ſunt ad hydropem, aut qui tenuem & aqueum natura ſanguinem habent, quaſi *Aqueſcentes* dixeris, *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 74. Jung. Foëſ. *in not. ad h. l.*

HYDATINON, ὑδάτινον, nomen collyrii, ſive medicamenti ocularii, quod ex aqua pluvia conficiebatur, velut *Aqueum* dixeris, Gal. *com.* 4 *in* 6. *Epid. t.* 19.

HYDATIS, ὑδατὶς, *Aquula*, eſt puſtula palpebrarum, vel pinguedinis ſuperiori palpebræ ſubſtratæ incrementum, propter quam oculi fluxione p. n. tentantur. Galen. *def.* Æginet. *l.* 6. *c.* 14. *Aquula* eſt pinguis quædam materia palpebræ cuti p. n. ſubſtrata. Galen. *lib.* 14. *meth. med. c.* 19. C. Hofm. *comm. in Gal. de V. P. n.* 740. Alias *Hydatides* vocantur Medicis quævis alia tubercula vel tumores veſiculares aqueam materiam vel lympham continentes, quales etiam in Aſciticis repertas fuiſſe paſſim ex obſervationibus conſtat. Speciatim etiam Placentam uterinam fere totam Hydatidibus refertam, imo pene in Hydatides degeneraſſe, obſervavit & delinea-

vit

vit D. Ruyſchius *in centur. Anatom. Chirurg. Obſ. XXXIII.*

HYDATISMOS, ὑδατισμὸς, vocatur ſonus concluſi & colliſi humoris, in externis vomicis & abſceſſibus. Aurelian. *l.* 5. *Tard. paſſ. c.* 8. allegante Foëſ. *p.* 631.

HYDATOCHOLOS, ὑδατόχολος, dicitur de excrementis *aquoſis ſimul & bilioſis*, ſive dejectionibus *perliquidis bilioſis*, quamvis alii legant ὑδατόχλοα, *pallide vireſcentia.* Hippocr. *Coac. t.* 67. 134. 608. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 49. 3. *in* 1. *Epid. t.* 27. *&* 3. *in* 1. *Epid.* 4. 73. Adde Foëſ. *pag.* 632.

HYDATODES, *Hydatoides*, ὑδατώδης, ὑδατοειδὴς, *aquoſus, aqueus*, aquæ formam referens, ratione coloris, vel conſiſtentiæ. Ita *vinum aquoſum*, ὀλιγοφόρος οἶνος, vocatur ὑδατώδης, quod multa aqua dilutum eſt, Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 12. Cui opponitur οἰνώδης, vinoſum, *l.* 7. *meth. med. c.* 6. *Humor* quoque *oculi* dicitur ὑδατοειδὴς, vel ὑδατώδης, *Aqueus*, cryſtallinum anteriori parte circumdans, & vitreum complectens, de quo vide Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 10. §. 41. *ſeqq.* Barth. *l.* 3. *Anat. c.* 8. ubi negat, eſſe partem animatam, ſed ſaltem excrementum. Vide ſupra *Aqueus humor. Urina* quoque *aquæ ſimilis*, ὑδατῶδες οὖρον appellatur, *Coac. t.* 576. Hydropici denique dicuntur ὑδατώδεις, præſertim, qui *Anaſarca* laborant, veluti aqua intercute ſuffuſi, *l.* 6. *Epid. ſ.* 7. *num.* 62.

HYDERÆNO, ὑδεραίνω, ſignificat *hydrope laboro*, Hippocr. *l. de nat. mul. II.* 8. Vocatur alias ὑδερῶμαι, *l.* 1. *de morb. mul. LXXXVI.* 7. h. e. aquoſus fio; item ἐξυδερῶμαι, 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 11.

HYDEROS, ὕδερος, generaliter idem eſt, quod *Hydrops.* Gorr. Apud Galen. tamen potius ſpeciem *Hydropis*, quæ *Anaſarca*, aut *Leucophlegmatia* alias vocatur, ſignificare, patet ex aliquot locis, ubi ægros illos vocat ὑδερικοὺς, *l.* 3. *de ſymptom. cauſſ. c.* 5. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Caro &c. Diabetes* quoque dicitur ὕδερος πρὸς ἀμίδα, *Hydrops ad matulam.* Vide *Diabetes.*

HYDNON, ὕδνον, *tuber terræ*, radicibus & bulbis annumerandum, de quibus Galen. *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 68. *& l.* 8. *de S. Med. fac.* §. *Hydnon.*

HYDOR, ὕδωρ, *Aqua.* Vide ſupra *Aqua.*

HYDRA, ὕδρα, nomen ſerpentis maxime venenati, in cujus tamen hiſtoria multa fabuloſa coincidunt, quæ vide apud Aldrov. *l.* 2. *de ſerp. & drac. c.* 4.

HYDRAGOGIA, ὑδραγωγία, Latine *Aquæductus*, ſignificat per metaphoram à ſimilitudine *aquæ ductuum* ſanguinis motum localem per venas, Galen. *in Timæo Platon.* Magis proprie poſſet hoc vocabulum tribui *Lymphæ ductibus*, ſive vaſis Lymphaticis.

HYDRAGOGOS, ὑδραγωγὸς, Hippocr. dicitur de hydropico ex nimia aquæ ingurgitatione facto, *l.* 7. *Epidem. LIIX.* 11. Alias medicamenta ὑδραγωγὰ vocantur, quæ aquam Hydropicorum evacuant, *l. de atr. bile c.* 6. Lang. *l.* 2. *ep.* 18. In ſpecie duo *Hydragoga*, *minus & majus*, deſcribuntur apud Fernel. *Therap. l.* 7. *tit. de purg. compoſ.*

HYDRALME, ὑδράλμη, *aquam ſalſam* ſignificat, vel ſtricte, *marinam.* Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 66.

HYDRARGYROS, ὑδράργυρος, ἄργυρον χυτὸν, *Argentum vivum*, *Mercurius* Chymicorum, ubi ſtatim circa nomina dubium obortum ex collatione locorum, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 110. & Plinii *l.* 33. *c.* 8. An nomina hæc *Argentum vivum* & *Hydrargyros* unum idemque ſignificent? quod negavit Mercurialis, ſtatuens, poſterius nomen ſaltem competere factitio, prius vero nativo, *l.* 2. *Var. lect. c.* 14. Saracenus vero *in not. ad Dioſc. l. cit.* vanam ac falſam hanc eſſe ſubtilitatem cenſet, cum nec Græci, nec Latini diſcrimen hoc obſervaverint; cui & nos ſubſcribimus. Eſt autem *Hydrargyros*, vel metallum ſui generis, uti vocat C. Hofmann. *Paralip. Off. c.* 86. & Gorræus quoque per metallum deſcribit; vel minerale metallis finitimum, aut liquor mineralis ſeu metallicus volatilis, metallis & præſertim auro avidiſſime adhærens, Schroder. *l.* 3. *c.* 14. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* vel eſt aqua viſcoſa in viſceribus terræ ſubtilis ſubſtantiæ, albæ terræ per calorem temperatiſſimum unica totali unione perque minima, quouſque humidum fuerit temperatum à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter, Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Duplex eſſe *Argentum vivum*, Nativum & Artificiale, & quæ circa utriuſque naturam, variam præparationem chymicam, uſum, noxam notanda occurrunt, petantur paſſim ex Rei Medicæ ſcriptoribus, non modo jam citatis, verum etiam aliis, qua antiquioribus, qua recentioribus. Meminit & Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Hydrargyros*, quamvis ibidem aperte faſſus ſit, ſe deſtituere propria experientia quoad uſum & noxam. Verum poſterioribus temporibus per experientiam innotuit, quod etiam Hydrargyri uſus internus innoxius fuerit, quo pertinent obſervationes apud Rhodium *Cent. III. Obſ.* 85. Interea non ſequitur inde, quod ſimpliciter & univerſaliter *Hydrargyrus* ſit innoxius, quum potius in ejus uſu cauto valde opus eſſe nullum eſt dubium. Cæterum Spagyrici ulterius progreſſi ſunt, & extenderunt terminos hos ad principium materiale omnium metallorum, imo juxta nonnullos, omnium corporum naturalium. Ita Rul. *in Lex.* Eſt *Argentum vivum* altera pars lapidis Philoſophorum ſecundum Chymiſtas, & principium alterum, materque omnium metallorum, & ſecundum quod coit cum patre & maſculo ſuo ſulphure, cauſſat perfectionem & imperfectionem in metallis, & metalla quoque (ut fœtus) plus à matre, ſic loquendo, quam patre, habent. Hinc plurimum trahunt originem; in hoc plurimum reſolvuntur. Hoc *Argentum vivum* vocarunt *Animatum*, ad differentiam inter commune & hoc Spagyricum, Dion. Zacharius *in Opuſc. Tom. I. Theatr. Chym. comprehenſo.* Jung. D. D. Beckheri *Oedipum Chymic. Tit. I.* inter quem & D. D. Rol-

D. Rol-

D. Rolfink. Iis oborta de *Mercurio* corporum naturalium, quorum hic prorſus ceu *Non-Ens* inficiatus eſt; ille vero non eſt veritus (quamvis meo judicio figmentis potius, quam veris experimentis) impugnare. Utriuſque pro lubitu legantur Opuſcula v. g. Rolfink. *Mercurius* Non-Ens Metallorum: & Beckheri *Supplement. in Phyſic. ſubterraneam.* Inter barbara Nomina quoque uſitatoria ſunt: *Servus fugitivus*, *Azoch*, *Azoth*, & ſi quæ ſunt alia. Nobis non placet eſſe nunc prolixioribus.

HYDRELÆON, ὑδρέλαιον, dicitur compoſitio ex *aqua* & *oleo*, cujus tamen miſturæ incerta & multiplex ratio eſt. Refrigerare creditur, ideoque adhibetur à Gal. ad dolores capitis ex febre & ciendis vomitibus convenit, ſi tepida detur, *l.* 2. *de S. F. c.* 25. Meminit & *l.* 5. *c.* 9. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 5. *& alibi.*

HYDRELOS, ὑδρηλὸς, vocatur *aquoſus*, humidus; idem, quod ὑδρηπώδης. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. II.* 3.

HYDRENTEROCELE, ὑδρεντεροκήλη, Herniæ ſpecies eſt compoſita, quando videlicet una cum inteſtino aquoſus humor in ſcrotum deſcendit, Galen. *in deſin.* Gorr. Caſtell.

HYDRIA, *Hydrion*, ὑδρία, ὑδριον, nomina ſunt vaſorum aquariorum, quorum illud majus, hoc minus habetur. Lat. *Urna*, *Urnula*. *Situlus* autem diminutivum legitur apud Hippocr. *de humor. V.* 8. Foëſ. *d. l.* Gorr.

HYDROCARDIA, ὑδροκαρδία, nomen fictum ab Hildano *Cent. I. Obſ.* 43. ſignificans tumorem ſeroſum, ſanioſum, & purulentum pericardii circa ſolutionem continui in ipſo corde.

HYDROCELE, ὑδροκήλη, ſpecies *Herniæ*, quæ *Aquoſa* dicitur, pertinens ad tumores ſeroſos vel aquoſos particulares, item ad hydropes particulares, proveniens à collectione ſeri, vel lymphæ in ſcroto, vel alii herniæ familiari ſubjecto. De hujus curatione vide H. Fab. Aquapend. *lib.* 1. *Pentateuch. c.* 27. *& tr. de oper. Chirurg.* Hildan. *Cent.* 4. *obſ.* 65. 66. Barbette *Chirurg. P. II. l.* 1. *c.* 6.

HYDROCEPHALON, ὑδροκέφαλον, occurrit & maſculinum Latinum & Græcum Hydrocephalus, ὑδροκέφαλος, & *in Lexic. veteri Græco* fœmininum ὑδροκεφαλή. Gorr. eſt tumor capitis aquoſus, ſive *Hydrops capitis.* Colligitur enim aliquando tanta copia humoris, ut eo caput ſupra modum intumeſcat. Is utplurimum aquoſus eſt, aliquando tamen fœculentus aut ſanguine dilutus, qui aut inter cutem & pericranium, aut inter cranium & pericranium, aut inter cranium & cerebri membranas coacervatur, quibus quartam differentiam loci addidere veteres, teſte Aëtio, inter cerebri ſubſtantiam & ejus membranas, ſed quæ nullam recipiat curationem. Plerumque cauſſam agnoſcit violentam ſolutionem continui, ex plaga, contuſione. Hinc & puerulis maxime familiaris, quando ab obſtetrice in puerperio caput illorum rudius contrectatur & comprimitur. Gorr. De hujus affectus cognitione & curatione vid. Aquapend. *in Chirurg. operat. h. tit.* Hildan. *Cent.* 3. *Obſ.* 17. *ſeqq. Cent.* 4. *obſ.* 10. *Cent.* 5. *obſ.* 3. Foreſt. *l.* 3. *Chirurg. obſ.* 5. M. Aur. Severin. *l. de noviſſ. abſceſſ. c.* 9. §. 1. Barbette *Chirurg. d. l. & P. III. l.* 2. *c.* 1. Bonet. *Medic. Septentrion. Collatit. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 6. *p.* 23. *ſeqq. Ephemer. Nat. Curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 1. *Obſ.* 47.

HYDROGARON, ὑδρόγαρον, id eſt, *Garum aquoſum*, ſive aqua dilutum, quod minus calefacit, quam Garum ſimplex. Aëtius etiam habet *lib.* 3. *c.* 84. deſcriptionem ὑδρογάρου καθαρτικοῦ ſive purgantis, Gorræus.

HYDROLEUM, eſt barbarum vocab. apud Fr. Hofmann. *in Clav. p.* 4.

HYDROMANTIA, ὑδρομαντία, eſt ars magica ſumta ex aſtris aquæ, cum in ea ſeſe patefaciunt hominibus ab inundantibus inuſitatis, fluctuationibus, aliiſque apparentiis. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Hujus aliquoties meminit Paracelſus, & Medici ſcitu utilem & neceſſariam aſſerit, ſed perperam, cum ſit ſuſpecta præſtigiarum diabolicarum.

HYDROMELI, ὑδρόμελι, dicitur *Aqua mulſa*, aqua melle miſta, *Melicratum*, *Mulſum.* Cujus variæ occurrunt præparandi differentiæ apud Columellam *l.* 12. *c.* 12. Palladium & alios; ex recentioribus Claud. Deodat. *Panth. Hyg. lib.* 2. *c.* 1. §. *Mel.* Dieter. *n.* 530. Penotum *tr. de med. Chymic. T. I. Theatr. Chymic. Med. Germanorum.* Rhod. *ad Scribon. n.* 66.

HYDROMELON, ὑδρόμηλον, *Hydromalum*, eſt nomen potionis ſic dictæ à malis cotoneis, *cydoniis*, cujus componendi ratio variat, quemadmodum legi poteſt apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 30. P. Æginet. *l.* 7. *c.* 15. Aëtium, Oribaſ. & alios, notante Gorræo. Eſt ſpecies ὑδρομίλιτος, Linden. *Exerc. X.* §. 160.

HYDROMPHALON, ὑδρόμφαλον, eſt ſpecies *Herniæ aquoſæ*, in umbilico obortæ, quando humor aqueus lentus ſub tunica ibidem congeritur & continetur. Gal. *deſin.* Curatio non differt ab aliis *Hydroceles* ſpeciebus.

HYDRONOMUS, idem, quod *Hydromanta*, Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tract.* 2. *c.* 3.

HYDROPHOBIA, ὑδροφοβία, id eſt, *Aquæ metus*, & ὑδροφόβος, *aquam timens.* Eſt Symptoma *rabiei*, ceu delirii à morſu canis rabidi aut aliorum ſimilium brutorum rabidorum oborti, quemadmodum & nos effectum hunc ex morſu lupi rabioſi crudeliſſimo notavimus. Sumitur etiam vocabulum pro ipſa *Rabie*, ut eſt apud Senn. & alios Practicos. Ægri tales aquam & omnia fluida reformidant, alii quidem ſtatim, alii ſerius, & demum quadrageſimo die. De hoc affectu vide Hildan. *Cent.* 1. *obſ.* 86.

HYDROPHYLACIUM, ὑδροφυλάκιον, dicitur de communibus aquarum receptaculis pro co ſtituendis fluviis aut lacubus deſtinatis, qualia in Helvetiæ Alpibus dari

dari notavit J. J. Wagnerus *Hiſtor. Helvet. Curioſ. ſect II. art.* 10. *p.* 41. *ſeqq.*

HYDROPHYSOCELE, ὑδροφυσοκήλη, vel ὑδροπνευματοκήλη, i. e. *Hernia* cauſſam mixtam ex aquoſo humore & flatu ſupponens. Paræus *Chir. l.* 7. *c.* 14.

HYDROPIODES, ὑδρωπιώδης, ſumitur interdum pro ipſo *Hydrope*, *Coac. t.* 304. 424. 458. Interdum pro ægro *Hydropico*, *t.* 453. *ſeqq.* 461. Vid. Foëſ. *p.* 633.

HYDROPNEUMOSARCA, dicitur humor vel abſceſſus à mixta materia, aquoſa, flatulenta & carnoſa productus. Meminit M. A. Sever. *lib. de nov. obſ. abſceſſ. c.* 4.

HYDROPOEIDES, ὑδρωποειδὴς, dicitur de aquoſo, *aqueo* excremento, qualia in hydrope laborantibus viſuntur. Coincidit cum ὑδατώδης. Occurrit aliquoties apud Hippocr. *l.* 4. *de morb. XXIII.* 23. *l.* 1. *de morb. mul. XLVI.* 3. *LXXXVII.* 16. ubi pro hydropica accipitur *l.* 2. *IX.* 4. *l. de intern. aff. XIII.* 5.

HYDROPOTA, ὑδροπότης, i. e. *potator aquæ*, qui alio potu præter aquam frui nequit, de quali Hydropico facto & per uſum vini curato legatur Obſervatio Helwigii apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 3. *ſ.* 23. *cap.* 22. *p.* 717. Alias & *Hydropota* vocatur, qui multos cyathos aquæ ingurgitans, & publico ſpectaculo iterum vitra vel cyathos implevit diverſiſſimis liquoribus, vino rubro, albo, aqua roſarum, qualem deſcripſit Italum Petrum de Manfredo dictum D. I. N. Binninger *Cent. I. Obſerv. Med.* 4. *p.* 4. *ſeqq.*

HYDROPS, ὕδρωψ, eſt nomen affectus gravioris generale, tumorem vel abdominis & crurum, vel totius corporis denotans. Dividi poteſt in *Humidum* & *Siccum.* Humidi *Hydropis* duæ ſunt ſpecies: *Aſcites* & *Anaſarca*, ſive *Leucophlegmatia*: Siccus, qui ex flatibus tantum ortus eſt, *Tympanites*; De ſingulis ſuis locis & literis initialibus. Dicitur & ὕδερος, *Aqua intercus*, Dieter. *num.* 857. *Hydrops ad matulam* vocatur *Diabetes.* Porro vocab. ὕδρωψ accipitur pro ipſo ſero & ichore, Hippocr. *l.* 4. *de morb. l.* 17. *IX.* 1. *XXV.* 34. *item l.* 2. *de morb. XVI.* 10. Junge Foëſ. *d. l.*

HYDROPYRETOS, ὑδροπύρετος, idem, quod *Febris ſudatoria* maligna, colliquativæ ſpecies. Foreſt. *Obſ.* 1. *Schol.*

HYDROROSATON, ὑδρορόσατον, dicebatur olim *potio ex roſis facta*, cujus deſcriptio habetur apud Æginet. *lib.* 7. *c.* 15. Aliter vero Oribaſius, qui aquæ fontanæ libras 60. coqui, donec fervear, poſtea indere roſarum foliorum exemtis unguibus libras 10. & occluſo vaſe coquere, donec perfecte cocta ſint, tandem defæcatis roſis mel ſeorſim coctum & defæcatum decocto roſarum addere juſſit, ad libras 30. Omnium delicatiſſime componi præcepit Actuarius, coquendo aquæ ℔. x. cum ſacchari ℔ v. donec ſpiſſa evadant, & tandem addendo ſucci roſar. libram unam. Sic febribus apprime utile eſſe ſcribit, notante Gorræo. Hæc formula videtur reſpondere Syrupo roſarum ſimplici dilutiori, ſive Julapio.

HYDRORRHODINON, ὑδρορρόδινον, dicitur *aqua cum oleo roſaceo* miſta. Sumta refrigerat, cietque vomitum. Dabatur à Galeno iis, qui venena hauſerant, ſi poſt vomitum ventriculus videbatur uti, notante Gorr.

HYDROSACCHARUM, ὑδροσάκχαρον, *aqua ſaccharata.* Reſpondet *Hydromeliti* ſive mulſo dilutiori. Poteſt etiam dici de Decocto aliquo ſaccharo condito. Legitur apud Foreſt. *l.* 32. *Obſ.* 9. & apud Jerem. Mart. *Obſ.* 93. apud Velſch. *in Sylloge.*

HYDROSARCA dicitur tumor vel abſceſſus quidam à materia mixta, ex aqua & carne productus. Legitur apud M. A. Severin. *l. de nov. obſ abſceſſ. c.* 4.

HYDROTICUS, ὑδρωτικὸς, idem, quod ὑδραγωγὸς, i. e. *aquoſas ſuperfluitates evacuans.* Ita Libav. *l.* 8. *Synt. Ar. Chym. c.* 19. vocat Spiritum Tartari inſigne *Hydroticum.* Calx *hydrotica* ex ſtimmi ſive Antimonio legitur apud eund. *in defenſ.* 1. *Syntagm. contra Scheunem. c.* 8. Pertinent huc Pilulæ *hydroticæ D. Cneulini.*

HYDRUS, ὕδρος, vocatur ſerpens aquaticus, valde venenoſus, qui alias Latine *Natrix* appellatur, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *Hiſt. Serp. & Drac. l.* 1. *c.* 17. Jung. Ægin. *l.* 5. *c.* 17.

HYEMS, χειμὼν, dicitur tempus anni frigidum, quod interdum humidum, interdum vero ſiccum eſſe ſolet, cujus conſtitutionem, morbos, victus rationem, vide apud Dieter. *n.* 920. *Hyemem* apud veteres conſtituebant Vergiliæ occidentes, ſicut orientes æſtatem. Linden. *Exerc. XI.* §. 196.

HYGEIDION, ὑγιείδιον, nomen eſt collyrii, quod ad Ammonium autorem quidam referunt. Deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 16. Commendatur etiam ad τοὺς ὑποπύους.

HYGIÆNO, ὑγιαίνω, ſignificat *ſanus ſum*, valeo, quod tamen de proſpera & adverſa valetudine accipitur ab Hippocr. 6. *aph.* 2. Adde Dieter. *n.* 849.

HYGIEA, *Hygeia*, ὑγίεια, ὑγεία, dicitur *ſanitas*, *valetudo proſpera* corporis, inter bona corporis præſtantiſſimus, ultimus & ſummus artis Medicæ finis ac ſcopus, quem ſemper intendere debet, licet non ſemper in ipſius viribus ſit, eundem aſſequi. Eſt vero generaliter *ſanitas* nihil aliud, quam diſpoſitio, facultas & aptitudo agendi naturalis corporis ejuſque membrorum, conſiſtens in bona temperie, legitima conformatione, & convenienti unitate, vel connexione (quæ ſunt tres ſpecies & eſſentiales ſanitatis differentiæ) à debita principii vitalis animati in humoribus & ſpiritibus ſedem ſuam obtinentis præſentia & facta appropriatione potiſſimum dependens. Plura petantur ex Inſtitutionibus & Phyſiologicis, &, cui noſtræ placuerint Hypotheſes, videat *Dogmata Noſtra Med. Gen. P. I. cap.* 2. & *ſeqq.* Cum vero individua hominum non uno

uno eodemque modo ſeſe habeant, *ſanitas* quoque in omnibus una eademque non eſt, ſed in aliis *perfectior*, in aliis vero *imperfectior*, quæ *latitudo ſanitatis*, πλάτος τῆς ὑγιείας, vocatur, de qua ſuo loco. *Sanus* dicitur ὑγιὴς, ὑγιεινός. Dieter. *n.* 850. 851. *Sanitas* quoque ad animum transfertur, quæ tamen ſignificatio Medico ſaltem eſt ſecundaria, quia mediante corporis ſanitate mentem quoque ſanam adjuvat. Per tropum & fortaſſis hyperbolice vocab. ὑγιία tribuitur medicamento, & quidem emplaſtro cephalico, quod & *Panaceam* & *Trium fratrum* vocant. Facit ad nomas & omnia ulcera maligna. Valet etiam ad plurima, & ejus deſcriptio habetur in Aëtio *l.* 13. *c. de Emplaſtr. Cephal.* notante Gorræo & Caſtello. Vide etiam *Sanitas.*

HYGIEINOS, ὑγιεινός, idem, quod ὑγιὴς, *ſanus*, ſalubris, ſanabilis.

HYGIENE, ὑγιεινή, vocatur *methodi medicinalis pars* prior, quæ tractat modum *ſanitatem conſervandi* in ſanis per certas indicationes & congrua media, quemadmodum poſterior appellatur θεραπευτική, *curativa*, quæ monſtrat modum ſanitatem recuperandi in ægris per certas indicationes & congrua remedia. Vide *Dogm. M. Gen. Part. IV.* & alios Inſtitutioniſtas. *Salubre* corpus apud Medicos dicitur tripliciter, ut ſubjectum, ut cauſſa, ut ſignum. *Gal. in art. Med.*

HYGIEROS, ὑγιηρός, idem, quod ὑγιεινός, *ſanus*, ſalubris. Legitur in Hipp. de ſemine, *de A. L. & Aq. XXXVI.* 1. *& l. de morbo ſacro*, *V.* 9. Opponitur τῷ νοσερῷ, morboſo.

HYGRA, emplaſtra liquida, ut xeria arida. Joan. Ruellius *in nomenclatura rei veterinariæ.*

HYGRASIA, ὑγρασία. Vide *Humor.*

HYGREDON, ὑγρηδών. Vide *Humor.*

HYGREMPLASTRA, ὑγρέμπλαστρα, vocantur *liquida Emplaſtra*, quæ opponuntur ξηροῖς, xeriis, ſive ſiccis, & legitur hæc vox apud Plin. *l.XXXIV.H.N.c.*15.

HYGROBLEPHARICUS, ὑγροβλεφαρικὸς, epitheton ductuum ſeu oſtiolorum novorum in utriuſque palpebræ extrema ora ſive interna parte repertorum, quos Borrichius *Hygrophthalmicos* vocat, de quibus vide Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. *p.* 512.

HYGROCIRSOCELE, ὑγροκιρσοκήλη, ſignificat herniæ ſpeciem compoſitam ex *aquoſa* & *varicoſa*, quando & circa venas ad teſtes excurrentes varicoſæ tricæ oriuntur & humor copioſus in ſcroto ſimul colligitur. Gal. *in def. Caſtell.*

HYGROCOLLYRIUM, ὑγροκολλύριον, vocatur *collyrium liquidum* ex humidis medicamentis magna ex parte conſtans. Vide *Collyrium.* Æginet. *l.* 3. *c.* 22.

HYGROMETRUM, ὑγρόμετρον, proprie eſt machina curioſa phyſico-mathematica, qua humiditatis gradus diverſi menſurari aut ponderari ſolent *Hygroſcopii* etiam nomine veniens, cujus aliquot exempla exhibet Cl. Sturmius *in Collegio Curioſo Tentam. XIV.* Verum non inepte nomen hoc etiam tribuitur à Celeb. Wedelio conſtitutioni partium ex vulnere fractura læſarum & jam curatarum debiliori, in quibus diverſus aëris humidioris ſtatus longe ferme certius ac artificiali machina percipitur, unde etiam cutim vivum Thermometrum & *Hygrometrum* appellare non dubitavit, *Phyſiolog. c.* 4. *p.* 70. *c.* 7. *p.* 162. *& cap.* 11. *p.* 402.

HYGROMYRON, ὑγρόμυρον, nomen unguenti *humidi* odorati, cujus deſcriptio, notante Gorræo, habetur apud Aët. *l.* 16. *c.* 114.

HYGROPHOBIA, ὑγροφοβία, idem, quod *Hydrophobia*, ita vero dicta, quia non ſolum aquæ, ſed cujuſvis liquoris metus à cane rabido morſos infeſtat. Rhod. *ad Scrib. Larg. n.* 171.

HYGROPHTHALMICUS, ὑγροφθαλμικὸς, vide *Hygroblepharicus.*

HYGROS, ὑγρὸς, vide *Humidus.* In Fœminino ὑγρὰ olim κατ' ἐξοχὴν vocabatur *reſina liquida*, cui opponebatur φρυκτὴ, *frixa*, Galen. *l.* 6. *Meth. med. c.* 2. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 2. Dioſc. *l.* 1. *c.* 92. *ſeq. Hygra* quoque tribuitur medicamentis ophthalmicis, eſtque idem, quod ὑγροκολλύριον, de quibus videatur Scribon. *n.* 37. 38. & Rhod. *in not.*

HYLARCHICUS, ὑλαρχικὸς, eſt epitheton Spiritus Mundi univerſalis, ab Henr. Moro Anglo ita dictus, qui materiam primam regit & diſponit, *in Enchirid. Metaphyſ.* quamvis hodieque ſint, qui illum Spiritum rejiciunt.

HYLE, ὕλη, ſignificat *materiam*, & quidquid ſub artis Medicæ præcepta cadit, eaque omnia, quibus cum in ægris, tum in ſanis utimur, recte *Materia Medica* dicitur, ὕλαι τῆς τέχνης, Galen. *com.* 4. *in* 6. *Epid. t.*19. Aliquoties etiam Latino idiomate occurrit in Petr. Aponenſ. *Conciliat. Controverſ.* imprimis *diff.* 16. ὕλη quoque dicitur *Sylva* & materia in ſylvis cædua, unde ὑλοτόμος, *lignator*, qui in ſylvis ligna cædit. *Hyle* Paracelſo etiam *materiam* ſignificare videtur, *de morb. foſſorum lib.* 2. *c.* 2. *Theatr. Chym T. II. p.* 145. In ſpecie quoque Lapis Philoſophicus *Hyle* vocatur, Rob. Vallenſis *de veritat. Alchemiæ T. I. Theatr. Chym. pag.* 26. Unde & mixtura illa in operatione Spagyrica circa Lapidem Philoſophicum, ſive maſſa ex terra alba ſoliata fermentanda fermento & ſpiritu conſtans, alias *Chaos* dicta, *Hyle* quoque vocatur. Libav. *Synt. A. Ch.l.*7.*c.*8. *& Apoc. Herm. P. Poſt. Tom. II. Oper.* Libav. *pag.* 340. Plura de *Materiis Chymicis* videantur in Bekheri *Oedipo Chymico per totum.* Jungi poterit quoque Theatrum Chymicum & loca in Indicibus inquiri.

HYLOMANEO, ὑλομανέω, idem, quod καθυλομανέω, frondibus luxurio, vide ſupra *Cathylomaneo.*

HYLONOMOS, ὑλόνομος, epitheton ferarum in ſylvis victum quæritantium, Hippocr. *l* 2. *de diæt. XX.* 2. ubi junguntur τὰ ἀγρόνομα, in *agris viventia.*

HYMEN, ὑμὴν, in genere ſignificat *membranam*, & coincidit cum vocabulis χιτὼν, & μήνιγξ, quamvis & differentiam aliquam docuerit Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 4.

Eſt

Eſt autem *membrana* in genere pars ſimilaris, lata, plana, alba & dilatabilis, ex portionibus colliquamenti ſeminalis viſcidis & humidis producta, Barth. *d. l.* ubi plura de hac materia. In ſpecie *Hymen*, ὑμὴν, vocatur *Clauſtrum virginitatis*, *Eugium*, & ſi quæ ſunt alia nomina, quæ videantur apud Caſp. Rejes *Camp. El. q.* 39. *n.* 11. A quibuſdam quæſtio movetur: An revera talis membrana in medio perforata in ſinu virginum muliebri detur? & an non potius caruncularum 4. myrtiformium cohæſio per membranulas pro hymene ſit habenda? De hoc dubio videatur Barthol. *l.* 1. *Anat. cap.* 31. Caſp. à Rejes *d. l.* negativam defendit, item Joh. van Horne *Microc.* §. *69.* D. D. Hofmann. *Diſſ. An. ad h. l. p.* 286. 288. Lullius *Hymenis* nomine inſignivit ignem peculiarem clauſum in unica fornacula humidum, vaporoſum, continuum ac digerentem, quem ſufficere docet ad Magiſterium Spagyricum Lapidis Philoſophici, teſte Dionyſ. Zachario *in opuſculo*, *Theatr. Chym. Tom. I. contento p.* 731. Tunica quoque interior fœtum involvens Amnios dicta ὑμὴν vocatur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 42.

HYMENODES, ὑμενώδης, *membranoſus*, pelliculoſus. Dicitur de ſanguine valde fibroſo & pituitoſo, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XXI.* 2. *XXXIV.* 8. *XXV.* 1. *XLV.* 14. *LXXXIII.* 4. explicatur per ὑμένων ἀνάπλεον, plenus pelliculis. Uſurpatur de urina *membranacea*, *Coac. t.* 83. *&* 582.

HYOIDES, ὑοειδὴς, rectius ὑψιλοειδὴς, à figura literæ Græcæ υ, cum ὑοειδὴς potius figuram, aut formam ſuis referens ſignificet, recte monente C. Hofmann. *com. in Gal. de V. P. n.* 494. Dicitur os bicorne, pluribus oſſiculis contextum, ad radicem linguæ ſitum, ut ſit firmamentum linguæ & laryngis muſculorum. Junge Bartholin. *lib.* 3. *Anat. c.* 12. Vocatur & *Lambdoides* ab inverſa litera Græca Λ, item *Os gutturis*, *gulæ*. *Gal. l. de muſcul. diſſect. cap.* 13. Appellatur & *Pharyngethron*, *l. de vocal. inſtr. diſſect. cap.* 6.

HYOPHTHALMOS, ὑόφθαλμος, i. e. *Suis oculo ſimilis*, præter Botanicam ſignificationem, qua Aſteri Attico tribuitur, dicitur quoque de gemma quadam ex ſpeciebus τῶν ἀχατῶν, ſic dicta, quod intus ſuillum oculum repræſentet. Gorræus.

HYOTHYROIDES dicuntur Muſculi rimam Laryngis dilatantes, quorum deſcriptio videatur apud Barth. *l.* 2. *Anat. c.* 11. *p.* 459. & alios.

HYPACTICOS, ὑπακτικὸς, vocatur facultas medicamenti *alvum ſubducens*, & ita idem eſt cum ὑπήλατος, de quo nomine p. p. Prius legitur apud Galen. *l.* 5. *S. F. cap.* 2.

HYPACUO, ὑπακούω, ſignificat *obtempero*, cedo. Uſurpatur ab Hippocr. de morbo, aut materia morbifica remediis cedente, v. g. *l.* 2. *Prorrh. XLIII.* 2. *l.* 4. *Epid. XXV.* 6. *lib.* 7. *XXII.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 634.

HYPÆTHROS, ὕπαιθρος, ſignificat *locum ſub dio*, deſignatum ob deambulationem, quæ loca Græci & περιδρομίδας, appellarunt, in quæ per hyemem ſereno cœlo ex xyſto athletæ prodeuntes exercebantur. Lang. *lib.* 1. *ep.* 51. εὐνὴ ὕπαιθρος, cubile *ſub dio*, legitur apud Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 50.

HYPAGO, ὑπάγω, *ſubduco*, proprie ſignificat; ſed in ſero Medico tropice dicitur de alvo fluida, κοιλίη ὑπάγουσα. Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 13. Vide *Subductio.*

HYPALEIPTON, ὑπάλειπτον, vocatur medicamentum, quo illini poteſt, vulgo *Linimentum.* Hipp. *l. de Ulcer. XIV.* 3.

HYPALEIPTRON, ὑπάλειπτρον, inſtrumentum vocatur illitorium, ſive *Specillum*, quo ad illinendum utimur, vulgo *Spatha.* Hippocr. 1. *de artic. t.* 45. *l.* 2. *de morb. mul. L.* 9. ubi generaliter pro *Specillo* ſumi videtur. Alibi vero vocavit ὑπαλειπτρίδα μήλην, *l. de ſuperfœt. XIII.* 1. Jung. Erotian. *in Onomaſt. pag.* 56. *a.* qui ὑπάλιπτρον legit, quod reprobat Foëſ. *Oecon. p.* 635.

HYPALGEO, ὑπαλγέω, non ſimpliciter doleo, ſignificat, ſed *ſubdoleo*, vel profundum vel clandeſtinum dolorem in aliqua parte denotans. Ita de corde uſurpavit Hipp. *l.* 3. *Epid. ſect.* 2. *ægrot.* 12.

HYPANCONION, ὑπαγκώνιον, dicitur *pulvillus*, *qui cubito ſubjicitur*, quaſi *ſubcubitalis*, quemadmodum ὑπαυχένιον, qui cervici ſupponitur. Galen. *cap.* 2. *de fract. t.* 64.

HYPANTHEROS, ὑπανθηρὸς, id eſt, *ſubfloridus*, ſive aliquatenus floridus. De ſputo ſubcruento & ſubrubro uſurpavit Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 21.

HYPAPHONOS, ὑπάφωνος, vocab. rariſſimi uſus, ſignificans vel *ſubabſurdus*, non conſentaneus, h. e. intempeſtivus, importunus; vel *horrendus*, quemadmodum Linden. verſio reddidit. Hippocr. *Coac. t.* 321. Alii legunt ὑποδήιον. Vide Hollerii *Comm. ad h. l.*

HYPAR, ὕπαρ, dicitur de eo, quod viſu cognoſcitur. Pertinet ad proverbialem locutionem ὕπαρ καὶ ὄναρ, h. e. *vigilans & ſomnians*, quo uſus Hippocr. *in Leg. III.* 7. 8.

HYPAUCHENION, ὑπαυχένιον, vocatur *pulvillus*, *qui cervici ſupponitur*, Gal. 2. *de fract. t.* 64.

HYPECCAUMA, ὑπέκκαυμα, *fomitem*, fomentum proprie ſignificat. Tropice vero & alimenta ſic dicuntur, quia veluti ligna igni, calido nativo pabulum ſubminiſtrant. Hippocrat. 1. *aph.* 14. Jung. Dieter. *num.* 359.

HYPECLYOMÆ, ὑπεκλύομαι, ſignificat *paulatim exolvor*, aut ſubinde debilis fio, deinde vero rurſus ingraveſco. Dicitur de palpitationibus. Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XLI.* 5.

HYPELÆON, ὑπέλαιον, *olei fex* ſeu *ſordes.*

HYPELATOS, ὑπήλατος, *dejectorius*, dicitur de medicamentis alvum ſubducentibus; eſtque idem, quod καταπερακὸς. Legitur apud Hipp. *l.* 4. *de morb. XXX.* 16. *&* 2. *de R. V. I. A. t.* 11.

HYPENANTIOSIS *ſubcontrarietatem* ſignificat, ſive mutuam repugnantiam. Hipp. 2. *aph.* 22. Jung. Dieter.

ter. *n.* 860. Ita indicata dicuntur indicantibus ὑπεναντίαι, *ſubcontraria*, Linden. *Ex. IV.* §. 19. Nota propoſ. ὑπὸ, quæ limitare videtur contrarietatem.

HYPENE, ὑπήνη, *barbam* ſignificat *ſub mento* ſive pilos à mento pendulos. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 13. §. 50. quamvis Gorræus notaverit, etiam labrum ſuperius vocari ὑπήνην, quod & Veſalius affirmat *l.* 2. *de H. C. F. cap.* 13.

HYPENEMIOS, ὑπηνέμιος, *ſubventaneus*: quaſi à vento productus. Epitheton ovorum ſterilium, ſeu irritorum, quæ gallina abſque congreſſu cum gallo concipit & excludit; Dicuntur & *ova Zephyria*, à vento zephyro, quod illum ad horum ovorum generationem aliquid facere creditum fuerit. Aldrovand. *l.* 14. *Ornithol. cap.* 1.

HYPERÆOREOMÆ, ὑπεραιωρέομαι, ſignificat *elevor*, attollor. Hipp. 2. *de fract. t.* 52.

HYPERBOLICUS, ὑπερβολικὸς, id eſt, *Exceſſivus*, dicitur de figura corporis, quoties quatuor membra, Græce κῶλα, id eſt, *crura* ac *manus*, aut ſumme extenduntur, aut immodice inflectuntur, ipſa item ſpina, cujus partes vertebræ quoque in cervice exiſtunt, cum plus nimium incurvatur, aut extenditur, Gal. *cap.* 1. *in prognoſt. t.* 13.

HYPERCATHARSIS, ὑπερκάθαρσις, quaſi *ſuperpurgatio*, h. e. immodica aut nimia purgatio, ex operatione violentioris medicamenti colliquantis, urentis, ſtimulantis, Hipp. 5. *aph.* 4. *Coac. t.* 564. Jung. Dieter. *n.* 861. Talem ex uſu Mercurialium obortam obſervavit D. Mollenbroccius *Eph. N. Cur. Ann. I. O.* 54. Plures Autores de *Superpurgatione* vide apud Walther. *Sylv. Med. p.* 764. *ſeq.* Qualis pœna ſit irroganda, qui ex imprudentia vel inſcitia *hypercatharſin* effecit, videatur in P. Ammanni *Irenic. p.* 183. *ſeqq.*

HYPERCORYPHOSIS, ὑπερκορύφωσις, ſignificat *eminentiam*, vel protuberantiam. Latine *apex* dicitur *ſummitas*, *vertex*. Ita *lobi* pulmonum vocantur ab Hippocr. ὑπερκορυφώσιες, *l. de Diſſection. t.* 7. & Hepatis, *ibid. II.* 3.

HYPERCRISIS, ὑπέρκρισις, ſignificat *judicationem*, ſive *criſin* morbi *exceſſivam* & acerbiorem, quando natura materiæ morbificæ multitudine onerata evacuationem molitur nimiam, cum periculo graviori conjunctam. Galen. *c.* 3. *prognoſt. t.* 1. Dicitur & ὑπερέκκρισις, *ſuperexcretio*, *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. *in pr.*

HYPEREMEO, ὑπερεμέω, *ſuperevomo* ſignificat. Uſurpavit vero Hippocr. de venis ſanguinem redundantem effundentibus, *l.* 2. *de morb. XVII.* 2. *XIIX.* 1. Vide *Supervomitus.*

HYPEREON, ὑπερέων exponit Erot. *Onom. p.* 117. per *commutans.*

HYPERESIA, ὑπηρεσία, *miniſterium*, officium ſignificat. Uſus vero aliquoties Moſchion. *de morb. mul. c.* 89. 91. *&c.* de uſu partium corporis, ſive functione organica.

HYPERETES, ὑπηρέτης. Vide *Miniſter.*

HYPERETRIA, ὑπηρέτρια, i. e. *Miniſtra.* Vocantur hoc nomine fœminæ obſtetrici in partu ſuppetias venientes, quarum ad minimum tres requirit Moſchion. *d. l. c.* 51.

HYPERINESIS, ὑπερίνησις, idem quod ὑπερκάθαρσις, *nimiam evacuationem* ſignificat. Ἴνησις enim vacuationem notat. Unde & ὑπέρινος, & ὑπερινώμενος dicitur *immodice vacuatus.* Hippocr. *l. de loc. in hom. LXI.* 12. *in principio*; *l.* 2. *de morb. mul. l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 32. Galen. *l. de ſang. miſſ. adverſ. Eraſiſtratum*, *cap.* 7. Junge Foëſ. *pag.* 636. Conf. Galen. *exeg.*

HYPEROA, ὑπερῶα, dicitur *pars oris ſuperior*, eſtque modice concava, foraminulis pertuſa, per quæ à cerebro pituita, ſive mucus deſcendit. Dicitur & *palatum*, item *baſis cerebri*, oſſe ſphœnoide firmata. Gr. τὸ κατὰ τὴν ὑπερώαν ἐστὶ, Gal. *c.* 1. *in* 6. *Epid. t.* 3. *&* 4. Caſtell. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 12.

HYPEROCHE, ὑπεροχὴ, dicitur *præſtantia*, excellentia, quæ decet Medicum & *Divina* vocatur ab Hippocr. *l. de dec. ornat. V.* 17. Hanc egregie expoſuit Lindenus, appellans *ſublimitatem heroicam*, *Exerc. II.* §. 36. *ſeqq.*

HYPERORAO, ὑπεροράω, proprie ſignificat *prætervideo*, quod prohibuit Hippocr. in Medico 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 25. & mirum, Foëſ. *in Oecon.* non expoſuiſſe hoc verbum emphaticum, quo indicatur, Medicum non debere temere & ἀπερισκέπτως, *inconſiderate* quicquam aggredi, aut ſuſcipere. Linden. *Ex. XII.* §. 34. *XIII.* §. 6.

HYPEROS, ὕπερος, *piſtillum* ſignificat, Hippocr. 2. *de fractur. t.* 41. Idem, quod κερκὶς. Vide *Cercis.*

HYPERPHERO, ὑπερφέρω, ſignificat *emineo*, exto. Hippocr. *l.* 7. *Epid. XLI.* 14. quamvis in edit. Linden. legatur ὑπεφέρετο, fortaſſis mendoſe, pro ὑπερεφέρετο. Foëſ. *d. l.*

HYPERPHYES, ὑπερφυὴς, ſupra naturam & indolem alicujus rei excedens. Uſurpatur de ægritudine, Græce κακοπαθείη, dicta, eaque graviſſima, *l. de vet. med. XIX.* 5. Latine *Immenſus* reddi poteſt.

HYPERSARCOSIS, ὑπερσάρκωσις. Vide *Excreſcentia.* Hinc & ulcus, quod habet *carnem excreſcentem*, vocatur ὑπέρσαρκον, Galen. *l.* 2. *Meth. Med. cap.* 2. *& l.* 3. *cap.* 6.

HYPERTONEO, ὑπερτονέω, ſignificat ſupero, *ſuperemineo*, Gal. *in Exeg. dict. Hpp.*

HYPERYDROS, ὑπέρυδρος, ſignificat nimis aquoſus, aqua collecta diſtentus, Hippocr. *l. de affect.* 12. quamvis mendoſe legatur in Lind. ὑπέρυθρον.

HYPERYTHROS, ὑπέρυθρος, ſignificat *ſubrubrum.* Legitur apud Hippocr. 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 70. *& l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 29. Linden. vocavit *rubrum dilutum. Ex. V.* §. 57.

HYPEXO-

HYPEXODOS, ὑπέξοδος, dicitur *alvi ſeceſſus*, alvi fluxus. Hipp. *l.* 2. *Prorrh. XXXII.* 3.

HYPEZOCOS, ὑπεζωκὼς, *ſuccingens.* Dicitur de membranis, quæ aliis partibus ſunt *ſuccinctæ*, v.g. Pleura coſtas *ſuccingit.* Ab his differunt διαφράττοντες, *diſtinguentes*, ut ſunt, Diaphragma, Mediaſtinum, Galen. *l.* 5. *Anat. adm. c.* 8. *& l.* 7. *c.* 2.

HYPHÆMOS. Vide *Subcruentus.*

HYPHE, *Hyphos*, ὑφὴ, ὕφος. Vide *Tela.*

HYPHEGESIS, ὑφήγησις, eſt *præitio* & *deductio* quædam. Sic dicitur Hippoc. via, quæ reliquæ puerperii purgationi ſternitur, per illa, quæ primum cum fœtu eruperunt, *l. de nat. puer. XII.* 7.

HYPHYDROS, ὕφυδρος, idem, quod *Hydropicus.* Hipp. *l.* 2. *Prorrhet. II.* 12.

HYPNELOS, ὑπνηλὸς, *ſomnolentus*, vide *Somnolentia.*

HYPNOBATES, ὑπνοβάτης, *Somnambulo.* Vide *Noctambulo.*

HYPNODES, ὑπνώδης. Vide *Somnolentus*, *Somnolentia.*

HYPNOLOGICA, ὑπνολογικὴ, vocatur à Lindenó pars tertia Diæteticæ ſomni & vigiliæ ſalubrem uſum tractans *in Manuductione ad Medicinam* à D. D. G. Chr. Schelhammero *in part. poſter. introduct. Conring. edita pag.* 92.

HYPNOPOEOS, ὑπνοποιὸς, idem, quod ὑπνωτικὸς, *ſomnum efficiens.* Legitur apud Dioſcorid. *l.* 1. *cap.* 1. Vide *Hypnoticus.*

HYPNOS, ὕπνος, *ſomnus*, quid ſignificet, notum eſt. Pertinet inter res nonnaturales, ceu cauſſas indifferentes ſanitatis & morborum, cujus eſſentia conſiſtit in quiete & vacatione actionum ſenſitivarum potiſſimum & locomotivarum, dependens à ſpirituum animalium illis functionibus deſtinatorum materiali præſentia, vel etiam activitate debita deficiente. Dividitur in *ſomnum* naturalem & præternaturalem. Plura de *ſomni* natura & differentiis legi poſſunt apud Th. Willis *Tr. de An. Brut. P. I. cap.* 16. *Dogm. noſtra Med. Gen. P. V. c.* 4. *d.* 2. *p.* 621. *ſeqq.* & in ſpecie de præternaturali, Charlton. *Ex. Pathol. VII.* §. 4. Jungatur etiam, ſi placet, Dieter. *n.* 863. Linden. *Ex. VII.* §. 39. *ſeqq. XVI.* §. 230. Helmontii ſententia de *ſomno* videri poteſt *tr. Jus Duumviratus n.* 14. *ſeqq.*

HYPNOTERION, ὑπνωτήριον, nomen eſt Epithematis Hepatici apud Aëtium de cura ſplenis indurati, teſte Gorræo *in defin.*

HYPNOTICUS, ὑπνωτικὸς, dicitur de eo, quod ſomnum conciliat, idem, quod ὑπνοποιὸς, Latin. *ſomnifer*, aut *ſomnificus.* Ita vinum ſomniferum vocatur, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 11. Medicamenta ὑπνοτικὰ ſunt, quæ ſomnum faciunt. Coincidunt cum *Narcoticis*, niſi quod hæc violentiora ſaltem ſomnifera denotent, Galen. *l.* 5. *de S. Fac. cap.* 19. Vocantur & *Colica*, *l.* 7. *de C. M. S. L. cap.* 5.

HYPO, ὑπὸ, præpoſitio, ſignificans *ſub*, quod tamen in vocabulis compoſitis accipiendum eſt non ſolum ratione loci inferioris, ſed etiam ſæpe exponendum de modo remiſſiori & leviori, quod ex ſubſeqq. nonnullis vocabulis innoteſcet, & rectiſſime animadverterunt C. Hofmannus *in Comm. ad Galen. de V. Part. n.* 1062. & Linden. *XII.* §. 69. imo Galen. ipſe *cap.* 3. *in* 1. *Prorrhet. t.* 3.

HYPOBÆNO, ὑποβαίνω, ſignificat *ſubeo*, h. e. ſubjicior, veluti fundamentum ſupponor. Occurrit apud Hipp. *in Mochlic. XI.* 11. ubi etiam opponitur τὸ ἀποβαίνειν. Foëſ. *p.* 637.

HYPOBLEPO, ὑποβλέπω, ſignificat *leviter ſuſpicio*, & uſurpatur de iliis, qui per ſomnum apertis quodammodo ſunt oculis, quod languentium & extreme affectarum virium, aut nimiæ reſiccationis eſt indicium, Hippocr. *Coac. t.* 64. Vide *Hypophaſis.*

HYPOBORBORIZO, ὑποβορβορύζω, ſignificat aliquod murmur ſentio, *ſubmurmuro*, Hippocr. *Coac. t.* 62.

HYPOBRYCHIOS, ὑποβρύχιος, ſignificat *ſubmerſus*, latens, in profundo deliteſcens. Uſurpatur vel de partibus corporis, v. g. venis, Hipp. *l. de venis XXIII.* 5. vel de febre deliteſcente, *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 10. Adde Foëſ. *d. l.*

HYPOCAPNISMA, ὑποκάπνισμα, ὑποκαπνισμὸς, i. e. *Suffumigatio.* Vide *Suffimentum.* Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 54.

HYPOCARODES, ὑποκαρώδης, Lindenus vertit *Subſoporatus*, qui quodammodo caro vel ſopore gravi detinetur. Legitur apud Hippocr. *Prorrhet. ſect.* 3. *t.* 62. *Coac. t.* 259. & ὑπερκαρωθεὶς *l.* 3. *Epid. ægrot.* 4. *vel ſect.* 2. *t.* 1. Vid. Foëſ. *Oecon. p.* 309. 310.

HYPOCATHARSIS, ὑποκάθαρσις, ſignificat *levem per alvum purgationem*, & ita opponitur ὑπερκαθάρσει, quamvis non poſſit negari, quandoque etiam ſimpliciter ſumi pro omni inferioris alvi purgatione, Hippocr. *l. de ulcer. IV.* 6. Confer ad Galen. *l.* 4. *meth. med. c.* 6.

HYPOCAUSTUM, ὑπόκαυστον, proprie ſignificat *balnearium*, vel *vaporarium*, quod ſub ſuo pavimento habet fornacem, qua mediante calefacit. Confer. ad Lang. *l.* 1. *ep.* 50. Rhod. *ad Scribon. n.* 60. quomodo Henric. à Deventer *Hypocauſtum* acceperit, videatur *in ſuis obſervation. obſtetrical. cap. XXVI. p.* 93. Nimirum pertinet ad ſellam parturientium. Hodieque tamen ſumitur pro omni conclavi, quod mediante fornace calefieri poteſt, vulgo ſtube. Jul. Alex. *l.* 28. *ſalubr. cap.* 8. cujus uſum an Itali, Galli, & qui eos ſectantur, prægnantibus ſatis rationibus improbent, dubito.

HYPOCEPHALÆON, ὑποκεφάλαιον, *pulvinum*, aut *pulvinar capiti ſupponendum* ſignificat, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XCIV.* 10.

HYPOCERCHALEON, ὑποκερχαλέον, ſignificat *aſperi-*

aſperitatem quandam *ſtridulam* in faucibus & aſpera arteria. Hipp. *l.* 7. *Epid. XI.* 7.

HYPOCEROS, ὑπόκηρος, *impurus*, interitui & morti obnoxius, idem, quod ἐπίκηρος, quod ἀκηράτῳ, *puro*, ſincero opponitur, ſignificat, Hippocr. *de morb. ſacr. IV.* 54.

HYPOCHASCO, ὑποχάσκω, proprie ſignificat *ore ſubhianti ſum*, & aliquantulum aperto, uti ſolent illi, qui mente aliquo acriter contendunt, & tota cogitatione ac oculis eam in rem defiguntur. Hinc & ſignificat *ſuſpicor*, ſuſpecto, animadverto, Hippocr. *l.* 4. *Epid. XXVII.* 14.

HYPOCHEIRIOS, ὑποχείριος, ſignificat ægrum, qui medico tractandum ſe ſubmittit, Hippocr. *l. de Medico*, I. 34.

HYPOCHEOMENOS, ὑποχεόμενος, i. e. *ſuffuſus*, ſive ſuffuſione in oculo laborans. Gal. *l.* 6. *de tu. ſan. c.* 9. *in fine.*

HYPOCHLOROMELAS, ὑποχλωρομέλας, dicitur, qui ex pallido aliquantulum nigricat, *ſubpallide nigricans*, ex miſta humorum, melancholici & bilioſi, in ſanguine abundantium diſpoſitione originem ducens. Occurrit apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 21. Vide Gal. *in comm. ad h. l.*

HYPOCHLOROS, ὑπόχλωρος, ſignificat *ex virore* aliquantulum *palleſcens*, Hippocr. *d. l.* Lat. *Subviridis.*

HYPOCHOLOS, ὑπόχολος, *ſubbilioſus.* Dicitur de colore, eſtque ſignum corporis extenuati, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 29. Gal. *in comm. ad h. l.*

HYPOCHONDRIACUS, ὑποχονδριακὸς, dicitur & de morbis, & de ægrotis. Inter morbos antecellit nomine quidem notiſſima *affectio hypochondriaca*, ὑποχονδριακὸν πάθημα, alias *flatulenta affectio*, *Mirachialis* Arab. dicta, & ſi melancholia conjuncta fuerit, *Melancholia Hypochondriaca* appellata. Qualis autem fere morbus ſit, nondum adeo perſpectum. Eſt enim tanta congeries ſymptomatum diverſorum, ut quædam plane contrariari invicem videantur. Hinc & apud veteres plerumque accuſatur ἀντιπραξία viſcerum, h. e. adverſæ functiones. Hujus morbi deſcriptionem ex vulgari veterum & quorundam recentiorum opinione vide paſſim in practicorum ſcriptis, præſertim Sennert. *lib.* 3. *Med. Pr. Part. V. ſect. I. per totum* & de *melancholia hypochondriaca lib.* 1. *P. II. cap.* 12. Malach. Geigerum, Joh. Freitag. & P. Zacchiam integris tractatibus de hoc morbo. Junge Dieter. *d. l.* Caſp. à Rejes C. *El. quæſt.* 73. *n.* 17. *& ſeqq.* alioſque plures. Nonnulli recentiorum hunc affectum aliter deſcribunt. Ita Thom. Willis inter ſpaſmodicos affectus refert, & ita morbis cerebri annumerat *in Patholog. Cerebri c.* 11. Nath. Highmorus vero morbum ventriculi eſſe ſtatuit *in Epiſtola de Hyſterica* & *Hypochondriaca paſſione.* Mihi ſalvo aliorum judicio hanc addere libet deſcriptionem: *Affectio Hypochondriaca* eſt morbus valde complicatus & compoſitus ex diverſis ſpeciebus, præſertim vero ex intemperie varia partium primariarum corporis & obſtructionibus viſcerum, glandularum, vaſorumque in hypochondriis, congeriem plurimorum graviſſimorumque quandoque ſymptomatum, præſertim actionum naturalium, vitalium & animalium læſarum, cum copioſa flatulentia, murmure ructibus acidis, ſputatione continuata, alvi ſiccitate, urina tenui, quandoque vero valde lixivioſa & tincta, interdum & cum delirio melancholico conjunctam habens, & proveniens à mixta & inter ſe pugnante fermenti in ventriculo, ſanguinis & ſucci nervoſi impuritate heterogenea ad malignitatem lentam, & putredinem magis minusve vergente. In concreto pro ægrotis morbo jam deſcripto correptis paſſim ſumi legimus. Ita *in Ephem. N. Cur. Ann. I. Obſ.* 63. 80. & *Ann. II. O.* 66. *&c.*

HYPOCHONDRION, ὑποχόνδριον, quaſi *Subcartilagium*, alias Celſo *præcordia*, quamvis minus congrue. Ita vero dicitur ea pars corporis, quæ ſub coſtis ſpuriis & ilia uſque utrinque protenditur, non ſolum muſculos, ſed & interna viſcera comprehendens, Foëſ. *p.* 645. Dividitur in dextrum & ſiniſtrum, quamvis *Hypochondrium* ſimpliciter & κατ' ἐξοχὴν poſitum Hippocr. pro dextro ſumſerit, propter prærogativam, teſte Gal. *c.* 2. *in* 3. *Epiſt. hiſt.* 2. uti Linden. notavit *Ex. IV.* §. 84. Adde Dieter. *n* 874.

HYPOCHOREMA, ὑποχώρημα, ὑποχώρησις. Vide *Dejectio.* Dieter. *n.* 874. Linden. *Ex. XIII.* §. 244. *ſeqq.* 255.

HYPOCHROS, *ſubpallidus*, ſubflavus, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 21. C. Hofm. *C. de V. P. n.* 1062.

HYPOCHYMA, *Hypochyſis*, ὑπόχυμα, ὑπόχυσις, Latine *ſuffuſio.* Vide *Cataracta.* Quomodo differat à *glaucomate*, vide in *Glaucoma.* Rhod. *ad Scribon. n.* 38.

HYPOCHYTOS, ὑπόχυτος, epitheton vini, eſtque idem, quod διάχυτος οἶνος, de quo ſupra in *Diachytos.*

HYPOCOELON, ὑπόκοιλον, dicitur pars cavitati oculorum, quæ κοῖλον dicitur, ſubjecta. Latine *Subcavum*, Gorr. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 10. §. 85.

HYPOCOPHOSIS, ὑποκώφωσις, Latine *ſubſurditas*, *ſurdaſtritas*, ſi licet fingere, idem, quod βαρυκοΐα, *obauditio*, difficultas auditus. Vide *Cophoſis.* Foreſt. *l.* 12. *Obſ.* 12. *Schol.*

HYPOCRANIUM vocatur abſceſſus ſuppuratio inter cranium & craſſam ſive duram cerebri meningem, & prolixius una cum Vomica Hypocrania deſcribitur ab Arnoldo Bootio *in Obſervat. Medic. de Affectibus omiſſis cap. I. & II.*

HYPOCRINOMÆ, ὑποκρίνομαι, Hippocr. idem eſt, quod ἀποκρίνομαι, *reſpondeo*, indico. Hipp. *l.* 7. *Epid. XV.* 29. *lib.* 2. *de fract. t.* 11. 64. 68. Foëſ. *p.* 639.

HYPODERIS, HYPODERMIS, ὑποδερὶς, ὑποδερμὶς, idem ſignificant, quod ἐπιδερὶς, id eſt, cuticulam, quæ obtegit clitoridem inſtar præputii ex Heſychio

&

& Ruffo Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *art.* 15. §. 142. *pag.* 320. vide *Epideris.*

HYPODESIS, ὑπόδεσις, dicitur *ſubligatio*, eſtque faſcia, quæ ante injectas plagulas applicatur, Hippocr. 2. *de iis, quæ in medic. t.* 24. & Galen. *in comm. ad hunc locum.*

HYPODESMIS, ὑποδεσμὶς, idem, quod ὑπόδεσις, *ſubligatio*, ſive faſcia ante plagulas adhibita. Hippocr. *d. l. ſ.* 3. *t.* 3. Gal. *in comm.* Opponitur τῷ ἐπιδέσμῳ, de quo ſupra, *Epideſmos.* Hipp. *d. l. t.* 39.

HYPODEXIS, ὑπόδεξις, vocatur *ſuſceptio*, vel exceptio familiaris, idem, quod ὑποδοχή. Legitur apud Hipp. *l. de dec. orn. XI.* 19.

HYPODYSCOLOS, ὑποδύσκολος, id eſt, *paululum gravior.* Uſurpatur de ſigno. Hippocr. *Coac. t.* 189. & notat *aliquanto malignum.*

HYPODYSPHOROS, ὑποδύσφορος, ſignificat *ſubmoleſtus*, aliquantulum implacidus & corporis incontinentia jactatus. Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 2. *t.* 4.

HYPOGASTRION, ὑπογάστριον, vide *Abdomen*, *Etron.* Eſt ima pars imi ventris, quæ ad umbilico ad pubem & pudenda porrigitur, Hippocr. 4. *aph.* 80. Latine *Sumen.*

HYPOGLOSSIS, *Hypogloſſium*, ὑπογλωσσὶς, ὑπογλώσσιον, item ὑποπλωτὶς, phyſiologicam & pathologicam habet ſignificationem. Secundum illam ὑπογλωσσὶς dicitur inferior pars linguæ, maxillæ adhærens, ubi affectus, Rana dictus, oriri ſolet. Lind. *l.* 2. *Med. Phyſ. c.* 13. §. 73. in qua ſignificatione quoque accipi videtur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. XI.* 3. Unde & affectus dictus ὑπογλώσσιος βάτραχος, *rana ſub lingua* vocatur Aëtio *Tetrabil.* 2. *l.* 4. *c.* 39. Ab hac quoque ſignificatione contigit, ut medicamenta quædam Arteriaca dicta ſint ὑπογλωττίδες, id eſt, *ſublingualia*, *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 1. Scribon. *n.* 110. Vocantur & à Critone *Hypogloſſida*, Foreſt. *l.* 15. *Obſ.* 32. *Schol. fine.* De his vide & I. Dan. Horſtii *Diſpenſ. Pharm. Part. I. c.* 20 *p. LXXXIIX.* Pathologice vero ſignificat ὑπογλωσσὶς tuberculum ſub lingua, ſive partem inferiorem linguæ intumeſcentem. Hippocr. *l.* 2. *de morb. XXXI.* 1.

HYPOGLUTIS, ὑπογλουτὶς, dicitur Anatomicis *carnoſa* ea *pars*, quæ *ſub natibus* deorſum femur verſus pertendit. Gorr.

HYPOGYON, ὑπόγυον, ἢ ὑπογύιον, ſignificat id quod eſt præ manibus, vel *quod inſtat*, Hippocr. *l.* 7. *Epid. XXIIX.* 13. 26. *XXIX.* 2. ubi Linden. vertit per *morti propinquus*; quod tamen textus ipſe non videtur exigere.

HYPOLAMBANO, ὑπολαμβάνω, ſignificat 1. *deprehendo*, Hippocr. *l. de Medico VIII.* 2. deinde *ſuſcipio*, *ſubeo*, Hippocr. *l.* 1. *de morb. XI.* 14. Ita ὑπολαβὼν ῥῖγος, rigor ſenſim *ſubiens*, vel invadens legitur, *l.* 5. *Epid. X.* 22.

HYPOLAMPSIS, ὑπόλαμψις, ſignificat aliquem *obſcurum fulgorem*, qualis obſervatur in tumore Hydropico, Hipp. *l.* 4. *Epid. XXI.* 1.

HYPOLAPAROS, ὑπολάπαρος, aliquantulum *mollis*, *ſubvacuus*, ſignificat, & uſurpatur ab Hippocr. de hypochondriorum molli extenſione, *lib.* 1. *Epidem. ægr.* 2. *l.* 3. *ægr.* 3. *& l.* 4. *XXVI.* 1. Foëſ. *pag.* 639.

HYPOLEIBOMÆ, ὑπολείβομαι, idem, quod ὑποστάζω, *aliquantum deſtillo*, defluo, Hipp. *l.* 1. *de Morb. Mul. LI.* 2. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.*

HYPOMBROS, ὕπομβρος, ſignificat vel *ſubtus madidus*, & dicitur de oſſe ὑποπύῳ, ſubpurulento, Gal. *d. l.* & Erotian. *Onom. p.* 117. *c.* vel poteſt etiam ſignificare *leviter madidum.*

HYPOMIA, ὑπωμία, dicitur de eo, quod ſuperiori humeri parti ſubjacet, aut ipſi humero, Gal. *d. l.*

HYPOMNEMA, ὑπόμνημα, vocatur *Commentarius*, recenſio & domeſtica adverſaria eorum, quæ memoriæ cauſſa ſibi quisque ex lectione Autorum collegit, & ſeorſim connotavit, Libav. *Apoc. Herm. Part. I. in proœm.* C. Hofm. *in comm. ad Gal. V. P. n.* 869.

HYPOMYSAROS, ὑπομυσαρὸς, hoc eſt *ſubolidus*, ſubfœtidus, aliquantum graveolens. Hippocr. de excrementis uſurpavit.

HYPOMYXON, ὑπόμυξον, vocatur articulus muco obductus, *mucoſus*, Hipp. 1. *de art.* 30.

HYPONOEMA, ὑπονόημα, ſignificat *animo conceptam opinionem*, vel *ſuſpicionem*, Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. IV.* 2.

HYPONOMOS, ὑπόνομος, dicitur de *ulcere ſubtus depaſcente*, & cuniculoſo. Græci enim ὑπονόμους vocant locos & canales ſubterraneos, opertas foſſas & cloacas. Gorr.

HYPONOS, ὕπνος, ἢ ὑπόνισκος, dicitur *aſellus ſuppoſitus*, ſive *ſuccula ſuppoſita*, qua fit extenſio ad ſuperiora. Pertinet ad Chirurgiam veterum, Hippocr. *in Mochlic. XXII.* 1. ubi Linden. legit ὑπόνοος.

HYPOPELIOS, ὑποπέλιος. Vide *Sublividus.*

HYPOPERIPSYCHON, ὑποπεριψύχον, vocatur, qui in exteriori habitu vel *ambitu corporis levi frigore tentatur*, Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 49. *& Coac. t.* 134.

HYPOPHACODES, ὑποφακώδης, lentis colorem referens, vel *lenticolor*, Hipp. *l.* 2. *Epid. t.* 75. qualem colorem habent plerumque lienoſi. Foëſ. *p.* 643.

HYPOPHASIA, ὑποφασία, illum oculorum motum ſignificat, quo vel per vices vix ipſi oculi apparent, vel lucem oblique & tenuem intromittunt.

HYPOPHASIS, ὑπόφασις, dicitur *ſuſpectio*, vel *ſubapparitio*, quando inter dormiendum album in oculo ſubapparet, Hippocr. 1. *Progn. t.* 11. à verbo ὑποφαίνομαι, *ſubappareo*, quod in eadem ſignificatione legitur 4. *aph.* 52. Jungatur Dieter. *n.* 873. Tales homines vocantur alias ὑποβλέποντες, *Coac. t.* 64. Vide *Hypoblepo.*

HYPOPHAULOS, ὑπόφαυλος, *aliquantum vitioſus*

ſus & pravus. Uſurpatur de victu vulgari & mediocri. Hipp. 1. *de fract. t.* 45.

HYPOPHERO, ὑποφέρω, geminam apud Hippocr. obtinuit ſignificationem : unam, quando denotat *ſuffero, tolero*, *l.* 2. *Epid. ſ.* 2. *t.* 35. & *l.* 1. *de Morb. mul. C.* 32. alteram, qua ſignificat *labaſco*, labor, titubo, *l. de intern. aff. XXXIX.* 11. Vide Foëſ. *p.* 644.

HYPOPHORA, ὑποφορά, vocatur Galeno *ulcus dehiſcens*, hoc eſt, profundum, fiſtuloſum, quod ex defectu repletionem exigit, *l. Introduct. c.* 3. & *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2. *princ.* Nonnulli tamen ὑποφορὰν de *alvi dejectione* dici arbitrantur, teſte Foëſ. *d. l.* & apparet ex Hipp. *Coac. t.* 302.

HYPOPHTHALMION, ὑποφθάλμιον, vocatur pars oculis ſubjacens, quæ in cachecticis & hydropicis intumeſcere ſolet. Occurrit apud Hipp. *Coac. t.* 139. *l.* 1. *de morb. mul. XXV.* 7. *l.* 2. *III.* 3. *IX.* 3. Idem fere ſignificat, quod ὑπόκοιλον, de quo ſupra. Foëſ. *d. l.* Eſt & ὑποφθάλμιον idem, quod ὑπώπιον, de quo p. p. Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 8. *Schol.*

HYPOPHTHEIROMENOS, ὑποφθειρόμενος, dicitur longo tempore contabeſcens, ſive *leviter ſubtabeſcens*, apud Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 17. quamvis potius legendum videatur ὑποφερομένων, h.e. *perferentium*, notante Foëſ. *ad h. l. & in Oec. d. l.*

HYPOPHYSIS, ὑπόφυσις. Vide *Subortus.*

HYPOPICROS, ὑπόπικρος, *ſubamarus*, Gal. *l.* 7. *de S. Fac. §. Crambe agreſtis.*

HYPOPION, ὑπώπιον, vocatur *Sugillatio* ſub oculis, quando ſanguis ſub cutem effunditur, ex ſolutione venarum continuitatis, & ita ſub cute efflóreſcit. Eſtque ex τῶν ἐκχυμωμάτων, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 1. *in princ.* Non vero confundendus hic affectus cum ὑποπύω, de quo poſtea. Vide Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 8. *Schol.*

HYPOPLEURIOS, ὑποπλεύριος, idem, quod πλευρά, *Pleura*, membrana coſtas & latera thoracis ſuccingens. Gorr.

HYPOPSAPHAROS, ὑποψάφαρος, *ſubaſper*, ſive aliquantum aſper. Galen. *in exeg. voc. Hippocr.* Gorr.

HYPOPSATHYROS, ὑποψάθυρος, ſignificat *aliquantum friabilis*. Quod vero Hippocr. de excrementis alvi uſus ſit, mirum, quod in expoſitione ita ſeſe torqueant Interpretes, cum textus mihi ſatis videatur perſpicuus, qui eſt 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 24. ubi alterum epitheton ὑγρὰ declarat prius, ſcil. intelligenda eſſe excrementa, quamvis craſſis portionibus ſcatentia, propter admixtas humidas tamen portiones copioſiores minus cohærentia, ſed diſſolubilia. Jung. Galen. *in comm.* Foëſ. *Oec. p.* 646.

HYPOPSOPHEO, ὑποψοφέω, *ſtrepitum edo*, aut facio, v. gr. inter potandum, Hipp. *Coac. t.* 62.

HYPOPSYCHOMÆ, ὑποψύχομαι, ſignificat *leviter* refrigero. Gorr.

HYPOPTYCHTHEIS, ὑποπτυχθεὶς, *corrugatus*, complicatus in ſinus & rugas ſignificat. Hipp. *l. de nat. mul. VII.* 1. & *l.* 2. *de morb. mul. XI.* 10.

HYPOPYON, ὑπόπυον, dicitur *ſuppuratio* in genere. In ſpecie vero de pure in oculis congregato quoque uſurpatur, & quidem ſub cornea oculi tunica, quod inflammationis conſequens interdum eſſe ſolet. Galen. *lib.* 14. *M. Med. c.* 19. Gorr. *in def.*

HYPOPYRRHOS, ὑπόπυρρος. Vide *Subruffus.*

HYPORINION, ὑπορίνιον, partes ſub naſo dicuntur & *Myſtax*. Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 62.

HYPORISMA. Vide *Emboriſma.*

HYPORRHYSIS, ὑπόρρυσις, defluxio, vel *ſubfluxio* dicitur Hippocr. quando vel humores, vel etiam pars ſolida ſenſim deorſum labitur, 1. *de iis, q. in med. t.* 19. Idem, quod κατάρρυσις. Foëſ. *p.* 640.

HYPOSAPROS, ὑπόσαπρος, *ſubputris*, fere idem, quod *putris*, quia opponitur τῷ καθαρῷ, *puro*. Hippocr. *l. de int. aff. I.* 17. Legitur & 2. *Prognoſt. t.* 42.

HYPOSARCIDIOS, *Hypoſarca*, ὑποσαρκίδιος, ὑποσάρκα, idem, quod *Anaſarca*, ſpecies Hydropis, totum corpus infeſtantis. Vide *Anaſarca*. Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 111. & *l.* 1. *de Morb. III.* 8. Parac. vocatur *Hypoſarcha*, idem *Undimia*, cujus naturam deduxit ex elemento aquæ mucilaginoſo & congelato, *l.* 4. *Paragraphor. c.* 1. 2. *ſeqq.* & in Scholiis *ad h. l.* ſcripſit, *Undimiam* nihil aliud eſſe, quam alumen reſolutum, ſecunda ſpecies aluminis, qua intumeſcunt raſtetæ manuum ac pedum, & tota facies.

HYPOSEISMOS, ὑποσεισμὸς. Vide *Succuſſatio.*

HYPOSPADIÆOS, *Hypoſpadias*, ὑποσπαδιαῖος, ὑποσπαδίας, dicitur, cui glans non recta, ſed ſub vinculo vel freno illo, quod κύων, canis, ſive κυνοδέσμιον vocatur, (vide *Canis*) perforata eſt. Hinc qui ſic affecti ſunt, urinam anterius reddere nequeunt, niſi pudendum ad pubem reflectant. Ægin. *l.* 6. *c.* 74. Gorræus. At Gal. *l.* 15. *de V. P. c.* 3. ὑποσπαδιαίους, eſſe dicit, quibus ob vinculum, quod ad finem virgæ habent, meatus ſeminalis eſt contortus, & ita ob læſa genitalia ſteriles ſunt, non quod ſemen fœcundum non habeant, ſed quod in virgæ flexibus hærens ferri prorſus nequeat recta in uterum, quam rem curatio ipſa comprobat : Vinculo enim abſciſſo generant. Vide C. Hofmann. *comm. ad h. l. n.* 1061. *ſeq.* I. Alex. *not. ad Gal. d. l.* Verum *Hypoſpadiæos* dari penitus negat P. Ammann. *Irenic. p.* 147.

HYPOSPATHISMOS, ὑποσπαθισμὸς, dicitur inciſio tribus diviſionibus facta, ſupra frontem ad pericranium uſque, nec tamen tribus illis lineis, vel ſectionibus frontem inciſiſſe ſatis eſt, ſed ſubjicienda etiam eſt ſpatha, unde ſectioni huic inditum nomen fuit, & per ſubditas partes tranſmittenda, totumque id ſpatium uſque ad pericranium, quemadmodum prolixius modum illum docet Æginet. *l.* 6. *c.* 5.

HYPOSPHAGMA, ὑπόσφαγμα, idem, quod ὑπόσφαγμα, proprie dicitur ſanguis, qui colligitur ex jugulato

jugulato animali vaſculo exceptus; & in cibum varia conditura paratur. Hinc & foramen, quod jugulo infligitur, dicitur ὑποσφάξ, vel ὑποσφάγιον, Caſp. Hofm. *ad Gal. V. P. n.* 1114. Unde & in ſpecie tholi vel atramenti ſepiæ ſedimentum ὑπόσφαγμα vocatur, Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* Linden. *Ex. V.* §. 27. Pathologice tamen uſus obtinuit, ut *Hypoſphagma* ſignificet *ſuffuſionem cruoris*, & *ſugillationem* in oculi tunica adnata, ex plaga illata, & ſolutione continui vaſculorum per illam excurrentium. Gal. *l.* 4. *de C. M.* S. L. *c.* 8. Ægin. *l.* 3. *c.* 22. ubi & *venarum commercii divortium* appellatur. Eorum, qui ſic affecti ſunt, proprium ſymptoma eſt, quod quæcunque videant, rubra eſſe putent. Vide *Hæmalops.* Obiter non poſſumus diſſimulare, quod non videamus, quid obſtet, quo minus omnis *ſugillatio* hoc nomine ὑποσφάγματ@ venire poſſit, cum ſit una eademque ratio generationis.

HYPOSPLENOS, ὑπόσπληνος, dicitur, qui aliquantulum lienoſus, & tumore lienis laborat, *Subſplenicus*, Hipp. *l.* 2. *Epid. II.* 16. *l.* 3. *ægr.* 6. *poſt ſtat. peſtil. l.* 1. *XIII.* 6.

HYPOSTASIS, ὑπόστασις, Latinis *ſedimentum*, vocatur craſſior urinæ portio, & contentum in urina reſidens, quamvis & *nubecula* mediam regionem occupans, aut *enæorema*, ſive *ſuſpenſum*, ſub *hypoſtaſis* nomine comprehendatur. Variat vero *hypoſtaſis* in ſanis & ægris; de qua varietate legatur Willis *Ex. de Urin. c.* 3. & 5. Multas quoque ὑποστάσεως differentias præternaturales collegit Foëſ. *p.* 641. *ſeq.* quarum tamen explicationes pleræque ſingulis ſuis literis initialibus *in hoc Lexico* invenientur. Fallitur vero Paracelſus; quod *Hypoſtaſin* urinæ ſcribat eſſe excrementum renum. *Paramir. l.* 3. *tract.* 4. cum in ſanis nihil aliud ſit, quam congeries filamentorum ſucci nutritii ſuperflua, uti Willis hoc rectiſſime docuit. Interdum & ὑπόστασις ſignificat *retentionem*, ſubſiſtentiam & ſuppreſſionem excernendi alicujus, v. gr. Hippocr. 2. *de artic. t.* 59. 2. *Prorrhet. X.* 8. *Coac. t.* 109. aut *ſuppoſitionem* partis ſolidæ, vel corporis alius durioris. 3. *de artic. t.* 92. *Mochlic. XV.* 4. & ita idem eſt, quod ὑπότασις, de quo p. p.

HYPOSTATHME, ὑποστάθμη, ſignificat craſſius ſedimentum in liquoribus, quale eſt Amurca in oleo, fex in vino & cereviſia, ſedimentum craſſum in urina, quod alias ὑπόστασις dicitur & ὑποσταθμὶς. Suidæ. Legitur apud Dioſcorid. *de ſedimento urinæ l.* 2. *c.* 99.

HYPOSTELLOMÆ, ὑποστέλλομαι, ſignificat *ſubtraho*, demo, evito, caveo, refugio. Hipp. 1. *aph.* 11. 4. *aph.* 6. 7. 8. Dieter. *n.* 870.

HYPOSTEMA, ὑπόστημα, idem, quod ὑπόστασις; *ſedimentum* in urina, ap. Hipp. *l. de criſib.* I. 8. *VI.* 1. 2. *VII.* 4.

HYPOSTROPHE, ὑποστροφή, geminam obtinet ſignificationem. Vel enim notat *converſionem* corporis, quando æger ſeſe convertit, Hipp. *l.* 7. *Epid. XLI.* 17. *XLII.* 32. *l.* 4. *de artic. t.* 14. Vel idem ſignificat, quod ὑποτροπή, de quo poſtea, vide *Hypotrope*, i. e. *Recidiva.* Hinc ὑποστροφώδεα dicuntur, quæ recidivas facere ſolent. Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 72. *l.* 4. *XIIX.* 20. *l.* 6. *ſ.* 2. *t.* 22. Foëſ. *pag.* 643.

HYPOSYRIZO, ὑποσυρίζω, ſignificat aliquem exiguum ſibilum edo, quaſi *ſubſibilo.* Hippocr. *l.* 7. *Ep. XV.* 5. *XXI.* 6.

HYPOTASIS, ὑπότασις, dicitur Latin. *Suppoſitio*, *Subtentio* alicujus, ut alteri ſit veluti fundamentum, Hipp. 2. *de fract. t.* 66. à verbo ὑποτείνω, *ſubtendo*, *ſuppono*, quod legitur 3. *de artic. t.* 50. *l. de ulcer. IIX.* 3. Hinc & ὑποτεταμένον ξύλον, lignum *ſuppoſitum* dicitur, *t.* 49. & de oſſe ſuræ, 1. *de fract. t.* 18. Adde Foëſ. *d. l.*

HYPOTHENAR, ὑποθέναρ, id eſt, *ſubvola*, pars ea manus eſt, quæ opponitur volæ manus, & Gr. θέναρ dicitur, Galen. *l. Introduct. cap.* 10. quamvis Linden. dubitet, quid proprie denotet, cum alii montem lunæ, ſive quod inter carpum & minimum digitum interjacet; alii omnes monticulos ſub ſingulis digitis ab indice ad minimum denotare exiſtiment. *Med. Phyſiol. l.* 2. *cap.* 14. §. 85. Muſculus quoque adducens pollicem alter dicitur *Hypothenar* Riolano, apud Bartho1. *lib.* 4. *Anat. c.* 12. *p.* 577.

HYPOTHESIS, ὑπόθεσις, ſignificat *ſuppoſitum*, aut principium aliquod in arte, vel ſcientia loco fundamenti conſtitutum. In qua ſignificatione etiam accepit Hippocr. *de vet. medic. II.* 13. 15. *XXII.* 1. *XXVI.* 13. Lat. *Opinio.*

HYPOTHETON, ὑπόθετον, dicitur medicamentum, quod ano h. e. extremo inteſtini recti immittitur, ſive ſub forma glandis, ſive paſtilli, ſive turundæ id fiat, Latinis dicitur *Suppoſitorium.* Græcum vocabulum legitur apud P. Æginetam *l.* 7. *c.* 12. *fin.* & Rolfink. *O. & M. Spec. Comm. l.* 7. *ſect.* 1. *c.* 28. Vide *Glans*, *Suppoſitorium.*

HYPOTINAGMOS, ὑποτιναγμὸς, idem quod ὑποσεισμὸς, vide *Succuſſatio.*

HYPOTRIMMA, ὑπότριμμα, eſt edulii genus, ex variis rebus leviter tritis & contuſis conſtans, quod etiam τρίμμα, ſeu *Intritum* dici poteſt. Linden. *Ex. X.* §. 78. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de diæta XXXIV.* 8. *l.* 3. *XXV.* 10.

HYPOTROPE, ὑποτροπή, item ὑποστροφή, dicitur *morbi reverſio*, reciprocatio, & uſitatius *Recidiva*, quando ſcil. prioris morbi cauſſa non perfecte remota, aut ablata, ob ejus novam collectionem morbus, qui ad ſenſum videbatur extinctus, evidenter repetit & recurrit. Dicitur & ὑποτροπιασμὸς, Hipp. 4. *aph.* 36. à verbo ὑποτροπιάζω, *revertor*, *d. l. aph.* 61. *l. de intern. aff. l.* 87. *III.* 5. 7. Jung. Dieter. *n.* 871. 872.

HYPOTRYGOS, ὑπότρυγ@, h. e. *aliquantulum fæculentus*, Hipp. *l.* 4. *Epid. XIV.* 10.

HYPOXEROS, ὑπόξηρος, *ſubaridus*, aliquantum ſiccus, ſignificat. Nec video, quomodo expoſitio Galeni ad hoc epitheton quadret, quando explicavit per πεπειότερον, ὑπόχροιλον, cum textus Hippocratici talem expoſitionem non exigant. Legitur vero *lib.* 1. *de fractur. t.* 38. *l.* 4. *de art. t.* 61. *Mochlic. XV.* 2. *l. de Helleboriſmo* 12. *l.* 6. *Epid. ſ. VIII. t.* 49. *l.* 7. *Epid. XIII.* 18. *Coac. t.* 369. 378.

HYPOZOMA, ὑπόζωμα, h. e. *membrana ſuccingens*, v. g. Diaphragma.

HYPOZYGUMÆ, ὑποζυγοῦμαι, ſignificat *ſubjugor*. Diciturque de *oſſe jugali*, quod ζύγωμα Gr. dicitur, ubi os à maxilla ſuperiori procedens cum eo oſſe, quod ſub aurem annexum eſt, *ſubjugatur*. Hippocr. 2. *de artic. t.* 5. Inde ὑποζύγιον, *jumentum* dicitur de animalibus quadrupedibus, quæ ad labores rurales jugo connectuntur, v. g. Boves. Gal. 1. *aph.* 15.

HYPSILOIDES, ὑψιλοειδὴς, pro *Ypſiloides*. Vide *Hyoides*.

HYPSOPHONOS, ὑψόφωνος, dicitur, qui clara voce aut ſonora præditus eſt, *l.* 1. *Epid. ſ. II. t.* 78.

HYPTIASMOS, ὑπτιασμὸς, duplicem habet ſignificationem. Vel enim notat *ſupinum decubitum*, ſive *reſupinationem*, Hippocr. 2. *de fractur. t.* 22. Adde Gal. *Comm. ad h. l.* qualis decubitus ſuper ventrem utplurimum in morbis malum habetur ſignum. Avic. *l.* 4. *fen.* 2. *tr.* 1. *c.* 42. Vel ſignificat *ventriculi everſionem*, cum nauſeabundus cibum faſtidit & rejicit, Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3. ubi vomitum ex genere τῶν ὑπτιασμῶν, *ſupinitatum* eſſe ſcripſit. Vid. Foeſ. *pag.* 647. Jul. Alex. *l.* 7. *Sal. c.* 7. Sumitur & ſynonymice pro *ſingultu* conjungiturque cum λυγμῷ apud Solenandr. *ſect.* 1. *conſil.* 16. & ex hoc notante Theoph. Boneto *Anatom. Pract. l.* 3. *ſect.* 5. *Obſ.* 1. *p.* 755. quamvis in mea editione Solenandri ἀκπιασμὸς legatur, quod vitioſum eſſe e Lexicis patet.

HYPULOS, ὕπουλος, dicitur de ulcere, ſub cujus cicatrice delitescit ſanies, *ulcus ſub cicatrice latens*. Hippocr. *l. de Medico IX.* 4.

HYPURGEO, ὑπουργέω, ſignificat *ſubſervio*, officium adminiſtro, vel ſuppetias alteri eo. Hippocr. *l. de Arte I.* 10. *V.* 10. *X.* 7. *lib.* 3. *de Morb. XIIX.* 63. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 2.

HYPURGIA, ὑπουργία, recte dicitur *officium Medici* ſive miniſterium aut *adminiſtratio*, reſpectu ſcilicet naturæ, cui primæ debentur etiam in ſanitatis negotio. Uſus Hippocr. *l. de dec. ornat. IX.* 17. *X.* 9. *XI.* 14. *XII.* 3.

HYS, ὗς. Vide *Porcus*.

HYSMA, ὕσμα, *pluviam* ſignificat, Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 6. Junge Foeſ. *d. l.*

HYSTERA, ὑστέρα, ἡ ὑστέρη, vocatur *Uterus*, ea pars corporis in hypogaſtrio ſita, in qua fit conceptio, & ad humani generis propagationem neceſſario attributa. Appellatur & *matrix*, item *vulva*, quamvis hoc vocab. potius de exteriori pudendo muliebri ſumi ſoleat. *Uteri* deſcriptionem pleniorem vide in Anatomicis ſcriptis, præſertim Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 28. 29. 30. Rolfink. *O. ac Meth. part. genital. P. II. cap.* 11. *ſeqq.* Vanum antiquorum eſt commentum, *uterum* eſſe viſcus adeo animatum, ut ſit velut animal quoddam in animali, uti ſcripſit Aretæus *l.* 2. *Acut. c.* 11. quam opinionem etiam hodieque obſtetrices & aliæ mulieres ſciolæ non patiuntur ſibi eripi. Hunc omnium muliebrium morborum cauſſam dixit Hippocr. *in princ. lib.* 2. *de morb. mul.* quod alias *libr. de locis in homine* annexum eſt. Intelligi vel efficientem, vel materialem, ſive ſubjectum. *Uterum* e ſede ſua prolapſum & e corpore prominentem aliis fruſtra tentatis remediis feliciter & abſque vitæ periculo amputatum fuiſſe à Michaele Angelo Rota Medico Veneto, & Anton. Molinetto Anatomico Patavino teſtatur Henr. à Moinichen *Obſerv. Med.* 4. annexa Cultro Lyſeri *Anatom. p. m.* 200.

HYSTERALGES, ὑστεραλγὴς, dicitur de eo, *quod uteri dolorem excitat*, & uſurpatur in ſpecie de aceto. Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 39.

HYSTERERGIA, ὑστερεργία, Roſ. Lentilio, qui nomen hoc licentioſe finxit, ſignificat actionem Naturæ, quam præcedente cura cum intenderet, poſt longius plerunque temporis ſpatium producit, vel Medicus illius ſubſecuturæ in ſolatium ægrorum morbo chronico correptorum ſpem facit, etſi quandoque falſam, & prolixius de hac *hyſterergia* differit *in Miſcell. Medico-Pract. Part. II. p.* 474. *ſeqq.*

HYSTERICUS, ὑστερικὸς, *Uterinus*. Generaliter dicitur de omnibus morbis *uterinis*, & de ægris, quæ illis morbis correptæ ſunt, Dieter. *n.* 879. Specialiter vero & uſitatius accipitur de *ſuffocatione uteri* & *ſtrangulatione*, Græce πνὶξ ὑστερικὴ dicta, cujus morbi natura quamvis ſit intricatiſſima, mihi tamen videtur præ aliis illum explicaſſe Willis *in Patholog. Cerebri cap.* 10. Inque hoc ſaltem hallucinatum eſſe, quod in affectionibus *hyſtericis* uterum falſo accuſari ſcripſerit, cum tamen in ſeqq. expreſſe fateatur, quandoque hunc affectum ab uteri culpa dependere. Poterit vero affectus ille hoc morbo deſcribi: *Suffocatio uterina* eſt congeries quamplurimorum ſymptomatum, præprimis actionum animalium & vitalium diverſimode & graviſſime læſarum, proveniens à concurſu morborum diverſorum, cerebri, cordis, & uteri, propter ſucci nervoſi & ſanguinis impuritatem, & motum inordinatum, per effluvia exploſiva, aut etiam congelativa ex retentis vitioſis portionibus ſeminalibus, aut ſanguineis menſtruis collecta inductum, genitorum. Jungatur & Barbett. *Pr. Med. lib.* 4. *c.* 9. De ſymptomatum farragine lege etiam Dieter. *d. l.* Caſp. à Rejes *C. El. Q.* 46. & 79. Fœminæ quoque *ſuffocatione uteri* laborantes vocantur ὑστερικαί. Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 27. *Coac. t.* 349. 554. Medicamenta quoque

contra

contra morbos uterinos vocari *Hyſterica*; patet ex Diſpenſatoriis, Libav. Schroder. Fr. Hofm. & aliis. E noviſſimis etiam Iunken in ea eſſe ſententia legitur, *ſuffocationem uterinam* & alios *uteri* morbos vulgo creditos exceptis vitiis ſanguinis menſtrui eſſe potius lieni & vitiatis ſanguini ſpiritibuſque animalibus adſcribendos, *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1. *c.* 21. *p. m.* 730. *ſeqq.* Enimvero nobis videtur, hos & alios ſuffragantes committere fallaciam oppoſitorum.

HYSTERON, ὕϛερον, vocatur *Secundaria*, eſtque idem, quod τὸ δεύτερον. Vide *Deuterion*. Uſurpatur & in plur. num. τὰ ὕϛερα. Gal. 5. *aph.* 35.

HYSTEROTOMOTOCIA, ὑϛεροτομοτοκία, dicitur *Partus Cæſareus* ſive Cæſar. Vide *Cæſar*, & ὑϛεροτομία ſectionem ipſius uteri in genere ſignificat.

HYSTRIX, ὕϛριξ, nomen eſt animalis, cujus duæ conſtituuntur ſpecies, terreſtris alia, alia marina. Vocatur & *Porcus ſpinoſus*. Hujus deſcriptionem & uſum in cibo & Medicina tradit Aldrovand. *lib.* 2. *de quadr. dig. vivipar. c.* 38. Vivum quoque An. 1685. Norimbergæ & hic Altdorfi ſpectare licuit ex India allatum, ſi fides habenda ejus poſſeſſori, corpore nigricante, & aculeis elegantibus variegatis ex albo & nigro colore conſtans. Vocavit autem *Sayda*, & confirmavit, quod potu plane abſtineret.

I.

JACENS, κατακείμενος, dicitur proprie de corporis, aut membri ſitu, vel poſitu, cum ceſſatione actionum, muſculis & tendinibus propriarum, Gal. *l.* 2. *de muſcul. c.* 7. Qua ratione & καθίζειν huc pertineat, vide apud C. Hofm. *Com. Gal. de V. P. n.* 123. Aures *jacentes* vocantur, quæ nondum lubriguntur, Scribon. Larg. *n.* 13. Tropice Natura *jacens* Helmontio dicitur, quando morbus in gradum ſurrexit, & naturæ nupſit intime, h. e. quando cauſa morbifica ſupprimere conatur vires vitales ſive flammam vitalem, *tr. Natura Cont. neſcia n.* 45.

IACINTHUS, pro *Hyacinthus*. Vide ſupra. Lang. *l.* 3. *ep.* 1. *c.* 6.

JACTATIO, ἀλύκη, ῥιπτασμὸς. Vide *Alyce*. Dicitur & *Jactare*, Gr. σπαλίνειν, quod fere idem eſt, ac divergere, Hipp. 3. *de artic. t.* 95. Alias *jactatio* quoque ſignificat *gloriationem*, vel laudem propriam. Hinc & Gal. à nonnullis *Jactator* dictus fuit teſte Ant. Muſ. Braſſavolo *in indic. ad Gal. libros.*

JACULUS, ἀκοντίας, nomen ſerpentis venenoſiſſimi, cujus deſcriptionem, venenum, & uſum in Medicina tradidit Aldrov. *Hiſt. ſerp. & drac. l.* 1. *c.* 13.

IÆNOMÆ, ἰαίνομαι, ſignificat *refocillor*, translatione facta à plantis & herbis, quæ pluvia aut rore perfuſæ reficiuntur, & veluti exhilarantur. Uſus Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XCV.* 4. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 276. Lindenus vero prorſus contrariam tribuere conatur huic verbo ἰαίνεσθαι ſignificationem, videlicet quod denotet *deficere*, ſolvi, fatiſcere, & fere idem eſſe quod καρδιάττειν. *Ex. XIII.* §. 140. 141. Proprie alias ſignificat *fervefio*, calefio, uti patet ex Henric. Stephani *Theſauro Græco-Latino. T. V. p.* 1065.

JALAPPA, *Jalapium*. Vide *Gialappa*.

IALEMOS, ἰάλεμος, *frigidus*, nullius pretii. Dicitur de Medico inepto, qui nullam medendi rationem ſequitur, ab *Ialemo*, Calliopes filio, qui in carmine fuit ineptiſſimus; unde proverbium: *Ialemo frigidior*. Uſus Galen. *l. de præcognit. ad Poſthum. c.* 3. Jung. Eraſm. *Adag. Chil. II. cent.* 10. *proverb.* 86.

IAMBLICHI *ſales*, ἰαμβλίχου ἅλες, dicitur genus ſalis ex multis rerum generibus compoſiti, cui vis maxima humores crudos concoquendi. Compoſitionis vero hujus inventor fuit *Iamblichus*. Parabatur vero ex ſalis ammoniaci ℔j. ſalis Cappadodici ℥vj. piperis ℥iij. zinziberis ℥iij. ſem. cnici ſcrupulis xvij. ſeminis erucæ ſcrupulis ſedecim, ammii, hyſſopi, cacuminum thymi, phylli, ſemin. apii, petroſelini ana ſcrupulis xviij. origani uncia una, ſilphii ſcrupulo j. Contundantur atque cribrentur. Gorræus. Doſis cochleare unum, cum ovis ſorbilibus, aut alio liquore.

JANITOR, πύλωρος. Vide *Pylorus*.

JANITRIX. Vide *Portæ Vena*.

JANUA, θύρα, quid ſit, notum eſt. Uſus Hippocr. ad repoſitionem articulorum, uti patet *ex* 1. *de art. t.* 23.

IAOMÆ, ἰάομαι, ſignificat ſano, *medeor*, curo, Hipp. 2. *aphor.* 22. & 6. *aphor.* 12. Ab hoc verbo & *Ars Medica* & *Medicus* nomina ſua acceperunt. Dieter. *n.* 399. de quibus p. p.

JAPONICA *Vernix* dicitur parata ex Gummi Laccæ ſpiritu vini rectificatiſſimo diſſoluto, Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 508.

IASPIS, ἴασπις, gemma dicitur, ſeu lapis pretioſus, opacus, ſed multorum generum. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 160. ſeptem numerat. Plin. vero *l.* 37. *c.* 9. plures recenſet, quæ omnia collegit & excerpſit Rul. *in Lex.* Plura de *Iaſpidis* differentiis vide apud Chiocc. *in Muſ. Calceolar. ſect.* 3. *p.* 253. *ſeqq.* ubi etiam de virtutibus hujus lapidis diſſerit. De viridis *Iaſpidis* facultate peculiari adverſus ſtomachi everſionem legatur Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Iaſpis viridis*. Langius vero exiſtimat, per *Iaſpidem viridem* intellexiſſe Galen. *Smaragdum*, *l.* 2. *ep.* 49. De ſingulari virtute ſanguinem ſiſtendi vide Hildan. *Cent.* 3. *Obſ.* 2. Quod *Iaſpis* carioſus fiat, teſtatur *Obſerv. in Eph. Nat. Cur. Ann. I. Obſerv.* 154.

IATRALEIPTES, ἰατραλείπτης, vocatur *Medicus unguentarius*, vel *reunctor*, qui unguentis & perfrictionibus corporis morbos curat. Talis fuit Diotas, teſte Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5. Et hujuſmodi curandi ratio dicta eſt ἰατραλειπτικὴ, primum inſtituta à Prodico, Selymbriæ nato, Æſculapii diſcipulo, uti narrat Plinius *lib.* 29. *H. N. cap.* 1.

IATREON, ἰατρεῖον, Ion. ἰητρεῖον, Hippocrati dicitur *Officina Medici*, vel Medica, in qua, quæ ad chirurgiam pertinent, potiſſimum tractantur, & locus, in quo chirurgia exercetur. Hippocr. *l.* 1. *de iis, q. in Medicatr. t.* 5. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 16. Latine *Medicatrina.* Confer & ad Linden. *Ex. X.* 2. 128.

IATRICE, ἰατρικὴ, ſcilicet τέχνη, id eſt, *Ars Medica*, Dieter. *n.* 399. Vide *Ars.* Ita vocavit Hipp. *l. de flatib. III.* 1. Latine etiam *Medicina* communiter vocatur, quamvis hoc vocabulum etiam pro remedio haud raro ſumatur. De definitione & diviſione, aliisque præliminaribus ad *Medicinam* ſpectantibus videantur paſſim inſtitutioniſtæ, & inter hos Sennert. Caſp. Hofmann. nec non noſtra Dogmata Medicinæ Generalia *in Præliminaribus.* Jungatur & Lind. *Medic. Phyſiolog. lib.* 1. ceu Introductionem ad *Medicinam* comprehendens.

IATROCHYMICUS, ἰατροχυμικὸς, quaſi *Medicus Chymicus*, ponitur pro *Chymiatro*, Libav. *tr. de igne Natur. c.* 33. Ita & *Iatrochimia* legitur apud Jacob. le Mort *Chymiæ Medico Phyſ. c.* 1. *p.* 2. *&* *Iatrochemia* in Joh. Conrad. Parchuſen *Pyroſophia*, ad differentiam Metallurgiæ, quemadmodum conſtat *ex Actis Eruditor. Lipſ. de Anno* 1698. *m. Decemb. p.* 559. *ſeq.*

IATROPHYSICUS, ἰατροφυσικὸς, eſt epitheton ſcriptorum quorundam Medicis & Phyſicis utilium, & legitur de quibuſdam à Marco Florentinio editis *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1702. *m. Dec. p.* 514. v. g. de canicularibus diebus, de polypo epidemico cordis &c.

IATROS, ἰατρὸς, vocatur *Medicus*, quo nomine non ſolum venit is, qui morbos curat, quæ quidem ſignificatio vocis ſtricta & propria eſt; ſed uſu quoque receptum eſt, ut & qui ſanitatem conſervat, ἰατρὸς appelletur, qui alias ὑγιεινὸς vocari ſolet. Plura de Medici perſona, officio, proprietatibus, ornatu, vide apud Hippocr. *l. de Medico, de decenti ornatu*, Dieter. *d. l.* Lind. *Ex. I. II.* & *III.* C. Hofm. *Orat.* 2. *Iſag. de Officio Medici.*

IBEX, ἴξαλος αἴξ, dicitur *Capra ſylveſtris*, cujus deſcriptionem & uſum in Medicina tradit Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. biſulc. c.* 13. Nonnullis appellatur *Capricornus.*

IBIS, ἶβις, nomen avis Ægyptiæ, ciconiæ valde ſimilis, ad aquas, præſertim Nilum fluvium, degentis, cujus ulterior deſcriptio cum uſu in cibo & Medicina habetur in Aldrov. *l.* 20. *Ornithol. c.* 3. Qua ratione avis hæc aquam marinam, aut Nili pleno gutture abſorbeat, & in anum roſtro intruſo eructet, atque ita clyſteris uſum docuerit, legi poteſt apud Lang. *l.* 2. *ep.* 2.

ICELOS, ἴκελος, idem, quod ὅμοιος, *æqualis, ſimilis*, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXIIX.* 3. *& l.* 2. *XXV.* 27. *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *l.* 24. *l.* 1. *de R. V. I. A. t.* 35. Nonnulli cum aſpiratione legunt ἵκελος.

ICESION. Vide *Hiceſion.*

ICHNEUMON, ἰχνεύμων, nomen animalis quadrupedis amphibii, quod alias *Lutra Ægypti* vocatur, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & Medicina tradit Aldrov. *l.* 2. *de quadr. digit. vivip. c.* 14. Meminit & Galen. referens inter pugnacia animalia, & cum aliis concertantia, *l.* 5. *de decr. Hipp. & Plat. c.* 5. *Ichneumonem* utriuſque ſexus genitalia habere, teſtatur ex Æliano Caſp. à Rejes *C. Elyſ. q.* 48. *n.* 5.

ICHNOS, ἴχνος, dicitur ima pedis pars, quæ *veſtigium* etiam Latinis dicitur, item *ſolea*, cutis illa pedis dura, craſſa, & calloſa, Galen. *c.* 2. *de fractur. t.* 10. unde & *Veſtigium* pro ipſo *Pedio* ponitur, Veſal. *l.* 1. *de H. C. F. c.* 33. quamvis & Hippocr. uſurpet de *ſolea* artificiali, ex pelle non admodum dura parata, 4. *de artic. t.* 9. Jung. Foëſ. *p.* 292.

ICHOR, ἰχὼρ, vocabulum valde πολύσημον eſt, ita, ut tam late pateat, quam late vocabul. ὑγρὸν, ἢ ὑγρότης, *humidum*, aut *humiditas*. Variam hanc & nimis amplam ſignificationem veluti in faſciculum collegit C. Hofmann. *pec. tractatu de Ichoribus.* Relictis vero aliis ſignificationibus, illas ſaltem, quæ ad hominem & forum Medicum ſpectat, paucis exponere libet. Accipitur interdum ἰχὼρ in ſtatu naturali, & Phyſiologice pro *ſero ſanguinis*, ὀῤῥῷ, ceu vehiculo, h. e. portionibus aquoſis, Galen. *l.* 2. *de. Elem. c.* 2. *in* 6. *Epid. t.* 38. Plato *in Timæo.* Interdum Pathologice & in ſtatu p. n. & quidem duplici modo: uno, quando in ſanguine ſaltem copia excedit, & dicitur *ichor mitis*, πρᾶος, unde fit αἷμα ὑδατῶδες, ſanguis aquoſus: altero, quando præter copiam etiam qualitate acri, ſalſa & mordaci magis minusve peccat, & vocatur *Ichor acris*, Platoni ἄγριος. Hinc redditur αἷμα ἰχωροειδὲς, aut ἰχωρῶδες ſanguis *ſeroſus*, quæ ſignificatio videtur uſitatior eſſe, Galen. *d. l.* Vide Mercurial. *l.* 4. *V. L. c.* 12. Caſp. Hofmann. *d. l.* Foëſ. *p.* 292. *ſeqq. Sanies* quoque ſive tenuius excrementum ex ulceribus effluens ἰχὼρ vocatur Celſo *l.* 5. *c.* 26. Specialiſſime etiam liquor ille ex vulneribus articulorum, & nervoſarum partium cum dolore graviſſimiſque aliis ſymptomatibus extillans *Ichor* appellatur, qui alias *Meliceria* dicitur Hildano *tr. de Ichore & Meliceria.* Vide ſupra *Hydarthros.* Tandem & *Ichoris* vocabulum tribuitur liquoribus ex aliis corporibus deſtillantibus. Ita ſuccus ex jecinore aſſato hircino extillans ἰχὼρ vocatur, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. *fin.* Latine *Cruor* dici poſſet, & Aëtius cochlearum magnarum terreſtrium deſtillantem ſuccum ἰχῶρα vocavit, teſte Foëſ. *d. l.*

ICHOROIDES, ἰχωροειδὴς. Vide *Ichor.*

ICHTHYA, ἰχθύη, vel ἰχθύα, ſignificat juxta Erotianum *in Onomaſt. p.* 54. d. *limaturam*, *ſcobem*, aut ramentum, idem, quod ῥίνημα, ἢ πρίσμα. Alias *ſquatinæ marinæ pellem* ſignificare dixit Galen. *in exeg. voc. Hipp.* Locus eſt apud Hippocr. de exſectione fœtus, *l.* 4. *Unguis* quoque *ferreus*, vel *uncus*, qui ad fœtus extractionem uſurpatur, vel ex ſquamarum piſcis vel ab hami piſcatorii ſimilitudine ἰχθύα vocatur, teſte

Galen. *d. l.* Foëſ. *d. l.* Gorr. Vocatur alias ὄνυξ. Vide *Onyx.*

ICHTHYELÆUM, ἰχθυέλαιον, i. e. *Oleum ex piſcibus.* Joh. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 436.

ICHTHYEMA, ἰχθύημα, proprie vocatur *ſquama* piſcium. Tropice vero tribuitur vocab. hoc ſcobi, *ramentis* & limaturis, & corticum præſegminibus apud Hipp. *l. de ulcer. X.* 1. 2. *XIII.* 7. 8.

ICHTHYITES, ἰχθυίτης, vocatur lapis quidam, in quo cavitas quædam interius conſpicitur exacte in figuram & typum piſcis formata, ita ut quaſi matricem aut formam exhibeat, cui alia corpora pro recipienda piſcis figura imprimenda ſunt. Occurrit in *Muſæo Societatis Londinenſis*, & mentio fit *in Actis Eruditorum Lipſ. A.* 1682. *p.* 33.

ICHTHYOCOLLA, ἰχθυοκόλλα, & nomen piſcis eſt cetacei, oſſibus & ſpinis carentis, cujus deſcriptio & uſus in cibo & Medicina habetur apud Aldrov. *lib.* 5. *de piſc. c.* 4. Deinde ita dicitur *glutinum*, vel ex illo piſce, vel alio glutinoſo, qui *Morua* ſive *Molva* dicitur (Aldrov. *l.* 3. *c.* 6.) paratum; de cujus uſu in Medicina videatur Dioſcor. *l.* 3. *c.* 102. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 81. Ad vinorum defecationem etiam adhiberi, & pro illo uſu per aliquot ſeptimanas opus habere maceratione, ſcripſit Jac. le Mort *Pharmac. Med. Phyſ. c.* 10. *p. m.* 80.

ICHTHYOLITHOS, ἰχθυόλιθος, lapis dicitur piſcis figuram ſuperficiariam exhibens, qualem mihi oſtendit hiſce diebus in Muſæi ſui Scrinio Metallorum & Mineralium variorum pleniſſimo Noribergæ ſupra laudat. D. D. I. P. Wurfbain.

ICHTHYOPHAGUS, ἰχθυοφάγος, qui piſcium eſu delectatur. Legitur apud Foreſt. *l.* 10. *Obſerv.* 10. *Schol.*

ICHTHYS, ἰχθύς, id eſt, *Piſcis.* Referuntur *piſces* inter alimenta humidiora, præſertim recentes. Dividuntur in marinos, fluviatiles, lacuſtres. De quibus omnibus vide Aldrov. *Tom. de Piſcib.* C. Hofmann. *Inſt. Med. lib.* 5. *cap.* 22. & alios.

ICMALEOS, ἰκμαλέος, dicitur ſatis humidus, *humectus*, Hippocr. *l. de nat. puer. XXVI.* 5. 11. *l. de genitura VI.* 2. *VII.* 4. *l.* 1. *de morb. mul. III.* 6. 10. *XVI.* 9.

ICON, εἰκών. Vide *Imago.*

ICTAR, ἴκταρ, idem ſignificare Atticis, quod ἐγγὺς, i. e. *prope*, ſcribit Galen. *in Expoſitione voc. Hippocr.* quod vero apud Hippocr. *l.* 11. *de morb. mulier.* vox hæc pudendum muliebre ſignificet, ſicut Foëſ. locum invenire non potuit, ſic nos etiam fruſtra inquiſivimus. Interea videatur Foëſii judicium de hoc vocabulo *Oeconom. p.* 279.

ICTERIAS vocatur gemma aliti lurido ſimilis, ideo exiſtimatur valere contra regium morbum. Eſt & alia eodem genere liquidior, tertia folio viridi ſimilis, latior prioribus, pene ſine pondere, venis luridis. Quartum genus in eodem colore nigris venis deſcendentibus. Plin. *l.* 37. *H. N. c.* 10.

ICTERICUS, ἰκτερώδης. Vide *Icterus.*

ICTERITIA, idem, quod *Icterus. Icteritia rubra* vocatur etiam eryſipelas, apud Walther. *Sylv. Med. p.* 572. 779. Alba, idem, quod chloroſis, ſive morbus virginum, *d. l.*

ICTERUS, ἴκτερος, alias *Morbus Regius, Arquatus, Aurigo*, eſt affectus p. n. & inter ſymptomata tertiæ claſſis, videlicet qualitatum mutatarum referendus. Eſt enim in toto ambitu corporis externo coloris nativi in flavum permutatio, proveniens à bilis flavæ retentæ diffuſione facta, obſtructiones vaſorum & organorum bilis ſegregationi dicatorum, & intemperiem viſcerum bilioſam præſupponente. Dicitur & *Icteritia.* Plura qui de hujus morbi natura, differentiis, ſymptomatibus, & curatione ſcire deſiderat, ille conſulat Practicos, quorum ſcrinia compilare non eſt noſtri inſtituti. Quod attinet generalia, legatur Dieter. *n.* 403. Paracelſus *Icteritiæ* naturam deducit e triplici ſale in unum commixto, videlicet e vitriolo puro, ſale myſeo, & liquore ſulphuris reſoluti, *l. de Icteritiis c.* 1. Helmontius cauſam *Icteri* collocat in fermento p. n. ventriculi virulento, quod pylorum ſic male affectat, ut digeſtiva, ſimulque diſtributiva alienentur, *tr. Schol. Hum. paſſ. decept. c.* 5. Potiſſima diviſio *Icteri* eſt in *Flavum* & *Nigrum.* Ille etiam intelligitur per *Icterum* ſimpliciter dictum. *Niger* dicitur à colore cutis lurido, propter bilem corruptam, putreſcentem, & portionibus acidis atrabiliariis infectam. Imprimis vero obſtructio pancreatis & lienis hic peccant, ſymptomatisque hujus autores fiunt. Confer *ad Ephem. N. Cur. Ann.* I. *obſ.* 87. Qui *Ictero* flavo corripiuntur, vocantur Hippocrati ἰκτερώδεις, aut ἰκτερώδεες, *Icterici*, 5. *aph.* 72. ita oculi quoque *auriginoſi* hoc nomine veniunt *Coac. t.* 388. *l.* 2. *de morb. mul. LXIV.* 12. Color *auriginoſus* corporis, *l. de nat. mul. XV.* 7. *l.* 2. *de morb. mul. XIV.* 7. *XV.* 8. Vide Foëſ. *p.* 280. *Icterus* quoque vocatur avis, *Galbula* alias dicta, de qua ſupra, vide *Galbulus.*

ICTIS, ἰκτὶς, æquivocum eſt. Vel enim idem, quod ἰκτῖνος, & ſignificat avem rapacem, *milvum*, cujus deſcriptio cum uſu in cibo & medicina videatur apud Aldrov. *l.* 5. *Ornith. c.* 15. Galen. *l. de Ther. ad Piſ. c.* 9. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 58. Vel denotat animal quadrupes, quod Latine *viverra*, *furo*, & *muſtela ſylveſtris* vocatur, cujus hiſtoriam tradit Idem *l.* 2. *de quadr. dig. vivipar. c.* 16. Jung. Foreſt. *l.* 19. *Obſ.* 15. *in Schol.* Vocatur & Putorius & à Scaligero catus fœtens, notante J. J. Wagnero *in Hiſtor. Helvet. Curioſ. ſect.* 4. *artic.* 2. *pag.* 182.

ICTUS, πληγὴ, vel dicitur de motu arteriæ in pulſu, qui *Diaſtole* arteriarum vocatur, Gal. *de pulſ. ad tyr. c.* 4. *& l.* 4. *de dignoſc. pulſ. c.* 1. vel uſurpatur de læſione quadam violenta, extrinſecus corpori illata, Hipp. 7. *aph.* 14.

Ita *ictus* calami, Galen. *l.* 3. *de fac. parab. c.* 100. *Ictus* arenarum, ſcorpionum, vocantur πληγαὶ, Æginet. *l.* 5. *c.* 7. *ſeqq.* & alibi. Uſurpatur & ſæpe adjective *ictus*, pro *percuſſus*, πληκτὸς. Dieter. *n.* 85. Foreſt. *Chirurg. Obſ. l.* 6. *O.* 22.

IDAM, id eſt, *pulmentum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

IDEA, ἰδέα, aliquando & εἰδέα, idem ſignificat, quod εἶδος, & accipitur cum pro integra alicujus rei natura, ita *Idea morbi* idem, quod *natura morbi.* Gal. 3. *de criſ. c.* 4. tum de externa ſaltem forma, figuratione, conformatione, *lib.* 2. *de Uſu Part. c.* 17. *in princ.* Vide J. Alex. *annot. in l.* 2. *Galen. de cauſſ. ſympt. c.* 2. Helmontius vero & alii ex ſpagyricæ Philoſophiæ ſectatoribus per *Ideas* intelligunt imagines, conceptus, ſimulachra, uno verbo *entia rationis*, Platonicas *Ideas* revocaturi, quas tamen non immerito perſtrinxit Libav. *T. IV. Oper.* paſſim, quæ loca inquirantur *in indice.* Videatur alias Helmont. *tr. de Ideis morboſis* & alibi in ſcriptis ejus, plura de *Ideis* aut morbis Idealibus reperies. Pluribus etiam varias *Idearum* ſpecies tradidit paſſim *in Oeconomia corporis animalis* Benjamin à Brockhuyſen, quæ loca quærantur in Indice.

IDEACH, terminus Paracelſicus, cujus ſignificatio an cum *Idea* conveniat, non licet certo affirmare. Dixit vero autor, *Ideach* occurrere in omni planta. *Chirurg. l.* 3. *Tract.* 2. *c.* 2. *fine.*

IDECHTRUM eſt etiam terminus Paracelſicus, quo indigitatur primus homo, prima arbor, aut prima creatura uniuſcujuſque rei ex *Idea* producta, de quo legantur ejuſdem *fragmenta Anatomiæ. T.* 8. *Operum.*

IDESTRUM Paracelſo dicitur conjunctio humoralis, naturalis, & mineralis, in compoſito, quia *Ideſtrum* ſine compoſito non eſt. Ita in generatione Tartari durities à ſalibus mineræ; liquor humeralis vero eſt *Ideſtrum* & conjunctivum, *l.* 1. *de Tartar. tract.* 4. *c.* 2. *in expoſ. & in Schol. ad h. l. referendis.*

IDEUS, *Ides*, Paracelſo dicitur maſſa illa & materia prima in creatione, *Chaos* dicta, ex qua omnes creaturæ factæ ſunt. *Pragm. Anatom. l.* 1. *Tr.* 1. *c.* 1. *In hiſtoria prologi.* Meminit & *l.* 4. *de vit. long. c.* 8. ubi tamen videtur potius ipſum creatorem, vel opificem denotare; *& l.* 1. *de Tartar. tract.* 5. *c.* 1. *fin.*

IDIOCRASIA, ἰδιοκρασία, idem, quod ἰδιοσυγκρασία. Legatur in Jul. Alex. *Indice Tom. I.* Vide *Idioſyncraſia.*

IDIOGNOMON, ἰδιογνώμων, dicitur Hippocr. *pertinax*, & in opinione concepta permanens, Hippocr. *l. de A. L. & Aq. LVI.* 6. quibus conjunguntur αὐθάδεις, ſibi nimis placentes, *LIIX.* 4.

IDIOPATHEIA, ἰδιοπάθεια, *proprius affectus*, qui & πρωτοπάθεια, i. e. *primarius affectus*, qui ab alio morbo non dependet, vocatur. Huic opponitur συμπάθεια, vel δευτεροπάθεια, *morbus per conſenſum*, à priori dependens, Galen. *l.* 1. *de L. Aff. c.* 3. J. Alex. *in Not. ad h. l.* quamvis Rolf. arbitratus ſit, πρωτοπάθειαν & ἰδιοπάθειαν, item δευτεροπάθειαν & συμπάθειαν non eſſe prorſus ſynonyma, ſed & ἰδιοπάθειαν eſſe δευτεροπάθειαν. *Ord. ac Meth. Med. Special. comm. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 4.

IDIOSYNCRASIA, ἰδιοσυγκρασία, i. e. *corporum proprietas* & convenientia, & cujuſlibet peculiaris temperatura, Galen. *l.* 3. *meth. med. c.* 2. & J. Alex. *Not. ad ill. loc.* Hanc ineffabilem, nec exactiſſima ſcientia comprehenſibilem recte dixit idem Gal. *d. l. c.* 7. *& l.* 1. *ad Clav. c.* 1. Inexplicabilis ſingularis temperamenti ratio Philoſophis & Medicis ἰδιότης ἄῤῥητος, Rhod. *in Not. ad Scrib. ſub fin.* Poterit vero hoc vocabulum exponi de ſpecifica proprietate, quæ adhuc facilius comprehenſibilis, & de individuali, ſive ſingulari, quæ omnino certo determinari & deſcribi nequit. Hujus exempla vide paſſim, v. g. Rolf. *d. l. l.* 4. *ſ.* 2. *c.* 5. Ephem. N. Cur. *Ann. II. O.* 10. 11. 71. 205. *ſeqq.* Caſp. Rejes *q.* 84. *n.* 7. 8.

IDIOTA, ἰδιώτης, duplicem habet ſignificationem. (1) ſignificat *hominem privatum*, qui nullum munus publicum obit, neque oppido aut genti præeſt. Græce ἰδιοπραγμῶν quoque dicitur. Occurrit apud Hipp. *l. de ſal. diæt. t.* 1. Adde Gal. *comm. ad h. l.* & Foëſ. *p.* 277. Deinde (2) ſignificat rudem, *plebeium*, rei alicujus ignarum, Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 19. *& c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 32. C. Hofmann. *C. in Gal. de V. P. n.* 506. Specialiter vero *Idiotæ* vocantur Medici imperiti, qui contemtores ſunt verarum artium, etſi falſarum peritiſſimi ſint profeſſores, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* His in errorem incidere, maxime pronum eſt. Caſp. à Rejes *C. El. Q.* 21. *n.* 15. Hinc qui hos promovet, reus eſt omnium errorum, noxarum, & criminum ab illis per inſcitiam patratorum. *Quæſt.* 6. *n.* 5.

IDIOTROPHA, ἰδιότροφα, dicuntur animalia, quæ ſui generis cibis utuntur. *Diction. Græco-Lat.* Budæi aliorumque.

IDIOTROPIA, ἰδιοτροπία, idem ſignificat, quod ἰδιοκρασία, vel ἰδιοσυγκρασία, vide *Idioſyncraſia.* Legitur apud Franc. Bonamicum *l.* 4. *de Aliment. c.* 33. *p.* 576. *& c.* 34. *p.* 579. h. e. propria & individualis indoles temperamenti & natura.

IDNOO, ἰδνόω, ſignificat *incurvo*, inflecto, intorqueo. Uſurpatur ab Hipp. *libr.* 1. *de morb. mul. III.* 2. *XXII.* 2. Hinc compoſitum περιιδνοῦμαι, obtorqueor, *circumſideo*, quod legitur *d. l. LX.* 3. Jung. Foëſ. *d. l.*

IDOS, ἴδος, idem, quod ἱδρὼς, *ſudor.* Legitur apud Hipp. *Coac. t.* 106. quamvis Linden. ἰλέων ſcripſerit, volvulus, ſed Holler. magis probat ἰδέων, *com. in libr.* 3. *Coac. t.* 31. *p.* 164. Unde & verbum ἰδέειν, *ſudare*, quod occurrit *l.* 1. *de morb. mul. LXVI.* 12.

IDROAGIRA, id eſt, *aqua alkali.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

JECORARIA, vide *Hepaticus.*

JECOROSUS, idem, quod *Hepaticus.* Linden. *Ex. IX.* §. 7.

JECTIGATIO, παλμὸς, fere idem, quod *palpitatio*; vocatur motus quidam tremulus, inordinatus convulſivus;

ſivus, ſive ſpaſmodicus, vel totius corporis, vel cordis, ſive partis alterius, proveniens à ſucco nervoſo, vel ſpiritu animali in fibris nervoſisque aliis partibus per halitus acidos, nitroſos, agitato & irritato. Helmont. quoque ſpeciem *Caduci* vocavit *tr. de Caduco.* Et cauſam ex Tartaro deducere conatus eſt *l.* 1. *de Tart. tr.* 4. *c.* 1. Vide & Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 100. *cum Schol.*

JECUR, ἧπαρ. Vide *Hepar.*

JEJUNIUM, νηστεία, dicitur *abſtinentia* à cibo & potu. Hanc ſenes facilius ferunt, Hippocr. 1. *aph.* 13. Vide Dieter. *n.* 571. Vide *Abſtinentia.*

JEJUNUS, νῆστις, dicitur, qui cibum non aſſumſit, item, qui priora alimenta jam concoxit, Scrib. *n.* 78. 109. 111. ut ita corpus ſit vacuum. Hinc & inteſtinum inter tenuia ordine ſecundum *Jejunum* appellatur, quod ſemper vacuum & inane reperiatur, Gal. *l.* 6. *de adm. An. c.* 9. *l.* 5. *de V. P. c.* 3. Barthol. vero limitavit per utplurimum, *l.* 1. *An. c.* 10.

JENTACULUM, ἀκρατισμὸς, vocatur aſſumtio alimenti circa horas matutinas. Hoc conceſſum & utile eſſe aſſuetis, docet Rolfink. *O. ac M. Med. Sp. l.* 3. *ſ.* 3. *c.* 57. Imprimis vero pueris hoc neceſſarium eſſe, patet ex Mercuriali *l.* 4. *V. L. c.* 17. Vide *Acratiſmos*, & Lind. *Ex. IX.* §. 66. 67.

IETREON, ἰητρεῖον. Vide *Iatreum.*

IFFIDES, id eſt, *Ceruſſa*, vel *cinis plumbi.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

IGDE, ἴγδη, *pilam* ſignificat, in qua condimenta permiſcentur & contunduntur. Legitur apud Hippocr. *in notis ad l.* 1. *de morb. mul. III.* 3.

IGNAVIA, ἀργία, νωθρότης, idem, quod *pigritia*, quid ſignificet, notum eſt. Opponitur corporis *agilitati*, & ad labores promtitudini. Quod ſi præternaturalis fuerit, & à cauſſa interna, oritur ab humoribus lentis, frigidis, minusque ſpirituoſis, Galen. *com.* 1. *in* 1. *Prorrhet. t.* 13. Quod ſanitati corporis noceat, vide ſupra *Argos.* Quod menti officiat, vide apud Linden. *Ex. I.* §. 39.

IGNIS, πῦρ, eſt vocabulum πολύσημον, & latiſſimæ ſignificationis. In genere ſignificat id, quod eſt inter omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, calidiſſimum, Galen. *l.* 1. *de temper. c.* 9. & alibi, quod Helmont. negavit, eſſe ſubſtantiam. Quemadmodum Helwigius aliique negarunt eſſe elementum, ſed eſſe productum ex elementis vel ſale naturæ per motum p. n. & violentum, quamvis alii rurſus illam impugnaverint opinionem, quod Phyſicis dirimendum relinquimus. Non incongrue dividitur *ignis* in *actualem* & *potentialem.* Ille eſt vel cœleſtis aut ſolaris, vel terreſtris & vulgaris. Hic eſt motus particularum de loco in locum mediantibus particulis moventibus præparatus. Ignem in genere eſſe veram ſolaris Lucis ſobolem ſtatuit Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 3. *p.* 50. Ex ſpecialibus ſignificationibus receptiſſima, quando ſignificat *ignem* urentem ſive focarium, vel coquinarium, qua flammantem, qua candentem, per quem *prunæ* intelliguntur. Vocatur & *artificialis*, cujus uſus adeo multiplex eſt in Medicinæ partibus, diætetica, pharmaceutica, & chirurgica, ut inſtituti noſtri ratio non permittat, illos uſus ſpeciatim adducere. Videantur hactenus citati autores, Schroder. item Diſpenſatoria, Libav. *Theatr. Chymic.* Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 12. Fr. Hofmann. negavit, *ignem* eſſe univerſalem omnium corporum mixtorum analyſtam, *Clav. Schroder. l.* 1. *c.* 11. Dividitur plerumque à Chymicis in *quatuor gradus. Primus* eſt lentiſſimus, inſtar teporis ignaviuſculi, vocaturque *ignis* balnei mitis, aut fimi, aut digeſtionis *circulatorius*, qui ad tactum ita deſcribitur, ut eum digitus hominis teneri ſemper ferre poſſit. Et licet habeat ſuas intenſiones & remiſſiones, nunquam tamen evidentem aut acrem ſenſum gignere debet. Hujus generis eſt *ignis* vaporoſus Philoſophorum, qui deſcribitur incubatu gallinæ excludentis pullos, aut hominis recte diſpoſiti natura. *Secundus* gradus eſt intenſior, adeo ut jam evidenter feriat tactum, neque tamen vim afferat organo. Appellant calorem cinerum, quod mediocris *ignis* ſub catino cinerario incenſus talem præbeat. Cineres enim ob raritatem non admodum aërem concipiunt. *Tertius* gradus eſt cum læſione tangentis, & confertur arenæ ferventi, vel ſcobi ferreæ, ut dicatur *ignis* arenæ, vel limaturæ ferri &c. *Quartus* eſt ſummus gradus, & plerumque deſtructivus. Nominant *ignem* reverberii & viva flamma lignorum, vel congeſtarum prunarum follibus alacriter inflatarum procuratur. Poſſet & *Ignis fuſorius* appellari, Ruland. *in Lexic.* Iohnſon. vero *octo* numerat gradus, *lib.* 2. *Lexic.* 1. eſt *Ignis* ventris equi, qui eſt calidus in primo gradu, & humidus in ſecundo. 2. *Ignis* Solis, calidus in primo gradu, ſed ſiccus in ſecundo, qui aliis dicitur *Ignis Parabolicus*, Morley *in Collect. Chym. Leidenſ. proleg. cap.* 2. 3. *Ignis* Furni, qualis eſſe ſolet poſt panis extractionem, eſtque calidus & ſiccus in ſecundo gradu. 4. *Ignis* furni fixioris. Hic fundit & figit, non vero comburit, quia flamma non eſt. Non differt à præcedenti, niſi quia in hoc eſt calor continuus, in illo non. 5. Dicitur flammalis, & eſt calidus & ſiccus in tertio gradu. Et hic eſt *ignis* in furno calcinationis. 6. Eſt *ignis* furni fuſionis, qui eſt calidus & ſiccus in quarto gradu. 7. *Ignis* follium, in eodem gradu, qui corpora diſſipat, diſpergit & fundit. 8. *Ignis* flammalis adhuc fortior, qualis eſt ignis vitrearius, in quo ſola flamma operatur, & non diſſipat, ſed fundit & calcinat. Quoad uſum Chirurgicum *Ignis* nomine apud Hippocr. 8. *aph.* 6. non ſolum venit *ignis* ipſe, aut quod *ignem*, vel *igneam* qualitatem actu habet, ut *ignitum* ferramentum, lignum, fungus, radix, ſulphur, *ignita* aqua, oleum, butyrum, ferventia; ſed etiam quæ poteſtatem cauſticam, ſive urentem obtinent, ut cauſticum medicamentum, quale eſt cauterium potentiale vulgo nominatum, oleum cauſticum, quale eſt vitrioli,

trioli, aqua cauſtica, aqua ſeparationis nominata; capitellum, & cœtera pyrotica. Liebaut. *in Schol. ad dictum aphoriſmum.* Dieter. *n.* 744. Deinde per *Ignem* intelligitur vel principium aliquod calidum corporum naturalium ſimpliciſſimum, alias *ignis* elementaris, item *ignis* Naturæ vel naturalis dictum, Schroder. *lib.* 1. *c.* 5. Caſp. Hofmann. *comm. de Uſ. Part. n.* 305. Vocatur alias & *ſulphur*, ſive illud calidum actu, ſive poteſtate inſit. Huc pertinet *ignis vitrioli*, ſive *ſulphur Veneris*, apud Helmont. *tract. Lithiaſ. cap.* 8. Huc quoque referre libet *ignem ſubterraneum*, cujus beneficio fervefiunt aquæ thermales, de quibus Lang. *lib.* 2. *ep.* 52. Vel ſpecialiter accipitur de principio vitali animatorum, quod alias *calidum nativum*, *flamma vitalis*, *biolychnium*, *Spiritus vitalis*, appellari ſolet, de quibus terminis ſupra dictum eſt, Lind. *Ex. XII.* §.140. *XIV.* §. 48. Paracelſus in homine vocat ignem *Microcoſmi* paſſim *in ſuis ſcriptis*. De *igne* ex corporibus hominum etiam cum ſcintillis emanante vide Caſp. à Rejes C. *El. q.* 35. Pathologice vocab. *ignis* & Græcum πῦρ, diverſis morbis tribuitur, v. g. *Febri*, præſertim *ardenti*, Hippocr. frequentiſſime *in Epid. de Glandul. & libr. de morbis*, quæ loca adduxit Foëſ. *in Oecon. p.* 545. Confirmat Keuch. *ad Seren. not. p.* 268. vel *Eryſipelati.* Vide *Eryſipelas.* Vel *Herpeti* fero, qui *Zona*, alias *Ignis Perſicus* vocatur, Rhod. *ad Scribon. pag.* 122. Keuch. *ad Seren. p.* 246. *ſeqq.* Vel *impetigini*, quæ *ignis volaticus*, *volagrius*, *ſylvaticus* dicitur Fallop. *de Ulcer. c.* 15. *Tom. I. p.* 615. Spagyrice quoque *Ignis* diverſimode ſumitur. *Ignis* juxta nonnullorum ſententiam, ſumitur pro *oleo* ſupernatante in deſtillatione. *Ignis* quoque omnium Philoſophorum conſenſu vocatur *Mercurius*, *Th. Chymic. Vol. IV. p.* 756. 767. & alibi. *Ignis algir* eſt *ignis* fortiſſimus. *Ignis* elementaris eſt ſulphur, ſed non vulgi. *Ignis ſapientum* eſt fimus equinus calidus. *Ignis* extinctus eſt ſulphur extinctum. *Ignis pruinus adeptus* eſt quinta eſſentia vini, (aliis vitrioli) cum tartaro rectificata. *Ignis lenis*, elementum *ignis*, æther, Jupiter argos. *Ignis gehennæ* vocatur ſpecificum corroſivum Paracelſo *in Archidox.* Rul. & Iohnſ. De *Ignis* gradibus & neceſſitate in magiſterio Lapidis Philoſophici videantur ſcripta Baſilii Valentini, & aliorum. Plura de diverſis *ignis* ſignificationibus legantur & apud Beker. *in Oedipo Chym. Tit.* 4. §.2. Obiter hoc notandum, Helmontium docuiſſe, *ignem* nec eſſe ſubſtantiam, nec accidens, ſed creaturam neutram, & ens anomalum, *Tr. Formarum Ortus tr.* 24. & *Blas human. n.* 1.

IGNITIO, πύρωσις, dicitur *calcinatio*, corpora *ignis* violentia in calcem reducens. Eſtque duplex: *combuſtio*, & *reverberatio.* Rul. & Iohnſ. De quibus nominibus *ſuis locis.*

IGNIVORUS, πυρφάγος. Vide *Pyrophagos.*

IGNORANTIA, ἄγνοια, & in ægrotis & in Medicis peſſimum eſt malum. Illud fatetur Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 30. Junge Galen. *Comm. ad hunc locum.* Hoc Galen. *lib.* 13. *meth. med. c.* 14. *fin.* ubi Græce vocatur ἀμαθία, Lang. *l.* 1. *ep.* 2. Helmontius quadruplicem non inepte numerat *ignorantiam Medicam*, nimirum *inſcitiam* cauſſarum, modi fiendi, remedii & coaptationis, *de Lithiaſ. cap.* 5. *n.* 4. Præſtat autem fateri *ignorantiam*, quam falſa operoſe docere, C. Hofmann. *in Galen. de V. P. n.* 530.

IGNYS & *Ignye*, ἰγνὺς & ἰγνύη, dicitur *Poples*, poſterior pars genu, Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 6. Linden. *Phyſiol. Med. l.* 2. *c.* 12. §. 116.

ILE, idem, quod κενεὼν, item *Ilia.* Vide *Ceneon*; *Ilia.*

ILECH, *Ylech*, eſt terminus Paracelſicus, & videtur idem notare, quod principium & primum aliquod. Ita *Ilech primum* exponit Ruland. & Iohnſ. id eſt, principium, *Ileias*, *Ileadus*, *Ilech*, *ſupranaturale* vel primum ex aſtris eſt conjunctio ſupercœleſtis, & ſiderum firmamenti cum aſtris rerum inferiorum unio. *Ilech manum* eſt aſcendens, ſive aſtrum Medicinæ, quem accipimus una cum Medicina, in qua ille occultatus eſt, ut ſuperiora ſidera in firmamento, inferiora in homine. *Ilech crudum* eſt compoſitio ex prima materia trium primorum, Mercurii, Salis, & Sulphuris, e quibus omnia ſunt compoſita, & ita idem, quod *Iliaſter*, vel *Iliadum.* Meminit aliquoties Paracelſus, v. g. de Peſtilitate *tr.* 2. *lib.* 2. de Tartaro *tr.* 2. *c.* 3. *l.* 3. *Paragraph. c.* 2. §. 4. In ſpecie *Ilech primi* ex aſtris, *l.* 1. *Tartar. tr.* 4. *cap.* 1. *Schol. Ilech crudi*, quod ex aëre deducit, *l.* 4. *de grad. & comp. c.* 5. Uno verbo, φαντάσματα Paracelſica.

ILEIDOS eſt aër elementalis, heoa pheresbios; (ἠὼς φερέσβιος, h. e. *aurora*, vel *diluculum*, *vitam afferens*) *Cœlum.* In homine vero eſt ſpiritus, qui tranſit per omnia membra. Ruland. & Iohnſ.

ILEUM, εἰλεόν. Vide *Eileum.*

ILEUS, εἰλεός. Vide *Eileos.*

ILIA vocantur cavitates laterales hypogaſtrii, quæ & λαγόνες & κενεῶνες vocantur, item Ile. Barthol. *libell.* 1. *Anat. cap.* 1. Hinc & *Oſſium innominatorum*, quod conſtat ex tribus *oſſibus*, *ilium*, *pubis*, & *iſchio*, per cartilagines junctis, primum *os ilium* ideo dicitur, quia cavitatem illam continet, & inteſtinum *ileum* recipit. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 16.

ILIACA *paſſio.* Vide *Eileos. Iliaca vaſa*, venæ & arteriæ, videantur in Anatomicis. *Iliacus* muſculus dicitur flectens femur ſecundus apud Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 579.

ILIADUS, *Iliadum*, *Iliaſter*, *Ileidos*, (ſcribuntur etiam per Y) ſunt figmenta Paracelſica, magis rem obſcurantia, quam declarantia, cum non uno eodemque modo ſemper accipiantur. Libet ſaltem deſcriptiones ex Rulando & Iohnſono adducere. *Iliaſter*, *eliaſter*, *iliadum*, eſt prima rerum omnium materia e mercurio, ſale, ſulphure conſtans, *chaos.* Nihil enim eſt in tota

rerum

rerum natura, quod non ex iſtis tribus conſiſtat. Atque hæc tria ſunt Theophraſti principia, quæ analyſi ſpagyrica deprehenduntur. Nihil præter ea tria inveniemus, quæ ſingula in ſingulis etiam elementis ſunt. *Iliaſter* in genere dicitur occulta naturæ virtus, ex qua res omnes habent incrementum, aluntur, multiplicantur, & vegetantur, de quo legatur Paracelſ. *de meteoricis generation.* Varie autem ſumitur, vel de elementis, vel de homine. In elementis potentia ſive virtus eſt naturæ vegetativa, eaque quadruplex juxta numerum elementorum. Vocatur *chaos.* Quatuor quoque ſunt *iliaſtri* hominum concernentes longævam vitam. *Iliaſter primus*, vel inſitus, eſt terminus vitæ, imo ipſa vita, vel ejus balſamus in homine. *Iliaſter ſecundus*, vel præparatus, eſt terminus vitæ, quem ex elementis vel rebus elementatis habemus, vitaque ipſa. *Iliaſter tertius* eſt terminus balſami præparatus, quem ex rerum quinta eſſentia habemus. *Iliaſter quartus* eſt mentis ſive animi lapſus in alterum mundum, ut Enoch, Eliæ, & aliorum. Hæc hactenus ex Rul. & Iohnſono, quæ pleraque deſumta videntur ex Paracelſi *libris de vita longa*, qui *triplicem Iliaſtrum* præter quintam eſſentiam recenſet, appellans *ſanctitum* unum, alterum *paratetum*, tertium *magnum*. Juxta *magnum* (qui eſt quartus Rulandi) homines illos appellat *Henochdianos*, *Heliezatos*, *l.* 4. *de vit. long. c.* 3. Vide *& ſeqq. Iliadus* quoque dicitur ſpiritus mineralis, quem omne elementum in ſe habet, & qui facit omnes morbos. *Iliadus* etiam facit criſin. Ex *iliado* omnes ægritudines veniunt; & in *Iliado* omnes res, omnia ſimplicia conſiſtunt, & alia ſanitatem dant, alia ægritudines. *Tres* quoque *ætates* tribuuntur *iliado*. *Prima* eſt, quandiu eſt incorruptus, etiamſi homo ſit 70. annorum, ſi non fuit morbo correptus, eſt in prima ætate *iliadi*; ſed quamprimum *iliadus* eſt infectus, tunc *ſecunda* ætas. *Tertia* ætas eſt, quando ad mortem eſt. In prima ætate non eſt medicandum, quia non eget; nec in tertia, quia non juvat, ſed tantum in ſecunda. Hæc ex Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 2. *c.* 3. *&* 4. *in Scholiis.* Vide etiam p. a. *Ilech.*

ILINGOS, ἴλιγγος, dicitur *tenebricoſa vertigo*, qua omnia circumagi videntur. Præcedit plerumque epilepſiam, vel apoplexiam, Hipp. 3. *aphor.* 17. 23. 31. idem, quod σκοτόδινος, Dieter. *num.* 405. Vide *Dinos.* Hinc febres cum *vertigine* vocantur ἰλιγγώδεες πυρετοὶ, Hipp. *Coac. t.* 106. id eſt, *vertiginoſæ*, Foëſ. *Oec. p.* 280.

ILISCUS dicitur Avicennæ *amor inſanus*, ſive delirium ex nimio amore, notante Foreſto *l.* 10. *obſ.* 29. *in Scholiis.*

ILIUM, vide *Ilia.*

ILLÆNO, ἰλλαίνω, ſignificat *oculos contorqueo*; diſtorqueo, & uſurpatur aliquoties ab Hippocr. v. g. *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. *&* 11. *l.* 4. *Epid. IV.* 18. *Coac. t.* 218. *fin. l.* 3. *de morb. XIII.* 4. Unde & affectus ille oculorum eidem vocatur ἴλλωσις, *oculorum perverſio*, ſive diſtortio, 1. *Prorrhet. ſect. t.* 35. (quamvis à quibuſdam ἴλλωσις ibidem legatur, quam tamen lectionem improbavit merito Caſp. Hofmann. in ἀνεκδότοις ad *h. l.*) *Coac. t.* 314. Dicuntur etiam alias ἰλλώδη ὄμματα, *oculi contorti*, perverſi, *l.* 1. *de morb. mul. LXX.* 12. Junge Foëſ. *d. l.* Idem eſt, quod *Strabiſmus.* Eſtque motus convulſivus muſculorum oculos moventium, Galen. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. cap.* 2. Derivatur ab ἴλλος, i. e. oculus.

ILLAMBONIS *collyrium*, ἰλλάμβωνος κολλύριον, eſt nomen medicamenti ad oculorum ulcera, cujus deſcriptionem vide apud Æginet. *l.* 3. *c.* 22. *& l.* 7. *c.* 16.

ILLECEBRA, ἰλλεκέβρα, nomen herbæ, quæ *ſempervivum minus*, ſive *vermicularis* vocatur. Meminit Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 7. Junge Rhod. *ad Scribon. num.* 153.

ILLEGITIMUS, νόθος, idem, quod *ſpurius*, *nothus*, epitheton coſtarum cartilaginearum quatuor ultimarum, quæ ad ſternum ſive pectoris os non pertingunt, Galen. 5. *Anat. adm. c.* 1. *& l.* 8. *c.* 1. Vide *Coſta.* Dicitur & de morbis, qui propter cauſam morbificam mixtam non ſemper eandem ſervant indolem, ſed variant, ut febres ſpuriæ. His opponuntur morbi γνήσιοι, *legitimi.* Vide ſupra *Gneſios.*

ILLIGATIO, ἐπίδεσμος, ἐπίδεσις. Vide *Epideſmos*, *Epideſis.*

ILLISIO, ἔνθλασις, dicitur ſpecies *contuſionis*, quando cavitas aliqua forinſecus apparet, quam rei colliſæ percuſſor impreſſerit, Galen. *l. de diff. morb. c.* 11.

ILLITIO, κατάχρισις, διάχρισις, ἐπίχρισις, idem, quod *inunctio*, quando vel digitis, vel penna linimenta, vel olea, vel unguenta corporis ſuperficiei applicantur. Paſſim hujus vocabuli fit mentio apud Græcos & Latinos Medicos. Æginet. *l.* 7. *c.* 9. *in princ.*

ILLOS, ἴλλος, ſignificat *oculum.* Ἰλλὸς vero dicitur, qui oculos perverſos habet, *ſtrabo.* Legitur apud Galen. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 32.

ILLOSIS, ἴλλωσις, vide *Illæno.*

ILLOTA *lana*, ἔριον οἰσυπηρόν, vide *Erion.* Dicitur alias *ſuccida*, Keuchen. *ad Seren. p.* 114. *ſeqq. Illoti* piſces dicuntur, qui odorem & ſaporem ſquamarum cœnoſum referunt ex ſordibus aquarum ſtagnantium. Celſus vocat piſces viroſos, *l.* 2. *c.* 21. Jung. Rhod. *ad Scrib. n.* 186. *& in Lex.*

ILLOTIO, ἀλουσία, *abſtinentia* à *balneis* & lavacris, Galen. 2. *aph.* 50.

ILLUMINATIO, φωτισμὸς, φώτισμα, proprie dicitur de ſplendore, qui à corpore lucido provenit. Tropice de intellectus humani exaltatione & perfectione quoque uſurpatur, eſtque duplex: Supranaturalis & naturalis. Illa miraculoſa non requiritur neceſſario in Medico, uti quidem voluit Paracelſus; ſed ſufficit naturalis, quæ jugi ſtudio, lectione aſſidua, & exercitatione ſedula acquiritur. *Illuminans* etiam dicitur de medicamento viſum acuente: Ita Tinctura Dolæi

Illuminans deſcripta legitur in D. de Spina *Lex. Pharmac. pag. 976.*

ILLUTATIO, vel *Illutamentum*, eſt remedium externum ſive topicum, quando membrum aliquod corporis vel in balneo, vel poſt illud luto illinitur, &, ſi exſiccatum fuerit, immutatur, novumque inducitur ad calefaciendum, ſiccandum & diſcutiendum. Galen. vocavit χρῖσιν σὺν τῷ πηλῷ. *l.* 9. *de S. F.* Eſtque duplex: Naturalis, quæ fit luto in fundo aquarum medicatarum reperto. Artificialis, quæ ex variis paratur. Huc pertinet Ceroma veterum athletarum. Lege de his Andr. Bacc. *de Therm. l.* 2. *c.* 16. *p. m.* 115. *ſeqq.*

ILYS, ἰλὺς, dicitur *fex vini.* Legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XCI.* 22. Inde derivativum, ἰλυώδης, feculentus, *limoſus*, quod dicitur de urinæ ſedimento, Hippocr. 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 64. *Coac. t.* 578. 582. de alvi excrementis, *Coac. t.* 523. Vide *Limus.*

IMAGINATIO, φαντασία, διανόημα, eſt actus vel functio animæ, qua brutorum, qua hominum, (in quibus tamen major eſt excellentia ob regimen intellectus, qui imaginationi præſidet) quæ beneficio ſpirituum animalium ſpecies ſenſibiles primo tantum ſenſuum organis impreſſas, & exinde ſpirituum irradiatione citiſſime introrſum traditas recipit, adeoque res quaſcunque ſingulares & corporeas juxta exteriores apparentias apprehendit, componit, aut dividit, & veluti enunciationes concipit & ſecum format. Quia tamen contingit, ut ſenſus ſæpe fallantur, hinc accidit, ut *imaginatio* erronea ſub ſpeciebus apparentibus fiat, non ſemper ſub veris; quemadmodum hanc imaginandi vim egregie & accurate tradidit & expoſuit, εἴ τις ἄλλος, Th. Will. *de An. Brutor. P.* 1. *c.* 7. Licet vero *Imaginatio* actio ſit animæ, quatenus tamen anima percipit, ſe agere, paſſionem quoque conjunctam eſſe rectiſſime collegit Charlton. *Ex. IIX. Pathol.* §. 8. Poteſt dividi ratione diverſorum ſubjectorum in ſanam vel naturalem, & ægram, ſive præternaturalem. Utriuſque quanta ſit potentia, teſtantur variorum effectuum inde dependentium obſervationes; non ſolum circa formationem fœtus, de quo argumento integrum tractatum ſcripſit Th. Fienus, & impreſſionem variorum nævorum & ſtigmatum, de quo videatur Caſp. à Rejes *Camp. Elyſ. quæſt.* 50. imo integrorum morborum, Hildan. *Cent.* 6. *O.* 65. 66. Junge *Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 1. *p.* 1. ſed & in proprium ſubjectum & corpus; uti patet *ex Ephemer. N. C. An. II. Obſ.* 137. 138. *An. III. O.* 45. *&c.* Rul. & Iohnſon. *Imaginationem* deſcripſerunt, quod ſit aſtrum in homine cœleſte, ſive ſupracœleſte corpus; haud dubie ex hypotheſi Paracelſi & Crollii, qui plane divinos effectus non ſine blaſphemia *imaginationi* illi aſtrali attribuerunt, quos propterea ſeveriſſime perſtrinxit Libav. *Tom. IV. Operum p.* 75. 76. *& alibi.* Quæ Helmontii ſit opinio de natura *imaginationis*, videatur *in tr. Venatio Scientiar. num.* 61. Idem quoque *Imaginativam* vim attribuit plantis & mineralibus, *tr. Tumulus Peſtis* §. *Imaginantur Mineralia & Herbæ &c. Prava imaginatio* recte refertur inter cauſſas morborum procatarcticas à Rolf. *O. & M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 110. De earum vero curatione legatur Idem *d. l. l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 17. 18. Hinc melancholici ſunt & recte dicuntur *Phantaſtæ.* Dieter. *Iatr. p.* 776.

IMAGO, εἰκὼν, *Icon*, quid ſignificet, notum eſt. Accipitur vel de re quadam corporea, alterius corporis formam & figuram repræſentante, quales etiam olim à Paracelſo ad curationem morborum, præſertim choreæ S. Viti & ſimilium commendatæ fuerunt; quæ tamen jure merito, ceu ſuperſtitioſæ & magicæ reprobantur. Et in hac ſignificatione deſcripſerunt Rul. & Iohnſ. *Imagines* ſunt metallicæ, ſive cereæ *effigies*, in quibus virtutes cœleſtes operantur. Vid. Parac. *Paramir. tr.* 4. *c.* 9. *& alibi.* Vel ſumitur de incorporea *effigie* alicujus rei ab anima concepta, & ita eſt effectus *imaginationis*, unde & tales *imagines* φαντάσματα dicuntur, Galen. *L.* 1. *Aff. c.* 2. ſpecialiſſime *anima humana* vocatur *imago Dei*, Paracelſ. *tr.* 1. *de Peſtilit. in princ.* Et Helmont. *tr. Venatio ſcient. n.* 36. ſcribit, quod anima humana ſine *imagine* divina conſiderari nequeat.

IMBECILLIS, idem, quod *infirmus*, *debilis*, Gr. ἀσθενὴς, ἄῤῥωστος, vide *Arrhoſtos*, *Aſthenes*, *Debilis.*

IMBER, ὄμβρος, interdum late pro *pluvia*, interdum ſtricte pro pluvia larga accipitur. *Imber* temporarius quis ſit, vide apud Galen. 4. *in* 6. *Epid. t.* 19. Omnes *imbres* alkalizatos eſſe docet Paracelſus, quia veniunt ex igne, *l.* 1. *de Tartar. tract.* 5. *c.* 2. *in Schol.*

IMBIBITIO, Græce dici poſſet ἔμποσις, quamvis non ſit in uſu; Chymicis vocatur ablutio, quando liquor corporis adjunctus elevatur, & exitum non inveniens in corpus recidit, idque crebris humectationibus tantiſper abluit, donec cum illo puro coagulatus amplius adſcendere nequit, ſed totus fixus manet. Hæc operatio tota philoſophica eſt, nec ad vulgares ſeſe dimittit. Rul. & Iohnſ. *Imbibitio*, *deſtillatio*, & *cohobatio* Philoſophica eſt Spiritus deſcenſus in corpus id abluens atque animans. Hic labor quoque *Rectificatio* vocatur. Beker. *Oedip. Chym. Tit.* 7. §. 4. Jungatur & de *imbibitione* Spagyrica *Th. Chym. Vol. VI. p.* 186. 274. Paracelſus refert ad deſtillationem, *de Natura rerum l.* 7. Libav. duplicem *imbibitionis* modum tradit *Alchym. Pharmaceut. cap.* 32. *Tom. II. Op. p.* 204. 205. Denotat vero *Imbibitio* aliquando quamcunque imprægnationem alicujus corporis factam humore aliquo. Et in hac ſignificatione Paracelſ. pluviam *imbibitionem* eſſe docet *d. l. l.* 2. *in princ. Imbibitio* quoque eſt, cum ad Arcani Tartari præparationem ſal Tartari aceto deſtillato tamdiu imprægnatur nova affuſione, donec ebrium ſal acidum ſpiritum rurſum emittat per alembicum, Rolf. *Ch. l.* 2. *c.* 2. Vocatur & *Nutritio.* Vide *Inceratio.*

IMBIK,

IMBIK, vocatur vas quoddam Spagyricum idem, quod *Ethel*, & aliquoties legitur *in Theatr. Chym. Vol. V. pag. 66.*

IMBRICATUS accipitur pro *ſquamoſus*, tribuiturque lapidi *Ophiti* à D. Ludovic. *Pharmac. Diſſert. I. p.* 321.

IMITATIO, μίμησις, Galeno dicitur, quando Medicus in unoquoque morbo conatur evacuare tales humores, quales novit prodeſſe in ſpontaneis dejectionibus, 4. *aph.* 2. Verum non ſolum in evacuationibus *imitari* debet naturam, ſed & in aliis officiis particularibus, quia in genere verum eſt, quod Medicus ſit naturæ ὑπηρέτης, miniſter, *imitator.* Gal. *comm.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 51.

IMMATURITAS, *Immaturus*, ἀωρία, ἄωρος, dicitur proprie de alimenti intrinſeci cruda diſpoſitione, quemadmodum e contrario *maturitas* eſt alimenti intrinſeci perfecta coctio. Et primo dicitur de fructibus. Non vero plane idem eſt *immaturitas* cum cruditate. Etenim infans & reliqua ſenſibilia in prima ætate recte dici poſſunt cruda, non tamen recte dicuntur *immatura*, cum in ſe ſint *matura*, & nutriantur coquendo alimentum, quod aſſumunt de novo forinſecus accedens, non intrinſece incluſum. P. M. de Calderia *Tom. I. Op. p.* 494. Vide *Maturus.*

IMMENSILOQUENTIA, ἀπεραντολογία, idem, quod *Garrulitas.* Galen. *l.* 3. *de Hippocr. & Plat. decr. c.* 4.

IMMERSIO Chymicis dicitur ſpecies calcinationis humidæ, quando res calcinanda ſali fluido *immergitur*, ſive illud arte chymica in fluorem redactum ſit, ſive mediante aqua diſſolutum ſit. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c.* 3.

IMMERSIVUS, ἐμβαπτὸς, tribuitur à Chymicis ſpeciei *corroſionis*, quando corpora aliis rebus *immerſa* in calcem rediguntur. Eſtque *Humida* & *Sicca.* Rul. & Iohnſ.

IMMERSUS, epitheton muſculi inter ſcapulam & coſtas latentis, qui & *ſubſcapularis* propterea dicitur, brachium introrſum circumagens. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 2. *p.* 563.

IMMICTIO, ἐνέρησις. Vide *Enureo.*

IMMINENS, ἐνιστάμενος, quamvis Græca vox potius *inſtans* ſignificet. Videtur autem *imminens* ab *inſtante* in eo differre, quod *imminens* magis ad futurum ſpectet: *inſtans* cum præſenti magis conveniat. *Imminens* morbus dicitur, qui nondum actu ſecundo infeſtat; ſed qui metuitur mox futurus. *Imminentes* epiphoræ leguntur apud Scrib. *n.* 206.

IMMINUTIO, μινύθησις, μείωσις, opponitur τῇ αὐξήσει, *augmento*, & quid ſignificet, notum eſt. Gal. *l.* 2. *de diff. reſp. c.* 4. Hinc & Hippocr. uſurpat de carnium *imminutionibus*, 3. *de artic. t.* 103. *& in Mochlic. X.* 9. *XIII.* 9. *XIV.* 8. de columellæ extenuatione, *lib.* 2. *Epid. II.* 84. de ſpiritu, *l. de Humor. III.* 54. Significat & *ſenectutem*, in qua vires diminutæ ſunt, *l.* 6. *Epid. ſ. VIII.* 29. *vel* 46. juxta Linden. Verbo quoque μινύθειν & μινυθῆναι frequentiſſime uſus eſt Hippocr. pro *imminui*, quæ loca quamplurima videantur apud Foëſ. *Oec. p.* 415. *ſeqq.*

IMMOBILITAS, ἀκινησία, vide *Acineſia.*

IMMODERANTIA, *Immoderatio*, ἀμετρία, vide *Ametria. Immodicum* omne damnatur, Galen. *de parv. pil. exercit. c.* 3.

IMMORANS, ἐλιννύων, dicitur Hippocr. de eo, quod nihil omnino operatur, ſed prorſus quieſcit, 3. *de iis*, *q. in med. t.* 20. Galen. *in comm.* Vide *Elynnio.*

IMMORTALIS, ἀφθαρτος, *Immortalitas*, ἀθανασία, non competit corporibus genitis, Galen. *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 12. Unde & apud homines *immortalitatis* ſpes caſſa & irrita in hoc mundo, ſcil. naturaliter, J. Alex. *lib.* 2. *Salubr. cap.* 7. Recte tamen mens, vel animus humanus ſtatuitur *immortalis* & incorruptibilis, etiam fortaſſis ex cauſſis naturalibus cum Helmont. *de febr. cap.* 16. *n.* 7. 8. *Immortale* quoque dicitur Paracelſo perpetuum, longiſſime abſque mutatione aliqua durans. Ita lapidibus tribuit *temporalem immortalitatem*, *l. de morb. Tartareis cap.* 4. Quid alias *Athanaſia* ſignificet, vide ſupra *ſuo loco.*

IMMUNDITIES, idem eſt, quod Impuritas, ſordes tam interna, quam externa, ſæpius legitur apud Hartmannum *in ſcriptis ſuis.*

IMMUTATIO, idem, quod *mutatio*, μεταβολή, vide *Metabole. Immutatio* etiam dicitur quædam operatio chymica, qua accidentia quædam circa aliquod corpus immutantur, v. g. cum ſalia per deliquium ſolvuntur in olea. Vel cum liquida fiunt ſolida, & vice verſa. Vel cum volatilia fiunt fixa & contra. Vel denique cum ſalia aut terræ vitrificantur, Morley *Proleg. Collect. Chymic. Leidenſ. cap.* 3. *fin.*

IMPACTUS, ἐσφηνωμένος, à σφηνόω, *infarcior*, *intrudor.* Dicitur de materia partibus ſolidis fortiter inhærente. Galen. *libr.* 2. *de C. M. S. L. cap.* 1.

IMPAR, ἄνισος, περισσὸς, ἢ περιττὸς, dicitur de *diebus criticis*, non quod revera *impares* eſſe debeant ratione arithmetica, qui videlicet nequeunt dividi in duos pares numeros, nam hoc modo 14, 20, 34, 40. &c. à diebus criticis excluderentur, ſed quia vere critici in rationem ſeptenarii incidunt, & ex ſeptenariis coaleſcunt, Dieterich. *n.* 680. Galen. dies *impares* marem, partes vero fœminam referre ſcripſit, *l.* 3. *de dieb. Crit.* Vide *Criticus dies.* Quod vero olim *impari numero* in exhibendis medicamentis vel virtus, vel felicitas operandi tributa fuerit, & hodieque adhuc apud nonnullos fidem inveniat, à ſuperſtitioſa veterum Medicina hoc eſſe recte judicavit Keuch. *ad Seren. in Not. p.* 93.

IMPASTATIO, vide *Incorporatio.*

IMPERFECTUS, ἀτελής, *Imperfectio*, ἀτέλεια, quid ſignificet, notum eſt. Accipitur vero vel ſimpliciter, vel relative. In illa Gal. *l. Thraſyb. c.* 11. quando ſcripſit: Nos nullo *imperfecto* indigemus: In hac, quando fœminæ dicuntur *imperfectæ*, reſpectu maſculorum, cum tamen *imperfectio* illarum ſit earundem perfectio, C. Hofmann. *C. in Gal. V. P. n.* 982. Ita *Mercurius* dicitur metallum *imperfectum*, Parac. *de morb. metallifoſſor. l.* 3. *c.* 2. 3. cum tamen ſibi propriam habeat perfectionem. Ita cum aliis quibuſdam mineralibus comparatum eſt.

IMPERFORATUS, ἄτρητος. Vide *Atretos.*

IMPERITIA, ἀπειρία, idem, quod *Ignorantia.* Hanc in Medico malum eſſe theſaurum, recte dixit Hipp. *in Lege fin.* Junge Caſp. à Rejes *C. Elyſ. q.* 20. *n.* 7. *ſeqq.* *Imperitiæ* medelam Philoſophiam dixit Linden. *Ex. II.* §. 29. Vide *Apeiron.*

IMPERIUM, ἀρχή, ἀνακυβέρνησις, competit etiam Medicis. Licet enim ſint naturæ miniſtri ægris tamen debent *imperare.* Quale vero *imperium* illorum eſſe debeat, egregie docuit Linden. *d. l.* §. 23.

IMPETIGO, λειχὴν, dicitur ſumma cutis aſperitas cum multa prurigine, ſquamis & furfuribus. Galen. *def. med.* Hipp. refert inter lepras, *l.* 2. *Prorrhet. XIX.* 1. *& l. de Affect. XXXV.* 4. Dicitur & Latine *Licken*, *Volatica*, *Mentagra*, idem *Impetix.* Paucis eſt ſpecies ſcabiei ſiccæ pruriginoſæ, cum ſubſequentibus ſquamis, & furfuribus, proveniens à portionibus ſalinis vitioſis ſiccioribus, corroſivis, ad ambitum corporis protruſis, unde corporis interiora per hujuſmodi cutis vitia expurgantur, Galen. 3. *aph.* 20. Dividitur à Celſo, qui papulam vocat, judice Plantino *in not. ad h. l.* & Foëſio *in Oec.* in *majorem* & *minorem*, *l.* 5. *cap.* 28. ab aliis in *mitiorem*, quæ abſque inſigni malignitate infeſtat; & *feram*, quæ magis ad lepram accedit, & maligna eſt. Hujus ſpecies quoque eſt *mentagra*, quando non ſquamis tantum, ſed fœdo cutis furfure totos primum vultus, deinde vero & collum pectusque & manus occupat, oculis tantum immunibus. Fuit vero novus morbus & ante Tiberii principatum penitus incognitus. Nec vero iis tantum notis feritas ejus conſtabat, ſed quod admodum contagioſus eſſet, ſoloque oſculo, vel contactu non humilem aut mediam plebem, ſed proceres ſolos invaderet. Plura de *Impetiginis* appellationibus & curatione vide apud Foëſ. *Oec. p.* 379. Ephem. N. C. *Ann. III. O.* 286. Dieterich. *n.* 495. Scribon. *n.* 249. Rhod. *in Lexic.* Keuchen. *ad Seren. p.* 128. 129. *Impetigines* quoque vel *lichenes* vocantur ſquamulæ anteriorum crurum in equis ſub armorum partibus in ipſis animalibus natæ, quas etiam χελιδόνας, i.e. *hirundines*, vocant. (Vide *Hirundo.*) Dioſcorides *callos* vocat & in Epilepſia commendat, *l.* 2. *c.* 45. Foëſ. *d. l.* Paracelſ. vocavit *verrucas equorum* & commendavit ad ſuffocationem matricis, *tract.* 2. *de morb. ament. c.* 4.

IMPETUS, ὁρμή, vide *Horme.* Cur *Impetuoſa* fuga cordis dicatur καρδιωγμὸς, vide Linden. *Ex. XIII.* §. 137. *Impetus* vocantur, qui non ſunt in noſtra poteſtate, animæ ſenſitivæ primi conceptus adhuc inordinati, nondumque mentis imperio luſtrati. Helmont. *tr. Sedes animæ num.* 16. Idem quoque *Archeum* ſolum eſſe *impetum* faciens exiſtimat, tam in ſanis, quam in ægris, *l. de morb. Archeal. num.* 4. *& tr. Reſpondet Autor num.* 1. *Impetus* quandoque ſumitur pro paroxyſmo morborum. Scribon. *num.* 99. 160. *Impetus* quoque ſumitur pro *Impetigo.* Keuchen. *d. l.*

IMPINGUATIO, πάχυνσις, (an & πίανσις?) idem, quod *pinguefactio.* Dicitur, quando corpus, vel ejus membrum aliquod, artificioſo modo redditur grandius, vel craſſius, vel magis obæſum frictionibus, rubificatione, dropace, vel etiam operationibus chirurgicis, de qua ejuſque noxis legatur Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 4. *c.* 4. *&* 5. quamvis deſcriptio juſto ſtrictior ſit, cum & alimenta & medicamenta alimentoſa inter media *impinguationis* includenda veniant. De qua vide Foreſt. *l.* 31. *cap.* 10. *Schol. Impinguificatio* ſulphuris legitur apud Paracelſ. *in fragmentis de morbo Galen.* & videtur intelligere imbibitionem.

IMPLACIDITAS, ἄση, idem, quod *moleſtia.* Vide *Aſe.* Legitur aliquoties apud P. M. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 63. *D.*

IMPLETIO, πλήρωσις, idem, quod *repletio*, de quo vocab. infra *ſuo loco.* Opponitur *vacuationi*, quæ Gr. κένωσις dicitur.

IMPLICATUS, *Implicitus*, ἐμπεπλεγμένος, idem, quod *complicatus.* Vide *Complexio.* Ita morbi *implicati* dicuntur, quando multæ partes ſimul affectæ ſunt. Nam poteſt idem homo ſimul laborare ex thorace, ex capite, ventre, jecinore &c. Caſtell. In ſpecie *implicitæ* febres vocantur, quando plures febres eodem tempore detinent & evidenter diſtinguuntur, ſuntque duum generum: Vel enim ſunt ejuſdem ſpeciei; ut duæ tertianæ &c. vel diverſæ ſpeciei, v. gr. ex tertiana intermittente & quotidiana continua, quæ proprie nomine hemitritæus, h. e. ſemitertiana, item horrida appellatur. Laur. Bellin. *in Opuſc. Medic. de febril. p. m.* 252. *ſeq.* *Implicitæ* quoque vocantur Medicinæ partes, quia omnes adeo connexæ ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint, ſed ex eo nomen trahant, à quo plurimum petunt. Celſus *l.* 5. *procem.* Scrib. *n.* 200. Rhod. *in not. ad h. l.*

IMPLUVIUM, idem eſt, quod irrigatio, vel embrocha, vel embrocatio. Extat apud Petr. Morellum in *Methodo præſcribendi formulas*, *l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 6.

IMPORTUNITAS, ἀκαιρία, *Importunus*, ἄκαιρος, idem, quod *intempeſtivus.* Hoc valde noxium eſſe in Medicina, inde patet, quod Hippocr. dixerit καιρὸν

ὀξύν,

ὀξέα; *occaſionem* ſive opportunitatem eſſe valde celerem, 1. *aph.* 1. Ἄκμη legitur apud Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 26. *l.* 3. *ſ.* 3. *t.* 66. *&* 4. *de R. V. I. A. t.* 115.

IMPOSITIO, ἐπίθεσις, vel notat actum illum, quo medicamentum topicum parti corporis applicatur forinſecus; Et ita ſumitur à Scrib. *n.* 11. 53. 80. *&c.* vide Rhod. *in Lex.* Vel *denominationem* alicujus rei: Unde & *impoſitores* vocari conſtat ex Latina verſione Galeni *in Indice* Braſſavoli. Gr. vocantur ὀνομάζοντες ἢ θέμενοι τὴν προσηγορίαν. Gal. *6. aph.* 1.

IMPOSSIBILIS, ἀδύνατος, interdum idem, quod *invalidus*, Dieter. *Iatr. num.* 8. Interdum vero ſumitur pro eo, quod fieri vel plane non, vel rariſſime poteſt, Hippocr. 5. *aph.* 60. *&* 1. *prognoſt. t.* 3. *Impoſſibile* enim raros caſus non excludit apud Hippocr. demonſtrante hoc C. Rejes *C. El. q.* 79. *n.* 6. In ſtricta vero ſignificatione *Impoſſibilis* nullus eſt conceptus poſitivus, adeoque & nulla ſcientia. Helmont. *de Lithiaſ. c.* 7. *n.* 12.

IMPOTENTIA, ἀδυναμία, vide *Adynamia.* Sumitur & ſæpe ſtrictiſſime pro *Sterilitate virili*, Hildan. *Cent.* 5. *Obſ.* 40. *Cent.* 6. *Obſ.* 59. 60. Paracelſ. *Tract.* 4. *de Peſtil. cap.* 2. *& de morb. ex Tartaro Tract.* 1. *c.* 2. Ephem. N. Cur. *Ann. III. Obſerv.* 71. *&* 78. De cauſſis *impotentiæ* virilis & in organis mulierum videantur quæſtiones *in Irenic.* D. B. Ammanni *p.* 131. *ſeqq.* 152. *ſeqq.*

IMPRÆGNATIO proprie idem eſt, quod *Gravidatio*, Gr. dici poſſet κύησις, ἐγκύησις, vel ἐγκυμοσύνη, notatque nihil aliud, quam fœcundum congreſſum maris cum fœmina, ita ut hæc concipiat ex illo coitu fœtum. *Imprægnatio* nihil aliud eſt, quam conceptio & embryonis generatio, dicit Foreſt. *l.* 28. *Obſ.* 59. & ita ſumit ex parte mulieris paſſive. Tropice & ænigmatice ſpagyricis quoque dicitur *imprægnatio* myſtica in magiſterio lapidis Philoſophici, quando Mercurius virgineus, qui nullo alio metallo adulteratus eſt, conjungitur cum ſuo ſulphure, quod ſecum habet inviſibiliter, Libav. *Apocal. Hermet. P. poſter. Heptad. Hermet. Monad.* 2. *Tom. II. Oper. p.* 351. 352. De hac quoque legi poteſt *tr. de Alchymia Incerti Autoris c.* 32. *in Theatr. Chym. Vol. III.* Vocatur alias Dealbatio, *Vol. IV. p.* 760.

IMPRANSUS, ἀνάριστος, vocatur, qui prandio abſtinet. Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 27. Vide *Anariſteſis.*

IMPRESSIO, Gr. προσβολή, quid proprie ſignificet, notum eſt. Videlicet & active & paſſive accipi poteſt. Active notat actum quendam violentum extrinſecum, quando vel caſu, vel arte corpori aliquid cum violentia applicatur, ut cogatur loco cedere, vel locum relinquere; v. gr. quando chirurgus in luxatione aut fracturis oſſa prominentia vi quadam *imprimit* in locum priſtinum, dicitur *impreſſio.* Paſſive vero quoque accipitur pro illius violentæ actionis paſſione. Ita Hildan. *impreſſionem* cranii pro cranio *impreſſo* fuit, *Cent.* 5. *Obſerv.* 95. *ex.* 3. *Improprie* vero Paracelſo & ſuis ſectatoribus *Impreſſiones* vocantur fructus inviſibiles, ut ſtellarum in inferioribus. Rul. & Iohnſon. h. e. effectus quidam occulti & diſpoſitiones, vel virtutes latentes inevitabiles, Parac. *Philoſ. ſagac. l.* 1. quæ proveniunt vel ab influxu aſtrorum, & dicuntur *impreſſiones cœli*, aſtrorum, Parac. *præfat. in libr. de morb. inviſib. Paramir. l.* 4. vel ab Elementis intrinſecis, ita in herba flammula dicta vis cauſtica eſt ab *impreſſione Ignis*, *Param. lib.* 2. vel à meteoris *Impreſſiones Meteoricæ*, *Labyrinth. Medic. c.* 3. à parentibus *Paragran.* 2. *&c.* ab Imaginatione *Impreſſio Imaginationis*, *l.* 1. *de peſte*, *cum additionibus &c.* Differre creditur ab *Inclinatione*, quod hæc ſit abſque violentia, & poſſit negligi vel mutari, *impreſſio* vero non poſſit mutari, Parac. *d. l. l.* 2. *Impreſſiones* vocantur ab eodem & *Prædeſtinationes*, *d. l. l.* 1. Enimvero an non merito hujuſmodi fictitias *Impreſſiones fatuas* vocaverit Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 170. non eſt jam noſtri inſtituti, determinare.

IMPRESSURA idem videtur eſſe, quod *Impreſſio*, & M. A. Severinus uſus pro inſigni & contumaci inquinatione morboſa vel infectione, qualis occurrit in lue Venerea, *l. de noviſſ. abſceſſ. c.* 23.

IMPUBER, *Impubes*, *Impubis*, ἄνηβος, proprie dicitur, cui nondum pili in pube ſive loco hypogaſtrii proruperunt, & ita nondum ad adultam ætatem pervenit, Gal. *l.* 8. *de S. F.* §. *Hyacinthus.* Uſurpatur non ſolum de maſculis, ſed etiam de fœmellis. Helmont. *tr. Retenta.* dicit, *Impuberes* etiam non raro concepiſſe.

IMPULSIO, ὦσις, ὤθησις, ἔπωσις, ſignificat motum factum violentum à movente tangente, ita ut, quod movetur, non relinquat. Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 28. Ita cor ſanguinem in arteriæ magnæ principium *impellit*, qui ſucceſſive reliquum jam præſentem promovet eodem pulſu. Aliquando & ὦσις *inclinationem* jam ex violentia impulſionis factam ſignificat, Hipp. 3. *aph.* 26. Vide Dieter. *n.* 948. Hodieque hypotheſis de *Impulſione* adeo applauſum invenit, ut primum ſibi vendicaverit locum inter motus naturales, hinc & Joh. Marc. Marci *Othoſophiam*, ſive Philoſophiam *Impulſus univerſalis* conſcribere non dubitavit, cujus etiam mentio fit *in act. Erud. Lipſ.* 1683.

IMPURGATUS, ἀκάθαρτος. Vide *Acatharſia.*

IMPURUS, ἀκάθαρτος, idem, quod *Impurgatus.* Opponitur τῷ καθαρῷ, *puro.* Vide *Catharos.* In omni corpore mixto *purum* & *impurum* conjuncta eſſe, docet Paracelſ. *l. de morb. Tartar. cap.* 3. ubi & duplex *impurum* ſtatuit, *coagulatum*, quod *Tartarum* appellat, & *reſolutum.* Patet vero ex aliis quoque locis, *impurum* Paracelſo idem eſſe, quod *excrementum. Impurum alkali* eſt ejus ſpuma, quæ aufertur in repurgatione poſt exſtructionem. *Impurum Tartari* eſt ipſius Alkali. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

IMPUTRESCIBILIS, ἄσηπτος, dicitur, quando calidum & humidum moderate ſeſe habent. Galen. *l.* 9. *meth. med. c.* 5. Vide & *Aſapes.*

IMUS, κατώτατος, idem, quod *infimus.* Dicitur vel de tertia corporis regione ſive cavitate, quæ *Abdomen* & *imus venter* vocatur. Vide *Abdomen:* vel de infima parte abdominis, quæ umbilicum ac pudenda interjacet, ita ut in hæc tria totum abdomen dividatur, in hypochondria, locum umbilicalem, & imum ventrem, Gal. 2. *aph.* 35. Aut ſicuti Anatomici faciunt in quatuor: epigaſtrium, hypochondria, regionem umbilicalem, & hypogaſtrium. Vide Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 1. Vide & *Etron. Cato. Hypogaſtrion.*

IN, quemadmodum alibi, ita & in Medicina duplicem potiſſimum, aut etiam triplicem habet ſignificationem. Vel enim privative aut negative accipitur, & ita exprimitur apud Græcos per vocalem α στερητικὴν, h. e. privativam, v. g. *incurabilis*, ἀνίατος, *inappetentia*, ἀνορεξία, ubi *r* ſaltem euphoniæ gratia interpoſitum eſt; Vel notat *in* ad locum, & ita auget ſignificationem vocabuli. Exprimitur vero per Græcam præpoſitionem εἰς, vel ἐπὶ, v. g. *Inſultus*, εἰσβολὴ, *inductio*, εἰσαγωγὴ, *inuſtio*, ἐπίκαυμα, &c. Vel denotat actualem præſentiam & exprimitur per præpoſitionem ἐν, vel σὺν, v. g. *Innatus*, ἔγγονος, *innatans* materia in urinis, ἐναιώρημα &c.

INACESCO, idem, quod *aceſco*, ὀξύνομαι, vel ὑποξύνομαι. Legitur apud Scribon. *n.* 104. de iis, quibus aſſumta in ventriculo p. n. aceſcunt & corrumpuntur.

INÆQUALIS, *Inæqualitas*, ἄνισος, ἀνόμοιος, ἀνώμαλος, ἀνωμαλία, opponitur *Æquali.* Vide *Æqualis. Anomalos.*

INALIENATUS, idem, quod *Sincerus*, purus, γνήσιος. Legitur apud Scrib. *n.* 204. Vide Rhod. *in Lex.*

INAMBULATIO, idem, quod *ambulatio*, & quidem modica, περίπατος, Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 11.

INANIMATUS, ἄψυχος, opponitur *animato*, diciturque de omnibus, ubi non eſt vitalitas. Paracelſus vero *inanimata* vocat homines ſydereos, & ſex eorum ſpecies refert, in quibus non eſt anima: *Nymphas*, *Gigantes*, *Lemures*, *Gnomos*, *Vulcanos*, & *Umbragines*, *Philoſ. ſagac. l.* 1. & 2. Enimvero ſpectra potius & præſtigiæ diabolicæ tales hominum ſpecies habendæ ſunt, quam vera corpora humana.

INANIS, κενὸς, κενεὸς. Vide *Cenos*, *Ceneon.*

INANITIO, κένωσις. Vide *Cenoſis.*

INAPPETENTIA, ἀνορεξία. Vide *Anorexia.*

INARESCO, idem, quod *Exiccor*, & quidem cum adhæſione in vaſe. Ita *inareſcere* mortario collyria ſcripſit Scribon. *n.* 22.

INCALESCO, idem, quod *Caleſco.* Vide *Caleſcens.*

INCANTATIO, *Incantamentum*, ἐπῳδὴ. Vide *Epode.* Quamvis vero Paracelſus *Incantationi* multum tribuat paſſim in ſcriptis, præſertim *l.* 2. *de peſte cum addit. & l.* 1. *de vit. long. c.* 6. 7. *&c.* Et Helmont. quoque vim *incantandi* non à diabolo, ſed homini naturalem eſſe ſtatuerit, *tr. de Injectis materialib. num.* 15. Rectius tamen judicavit Langius, adductis gentilium ſapientum teſtimoniis, eam curandi rationem per *incantamenta* Medico indignam, Chriſtiano illicitam, & animas humanas decipientem eſſe, *l.* 1. *ep.* 33. Quatenus vero *Incantationes* conſiderantur, ut cauſſæ morborum mediatæ ſupra naturales, Rolf. *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 29. merito etiam dubitatur, an naturalibus remediis curatio poſſit perfici, qualia tamen ubique proſtant, & apud Fr. Hofm. *in Indice Clavis Schroderian.* inquiri poſſunt.

INCARCERATUS quid proprie ſignificet, ex aliis Dictionariis conſtat. Placuit vero D. D. Joh. Lud. Apino Profeſſ. P. in Univ. Altdorff. celeberrimo & Archiatro Sereniſſ. Principis Palatini Solisbacenſ. τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, haud ineleganter hoc epitheton in forum transferre Medicum, & tribuere Herniæ cuidam inteſtinali, quam obſervavit in viro quodam, qui per plures annos potuit digitis & manu inteſtina e ſcroto intra abdomen facile ſæpiuſque reponere, & ad tempus retinere, in ſenectute vero ætatis anno circiter 70. per laxatam jam ante peritonæi proceſſum viam in ſcrotum denuo quærentia inteſtina, ſolito plus intumeſcentia, & remeare neſcia Herniam *incarceratam* conſtituerunt non ſine periculo Iliaci morbi, quemadmodum laudatus Autor *in Collegio privato Chirurgico* Auditoribus ſuis hanc obſervationem fideliter communicavit.

INCARNANS, *Incarnativus*, σαρκωτικὸς, nomen eſt remediorum carnis generationem in ulceribus promoventium. Dicuntur & Latine *Sarcotica.* Nam quamvis carnis generatio naturæ opus videatur, juvatur tamen illa medicamentis, quæ modice calefaciunt, moderate detergent & purgant, minimum ſiccant, nulloque modo adſtringunt. Videantur & *Dogm. noſtra Med. Gen. P. VI. c.* 2. *dogm.* 9. *p.* 613. Catalogum *Incarnativorum* vide apud Senn. Ionſton. Morellum, Tilemannum, Rolf. & alios. *Incarnativam* vim ſolum eſſe ex Mercurio, vult Paracelſ. *l. de tribus primis eſſentiis c.* 7. Urina *incarnativa* eidem vocatur, quæ poſt uſum Terebinthinæ, Maſtichis, Thuris, Mumiæ &c. redditur, & vim habet ſarcoticam, *l.* 1. *de Tartar. Tr.* 3. *c.* 1. *Incarnativum* univerſale *Balſamus Mumiæ* eidem habetur, & poſt hunc *Spiritus Auri*, *l.* 2. *de Peſte c.* 4. Rul. & Iohnſ. *Incarnativa* deſcripſerunt, quod ſint medicamenta chirurgorum vulneribus cutem obducentia, vel carnes concludentia. Interna *carnem generantia* ad alimenta potius ſpectant.

INCENDIUM, πυρκαϊὰ, καῦσις, quid proprie ſignificet, notiſſimum. In hac propria ſignificatione ſumitur à Galeno *comm.* 3. *in* 1. *Epid. t.* 1. & *l.* 1. *de præſag. ex inſomniis in princ.* Tralatitie etiam accipitur hodieque de paroxyſmo febrili, vel ardore vehementiori

tiori febrili, qui *incendium febrile*, φλόγωσις, *incenſio* vocatur, uti paſſim apud Willis, Pienſ. & alios obſervare licet.

INCENSIO, καῦσις, φλόγωσις, idem fere, quod *Incendium*. *Incenſiones* quoque vocare Hipp. *Inflammationes*, & calidos tumores, notavit Gal. 3. *de iis*, *q. in med. t.* 30. *Incenſivus*, idem, quod καυστικός. Vide *Cauſticos*.

INCERATIO, ἐγκήρωσις, eſt miſtio humoris cum re ſicca per combibitionem lentam ad conſiſtentiam ceræ remollitæ. Alias etiam *Imbibitio*, de qua ſupra; quæ fit per irrigationem, re ſicca potante humidam. Nec alia *Nutritio* eſt Medicorum, qua Sarcocolla, Lithargyrus, & alia paulatim ſucco quodam potantur, & ad uſum evadunt commoda. Ruland. & Iohnſ. *Incerationis* Spagyricæ in lapidis Philoſophici opere aliquoties etiam mentio fit *in Theatr. Chym. Vol. III.* præſertim M. Joh. Iſaaci *Oper. Mineral. c.* 16. 17. 26. 106. *& Vol. VI. p.* 250. Generalius ſed obſcurius quoque deſcribitur, quod ſit fermentatio, vel potius informatio, ſeu prolis imperfectorum ad conditionem lapidis accipiendam formatio. Ger. Dorn. *tr. Artificium ſupernaturale cap.* 5. *& Tr. Philoſophia Chemica*, *in T.* 1. *Theatr. Chymic. p.* 295. *&* 427. *Incerationis* quoque mentionem fecit Libav. *Apoc. Hermet. P. poſt. T. II. Oper. p.* 410. *Inceratio* Philoſophica eſt, quando Mercurius Philoſophorum cum ſulphure eorum, tanquam cera ac vero glutine Philoſophorum conjungitur. Bekher. *in Oedip. Tit.* 7. §. 4.

INCERNICULUM, vide *Infundibulum*.

INCESSUS, βάδισις, idem, quod *Ambulatio*. Vide *Ambulatio*, *Badiſis*.

INCIDENS, τμητικός, eſt ſpecies facultatis medicamentoſæ, quæ conſiſtit in partibus ſalinis tenuioribus, facilisque extractionis & actuationis. Coincidunt cum attenuantibus, λεπτυντικοῖς; vide *Attenuantia*. Jung. Gal. *l. de atten. victu. cap.* 3. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. *fin. & l.* 6. *de S. F.* §. *Amygdala*. Propter eandem vim ſalinam *incidentiæ* quoque aliquando ſtimulant ad expulſionem. Quod enim vim habet *incidendi*, habet & *incitandi*. Lind. *Ex. V.* §. 117.

INCIDENS, pen. brevi, ἐμπίπτων, vide *Empipto*. *Incidere* etiam abſolute ponitur pro *incidere* in malum vel morbum. Scribon. *n.* 172. notante Rhod. *in Lexic. Dies incidentes*, περιεμπίπτοντες ἡμέραι, Galeno dicuntur, in quibus imperfectæ ſolent fieri criſes, ut ſunt tertia, quinta, ſexta, nona. 3. *progn. t.* 1.

INCINERATIO, τέφρωσις, eſt ignitio, corpora vehementiori igne in cineres convertens. *Incinerantur* autem vegetabilia & animalia. Mineralia vero (Chymico more loquendo) proprie non in cineres, ſed calcem redigi dicuntur Rul. & Iohnſ. Vel *incineratio* eſt operatio, qua ſuo humido ingenito res ignis violentia ſpoliata in cineres redigitur, ita ut nulla arte priſtinum ejus corpus ſit reparabile. Fr. Hofm. *Clav. Schr. l.* 3. *c.* 9. §. 22. Differt à *calcinatione*, ut genus & ſpecies. Omnis quidem *incineratio* eſt calcinatio; ſed non vice verſa. Id. *l.* 2. *c.* 43. §. 75. *Incinerationem* præcipue locum habere in vegetabilibus & animalibus, cum ſalia parantur fixa, docet Rolf. *Ch. l.* 2. *c.* 3. Dicitur & *Cineratio*, *Cinefactio*.

INCIPIO, ἄρχομαι, dicitur de morborum principio, Hipp. 1. *aph.* 12. *a.* 4. *a.* 22. 2. *aph.* 19. vide Diet. *n.* 110. Vide & infra *Principium*.

INCISIO, ἐγκοπή, vide *Encope*. Quibus ſaltem hoc addi debet, quod vocab. *Inciſio* non ſemper accipiatur in malam partem pro ſolutione continuitatis morboſa, ſed etiam in bonam pro operatione chirurgica, vel anatomica. Frequentiſſime in uſu eſt phraſis: *Inciſio* venæ, nervi. De *inciſionis* modo in calculo veſicæ, vide Fabr. Hildan. *l. de lithotomia. c.* 12.

INCISOR, τομεύς. Epitheton dentium quatuor anteriorum in utraque maxilla. Vide *Dens*.

INCISÓRIUM, τομεῖον, dicitur tabula, in qua fit ſectio, vel inciſio. Braſſavol. *in Indic. Galenico*.

INCITATIO, ὁρμή. Vide *Horme*.

INCLINATIO, ἔγκλισις, κλίσις, ῥοπή, vel accipitur proprie, quando corpus, vel vas aliquod oblique vertitur, & idem eſt, quod *reclinatio*, ἀνάκλισις, quæ ſignificatio per ſe nota: vel metaphorice & tralatitie, (quod Medicis frequentiori in uſu) & quidem aut de humorum in hanc vel illam partem conatu vel *propenſione*, & dicuntur humores ῥέπειν. Hippocr. 1. *aph.* 21. Jung. Dieter. *n.* 751. aut de totius humanæ naturæ vi & propenſione ad aliquid. Rul. *in Lex.* ita tamen, ut nondum adſit coactio aut violentia, & in hoc differt ab *impreſſione* vel *prædeſtinatione*. Vide *Impreſſio*. *Inclinatio* igitur in Phyſiologicis commode uſurpatur ad exprimendam ſpirituum vim in appetendo bonum, quando moventur ad extra, e contrario in inappetentia defectus illius ſpirituum motus obſervatur, ut plane non moveri videantur. In homine vero exiſtimo hanc vim movendi ſpiritus ab ipſa mente ejuſque propriis facultatibus intellectu & voluntate primario dependere. De hac *inclinatione* plura apud Paracelſ. occurrunt, ut & Helmont. *tr. Aſtra neceſſitant*, *non inclinant*. Septem Planetæ vocantur duces & comites *inclinationum* à Ger. Dorneo *tr. Duellum animi cum corpore*, *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 473.

INCOCTUS, *Incoctio*, propter duplicem particulæ *In* acceptionem, *privativam* & *intenſivam*, duplicem etiam & plane contrariam obtinet ſignificationem. Juxta priorem dicitur Gr. ἄπεπτος, ἀπέψακος, & ἀπεψία, vide ſupra *Apeptos*, & *Apepſia*; & reſpondet *crudo*, *cruditati*; vide etiam *Cruditas*. Gal. *l. de conſtit. art. med. c.* 15. Denotat vero rem vel plane non coctam, vel inſufficienter coctam, ſive fiat per coctionem naturalem, ſive artificialem. Juxta poſteriorem vero *Incoctum* ſignificat, quod probe co-

ctum

ctum eſt, vernacule eingekocht. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.* Unde & *Incoctilia* dicuntur vaſa Plin. *l.* 34. *c.* 17. quando album *incoquitur* æreis operibus Gallorum invento. Meminit & Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 7. *c.* 24.

INCOENATUS, ἄδειπνος, *Incœnis*, Plauto dicitur, qui cœna abſtinet. Scribon. *n.* 140. Rhod. *in Lex.*

INCOMMODUS, δύσχρηστος. Vide *Dyſchreſtos.*

INCOMPREHENSIBILITAS, ἀκαταληψία, idem, quod *Incertitudo.* Vide *Acatalepſia.* Galen. *de opt. dic. gen.*

INCOMPRESSA annotatio. Dunc. Lid. *de febr.* libera caloris invaſio ſine paroxyſmi ſigno, Senn. *de feb. l.* 3. *c.* 2.

INCONSTANS, *Inconſtantia*, ἀκατάστατος, ἀκαταστασία. Vide *Acataſtatos.*

INCONSUETUS, ἀσυνήθης, idem, quod *Inſuetus, Inſolitus.* Vide *Aſynethes.*

INCONTINENS, *Incontinentia*, ἀκρατής, ἀκρασία, ἀκράτεια. Vide *Acraſia*, *Acratia.* Frequenter dicitur de *Incontinentia Urinæ*, quæ JCto. urinam facere dicitur *l.* 14. §. 4. *ff. de ædil. edict.* Jungatur P. Ammann. *Irenic. p.* 255.

INCORPORATIO, Gr. dici poſſet ἐνσωμάτωσις, eſt ſpecies miſtionis, vel commiſtionis, qua ſtatim humida cum ſiccis in unum corpus per formam maſſæ contemperantur. Differt à *nutritione* vel *imbibitione*, quod non lente & ſucceſſive fiat, ſed tantum humoris ſtatim addatur, quantum ad corporis miſti conſiſtentiam requiritur, ut fiat veluti paſta, unde & *Impaſtatio* nominari poteſt, in nonnullis *ſubactio. Incorporatæ* autem res in calore digeſtorio relinquuntur, ut mutua actione & paſſione craſin communem nanciſcantur, Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Incorporatio quoque vocatur, quando Spiritus in corpus convertitur & reducitur, *Th. Chym. Vol. V. p.* 16.

INCORRUPTIBILIS, ἄφθαρτος. Vide *Aphthartos.*

INCORRUPTUS, ἄψαυστος, ἄφθαρτος, quid generaliter ſignificet, notum eſt; nimirum purum, ſincerum, quod non eſt vitiatum. Ita Scrib. de ſe teſtatur curam habuiſſe, ut *incorruptas* compoſitiones medicamentorum acquireret, *n.* 38. Specialiter vero accipitur de Virgine vera, illibata, quæ virum nondum paſſa. Caſp. Rejes *Camp. El. Q.* 41.

INCRASSANS, *Incraſſativus*, παχυντικός, Epitheton medicamentorum quorundam, quæ Galenus frigida poteſtate & craſſarum partium eſſe ſtatuit, *l.* 5. *de S. Fac. c.* 20. Confer *ad Dogm. noſtra P. VI. cap.* 2. *p.*712. Talia medicamenta vocantur & Græcis abſtractive παχυσμοί. Foëſ. *Oec. p.* 490.

INCREMENTUM, αὔξησις, ἐπακμή, idem, quod *Augmentum*, vel *Augmentatio*, de quibus *ſupra.*

INCRESCENS, ἐπακμαστικός. Vide *Epacmaſticos.*

INCRUSTATIO, ἐσχάρωσις, κονίασις, πλάκωσις; diverſam obtinet ſignificationem, pro varietate ſubjecti, de quo dicitur. In chirurgicis notat cruſtæ generationem; vide *Cruſta.* Vel ſignificat *illitionem* quandam & imbuitionem ſive liquoris, ſive picis, aromatum, &c. vaſis interioribus factam, de qua videatur Rhod. *ad Scribon. n.* 135. & *in Lex. Incruſtatio* unius metalli ſuper aliud fit cum Mercurio vel ſalibus, & huc pertinent *Deauratio* & *Deargentatio*, de quibus ſuo loco. Jacobus le Mort *Metallurg. contr. p.* 272.

INCUBA, id eſt, *Sponſa Solis.* Rul. *in Lex.*

INCUBUS, *Incubo*, ἐφιάλτης. Vide *Ephialtes. Incubus* eſt nocturnus ſpiritus, illudens fallenſque mulieres in ſomno, ac ſi rem cum eo commiſcerent. Rul. & Iohnſ.

INCURABILIS, ἀνίατος, ἀνήκεστος, ἀθεράπευτος, idem, quod *inſanabilis*, dicitur vel de morbis; & dicuntur illi, qui vel ſimpliciter nullam, vel rariſſime & difficulter admittunt curationem, Libav. *Tom. III. Oper. p.* 123. Quomodo vero differant à *Lethalibus*, vide *in Dogm. noſtr. Med. Gen. P. II. cap.* 5. *d.* 12. *p.* 166. *ſeq.* Jungatur Nic. Turell. *Method. prædictionis p. m.* 444. Vel de partibus corporis ipſis, quarum generalem ſcopum Gal. eſſe dicit, à corpore reſcindere *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2. ſed fallitur. Nam dantur partes *incurabili* affectu laborantes, quas tamen non expedit reſcindere; ut ſunt humores quidam fungoſi, quædam ſtrumæ, & ſimiles excreſcentiæ &c. Vide *Inſanabilis.*

INCURIOSUS, *Incurius*, ἀμελής, dicitur, qui cogitationibus non indulget nimis, aut curis, homo levioris animi. De *Incuriis* notavit Helm. eos raro caneſcere *de Lith. c.* 9. *n.* 55. Econtra imaginando caneſcunt pili. *tr. Imago mentis n.* 40.

INCURSUS dicitur D. Laur. Bellin. Prof. Piſano arteriarum motus extrorſum, ſive dilatatio qua digitos prementis ferit, & κατ' ἐξοχὴν *Pulſus* vocatur. Opponitur *ſubductui*, de quo infra. In Operis nuperrime editi, *Membro II.* de *Pulſibus. p.* 72.

INCURVATIO, κύρτωσις, vide *Cyrtoſis.* Peculiarem ſpinæ dorſalis *incurvationem* lege apud Hildan. *C.* 6. *O.* 74. Penis *incurvatio* legitur apud Blaſ. *Med. Univ. p.* 334. Poteſt etiam vocabulum hoc in bonam partem ſumi pro operatione Chirurgica, quamvis uſitatius *Inflexio* fortaſſis vocetur.

INCUS, ἄκμων, hujus vocabuli propria ſignificatio ſpectat ad fabros metallorum &c. in qua etiam uſus Gal. explicando pulſus dicroti naturam, *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 17. Tropica vero ſignificatione uſurpatur ab Anatomicis, dum oſſiculum aliquod in aure interna *Incus* dicitur, quemadmodum & reliqua *Malleus* & *Stapes*, quibus additum legitur quartum à Sylvio inventum *Orbiculare*, Lindano *Cochleare* dictum; de quibus videatur Barthol. *Anat. libell. IV. c.* 7.

INDA-

INDARION, ἰνδάριον, nomen Collyrii, cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 7. citante Gorr.

INDEX, apud Latinos in Medicina duplici gaudet ſignificatione: 1. dicitur de *digito* proximo à pollice, qui & λιχανὸς & δεικτικὸς Græcis dicitur, Galen. *l. Introduct. c.* 10. Vide *Dactylos.* 2. uſurpatur de diebus qui futuram criſim prænunciant & veluti indicant, & Gr. dicitur ἐπίδηλος. Vide *Epidelos.*

INDICANS, δεικτικὸν, ἐνδεικτικὸν, in Medicina non ſolum ſignificat id, quod nocet, uti quidem plerique terminum hunc dum Gal. *de methodo medendi* intellexerunt, ſed debet applicari utrique methodo conſervandi & medendi. Eſtque nihil aliud, quam res ſecundum, vel præter naturam, monſtrans aliquid agendum eſſe Medico. Dividitur in *primarium* vel *eſſentiale*, quod nihil aliud eſt, quam cauſſa vel ſanitatis, vel morbi, & *ſecundarium*, quod conſtituunt accidentia utriuſque & alia attributa cauſſarum, vel ſubjecti. Plura petantur *e Dogmat. noſtris M. Gen. P. IV. c.* 1. *ſeqq. Indicans* quoque vel *Indicativum* idem eſt, quod *ſignificans* vel *ſignificativum*, & uſurpatur de ſignis Gr. δηλωτικὸν, Gal. *l. Ars medic. c.* 2. *&* 3. Vide *Deloo.*

INDICATIO, ἔνδειξις. Vide *Endeixis.*

INDICATOR muſculus vocatur Riolano digitum extendens. Barthol. *l.* 4. *anat. c.* 9.

INDICATUM, Gr. ἔνδειγμα, (quamvis communiter *indicium* ſignificet) opponitur *Indicanti*, & ad utramque methodum referri debet, nihilque aliud eſt, quam res juvans, ſive auxilium à Medico applicandum, cum pro conſervanda, tum pro recuperanda valetudine. Vid. *Dogm. Noſtr. d. l.*

INDICIUM, idem, quod *Signum*, σημεῖον. Vide *Semeion. Signum.*

INDICON, ἰνδικὸν, veteres Meneſtheus, Andreas, Chryſanes, Xenocrates & Dioſcorides Alexandrinus dixerunt *indicum* zingiber, alii vero per errorem hoc nomine piperis radicem denotarunt, ſed Dioſcorides Anazarbeus ab utroque diſtinxit. Junior vero γλωττίγχαφος plantam dixit piperi ſimilem, cujus fructus myrtidanum dicitur, ut rem explicat Galenus *in exegeſi Hipp.* præter vero hos ſignificatus plures accipit à medicinæ interpretibus. Vel enim (1) ſignificat ſpeciem piperis, uti plerique exponunt loca Hippocr. *l. de nat. mul. XXIX.* 112. *l.* 1. *de morb. mul. CXIX.* 12. *l.* 2. *XLVII.* 14. *LXV.* 14. *LXXXIV.* 8. Junge Foëſ. *Oecon. p.* 281. *ſeqq.* Vel (2) lignum, quod vel ipſum *Guajacum* aut *Sanctum*, aut ei prorſus ſimile habetur, de quo videatur ex Manardo Foreſt. *l.* 32. *obſ.* 7. *in Schol.* vide *Guajacum.* Vel (3) ſignificat materiam coloris cujuſdam, præſertim cœrulei, cujus duæ differentiæ à Dioſcoride *l.* 5. *c.* 107. aſſignantur: *Nativum Indicum*, quod tanquam ſpuma arundinibus *Indiæ* adnaſcitur. Hoc ſibi inexploratæ inventionis fuiſſe ſcripſit Plin. *l.* 35. *c.* 6. Vocatur ab *Ægineta Melan Indicum*; *Caſtelli Lexic. Med.* de quo etiam vide Fallop. *de Metall. ſ. Foſſil. c.* 34. *Tom. I. p.* 339. *Factitium alterum*, quod offerunt infectoriæ officinæ ſive tinctorum, & adhæret, vel innatat æreis cortinis, quam detractam artifices exiccant. Optimum eſt, quod cœruleum præbet colorem. Refertur inter medicamenta leviter adſtringentia & quæ ulcera purgant. Dioſc. *d. l.* Gorr. Alii vero ſuccum herbæ dicunt, qua nunc tinguntur panni, & vocatur *Glaſtum*, vulgo **Waid.** Rul. & Iohnſ. Roſ. vero Lentilius *in Miſcell. Medico-Practic. Part. I. p.* 204. *& Part. II. p.* 480. *ſeqq.* ſcribit: Indigo eſſe ſuccum inſpiſſatum vel maſſam cœruleum colorem exhibentem, & colore hoc alia tingentem e planta quadam peregrina Glaſto ſimili vel Iſatidi, quæ & Anil dicitur, teſte Brantino *in Pinac.* cannabiformi, cujus tam mobiles & volatiles acres ſunt particulæ & moleculæ aut effluvia, ut ovorum putamina penetrent, & albumen tingant, & propterea Indi colligendo Indigo & à quiſquiliis mundando deſtinati omnibus modis caput obvolvere pro oculis ſolum foraminibus relictis, & ſingulis horis lactis hauſtum ſumere neceſſe habeant. Tribuit etiam illi maſſæ vim antiſcorbuticam *ibidem.* Vel (4) dicitur de *lapide Indico*, qui ejuſdem cum *Hieracite* virtutis eſt, ſanguinem ſiſtentis, teſte Gal. *l.* 9. *de ſimpl. fac. Ægin. l.* 7. *c.* 3. Vel (5) *eſt* nomen *Balſami*, quod & *Peruvianum* dicitur, de quo videatur Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 375. Schroder. *in Clav. ad h. l.*

INDIFFERENS, ἀδιάφορος, epitheton eſt rerum non naturalium medio modo ſeſe habentium, quarum uſus ad ſanitatem, & abuſus ad morbos facere ſolet. Vide *Dogm. noſtra P. I. c.* 6. *d.* 2. *p.* 72. *Indifferenter* vivere idem eſt, ac abſque regimine & cautione vivere, genio ſuo indulgere. Scribon. *n.* 122.

INDIGENTIA, ἔνδεια, idem, quod *Defectus.* Vide *Endeia. Defectus.*

INDIGESTIO, *Indigeſtus*, ἄπεπτος, ὠμὸς, idem, quod *incoctio*, *incoctus*, *cruditas*, de quibus ſuis locis. Poteſt dici de alimentis, humoribus, & excrementis, quemadmodum de *coctione* dictum eſt.

INDIGNATIO, ἀγανάκτησις, eſt ſpecies iræ occultæ & intrinſecæ, cujus character eſſe ſolet σπριγάζειν, i. e. *frendere*, ſive labia fortiter comprimere, Gal. 1. *de artic. t.* 28.

INDIGNATORIUS muſculus dicitur is, qui oculum ad parvum angulum in latus abducit. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 8. *p.* 513.

INDIGO. Vide *Indicus.*

INDOLENTIA, ἀνωδυνία. Vide *Anodynia.*

INDORMIO, ἐπικοιμάομαι, idem, quod *obdormio*, vel quando alicui affectioni ſomnus ſupervenit. Hipp. 5. *aph.* 27. Dieter. *n.* 316.

INDUCTIO, ἐπαγωγὴ, à Latinis proprie ſumitur pro *inunctione* & *illitione.* Ita emplaſtra in aluam, linteum *induci* dicuntur. Accipitur etiam pro

impoſitione in partem corporis affectam. *Inducere* fronti, pedibus &c. Vide Rhod. *in Lexic.* Scrib. & Keuch. *in not. ad Seren. p. 90.*

INDULGENTIA, χάρις, idem, quod *gratia*, Rolf. *O. ac Med. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *cap.* 28. Vide *Charis.* De *indulgentia* parentum noxia lege Linden. *Ex. I.* §. 28. 29.

INDURANS, σκληρύνων, σκληρωτικὸς, dicitur de quibuſdam medicamentis, quæ ſunt frigidæ naturæ vel temperamenti, cum defectu caloris & fermentabilitatis, Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 10.

INDURATUS, idem, quod *Duratus*, σκληρυνθεὶς, vide *Duratus. Indurata* σκληρυσμοὶ, σκληρύσματα, vocantur & σκιῤῥούμενα, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 7. Vide ſupra *Duritia.*

INDUS, ἰνδὸς, idem, quod *Indicus.* Paronymicum à regione *India*, eſtque epitheton quorundam medicamentorum. Ita Pilulæ Indæ Haly vocantur valide purgantes, quarum deſcriptio habetur in Diſpenſatoriis, & meminit etiam Foreſt. *d. l.* item *Emplaſtrum indum* Tharſei Chirurgi, apud Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 13.

INDUSIUM, χιτωνίσκος, ſtricte ſignificat linteum vel lineum indumentum, quod nudo corpori induimus. Talia in ægris mutare, nonnulli diſſuadent, alii commendant; de qua controverſia & legatur Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 2. *c.* 3. & Caſp. Rejes *C. El. quæſt.* 82. *n.* 10. 11. *Induſia* in mures mutata notavit Helm. *tr. Imago Ferm. impr. n.* 9. *Induſium* etiam in fœtu fœminino vocatur *Tunica Amnios* corpuſculo obvoluta & una in partu excluſa. Valleſ. *l.* 5. *de H. C. F. c.* 17.

INEBRIO, μεθύσκω, h. e. ebrium facio. Eſt autem nihil aliud *inebriare*, quam caput ferire, deliria progignere, κεφαλὴν πληρῶν καὶ παραφροσύνην ἐργάζεσθαι, uti vivis coloribus deſcribit Galen. *c.* 3. *de R. V. I. A. t.* 1. *ſeqq.* An liceat per menſem ſemel *inebriari* ſanitatis cauſſa? rectiſſime quæſtionem negative ſolvit Lentil. *d. l. P. II. p.* 675. cum non ſint facienda mala, ut inde eveniat bonum, præſertim cum & bonum hoc incerti prorſus ſit eventus? Quare rectiſſime ſcripſit Linden. Turpe eſt *inebriari* nocte: turpius die: turpiſſimum mane. *Ex. X.* §. 295. Quid? quod Paracelſ. odorem *inebriativum* cauſſam caduci ſeu epilepſiæ citra veritatis jacturam ſtatuerit *tract. h. tit.*

INEDIA, ἀσιτία, eſt abſtinentia à cibo & potu. Poteſt etiam vocari ὀλιγοσιτία. Nam vel totalis, vel partialis *abſtinentia* comprehenditur hoc vocabulo. Pertinet inter Res Medicas non naturales, quamvis Galen. *l. de V. S. adv. Eraſiſtratum c.* 9. e numero rerum exiſtentium excludat, ſcil. Phyſicarum. Favere poteſt ſanitati promovendæ, & morbis gignendis, Rolfi k. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 72. *& l.* 18. *ſ.* 1. *c.* 5. *&* 6. Extremam *inediam* ſeptem dierum ὡς τὸ πολὺ judicat Linden. *Ex. XIII.* §. 238. *ſeqq.* Dari tamen & miraculoſas ſive prodigioſas *inedias* multo longiores, crediderunt nonnulli Clariſſimi in arte Medica Viri, v. g. Lang. *l.* 2. *ep.* 27. Hildan. *Cent.* 2. *Obſ.* 40. *&* 41. *& c.* 3. *Obſ.* 85. *Cent.* 5. *Obſ.* 33. Caſp. Rejes *C. El. q.* 58. quas tamen ad unum omnes & ſimiles ceu omnino fictas & ementitas rejicere non veritus eſt D. Velſchius *Ephem. N. Cur. A. III. Obſ.* 35.

INEPTUS, *ineptitudo*, ἀνεπιτήδειος, ἀνεπιτηδειότης, in genere ſignificat naturalem *impotentiam*, vel ἀδυναμίαν. Sub ſe vero multa comprehendit. Hinc rectiſſime Linden. ſcripſit *Ineptum*, quod eſt alienum à re, à perſona, cauſſa, loco, tempore, modo, *Ex. XI.* §. 123. Gr. dicitur ἄτοπον. Et *ineptus riſus* Melancholicorum proprius vocatur à Seren. *cap. de ſplene curando.* Vid. Keuchen. *in Not. p.* 178. Gr. ἄκαιρος, *intempeſtivus.*

INERTIA, in genere idem, quod *ignavia.* Proprie tamen *imperitiam* in aliqua arte ſignificat. Græce ἀτεχνίη. Vide *Imperitia.* Hanc recte temeritatis nutricem & matrem vocavit Hipp. *in Lege III.* 14.

INESIS, *Inethmos*, ἴνησις, ἰνηθμὸς, idem, quod κένωσις, & *vacuationem* ſignificat à verbo ἰνέω, *vacuo*, quod legitur apud Hipp. *l. de L. H. XXXIIX.* 11. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXII.* 17. quemadmodum & ἰνηθμὸς legitur apud eundem *l. de Loc. in hom. XXX.* 13. *XLIV.* 6. *XLV.* 3. 8. *L.* 14. Junge Foëſ. *p.* 282. Erotian. *Onom.* ἴνησις κάθαρσις λέγεται in ὑπερινωμένος.

INEXERCITATUS, ἀγύμναστος, idem, qui *otioſus*, *piger*, qui corporis quieti nimis vacat. Galen. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 2.

INEXPERTUS, idem, qui *Imperitus*, ἄπειρος.

INFANS, apud Latinos lata gaudet ſignificatione. Complectitur enim & fœtum humanum in utero bimeſtrem, trimeſtrem, &c. & Græce vocatur Hipp. νήπιον, 4. *aph.* 1. *&* 3. *Epid. ſ.* 2. *t.* 7. *&* 8. ubi vide. Galen. *comm. ad h. l.* Adde Dieter. *n.* 570. C. Rejes *C. El. q.* 55. Communiter tamen ſumitur de recens natis uſque ad illud tempus, donec incipiant ſermone uti. Hæc enim videtur vocis derivatio à non fando. Et Gr. dicitur παιδίον, quamvis hoc vocabulum Dieter. ad primum ſeptennium uſque extendat *n.* 643. De ſanitate tuenda infantum conſule Gal. *l.* 7. *de ſan. tu. c.* 7. *ſeqq.* Spagyricorum *infans*, qui dicatur in magiſterio Lapidis Philoſophici, & quomodo per imbibitionem nutriatur, legatur Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 8. *& Alchymiæ Pharmaceut. c.* 7.

INFARCTUS, ſubſtantive & adjective, ἔμφραξις, ἐμφρακτος. Vide *Emphraxis*, *Emphracticos*, *Emphragma.*

INFECTIO, homonymum eſt vocabulum. Vel enim idem eſt, quod *tinctus* vel *tinctura*, Gr. βαφή. Unde *Ars infectoria*, ſive *tinctoria* vocatur. Et *infectores* ſunt iidem cum *tinctoribus.* Scribon. *num.* 57. Rhod. *in Lexic.* Vel quod Medicis uſitatius, convenit cum *contagio*, & denotat μίασμα, malignum & venenatum, de quo ſupra. Vide *contagium. Infectum corpus* legitur apud Scribon. *n.* 185. De differentia inter

inter *infectionem* peſtis & *Infectionem* Medicam cui placet legere, videat Parac. *l.* I. *de peſte. c.* I. Materia *infectionis* dicitur & inquinamentum, inquinabulum, impreſſura apud Severin. *l. de nov. obſ. abſceſſ. c.* 23. & alibi.

INFELIX lignum ſambucum vocant, Laur. *l.* 27.

INFERIOR, vide *Cato.*

INFERNUS, ᾅδης. Vide *Orcus.*

INFERVEFACIO, h. e. in aliquo vaſe fervefacio. Aliquoties legitur apud Scrib. *num.* 39. 55. 153. 271. Item *Infervesco*, *n.* 37. 188. *&c.* Vide *Lex.* Rhodii *Scribonian.*

INFESTO, ἐνοχλέω. Vide *Enochleo. Infeſtare* dicitur, quod aliquem vel adoritur vehemente impetu, velut feſtinans in perniciem ejus, vel opprimit mole turbationum. Linden. *Exerc. XVI.* §. 45.

INFIBULATIO, ἀγκτηριασμὸς, vide *Ancteriaſmos.* Adde Mercurial. *V.* L. *l.* I. *c.* 19. Plura de *Infibulationis* ratione varia Rhodius *de Acia* paſſim.

INFIDUS, ἄπιςος, dicitur de ſignis *incertis*, Gal. 2. *aph.* 27.

INFIMUS. Vide *Imus.*

INFINITUS, ἄπειρος, idem, quod *Immenſus*, Epitheton doloris apud Scribonium *n.* 190. 194. Rhod. *in Lex.*

INFIRMARIUS, νοσοκόμος, vocatur *infirmorum curator*, quemadmodum & locus, ubi infirmi curabantur, *Infirmarium* & *Infirmatorium* dicitur, teſte Dieter. *n.* 655. *ferme circa fin.*

INFIRMITAS, *Infirmus*, ἀῤῥωςία, ἀσθένεια, ἀσθενὴς, ἄῤῥωςος. Vide *Arrhoſtia*, *Aſtheneia.* Nullum hominem fuiſſe, qui omnes partes corporis ſimul *infirmas* habuerit, aſſerit Galen. *l.* 2. *de L. Aff. c.* 7. Omnibus morbis obnoxia *infirmitas* dicitur Lind. *Ex. XIII.* §. 366.

INFIXUS, καταπεπαρμένος, à καταπείρω, transfigo. Dicitur de feſtucis & aliis, quæ membris *infigi* poſſunt, & opus habent extractione, vel manu, vel medicamento, Galen. *l.* I. *de fac. Nat. c.* 14. Dolor *infixus*, ὀδύνη, ἐρείδουσα, deſcribitur à Galen. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 5. *circa fin.*

INFLAMMATIO, φλεγμονὴ, φλόγωσις, accipitur late & ſtricte: late ſignificat omnem immoderatam caliditatem, etiam momentaneam, abſque tumore, quæ alias φλόγωσις dicitur, qualis etiam in ſcorbuticis frequens eſſe ſolet. Vide *Phlogoſis.* Stricte vero ſignificat tumorem vehementer calidum p. n. in partibus carnoſis & ſanguineis, cum rubore & dolore, provenientem à ſanguinis fervidioris & impetuoſius affluentis meatuumque minorum ordinem turbantis collectione & ſtagnatione. Græce dicitur φλεγμονή. Nulla *inflammatio* magna eſt abſque febri. Dividitur in internarum & externarum partium *inflammationem.* Illæ ſunt plerumque eryſipelaceæ, & facile malignitatem contrahunt. Diſtinctio quoque frequens in *legitimam*, quæ à ſanguine ſincero copia ſolum peccante oritur, & *ſpuriam*, quæ à ſanguine heterogeneo, vel bilioſo, vel ſeroſo, vel crudo provenit. Plura videantur apud Dieter. *n.* 905. Linden. *Ex. IV.* §. 23. *ſeqq. multis. Ex. XVI.* §. 46. *ſeqq.* ut & *in Chirurgicis* Aquapendentis, Hildani, Barbette, aliorumque *ſcriptis.*

INFLATIO, ἐμφύσημα, ἐμπνευμάτωσις, vide *Emphyſema*, *Empneumatoſis.*

INFLATIVA *Medicina*, vel materia Medica dicitur, in cujus ſubſtantia dominatur groſſa humiditas extranea, in quam cum egerit caliditas, generatur inde ventoſitas, quæ non diſſolvitur. Tales ſunt Phaſeoli, &c. Avic. *Libr. de virib. cord. tract.* 2. *c.* I.

INFLEXIO, καμπὴ, idem, quod *flexio.* Vide *Campe. Flexio.*

INFLUENS, epitheton caloris nativi vitalis ad differentiam inſiti vel innati, & intelligitur ille calor, qui mediante ſanguine à corde diſtributo corpori ejuſque membris communicatur & influit, uti præter alios expoſuit etiam Pompejus Caimus *de Calid. innat. c.* 5.

INFLUENTIA, ἐπιῤῥοὴ, idem, quod *influxus*, atque dicitur non ſolum de humorum motu in aliquam partem: Ita ſanguinis *influxus* omnis fit à corde per arterias, Linden. *Ex. IX.* §. 47. ſed etiam de virtute quadam occulta à corporibus cœleſtibus, vel ſideribus deſcendente, & ſeſe inſinuante, à qua varios effectus dependere nonnulli ſtatuunt. Gr. enim ἀπόῤῥοια vocatur. Ruland. & Iohnſ. ita deſcripſerunt: *Influentia* naturalis eſt ea, quam *infundunt* aſtra ſuperiora firmamenti ex naturali præſcripto in hæc inferiora, quibus gubernant ac regunt per inclinationem in hominibus, brutis, aliisque & per vires & efficacias etiam in inſenſatis. Helmont. per actionem quandam Regiminis hactenus ſcholis ignoratam expreſſit, quæ ſpirituum abſtractorum inſtar propemodum in ſibi ſubſtrata objecta operatur; eſtque nihil aliud, quam connexitas ſtellarum, concitandi Gas inferum, juxta leges directionum ab omnipotente datas & fixas, *tr. Aſtra neceſſit. &c. n.* 15. Plura de *Influentiis* Stellarum vide apud Schroder. *l.* I. *c.* 9. Verum alii hunc aſtrorum in inferiora *influxum* commentitium, falſum, & propterea rejiciendum cenſent; inter quos eſt Lind. *Ex. XI.* §. 187. Fr. Hofm. *in Clavi ad d. Schroder. loc.* & inter Phyſicos Dn. Sturmius *in Part. Spec. Coſmicæ Scientiæ*, qui, excepto ſole & luna, reliquis aſtris ſive fixis, ſive planetis nullam concedit *influentiam.* Nobis placet ἐπέχειν. Legatur & de hac controverſia Caſp. Rejes *Camp. El. q.* 34. *n.* 24. *ſeqq.*

INFLUXUS, vide *Influentia.*

INFOECUNDUS, ἄγονος, idem, quod *Sterilis.* Vide *Sterilitas.*

INFRA; κάτω. Vide *Cato.*

INFRASPINATUS, epitheton Muſculi ſcapulæ partem externam & gibbam totam tegentis, qui creditur brachium ad exteriora, agere retrorſum, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 2. *p.* 563. Dicitur & *Supraſcapularis inferior*, ad differentiam ſupraſcapularis ſuperioris, qui & ſupraſpinatus appellatur, de quo *ſuo loco.*

INFRIGIDANS Galeni, alias ceratum roſatum, Maſſ. *de febr. c.* 28.

INFRIGIDATIO, *Infrigidans*, idem, quod *Refrigeratio*, *Frigefactio*, κατάψυξις, ψύξις, ψύγμα. Vide *Catapſyxis. Frigefactio. Frigefaciens.*

INFUNDIBULUM, χοάνη. Vide *Choana. Infundibulum* eſt vas metallicum, oblongum, cum manubrio, interius excavatum, liquata metalla recipiens, & in virgas vel baculos conformans, Ruland. & Iohnſ. *in Lexic. Infundibulum* argenteum pro cibo & potu deſcripſit cum applicatione Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. X. fig.* 11. *& Tab. XXXII. fig.* 8. In Anatomicis *Infundibulum* quoque vocatur ſinus renum medius, ad quem materia urinæ colligitur: Alias *Pelvis;* item *incerniculum* appellatum. Veſling. *Syntagm. Anatom. cap.* 5.

INFUSIO, *Infuſum*, ἔγχυτον, ἔγχυμα. Vide *Enchyton. Enchyma.* Accipitur duplici modo: Late & ſtricte, & rurſus concrete & abſtractive. In lata ſignificatione concreta complectitur omnia medicamenta intus vel foris applicanda, quæ citra coctionem certo tempore in liquore macerantur, ſive poſtea ſequatur coctio, ſive non, de quibus vide Weker. *Antidot. gen. lib.* 1. *c.* 15. Blaſ. *Medic. Gener. P. II. l.* 7. *ſ.* 2. *ſubſect.* 4. *c.* 1. & alii. Deſcribi poſſunt *Infuſa*, quod ſint extracta liquida corporum ſolidorum utplurimum præſenti uſui dicata. In lata abſtracta ſignificatione denotat modum *infuſionis* parandæ legitimum, qui videri poteſt apud Weker. *d. l. lib.* 3. *c.* 12. Fr. Hofmann. *in Clav. Schr. l.* 2. *c.* 63. Blaſ. *d. l. &c.* Stricte accipitur in concreto vel pro *Infuſione* laxativa, vel purgante. Schroder. *l.* 2. *c.* 63. Anonym. *Sylv. Med. cap.* 9. Vel pro *Clyſteribus*, Lind. *Ex. XIII.* §. 362. *ſeqq.* In abſtracto *Infuſio* modum non ſolum ſignificat dictorum *Infuſorum*, qui in citatis Autoribus & locis videri poteſt; ſed etiam adhuc alium peculiarem & novum, quo liquor medicamentoſus in venam corporis apertam infunditur, unde & *ars infuſoria & clyſmatica nova* audit, hujuſque meminit aliquoties Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 8. *ſ.* 2. *c.* 30. *l.* 11. *ſ.* 3. *c.* 11. *l.* 11. *l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 30. Ephem. Nat. Curioſ. *Ann. I. Obſ.* 149. Joh. Dan. Major. *Invent. Med. I.* Etmüller. *Diſſ. de Chir. infuſoria*, quæ tamen curandi ratio hodieque fere rurſus exoleſcit.

INGENITUS, idem, quod *Innatus*, ἔμφυτος. Vide *Emphytos.* Inter curas ægritudinum æruginoſarum, ſive Luis Venereæ, quas Paracelſus proponit *l.* 7. *de morb. Gallico c.* 11. ſexta eidem vocatur *cura ingenita*, quæ pertinet ad verrucas, & fungoſas excreſcentias.

INGENIUM, Græcis idem, quod *Natura*, φύσις. Nam pro varietate naturarum variant & *ingenia*, Gal. *l. de cogn. & cur. an. morb. c.* 7. Linden. *Ex. I.* §. 14. Quid Hermes Triſmegiſtus in Tabula ſua Smaragdina intelligat per *magnum ingenium*, expoſuit Ger. Dornæus *in Phyſica Triſmegiſti*, dicens, denotare ſummam diligentiam & induſtriam eſſe adhibendam in applicatione ignis ad opus illud ſecretiſſimum. *Vol. I. Theatr. Chym. p.* 382.

INGERENDA, προσφερόμενα, idem quod *aſſumenda* per os, h. e. alimenta. Et *ingeſtio* idem notat, quod *aſſumtio per os.* Vide Gal. 3. *de R. V. I. A. t.* 22.

INGLUVIES, ἀκολασία τῆς διαίτης, ἀπληστία, idem, quod *victus intemperantia*, inſatiabilitas, Galen. 6. *aph.* 28. Cauſſa eſt plurimorum morborum à cruditatibus dependentium; ita ut morbi & ægritudinum pericula e culinis exeant, Caſp. Rejes *C. El. q.* 25. *n.* 16. *& q.* 88. *n.* 280. Helmont. matrem vocat trium peccatorum ſanguinis, abundantiæ, ſtagnationis, & heterogeneitatis, *tract. Retenta. Ingluvies* quoque vocatur ventriculus ille membranaceus in volatilibus, vernacule *Struma* dictus, in quo recipiuntur alimenta per os ingeſta. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 9.

INGRAVIDATIO, idem, quod *Impraegnatio. Ingravidationis* factæ abſque immiſſione membri virilis obſervationem vide *in Ephem. N. Cur. An. III. Obſ.* 273. Vide *Impraegnatio.*

INGREDIENTIA, vocantur medicamenta ſimplicia, interdum & compoſita, quæ in formula remedii compoſiti, quam receptam vulgo vocamus, præſcribuntur.

INGRESSIO, *Ingreſſus*, βάδισις, late idem eſt, quod *ambulatio*, quæ fit, quando alterutrum crus per vices & firmatur & movetur, Hipp. 3. *de artic. t.* 73. Vide *Ambulatio.* Stricte accipitur de acceſſu Medici ad ægros. Ita Claudin. egregium libellum ſcripſit *de Ingreſſu ad infirmos.* Tropice ſumitur de cauſſa Ilei, quando dicitur eſſe *Ingreſſus* inteſtinorum mutuus. Linden. *Ex. IV.* 44. id eſt, inſinuatio, duplicatura. *Ingreſſio* Spagyrica eſt nutritio, conjunctio, ſubmerſio. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 751. 764.

INGUEN, βουβών. Vide *Bubo.*

INHABITATIO, ἐνοίκησις, Phyſiologice tropico tamen ſignificatu dicitur à recentioribus quibuſdam unio animæ rationalis cum corpore organico, mediante ſpiritu animali ſubtiliſſimo, per totum corpus noſtrum expanſo, cui anima veluti lumen inhabitat, quo ſpiritu expirante anima quoque exſpirat, & ſecedit. Verum conſiſtit hæc res in meris conjecturis.

INHIBITIO, ἐπίσχεσις, idem, quod *cohibitio*, ſuppreſſio. Vide *Epiſcheſis.*

INHUMATIO, vocatur digeſtionis vel putrefactionis ſpecies, quæ fit ſub fimo equino, aut abſcondendo in terram. Rul. *in Lex.* Vide & *Th. Chym. Vol. VI. p.* 563.

INJACULATIO, eſt terminus Helmontianus,

notatque

notatque acerbum ſtomachi dolorem ſpaſmodicum; in quo motus quoque corporis aufertur, & affectus Tetano ſimilis videtur, quem Belgæ ruſtici *Geſchot* vocant tanquam à ſagis immiſſa, *tr. Jus Duumviratus n.* 20. *Injaculata* quoque vocantur, quæ *Injecta.* Vide *Injectio.*

INJECTIO, accipitur diverſimode. Communiter pro infuſione facta in aliquam cavitatem. Et ita idem eſt, quod *enema*, ἔνιμα, *clyſter.* Ita *Injectiones* penis, uteri, Schroder. *l.* 2. *c.* 41. Foreſt. *l.* 26. *Obſ.* 2. Vide *Clyſter. Injectio* in nares, Scrib. *n.* 10. 46. Vel pro faſciæ applicatione ſive *Faſciatione*, Gal. *de faſciis.* Quid Græcis εἰσβολὴ ſignificet, vide ſupra *Eisbole. Injecta materialia* Helmont. vocat, quæ materiam ſupponunt viſibilem, inviſibili tamen modo corpus intrant, & inſenſibiliter injaculantur, ut ſunt, ſpicula, ſpinæ, aciculæ &c. Vocantur & *Injaculata.* Quem modum non à præſtigiis diabolicis ſemper dependere, conatur demonſtrare idem *tract. de Injectis materialibus*, & *Injaculatorum modus intrandi.* Verum an ſatis firmiter demonſtraverit, merito dubitatur.

INIMICUS, πολέμιος, idem, quod *adverſus.* Nimium omne dicitur naturæ *inimicum*, Hipp. 2. *aph.* 51. vide Dieter. *num.* 703. *Inimicitia mutua* nihil aliud eſt, quam *Antipathia*, de qua ſupra lit. A.

INION, ἰνίον, id eſt, *occiput*, quod eſt poſtica capitis pars, ita dicta ἀπὸ τῶν ἰνῶν, quod ob copiam tendinum fibroſa & nervoſa eſt. Terminatur ſutura lambdoide. Alii poſteriorem cervicis partem eſſe volunt. Meminit Hipp. 3. *aph.* 26. Adde Dieter. *n.* 406. Foëſ. *Oec. p.* 283. Barthol. *l.* 3. *Anat. in proœm.* deſcripſit, quod ſit pars capitis poſterior ab initio ſuturæ lambdoidis ad primam cervicis vertebram. Jung. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 8. §. 17. Hoc occipitium ad præſervandam ab epilepſia Florentiæ omnibus pene infantibus poſtquam menſem jam egerunt, fuiſſe inuſtum, teſtatur inter alios Jacob. Truncon. *de cuſtod. puer. ſan. tr.* 4. *c.* 13. *p. m.* 201. *ſeqq.* Ab occipite vocantur etiam *Nervi occipitales*, à Gothofr. Bidloo, quos delineatos exhibet *Tab. IX. fig.* 2. & 3.

INITIATUS, *Initiatio*, τελετής, τελετή, dicitur de ſolemnitate quadam feſtivali præſertim in Gentilium feſtis Eleyſiniis, de qua legatur C. Hofmann. *Com. ad Gal. LL. V. P. n.* 482. *ſeqq.* Transfertur vero ſæpe ad alias ſolennitates. Ita Medici *initiatio* fit mediante Jurejurando Linden. *Exerc. III.* §. 23.

INITIUM, ἀρχὴ, idem, quod *Principium*, de quo infra in *Pr. Initia* quoque vocantur extrema in filo aut faſcia, Gal. 2. *de iis, q. in medic. l.* 8. *Initia* corporum omnium naturalium duo ſtatuit Helmont. Elementum aquæ, quod eſt *initium* ex quo, & fermentum, ſive *initium* ſeminale per quod, id eſt, diſpoſitivum, *tr. Cauſſæ & Initia Naturalium n.* 23. In opere lapidis Philoſophici ſpagyrico *initium* eſt corruptio, finis vero generatio. Ger. Dorneus *tr. Artific. ſupernat. c.* 7. *Initiatrix*; προκαταρκτικὴ, id eſt, *Cauſſa procatarctica*, Gal. *l.* 6. *de L. A. c.* 4.

INJUCUNDUS, ἀηδὴς. Vide *Aedes.*

INJURIA, ἀδικία, quid ſignificet proprie, notum eſt. Talem ſæpius Medicus perpeti cogitur ab ægris & adſtantibus; & omnino præſtat generoſo contemtu vindicare. Accipitur vero haud raro *Injuria* pro mala affectione, v. g. *Injuria* aëris, *Injuria* oculorum, dentium. Rhod. *in Lex. Scrib.*

INNATO, ἐφίσταμαι. Vide *Ephiſtamæ.*

INNATURALIA, vel *Supernaturalia*, corpora ſunt ea, quæ concipiuntur animo duntaxat. Inde factum, ut quandoque loquatur quis: Mihi videre videor hominem, præ oculis, qui tamen plus ducentis milliaribus abeſt, vel aliquando vita functus eſt ante viginti annos. Iohnſ. *in Lex.* Summa, ſunt *Entia rationis.*

INNATUS, ἔμφυτος, vide *Emphytos*, idem, quod *Nativus.*

INNOMINATUS, ἀνώνυμος, dicitur de omni eo, quod laborat ἀπορίᾳ τοῦ οἰκείου ὀνόματος, defectu proprii nominis. Ita oſſa *Innominata* vocantur, quæ oſſi ſacro adjacent ad latus, quorum tria numerantur, & quodlibet nomen habet proprium, conjunctim vero ſumta carent nomine proprio. Ita & *Cartilago Cricoides*, vulgo *innominata* vocabatur, quia antiquis abſque nomine, baſis eſt reliquarum cartilaginum. Gal. *l. de vocal. inſtr. diſſ. c.* 4. Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 11. *Innominatus* quoque *morbus* in ſpecie hic dicebatur, qui medio loco inter lethargum & phrenitin collocatur, in quo ægri connivent oculis, ſomnolenti ſtertunt &c. Gal. *l. de pulſ. ad tyron. c.* 11. Vide *Coma vigil.*

INNOVATIO, νεωτεροποιία, idem, quod *novatio*, à verbo νεωτεροποιέω, *innovo*, novum quid molior, quo uſus Hippocr. 1. *aph.* 20. Abſit vero à Medico omnis vitioſa *novatio*, quamvis lucroſa, qua augere & extrahere ſolent morbos eorumque curationem lucripetæ, ut inde burſæ ære graviores fiant. Dieter. *n.* 569. Profecto res hæc non caret periculo, & lædit conſcientiam, Chirurgaſtris tamen noſtris non adeo infrequens.

INNUENS, ἐπινευκὼς. Vide *Epineucos.*

INOCULATIO, ἐνοφθαλμισμὸς, ſignificat in Horticultura inſitionis ſpeciem, quando ſurculus vel ſolum gemma alicujus arboris in aliam artificioſe inſeritur, de qua Theophraſt. *l.* 2. *Hiſt. plant.* quæ ſignificatio non eſt hujus loci. Verum Inoculationem quoque vocavit Charltonus mutuæ conjunctionis nervorum vagiparis cum aliis ſpeciem, *Oecon. Anim. Exerc. X.* §. 18.

INOPINUS, *Inopinabilis*, παράλογος, & adv. παραλόγως, *inopinato*, dicitur de accidentibus & eventibus, ſive ſec. ſive præter naturam, quæ morbis ſuperveniunt & mutationem aliquam inferunt, quibus minus fidendum eſſe docet Hipp. 2. *aph.* 27. Junge Dieter. *num.* 650.

INOSCULATIO, ἀναστόμωσις, dicitur mutua vaſorum diverſi, vel etiam unius generis connexio. Latine etiam

etiam Anaſtomoſis uſurpatur & utraque legitur apud D. Bohn. *Circ. Anat. Prog. VI. p. m.* 107.

INORDINATUS, ἄτακτος, ἄτυπος. Vide *Ataxia.*

INPINGUEDO porci, coſta herba in phthiſi ſingularis. Joach. Camerar. *Hort. medic.* 13.

INQUIETATIO, *Inquietudo*, *Inquies*, ἀλύκη, ἀλυσμός. Vide *Alyce.* Gal. *c.* 2. *in* 1. *Prorrhet. t.* 27.

INQUISITIO, ζήτησις, item *Indagatio*, *Inveſtigatio.* Hæc ſi in ulla alia, certe in Medicina ſumme neceſſaria eſt, præſertim cum non omnia ſenſui & intellectui ſint manifeſte obvia, ut non indigeant *inquiſitione* ex Gal. *l. de opt. dic. gen. fere circa fin.* Neque etiam tanti putare oportet auctores, vel autoritatem, quamvis de publico meritiſſimorum, cujus reverentia abſterreamur ab *inquiſitione veri* atque *utilis. Veri* quidem propter utilitatem: *utilis* vero propter ſanitatem. Quo plenior enim & certior eſt noſtra de rebus cognitio, tanto majore ipſis cum fiducia atque ſecuritate utimur, verbis elegantiſſimis Linden. *Ex. XI.* §. 6.

INSALUBRIS, νοσερός, νοσώδης, idem, quod *morboſus*, *æger*, *ægrotus.* Applicatur vero diverſimode omnibus rebus p. naturaliter ſeſe habentibus, ſubjecto, cauſſis, accidentibus, ſignis, uti patet ex Galen. *Art. Medic. c.* 3. 4. 5. *ſeqq.* Junge Oddi de Oddis *Commentar. ad Gal. h. loc.*

INSANABILIS, ἀνίατος, idem, quod *incurabilis.* Vide paulo ſuperius. Quibus addi poteſt, quod *inſanabilitatis* eſſentia in hoc conſiſtat, quando videlicet morbus ſuperavit vim corporis, verbis Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 22. allegante Linden. *Ex. XII.* §. 64.

INSANIA, παραφροσύνη, idem, quod *delirium*, *inſipientia*, *dementia*, *mania.* Vide *Delirium.* Nomen *inſaniæ* mentis ſignificat ægrotationem, & morbum, i. e. *inſanitatem*, & ægrotum animum, quam appellarunt *inſaniam*, verbis Ciceron. 3. *Tuſcul.* 4. citante Dieter. *n.* 653. Paracelſus ſtrictiorem commentus eſt *inſaniæ* acceptionem, diſtinguens inter *lunaticos*, qui delirant ex motu & influxu *lunæ*; *inſanos*, qui hæreditarium malum & à prima nativitate contraxerunt; *veſanos*, qui per venenata alimenta infecti in delirium incidunt; *melancholicos*, qui ex intrinſeca vitioſa humorum & ſpirituum diſpoſitione vitioſa corripiuntur mentis alienatione; & *obſeſſos*, qui à diabolicis inſultibus infeſtari delirant, *de morb. Amentium Tract.* 1. *c.* 5. *Inſaniæ* labem communicari poſſe in poſteros, confirmat quoque Helmont. *tract. de Conceptis.*

INSATIABILITAS, ἀπληστία. Vide *Apleſtia.*

INSCITIA, ἄγνοια, ἀμαθία, ἀνεπιστημοσύνη, idem quod *Ignorantia*, (quamvis Gal. inter ἀνεπιστημοσύνην & ἄγνοιαν, aliquod diſcrimen ſtatuat *l.* 7. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 2. quod huc non pertinet) quid ſignificet, notum eſt. Extremus gradus *inſcitiæ* eſt, quando quis ea, quæ in vulgus nota ſunt, ignorat, judice Gal. *cap.* 3. *in* 6. *Epid. t.* 28.

INSECTILIS, ἄτομος. Vide *Atomus.*

INSECTUM, ἔντομον, (particula *in* poſitive non privative ſumta) eſt nomen animalis plerumque exanguis, imperfectioris aliis, variis inciſuris aut annulis præditi, & commiſſuris inſigniti, cujus ſpecies multifariæ habentur, quas deſcriptas videre licet in Ul. Aldrov. *integr. Tom.* 3. *de Inſectis.* Jungatur e noviſſimis Joh. Schwammerdamii *Hiſtoria Inſectorum generalis*, cujus etiam fit mentio *in Actis Erudit. Lipſ.* 1685. *Inſecta* etiam diviſa vivere, & cur? demonſtravit Caſp. Rejes *C. El. q.* 31. *n.* 3. *ſeqq.* Aëre nutriri, teſtatur Obſervatio *in Eph. Nat. cur. An. I. O.* 120.

INSENSIBILIS, duplicem obtinet ſignificationem. Vel enim Græce vocatur ἄδηλος, i. e. *occultus*, minus evidens; vide *Adelos*: vel notat ſtupidum, & ſenſationis expers, & Gr. dicitur ἀναίσθητος. Vide *Stupor.*

INSEPARABILIS, ἀχώριστος. Vide *Achoriſtos.*

INSERTIO, σύμφυσις, ἔνωσις, in Anatomicis denotat conjunctionem arctam & inſinuationem vaſorum, fibrarum, membranarum in aliam partem. Unde & ſeptem oculorum tunicæ *inſertiones* vocantur Galen. *l.* 10. *de V. P. c.* 2.

INSESSIO, ἐνέδρα. Vide *Enedre.* Sumitur & apud Latinos pro *vaporario* & balnei ſpecie, & Gr. dicitur ἐγκάθισμα, de quo Morell. *l.* 2. *formul. rem. ſ.* 1. *c.* 4. Vide *Encathiſma.*

INSIDENTIA, ἐπίστασις, dicitur, quod *inſidet*, aut ſupernatat urinæ; cui opponitur ὑπόστασις, *ſubſidentia.* Vide *Epiſtaſis.* Dieter. 324.

INSIDIANS, λοχῶν, epitheton morborum clandeſtinorum ſeu clam cum vehementia infeſtantium, quod tamen ceu ineptum improbavit Gal. *c.* 1. *in* 3. *Epid. t.* 8. Verum an ſatis firma ratione, alii videant.

INSIPIDUS, ἄποιος. Vide *Apoeos. Inſipida* magis nutrire, quam acria & amara, docet Galen. *lib.* 2. *de Al. fac. c.* 64.

INSIPIENTIA, idem, quod *Deſipientia*, *Dementia*, *Inſania*, Gr. παραφροσύνη. Legitur apud Hildan. *Centur. Ep.* 41. de *inſipientia* à purgantis fortioris uſu inducta. Alias *inſipientia*, quandoque pro affectata ignorantia accipitur, & Gr. ἀνεπιστημοσύνη dicitur. Vide *Inſcitia.*

INSOLATUS, εἰληθερής, i. e. *à ſole calefactus*, Gal. *l.* 8. *meth. med. c.* 2. Vide *Elietheres.*

INSOLENS, ἀσυνήθης, idem, quod *Inſuetus*, *Inſolitus.* Vide *Aſynethes.*

INSOMNIA. Pacuv. Vigilia, Charis *de differentiis vocum.*

INSOMNIS, ἄγρυπνος, i. e. qui *vigilat* intempeſtive & p. n. Ita tumultus, canes latrantes, & nuncii triſtes reddunt homines *inſomnes*, Gal. *de Art. med. conſtit. c.* 18. Vide *Vigiliæ.*

INSOMNITAS idem eſſe videtur, quod *Pervigilium* h. e. ſomni privatio, ceu in omnibus diſpoſitionibus malum. Avic. *l.* 1. *fen.* 2. *doctr.* 2. *c.* 13. Apud D. D. Wedel. *Patholog. ſect.* 3. *c.* 7. *p.* 556. legitur *Inſomneitas*,

tas, quamvis, quod pace Autoris acceptum velim, non videam neceſſitatem, ob quam vocalis *e* inſerta ſit, cum pleraque omnia ſubſtantiva ab adjectivis in *is* deſinentibus ſolam ſyllabam ultimam *tas* recipiant.

INSOMNIUM, ἐνύπνιον. Vide *Enypnion*.

INSPECTIO, εἰσόρασις, ἐπίσκεψις, proprie ſignificat attentam alicujus rei conſiderationem beneficio viſus factam, quæ Medico ad accuratam cognitionem neceſſaria eſt & utilis. Hinc & ægros, & alia circa ægrum contingentia probe inſpiciat. *Inſpectio Urinæ* eſt phraſis notiſſima. *Inſpectionem ventris* non purgare ab infanticidii ſuſpicione ſcribit P. Ammann. *Irenic. p.* 122.

INSPECTURIO, ὀψείω, i. e. paratus ſum ad inſpiciendum, quemadmodum & *Confirmaturio*, ἰσχυρείω, i. e. paratus ſum ad confirmandum, Gal. 1. *de artic. t.* 3.

INSPIRATIO, εἰσπνοή. Vide *Eiſpnoe*.

INSPISSATIO, πύκνωσις, *ſpiſſatio*, idem, quod *condenſatio*. Eſt enim humidi per partium ſubtiliſſimarum exhalationem & conſumtionem condenſatio, cui opponitur *ſubtiliatio*, vel *attenuatio*. Vide *Condenſatio*.

INSTABILIS, ἀβέβαιος, ἀκατάστατος, idem, quod *Inconſtans*. Vide *Abebæos*, *Acataſtatos*.

INSTAURATIO, ἀνάθρεψις. Vide *Anathrepſis*. idem, quod *reſtauratio* corporis, iterata nutritio & refectio.

INSTILLATIO, ἐνστάλαξις, ἐμβρεχὴ, ἐπιβροχή. Vide *Embregma*, *Embrocha*.

INSTINCTUS, vocatur hodieque cum epitheto *Naturalis* principium movendi intrinſecum brutis potiſſimum proprium, cujus virtute motus in eorum corporibus & certi & quandoque determinati & ſenſus omnes perficiuntur, ita ut in quibuſdam animæ rationalis vim quodammodo æmulari, præſertim in ſenſibus internis, videatur. An vero ſit ſubſtantia & qualis, an ipſi ſpiritus animales, an ab his aliquid ſeparatum, aut an ſolum ſit proprietas quædam coeſſentialis, nondum ſatis eſt à Phyſiologis expeditum, neque hujus loci, ut prolixius inquiramus. Quomodo Græce dici debeat, an ὁρμὴ, vel ἐνθυμασμὸς, ventilare etiam nolumus, quamvis fortaſſis poſterius ſatis quadraret, ſecundum ſignificatum proprium, niſi alia ſignificatio huc non pertinens jam eſſet uſitatior.

INSTITA, idem, quod *Faſcia*, σπάργανον, Scribon. *n.* 47. 133. Rhod. *in Not. ad h. l.* Inde & *Lumbricus latus Inſtita* dictus eſt, teſte eodem *ad n.* 140.

INSTITOR, πωλητὴς, κάπηλος, πώλης, i. e. *venditor*. Hinc *unguentorum inſtitor*, pigmentarius, μυροπώλης, dictus fuit. Scribon. *n.* 22. Rhod. *ad h. l.*

INSTITUTIO, παιδεία, παίδευσις, διδασκαλία, id eſt, doctrina, informatio. Hæc alia eſſe debet apud tyrones, vel qui introducuntur, & alia apud eos, qui perfecte omnia edocentur, Galen. *l. de propr. libr. c.* 5. Quid alias in genere valeat *Inſtitutio*, docet Linden. *Ex. I.* §. 21. 24.

INSTRUMENTUM, ὄργανον, *organum*, vocabulum plurimi etiam uſus in arte Medica. Generaliter ſignificat rem omnem actioni certæ & uſui vel operationi dicatam. In Phyſiologicis *Inſtrumentum* vocatur pars corporis, quæ perfectam edere actionem aut uſum perfectum præſtare poteſt. Dicitur alias pars *inſtrumentalis* ſive *organica*. Debent vero omnes partes corporis etiam ſimpliciores à Medico conſiderari, ut *inſtrumenta* vel *inſtrumentales*, quemadmodum oſtendimus *in Dogmat. noſtris P.* 1. *c.* 2. *d.* 6. *pag.* 26. Recte vero dividuntur in *Inſtrumenta* prima & ſecunda, quorum illa cenſentur, quæ ex ſimilaribus partibus ſimplicis alicujus functionis gratia ſunt conſtituta; quæcunque vero rurſus ex his componuntur, etſi uni totius *inſtrumenti* actui quam maxime inſerviant, tamen inter ſecunda numerantur. Ita muſculus, vena, arteria inter prima *inſtrumenta* numerantur; Digitus vero inter ſecunda, atque hoc magis pes, & pede magis crus, Gal. *l. de diff. morb. cap.* 3. & 4. Morbi hujuſmodi partium, quando vel naturalis illarum conformatio permutatur, vel numerus non ſervatur, vel magnitudo conveniens tollitur, vel naturalis poſitus deficit, vocantur *morbi Inſtrumentales*, *d. l. c.* 6. Vide *Dogm. noſt. P. II. c.* 4. *p.* 123. *ſeqq. Inſtrumenta communia* vel publica ὄργανα κοινὰ appellantur, venæ, arteriæ, nervi, quæ & ἀγγεῖα dicuntur C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 1096. *Cerebrum* vocatur ὄργανον ἐπιδηλώσεως, id eſt, *inſtrumentum* ubi ſenſus ſe produnt. Idem *n.* 523. *Manus* Galeno dicitur & Ariſtoteli ὄργανον πρὸ ὀργάνων, *inſtrumentum inſtrumentorum*, *lib.* 1. *de V. P. c.* 4. & *l.* 4. *de part. an. c.* 10. Jung. Hofm. *d. l. n.* 25. & 113. Circa materiam medicam triplicem occurrunt quamplurima *inſtrumenta*. Circa Diæteticam ſunt omnia illa, quæ ad rem *coquinariam* pertinent, in vulgus nota. *Inſtrumentorum Pharmaceuticorum* Catalogum exhibet Schroder. *Med. Pharmac. Chym. l.* 1. *c.* 19. *Chymica* tradit Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 15. *ſeqq.* Beker. *in Oedip. Chym. Tit.* 7. §. 2. Libav. *Tom. II. Oper. p.* 131. *Chirurgica* recenſet Hildan. *in Ciſta militari* & ſparſim *in obſervationibus*; nec non plurima apud Hippocr. Galen. Aquapendentem, Paræum, Scultetum &c. occurrunt, quorum nomina propria hoc quoque in Lexico ſub literis ſuis initialibus exponuntur. *Ignis* quoque vocatur κατ' ἐξοχὴν *Inſtrumentum Chemiſtarum* proprium. Dorneus. *Art. Chemiſt. l.* 2. *c.* 6. In negotio lapidis Philoſophic. Jodoc. Greverius Presbyter proponit *ſedecim inſtrumenta* tr. Secretum Greverii dicto, quod eſt *in Vol. III. Theatr. Chymici*.

INSUAVIS, ἀηδὴς, idem, quod *Injucundus*, de quo p. a. Vide Gal. *l.* 4. *de Med. fac. c.* 16.

INSUETUS, ἀσυνήθης, idem, quod *Inconſuetus*. Vide *Aſynethes*.

INSUFFLATIO, ἐμφύσησις, ἐμφύσημα, dicitur, quando medicamentum per canalem ad partem aliquam impellitur flatu vel oris ſpiritu, v. g. in nares ad cura-

curationem polypi, Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. & in os ad uvulæ morbos, *l.* 6. *c.* 3.

INSULTUS, εἰσβολή, dicitur primum paroxyſmi tempus. Vocatur & ἐπισημασία, Galen. *l. de morbi tempor. c.* 6. Vide *Eisbole. Epiſemaſia.*

INSUPERABILIS, ἀνυπέρβλητος. Vide *Anyperbletos.*

INSUPPURABILIS, ἀνεκπύητος, dicitur de tumore, vel abſceſſu, qui propter frigiditatem non vergit ad ſuppurationem. Legitur apud Hippocr. 5. *aph.* 20. Junge Dieter. *n.* 64.

INTEGRASTRUM, terminus Paracelſicus, quo innuere videtur, conjunctionem illam cruciatim, vel decuſſatim factam nervorum utriuſque oculi opticorum, ita quidem, ut ipſorum ſubſtantia totaliter confundatur ordinarie. Cui *unioni* etiam hodieque nonnulli hunc uſum tribuunt, quod ideo fit à natura inſtituta, ne ſpecies viſibiles geminentur. Enimvero non rem acu tangunt, ſiquidem & ſpecies audibiles non geminantur, nec tamen nervi auditorii combinati occurrunt. Quid? quod Veſalius, Aquapendens & alii obſervarint, nervos quoque opticos toto ductu diviſos manſiſſe. Paracelſ. *fragm. de Anatom. Ocul.* Bartholin. *Anat. libell.* 3. *c.* 2.

INTEGRITAS, *Integer*, ἀκεραιότης, ἀφθορία, ἀκέραιος, ἀκμαῖος, accipitur in Medicina pro *ſanitate* corporis *perfecta*, & actionum vigore illæſo. Opponitur igitur læſioni. Occurrit paſſim *in ſcriptis Medicis.*

INTEGUMENTUM, ἐγκάλυμμα, σκέπασμα, περιβολή, quid communiter ſignificet, aliunde notum eſt. Ab Anatomicis vero integumenta vocantur corporis communia, cuticula, cutis, & juxta nonnullos etiam Panniculus carnoſus, quem tamen in hominibus dari nonnulli negant: Quidam etiam inter cuticulam & cutem ſtatuunt tunicam reticularem & mucoſam retiformis in oculo ſimilem, de quibus omnibus legi poterit ſuccincta & accurata deſcriptio D. D. Joh. Maurit. Hoffmanni in Idea Machinæ Human. *Exercit.* 1. *ſect.* 2. ubi & *velamenta* vocantur. Ita Gothofr. Bidloo *integumentum* totum corpus inveſtiens peculiariter delineatum exhibet *in ſuis Tabb. Anatomicis Tab. IV.* membranæ muſculorum communis nomine indigitatum.

INTELLECTUS, vocabulum hoc diverſimode accipi ſolet; ſubſtantialiter, & ita idem eſt, quod *mens*, *anima rationalis*, Gr. νοῦς. Vide *Animus.* Hic *intellectus* etiamſi ſit in ſe purus ſpiritus & incorporea quædam ſubſtantia, utitur tamen ſubjecto aliquo, veluti ſede ſua & regia, videlicet ſpiritibus animalibus intra cerebri meditullium conſiſtis, à quorum maxime ſubtilium manipulo ipſa *phantaſia* vel *imaginatio* exiſtentiam ſuam obtinet, quemadmodum hoc prolixius & elegantiſſime expoſuit Th. Willis *P. I. de Anim. Brut. c.* 7. quæ hypotheſis tamdiu nobis arridet, donec alii meliora & certiora in medium protulerint. Vel accipitur de *actu intelligendi*, & vocatur quoque *intelligentia*, Gr. νόησις, σύνεσις, quæ quidem principaliter ab anima rationali dependet, ſecundario tamen & inſtrumentaliter viciſſitudinibus expoſita eſt illa Functio per & propter ſpirituum animalium in quantitate, qualitate, motu, & loco contingentem varietatem; quemadmodum laudatus Autor *d. l.* in aliis illius tractatus locis hoc egregie expoſuit & demonſtravit. De *intelligentiæ* & animæ diſcrimine legi etiam poterit *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 158. 159.

INTEMPERANTIA. Et hujus vocabuli ſignificatio variat. Plerumque denotat exceſſum in victu. Gr. dicitur ἀκρασία, (vide *Acraſia*) ἀκολασία, πλησμονή, ἀπληστία. Hæc morborum promus condus, ſicuti contra *temperantia* ſanitatis penu dicitur. Propterea & illa mater, vel nutrix; quemadmodum hæc contra noverca Medicorum habetur. Junge Dieter. *Iatr. n.* 696. Caſp. Rejes *C. El. q.* 88. *n.* 123. Vel accipitur pro *intemperie*, Gr. δυσκρασία dicta, quæ & à Latinis *intemperatura*, *intemperamentum*, vocatur, quemadmodum *ex Theatro* Mundellæ & *aliis Indicibus* Galeni conſtare poteſt. Vide *Dyſcraſia.* Et homines dicuntur *Intemperati* ſecundum geminam illam ſignificationem. Vel ἀκόλαστοι, ἀκρατεῖς, vel δύσκρατοι.

INTEMPERIES, δυσκρασία. Vide *Dyſcraſia.*

INTENTIO, homonymon etiam eſt vocabulum. Vel enim materialiter & corporaliter accipitur pro *tenſione*, *extenſione.* Gr. τάσις, ἔκτασις, Latine & *intenſio* vocatur. Cujus ſunt ſpecies, ἔκτασις, ἀνάτασις, & κατάτασις, vide *Catataſis*, *Ectaſis.* Vel de animi comprehenſione & conceptu, & ita idem ſignificat, quod *indicatio*, ἔνδειξις, ſcopus. Vide *Endeixis.*

INTEPESCO, χλιαίνομαι, idem, quod *Tepeſco*, h. e. paululum caleſio. Vide *Chliæneſtæ.*

INTERANEUS, ἔντερος, idem, quod *internus.* Ita apud Scrib. legitur *interanea* vomica, *num.* 96. Rhod. *in not. ad h. l.* Stricte vero *Interanea* idem ſunt, quod viſcera abdominis, *Hiræ*, τὰ ἔντερα, τὰ ἐντόσθια. Vide *Entera. Hira.* Linden. *Ex. IX.* §. 57. Rhod. *in Lex. Scribon.*

INTEREASTARE, pharmacop. interſuere, à Græco ἐπιπάσσειν. Janus Cornar. *rei medicæ enumerat.*

INTERCALARIS, ἐμβόλιμος, dicitur de menſe, vel die, qui interſeritur ab Aſtronomis, Gal. *c.* 1. *in l. Epid. t.* 1. Poſſet tamen etiam de tempore aliquo, quod in morbis periodicis intercedere quandoque ſolet, accipi, ſi luberet. Et Subſtantivum *intercalatio* ſignificat additionem dierum aut menſium pro totius anni ſolaris aut magni complemento. Augen. *l.* 1. *de hom. partu c.* 4.

INTERCAPEDO, τὸ μεταξύ, idem, quod *Interſtitium*, *Intervallum.* Dieter. *n.* 524.

INTERCEPTIO, ἀπόληψις. Vide *Apolepſis.* Accipitur & pro remedii genere, vel modo, quando nimirum humorum, & præcipue ſanguinis motus intercipitur. Gr. διάληψις. Unde & medicamenta *intercipientia*;

tia, διαληπτικὰ, vocantur, quæ ſunt e numero repellentium, ſaltem loco applicationis ab illis differentia. Siquidem non fit in ipſa parte affecta, ſed in vicinis, ubi humor defluit. Vocantur alias *Defenſiva.* Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l. 4. ſ. 1. c. 15. Intercipientes* membranæ, διαφράττοντες, vocantur ſeptum tranſverſum, mediaſtinum. Vide *Hypezocos.*

INTERCIDENS, παρεμπίπτων. Vide *Empipto*; idem, quod *Interveniens. Intercidens* pulſus dicitur, cum inter duos ictus, qui ordine proprio inferuntur, ictus medius intercurrit. Gal. *in def.* Quomodo hic à Dicroto differat, ego non video.

INTERCISIO, διακοπὴ, idem, quod *Diſſectio.* Vide *Diacope.*

INTERCLUSUS, eſt epitheton curæ cujuſdam peculiaris, quæ requiritur in quibuſdam ſymptomatibus morbi Gallici gravioribus, v. g. ubi ſal corroſivum malignum peccat, & maculas nigras excitat, aut ungues digitorum in manibus pedibusque corrumpit, ut decidant &c. Parac. *l. 7. de orig. & cura morbi Gallic. c. 11.*

INTERCOSTALIS, μεσοπλεύριος, epitheton muſculorum, qui coſtis veris interjacent, ſuntque duplices: Interni & Externi. De quorum ſtructura, fibris, & uſu vid. Gal. *l. 8. Anat. adm. c. 3. & 6. l. 7. de Uſ. part. c. 20.* Barthol. *l. 2. Anat. c. 2. p. 334.* & vaſorum, arteriæ & venæ, de quibus etiam in Anatomicis.

INTERCURRENS, παρεμπίπτων, idem, quod *Intercidens.* Epitheton pulſus, Galen. *l. 1. de diff. pulſ. c. 12.* Eſt etiam apud recentiores epitheton febrium quarundam continuarum, quæ contradiſtinguuntur *ſtationariis*, quando non à particulari anni conſtitutione dependent, ſed indifferenter cum ſtationariis aut ſecum invicem commiſcentur, jam parcius, jam inclementius ſævientes & depopulantes, uti deſcripſit eas Th. Sydenham. *Obſerv. Med. de Morb. acut. ſect. 6. cap. 1. p. m. 409.* De Stationariis vide infra *ſuo loco.*

INTERCUS, ſcil. *Aqua.* Vide *Hydrops.*

INTERDENTIUM, vocatur intervallum inter dentes ejuſdem ordinis. Linden. *Ex. XI.* §. 72.

INTERDIGITIUM, dicuntur Plinio calli, vel verrucæ inter digitos, præſertim pedum, obortæ. C. Plin. Secund. *Medicinæ l. 2. c. 56.*

INTERFOEMINEUM, περίναιον, περίνεον, vocatur Hippocrati media illa pars, quæ interjacet inter pudendum & anum, quod duobus feminibus fit interpoſita. Hippocr. *4. aph.* 80. *7. aph.* 39. *2. de fract. t.* 43. & *4. de artic. t.* 45. (Junge Galen. *in comm. ad hæc loca*) *l. 1. de morb. mul. CI.* 34. Adde Foëſ. *p.* 497. Dieter. *n.* 675.

INTERITUS, φθορὰ, quid ſignificet, notum. In animalibus & hominibus æquipollet *morti.* Alias omne genitum corpus ſecum habet & generationis & *interitus* ſui cauſſas. Gal. *l. 1. de ſan. tu. c. 5.* præcipuam *interitus* cauſſam vocat *fluorem*, i. e. deperditionem portionum quarundam, quæ opus habent reſtauratione, Jul. Alex. *l. 2. Salubr. c.* 10.

INTERLUNIUS, epitheton eſt epilepſiæ, quam interlunium morbum vocari ſcribit Hartmann. *Diſp. Chymico-Medica XVI. de Epilepſ. θ. 2.* quia *interlunio* nati hoc morbo potiſſimum corripi creduntur.

INTERMISSIO, Gr. διάλειψις. Vide *Dialeipo.*

INTERMITTENS, διαλείπων, vide *Dialeipo.* Pulſus *intermittens* qui dicatur, vide Gal. *l. 1. de diff. pulſ. c. 12.* ſcilicet, quando manifeſta quædam mora in rhythmo obſervatur p. n. ob flammæ vitalis defectum. Non eſt tamen ſemper lethale ſignum, teſte experientia in ſenibus & aliis.

INTERNODIUM, σκυτάλις, φάλαγξ, dicitur de oſſibus digitorum mutuo ſibi colligatis & articulatis, & ordine ſibi ſuccedentibus, Gal. *l. 1. Anat. adm. c. 5. l. de oſſ. c. 19.* ab acie Gr. φάλαγξ, aut turma equitum, quæ σκυτάλη appellatur. Alias Græci iis oſſibus peculiaria nomina tribuerunt. Prima metacarpo proxima dicuntur προκόνδυλοι, media κόνδυλοι, & poſtrema μετακόνδυλοι. Caſtell. Alias & φάλαγξ vocatur articulus, quo magnus digitus oſſi Carpi propinquo dearticulatur. Gal. *l. 2. de V. P. c. 9.* Sunt etiam, qui *Phalangis* nomine Metacarpi oſſa comprehendunt, ordine etiam eodem, velut in acie, conſtituta, quo oſſa digitorum. Idem.

INTEROSSEI, dicuntur muſculi digitos in manibus & pedibus abducentes. Barthol. *l. 4. Anat. c. 9. p. 575. & c. 14. p. 583.*

INTERPASSARE, Medicis eſt ſacculum medicum trajectis ordine filis ita firmare, ut contenta æqualiter ubique diſtribuantur, neque conglomerentur, Ioh. Micræl. *Lex. Philoſ. col.* 640.

INTERPELLATUS *morbus* Paracelſo dicitur vagus, varius, qui nunc hoc, nunc alio modo paroxyſmat, (i. e. exacerbatur) & non habet certum paroxyſmum, *l. 2. de Tart. tr. 1. c. 2. & in Expoſ.*

INTERPOLATUS, uſurpatur à Paracelſo pro *intercalari*, ſive intervenienti, & dicitur de diebus extra paroxyſmum febrilem, ſive ἀπυρέξίαις, *Schol. ad l. 2. de Tartaro tr. 2. c. 1.*

INTERSCAPULIUM, Bartholin. vocari ſtatuit ipſam ſpinam ſcapulæ, ſive proceſſum illum in gibba parte illius occurrentem, quæ ῥάχις, & Ruffo ὑπεροχὴ ὠμοπλατῶν, *eminentia ſcapularum*, Hippocrati *in Mochlico* τὸ ἀνώμαλον τῆς ὠμοπλάτης, i. e. *irregulare ſcapulæ* vocatur, *libell. 4. Anat. c. 19.* Verum Lind. ſaltem *foſſulæ longæ* utrinque illius ſpinæ nomen hoc tribuit *Medic. Phyſiol. l. 2. c. 14. §. 51.*

INTERSECTIO, διακοπὴ, idem, quod *Interciſio.* Vide *Diacope.*

INTERSEPTUM, κίων. Vide *Columna.*

INTERSTINCTUS, eſt epitheton variolarum, quæ alias etiam *Diſcretæ* & *Diſtinctæ* vocantur apud Thom. Sydenham. *Obſerv. de morb. acut. ſect. III. c. 2.* ad differentiam confluentium.

INTERSTITIUM, διάστημα, generaliter idem quod *Intervallum.* Vide *Diaſtaſis.* In ſpecie vero notat

ſpatium duodecim horarum, in quo febris terminatur, Gal. *l.* 2. *de criſ. c.* 9. *Interſtitium ciliare* vocatur quoque circumferentia uveæ tunicæ oculi, ubi duplicata membrana ejus ſe reflexit ad humorem cryſtallinum, diciturque communiter *ligamentum ciliare.* Plempius vocat *nexum ſtamineum*, & ſunt tenuia quædam filamenta ex uvea producta, referentia lineas nigras palpebrarum pilis ſimiles, cryſtallinum humorem cingentes, qui horum ope nectitur vicinis partibus, & cum uvea mobili quoque movetur. Barthol. *l.* 3. *Anat. cap.* 8. C. Hofm. *comm. ad Gal. de V. P. n.* 711.

INTERTRIGO, παράτριμμα, ſignificat cutaneum vitium, ex ſolutione continui cuticulæ primo per attritionem violentam facta, conſequenter & à cauſſa interna, talis ſcil. particulis ſeroſis tenuioribus ſive ichoreſcentibus oborta. Convenire videtur vel cum *Sudaminibus*, vel cum *Impetigine.* Scribon. *n.* 222.

INTERVALLUM, διάλειμμα, vide *Dialeimma.* Quamvis non ſolum de febrilis paroxyſmi remiſſione & ceſſatione, verum etiam de aliorum morborum periodicorum exacerbationibus ceſſantibus uſurpari poſſit & ſoleat. Vide Scribon. *n.* 99. 100. *Intervallum* quoque vocatur morula illa, quæ in pulſu contingit, ſi qua eſt, poſt ſubſidentiam arteriarum, antequam ab impulſu cordis denuo diſtendantur, Galen. *de pulſ. ad Tyron. c.* 4.

INTESTINA terræ trita, terreni vermes, Dioſcor. *l.* 2. *cap.* 22.

INTESTINUM, ἔντερον. Vide *Enteron.*

INTORTUS, ἐπεστραμμένος, vel idem ſignificat, quod *contortus*, συνεστραμμένος: vel præpoſitio *In* auget ſignificationem, ut notet violentam inſertionem, vel intruſionem, v. g. *Intortum linteum.* Scrib. *n.* 43. *Intorta* papyrus, Celſ. *l.* 5. *c.* 28.

INTOXICATIO, eſt idem, quod *Infectio*, quamvis Paracelſ. reſtrinxerit *intoxicationem* ad externam venenationem apoſtematum, vulnerum, uti videre licet *l.* 1. *de Peſte c.* 1. & 2.

INTRICATUS, ἐμπλεκόμενος vel ἐπιπλεκόμενος, quid extra forum Medicum ſignificet, ex aliis Lexicis conſtare poteſt ac debet. In Anatomicis eſt epitheton muſculi in aure externa ſiti, qui & *Bicaudalis* vel *Tricaudalis* vocatur ob varietatem. Vide *Bicaudalis.*

INTRITUM, ἔντριτον, ἔντριμμα, ὑπότριμμα, ſignificat cibum, qui interitur & infricatur, ſive cibus in mortario ſubactus, recentioribus Medicis *contuſum* dictus. Rhod. *in Lex. Scrib. Intritum* ſpecialiter quoque vocatur panis in cereviſia, quod & febricitantibus concedi poteſt ex mente Rolfincii. Verum cum vino & ſaccharo ad refectiva merito refertur. *Ord. ac M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 25. ubi βλῆμα Græce appellat, quod tamen teſte Athenæo panem *intritum*, ſed calidum ſignificat. Henr. Steph. *in Theſauro.* Alias ἔντριμμα ex Polluce ſignificat quoque *fucum*, qui vultui infricatur.

INTROCESSIO, idem, quod *Impreſſio*, de quo vocabulo p. a. Illo nomine uſus eſt Scultet. *Arm. Chirurg. Part. II. Obſ.* 9. & 20.

INTROSUSCEPTIO, vel INTUSSUSCEPTIO, vocatur ingreſſus p. n. portionis inteſtini in proximam, ſive reduplicatio inteſtini inſtar digiti in chirotheca intus retracti & reduplicati, quæ cauſſa ilei lethalis habetur à Boneto *Sepulchreti vel Anat. Pract. l.* 3. *ſect.* 14. *Obſ.* 20. *p.* 910. 911. Vocatur & *Subingreſſus.*

INTUMESCENTIA, οἶδος, οἴδημα, idem, quod *Tumor.* Vide *Tumor*, *Oncos.*

INVADO, ἐμπίπτω, vide *Empipto.* Uſurpatur de actu ipſo ſecundo læſionis à morbis provenientis, qui & *invaſio* vocatur *morbi.* Alias *invaſio* etiam dicitur *incubus*, Gr. ἐκβολή. Dolæus *Encyclopæd. l.* 1. *c.* 13. §. 1. *pag.* 197. *a.*

INVALESCO, ἐπισχύω, ἰσχύω, intenſivam obtinet ſignificationem, & notat *robur*, *vires acquiro*, recupero. Hippocr. 2. *aph.* 8. Junge Dieter. *n.* 415. Sed ſubſtantivum *invaleſcentia* accipitur privative, idemque eſt, quod *invaletudo*, Gr. ἀρρώστημα, ἀρρωστία, *infirmitas.* Vide *Arrhoſtia.* Ita & Adjectivum *Invalidus* idem, quod *debilis*, *infirmus*, *impotens*, Gr. ἀσθενής, ἄρρωστος, ἀδύνατος. Et ita privativam obtinet ſignificationem.

INVENTIO, εὕρεσις, dicitur conſecutio rerum Medicarum, ſive in mente ſolum, ſive etiam realis. Non enim ſolum remedia *inveniuntur*, ſed & cauſſæ ſanitatis & morborum debent per ratiocinationem legitimam *inveniri* prius rite inveſtigatæ. Eſt autem *Inventio* duplex: *Dogmatica* una, quæ etiam ſano ſenſu Methodica appellari poteſt, quia methodo & via quadam ordinata procedit. Dicitur & *Logica*, vel *rationalis*: Altera *fortuita*, caſualis, quæ & *empirica* nominatur, qua res temere & incidenter reperiuntur. Gal. *l.* 1. *Meth. med. cap.* 4. & *l.* 3. *c.* 1. *Inventio* hæc fortuita in Anatomicis haud ſolet eſſe infrequens, dum multa ab aliud agentibus inventa ſunt, fatente etiam C. Hofmann. *in Gal. de V. P. n.* 413. *Inventoribus* olim divini honores fuerunt decreti, teſte Lang. *l.* 2. *ep.* 3.

INVERECUNDUS, ἀναίσχυντος, quid proprie ſignificet, e Lexicis aliis conſtare debet. *Inverecundum* os vocatur ab Anatomicis os frontis, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. *p.* 706. Dicitur alias Os puppis.

INVERSIO, ἐπιστροφή, vide *Epiſtrophe. Palpebrarum inverſiones* propriis nominibus vocantur ἐκτρόπιον, & λαγόφθαλμον. Vide *Ectropion*, *Lagophthalmion.* Jung. Scribon. *n.* 36. 37. Rhod. *in Lex. Scrib.*

INVERTENS dicitur hodie virtus vel facultas medicamentorum, quando peccans materia ejuſque qualitas per portiones medicamentoſas in contrarium permutatur; tenuitas incraſſatur, craſſa attenuatur, acris mitigatur, acida obtunditur aut dulceſcit, quemadmodum paſſim in Practicis ſcriptoribus recentioribus obſervare licet.

INVESTIGATIO, ζήτησις, idem, quod *Inquiſitio*, vide

vide ſuperius. Eſt medium ordinarium inventionis, quam præcedere ſolet.

INVETERATUS, παλαιὸς, χρόνιος, dicitur de morbis, qui altas jam radices egerunt; & diſtinguuntur à morbis recentibus. Non plane vero *Inveterati* morbi iidem ſunt cum *chronicis*, aut longis. Omnis quidem *inveteratus* eſt etiam longus, ſive μακροχρόνιος, ſed non vice verſa, cum longi ab initio etiam fuerint recentes. *Inveteratum*, παλαιὸν, etiam uſurpatur de remediis. Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 9. *ad fin.* Verbum *inveteraſcere* legitur apud Scrib. *n.* 250. Junge Rhod. *in Lex.*

INVICTUM, ἀνίκητον, nomen Emplaſtri. Vide *Aniceton.*

INVIDIA, φθόνος, eſt affectus animi, & ſpecies *triſtitiæ*, cum quis ex alienis bonis triſtitia afficitur. Eſt vero peſſima ſpecies triſtitiæ, Galen. *l. de cogn. & cur. an. morb. c.* 7. Eſt cauſſa morborum, præſertim languoris, & atrophiæ. Jung. Charlton. *Ex. VIII.* §. 30. Rolfink. *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 107. Vocatur etiam *Livor.* Jul. Alex. *l.* 22. *Sal. c.* 3. Faſcinationem quoque ab *Invidorum* effluviis deduxit Lang. *l.* 2. *ep.* 36.

IN VIRTUTE, i. e. in diluto, Capril. *de febr. putrid. l.* 2.

INVISCATIO oculi, idem, quod λήμη, γλήμη, *glamiæ*, eſt quædam viſcoſitas palpebram vel cum pupilla jungens, ſive in ejus albedine, ſive nigredine, vel utroque palpebras ſimul jungens, qualis fit propter vulnera in oculis. Galen. *l. de ocul. c.* 9. Eſt autem liber ſpurius.

INVISIBILIS, ἀόρατος, quid ſignificet, notum eſt. Hominis *inviſibilia* ſunt commentum Paracelſicum & Crollianum, de quibus vide Libav. *T. IV. Oper. p.* 19.

INUNCTIO, χρίσις, ἄλειψις, ἄλειμμα, μυρισμὸς, idem, quod *Illitus*, vel *Illitio.* Vide *Illitio.* Sumitur vel pro ipſa actione, vel etiam pro materia, quæ illinitur. Ægin. *l.* 7. *c.* 20. Dicitur *unguentum*, Adeps &c. De cura morbi Gallici per *inunctionem* cum Hydrargyro vel Mercurio vide Hildan. *Cent.* 5. *Obſ.* 92. *ſeqq.* Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 6. *ſ.* 3. *c.* 2. *ſeqq.*

INVOCALIS, ἄφωνος. Vide *Aphonia.*

INVOLUCRUM, ἔλυμα, dicitur de membranis partem aliquam inveſtientibus. Ita Perioſtion eſt *involucrum* oſſium. Gal. *in def.* Pericardion vocatur *Involucrum* cordis.

INVOLUNTARIUS, ἀεκὼν, vel ἀκὼν, idem, quod *invitus.* Dicitur de eo, quod nobis inſciis & præter voluntatem noſtram accidit, v. g. mictio vel urina *involuntaria*; idem quod *incontinentia urinæ.*

INVOLUTUS, εἰλύμενος, vide *Eilumenos.* Eſt & idem, quod *Ileon*, epitheton inteſtini tertii tenuis, vide *Eileon.* Inſtrumenta quoque aliquando *involvi* ſolent v. g. Auriſcalpium lana *involutum* legitur apud Scribon. *n.* 230. & Manus linteo *involutæ p.* 180.

INVOLVULUS, ἴψ, vermiculi nomen pampino ſeſe involventis. Vide *Ips.*

INUSTIO, ἔγκαυσις, σύγκαυσις. Vide *Encauſis.* Accipitur vel Pathologice de intemperie nimis calida partis alicujus, vel inflammatione; vel Chirurgice de operatione, quæ cauterium actuale vocatur. Vide *Cauterium.*

INUSTORIA, Græcis Cauteria, Didac. Merin. *de morb. internis, l.* 3. *c.* 5.

INUTILIS, δύσχρηστος, ἀσύμφορος. Vide *Dyſchreſtus.* Linden. *Inutile* deſcripſit, quod alienum eſt ab utilitate communi, & quod noxam nocere & damnum dare atque perniciem poteſt. Linden. *Ex. XIII.* §. 284.

IOBOLOS, ἰοβόλος, eſt epitheton belluarum virulentarum, quæ venenum ejaculantur. Legitur apud Nonum *de M. P. C. cap.* 260.

IODES, ἰώδης, id eſt, *æruginoſus*, ab ἰὸς, *ærugo.* Epitheton excrementitiæ bilis p. n. Vide *Bilis.* Unde vomitus *æruginoſi* oriuntur, ἔμετοι ἰώδεις, quorum aliquoties meminit Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 1. *t.* 10. *Coac. t.* 169. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 54. *& alibi in Epid.* Jung. Foëſ. *p.* 294. Cauſſam vero talis vomitus petere Sylvii *l.* 1. *Pr. Med. c.* 30. §. 112. Significat & *cœruleum* colorem, *violaceum*, in qua ſignificatione uſus Dioſcorides *l.* 5. *c.* 171. ab ἴον, *viola.* Poteſt etiam ſignificare æruginoſum, venenoſum, ab ἰὸς, quod æruginem, ſagittam & venenum denotat. Vide *Ios.*

IONTA, τὰ ἰόντα, dicuntur Hipp. prodeuntes dejectiones & excretiones, quæ videlicet per univerſum morbum aut ſaltem longo illius intervallo exeunt. Hipp. 4. *aph.* 2. *&* 21. Gal. *in comm.* à verbo ἰέναι, *ire*, exire. Dieter. *n.* 417.

IONTHOS, ἴονθος, Latine *Varus* dicitur, tumor exiguus & inflammatorius plerumque in faciei cute, ex portionibus ſanguinis accenſi craſſioribus collectis & ſtagnantibus, obortus, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. cap.* 3. Non eſt pruriginoſus, neque ad ſcalpendum invitat. Æginet. *l.* 3. *c.* 25. duplices conſtituit *varos*: alios nondum induratos; alios vero in callum degenerantes. Aëtius ſcribit, *varum* etiam ἄκνην vocari, quamvis hoc vocab. non occurrat *in Lex.* Gorr. tamen putat, varos ἄκνας dici, quod non pruriant. Foëſ. *p.* 17. Conveniunt *vari* cum *furunculis.* Vide *Dothien.* Cl. Lentilius diſcrimen facit inter *Ionthos* & *Varos*, ſcribens, quod illi pruriant, hi vero non; deinde & *Ionthas* in genere fœminino vocavit, qua autoritate an propria an aliena utrumque nitatur, non eſt mearum partium ventilare. Interea legatur laud. Autoris *Miſcell. Medico-Practic. Part. II. p.* 559.

IOS, ἰὸς. Vide *Ærugo.* Rul. dicit *Ios*, id eſt, *Venenum.*

IOSACCHAR, ἰοσάκχαρ, id eſt, *ſaccharum violaceum* apud Actuarium. Gorræus.

IOTACISMUS vocatur à Lentilio vitium linguæ, quando vocabula vel certas literas enunciare nequeunt. Pertinet ad *Balbos* vel Blæſos. Legitur cum Lambdaciſmi deſcriptione *in d. l. P. II. p.* 647. *ſeqq.*

IPNOS, ἴπν☉, idem quod καμῖν☉, *Furnus*, φοῦρν☉. Hippocr. *l.* 2. *de morb. XLIV.* 17. ubi ἰπνῷ legitur. Hinc panes ἰπνίτῃ, *furnacei*, ſive in furno coϲti dicuntur, *l.* 2. *de diæta XI.* 3. Vide Foëſ. *p.* 285.

IPOTERION, ἰπωτήριον, nomen medicamenti, quaſi Latine *Expreſſorium* dicti, ab Heraclide inventi apud Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 7. ubi perperam ἰπτωτήριον legitur, notante C. Hofmann. in ἀνεκδότοις notis ad *h. l.*

IPS, ἴψ, idem, quod *Involvulus*, de quo p. a. *Vermiculus* videlicet ſeſe vel foliis & pampinis vitis involvens, vel veſtibus. Unde *Ips vitiarius*, & *Ips veſtiarius* appellatur. Aldrov. *proleg. de Inſectis p.* 5. *& 6. & l.* 4. *c.* 5. *edit. Bonon.* Linden. *Ex. V.* §. 110. *ſeqq.*

IRA, *Iracundia*, ὀργὴ, ὀργιλότης, θυμὸς, ὀξυθυμίη, inter affectus animi facile notiſſimus, frequentiſſimus, vehementiſſimus habetur, cujus impetum nihil ab inſania & furore differre, ſcripſit Galen. *l. de cognoſc. & curand. anim. morb. c.* 4. *&* 5. unde & vulgo *Furor brevis* dicitur. Hujus vero affectus formalis ratio adeo intricata eſt, ut difficile, imo pene impoſſibile ſit, generaliter & ſimul accurate deſcribere. Maxima vero ſpirituum & ſanguinis perturbatio concurrit, quod patet ex characteribus & ſignis *iratorum*, dum mox pallent, mox rubore ſuffunduntur, frons corrugatur, labrum diducitur, dentes ſtrident &c. Operam tamen in exponendo hoc affectu egregiam impenderunt Charlton. *Ex. IIX. Path.* §. 27. Willis *de An. Brut. P. I. c.* 9. Jungatur Rolfink. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 103. Fabr. Hild. *cent. Epiſt.* 1. Sunt vero potiſſimum duæ ſpecies *Iræ*, quarum una celeris eſt, & ὀξυθυμίη Hippocrati dicitur, Latin. *Excandeſcentia*, & homines ὀξύθυμοι, Hippocr. *l. de int. affect. t.* 68. *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 4. *ſ.* 5. *t.* 8. *l.* 1. *de diæt. XXXVII.* 5. altera gravior longoque tempore preſſa, Gr. θυμὸς, ὀργιλότης, Lat. *Iracundia*, & qui illam habent, θυμώδεις Hippocr. vocantur, & ὀργίλοι. Vide Foëſ. *Oec. p.* 457. Eſt vero *Ira* non ſolum cauſſa morborum procatarctica, ita ut mors quoque inſecuta ſit illius vehementiam, contra autoritatem Gal. qui negavit, quendam ex ira mortuum eſſe, *l.* 2. *de ſympt. cauſſ cap.* 5. uti patet ex Caſp. Rejes *C. El. q.* 50. *&* 79 Verum etiam aliquando cauſſa ſanitatis, & remedium eſſe poteſt, ſi levior, moderatiorque fuerit. Hinc Hippocr. ſuaſit *l.* 2. *Epid ſ.* 2. *n.* 26. Jung. C. Hofmann *l.* 5. *c.* 39. §. 6.

IRIS, ἶρις, vocabulum eſt πολύσημον. In Phyſicis notat illum multicolorem *arcum cœleſtem*, ſive Meteoron illud aëreum, de cujus generatione nondum plane conveniunt recentiores etiam Philoſophi, quamvis in hoc omnes conſentiant, quod ejus colores pingantur per radios ſolis in guttulas aqueas illapſos & tum reflectendo, tum refringendo varie ad viſum tranſmiſſos. Hanc ante diluvium fuiſſe negavit Helmont. *tr. Meteoron Anomalum n.* 2. Verum an ſatis valido argumento hoc fecerit, dubito. In medicina *Iris* ſignificationem habet 1. Botanicam, quæ etiam non eſt hujus loci. 2. Anatomicam, & notat circulum & *coronam in oculo* mediam, ubi inter ſe committuntur tunicæ univerſæ, Gal. *l.* 14. *meth. med. c.* 19. *l.* 10. *de V. P. c.* 2. *&* 3. C. Hofmann. *in comm. ad Gal. n.* 727. Barthol. *l.* 3. *An. c.* 8. Inditum ei fuit nomen ab arcus cœleſtis ſimilitudine. Hujus partes, quæ pupillæ proximæ ſunt, nigræ, πυρσαὶ, dicuntur; circulus vero, qui candido proximus, ἅλως, Gorr. & Caſtell. Linden. *Med. Phyſ. ſ.* 2. *c.* 10. §. 20. 3. Pharmaceuticam, & eſt *Iris* nomen paſtilli, croco, myrrha & alumine conſtantis, ut refert Aëtius ex Herodot. *lib.* 5. *c.* 129. notante Gorræo. Eſt etiam gemmæ nomen, cryſtallique ſpecies, & ſecundum nonnullos *radix cryſtalli*, plerumque ſexangula, quæ expoſita ſolis radiis, per rimam, aut aliter ſubeuntibus, angulorum repercuſſu, arcus cœleſtis ſpeciem in proximis parietibus imprimit. Sed & in ipſa ſe arcus illius imaginem habere videtur in uno, aut altero ſui angulo, ſi luci obverſa conſpiciatur. Plin. *l.* 37. *c.* 9. Rul. *in Lex.* & Iohnſ. Chioccus *in Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 200. Si vis, huc referre poteris *lapidem dæmonis* Alberti, qui bicolor, etiam, ut *Iris*, & confert febricitantibus, & pellit venenata, Rul. Tandem 4. Spagyricam habet ſignificationem, & vocatur *Iris myſtica*, in magiſterio Lapidis Philoſophici, quæ deſcribitur apud Libav. *Apoc. Hermet. P. Poſter. T. II. Oper. p.* 407.

IROS, εἶρος. Aliquos appellare hoc nomine tumoris quaſi ſcirrhoſi in ſplene ſpeciem; alios vero malam totius corporis affectionem, notat Erotianus, & quoad poſterius convenire videtur Ingraſſias *de tumoribus contra naturam p.* 14. quando Irionem cum eryſipelate eundem facit. Sed falli omnes docet Erotianus, & εἶρος febris ſpeciem eſſe Hippocrati monet.

IRREGULARIS, ἀνώμαλ☉. Vide *Anomalia. Regularis.*

IRREPTIO, εἰσβολὴ. Vide *Eisbole.*

IRRIGATIO, ἐμβρεγμὴ. Vide *Embregma. Irrigare exuvias* ſignificat apud Seren. inficere & madefacere urina veſtes, lectos, & indumenta, ipſamque corporis cutem, Keuchen. *in not. p.* 214. De *irrigationis* neceſſitate in præparatione lapidis Phil. vide *Th. Chym. Vol. IV. p.* 759.

IRRITATIO, *Irritamentum*, ἐρεθισμὸς. Vide *Erethiſmos. Irritatio* humorum quoque vocatur ὀργασμὸς, eſtque diſpoſitio ad excretionem, Galen. *c.* 2. *in* 6. *Epid. t.* 9.

IRRORATIO, Gr. dici poſſet δροσισμὸς, vel ἐπιδροσισμὸς, eſt ſpecies *Irrigationis*, & ſuperficiaria alicujus rei, Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5.

IS, ἶς, ἰνὸς, *fibram* ſignificat. Vide *Fibra.*

ISADA, Hiſpanis & Luſitanis vocatur *Lapis Nephriticus. Ephem. N. Cur. An. III. Obſ.* 30. de quo vide infra *Nephriticus.*

ISAGOGE, εἰσαγωγή, Latine *Introductio*, ſignificat breviſſimam tractationem alicujus rei, ſive ſcriptum, quo prima artis alicujus rudimenta & elementa traduntur. Dicuntur & Latine *Præcognita.* Vel eſt Natura rei, quæ definitione & diviſione abſolvitur, ut illius cognitione Lector ad aditum ſubeundum in ſeq. tractatione præparetur. Ita inter ſcripta Galeni refertur libellus *Iſagoge*, vel *Medicus*, vocatus. Et qui talia præcognita addiſcere cupiunt, vocantur εἰσαγόμενοι, i. e. *Tyrones*, *lib. de pulſ. ad tyrones.* Vide Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. l.* 1. *c.* 1.

ISALE, ἰσάλη. Vide *Ixale.*

ISATODES, ἰσατώδης, id eſt, *Glaſteus*, ab *Iſatis*, *Glaſtum*, herba tinctoribus uſitatiſſima. Epitheton bilis excrementitiæ colore cæſio glaſtum æmulantis, & occurrit apud Hipp. *l.* 4. *Epid. XXV.* 17. Galen. *l. de atra bile c.* 2. Eſt vero bilis ſpecies peſſima, ob aciditatem acerrimam mordaciſſima, extremamque inter omnia bilis genera malignitatem obtinens, Foëſ. *p.* 287. Nobis potius videtur, atræ bilis & ſucci pancreatici, quam liquoris biliofi corruptio habenda eſſe.

ISCA, ἴσκα, vocatur corpus fungoſum, quercubus & corylis adhærens, quo uſi ſunt veteres, tanquam cauſtico actuali, loco ferri imponentes ventri & regioni ſtomachi. Verum barbaris ſolum receptum fuit hoc remedium, P. Ægin. *l.* 6. *c.* 49. An coincidit cum nonnullorum recentiorum invento cauterio actuali per fungum *Moxa* dictum inſtituto, de quo infra *lit. M.* quædam notanda?

ISCHÆMON, ἴσχαιμον, dicitur medicamentum *ſanguinem ſiſtens*, paulo diverſum ἀπὸ τοῦ ἐναίμου: Hoc enim non modo ſanguinem ſupprimit, ſed & inflammationem arcet. Illud vero rationem habet tantum ſiſtendi ſanguinem, & quidem per cauſtica, & cruſtam inducentia ſimplicia ingredientia, uti patet ex eorundem formulis, ap. Gal. *l.* 5. *de C. M. P G. c.* 14. Gorr. Caſt.

ISCHALEOS, ἰσχαλέος, idem, quod ἰσχνὸς, λεπτὸς, *tenuis.* Galen. *in expoſ. voc. Hipp.* Foëſ. *p.* 288.

ISCHIAS, *Iſchiadicus*, ἰσχιὰς, ἰσχιαδικὸς, dupliciter accipitur: Phyſiologice, & Pathologice. Illo modo epitheton eſt *venæ cruralis* geminæ, quarum una *Iſchias major*, altera *minor* vocatur, Bartholin. *libell.* 1. *Anat. c.* 9. Hoc vero reſpectu notat morbum *Coxæ*, ſive dolorem *Coxendicis*, eſtque ſpecies *arthritidis*, articulum coxæ occupantis, adeo ut dolor ad poplitem & ſuram conſequatur. Meminit Hipp. 3. *aph.* 22. *l.* 2. *Prorrhet. XLV.* 1. *ſeqq. l. de affect. XXX.* 1. *ſeqq. l. de Int. affect. LIV.* 1. *ſeqq &c.* Ægri tales vocantur *Iſchiadici*, Gal. *l.* 10. *de C. M. S. L. c.* 2. Vide *Arthritis*, *Coxa.* Jung. Foëſ. *d. l.* Diet. *n.* 409. Morbus hic vocatur & *paſſio Iſchiadica*, Helmont. *tr. Jus Dominatus*, *n.* 20. & corrupte ab aliis *Sciatica. Tabes coxaria* vocatur ἰσχιαδικὴ φθίσις, cum ex abſceſſu, aut rheumate in coxendicem, crus & coxa emaciatur & contabeſcit. Hippocr. *Coac. t.* 144. *l. de Glandul. X.* 8. 9.

ISCHION, ἰσχίον. Vide *Coxa.*

ISCHNÆNO, ἰσχναίνω, ſignificat *attenuo*, minuo, & uſurpatur ab Hipp. 5. *aph.* 25. & 55. Dieter. *n.* 411.

ISCHNOPHONIA, *Iſchnophonos*, ἰσχνοφωνία, ἰσχνόφωνος, primario ſignificat *tenuitatem*, vel exilitatem *vocis*, in qua ſignificatione videtur ſumi ab Hippocr. 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 78. notante Galen. *in comm. ad h. l.* Uſitatior tamen ſignificatio videtur eſſe, quando ſumitur pro *linguæ hæſitantia*, & de illis, qui inter loquendum titubant, Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. V.* 4. 5. 6. *l.* 2. *Prorrhet. XVI.* 21. explicante ita Foëſ. *p.* 298. quamvis in edit. Lind. per *gracilem vocem* expoſitum legatur.

ISCHNOS, ἰσχνὸς, *tenuis*, idem, quod λεπτὸς, *attenuatus.* Accipitur plerumque de exceſſiva, & p. naturali tenuitate paſſim ab Hippocrate, notante Foëſ. *p.* 289. Dieter. *n.* 412. Unde & ἰσχνότης *maciem*, ſive macilentiam corporis ſignificat, Linden. *Ex. XIII.* §. 197. *XIV.* §. 22. 24. Vide *Gracilis.*

ISCHOMENOS, ἰσχόμενος. Vide *Contentus.*

ISCHON, ἴσχον. Vide *Continens.*

ISCHURIA, ἰσχουρία, *urinæ* vocatur *ſuppreſſio* & *retentio*, p. n. ſymptoma abolitæ, vel imminutæ actionis, idemque grave admodum & periculoſum, præſertim in nephritide, notante For. *l.* 24. *Obſ.* 26. Plerumque ſequi ſolet calculum veſicæ, ſed quod tantum ſit ſymptoma calculi, uti videtur ſtatuere Lind. *Ex. XII.* §. 102. 111. 113. hoc nimis ſtricte dictum arbitror, cum & grumus ſanguinis idem facere poſſit, uti & nos olim in cive quodam hujus loci per longum temporis ſpacium mictione cruenta laborante, & tandem *iſchuria* lethali ex grumoſitate ſanguinis correpto notavimus. Nec videmus, quid obſtet, quo minus *Iſchuria* dicenda ſit illud quoque ſymptoma, cum urina in veſicam omnino non venit, ob renum etiam morbos eorum actionem ſecretoriam lædentes, quamvis improbare voluerit Gal. *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. Eſt enim generale vocabulum ἰσχουρία, quod notat *retentionem urinæ* à diverſis morbis vel renum, vel veſicæ dependentem. Conſentit nobiſcum D. Segerus *in Ephem. Nat. Cur. A. II. Obſerv.* 23. & Illuſtr. Dn. D. Illmer à Wartenberg, Archiater Cæſareus, & Profeſſor Viennenſis, *in iiſdem Ephem. A. III. Obſ.* 39. An & deſidia veſicæ arguenda erit; quam cauſſam *Iſchuriæ* raræ ex obſervatione M. Georgii Hannæi Profeſſ. Orthiniani legere licet *in Act. Haſn. Vol. III. Obſ.* 8.

ISCHYO, ἰσχύω, hoc eſt, *robuſtus fio*, vires recupero. Hipp. 2. *aphor.* 8. Dieter. *n.* 415.

ISCHYRESIS, ἰσχύρησις, ſignificat *aſſertionem*, affirmationem. Hipp. *in Præcept. II.* 16. *III.* 7. à verbo ἰσχυρίζω, *affirmo*, confirmo, 1. *de artic. t.* 5. Foëſ. *pag.* 291.

ISCHYROS, ἰσχυρὸς, id eſt, *robuſtus*, *validus.* Dicitur de hominibus & morbis, & opponitur τῷ ἀσθενεῖ,

νεῖ, debili, *infirmo.* Occurrit paſſim apud Hipp. præſertim in aphoriſmis, quos allegavit Dieter. *n.* 413. Foëſ. *d. l.* Deſcendit ab ἰσχὺς, quod *vigorem*, *robur*, vires ſignificat.

ISCHYTERIOS, ἰσχυτήριος, idem, quod ἰσχυρὸς, *fortis*, validus. Hipp. *l. de loc. in hom. XXXII.* 4.

ISENNYUSA, ἰσεννύουσα, dicitur de ætate æqualibus, apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. IV.* 10. ubi ἰσεννύουσαι legitur. Foëſ. *p.* 287.

ISICOS, ἰσικὸς, *Iſicium*, eſt edulii genus, ex carne diligenter intrita, & minutiſſime inciſa, quod nunc per ſe, nunc reticulo, aut omento circumdatum, aliis etiam junctis rebus & aromatibus aliquando in ſartagine cum adipe, aut oleo, butyrove frigebatur, uti ex Apicio *l.* 2. *c.* 1. docet Gorræus. *Iſicium* vocatur quaſi *Inſicium* ab inſectione. Meminit τοῦ ἰσικοῦ Al. Trallianus *l.* 7. *c.* 1. *&* *l.* 11. *c.* 1. Videatur & Mercurial. *l.* 1. *de L. V. c.* 2.

ISIR, idem, quod *Ixir*, vel *Elixir. Th. Chym. Vol. IV. p.* 502.

ISIS, ἶσις, nomen Emplaſtri ad cruenta vulnera efficacis, præſertim capitis, ad glutinandum, carnem inducendam, purgandum, & multos alios uſus, cujus duæ formulæ occurrunt, *Hermonis*, quod & *Epigoni* vocatur, & *Glyconis* viride, de quibus videatur Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 18. *l.* 5. *c.* 2. *&* 3. Scribon. Larg. *n.* 26. & Ægin. *l.* 7. *cap.* 17. Et mirum, quod Caſtell. & Gorr. triplex conſtituerint, diſtinguentes inter Hermonis & Epigoni Emplaſtra, cum tamen Gal. expreſſe ſcripſerit *d. l. c.* 2. Non opineris, aliud eſſe Hermonis ſacri Scribæ, & Epigoni. Alias *Iſis* nomen etiam fuit Deæ Gentilium, quam coluerunt, quod morborum medicamenta reperiſſet, eaque per ſomnium ægrotis ſuggeſſiſſet, Lang. *l.* 2. *ep.* 3.

ISOCHRONOS, ἰσόχρονος, paritatem vel *æqualitatem temporis obſervans*, idem, quod ἰσόδρομος, æqualiter currens. Dicitur de pulſuum motibus æqualibus apud Gal. *l.* 2. *de dign. pulſ. c.* 1.

ISOCHRYSON, ἰσόχρυσον, hoc eſt, *Auro compar*, epitheton collyrii ad multas oculorum affectiones, videl. corroſos angulos, ſcabras affectiones, inveteratas lippitudines, aſpritudines, ficoſas eminentias, cicatrices & callos, cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *fere ad finem.* Vocatur quoque *Iſochryſum* compoſitio quædam Chymica ex æqualibus Reguli per Martem ex antimonio parati, & Argenti vivi ſublimati partibus, cujus meminit Libav. *Tract. Chym. de Igne Natur. c.* 35. & *Apoc. Herm. Part. prior. c.* 9.

ISOCRATES, ἰσοκράτης, epitheton *vini*, quod *pari aquæ quantitate mixtum* eſt, Hippocr. *lib.* 2. *de morb. XXXIIX.* 6.

ISODROMOS, ἰσόδρομος, idem, quod ἰσόχρονος. Vide *Iſochronos.*

ISOMOERIA, ἰσομοιρία, dicitur *partium omnium æqualitas*, & æquabilis poteſtas, Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XXXI.* 9.

ISORRHOPOS, ἰσόῤῥοπος, Latine dicitur *æquilibris*, æquis momentis ac ponderibus libratus, *æquivalens*, in neutram partem vergens. Uſurpatur ab Hippocr. de partibus corporis, v. g. 2. *de fract. t.* 67. *&* 2. *de artic.* 22. Ubi Gal. *in comm.* ſcribit, accurate loquendo ἰσόῤῥοπον μόριον vocari eam partem, quæ ſimillima eſt cylindro. Enimvero non video rationem nec autoritatem hujus ſignificationis. Occurrit & adverbium ἰσοῤῥόπως, 3. *de artic. t.* 24. ubi & ἑτεῤῥόπως opponitur, *inæqualis.* Jungatur Foëſ. *p.* 287.

ISOS, ἶσος, *æqualis.* Vide *Æquale.* Adde Dieter. *num.* 407.

ISOSTHATHMOS, ἰσόσταθμος, epitheton Medicamenti cujuſdam Becchici, apud Aët. *l.* 8. Gorr.

ISOSTHENES, ἰσοσθενὴς, nomen eſt differentiæ motus muſculorum apud Galen. *l.* 1. *de motu muſculor. c.* 9. & opponitur ibi ἀνισοσθενής. Illud Latine redditur per *æquali robore pollens*, hoc per *inæquali robore pollens*, quando nimirum comparatio inter muſculos ejuſdem partis antagoniſtas inſtituitur.

ISOTHEOS, ἰσόθεος, id eſt, *Deo æqualis.* Epitheton eſt, qua Medici apud Hippocr. quando Medicum, qui ſimul bonus eſt Philoſophus, *Deo æqualem* dicit, *l. de dec. ornat. V.* 1. Vide Galen. *in libell. hoc tit.* & Lind. *Ex. II.* qua medicamentorum quorundam maxime utilium & probatorum, quamvis meo judicio hyberbolicum, v. gr. Collyria quædam ita vocantur apud Aëtium *l.* 1. Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Confectio ad tuſſim quædam appellatur ἰσόθεος, Galen. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 3. alia contra Colicam, *d. l.* 9. *c.* 4. Unguentum Iſchiadicum, Aët. *l.* 12. *c.* 5. notante Gorræo.

ISPIDA, ἀλκυὼν, nomen avis parvæ, pulchræ, pennarum venuſtate clariſſimæ, *Alcyonis* ſpecies, cujus deſcriptio & uſus videatur apud Aldrov. *Ornithol. l.* 20 *c.* 61.

ISTHMION, *Iſthmos*, ἴσθμιον, ἰσθμὸς, vocatur ea pars corporis, quæ os & gulam interjacet, ſive communis gulæ & gutturi, per quam ea, quæ comeduntur & bibuntur, tranſeunt, per tranſlationem propter loci anguſtiam ita dicta. Unde & *tonſillæ* inflammatæ παρίσθμια appellantur, Hipp. 3. *aph.* 26. Dieter. *n.* 657. Hac ratione ἰσθμὸς & φάρυγξ idem erunt, hoc eſt, quæ inter ſtomachum & laryngem interjacet, latitudo & capacitas, Latine *Fauces* dicta, quamvis Gal. φάρυγγα dicat, corpus eſſe *iſthmum* ambiens, *l. de muſc. diſſect. c.* 15.

ITALICUM, ἰταλικὸν, nomen Emplaſtri ἐμμότου, quod vim habet purgandi ulcera ſordida, & carnem inducendi, cujus deſcriptio habetur ab Ægin. *l.* 7. *c.* 17. Ejus uſus meminit & *l.* 4. *cap.* 40. Balſamus quoque quidam compoſitus nervorum affectibus ſummopere conducens *Italicus* cognominatur, cujus deſcriptio extat in Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. c.* 29. *p.* 213.

ITER,

ITER, ὁδοιπορία, quid ſignificet, notum eſt. Conſideratur vero & in Medicina, tanquam cauſſa ſanitatis & morborum. Hinc Hipp. *l. de ſal. diæt. t. 9.* docet, quo tempore anni, & quomodo *iter* faciendum ſit? & Gal. inter morbos *iter* agentium in frigore ſummo refert convulſionem, *l. de diff. morb. c.* 5. item putredinem ex *itinere* laborioſo, propter variam aëris mutationem, *l.* 11. *meth. med. c.* 4. & alibi.

ITHAGENES, ἰθαγενὴς, *genuinus*, legitimus, proprie uſurpatur de conceptu vero, ad differentiam molæ, aut alterius falſi conceptus, Hippocr. *l. de ſterilib. XX.* 2. *l.* 1. *de morb. mul. XCVII.* 3. Junge Foëſius. *Oec. p.* 278. *ſeqq.*

ITHYCYBOS, ἰθύκυϐος, *ex recto gibboſus*, & uſurpatur de ſpina, cum ex recto in gibbum elevatur, Hipp. 3. *de artic. t.* 44.

ITHYLORDOS, ἰθύλορδος, oppoſitum eſt prioris, & dicitur de incurvato, & *in directum repando;* in ſpecie de ſpina introrſum inclinante, Hipp. *d. l. t.* 42.

ITHYORIA, ἰθυωρία, idem, quod εὐθυωρία. Vide *Euthyoria*, *Rectitudo*, rectus proceſſus. Uſurpatur ab Hipp. *l.* 1. *de fract. t. 9.* 10. *&* 3. *tit.* 31.

ITHYS, ἰθὺς, idem, quod εὐθὺς, *rectus*, directus. Vide *Euthys.*

ITHYSCOLIOS, ἰθυσκόλιος, notat compoſitam recurvationem, ἐκ τοῦ ἰθυκύϐου, vel ἰθυλόρδου, quando & in poſteriorem & anteriorem partem fit incurvatio; & uſurpatur etiam de ſpina, Hippocr. *d. l. t.* 42. & Galen. *in comm. ad d. l. t.* 48. C. Hofm. reddidit Lat. *Recticurvus*, *in comm. ad Galen. de V. P. n.* 922.

ITHYTRICHES, ἰθύτριχες, dicuntur, qui *rectos habent capillos*, Hipp. *lib. 6. Epid. VII.* 28. quibus *criſpi* opponuntur *capilli*, Gr. οὖλοι, vel οὐλότριχες, Ariſtot. *in Alex. in probl. dict.*

ITINERARIUM, ὁδοιπορικὸν, vocatur in Chirurgicis inſtrumentum ex tenui argento, vel orychalco paratum, quo via ad exactam loci, in quo, & per quem inciſio ad extrahendum calculum veſicæ facienda eſt, notitiam monſtratur, cujus delineationem & uſum exhibet Hildan. *l. de lithotomia veſicæ*, *cap.* 14. 15. Hujus delineationem exhibet etiam Scultetus *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XVII. fig. 6.* Alias *Itinerarium* in propria ſignificatione, quatenus ſignificat deſcriptionem memorabilium in itinere, Medicis quoque commendatum eſſe debet, ad veram experientiam acquirendam & confirmandam.

ITIS, ῖτις, terminatio eſt propria inflammationum, ſive potius nominum inflammationes nunquam non ſignificantium, v. g. *Phrenitis*, *Pleuritis*, *Nephritis*, &c. teſte Linden. *Ex. XVI.* §. 11.

ITRION, ἴτριον, late & ſtricte acceptum fuiſſe vocabulum, conſtare poterit ex Autoribus diverſis. In genere notat *placentarum* non fermentatarum genus, Latinis *Libum* dictum, Lang *l.* 1. *ep.* 56. ſub ſe comprehendens duas ſpecies: præſtantiorem unam, quæ ῥύμμα, & viliorem, quæ λάγανον dicitur, Gal. *l.* 1. *de Al. facult. c.* 4. Foëſius explicat ἴτρια per *dulciaria liba*, aut bellaria, vel panes dulciarios ex ſaccharo, nucibus, pineis, amygdalis, aut etiam ſeminibus papaveris, & ſeſami confectos, quales hodie *Marzipanes* vocantur, corrupta forte ex μάζα voce, *Oeconom. pag.* 292. De *Itriis* etiam legatur Mercur. *l.* 1. *V. L. cap.* 11. Lang. *l.* 3. *ep.* 4. J. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 10.

IVA vocatur Ruland. & Iohnſ. Medicina, propter membra contracta, v. gr. *Iva arthetica*, *Iva potabilis.* In Lex.

JUCUNDITAS, *Jucundus*, ἥδυσμα, ἧδος, etiam ἡδος, ἡδὺς, quid ſignificet, notum eſt. Vide etiam *Hedys.* Refertur alias inter generales conditiones, ad Methodum medendi ſpectantes, ex Galen. *l.* 14. *meth. med. c.* 13. Quomodo tamen hæc conditio aliquando limitationem admittat, vide *in Dogm. noſtris P. IV. c.* 3. *dogm.* 10. *p.* 512. *ſeqq.* Adde & C. Hofmann. *Orat. Iſag.* 2. *p.* 114. *ſeqq.*

JUDAICUS, *Judæus*, ἰουδαϊκὸς, ἰουδαῖος. Eſt epitheton lapidis, qui in Palæſtina Syriæ reperitur, unde & *Syriacus* vocatur, eſtque glandis effigie candidus, ſcita admodum configuratione, à cujus obtuſiori parte ad acutiorem procedunt eminentes lineæ, æqualiter inter ſe diſtantes, quaſi de induſtria detornatæ. Vis eidem tribuitur inſignis comminuendi calculum, & cum urina expellendi, Gal. *l. 9. de S. F.* §. *Judaicus.* Ægin. *l.* 7. *c.* 3. Hinc etiam ab effectu τηκόλιθος atque οὐρήσιος dictus fuit; à ſimilitudine vero φοινικίτης appellatus, Gorræus. Commendat ejus quoque virtutem Paracelſ. *l. de morb. Tartareis c.* 18. *&* 20. in ſpecie oleum ex lap. Judaico, *l. de morbis ex Tartaro*, *tr.* 2. *c.* 1. Videatur & Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 10. Deinde eſt epitheton *Emplaſtri*, cujus geminæ habentur deſcriptiones: una apud Celſ. *lib.* 5. *c.* 19. quod dicit fracto capiti accommodatum eſſe: altera apud Aëtium *l.* 15. quod repurgans carnemque gignens habetur, notante Gorræo.

JUDICATIO, *Judicium*, *Judex*, *Judicatorius*, κρίσις, κριτὴς, κρίσιμος. Vide *Criſis*, *Criſimos.*

JUGALE, *Jugamentum*, ζύγωμα, os dicitur, quod temporis muſculo præpoſitum tranſverſam in medio ſuturam habet, cujus poſterior pars cum capitis oſſe, quod juxta aures eſt, anterior cum parte ſupercilii extrema ad parvum oculi angulum continuatur, Gal. *l. de oſſib. c.* 2. duplex ad utramque aurem, ſuper foramina, per quæ facultas audiendi eſt, emergit, *l. Introduct. c.* 11. *& com.* 2. *de artic. t.* 14. Vide & Barthol. *libell.* 4. *Anat. c. 6.*

JUGALIS dicitur ſutura cranii, quæ alias *ſagittalis* vocatur, quaſi ſuturam oſſa ſyncipitis conjungentem diceres. Nominatur & *Virgata.* Vide *Virgata. Jugalis* etiam dicitur ſutura in oſſe jugali occurrens, & proceſſum primum cum primo maxillæ ſuperioris conjungens. Blaſ. *Med. Un. p.* 105.

JUGULARIS, σφαγίτης φλὲψ, vocatur *vena* utrinque ad colli latera in *jugulo* abſcendens. Dividiturque in *internas* & *externas*, de quibus vide Barthol. *libell.* 1. *c.* 6. Meminit Galen. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 10. & *l. de vent. & art. diſſect. c.* 7. Hippocr. vocavit σφαγὰς τῦ τραχήλυ, *l. de glandul. II.* 19. Earum venarum ſectionem valde periculoſam eſſe, teſtatur Hildan. *Cent.* 4. *Obſ.* 2. Nihilominus tamen aliquando inſtitui poſſe, docet Idem *d. l. Obſ.* 14.

JUGULATUS, ἀποσφαζόμενος, dicitur de animalibus, quæ interimuntur præciſo jugulo, & venis jugularibus, Hipp. 1. *de nat. hum. t.* 31. Sumitur tamen aliquando verbum *Jugulari* latius, pro occidere, *interficere*, uti patet ex Scrib. *n.* 84.

JUGULUM, σφαγὴ, proprie ſignificat cavum illud, ſive ſcrobiculum, quo diſparantur κλεῖδες, ſive *Claviculæ*; in qua ſignificatione legitur apud Gal. *l.* 13. *de Uſ. P. c.* 11. notante C. Hofmann. *in comm. n.* 104. Autores tamen Latini frequentiſſime uſurparunt vocab. *Jugulum* pro ipſis *Claviculis*. Vide *Clavicula*. Unde paſſim in Gal. Latina verſione, Foreſto, & aliis de *Jugulo* fracto, incurvato, fiſtuloſo &c. legitur. Ita & Barthol. teſtatur, Celſum vocaſſe *Jugula*, *libell.* 4. *c.* 19. *in princ.* Alias *Jugulum* vocatur quoque primum os ſterni, amplius & craſſius pugionis referens nodum, teſte eodem, *d. l.* 18.

JULEB, *Julapium*, *Julepus*, ζυλάπιον, alias ἰολάβιον, dicitur medicamentum liquidum & potulentum ab Arabibus inventum, ex aquis vel ſuccis liquidis, cum ſaccharo, vel ſyrupo aliquo paratum, cum vel ſine concurrente coctione; de quo medicamenti genere legi poſſunt Morell. *in med. præſcr. form. l.* 1. *ſ.* 1. *c.* 2. Schroder. *l.* 2. *cap.* 64. Schenk. *in Syntagm. comp. & præſcr. medic. Part. ſpec. cl.* 2. *ſ.* 5. *c.* 2. Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 8. *ſect.* 2. *cap.* 20. *Julepus* vel *Syrupus Chymicus* paratur, ſi extractioni diminutæ additur ſaccharum purum, & coquitur ad perfectionem, filtratur, vel clarificatur. Libav. *Alchim. Pharm. c.* 24.

IULIA, rectius *Iulis*, ἰυλὶς, nomen piſcis, quem inter ſaxatiles refert Galen. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 28. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 3. Hujus piſciculi deſcriptionem, uſumque in cibo & Medicina vide apud Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 7.

IULOS, *Iulus*, ἴυλος, æquivocum eſt vocabulum. 1. Ita dicitur, quod in corylo, ut & alno, juglande, quercu, veluti prælongus vermis ſingulari pediculo dependet; quæ ſignificatio ad Botanicos ſpectat. 2. ἴυλοι dicuntur exortus pilorum circa tempora, ut & lanugines primæ in mento erumpentes, ex Ruffo. Gorr. 3. eſt nomen Inſecti multipedis rotundi, ad differentiam *Scolopendræ*, ad lumbricos terreſtres pertinentis, cujus deſcriptionem & uſum tradit Aldrovand. *l.* 5. *de Inſect. c.* 14. & 15. Denique piſcis quidam hoc nomine quoque venit os ſceleratiſſimi veneni refertum habens, uti teſtatur ex Æliano dictus Aldrov. *l. de piſc. c.* 7.

JUMENTUM, ὑποζύγιον. Vide *Hypozygion*.

JUMNISUM, *Jumnizum*, id eſt, *Fermentum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

JUNCATA, vocatur edulium quoddam lactarii operis, quod junceæ fiſcellæ incluſo lacte fiat, æſtivis fervoribus expeditum valde. Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 7. *Meth. med. c.* 4.

JUNCTURA, διάρθρωσις, vide *Diarthroſis*. Hinc & arthritidis ſubjectum proprie habentur *Juncturæ*, συμβολαὶ, id eſt, conjunctiones articulorum; & propterea etiam *Juncturarum* dolor à quibuſdam vocatur. Foreſt. *l. de Arthritide paſſim in Schol.*

JUNO, tropice denotat *Aërem*. *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 261. 334.

JUPITER, Ζεὺς, vel ſumitur pro ſtella erratica, ſive *planeta* lucido, quoad vires & influxum in inferiora temperate calido & humido, & propterea vitæ amico, qui malas Saturni qualitates temperare creditur. Hinc etiam varia mineralia, vegetabilia & animalia ipſius regimini ſubjiciunt, de quibus videatur Schroder. *l.* 1. *cap.* 9. quamvis fortaſſis hæc diſtributio corporum naturalium per planetarum directionem imaginaria potius, quam realis dicenda ſit. Licet vero adeo benignæ virtutis planeta habeatur *Jupiter*, nihilominus Paracelſ. implicite eidem etiam certos adſignare morbos non veretur, quos tamen non denominat, *Paragran. II. Tr.* 2. *de Aſtronom.* Vel accipitur pro Deaſtro gentilium, *filio Opis & Saturni*, ſupremo inter fictitia ethnicorum numina, quæ ſignificatio eſt extra pomœria Medica. Occurrit tamen apud Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. ubi meminit *Jovis Olympici* ornatus mirabilis, & *l.* 9. *de C. M. S. L. cap.* 4. ubi ipſe fatetur, fabularum ſcriptores finxiſſe *Jovem* in monte Dictæo Cretæ educatum, occultatumque à matre Rhea, ne à patre Saturno quoque devoraretur. Vel ſumitur ſpagyrice, & denotat *ſtannum*. Rul. Iohnſ. ideo, quod *Jovi* macrocoſmico ſympathice conveniat, & microcoſmico, id eſt, Hepati, Schroder. *l.* 3. *c.* 14. Vel etiam ab Hermeticis ſumitur pro *aëre*, vel *vento*, uti videre eſt in Phyſica Triſmegiſti, ut & *Philoſophia Chemica* Ger. Dornæi. Vid. *Theatr. Chymic. Vol. I. in Indice*. Tropice *Jupiter* etiam *vitam* denotat. *Th. Chym. Vol. V. p.* 261.

JURAMENTUM, ὅρκος, item *jusjurandum*, quid ſignificet, ex aliis Lexicis conſtat. Medicis peculiare conſcripſit Hippocrates non adeo ineptum. Non abſimile propoſuit Linden. *Ex. III.* §. 24. Hujuſmodi vero præſtatio *Juramenti* non ſolum lingua, ſed & corde, vel animo puro fieri debet, quem etiam certiſſime devincit, docente eodem *Ex. X.* §. 280. Quæ contra *Juramenta* Medicorum Magiſtratibus præſtitorum proponit *in præfat. ad Paragran.* tumetipſe videas, an ſint prorſus de nihilo.

JUS, apud Latinos æquivocum eſt. Vel enim ſignificat Statutum Politicum & Legale, Gr. δίκη, θέμις, quæ ſignificatio huc non pertinet. Vel notat liquorem eſculentum eorum, quæ cocta ſunt, cum vel ſine condimentis. Dicitur Gr. ζωμὸς, Lat. *Brodium*, *Juſculum*. De *jure albo* veterum videatur Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 30. *& l.* 4. *de ſan. tu. cap.* 10. Linden. *Ex.X.* §.*66. ſeq.* Lang. *l.* 1. *ep.* 58. Plura de *Juſculis* variis Jul. Alex. *l.* 19. *Sal. c.* 15. Rolfink. *O. ac M. Med. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 10. *ſeq.* Imprimis vero tabidis corporibus *Jus conſumtum* ſive analepticum commendari ſolet, de cujus præparatione vide dictos Autores, Jul. Alexandr. & Rol. & Claud. Deodat. *Panthei Hygiaſtic. l.* 2. *c.* 5. *p.* 59. ubi *Jus congelatum* & *Gelatinam conſummatam* vocat.

JUSJURANDUM, vide *Juramentum*.

JUSSA, id eſt, *Lapis gypſeus*, Rul. & Iohnſ.

JUSTUS, *Juſtitia*, δίκαιος, δικαιοσύνη. Vide Dicæon.

JUVANS, ὠφελέον, ὠφελήσων, idem, quod *auxilium*, *remedium*, *indicatum Medicum*, de quibus ſupra ſuis locis. *Juvans* dicitur, quo auxiliamur naturæ, h. e. vires ejus augemus excitando aut confirmando, donec expulerit hoſtem morbum, & amicam ſanitatem recuperarit. Lind. *Ex. IIX.* §. *64. 65.*

JUVENCUS, δάμαλις, dicitur de bobus, vel vitulis ad ſecundum annum pervenientibus, quorum caro ſatis commoda ad nutritionem. Vocantur & *Junices*. De iis vide Jul. Alex. *l.* 11. *Sal. c.* 9.

JUVENIS, *Juventus*, νέος, νεάνισκος, μειράκιον, idem, quod *Adoleſcens*, *Adoleſcentia*. Quam vero ætatis determinationem proprie comprehendat, inter ſe diſcrepant Autores, de quo diſſenſu Dieter. *n.* 563. 565. Nobis videtur late & ſtricte poſſe accipi, quatenus vel includit adultos, vel non. Nec multum refert, modo acceſſerit dextra expoſitio. *Juvenis* quandoque ſtricte diſtinguitur ab *adoleſcentia*, & eam ſuperat, ita ut incipiat inter ſeniores numerari, Lind. *Ex. XV.* §. 105. Quod in ſenibus per cœlum Philoſophorum, id eſt, Quintam Eſſentiam Auri *juventus* poſſit recuperari, uti vult Raimund. Lullius, *Theatr. Chymic. Vol. I. de medic. Chym. pag.* 628. hyperbolicum eſt. *Juvenis pulcher* ænigmatice vocatur aqua rubra in labore Lapidis Philoſophici *Th. Chym. Vol. IV. p.* 945.

JUXTANGINA, κυνάγχη, ita vocarunt Latini interpretes ſpeciem *anginæ*, quæ κυνάγχη Gr. dicitur, vel potius παρακυνάγχη, uti patet ex Gal. 1. *aph.* 12. Vid. *Angina*.

IXALE, ἰξάλη, aliis ἰσάλη, ſignificat *pellem capræ* non ſectæ. Nam ἴξαλος ſignificat caprum ſalacem, quamvis Gal. etiam alterius animalis *pellem* ſignificare ſtatuat, Hippocr. 3. *de fract. t.* 25. Gal. *in comm.* Erotian. *p* 55. F. Foëſ. *Oec. p.* 283. Latine *Petulca*.

IXIA, ἰξία, idem, quod κιρσὸς, *varix*. Vide *Varix*, quamvis ſint, qui diſcrimen eſſe putent inter κιρσὸν & ἰξίαν, illam vocem de omni varice in quacunque corporis parte accipientes; hanc vero ad eas modo, quæ in cruribus habentur, reſtringentes. Sed diſcrimen nullum cenſendum eſt. Gorr. Caſtell. Legitur vocabul. ἰξία ap. Hipp. *l.* 7. *Epid. LIIX.* 12. *Ixia* etiam vocatur ſuccus plantæ, quæ *Chamelæon* albus ſive *Carlina* vocatur, vel viſcum radici illius herbæ adhærens, quemadmodum & ipſa planta *Ixia* & *Ixine* dicitur. Dioſc. *l.* 3. *c.* 10. Scrib. *n.* 192. & Rhod *ad h.l.* For. *l.* 30. *Obſ.* 10. *in Schol.* Helm. *tr. Pharm. & Diſp. mod. n.* 12. *& Tumul. peſtis in fin.*

IXIR, vide *Xir*.

IXIS, ἴξις, uſitatiſſimum Hippocrati vocabulum, *rectitudinem*, vel rectam viam ſignificans, & ita idem, quod εὐθυωρία. Vide *Euthyoria*. Loca ex Hipp. legantur apud Foëſ. *p.* 284. Propria κατ' ἴξιν ſignificatio dimenſi per longitudinem corporis *rectitudo* ex dextra vel ſiniſtra parte eſt. Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 2. *ad Glauc. c.* 2.

IXODES, ἰξώδης, *viſcoſum*, ſignificat ab ἰξὸς, *viſcum*, & pro glutinoſo medicamenti lentore ſumitur apud Hipp. *l. de ulcer. IX.* 5.

IXOS, ἰξὸς, vocatur *viſcum*, quod nomen & plantæ arboribus, quercui, pyro, corylo, abieti &c. adnaſcenti, & ſucco concreto glutinoſo tribuitur, & paratur ex acinis contuſis, & in aqua decoctis. Sunt, qui commanducando eum efficiunt. Optimum eſt recens, intus porraceum, extra fulvum, quod aſperi nihil, aut furfuroſi conceperit. Emollit, diſcutit, extrahit. Gorr. vide *Viſcum*. Dicitur & de paſta frumentacea viſcoſa, Gal. *l.* 2. *de L. A. c.* 8.

IXYS, *Ixye*, ἰξὺς, ἰξύη, *Ilia*, vel *lumbi* dicuntur, magis tamen poſterius, quam prius, uti patet ex text. Hippocr. 2. *de fract. t.* 70. *l. de nat. mul. II.* 12. *V.* 3. *VI.* 3. *VII.* 4 *IX.* 3. *XI.* 5. *XIII.* 5. *XIV.* 1. & ſæpius alibi, quæ loca videantur apud Foëſ. *p.* 285. Vide *Lumbus*. Erotianus ἰξὺν & ὀσφὺν pro συνωνύμοις venditat; Galenus autem *in exeg. Hipp.* quod inter lumbos & iſchium eſt medium ἰξύαν appellat in ἰξύας.

IYNX, ἴυγξ, avis quædam vocatur, quæ Lat. *torquilla*, quod reliquis corporis partibus nihil agentibus ſolam cervicem contorqueat. Hujus deſcriptionem & uſum in cibo & Medicina vide apud Aldr. *l.* 12. *Ornith. c.* 42. & de *Iyngi* congenere *cap.* 43. De uſu magico illius Lang. *l.* 2. *ep.* 59. quamvis in eo non conveniat cum Aldrov. quod cum illa avicula mugiente inter cannas in piſcinis confundat.

K.

Græca vocabula ab hac litera quæ incipiunt, vide in litera C. *expoſita*.

KAAWY, potus Indicus ex tritico Indico, *Mays* dicto, paratus.

KAPNOS, id eſt, *fumus*. Rul. & Iohnſ. Fortaſſis mendum eſt, & legendum *Kapnos*.

KACHYMIA, *Kakimia*, id eſt, *Cachymia* Vide *Cachimia*. Rul. & Iohnſ. Parac. *Chirurg. l.* 3. *de puſtul. & exulcerat.* Galen. *c.* 6. ubi dicit, Margaſitam eſſe Extractam *Kakimiæ*.

KAIB, id eſt, *lac acidum*, coagulatum. Rul. & Iohnſ.

KAL, id eſt, Sal de torrente, Rul. & Iohnſ.

KALD, id eſt, *acetum.* Iid.

KALED, in negotio Lapidis Philoſophici ejuſque primo opere vocatur *Volans*, uti videre eſt *in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 206.

KALI, id eſt, *cinis clavellatus.* Hinc *Alkali.* Vide ſupra *Kali.* Arabice *Uſnen.* Rhaſis vero ſcribit, *Kali* eſſe alumen asfur. Rul. De *Kali* videatur & C. Meretti *Not. in Artem Vitrar. Ant. Neri p. m.* 283. *ſeqq.*

KAMAR, vel *Camar*, id eſt, *Argentum.* Iid.

KAMIR, id eſt, *fermentum.* Iid.

KANFOR, id eſt, *Stannum*, Iid.

KAPRILI, id eſt, *Sulphur.* Iid.

KAR, eſt *gemma lucens*, ſicut ignis. Iid.

KARABE, id eſt, *gumma*, ſicut ſafforata, notat *Succinum.* Vide *Carabe.* Paracelſ. etiam *Aſphaltum nigrum* vocat *Karabe*, *in prælect. Chirurg. de vulner. c.* 12.

KARABITUS, vocatur Arab. *Phrenitis*, quia alienatio mentis concurrit, quæ etiam hoc nomine indigitatur. Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 1. *Schol.*

KARENA, eſt vigeſima quarta pars minutiſſimæ guttæ, Paracelſ. *l. 6. de grad. & compoſ. c.* 7.

KASAM, id eſt, *ferrum.* Rul. & Iohnſ.

KATIMIA, idem, quod *Cadmia*, *lapis Calaminaris*, Tutia. Rul. & Iohnſ. Vide *Cadmia. Calaminaris.*

KAYL eſt *lac acetoſum.* Rul. & Iohnſ.

KAYSIR, id eſt, *ſpuma maris*, proprie *pumex.* Iid.

KAZDIR, *Kaſdir*, *Kacir*, *Kaſizeros*, id eſt, *Stannum.* Rul.

KENKEL vocatur animal ad Tyriam tincturam utile. *in Th. Ch. Vol. V. p.* 12.

KENNE eſt lapis, qui in oculo cervi generatur, contra venena valens uti Bezoar. Vid. Ludov. Dulcis *de gemm. & lapid.* An fortaſſis idem cum Lachryma Cervi? de qua vide in *Dacryon.*

KERMES, vide *Chermes.*

KERSUDRUS, nomen ſerpentis, qui alias *Cherſydros*, *Hydrus* appellatur, Aldrov. *Hiſt. ſerpent. & drac. l.* 1. *c.* 17.

KIBRIC diverſa ſignificat. Rul. deſcribit, quod ſit Mercurii & aliarum rerum fuſilium vel liquabilium parens, & prima materia, ex qua fit Mercurius. Ipſe Lapis quoque ita vocatur *in Lex.* Cui fere conſentit Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 7. *c.* 34. ſcribens, *Kibric* caput & pater aluminum, ſalium & omnium liquabilium metallorum. Alibi tamen, nimirum *d. l. c.* 7. *Kibric. Philoſophorum* paulo aliter deſcripſit; quæ verba non neceſſe eſt tranſcribere. Idem vocat & *Sulphur Kibric*, *Apoc. Herm. P. prior. c.* 2. *Kibric* vocatur *Gummi Philoſophorum*, *Th. Chym. Vol. V. p.* 84. Junge *pag.* 89.

KIBRITH, id eſt, *Sulphur.* Rul.

KIBRIUS, *Kebric*, id eſt, *Arſenicum.* Iohnſ.

KIDIBENGI vocantur illi, qui *Bengi* ex ſemine & foliis cannabis paratum ad Veneris ſtimulum devorant; ex Olearii *Itiner. Ephem. Nat. Cur. A. II. Obſ.* 69.

KISES, Sal e rivo, vel fluvio. Rul.

KIST, id eſt, *grana quindecim.* Paracelſ. *Paragraph. l.* 7. *c.* 1. §. 4. *in append.*

KOBALTUM, vide *Cobaltum.*

KOLERUS dicitur *ulcus ſiccum*, Paracelſ. *Gener. Vermium & Apoſtemat. Tab.* 8.

KOLTO, *Koltus*, Polonis vocatur *Plica Polonica*, Eph. N. Cur. *A. II. Obſ.* 52. *in Schol.*

KOMA, *Komartos*, id eſt, *Calx viva.* Rul. & Iohnſ.

KOPHI, thymiama Diis apponendum 2. medicamentum coquens, pectori inhærentia, & jecoris frigiditatem corrigens. Anonym. *Sylv. Medicam. Compoſ. c.* 12. *l.* 1.

KUHUL eſt minera plumbea, *plumbum Philoſophorum.* Rul. *Th. Chym. Vol. V. p.* 14. Meminit & alibi ſæpius hujus vocabuli.

KUMEN eſt *coadunatio.*

KURIA, vel *Kymia*, vel *Kymus*, dicitur *Maſſa.* Unde *Alkymia.* Rul. & Iohnſ.

KUTUBUTH vocatur apud Arabes *Melancholiæ* ſpecies, quæ *errabunda* dicitur, & plerumque menſe Februario ægros infeſtare ſolet, quando nullo in loco quieſcere poſſunt, ſed hinc inde continuo vagantur, neſcientes tamen, quo vadant. Ita dicta eſt ab animali, quod in aquarum ſtagnantium ſuperficie hinc inde perpetuo curſitat. Hujus cauſſa noſtro judicio ponenda in ſpirituum animalium partim materiali fuliginoſitate & atrabiliaria acetoſitate, partim inordinata agitatione & mobilitate propter ſanguinis vernalem efferveſcentiam inchoantem oborta. Meminit hujus melancholiæ & nominis Arabici Sennert. *Med. Pract. l.* 1. *part.* 2. *c.* 14. Alias inſectum illud paluſtre Tipulæ vel Tipullæ nomine venit, uti colligere licet ex Aldrovand. *l.* 7. *de inſect. c.* 1. Vocatur & ibidem *Pulex Aquaticus*, tantæque eſt velocitatis & levitatis, ut rariſſime quieſcat, & nunquam ſubſidat.

KYMENNA, id eſt, *ampulla.* Iid.

KYMIA, vide *Kuria.* Vocatur etiam *Kymia Cucurbita*, e qua fit deſtillatio. Rul.

KYMIT *elevatum*, Cinabrium album ſublimatum. Ruland.

KYMOLEA dicitur lutum illud, quod ſub cote colligitur, alias *Chymolea.* Rul. & Iohnſ.

KYMUS, vide *Kumen. Kymum* vel *Kyminum*, id eſt, *coadunatio.* Rul.

KYRA, id eſt, *Opopanax.* Rul. & Iohnſ.

KYRAM, eſt *Nix.* Iidem.

L.

LABDANUM, vide *Ladanum.* Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *num.* 388.

LABE, λαβὴ, idem, quod λῆψις, communiter *apprehenſionem*, acceptionem ſignificat, à λαμβάνω, accipio. Apud Hippocr. ſpecialiter ſumitur pro ἐπισημασίας, h. e. prima febrium *acceſſione*, præcipue periodicarum. Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* quamvis frequentius λῆψις vocabulo uſus Hipp. *l. de morb. XIII.* 17. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 20. *l.* 5. *Epid. XXXII.* 14. *l.* 7. *XLVII.* 5. *XLVIII.* 1. Vide Foëſ. *Oec. p.* 371. Gorr. *in def.* & verbum *Lambano.*

LABENÆ vel LABINÆ à *labendo* rectius quam Leænæ à feræ hujus celeritate dicendæ vocantur moles ingentiſſimæ nivium conglomeratarum in montibus Helvetiæ aliiſque excelſis, quæ vel à calore ſolis vel alio levi motu venti vel aviculæ in ramo agitatæ in præceps delapſæ celerrime incredibile damnum, ſylvis, domibus, brutis & hominibus miſere opprimendo & obruendo inferre ſolent, quemadmodum olim talia ruinarum veſtigia me quoque in montibus Taurorum nomine venientibus obſervaſſe inter Salisburgum & Carinthiam bene recordor, & egregie deſcripſit Joh. Jac. Wagner. *Hiſt. Helvet. Curioſ. ſect. II. Artic.* 7. *p.* 32. *ſeqq.*

LABEO, χειλὼν, χελὼν, dicitur, qui prominentibus eſt labris. Uſurpatur de hominibus & piſcibus. Vocantur & *Brochi*; aliis *Bronci.* Vide Linden. *Ex. XI.* §. 37. *ſeqq.*

LABES, σπῖλος, vide *Macula.*

LABI, verbum ὀλισθαίνειν, πίπτειν, vide *Lapſus*; *Oliſthæno.*

LABIS, λαβὶς, vocatur *forceps*, aut *volſella*, qua aliquid apprehenditur, & extrahitur. Hipp. *l. de ſterilib. XXVI.* 13. Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. Vide *Acanthabolos.*

LABIUM, *Labrum*, χεῖλος, proprie vocatur oris extremitas muſculoſa ipſum claudens & aperiens. Dicitur *Oris margo.* Diviſio eſt in *ſuperius* & *inferius*, quorum illud *labrum*, hoc *labium* dici rariſſime fuit obſervatum, Galen. *l.* 11. *de Uſ. part. c.* 16. Dieter. *n.* 919. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 13. §. 44. Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 11. Quod in *labiis* prominet, πρόχειλον, & προχειλίδιον appellatur, Lind. *d. l.* §. 45. Per ſimilitudinem etiam *Labia* vocantur extremitates duæ pudendi muliebris, inter quas rima externa eſt conſtituta, & ſunt corpora oblonga mollia, atque peculiarem ſubſtantiam habentia, qualis nulla alia eſt in toto corpore, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 35. *fin.* Gr. κρημνοὶ dicuntur, item Erotiano χείλη, Linden. *d. l. c.* 7. §. 139. Ita quoque extremitates vulnerum ulcerumque vocantur *labia*, κρημνοὶ. Vide *Cremnos.* Proceſſus oſſium, qui ἀποφύσεις appellantur, *labra oſſis* dici, quia inſtar *labrorum* prominent, conſtat ex Barthol. *libell.* 4. *c.* 1. *in fin. Labium Leporinum* quid ſit, vide *Leporinus* & *Lagocheilos. Labrum* quoque vocatus vas ad balneum, vel in alium quoque uſum deſtinatum; unde *Labra* vinaria, olearia, leguntur in Lexicis.

LABOR, πόνος, μόχθος, bifariam accipitur: 1. de *Exercitatione* corporis ſeria & vehementiori, unde & moleſtia quædam, aut laſſitudo comitatur. 2. de moleſtia doloroſa ægrotorum, imo de ægritudine ipſa. Hinc uſitatiſſima phraſis: morbo aliquo *laborare*: item *laborantes*, h. e. ægroti. Vide Galen. 5. *in* 6. *Epid. t.* 10. Foëſ. *Oec. p.* 523. Dieter. *n.* 711. Linden. *Ex. XIII.* §. 102. *ſeqq.* Rhod. *in Lexic. Scrib.* In ſpecie operationes vel ἐγχειρήσεις Chymicæ vocantur *labores Chymici.* Libav. *tr. de Igne naturæ cap.* 50. *Labor Sophiæ*, Paracelſicum eſt figmentum, quod dicit, eſſe alterum mundum, imo paradiſum, in quo nullus morbus gignitur, nec permanet, nullum animal venenoſum habitat, nulla ſanitas vacillat, ſed in quo operationes elementorum perfecte & integris facultatibus fiunt, quemadmodum ita deſcripſit *tract. vernaculo de vita longa.* Meminit & *tract.* 2. *de peſtilitate.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

LABORATORIUM, ἐργαστήριον, hodieque Chymicis notiſſimus terminus, qui ſignificat locum deſtinatum operationibus chymicis, ſive *domum chymicam*, cujus ingenioſa & accurata conſtitutio maximum poteſt ad exercitium artis hujus afferre momentum. Rolfink. *Chymiæ l.* 2. *c.* 16. Quale etiam publicis Incluti Magiſtratus Norimbergenſis ſumtibus & in hoc Lyceo Altdorffino extructum occurrit conſpectu ſatis dignum. Per *Laboratorium Naturæ* videtur Paracelſ. intelligere *mundum*, præcipue loca ſubterranea, in quibus nunquam otiatur, *l. de morb. Tartareis c.* 14.

LABRAX, λάβραξ, vide *Lupus*, nomen piſcis pelagii. Galen. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 26. Linden. *Ex. XI.* §. 96. 98.

LABRISULCIUM, χειλοκάκη, vide *Cheilocace.*

LABRUM, idem, quod *Labium.* Vide p. a. *Labium.*

LABYRINTHUS, λαβύρινθος, ſignificat proprie locum variis ambagibus & anfractibus viarum inflexum. In Anatomicis vero ob ſimilitudinem in aure interna meatus anfractuoſi quoque vocantur *Labyrinthus*, diſtincti tamen à cochlea, cujus anfractus in gyrum poſiti ſunt. Vide Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. Scripſit etiam Paracelſ. tractatum, quem inſcripſit *Labyrinthus* Medicorum errantium, in quo more ſuo gravius invehitur in Doctores Galenicos, & ſimul peculiaria fundamenta Empirica addiſcendi Medicinam tradit & proponit, tanta tamen cum obſcuritate in pleriſque occurrente, ut Bœotica ænigmata legiſſe videaris.

LAC, γάλα. Vide *Gala.*

LACAPHTHON, λάκαφθον, quid ſit, incertum eſt, nec etiam ſæpe à Medicis uſurpatur. Meminit ejus Ægineta *l.* 7. *c.* 22. in Cypheos magni compoſitione, ubi ſimul exponit per corticem piceæ aut alterius cujuſdam arboris. Ruellius vero exiſtimat, eſſe *naſcaphthum* ſive *narcaphthum*, aromatis genus, quod

ex India deportabatur, ſuffimentis optimum; notante Gorræo.

LACCA, λάκκα, vocabulum eſſe Arabicum, credit Garzias 1. *arom.* 8. ſignificans humorem ad mellis craſſitudinem coctum, & ita idem cum *Looh*, *Luc*, denotans. Quid vero hoc vocabulo ſpecialiter indicetur, variæ ſunt Medicorum opiniones: In hoc tamen omnes conveniunt, quod *Lacca* duplex ſit: *naturalis* & *artificialis*. De utraque vide C. Hofm. *Officinal. l.* 2. *c.* 119. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 387. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Jac. le Mort *in Chym. Medico-Phyſ.* Vide Morley *Collect. Chym. Leid. cap.* 492. ubi *Lacca Magiſterium vegetabilium* vocatur. De *Naturali* Chioccum *Muſ. Calceol. ſ.* 5. *p.* 630. de artificiali Libav. *Synt. A. Ch. l.* 6. *c.* 3. *Lacca Florentina* vel e pannis Scarlati tinctura infectis, vel e cocco ipſo conficitur, *d. l.*

LACCOS, λάκκος. Vide *Lacus*.

LACERTA, *Lacertus*, σαῦρα, σαῦρος, primo nomen eſt animalis quadrupedis digitati ovipari, (uti vulgo creditur, quamvis ſint ex recentioribus, qui viviparas *lacertas* obſervaſſe ſe teſtentur) cujus deſcriptionem, differentias, & uſum in Medicina videre licet apud Aldrov. *l.* 3. *de quadr. digit. ovipar. c.* 5. *ſeqq.* Adde Schroder. *l.* 5. *claſſ.* 4. *n.* 106. qui tamen hallucinatus eſt, quando per inſectum deſcribere non eſt veritus. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* De *lacertis* in hominum corporibus genitis, nec non vomitu rejectis vide Caſp. Rejes *C. El. q.* 30. *Eph. Cur. A. III. Obſ.* 311. Deinde *Lacertus* etiam tribuitur quibuſdam piſcibus, v. g. *Coliæ*, *Sauro*, *Scombro*, uti patet ex Aldr. *l.* 2. *de piſc. cap.* 53. *ſeqq.* *Lacertus* porro vocatur caro muſculoſa ſine oſſibus. Ruland. & ita idem, quod *Muſculus*. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 5. Gr. μῦς. Spagyricis *Lacerta rubra* vocatur *Vitriolum Hungaricum Colcothar*. Rul. & Iohnſ. Libav. *in Apoc. Herm. P. prior. c.* 2. Et *Lacerta rubra* ſecretior quædam præcipitati Mercurialis præparatio, *d. l. c.* 4. *Lacerta viridis* dicitur, quando ſolutioni additur paululum Cupri, Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 266. Vide *Saura*.

LACHANON, λάχανον. Vide *Olus*.

LACHLACHATUM eſt nomen medicamenti ſtomachici, cujus deſcriptio habetur apud Avic. *l.* 5. *ſum.* 2. *tract.* 6.

LACHRYMA, δάκρυον. Vide *Dacryon*.

LACHRYMALE *punctum*. Vide *Punctum*.

LACONICUM, λακωνικὸν. Vide *Balneum*. Fuit olim pars prima balnei apud antiquos, & ſola fere ex toto balneo nobis ſupereſt, teſtudo ſcil. illa thermarum, quæ igne concalefacta, vaporem ſiccum continet, à quo ſudor in corporibus movetur. Gr. ὑπόκαυστον, & πυριατήριον ξηρὸν & θόλος ξηρὸς vocatur. Gorr. Adde Weker. *Antid gen. l.* 1. *cap.* 23. De antiqua *Laconici* ſtructura vide Rhod. *ad Scrib. n.* 60. *p.* 103. *ſeqq.* A Cicerone & Celſo *Aſſa* dictum fuit.

LACONISMUS, λακωνισμὸς, dicitur brevitas loquendi & ſcribendi cum aliquo receſſu veteribus olim recepta, & in hoc ſcribendi genere excelluit Hippocrates, licet non ſit diſſimulandum, quod ſæpe cum obſcuritate ſit conjuncta hæc loquendi & ſcribendi ratio. Legatur Theodor. Ianſ. ab Almelov. *Invent. Novantiq. p.* 50. 145. 178. 179.

LACTANS, θηλονὴ, θηλάστρια, θηλωτὴς, *nutrix* vel mater, quæ lac e mammis ſugendum præbet, à θηλάζω, quod verbum active pro *lacto*, & paſſive pro *ſugo*, vel *lactor* accipitur, uti patet ex Lexicographis, & de pueris *lactentibus*, vel ſugentibus à Galeno uſurpatur, 5. *in* 6. *Epid. t.* 37.

LACTARIUM *edulium*, τὸ διὰ γάλακτος ἔδεσμα, Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 13. Dicitur & γαλακτικὸν ἔδεσμα. Item τὰ γαλάκτινα, *Lacticinia*, hoc eſt, edulia varia ex lacte parata. Talia propter lentorem bolarem Tartarum gignere vult Parac. *Param. l.* 3. *tr.* 1.

LACTES. Hujus vocabuli non eadem eſt apud veteres & recentiores ſignificatio. Illi enim vel uſurparunt pro inteſtinis tenuibus: vel pro ſucco, quem perſimilem lacti in piſcium muſculorum ventriculis cernimus, quemque genitalem ſuccum, vel rorem appellare poſſumus, imo debemus: vel pro meſenterio, omento, pancreate, pro glandulis meſenterii. Aliis quoque thymum, corpus illud glandoſum ad jugulum ſitum Lactes dici & in vitulis ad eſum expeti ſcribit Bartholin. *Anatom. l.* 2. *c.* 4. *p.* 348. Recentiores vero optime nomen hoc tribuiſſe videntur *venis lacteis* vel *chyliferis* per meſenterium diffuſis, quemadmodum hanc appellationem & varietatem ſignificationum egregie expoſuit Caſp. Aſellius *tr. de Lactibus*, ſive *Venis Lacteis*, & præſertim *c.* 1. & 10. Confirmavit Barthol. *libell.* 1. *c.* 3.

LACTEUS, γαλάκτινος, γαλακτικὸς, variis humoribus etiam excrementitiis tribuitur. *Chylus* dicitur *lacteus ſuccus*. Talis ſuccus *lacteus* chyloſus ſæpe etiam e ſecta vena obſervatus fuit effluens, præſertim ſi aliquot horis poſt aſſumtum cibum V. S. fuit inſtituta. Vide *Act. Philoſ.* Oldenb. *Ann. Menſ. Nov. Dec. & Jan.* 1666. Et apud Parac. ſæpe occurrit *Lactea urina* in *tr. de urin. judiciis l.* 1. *c.* 1. *ſeqq.* eſtque ab alcola, ſive tartaro reſoluto. Tribuitur & venis chyliferis, & lactiferis, de quibus ſupra dictum. Vide *Galactophorus*. Dicitur quoque de *linea alba* in cœlo, quæ *Galaxia* appellatur. Vide *Galaxia*. *Febres* puerperarum quædam vocantur *lacteæ*, quod plerumque ab & cum lactis in mammis proventu excitetur ebullitio ſanguinis & intemperies febrilis, de quibus febribus vide Williſ. *c.* 16. *de febrib.* *Lactea cura* vocatur, quæ inſtituitur per copioſum & continuum lactis uſum in cibo & potu, & valde commendatur à plurimis in arthritide, notante Boneto *Mercur. Compital. l.* 1. *p.* 35.

LACTICA, eſt epitheton febris Typhoidis alias dictæ, quæ ab Arabibus *Lactica* dicta fuit, teſte Lang. *l.* 2. *ep.* 41.

LACTI-

LACTICINIA, γαλάκτινα, dicuntur edulia e lacte parata, quæ in morboſa diſpoſitione facile corruptibilia ſunt, & tribus vel quatuor partibus diverſis imbuta, caſeo, ſevo, butyro, parte nitroſa, quæ corrupta ægros vario modo excruciare poſſunt. P. M. de Calderia *Tom.* 2. *Oper. p.* 203. *B.* Hoc nomine alias quoque veniunt *glandulæ faucium*, quæ & *animellæ* dicuntur. Veſal. *l.* 6. *de H. C. F. c.* 5.

LACTIPOTOR, γαλακτοπότης, qui lactis potu capitur, Pollux. Dicitur & *Lactibibus* aut *Lactibibulus*, Meibom. *de Cerevisia cap.* 2. Item *Lactibibax*, Bernh. Herlinus *in Conſilio Sanitatis vernaculo p.* 132. 133.

LACTISMA, λάκτισμα, id eſt, ictus calce inflictus. Et λακτιστὴς, calcitrator. Lex. Gr.

LACTUMEN, idem eſt, quod *Achores*, ſive *cruſta lactea*, Walth. *Sylv. med. p.* 14. *Lactumina* dicuntur *cruſta lactea*, apud Heurn. *de morb. c.* 7. Welſch. *Cent. I. Obſerv. & Cur.* 23.

LACUNA, idem, quod *Choana*, *Infundibulum*. Vide *Choana.*

LACUNE, id eſt, *Terra ſigillata*, Rul. & Iohnſ.

LACUS, λίμνη λάκκος, quid ſignificet, notum eſt, nimirum aquam ſtagnantem, & propterea facile corruptibilem. Idem quod *ſtagnum*, *palus*. Gal. *l.* 4. *de S. fac. c.* 20. & *l.* 9. §. *Chalcanthos.* *Lacus* etiam dicitur de vaſis ad lavandum idoneis, & ita coincidit cum *Labro.* Rul. *in Lexic.* Quomodo differat ab ἕλος, vide Jul. Alex. *not. ad Galen. l.* 5. *meth. med. c.* 12.

LADANON, λάδανον, dicitur & *Labdanum*, (perperam vero confunditur cum vocabulo *Laudanum*, de quo inferius dicendum,) eſtque ſuccus pinguis & roſcidus fruticis, *Ciſtus Ledon* dicti, foliis adhæreſcens. Cogitur facile in maſſam non abſimilem pilularum, colore opaco cinereo, inflammabile, ſuaveolens in ſuffitu, de quo videatur Dioſcor. *l.* 1. *c.* 128. C. Hofmann. *Offic. l.* 2. *c.* 120. Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 388. Fr. Hofmann. *in Clavi ad h. l.* Laudat & Gal. aliquoties in ſcriptis ſuis virtutem *ladani*, præſertim *lib.* 2. *de C. M. P. G. c.* 2. ubi dicit, & emolliendi & repellendi virtutem ſimul habere. Abuſive vero *ladanum* ſumitur de ſordibus barbæ hircorum adhærentibus, *l.* 1. *de C. M. S. L. cap.* 1. *in fin.*

LÆLAPS, λαίλαψ, dicitur *ventus procelloſus*, procella, turbo, præſertim ſi multam & largam pluviam conjunctam habeat. Hinc cœlum dicitur procelloſum & nimboſum, οὐρανὸς λαιλαπώδης, Hipp. 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 4. & 5. ὕδωρ λαιλαπῶδες, aqua procelloſa, nimboſa, quæ damnatur, *l.* 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 19. Junge Fœſ. *p.* 373. Gorr. *in def.*

LÆMOS, λαιμὸς, ſignificat *gulam*, & eam præcipue œſophagi partem, quæ in cibis devorandis voluptatis ſenſum percipit, ut indicat Galen. 3. *de R. V. I. A. t.* 11. Occurrit alias vocabulum hoc in Hippocr. *l. de Corde II.* 5. & *l* 2. *Epid ſ. VI.* 14. & lat ne redditur *Guttur.*

LÆSIO, βλάβη, vide *Blabe.* Eſt vero proprius limes rerum præter naturam in Medicina dictarum, quarum quædam *lædunt*, quædam *læduntur*, quædam *læſionem* comitantur. Ubi per *læſionem* intelligendum nihil aliud, quam quando partis alicujus opus vel functio incommodatur, & vitiatur. Dicitur alias *Affectio*, διάθεσις præter naturam. *Læſiones* externas communi nomine τραύματα, *vulnera* vocatas fuiſſe, teſtatur Gal. 2. *de artic. t.* 18. quamvis in Græco habeatur κοινοτραύματα, quod vocabulum mutandum eſſe in κοινῶς τραύματα, volunt Interpretes.

LÆTIFICANS, Græce dici poſſet εὐφραντικὸς, epitheton eſt quorundam medicamentorum & confectionum ſanguini & ſpiritibus activitatem & ſpirituoſitatem conciliantium, quæ proſunt in melancholia & virium vitalium animaliumque languore. Talia occurrunt in Diſpenſatoriis Norimbergenſi & Auguſtano; quorum unum eſt Rhaſis, alterum Nicolai Præpoſiti. Formulas quoque ſimiles exhibet Langius *l.* 3. *ep.* 1. *cap.* 6. & 7.

LÆTITIA, χαρά. Vide *Gaudium.*

LÆVIGATIO, λείωσις, eſt actio, qua id, quod inæquale & aſperum fuit, redditur æquabile, planum & *læve.* Uſurpatur à Galeno de cibis, qui dentibus *lævigantur*, Galen. *l.* 11. *de V. P. c.* 8. Chymicis *Lævigatio*, ſeu *Alcooliſmus* eſt calcinatio, quæ rem pulverando in *Alcool* adducit. Et eſt hic reductio quorundam per glutinationem, quorundam per fuſionem, aut fulminationem. Rul. & Iohnſ.

LÆVIS, *Lævitas*, *Lævor*, λεῖος, λειότης, λείωμα, dicitur de rebus diverſis, quæ ad contactum nullam habent inæqualitatem, ſed æquabilia ſunt & plana. Opponitur *aſpero* & *aſperitati.* Uſurpatur partim de corpore & ejus membris, ita arteria pulmonalis, olim vena arterioſa dicta, ad differentiam aſperiæ arteriæ dicitur *Arteria lævis*, Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 9. & apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 29. *cutis* totius *lævitas* legitur, & opponitur τῷ φρικώδει, horridæ cutis aſperitati. Uſurpatur quoque de alimentis; ita viſcoſitas ptiſanæ hordeaceæ *lævis* probatur 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Item de ſedimento urinæ, 2. *progn. t.* 72. Eſt etiam præternaturalis *lævitas* v. g. inteſtinorum. Vide *Lienteria.* Chymicis quoque *lævor* vocatur, Gr. λείωμα, pulvis impalpabilis exquiſitiſſimæ *lævitatis*, qui & *Alcool* quibuſdam dicitur, & fit quidam manu, vel tritura ſuper marmore cum porphyrite, vel in mortario cum piſtillo, ita ut, quod contritum eſt, excutiatur per ſetaceum, vel linteum. Et tales *lævores* dicuntur χειροποίητοι, χειροποίητοι. Alius fit abſque manu ἀχειροποίητος, & pertinet ad myſteria Chymicorum. Huc pertinent Calces, Flores, Præcipitata &c. Libav. *Synt. Arc. Chym. lib.* 4. *c.* 3. Alias *Lævor* ponitur aliquando pro *livor*, & *lævidus* pro *lividus*, uti docet Keuchen. *Not. ad Seren. p.* 127.

LAGANIZO, λαγανίζω, ſignificat remitto, *lenis fio.* Uſurpatur ab Hippocr. de vento, qui opponitur vehementius ſpiranti, *l. de morb. ſacro XV.* 10. quamvis

vis mihi cum Foëſ. videatur mendoſa lectio, & potius legendum eſſe λαγγάζει, aut λαγαρίζει, *laxus* ſit, & ſegnior; quia verbum λαγανίζω neque in theſauro Henr. Stephani, neque Scapula, fortaſſis nec in aliis occurrit. Vide Foëſ. p. 371.

LAGANON, λάγανον, *placentæ* genus eſt, & ſpecies *Itriorum*, vilior, craſſique ſucci, & tarde commeantis, utpote ex ſimilagine parata. Galen. *l.* 1. *de Al. facult. c.* 4. Jul. Alex. *in Not. ad h. l.* Vide *Itrion*.

LAGAROS, λαγαρὸς, vocatur *laxus*, *mollis*, non diſtentus. Dicitur comparative de dextro cordis ventriculo, Hippocr. *de corde IV.* 10. Junge Linden. *Ex. V.* §. 41.

LAGNEIA, *Lagneuma*, λαγνείη, λάγνευμα, ſignificat rem, vel *coitum Venereum*, concubitum cum emiſſione ſeminis. Frequenti in uſu apud Hipp. v. g. *l. de nat. puer. XIIX.* 10. *XXII.* 8. *XLIV.* 1. *l. de Genitura. II.* 16. 21. *l.* 2. *de diæta XXXVI.* 6. *l. de int. affect. XXXV.* 23. L. 30. (ubi λάγνευμα ſemen ipſum in coitu emiſſum ſignificat) *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 23. Verbum quoque λαγνεύω, *coëo*, rem Veneream exerceo, non infrequens eidem dictis in locis, præſertim *l. de Genit.* Vide Foëſ. p. 371. Mercurial. *l.* 1. *V.* L. *c.* 17. *& l.* 2. *c.* 15.

LAGOCHEILOS, λαγώχειλος, dicitur, qui *leporina* habet *labia*, Galen. *l. Introduct. cap.* 3. *& in defin.* Id vitii aliquando naturaliter provenit, aliquando à cauſſa præter naturam, ut uſtione, cicatrice, ſutura latiore & male facta, interdum etiam ſenectute. Idem ſi inferiori palpebræ contingat, ἐκτρόπιον appellatur. Hæc Caſtellus. De curatione *Labiorum Leporinorum* videatur Aquapend. *in operat. Chirurg.* §. *quomodo curta labia reſarciantur.* Senn. *lib.* 2. *M. Pr. P.* 1. *c.* 4.

LAGON, λαγὼν, idem, quod κενεὼν, *Ilia*. Vide *Ceneon*, *Ilia*. Legitur apud Hippocr. *l. de int. aff. XXIIX.* 6.

LAGOPHTHALMOS, λαγώφθαλμος, id eſt, *Leporinus oculus*, cum ſuperior palpebra adeo retrahitur, ut oculum, dum clauditur, totum non tegat; eſtque affectus in partibus inſtrumentalibus non magnitudine, ſed defectu peccans, cujuſmodi omnia mutila & curta, ſicut in labris, ſic & in oculis cernitur. Galen. *dd. ll.* Gorræus & Caſtellus. Tale vitium heic Altdorffi contigit in fœmina ex intumeſcentia ſeroſa palpebræ ſuperioris, degenerante in putredinem & totalem corruptionem, qua ſublata, ex negligentia Chirurgi palpebra brevior relicta fuit, ut oculo aperto dormire neceſſe habuerit. De hoc affectu videatur & Paræus *Chir. l.* 9. *c.* 23. *& l.* 16. *c.* 6.

LAGOPUS, λαγώπους, λαγωΐς, λαγωΐνη, præter ſignificationem Botanicam eſt nomen *perdicis albæ*, quæ & *Perdix Alpina*, vel Alpeſtris dicitur, cujus deſcriptionem cum uſu in cibo & Medicina tradit Aldrov. *l.* 13. *Ornithol. c.* 21. Dicitur & *Gallina nivalis* & deſcribitur à Joc. Jac. Wagner. *Hiſtor. Helvet. Curioſ. ſect. IV. Artic.* 2. *p.* 200.

LALIA, λαλιὰ, *loquelam*, *locutionem*, ſignificat. Ægyptiis anima rationalis vel animus dicebatur ἑτέρα λαλιὰ, *alter ſermo*, notante C. Hofmann. *com. ad Galen. l. de V. P. n.* 26. 816. Vide *Locutio*.

LAMAC, id eſt, *Gummi Arabicum*. Ruland. & Iohnſ.

LAMARE, & *Lamare lampe*, id eſt, *Sulphur*. Iid.

LAMBANO, λαμβάνω, communiter ſignificat *accipio*, *ſumo*, v. g. cibum *capere*, Hipp. 2. *aph.* 8. in utero *concipere*, 5. *aph.* 59. Peculiariter vero etiam dicitur de morbis invadentibus homines, & ſignificat *Corripio*, Infeſto, v. g. *Cauſus*. Hipp. *l.* 1. *de morb. XXVII.* 1. 2. 3. & paſſivum λαμβάνεσθαι, *corripi* morbo denotat, 5. *aph.* 30. 55. 6. *aph.* 17. 31. *& alibi.* Vide Dieter. *n.* 492.

LAMBDACISMUS eſt vitium linguæ ad balbos & blæſos pertinens, quando præſertim loco conſonantis literæ *vau* caninæ *lambda* enunciant. Vide *Iotaciſmus*.

LAMBDOEIDES, λαμβδοειδὴς, dicitur de eo, quod figuram literæ Græcæ Λ repræſentat. Communiter epitheton eſt *ſuturæ* poſterioris in capite, qua occiput incipit, tranſverſæ, Galen. *l. de oſſib. c.* 1. *& l. de nervor. diſſect. cap.* 7. Barthol. *libell.* 4. *cap.* 5. De hac ſutura ſcribit Gal. *dicto* de oſſibus *loco*, illam aliquando deeſſe, ubi prominentia occipitis nulla eſt. Deinde etiam *Os Hyoides* ad baſin linguæ vocatur *Lambdoides* à Gal. *de muſcul. diſſect. cap.* 13. *& d. l. de nerv. diſſect. cap.* 10. Vide *Hyoides*. Tandem ab Actuario quoque *venæ cavæ deſcendentis diviſio*, qua in duo crura abit paulo ſupra initium oſſis ſacri, λαμβδοειδὴς appellatur, à figuræ ſimilitudine, quam Gal. literæ V comparat *l. de Anatom. venar. c.* 8. Verum Caſp. Hofmann. *in notis MMSS.* vitioſum hoc eſſe, expreſſe ſtatuit, propterea cum Reviſoribus & Cornario corrigendum eſſe monet in Λ.

LAMBITIVUM, idem, quod *Linctus*, vel *Looh. Eclegma.* Vide *Ecleɛtos*.

LAMENTATIO, κλαυθμὸς, idem, quod *Fletus*. Vide *Fletus*.

LAMIA, λαμία, στρὶγξ, λαιστρυγὼν, ſignificat vel ſpectrum nocturnum diabolicum ſub forma fœminæ, vel fœminam maleficam. Creduntur *Lamiæ* infantum tortrices eſſe, teſte Keuchen. *in not. ad Seren. p.* 287. *ſeqq.* Latine etiam *Strix* appellatur. Proprie ad forum Medicum non ſpectat hæc conſideratio.

LAMINA, ἔλασμα, ἐλασμὸς, πέταλον, communiter ab Anatomicis tribuitur variis inſtrumentis ad ſecanda corpora accommodatis, cujuſmodi ſunt Scalpella, Spathomelæ, Amphiſmelæ, Specilla, &c. Galen. *l.* 6. *admin. Anat. c.* 10. Verum adhuc latius ſe extendit hujus ſignificatio ad alias metallicas extenſiones, ſive bracteas, etiamſi non ad ſectionis uſum faciant. Ita *Lamina* plumbea legitur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 3. §. *Molybdos.* Vide ſupra *Bractea*. Ita Hildan. meminit *Laminæ* ferreæ pro depreſſione gibbi, *Cent.* 5. *Obſ.* 67.

LAMNEIA, λάμνεια, *laminam* ſignificat, Moſchion. *de morb. mul. c.* 138.

LAMPAS,

LAMPAS, λαμπάς, idem, quod *Lucerna*, de qua vide infra. *Lampas vitæ* eſt magicum artificium, de quo, ſi lubet, plura vide apud Libav. *Defenſ.* 1. *Syntagm. Arc. contra Scheunemann. c.* 3. *Tom. III. Oper. p.* 5. 6.

LAMPE, λάμπη, λαμπή, ſignificat vel *ſpumam*, & ita idem eſt, quod ἀφρὸς; vel ſignificat id, quod in aceto ſupernatat vino adulterato, item pingue quiddam glutinoſum, quod olivis muria conditis ſupernatat. Erotianus *in Onomaſt. p.* 70. *d.* Sunt & λάμπαι *bullæ* quædam in urinæ ſuperficie innatantes diaphanæ. Actuar. *l.* 1. *c.* 18. *de urinis.* Hinc οὖρον λαμπῶδες, urina ſpumea & limpida legitur apud Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 2. *t.* 60. & *Coac. t.* 186. Jung. Foëſ. *p.* 373.

LAMPEROS, λαμπηρὸς, idem, quod λαμπρός. Vide *Splendor.* Galenus etiam *in exeg.* interpretatur ſpumoſum, quod ſpuma luceat.

LAMPETRA, ἀλαβὴς, nomen piſcis e ſerpentino genere, cujus deſcriptionem cum uſu in cibis exhibet Aldrov. *l.* 4. *de piſc. c.* 13. Lind. exiſtimat, eſſe βδέλλαν Strabonis, *Ex. XI.* §. 58. cui videtur aſſentiri Chicco. *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 426. *ſeqq.* Vide J. J. Wagner *Hiſtor. Helvet. Curioſ. ſect. IV. Art.* 3. *p.* 213. *ſeq.*

LAMPODES, λαμπώδης. Vide *Lampe.*

LAMPROPHONOS, λαμπρόφωνος dicitur, qui vocem edit magnam ſonoram ac quaſi ſplendidam, monente Joh. Bapt. Perſona *Comm. in Galen. l. quod anim. mor. ſeq. temp. p. m.* 287.

LAMPROS, λαμπρὸς, h. e. lucidus, *ſplendidus.* Specialiter vero Hipp. λαμπροὶ dicuntur *vegeti*, incolumes, & colore bene habito præditi, *l. de A. L.* & *Aq. LV.* 13. Vide *Splendor.*

LAMPTER, λαμπτὴρ, dicitur *lucerna*, laterna, aut *Pharus*, qui in turribus ſuſpenditur, ut navigantibus præluceat. Legitur apud Hippocr. *l. de int. aff. XXIX.* 21.

LAMPYRIS, λαμπυρὶς, idem, quod *Cicindela.* Vide ſupra in *Ci.*

LANA, ἔριον, vide *Errion*, *Erion.* De *lanarum* generatione & differentiis legi poterit Aldrovand. *l.* 1. *de quadrup. biſulcis c.* 8. *Lanæ* uſus, præſertim vero *ſuccidæ*, illotæ, ſordidæ, quæ ἔριον οἰσυπηρὸν, item *Oeſypus*, οἴσυπος, dicitur, olim fuit frequentiſſimus, uti patet ex Hippocr. & Galen. Scribon. (vide *Lex. Scrib.* Rhodii) Keuchen. *ad Seren. p.* 114. 225. C. Hofm. *l.* 2. *V. L. c.* 14. Vide *Oeſype.*

LANARIUS, eſt nomen *Accipitris* vel *Falconis*, ita dicti vel à laniandis aviculis, vel quod multas molles plumas lanarum inſtar habeat, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 5. *Ornithol. c.* 11.

LANCETTA eſt cultellus chirurgicus rectus utrinque acie ſumma præditus ad venæſectionem & abſceſſus aperiendos hodieque uſitatiſſimus, & ita notiſſimus.

LANGUOR, ἄφεσις, nihil aliud eſt, quam corporis, aut membrorum ejus veluti *diſſolutio*, & remiſſio, cum non aliter ac reſolutis ſive paralyticis diſſolutæ appareant. Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 37. videlicet ob deficientem flammæ vitalis & ſucci nervoſi ſpirituaſcentiam & activitatem. Dicitur & *debilitas*, *infirmitas* corporis. Vide *Aſtheneia*, *Blechros.*

LANIUS, idem, quod *Lanarius*, nomen *Accipitris.* Aldrov. *d. l.* & *c.* 12.

LANS, id eſt, *Argentum mortuum.* Ruland. & Iohnſ.

LANUGO, χνόος, χνοῦς, vide *Chnus.* In Phytologia ſunt filamenta tenella cuticulæ extimæ inſtar *lanæ* adnaſcentia. Schroder. *l.* 1. *c.* 2.

LANX, πλάστιγξ ζυγὸς, ſignificat *trutinam*, qua res ponderantur, vel potius duo vaſculo ampla in trutina, quibus res ponderandæ imponuntur. *Lanx* quoque dicuntur *Amygdalæ amaræ.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

LAONICA vocatur curatio arthritidis, quæ non fit purgantibus, & evacuantibus univerſalibus, ceu fruſtraneis partim, partimque magis noxiis, ſed quæ fit topicis evacuantibus e parte affecta, dum materia eſt adhuc mobilis, cum ante ſtatum, tum in ipſo ſtatu, quemadmodum hunc terminum expoſuit Hieron. Sachetas Ælianus Medicus Brixienſis *in Relatione de Podagricis* & *Arthritic. morb. c.* 10. *p. m.* 53.

LAOS, id eſt, *Stannum.* Rul. & Iohnſon.

LAPACTICOS, λαπακτικὸς, h. e. *alvum evacuans*, idem quod ὑπακτικὸς vel ὑπήλατος. Legitur apud Galen. *l. V. S. F. c.* 2.

LAPARA, λαπάρα, λαπάρη, idem, quod κενεῶν, laterum cavitas, ea corporis pars, quæ eſt inter coſtas ſpurias & oſſa, quæ ad ilia pertinent. Gal. *l.* 2. *de fractur. t.* 71. Idem, quod λαγών. Vide *Ilia*, *Ceneon.* Linden. *Ex. VII.* §. 6. Erotianus idem dicit quod πλευρά.

LAPAROS, λαπαρὸς, id eſt, *mollis*, *vacuus.* Unde & ὑπολάπαρον, *ſubvacuum*, & *ſubmolle*, ſignificat, Gal. *l.* 3. *de diff. reſp. cap.* 12. Linden. *d. l.* §. 4. A verbo λαπάσσω, vel λαπάττω, *emollio*, *evacuo*, Hippocr. 2. *progn. t.* 2. Gal. *in comm. Coac. t.* 204. *l.* 4. *Epid. XX.* 2. Vide Foëſ. *p.* 384. ubi plurima loca invenies.

LAPATTO, λαπάττω. Vide *Laparos.*

LAPE, λάπη, *pituitam tenuem* ſignificat Hippocr. quæ ore rejicitur & ſalivationis comes eſt, *l.* 2. *de morb. XV.* 9. *LIII.* 6. *LXIV.* 5. *LXXI.* 7. *l. de int. aff. VII.* 12. *XIII.* 12. & *alibi ſæpius.* Foëſ. *p.* 375.

LAPIDESCENS, λιθώδης, λίθινος, idem fere quod *Lapideus*, niſi quod illud vocabulum magis exprimat paſſionem illam mutationis in naturam ſaxeam, quam antea nondum habuit. Quale vero ſit proprie illud principium *lapidificum*, an ſuccus, an ſpiritus, vel aliud quid, pertinet proprie ad Phyſicos. Videatur etiam Chioccus *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 305. *ſeqq.* Tale vero principium quandoque in ſanguine ejuſque ſero contineri præternaturaliter, colligere eſt ex generatione Calculi. Vide *Calculus.*

LAPIDEUS,

LAPIDEUS, λιθοειδής. Vide *Lithoeides.*

LAPIDILLUS vocatur cochlear chirurgicum, quo calculus poſt inciſionem extrahitur. Blaſius *Med. Univ. p.* 73. *&* 341.

LAPILLATIO, terminus Paracelſicus, indicans lapideſcentiam ſive generationem calculi ex Iliaſtro, ſive de viſco in loco alieno, ubi poſſibile fuerit *lapillari*, vel tartarizari. *Fragm. Medicis ad Tom. III. referendis l.* 1. *de Tartar. c.* 8.

LAPIS, *Lapillus*, λίθος, λιθίδιον, λιθάριον, λιθὶς, quadrupliciter potiſſimum accipitur. (1) Phyſice de corporibus mixtis animantis duris, cujus innumeræ ſpecies, & differentiæ occurrunt, de quibus videantur rerum Phyſicarum ſcriptores varii. In hac ſignificatione ſumſit Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* quando ex ſponte naſcentibus corporibus eſſe ſcripſit à terra vulgo dicta diverſis. (2) Pathologice pro *Calculo* renum veſicæ & in aliis quandoque partibus genito, diciturque Gr. λιθίασις. Vide *Calculus.* (3) Pharmaceutice, quando vel ex Phyſicis *lapidibus* multæ ſpecies transſumtæ leguntur in uſum Medicum, dividunturque in pretioſos, qui *Gemmæ* quoque vocantur. Vide *Gemma* : & minus pretioſos; quorum plures apud Gal. *d. l.* & alibi allegatos reperies. Loca videantur *in Theatro* Mundellæ & *Indice* Braſſavoli, cum non opus ſit, heic omnia transſcribere. Multos enim recenſet Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Adde Schroder. *l.* 3. *c.* 4. *& ſeqq.* Vel quando lege artis Pharmaceuticæ præparantur *Lapides*, ut ſunt, *Medicamentoſus*, vel *Salutis*, *Corroſivus* & alii, de quibus vide Schroder. *l.* 2. *c.* 65. Jung. Fr. Hofmann. *in clavi* & deſcriptiones eorum videantur in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 127. *ſeq.* (4) Spagyrice, ubi potiſſimum in omnium illorum ore reſonat *Lapis Philoſophorum*, qui dicitur & habetur Medicina univerſalis, per quam metalla transformantur, & morbi omnes ſanari poſſunt. Pollere creditur virtute intentiſſima, & velut in centrum arte coarctata, quæ extenſa tincturam exhibet abſque numero. De cujus præparandi modis hyperbolicisque encomiis proſtant innumeri pene tractatus, nec adhuc ceſſant amatores hujuſmodi commentorum in publicum proferre ſcripta, non obſtante, quod tantum non omnes tempus, & operam, & oleum perdiderint. Si placet, videantur *ſcripta* Baſilii Valentini, Theatrum Chymicum per ſex volumina, Libavius *in ſuis operibus*, & alii plures. Quid B. Rolfink. judicaverit de *Lapide Philoſophorum* & Panacea, videatur *in ejus Chymia l.* 1. *c.* 9. Quæ de ſuo Lapide Medicinali Hermetico Chriſt. Ad. Balduinus encomia ſcripſit, *in Ejuſdem Hermete Curioſo Invento XII.* leguntur. Denique (5) ſumitur etiam ſæpe abuſive & æquivoce de diverſis rebus vocabulum *Lapis*, v. g. *Lapides* Carpionum, Percarum, Cancrorum vocantur quædam corpuſcula in capitibus illorum piſcium & aquatilium reperta, duritiem pene lapideam obtinentia, revera tamen non ſunt *lapides.* Ita in Chymia *Lapis* vocatur omnis res fixa, quæ non evaporat. *Lapis Adiz* eſt ſal Armoniacum *Lapis animalis*, id eſt, ſanguis humanus. *Lapis*, ex quo conflatur plumbum nigrum, minera plumbi. *Lapis non lapis*, h. e. efficacia, non ſubſtantia dicitur *Elixir. Lapis rebis* vel teſtudinem, vel capillos hominis cholerici, aut ſanguinei denotat. *Lapis calcis*, id eſt, ſcoria ferri, vel battitura æris. *Lapis major*, compoſitum ex 4. elementis, filius unius diei. *Lapis occultus benedictus*, id eſt, ovum. *Lapis aureus* h. e. urina. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

LAPSUS æquivocum eſt. Proprie ſignificat idem, quod *caſus*, Græce πτῶσις, κατάπτωσις. Vide *Caſus.* Hujuſmodi *Lapſum* ex alto innoxium vide *Ephem. Nat. Cur. Ann. III. Obſerv.* 71. Tropice *Lapſus* etiam pro *errore* ſumitur, ἁμάρτημα. Vide *Erratum. Lapſus* demotivus eſt repentina morte facta correptio, periculoſior apoplectico. Rul. & Iohnſ.

LAPTO, λάπτω, ſignificat lambendo bibo, *ſorbeo.* Legitur apud Hipp. *l. de corde LV.* 1.

LAQUEUS, βρόχος, πλεκτὴ, quid ſit notum eſt. Referri quoque debet ad inſtrumenta chirurgica, utpote ad quaſdam operationes neceſſarius, uti patet ex Galen. *l.* 6. *meth. med. c.* 5. *in fin.* & Oribaſii totus libellus *de laqueis.* In ſpecie ad *Gloſſocomon* quoque requiruntur, uti patet ex Galen. *l.* 7. *de V. P. c.* 14. & Oribaſ. *de machinament. c.* 7. Alias *laquei* conſideratio quoque inter cauſſas morbificas, præſertim vocis privationis ſpectat ex Gal. *l.* 1. *de L. Aff. c.* 6. Pathologice quid dicatur *Laqueus Gutturis*, vide infra *Tonſillæ.*

LAR, ἑστία, idem, quod *Focus*, *Calor*, *Ignis.* Vide *Focus.* Uſurpatur de flamma vitali & calido nativo. Charlton. *Oecon. anim. Ex.* 1. §. 4. *& VI.* §. 2. Vel Pathologice de foco febrili, Galen. *l. de marcore c.* 7.

LARBASON, dicitur Plinio *l.* 33. *H. N. c.* 6. *Stimmi* vel *Stibium* ſive *Antimonium*, quod Henn. Scheunemannus ruditer corrupit in *Tarbaſon*, ita ut Libav. eum propterea acriter perſtrinxerit, *Tom. III. Op. p.* 25. *ſeqq.* 73. *ſeqq.*

LARGUS, ἁδρὸς, πολὺς, vide *Hadros*, idem, quod *Copioſus*, v. g. *Larga* Venæſectio, *Larga* excretio, *Largus* humor. Rhod. *in Lex. Scrib.*

LARIDUM, materia quædam tumorum, à laridi ſimilitudine ſic dicta. Fallop. *de tum. p n. c.* 3.

LARVA, μορμὼ, μορμών, idem, quod *Lamia*, vel *Lemures.* Harum mater vel avia dicebatur eſſe *Mania.* Foreſt. *l.* 10. *Obſ* 20. *in Schol.*

LARUS, λάρος, dicitur avis palmipes, piſcivora, clamoſa, cujus deſcriptionem, ſpecies, & uſum in Medicina tradidit Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 4. *ſeqq.* Linden. vocat *Larum* avium perniciſſimam in volando & irruendo piſces ſummo natantes mari. *Ex. V.* § 42.

LARYNGOTOMIA, λαρυγγοτομία, operatio chirurgica eſt, qua in ſummo ſuffocationis & anginæ periculo aſperæ arteriæ fit inciſio. Periculoſum profecto & valde anceps remedium. De qua operatione vide Aqua-

Aquapend. *tr. de oper. Chirurg.* tit. *de perforatione aſperæ arteriæ in angina.* M. Aurel. Sever. *Chir. efficac. P. II. c.* 40. *p.* 102. *ſeqq.* vide *Bronchotomia.*

LARYNX, λάρυγξ, dicitur ſuperior aſperæ arteriæ pars & caput faucibus continuum, Lat. *Guttur*, Galen. 4. *aph.* 34. Eſt igitur præcipuum vocis inſtrumentum, ex cartilaginibus, muſculis, nervis, & ſubſtrata membrana conſtans, *l. de voc. inſtr. diſſ. c.* 2. Ejus pleniorem hiſtoriam deſcriptam vide in Anatomicis libris, præſertim Bartholin. *l.* 2. *Anat. c.* 11.

LASANON, λάσανον, vel *Chytropum*, ſignificat ollarum ſuſtentaculum, vel ollam culinariam, aut matellam, vas exonerandæ alvo idoneum. Apud Hippocr. ſumitur pro ſella, in qua puerpera deſidere debet, *l. de ſuperfœtat. V.* 7. Jung. Foëſ. *pag.* 376.

LASCIVUS, λαγνὸς, ἀσελγὴς, epitheton eſt *Choreæ S. Viti* apud Paracelſ. Vide *Chorea.*

LASION, λάσιον, ſignificat σινδόνην, *ſindonem*, aut ὀθόνιον, *linteum*, & propterea hirſutum, *villoſum.* Erot. *p.* 72. *b.* Occurrit vero apud Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XII,* 7. Foëſ. *d. l.*

LASSITUDO, κόπος. Vide *Copos.*

LASTAUROCACABUS, id eſt, operoſa olla, prodigorum lebes, Hiſpanorum olla putrida. Joſ. Laurent. *Amalth. Onom. p.* 476.

LASTAURUS vocatur, qui inexplebili amore venereo debacchatur, Caſp. Rejes *C. Elyſ. q.* 44. *n.* 24.

LASUR, Paracelſo dicitur Extractum tranſplantatum ex Argento, *l.* 3. *de Gallicis puſtulis, aliiſque ſymptomatibus c.* 6.

LATER, πλίνθος, κέραμος, idem, quod *Tegula*, h. e. lapis fictilis, ex arena, calce, & luto paratus, cujus uſus in Medicina nobilis, quatenus ex illo fit *Oleum Philoſophorum*, ſive *de Lateribus* dictum, aut *Lateritium*, cujus deſcriptio legitur in Diſpenſatoriis.

LATERALIS MORBUS, πλευρῖτις. Vide *Pleuritis.*

LATERA *lictro*, id eſt, *Argentum vivum.* Rul. & Iohnſon.

LATERIUM, *lixivium*, item, *capitellum.* Iidem.

LATHRA, *Lathræos*, λάθρα, λαθραίως, adverbium Hippocrati familiare, denotans *clam*, latenter, ex improviſo, 1. *Prorrh. ſect.* 3. *t.* 36. ubi quidem Gal. *in comm.* per ἐξαίφνης, ſubito expoſuit. Verum rectiſſime animadvertit Foëſ. *p.* 372. non ſatis hoc probaſſe *Coac. t.* 139. 374. *& t.* 580.

LATIBULUM dicitur Theod. Craanen. *in capp. de febrib.* fomitem vel mineram febrilem latentem in aliquo corporis membro, quæ ſanguineæ maſſa communicata excitat ebullitionem febrilem & paroxyſmos.

LATICA dicitur quædam *Febris quotidiana continua*, ſive Phlegmatica, quando nulla ſigna apparent apyrexiæ, Joh. Stephan. *in Avic. l.* 4. *fen.* 1. *c.* 50. *p.* 274. Sunt tamen, qui diſtinguunt, & ſpuriam ſaltem quotidianam continuam dici *laticam* credunt, uti Mercatus. An vero dicatur à *latendo*, quod careat inverſionibus manifeſtis, nolumus certo affirmare; quamvis ita velit de Calderia, qui prolixius de *febre Latica* diſſeruit *Tom. I. Oper. p.* 284. *ſeqq.*

LATIO, φορὰ, idem, quod *Motus Localis*, mutatio, quæ fit in loco, Gal. *l.* 1. *de nat. fac. c.* 2. *l.* 1. *meth. med. c.* 6. *& l.* 2. *c.* 3. Vocatur & *motus animalis*, *voluntarius*, quem Charltonus ita plenius deſcripſit, quod ſit ordinata & ex appetitus dictamine inſtituta corporis animalis, vel alicujus membri particularis de loco in locum tranſlatio. *Ex. XI. Oec. Animal.* §. 4. in qua etiam *motum* muſculorum nervoſe expoſuit. Videantur & Willis *Anat. Cerebri c.* 19. & Anonymi tractatus ibid. annexus *de ratione motus muſculor.* item Milliet Dechales P. Jeſuit. *de motu locali & elaterio*, cujus mentio fit *in Act. Erud. Lipſ. An.* 1683.

LATITUDO, πλάτος, proprie notat affectionem corporis, quæ conſiſtit in dimenſione, ad differentiam longitudinis & profunditatis. Vide *Latus.* Per tranſlationem tamen ſæpe applicatur etiam rebus incorporeis, præſertim vero in foro Medico frequenter uſurpatur de *ſanitate imperfectiori*, aut non omnibus numeris exacta; vide *Hygieia.* Gal. *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 4. Junge *Dogm. noſtra Med. Gen. P.* 1. *c.* 4. *d.* 3. *p.* 51. *ſeq.* Ad *latitudinem ſanitatis* quoque pertinet corpus alias *Neutrum* dictum, ſive *Status* corporis *Neuter*, οὐδέτερον Græci vocarunt, qui duplex eſt: *Decidentiæ*, & *Reconvaleſcentiæ.* Imprimis vero ille ad *latitudinem ſanitatis* pertinet. Vide Rurſus *Dogm. in prælim. d.* 7. *p.* 8. *&* 9. Et quia ſub ſanitatis genere comprehenduntur *Temperamenta* corporis & partium, de illis quoque ſæpe dici ſolet, quod magna ſit eorum *latitudo.* C. Hofm. *Inſt. Med. l.* 3. *c.* 4. §. 5. *& alibi.* Sumitur & aliquando pro *Dilatione*, Gr. εὐρύτης dicta, Lat. *Ampliatio.* Jul. Alex. *not. in Gal. de diff. morb. c.* 4. *p.* 279. *Tom. II. Oper.*

LATON, eſt aurichalcum, ſive cuprum aureo colore tinctum lapide calaminari, quod ab idiotis phyſicis Electrum dicitur, & componitur ex unico metallo, cum *Electrum* ſit e pluribus. *Laton* quoque eſt artificiale, cum Electrum à natura ſola compoſitum, Rul. Hinc lapis Calaminaris dicitur *lapis Latoninus*, Libav. *Synt. A. Ch. l.* 7. *c.* 24. Spagyricis Philoſophis *Laton* vocatur vel *Latona terra virgo*, quando in operatione ad Lapidis Philoſophici magiſterium pertinente nigreſcit: unde opus habet ablutione per ignem & aquam permanentem, ſive Mercurium, de qua re videatur Libav. *Alchym. Pharmaceut. cap.* 31. item *tr. Ignis Naturæ*, *cap.* 20. *Laton* quoque & *Azoch* propterea ſemper ſimul eſſe dicuntur, Laurent. Ventura *tr. de lapid. Philoſ. c.* 19. Theatr. Chym. *Vol. II. p.* 163. Iohnſon. ita deſcripſit *Latonam* in *Lexic. II. p.* 49. *Latona* eſt terra noſtra, quam ſumimus ad alchymiam peragendam. Et hæc terra Chymica præ rebus omnibus aliis creatis virtute & energia excellit: Aurum enim & argentum & reliqua metalla, & lapides pretioſos omnes in ſe coërcet, imo perfectionem omnium animalium & ve-

getantium in ſeipſa recludit. Sed cum impura ſit & fæculenta, uti arti noſtræ proſit, ejus impuritates & fæculenta excrementa ſeparanda veniunt, & hoc eſt apud Chymicos, faciem *Latonæ* dealbare. Quo circa humiditatem ipſius terræ radicalem, ſeu ſanguinem ipſius *Latonæ* ex venis ſuis exhaurire oportet; ut ex eſſentia & puritate illius faciem ipſius *Latonæ* dealbare valeamus, alioquin nihil utilitatis habemus ex lotione *Latonæ* noſtræ, niſi ex puritate ipſius ſanguinis aquam faciamus, qua ſola & non alia uti debemus ad dealbandam faciem ipſius *Latonæ*. Hucuſque Iohnſon.

LATRO, ληστής, idem, quod *Prædo*, *Prædator*, quamvis vero proprie ad forum Medicum non ſpectet, cum tamen aliquoties eorum mentio fiat in ſcriptis Medicis, libuit inſerere. Ita Galen. 3. *Anat. admin. c.* 5. *Latrones* inhumatos olim fuiſſe ſubjecta Anatomica, teſtatur. *L.* 3. *de V. P. c.* 5. refert hiſtoriam *latronis*, qui deprehenſis hominibus digitos pedum extremos præcidebat, ne ſine baculo incedere poſſent. (Vide C. Hofmann. *in comm. ad h. l. n.* 135.) & *l.* 1. *Anat. admin. c.* 2. cadaver *latronis* exiccatum ſceletis annumerat. Langius recenſet *latronis* truculentiam ex eſu ſanguinis vel cruoris humani fuiſſe adauctam, *lib.* 1. *ep.* 71. Foreſtus ex Benivenio adduxit obſervationem *latronis* ſuſpenſi, cujus cor pilis fuit refertum, *l.* 17. *Obſ.* 1. *in Schol.*

LATUS, adjectivum, & ſubſtantivum eſt nomen. Adjectivum Gr. dicitur πλατύς, εὐρύς, cui opponitur *anguſtum*, στενόν. Dicitur de muſculo, μυῶδης πλάτυσμα, dicto, qui ſub cute in collo habetur, cujus deſcriptionem vide apud Galen. *l. de muſc. diſſect. cap.* 1. De *muſculo latiſſimo*, qui totum fere dorſum cum ſuo ſocio tegit, & *Aniſcalptor* quoque vocatur, vide Barthol. *l.* 4. *c.* 2. *Latus pulſus* Gal. qui in latitudine arteriæ, vel dilatatione major eſt naturali, *l. de pulſ. ad tyron. c.* 2. *Puſtulæ latæ* dicuntur, quæ non in altum prominent, Hippocr. 6. *aphor.* 9. Jung. Dieter. *n.* 687. Subſtantivum Græc. vocatur πλευρά, πλευρόν; de cujus vocabuli æquivoca ſignificatione infra vide *Pleura*. Numerantur vero duo *latera*, dextrum & ſiniſtrum; & in genere de dimidia totius corporis parte, altera dextra, ſiniſtra altera ſumitur. Strictius vero uſurpatur de medii ventris regione *laterali*, utraque diſtincta à parte antica, quæ *Sternon*, & poſtica, quæ *Dorſum* vocatur, Barthol. *l.* 2. *Anat. in princ. Laterum* dolor dicitur Hipp. ad differentiam Pleuritidis, quando dolor eſt abſque febre & inflammatione, πλευρᾶς πόνος. Hipp. 3. *aph.* 23. 5. *aph.* 65. 6. *aph.* 5. Vide Dieter. *n.* 689.

LAVACRUM, λουτρόν, idem, quod *Balneum*. Sal nitroſus fuſilis vocatur *lavacrum* quoddam minerale venarum metallicarum, & ſemimetallorum, imo & metallorum ipſorum, quod ſciunt etiam aurifabri & probatores metallici. Libav. *Defenſ. Syntagm. contra Scheunemann.* I. *c.* 9. *T.* III. *oper. p.* 22.

LAVATIO, idem, quod *lotio*, λουτρόν. Utrumque idem ſignificat, quod *Balneum*. Galen. *l.* 8. *meth. med. cap.* 2.

LAUCANIA, λαυκανία, item λευκανία, poëtice guttur, vel *gulam* & œſophagum ſignificat. Sunt, qui pro *mento* etiam accipiunt, Gorr. in λευκανία. Deſcendit à λαύω, fruor, capio.

LAUDANUM, nomen medicamentorum encomiaſticum, quaſi *laudatum medicamentum*. Dieter. *n.* 560. vel *laude dignum* aut *laudabile*, quod vocabulum, ceu barbarum & Paracelſico Thraſonicum reprobavit Libav. *Synt. A. Ch. l.* 8. *cap.* 44. Non minus vero illi hallucinantur, qui cum *ladano* confundunt. Vide *Ladanum*. Placet Rolfinkii ἐπίκρισις: loquendum interdum cum vulgo, modo intelligamur, *Chymiæ l.* 4. *ſ.* 3. *cap.* 6. Græce dici poſſet ἐπαινετὸν, vel ἀξιόπαινον. Quod vero præcipue *Opii extracto correcto* nomen hoc tributum fuerit, hoc omnino ſapit Paracelſicum hyperbolice loquendi pruritum. Alias de *laudano opiato* videantur præter Diſpenſatoria & Paracelſi ſcripta Rolfink. *d. l.* Schroder. *lib* 4. *cl.* 2. *n.* 314. Libav. *d. l.* Tutiſſimum eſſe & ſaluberrimum medicamentum ad omnis generis dolores, verbis Bern. Penotti *de medic. Chymicis in Vol.* I. *Theatr. Chymic. pag.* 65. cum grano, quod dicitur, ſalis eſt intelligendum. *Laudanum Mercuriale Paracelſi* dicitur medicamentum ex Mercurio paratum. Deſcriptio quædam extat in Morl. *Coll. Chym. Leid. c.* 276.

LAUDINÆ dicuntur Petro Poterio pilulæ, quas opium ingreditur, *Pharmaceut. Spagyr. lib.* 3. *ſect.* 5. *de Pilulis.*

LAVIPEDIUM, vide *Pediluvium*.

LAURAX, vide *Labrax*.

LAUTUS, quid proprie ſignificet, videatur in Lexicis variis. Gr. λαμπρὸς, aut λελουμένος, quaſi *Lotus*. *Lautiſſima vina* apud piſcos fuiſſe vina myrrha condita, teſtis eſt Linden. *Ex. X.* §. 138.

LAXA *Chimolea* Paracelſo vocatur medicamentum purgans, præcipue in morbo Gallico commendatum, eſtque pulvis de floribus minerarum ſalinarum, *l.* 2. *de morb. Gallico c.* 4. Iohnſon. ita deſcribit: *Laxa Chimolea* eſt ſal adnaſcens lapidibus, quale eſt Anatron, aut Uſnea lapidea.

LAXATIO, χάλασις, *Laxans*, *Laxativus*, χαλαστικός. Vide *Chalaſticos*, *Chalao*. Hodieque autem frequentiſſime ſumitur terminus hic de virtute leniter evacuante, & quidem per inferiora. Conveniunt igitur talia *laxantia* cum ἐκκοπρωτικοῖς, κατωτερικοῖς, ὑπηλάτοις, de quibus vide ſuis literis *Eccoprizo*, *Catotericos*, *Hypelatos*. Iohnſ. etiam ad vomitoria extendit, deſcribens: *Laxativa* ſunt medicamina ſurſum atque deorſum expurgantia. Verum minus accurate minuſque uſitate. Abuſive quoque tribuitur Mercurio vitæ, qui *Laxativum minerale* dicitur apud Schroder. *l.* 3. *c.* 15. cum in minima doſi vim purgandi poſſideat. Ita quoque in veterum ſcriptis contingit, ut fortiora purgantia pro

Laxativis

Laxativis poſuerint. In Pathologicis accipitur de partium mollium extenſione præternaturali in longum. Ita Uvulæ *laxatio* legitur apud Blaſ. *Med. Univ. pag.* 302.

LAXUS, λαγαρὸς, χαλαρὸς. Vide *Lagaros*, *Chalaros*. Idem fere, quod *Mollis*, & opponitur *Stricto*, vel *Duro*.

S. LAZARI morbus, Elephantiaſis. Tagaul. *Inſtitut. Chir. l.* 1. *c.* 2.

S. LAZARI *malum*, i. e. *Lepra*. Foreſt. *l.* 29. *O.* 26.

LAZOMÆ, λάζομαι, verbum poëticum, pro λαμβάνω, ſignificat *prehendo*, *corripio*. Diciturque frequentiſſime de morbis infeſtantibus, Hippocr. *l. de Loc. in hom.* I. 4. *XXV.* 5. 7. *XLIIX* 8. *l.* 2. *de morb. XX.* 3. & *libr. de nat. mul. & de morb. mul.* ſæpius, quæ loca collegit Foëſ. *Oec. p.* 372.

LAZULI *lapis*, λίθ☉ κυάνε☉, hoc eſt, *Cæruleus*, eſt lapis opacus, Saphiri colore, aut florum *Cyani*, aureis punctulis exornatus, Armeno durior. Vide *Armenius*. Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 11. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 228. *ſ.* 4. *p.* 467. *ſeqq.*

LAZURIUS, idem, quod *Cæruleus*. *Lazurius color* in lepra peſſimum habetur ſignum apud Paracelſ. *Paragraph. l.* 6. *c.* 1. §. 2. *& cap.* 2. §. 3. *& in Scholiis ad illa loca*. Apparet autem ille color in frigore, ubi in nigrorem vertitur. *Lazurium argenti*, vel *pulvis Lazurinus* nihil aliud eſt, quam *Crocus Lunæ*, de quo vide Libav. *Synt. A. Ch. l.* 5. *c.* 21.

LEÆNA, λέαινα, nomen animalis quadrupedis digitati fœmininum, cujus mas vocatur *Leo*. Vide *Leo*. Λέαινα quoque emplaſtri nomen, quod in *leænæ* modum malum penitus extirpare creditur, applicatum iſchiadicis & hemicranicis, teſte Aët. *l.* 11. & ex hoc Gorræo. *Leænas* vulgo vocari nivium *Labenas*, vide *Labena*.

LEBERIS, λεβηρὶς, ſignificat *exuvias*, ſive ſenium ſerpentum. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CIIX.* 26. *& l.* 2. *LXIIX.* 6. Vide *Exuviæ*, *Geras*.

LEBES, λέβης, i. e. *olla*, *trulla*, vas, in quod aliquid infunditur ad coquendum, vel aſſervandum. Pertinet ad inſtrumenta Diætetica, Pharmaceutica. Ventriculum egregie comparatum cum magno *lebete*, cui plures ignis foci adjacent, lege apud Gal. *l.* 3. *de fac. nat. cap.* 7.

LEBIAS, λεβίας, vide *Hepatus*.

LECANE, λεκάνη, *pelvim*, *Catinum* ſignificat. Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 89.

LECHENEON, ληχηνεῖον. Vide *Lenos*.

LECHIA vocatur piſcis generoſus magnitudine atque colore medius inter Thunnum & Umbram, quam alii Centrinam fuiſſe arbitrantur. Jovius vero exiſtimat Annam veterum eſſe *lib. de piſcib. c.* 7. Judicium de hoc diſſenſu Ill. Aldrovandi videatur *l.* 3. *de Piſcib. cap.* 20. *p.* 327.

LECHO, λεχὼ, ſtricte *puerperam* ſignificat, & ita legitur apud Moſchion. *d. l. c.* 61.

LECISCION, λεκίσκιον, vocatur *acetabulum parvum*, legiturque bis apud Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 123.

LECITHOS, λέκιθ☉, eſt genus leguminis, vel piſum, vel piſo congener denotans. Significat etiam ſæpius *lomentum*, vel *farinam lentium*, cum & ſine additione φακῶν. Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXI.* 11. *& l.* 2. *LXIX.* 2. & *in notis l.* 1. *additis VII.* 8. ubi per υ ſcribitur, quemadmodum & apud Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 5. Significat & *ovi luteum* ſive vitellum, uti patet ex Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 2. Hinc λεκιθώδης ὑπόστασις, vocatur ſedimentum urinæ, ovi luteum aut lentium farinam referens, *l.* 4. *Epid. VI.* 11. & pus λεκυθοειδὲς ovi lutei ſpeciem referens, *lib.* 2. *de morb. XLV.* 35. Adde Foëſ. *pag.* 379. Jul. Alex. *l.* 8. *Salubr. c.* 9. de omni polline, & farina leguminum molitorum expoſuit λέκιθον, haud dubie ex Gal. *d. l.*

LECRA dicitur pars fornacis vitrariæ, in qua vitra ſenſim deferveſcunt, Chr. Meretti *in Not. ad Ant. Neri Art. Vitrar. in appendice p.* 435.

LECTIO, ἀνάγνωσις, vide *Anagnoſis*. Aſſiduam & iteratam aliquoties *lectionem* laudat Gal. 3. *de artic. t.* 40. Refertur quoque *lectio* inter exercitationes vocis, ἀναφωνήσεις, ſanitati corporis proficuas, utpote, quæ humores redundantes excernit, Ægin. *l.* 1. *cap.* 19. & Celſus quoque aliquoties inter remedia curativa morborum refert.

LECTISTERNIUM, id eſt, apparatus lectorum, qui varii eſſe convenit pro diverſis morbis, uti recte notavit R. Lentilius *Part. III. Miſcell. Medico-Pract. ad p.* 29. quamvis in illa nihil de hoc legatur, ſed in Indice poſuit ad vocem *Lectus*.

LECTUALIS vocatur morbus, qui ægrotantem lecto affigit & diu detinet. Ita Spartianus *in Hadriano: Peragratis*, inquit, *ſane omnibus partibus, capite nudo & in ſummis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lectualem.* Ipſi etiam, qui longis ac lentis laborabant languoribus, *lectuales* Latine dictos, Græce κλινικὸς, ἢ κλινοπετὰς, notavit Salmaſ. *ad loc. cit.*

LECTUS, κλίνη, (vide *Cline*,) quid ſit notum eſt, nimirum locus ille & inſtrumentum ad recumbendum & dormiendum paratum. Pertinet igitur ad res non naturales Diætæ. Delectus *lectorum* aliquando neceſſarius apud ægrotos, uti patet ex Gal. ſcriptis, quando febricitantibus & quibus nervi per tranſverſum vulnerati ſunt, molliores lectos præcipit. De *lectorum* alias in quibuſdam locis noxia præparatione legi etiam poterit Hippocr. Guarinonius *de cauſſis ſanitatem destruentibus*. *Lectos pendulos* uſurpare Indos in promontorio Jamaico, legitur *in Actis Philoſophicis* Oldenburgi *Anno* 1668. *m. Jun.*

LEFFA, id eſt, herbarum prædeſtinatio. Rul. & Iohnſon.

LEFFAS, eſt occultus & bulliens terræ vapor, per quem plantæ creſcunt, Rul. & Iohnſon. ex Paracelſ. *Philoſ. ad Athenienſ. l. 3. text. 3. Leffas* eſt ſuccus terræ recens in radicem, tanquam culinam, vegetabilis, tractus. Helmont. *expoſitione aliquot verbor.* Vide Helmont. *tr. Elementa num.* 13. *& tr. Imago fermenti impraegnat. num.* 31. *ſeqq. Leffas* eſt occultus terræ ſuccus, per quem plantæ creſcunt. Fr. Hofm. *clav. ad Schrod. l.* 1. *cap.* 2.

LEGNA, λέγνα, neutr. plur. vocantur proprie extremitates veſtimentorum, ſive oræ. Per tranſlationem vero dicitur de extremitatibus pudendi muliebris, ſive matricis. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXXIIX.* 15. Vide Foëſ. *p.* 177. *ſeqq.* C. Hofm. *Com. ad Gal. de V. P. n.* 964.

LEGUMEN, ὄσπριον, idem, quod δημήτριον, ſive *Cereale ſemen.* Vide *Cerealis.*

LEIBOS, λεῖβος, & in fœmin. λείβη, id eſt, *liquida*, Galen. *c.* 3. *de iis, q. in med. t.* 14. Verum mendum ſubeſt in Græco textu, & quia inuſitatum eſſe adjectivum λείβη, ex aliis Lexicis conſtat, corrigendum eſſe, & ſubſtituendum vel λιβρὴ, vel λιβαρὴ exiſtimant Foëſ. *in not. ad h. l.* & Caſp. Hofmann. *in M. S. & nondum editis notis ad hunc Gal. loc.*

LEICHEN, λειχὴν, relicta Botanica ſignificatione, vide ſupra *Impetigo.* Dicitur & *Lichen.*

LEIENTERIA, *Lienteria*, λειεντερία, q. d. *Lævitas inteſtinorum*, λειότης τῶν ἐντέρων, eſt affectus vel idem, vel maxime cognatus *Cœliacæ paſſioni.* C. Hofmann. *Apolog. pro Galen. l.* 3. *c.* 182. C. Dieter. *num.* 493. Vide *Cœliaca.*

LEIOBATOS, λειόβατος. Vide *Leviraia.*

LEIOPODES, λειόποδες, vocantur *Planci, Plauti*, vel *Ploti*, quibus pedum medium ab interiori parte non eſt cavum, ſed planum, quaſi tabella, quæ planca dicitur, Galen. 3. *de artic. t.* 92. ad quem locum vide egregiam correctionem Caſp. Hofmann. *l.* 3. *Apolog. pro Gal. c.* 100. Pertinet ad morbos malæ conformationis. Idem *Com. in Galen. l. de V. P. num.* 137. Adde Alex. *annot. in Gal. l. de diff. morb. c.* 7.

LEIOS, λεῖος. Vide *Lævis*, λειότης, *Lævitas.*

LEIPHÆMOS, λείφαιμος, dicitur, qui *ſanguinis defectu laborat*, quod malum ſequitur ἀχροία, vide *Achroi.* Sumitur vero etiam pro vitio depravati ſanguinis, uti conſtare videtur ex Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XII.* 20. *XVII.* 11. ubi jungitur cum σπληνώδης, lienoſa, quæ diſpoſitio lienis vitioſa præſupponit ſanguinis flatulentiam & impuritatem. Notetur quoque, non eſſe confundendum τὸ λείφαιμον cum ἔξαιμον, vel ἄναιμον, exſangui, ubi vera privatio totalis ſanguinis peccat. Λείφαιμοι ſunt, *qui ſanguine deficiunt*, hoc eſt, deferuntur ſanguine, non in totum, ſed ad ſenſum, Linden. *Ex. XIII.* § 455. *ſeqq.* Junge *Ex. IV. noſtram de remoris purgationis* §. 19.

LEIPODERMOS, λειπόδερμος, in genere ſignificat defectum cutis, vel cuticulæ. Sumitur vero ſtrictius de eo, cui præputium deeſt ex morbo, vel ſectione. Latine *Apella.* Vide ſupra *Apella.* Junge C. Hofmann. *d. l. n.* 824.

LEIPOPSYCHIA, λειποψυχία, idem, quod λειποθυμία, id eſt, *animæ* vel *animi deliquium.* Superfluum enim mihi videtur, diſcrimen ponere inter hæc duo vocabula, ex Galen. *l.* 12. *meth. med. c.* 5. Poſterius vocabulum eſt uſitatius. Deficientibus viribus vitalibus, deficient & animales, cum ſpiritus vitales ſint quoque materia animalium. Conſentit Dieter. *n.* 494. Vide *Eclyſis.* Hujus gradus fortior dicitur *Syncope*, de qua infra *ſuo loco.* Utriuſque vocabuli & λειποψυχίας, & λειποθυμίας mentio fit apud Hippocr. illius quidem 2. *de R. V. I. A. t.* 44. hujus 1. *aph.* 2. 5. Conr. Vict. Schneider. *libr. de nova Graviſſimorum trium morborum curatione cap.* 6. præter neceſſitatem & utilitatem de *Lipothymia* & *Lipopſychia* tractans & pro ſynonymis agnoſcens, nihilominus inconſtans deprehenditur; dum *Lipothymiam* ſymptoma facultatis vitalis, *Lipopſychiam* facultatis animalis eſſe ſtatuit, quamvis abſque prægnanti ſatis ratione. Sufficit hoc notaſſe ad verum diſcrimen ab apoplexia retinendum, quod utrumque vocabulum haberi debeat, & primario abolitum vel prorſus vel valde imminutum ſanguinis e corde motum progreſſivum denotet, cui conſequenter ſenſuum & motus localis defectus ſupervenit; In apoplexia inverſo ſeſe habet modo teſte experientia.

LEIPOTHYMIA, *Lipothymia*, λειποθυμία. Vide p. a. *Leipopſychia.*

LEIPYRIAS, λειπυρίας, eſt epitheton febris valde malignæ continuæ, cum inflammatione viſcerum interiorum eryſipelacea conjunctæ, ubi interna veluti uruntur, extrema, τὰ ἄκρα, frigent, Galen. *com.* 4. *aph.*48. *c.* 2. *prognoſt. c.* 4. *cap.* 1. *prorrh. t.* 7. *& c.* 3. *t.*61. *l. de inæq. intemper. c.* 8. Vocatur & λειπυρία, & λειπυριώδης πυρετὸς, & τὰ λειπυρικά. Scribitur & λειπυρίη. Meminit hujus febris Hipp. aliquoties, v. g. *l.* 2. *de morb. XVI.* 12. *XLIX.* 14. *de helleboriſmo* 54. *l. de Criſib. IV.* 4. 6. 8. Utplurimum eſt lethalis, quia ſanguinis diſpoſitio maligna putrida ad νέκρωσιν vergit. Mirum vero, quod Sylvius hanc febrem non obſervaverit, uti ſcribit *l.* 1. *Pr. M. c.* 29. §. 31. Verum notandum, non eſſe peculiarem ſpeciem febris, ſed eſſe ſaltem *ardentem*, ſive *Cauſum* valde malignum & exitialem. Junge Linden. *Ex. VIII.* §. 47.

LELYGISMENOS, λελυγισμένος, i. e. *contortus*, inflexus, à λυγίζω, *contorqueo*, quod à λύγος, *vitex*, vimen, derivatur. Uſurpat de nervis *contortis* Hipp. *in Mochlico VII.* 3.

LEME, λήμη, idem, quod γλάμα, vel γλήμη, ſordes oculorum. Vide *Glama.* Vocatur & *Pituita glutinoſior oculorum*, Scribon. item *Lappa.* Fr. Valleſ. *in febr. cap.* 2. notante Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 424. Ad *le*

mar referri poterit *lachryma Cervi* Bezoartica. Vide *Dacryon.*

LEMMA, Græce dupliciter ſcribitur, per ε & η. *Λέμμα* ſignificat idem, quod λέπος, *corticem*, ſive id, quod decorticando removetur, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. X.* 8. Gr. dicitur etiam ἡ ἐπιδερμίς. Erotianus & Foëſ. *p.* 380. *Λῆμμα* vero ſignificat *propoſitionem ſcientificam* per ſe credibilem, quam vocare conſuevit Ariſtoteles axioma, poſtulatum, ſumtionem, Galen. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 20. Propoſitionem, quæ concludendi gratia aſſumitur, in Logicis *Præmiſſa*, *lib.* 2. *de Hippocr. & Pl. decr. cap.* 2. *l.* 1. *S. Fac. cap.* 12. & 13. *lib.* 1. *meth. med. cap.* 5.

LEMMATICOS, λημματικὸς, dicitur Hippocr. qui occaſionem prudenter & accommodate arripit, & pertinet ad τὸ πρέπον, ſive εὐσχημοσύνην Medici, *l. de dec. orn. II.* 27.

LEMNIA, λημνία, epitheton *Terræ* medicatæ, quæ colligitur in inſula *Lemno.* Eſt terra ſpiſſa, levis, pinguis, rubricæ colore, adſtringentis virtutis. De hac videatur Galen. *l.* 9. *de Simpl. Fac.* §. *de Terra Samia.* An hodieque ad nos deferatur vera *terra Lemnia*, dubitatur. Gorræus eo videtur inclinare, cum illa, quæ à veteribus de hac ſcripta ſunt, cum noſtra convenire exiſtimet. Negat vero Schroder. *l.* 3. *cap.* 2. & *Turcicas* eſſe ſcribit, quarum tamen illa, quæ cineritii coloris Conſtantinopoli advehitur, pro *Lemnia* uſurpari poterit, utpote præſtantiſſima reliquarum. Videatur Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* De ſignatura veterum & *Dianæ ſigillo*, quod creditur fuiſſe capræ effigies, vide Dioſcor. *l.* 5. *c.* 113.

LEMNISCUS, λημνίσκος, Lat. *Turunda*, linamentum vocatur in longitudinem implicitum & oblongum, quod vulneri inditur, autore Celſo *l.* 5. *cap.* 26. Ægin *l.* 6. *c.* 34. & 73. Mercurial. *l.* 3. *V. L. c.* 9. *in fine.* Vide *Licinium.* Lemniſcos in ſpecie quoque dici peſſos vel peſſaria in uterum vel matricem immiſſa aut turundas, ſcribit Balduin. Rouſſet. *de partu Cæſar. ſect. VI. c.* 3. & 4. atque ex hoc Schenk. *l.* 4. *Med. Obſ.* 299.

LEMPNIAS, eſt *Terra ſigillata. Lempnias Calcis* eſt battitura æris. *Lempnias lempnia* eſt Auripigmentum. Ruland. & Iohnſon. ſcribit *lempinas*, & *lempina*

LEMURES, idem, quod *Larvæ*, *Lamiæ.* Vide ſupra. *Lemures* ſunt ſpiritus elementi aëris. Ethnici intellexerunt Manes defunctorum. Rul. *Lemures* quoque in hominibus eſſe, finxit Paracelſ. *Tract.* 2. *de Peſtilit. c.* 1.

LENIENS, *Lenis*, *Lenitivus.* Generaliter idem ſignificat, quod *Mitis*, Gr. ἤπιος, πρᾶος. Vide *Epios.* Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 402. Dieter. *n.* 717. Sed uſitatior eſt ſignificatio ſtricta, quando accipitur pro *laxante*, vel *laxativo.* Gr. ὑποχωρητικὸς, ὑπήλατος. Arab. vocantur *Medicinæ Benedictæ.* Rolf. *O. ac M. Med. Gen.* *l.* 5. *ſ.* 1. *c.* 6. Idem quoque referri, à nonnullis, teſtatur inter cauſſas morborum, *d. l. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 92.

LENOS, ληνὸς, diverſas habet in Medicina ſignificationes. Apud Hippocr. notat *alveos*, aut loculos quoſdam, h. e. cavitates excavatas, aut conceptacula quædam *in Mochlic. XXIII.* 8. Junge Foëſ. *pag.* 383. Vel ſignificat *Torcular*, Linden. *Ex. X.* §. 192. Unde *calcare torcular* Gr. vocatur ληνοπατεῖν, idem, quod πατεῖν, *d. l.* §. 181. Hinc tranſlata ab Herophilo ad concurſum trium duplicaturarum duræ meningis ſub calvaria, quem *Torcular* Gr. ληνὸν vocavit, teſte Galen. *l.* 9. *Anat. adm. c.* 1. Et in hujus obſtructione cauſſam apoplexiæ poſuit Nynmannus, teſte etiam Bartholin. *l.* 3. *Anat. cap.* 2. Dicitur & ληνεῖον, Galen. *introduct. cap.* 11.

LENS, *lendis*, φθείρ, κόνις, inſectum dicitur, & ſoboles pediculorum, ſive *Pediculus* adhuc *tenellus*, *ova pediculorum* vulgus appellat. Meminit Galen. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *Cedrus & Hedera.* Pertinet etiam ad cauſas *Phthiriaſeos*, ſive morbi *pedicularis.* De his vide Aldrov. *de Inſectis l.* 5. *c.* 4.

LENS, *lentis*, φακὸς, leguminum ſpecies quædam notiſſima eſt, de cujus uſu in cibo & Medicina frequentiſſima fit mentio apud Hipp. *in libr. de morb. mul.* & Gal. paſſim *in ſcriptis ſuis*, quæ loca compilare, non eſt noſtri inſtituti. Videatur Index Pini *in Hippocr.* & *Theatrum* Mundellæ *in Gal.* Φακὸς etiam aliquando ſignificat *vas Medicum*, forte ad fotus faciendos accommodatum, Foëſ. *p.* 650. Eſt & terminus Mechanicus Mathematicus, dum *Lentes* denotant in Teleſcopiis vitra illa craſſiuſcula lentiformia, quorum beneficio objectorum viſibilium ſpecies majores apparent. De qua ſignificatione inter alia etiam legi poterunt Henr. Oldenburgii *Act. Phil. An.* 1665. *m. Julio.* Tandem & in Anatomicis *Lens* vocatur cryſtallina Humor in oculo cryſtallinus, ſicut videre eſt apud D. Goth. Bidloo *Anat. Tab. XI. fig.* 20. 23. 24.

LENTICULA, vel idem eſt, quod *Lens*, φακὴ, φακὸς: vel ſignificat *Lentiginem*, de quo vocab. p. p. vel denotat peculiarem ſpeciem febris malignæ contagioſæ, qualis eſt *Petechialis*; cum maculis efflореſcentibus, *lentis* magnitudinem referentibus, unde & *lenticularis* dicitur, de qua vide Lang. *l.* 2. *ep.* 15. & Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 35. *cum Schol. Lenticulares Glandulæ* ſunt glandulæ inteſtinales in craſſis inteſtinis, cœco, colo & recto reperiundæ, quarum ſingulæ ſeorſim exiſtunt, nec in plexus colliguntur, Lentis magnitudinem æquant, & ex foramine, quo ſingulæ manifeſto pollent, humorem viſcoſum excernunt pro ſcybalis liquandis & alvo lubricanda. De his vid. D. D. Peierus *in Exercit. de Glandulis inteſtinalibus.*

LENTIGO, φακὸς, *Lenticula*, eſt affectus cutaneus, præſertim faciei, ſuntque maculæ lentes colore & magnitudine referentes, quibus in fœminis præcipue facies, manus, brachia, & pectus, ceu æri, & ſolis radiis

expoſitæ partes, conſperguntur ſine dolore & moleſtia, obortæ à portionibus acido-fuliginoſis, propter coagulationem ſubſiſtentibus in cuticula. De his vid. Foreſt. *l.* 5. *Chirurg. Obſ.* 4. *cum Schol.* & Senn. *Med. Pr. l.* 5. *p.* 3. *ſ.* 1. *cap.* 3. Meminit & Keuchen. *ad Seren. pag.* 126.

LENTOR, *Lentus*, γλισχρότης, γλισχρὸς, περίγλισχρος, vide *Gliſchraſma*, *Gliſchros*. *Lentum olivum* apud Seren. *c.* 1. eſt oleum roſaceum, ſive rhodæleon, notante Keuchen. *ad h. l. p.* 92. Eſt ergo *lentor* qualitas tactilis, quæ opponitur *friabili*, diciturque de iis corporibus, quorum partes adeo velut conglutinatæ cohæreſcunt ſibi invicem, ut nec flexa frangantur, nec preſſa deſiliant. Weker. *Antid. Gen. l.* 4. *c.* 5.

LEO, λέων, vocabulum eſt multæ ſignificationis. Verum libet ſaltem in foro Medico uſitatas proponere. (1) ſignificat animal quadrupes digitatum, ferum, & inter feras facile princeps, & atrociſſimum, & fortiſſimum, cujus jubæ arma & collum veſtiunt in ſexu maſculino. Hujus fœmina vocatur *Leæna*, λέαινα. Utriuſque deſcriptionem cum uſu tradidit Aldrovand. *l.* 1. *de quadr. digit. vivip. cap.* 1. Anatomen *Leonis* & viſcerum internorum ſtructuram ab Olao Borrichio obſervatam deſcriptam legere licet *in Act. Hafnienſ. Vol.* I. *Obſ.* 17. *p.* 43. *ſeqq.* Anatomiam vero *Leænæ* in Joh. de Muralto *Vade Mecum Anatomico poſt Experiment. II. p. m.* 65. *ſeqq.* (2) *Leo* vocatur inſectum quoddam, quod formicis inſidiatur. Hinc μυρμηκολέων, ſeu *leo formicarius* appellatur; eſtque vel ex formicarum majorum, vel ex erucarum genere. Idem *l.* 5. *de Inſectis cap.* 1. *p. m.* 523. (3) *Leo* quoque eſt ex Cruſtaceorum, & in ſpecie *Aſtacorum* genere, qui & *Elephantus* vocatur, cujus deſcriptionem tradit Idem *lib.* 2. *de Cruſtatis*, *c.* 4. (4) *Serpentis* quoque genus oblongum & maculoſum, alias *Cenchriten* dictum, *Leonis* nomine venire, patet ex Nicandro *in Theriaca*, & Aldrov. *l.* 1. *hiſt. ſerp. & drac. c.* 12. (5) *Leo*, λέων, etiam dicitur morbus quidam, qui & λεοντίασις vocatur, eſtque ſpecies Lepræ, quæ *Elephantiaſis* alias nominatur. Vide *Elephantiaſis*. Tandem (6) *Leo* Spagyricis myſticum eſt vocabulum. Verum in cujus ſignificatione ſibimet ipſis non conſtant. Imprimis duo *Leones* leguntur in illorum ſcriptis: *Ruber*, ac *Viridis*, Paracelſ. *in Theſauro Alchymiſtar. Ruber Leo*, *ſanguis Leonis* dictus, eſt Sulphur Philoſophorum, ſive Solis, ex quo Aurum conficitur, Rul. De hoc *Leone rubro* vide Libav. *Synt. Arc. Ch. l.* 5. *cap.* 12. *Leo viridis* eſt *Æs Hermetis*, *Mercurius auri*, item *Vitriolum*, aliis *Antimonium*, opinione quorundam ipſum *Aurum*. Ita quoque vocatur *Auripigmentum*, Theatr. Ch. *Vol. V. pag.* 79. *Leo citrinus foliatus*, alias *Auripigmentum* vocatur, Rul. & Iohnſ. *Leo* quoque ſimpliciter *Aurum* dicitur.

LEONTIASIS, λεοντίασις, dicitur & λεόντιον, apud Aët. & Aretæum, teſte Gorræo; idem, quod *Elephantiaſis*. Vide *Elephas*. Vocatur & Latine *Leonina lepra*. Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 7. *Schol.*

LEPAS, λεπὰς, vocatur *Concha petris adhæreſcens*. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Gorr. Foëſ. *p.* 380.

LEPHANTEUS, *Lephante*, eſt prima Tartari ſpecies, vel bolus, media inter lapidem & lutum, ſcindique poteſt. Rul. & Iohnſ. ex Parac. *l.* 1. *de Tartar. Tr.* 1. *c.* 1. *& Tr.* 3. *c.* 3. ut & *in Fragment. ad hæc loca.*

LEPIDOEIDES, λεπιδοειδὴς, *ſquamoſus*, vel potius ſquamarum ſpeciem referens, dicitur de *ſuturis* & *conglutinationibus* juxta aures, ſuntque duæ lineæ in cranio, utrunque ſingulæ à recta ſutura ſagittali æque diſtantes, per capitis longitudinem à poſteriore in priorem partem ſuper aures feruntur, quæ in oſſibus ad ſquamæ ſimilitudinem ſtructis habentur, quæ fiunt duobus oſſibus inter ſe cohærentibus, non per ſuturam quidem, ſicut *Coronalis* & *Lambdoidea*, ſed paulatim ſyncipitis os inſtar ſquamæ attenuatum deſcendit, atque in id os, quod infra ab auribus adſcendit, ſubintrat. Galen. *l. de oſſib. cap.* 1. ubi & *ſquamoſæ agglutinationes*, προσκολλήματα λεπιδοειδῆ, item *ſuturæ juxta aures*, ῥαφαὶ κατὰ τὰ ὦτα, ut *l.* 9. *de V. P. c.* 18. vocantur. Aliis vero *Mendoſæ* & *Temporales* dicuntur. Caſtell. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 5.

LEPIDOSARCOMA, λεπιδοσάρκωμα, i. e. *Tumor ſquamiformis carnoſus*, dicitur à M. A. Severino abſceſſus rarior in ore repertus carneus, globoſus initio, mox ligulæ craſſioris modo ad guttur reflexus, poſt cujus diſſectionem oſſeæ propemodum ſquamæ prodierunt in conſpectum nullo ordine diſpoſitæ. Plura legantur de hoc *l. de nov. obſerv. abſceſſ. c.* 18.

LEPIS, λεπὶς, id eſt, *ſquama*. Hippocr. 4. *aph.* 81. Junge Dieter. *n.* 486. Stricte vero accipitur de *ſquama æris*, *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIIX.* 30. 4. *de R. V. I. A. t.* 123. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 89. Scribon. *n.* 133. Significant & *corticem*, putamen, aut tunicam. Unde λέπω, *decortico*, & ſubſtantivum λέπος, quod idem cum λεπὶς, quod nonnulli exprimunt per λοπὸς, *lib.* 1. *Epid. I.* 49. Dicitur & λέπισμα, Erotian. *in Onomaſt. p.* 70. Foëſ. *d. l. Lepi ferri* ſunt *ſquama ferri. Lepos calcis* eſt *pulvis æris.* Rul. & Iohnſ.

LEPORINUS, vide *Lagophthalmos*. *Leporina labia* dicuntur ea, quæ ob vitioſam conformationem non cohærent; Vocantur etiam *Roſtra leporina*, de quibus vide Sennert. *Med. Pract. l.* 2. *part.* 1. *c.* 4. Græce homines hoc morbo laborantes dici poſſunt λαγόχειλοι. Vide *Lagocheilos*. *Roſtrum leporinum* dicitur fruſtulum carneum intra rimam labii *leporini* extremitati naſi adnatum, de quo legatur Hiſtoria Dan. Ludovici notata à Theoph. Bonet. *Med. Septent. l.* 11. *ſect.* 1. *c.* 1. *p.* 315.

LEPRA, λέπρα, eſt cutis mutatio in habitum præternaturalem, cum aſperitate, pruritu, & doloribus, nonnunquam & ſquamis decidentibus; interdum ſecus, pluresque corporis partes depaſcuntur. Gal.

Gal. *in def.* *Lepra* & *Pſora*, ſive *ſcabies*, ſunt valde congeres affectus & affines, ita ut non aliud *Pſora* ſit, quam mitior *Lepra*. Eſt enim *pſora* quædam ad *lepram* quaſi via, ut *lepra* ad *elephantiaſin*, ſi magis humor malignior evadat, & morbus diutius protrahatur. Uterque affectus pruritum habet inſeparabilem, ſed in *lepra* tantus eſt, ut etiam æger vehementiſſime ſcalpendo nullo modo juvetur, ſed potius omnis generis ulcera & phlegmonas accerſat, quod cutem exaſperet, & ſubjectam ei carnem multo, quam in *pſora*, profundius depaſcatur. Unde & *ſquamulas* procreat, quales in *pſora* non generantur, quæ furfuracea tantum corpora ex ſe remittit, ut quæ à minori gignatur intemperie, & humore minus craſſo, terreſtri, aſſato, & maligno. Dicitur *lepra* ab his ſquamulis, quaſi λεπρὰ, i. e. *ſquamoſa*. Ab Avicenna dicitur *Albaras nigra*, & *impetivo excorticativa*, quod cutis in cortices quaſi ſquamaſque reſolvatur. *Lepram* hanc Celſus vocat *Impetiginem*, non eam quidem, quæ λειχὴν Græce appellatur, de qua ſuperius, ſed quam ipſe declarat *l.* 5. *c.* 28. & in quatuor ſpecies diſtinguit, quæ à ſuperiori impetigine plurimum diſtant. Ejus cauſa humor eſt melancholicus multus, viſcoſus, craſſus, ſed tamen acris, & immotus ſub cute & ſubjecta carne latens, ſenſumque eum doloris excitans, qui pruritus dicitur. Hæc Caſtell. & Gorr. Jung. Dieter. *n.* 497 Notetur, ea, quæ hactenus deſcripta ſunt, intelligenda eſſe de *lepra Græcorum*, non vero de *lepra Arabum*, quæ eſt ipſa *Elephantiaſis*, de qua *ſuo loco*. Doctrinæ gratia hæc addi poterit definitio. *Lepra* eſt ſcabies vel totius corporis, vel certæ partis ſicca, furfuracea, ſquamoſa, vehementiſſime pruriginoſa, cum multis aliis ſymptomatibus ſtipata, proveniens à ſanguinei liquoris impuritate ſalina, fixa, coagulativa, & lenta putredine totali, vel partiali. Non inepta eſſet, modo magis perſpicua, quæ de *Lepræ* generatione, ſignis, examine tradidit Parac. *Paragraph. l. 6. c.* 1. *ſeqq.* Nec à vero etiam abludere videtur, quando ad Luem Veneream referre non dubitat, *in Chirurgia Magna l.* 3. *c.* 3. quamvis Helmontius taxaverit Paracelſum, quoad cauſſam & ſigna, ſtatuens, *lepræ* cauſſam eſſe quoddam venenum cruentum anodynum, glaciale, ac propemodum mortificans, horrendo ac fœtido contagio communicabile, ac emanans. Vide *tr. de Lithiaſ. c. 9. n.* 18. *ſeqq. plur.* Rolfink. à ſale reverberato luxuriante deduxit *O. ac M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 11. An *lepra* Judæorum alia fuerit à *lepra* Græcorum & Arabum? legatur Caſp. Rejes *C. El. q.* 60.

LEPRICOS, λεπρικὸς, dicitur de facultate corroſiva ſcabiem fœdam excitante, & cutim exulcerante, Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Salamandra.*

LEPRYNOMÆ, λεπρύνομαι, duo ſignificat præternaturalia: *Exaſperari*, & *Albeſcere*. Utrumque ſumtum ἀπὸ τῆς λέπρας, quod, qui lepra laborent, utrumque perpetiantur. Hinc & ἡ λέπρα generali ſignificatione dicitur *Albedo*, quæ in corporibus eſt præternaturalis, uti *in Theriacis* Græcus Nicandri interpres annotavit. Gorr. *in def.*

LEPSIS, λῆψις, idem, quod λαβή. Vide *Labe.*

LEPTOMERES, λεπτομερὴς, λεπτομερεία, dicitur id quod tenuium eſt partium, & Aſclepiadi ita dicebatur ſpiritus, docente Cæl. Aurelian. *l.* 1. *Acut. c.* 12. *p.* 39. & *l.* 3. *Tard. paſſ. c.* 4. *p.* 418.

LEPTOPHONOS, λεπτόφωνος, idem, quod ἰσχνόφωνος, dicitur is, qui eſt tenui vel *exili voce* præditus, Galen. 2. *in* 1. *Epid. t.* 78. Vide *Iſchnophonos.*

LEPTOS, λεπτὸς, *tenuis*, gracilis, idem, quod ἰσχνὸς, λεπτότης, *Tenuitas.* Vide *Iſchnos*, *Gracilis.* Uſurpatur ab Hippocr. ſæpe de victu *tenui*, 1. *aph.* 4. 5. 7. 8. 10. & *alibi.* Vide Dieter. *n.* 498. item de medicamentis in *tenues* partes comminutis aut tritis, *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 40. 47. de ſucco *tenui* & liquido, *l.* 2. *de morb. XXII.* 18. *l.* 3. *XI.* 16. De linteo raro ac *tenui*, *lib. de ſuperfœtat. XX.* 8. *XXIII.* 4. de urina *tenui* & aquea abſque ſedimentis craſſioribus, 7. *aphor.* 32. & comparative, 4. *aph.* 60. Λεπτοὶ quoque dicuntur *ingenioſi*, acres, *I. de A. L. & Aq. LIIX.* 8. Jung. Foëſ. *p.* 381. In Anatomicis epitheton *Tenuis* tribuitur membranæ ſecundæ cerebri ſubſtantiam immediate inveſtienti & anfractibus ejus ſeſe inſinuanti, *Tenuis Meninx* dicta ab Arabibus *Pia Mater*, cujus accuratam delineationem exhibet D. Goth. Bidloo *Anat. Tab. IX. fig.* 5. Linden. λεπτὸν, *tenue*, dupliciter accipi ſcripſit: *proprie*, & *improprie.* Proprie de conſiſtentia, & modo ſubſtantiæ cujuſque materiali: improprie, de viribus rei, & impotentia. Ita vinum *tenue* οἶνος λεπτὸς dicitur, quod eſt infirmum, ὀλιγόφορος, *Ex. XVI.* §. 213. 214. *ſeq.*

LEPTOSPHÆROS, λεπτόσφαιρος, i. e. *tenuis orbis.* Gal. *l.* 3. *de fac. parab.*

LEPTYNON, λεπτύνων, *attenuans.* Vide ſupra *Attenuans.* Λεπτυντικὸς. Idem.

LEPTYSMOS, λεπτυσμὸς, *Extenuatio.* Vide *Attenuatio.*

LEPUS, λαγωὸς, λαγὼς, eſt nomen æquivocum; Primario ſignificat animal quadrupes velociſſimum, digitatum, viviparum, cujus deſcriptionem, uſumque in cibo & Medicina vide in Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivipar. c.* 23. Galen. paſſim *in Libr. de Med. Fac. & Comp. Med. ſ. Loc.* uti patet ex Indicibus. Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 24. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Dieter. *Iatr. p.* 824. Singularis quoque *Leporis* Anatome deſcripta legitur *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 136. *p.* 278. *ſeqq.* Deinde etiam ſignificat animal molle, marinum, omnium venenoſiſſimum, *Lepus marinus* dictum, cujus hiſtoriam & facultatem venenoſam deſcribit Aldrov. *l.* 1. *de Mollibus c.* 7. Meminit & Lind. *Ex. XI.* §. 106. Veneni proprietas in hoc conſiſtit, quod pulmonem maxime afficiat, contra quod remedium tradidit Gal. *l.* 2.

l. 2. *de antidot. c.* 7. Utriuſque etiam meminit Wolf. Waldung. *in ſua Lagographia.*

LEPYRION, λεπύριον, duo ſignificat: 1. *ovi putamen*, & externam teſtam, Hippocr. *l. de nat. pu. IV.* 24. *XLI.* 23. Deinde *corticem* etiam in plantis. *ibidem XXIII.* 17.

LEROS, λῆρος, ſignificat *delirium mitius*, aut levem deſipientiam, & ita idem, quod παραφροσύνη, & verbum ληρῆσαι, παραληρῆσαι, idem, quod παρακόψαι, παραφρονῆσαι. Gorr. & Foëſ. *Oecon. pag.* 384. Vide *Delirium.*

LESCHE, *Leſchema*, λέσχη, λέσχημα, ſignificat *nugas*, nugacem *confabulationem*, Hipp. *in Epiſt. ad Damagetum n.* 345. Hinc verbum λεσχηνεύω, & λεσχηνεύομαι, otioſe & *nugaciter confabulor*, quo uſus Hippocr. *l. dec. orn. VII.* 8. *l.* 1. *de morb. XIV.* 11. *l.* 2. *Prorrh. X.* 11. Foëſ. *p.* 381. *ſeq.*

LESEOLUS Paracelſo dicitur Sal ſumme diaphanum, quod curat Icterum. Hinc & Icteritia *Leſeoli morbus* vocatur. Eſt enim in *Leſeolo* diaphaneitas ſalis maxima, quæ magis, quam fuſus Lopazius tingit & fixat. Et quia Icteritia eſt Sal in flavo colore diaphanum, ideo ſuo ſimili pelli debet, *l. de trib. principiis, c.* 7. & ex hoc Iohnſ. *in Lex.*

LETA, eſt *calor rubens.* Rul. & Iohnſ.

LETHALIS, θανάσιμος, θανατώδης. Vide *Funeſtus.*

LETHARGUS, λήθαργος, ληθαργία, morbus eſt *Phrenitidi* plane contrarius, ſiquidem in eo inexpugnabilis dormiendi neceſſitas adeſt, perinde ut perennes vigiliæ phreneticos infeſtant. Latine dicitur *Veternus.* Dici quoque poſſet vi nominis Græci *Deſidia obliviosſa*, Dieter. *n.* 501. Signa ergo pathognomonica ſunt *Torpor* & *Oblivio.* Deſcribi commode poterit ex recentiorum hypotheſibus: *Lethargus* eſt nimia ſenſus communis reliquorumque internorum imminutio & depravatio, præſertim ad ſomnum intenſa proclivitas, & deſiderium cum oblivione, febrem plerumque malignam acutam conjunctam habens, cum urinæ valde turbidæ excretione, proveniens à ſeroſa colluvie, vel copia, vel qualitate maligna, cerebri ſubſtantiam & anfractus irruente, ſpirituum activitatem profligante, temperamentum cerebri vitale opprimente. Hunc morbum egregie, ſi quis alius, expoſuit Willis de *Anima Brutor. P. II. c.* 3. De hoc morbo vide apud Hippocr. *l.* 2. *de morbis LXIII. l.* 3. *V. Coac. t.* 139. Morbus plerumque lethalis aut ſumme periculoſus habetur.

LETHE, λήθη, ſignificat *oblivionem.* Eſtque privatio memoriæ, ſive *memoria abolita.* Quæ præternaturalis eſt, cauſſam agnoſcit ſpirituum animalium in cerebro activitatem deficientem, vel à rebus non naturalibus vitioſis vel à morbis obortam, Gal. *l.* 2. *de ſympt. cauſ. c.* 7. Ita obſtinatam *oblivionem* ex retentione menſium obortam obſervavit D. Ol. Borrich. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 78. *pag.* 195. *Obliviſci* nihil aliud eſt, quam impreſſiones rerum, etiam obſcuras & ſuperficiarias non conſervare, id quod fit ob metum, ebrietatem, aut aliquid aliud ejuſdem generis, *l.* 2. *de motu muſc. c.* 7. *Oblivionem* in febribus ardentibus malam pronunciavit Hipp. 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 37.

LEVAMEN, ῥαστώνη, κούφισμα, κουφισμὸς, proprie dicitur de mole & pondere. Transfertur ad morbos, quorum aliqualis remiſſio & reconvaleſcentia quædam ægrorum dicitur *Levamen*, *Allevatio.* Eſtque vel fida & vera, vel fallax & apparens, quæ recidivam præcedere ſolet, Galen. 3. *prognoſt. t.* 22. Quæ non cum ratione levant, iis non eſt fidendum, 2. *aphor.* 27. Jungatur Dieter. *n.* 473. Vide *Cuphos.* Alias *Levare* etiam uſurpatur pro *Elevare*, extollere. Vide Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 402.

LEVATOR vocatur muſculus ſcapulam elevans, qui & *Patientiæ Muſculus* dicitur, quia elevant ſcapulam, quibus res ex voto non ſuccedunt. Hujus plenior deſcriptio videatur inter alios apud Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 3. *p.* 564.

LEUCANIA, λευκανία. Vide *Laucania.*

LEUCE, λεύκη, Latine *Alba Vitiligo*, eſt ſpecies *Lepræ*, & fœdæ ſcabiei, cutis carniſque ſubjectæ albedo p. n. Gal. *in defin.* & *l.* 2. *Meth. med.* 2. *& l.* 1. *de C. N. S. L. c.* 1. Dicitur & *Lepra alba.* Avicen. *Albara alba.* Differt vero à *Lepra*, quod ſine ulla aſpredine, & cutem habeat lenem. Cauſſa hujus ex cauſſa *Lepræ* deſumenda.

LEUCISCOS, λευκίσκος, eſt nomen piſcis ad *Mugiles* pertinentis, qui latine *Albicula* vel *Alburnus* dici poſſet, cujus meminit Galen. *lib.* 3. *de Al. Fac. cap.* 25. Ejus hiſtoriam & uſum tradit Aldrovand. *l.* 5. *de Piſc. c.* 22. 23. Jungatur & Linden. *Ex. XI.* §. 41.

LEUCOCHRUS, λευκόχρους, ſcil. οἶνος, eſt ſpecies *vini falſi*, ex paſſis prius uvis, mox calcatis, & aqua marina maceratis, deinde in album muſtum conjectis compoſiti. Gorræus.

LEUCOGRAPHIS, λευκογραφὶς, lapis dicitur in Ægypto naſcens, qui cum ſubviridis appareat, tamen ea, ſi ad cotem affricetur, aut aſperius pallium, locum dealbat. Eo etiam lintea illuſtriora redduntur. Gorræus *ex Aëtio.*

LEUCOMA, λεύκωμα, *oculorum albugo.* Vide *Albugo.*

LEUCONOTUS, λευκόνοτος. Vide *Caurus.*

LEUCOPHÆON, λευκόφαιον, vocatur *glutinum auri*, quod ligno inducitur. Compoſitum eſt ex Sinopidis Ponticæ ſelibra, ſilis lucidi pondo decem, & melini Græcienſis duobus milliis, tritiſque una per duodecim dies, Gorræus. Alias λευκοφαῖος dicitur *color mixtus ex albo & nigro*, qualis eſſe ſolet in cucullis Monachorum Franciſcanorum. C. Hofm. *l.* 2. *V. L. c.* 10.

LEUCOPHAGIUM, λευκοφάγιον, vocatur medicamentum internum, quod fit ex amygdalis aq. roſar. maceratis, carne caponis, vel perdicis elixa contuſa, & per ſetaceum trajecta. Uſus eſt in phthiſi, Mœb. *Synopſ. Epit. Inſt. ultima & in Epit. l.* 5. *ſ.* 3. *p.* 2. *c.* 31.

LEUCOPHAGON, λευκόφαγον; dicitur *ferculum Hiſpanicum* apud Foreſt. *l.* 17. *Obſ.* 15.

LEUCOPHLEGMATIA, λευκοφλεγματία, idem, quod *Anaſarca*, *Hydropis* ſpecies. Vide *Anaſarca*, *Hydrops*.

LEUCOPHYLLON, λευκόφυλλον, eſt ſpecies *Unguenti ſicci*, cujus uſus præcipuus ad collum & axillas eſt, quo illis odor gratus concilietur. Deſcriptio habetur apud Aëtium. Gorræus.

LEUCOPORON, λευκόπορον, idem, quod λευκόφαιον, de quo p. a. Gorr.

LEUCOPYRON, λευκόπυρον, eſt nomen *Malagmatis* apud Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 7. Alias λευκόπυρος dicitur *color mixtus ex albo & fulvo*, qualis eſt tritici maturi, & ceraſorum duracinorum. C. Hofm. *l.* 2. *V. L. c.* 10.

LEUCORRHOEA, λευκόρροια, id eſt, *Fluor albus*, ſive Gonorrhœa muliebris. Hoc vocabulo uſus D. Georg. Ericus Thill *in Diſſert. Inaug. de Fluore albo c.* 3. *in fin.* Legitur etiam apud Bonetum *Anatom. Practic. l. III. ſect.* 36. *Obſ.* 1. §. 2. *& alibi*: an etiam in aliis autoribus occurrat, non licuit inquirere. Interim ſat aptum eſſe hoc compoſitum vocabulum, omnino ſtatuimus.

LEUCOS, λευκός. Vide *Albus*.

LEVIATHAN PENIS dicitur *Priapus Ceti*, qui in fluore albo & dyſenteria à quibuſdam commendatur. Legitur hoc nomen apud D. Ludov. *Pharmac. Diſſ. I. p.* 314.

LEVIRAIA, λειόβατος, i. e. *Raja lævis*. Vide *Batos*. Aldrovand. *l.* 3. *de piſc. c.* 49. Meminit Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 36.

LEVIS, κοῦφος, *Levitas*, κουφότης. Vide *Cuphos*. *Leve* recte in Medicina deſcribitur, quod pondus habet exiguum, etiamſi mole ſit magnum, vel amplum. Weker *Ant. Gen. l.* 4. *c.* 5. In Chymicis *levia* faciunt ſolutiones variæ, quando ex fixo fit volatile, ex ſpiſſo ſubtile, & quando corporeum in ſpiritum reſolvitur. Libav. *Synt. A. Ch. lib.* 6. *c.* 10. *Leve* etiam aliquando de viribus medicamentorum dicitur, & ſignificat debile, mite, Scribon. *n.* 19. 27. 237. Junge Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 402. Ponitur tandem *Lævis* pro *Lævi*, aut *Lævigatio*. Rhodius *ibid.*

LEX, νόμος, licet proprie non ſit terminus Medicus, Hippocr. tamen tranſſumſit e foro Politico in Medicum conſcribens opuſculum, *Lex*, νόμος, indigitatum. Uſurpavit etiam aliquoties Galen. v. gr. *legem* non eſſe latam tranſcribentibus 7. *aph.* 64. nec contradicentibus, *l. contra Julian. cap.* 1. *princ.* Κατὰ νόμον, *ſecundum legem*, opponitur apud Hippocr. τῷ κατὰ φύσιν, *ſecundum naturam*, *ſ.* 1. *de nat. hum.* 8. Vide C. Hofmann. *comm. in Gal. V. P. n.* 826. De neceſſitate *legum* adverſus pſeudo-Medicos vide C. Rejes *C. El. Q.* 21. *n.* 16.

LEXIPHARMACON, ληξιφάρμακον, idem ſignificat; quod *Antidotus*. Vide *Antidotus*. Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 6.

LEXIPYRETOS, ληξιπύρετος, pro ἀλεξιπύρετος, ἀπὸ τοῦ λήγειν τοὺς πυρετοὺς, quod febres finiat. Vide *Febrifuga*.

LEXIS, λέξις: Vide *Dictum*.

LIBADES, λιβάδες, ſignificat loca foſſarum eminentiora, & præterea herboſa, aquoſaque, Galen. *l.* 2. *de Al. Fac. cap.* 40. Alias λιβὰς ſignificat quoque ſcaturiginem, *guttam*, in Lexicis.

LIBANION, λιβάνιον, eſt nomen *Collyrii* à *Thure*; quod recipit, ita dicti, quod refertur inter lenia & morſu carentia, de quo videatur Ægineta *l.* 3. *cap.* 22. *& l.* 7. *c.* 16. Improbat hanc appellationem Gorr. Vide *Libyanon*.

LIBANOTOS, λιβανωτὸς, Latin. *Thus*, *Olibanum*, ab arbore Arabiæ cognomine proveniens. Dicitur & *Libanos*, λίβανος, quod alias arboris ipſius nomen. Eſt duplex: *Maſculum*, σταγονίας, quod granis rotundis colligitur inſtar teſtium. Alterum ὀροβίας, granis minoribus exiſtens. *Micæ thuris* concuſſu eliſæ vocantur *Manna Thuris*. Meminit Hipp. aliquoties *Thuris*, præſertim *l. de ſuperfœtat. XX.* 5. 7. *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 25. *lib.* 2. *LXXVI.* 4. Vide Foëſ. *p.* 384. Schr. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 409. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Lignum *Thuris* arboris deſcripſit Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 5. *p.* 474.

LIBELLA, ζύγαινα, Lat. *Zygæna*, nomen piſcis cetacei, duræ carnis, inſuavis & mucoſæ, cujus meminit Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31. Deſcripſit vero Aldrovand. *l.* 3. *de piſc. c.* 43. Alias *Libella* idem, quod *Libra*, vel *Trutina parva*. *Libellæ probatoriæ* mentionem facit Libav. *Synt. A. Chym. l.* 1. *c.* 21.

LIBER, ſubſt. βίβλος, βιβλίον, *Libellus*, quid notet, pueris in trivio notum eſt. Obſervetur ſaltem ad hoc vocabulum, quod licet *libri* ſint ſubſidia memoriæ, rivi ſcientiarum, quorum lectione doctrina alitur, augetur, perficitur, Medici tamen cavere ſibi debeant, ne ſint veluti nautæ ex *libris*, juxta proverbium Galeni: Turpe eſt Medicis, niſi in *libris* non ſapere. Conſilium ſæpe procul à *libris* capiendum eſt in arena, dum occaſio adeſt. *Libros Chymicos* non eſſe ſcriptos doctrinæ gratia, ſed occulte, ænigmatice, & figurate, paſſim innuitur *in Theatr. Chym. Vol. III. pag.* 6. *Vol. IV. p.* 941. Mundum ſive Macrocoſmum Paracelſus aliquoties vocavit *Librum Naturæ*, atteſtante etiam Libavio *in Tom. IV. Operum* ſæpius. *Liber* olim *corticem* notavit, quemadmodum Codex truncum, uti patet ex Scrib. *num.* 174. 252. Jung. Rhod. *in Not. & in Lex. Scribon.*

LIBER, adjectivum, ἐλεύθερος, dicitur, cui permiſſum eſt, ſuo arbitrio vivere. Linden. *Ex. XIII.* §. 549. *Libertas*, ἐλευθερία, vera quæ ſit, docet Gal. *l. de cogn. & cur. anim. morb. c.* 10. *Libertas* vera Medici hæc

eſt, ſancte & caſte vitam artemque inſtituere. Linden. *Ex. III.* §. 29.

LIBERALIS, ἐλευθέριος, idem ſignificat, quod *Liber*, Ingenuus, 2. *aph.* 54. Junge Dieter. *num.* 271. Alias *Liberalitas* Græce dicitur ἀφιλαργυρίη, & refertur inter virtutes Medici ab Hippocr. *l. de dec. orn. V.* 4. quam egregie expoſuit Lind. *Exerc. II.* §. 19. 20.

LIBERATIO, *Liberatus*, ἀπαλλαγὴ τῶ κακῶ, Hipp. dicitur, idem eſt, quod *Curatio*, *Curatus*, vereque ita dicitur, quando quis ſub haſta veluti morbi venditus, officioſa Medici fidelis opera, Deo benedicente, Natura allaborante, veluti manumiſſus aſſeritur ſanitati. Lind. *Ex. XIII.* § 552. Junge Rhod. *in Lex. Scrib. Liberari* etiam in ſpecie de parturientibus dicitur, teſte Keuch. *ad Seren. p.* 221.

LIBERTAS, vide *Liber.*

LIBIDO, ἀσέλγεια, ἀγλαΐα, ſtricte ſignificat deſiderium in Venerem, idemque eſt, quod *Laſcivia*, *Salacitas.* Accipitur tamen aliquando pro ἐπιθυμία, ſive *Cupiditate*, notante Rhodio *in Lex. Scribon.* v. g. *Libido* inteſtini, *Libido* urinæ. Imo etiam pro *prurigine* morbo. Q. Seren. *c. 6.* Keuchen. *in not. p.* 113.

LIBOS, λίβος, idem, quod λιβὰς, dicitur oculorum quoddam inſtillamentum, quod oculis inſtillatur. Gal. *in exeg. Hipp.*

LIBRA, λίτρα, eſt nomen ponderis uſitatiſſimum, verum multifariam quondam acceptum, ita, ut nonnulli *minam*, *libram*, & *pondo* pro ſynonymis habuerint, notante Jul. Alex. *not. in Gal.* 1. *de C.M.P.G. c.* 15. Communiter tamen *Libra* ſignificavit pondus & menſuram unciarum duodecim, ſive drachmarum nonaginta ſex, uti conſtat ex Gal. *l. de pond. & menſ. cap.* 1. & 2. quæ ſignificatio hodieque adhuc recepta in Officinis Pharmaceuticis. *Libra* vero *civilis* in diverſis locis variat; in eo tamen omnes conveniunt, quod libra civilis unciis aliquot ſuperet medicinalem, ipſæ quoque unciæ paulo majores eſſe ſoleant, & ita *Civilis libra* ad *Minam* veterum magis accedat. Jung. *Dogm. noſtr. P. VI. cap.* 5. *d.* 3. *pag.* 760 *ſeq.* Sumitur & *Libra* pro ipſa *Trutina* vel *Statera.* Ita *Libra exploratoria* vocatur, quæ adhibetur in arte Docimaſtica metallica, de qua vide Ol. Borrich. *Docimaſt. Metall.* §. 19. Ita in cœli zodiaco ſignum aliquod dicitur *Libra.* Schroder. *l.* 1. *cap.* 9.

LIBROS, λιβρὸς, id eſt, *tenebroſus*, obſcurus & *niger*, uti exponit Erotian. *in Onomaſt. p.* 71. E.

LIBUM, ἴτριον, ψαιστὸν, μάζα, vide *Itrion*, & qui talia vendiderunt, *Libarii* dicti ſunt. Mercurial. *l.* 1. *V. L. c.* 11.

LIBYANON, λιβυανὸν, epitheton quorundam *Collyriorum* ἀδήκτων, ſive mordacitatis expertium, quæque longiori tempore affectæ partis vitiatum humorem conſumunt, quorum varias formulas vide apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. & Aët. *l.* 7. Appellantur & *Cygni*, κύκνοι, à calore albo, quod in iis prævaleat Amylum & Terra Samia. Perperam vero apud Ægin netam inſcribuntur λιβάνια, animadvertente Gorræo *in def.* Vide *Libanion.*

LICHANOS, λιχανὸς, vocatur digitus, ordine ſecundus, *Index* Latinis, à λείχω, lingo, quoniam ad lingendum plerumque ſumitur: vel ἀπὸ τῶ λίαν χαίνειν, valde hiando, quia inter pollicem & indicem magnus eſt hiatus. Occurrit apud Hipp. *lib.* 5. *Epid. XXVIII.* 16. *l.* 7. *XX.* 4. *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 24. & 1. *de iis, q. in medic. t.* 20. Vide Foëſ. *p.* 387. Junge ſupra *Index*, *Dactylos.*

LICHAS, λιχὰς, vocatur *Polluci* menſura interſtitii inter pollicem & indicem, & ita fuit apud Græcos menſuræ ſpecies, qua rerum intervalla metiebantur, continens duos palmos cum dimidio, ſive decem digitos, intellige tranſverſos. Gorr.

LICHEN, λειχὴν. Vide *Leichen*, *Impetigo.*

LICINIA, Latine vocantur *Linamenta*, vel ex panni lintei fruſtulis, vel ex ſtuppis bene pexis parata, quæ vulneribus & ulceribus induntur. Gr. μοτοὶ, vel etiam λημνίσκοι. Latine etiam *Tentæ* vocantur. Vide *Lemniſcos.* Foreſt. *l.* 6. *Chirurg. Obſerv.* 14. *in Schol.* Parac. *Paragraph. l.* 3. *c.* 4. §. 1.

LICULMEN, λικῶλμεν, vocari credidit Langius falſum piſcium liquorem colatum, ſive *Garum*, *l.* 1. *ep.* 59. Verum lapſum fuiſſe una cum aliis cætera doctiſſimis viris, patet ex Linden. *Ex. V.* §. 77. qui λικυάμεν legendum eſſe demonſtrat. Nam *Liquamen* idem, quod *Garum* eſt.

LIEN, σπλὴν, Latine etiam *Splen*, viſcus eſt in corpore humano, ad ſiniſtram ventriculo accumbens, quod Hipp. humano pedis veſtigio aſſimilare ſcripſit, *de diſſectione III.* 5. 6. Cujus hiſtoriam tradiderunt Anatomici, & inter hos Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 16. & ex noviſſimis D. Goth. Bidloo *Anat. Tab. XXXVI. fig.* 3. 4. 5. 6. Quis verus *lienis* uſus aut quæ ejus functio ſit, varias veterum & recentiorum opiniones hic producere nec loci anguſtia, nec inſtituti noſtri ratio permittit, cumque etiam ſagaciſſimi moderni naturæ ſcrutatores ingenue fateantur, rem omnem circa *lienis* uſum niti meris conjecturis, nobis hactenus placuit & adhuc placet ἐπέχειν cuivis permittentibus libertatem hujus vel illius amplectendi opinionem, quæ ipſi veroſimilior videtur. Interim legi merentur de hoc argumento Marcell. Malpighii *Exercitatio de viſcerum ſtructura hoc tit.* D. Bohn. *Circ. Anat. Phyſ. Progymn. XIIX.* D. Wedel. *Phyſiolog. cap.* 10. *pag.* 298. *ſeqq.* & D. D. Joh. Maur. Hofmann. *Notæ in Microcoſm. Horne p.* 164. *ſeqq. in noviſſime edita Idea Machinæ Humanæ ſect. IIX.* An lien e brutis præſertim canibus non ſolum, ſed ex ſanguine abſque vitæ periculo excindi queat, in medio relinquimus, cum noſtræ manus ſint oculatæ, credunt, quod vident, interea aliorum autoritati nihil derogaturi. Variis etiam morbis obnoxius eſt *Lien*, & ægroti, qui illis morbis laborant, σπληνικοὶ, *Lienoſi*, σπληνώδεις, vocantur Græcis, præſertim qui obſtructione

ſtructione & tumore lienis laborant. *Magni Lienes* σπλῆνες dicuntur, Hippocr. 3. *aph.* 22. Vide Gal. *comm.* Dieter. *num.* 783. Varias de *Liene* obſervationes, ratione magnitudinis, exectionis &c. vide paſſim in ſcriptis Medicis, præſertim Schenkium, Ephemerides Nat. Curioſorum, & alios, quorum Indices inſpiciantur.

LIENTERIA, λειεντερία. Vide *Leienteria*, *Cœliaca.*

LIGAMENTUM, σύνδεσμος, dicitur pars corporis ſimpliciter exſanguis, alba, ſolida, cavitatis expers, cartilagine mollior, durior vero nervis & membranis, corporis partes, præſertim oſſa funiculi inſtar mutuo colligans, muniens, Galen. *l.* 1. *de motu muſcul. cap.* 1. Horum hiſtoriam lege in Barthol. *libell.* 4. *An. cap.* 3. Junge D. D. Hofmanni *Diſſert. An. ad l. c.* Horne *Microc. p.* 26. 27. Apud Hipp. aliquando νεῦρον, h. e. *nervum*, abuſive dici monſtravit Dieter. *Iatr. n.* 568. In ſpecie nomen hoc quoque tribuitur *Freno* ſub lingua, quod *Ligamentum ſublinguale* etiam vocatur, de cujus ſectione periculoſa vide ſupra *Ancylogloſſum*. *Ligamentum ciliare* quid dicatur, vide *Cilia.*

LIGATIO, *Ligatura*, æquivocum eſt. Accipitur enim vel chirurgice, & ita idem eſt, quod *Deligatio*, Gr. ἐπίδεσις. Vide *Epideſis*, *Deligatio.* Ita *Ligatio* nervorum legitur *in Scribon. n.* 255. *Ligatio vaſorum* ad ſanguinis profuſionem præcavendam apud Hildan. *de gangr. & ſphacel. c.* 19. De *Ligaturis* vide & Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 4. *ſect.* 10. *c.* 4. Vel Pathologice & Gr. ἀγκύλη, vel ἀγκύλωσις. Vide *Ancyle.* Vel accipitur Magice, & iterum dupliciter, vel ſub reſpectu morbi, quatenus *ligatio* vel *Ligatura* ſignificat impotentiam generandi per præſtigias diabolicas & faſcinum inductam; unde & vulgus tales *ligatos* vocat, teſte Dieter. *Iatr. p.* 224. *Ligationis* hujuſmodi exempla recenſet R. Lentilius *Miſcell. Med. Pract. Part. I. p.* 13. Vel ſub reſpectu remedii Magici, quando ſuperſtitioſi characteres *ligantur* & ſuſpenduntur, de qua arte ex quadam peſtifera ſocietate hominum & angelorum malorum exorta (verbis Iſidori) vide Keuchen. *prolegom. ad Samonicum p.* 54. 63.

LIGATURA aurea, quando pars continens ita coarctatur, ne partes contentæ amplius prolabi poſſint, Varand. *de Indicat.* 1. *c.* 11.

LIGNUM, ξύλον, quid ſignificet, omnibus notum eſt. Eſt vero *Lignorum* uſus in Medicina multifarius, potiſſimum triplex: Diæteticus ſive Coquinarius & Culinaris, quando comburuntur, ubi quidem ligna arida præ aliis eligenda, Gr. ἄκαπνα dicta, Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 6. Contra *ligna* viridia cauſſa ſunt virium exſolutionis, 2. *aph.* 41. Deinde Pharmaceuticus, dum quædam *ligna* ad uſum internum adhibentur, quorum hiſtoriam vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 14. Et inter illa *Lignum Guajacum* vel *Sanctum* principatum obtinet, vide *Guajacum. Nephriticum*, vide infra lit. N. Denique Chirurgicus, quatenus ad inſtrumenta Chirurgica pertinet, v. g. De *ligni* cujuſdam pro repoſitione articuli apparatu vide Hipp. 1. *de artic. t.* 19. Galen. *in comm.* Ad *ligna* rariora pertinet *Lignum Zibethum olens* in *Ephem. Nat. Cur. Ann. I. Obſ.* 97. Item *lignum foſſile*, de quo integer tractatus proſtat Franciſci Stelluti *in Ann. III. d. Ephem. ad finem. Lignum Magicum* vocat Paracelſ. *Arcana Herbarum*, tr. *Labyr. Medic. c.* 9.

LIGNYODES, λιγνυώδης, *Lignys*, λιγνὺς, *fuliginoſus*, *fuligo.* Vide *Fuligo.* Erotiano γλῶσσα λιγνυώδης eſt μέλαινα καὶ δίφρώδης, rationem autem nominis exponit pluribus in γλῶσσα λιγνυώδης.

LIGULA, item *Lingula*, homonymon eſt vocabulum. In Anatomicis ſumitur pro *Clavicula.* Vide *Clavicula*; aut pro *Glottide.* Vide *Glottis.* In Pharmaceutica notat menſuram aliquam cochleari majorem continentem ſemunciam exceptis duobus ſcrupulis. Scribon. *num.* 111. 144. 220. Rhod. *in not. ad h. l. p.* 217. In *Diſſert. de Pond. & Menſ.* ſcribit continere drachmas tres ℈j. Alias quoque denotat vinculi ſpeciem; v. g. calceorum vincula dicuntur *Ligulæ.* Scribon. *n.* 208.

LIGURINUS, nomen aviculæ, quæ & *Spinus*, Gr. σπῖνος, ἀκανθὶς, dicitur: cujus hiſtoriam & uſum vide in Aldrov. *l.* 18. *Ornithol. c.* 4.

LIGYSMA, λίγυσμα, vocatur *contorſio juncturæ*, ita tamen, ne ſit perfecta luxatio. Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. cap.* 19. Jul. Alexandr. *in not. ad h. l. p.* 754.

LILI, terminus eſt Paracelſicus, denotans vel ſubjectum tincturæ, quod & *Leo ruber*, vel *rubeus* vocatur: vel ipſam *tincturam.* Eſt vero illud ſubjectum vel *Electrum minerale*, vel ipſum *Antimonium*, uti colligere licet ex tr. Helmontii inſcripto *Arcana Paracelſ.* nec non *tr. Catarrhi deliram.* §. 43. *& Pharmac. ac Diſp. mod. num.* 49. item ex Libav. *tr. de Igne naturæ Tom. II. Oper. pag.* 63. 64. 68. *ſeq.* Junge Fr. Hofmann. *in Clavi ad Schroder. pag.* 324. D. Etmüller. ſtatuit Tincturam Antimonii, cum liquore Alcaheſt paratam, quia tamen liquor Alcaheſt adhuc eſt obſcurus, ſubſtituit D. Ludovici Sal Tartari volatiſatum. *Pharm. Diſſert. I. p.* 335. Aliam præparationem ex Regulo Martis vide in Morl. *Coll. Chym. Leid. c.* 257.

LILIUM, præter Botanicam ſignificationem à Paracelſicis accipitur pro *Lili*, ſive Tinctura. *Lilium* eſt *Mercurius* & flores illius *Lili*, de pellicano in tinctura Philoſophorum. Eſt quinta eſſentia Sulphuris: Sulphur fixum. Rul. & Iohnſ.

LIMA, ῥίνη, inſtrumentum notat, quo ſcobs aut ramenta fiunt deterendo. Uſus eſt *limarum* in Pharmaceuticis propter res, quæ non facile tundi atterique poſſunt. Eſt vero alia craſſior, alia tenuior, Weker. *Antid. gen. lib.* 3. *c.* 25. *&* 48. Ita Cornu Cervinum *limatum lima lignaria* legitur apud Scribon. *n.* 141. id eſt, quaſi lignum ſanctum radi vel teri ſolet, explicante Rhodio *ad h l p.* 214 *Limatura*, Gr. ῥίνημα, ῥίνισμα, idem, quod *Scobs*, *ramentum*, dicitur, vel *Raſura.* Ita *ramenta æris* apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. CIX.* 2. & Galen.

Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. *Limatura Chymica* dicitur, quæ fit per Mercurium ſcil. calcinando. Libav. *Apoc. Herm. P. Poſter. T.* 2. *pag.* 428.

LIMACESTEROS, rectius *Leimaceſteros*, λειμακέστερος, exponitur ab Erotiano *in Onomaſt. pag.* 71. *d.* per *herbidior*, prati virorem referens. Dicitur de locis paluſtribus & arboribus conſitis apud Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XXXIV.* 11.

LIMACODES, λιμακώδης, eſt poſitivum, ſignificans *locum* udum, humidum & *herbaceum*. Scribitur & λειμακώδης, Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XLIII.* 3. *LV.* 6. Jung. Foëſ. *p.* 386.

LIMANCHIA, λιμαγχία, dicitur ſumma inedia & *omnimoda abſtinentia*, cum quis fame cruciatur aut ſtrangulatur. Idem, quod λιμοκτονία. Unde λιμαγχοὶ, λιμαγχόμενοι, dicuntur, qui *nimia inedia crucientur*. Hippocr. 2. *Prorrhet. VII.* 9. *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 66. Item λελιμαγχημένοι. 1. *de artic. t.* 30. & verbum λιμαγχονέειν, *inediam ferre extremam*, 4. *de artic. t.* 64. Foëſ. *p.* 385.

LIMATIO, *Limatura*, ῥίνημα. Vide *Lima. Limatio* quoque vocatur operatio chirurgica, quæ in dentibus præprimis exercetur, ſi aſperiores fuerint aut promineant, quamvis & aliis oſſium fragmentis vel aſperitatibus lævigandis inſervire poſſit. *Limas* appropriatas pro dentibus exhibet Ambr. Paræus *l.* 16. *Chir. c.* 26.

LIMAX. Vide *Cochlea.*

LIMBUS Paracelſo dicitur univerſus mundus, ſemen, & prima hominis materia, ſuperior & inferior ſphæra cum elementis quatuor, & quæcunque his comprehenduntur. *Paramir. l.* 1, 2. 4. Rul. & Iohnſ. Alias *Limbus* etiam dicitur faſcia illa, alterius ſæpe coloris & majoris pretii, quæ veſtium, præcipue muliebrium extremitates circumquaque ambit. Quibus ſuturas in cranio comparavit Ingraſſ. *Comm. in Galen. l. de Oſſib. p. m.* 45. *ſeq.*

LIMEN, οὐδός. Vide *Udos.*

LIMITATIO, διορισμὸς, idem, quod *determinatio*, vel reſtrictio alicujus rei, vel ſermonis. Hæc omnino in Medicina ſæpiſſime neceſſaria eſt propter varietatem circumſtantiarum in ſingularibus, vel individuis, uti teſtatur Galen. *l.* 1. *de Al. fac.* 1. *& l.* 3. *meth. med cap* 3. Vide *Diaſtole.*

LIMNE, λίμνη. Vide *Lacus.*

LIMNOTHALASSA, λιμνοθάλασσα, vocatur *ſtagnum maritimum*, Gal *l.* 3 *de Al. fac. cap.* 25. ubi ſcil. fluvius magnus ſtagnum efficit, quod mari conjungitur. *Ibid.*

LIMOCRATUMENOS, λιμοκρατούμενος, dicitur *ſervus*, vel mancipium *famis*, ſive eſuriei. Idem, quod λιμαγχόμενος, Linden. *Ex. XIII.* § 29.

LIMOCTONIA, λιμοκτονία, idem, quod λιμαγχία, vide *Limanchia.* Legitur apud Hipp. *l.* 3. *de diæta XV.* 36 *&* 4. *de R. V. I. A. t.* 61. Verbum quoque λιμοκτονέω, frequenti eidem fuit in uſu, *d. l. t.* 116. *l. de fiſtulis II*, 20. *lib.* 1. *de morb. mul. XXVII.* 15. *l.* 7. *Epid. LIII.* 1. Jung. Foëſ. *p.* 386.

LIMOS, λιμὸς, *Fames.* Vide ſupra *Fames.*

LIMOTTO, λιμώττω, *eſurio.* Vide *Fames.*

LIMUS, ἰλὺς, vide *Ilys.* Ita ſanguinis *Limus*, idem, quod *Fex.* Gal. 4. *aph.* 21. Vocatur & *Cœnum*, βόρβορος. Dieter. *n.* 157. *Limus terræ* Paracelſo vocatur totius mundi machina, eſtque eidem duplex: viſibilis & inviſibilis, corpus & ſpiritus ſidereus. Idem, quod *Limbus.* Quod commentum tamen graviter perſtrinxit Libav. *Tom. IV. Oper. p.* 39. 41.

LINAMENTARIUS, ἔμμοτος. Vide *Emmotos.*

LINAMENTUM, μοτὸς, μοτὸν, dicitur *linteum carptum*, vel *vulnerarium*, quod vulneribus & ulceribus inditur. Sunt vero variæ ſpecies *Linamentorum*, quorum alii quinque, alii ſex numerant, aut plures, v. g. στρεπτὸς, *tortile*, ἐλλυχνιωτὸς, *ex ellychniis factus*, ξυστὸς, *raſile*, vel raſura linamentorum, τιλτὸς, *concerptum* (hæc duo vulgo *Carpia*, Gall. *Charpie*, vernacule etiam Chirurgis noſtris carpei dicuntur) πριαπισκωτὸς, ad *priapi* ſive mentulæ *formam factum*, λημνίσκος, *oblongum*, σφηνίσκος, ad *cunei parvi* formam paratum; de quibus ſuis etiam in literis. Junge Foëſ. *p.* 417. Curatio per *linamenta* ἔμμοτος vocatur. Vide *Emmotos*; item μότωσις, *uſus linamentorum*, 2. *de artic. t.* 58. Alias & Græcum vocab. μοτὸς aliquando ſignificat *cannulam*, vel penicillum, v. g. ſtanneum, qui μοτὸς κασσιτέρινος, Hipp. *l.* 2. *de morb. XLV.* 32. *LVII.* 21. *LVIII.* 21.

LINARIA, nomen aviculæ ad *Carduelès* pertinentis, de qua ſcribitur, quod morbo comitiali laboret; nihilominus hodieque uſu venit ad cibos. Ejus hiſtoriam vide apud Aldrov. *l.* 18. *Ornithol. c.* 8. 9. *Linaria* eſt quoque nomen herbæ alicujus, de qua vide in Botanicis ſcriptoribus.

LINCTUS, ἔκλειγμα, idem, quod *Looch.* Vide *Eclectos*, *Eclegma.*

LINEA, γραμμή, vide *Gramme.* Ejus ſignificatio proprie pertinet ad Mathematicos. In Anatomicis occurrit potiſſimum *Linea alba*, quæ & *Galaxia* dicitur, eſtque concurſus tendinum muſculorum abdominis, de qua apud Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 6. Ad Pathologicam ſignificationem pertinent obſervationes *linearum rubicundarum* exterius occurrentium in cute ex interna inflammatione lienis *in Ephem. N. Cur. Ann. III. Obſ.* 215. Ad Semioticam referri poſſunt *Lineæ* in manibus & fronte, quas *Chiromantæ* & *Metoſcopi* explicare ſolent, à Bartholino *Lineæ fatales* dictæ, *l.* 3. *Anat. cap.* 7; quarum ſignificationi multum tribuit Paracelſus *l. de morb. Podagric.* §. *Chiromantia*, conferendo cum *Lineis* plantarum. Verum nobis vana imaginatio & phantaſma potius videtur, quam realis quædam certitudo ſignificativa.

LINGUA, γλῶσσα, γλῶττα. Vide *Gloſſa.*

LINGULA, idem, quod *Ligula.* Vide *Ligula.*

LINIMENTUM, ἄλειφα, ἄλειμμα, late dicitur id, quod

quod illinitur, ſive inungitur, & ita comprehendit *olea* & *unguenta*, *adipes*. Vide *Aleipha*. Interdum tamen in ſtrictiori ſignificatione accipitur pro medicamento externo liquido conſiſtentia craſſiori, quam *oleum*, liquidiori, quam *unguentum*, cujus baſis oleum eſt, de quo videatur Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 35. *Spec. l.* 2. *ſ.* 27. Morell. *l.* 2. *de form. remed. ſect.* 1. *c.* 8. Schroder. *l.* 2. *cap.* 87. Vocatur & *Litus*. Horum uſus plerumque commodior eſſe videtur, quam unguentorum.

LINTEUM, *Linteamen*, ὀθόνη, ὀθόνιον, panniculus lineus, cujus uſus varius in Chirurgia; unde varia in promtu eſſe debent, præcepto Hipp. 2. *de iis*, *q. in med. t.* 26. Comprehendit ſub ſe μοτὰ, *linteamina* vulneraria, *faſcias* & *ſplenia*, de quibus etiam in ſuis literis. Vide & Rhod. *Lex. Scribon.* Confer & ad Hildan. *Ciſtam militarem claſſ.* 20.

LINUM, λίνον, quid proprie ſignificet, quære in Botanicis. Tranſlatum vero etiam ad lapidem Amiantum, vel Asbeſton, aut Caryſtium vivum, & qui *Linum incombuſtibile* dicitur, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 66. Junge Mercurial. *l* 2. *V* L. 27.

LIPA, λίπα, idem, quod ἔλαιον, *oleum* ſignificat. Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LVIII.* 13. *l.* 2. *XXV.* 12. *XL.* 9. *XLI.* 2. *XLII.* 11. Hinc verbum λιπαίνω, *inungo*, idem *l.* 1. *de morb. mul. LVIII.* 11. Et adjectivum λιπαρὸς, *pinguis*, quo uſus de excrementis alvi, *l.* 3. *Epid. ſect.* 3. *t.* 70. de urina, 7. *aphor.* 35. λιπαρότης, *pinguedo* urinis ſupernatans, 2. *progn. t.* 36. Medicamenta quoque vel *Emplaſtra* Topica *Lenia* quædam vocantur λιπαρὰ, Scribon. *n.* 220. 222. Rhod. *in not. p.* 200. *&* *in Lex.* q. d. *Pingues compoſitiones.*

LIPARIS, λιπαρὶς, nomen *piſcis* cujuſdam adeo pinguis, ut nihil aliud eſſe videatur, quam pinguedo, cujus hiſtoriam tradit Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 11. *Lapis* quoque quidam *Liparis* dicitur Plinio *l.* 32. *c.* 12. qui ſuffitus omnes beſtias evocare creditur.

LIPODERMUS, vide *Leipodermos.*

LIPOPSYCHIA, vide *Leipopſychia.*

LIPORRHINOS, λιπόρρινος, epitheton *Salamandræ* apud Nicandr *in Alexipharm.* ita dictæ, vel quod tenuem ejus corporis pelliculam lentus ac viſcoſus humor exudet, cujus frigore ignem extinguere olim creditum fuit. Lang *l.* 1. *ep.* 66.

LIPOS, λίπος, idem quod *Lipa*, de quo paulo ante. Occurrit paſſim *in Lexicis.*

LIPOTHYMIA, vide *Leipopſychia*, *Leipothymia.*

LIPPA, pro *Leme*, vel *Gleme*, i e ſordes oculorum: vide *Leme*, *Gleme*. Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 424.

LIPPITUDO, ὀφθαλμία. Vide *Ophthalmia.*

LIPURGIA, λιπεργία, id eſt, *operis defectus*, quando, quod ſperabatur & in expectatione erat, non ſuccedit. In ſpecie uſurpavit Gal. de *male curatis morbis externis*, *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 19. Verbum quidem non adeo uſque quaque uſitatum, ſed quod tamen multorum uſitatiſſimorum analogiam retineat, Jul. Alexandr, *in not. ad h. l.* Sane hodieque non infrequens apud noſtros Chirurgaſtros ob imperitiam.

LIQUABILIS, τηκτὸς, idem, quod *Liqueſcens*, dicitur de medicamentis, tum quæ virtute ignis colliquantur, tum quæ ex humidis quibuſdam, velut aqua, aceto, vino, conſtant. Igne liqueſcit Propolis, Cera, Reſina, Ladanum, Sevum, Galbanum: Aceto ſolo *liqueſcunt* citra ignem Ammoniacum, Sagapenum, Opopanax &c. Gal. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 5. *in princ.* Aquæ maxime *liquabiles* vocantur ὕδατα τηκτότατα, quæ ſunt optimæ & opponuntur duris, σκληροῖς καὶ ἀτεράμνοις, *l. de A. L. & Aq. XVI.* 1. 2.

LIQUAMEN, idem, quod *Garon*, *Garum*. Vide *Liculmen.* Alias & *Liquamen* ſignificat pinguedinem igne liquatam & coquinario uſui pro condiendis eduliis reſervatam. Gabr. Hamelberg. *ad Apuleji de medic. herbar. c.* 89. *n.* 12. *p. m.* 251.

LIQUAMUMIA, id eſt, *Adeps humanus.* Ruland. & Iohnſ.

LIQUATIO, τῆξις, accipi poteſt late, & ſtricte. Late pro omni diſſolutione materiæ alicujus in fluidiorem conſiſtentiam, ſive fiat igne, ſive liquore aliquo diſſolvente, quod poſterius dicitur etiam *Maceratio.* Stricte vero idem eſt, quod *Fuſio*, quæ ſola ignis, aut caloris ſolaris virtute perficitur, Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 14. Rulandus latius deſcripſit: *Liquatio* eſt, cum, quod in unum coaluerit, ſolvitur liquando, ut jam poſſit fluere. *Liquatum* eſt, quod conſiſtentiam diffluentem inſtar undoſorum accepit. *Liquatio* eſt vel Fuſio, aut Deliquium. Vocatur & *Liquefactio*, quæ eſt corporis mineralis vi ignis majoris reſolutio. Eſtque *Simplex* vel *Probatoria*. Simplex dicitur, quando corpus nullum alium in finem, quam ut fundatur, liqueſcit. Probatoria, quando corpus liquatum probatur, imperfectumque à perfecto ſeparatur, idque per Cineritium, aut per Antimonium. Rul. & Iohnſ. Vide *Colliquatio.*

LIQUEFACTIO, *Liquefactivum*, vide p. a. *Colliquatio*, *Liquatio. Liquefactivum* primum vocatur *Aqua elementaris*, qualis vero ſit, vide apud Libav. *Apoc. Herm. P. pr. c.* 11. *Liquefactio.* Vide *Liquatio.*

LIQUIDAMBRA, quaſi *liquida ambra*, ob odoris ſuavitatem, eſt reſina oleaginoſa effluens ex arbore quadam procera, Indis *Ococol* & *Ocoſolt* dicta, vide Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 389. Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſ. V. p.* 626. *ſeq.*

LIQUIDUS, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat *fluidum*, & ita idem eſt, quod ὑγρὸς, vide *Hygros*, *Humidus.* Vel notat *Manifeſtum*, & ita Gr. dicitur ἐναργὴς, φανερὸς. Vide *Enarges.* Galen. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 4.

LIQUOR, ὑγρὸν, ὑγρότης, in genere idem, quod *Humor*, vide *Humor.* Scribon. *n.* 84. Rhod. *in Lex. Scr. Liquor* Phyſice dicitur, cum particulæ mixti corporis inter ſe invicem fluunt, ſinum indeſinenter mutantes. D. de Cordemoy *Diſſ. Phyſ. I. pag. m.* 3. In Pharma-

ceuticis diverſimode accipitur. Wekerus *liquorem* à *ſucco* diſtinguit, hunc appellans, qui contuſione & quaſſatione exprimitur; Illum vero, qui inciſa, vel ſcarificata, aut terebrata plantæ alicujus parte extillat, ſive emanat. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 9. *Sp. l.* 1. *ſ* 16. Schrod. vero *liquores* vocat humores per deliquium aut ſimiliter paratos, eorumque catalogum recenſet *l.* 2. *c.* 66. Junge Fr. Hofm. *in Clavi ad h. l.* Ita & Chymici *Liquorem* deſcribunt, quod ſit magiſterium potabile per quandam in arte Chymica tranſmutationem, ad imitationem naturalis ejus, qua ex terra fit aqua, ex terra materia reſoluta concinnatum. Vel *liquor* eſt humor deliquio ſolubilium corporum factus. Libav. *Synt. Arc. Chym. l.* 3. *c.* 1. *& ſeqq.* ubi plura de hoc argumento videbis. Rul. quoque & Iohnſ. varias *liquoris* deſcriptiones & ſignificationes notarunt, v. g. *Liquor aquilegius*, id eſt, *vinum deſtillatum. Liquor herbarum* fit ex herbis cum tota ſubſtantia contuſis, & in vitro concluſis, & in balneo maris aliquot diebus coctis, ſucco colato per pannum calore cinerum, mellis ſpiſſitudinem acquirit. *Liquor eſſentialis*, qui à membris interioribus extrahitur & in carnem ſanguinemque tranſmutatur. *Liquor Mercurii* eſt balſamus rerum omnium, in quo conſiſtit vis ſanationis. Talis Mercurius valde potens eſt, in Terreniabim & Noſtoch. *Liquor ſalis* eſt balſamus naturæ, quo ſuſtentatur corpus, ne putreſcat. *Liquor* & multarum rerum *oleum* eſt, cum adjectione ejus rei, cujus eſt. Ita *Liquor Terebinthinæ* eſt ejus oleum. *Liquor mumiæ de gummi*, eſt oleum gummi. Hæc Rul. *Liquor carnes conſervans* eſt ſpiritus vini, ſpiritu ſalis leniter acuatus & infectus, admiſto Elæoſaccharo Terebinthinæ ac Lavendulæ. *Ephem. Nat. Cur. Ann. II. Obſerv.* 255. *Liquor univerſalis* eſt *Mercurius*, Paracelſ. *Paramir. l.* 2. qui & *Liquor æternus* vocatur in Gaſtone Claveo *defenſ. Argyropœæ & Chryſop. in Theatr. Chym. Vol. II. p.* 53. *Liquor terræ* eſt idem, quod *Leſſas. Liquor vitæ* in homine eſt homo occultus. Paracelſ. *Tract.* 2. *de gener. hom. c.* 2. *Liquor vinoſus ſine vino* ex floribus Hormini in fecibus vini maceratis deſtillatus omnes liquores vini odore inficere dicitur, & ita aquam in vini ſaporem vertere, ſi fides habenda Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 518. Varias *Liquorum Chymicorum*, v. gr. *Liquoris* Corn. C. ſuccinati, *Liquoris* Nitri Fixi, Silicum, Styptici, Talci, Tartari, vide in Iunken. *Lexico Chym. Pharm. P. I. p.* 129. *ſeqq.*

LIRA, αὖλαξ, proprie ſignificat foſſam rectam, quæ contra ægros tuendos dicitur, & in quam uligo terræ decurrit, ex Nonio C. Hofm. *comm. ad Galen. de V. P. n.* 677. Linden. *Ex. XII.* §. 169. Hinc *Delirare* tropice dicitur, h. e. de recto tramite rationis recedere.

LIRIUM, λίριον. Lilium exponit Galenus τὸ κρίνον; Foëſius legi amat λείριον, quidquid ſit, monet Galenus & oleum ita appellari, quod aliis etiam λίριον ſcribitur, & alias idem ſit quod κρίνινον, σούσινον, καὶ ἀνθινον, pro quo ultimo reponit Foëſ. ἄνθινον vel ἀνήθινον.

LITE, λιτὴ, nomen emplaſtri viridis, quod ex ærugine, cera, & reſina conficitur, Galen. *l.* 2. *de C. M. P. G. cap.* 2.

LITERA, γράμμα, quid ſignificet, non eſt equidem hujus loci, quamvis ſit notiſſimum. Eatenus tamen *literæ* ad forum Medicum pertinent, quatenus ſunt partes vocis, & quidem duplices: *Vocales*, & *Conſonantes*, quæ quomodo formentur, docet Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 11. *fine.* Quatenus etiam *Literæ* idem ſignificant, quod *Scriptura*, *Scriptum*, neque hæc ſignificatio à Medicina eſt aliena, quamvis non opus ſit expoſitione.

LITHAGOGUS, λιθαγωγὸς, eſt epitheton remediorum calculum pellentium, quamvis rectius de inſtrumentis Chirurgicis, quibus calculus veſicæ eximi ſolet, dicatur.

LITHANTHRAX, λιθάνθραξ, vocatur *carbo foſſilis*, ſive e terra erutus, Lang. *l.* 1. *ep.* 53. Rul. & Iohnſ. ita deſcripſerunt. *Lithanthrax*, *lapideus Carbo*, ſpecies eſt *Gagatis*: Eſt enim nihil aliud, quam induratum & excoctum ſub terra bitumen calore. Sunt autem duplices tales *carbones*: alii leves & rari, ut aquæ nonnunquam innatent, propter terræ excoctionem, Theophraſto γαῶδεις dicti; alii graves, qui dicuntur λιθώδεις. Schrodero vocatur *Carbo petræ*, *l.* 3. *Pharmac. c.* 33. ubi negat ſe aliquid ſcire de uſu hujus medico; aſt D. Theodor. de Mayerne *Prax. Med. Part. I. c.* 18. *p. m.* 135. egregium & minime fallens præbere remedium contra dolorem dentium *lithanthraces* ſcribit, ubi etiam olei inde deſtillati deſcriptio legitur. Vide *Bitumen.*

LITHARGYROS, λιθάργυρος, *Lithargyrium*, id eſt, *Argenti ſpuma*: ita dicitur Medicamentum metallicum non ſponte quidem naſcens, ſed in ſecundis fornacibus emergens, dum plumbum, vel ejus arena ab argento, aut auro ſecernitur. Gorr. Dioſcorides triplicem differentiam conſtituit: unam ex arena, quæ μολυβδῖτις dicitur: alteram ex miſtura Plumbi & Argenti, vel quod colorem candidum obtineat, quæ ἀργυρῖτις vocatur. Vide *Argyritis*: & tertiam, vel quod ex auro prodierit, vel quod fulvo colore conſtet, χρυσῖτις dictam, *l.* 5. *c.* 102. Verum Schroderus duas ſaltem poſteriores communiter ſtatui ſcripſit, ubi ſimul uſum & vires expoſuit, *l.* 3. *c.* 19. *n.* 3. Vide Fr. Hofmann. *in Clavi.* De differentia inter *Lithargyrium Auri* & *Argenti* legi quoque poterit Jac. le Mort *Coll. Chym. Leid. c.* 175. Rulandus plures ſpecies numeravit, ut & Iohnſ. v. g. *Lithargyrum* 1. quod fit, quando argentum e plumbo ſeparatur, 2. e mixtura plumbi & auri, 3. e mixtura plumbi & argenti, 4. e mixtura auri & argenti, 5. ortum ex plumbo & ære, 6. recrementum *Lithargyri* cœruleum, quo utuntur figuli. *Lithargyrum* Paracelſi eſt ſpuma Mercurii. Item *Lithargyrum* eſt ſpuma ferri, argenti Rul.

LITHIASIS, λιθίασις, id eſt, *calculi morbus.* Vide *Calculus*: unde & verbum λιθιᾷν, *calculo laborare*, in uſum venit Hippocr. *Coac. t.* 472. Jung. Foëſ. *p.* 385.

Dieterich.

Dieterich. *n.* 503. Linden. *Ex. XVI.* 7. 12. *ſeqq.* Porro dicitur & λιθίασις oculi morbus in exteriori palpebrarum parte, in qua alba quædam & craſſa callis, aut lapillis ſimilia apparent oculum pungentia. Galen. *Iſagog. c.* 16. Cauſſa eſt ſuccus nutritius vitioſus, coagulatus & induratus.

LITHOCOLLA, λιθοκόλλα, dicitur *glutinum*, quo lapides inter ſe coagmentantur, paratum ex marmore, lapide Pario, & taurino glutine. Uſurpatur ad pilos palpebrarum incommodos replicandos. Dioſc. *l.* 5. *c.* 164. Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

LITHOCOLUM, quid ſignificet, nondum conſtat. Meminit hujus nominis Georg. Thomſon *in Acus Magneticæ præfatione*, promittens tractatum Latinum, in quo monſtrabitur *Lithocoli* modus, ceu tentamen inauditum. Mihi videtur compoſitum e Græco, λίθος, lapis, & Latino *Colum*, ita ut denotare videatur modum calculum e renibus vel veſica colandi & ſecernendi.

LITHOEIDES, λιθοειδὴς, *petroſum*, ſive petræ ſimile. Epitheton oſſis temporum, quod & *Lapidoſum*, *ſaxeum*, Galen. *l.* 9. *de V. P. cap.* 10. quod utrinque ad aures poſitum petræ ſpeciem referens lambdoidis ſuturæ finibus terminatur, in quo ineſt proceſſus columnæ ſimilis, ςυλοειδὴς, βελονοειδὴς, γραφιοειδὴς, ſub quo auditorius meatus continetur, *l. de oſſib. c.* 1. Barth. *libell.* 4. *c.* 6. ubi oſſa temporum appellat.

LITHOLABON, λιθολάβον, vocatur inſtrumentum ferreum, quo calculus extrahitur, quorum varias formas, hamulos, cochlearia, ſpecilla, uncos &c. vide in Aquapend. *de operat. Chirurg.* & Hildan. *l. de Lithotom. c.* 14. Meminit hujus vocabuli Gal. *Introduct. n.* 18.

LITHONTHRYPTICOS, λίθων θρυπτικὸς, i. e. *calculos frangens*, Saxifragus. Epitheton eſt medicamentorum ſimplicium & compoſitorum virtutem habentium calculum renum vel veſicæ atterendi & comminuendi, Gal. *l.* 5. *de Sim. Fac. c.* 2. à λίθος & θρύπτω, frango, quamvis neque hoc vitioſe ſcriptum ſit, quando communiter *Lithontripticon*, aut *Lithonthripticon* legitur à τρίβω, tero. Unde & in officinis *Species Lithontribon* Nicolai occurrunt, quarum compoſitio licet videatur præter neceſſitatem prolixior, quod nec ipſe diffiteor, earum tamen virtus per experientiam mihi innotuit haud vulgaris, profecto non minor, quam aliorum pulveres ſecreti *Lithontriptici* præter neceſſitatem pretioſi habiti. Meminit & *Lithontribon Ducis* Parac. *l.* 2. *de Tartaro Tract.* 2. *c.* 3.

LITHOPÆDION, λιθοπαιδίον, i. e. *infans lapideus*, vel in lapideam duritiem concretus, cujus variæ proſtant obſervationes apud Augenium, Schenkium, Licetum, & alios, quorum etiam meminit Caſp. Rejes *C. El. q.* 34. *n.* 23. Junge Sennert. *M. Pr. l.* 4. *P.* 2. *ſ.* 4. *c.* 8.

LITHOS, λίθος, id eſt, *Lapis*, vide *Lapis*.

LITHOSTROTON, λιθόςρωτον, dicitur pavimentum vitreatis teſſerulis verſicoloribus lapidum cruſtis cœmento compactis exornatum; qualia etiam in magnificis balnearum veterum fabricis conſpiciebantur, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 50.

LITHOTOMIA, *Lithotomos*, λιθοτομία, λιθοτόμος, illud notat operationem chirurgicam, & artificium ſectione calculum removendi e corpore. Hoc vero artificem ipſum, ſive chirurgum. Res profecto dubii valde eventus, & periculoſiſſima, ita ut non imprudenter Hipp. in Jurejurando cavere Medicis voluerit, ne hanc operationem in ſe ſuſcipiant, ſed aliis relinquant. Vide Diet. *num.* 771. Alias de hoc artificio vide Paræum, Aquapendentem, Hildanum, *h. tit.* ut & alios chirurgiæ ſcriptores. Neque hic retinenda rara felicitas chirurgica Dn. Georgii Protmanni, Chirurgi Norimbergenſis, qui in uno ſubjecto maſculino diverſis ſubſequentibus annis & temporibus ter ſectionem calculi veſicæ feliciter perfecit, eximens inſignes calculos, & ita ægrum e mortis faucibus eripuit, præſente conſilioque & remediis internis ſuppetias eunte celeberrimo D. D. Joh. Georgio Volcamero Reipubl. Norimb. Archiatro, quartam etiam ſectionem rite abſolvit, quamvis æger paulo poſt ob alia ſymptomata ſupervenientia fatis conceſſerit. Aliam inauditæ *Lithotomiæ* in muliere octogenaria obſervationem vide ſis in Freder. Ruyſchii *Obſervationum Anatomicarum Centuria Obſerv. I.*

LITIM, id eſt, *filum* aliquoties complicatum & omnino tractatum. Rul. & Iohnſ.

LITOS, λιτὸς, *Lite*, λιτὴ, ſignificat ſimplex, tenue, minime operoſum aut elaboratum. Ita compoſitiones *Diamoron* & *Diacodion* vocantur λιτα, apud Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 3. *& l.* 1. *c.* 2. Junge Foëſ. *Oec. p.* 387.

LITRA, λίτρα. Vide *Libra*.

LITRON, λίτρον, idem, quod νίτρον. Vide *Nitrum*. Keuch. *ad Seren. p.* 97.

LITTERA. Vide *Litera*.

LITTERISTUM, eſt nomen febris certæ, & remedii contra illam apud Paracelſ. *in Theoric. figuris Univerſal. morbor. Tab.* 9. & quandoquidem ipſe fatetur, curam non eſſe naturalem, videtur intelligenda eſſe per *Litteriſtum* Cura Characteriſtica, ſive Magica.

LITTUS, *Littoralis*, αἰγιαλὸς, αἰγιάλιος, αἰγιαλίτης, quid ſignificet, ex aliis Lexicis notum eſt. De piſcibus *littoralibus*, teſtatur Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 3. eſſe mediæ facultatis inter tenuis & craſſi ſucci cibos.

LIVIDUS, πελιδνὸς, dicitur color inter plane nigrum & rubrum, aut aliquem alium ex floridis medius. Fit autem talis color vel ex ipſis floridis in nigrum abeuntibus, vel ex nigro in album cedente, ut apparet in ſuppurationibus, in quibus, quod nigrum erat, *liveſcere* incipit, & ex *livido* ad colorem ignis tendere, & paulatim candidius fieri, proxime accedit ad fuſcum. Contrahitur in corporibus vivis à ſanguinis & caloris nativi defectu. Frigus enim *li-*

vidum & nigrum colorem inducit. Deſignat & aliquando humorem prava qualitate præditum, veluti viridis, uti ruber ſanguinis copiam. Græcum vocab. legitur apud Hipp. 1. *progn. t.* 22. 2. *progn. t.* 8. 9. Aliquando etiam legitur πέλιος, vel πελιὸς, 1. *progn. t.* 7. 10. 12. *Lividus* quoque eſt epitheton Muſculi ad femoris internum latus tendine ſuo inſertus. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 580.

LIVOR vocatur πελίωμα, apud Hippocr. *Coac.t.*409. *l.* 6. *Epid. ſect. VIII.* 63. Jung. Foëſ. *p.* 491. Dieter. *n.* 666. *Livor* etiam haud raro ſumitur pro *Invidia*, quæ bonis alienis angitur, & per colorem lividum ſe prodit. Vide *Invidia.* Jul. Alex. *l.* 22. *Salubr. c.* 3.

LIXIVIUM, κονία. Vide *Conia.* Junge Rhod. *in Lex. Scribon. Lixivioſum Sal* eſt ſpecies *Salis Alcali.*

LIXIVUM, Oleum, ſponte fluens, non tortivum; ita & muſtum Jo. Ruell. *in nomencl. rei veterariæ.*

LIXUS, id eſt, *coctus*, idem fere, quod *Elixus*; ἑψητὸς, *Lixa* caro apud exercitum, vel *Elixa*, vulgus. Jon. Fr. Mirand. *l.* 2. *de auro, c.* 6. *T. II. Theat. Ch. p.*338.

LOBELLUS, eſt diminutivum Lobii, quo uſus eſt D. G. Bidloo, proceſſus quatuor cerebri *lobellos* vocans *Anat. Tab. IX. fig. I.*

LOBEOMÆ, λωβέομαι, pro λωβάομαι, ſignificat *decore afficior*, ludificor, aut damno afficior, Hipp. 2. *de artic. t.* 39.

LOBOS, *Lobus*, λοβὸς, gemina gaudet ſignificatione: Una eſt Botanica, quando ſignificat *ſiliquas*, vel legumina ſiliquoſa, quæ & *Dolichi*, *Phaſeoli* vocantur, Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 28. *l.* 2. *c.* 1. *l. de auen. vict. c.* 7. Hinc ἔλλοβα *ſiliquoſa* ſemina vocantur, *ibid.* Altera eſt Anatomica, quando dicitur vel de *extremitatibus aurium carnoſis*, ſive auriculæ externa extremitate, Ariſt. 1. *de hiſt. an. c.* 11. Linden. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 11. §. 3. vel de *extremitatibus hepatis & pulmonis*, quibus illud ventriculum, hoc vero cor comprehendit & complectitur, inſtar *ſiliquæ*, Gal. *l.* 4. *de V. P. c.* 8. C.Hofm. per ἀποσχάσεις, alas & adnaſcentias expoſuit, *in comm. ad Gal. de V. P. n.* 209. Ad Botanicam ſignificationem quoque pertinet, quando *lobi* dicuntur candidæ illæ particulæ in roſarum foliis, quibus calici adhærent infixa, alias *Ungues* dictæ, quæ etiam reſecantur. Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Jul. Alex. *annot. ad h. l. p.* 812.

LOCALIS, τοπικὸς, epitheton 1. motus animalis, de quo vide *Latio motus.* 2. Medicamentorum, ubi late & ſtricte accipitur. Late pro medicamentis certæ parti corporis, vel membro affecto deſtinatis. Gal. *l.*13. *M. M. c.* 22. Ita Gal. libros decem conſcripſit de medicamentis *localibus*, ſive κατὰ τόπους, ſecundum loca, i. e. partes affectas diſtributis. Stricte vero pro medicamentis partibus externis deſtinatis ſumitur, quæ & *Topica* dicuntur. Foreſt. *lib.* 6. *Chirurg. Obſ.* 36. *Schol. Localis* Anatomia Paracelſ. dicitur ea, quæ adhibetur circa partes, ad differentiam *Anatomiæ Materialis*, quæ concernit humores & ſpiritus, & horum principia, Sulphur, Sal, Mercurium. *Paramir. l.* 1. *de orig. morb. ex trib. ſubſt. cap.* 6. *Localis* membrana appellatur Meninx cerebri tenuis, ſive pia mater, utpote cerebri locus proximus. Theoph. Protoſpatarius *l.* 4. *de H. C. F. c.* 5. *p. m.* 188.

LOCH, idem, quod *Linctus.* Dicitur & *Looh*, vide *Eclectos. Linctus.*

LOCHIA, λόχεια, λόχια, dicuntur omnia, quæ à puerpera poſt excluſum fœtum & ſecundinas exeunt, alias *Purgamenta* dicta. Hinc & Hippocr. frequenter λοχείη κάθαρσις, *puerperii purgatio* nominatur *lib.* 1. *de morb. mul.* ſæpiſſime, quæ loca collegit Foëſ. *Oec. p.* 389. & Erotianus, purgationem, quæ fit poſt partum, deſcribit. Sunt autem revera τὰ καταμήνια, ſive ſanguinis menſtrui retenti tempore conceptionis reliquiæ, à quibus ſola ratione differunt, quod hæc ante partum, illa poſt partum ſic appellentur. Gal. *l. de atra bile, cap.* 8. Lang. *l.* 2. *ep.* 8. Horum retentio cauſſa variorum morborum & ſymptomatum. Hildan. *Cent.* 5. *Obſ.* 42. *ſeqq.*

LOCULAMENTUM dicitur *ſeminum involucrum*, quod veluti parva capſula illa includit. Schroder. *l.* 1. *cap.* 2. Græce dici poſſet λοβίον, vel λοβὸς.

LOCUS, τόπος, non Phyſice, ſed Medice accepto vocabulo ſignificat *membrum* vel *partem corporis*, ſecundum vel præter naturam affectam. Ita Hippocr. libellum de *Locis in homine*, Galen. libros ſex de *Locis affectis* conſcripſerunt, quos & alii imitati ſunt. Inter recentiores C. Hofmann. de *Locis affectis* libellum edidit. Uſus eſt & hoc vocabulo Hipp. in aliis ſcriptis, v. g. 1. *aph.* 21. ubi χωρία in Græco habetur, 2. *aph.* 46. Dieter. *n.* 835. 938. *lib. de flatib. IV.* 1. 2. & 4. *de R. V. I. A. t.* 27. Junge Foëſ. *p.* 620. Specialiter *Locus* & *Loci* uſurpantur de *partibus generationi inſervientibus in ſexu muliebri*, uti patet ex Scribon. *n.* 156. Junge Rhod. *in not. p.* 230. Seren. Sammonic. *c.* 37. Vide Keuchen. *in not. p.* 237. Bartholin. *l.* 1. *Anat. cap.* 28. Alias in Macrocoſmo *Locus* quoque idem, quod *Regio*, vel *pars regionis.* Vide *Chora. Locus Pharmaceuticus* eſt vel natalis medicamentorum, vel progreſſionis, vel præparationis, vel aſſervationis, Schr. *l.* 1. *c.* 13. 22. 28. *Loci Chymici* dicuntur *Fornaces* & *Vaſa. Theatr. Chym. Vol. I. p.* 206. In ſpecie in artificio lapidis Philoſophici *Locus ſeminis* vocatur *Ovum vitreum*, id eſt, Vaſculum ad ovi figuram conflatum. *Vol. IV. p.* 403.

LOCUSTA, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat inſectum alatum, & non alatum diverſæ ſpeciei & formæ, quarum *Locuſtarum* hiſtoriam, noxam, & uſum prolixe expoſuit Aldrov. *l.* 4. *de Inſect. c.* 1. *ſeqq.* Huc pertinent Obſervationes de *Locuſtarum* copia peſtem præcedente, Foreſt. *l.*6. *Obſ.*9. *Schol.* Lang. 1.*ep.*81. Gr. dicitur ἀκρὶς, κόρνωψ, πάρνωψ. Rul. deſcripſit: *Locuſta* eſt inſectum infirmis pennis alatum, ab uredine

dine locorum dicta ἀκρὶς, μάξαξ &c. Vel ſignificat animalis marini cruſtati genus, quod alias κάραϐος vocatur, cujus deſcriptionem & uſum in cibis & Medicina tradidit Aldrov. *l.* 2. *de Cruſtatis cap.* 2. Aliam tamen *Locuſtæ marinæ* effigiem exhibet C. Hofmann. *comm. in Gal. de V. P. n.* 434. *Locuſtæ* quoque dicuntur ramorum extremitates in arboribus adhuc teneræ, quibus Divum Johannem Baptiſtam uſum eſſe pro cibo, ſcripſit Parac. *l.* 2. *de cura ulcerum per interiora, c.* 2. Ita *Locuſtæ Sambuci* ſunt germina illa laxantia, vel potius purgantia. *Paragrani Tract.* 3. *de Alchymia. Locuſtæ* quoque ab eodem vocantur extremitates membrorum, *l. de ulcerib. & apoſtem. cap.* 3. *& c.* 35. *Locuſtæ menſtrui* dicuntur eſſe in mammillis, *d. l.* Remedium quoque aliquod ſpecificum contra paralyſin & morbos ſpaſmodicos bilioſos Idem appellavit *Locuſtas Martis.* De *Apocryphis ad vulnera.*

LOCUTIO, *Loquela*, λαλιά, διάλεξις, idem, quod *Sermo.* Vide *Lalia. Locutio* actio linguæ dicitur, Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 6. *in princ.* De *loquela* amiſſa à variolis & reſtituta vide Hildan. *Centur.* 6. *Obſ.* 14. Vide *Sermo.*

LOEMODES, λοιμώδης, id eſt, *peſtilens.* Epitheton vel morbi, & ita idem, quod Peſtis, λοιμός. Dieter. *Iatr. p.* 850. vel febrium, quæ *febres peſtilentes* ab ipſa peſte in hoc differunt, (quamvis ſæpiſſime confundantur,) quod *in febribus peſtilentibus* manifeſte adhuc fermentatio ſanguinis vitioſa concurrat, quemadmodum hoc egregie demonſtravit Willis *d. l. c.* 14. Non igitur accurate ſcripſit Gorræus, quod *febris peſtilens* nihil aliud ſit, quam ipſa peſtilentia.

LOEMOS, λοιμός, *Peſtilens, Peſtilentiam*, ſignificat, morbum Epidemicum, maligniſſimum, & omnium pernicioſiſſimum, cujus deſcriptionem generalem vix dare licet, propter ſummam varietatem ſymptomatum, & latentem cauſarum indolem & diſpoſitionem. Quatenus à febre peſtilente diſtinguitur, ita memoriæ & doctrinæ gratia deſcribi poterit. *Peſtis* eſt intemperies univerſalis, toto genere maligna, contagioſiſſima, Epidemica, cum omnis generis graviſſimorum ſymptomatum congerie, præſentiſſimoque vitæ diſcrimine, proveniens à maſſæ ſanguineæ & liquoris animalis per contagioſum quoddam & deleterium miaſma ſubita corruptione, congelatione, coagulatione, fixatione, putrefactione, & interdum totali mortificatione. Plura videantur de hoc morbo apud Practicos, quorum innumera proſtant ſcripta. Nobis libet allegare ex recentioribus Th. Willis *de febrib. c.* 12. 13. Gr. dicitur etiam λοιμίη, quod vocab. Hippocr. tranſtulit ad juvenilem imperitiam in arte Medica, vocans *juvenilem peſtilentiam*, in *Præc. X.* 4. Foëſ. *p.* 388.

LOEMOTOMIA, λοιμοτομία, hoc eſt, *exciſio peſtis*, refert inter πειραπήρια ἀνήκιστα Georg. Thomſon *in præfat. Acus magneticæ, ad fin.* promittens peculiarem de hoc tentamine tractatum Latinum.

LOGAPORUM *oleum* eſt oleum e Lacertis paratum, cujus meminit Oliger Jacobæus *Obſerv. de Ranis ac Lacertis c.* 4. *p.* 136. & deſcriptio extat apud Sculret. *Armament. Chirurg. P. II. Obſ. XXXIX. vel in edit. Amſtelodam. Obſ. XXXI.*

LOGAS, λογὰς, vocatur *album oculi*, quod & alio nomine σφενδόνη & κυκλώπιον appellatur. Gorr.

LOGIATROS, λογίατρος, dicitur *Medicus ineptus* in obeundis operibus, Galen. 1. *in* 3. *Epid. t.* 29. *Verbotenus Medicus*, qui ea neſcit, quæ nemo e vulgo ignorat, *l.* 8. *meth. med. cap.* 6. *in fin.* In artis operibus non verſatus, *c.* 2. *de nat. hum. t.* 16. Sermone Medicus, Lind. *Ex. XIV.* §. 16.

LOGICUS, λογικός, i. e. *rationalis.* Præter ſignificationem illam, quando de diſciplina Dialectica, ſive recte concludendi & argumentandi accipitur & ejuſdem autoribus, (quæ ſignificatio non eſt hujus loci, licet ejus cognitio omnino tanquam præcognitum Medico ſit neceſſaria,) *Logicus* vel *Logica* dicitur de ſecta certa Medicinæ & ejus cultoribus; ubi quidem Galen. ſibimetipſi non conſentit. Interdum enim *Logicum, Methodicum* & *Dogmaticum* pro uno eodemque habet, *l.* 3. *meth. med. c.* 1. Interdum vero diſtinguit, & *Logicos* ſaltem convenire ſtatuit cum *Dogmaticis, de ſubfig. Empir. c.* 1. *&* 2. quæ acceptio etiam accuratior habenda & ab aliis quoque approbata. Gorr. Vide *Dogma.* Ita vero dicuntur *Logici Medici*, qui ratione & experientia nixi artem exercent feliciter. *Logicæ* alias *quæſtiones* Galeno dicuntur λογικαὶ ζητήσεις, quæ uſum artis tranſcendunt, *l.* 3. *de L. A. c.* 1. minus neceſſariæ; utpote ad curationem inutiles, non tamen omnino ſpernendæ, J. Alex. *not. ad Gal. l.* 14. *meth. med. c.* 19. *pag.* 562.

LOGISMOS, λογισμὸς, idem, quod λόγος, i. e. *ratiocinatio*, ſive actus ſecundus animæ rationalis in homine; de quo legi poterit Willis *tr. An. Brut. P.* 1. *cap.* 7. Λογισμὸς, *ratiocinatio*, ab Hippocr. deſcribitur, quod ſit memoria componens ea, quæ per ſenſum ſunt percepta, *Præcept. I.* 8. Apud eundem cauſſæ abditæ dicuntur, κατὰ λογισμὸν, quæ ſola *ratiocinatione* inveſtigantur & deprehenduntur, 4. *de R. V. I. A. t.* 55. Gal. *in c. ad h. l.* Ita & κατὰ λόγον facere ſignificat, quando Medicus ex certa rerum notitia deromptæ indicationi innixus præſtat & applicat agenda, ex Hipp. 2. *aph.* 52. Linden. *Ex. VII.* §. 31. λογισμοὶ etiam in ægris dicuntur *ratiocinationes*, vel mentis agitationes, quæ animo obverſantur, ſed turbatæ à ſenſibus animæ corporeæ internis, imaginatione ſive phantaſia, *ſ.* 1. *Epid. ægr.* 8. Junge Foëſ. *Oec. p.* 388.

LOGODIARRHOEA, λογοδιάῤῥοια, *profluvium ſermonis*, per elegantiſſimam Metaphoram, & opponitur τῇ βραχυλογίᾳ, *brevitati ſermonis.* Illa laborat Galenus; Hanc calluit Hipp. judice Lind. *Ex. XVI.* §. 249.

LOGOS, λόγος, *Ratio*, *ſermo*. Vide *Logiſmos*, *Lalia*. Junge Dieter. *n.* 507.

LOGOSOPHIA, λογοσοφία, id eſt, commentitia & *imaginaria ſapientia*, de qua conqueritur idem hiſce temporibus, opponens τῇ σοφολογίᾳ veterum. *Ex. VIII.* §. 1.

LOLIGO, *Lolius*, τευθὸς, τευθὶς, nomen animalis marini ſive pelagii mollis, utriuſque ſexus: *Majoris* & *minoris* deſcriptionem cum uſu vide prolixe apud Aldrov. *l.* 1. *de mollib. cap.* 6. Meminit & Linden. *Ex. V.* §. 39.

LOLIUS, τευθὸς. Vide *Loligo*.

LOMBARDORUM *frater*. Vide *Harpa*, *Harpyia*.

LOMENTUM, ἐρεγμὸς, idem, quod *farina fabarum*, præſertim Ægyptiarum. Scrib. *n.* 159. Rhod. *in Not. ad h. l. p.* 232. & *in Lex. Scribon.* Foreſt. *l.* 26. *Obſ.* 7. *in Schol. l.* 27. *Obſ.* 8. *in Schol. Lomentum* quoque ſignificat pulverem tritum & lævigatum, vel pigmentum, quo pictores ad pingendum utuntur. Ita *lomentum* ex cœruleo trito, & *lomentum auri* leguntur ex Plin. *l.* 33. *c.* 4. 5. & 13. & apud Libav. *S. Arc. Chym. l.* 3. *c.* 18. & *l.* 4. *c.* 20.

LONGÆVUS, πολυχρόνιος, μακροχρόνιος, quid ſignificet, notum eſt. Dicitur enim de temporis multitudine, vel longitudine ratione ætatis. *Longævitatis* cauſſa conſiſtit in temperamento humido & moderate calido. Galen. *l.* 6. *de ſan. tu. c* 3. *circa fin.* Exempla *longævitatis* recentiora vide *in Eph. Nat. Cur. A. III. Obſ.* 163. De *longævitate* in antiquiſſimis temporibus diſſerit Lang. *l.* 1. *ep.* 79. De *longævitate* ad annos CXX. protrahenda librum ſcripſit Thom. Philologus, quo etiam collimavit Claud. Deodatus *in Pantheo ſuo Hygiaſtico*, qui tamen prioris Autoris librum invita & tumultuaria Minerva conſcriptum eſſe judicavit.

LONGAON, *Longanon*, dicitur *Inteſtinum rectum*. Caſtell. Parac. *l.* 2. *de Tart. Tr.* 1. *c.* 4. *in Expl.* Barthol. *l.* 1. *An. c.* 11.

LONGURIUS dicitur Ambr. Paræo, fruſtum ferreum, quod ignitum æſtuario inditur, *l.* 15. *Chirurg. c.* 13. Vide ſupra *Æſtuarium*.

LONGUS, μακρὸς, *Longitudo*, μακρότης, μῆκος, fere ſæpius in Medicina de tempore, quam de corporis continua quantitate & menſura uſurpari ſolet. Ita *Medicina* dicitur ars *longa*, 1. *aph.* 1. *Morbi longitudo* legitur 2. *aph.* 28. 4. *aph.* 36. 51. *Coac. t.* 67. Junge Dieter. *n.* 511. 550. *Longus pulſus* videtur differentia eſſe imaginaria apud Gal. *de pulſ. ad tyron. c.* 2. Sutura ſagittalis vocatur Galeno κατὰ μῆκος εὐθεῖα, ſecundum *longitudinem* recta, aliquoties *l. de oſſib. c.* 1. quam inepte Caſtellus *Longitudinalem* vocavit. Muſculi etiam diverſi in corpore humano epitheto hoc cognominantur ab Anatomicis, v. gr. *Longus* Capitis, Dorſi, cubiti, *Longiſſimus* Dorſi, de quibus vide inter alios Barthol. *l.* 4. *Anat. c* 5. 6. 7. 8.

LOPA denotat ſquamam, vel ſcoriam metalli alicujus; & legitur in deſcriptione alicujus fortius adſtringentis medicamenti: *Lopa* ferri apud Albin. Borton. *de morb. mul. l.* 1. *c.* 54. An fortaſſis coincidit cum vocab. *Loppa*, de quo paulo poſt. Deſumtum etiam videtur à Græco λέπος, vel λοπὸς, de quibus ſuo loco: *Lepos*, *Lopos*; aut à λοπὰς, quod concham marinam quandam vel veſtimenti genus aliquod ſignificare docent Lexicographi.

LOPHADIA, *Lophia*, λοφαδία, λοφία, vocatur prima dorſi vertebra, quæ & ἀσφάλεια. Gorr. *in def.* Lind. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 33.

LOPHAO, λωφάω, ſignificat *remiſſionem*, laxamentum *capio*, quieſco, ceſſo. Uſurpatur de morbis remittentibus apud Hippocr. *l. de int. aff.* LII. 14. *l. de affect.* XXX. 6. *l.* 2. *de morb. mulier.* XII. 37. *l.* 4. *de R. V. I. A. t.* 39. Deſumta eſt metaphora à jumentis, quando jugum de cervice removetur. *Cervix* enim λόφος vocatur. Junge Foëſ. *p.* 392. Cur vero *o μικρὸν* in *ω μέγα* mutatum ſit, criticis inquirendum relinquimus.

LOPHOS, λόφος. Vide *Criſta*.

LOPIMOS, λόπιμος, dicitur de fructibus caſtanearum, glandium & ſimilibus, ideo, *quod poſſint decorticari*. Λοπίζω enim *decortico* ſignificat. Idem, quod λεπίζω, & λόπισμα, *putamen*. Galen. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 38.

LOPOS, λοπὸς, idem, quod λέπος, *corticem* ſignificat. Apud Hippocr. vero ita vocatur *corii pars durior* & denſior. Tergus, teſte Galen. 2. *de artic. t.* 28. 47. *Mochlic.* I. 2. Denotat quoque apud eundem *ſquamam*, *l.* 2. *Epid. ſect.* I. 49. Vide Foëſ. *p.* 388.

LOPPA, terminus Spagyricus ad cimentationis artificium pertinens, eſtque nihil aliud, quam maſſa illa metallica, quæ reſultat e calcinatione cæmentatoria, ſive cum regulo, ſive abſque illo. Vide *Th. Chym. Vol. I. p.* 548. *ſeqq.*

LOQUACITAS, μακρολογία, idem, quod *Garrulitas*. Meminit Gal. *l.* 2. *de diff. reſp. c.* 11. ubi idem eſt, quod λογοδιάῤῥοια.

LOQUELA, λαλιά. Vide *Locutio*.

LORA, δευτέρια, θάμνα, *Thamna*, vinum ſecundarium, & viliſſimum pro familia, indignum vini nomine, paratum ex acinorum folliculis expreſſis in dolia conjectis, quibus aqua affunditur. Linden. *Exerc. X.* §. 183. 196. 200. Vide *Deuteria*. Vocatur & diminutive *Loriola*.

LORCHA eſt tota locuſtarum dulcedo uſque ad centrum ſubſtantiæ, id eſt, germinum arboreorum, ſive extremitatum. Paracelſ. *de melle c.* 2. Rul. & Iohnſ.

LORDOS, λορδὸς, *Lordoſis*, λόρδωσις, λόρδωμα, dicitur de ſpinæ dorſalis vitio, quando in partem anteriorem inclinat, aut recurvatur. Latine *Repandum* dicitur, *Recurvatio*. Frequenter occurrit in Hippocr. 2. *de fract. t.* 62. 3. *de art. t.* 8. 45. 51. 52. *Mochlic. XXII.* 10. Galen. *com.* 4. *aph.* 35. & 3. *de art. t.* 2. Plura loca vide in Foëſ. *Oecon. p.* 388. Pertinet vel ad morbos in ſitu vitiato,

vitiato; vel etiam in figura vitiata. Hunc affectum non in ipſo dorſo, verum in baſi ultima dorſi quærendum eſſe exiſtimat D. Wedel. *Patholog. dogm. ſect.* 1. *c.* 5. *p.* 51. 52. & centrum gravitatis corporis eſſe vitiatum ob vitium circa diametrum & baſin molis totius ſtatuit.

LORICA vocatur Chymicis maſſa tenax, nec nimis dura ex vitro, fragmentis crucibulorum pulveriſatis & cum luto figulino mixtis & aqua calida, quæ inducitur retortis aliiſque vaſis, ut muniantur, Morley *Collect. Chymic. Leidenſ. cap.* 229. Modus hic muniendi ibidem dicitur *Loricatio.*

LORINDE eſt aquarum commotio cum concentus reſonantia, mutationis indicium, ut alterationis in firmamento meta. Ruland. & Iohnſon. *Lorind* eſt ſonitus aquarum in lacubus ſtagnantibus cum tremore & agitatione. Eſtque veluti tonitru aquarum, ortum ex tribus principiis, Mercurio, Sulphure, & Sale, opera Aſtri aquei. Paracelſ. *de caducis, paragr.* 2. Per Metaphoram eidem *Lorind Matricis* vocatur Epilepſia uterina, vel *convulſivus uteri morbus, ibid.*

LORRHET Paracelſo dici Spiritum Terebinthinæ legitur apud Beguinum *in Tyrocin. Chym.* ubi etiam ejus deſcriptio habetur, *l.* 2. *c.* 4.

LORUM, ἱμὰς, vide *Himas.* Pertinet etiam ad materiam Chirurgicam. Ita Petr. Caſtellus *lorum urinarium* adhibuit, palmi longitudine, e corio rubro Turcico tenuiſſime ſecto atque humectato, deinde circumvoluto tabellula impoſita rotundum factum, teſte Rhod. *ad Scribon. num.* 180. *p.* 267. Imo & inter Pharmaceutica. Nam *d. l.* mentio fit *Lori vomitorii*, quod fuit corrigia à coriariis nautea herba tractata, quæ in os demiſſa tetro ſapore vomitum ciebat. An vero per *Nauteam herbam* Bryonia alba, vel nigra, intelligi debeat, vide pluribus *ibidem in d. Notis* Rhodii.

LORUS, i. e. *Mercurius.* Rul. & Iohnſ.

LOT, i. e. *urina.* Iid.

LOTIO, λουτρὸν, idem, quod *Lavatio.* Vide *Lavatio. Balneum.* Particulares *lotiones* ſunt capitis, manuum ac pedum, quæ etiam diverſimode ad valetudinem tuendam faciunt & commendantur. *Lotio* quoque tribuitur pani, unde *Lotus panis*, i. e. liquore imbutus & madefactus, de quo vide Mercurial. *l.* 6. *V. L. c.* 17. Sylvatic. *controv.* 6. citante Moræo *ad Schol. Salernit. p.* 298. *Lotio* medicamentis etiam competit, quæ *lavantur*, ſi foris re aliqua ſunt contaminata. Weker. *Ant. Gen. lib.* 3. *c.* 30. Unde *Lota medicamenta* vocantur, præſertim metallica, quæ dicuntur πλυθέντα vel πεπλυμμένα, Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 1.

LOTIUM, οὖρον. Vide *Urina.*

LOTURA, πλῦμα. Vide *Plyma.*

LOXIA, λοξία, nomen avis, quæ & *Curviroſtra* vocatur, cujus deſcriptionem & uſum exhibet Aldrov. *l.* 12. *Ornithol. c.* 47. Sunt etiam, qui aquam, e qua potavit *Loxia*, item ſtercus, contra epilepſiam hodieque commendant.

LOXOS, λοξὸς, ſignificat *obliquum*, & in ſpecie medium eſt inter rectum & tranſverſum. Gal. uſus eſt de frictionibus, *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 3. λοξότης, obliquitas, dicitur de ſepto tranſverſo. Galen. *l.* 2. *de mot. muſc. cap.* 8.

LOZONGA, idem, quod *Morſulus*, nomen formæ medicamentorum. Vide *Morſulus*, Schroder. *l.* 1. *c.* 3.

LUBAN, *Luben*, idem, quod *Olibanum.* Vide *Thus.* Rul.

LUBRICITAS, ὄλισθος, *Lubricans*, ὀλισθαίνων, *Lubricus*, ὀλισθηρὸς, dicitur de alimentis & medicamentis, ob humiditatem materialem facile tranſeuntibus, & virtutem laxandi, vel ſolvendi habentibus, Galen. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 1. Ita ptiſana dicitur ὀλισθηροτάτη, i. e. *lubriciſſima*, Hipp. 1. *de R. V. I. A. t.* 29, 30. & de oxymelite, quod *lubricitatem* facit in faucibus, *ibid. ſ.* 3. *t.* 26. Alias ὄλισθος, ὀλίσθημα, *luxationem* articulorum quoque ſignificat, quando ſede ſua prolabuntur, & ὀλισθαίνειν, *luxari*, excidere loco ſuo, apud Hippocr. 1. *de artic. t.* 1. 2. *de fract. t.* 39. *& ſ.* 3. *t.* 51. Gal. *in comm. ad hos textus*, & *in Defin. Hipp. in Mochlic. X.* 1. 10. Differt ἀπὸ τοῦ διακινήματος, quod hoc ſignificet aliqualem *emotionem* oſſis articuli; illud vero luxationem & integram elapſionem. Vide *Diacinema.* Junge Foëſ. *p.* 451. *Cura Lubrica* Paracelſo dicitur ea, quæ competit ulceribus, puſtulis, variolis, in quibus prædominatur excrementum lubricum, *l.* 5. *de curat. morb. Gall. c.* 1.

LUCANUS, idem, quod *Scarabæus cornutus*, *Scarabelaphus*, Gr. κάραβος, Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *num.* 114. Vide *Carabos.*

LUCERNA, λαμπὰς, λύχνος, quid proprie ſignificet, ex aliis quoque lexicis notum eſt. De *lucernis perpetuis* & *inextinguibilibus*, vide præter Mercurialem *in V. Lect.* Libav. *Tom. III. Oper. p.* 219. *ſeq.* C. Rejes *in C. El. q.* 58. De *lucernis fictilibus* Chioccum *in Muſ. Calc. ſect.* 6. *p.* 716. Eſt & nomen piſcis *Lucerna*, qui alias *Hirundo* vocatur. Vide *Hirundo.*

LUCIDUS, διαφανὴς, idem, quod *pellucidus, tranſparens.* Vide *Diaphanes. Lucida urina* Paracelſo dicitur ad manum diaphana, verum non procul, vel in diſtans, *l.* 2. *de urin. judic. c.* 2. *& alibi.*

LUCIUS, λύκος, λύκιος, nomen piſcis, quaſi *Lupius* dicti, fluviatilis, voraciſſimi, ita ut pernicies piſcium in piſcinis & prædator vocetur à Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 5. cujus hiſtoriam, uſumque in cibis & Medicina atque vires vide apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. cap.* 39. Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 82. Jul. Alex. *d. l.* Linden. *Ex. XI.* § 88. *ſeqq. multis.* Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 63. *& l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 12. *Lucillus* diminutivum eſt *Lucii.*

LUCTA, πάλαισμα, πάλη, *certamen*, præſertim inter duos ſignificat, & pertinet ad exercitia corporis fortiora; conſiſtens in premendo potiſſimum, & renitendo, vel

vel continendo, Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 2. *de ſan. tu. T. II. p.* 392. *Ars luctatoria*, παλαιστρικὴ, cujus ſpecies eſt καταβλητικὴ, ad Gymnaſticam refertur, *ad Thraſybul. c.* 45. Per tranſlationem quoque *Lucta* vocatur motus inteſtinus portionum activarum & paſſivarum in fermentatione, quemadmodum deſcribitur à Willis *de ferment. c.* 2. Kergero & aliis. *Luctæ* quoque nomine haud raro venit conatus flammæ vitalis, ſive caloris nativi adverſus cauſſam vel materiam morbificam, qui conatus potiſſimum in ſtatu vel vigore morborum, præſertim acutorum, animadvertitur.

LUCTUOSUS, κλαυθμώδης. Vide *Clauthmerizo.* 6. *aph.* 54. Dieter. *n.* 466.

LUCUBRATIO, ἡ πρὸς φῶς διαπόνησις, ſignificat proprie laborem vel antelucanum, vel nocturnum. Unde *Lucubrationes* in *diurnas* & *nocturnas* diſtinguuntur, quarum hæ vitandæ, ceu noxiæ; illæ quoque ſi nimiæ fuerint, intermittendæ, Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 111. & *l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 20. Dieter. *Iatr. p.* 87. *ſeq.* Alias *Lucubrationes* quoque ponuntur pro ſcriptis Gr. πραγματείαι dictis, Gal. 2. *in l.* 3. *Epid. t.* 4.

LUCUMORIANA DORMITIO dicitur Somnus præternaturalis per aliquot dies durans, denominatione deſumpta à fabuloſa *Lucumorianæ* gentis hiematione inter mucum & nives per ſemeſtre circiter durante, de quo ſomno p. n. videantur obſervationes apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſect.* 11. *c.* 1. *p.* 96. *ſeqq.*

LUDUS, παίγμα, παιγνίον, quid ſignificet, jam jam ante conſtat. Pertinet in foro Medico ad exercitia corporis, cum animi recreatione conjuncta. Vide *Dogmat. Noſtra Med. Gen. P. V. cap.* 5. *d.* 5. *pag.* 637. *ſeq.* Aliquando *Ludere* ſtrictius ſumitur pro operam venereis dare, ἀφροδισιάζειν, teſte Linden. *Ex. VI.* §. 48. *Ludus Paracelſo*, Helmontioque dicitur lapis peculiaris & arcanum contra calculum remedium, ita dictus à forma tali, teſſeræ vel cubi, qua ſemper reperitur erutus. Legatur Paracelſ. *de morbis ex Tartaro Tract.* 2. *c.* 1. Helmont. *de Lithiaſi c.* 7. *n.* 21. *ſeqq.* quamvis hic *d. l.* §. 23. hoc nomen etiam tribuerit ſpeciei Calcarii lapidis, ad littora Scheldæ fluvii reperibilis, *Theatr. Chym. Vol. VI. p.* 454. Ruland. & Iohnſ. reſtrinxerunt ad lapidem humanum e veſica exciſum, *in Lex.* Bekerus ad omne ſedimentum tartareum & ſabuloſum, quod in urina ſubſidit & matulæ adhæreſcit, applicat, ejuſque uſum & facultates Medicas explicat. *Microcoſm. Medic. l.* 1. *c.* 9. *p. m.* 109. *ſeqq.*

LUES, aliquando accipitur latiſſime pro omnis generis *morbo*. Gr. πάθος, νόσημα. Interdum reſtringitur ad *morbos contagioſos* peſtilentes, & ita reſpondet Græco λοιμὸς. Aliquando vero ſtrictiſſime dicitur de *Morbo Gallico*, qui *Lues Gallica*, *Venerea* plerumque appellatur. Vide *Gallicus*. Græcis ignotus affectus. Poſſet autem haud inepte dici νόσημα ἀφροδισιαστικὸν, vel ἀφροδίσιον. Dieter. *Iatr. p.* 274. *ſeq.*

LUMBALIS, vel *Lumbaris*, *Arteria* & *Vena* dicitur Anatomicis, quæ ad regionem lumborum excurrit, Bartholin. *libell. I. Anat. cap.* 8. *pag.* 643. & *libell.* 2. *cap.* 5. *p.* 656.

LUMBRICALES Muſculi vocantur *Adducentes digitos* in manibus & pedibus, & opponuntur *Interoſſeis*. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 9. *p.* 577. & *c.* 14. *p.* 538.

LUMBRICUS, σκώληξ, idem, quod *Vermis*. Vide *Helminthes*. *Lumbrici nitri*, inteſtina fimi, σκώληκες, à lubricitate dicti, vermes ſunt in fimo, vel terra reperti. Rul. & Iohnſ. vocantur *Lumbrici terreſtres*, item ἔντερα τῆς γῆς, *inteſtina terræ*, quorum uſus ſingularis in morbis nervoſarum partium commendatur. Schrod. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 108. Fr. Hofmann. *in Clavi ad h. l.* aliosque. Meminit & Hippocr. *vermium ſtercorariorum*, qui σκώληκες κοπρίωνες vocantur, iiſque ſiccatis utitur ad uterum purulentum, *l. de ſuperfœtat. XIII.* 5. *Lumbrici* quoque in aquis putridis reperiuntur. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

LUMBUS, ὀσφὺς, ὀξὺς, proprie dicitur pars totius ſpinæ infra dorſum quinque vertebris omnium craſſiſſimi, maximiſque compacta, inter dorſum & os ſacrum mediis; eſtque ea regio corporis, qua homines cinguntur. Meminit aliquoties Hipp. 3. *aph.* 13. 4. *aph.* 11. 5. *aph.* 69. *Lumbago* ὀσφύος ἄλγημα vocatur. Dieter. *num.* 630. Foëſ. *Oec. p.* 465. Linden. *Ex. VI.* §. 70. *ſeqq.* *Lumbi* libidinis ſedes quoque vocantur, teſte Keuchen. *not. ad Sammonic. p.* 183. Apri *lumbus* inter delicias eſculentas relatus. Mercur. *l.* 2. *V. L. c.* 22. De hoc nomine *Lumbus* verſus ænigmaticos cum eorum expoſitione ad plumbum directa vide apud Libav. *Alchym. Pharmaceut. c.* 26.

LUMEN, φῶς, αὐγὴ, quid ſit, ex Phyſicis conſtat. Vocatur & quandoque *Lux*. Refertur in ſpecie ad media in Chirurgia neceſſaria, & dividitur in duas ſpecies: *Naturale* & *Artificiale*, Hipp. 1. *de iis*, *q. in medic. t.* 8. Galen. *in comm. ad h. l.* Multa alias apud Paracelſum, & in genere apud Spagyricos leguntur de gemino cognitionis principio, *Lumine Naturæ* & *Gratiæ*, quæ ſuccincte expoſuit Schroder. *l.* 1. *c.* 5. Jung. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Quid ſit *Lumen fatale*, legi poterit apud Libav. *T. II. Oper. pag.* 324. *Lumen perlarum* ex Mercurio Philoſophico qui fiat? vide *Theatr. Chym. Tom. I. p.* 309. *Lumen luminum* vocatur vis tenuiſſima Sulphuris pura, non urens, eſtque forma & ſplendor omnium metallorum, qui illuminat omnia corpora, eſtque tinctura illuſtrans & perficiens omne corpus. *Theatr. Chym. Tom. IV. p.* 879. Porro nonnulli Doctores nomen hoc tropico ſignificatu ſuis ſcriptis impoſuerunt v. g. Theodorus de Craanen *Lumen Rationale ſuper Caſus Henrici Regis Medicos* edidit, & noviſſime Henricus Deventer *Lumen novum obſtetricandi artem exhibens* in publicum emiſit.

LUMINARIS lapis dicitur Marcaſita, Pyrites. Vide *Marcaſita*.

LUNA, σελήνη, proprie ſignificat Aſtrum reſpectu

viſus noſtri magnum, inter Planetas infimum, & globo terreſtri proximum, de cujus ſingulari efficacia & regimine in inferiora prolixe diſſeruit Gal. *l.* 3. *de dieb. critic. c.* 2. *ſeqq.* quod etiam non negavit Cl. Dn. Sturmius *in Scient. Coſmica P. Spec. Tab.* 3. Imprimis vero cerebrum afficere, ſatis confirmat *Epilepſia*, quæ propterea *morbus Lunaris*, & ægri illa correpti *Lunatici*, σεληνιακοὶ, aut σεληνιαζόμενοι vocantur, quod Epileptici ad mutationes *Lunares* acrioribus corripiantur paroxyſmis, teſte Dieter. *n.* 319. *p.* 454. De *Lunæ* viribus quoque vide Caſp. Rejes *Camp. El. q.* 75. Ab hac propria ſignificatione contigit, ut & ipſi dies appellati fuerint *Lunæ*, calculo facto à novilunio, ceu prima luna, ſeq. dies *ſecunda Luna*, & ſic deinceps. Ita apud Scrib. *n.* 12. legitur, à *prima Luna ad triceſimam*, i. e. per triginta dies, ad quem locum vide Rhod. *notas p.*43. Chymicis vero & Spagyricis *Luna* ſignificat *Argentum.* Vide *Argentum. Luna compacta* eſt *argentum* fixum, vel aurum album, Rul & Iohnſon. De *Luna hydragoga* Angeli Salæ & ejus præparatione faciliima vide in Morley *Coll. Chym. c.* 236. Boylei Luna Hydragoga deſcripta legitur in Iunken *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 133. & *Lunæ Muſicæ p.* 134. Interdum quoque *Luna* myſtice vocatur *Margaſita argentea*, & eſſentia Biſmuthi, Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 14. *Mercurius* quoque *Philoſophorum Luna* dicitur, vel *Liquor Lunariæ*, *cap.* 27. *& l.* 5. *cap.* 12. *alibique.*

LUNÆTRIA Hermeticis dicitur *Febris Hecticæ* ſpecies, quæ inter Lunæ periodum eſt curabilis. Dolæus *Encyclopæd. Med. l.* 4. *c.* 4. §. 5.

LUNARIA, nomen eſt æquivocum. 1. ſignificat plantam, cujus deſcriptio apud rei herbariæ ſcriptores videatur. 2. Chymice notat aquam mercurialem, acetum philoſophorum, mercurium mineralem, aquam corroſivam, ſputum Lunæ, uti legitur in Anonymi tractatu vernaculo de Boriza. *Boriza* enim Rabbi ſola impoſitum idem eſt, quod *Lunaria.*

LUNIFICUS dicitur Spagyricis *Mercurius*, cum ad lapidem *argentificum* adhibetur. Libav. *Apoc. Herm. P. poſter. T. II. Oper. p* 346. 347.

LUO, λούω, i. e. *lavo* Vide *Lotio.*

LUPIA vocatur tumor durus, glanduloſus, qui alias *Glandula* Avicennæ, item *Nodus* vocatur, *Ganglio* valde ſimilis, haud dubie eandem cauſam cum ſcirrho obtinens; de quo affectu vid. Foreſt. *Chirurg. l.*3. *Obſ.*8. *Schol.* Jungatur M. A. Severin. *l. de abſceſſ. anom. c.* 14. Specialiter de *lupia palpebrarum*, *l.* 11. *Pract. Obſ.* 41. *Schol. in fin.* Jung. Walther. *Sylv. med. p.* 938. *Lupia* dicitur tumor in palpebrarum parte interna, & habetur pro ſpecie Nodi, & videtur nihil aliud eſſe, quam Grando, ſive Chalazion. Apud Guidonem vero Lupia dicitur tumor mollis & rotundus in juncturis & locis ſiccis, notante Ingraſſia *com. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 367.

LUPINUS, θέρμος, præter Botanicam ſignificationem, etiam Medicis ſignificat ſpeciem ponderis, quamvis inter Autores non conveniat; Sennert. per drachmam dimidiam expoſuit. Vid. *Inſtit. l.* 5. *part.* 3. *ſect.* 1. *c.* 3. qui ſumma induſtria & ſcito ordine ponderum nomina explicavit.

LUPUS, λύκος, eſt vocabulum valde æquivocum. (1) ſignificat animal digitatum quadrupes, ferum, rapax, ovium hoſtis aliarumque pecudum, cujus hiſtoriam, & uſum Medicum, ut & diverſas ſpecies *luporum*, vide apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. vivip. cap.* 6. *ſeqq.* Junge Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 25. (2) *Lupus* nomen eſt piſcis marini, qui & Gr. λάβραξ, à voracitate, dicitur, cujus deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina, tradit Idem *l.* 4. *de piſc. c.* 2. (3) *Lupus* eſt phalangii vel aranei ſpecies, quæ muſcas perdit, eiſque paſcitur, corpus habens latum & volubile, partes circa collum inciſas, & tres oris eminentias, ex Aëtio, Aldrov. *de inſectis*, *l.* 5. *c.* 12. Foreſt. *l.*30. *Obſ.*12. *in Schol.* (4) Denique *Lupus* ſignificat ulcus malignum cancroſum, partes inferiores, præſertim crura infeſtans, celerrime proximas carnes depaſcens, & exedens, inſtar *lupi* famelici; eſtque e genere *phagædenarum.* Foreſt. *Chirurg. Obſ. l.* 3. *O.* 7. *in Schol.* Dieter. *Iatr. p.* 387. (5) Tropice *Lupus* etiam vocatur *Antimonium*, quia in purificatione Auri cum Antimonio facta hoc per ſulphur ſuum rodens abſorbet & imbibit omnia heterogenea, tam metallica, quam non metallica, uti hoc norunt ipſi etiam Aurifabri.

LURCO, λίχνος, idem, quod *Guloſus*, capacis gulæ homo, qui cum aviditate devorat, edit ſine fame, bibit ſine ſiti, ſuper crudo cibo crudum inædificat, & ita ſanitatem deſtruit. Dieter. *p.* 1006. Lind. *Ex. XI.* §. 128. Hinc & Clemens Alexandr. ſcribit, *Lurcones* nihil aliud eſſe, quam buccam & maxillam, teſte P. M. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 149. *B.*

LURIDUS, ὠχρὸς, & *Luror*, τὸ ὠχρὸν, colorem mixtum ex pallido & luteo ſignificat, vel ex candido & flavo, cujus deſcriptionem vide apud Galen. 2. *de R. V. I. A. t.* 22. Junge Foëſ. *Oeconom. pag.* 664. *Luror buxeus* dicitur Apulejo apud Linden. *Ex. IX.* §. 18.

LUS dicitur Oſſiculum quoddam oſſi ſacro inferius ſubnexum, de quo Rabbini fabulantur, illud nulla vi, nulloque modo corrumpi, aut perdi poſſe, ſed eſſe & manere principium reſurrectionis & futuræ reſuſcitationis fundamentum. Legatur D. Daſſov. Prof. Witteberg. *tr. de Reſurrect. mortuor. cap.* 3. *p.* 26. *ſeqq.*

LUSCINIA, ἀηδὼν, item *Philomela*, nomen aviculæ canoræ nobiliſſimæ, cujus hiſtoriam, uſumque in cibis, Medicina, & deliciis, prolixe deſcripſit Aldrov. *l.* 18. *Ornithol. c.* 2.

LUSCIOSUS, μύωψ, *Luſcioſitas*, μυωπία, dicitur de vitio oculorum, quando quis non niſi oculis propius admota videt, eademque prope oculos contin-

git & limis ſemicluſiſque aſpicit, etiamſi parva ſint; remota vero, quamvis magna videre non poteſt. Eſtque vitium ab imbecillitate congenita ſpirituum viſivorum eamque ob cauſam incurabile. Differt à *Nyctalope*, νυκτάλωψ Græce quippe, qui non natura, ſed ex morbo talis evaſit. Caſtell. Gorr.

LUSTRAMENTUM, nihil aliud quam purgans; notante D. P. Ammann. *in Irenic. p.* 186. *ad l.* 3. §. 3. *Cornel. de ſicar. & venefic.*

LUSTUM dicitur pinguedo, *Cremor*, vel *Flos Lactis.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

LUTATIO eſt *oblinitio luto* facta in operationibus Pharmaceuticis & Chymicis neceſſaria. Vide *Lutum.* Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. l.* 1. *c.* 14. *Lutatio* etiam vocatur Nidificatio hirundinum. *Lutamentum* etiam inter remedia Topica ad varios morbos refertur ab Andr. Baccio *de Thermis &c. l.* 2. *c.* 16. *p.* 115. uti & *Illutamentum* vocat. Differt à ſaburratione vel arenatione, de qua vide *Illutatio & Arenatio.*

LUTEA, nomen aviculæ, quæ & *Cirlus* vocatur, cujus deſcriptionem cum uſu vid. in Aldrov. *l.* 18. *Ornith. c.* 21.

LUTEUS, ξανθὸς, idem, quod *Flavus*, colorem ſignificat ruffum dilutiorem, qualis eſt in vitello ovi, propterea ovi *Luteum* dicto. Vid. Rhod. *ad Scribon. n.* 215. Vide *Flavus.*

LUTIGRADUS, item *Luticalcus*, πηλοπάτης, aut πηλοβάτης, epitheton calceorum, vel ſoccorum, quibus commode per lutum tranſire licet. Hippocr. 4. *de artic. t.* 13. Gal. *in comm.*

LUTRA, ἐνυδρὺς, vel ἔνυδρις, animal dicitur quadrupes, *Caſtori* ſimile, quod nunc in terra, nunc in aquis degit. Ariſt. *l.* 8. *H. A. c.* 5. cujus deſcriptionem uſumque in cibo & Medicina tradit Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 13.

LUTRON, λουτρὸν. Vide *Balneum.* Latine *Lavatrum.* Junge Diet. *n.* 508. Eſt etiam nomen medicamenti ophthalmici, quod ad Hermian. autorem refertur, apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

LUTUM, πηλὸς, alias idem, quod *cœnum*, ſignificat. Apud Fallopium legitur in Maſculino, *Lutus*, *l. de Therm. & aq. metall. c.* 16. Ita I. Cæſ. Claudin. *in Appendice ad tract. de ingreſſu ad infirmos Sect.* 1. *p. m.* 393. *ſeqq. Luta medicata* deſcripſit per lutum, qui in fundo aquarum ferinarum ſ. metallicarum ſubſidet, ubi etiam eorum facultates & uſum tradidit. Ita & Andr. Baccius *de Thermis* horum *lutorum* in thermis meminit, quæ loca videantur in illius Indice. Porro in Medicina ſumitur pro certa materia & maſſa, ad oblinendum & obturandum vaſa figulina, vitrea & alia; & conficitur vel ex farina & aqua, vel ex calce viva & albumine ovorum, vel ex ſcobe martis, farina laterum cum oleo lini &c. Fr. Hofm. antea *cit. loco.* Jungatur Rolfink. *Chymiæ l.* 2. *c.* 21. videatur & Iunken *Lex. Chym. Pharm. P. I. p.* 135. *ſeq.* Ex his *lutis* quædam vocantur *Lutum philoſophorum ſapientiæ.* Th. Chym. *Vol. IV. p.* 1003. Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 30. Per tranſlationem etiam dicitur de quibuſdam terris v. g. *Lutum ſigillatum* eſt *Terra ſigillata*, *lutum Armenicum* eſt *bolus*, &c. Rul. & Iohnſ. Ita quoque de excrementitiis craſſioribus humorum, v. g. *Lutum Tartari* vocatur mucilago Tartarea, in urina notanda, Paracelſ. *in Fragm. Medic. ad Tom. III. referendis.* Hinc *Lutoſa urina*, *Lutoſus Tartarus. Ibid.* De *Luto Hermali* & ejus uſu vide Fallop. *d. l.*

LUX, φῶς, vel idem, quod *Lumen*, vel hujus Efficiens. Nam indifferenter ſumitur. *Lux*, ſi non omnis, certe potiſſima in Sole eſt, ceu *luminari* magno, quod præeſt diei, Linden. *Ex. XI.* §. 117. Lux inter creaturas prima bona dicta, corporalis quidem ſed ſpiritualibus proxima, *Exerc. XVI.* §. 130. Differentia inter *Lucem* & *Luminare* legatur *in Th. Chym. Vol. I. p.* 350. quod *Lux* prius creata, deinde *Luminaria.*

LUXATIO, ἔκπτωμα, ἐξάρθρωσις, ὄλισθος, ὀλίσθημα; dicitur oſſium articulatorum e propria ſede emotio, excidentia abſque fractura. Galen. *l. de fract.* 1. Vide *Ecptoma*, *Exarthroma.* Eſt morbus in ſitu, à cauſſa plerumque externa violenter agente proveniens. Videantur & ſcripta Chirurgica.

LUXURIA, *Luxus*, ſubſtant. *Luxuries*, ἀσέλγεια, ἀκρασία, denotat omnem *intemperantiam* in cibo, potu, re geniali, ut & in aliis rebus non naturalibus; nec opus habet ulteriori declaratione. Alias etiam de excreſcentia carnis dicitur, quod ſit caro *luxurians*; & Blaſius Gingivarum *luxuriem* vocavit earum intumeſcentiam, *Med. Univ. p.* 301.

LUXUS, adject. pro *Luxatus*, ponitur apud Scrib. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.*

LUZ, nomen oſſis, de quo tamen non certo conſtat, an de vertebra aliqua dorſi dicatur? an vero de oſſiculo aliquo pedis? *Eph. N. C. An. II. Obſ* 53. *in Schol.*

LYCANTHROPIA, λυκανθρωπία, item λυκάων κυνανθρωπία. Arabice *Catrab*, *Cutubut*, Latine *Lupina*, vel *Canina inſania* dicitur, juxta plerоſque Medicos ſpecies quædam *Melancholiæ*, qua ægri noctu domo egreſſi, urbem circumeunt, quadrupedum more incedentes, lupos imitantur ululantes, donec dies illuceſcat, defunctorum monumenta quæritant, adaperiunt, cadaverum fruſta arripientes, ſecumque collo geſtantes, fugiuntque die vivos homines, nocte inſequentes mortuos. Sunt autem eorum notæ: facies pallida, oculi ſicci & cavi, viſus hebes, lingua ſicciſſima, ſaliva in ore nulla, ſitis immodica, tibiæ perpetuo exulceratæ, propter frequentes caſus. Nonnulli etiam ut canes mordent, ex quo arbitror, morbum ipſum κυνανθρωπίαν vocatum fuiſſe veteribus. Hæc Caſtellus & Gorræus ex Aëtio & Ægineta *l.* 3. *c.* 16. Jung. Diet. *p.* 576. Cauſſa igitur hujus affectus ex deſcriptione *Melancholiæ* petenda erit, de qua infra ſuo loco.

Quamvis

Quamvis vero dari hujuſmodi *Melancholicæ inſaniæ Lupinæ* ſpeciem, quam Gal. *l.* 3. *de fac. parab. n.* 233. λυκοκεφαλίαν, dolorem capitis lupinum appellaſſe videtur, nolimus inficiari; eſt tamen ſine dubio rariſſima. Frequentius vero ſumitur vocabulum hoc de imaginaria diabolica hominum in *Lupos* converſione, qua non ſolum ipſi hoc malo affecti ſe lupinam formam habere exiſtimant, ſed & aliis tales videntur, quod Dæmonum ope accidit, objectu mentitarum formarum ſenſus ludificantium. Sennert. *lib.* 2. *Inſt. Med. part.* 3. *ſect.* 1. *c.* 7. *& Med. Pr. l.* 1. *part.* 2. *c.* 16. Verum cum ejus cauſſa ſit extra pomæria Medicinæ, pluribus hic non opus eſt verbis. Realis in lupum converſio merito negatur.

LYCAON, λυκάων, idem, quod λυκανθρωπία, Gorr. Ægin. *d. l.*

LYCHNION, λυχνίον, nomen eſt medicamenti ad inunctionem oculorum, apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

LYCHNOMACHÆRA, λυχνομάχαιρα, inſtrumentum dicitur, quod manubrio ſuo lychnum gerere poteſt, acie vero uſum cultri præbere. Caſp. Hofmann. *comm. in Galen. LL. de V. P. n.* 248. *ſeq.*

LYCIUM, λύκιον, dicitur ſuccus concretus, extractus ex arbore quadam ejuſdem nominis, Ericæ vel Tamariſci ſimili; cujus modum extrahendi deſcripſit Dioſcor. *l.* 1. *c.* 132. Weker. *Ant. Sp. l.* 1. *ſ.* 16. Meminit hujus aliquoties Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *h. tit. l.* 2. *de Antidot. c.* 15. ubi duplex conſtituit: *Pataricum* & *Indicum*, quod melius, *lib.* 3. *de C. M. S. L. cap.* 1. ubi *Lycii ſpuma* legitur.

LYCOIDES, λυκοειδὴς, *lupo ſimilis*, dicitur affectus quidam, qui iis evenit, qui ſemen diutius præter naturam retinuerunt, quod veneni naturam induens in venis & arteriis, dum nequivit ejici, anginoſam generat affectionem in faucibus, & quandam quaſi ſuffocationem. Unde & *Lupus*, item *Strangulator*, vocatur. Caſtell. ex libro quodam ſpurio inter Galenicos relato *de ſpermate*.

LYCOS, λύκος. Vide *Lupus.*

LYDIUS *lapis*, λύδιος λίθος, *Coticula*, *Lapis Heracleus*, χρυσίτης βάσανος, dicitur lapis, qui reperitur in flumine Tmolo, & alibi, cui aurum & argentum attritum colore examinatur. Hinc *judex auri* dicitur. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 353. *ſeqq.*

LYGISMOS, λυγισμὸς, dicitur *artuum contortio*, luxatio, confractio, à verbo λυγίζω, quod idem eſt, ac στρέφω, κάμπτω, *torqueo*, flecto. Legitur apud Dioſc. *l.* 4. *c.* 107.

LYGMOS, *Lynx*, λυγμὸς, λύγξ, Latine *Singultus.* Communiter ſtatuitur, eſſe motum convulſivum ventriculi, quo conatur aliquid tunicis impactum quantitate, vel qualitate moleſtum expellere, Gal. *c.* 5. *aph.* 4. *c.* 6. *aph.* 39. *c.* 7. *aph.* 3. *& c.* 4. *de R. V. I. A. c.* 69. Quamvis vero nullum ſit dubium, *Singultum* eſſe motum convulſivum, merito tamen circa ſubjectum adhuc dubitari poteſt. Ita Fr. de le Boe Sylvius διαῤῥήδην negavit, ventriculi affectum eſſe, quin potius Diaphragmatis *l.* 1. *Pr. Med. cap.* 23. §. 9. *ſeqq.* quæ ſententia & nobis verior videtur. Dolæus pro ſubjecto conjunxit ventriculum ſive ſtomachum ſecundum fibrillas ſuas & nervos, & tunicam cum diaphragmate communem. *Encyclopæd. l.* 3. *c.* 2. §. 2. *p.* 392. Quare talis deſcriptio inſtitui poterit: *Singultus* eſt motus convulſivus interpolatus diaphragmatis, in conſenſum trahens ventriculum, & vicinas partes, proveniens ab humoribus, vel vaporibus, vel copia, vel qualitate acri peccantibus, & ad membranaceum diaphragmatis centrum, vel medium penetrantibus, ipſumque pungendo, vel rodendo, vel aggravando ad convulſivum illum motum irritantibus. Meminit aliquoties Hippocr. hujus affectus in aphoriſmis, *6. aph.* 13. 39. *7. aph.* 3. 10. 17. Junge Dieter. *n.* 509. Placet nobis alias ingenua confeſſio Th. Sydenham *in Obſerv. de morb. acut. ſect.* 1. *c.* 4. *pag.* 70. ſcribentis: Ingenue fateor, me mihimetipſi de *Singultus* cauſſa diſquirenti ſatisfacere non poſſe. *Singultuoſi* dicuntur, qui diu & frequenter ſingultiunt, Gr. λυγγώδεις, Hipp. *Coac. t.*45. & *febres ſingultuoſæ*, πυρετοὶ λυγγώδεις, ἢ λυγμώδεις, quas frequens comitatur *ſingultus*, 4. *de R. V. I. A. t.*69. 2. *de fract. t.* 23. *Mochlic. XVII.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 390. Obſervatio *ſingultus* periodici admiranda extat *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 73.

LYMA, λῦμα, ſignificat *purgamentum*, ſordes, quæ vel abluendo deponuntur, vel etiam e ventre rejiciuntur. Occurrit apud Hipp. *l. de Gland. VIII.* 4. Erotian. *Onom. p.* 72. C.

LYME, λύμη, ſignificat *noxam*, exitium. Quo vocabulo crebro uſus Hipp. 1. *de fract. t.* 13. *ſ.* 2. *t.* 22. Hinc verbum λυμαίνομαι, *noxam infero*, offendo, quod legitur 1. *de artic. t.* 62. *ſ.* 3. *t.* 103. *l. de Epilepſ. XIII.* 13. Foëſ. *Oec.* §. 392.

LYMPHA, proprie notat *aquam fluentem*, ſive fluentum, Græc. νᾶμα. Hodieque vero vocabulum hoc in Medicum tranſlatum uſum frequentiſſimum; quamvis qualem humorem proprie ſignificet, non adeo planum ſit & explicitum. Hoc tamen elici poterit ex recentiorum ſcriptis, quod *Lympha* ſit liquor aqueus quidam, vel una cum ſanguine fluens, & ita idem, quod ὀῤῥὸς, ſerum ſanguinis; vel una cum ſpiritibus animalibus in nervis moveatur; & ita liquoris nervoſi nomine venire poſſet; vel peculiaris quidam liquor in Glandulis conglobatis, ſive elaboratus, ſive ſegregatus, & per peculiaria quoque vaſa *Lymphatica*, vel *Lymphæ ductus*, dicta fluens; quamvis & hæc ex Sylvii ſententia partim ex ſanguinis parte tenuiore, partim ex ſpiritibus animalibus fiat. Paucis: quia humores illi utiles, & ad vitam, nutritionem, ſenſum & motum ſunt ἰδιλφισμένοι, etiam vocab. *Lymphæ* diverſimode ſumi poterit. Videatur

Barthol.

Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 14. *libell.* 1. *c.* 35. *in appendic.* 3. Charlton. *Oecon. Anim. Ex. IX. Sylv. Med. Pr. l.*1. *c.*49. *ſeqq.* Hemſterhuſ. *Meſſ. aurea*, & plures alii. Et ex noviſſimis D. D. Bohn. *Circul. Anat. Phyſiol. Prog. XIII.* D. Wedel. *Phyſiolog. c. II.* & alibi, quæ loca videantur in Indice D. D. Hofmann. *in not. ad Microcoſm. Horne p.* 114. *ſeq.* D. Chr. Gunther. Schelhammer. *Diſſert. Epiſtol. de Lymphæ ortu &c.* & plures alii. Ex conſtitutione præternaturali, ſive ratione quantitatis, qualitatis, motus & loci, varii oriuntur morbi, haud inepte *Lymphatici* dicendi. Unde jamdudum Serenus Sammonicus *Hydropem* vocavit *Lymphaticum Errorem*, ſpecialiter *Anaſarcam cap.* 28. Vide Keuchen. *in not. ad h. l. p.* 193.

LYMPHÆ DUCTUS, *Lymphaticus.* Vide *Lympha.*

LYNCEUS, λυγκεὺς, Collyrii nomen, callos & cicatricem oculorum exterentis, viſumque exacuentis. Deſcriptio ejus habetur apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Ægin. *l.* 7. *c.* 16. ex quo Galeni deſcriptio emendari debet. *Lyncei* quoque dicuntur homines admiranda viſus acie præditi, quales in Iſlandia eſſe, qui genios hominum & umbras etiam aliquot horis ante adventum diſtincte conſpiciunt, uti ex Borrichio refert Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſ.* 22. *c.* 44. *p.* 250. *ſeq.* Fides ſit penes Autores.

LYNCURION, λυγκούριον, item *Lyncurius.* Nonnulli plane idem ſignificari volunt quod ſuccinum ἤλεκτρον. Multi tamen ex Arabibus videntur à ſuccino diſtinxiſſe. Quam ſententiam & Rulandus defendit, negans eſſe electrum, ſed potius eſſe *lapidem Lyncis*, qui fit ex urina lupi cervarii, ſive *Lyncis*, in ſylvis & montibus coagulata; & quidem e maſculorum urina fulvum & igneum, e fœminarum candidum & languidiorem. Egeritur autem terra, quia beſtia hæc operit ſuam urinam, quod eam invideat uſui hominum, aut pudoris innati cauſſa; ſicuti videmus, alia animalia facere lupos, canes, catoſque, ex qua generatur calore *Lyncurius*, téſte Plin. *lib.* 37. *c.* 2. & 3. *l.* 8. *c.* 38. Et hoc voluit Rul. confirmare aliquo phænomeno, quod obſervaverit, in exitu veſicæ ſylveſtris porci, apri ſcil. nonnunquam etiam porci domeſtici caſtrati, reperiri lapidem coagulatum ex urina calore animalis, flavum & ſubpallidum, nonnunquam magnitudine fabæ, qui præſentiſſimum eſt remedium contra calculum veſicæ, quod per experientiam edoctus. Cur ergo urinæ *lyncis*, imo aliorum animalium, non coagulentur calore nativo & terræ? Verum Schroder. & Hofmann. hoc, ceu fabuloſum, rejiciunt. Vide *Belenites.*

LYNGODES, λυγγώδης, *Singultuoſus.* Vide *Lygmos.*

LYNX, λύγξ, genit. λυγγὸς, ſignificat, *Singultum.* Quod ſi vero in genit. λυγκὸς habuerit, denotat *Lupum cervarium*, animal quadrupes, ferum, maculis in pelle eleganter pictum, viſu acutiſſimo præditum, cujus deſcriptionem & uſum exhibet Aldrov. *l.* 1. *de quadr. digit. vivipar. c.* 3. Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *num.* 26.

LYO, λύω, *ſolvo.* Vide *Lyſis.*

LYPE, λύπη, proprie ſignificat *triſtitiam*, vel *mœrorem*, *mœſtitiam*, & ita ægritudinem animi, ſive animi pathema & affectum, quando fit quaſi contractio animæ adverſans rationi, Linden. *Ex. XIII.* §. 110. *ſeqq.* Pertinet inter res non naturales, & cauſſas morborum procatarcticas, quatenus refrigerat, h. e. calorem vitalem debilitat. Opponitur vero λύπη, *triſtitia voluptati*, ſive τῇ ἡδονῇ, & eſt languor quidam animæ ingratus, ex opinione mali præſentis exortus, & quo ipſa commovetur ad ſe quaſi contrahendum, ut illud effugiat. Hinc ſpiritus intro revocantur, & ſanguis non ſatis agitatus lento motu cor pertranſit. Plures *Triſtitiæ* effectus & characteres vide apud Charlton. *Ex. VIII. Pathol.* §. 30. Willis *An. Brut. P.* 1. *c.* 8. Jung. Rolfink. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 105. & *de remediis*, *l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 11. Aliquando tamen etiam late ſumitur vocab. λύπη pro *Dolore* etiam corporis, & moleſtia, quæ alias ſtricte πόνος dici ſolet. Linden. *d. l.* §. 112.

LYPIRIA, vel *Lipyria*, vitioſe paſſim occurrit in ſcriptoribus Medicis pro Lipyrias. Vide *Leipyrias.*

LYPROS, λυπρὸς, dicitur de terra arida, gracili, ſicca, & ſolo ſterili. Gal. *in Exeg. dict. Hipp.* Sic & apud Theophraſt. arbores τὰ δένδρα dicuntur λυπρὰ, i. e. *triſtes*, ſteriles, quaſi λυπηρά. Foëſ. *p.* 392.

LYRA, λύρα, ſignificat inſtrumentum muſicum olim honeſtum, & in convivis receptiſſimum, uti patet ex Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 1. ita hodieque viliſſimum & abjectiſſimum. Deinde eſt nomen *piſcis marini*, rubri, capite magno oſſeo, cujus duæ habentur ſpecies, quarum hiſtoriam cum uſu lege in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 7. Dicitur & *Gallus marinus.*

LYSIA, λύσια, idem forte quod λύσις, ſolutio, ſed ſpeciatim Galen. *in exeg.* tribuit ſolutioni, qua artus à ſe invicem ſoluti ſunt.

LYSIGYIA, λυσιγύια, *membrorum diſſolutio* dicitur. Hipp. *l. de Loc. in hom. XXVIII.* 11.

LYSIPONION, λυσιπόνιον, eſt nomen medicamenti Acopi cujuſdam, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 19.

LYSIS, λύσις, dicitur *ſolutio*, à verbo λύω, *ſolvo*, reſolvo. Diverſis gaudet ſignificationibus, pro varietate ſubjectorum, de quibus dicitur, v. g. de omni morborum remotione, Hipp. 6. *aph.* 21. 7. *aph.* 29. ſive à natura contingat, ſive ab arte. Lind. *Ex. VII.* §. 60. Diet. *n.* 510. Vel opponitur Criſi, & ita eſt *Lenta morbi ceſſatio*, Gal. *l.* 1. *de Criſ. c.* 1. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 4. 6. Dogm. noſtr. Gen. *P.* 3. *c.* 6. *d.* 12. *p.*442. *ſeq.* Vel ſignificat *evacuationem alvi* præſertim apud Latinos, ubi alvi ſolutio frequentiſſime occurrit. Vel dicitur de *frictione*, quatenus rarefacit, laxat, & ſolvit membranaceas partes, Hipp. 3. *de iis*, *q. in med. t.* 25, Gal. *l.* 2. de

de ſan. tu. c. 3. Vel de vinculorum ſolutione, Hippocr. *ſ.* 1. *de fract. t.* 44. Vel de *fluxu menſium*, *l. de octimeſtr. partu V.* 13. 15. Præternaturaliter ſumitur de *nervoſarum partium diſſolutione*, ceu cauſſa luxationis, Hipp. *in Mochlic. XXIV.* 20. quamvis in Linden. λύσις legatur. Exponit quoque Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* λύσιας, per intervalla, quibus articuli invicem disjunguntur & diſſolvuntur. Vide Foëſ. *p.* 391. Vide *Solutio.*

LYSISOMATEO, λυσισωματέω, ſignificat *exoluto eſſe corpore & languido*, Hippocr. *lib.* 5. *Epid. XXXI.* 1. *l.* 7. *XLIV.* 1.

LYSITELES, λυσιτελής, dicitur de remedio, quod perfecte tollit morbum. Linden. *Ex. XIII.* §. 541.

LYSSA, λύσσα, λύττα, proprie dicitur *Rabies canum*, ſive furor ille, in quem diebus canicularibus maxime feruntur canes omnium animalium ferme ſoli, Galen. *l.* 6. *de L. A. c.* 4. Verum lupos etiam eodem furore corripi experientia ante aliquot annos hic loci in diverſis exemplis nos docuit. Transfertur tamen ad hominum delirium furioſum, quando ex rabidi canis, vel lupi morſu mente alienantur, & graviter delirant, cum ſubſequente hydrophobia. Quale vero hoc miaſma ſit venenatum, non certo determinare licet. Videtur tamen conſiſtere in aciditate lenta ſalina vitioſa, & valde heterogenea. Vide *Hydrophobia.* De morſu canis rabidi ejuſque curatione ſcripſit quondam Opuſculum *Floridum* dictum Aſcanius Mancinellus Aglonenſis, verum acu rem, quod dicitur, haud tetigiſſe nobis videtur. Nonnulli exiſtimant, *vermiculum* quoque ſub canum lingua genitum vocari λύσσαν, λύτταν, ceu cauſſam *rabiei.* Verum Caſp. Rejes hunc vermem dari, negat. Vide Aldrov. *de Inſect. l.* 6. *cap.* 3. Caſp. Rejes C. *El. q.* 62. *n.* 1.

LYSSODECTOS, λυσσόδηκτος, à *cane rabido morſus* dicitur, idem qui ὑδροφόβος, Galen. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 16. Jul. Alex. *not. ad h. l.*

LYTERIOS, λυτήριος, epitheton ſignorum, quæ magni & vehementis morbi ſolutionem ſolent præcedere, eamque ſignificant. Galen. *l.* 1. *de dieb. crit. c.* 1.

LYTHRON, λύθρον, dicitur *pulvis ſudore & ſanguine permixtus*, ſive *ſanguis pulverulentus.* In ſpecie Hippocr. uſus de uterini ſanguinis inquinamentis, vel purgamentis, *in Epiſt. ad Damagetum n.* 285.

LYZO, λύζω, id eſt, *ſingultio* vel corpus agito & jactito, *anxius ſum.* Hipp. *l.* 3. *de morb. X.* 8. *XV.* 11. Foëſ. *p.* 390.

M.

M. μ. *m.* litera eſt characteriſtica in præſcribendis formulis remediorum, notans *Manipulum.* Vide *Manipulus.*

MACEDONICUS, μακεδονικός, eſt epitheton medicamenti, in ſpecie emplaſtri, cujus deſcriptio habetur apud Aëtium, ut & Ægin. *l.* 7. *c.* 17. Jul. Alex. *Not. ad Gal. lib.* 5. *meth. c.* 15. Plane ſimile eſt *Tetrapharmaco* Caſtelli Lexic. Med.

dicto; quod ſolo thure ſaltem ſuperat, Gal. *l.* 13. *meth. med. c.* 5. Meminit & *l.* 2. *ad Glauc. c.* 2.

MACER, μάκερ, ſubſtantiv. denotat omnium conſenſu aromaticum corticem, quemadmodum Dioſcor. *l.* 1. *c.* 110. Galen. *l.* 7. *de S. F.* § *Macer* deſcripſerunt. Num vero idem ſit, quod *Macis*, circa hoc non conveniunt Autores. Plerique tamen duo diverſa eſſe exiſtimant, ita ut *Macer* ſignificet corticem craſſiorem alicujus arboris Indicæ, ejuſdem nominis, juxta Plin. *lib.* 12. *H. N. c.* 8. *Macis* vero ſit amiculum nucis moſchatæ hodieque uſitatiſſimum & notiſſimum. Ita ſentiunt Matthiolus *in Dioſc.* Cluſius, à Coſta, Schroder. & alii, verum Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 22. & *not. ad Gal. l. de S. F.* negat, diverſa eſſe *Macerem* & *Macim*, cujus rationes & argumenta nec nobis videntur plane de nihilo eſſe. Verum cum hæc ad Botanica pertineant, litem non faciemus noſtram.

MACER, adjectiv. idem, quod *Macilentus*, *Gracilis*, ἰσχνός. Vide *Iſchnos*, *Gracilis.*

MACERATIO, τῆξις, idem, quod *Liquefactio* ſolidorum mediante aqua facta. Vide *Liquatio.* Rhod. *in Lexic. Scribon. Maceratio vegetabilium* quam diverſa tempora exigat, ſuccincte propoſuit Jac. le Mort *in ſua Chymia Medico-Phyſica*, & ex eo Morlæus *in Coll. Chym. Leid. c.* 494.

MACHA, id eſt, *vermiculus volans.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Paracelſus vocat *Scarabæum. Schol. in lib.* 2. *Paragraph. cap. de vermibus.*

MACHÆRION, *Machæris*, μαχαίριον, μαχαιρὶς, *Gladiolus*, inſtrumentum Chirurgicum, vide *Gladius. Machæria* quoque vocantur oſſicula, vel nuclei Perſicorum, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 9.

MACHAL, id eſt, *fixum.* Rul. & Iohnſ.

MACHAON, μαχάων, nomen proprium Medici Gentilium, qui habitus eſt filius Æſculapii, & frater Podalirii. Ab eodem ſine dubio appellationem accepit collyrium illud, quod vocatur *Aſclepias Machaonis*, cujus deſcriptio habetur apud Scribon. Larg. *num.* 26. Jung. Rhod. *in not. ad h. l.* Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 7. Aliquando tamen & appellative ſumitur *Machaon* pro Medico perfecto, unde *Ars Machaonia* pro *Medica* ſæpiſſime ponitur.

MACHINA, μηχανὴ, μηχάνημα, ſignificat in Medicina generaliter omnia inſtrumenta chirurgica grandiora, præſertim ad repoſitionem luxatorum oſſium & articulorum neceſſaria. Unde Oribaſius integrum tractatum ſcripſit de *Machinamentis.* Ita *Machina* Vitruvii *tractoria* deſcribitur à Sculteto *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XXIII. fig. I.* Specialiter vero de *ſcamno Hippocratico* intelligitur. Galen. *lib.* 4. *de artic. t.* 49. *ſeqq.* Vide *Bathron.* Rulandus variarum meminit *machinarum* in metallifodinis uſitatarum, quæ non ſunt hujus loci; quemadmodum nec *Machinæ Tragicæ*, quæ Græci θαύματα, *miracula* dicuntur, de quibus C. Hofmann. *in l.* 6. *V. L. c.* 25. 26. & *c. in Gal. LL. de V. P.*

n. 978. Alias hodieque vocabulum *Machina* ſæpiſſime legitur in recentiorum Phyſiologorum & Medicorum ſcriptis, dum corpus humanum (ne de brutis quid dicam) nihil aliud creditur eſſe, quam *machina* αὐτόματος inſtar horologii motus ſuos diverſos perficiens. Quæ ſententia, ſi dextra acceſſerit explicatio, applauſum omnino meretur, quamvis ſint, quibus hæc machinæ tropica appellatio non arrideat. Vide *Mechanicus.*

MACHIS dicuntur Paracelſo omnes Scarabæi & Inſecta, quæ non ex ſtercoribus generantur. *Paragraphor. l.* 2. §. 5.

MACIES, ἰσχνότης, *Macilentus*, ἰσχνός, idem, quod *Gracilitas*, ſive corporis p. n. extenuatio. Vide *Gracilis*, *Iſchnos.*

MACRAUCHEN, μακραύχην, vocatur *longo collo præditus.* Non vero confundi debet cum τῷ κρατεραύχενι, robuſtum validumve collum habente, Galen. 1. *in* 6. *Epid. t.* 3.

MACROCEPHALOS, μακροκέφαλος, Latine *Capito*, qui magnum habet caput. Eſtque affectio Endemia quibuſdam populis Aſiæ, *Macrocephali* dictis apud Hippocr. *l. de A. L. & Aq. XXXV.* 3.

MACROCOSMOS, μακρόκοσμος, id eſt, *mundus major*, *mundus univerſus*, quem Phyſici exponunt. Vide *Mundus.* In hujus comparatione cum homine, qui *Microcoſmus* vocatur, effingenda, exornanda & amplificanda valde ſolliciti ſunt Medici nonnulli Paracelſici & Helmontiani. Enimvero multa in illa doctrina occurrunt ſuperflua, inutilia, frivola, inepta & cachinno digna. *Macrocoſmica*, in genere dicuntur, quæ extra hominem ſunt in mundo magno, ſuntque vel ſimplicia, vel miſta, hæcque vel imperfecte, vel perfecte talia. Libav. *in Art. Medicæ Hippocr. & Hermeticæ Typo. T. III. Oper. p.* 149. *ſeqq.* Schroderus reſtringit ad *Mineralia*; unde & doctrinam Mineralium vocavit *Macrocoſmologiam*, *l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 1. Jung. Fr. Hofmann. *in clav. ad h. l. Macrocoſmi Spiritus*, ſive Sal volatile quid dicatur, videatur apud Jacob. le Mort & in Morley *Collect. Chym. Leid. cap.* 242.

MACROPHYSOCEPHALUS, μακροφυσοκέφαλος, dicitur, qui capite craſſiore, quam par eſt, & flatuoſo ex tali morbi genere præditus eſt, apud Ambr. Paræum *l.* 23. *Chirurg. c.* 26. quamvis vitioſe *Macrophiſocephalus* ibi extet.

MACROPNUS, μακρόπνους, dicitur *longe*, vel prolixe *ſpirans* & per longa intervalla. Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 69. *& l.* 6. *Epid. ſ* 2. *t.* 10. Affectus ille vocatur μακρόπνοια, *longa reſpiratio.* Galen. *l.* 3. *de diffic. reſpir. c.* 10. Junge Foëſ. *Oec. p.* 394.

MACROS, μακρός, *Longus*, μακρότης, *Longitudo.* Vide ſupra lit. L.

MACROSCELES, μακροσκελής, i. e. *crura longa habens*, cui opponitur βραχυσκελής, *cruribus brevibus præditus.* Meminit ex Ariſtot. *l.* 4. *de part. an. c.* 12. C. Hoſm. *com. in LL. de V. P. n.* 519.

MACULA, ἐξάνθημα, σπῖλος, κηλὶς, in Medicina ſignificat efflorescentiam cutaneam, ſive colorem cuticulæ mutatum per varia interſtitia. Vide *Exanthema.* Hujuſmodi *maculæ*, vel ſunt *peſtilentes*, vide *Peſtilentia*: Vel *hepaticæ*, quæ ſanguinis ichoreſcentiam cum aliqua coagulatione præſupponunt: vel *volaticæ*, infantibus familiares ſimilem cauſſam agnoſcentes, ex fermenteſcentia ichoris ſanguinei. *Maculas* quotannis recurrentes in æſtate curatas vide *Ephem. Nat. Cur. An. II. Obſ.* 249. De volaticis *Ann. III. Obſ.* 4. *Maculæ* quoque vocantur *Nævi materni*, item character morboſus cuilibet fœtui communicatus: v. g. *Macula Amentiæ*, legitur apud Helm. *tr. Demens Idæa. n.* 46. Gr. μίασμα. *Macula oculi*, idem, quod cataracta, ſuffuſio, Ruland. & Iohnſ. Poſſet etiam de albugine, aut nubecula intelligi. Vocantur etiam in ſtatu ſanitatis *maculæ* illæ nubeculæ albæ in unguibus ſæpe conſpicuæ, quæ vernacule *Flores unguium* appellantur. *Mendacia* quoque dici ſcribit Fallop. *in Expoſ. Hipp. de vuln. cap. Tom. I. Oper. p.* 359.

MADAROS, μαδαρός, *Glaber*, μαδαρότης, μάδησις, *glabrities*, capillorum defluvium, à verbo μαδᾶν, quod eſt nimio humore diffluere, madere, madidum eſſe. Videatur *Calvities.* Specialiter quoque μαδάρωσις, idem, quod μίλφωσις, h. e. pilorum in palpebris defluvium. Jul. Alex. *Not. in Gal. l.* 11. *de S. F. in princ. & in l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 4. Tribuitur vero ulceribus quoque valde humidis & ſordidis, Hippocr. *de Humor. VIII.* 3. *&* 6. *aph.* 4. ubi compoſ. περιμάδαρος occurrit, quæ ulcera Erotianus exponit ἀνώμαλα καὶ ἄτυφα, irregularia & depreſſa, in ἕλκεα περιμάδαρα Jung. Dieter. *n.* 674. Improprie, & plane inſolenter dicitur quoque de ſedimentis urinæ quibuſdam, quæ *glabra* vocantur, h. e. non cohærentia, ſed diſſipata, ſive disjuncta. Hippocr. *l.* 7. *Epid. XLI.* 6.

MADEFACTIO, ὕγρανσις, idem eſt, quod *Humectatio. Madefactibilia* Fallopio dicuntur, quæ humiditatem extrinſecus admittunt uſque ad profundum ſubſtantiæ, ut lana, ſpongia, qui habent latos poros multos ac profundos, *Tr. de ſimpl. med c.* 7. *T. II. Oper. p.* 9.

MADELCON, μάδελκον, vocatur hoc nomine à quibuſdam *Bdellium*, teſte Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 80. Legitur & μάδελκον.

MADIC, id eſt, *lac poſt butyrum.* Rul. & Iohnſ.

MADISTERION, μαδιστήριον, inſtrumentum, quo glabra redditur cutis, vel id, quo cutis redditur depilis & lævis: Græci alio nomine τριχολαβίδα ἢ τριχολάβιον, à pilorum prehenſione, Latini *Vulſellam* aut *Voiſellam*, ab evulſione vocant. Gorr.

MADOR, πλάδος, idem, quod ſuperflua vel adſcititia humiditas. Vide *Plados. Madida* quoque antiquis dicta fuerunt *cocta. Madere* enim priſcis fuit *coqui*, notante Rhod. *ad Scrib. n.* 41. Per coctionem enim res *madeſcunt* & teneræ fiunt. In qua ſignificatione etiam ſumſit Helmont. negans *madida*, i. e. *decocta*, exiccare

eare humores; *tr.* *Aſthma & Tuſſis*, *n.* 75. In ſtatu præternaturali *ſudor*, qui in ſyncope & virium exolutione, ſive calidus, ſive frigidus, emergit, non ſudor, ſed proprie *mador* appellatur, notante Foreſt. *l.* 7. *Obſ.* 27. *in Scholiis* ex Fernelio *Pathol. l.* 4. *c.* 14. *fin.*

MÆA, μαῖα. Vide *Obſtetrix.*

MÆNA, *Mænis*, μαινὶς, nominatur piſcis quidam littoralis fœcundiſſimus, olim uſitatiſſimus ad garum parandum, cujus deſcriptionem, & uſum, in cibis atque medicina vide in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 39. De capitis *Mænidum* uſu Medico Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* Meminit & Jul. Alex. hujus piſciculi, & commendat ægrotis elixarum *mænarum* eſum, *l.* 14. *Salubr. c.* 10.

MÆUS vocatur avis riſum & cachinnum humanum ad miraculum imitans, quales binas Imperatorem Rudolphum e Turcia accepiſſe ſcribit Hartmann. *de ſignatur. intern. rer.* quamvis hoc nomen, quod propter diphthongum æ Græcum eſſe videtur, *in Ornithologia* Aldrovandi non occurrat.

MAGALE, *Magalium* genus eſt: Quidquid ſit ex mineralibus, quod ex oleitate conſiſtere poteſt, proinde pars quælibet corporis non purgando, ſed mundando curatur. Iohnſon. *in Lex. Ch. l.* 2. *p.* 50.

MAGDALIA, *Magdaleon*, μαγδαλία. Offa erat *Magdalia* in maſſam quandam compacta, quales canibus offerebantur pro cibo. Ea figura hodie quoque *Cerata & Catapotia*, quum compacta congeſtaque in unum *magdaleones* ſuos (ita enim vocant) redigunt Officinæ. Jul. Alex. *not. in Galen. l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 10. Rhod. *ad Scribon. n.* 201. Vocantur & *Cylindri*, κύλινδροι.

MAGEIROS, μάγειρος, *Mageiricos*, μαγειρικὸς, *Coquus & Coquinarius*, pertinent ad partem Diæteticam. Vide *Coquus.*

MAGIA, μαγία. Hujus vocabuli tantus irrepſit abuſus in Medicina, ut vix poſſibile ſit, ſeſe commode extricare. Olim *Magia* ſignificavit inſignem & occultam Ægyptiorum ſapientiam in divinis, aſtralibus, & rebus naturalibus, nec non medendi ratione, quam callentes *Magi* dicebantur, quemadmodum Indi *Brachmanas*, Galli veteres *Druidas*, Græci *Myſtas & Prophetas* appellarunt. Poſtea vero vocabulum *magiæ* attributum quoque Dæmoniacæ *negromantiæ*, præſtigioſæ vaticinandi, curandique ſcientiæ fuit; uti prolixe videre licet apud Lang. *l.* 2. *ep.* 46. Hinc & Rul. cum Iohnſ. utramque diſtincte ita deſcripſerunt: *Magia* Perſica vox eſt, Latine *ſapientia*: Eſt duplex: *Naturalis & licita*, materque veræ medicinæ, & eſt occulta naturæ ſapientia in centrum uſque latens & abdita, cum qua ſi humanam rationem conferas, nihil præter meram ſtultitiam in hac reperies. Vere Dei donum eſt, quo nobis rerum ſupernaturalium cognitionem exhibet, non dæmonum inſpiratione, qui nihil perfectum habent, neque docent. Alia vero eſt *illicita*, ſuperſtitioſa, & à tota eccleſia Chriſtiana prohibita, quam *necromantiam* appellant, execrabilis & nullibi toleranda. Inde occultata ſapientia. Et porro: *Magia Metaphyſica* eſt ars Chriſtianis licita, non venefica, neque ſuperſtitioſa, ſed ſupernaturalis, per quam occulta quævis arcana revelantur, ut Mechanica induſtria opus eſt manuale. Hæc Rul. & Iohnſ. Jung. *Th. Ch. Vol. I. p.* 665. Unde & antiquos omne id, quod occulta vi fit, *magicum* dixiſſe, teſtis eſt Keuch. *not. ad Sammonic. p.* 274. Enimvero ſi Paracelſum, Crollium, Helmontium, & horum aſſeclas, qui *magicam* Medicinam defendere omnibus viribus ſatagunt, abſque præconceptarum opinionum glaucomate penitius inſpiciamus, nullo patebit negotio, quod nihil aliud agant, quam ut illicitam, præſtigioſam, diabolicam, fuco prioris ſpiritualis & occultæ à divina quadam inſpiratione dependentis, quam *adeptam* propterea *ſapientiam* vocant, illinere conentur. Etenim tantum abeſt, ut ad Medicinæ perfectionem acquirendam neceſſaria ſit, præter ἐυφυΐαν, & naturalem indolis bonitatem, & ad alias quoque ſcientias nobiliores addiſcendas neceſſariam, peculiaris occulta, & ſpiritualis quædam inſpiratio divina & miraculoſa, ut potius hoc deroget de proprietate artis, quæ conſiſtit in debita applicatione rationis & experientiæ, & ita in crebra exercitatione habitum conſtituente; deroget inſuper autoritati multorum Medicorum antiquiſſimorum pariter & recentiorum, de quibus tamen, vel ob ethniciſmum, vel etiam ex propria confeſſione, dici non poteſt, quod *magicam* calluerint medicinam. Caveant igitur Philiatri ſibi ab hac fraude Paracelſica & veneno clandeſtino, ne in perniciem ſalutis æternæ ſeſe præcipitent.

MAGIS, μαγὶς, in genere ſignificat *maſſam* quandam & *offam*, aut molem quandam manum complentem. Idem fere, quod μάγμα. Gal. *in Exeg. dict. Hippocr.* Lang. *l.* 1. *ep.* 59. Specialiter Hipp. uſurpat de maſſa & offa ex aliorum nucleis, caſeo acri, & polenta ſimul tritis & commixtis parata, veluti pulte. Legitur *l.* 2. *de morb. mul. XXIIX.* 49. & *l. de Sterilib. XXII.* 13. Significat quoque *mactram* ad panificium conficiendum, teſte Polluce *l.* 6. & 7. *c.* 10. & *l.* 10. *c.* 24. citante Foeſ. *Oec. p.* 393.

MAGISTER, διδάσκαλος, idem, quod *Artifex*, *Doctor* in arte Medica. Unde & Hipp. ſummus artis Medicæ *Magiſter* apud viros doctos cluit. Ita in metallifodinis *Magiſter* ſal conficiens, ferrum concoquens, dicitur à Ruland. *in Lexic.*

MAGISTERIUM terminus eſt technicus, Pharmaceutico-Chymicus; ſed valde æquivocus. Derivatio à *magis* aut μαγεύειν, à Rolfink. eſt ficta. Immediate à *magiſter* deſcendit, de quo p. a. & ita notat peculiare *artificium* circa præparationem medicamentorum. Dicitur vel de pulveribus ſolutione ac præcipitatione paratis: vel de reſinis & extractis reſinoſis, unde *magiſterium vegetabilium* etiam *lacca* vocatur. Vide *Lacca.*

Vel in Spagiria de *magiſterio* lapidis Philoſophorum. Legantur de omnibus his Schroder. *l.* 1. *c.* 3. *l.* 2. *cap.* 67. *& l.* 3. paſſim ſub mineralium & metallorum explicatione. Fr. Hofm. *in Clav. ad hh. ll.* Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſ* 2. *per tot.* Libav. *Tom. I. & II. Operum* paſſim, quæ loca quærantur in Indice. E noviſſimis deſcriptiones *Magiſteriorum* qua *Mineralium*, qua *Vegetabilium* e Chymicis ſcriptis collegit & Lexico ſuo Chymico-Pharmaceutico inſeruit *Part. I. p.* 137. *ſeqq.* Vocabulum hoc magis adhuc ad *artificioſam* præparationem & exaltationem extendit Rulandus, & ex hoc Iohnſon. quas deſcriptiones libet annectere: *Magiſterium* eſt ſpecies chymica ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat externis ablatis, elaborata, exaltataque. Servantur itaque hic omnis concretionis naturalis & homogeneæ partes, ſed ita exaltantur, ut dignitatem eſſentialem prope attingant: Unde & eadem pene relinquitur quantitas ſeu moles, quam natura per ſe dedit: quemquam non ſemper caveri poſſit; quin cum alienitatibus & foris adhærentibus nonnihil ſuccedat: & nonnunquam etiam ſtudio propter finem uſumque certum quiddam negligitur; ex quibus intelligitur, maxime hic valere, quam Phyſici alterationem nuncupant. *Magiſterium* aliud eſt *qualitatis*, aliud *ſubſtantiæ*. *Magiſterium conſiſtentiæ* eſt, cum ſervata eſſentia conſiſtentia ad præſtabiliorem eſt immutata. Hoc autem fit pluribus modis, non tam ut ipſi rei aliquid nobilitatis accedat, quam ut ad uſum varium evadat commendatior, habiliorque. *Magiſterium fixorum* eſt, cum corpora volatilia figuntur ad conſtantiam, (vide *Fixatio.*) Illi vicinum eſt, quod e molli induratur. Itaque & hoc eodem comprehenditur titulo. *Magiſterium odoris* eſt, cum res odore exaltatur. Idque artifices potiſſimum moliuntur in operibus, quibus inter elaborandum aliquid ingrati odoris accidit, ut in empyreumatis oleorum, aquarum & ſimilium: deinde etiam in his, quæ alias per naturam odorem pravum moleſtum, vel etiam nullum habent; cum tamen ad gratiam rei uſu ejuſmodi nota ſint exaltanda. *Magiſterium* Paracelſ. eſt arcanum ex naturalibus rebus extractum, ſine ſeparatione elementali, qua cetera præparari conſueverunt, ſola tantum additione aliarum rerum, à quibus quod extractum eſt, ſeparat. *Magiſterium ponderis* eſt, cum pondere res exaltatur. Id autem potiſſimum in auro & argento requiritur, eſtque una ex notis perfectionis, cum inter metalla aurum ſit graviſſimum, ideo etiam externo valori in monetis adjectum pondus eſt. Quod ſi deficit, compenſatur arte, v. g. Maſſa aurea vel argentea juſta levior coquitur in urina, cum præcipitato corallino, vel affricatur hydrargyrus auro argentove conſentanea, & concolor factus; vel coquuntur in lixivio concinnato ex ſulphure & calce viva: vel cœmentantur cum ſulphure aut præcipitato fixo; vel hoc; Rec. pulveriſati ſalis ſemunciam tantundem de lateris triti, colcotharis quadrantem. Miſce. Auri lamellas illine albumine; aſperge calcem Lunæ, ſiccatam priori pulvere. Fac ſtratum ſuper ſtratum, & cementa, vel in pyxide, vel inter regulas. Aurum inde ſolet albeſcere. Indue ergo colоritium & prehenſum forcipe in igne tene, donec excandeſcat, poſt extingue in urina. *Magiſterium coloris* eſt, cum rei cujuſque color ad optimum ſummumque gradum in genere quæſito perducitur. Neque vero tantum color præſens e gradu inferiore ad ſuperiorem exaltatur, ſed & qui in potentia eſt, ſeu in abdito, in actum vel manifeſtum evocatur. Nonnunquam etiam peregrinus inducitur, ad exemplum ejus, quod præſtabilius in ſuo genere. Si color ſimul fixus & conſtans eſt; *magiſterium* eſt nobilis. *Magiſterium Pulverum*, h. e. continuæ conſiſtentiæ in pulverem perductæ fitque potiſſimum calcinationum modis, unde efficitur, ut & *Calcis* vocabulo non raro appellentur, vulgo *Alcoolia*. Reſpicitur hoc principaliter, ut fracta tenacitate friari res poſſit. *Magiſterium principiorum* eſt, cum principatum compoſitum in principia reſolvitur denuo. *Magiſterium qualitatis* eſt, cum res formis, qualibus elaborata, exaltata, fitque dupliciter: Aut ſecundum qualitates *occultas*, aut *manifeſtas*. *Magiſterium qualitatis occultæ* eſt, cum in his, quæ craſin totius ſubſtantiæ attinent, tantumque effectis per experientiam patent, exaltatio perfecta inducitur. Ea qualitas, ſi pernicioſa eſt ad uſum, in totum aboletur, vel cum aliqua jactura ſubſtantiæ, & tunc reſpicitur perfectio illa, quæ non in re, ſed in uſu rei eſt. In ſalutaribus utrumque obſervatur. Si aboleri in totum nequit, reprimitur, ut ita citra noxam poſſit uſurpari. *Magiſterium qualitatis manifeſtæ* eſt, cum res in ſenſibilibus formis elaboratur. Hæc totuplex eſt, quotuplicia ſenſilia, circa quæ exaltanda Chymicus in rebus occupatur. Quædam tamen propius ſpectant naturæ corpus: quædam ſunt formaliora. *Magiſterium ſaporis* eſt, cum in ſapore fit exaltatio. Itaque & Pharmacopœia & coquina hinc inſtrui poteſt. Potiſſimum autem Chymicus hoc utitur in acrimonia corrigenda & empyreumatis guſtum attinentibus tollendis. *Magiſterium ſenſilium* proprium eſt, cum res qualitatibus ſenſilibus propriis exaltatur. Idque fit vel in ſenſu primo, qui eſt neceſſitatis animalium, vel in his, quæ ſunt melioris gratia ſenſus, primus tactus eſt. Itaque tactilium qualitatum primarum, quæ ſunt calor, frigus, humiditas, ſiccitas, *Magiſterium* inde exiſtit. *Magiſterium ſoni* eſt, quo ſonus corrigitur à Chymico. Id fit potiſſimum in Mineralibus, in quibus aliqua præſtantiæ nota ex ſono capitur, ut in metallis, aut quæ in ignibus periculum minantur, propter ſpiritus vehementes cum ſonitu erumpentes obviaque diſplodentes. *Magiſterium volatilium* eſt, cum e fixo fit volatile. Ei affine eſt *Mollitum*, quod tractabile ductileque aut etiam fluidum, (nam paulo latius accipitur *Molle*, quam apud Phyſicos) efficitur e rigido, duro, &

& intractabili. Artificia, quibus hoc perficitur, ſunt extinctiones, macerationes, incerationes, ſublimationes, ſolutiones, & ſimilia. Fere enim hic quæritur reſtauratio humoris abſumti, vel deficientis, aut ſublatio aſperitatis convictæ, &c. In volatilitate vero ut ſpirituum naturam induant, attenuatione eſſentiæ, &c. Hæc Rul. & Iohnſ.

MAGISTRALIS nomen eſt differentiæ medicamentorum, præſertim compoſitorum, quæ in rem præſentem à Medicis ordinantur, nec antea in officinis venalia extant, unde & Blaſius non male *Extemporanea* vocavit, *Medic. Univerſ. pag. m.* 78. Jung. *Dogmata noſtra Med. Gen. P. VI. c.* 4. *d.* 6. *p.* 753. *ſeq.*

MAGMA, μάγμα, late & ſtricte ſumitur. Late ſignificat omne *unguentum* ſpiſſum, & pauco liquore ſubactum, ut non diffluat. Sic μάγμα ἡδύχροον ab Andromacho dictum eſt. Vide *Hedychroon.* Stricte notat *Unguenti* recrementum, vel *fecem*, quæ expreſſa reliqua liquidiori materia relinquitur. Gorr. Caſtell. Rhod. *in Lex. Scribon.* Galenus tamen adhuc ſtrictius uſurpavit, *Magma* vocans *Myrobalanorum fecem. l.* 7. *de C. M. P. G. cap.* 7.

MAGNALE, μεγαλεῖον, dicitur *opus Dei.* Rul. *Lex.* Lind. *Ex. X.* §. 261. Paracelſo & ejus aſſeclis ſignificat *Myſterium magnum*, ſive occultam divinamque aliquam virtutem, *in Fragm. ad Tom. I. referendis.* Helmont. *Magnale magnum* deſcripſit per ſpiritum quendam, qui ſympathiæ & dyſpathiæ leno, confabulatur & actionum promotor exiſtit, & ratione cujus magnetiſmus, tanquam per vehiculum ad diſtans objectum, extenditur, *tr. de magnet. vuln. cur. n.* 151. Et alibi. *Magnale* in rebus mixtis æther eſt, aëre rarius & ab eodem diſſociabile, inter corpus & non corpus ambigens, externorum ſoli ſui natalitii aſtrorum impreſſiones ſuſcipiens &c. *Paradox. II. n.* 12. *& alibi. Magnale* eſt, quod cum in creatis ſui ſimile non habeat, ideo per ſibi ſimile manifeſtari recuſat. *Magnale* quidem non eſt lux, ſed forma quædam aſſiſtens aëri ejuſdem velut conjugalis, *tr. Vacuum Naturæ n.* 21. *Magnale* eſt theca in aëre, creatura inter corpus & non corpus media, Explic. vocab. Helm. *in fine Operum.* Enimvero Commentum hoc valde ſuſpectum de obſcuritate & magica vanitate.

MAGNANIMUS, μεγαλόψυχος, dicitur, cujus animi robur validum eſt, & propterea affectus non adeo vehementes habet, ut ita neque ob mœſtitiam, neque aliam perturbationem mœſtitia graviorem ſuccumbat. Gal. *l.* 5. *de L. A. c.* 1. *fin.*

MAGNES, *Magnitis*, μαγνῆτις, idem, quod *Herculeus* vel *Heracleius lapis.* Vide *Heracleus*, *Lapis nauticus*, quia ejus uſus permagnus in navigationibus. In India reperiſſe paſtorem *Magnes* dictum ſcribit Iſidor. *de Origin. l. XVI. c.* 4. e quo notavit Th. Janſ. Almelov. *R. I. On. p.* 44. Eſt lapis, qui ferrum vel alium magnetem ad ſe trahit, ac plagas mundi oſtendit. Reperitur circa ferri fodinas. Olim Æthiopicus fuit optimus, hodieque etiam in Germania aliiſque locis haberi poteſt. Hujus hiſtoriam & vires vide apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 148. Gal. *l.* 9. *de S. F.* Schrod. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 13. Fr.Hofm. *ad h.l.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 3. *p.* 259. *ſeqq. l.* 37. *c.* 10. Imprimis *Magneti* cum *Hæmatite* magnam eſſe cognationem, docent Plinius, Rul. & alii. Hujus virtutem attractricem ferri plerique Phyſici occultam ſtatuerunt. Ejus tamen rationem evidentem dare auſus eſt Pechlinus, *tr. de purgant. c.* 2. Verum an in omnibus ſatisfecerit, alii judicent. Hipp. quoque meminit τῆς μαγνήτιδος λίθου, *Magneſii lapidis*, ad purgandam pituitam, *l. de int. aff. XXIII.* 12. Alias nomen *Magnetis*, ob virtutem attrahentem, tribui ſolet aliis quoque corporibus. Ita Parac. montem *Magnetem*, & Aſtrum *Magnetem* vocat, *l. de Meteoris c.* 9. Cœleſtis *Magnetis*, & *Magnetis* in homine latentis meminit, *tr. Philoſoph. occulta.* Prolixius de *Magnetibus cœleſtibus* & *aëreis* diſſeruit Rob. Boyle in ſcripto *h. tit. Magnes* etiam dicitur *Mercurius.* Rul. *in Lexic. Magnes arſenicalis* dicitur lapis artificialis, qui loco periapti in peſte de collo ſuſpenditur. Schroder. *l.* 2. *c.* 65. Vis illa attrahens propterea etiam dici ſolet *Virtus Magnetica*, vel *Magnetiſmus.* Per hunc fucum Helmont. & alii curationem vulnerum cum pulvere, aut unguento armario inſtitutam, aliaſque magicas fraudes exponere & excuſare non dubitant. Videatur integer Helmontii *tract. de Magnetica vuln. curat.* Deſcriptio *Magnetis Arſenicalis* videatur in Morley *Coll. Chym. Leidenſ. c.* 77. ex Marggravio, & Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 145.

MAGNESIA communiter eſt *Marcaſita.* Sed ex arte dicitur *ſtannum liquatum*, in quod injectus Mercurius aura permiſcetur in fragilem ſubſtantiam & maſſam albam. Eſt etiam *Argenti cum Mercurio mixtura*, & fuſile metallum valde, ut cera, liquabile, miræ admodum albedinis, quod *Magneſia* dicitur *Philoſophorum.* Dicitur & *Materia Lapidis Philoſophorum. Magneſia* quoque eſt *Teſtudo*, vel *Sulphur. Magneſia* eſt *fœmina.* Rul. & Iohnſ. Hujus *Arcani philoſophorum* in magiſterio lapidis ſynonyma ſunt *Lac maris*, *Coagulum*, *Aphroſelinum* Orientis, *Magneſia Lydiæ*, *Italicum Stibium*, *Pyrites Achaiæ*, Theatr. Chym. *Vol. I. pag.* 778. Vide etiam plura de hac *Magneſia Tom. V.* & quære loca in Indice. *Antimonium* etiam vocatur *Magneſia Saturni.* Schroder. *l.* 3. *c.* 17.

MAGNETICUS, epitheton medicamentorum, & præſertim quorundam emplaſtrorum, non ſolum in propria ſignificatione, quia magnes in ſubſtantia eorum compoſitionem ingreditur, qualia ſine dubio fuerunt, quæ adhibita in utroque cultrivoro, Boruſſo & Bohemo, Dieter. *Iatr. n.* 468. ſed & in tropica ſignificatione, quando vi attractoria occulta inſtar magnetis operari creduntur; Talia ſunt emplaſtr. *Magneticum* apud Schrod. *l.* 2. *c.* 53. & aliud magis ἀὐπέραστον D.Cnœffelii e ſuccino & bufone ſicco paratum, cujus deſcri-

 ptio

ptio habetur apud Iunken. *Med. Chym. P. II. ſ.* 1. *c.* 5. *p.* 520. *ſeqq.*

MAGNETINUS, epitheton Tartari, & eſt lapis in homine duriſſimus & ſpongioſus, Rul. & Iohnſ. ex Paracelſ. *l.* 1. *de Tartar. & in fragm.*

MAGNITUDO, τὸ μέγεθος, *Magnus*, μέγας, quid ſignificent, notum eſt. Lege Dieter. *n.* 521. 523. De variis quoque dicitur & prædicatur rebus Medicis naturalibus, & præternaturalibus. v. gr. Arteria *Magna*, *Magnus* Pulſus, febris *Magna*, morbus *Magnus*. Specialiter & Epilepſia *Magnus* morbus dictus fuit Hipp. 6. *Epid. ſ. VI. t.* 7. Quis morbus dicatur *Magnus*, vide *in Dogm. Noſtr. P. II. c.* 6. *d.* 7. *p.* 152. *ſeqq.* Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 10. De *Magno oportet* Helmontii, vide *Oportet*. *Major* comparative, Gr. μείζων, tribuitur ultimæ lapidis perfectioni, diciturque *Majus perfectum*, conſtans quatuor coloribus, & habens poteſtatem, ſuam ſpeciem multiplicandi, de quo legatur *Th. Chym. Vol. I. p.* 292. *Maximus*, μέγιστος, à Paracelſo tribuitur peculiari remedio contra dementiam & ſuffocationem intellectus, *de morbis amentium*, *Tr.* 2. *c.* 4.

MAGORINA Paracelſo dicitur *Idolum Academicum* turbans omnes ſpeculationes, quod in odium Academiarum finxit, *Fragm. de Morbo Gallico*, & in ſpecie *de Apoſtem. c.* 2.

MAGORREUM Paracelſo vocatur curatio vulnerum Characteriſtica, *l.* 2. *de vit. long. c.* 14.

MAGOS, μάγος, vide *Magia*. Eſt & nomen *emplaſtri*, quod nonnulli etiam ἡφαιστιάδα nuncuparunt, cujus uſus egregius ad ſinus & fiſtulas conglutinandas & reſiccandas, nec non ad hydropicos & aquoſam herniam laudatur. Deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 10. *c.* 25. citante Gorr. Vide *Hephæſtias*.

MAGRA, id eſt, *Terra rubra*, item *Carneolus*. Rul. & Iohnſ.

MAIA, *Mæa*, μαῖα, vocatur *cancrorum marinorum maximus*, cujus hiſtoriam & uſum lege in Aldr. *l.* 2. *de cruſtat. c.* 18. Deſcripſit & Chioccus *Muſ. Calceol. ſ.* 1. *p.* 89. *b.*

MALA, γνάθος, γένυς, vide *Gena. Gnathos.* Junge Gal. 2. *de art. t.* 3. & 17.

MALABATHRUM, μαλάβαθρον, primario nomen eſt *folii Indici*, de quo diſſentiunt, an paludoſis innatet aquis, an vero ſit folium arboris cujuſdam Indicæ. Videatur Rhod. *ad Scrib. n.* 170. *p.* 254. C. Hofmann. *Offic. l.* 2. *c.* 138. Chiocc. *Muſ. Calc. p.* 546. *ſeq.* Nonnulli ſcribunt *Malobathrum*. Secundario vero ſignificat *unguentum Malabathrinum*, *odoratum*, cujus meminit Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 13. *fin.* Jungantur allegati Autores.

MALACEUNEO, μαλακευνέω, *molliter cubo*, placide dormio. Hipp. *l.* 3. *de diæt. XXV.* 30. *l. de Inſomniis VI.* 12. *XV.* 10. quamvis alia exemplaria aliter legant. Vide Foeſ. *p.* 394.

MALACHITES, μαλαχίτης, alii *Molochites*, cum tamen à malvæ colore, quæ Gr. μαλάχη dicitur, denominationem obtinuerit, dicitur lapis minus pretioſus vel gemma non translucens, ſpiſſius virens, quam ſmaragdus, nebuloſa tota & opaca, quaſi pinguedine aſperſa, valere credita contra omnia infantium pericula, ſingulari virtute, cujus ulteriorem deſcriptionem & uſum vide apud Plin. *l.* 37. *c.* 8. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 3. *p.* 218. *ſeq.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

MALACIA, μαλακία, κίττα. Vide *Pica.*

MALACION, μαλάκιον, dicitur *piſcis ſquamas non habens*, ut Polypus, Lolligo, Sepia, Urtica. Aldrovandus vocat *Mollia*, ſed hanc appellationem ex Scaligero improbat Lind. *Ex. V.* §. 4. & ſubſtituit *Molluſca*, quod nomen vero minus uſitatum. Credita quidem à veteribus hæc eſſe ſine ſanguine & viſceribus vid. Gal. *exeg.*

MALACODERMOS, μαλακόδερμος, epitheton animalium mollem cutem habentium, ad differentiam ὀστρακοδέρμων, Teſtaceorum. Hofmann. *comm. ad Gal. LL. de V. P. n.* 534.

MALACOS, μαλακὸς, *Mollis*, item μαλθακὸς; *Mollities*, μαλακία, μαλθακία. Horum nominum ſignificatio nota; Opponitur duro, vel duritiei. Deſcribitur alias *molle*, quod ad contractum cedit, non tamen migrat. Vel, *Molle* eſt, quod cedit, nec tamen loco migrat. Gorr. Alii aliter: quod medium inter durum & liquidum facile cedit, ſi premitur, non tamen ambit organon tangentis, ut cera, lutum. Cl. Dn. Sturm. *in Phyſ. novantiq. Compend. P. I. c.* 3. Prædicatur de variis, de cute, de pulſu, Gal. *de diff. pulſ. de piſcibus.* Vide *Malacion. Vina mollia* vocantur, quæ ſunt ſuavia, lenia, delicata, & opponuntur auſteris, generoſis, duris. Lind. *Ex. XVI.* §. 216. & *X.* §. 11. *Molle* etiam aliquando pro *Humido* uſurpatur, Hippocr. *l. de ſal. diæt. t.* 7. de morbis remiſſioribus 1. *aph.* 7. Dieter. *n.* 515. de ulceribus recentibus, Scrib. *n.* 201. Qualis vero morbus ſpecialis ſit *Mollities* apud Cœl. Aurelian. legatur Mercurial. *l.* 3. *V. L. c.* 14.

MALACOSARCOS, μαλακόσαρκος, dicitur, qui *habitu corporis molliori præditus* eſt. Gal. *l.* 9. *de S. F.* §. *Terra Samia.*

MALACOSTRACA, μαλακόστρακα, vocantur *Cruſtata*, *Cruſtacea*. Vide *Cruſta*. Gal. *l.* 2. *de Temp. c.* 6. & alibi.

MALACTICOS, μαλακτικὸς. Vide *Emolliens.*

MALACTOS, μαλακτὸς, dicitur de *mollificabili*, ſive quod molle fieri poteſt, v. g. quæ ſunt terrea concreta, beneficio liquoris fiunt μαλακτά. Gorr. *in def.*

MALAGMA, μάλαγμα, idem, quod *cataplaſma*; quamvis adhuc ſtrictiorem habeat ſignificationem, dum ſaltem cataplaſmata vim emolliendi habentia denotat, Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 1. Dieter. *n.* 514. Gorr. Rhod. *ad Scrib. n.* 82. *Malagma Mnaſæi* quale ſit medicamentum Topicum & e quibus conſtet, videatur apud Oribaſium *Tom.* 3. *Oper. nimirum l.* 4. *Euphoriſtor.* de

de locor. affector. curatione c. 123. *p.* 147. Chymicis *Malagma* vocatur maſſa ex auro & argento, cum emendato argento vivo, & exprimitur in corio pars argenti vivi, quæ perfluit, & qui relictus eſt globus, his ſalibus chryſocolla abdita obvolvitur teſtaceo in vaſe, & poſtea ignis gradibus diverſis liquatur. *Th. Chym. Vol.IV. p.* 390. *ſeq.* item *p.* 400. *ſeqq.*

MALANDRIA eſt Equorum morbi cujuſdam nomen, Gall. *Malandre*, nimirum fiſſura, vel ulcera rimoſa ſub poplite equorum, vernacule **die mauken**. Dicitur vero etiam de hominibus, eſtque ſpecies Elephantiaſis vel Lepræ, unde tali morbo laborantes Empirico Marcello *c.* 19. *p.* 130. vocantur *Malandrioſi.* Huc pertinet obſervatio, quam reperire licet in Miracul. S. Deſiderii Epiſc. Cadur. *c.* 12. ita ſe habens. Ecce adoleſcens quidam horrore cujuſdam morbi perfuſus, turgentium malandrorum copia maxima in faciem ſcabridam, & quibuſdam puſtulis obſeptam ædituo oſtendit.

MALASSO, μαλάσσω, *emollio*, mollio, dicitur & μαλθάσσω. Latine etiam *Malaxare* uſurpatur. Utitur & Hippocr. de remiſſione morborum *Coac. t.* 386. Foëſ. *d. l.*

MALAXATUS, *Malaxatio*, μαλακτὸς, μάλαξις. Vide *Malactos. Emollitio.*

MALAZISSATUS, dicitur, cui genitalia maſculina intus recluſa continentur. Alias *Emaſculatus*, vel *Mulieratus.* C. Rejes *C. El. q.* 57. *n.* 12.

MALEFICIUM, *Maleficus*, κακεργία, κακοῦργος, κακοτέχνης, idem, quod *Veneficium*, *Veneficus*; pertinent inter cauſſas morborum occultas, quando morbi inducuntur mala arte dæmoniaca, & à præſtigiatoribus, de quo argumento vide integram quæſtionem C. Rejes *C. El. q.* 28. *& q.* 97. *n.* 12. *ſeqq.* Meminit & Galen. 6. *in* 6. *Epid. t.* 5. Paracelſus vero *Maleficum* eſſe ſcribit, non præſtigiatorem, ſed quemlibet artis veræ ignarum deceptorem, qui mentiri non veretur verum artificem, & ſimulat veram peritiam, *l. de ſanctor. beneſ. & vindictis.* Quid Maleficium ſagittarium ſit, videatur in P. Ammann. *Irenic. p.* 212.

MALER, Arab. id eſt, *Sal.* Rul. & Iohnſ.

MALEROS, μαλερὸς, idem, quod μαλὸς, *exitioſus*, pravus, in ſpecie acris, tabificus, cauſticus, & corruptivus mollium corporum. Lind. *Ex. XIII* §. 269.

MALEVOLENTIA, Ἐπιχαιρεκακία. Vide *Epichærecacia.*

MALICORIUM, σίδιον, h. e. *Mali granati corium*, ſive aſperum putamen mali Punici exterius, uti vocatur à Scribon *n.* 234. Rhod. *in not. ad h. l.* adſtringendi ſpiſſandique vi pollet inſigni, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 153. Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 160.

MALIGNITAS, *Malignus*, κακοήθεια, κακοήθης, opponitur *Benigno*, de quo ſupra lit. B. ubi ſimul *Malignitas* deſcribitur. Vide & *Cacoethes.* Dieter. deſcripſit de morbis, qui non facile curationem admittunt, *Iatr. n.* 427. Ita & Linden. *Ex. XIII.* §. 268. *malignum* dixit, qui malitiæ opus peragit. Verum hæc ſunt nimis generalia. Imo dantur morbi etiam incurabiles, qui tamen proprie loquendo non recte dicuntur *Maligni. Malignitas* igitur proprie dicta eſt ſoboles latentis cacochymiæ peſſimæ, Linden. *Ex. VIII.* §. 57. & conſiſtit in peculiari humorum & liquorum ſpirituoſorum corruptione & diſſolutione, ſive putredine conjuncta cum nimia vitalium & animalium virium proſtratione; ſive corruptio illa à contagio, ſive ab intrinſeca cauſſa proveniat. Jung. *Exerc. noſtr. III. de Remor. purg.* §. 11. 12. Loca Hippocr. ubi vocabulo κακοήθης uſus, vide apud Foëſ. *p.* 301.

MALITIA, κακία, idem, quod *Vitioſitas*, proprie dicitur de moribus pravis hominum. Hanc *malitiam* rectiſſime Paracelſ. inter cauſſas peſtis refert *in Fragm. Med. ad T.* 3. *referendis. Malitiæ* ſemen in nobis eſſe docet Galen. *lib. quod animi mor. ſeq. temp. corp.*

MALLEABILITAS, ἐλατὸν, dicitur Spagyricis naturalis, vel artificialis diſpoſitio metallorum, ut malleo tractari poſſint, & opponitur fragilitati, vel friabilitati illorum. Jacob. le Mort *Metallurg. Contract. p.* 271.

MALLEOLUS, πτέρνα, nonnullis idem, quod *Talus*, σφυρὸν, quamvis hanc confuſionem improbet C. Hofmann. *com. ad Galen. LL. de V. P. n.* 165. Dicitur de extremitatibus Tibiæ & Fibulæ inferioribus verſus talum, quæ *Malleoli* dicuntur, Gal. *l. de oſſib. c.* 22. Barbari Cavillas, quaſi clavillas, à clavæ nodis, Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 14. §. 121. Dividuntur in *Interiorem* & *Exteriorem*, Barthol. *Anat. libell.* 4. *c.* 21. Ab his *malleolis* appellata fuit σφυρῖτις φλὲψ, *vena malleoli*, quæ in ſuppreſſione menſium aliiſque uteri affectibus olim commendata fuit, vulgo *Saphena* dicta. Gorr. & alii. Vide *Saphena.*

MALLEUS, σφῦρα, inſtrumentum notum, quo aliquid tunditur, etiam in Chirurgia uſitatum, uti patet ex Hildan. aliiſque Chirurgiæ ſcriptoribus. In Anatomia vero ob ſimilitudinem quandam *Malleus* dicitur oſſiculum illud, quod in aure interna adhæret proceſſu ſuo tympani membranæ pertinaciter, & caput ejus incudi articulatur. Barthol. *d. l. c.* 7.

MALOS, vide *Maleros.*

MALTA, *Maltum*, βύνη. Vide *Byne.*

MALTHA, *Malthe*, μάλθη, ceram ſignificat, præſertim molliorem. Galen. *in dict. Hippocr.* & Gorr.

MALTHACODES, μαλθακώδης, epitheton medicamentorum topicorum mollientium, cum oleo paratorum, quorum meminit Hippocr. *l. de ulcer. XII.* 16. *XIII.* 1. eorum uſum vero prohibet in ulceribus Galen. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 1. *fin.* ubi *Mollicina* vocantur Latine, h. e. *medicamenta generis oleoſi.*

MALTHACOS, μαλθακὸς, idem, quod μαλακὸς, *Mollis.* Vide *Malacos.*

MALTHACTICOS, μαλθακτικὸς, idem, quod μαλακτικὸς, *Emolliens.*

MAL-

MALTHAXIS, μάλθαξις, idem, quod μάλαξις, *Emollitio.*

MALTHEORUM, id eſt, *ſal gemmæ.* Ruland. & Iohnſon.

MALTHODES, μαλθώδης, idem, quod μαλθακώδης, vel μαλακτικὸς, *Emolliens*, Gal. *in Exeg. dict. Hippocr.*

MALVASIA, dicitur vinum generoſum, ſive *paſſum Creticum*, quod paratur in Candia, & more antiquo ex uvis in vite paſſis, vel contortis pediculis ac exemtis pampinis, vel conſperſis in ſuſpenſa crate pertenui gypſo, ſeptem dierum ſpatio comprimunt excipiuntque electiſſimum vinum, quod *Malvaſiam* dicunt; ex Andr. Baccio *Hiſt. Vinor. l.* 1. *c.* 9. Lind. *Ex. XI.* §. 104. Jul. Alex. vocat *Malviſium*, item *Marviſium*, & exiſtimat, idem eſſe cum *Arviſio* e Chio inſula, *not. in l.* 12. Galen. *meth. med. c.* 4. *& l. de bon. & mal. ſucc. c.* 12.

MALUM, ſubſtantivum, Gr. μῆλον, fructuum arboreorum nomen eſt, quorum diverſa genera vide in Botanicis. Dicitur etiam Latinis *Pomum.* Differt à *nuce*, quod hæc dura cooperiatur cortice, & intus latet, quod edendo eſt: *Malum* contrario ſe habeat modo, Lang. *l.* 1. *ep.* 67. Deinde etiam ſumitur pro *morbo*, vel re præter naturam, Gr. κακὸν, μαλὸν. In ſpecie *anxietas* cordis habetur pro *malo* maximo, eſtque rogus ſine flamma & ligno, Linden. *Ex. XIII.* §. 128. *Mala* etiam venuſte dicuntur ipſæ *partes affectæ*, Keuchen. *ad Sammonic. p.* 121. Ita Chirurgi in ſpecie vocant *malum mortuum* ſpeciem *lepræ* vel *ſcabiei* graviſſimæ, ita dictam, qua corpus nigrum & quaſi mortificatum apparet, cum livore ac nigredine, puſtulis cruſtoſis, nigris, fœdis, ſine ſanie, ſenſu ac dolore, in coxis præſertim & tibiis, cujus cauſſa hauddubie in ſanguinis & ſucci nutritii ſumma corruptione & νεκρώσει conſiſtit. Vid. Senn. *M. Pr. Pr. l.* 5. *p.* 1. *cap.* 27. *ad fin.* Stricte *Malum*, μῆλον, vocatur *Procidentia oculi*, ſi palpebras exceſſerit. Nic. Piſ. *de M. C. & C. l.* 1. *c.* 33. Vide *Melon. Malum* in adjectivo, Gr. κακὸν, πονηρὸν, frequentiſſime ponitur, pro ſigno *malo*, apud Hippocr. *in aphor. Coac. Prædict. aliiſque textibus.* Jung. Dieter. *n.* 428. & 710. *Malus* alias etiam de homine vitioſo dicitur; & opponitur viro bono, quæ ſignificatio ad moralem Philoſophiam ſpectat. Vide etiam *Melon.*

MAMMA, μαζὸς, μαστὸς, μασθὸς, τιτθὸς, eſt gemina carnoſa & glanduloſa in pectore ad utrumque latus eminentia ſive protuberantia ſemicircularis, in cujus medio *Papilla*, Gr. θηλὴ extuberat, quem ambit *circulus* quidam ſubniger, qui φῶς dicitur, gignendi lactis vim à natura habens, Gal. *l.* 1. *de ſan. tu. cap.* 7. & alibi. Verum glanduloſa illa ſubſtantia admodum varia eſt. Viris namque utpote calidioribus & ſiccioribus pene nulla, quemadmodum & valde puellis; Juvenculis compactior, & duriuſcula; Vetulis flaccida. Quibuſdam fœmellis grandiores ſunt *mammæ*, propterea, *mammoſæ*, μεγαλόμασθοι dictæ. *Mammarum* accuratam ſtructuram, hiſtoriam & uſum vide apud Anatomicos, præſertim Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 1. Junge Dieter. *n.* 520. & alios. Rariores obſervationes de *Mammis* vide *in Ephem. Nat. Cur. A. II. O.* 72. *& in Annotat.* C. Rejes *C. El. q.* 39. & 47. Vide infra *Trimammia.*

MAMMARIA *Vaſa*, h. e. arteriæ & venæ dicuntur, quæ ad mammas excurrunt & ab Anatomicis deſcribuntur.

MAMMILLA, idem, quod *Mamma. Mammillaris.* Vide *Maſtoides.*

MAMMILLARE, dicitur velum, quo mulieres mammas tegunt. Joſ. Laurent. *in Amalth. Onom.*

MANATI, nomen *Piſcis Cetacei*, Indorum quaſi manibus inſtructi, qui & bos vel vacca marina dicitur, cujus hiſtoriam & uſum vide apud Aldrov. *l.* 1. *de Cetaceis c.* 11. Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 77. Huic piſci ingentem eſſe affectum amicum erga homines, atteſtatur C. Rejes *C. El. q.* 45. *n.* 3.

MANBRUX, id eſt, *Argentum.* Rul. & Iohnſ.

MANCITAS, *Mancus*, κύλλωσις, κυλλὸς. Vide *Cyllos.* Sumitur tamen latius quoque de quocunque defectu alicujus membri organici, & ita idem ſignificat, quod *Mutilus*, Gr. πηρὸς. Pertinet ad morbos in numero deficiente. Vide *Peros.*

MANDIBULA, idem, quod *Maxilla*, γένυς, γνάθος; vide *Gena. Mandibularum liquor*, id eſt, oleum ex *Mandibulis.* Ruland. & Iohnſ. *Mandibularii* muſculi, Græc. μασσητῆρες, qui ſint, vide infra *Maſſeter.*

MANDUCATIO, Latinis aliquando late accipitur pro *Eſu* vel *Comeſtura.* Strictius vero idem eſt, quod *Maſticatio*, μάσησις, quæ efficitur, cum dentibus molaribus ſubjectum cibum ſolidiorem confringimus & conterimus. Unde & *Muſculi Manducatorii*, μασσητῆρες, quorum illa actio eſt propria, appellantur, Hippocr. 2. *de artic. c.* 6. De *manducatione* dicitur, quod ea, quæ dentibus carent, mandere non poſſint. Rhod. *in Lexic. Scribon.*

MANE, πρωὶ, ἕωθεν, ſtricte ſignificat illud diei tempus, dum poſt noctem præteritam dies ſequitur clarus, ſive quando lux matura & plena eſt. Verum Medicis *Mane* ſuam latitudinem habet, nempe quadrantem diei. Lind. *Ex. XVI.* §. 132.

MANES Paracelſo dicuntur *Fatum*, *Incantationes* & *Superſtitiones*, *lib.* 1. *de vita long. c.* 7. Alias etiam accipitur pro *genio.* C. Rejes C. *El. q.* 89. *n.* 3.

MANGANESE dicitur Cæſalpino *lib.* 3. *de metall. c.* 23. *Pſeudomagnes* vel *Magneſia lapis*, nimirum niger, qui miſtus vitrariæ maſſæ clariorem reddit, alienis coloribus ſublatis. Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 21.

MANGO, ἀνδραποδοκάπηλος, *mancipiorum venditor* olim dicebatur. His aliquoties Galenus etiam hanc functionem attribuit, quod illinitionem, picationem, & levem verberationem contra atrophiam corporis, & ad ſordes detergendas in cute præſtiterint, *l.* 1. *de Al. fac. cap.* 19. *l.* 14. *meth. med. cap.* 16. 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Artificium quoque illud cum remediis vocavit *Manganeiam*,

neiam, *μαγγανείαν*, *l.6. de S.F. in princ.* inter viliores & abjectas referens artes. Jung. Mercurial. *l.* 2. *V. L. c.* 1.

MANGONARIA, alias Rul. & Iohnſ. dicitur ars illa, qua grave quodque ſine negotio ſublevatur.

MANHEB, id eſt, *ſcoria*. Rul. & Iohnſ.

MANIA, *μανία*, *inſania*, furor Latin. dicitur. Vide *Furor*, *Delirium*, *Inſania*. Aliquando etiam *μανία* vocatur omne deſiderium atque ſtudium cujuſcunque rei. Linden. *Ex. X.* §. 208.

MANICA, *χειρὶς*, proprie ſignificat veſtimenti genus, quod manibus induitur. Quibus etiam progymnaſtas uſos eſſe ad frictionem, patet ex Gal. *l.* 3. *de ſan. tu. c.* 4. Dicitur & Latin. *Chirotheca*, *Manus involucrum*, *Manicium*, Rhod. *ad Scribon. n.* 16. *p.* 55. Pertinet & ad Chirurgica inſtrumenta v. g. in amputatione membrorum, de qua *manica* legatur Hildanus *l. de gangr. & ſphac. c.* 19. Per tranſlationem vero etiam vocab. tributum Coli cujuſdam ſpeciei, quæ *Manica Hippocratis* in Officinis dicitur. Fuit vero ex junceis vel ſparteis fiſcellis paratum, Rhod. *ad Scribon. n.* 271. Hodieque vero ex lana paratur oblonge ad pyramidis figuram, notante Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 38. Fornax etiam in Metallurgia, in qua æs ſeparatur à lapidibus & aliis, dicitur *Manica*, Fallop. *de Metall. ſ. foſſil. c.* 16. *Tom. I. p.* 313.

MANIFESTUS, *φανερὸς*, *δῆλος*. Vide *Deloo.* Ægritudines, earumque cauſſæ dicuntur *manifeſtæ*, quæ vel in ſenſus incurrunt, vel facile per ſigna & ratiocinationem indagantur & cognoſcuntur; quibus opponuntur *morbi occulti*, cum horum cauſſis latentibus.

MANIODES, *μανιώδης*, idem, quod *μανικὸς*, epitheton delirii vehementioris propter atræ bilis malignitatem furorem comitem habentis. Gal. *com.* 1. *in l.* 1. *Prorrh. t.* 10. Caſtell.

MANIPULUS, *ἄμαλλα*, *χειρόβολον*, ſignificat menſuram uſitatiſſimam ad herbas & folia, eſtque quantitas, quam manus tota complecti poteſt, atque unciæ dimidiæ fere reſpondere creditur, Morell. *Proleg. de form. remed.* quamvis hoc falſum eſſe examen per bilancem teſtabitur. Indicatur litera characteriſtica M in Receptis. Gal. meminit *δέσμης χειροπληθοῦς*, *faſciculi manipularis*, *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 13.

MANNA, *μάννα*, æquivocum eſt. 1. notat melleum ſuccum concretum, eſtque idem, quod *Aëromeli*, *Droſomeli*, mel aëreum, roſcidum. Eſtque mellis ſpecies non ignota veteribus, Dioſcoridi, Galeno, Plinio, ſed mellis nomina comprehenſa, ne quis ab Arabibus, (quibus *Tereniabin* vel *Terniabin* dicitur) primam cognitam proditamque putet. Vide Gal. locum *l.* 3. *de Al. fac. c.* 39. Eſt vero ros aëreus, condenſatus, qui ex aëre horis antelucanis tempore vergiliarum in ſummo æſtu decidit in folia arborum, plantas & campos, ſub forma granorum majorum, vel minorum, virtutem habens alvum blande movendi, aſperitatemque faucium leniendi. Ejus hiſtoriam vide prolixius apud *Caſtelli Lexic. Med.* Schroder. *l.* 4. *cl.* 4. *n.*446. Fr. Hofmann. *in clav. ad h.l.* Rolfink. *de purgant. ſect.* 9. *art.* 1. Lang. etiam exiſtimat, dici *Sacchar*, vel *Sal Indorum*, *l.* 2. *ep.*31. *Salivam* quoque *ſiderum* Rul. & Iohnſ. vocant. Doctiſſimus Rhodius duplicem *Mannam* conſtituit, unam, quæ in foliis arborum reperitur & colligitur, Venetis *Manna di foglio* dicta, propter pretium uſu rara, non tamen virtute præ altera præſtantior: Alteram quæ in caudice invenitur. De priore vero laudatus Autor exiſtimat & autoritate Caſauboni & Salmaſii nixus, illam eſſe Aëromeli, imo fortaſſis utramque, quod ſuo loco merito relinquo. II. Tribuitur *Thuris micis* concuſſu eliſis, quæ vocantur *Manna Thuris*. Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 4. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 2. *l.* 13. *M. M. c.* 5. alibi vero *Succuſſio* & *Pollen*, *ὑπόσεισμα* nuncupatur, 2. *de artic. t.* 44. Vide *Libanotos*; quamvis Dioſcor. *l.* 1. *c.* 83. & 84. *Mannam Thuris* à *polline* manifeſte diſtinguat. Vide Rhod. *ad Scribon. n.* 203. III. Chymici vocab. *Manna* aliis quoque remediis per tranſlationem attribuerunt. Ita legitur *Manna Magnetis* apud Libav. *l.* 8. *S. A. Ch. c.* 11. *Manna Guajacina*, id eſt, *Extractum. Alchym. Pharm. c.* 20. & ita aliis quoque *Extractis* applicari poteſt, *Manna Cœleſtis*, Quercet. *Pharm. reſtit. c.* 26. Schroder. *lib.* 2. *c.* 40. *Manna Solaris* ſive *Unicornu Solare*, Idem *l.* 3. *c.* 9. *Manna Martis*, *d. l. c.* 11. *Saturni*, *c.* 14. *Mercurii*, ſive ☿ *dulcis ſolaris cap.* 15. Extenditur quoque ad omnem dulcedinem ex re qualibet extractam, teſte Rul. & Iohnſ. *Manna vomitoriorum*, ſive *Sal Vitrioli*, Rolfink. *Chym. lib.*5. *ſect.*1. *art.*4. *c.* 3. *μαννώδης* apud Hipp. dicitur medicamentum ex thuris polline aut ejus granis & micis concuſſu eliſis, adſtringens, ſiccans & digerens. Legitur *l.* 7. *Epidem.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 396.

MANNUS, *μάννος*, *βυρρίχος*, idem, quod *Hinnulus*, pullus equinus. Keuch. *ad Samon. p.* 253.

MANSCHLACHT, eſt nomen morbi, cujus deſcriptionem cum curatione edidit Anton. Deuſingius *peculiari libello*; quemadmodum legitur in D. D. Merclini *Lindeno renovato p.* 64.

MANSIO, *μονὴ*, à verbo *μένω*, *maneo*, quid ſignificet, notum eſt. Sumitur etiam pro *quiete* partium muſculoſarum à ſua functione, Galen. *l. de rig. trem. & palpit. alibique.* Dieter. *n.* 534.

MANSORIUS, idem quod *Manducatorius*, *μασητήρ*. Vide *Maſſeter.*

MANTICE, *μαντικὴ*, ſtricte vocabatur olim *ars vaticinandi ex avibus*, ſive *augurium*, *οἰωνιστικὴ*. Et hujuſmodi vates *μάντεις* dicebantur, vel *οἰωνισταὶ*, ex Hipp. 1. *de R. V. I. A. t.* 16. Sed poſtmodo latius ſignificatio extenſa ad alias quoque artes, aliquid prædicentes, præſertim ad partem Medicinæ prognoſticam, teſte Galen. *in com. ad h. l.* Foëſ. *Oec. p.* 397. Vaticinia Paracelſica & Caballiſtica, quia de magia ſunt ſuſpecta & fallacia, merito vitanda. Feſtivam deſcriptionem *Vatis* ex Euripide vide apud Lang. *l.* 2. *ep.* 40.

MANTICHORA, μαντιχώρα, vocatur animal in India reperibile, quod triplicem habet dentium ſeriem, teſte Ariſtot. *l.* 2. *H. A. c.* 1. & ex hoc Fallop. *Expoſ. de Oſſib. c.* 16. *Tom.* I. *p.* 503.

MANTIS, μάντις, i. e. *Vates*, *Augur*. Vide *Mantice.*

MANUARIUS, ἐγχειρητικὸς, de arte Chirurgica & Chirurgis dicitur. Gal. *ad Thraſybul.*

MANUBRIUM, λαβὴ, κώπη, pertinet ad inſtrumenta Chirurgica, eſtque ea pars, quæ manu apprehenditur, & tenetur. Dicitur & *Anſa.* Oribaſ. *de Machinam.*

MANUCODIATA, nomen avis Indicæ, cujus proprium eſt, ut pedibus careat. Unde & ἄπους dici poteſt. Jul. Alex. *not. in Gal. lib.* 6. *de C. M. S. L. c.* 1. Dicitur & *Avis Paradiſi*, vel quod vulgo credatur in paradiſo terreſtri degere; vel ob eximiam corporis venuſtatem. Hujus hiſtoriam cum variis ſpeciebus, & uſu, vide in Aldrov. *l.* 12. *Ornithol. c.* 21. *ſeqq.*

MANUS, χεὶρ, quid notet, pueris etiam notum eſt. Eſt organon utiliſſimum, unde & Ariſtoteli ὄργανον πρὸ ὀργάνων, inſtrumentum inſtrumentorum dicta fuit, *l.* 4. *de P. An. cap.* 10. & Gal. Libros *de Uſ. part.* propterea à *Manus* expoſitione ordiri non dubitavit. Accipitur vero *Manus* bifariam: 1. pro toto illo, quod à ſcapulis dependet, & dividitur in *Brachium*, ſive *Humerum*, *Cubitum*, ſive *Ulnam*, & *Manum ſummam.* 2. pro *Manu extrema*, quæ etiam diſtinguitur in tres partes: *Carpum*, ſeu *Brachiale*; *Metacarpum*, ſive *Poſtbrachiale*, & *Digitos*. De ſingulis his vocabulis vide in Literis propriis initialibus. Alias *Manus* Hiſtoriam Anatomicam, præter Gal. & alios, lege apud Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 1. Per catachreſin etiam tribuitur *Rotulis Officinalibus* ſaccharatis cum & ſine margaritis, quæ vulgo vocantur *Manus Chriſti ſimplices & perlatæ*, de quibus vid. Diſpenſatoria. Ita le Mort hyperbolice Emplaſtrum aliquod vocavit *Manus Dei*, cujus deſcriptio extat in D. D. de Spina *Man. Ph. Ch. p.* 409. *Manum* factitiam Chirurgicam ex ferro parandam exhibet delineatam Paræus *Chirurg. l.* 22. *c.* 12. *Manus* mortui hominis contactu, vel frictione tollere ſtrumas, verrucas, & alios tumores, hodieque plures calculo ſuo comprobant Medici celeberrimi. Junge *Acta Philoſoph.* Oldenburgii *Ann.* 1666. *m. Majo.*

MANUTIGIUM, Gr. χειρα̃ψίαν, dici fricationem oculorum turbatorum manu factam, ſcribit Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 4. *p. m.* 287.

MARASMOS, μαρασμὸς, Lat. *Marcor*, item *Maraſmus*, dicitur corporis nimia *tabes*, ex ſiccitate nimia oborta. Eſt igitur Atrophiæ gradus ſummus. Cauſſa *marcoris* vera eſt defectus ſucci nutritii nimius, qui oriri poteſt vel citra febrem ob ſanguinis impuritatem ſalinam, ſeroſam; purulentam; vel cum febre, ob ſanguinis efferveſcentis colliquationem. Febris Hecticæ ſummus gradus vocatur *Maraſmodes*, μαρασμώδης, de qua vide Sylv. *l.* 1. *P. M. c.* 32. Dantur etiam gradus & ſpecies *maraſmi*, dum alius eſt quaſi ſecundum naturam, uti Senilis, alius præter naturam, & quidem alius περιφρυγὴς, *comburens*, alius συγκοπώδης, cum animi deliquio conjunctus, Foëſ. *p.* 397. Extreme *conſummatus Maraſmus* eſt, quando omnes corporis partes ſolidæ ſimul macreſcunt, ita ut totus homo nihil aliud eſſe videatur, quam oſſa & cutis; in ventre nulla inteſtina ineſſe credas, contracta præcordia, collapſa tempora, atque cava &c. Caſtell. Plura videantur in Gal. *l. de marcore* & alibi, quærantur *in Theatro* Mundellæ. In Latina verſione etiam occurrit *Maraſmatus*, h. e. qui *maraſmo* laborat.

MARASSO, μαράσσω, *ſtrepo*, Erotian. *Onom. pag.* 75. *F.*

MARATHRUM, Fœniculum. Dodon.

MARCASITA, eſt materia metallica immatura tot ſpecierum, quot ſolidorum metallorum, ut aurea, argentea, ſtannea, ferrea, plumbea, & cuprea, quæ poſtrema pyrites & lapis luminis vocatur, pyrſotocus, lapis ærarius, rubeo ſcatens ſulphure, & ſcintillas ex chalybe multas excutiens. *Marcaſita plumbea* eſt *Antimonium. Marcaſita alba*, i. e. *Biſmuthum*, Rul. & Iohnſon. Schroder. vero ita deſcripſit: *Marcaſita* eſt πρόπλωμα metallicum in generatione metalli, ex portione aliqua ad generationem metalli inepta productum, inque corpus minerale albicans, durum, ac fragile mutatum, *l.* 3. *cap.* 18. ubi etiam præparationes, uſum & vires explicat. Jung. Fr. Hofm. *in clav.* Vide & Libav. *S. A. Ch. l.* 2. *c.* 24. Scribitur & aliquando *Marchaſita*, *Margaſita*, *Markaſita.* Vide etiam ſupra *Biſmuthum.* Nonnulli reſtringunt, inter quos etiam D. D. Etmüllerus fuit, dicentes Marcaſitam eſſe in radice ſua minerale venereo-argenteum nondum perfecte maturatum & Arſenicali ſubſtantia impregnatum, atque hac ratione validum venenum. Merito igitur medicamenta Chymica ad internos uſus, quæ hodierni artifices e *Marcaſita* promittunt, pro ſuſpectis habenda cum D. Ludovici *Diſſ. I. Pharm. pag.* 753. De *Marcaſitarum* multifaria natura videatur & Rob. Boyle, *tr. de poroſ. corp. ſolid. c.* 6. *p.* 89.

MARCELLIUM, μαρκέλλιον, nomen medicamenti ad perniones apud Æginetam *l.* 3. *c.* 79. Legitur in Indice *Marcellius thronus*, ſed in allegato loco non occurrit.

MARCHED, id eſt, *Lithargyrium.* Ruland. Iohnſ.

MARCIATON, μαρκίατον, nomen eſt malagmatis, vel linimenti, ad articulorum dolores & reſolutiones comparati, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 18. Occurrit & hodieque deſcriptio *Unguenti Marciati* in Diſpenſatoriis.

MARCOR, *Marcidus*, μαρασμὸς. Vide *Maraſmos.*

MARDEK, eſt terminus Spagyricus obſcurus, ita ut ex contextu non certo conſtet, qualis minera denotetur. *Turb. Philoſ. ſerm.* 12. *in Th. Chym. Vol. V. pag.* 10. An *Martech*? Vide infra.

MARE,

MARE, θάλασσα, πέλαγος, quid vulgo ſignificet, ex alüs quoque Lexicis & Dictionariis conſtat. Vocatur à Paracelſ. *mater aquarum*, Paramir. *l.* 4. Appellatur & *Lachryma Saturni*, & quintum elementum, eſtque nihil aliud, quam Sal diſſolutus, *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 122. *ſeq.* Ejus conſideratio varia in Medicina eſt, v. g. *Aquæ marinæ*, cujus multiplex uſus eſt ad morbos, teſte Hipp. *de humid. uſu VII.* 1. *ſeqq.* Dioſc. *l.* 5. *c.* 19. Scribon. *n.* 43. 160. *cum not. Rhodii p.* 86. Mercurial. *l.* 2. *V.* L. *c.* 26. *fin.* In ſpecie *mare* ad curationem dementiæ facere, vult Helmont. *tr. Dem.* Id. *n.* 47. Deinde *Loca maritima* faciunt ad diſpoſitiones latentes morboſas, præſertim Scorbutum, Senn. & alii *h. tit.* *Mare Chymicorum* dicitur ænigmatice Caput humidum, cujus natura eſt calida & ſicca, quo nihil calidius, *Th. Chym. Volum. V. p.* 90. Clarius vero explicatur à Libavio, dicente, quod *Mare* ſit *Mercurius Philoſophorum*, ex argento vivo, magno labore, & ſubtili induſtria extractus & elaboratus, ex una radice duplex, jamque auro naturæ fixo informatus, *tr. Ign. Nat. cap.* 13. & alibi: *Mare* eſt aqua ſecunda, quæ fit ex Elixire imperfecto, & aqua prima, per quam ſolvitur aurum & argentum; qui liquor vocatur Philoſophorum Mercurius, & dicitur regi radiis Solis & Lunæ. In hoc *mari* monſtrant piſciculum *Echenein*, id eſt, granum, & principium fixum prolificum, quod poſſit gignere ſui ſimile, *in Apoc. Herm. Part. poſt. T. II. Oper. pag* 441. 442.

MARGA, eſt portio quædam pinguis, & quaſi medulla in ſaxis nonnullis, dum franguntur, reperta, unde & *Medulla ſaxorum* dici ſolet. Vim habet ſiccandi, Schroder. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 5. Ejus varias ſpecies recenſet Rul. *in Lex.* Pertinet ab Bolos, ſive Terras ſigillatas.

MARGARITA, μάργαρον, μαργαρίτης λίθος, alias *Perla*, *Unio*, dicitur de gemmis, & lapidibus pretioſis rotundis, vel ad rotunditatem vergentibus, in conchis nonnullis (quæ propterea *margaritiferæ*, & *mater perlarum* dicuntur) repertis. Diſtinguuntur in *orientales*, & *occidentales*, quarum illæ his nobiliores cenſentur. Tribuitur illis unanimiter inſignis virtus cordialis, & corroborans balſamum vitalem; quarum hiſtoriam cum uſu vide apud Schroder. *l.* 3. *cap.* 7. & Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Eph. N. C. *An. II. Obſ.* 228. Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 41. 42. Earum tamen virtutem cordialem ſpecificam & aliis excellentiorem non ſine ratione impugnavit etiam Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. I. Sect.* 4. *cap.* 8. *p.* 315. *ſeq.* quamvis omnis vis Medica denegari illis haud poſſit ob particulas ſubtiles alcalinas terreas acido - volatili imprægnatas. Vide *Perla.*

MARGOS, μάργος, ſignificat *inſanum*. Unde γαστρίμαργοι dicuntur, qui ventre inſaniunt. Linden. *Ex. XI.* §. 126.

MARILE, μαρίλη, dicitur pulvis carbonum, ſive eorum ramentum, præſertim prunarum accenſarum, h. e. *favilla*, ſive igniculus, & fomes ſub cineribus latens. Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXIV.* 28. Plenius exponit Erotianus.

MARIS, μάρις, vocatur menſura decem Charoum Atticorum, vel librarum 83. cum unciis quatuor. Lind. *Ex. X.* §. 227.

MARISCA, vide *Ficus.*

MARITUS, ἀκοίτης, γαμέτης, quemadmodum vocabuli *conjugium* ſignificatio parabolica ſeu tropica ſaltem ad Chymiam tranſlata; ita & vocis *Maritus*. Denotat enim in negotio Lapidis Philoſophici *Sulphur*, cujus mulier, vel *uxor* eſt *Mercurius*, qui à ſuo conjuge facili negotio imprægnatur. *Th. Ch. Vol. IV. pag.* 179. Vide *Conjugatio.*

MARMARYGE, μαρμαρυγή, vocatur ſplendor oculis obverſans, incertus, & diſcurrens *lucis ſplendor*, aut *fulgor*, ante oculos coruſcans. Legitur apud Hippocr. *ſ.* 3. *Progn. t.* 33. *l.* 7. *Ep. XXV.* 8. 15. *in Epiſt. ad Philopœmenem*, *num.* 21. Hinc & oculi vocantur ὄμματα μαρμαρυγώδεα, *ſplendore corruſcantes*, *ſ.* 2. *de R. V. I. A. t.* 45. item ὀφθαλμὸς μαρμαρυγώδης. *l. de L. I. Hum. XXIII.* 8. Objectum etiam ſplendidum oculis obverſans dicitur μαρμαρυγῶδές τι, 2. *prorrh. XLI.* 3.

MARMELADA, terminus eſt Pharmaceuticus, denotans ſpeciem *Gelatinæ Cydoniorum*, qua ſimplicis, qua compoſitæ, & aromatibus conditæ, variis coloribus exornatæ, Schroder. *l.* 2. *c.* 62. *in fin.* Compoſitarum formulas plures vide in Hadr. à Mynſicht. *Armam. Medico-Chym. ſect.* 12.

MARMOR, μάρμαρος, lapis dicitur inſigniter purus, & admodum durus, & ad ſplendorem ſuſcipiendum, ſi poliatur, ita aptus, ut ſtatuæ & columnæ nitentes inde ſculpi poſſint. Suntque ejus genera varia, quæ prolixe recenſet Rul. *in Lex.* Verum cum non omnia ad uſum ſpectent Medicum, ſufficit eorum meminiſſe, quæ in Medicina locum invenerunt; ut ſunt, *Marmor candidum*, ſive *Alabaſtrites*, *Rubrum*, *Nigrum*, ſive *Lapis Lydius*, *Variegatum*, ut *Porphyrites*, *Ophites*, de quibus ſingulis ſigillatim ſub literis ſuis initialibus. Jung. Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 14. De Arcano *Marmora* colorandi non ſolum ſuperficialiter, ſed & profundius diſſeruit ingenioſiſſimus Rob. Boyle, indeque probavit illorum poroſitatem, *tr. de poroſ. corp. ſolid. cap.* 6. *p. m.* 90. *ſeqq.*

MARMORATA vocantur excrementa aurium, *Cerumina* dicta, Græc. κυψελίδες, Charlton. *Exerc. Pathol. IX.* §. 18. Notavit hoc etiam olim Foëſ. *ad Hipp. l.* 6. *Ep. ſ.* 6. *t.* 18. Poſſet denominationis ſimilitudo peti, quod Varro *l.* 3. *de R. R. marmoratum* dixerit pro eo, quod e marmore, luto & calce factum.

MARMOREUS *Tartarus* vocatur lapis in homine duriſſimus, ut Marmor, Rul. & Iohnſon. *Marmoracei veneni*, quod adeo ingentis & repentinæ fuit effi-

 caciæ,

caciæ, ut ſolo tritici grani pondere momento hominem necaret, meminit C. Rejes *C. El. q.* 64. *n.* 2.

MARMOTA vocatur *Mus Alpinus*, cujus deſcriptionem, cum uſu in cibis & medicina tradidit Aldrov. *de quadr. dig. vivip. l.* 2. *c.* 34.

MAROCOSTINUM, epitheton *Extracti*, vel Maſſæ *pilularum* D. Mindereri, à *Maro* & *Caſto* ita dictarum, quas *peculiari tractatu* Aloëdarium dicto laudavit. Vid. *Diſpenſat. & Animadverſ.* D. Zwolferi. Approbat Hildan. *Cent.* 6. *O.* 29.

MAROGUS vocatur Paracelſo ſomniferum & narcoticum quoddam fortiſſimum, ita ut aliquis ſuſtinere poſſet graviſſimam torturam. *Philoſoph. Tract.* 5. *in fine.*

MARS, ἄρης, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat *Planetam*, qui habetur ſumme calidus atque ſiccus. Hinc & homines cholerici, ſive bilioſi *Martiales* dicuntur, & morbi quoque *Martiales*, ubi bilioſus ſanguis potiſſimum peccat. Hinc & à Paracelſo Bilis vocatur *Mars*, *Paramir. Tr.* 3. *cap.* 7. & *Paragran. de Aſtronomia.* Vel idem eſt, quod *Ferrum*, *Chalybs.* Vide *Ferrum.* Ruland. *Theatr. Chymic.* Libav. *aliique.*

MARSIPPON, *Marſypion*, μαρσίππιον, μαρσύπιον, dicitur *marſupium*, vel *ſacculus*, quo aliqua pars fovetur, aut tegitur. Legitur apud Hippocr. *l. de fiſtul. VII.* 2. Galen. *c.* 6. *in* 6. *Epid. t.* 5. Dicitur & μάρσυπος. Foëſ. *p.* 398. *Marſupiale Americanum* quale ſit animal, exoticum, quod Aldrovando *Semivulpa*, & *Vulpi-Simia* vocatur, e Virginia Londinum tranſlatum deſcripſiſſe ejuſque Anatomen accuratam exhibuiſſe D. Eduardum Tyſon Collegii Medici & Societatis Regiæ ſocium legitur *in Actis Erudit. Lipſ. A.* 1698. *m. Septembr. p.* 407. *ſeqq.*

MARSUM, *Marſicum*, μάρσος, epitheton vini, quod colligitur in Marſia, regiuncula Italiæ, ultra Picenum, Samnites verſus. Cenſetur autem valde auſterum & acerbum. Gorr. Scribon. propterea ad adſtringendum in gingivis laxis, & dentium vacillatione commendavit, *n.* 57. Jung. Rhod. *not. ad h. l. p.* 100. Videatur & Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 1. *& l.* 1. *de Antidot. cap.* 3.

MARTACH, vel *Martath*, eſt *Lithargyrium.* Rul. & Iohnſon.

MARTAGON eſt nomen plantæ, *Lilium montanum* dictæ, de qua videantur Botanici; quæ etiam vernacule *radicis aureæ* nomine venit. Hinc Chymici tranſtulerunt ad materiam *Lapidis* Philoſophici, quam *Martagon* appellarunt, uti patet ex *Th. Chym. Vol. I. p.* 512.

MARTECH, *Mardech*, eſt nomen Argenti vivi, ex Cambar ſublimati, *cum album* eſt factum. Vocatur & *Plumbum ex Ebmich*, *Magneſia*, *Æs album.* Th. Chym. *Vol. IV. pag.* 728. Fallop. ſcribit eſſe *Lythargyrium. l. de Metall. & Foſſil. cap.* 27. *Tom. I. p.* 328.

MARTES, nomen eſt animalis quadrupedis, digitati, vivipari, cujus deſcriptio cum uſu habetur apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 18.

MARTIANUM pomum apud Sueton. *in Domitiano* eſt Aurantium. Ian. Cornar. in Galen. *de comp. med. l.* 2. *c.* 1.

MARTIUS dicitur 1. menſis, in quo æquinoctium vernum eſſe ſolet. 2. de confectione gratiſſima polytropha, quæ *Martius Panis*, *Marcipanis*, *Maſſapanis* etiam vocatur, Jul. Alex. *l.* 20. *Sal. c.* 16. Morell. *de form. rem. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 3.

MARUCHOLEUM *metallum*, idem. Rul. Iohnſ.

MAS, *Maſculus*, ἄῤῥην, vel ἄρσην, nomen ſexus, differentiam denotans, cui opponitur θῆλυ, *fœmina.* Ratio differentiæ potiſſimum in hoc conſiſtit, quod *Mas* in alio gignat, fœmina in ſe ipſa. Eſt etiam *maſculus* plerumque calidior, ſanguinis plenior & ſolidior fœmina, Hippocr. 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 46. Galen. *in comm.* Quod vero *mares* ordinarie in dextra uteri regione concipiantur, nondum eſt certo demonſtratum. Uſurpatur alias nomen quoque hoc de plantis apud Theophraſtum. A Spagyricis in negotio lapidis Philoſophici interdum Mercurio tribuitur hoc epitheton. Ita Rul. & Iohnſon. *Maſculus*, id eſt, *argentum vivum.* Iung. *Th. Chym. Vol. IV. p.* 891. interdum Sulphuri, vide *Maritus.* Libav. *Apoc. Herm. P. poſt. Tr. II. Oper. p.* 353. 357. 413. *ſeq.* Ita ſibimetipſis non conſtant in nugacibus his ænigmatibus.

MASCA, Longobardis idem, quod *Strix*, Keuchen. *not. ad Sammon. p.* 289.

MASCHALE, μασχάλη. Vide *Ala*, *Axilla*, μασχαλιαῖος, *Axillaris*, epitheton venæ. Gorr.

MASCHALISTER, μασχαλιστὴρ, ſic vocatur à quibuſdam *ſecunda vertebra dorſi*, quæ τῇ λοφίᾳ ſubeſt, Gorr. Confirmat Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 14. §. 33.

MASCULINITAS, apud Avicenn. dicitur conceptio maſculæ prolis, & talis fœmina *maſculinans*, vel *maſculinitans*: quemadmodum *fœminitas* vocatur conceptio ſobolis fœmininæ, & mulier *fœminans*, *l.* 3. *fen.* 21. *tr.* 1. *c.* 12. *ſeqq.*

MASLACH, medicamentum Turcis familiare, ex opio paratum, quod & Anſion vel Amphion vocatur, cujus drachmam unam, imo quandoque duas & tres innoxie devorant, cum ad Venerem, tum ad animoſitatem excitandam in prælium ituri, uti notavit ex aliis C. Rejes *C. El. q.* 43. *n.* 6. *& q.* 63. *n.* 3.

MASSA, proprie idem, quod *Maza*, μάζα, (quamvis & *Maſſa*, à μάσσω, miſceo, pinſo, deduci commode poſſit,) olim ſtrictius ſumebatur de mixta farina hordei cum humore aliquo, præſertim aqua & oleo, ceu cibo plebejo & vulgari, qui crudus cum defruto aut melle mandebatur, uti ſcribit Aëtius. Meminit hujus cibi aliquoties Hipp. *l. de vet. med. VIII.* 8. *XIII.* 3. *XIV.* 19. *l.* 2. *de diæt. VIII.* 8. *ſeqq. ſ.* 2. *de nat. hum. t.* 3. *de ſal. diæt. t.* 3. *l. de int. aff. XLIV.* 20. *XLV.* 14. *l. de Cap. vuln. XIX.* 6. *XX.* 6. *l.* 2. *Epid. ſ. V.* 39. *l.* 5.

XII. 4. *l.* 6. *ſect.* 3. *t.* 2. *lib.* 7. *XXXIII.* 12. & exponit plenius Erotianus, cum quo jung. Foëſ. *pag.* 393. Lind. *Ex. XVI.* §. 150. Hodieque vero latius quoque accipitur pro omni miſto, quicquid in unum veluti cumulum denſatum ſpiſſumque cogitur, teſte Jul. Alex. *l.* 8. *Salubr. c.* 9. Latine *Offa* dicitur. Imo nonnulli haud dubitarunt, de ipſo liquore ſanguinis in vaſis contento uſurpare, vocantes *Maſſam ſanguineam*; quamvis alii ſint, qui hanc catachreſin improbent. *Maſſa* enim in genere Phyſice accepta eſt contradiſtinctum quid liquori, quando ſcil. particulæ alicujus corporis uncinis veluti inter ſe connexæ vel immotæ omnino ſunt, vel ſaltem parvo motu cientur, ut ſeparari non poſſit, uti haud male deſcripſit D. de Cordemoy *Diſſ. I. Phyſ. p. m.* 3. Μάζιον diminutivum eſt, & *mazam* vel *maſſam parvam* ſignificat. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. CVI.* 10. *Maſſa* quoque carnea idem, quod *Excreſcentia* legitur apud Hildan. *Cent. VI. Obſ.* 1. *Maſſa* Cumia, nitrum factum de plumbo, vel aqua nitri, qua vaſa terrea inducuntur. Matth. in Dioſcor. *lib.* 5. *c.* 46.

MASSALIOTICON, (vitioſe *Maſſilioticon*) μασσαλιωτικὸν, nomen emplaſtri, ab autore *Demoſthene Maſſaliota*, quod commendatur ad carbunculos à Galen. *l.* 5. *de C. M. P. G. cap.* 15. Deſcribitur & ab Æginet. *l.* 7. *c.* 13.

MASSALIS, *Moſel*, *maſſarium*, *mater*, i. e. *Mercurius.* Rul. Iohnſ.

MASSETER, μασσητὴρ, i. e. *Manſorius*, *Manducatorius.* Epitheton muſculorum maxillam circumagentium bicipitum, & triangularium, quorum meminit Hippocr. 2. *de artic. t.* 6. Galen. *l.* 4. *Anat. adm. c.* 2. Deſcripſit eos Barthol. *l.* 3. *Anat. cap.* 11. *p.* 535. Dicitur & *Mandibularis.*

MASSO, μάσσω, ſubigo, *pinſo.* Dicitur & μάττω. Compoſ. ἐκμάσσω etiam *exprimo* ſignificat. Hippocr. *l.* 2. *de morb. XIV.* 28. Significat μάσσω etiam *tango*, contrecto. Unde ἐσμασσάμενος, i. e. intus contrectans, & manu explorans, legitur 3. *de artic.* 47. Vid. Galen. *in com.* Jung. Foëſ. *p.* 399.

MASTHLES, *Maſthle*, μάσθλης, μάσθλη, ſignificat *corium*, *pellem.* Hipp. *l.* 2. *de morb. LVII.* 8.

MASTICATIO, μάσησις, idem, quod *manducatio*, videlicet cibi commanſio, ſive comminutio in ore facta, imprimis linguæ auxilio cibum in ore pro arbitrio noſtro, quo volumus, impellentis. Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 10. ubi τὸ μασσᾶσθαι vocat. Adde Jul. Alex. *in not. ad h. l. Maſticationis* neceſſitatem demonſtratam vide apud C. Hofmann. *Comm. ad Gal. LL. de V. P. n.* 793. & Helmont. *tr. victus ratio*, *n.* 21.

MASTICATORIUM, μάσημα, διαμάσημα, eſt ſpecies *Apophlegmatiſmi ſicci*, quæ dentibus *maſticatur*, de qua vide Schroder. *l.* 2. *c.* 68. Morell. *l.* 2. *de form. rem. ſ.* 2. *c.* 6. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 6. *ſ.* 4. *cap.* 3. *& ſeqq. Maſticatorium* uſum in aurium affectibus laudat Bartholin. *l.* 3. *An. c.* 9.

MASTICHE, μαστίχη, *reſina lentiſcina*, ῥητίνη σχινίνη, eſt gummi reſinoſum citrino album, pellucidum, granulatum, bene olens, ex lentiſco arbore, præſertim in Chio Inſula extillans. De hujus facultatibus vide Galen. *l.* 7. *de S. Fac. h. tit.* Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *num.* 391. Fr. Hofmann. *in clav. ad h. l. pag.* 586. *ſeqq.* Rhod. *ad Scribon. num.* 60. Vocatur & *Lentiſci lachryma.* Keuchen. *ad Sammonic. p.* 127. Latine etiam uſurpatur *Maſtix.* In Officinis laudatur pro ſingulari ſtomachico *Aqua Maſtichina.*

MASTICHELÆON, μαστιχέλαιον, i. e. *Oleum Maſtichinum*, de quo Dioſcor. *l.* 1. *c.* 51.

MASTICOT, eſt impropria cujuſmodi calx, præter Minium & Ceruſſam, ex Billichio, Iohnſon. *Lexic. Chym. II.* Helmont. dicit *Maſticot* vocari flavum colorem, quem ſtannum præbet pictoribus, *de lithiaſ. cap.* 1. *n.* 9.

MASTOIDES, μαστοειδὴς, *mammillaris*, vel potius *papilli-aut mamilli-formis.* Eſt 1. Epitheton proceſſus, ſive *apophyſeos oſſis temporalis*, papillis mammarum, præſertim vaccinarum ſimilis; de quo vide Bartholin. *libell.* 4. *An. cap.* 6. *pag.* 711. unde par etiam Muſculorum caput flectentium, quod in illum *Mammillarem proceſſum* inſeritur, dicitur *Maſtoideum.* Id. *lib.* 4. *c.* 5. *p.* 567. Deinde tribuitur proceſſibus *nervorum olfactoriorum*, quos deſcripſit Idem, *libell.* 3. *c.* 2. *p.* 671. Dicuntur & à quibuſdam *Cornua uteri* proceſſus *mamillares* ob ſimilitudinem, quam habent cum mammis. Gorr.

MASTOS, μαστὸς. Vide *Mamma.*

MASTRUPATIO, item *Manſtrupatio*, vocatur illicita, & Chriſtiano homine indigna titillatio genitalium, & projectio ſeminis. Vocatur & *Mollities*, de qua videatur Foreſt. *l.* 26. *Obſ.* 16. *in Schol.* & Tim. à Guldenklee *l.* 3. *caſ.* 49.

MASUCHA, μασουχᾶ, *Maſuaphion*, μασουάφιον, nomina medicamenti Synonyma, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 23.

MATALISTA eſt nomen tertiæ ſpeciei Gialappæ ſive Jalapii, vel Mechoacannæ, quam Indi Matbaliztic nuncupant, de qua legi poteſt D. D. Wedelius *Amœn. Med. l.* 11. *ſect.* 1. *c.* 5. *p.* 248.

MATALITIUM, idem, quod *Stragula*, ad dormiendum uſitata. Foreſt. *d. l. Obſerv.* 14. *in Schol.*

MATER, μήτηρ, vocabuli hujus ſignificatio propria notiſſima eſt, quando ſignificat fœminam, quæ enixa eſt prolem, eamque nutriit. Tranſlatum tamen ad varias Medicinæ partes hoc vocabulum, v. g. ad Botanicam, quando *Artemiſia* dicitur *Mater herbarum*, Lobel & Schroder. Ad Anatomiam, quando membranæ cerebrum inveſtientes, exterior quidem craſſior, vocatur *Mater dura*: interior tenuis, & in anfractus ſubſtantiæ cerebri ſeſe inſinuans, appellatur *Pia Mater.* Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 2. Relationem

hujus appellationis geminam veroſimilem vide in D. D. Hofm. *Diſſ. Anat. ad l. van Horne Microcoſm. p.* 186. Ad Pharmaciam; dum *Concha Margaritifera* vocatur *Mater Perlarum.* Vide *Concha Margarita*, Schroder. *l.* 5. *cl.* 8. *num.* 73. Ad Chymiam & Spagyriam, dum *Mater* dicitur *metallorum Argentum vivum.* Ruland. & Iohnſ. Hinc & *Aqua Mercurialis*, quæ omnia metalla in materiam primam reducit, vocatur *Mater Aquæ vitæ*, Libav. *S. Ch. l.* 7. *c.* 8. *& Apoc. Hermet. Part. poſt. T. II. Oper. p.* 332. *Luna* quoque vocatur Chymicis *Mater*, quemadmodum *Sol Pater.* Theatr. Chymic. *Vol. I. p.* 201. *Vol. IV. pag.* 719. 721. 733. 737.

MATERIA, ὕλη. Vide *Hyle.* Dicitur & *Materies.* Rhod. *in Lex. Scribon.*

MATERIALISTA vocatur *Mercator*, qui *materiam Medicam*, præſertim ſimplicia, vendit. Fere idem, quod *Seplaſiarius.* Dieter. *p.* 934.

MATERIATURA terminus eſt barbarus fictus à Gardiano in diviſione morborum receptus, dum morbos alios *materiaturæ*, alios ſtructuræ, alios utriuſque dixit, teſte Plempio *Fundam. medicinæ l.* 4. *c.* 3. Haud dubie vero per morbos *materiaturæ* intellexit morbos intemperiei. Vid. *Dogmata noſtra Med. Gener. Part. II. c.* 3. *dogm. I. in not.*

MATHEDORAM, id eſt, Sal gemmæ. Ruland. & Iohnſ.

MATHEMA, μάθημα, *Matheſis*, μάθησις, late ſignificat omnem Diſciplinam. Stricte dicitur de diverſis diſciplinis, dum comprehendit *Arithmeticam*, *Geometriam*, *Geomantiam*, *Aſtronomiam*, *Phyſiognomiam*, *Chiromantiam*, *Opticam*, *Architectonicam*, &c. Gal. *libr. de cujuſque anim. peccat. notit. & medela c.* 2. *&* 3. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Parac. aliam finxit diſtinctionem in *Mathematicam Elementalem*, vel *Elementatam*, quæ habet ſubjectum corpus viſibile & palpabile; & in *Sydeream*, vel *Adeptam*, cujus ſubjectum eſt corpus viſibile quidem, ſed non tangibile, quale eſt Sol, aut Luna in aqua apparens. *Philoſ. Sagac. l.* 1. *c.* 8.

MATORIUM eſt *Ammoniacum*, vel *Galbanum.* Iohnſ. *Lex. l.* 2.

MATOS, μάτος, idem, quod ζήτησις, *quæſtio.* Erotian. *Onom. p.* 74. B. Galen. *in expoſ. voc. Hipp.*

MATRACIUM ſignificat Vas ad liquorem aliquem, vel aquam excipiendam utile. Willis uſus eſt pro Matula, *in Exerc. de Urinis.* Blancard. deſcripſit per ſacculum, cui ineſt Tartarus calcinatus, vel aliud quid, qui etiam interpungitur in modum crucis, ut liquores inde in cella humida reſolvantur, *in Lex.* A. Beguino *Matracium* etiam uſurpatur pro *Cucurbita.*

MATRIMONIUM, συζυγία, idem, quod *Conjugium*, *Connubium.* Vide ſupra *Conjugium.*

MATRIX, μήτρη, proprie idem eſt, quod ὑστέρα, *Uterus.* Vide *Hyſtera.* Chymicis *Matrices omnium rerum* dicuntur *Elementa.* Rul. Iohnſ. Paracelſus tres *matrices* conſtituit: unam *aquam*, ſuper qua Spiritus Dei quievit: Alteram *matricem mundi*, & *Adæ*; & Tertiam *matricem omnium hominum* Evam, *Paramir. l.* 3. *de orig. morb. matric. item tr. de Caduco Matricis*, ubi *Uterum muliebrem* vocat *mundum parvum.* Denotat igitur Chymicis *matrix* id, in quo corpora naturalia primum oriuntur, foventur, & incrementum capiunt, perficiunturque. Libav. *T. IV. oper. p.* 175. ex quo loco etiam patet, *matrices* dividi poſſe in *nativas* & *peregrinas.* Accipitur ab iiſdem etiam pro *vaſe* vel *ovo Philoſophico*, in quo operationes lapidis Philoſophici parandi perficiuntur, de quo vide *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 506. Partem quoque mediam ſtirpium poſt corticem & lignum tertiam *matricem* vocari, aliis vero cor, aliis medullam, ſcribit Joh. Coſtæus *de nat. ſtirp. l.* 1. *c.* 8. *p. m.* 40.

MATTO, μάττω, μάττομαι, idem quod ζητέω, *quæro*, unde ἐσμάττεσθαι, *inquirere*, *inveſtigare* ſignificat, quo verbo aliquoties uſus Hipp. 2. *de art. t.* 27. *&* 47. *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 24. Ita & καταμάττεσθαι idem notat, *l. de int. aff. VII.* 26. *XXX.* 37. Junge Foëſ. *pag.* 399. Alias & μάττειν pro μάσσειν ponitur, & ſignificat *pinſere*, miſcere. Linden. *Ex. XVI.* § 149.

MATULA, ἀμὶς, *Matella*, ſignificat vas urinarium, in quod urina mittitur. Pro inſpectione urinæ debet eſſe vitreum & purum. Meminit Galen. *l.* 1. *de diff. reſp. c.* 12.

MATURATIO, πεπασμὸς, πέπανσις, proprie ſumitur de arborum fructibus, cum ex immaturitate maturitatem adepti ſunt. Per abuſionem vero de noſtris corporibus, cum humores excrementitii coacti fuerint. Erotian. *in Onom. p. m.* 87. D. Vide *notas* Euſtachii *ad h. l.* Differt à *coctione*, πέψει, quod hæc ſit alimentorum, illa vero ſuccis excrementitiis aut vitioſis tribuatur. Eſt enim πέπανσις, cum materia noxia morbum efficiens devicta eſt, ac ſuperata vi naturæ, ut ad exeundum ſit habilis. Diet. *n.* 668. In hac ſignificatione ſæpe uſus Hipp. 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 72. *ſ.* 2. *t.* 44. 45. *l.* 6. *ſ.* 5. *t.* 6. Plura loca vide apud Foëſ. *pag.* 492. Medicamenta hujuſmodi *maturationem* promoventia vocantur *maturantia*, πεπαντικὰ, quo & in ſpecie *ſuppurantia*, ἐκπυϊσκοντα, pertinent, Gal. *c.* 2. *in* 6. *Epid. t.* 31. Hinc & Ruland. *maturativa* hoc ſenſu deſcripſit. Apud Chymicos *maturatio* eſt exaltatio e rudi cruditate ad *maturum* & perfectum. Eſtque quadruplex: *Digeſtio* & *Circulatio*, *Fermentatio* & *Projectio*, de quibus ſingulis ſuis in locis. Rul. & Iohnſ. De *Maturatione metallorum* & *Auro volatili* vide Theatr. Chymic. *Vol. IV. p.* 361.

MATURUS, πέπων, dicitur de omnibus, quæ ex coctione ſuam perfectionem acquiſiverunt, v. g. de fructibus, de humoribus, de excrementis. Hipp. 1. *aph.* 22. Jung. Dieter. *d. l.* Opponitur τῷ ὠμῷ, *crudo*, de quo ſupra.

MATUTINUS, ὄρθριος, dicitur de ea diei parte; quæ

quæ *Mane* vocatur. Vide *Mane*. Reſpondet veri, & eſt calidum & humidum tempus. Mercur. *l.* 3. *V. L. c.* 1. ex Oribaſio. Comprehendit interdum & *antelucanas* horas, vel diluculum. Eo tempore corporis & ingenii vires vigere teſtatur una cum experientia quotidiana Lang. *l.* 1. *ep.* 55.

MAXEINOS, μάξεινος, *Maxinus*, nomen piſcis, qui & *Aſellus*, & *Gallerida* dicitur. Alii legunt μύξινος, Lind. *Ex. XI.* §. 34.

MAXILLA, γνάθος, *mala*. Vide *Gena*, *Gnathos*.

MAZA, μάζα, μάζιον. Vide *Maſſa*.

MEATUS, πόρος, terminus in Medicina uſitatiſſimus, notans viam, per quam humores, ſpiritus, excrementa, vapores, flatus, vel influunt, vel effluunt. Unde *Meatus* à Galen. quoque diviſi ſunt in *ſenſibiles*, & *inſenſibiles*, *apertos*, & *latentes*. Sub ſenſibilibus & apertis comprehenduntur & vaſa, canales, cavitates, & pori cutanei, qui κατ' ἐξοχὴν *in libr. de diff. febrium* alibique πόροι, *meatus*, vocantur, de quibus vide Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 2. Ita Herophilus *meatum*, ſive πόρον, ſimpliciter appellavit *nervum opticum*, qui à cerebro ad oculum pertinet, ſenſibilis ſpiritus viam, teſte Galen. *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. *Meatus auditorius*, πόρος ἀκουστικὸς, vocatur, qui in oſſe petroſo eſt anfractuoſus, Galen. *lib.* 11. *de V. P. c.* 12. apud Bartholin. *meatus cochlearis*, *tortuoſus*, *cœcus*, *capreolaris* dictus, *libell.* 4. *c.* 6. *Meatus genitalis* eſt, qui ſemen & genituram à teſtibus hauſtam ad penis radicem defert, & juxta radicem veſicæ varicoſus exiſtit, unde & *Varicoſus paraſtata* appellatur, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 15. Barth. *l.* 1. *c.* 23. *Meatus Cyſticus* vocatur ductus à cervice veſicæ felleæ procedens, & in communem dictum cholodochum deſinens, Id. *d. l. c.* 15. *Latentes* & *inſenſibiles* ſunt meatus parvi, & viſum fugientes, non ſolum partium ſuperficiem occupantes, ſed & per totam carnis, oſſium, cartilaginum, nervorum, ligamentorum, &c. ſubſtantiam diſſeminati, à quorum ordine, vel per cauſſas externas, vel internas turbato, variæ ægritudines oriri poſſunt ac ſolent. Gorr.

MECHANE, μηχανή. Vide *Machina*.

MECHANICA, μηχανική, vocatur *Ars manuaria*, quæ alias *Opificium* dicitur. Qua ratione illas artes cum Medicina comparaverit Galenus, lege *in Lib. ad Thraſybul. c.* 24. *ſeqq.* Ita Linden. non veretur, præferre *Mechanicum* in ſua arte excellentem duodecadi Doctorum, qui præter inane nomen nil ſunt, *Ex. II.* §. 36. Quandoque vero ſtrictius ſumitur vocabulum pro illa duntaxat arte, quæ ſuccurrit nobis in illis difficultatibus, quas præter naturam molimur, & in quibus naturam ipſam vincimus. Hinc & *Mechanici* dicebantur, μηχανικοὶ, illi, qui præſtabant in excogitandis artificioſis inſtrumentis, quibus onera ſublevantur, ex Vitruv. C. Hofm. *in Gal. LL. de V. P. n.* 447. Helmontius ad Chymiam applicare non dubitavit, uti patet *ex tr. de febr. c.* 9. *n.* 25. 26. Paracelſus vero more ſolito plane abuſive ſumſit, tribuens *Mechanicam* cœlo, ſideribus, homini, morbis, paſſim *in Paramir. l.* 3. *Tr.* 1. *in Fragmentis paſſim*, in ſpecie *in fragm. ad Tom. III. referendis*, ubi deſcribit *Mechanicam morborum*, quæ tractat, quomodo morbi fabricentur. Hæc *mechanica* vel *mechanico-organica* morborum generatio hodieque apud quoſdam tantum invenit applauſum, ut cauſſas omnium pene morborum in partibus ſolidis conſiſtere exiſtiment, imprimis vero hanc de *mechanica* morborum generatione hypotheſin D. D. Stahlius in ſuis lectu digniſſimis Diſſertationibus, præſertim vero *in Diſſert. de Molibus humorum Spaſmoticis c.* 12. *p.* 44. *ſeqq.* declaravit, congeſtiones humorum & translationes ceu morborum internorum præcipuas cauſſas inde deducens.

MECHANOPOEOTICA, μηχανοποιητική, eſt inventio artis aquaticæ, ut fontium in aërem pulſorum, ſyringarum, aquarum, exaltationum per fiſtulas & ventilia, folles, ac ſimilia. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

MECHILI Paracelſo dicuntur hominum quoddam genus monſtroſum, quamvis non conſtare poſſit, quales ſint, annumerat *Gigantibus*, *Cyclopibus*, & *Loripedibus*, tr. *Philoſ. ad Athen. l.* 1. *text.* 24.

MECHOACANNA, nomen purgantis radicis, quæ & *Bryonia Indica Oriental.* aut *Rhabarbarum album* vocatur, cujus hiſtoriam & vires prolixe deſcripſit Rolfink. *de purgant. ſect.* 2. *art.* 2. Schroder. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 428. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Gialappa vocatur *Mechoacanna nigra*.

MECONIUM, μηκώνιον, Latine *Papaverculum*, à μήκων, quod *Papaver* ſignificat: Homonymon eſt. *Proprie* & quidem late notat ſuccum Papaveris concretum, & ita confunditur cum Opio, Gal. *l.* 3. *de S. Fac. cap.* 20. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 4. *l.* 2. *de Antid. c.* 7. Alii tamen accuratiores differentiam inter *Opium* & *Meconium* conſtituunt, illud dicentes *Lachrymam*, quæ ſtillat ex capitibus papaveris matureſcentibus, & leviter inciſis, hoc vero ſuccum ex capitibus & foliis, vel ex tota ſtirpe coctis vel expreſſis paratum & concretum, opio viliorem & ignaviorem. Dioſcor. *l.* 4. *c.* 65. Plin. *l.* 20. *c.* 18. Rhod. *ad Scribon. num.* 22. & 86. Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 314. Improprie, & propter aliquam coloris & conſiſtentiæ ſimilitudinem, dicitur de excremento, quod ex toto fœtus nutrimento in utero, in urinaculo congeri ſolitum, toto uteri geſtationis tempore, Gal. *l. An animal ſit id, quod in utero eſt, c.* 5. Verum potius eſt excrementum, quod in inteſtino cœco infantis, utpote grandiori, quam in adultis continetur.

MECOS, μῆκος. Vide *Longitudo*.

MEDEA, μηδεία, nomen proprium (1) Incantatricis, vel veneficæ, quæ uxor Jaſonis, quam Euripides introduxit *in Tragœd.* ejuſque meminit *Gal. l.* 3. *de Hip. & Pl. decr. c.* 3. (2) nomen medicamenti, quod para-

parabatur ex ſulphure, & humido bitumine. Hoc illitum alii corpori, ſtatim accendit; ubi calor in id inciderat, uti ſcribit Gal. *l.* 3. *de Temper. c.* 2. (3) nomen alicujus gemmæ, ita dictæ, quia reperta primum creditur ab illa venefica *Medea*. Sed fortaſſis verius vocaretur *Lapis Medus*, quia adfertur e regione *Medorum*. Eſtque niger, habens venam aurei coloris, reddens ſuccum croceum, & ſaporem vini. Laudatur præſertim à Magis contra ebrietatem, & ad amorem conciliandum. Rul. exiſtimat, eſſe ſpeciem *Hæmatitis nigri*, qui reddit ſuccum croceum. Conſpicitur & in Cheruſſia, Germaniæ regione, ubi etiam ipſe *Hæmatites niger*, licet venæ non ſint adeo coloris aurei, ſed palleant. Meminit hujus Gemmæ Plin. *l.* 37. *c.* 10. Rul. & Iohnſ.

MEDELA, θεραπεία, ἴασις, idem, quod *Curatio*, *Sanatio*. Vide *Cura*.

MEDENI Paracelſo notat exulcerationem cutaneam, ſimilem furunculis, formicis &c. *l.* 5. *de exulcerationibus*, *aliiſque ſymptom.* Gal. *c.* 6. Unde & *Vena Medena* dicuntur ulcera in manibus & pedibus, quæ alias *Dracunculi* vocantur. Appellatur & *Vena Sanioſa*. Walth. *Sylv. Medic. p.* 1474. Apud Avic. deſcribitur, quod ſit affectus corporis externus, quando puſtula quædam in ambitu oritur, & poſtea fit veſicula, e qua egreditur aliquid rubrum ad nigredinem, declive, & poſtea non ceſſat prolongari, quaſi in veritate eſſet vermis. Unde & nonnulli exiſtimarunt, quod ſit animal, ita vocatum à loco *Medina*, ubi frequens fuit, Avic. *l.* 4. *fen.* 3. *tr.* 3. *c.* 21. Integrum etiam de hoc morbo tractatum conſcripſit G. H. Velſchius Medicus Auguſtanus.

MEDIANA vena vulgo dicitur vena illa ſub cubiti flexura, Avic. *Nigra*, *ramus Baſilicæ*, & plerumque ſecari poteſt abſque periculo, quia nullus ſubjacet nervus nec arteria. Bartholin. *libell.* 1. *An. c.* 7. *pag.* 642.

MEDIANUM, *Mediaſtinum*, Latinis Anatomicis vocatur duplicata membrana, thoracis cavitatem, & pulmones in duas partes veluti diſpeſcens. Eſtque revera *duplicata pleura*, quæ pleura ſub coſtis dicitur ὑμὴν ὑπεζωκὼς, membrana *ſuccingens*. Mediaſtinum vero ὑμὴν διαφράττων, *interſepiens*, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 3. Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 4. *Medianum* etiam de *Meſenterio* dictum fuiſſe, licet colligere ex Veſal. *l.* 5. *de H. C. F. c.* 6. *in princip.* Ita & *Septum* illud *Cerebri* pellucidum, quod intercedit ventriculum ejus dextrum & ſiniſtrum, anteriores vulgo dictos, vocatur *Mediaſtinum cerebri*. Barthol. *l.* 3. *An. c.* 6. *p.* 492. *Medianum* quoque vocatur trabs tranſverſa grandior, quæ ab una domus parte ad alteram protenditur, & alias trabes minores ſuſtinet. Gr. μεσόδμη. Hippocr. 4. *de art. t.* 43. Gal. *in comm. ad h. l.* Foëſ. *p.* 408. Vide *Meſodme*.

MEDICA herba, fœnum Burgundicum. Joan. Ruellius *in nomenclatura rei veterin.*

MEDICAMENTUM, φάρμακον, eſt valde πολύσημον. Interdum nimis late ſumitur pro omni eo, quod noſtram naturam alterare poteſt, Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 1. & ita venena quoque φάρμακα, *medicamenta*, dicuntur. Nimis ſtricte accipitur, quando ſignificat purgans cum per ſuperiora, tum per inferiora, v. gr. apud Hippocr. *lib.* 7. *Epidem. VIII.* 2. Intermedia ſignificatio receptiſſima eſt, quando idem notat, quod *Remedium*, *Auxilium*, *Indicatum Medicum*; & ita *Medicamentum* eſt, quo homines conſervantur, aut curantur. Ubi quidem generalius omnis apparatus, & materia, quæ humanam naturam, quaqua ratione diſpoſitionem ejus mutando, conſervare apta nata eſt; & ita *Alimenta* quoque complectitur, uti patet ex loco Hippocr. 3. *de purgant. in princ.* ſed acceptio hæc rarior eſt. Propria magis notio *medicamenti* ad illa ſolum ſpectat, quæ vim non alendi habent, ſed agendi in corpus & naturam, aut invitandi, aut irritandi in officium, quoties id ignavius obiit, uti eleganter ſcripſit Linden. *Ex. XII.* §. 39. *ſeqq.* Recte commendantur ex Herophilo, quod ſint *Divinum munus*. Prorſus enim, quod tactus Divinus efficere poteſt, id præſtant *medicamenta* uſu, experientiaque probata. Scribon. *in Epiſt. ad Calliſtum in princ.* Unde & Gal. *Manus Deorum* vocavit. De definitione, diviſionibusque diverſis vide paſſim apud inſtitutioniſtas, &, ſi placet, *in Dogmat. noſtr. P. VI. c.* 1. *ſeqq.* Jung. & Dieter. *n.* 886.

MEDICASTER & MEDICASTRA vocantur, quando artem Medicam, quam non recte callent, exercere non verentur. Quod ſicut hodie frequentiſſimum, ita dolendum, quod non ſolum viri ſed & feminæ medicaſtræ in rebuspublicis non ſolum tolerentur, verum etiam conſtituantur & juramento adſtringantur. Utinam Magiſtratus perpenderet Deciſionem D. P. Ammanni *in Irenico pag.* 92. *ſeqq.*

MEDICATRINA, ἰατρεῖον. Vide *Iatreion*.

MEDICINA, homonymon eſt. Vel enim idem ſignificat, quod *Medicamentum*, φάρμακον, de quo p. a. Vel ſumitur pro *Arte Medica*, Græce ἰατρικὴ dicta. Vide *Iatrice*. Eſt ſcientia ſanandi, non nocendi, Scribon. *d. l.*

MEDICINALES DIES vocantur in morbis acutis illi, qui nec critici ſunt, nec indices, & ita ad applicanda & propinanda remedia, præſertim evacuantia, commodi. Alias & *Vacui* nonnullis appellantur.

MEDICON, μηδικὸν, epitheton pharmaci deleterii, ſive venenati, eſtque idem, quod *Pharicum*, notante Rhod. *ad Scribon. n.* 195.

MEDICUS, ἰατρὸς, Vide *Iatros*. *Medici* ſæpe etiam vocantur in plurali *Medentes*.

MEDIMNOS, μέδιμνος, *medimnus*, nomen menſuræ aridorum Atticæ, ſed agricolis frequentior, quam Medicis, ob magnitudinem. Continet Chœnicas 48. h. e. 108. libras menſurales, ſeu modios

6. non

6. non medicos quidem, ſed georgicos. Ejus nota fuit $\overset{t}{\mu}$ apud Græcos, Gorr. Meminit & Æginet. *l.* 7. *de pond. & menſur. in fin. h. t. c.* 2. *& alibi.*

MEDIOCRITAS, *Mediocris*, μετριότης, μετριότης, τὸ μέτριον, σύμμετρον, eſt nihil aliud, quam modus & ratio temperandæ utrique extremitati, qua defectus, qua nimietatis viventis, quæ uti in omni re optima, ita quoque in ſanitatis negotio Medico maxime obſervanda, uti patet ex Galen. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 2. Jung. Dieter. *Iatr. num.* 545. *Mediocritas* eſt illud, quod unicuique naturæ, ætati & regioni convenit. Huic aſſuefieri debet quilibet, ut ſanus conſervetur.

MEDITATIO, μελέτη, μελεδώνη, μελεδών, idem, quod *Cura*, *Exercitatio.* Dicitur & ἐπιμέλεια. Vide *Cura.* Græca vocabula paſſim occurrunt apud Hippocr. quæ loca collegit Foëſ. *in Oecon. pag.* 404. 405. Spagyricis *meditatio* dicitur, quoties cum aliquo alio colloquium habetur internum, qui tamen non videtur. Ut cum Deo ipſum invocando, vel cum ſeipſo, vel proprio Angelo bono, Rul. Laudant etiam propterea *Philoſophiam meditativam*, ceu à qua per Spagyricam ad veram & adeptam ſapientiam tutiſſimum fieri tranſitum ſibi perſuadent, cujus *Philoſophiæ* primus gradus dicitur *Meditativum ſtudium*, quod eſt inquiſitio ſedula veri, & oblivio mundani, quantumvis neceſſarii. Verum hoc ſtudium ſapit enthuſiaſmum. Vid. *Th. Chym. Vol. I. p.* 399. *ſeqq.*

MEDITULLIUM, ἐγκάρδιον. Vide *Encardion.*

MEDIUS, μέσος, μέτριος, variis accipitur modis, prout de variis rebus prædicatur. In genere & communiter *Medium* illud dicitur, quod inter duo extrema eſt, ſive æqualiter & arithmetice, ſive proportionaliter & geometrice; in qua poſteriori ſignificatione idem eſt, quod σύμμετρον, *moderatum*, aut mediocre. Ad priorem vero ſignificationem pertinet, quando *Umbilicus* vocatur *Medium* ventris, imo totius hominis. Æqualiter enim diſtant partes extremæ omnes ab umbilico, Keuchen. *ad Sammon. p.* 188. Item *media figura membrorum*, quæ eſt inter pronam & ſupinam, aut quæ nec habet muſculum agentem, neque violenter patientem, Galen. *l.* 2. *de mot. muſc. c.* 3. *Medius digitus* quis ſit, vide *Dactylos.* Ita D. Gothofr. Bidloo *mediam* meningem inter craſſam, quæ Dura mater dicitur, & tenuem, quæ Pia mater nuncupatur, dari ſtatuit ab aliis nondum deſcriptam, quam delineatam exhibet *Anat. Tab. VIII.* Analogice etiam aliis tribuitur, v. g. *Vita media* dicitur ἐνέργεια animæ operationibus quidem ſuis, ſed non vitalibus inſtructæ, ad quas tamen ei regreſſus dari poteſt, de qua vita media prolixius diſſeruit Kerger. *de ferment. ſ.* 1. *c.* 6. *p.* 48. *ſeqq.* An fortaſſis Paracelſus in ſuis ſcriptis eam intellexit, quando aliquoties meminit illius? Porro *medium* quoque idem ſignificat, quod ἀδιάφορον, *indifferens:* ita *Res non naturales* poſſunt dici *mediæ*, vel *medio* modo ſe habere ad ſanitatem & morbum. *Dogm. noſtr. P. I. c.* 6. *p.* 72. Quo pertinet ea quoque Notio, quando *Media* ponuntur pro inſtrumentis Medicis. Ita res diætæ, medicamenta, & chirurgicæ operationes ſunt *media*, quibus Medicus utitur ad finem ſuum obtinendum, hoc eſt, inſtrumenta, ſeu materiæ medicæ. Ænigmatice, ſive ſpagyrice tandem *Medium Cœli* vocatur *Luna* & *Margeſia alba*, Rul. & Iohnſ. Alia *media* in opere Spagyrico vide *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 425. 432. 436. *Media mineralia* iis quoque appellantur, quæ mediam obtinent naturam inter metalla & lapides, quando ſcil. liqueſcunt, ut metalla, non vero producuntur malleo, ſed diſſiliunt, ut lapides; quo pertinent omnes margaſitæ, & plura alia, de quibus vide *d. l. p.* 204. 205.

MEDO, idem, quod *Mulſum*, vel *Aqua mulſa.* Vide *Hydromeli.*

MEDULLA, μυελὸς, de diverſis corporibus à partibus dicitur. 1. de ſubſtantia pingui, albicante, ſenſus experte, in cavis oſſium contenta, de qua controverti ſolet: an humoribus, aut partibus ſolidis annumerari debeat? Gal. defendit, eſſe oſſium alimentum, *l.* 3. *de fac. nat. c.* 15. & *l.* 11. *de V. P. c.* 18. Junge C. Hofm. *in Comm. ad LL. de V. P. n.* 847. *ſeq.* & *Inſtit. l.* 2. *c.* 131. Deinde de ipſa cerebri ſubſtantia, quæ vocatur à quibuſdam μυελὸς, ἐγκεφαλίτης, *medulla cerebralis*, vel τοῦ ἐγκεφάλου, cerebri, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 4. Vid. & Keuch. *ad Sammonic. p.* 186. quamvis hodieque recentiores interiorem ſaltem ejus portionem duriorem, candidioremque, in qua ſiti ſunt ventriculi, vel ſinus, hoc nomine inſignire ſoleant, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 3. ad differentiam exterioris partis, cinericii coloris, quæ *Cortex* appellatur. Porro & portio cerebri prolongata per vertebras colli, dorſi, & lumborum, uſque ad os ſacrum, etiam dicitur μυελὸς ῥαχίτης, *Medulla ſpinalis*, Galen. *lib.* 1. *de motu muſcul. c.* 1. Jung. Barthol. *libell.* 3. *Anat. c.* 3. Hipp. dicitur μυελὸς νωτιαῖος, *medulla dorſalis*, 5. *aph.* 18. Vide Diet. *n.* 556. Hujus accuratam Anatomen & artificioſam exemtionem e ſua theca, vel ſede oſſea tradidiſſe Blaſium, patet ex Henr. Oldenburgii *Actis Philoſoph. Anno* 1666. *m. Februario.* Alias vocabulum *Medullæ* etiam latius accipitur, dum per metaphoram ſolemus ita appellare, quod in omni re optimum eſt, uti demonſtravit Libav. *tr. de igne Nat. c.* 49. Schroderus æquivocationem vocabuli ita expediit: *Medulla* in mineralogia partem molliuſculam denotat, quæ in ſaxis nonnunquam reperitur, (cujus varias ſpecies refert Rul. *in Lex.* quæ non ſunt hujus loci.) In Phytologia medium cujuslibet partem molliorem ac præſtantiorem refert, quam & *cor*, *matricemve* appellant. (Huc pertinet etiam ἐγκάρδιον, *meditullium.*) In zoologia adipem ſignificat, in oſſium medietate contentam; vel molliorem illam ſubſtantiam, quæ in ſpina & cranio eſt, *l.* 1. *cap.* 2. Catalogum *medullarum officinalium* vide apud eundem, *l.* 2. *c.* 31.

c. 31. *Medullata cura* Paracelſo dicitur, quando morbi radices in *medulla* oſſium quoque infixæ ſunt, de qua videatur *l* 7. *de morb. Gall.orig.cauſſ. & cur.c.*10. *& l.8.c.*2.

MEGALEION, μεγαλεῖον, Latine *Magnale*; de quo ſupra. Alias μεγαλεῖον eſt quoque nomen unguenti, à *Megaleo* autore, qui compoſuit, quod & *Mendeſium*, μενδήσιον, alio nomine à patria ipſius appellari, vult Galen. *l.* 2. *de C. M. S. L. cap.* 2. Verum Dioſcorid. diſtincta eſſe unguenta *Megaleum* & *Mendeſium*, docet *l.* 1. *c.* 69. *&* 72. Jung. Hier. Mercur. *l.* 2. *V. L. c.* 19. Clem. Alexandr. maluit, *Megallium* appellari, à *Megallo*, vel *Megallio*, Siculo inventore. Confer. *ad Saraceni Scholia in c. loc. Dioſcor.*

MEGALOCOELOS, μεγαλόκοιλος, *ventricoſus*, idem, quod προγάστωρ, *ventre prominulo præditus*, cui venter inferior cum inteſtinis juſto amplior eſt. Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 1.

MEGALOPHONOS, μεγαλόφωνος, qui magnam edit vocem, aut *vociferatur*, ideo, quia lato eſt thorace, & calore nativo multo præditus, Hipp. *6. Epid. ſ.* 2. *t.* 24.

MEGALOSPLANCHNOS, μεγαλόσπλαγχνος, dicitur Hippocrati is, cui magna & elata in tumorem ſunt viſcera; & quidem præternaturaliter ob tumorem aliquem p. n. ſive ſcirrhum, ſive œdema, ſive inflammationem, Hipp. 3. *R. V. I. A. t.* 9. *&* 12. Gal. *in comm. ad h. l.* Dicitur & vinum οἶνος μεγαλόσπλαγχνος, effective, hoc eſt, viſcera in molem attollens, ſeu magna viſcera faciens, *d. l. t.* 2. Alioqui etiam in bonam partem ſumitur, ſignificans *generoſum*, cujus eximiæ ſunt corporis, animique virtutes. Vide Foëſ. *p.* 400.

MEGALOTECHNOS, μεγαλότεχνος, idem, quod *Mechanicus*. C. Hofm. *C. in Galen. LL. de V. P. n.* 249.

MEGAS, *Megethos*, μέγας, μέγεθος, *Magnus*, *Magnitudo*. Vide *Magnitudo.*

MEIO, ὀρέω, idem, quod *Mingo*, h. e. urinam reddo. Vide *Mictio.*

MEIOSIS, μείωσις, Lat. *Imminutio.* Vel idem eſt, quod μινύθησις. Vide *Imminutio.* In qua ſignificatione uſurpat Hippocr. *l.* 1. *de Diæt. XI.* 48. *XIIX.* 12. *l.* 2. *Epid. ſ. l.* 67. Vel ſignificat tempus illud in morborum circuitu, in quo de febris magnitudine aliquid demitur. Foëſ. *p.* 402.

MEIRACION, μειράκιον, *adoleſcens*, ſcil. qui ætatem agit ab anno 18. ad 25. notante Galen. *ad* 5. *aph.* 9. Uſus alias vocabulo hoc Hipp. 1.*aph.*13.Vid.Diet. *n.*525.

MEIUROS, μείουρος. Vide *Myuros.*

MEL, μέλι, quid ſit, notum eſt; videlicet ſuccus quidam dulcis, ex floribus variis ab apibus elicitus, in illis proprio mellifico fermento, & calore elaboratus, & iterum per os excretus, in alveariis artificioſiſſime cera ac propoli miſtus atque depoſitus, conſiſtentia neque nimis dilutus, neque nimis craſſus, odore ac ſapore jucundus, cum aliqua acrimonia. Cujus hiſtoriam, electionem, facultates, & præparandi modos vide paſſim in autoribus, videlicet Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 39. & alibi ſæpius, quæ loca inquiri poſſunt *in Theatro* Mundellæ. Dioſc. *l.* 2. *c.* 101. *ſeqq.* Schr. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 94. Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. cap.* 2. Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. c. l.* Bruyerin. *de re cibar. l.* 10. *c.* 7. C. Hofm. *Inſt. l.* 5. *c.* 14. aliiſque pluribus. Jung. Iunken. *Chym. Exp. Cur. P.* 1. *ſ.* 2. *c.* 8. *p.* 132. *ſeqq.* Catalogum *Mellium Officinalium* vide apud D. Schroder. *l.* 2. *c.* 84. ut & in Diſpenſatoriis. *Mel Cedrinum* Hippocr. dicitur, quod ex Cedrii roris modo defluit, & coriis ſuper terram extenſis, excuſſiſque arboribus in ollas & fictilia excipitur, *Melque roſcidum* vel *aëreum* vocatur; eſtque vel ipſa *Manna*, vel huic affine. Legitur *l. de Ulcer. IX.* 3. *Mel Vitrioli* vocatur ejus *Oleum Saccharinum*, vel verum ejuſdem *Sulphur*, cujus præparationem tradit Libav. *Alchym. Pharmac. cap.* 28. *Mel arundinaceum Cannæ* idem eſt, quod *Saccharum*, de quo ſuo loco. *Mel Ponticum venenoſum*, vide *Ponticus. Mel Saturni* vocatur à Crollio Sal ſive Saccharum Saturni *in Baſil. Chym.* quod Hartmannus *Mollaginem* vocavit *Diſput. Chymiatr. XV. Coroll.* 11.

MELÆNA, μέλαινα, Lat. *Nigra*, à Maſc. μέλας, *niger*, κατ' ἐξοχὴν morbum ſignificare ex atra bile ortum, vult Gal. *in expoſ. voc. Hipp.* melæna radix aſpalathi eſt ex genere aromaticarum, auctore Galeno *in exeg.*

MELANAGOGA, μελαναγωγὰ, vocantur medicamenta atram bilem evacuantia vulgo credita. Blaſ. *Med. Univ. p.* 61. 85. multique alii Autores.

MELANCHLOROS, μελάγχλωρος, epitheton à nigro, viridique colore deſumtum, duorum diverſorum medicamentorum: unius quidem *Trochiſcorum*, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 12. *circa fin.* & alterius *Emplaſtri*, *d. l. c.* 17. ad nervorum vulnera, & cruentis apti.

MELANCHOLIA, μελαγχολία. In hujus vocabuli explicatione quemadmodum plerique omnes conſentiunt, duo præcipue denotare: 1. *Humorem* aliquem excrementitium, naturalem, & præternaturalem. 2. *Morbum*; ita in utriuſque determinatione graviſſimæ adhuc occurrunt tricæ & difficultates, ob ſententiarum & opinionum varietatem, quas omnes ventilare excederet inſtituti noſtri limites. Libet ſaltem ſuccincte utramque ſignificationem proponere. Quando *Melancholia* humorem ſignificat, intellexerunt Veteres, Gal. & ejus ſectatores, humorem fœculentum, craſſum, frigidum, & ſiccum, *fæcem ſanguinis*, naturalem tamen & benignum, in liene collectum & ſecretum. Enimvero quia talis limus ſanguinis neque in hoc viſcere reperitur, neque etiam alia loca excretoria adſunt, per quæ eliminetur illud excrementum e corpore; nobis veroſimilius hactenus viſum fuit, per *Melancholiam*, vel *Melancholicum humorem* naturalem intelligere *ſuccum Pancreaticum*, ſive liquorem illum limpidum, in Pancreate glanduloſo vulgari collectum, & per peculiarem ductum Pancreaticum, vel Virſungianum dictum, ad inteſtinum duodenum

una

una cum bile delatum, unaque cum materia ſecum alvi excretum. De cujus origine *integram Exercitationem* conſcripſit Regn. de Græf. *h. tit.* quamvis quoad uſum illius liquoris nondum eidem aut aliis conſentiamus. Cui vero magis placuerit ſententia celeberrimi D. Wedelii ſtatuentis, Melancholiam eſſe acidum quid commune ſanguini & lymphæ, & utrumque ſedem & originem ſuam habere in liene, quemadmodum e phænomenis variis probare annifus eſt *Phyſiolog. c. X. pag.* 301. *ſeqq.* ei non erimus adverſi, modo Cl. Autor clarius expreſſiſſet, quid acidum illud ſit, an fluida, an vero ſolida ſubſtantia, neque ita ſub umbra delituiſſet. Per *Melancholiam* vero *præternaturalem* intelligendus nobis videtur idem *Humor Pancreaticus* diverſimode corruptus, & præternaturaliter conſtitutus, ob ſanguinis vitioſam variam diatheſin, quam ſequi ſolet, præſertim vero, ſi acidior, & vitriolaceæ, aut penitus corroſivæ acidæ naturæ fuerit, ubi *Atræ Bilis* titulo inſigniri commode poterit, ex veterum hypotheſi. Vide ſupra *Bilis Atra.* Cui hæc non arriſerint, illi liberum eſto, certiora & meliora proferre, nosque paratos inveniet ad ſuffragium. In altera ſignificatione, qua *Melancholia* morbum denotat, communis conſenſus eſt, quod intelligatur *Delirii* ſpecies cum triſtitia & metu, ſine cauſa evidente, oborta. Nec diſſenſus occurrit circa diviſionem in *Melancholiam Eſſentialem*, vel *Idiopathicam*, & *Conſenſualem*, ſive *Sympathicam*: quo pertinent *Melancholia Hypochondriaca*, *Uterina* &c. Verum circa cauſarum internarum expoſitionem minime inter ſe conveniunt, ob antea dictam humoris *melancholici* ignorantiam. In hac diſcrepantia & obſcuritate nobis præ omnibus perplacet deſcriptio *Melancholiæ* à Cl. Willis propoſita, *tr. Anim. Brut. P. II. cap.* 11. ubi demonſtrat, mixtum eſſe morbum cerebri, & cordis, à ſpirituum animalium & vitalium vitio ac inordinatione procedentem; ex qua hypotheſi hæc plenior definitio dari poterit: *Melancholia* eſt delirium, vel continuum, vel interruptum, absque febre & furore, cum triſtitia & metu, profundis ſermonibus, abſurdis, & interdum deſperatis, actionibus etiam quandoque ineptis, ſibi, aliisve noxiis, inſomniis terrificis, vigiliis, aliquando etiam cum inflatione hypochondriorum, ructibus, murmure, difficili reſpiratione, anxietate circa præcordia, tinnitu aurium, proveniens à ſpirituum animalium, & ſanguinis impuritate p. n. diverſimode acida, vel auſtera, aut acerba vitriolacea, intemperiem cordi & cerebro *Melancholicam* cum obſtructionibus viſcerum referente. Hujus morbi tres gradus conſtituit & egregie explicavit p. a. laudatus Wedel. *Patholog. dogm. ſect.* 3. *c.* 9. *p.* 596. *ſeqq.* Jungatur, ſi placet, Dieter. *num.* 526. Obſervationes varias apud Schenk. & alios Autores reperies, quos allegatos videbis *in Eph. Nat. Cur. Ann. III. Obſerv.* 148. Adde C. Rejes *C. El. q.* 27. *n.* 21. *ſeqq.* & de Hypochondriaca, *q.* 73. A Chymicis vel Spagyricis *Melancholiam* quoque vocari ipſum *Lapidem Philoſophorum*, patet ex *Th. Chym. Vol. IV. p.* 718. 727.

MELANCHOLICUS, μελαγχολικὸς, dicitur vel de late ſanis, temperamento melancholico præditis, vel de ægris. Deſcriptio vero temperamenti *melancholici* ſatis concinna videatur in DD. Stahlii *Diſſert. de Temperament. c.* 8. Ægri *melancholici* dicuntur, qui delirio taciturno magis quam furioſo correpti ſunt, & varias impreſſiones abſurdas fovent, illiſque ſæpe fortiter inhærent, quemadmodum p. a. de Melancholia p. n. plura dicta ſunt.

MELANCHRUS, μελάγχρυς, dicitur, qui nigro vel *atro colore præditus* eſt, aut qui ictero nigro laborat. Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 36. quamvis nonnulli legant μελάγχλωρος. Foëſ. *p.* 402. Linden. *Ex. IV.* §. 82.

MELANDERINOS, μελανδέρινος, nomen piſcis, *Melanuro* ſimilis, quem *Sargum alterum* vocat Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 17. ubi ejus hiſtoriam vide. Meminit & J. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 10.

MELANORRHIZON, μελανόῤῥιζον, i. e. *nigras radices habens.* In ſpecie de helleboro nigro dicitur. Gorr.

MELANOTRICHES Hippocrati dicuntur, qui nigros habent capillos, *l. de A. L. & Aq. LV.* 9. & forſan alibi.

MELAN PHARMACON, μέλαν φάρμακον, certa medicamenti compoſitio eſt, quam Hippocrati tribuit Galenus *in exegeſi* & ad librum περὶ ἑλκῶν provocat, ſed cum non reperiatur in hoc libro, qualis nunc extat, credendum eſt, vel librum in parte hac deficere, vel tecte, aut alio nomine medicamentum deſcribi, vel Galenum non recte meminiſſe. Foëſius atramentum eo nomine indicari autumat, cujus uſus in dignoſcendis oſſium rimis eſt, atque ejus mentio fit à Paulo Ægineta, & Celſo. conf. Foëſius.

MELANPSITHIUM, μελαμψίθιος, nomen vini paſſi, quod craſſum eſt, multi nutrimenti, uti notavit ex Dioſc. *l.* 5. *c.* 9. Linden. *Ex. X.* §. 103.

MELANTERIA, μελαντηρία, ſuccus eſt in metallis concreſcens, coloris nigri, quamvis exiccatus plerumque evadat cinereus. Valde adſtringit, ſimul tamen vim cauſticam obtinet, quemadmodum *Miſy.* Quidam *Atramentum metallicum* nominant. Dioſcor. *lib.* 5. *c.* 118. Galen. *l.* 9. *de S. Fac. h. tit.* Vocatur & *Creta ſutoria*, *Atramentum ſutorium.* Rhod. *in Lex. Scribon. pag.* 408. Datur & *friabilis Melanteria*, teſte Chiocco, *Muſ. Calceol. ſect.* 4. *p.* 475. Rulandus vero & Iohnſ. deſcripſerunt, quod ſpecies Chalcanthi, ſive Vitrioli, fuſci in cœruleo coloris; dupliceemque conſtituerunt, quarum quædam in faucibus cuniculorum, e quibus æs eruitur, ſalis modo concreſcit; quædam in ſumma facie cuniculorum coit, eſtque terrena. Arabes *bitriam* dicunt. Alias *Melanterion* quoque eſt clavorum veterum ferreorum raſura. Idem.

MELANTHELÆON, μελανθέλαιον, i. e. *oleum e ſemine nigellæ expreſſum*, Dioſc. *l.* 1. *c.* 46.

MELANUROS, μελάνουρος, piſcis vocatur ſaxatilis, aut in arenoſis littoribus degens, cujus hiſtoriam & uſum in cibo & medicina tradit Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 13.

MELAONES, *Melones*, vermiculi nigri, qui contriti odorem bonum reddunt; menſe Majo in prato reperiuntur: Item ſcarabæi viridis genus, luteo auri colore lucens. Rul. & Iohnſ.

MELAS, μέλας, *niger*, *ater*. Ita vocatur ſpecies coloris obſcuriſſima & infima, quæ ob id alium nullum recipit; contra quam albus, cum ſit ſummus, cæteros admittit omnes, & ſe interim remittit. Lind. *Ex. XVI.* §. 209. Diet. *n.* 528. Reliqui ergo colores ſunt medii, Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 7. Verum etiam μέλας, ſtricte accipitur 1. pro veratro, vel *helleboro nigro*, ap. Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 11. in fœminino μέλαινα pro atra bile, *l.* 2. *de morb. LXXI.* 2. In neutro μέλαν ponitur aliquando pro *Cinere Cyprio*, quo ad oculos utimur, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul.* ubi tamen vitioſe legitur μελάνθιον. Aliquando pro *excrementis*, 4. *aph.* 25. 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 35. 37. 38. Interdum additur certum ſubſtantivum, v. g. μέλαν φάρμακον, *nigrum medicamentum*, Hipp. *l. de cap. vuln. XX.* 5. & in Spuriis *ad l.* 1. *de morb. mul. II.* 8. Aut epitheton, v. g. γραφικὸν, ſcriptorium, & ita notat *atramentum*, Galen. & Æginet. paſſim. *Emplaſtrum* quoque vocatur μέλας, apud Aët. *l.* 15. quod alias proprio nomine ἶσια vocatur, vim habens anodynam, & ſiccantem. *Trochiſcorum* quoque nomen μέλας apud eundem legitur, citante Gorr. Vide etiam *Niger. Nigredo.*

MELASMA, μέλασμα, vocatur ſpecies *ſugillati*, vel ἐκχυμώματος, quando nigreſcit, For. *l.* 5. *Chirurg. Obſ.* 9. *Schol.* Differt à *peliomate*, ubi pars ſaltem livet.

MELASMOS, μελασμὸς, *nigrities*, *nigredo*, effectus frigidi, Hipp. 5. *aph.* 17. Vide *Niger.*

MELCA, μέλκα, edulii quoddam genus fuit apud Romanos, & ſine dubio ὀξυγάλακτος ſpecies refrigerantis & humectantis. Conſtantinus Cæſar, *lib.* 18. *de agricult.* citante Gorræo docet, *melcam* nihil aliud fuiſſe, quam lac repoſitum & reconditum in fictile novum, ferventi aceto prius perfuſum, atque imbutum. Inde vero ſecretionem ſeri à craſſiore lactis ſubſtantia fieri conſtat, quam per grumos concreſcere veroſimile eſt, eamque obſonii ſpeciem fieri, quæ Gallis *du lait caillé* dicitur, Gorr. Meminit Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 4. Jung. Jul. Alexandr. *in not. ad h. l.* Linden. *Ex. XVI.* §. 124. Keuchen. exiſtimat, μέλκαν idem eſſe, quod *Lac* ſimpliciter, *Not. ad Sammonic. p.* 159.

MELE, μήλη, vocatur *ſpecillum*, ſive inſtrumentum Chirurgicum, cujus varius eſſe ſolet uſus. Hinc & variæ ſpecilliorum formæ. Iis namque vulnera explorantur, aut aliquid latens deprehenditur, interdum aliquid extenditur, extrahitur, finditur, injicitur, immittitur, inſpergitur; hinc & pro vario munere & figura varia quoque ſortitur nomina & epitheta, quæ recenſuit Galenus *in exeg.* Ita *Speculum uteri & ani* dilatans vocatur μήλη, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XVI.* 22, quod alias διαστομωτρὶς dici poſſet. Plura loca collegit Foëſ. *pag.* 412. *ſeq.* Confer ad Aquapendentem, Paræum, Hildanum, Scultetum, & alios. Vide *Speculum.*

MELEAGRIS, μελεάγρις, vel idem, quod *Gallus Indicus*, aut *Gallopavo*, vel huic plane ſimilis, de quo ſupra. Vide Aldrov. *l.* 13. *Ornithol. c.* 4.

MELEAGRIUS, μελεάγριος, epitheton ignis ſulphurei, qualis eſt in ſpiritu, omnia intrinſece comburentis, ſine dubio deſumtum à fabula de *Meleagro Ætoliæ* Rege Oenei ex Althea conjuge filio, cujus vitam, uti mater poſt partum extracto ſtipite, quem igni injecerant, Parcæ cum vaticinio: O nunc, nate, erit æqua tibi cum ſtipite vita! protraxit; ita injecto tandem ex iræ furore eodem ſtipite in ignem, ideo quod audiviſſet de cæde fratrum, mortem acceleravit, ut internis flammis uri viſus fuerit, uti prolixius deſcripta legitur *in Cornucopiis* Nic. Perotti *ad Martial. p.* 718. 719. Uſus autem hoc epitheto D. D. Georg. Ern. Stahl. *in elegantiſſ. ſua Diſp. de Sanguificat. c.* 3.

MELECH, i. e. *Sal.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

MELEDÆNO, μελεδαίνω, id eſt, *curo*, curam habeo, ago, ſano. Hippocr. frequenter uſus, *l.* 2. *Prorrh. I.* 4. *IV.* 11. *l.* 1. *de morb. mul. XXXIII.* 1. μελεδαίνεται, paſſive, *libr. de nat. pu. XIII.* 3. *l.* 1. *de morb. mul.* aliquoties. Vide Foëſ. *p.* 404. Erotianus.

MELEDON, *Meledone*, μελεδὼν, μελεδώνη. Vide *Cura.* Loca, in quibus Hipp. uſus, vide apud Foëſ. *d. l.*

MELEIOS, μήλειος, i. e. *Melinus.* Epitheton *Aluminis*, ex *Melo* Inſula una Cycladum advecti, quod eſt Ægyptio proximum bonitate, Hipp. *l. de ulcer. VIII.* 4. *X.* 8. *l. de ſterilit. XIII.* 25. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. ubi vitioſe legitur μηλείας, pro μηλείας, animadvertente Foëſ. *d. l.* & approbante C. Hofm. *in ἀνεκδότοις ad h. Gal. locum.*

MELETE, μελέτη, idem, quod μελεδὼν, *cura.* Vide *Cura.* Loca ex Hippocr. vide apud Foëſ. *p.* 405.

MELGA, eſt *Salamandra.* Iohnſ. *Lex. Chym. lib.* 2.

MELI, μέλι. Vide *Mel.*

MELIAS, μηλιάς, idem, quod *Melium*, ab Inſula *Melo.* Epitheton Aluminis. Gorr.

MELIBOCUM, *Melicæum*, id eſt, *Cuprum.* Ruland. & Iohnſon.

MELICERIA, μελικηρία, idem, quod *Hydarthrus*, ita vocatur *Ichor* ille nervorum. Unde & ἰχὼρ Græce dicebatur, vide *Ichor*; quia plerique crediderunt, eſſe excrementum ſanioſum inutile, cum veroſimilius ſit liquor ipſe animalis ſpirituoſus, quod ſatis teſtantur graviſſima ſymptomata, hujus liquoris profuſionem comitantia, de quibus videatur Hildan. *tr. de Ichore & Meliceria*, *cap.* 16. *ſeqq.* quamvis & hic Autor pro materia vitioſa hunc liquorem habeat, & propterea affectum illum *Hydropem articulorum* vocarit, *cap.* 3. & 4. Paracelſo dicitur *Synovia*, de quo vocab. infra in SY. Sunt & hodieque Anatomici clariſſimi, negantes, liquorem illum natu-

raliter

raliter in nervis exiſtere & per illos diffundi, & eſſe potius lympham glandularum ſive portiones ſucci nutritii promanantes, quia, niſi fluxus ille mature compeſcatur, atrophiam vel tabem particularem membri poſt ſe trahit.

MELICERIOLA, id eſt, *meliceris parva.* Legitur apud M A. Severin. *l. de abſceſſ. anom. c.* 17. *p. m.* 25.

MELICERIS, μελικηρὶς, abſceſſus nomen eſt cum folliculo, humoremque melli ſimilem continet, unde etiam nomen obtinuit, quemadmodum ἀθέρωμα à pulte, & στέατωμα à ſevo, vel adipe, dicta ſunt, quamvis Rhodius *meliceridem* viridem dari per obſervationes demonſtraverit *Cent. III. Obſ.* 75. Meminit Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XLVII.* 7. quamvis mihi adhuc dubium videatur, an abſceſſum intellexerit, an vero *Hydarthrum*: licet prius interpretes exiſtimaverint. Hoc certum eſt, etiam *Melicerida* abſceſſum à corrupta & collecta lympha nervea originem ſuam trahere poſſe, non obſtante, quod indolens ſit, cum materia jam ſeparata & ſpirituoſitate vitali deſtituta ſit. *Meliceris* quoque aliquando ſumitur pro κηρίον. Vide *Cerion.*

MELICHROOS, μελίχροος, μελίχρους, h. e. *melleum colorem referens.* Legitur apud Hippocr. *l. de Int. aff. XVII.* 13. *l.* 1. *de morb. mul. XCI.* 44. Vocatur alias κιρρὸς, *fulvus.*

MELICHROS, μελιχρὸς, *mellitus*, *dulcis*, *inſtar mellis.* Sæpe confunditur cum priori, notante Foëſ. *pag.* 406. Epitheton vini, *l. de affect. XL.* 7. pomorum dulcium, apud Scholiaſten Theocriti *Idyll.* 5. fabarum, Hipp. *l.* 7. *Epid. VI.* 10. *VIII.* 11.

MELICRATON, μελίκρατον, idem, quod *Hydromel*, *Aqua mulſa*, *Mulſum.* Vide *Hydromeli.*

MELIEDES, μελιηδὴς, idem, quod μελιχρὸς, *melleum ſaporem & dulcorem habens.* Epitheton vini, *t.* 2. *de morbor. XXII.* 19. *l. de Affect. L.* 1. & præter hanc ſignificationem addit Galenus *exeg.* quod vino & melle miſtum eſt. Aliis μελιτοειδὴς legitur, quod idem eſt, ac μελίχρους. Junge Lind. *Ex. X.* §. 50.

MELIMELUM, duplicem habet ſignificationem. Vel enim notat liquorem mulſei ſaporis, qui producitur ex peculiari conditura Cydoniorum, cum melle, quam tradit Linden. *Ex. X.* §. 161. ex Columell. *l.* 12. §. 45. Vel ſignificat poma dulcia mulſeo ſapore, vel melleo prædita, quæ alias Multea vocabantur. Linden. *ibid.*

MELINUS, μήλινος, epitheton emplaſtrorum, quæ *Melina* dicuntur, à μῆλον, malum, ſtricte Cydonium, cujus colorem æmulantur. De quibus pluribus apud Galen. *l.* 2. *de C. M. P. G. cap.* 6. *ſeqq.* legere eſt.

MELITEA, vide *Pauladadum.*

MELITERA, μελιτηρὰ, nomen eſt aridi medicamenti, cujus deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 13. & uſus monſtratur, *l.* 4. *c.* 40.

MELITISMOS, μελιτισμὸς, dicitur *Linctus ex melle* in tuſſi & gravedine puerorum. Æginet. *l.* 7. *c.* 7.

MELITITES, μελιτίτης, duo ſignificat: 1. *Mulſum*, ſive οἰνόμελι, ex muſto factum, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 15. Lind. *d. l.* §. 50. Deinde & quidem uſitatius, *Melitites* dicitur lapis hodieque plane incognitus, præcipue in Officinis. Dioſcor. ſimilem eſſe ſcripſit *Galactiti*, & ejuſdem effectus, præterquam quod habeat dulciorem ſuccum, *l.* 5. *c.* 151. Jung. Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Hæmatites &c.* Ægin. *l.* 7. *c.* 3. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 275. *ſeqq.*

MELITTOMA, μελίττωμα, vocatur in genere *Confectio ex melle.* Æginet. *l.* 3. *c.* 61. Dioſcor. *l.* 4. *c.* 64. Perperam vero nonnulli recentiorum ex ignorantia Græcæ linguæ exprimunt per *meletemata*, quod nomen potius meditationes opera præmeditata ſignificat.

MELLAGO dicitur medicamentum conſiſtentiam & ſaporem mellis habens. Parantur vero mellagines non ſolum ex vegetabilibus, ſed etiam e metallis & mineralibus. Schenk. *Synt. comp. & præſcr. med. p.* 320. Adulterinæ vero ſunt & improprie ita dictæ, quæ cum melle parantur. Hæc enim potius Eclegmata & Linctus appellantur, Idem *d. l. Mellago Saturni* quid ſit, vide *Mel.*

MEL LISODIUM, id eſt, *plumbum uſtum.* Rul. & Iohnſ. *Lex.*

MELLOSI ſunt *Lumbrici terræ.* Iohnſon. *Lexic. Chym. l.* 2.

MELOCHITES, nomen lapidis in comitatu Tirolenſi, qui alias *Lapis Armenus* vocatur, quod olim ex Armenia tantum ad nos tranſlatus ſit, Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 4.

MELON, μῆλον, vocabulum eſt æquivocum. (1) ſignificat *Malum*, quod & *Pomum* dicitur. Vide ſupra *Malum.* (2) ſignificat *Ovem*, & idem eſt, quod πρόβατον. Galen. *in Exeg. dict. Hipp.* Unde τὰ μήλεια ſunt *carnes ovillæ*, Hippocr. *l. de affect. XLVI.* 10. *lib.* 2. *de morb. XLVI.* 43. *XLVIII.* 33. *LXVII.* 20. *&c.* Vide Foëſ. *pag.* 412. (3) μῆλον idem eſt, quod *Gena*, *Mala*; pars faciei inter naſum & aurem ſub oculo leviter eminens, pilis nuda. Vide *Gena*: *Mala.* Sic dicta à *mali* ſimilitudine, ſive rubeum colorem, ſive rotunditatem ſpectemus. (4) Pollux autor eſt, τὰ μῆλα quoque vocari *tonſillas interiores* in intimo ore poſitas, ad radicem linguæ. Gorr. Caſt. (5) μῆλον ſignificat affectum tunicæ uveæ in oculo, quando ita egreditur, ut palpebræ minus prævaleant, & pili palpebrarum pungentes, clauſis oculis dolorem inferant. Ita dicta, quod ita protuberet oculus, ut *malum* exertum referat. Caſtell. Latine *Malum.* Foreſt. *l.* 11. *Obſerv.* 24. *in Schol.*

MELOPLACUS, μηλοπλακοῦς, & Dimin. μηλοπλακούντιον, edulium & *placenta e malis cotoneis* in vino coctis, adjecto poſtea melle, pipere aliiſque pro arbitrio Pharmacopœi. Galen. meminit *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 23.

c. 23. Ægin. *l.* 7. *c.* 11. Gorr. Perperam vero & contra Græcorum vocabula componendi morem à nonnullis *Melaplacuntion* vocatur.

MELOS, μέλος, Latine dicitur *Membrum*, quod eſt pars organica, vel diſſimilaris magis, compoſita ex aliis partibus, v. g. Brachium, Pes, Oculus, &c. C. Hofmann. *c. in Gal. de V. P. n.* 9. Vide *Membrum.* Altera ſignificatio, quando *carmen*, cantilenam ſignificat, nota eſt ex aliis Lexicis, nec hujus eſt loci.

MELOSINA, nomen creditur proprium regiæ filiæ, cujus ſoror Meliora, quæ ambo quondam propter peccata deſperabundæ à Satana fuerunt raptæ, & in ſpectra tranſmutatæ, ſpiritus horribiles, & ſpectra immania. Vivere putantur aliqua anima rationali, & in brutali ſolum corpore phantaſtico nutriri elementis, & una cum illis in extremo judicii die tranſituræ, niſi cum aliquo homine forte fortuna matrimonium contrahant, ut ipſe, naturali morte interire poſſe, & matrimonio naturaliter vivere hujus unionis. Hæc Rul. Ejuſdem ſtatus atque generis plura ſpectra haberi creditur in deſertis, in ſylvis, ruinis, monumentis, & in extremis littoribus maris. Vulgo *maledicti* vocantur *homines*, ſed proprio nomine *Spectra* dicuntur, atque *Diabolorum ſancti*, cum quibus verſantur cacodæmones, ſuas illuſiones, & portenta perficiunt. Hæc addidit Iohnſ. *Lex. l.* 1. Paracelſ. inter *Aëreos* effectus videtur retuliſſe, unde plura de his nugatus eſt, deque *Meloſinico Ares*, *l.* 4. *de vit. long. c.* 6. *l.* 5. *c.* 2. & 5. *ut* & *l.* 1. *Philoſ. ad Athen. t.* 13. 19. *l.* 2. *t.* 15. Nugamenta plane indigna Chriſtiano homine!

MELOSIS, μήλωσις, dicitur exploratio Chirurgica, ſpecillo facta, à verbo μηλῶσαι. Nomen & verbum occurrit apud Hippocr. *l. de capit. vulner. XI.* 2. 3. *l.* 1. *de morb. V.* 16. *ſ.* 3. *de fract. t.* 23. Foëſ. *p.* 414.

MELOTIS, μηλωτὶς, item μηλωτρὶς, late ſignificat *ſpecillum minus*, quod adhuc tenuius eſt, quam ἀμφίμηλον, Galen. *l.* 6. *An. adm. c.* 13. Stricte vero dicitur *ſpecillum auriculare*, quo utimur in aurium doloribus. Sub quo etiam *Auriſcalpium* comprehenditur. Idem *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. & *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 10. ubi compoſitum dicitur ex μήλη, *ſpecillo*, & οὖς, auris.

MELUSI, id eſt, *Mercurius*, *albach meſſalis.* Rul.

MEMBRANA, μῆνιγξ, ὑμὴν. Vide *Hymen. Membranacearum partium* Officinalium Catalogum vide apud Schroder. *l.* 2. *c.* 24. *Membranis ſtomachi*, ſive ventriculi peculiarem vim, & admirandam poteſtatem tribuit Helmont. *tr. Sedes Animæ*, *n.* 25. *Membrana urinaria* quæ D. Bidloo vocetur, videatur infra in voc. *Urinaria.*

MEMBRUM, μέλος. Vide *Melos.* Sumitur aliquando pro *parte corporis*, qua ſimpliciori, cujus particulæ videntur nomine & definitione communicare cum toto, ut Caro, Os, diciturque alias *Pars Similaris;* qua compoſita & *Diſſimilari*, ſive *Organica;* de qua in *Melos.* Aliquando etiam ſtrictius accipitur pro *Membro* ſaltem virili, ſive *Mentula.*

MEMBRUM conformatum, organicum, Riol.

MEMESTOMENOS, μεμεστωμένος, id eſt, *fartus*; impletus, confertus, idem, quod μεστὸς, Linden. *Ex. X.* §. 251.

MEMITHA, ſpecies chelidoniæ. Rul. *lib.* 1. *c.* 29.

MEMORATRIX, vide *Memoria.*

MEMORIA, μνήμη, accipitur vel de facultate animæ memoratrice, quam Galen. μνημονευτικὸν τῆς ψυχῆς appellat, *l. de ſympt. diff. c.* 3. *fin.* Hæc etiam brutis perfectioribus competit, & conſiſtit in ſpirituum animalium puriorum & lucidiorum motu circa corpora cerebri ſtriata, & ſpecierum ſenſu admiſſarum perceptione, uti egregie de hac diſſerit Willis *tr. Anim. Brut. P.* 1. *c.* 6. Et de hac loquitur Galen. *l.* 3. *de L. A. c.* 5. Vel ſumitur de actu ſecundo *Memoriæ*, ſive *Memoratione.* Unde idem dixit; *Memoria* rerum ſenſibilium longa opus habet conſuetudine, *l.* 1. *Anat. adm. cap.* 2. Eſtque nihil aliud, quam obſervatio & conſervatio eorum, quæ ſenſibus percipiuntur, *de ſubfig. Empir. cap.* 3. Plura de *Memoria* vide *in Ephem. N. C. Ann. III. ſub fin.* P. Lauremberg. *præloq. in Mnemonicam Ciceronis*, *p.* 599. *ſeqq.* Bonet. *Medic. Septentr. l.* 1. *ſect.* 9. *c.* 6. *p.* 90. *ſeqq.* Os *memoriæ* dicitur os occipitis, quod alias Baſilare vocatur. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. *p.* 710. Blaſ. *Med. Un. p.* 107.

MEMPHITES, μεμφίτης, nomen lapidis, qui reperitur in Ægypto, juxta *Memphin*, calculorum magnitudine, pinguis, verſicolor, uti eum deſcripſerunt Dioſcor. *l.* 5. *c.* 158. & Plin. *l.* 36. *c.* 7. Verum qualis ſit, hodieque ignoratur, Rul. & Iohnſ.

MEN, μὴν, *menſis*, nomen determinati temporis, ſive certus quidam numerus dierum, quos vel unaquæque regio, aut civitas ex proprio inſtituto obſervavit, & dicitur *Menſis Civilis;* vel quos certus curſus Solis, aut Lunæ, ſive motus proprius conſtituit; & vocatur *Menſis naturalis*, qui propterea geminus habetur: Unus *Solaris*, dum Sol unumquodque in zodiaco ſignum percurrit, cumque duodecim ſint, hinc totidem etiam *Menſes* in anno ſtatuuntur, qui tamen non æque inter ſe pares ſunt. *Lunaris* alter, & magis Medicus, quem conſtituit Lunæ motus ab una conjunctione cum Sole, ſive Novilunio ad alterum, id quod fit circiter undetriginta diebus, cum dimidio, Gorr. Jungatur Rhod. *ad Scribon. n.* 12. & 13. Galen. *l.* 2. *de criſ. cap.* 2. Foreſt. *l.* 28. *Obſ.* 59. *Schol. Menſis Philoſophicus* vocatur certum tempus digeſtionis, vel putrefactionis, & interdum paucioribus diebus definiri ſolet ſecundum naturam, & abſolutionem operis; ita, ut ſecundum quosdam ſint tres dies & tres noctes; & quidam per decem dies dicunt; alii quinque illis addunt, in aliquibus eſt 30. in aliquibus 40. dierum ſpatium, *Th. Chym. Vol. II. p.* 282. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Sæpe etiam vocab. Latin. *Menſis* ſumitur pro fluxu ſanguinis in fœminis *Menſtruo*,

ſtruo, ſive ſingulis periodis *menſium* Lunarium repetente. Vide *Menſtruum*.

MENAGOGUS, μηναγωγὸς, idem ſignificat, quod *Emmenagogus*, i. e. *menſes movens*, ita *vinum menagogum* Timæi de Guldenklee deſcriptum legitur *in Lex. Pharm. D. de Spina p.* 1016.

MENDACIUM, ψεῦδος, quid ſit, notum eſt, falſitas nimirum in ſermone. Dividi ſolet *Mendacium* in *Officioſum*, *Jocoſum*, & *Pernicioſum*. Ultimum uti adverſatur humanæ ſocietati, ita neminem, nec *Medicum* etiam decet. De hoc etiam videatur Linden. *Ex. XI.* §. 120. *ſeq.* Primum vero conceſſum eſſe quandoque Medico demonſtravit Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 4. *ſ.* 2. *cap.* 7. C Rejes *C. El. q.* 11. *n.* 5. *fin.* Quod ſit diſcrimen inter *Mentiri* & *mendacium dicere*, docuit Jul. Alex. *Not. in Galen. l.* 1. *de decr. Hippocr. & Pl.* 5. Breviter: *Mentitur* fallens; *mendacia dicit* oberrans. Tropice *Mendacia* etiam dicuntur maculæ illæ albæ in Unguibus ſpectandæ, quemadmodum ſcribit Fallop. vide *Macula.*

MENDESION, μενδήσιον, *Unguenti* genus eſt, Ægypto peculiare, ita dictum à *Capro*, qui ea Ægypti parte, ubi primum unguentum illud repertum eſt, colebatur, & μένδης vernaculo ſermone dicebatur. Dictum eſt & *Ægyptium unguentum*, item μετώπιον. Meminit Galen. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. Deſcripſerunt Dioſcor. *l.* 1. *cap.* 72. Æginet. *l.* 7. *cap.* 18. Vide *Megaleion.* Mentionem fecit & vini *Mendeſii* Hippocr. *l. de int. aff. XIV.* 19. eſtque vinum album & molle. Foëſ. *p.* 407.

MENDICUS, πτωχὸς, quid ſignificet, extra forum Medicum etiam patet. De *mendicantium* vero vaframentis varia collegit lectuque digna Paræus *Chirurg. l.* 24. *cap.* 18.

MENDOSUS, νόθος, idem quod *Spurius*, *Illegitimus*, ut *Mendoſæ Coſtæ*, ſive ſpuriæ. *Mendoſæ* ſuturæ, &c. Caſtell.

MENFRIGE, i. e. *Maſtix.* Rul. & Johnſ.

MENINGOPHYLAX, μηνιγγοφύλαξ, q. d. *Membranæ cuſtos.* Deſcribitur à Celſo *l.* 8. *c.* 3. quod ſit lamina ænea, firma, paulum reſima, ab exteriori parte levis, qua Chirurgi in vulneribus capitis utuntur, quoties excidendum os eſt attollendum, metuſque imminet, ne in ipſo opere cerebri membrana negligentius, & ultra, quam res expoſtulat, premendo lædatur, & contundatur, ex quo ſopores & graves inflammationes cum periculo mortis oriuntur. Meminit Gal. *l.* 4. *de L. A. c.* 2. *fere circa fin.* Ejus delineationem & modum applicandi tradit Scultetus *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. II. fig* 10. *& Tab. XXIX. fig.* 7. Huic ſimile quoddam ferramentum habent Chirurgi noſtri, inquit Gorr. quod *Vectem* dicunt (Gr. μοχλὸς, vel μοχλίον,) cum eo attollunt os, quod ferme totum exciſum eſt, & jam labat, non ſecus, quam grandiores lapides vectibus impelluntur, quanquam eodem ferramento cerebri membranam cuſtodiant. Eſt enim lamina ferrea anguſtior ab ea parte, qua os tangit, aſpera, ab altera lævis, non recta, ſed media, duobus locis recurvata. Caſtell. A Græcis μηνιγγοφύλακα quoque vocari membranam, quæ priorem cerebri ventriculum contegit, ſcribit Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 9. *in Schol.* verum autoritatem reperire hactenus non licuit.

MENINX, μῆνιγξ. Vide *Membrana*; *Hymen.* Quomodo vox *Meninx* ſpeciatim membranis cerebrum involventibus ab Anatomicis attribuatur, vide *Craſſus. Medius. Tenuis. Leptos.*

MENIS, μῆνις, idem, quod ὀργὴ, *ira gravior*, h. e. diuturna injuriarum memoria, & cum vindictæ deſiderio reminiſcentia. Hinc μηνιᾷν dicitur de illis, qui implacabiles ſunt. Jul. Alex. *not. in Galen. l. de dign. & cur. aff. anim. prop. c.* 5.

MENO, μένω, i. e. *maneo*, unde μονὴ, *manſio*, μόνιμος, *permanens*, ſtabilis, Hippocr. 1. *aph.* 3. Dieter. *Iatr. num.* 534.

MENOS, μένος, ſignificat *robur*, vim, vehementiam, idem, quod ἰσχὺς, vel δύναμις. Ita vini μένος legitur apud Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 41.

MENS, νοῦς, γνώμη, διάνοια, idem, quod *Animus.* Dicitur κατ' ἐξοχὴν quoque de ſummo creatore, Gal. *l.* 17. *de V. P. c.* 1. Lang. *l.* 1. *ep.* 14. Reliqua vide ſupra in *Animus* & *Gnome.*

MENSA, τράπεζα, quid ſignificet, pueri quoque norunt. Pertinet ad Inſtrumenta Diætetica, pro cibatione peragenda: Pharmaceutica, ad medicamenta ſuper illa præparanda: ad Chirurgica & Anatomica, pro utriſque operationibus perficiendis. Accipitur etiam tropice haud raro pro ipſis alimentis, & cibandi ratione. Ita dicitur *Menſa prima*, *ſecunda*, &c. *Menſæ* Italicæ & Siracuſanæ olim damnatæ à Platone, ceu nimium largæ & lautæ, teſte C. Hofm. *C. in Gal. LL. de V. P. n.* 505. *Menſa* quoque, τράπεζα, tropice dicitur pars ſuperior plana dentium maxillarium ſive molarium, quia veluti ſupra *menſam* collocantur cibi. Fallop. *Expoſ. de Oſſib. c.* 16. *Tom. I. p.* 504.

MENSIS, μὴν. Vide *Men.*

MENSTRUATIO Blaſio vocatur fluxus menſium naturalis in fœminis, *Med. Univ. p.* 10. & 452.

MENSTRUUM apud Latinos Homonymum eſt in Medicina. Uſitatiſſima ſignificatio eſt, quando notat Excernendum vel Excrementum naturale ſanguinis, in ſexu fœminino, ætate adulta, utplurimum per ſtata menſis Lunaris, ſive quatuor ſeptimanarum intervalla repetens, Græce καταμήνια, ἐμμήνια dictum, cujus cauſſam optime referre licebit in Creatoris ſapientiſſimum inſtitutum, & ſanguinis copiam turgeſcentem, ut natura non poſſit diutius retinere. An Lunæ quoque influxus, & virtus quædam huc aliquid conferat, arduum eſt determinatu. Siquidem non in omnibus idem tempus obſervatur excretionis, dum apud alias circa plenilunium, alias novilunium, alias vero circa quadraturas, imo apud quaſdam etiam diebus intercalaribus

laribus contingat. Sanguinem non ſucceſſive ad uterum colligi intra illud temporis ſpatium, ſed demum circa inſtans effluxus tempus eo moveri, ſatis teſtari videntur lumborum laterisque dolores ex illo motu eo tempore oborti, Walæus *Ep. 2. de motu ſanguin. Menſtruus ſanguis* ſi corrumpitur, & diſpoſitionem præternaturalem acquirit, fit variorum graviſſimorum morborum autor & cauſa, uti paſſim ex veterum & recentiorum Medicorum monumentis prolixe demonſtrari poſſet, niſi inſtituti ratio prohiberet. Altera ſignificatio eſt Chymica & Pharmaceutica, quando *Menſtruum* vocatur *Liquor*, cujus beneficio *Extracta* fiunt, Schrod. *l. 2. c.* 57. Dividuntur in *Naturalia* & *Artificialia*, Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Plura vide in Rolfink. *Chym. l. 2. c.* 14. An detur *Univerſale* omnia corpora ſolvens, quod vocatur *aqua ſapientiæ*, *Mercuriale Philoſophorum*, *Aqua Cœlica*, omnium horarum homo, vinum animatum &c. dubitatur. Solliciti quidem ſunt de eo Spagyrici, verum placet nobis ἐπίκρισις Rolfink. *d. l.* Inconcuſſæ veritatis Theſis eſt: non datur *Menſtruum*, omnia corpora promiſcue ſolvens. Agens non agit pro ratione patientis, ſed diſpoſitione patientis. De diviſione *Menſtrui* in *Vegetabile* & *Minerale* videatur *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 224. *ſeqq.* De *Minerali* legatur etiam Beker. *in Oedip. Chym. Tit.* 5. §. 2. *Menſtruum Philoſophicum* habetur ſpiritus Aceti fortiſſimus, de quo legatur ex Jac. le Mort *Collect. Chym. Leid. c.* 7. *Menſtruum Circulatum* eidem eſt Spiritus Nitri dulcificatus, *d. l. c.* 303. Egregie quoque & ſuccincte de Menſtrui Chymica ſignificatione & ejus ſpeciebus ſcripſit Iunken *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 4. *p.* 53. *ſeqq.*

MENSURA, μέτρον, accipitur 1. late pro omni determinata & congrua alicujus rei quantitate, quæ optima habetur, Gal. *l.* 1. *cogn. & cur. propr. anim. morb. cap.* 3. & ita quoque pro cibi menſura rebusque ſolidis, quin & aliis rebus non naturalibus *l. de Conſuet. c.* 4. Deinde ſtricte ſignificat vaſculum quantitatis certæ, ſiccæ, aut humidæ, *l. de pond. & menſ. c.* 1. h. e. cujus cavitate recipiente certa quantitas determinatur & judicatur. Ægînet. *l.* 7. *c.* 26. Refer huc ea, quæ infra ad vocem *Pondo* e Diſſertatione Rhodii *de Acia* producta invenies.

MENTAGRA, μεντάγρα, idem, quod *Impetigo*, *Lichen*. Vide ſupra *Impetigo*.

MENTALIS eſt epitheton muſculi, qui plane membranaceus, & e medio menti ad labium inferius inſeritur. D. Bidloo *Anat. Tab. XII.*

MENTULA, idem, quod *Penis*, ſive *Membrum virile*, de quo vocab. Rolfink. *de part. genit. B. I. cap.* 43. Idem tamen etiam tribuit *Clitoridi*, *d. l. P. II. c.* 42. De *mentula* e capite & occipitio propendente vide *Eph. Nat. Cur. A. III. O.* 42.

MENTULAGRA, ſignificat morbum membri genitalis virilis, quando muſculi & nervi illud erigentes vel convulſi vel contracti ſunt, quales ægri *Spadones* proprie dicuntur, notante P. Ammann. *Irenic. p.* 146. Vide *Spado.*

MENTUM, γένειον, vide *Geneion.* Dicitur omne id, quod labro inferiori longa & orbiculari figura ſubjacet. *Introd. c.* 19.

MEPHITIS, μεφῖτις, dicitur fœtor ex ſulphure accenſo, de quo Jul. Alex. *Not. in Gal. l.* 7. *de V. P. cap.* 8.

MERCAVACH, id eſt, *Thronus Dei*, vel ejuſdem fulcrum. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 101.

MERCES, μισθὸς, quandoque etiam uſurpari ſolet pro *Soſtro* & *Honorario*, quod Medicis debetur pro opera præſtita; & illi quoque quandoque honeſta ratione exigere poſſunt ab ingratis & incivilibus. Rhod. *ad Scribon. n.* 271.

MERCURIALIS, epitheton eſt non ſolum rerum & medicamentorum, quæ ex Mercurio parantur; ſed etiam humoris melancholici, qui *Humor Mercurialis* appellatur; & morborum inde provenientium, *Morbi Mercuriales* dictorum. Blaſ. *Med. Univ. pag.* 346. 360. 443. Imo & ſpiritus, ceu cauſſæ ſanitatis & morborum, cauſſæ *Mercurialis* nomine exprimuntur. Significatio Botanica, quando herba quædam emolliens & in Clyſteribus uſitata *Mercurialis mas* & *fœmina* dicitur, non eſt hujus loci.

MERCURIUS, ἑρμῆς, vide *Hermes*. Præter illam ethnicam & aſtronomicam ſignificationem, terminus uſitatiſſimus eſt Chymicis & Spagyricis, quamvis ſub varia quoque ſignificatione. Libet ſaltem deſcriptiones Rulandi & Iohnſoni adjicere. *Mercurius* dicitur unum e tribus principiis corpus, in quo proprietas rerum continetur, item *Argentum vivum*. *Mercurius* eſt principium materiale, vaporoſum, naturæ aqueæ, ſubjectum nimirum generationis, cui per vim formatur, imprimitur forma & abſolutio adeſt. *Mercurius metallorum*, quinta eſſentia, & aqua permanens, ſpiritus, ſemen fœmininum, item *Mercurius metallorum* eſt *mercurius* corporis præcipitatus, corporalis, quando metalla ad primam materiam rediguntur, & ita in ſemetipſa præcipitantur. *Mercurius mineralium* eſt oleoſitas vel unctuoſitas de mineris auri & argenti tracta. *Mercurius*, Argentum vivum, CC. S. Z. item Auripigmentum. *Mercurius chambar* eſt magneſia, fluidum corpus & aqua. *Mercurius regeneratus* eſt primum Ens *Mercurii*. *Mercurius crudus* eſt is, qui nondum ſeparatus eſt à ſua materia, in qua generatus. *Mercurius laxus* eſt Turbith minerale. *Mercurius* à natura coagulatus eſt ſolidum metallum. Arte vero coagulatur, aut cum metallis aut cum mineralibus, vel ſine ipſis, per ſe aut per alia, extra mineralem naturam exiſtentia. *Mercurius cryſtallinus*, qui ſæpe ſublimatus eſt in formam cryſtalli & perſpicuitatem. *Mercurius corallinus*, qui per oleum ovorum & aquas alias in rubedinem corallinam eſt adductus. *Mercurium Metallorum*, ut & Antimonii inter Non Entia referre non eſt veritus B. Rolfink. *pec. tract. h. t.* quam tamen opinionem impugnavit

pugnavit Beker. *in Experim. Chym. nov.* P. Franciſcus Tertius de Lanis *Tom. III. Magiſterii Naturæ & Artis l.* 20. gloriatur, ſe multoties trium quatuorve horarum ſpatio ex ſingulis Antimonii communis libris tres fere uncias Mercurii vivi obtinuiſſe, argento vivo quoad externa accidentia prorſus ſimilis, quemadmodum legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1693. *m. April. p.* 347. Nonnulli ex recentioribus, inter quos & D. Etmüllerus *Mercurium* Metallorum vocarunt *Mercurium* Corporum, nulli dubitantes, cum beneficio ſalium alcalinorum, qua fixorum, qua volatilium elici poſſe, eumque ſublimioribus inſervire. An vero liquidum illud corpus, & in quod metalla perfectiora redigi poſſunt per dicta ſalia, revera cum *Mercurio* conveniat, non eſt noſtri inſtituti dijudicare. Interea triplex ex illorum hypotheſibus reſultat *Mercurius* : Vulgaris, Corporum, & Philoſophicus. *Mercurialis Sæva* eſt aqua aluminum, in qua Mercurius generatur. Eſt enim ſal purgativum aurei coloris, quod in ſalinis cavernis reperitur, foſſoribus optime cognitum : utuntur hoc per os ad pneumoniam. Rul. *Mercurialia* medicamenta dicuntur, quæ *argentum vivum* recipiunt. Venena *mercurialia*, quæ indolem *mercurii* ſive *hydrargyri* imitantur, & ſimilia ſymptomata excitant. Vide *Hydrargyros.* Junge Iunken *Chym. Exp. Cur. P.* 1. *ſ.* 1. *c.* 1. *p.* 27. 28. Idem Autor etiam plurimas *Mercuriorum* Chymicas præparationes ex aliis recentioribus Chemicis collegit *in Lexic. ſuo Chym. Pharm. Part. I. p.* 146. *ſeqq.*

MERDA, κόπρος, idem, quod *Stercus.* Vide *Copros.*

MERDASENGI, id eſt, de aduſto plumbo pulvis. Ruland. & Iohnſ. Fallop. putat eſſe Lythargyrium, *tr. de Metall. ſ. foſſil. c.* 27. *Tom. I. p.* 328.

MERDIVOMUS, κοπριήμετος. Vide *Copriemetos.*

MERENDA, προδείπνιον τὸ μετ' ἄριστον φαγεῖν, eſt *cibus poſt meridiem ſumtus* pueris, & fortius laborantibus, & fortaſſis quibuſdam morbo confectis reficiendarum virium gratia conceſſus, noxius & incontinentiæ ſignum, Mercur. *l.* 4. *V. L. c.* 17. *fin.*

MERGEN, *Baſſec*, id eſt, *Corallus*, Rul. & Iohnſ.

MERGUS, αἴθυια, nomen avis aquaticæ, cujus variæ dantur ſpecies. Deſcriptionem & uſum in cibis & medicina tradidit Aldrov. *l.* 19. *Ornith. cap.* 49. Specialiter, quod *Mergus* voraciſſima ſit avis & plurima concoquat, ob id ejus pellem cum plumis paratam à pellifice ſtomachoque applicatam vim concoctionis promovere, legitur & *in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 400. *ſeqq.*

MERICOS, μερικὸς, *partialis*, idem, quod τοπικὸς, *Localis.* Epitheton medicamentorum *Localium.* Gorr.

MERIDIES, μεσημβρία, dicitur 1. *medium diei*; & opponitur mediæ nocti. Sumitur tamen aliquando cum inſigni latitudine. 2. ſignificat *Medium Cœli*, ſive illam plagam cœli, ſub qua Sol apparet in diei meridio. Unde *Meridionales* populi & regiones dicuntur, qui ſub *meridie*, h. e. ſub *Meridiano* & *Medio cœli*, habitant. Gal. *l.* 2. *de Temper. c.* 6. Quid Spagyrici in opere Lapidis Philoſophici intelligant per *Meridiem* & *Mediam noctem* ænigmatice, meo judicio nec ipſimet noverunt. Meminit Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 7.

MERIMNE, μέριμνη, vide *Cura.* Legitur hæc vox apud Hippocr. *l.* 2. *de diæt. XXXIX.* 9. ubi ſimul effectus in corpus redundantes à cura proponuntur. Confer etiam ad Celſ. *l.* 1. *c.* 3. §. *De his, quæ extenuant corpus.*

MERLUCIUS, ὀνίσκος, qſ. *Maris Lucius*, piſcis vocatur, qui alias *Aſellus ſaxatilis marinus* dicitur, interque piſces etiam febricitantibus quandoque conceſſos refertur à Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 7. Laudatur & à Lang. *l.* 1. *ep.* 58. Vocatur & *Callarias.* Hiſtoriam & uſum vide prolixius apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 1. Adde Lind. *Ex. XI.* §. 14. & 133. 147. 205. 206.

MEROPS, μέροψ, nomen avis, quæ & *Meliſſophagus* dicitur, ideo, quod apibus inſidietur, cujus hiſtoriam & uſum vide apud Aldrov. *l.* 12. *Ornithol. c.* 45. Ejuſdem pietatem erga parentes etiam deprædicat Lang. *l.* 1. *ep.* 63.

MEROS, μέρος, Latine *Pars*, interdum & μόριον, generaliter dicitur id, quod totum eſſentialiter complet, atque integrat, vel in quod totum dividitur. Eſt enim vocabulum ex iis, quæ ad aliquid, ſive Relata dicuntur. Gorr. Quo ſuppoſito, facile liquet, quam graviter hallucinentur, qui in homine vivo, ceu ſubjecto Medicinæ, humores & ſpiritus e numero *Partium* excludere non verentur. Vid. Linden. *Ex. XV.* §. 68. *ſeqq.* Dogm. noſtr. P. *I. c.* 2. *p.* 24. *ſeqq.* Item Linden. *Medic. Phyſiol. lib.* 2. *c.* 2. *ſeqq.* Alias & vocabulum *Pars* ad ipſam Medicinam refertur, dum quædam *Miniſtræ*, & quædam *Principes* illius Artis *partes* conſtituuntur, uti paſſim in Compendiis & inſtitutionibus Medicis videre licet. Vide *Pars.*

MEROS, μηρὸς. Vide *Femur.*

MERSOR. Vide *Urinator.*

MERULA, κόσσυφος, κόττυφος, & nomen avis, & piſcis habetur. Avis hiſtoriam & uſum in cibis medicumque tradit Aldrov. *l.* 16. *Ornithol. cap.* 6. Laudat & Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 14. Piſcis vero deſcriptionem cum uſu Aldrov. *l.* 1. *de piſcib. c.* 6. Meminit & Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 28. *l. de bon. & mal. ſucc. cap.* 3. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 3.

MERULUS, αἰσάλων. Vide *Æſalo.*

MERUS, *Meracus*, ἄκρατος, in genere dicitur de omni illo, quod homogeneum, ſincerum, nullaque alia re permixtum eſt. Strictius tamen ſæpe ſumitur de *vino* aqua non diluto, ſincero, quod Hipp. 3. *de morb. XV.* 33. ἀκρητον οἶνον, vocat. Linden. *Ex. VII.* §. 24. Dieter. *n.* 33. Rhod. *in Lex. Scribon.*

MERYCISMOS, μηρυκισμὸς, vide *Ruminans. Ruminatio.*

MESARÆON, *Meſenterium*, μεσάραιον, μεσεντέριον, ſynonyma ſunt. Ita vero vocatur corpus membranoſum medium inter inteſtina ſitum habens, per quod varia vaſa, arteriæ & venæ *meſaraicæ* dictæ, venæ lacteæ, lymphatica vaſa, nervi quoque una cum multis glandulis feruntur, inteſtinis annexum; cujus pleniorem hiſtoriam vide apud Anatomicos, præſertim Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 12.

MESEL, *Moſel*, id eſt, *Stannum.* Iid.

MESEMAR, vide *Miſmar.*

MESENTERION, vide *Meſaræon.*

MESERA, id eſt, *Tutia Alexandrina.* Ruland. & Iohnſ.

MESES, μέσης, nomen venti, qui eſt medius inter *Cæciam* & *Aparctiam.* Gal. *com.* 3. *de humor. t.* 13.

MESIANUM, μεσιανή, nomen Emplaſtri, quod alias ἀνίκητον dicebatur, Autor ejus fuit Crito, & deſcribitur à Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2. Vide *Anicetum.*

MESIRE vocatur affectus quidam hepatis cum gravitate conjunctus, cujus ſigna ſunt tumor, inflammatio, mordicatio, denigratio linguæ. Avic. *l.* 3. *fen.* 14. *tr.* 3. *c.* 5.

MESOCOLON, μεσόκωλον, generaliter ſignificare videtur apud Hipp. *membranam medianam* quandam, vel interſtitium. 6. *Epid. ſ.* 4. *t.* 7. Strictius vero dicitur de parte *Meſenterii*, quæ inteſtina craſſa, præſertim colon, annectit in dextro & ſiniſtro latere, & parte infima recto inteſtino adhæret. Gal. *com. ad d. l.* Gorr. Foëſ. *Oec. p.* 408. Barth. *l.* 1. *Anat. c.* 12.

MESOCRANON, μεσόκρανον, idem, quod κορυφή, *vertex.* Gorr.

MESODME, μεσόδμη dicitur *trabs grandior tranſverſa*, Lat. *Medianum*, quæ ab una domus parte ad alteram tranſit, & alias minores trabes ſuſtinet. Hipp. 4. *de artic. t.* 43. Foëſ. *d. l.*

MESOGLOSSI ſunt iidem Muſculi, qui alias dicuntur *Genioglosſi*, Bartholin. *l.* 3. *Anat. cap.* 12. *p.* 549.

MESOMPHALION, μεσομφάλιον, idem, quod ὀμφαλός, *umbilicus.* Gorr.

MESOPHRYON, μεσόφρυον, dicitur Ruffo ea pars faciei, quæ inter ambo ſupercilia media eſt, ſupra naſum, ad frontis finem ſita, & quia depilis eſſe ſolet, Capella lepide vocavit *Glabellam.* Gorr. Dicitur alias etiam μετώπιον. Junge Keuchen. *ad Sammonic. p.* 230.

MESOPLEURIOS, μεσοπλεύριος, epitheton *muſculorum Intercoſtalium*, πλευρὸν enim coſtam ſignificat; quemadmodum & loca illa *Intercoſtalia* μεσοπλεύρια vocantur, Gal. *l.* 7. *de Uſ. P. c.* 21. & *l. de muſc. diſſect. c.* 23.

MESOPOTAMENON, μεσοποταμηνὸν, eſt ſpecies unguenti *Oenantharii*, h. e. ex vino & flore liliorum alborum parati, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 21.

MESOS, μέσος. Vide *Medius.*

MESSIS, ἄμητος, τρυγητὸς, dicitur illud anni tempus, quo ruſtici ſegetem maturam metunt. Gal. *l.* 1. *de Antidot. c.* 18. *Meſſis* quoque ab eodem refertur inter Exercitationes corporis fortiores, *l.* 2. *de San. tu. c.* 8. Alias vocab *Meſſis* allegorice quandoque accipitur pro maturitatis tempore, v. g. *Meſſis Mineralium.* Th. Chym. *Vol. I. pag.* 572. & Sibold. Hemſterhuis edidit libellum, quem inſcripſit: *Meſſis Aurea Anatomica.*

MEST, id eſt, *lac acetoſum. Miſal*, *Moſal.* Rul. & Iohnſ.

MESTOR, μήστωρ, dicitur *Artifex peritus.* In ſpecie de Chirurgo uſurpatur ab Hipp. *l. Mochlic. XXII.* 8. Jung. Foëſ. *p.* 414.

MESTOS, μεστὸς, *plenus*, refertus. Hippocr. 5. *aph.* 45. Dieter. *n.* 536. Idem, quod μεμεστωμένος. Linden. *Ex. X.* §. 251.

META, καμπτήρ. Vide *Campter.*

METABASIS, μετάβασις, dicitur *Tranſitus*, vel *tranſgreſſio* Medici ab una indicatione ad aliam, ab uno remedio ad aliud, quæ debet fieri cum prudentia, non temere, aut cum violentia, uti colligitur ex Hipp. 2. *aph.* 51. & 52. ubi verbum μεταβαίνω, *tranſeo*, legitur. Jung. Dieter. *n.* 538. Fere idem eſt, quod μεταβολή, *mutatio*, niſi quod hæc latiorem habeat ſignificationem.

METABOLE, μεταβολή, idem, quod μεταλλαγή; ſignificat *mutationem.* Dicitur vero in Medicina de omnis generis rebus, de anni temporibus, de victu, remediis, cauſſis morbificis &c. Vide Foëſ. *p.* 408. Dieter. *n.* 540. Ubi quidem in genere notandum, quod omnes magnæ & celeres *mutationes* ſint vitandæ, Gal. *comm.* 2. *de humor. t.* 29. 2. *de R. V. I. A. t.* 52. *Mutatio* à contrario in contrarium debet fieri per elementum intermedium. *Th. Ch. Vol. V. p.* 55. Quod vero *mutatur* de ſpecie in ſpeciem, debet reduci in primam materiam. *Ibid. p.* 543. Criſis quoque dicitur *mutatio* repentina. De *mutatione* ſexus pro & contra quædam propoſuit Rolfink. *de part. genital. Part. I. c.* 2. & 3. Vide *Tranſmutatio.*

METACARPION, μετακάρπιον, *Metacarpus*, *Poſtbrachiale*, dicitur pars manus extremæ media inter digitos & carpum ſive brachiale, cujus interior pars dicitur *vola*, θέναρ, ὑπόθεναρ, exterior *dorſum*, ὀπίσθεναρ. Alii tribuunt *metacarpo* quinque oſſa tertium os pollicis quoque annumerantes; alii vero quatuor. Nobis perinde erit. Vide Barthol. *Anat. l.* 4. *c.* 1. & *libell.* 4. *c.* 20.

METACERASMA, μετακέρασμα, ſignificat *temperatam aquæ mixturam*, eſtque idem, quod κέρασμα; quando aqua frigida mutatur in temperatum & veluti lacteum teporem, Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 49. Gal. *comm. ad h. l.* Foëſ. 409.

METACHORESIS, μεταχώρησις, ſignificat ſeceſſionem materiæ morboſæ in aliam partem, atque ita idem

idem eſt, quod μετασύσις, de quo nomine p. p. Illud legitur apud Dieter. *Iatr. num.* 589. *p.* 879.

METACHEIRIXIS, μεταχείριξις, idem, quod χείριξις, tractatio manuaria. Vide *Cheirixis*.

METACINEMA, μετακίνημα, dicitur *dimotio* vel *tranſmotio*, uſurpaturque de pupillis, Hippocr. 2. *Prorrhet. XXIIX.* 28. Verbum etiam μετακινέειν ſumitur pro *tranſmutare*, proprie *tranſmovere*, ſive loco movere, Hipp. *l. de loc. in hom. LV.* 1. *ſeqq.* Lind. *Ex.XIII.* §. 329. *ſeqq.*

METACONDYLI, μετακόνδυλοι, dicuntur, teſte Ruffo, poſtremi digitorum articuli unguibus proximi; quemadmodum medii κόνδυλοι, & primi metacarpio proximi προκόνδυλοι. Gorr.

METAGRAMMATISMOS, μεταγραμματισμὸς, *Tranſliteratio*, ſignificat permutationem veteris literaturæ in recentiorem. Gal. *comm.* 2. *de iis*, *q. in med. t.* 23.

METALEPTICOS, μεταληπτικὸς, i. e. *tranſumtivus* vel *tranſlativus*, & dicitur de motu quodam, quem natura muſculis quibuſdam conciliavit, & ſimilis eſt motui ſive tenſionis ſpeciei illi, quæ à ſuperiori laqueo Gloſſocomii perficitur. Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 14. *l.* 6. *meth. med. c.* 5. *ad fin.*

METALLAGE, μεταλλαγὴ, idem, quod μεταβολή. Vide *Metabole*. Jung. Dieter. *n.* 541.

METALLUM, μέταλλον, proprie dicitur corpus perfecte mixtum ſubterraneum durum, ponderoſum, ductile, fuſile, ex ſulphure & Mercurio, ſive aqua mercuriali conſtans. Plura de *metallorum* deſcriptione, generatione, principiis vide apud Cæſal. *de metall.* Georg. Agricol. *h. t.* Th. Chym. *Vol. I. & ſeqq. paſſim.* Schroder. *l.* 3. *c.* 11. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Beker. *in Metallurgia.* Aldrov. *in Muſæo Metallico*, &c. Numerantur ſex: Aurum, argentum, ferrum cum chalybe, ſtannum, cuprum, plumbum. Dantur & alia corpora, ſed imperfectiora, ut cachimia, electra, de quibus ſuis locis, quæ vocantur commode τὰ μεταλλικὰ, *Metallica*, Th. Chym. *Vol. I. p.* 588. *ſeqq.* item Mineralia. Libav. diſtinxit *Metalla* in *Naturalia*, & *Sapientum*. Illa numerat ſeptem, addens antea dictis ſex adhuc Calaemum. Hæc vocat aurum Philoſophorum, argentum Philoſophorum; Deinde & Mercurium Philoſophorum &c. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 18. Quæ Helmontii ſit de *Metallis* ſententia, inquiratur in Indice Operum ſuorum. *Metallum currens* dicitur Mercurius vivus, Rul. & Iohnſ. Metallum ſtricte dictum vocatur Mixtura metallica ex cupro & ſtanno, vel plumbo, ut & pauca quantitate argenti, quod ponderoſius eſt *metallis* ſimplicibus ob denſitatem majorem, ſed & propterea fragilius, quia flecti nec reſilire nequit. Jac. le Mort *Metallurg. contract. Chymiæ annexæ p.* 272.

METALLURGIA vocatur pars Chymiæ inſerviens ſubterraneorum, metallorum & mineralium præparationi & depurationi ad uſum Medicum neceſſariæ. Jac. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c.* 1. *p.* 2.

METALLUS ab Helmontio propria contra uſum Grammaticum autoritate vocatur cum additione *primus vel maſculus*, Minerale quoddam ex Mercurio & Sulphure metallicis conſtans, & communiter credunt eſſe *cinnabarin nativam.* tr. Recepta Injecta, in appendice. A Paracelſo *Electri minoris immaturi* nomine venire ſcribit Iunken *Chym. Experim. P.* 1. *ſ.* 5. *c.* 1.

METAMORPHOSIS, μεταμόρφωσις. Vide *Tranſmutatio*. Alias vocabulum hoc Græcum ſumitur pro ſpecie generationis vel formationis animalium, quando vermis ex ovo naſcitur vel ex eruca ad perfectam magnitudinem aucta vel ex aurelia papilio, & opponitur τῇ ἐπιγενέσει, quando per partium additionem animalia nata adoleſcunt. De utraque legatur Guil. Harveus *de generat. animal. Exerc.* 45. quam tamen opinionem ſuſpectam reddit Oliger Jacobæus *de Ran.* & *Lacert. c. I. p.* 10. *ſeq.*

METAPEDIUM, μεταπέδιον, idem quod *Metatarſus*, cujus oſſa ſunt quinque, de quibus vide Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 21.

METAPHRENON, μετάφρενον, idem, quod νῶτος, *Dorſum.* Vide ſupra lit. D.

METAPOROPOEIA, aut *Metaporopœeſis*, μεταποροποιΐα, μεταποροποίησις, eſt exiguorum meatuum corporis mutatio à ſtatu p. n. ad naturalem, & ita idem, quod μετασύγκρισις, Gal. *l.* 4. *meth. med. c.* 4. Unde & curatio *metaſyncritica* à Methodicis appellata, quæ in inveteratis affectionibus adhibebatur, cum nihil profeciſſent reliqua auxilia, *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 2. Habent autem μετασυγκρίσεως facultatem præter medicamenta alia etiam plurima, ut varia geſtationum genera, deambulationes, vocis exercitia, unctiones, cucurbitæ, dropaces, inſolatus, frictiones, pſilothra, ſmegmata, ſinapiſmi, vomitus, vires reficiens, victus, balnea, vinum, varius cibus, ut ſcribit Æginet. *lib.* 5. *c.* 3. & *l.* 3. *c.* 63. & 68. ubi Latine redditur *Recorporaticium.* Apud Dioſcor. etiam complectitur μετασυγκριτικὴ δύναμις virtutem ex alto evocandi, *l.* 4. *c.* 157. Jung. Foëſ. *p.* 409. Quid Oribaſius fermentum μετασυγκριτικὸν vocaverit fermentum antiquum, videatur *l.* 1. *Synopſ c.* 11. allegante Velſchio *in Sylloge Obſ. ad Marc. Cumani obſ LI. p.* 67.

METAPTOSIS, μετάπτωσις, dicitur *permutatio alicujus morbi* in alium, priori ceſſante, fitque duplici modo, vel per διαδοχὴν, aut per *metaſtaſin. Diadoche* fit bonis ægri rebus, cum morbifica materia ad ignobiliorem partem, ſuperne deorſum, intus foras, & procul à morbi foco excluditur. *Metaſtaſis*, contrario ſe habet modo & periculoſa. Heurn. *l.* 2. *Inſt.* Diet. *n.* 543. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 47. Verbum eſt μεταπίπτω, tranſeo, *permuto*, quo etiam Hipp. in eadem ſignificatione uſus Hipp. 1. *Prorrh. ſect.* 1. *t.* 12. 27. *ſect.* 2. *t.* 8. 43.

METARSIOS, μετάρσιος, *elevatus*, *ſublimis*. Uſurpatur de diverſis rebus. Facies *elevata* legitur in Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. III.* 2. Lectus *elatus*, vel *ſublimis* *l.* 1. *de tit. XCIII.* 15. Reſpiratio *ſublimis*, *l.* 2. *XXII.* 2. Vid. Foëſ. *p.* 409.

METAS, id eſt, *pondus*, mecal, mekal. Ruland. & Iohnſ.

METASTASIS, μετάστασις, vide *Metaptoſis*. Sumitur & pro ſolutione morbi, 5. *aph.* 7. Dieter. *n.* 543.

METASYNCRISIS, μετασύγκρισις. Vide *Metaporopœia*.

METATARSIUM, *Metatarſus*, μετατάρσιον. Vide *Metapedium*.

METATHESIS, μετάθεσις, *Tranſpoſitio* Lat. dicitur. Refertur à Rolfink. inter indicationes præſervatorias, quando cauſſa morbifica ſolida, quæ evacuari nequit, in alium locum, ubi minus nocere poteſt, *tranſponitur*, e. g. quando calculus veſicæ retro pellitur, aut cataracta in oculo acu deprimitur. *O. & M. M. Sp. l.* 4. *ſ.* 2. *c.* 14.

METAXA, μέταξα, vocatur Actuario & Nicolao Myrepſo *Sericum* & μεταξωτὸν, *ſericeum*, ſicut ex illis notavit Scapula *in Lexico.* Occurrit etiam in Corpore Juris *l.* 39. *ff. de public. & vectig.*

METEMPSYCHOSIS, μετεμψύχωσις, terminus Philoſophicus potius, quam Medicus, notans *tranſmigrationem animarum*, commentum Pythagoricum, & Platonicæ Philoſophiæ, de quo legatur Jul. Alex. *l.* 22. *Sal. cap.* 7. C. Hofm. *C. in Gal. LL. de V. P. n.* 18. 19.

METEOROS, μετέωρος, proprie dicitur *pendulus*, *ſuſpenſus*, in ſublime elatus, ſublimis. Uſurpatur ſæpe ab Hippocr. v. g. de hypochondriis elatis ſeu tumidis, 4. *aph.* 73. & 5. *aph.* 64. Tales etiam tumores vocantur μετεωρισμοὶ, quamvis & μετεωρισμοὶ apud eundem dicantur *ægrorum ſurrectiones*, dum exurgendo ſeſe attollunt & reſident, *ſect.* 2. *Progn. t.* 6. & *Coac. t.* 493. Porro μετέωρα quoque dicuntur πνεύματα καὶ ῥεύματα, humores & ſpiritus *ſublati* & *penduli*, qui non fixi, ſed ad fluxum & motum habiles atque diſpoſiti, 4. *de R. V. I. A. t.* 28. aut humores excernendi, *l. de vet. med. XXXIV.* 13. Partes quoque ſolidæ in aëre veluti *ſuſpenſæ*, nec *ſuſtentatæ*, v. gr. cubitus, 1. *de fractur. t.* 52. Reſpiratio ſublimis, πνεῦμα μετέωρον, Hippocr. aliquando dicta, ubi cum ſcapularum muſculis agitatis fit reſpiratio, Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 4. *de L. A. c.* 8. Dieter. *n.* 544. Dolores ſuſpenſi, ἀλγήματα μετέωρα, qui in ſuperficie corporis fiunt, Foëſ. *p.* 410. Tropice quoque antiquis μετέωρος dicebatur *animi pendulus*, qui dubius & anceps nihil certe ſtatuit. Gal. *cap.* 4. *de R. V. I. A. t.* 118. & *Res ipſæ incertæ*, μετέωρα πράγματα, quorum eventus expectatur, Foëſ. *d. l. p.* 411. μετεωρία quoque uſurpatur pro ἀβλεψία, *incogitantia*, quod Hipp. alibi ὑπερορᾶν, q. d. ſupervidere. C. Hofm. *in Gal. LL. de V. P. n.* 416. Alias in Phyſicis *Meteora* vocantur phænomena in æthere vel aëre diverſa, quorum alia ignita; alia aquea &c. de quibus legantur ſcripta Phyſicorum, in ſpecie etiam Joh. Marc. Marci *Phil. Vet. reſt. P.* 2. *ſect.* 5. Schr. *l.* 1. *c.* 4. de *Meteoris Microcoſmicis* Obſervationes *in Eph. N. Cur. A. I. Obſerv.* 77. Quid Paracelſus per *Meteoricam ſagacem* & *minorem* velit, Lector ipſe colligat *ex Philoſ. ſagac. l.* 1. item per *Meteoricam cœleſtem*, *l.* 2. Uno verbo, ſunt Ænigmata Bœotica.

METER, μήτηρ. Vide *Mater*.

METEXETEROS, μετεξέτερος, Hippocr. dicitur *alius*, aliquis, quidam, 2. *de fract. t.* 18. 3. *de art. t.* 59. *ſ.* 3. *t.* 82. 93. *ſ.* 4. *t.* 26. Foëſ. *d. l.*

METHE, μέθη, vide *Ebrietas*. Verbum μεθύω, *inebrio*. Hipp. 5. *aph.* 5. Dieter. *n.* 524.

METHEMERINOS, μεθημερινὸς, idem, quod καθημερινὸς, epitheton febris *quotidianæ*, quæ ad integritatem non definit. Gorr.

METHODUS, μέθοδος, æquivocum eſt in Medicina: 1. & primario ſic dicitur via & ratio, qua quid in arte inveſtigamus, & quæ probe ſunt inventa approbamus, retinemus, exequimur, quæ minus recte redarguimus. Galen. *l.* 1. *Meth. med. c.* 4. Foëſ. *p.* 401. Jungatur Celſ. Martinengus *de Methodis*. Huc pertinet *Methodus medicinalis*, quæ eſt pars Medicinæ princeps, monſtrans modum agendorum pro obtinenda ſanitate; & in ſpecie *methodus medendi*, quæ eſt brevis, certa & tuta via reducendi ægros ad ſanitatem priſtinam. Utriuſque *Conſervativæ* & *Curativæ Methodi* carceres ſunt Indicationes, *Dogm. Med. Gen. P.* 4. *c.* 1. *ſeqq.* Linden. *Ex. IIX.* §. 62. Deinde abuſive aut ſaltem φαινομένως, ſignificat μέθοδος illam viam artis, qua ſaltem per paucas quaſdam communitates apparentes ad artis finem obtinendum nonnulli tendunt. Unde & hujuſmodi Medici *Methodici* dicebantur, ut & ab Autore *Theſſalo Theſſalici*, contra quos acriter pugnavit in ſcriptis ſuis Galen. Summa reprehenſionis hæc eſſe poterit, quod ſcripſerit, *Methodicam hæreſin* omnia artis bona deſtruere, *l.* 2. *ad Glauc. c.* 2. Denique apud Hippocr. quoque μέθοδος ſignificat *ſeceſſum*, digreſſionem, aut tranſmigrationem, *l. de ſeptimeſtri partu. IV.* 14.

METHYPOSTROSIS, μεθυπόστρωσις, Hippocrati *lecti ſubſtrationem* vel permutationem ſignificat, 2. *de fract. t.* 64.

METOPION, μετώπιον, nomen *unguenti*, eſtque idem, quod *Mendeſium*, vel *Ægyptium*. Vide *Mendeſium*. Deſcriptionem vide apud Dioſc. *l.* 1. *c.* 71. Ægin. *l.* 7. *c.* 20. qui ita dictum putat à *Galbano*, cujus germen μέτωπον vocatur. Occurrit & apud Hippocr. *l. de Loc. in hom. XX.* 6. quamvis Foëſ. exiſtimet, frequentius adhuc allegari *in l. de ſuperfœtat. & libr. de morb. mul.* ſub vocabulo μέτωπον, quod *dd. ll.* aliquoties occurrit, *Oec. p.* 411.

METOPON, μέτωπον, vide *Frons*. Hinc μετωπιαῖος, dicitur *ad frontem pertinens*, v. g. ſudor *frontis*, Hipp.

l. 2. de morb. mul. LVI. 6. & de faſcia *frontis*, Gal. *l. de faſciis c. 5.*

METRA, μήτρα, *Uterus*, *Matrix*, locus, in quo fit conceptio, dicitur. Vide *Hyſtera*, *Matrix*. Ita vero vocatur, quod ex ea veluti matre omnia animantia oriantur, vel quod matres efficiat, vel quod ſit menſura, μέτρον, temporis certi ad purgationes & partus. Μῆτραι etiam in plurali pro *ſecundinis* ponitur. Hippocr. *l. de nat. mul. XC. 1.* quamvis Linden. ſcripſerit ὑστερίων. Et ſi Gal. fides eſt *in exegeſi Hipp.* μήτρη idem eſt quod ἐπίδιδυμις, quam definit, quod ſit varicoſus tumor teſti incumbens, ſed Foëſ. hoc loco legi mavult μύτρη, an recte, non eloquor.

METRENCHYTES, μητρεγχύτης, vocatur inſtrumentum & ſypho, quo fit injectio liquoris medicati in uterum. Gal. *l. 5. meth. med. c. 5.* Ejus delineationem vide apud Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XIII. fig. 2.* & modum applicandi *T. XLIII. f. 6.* Hinc & illa medicamenta liquida vocantur μητρέγχυτα, Schr. *l. 2. c. 45.* Lang. *l. 1. ep. 80.* Rolf. *O. & M. M. Sp. l. 9. ſ. 6. c. 7.*

METRETES, μετρητής, *metreta*, id eſt *Cadus*. Vide ſupra. Menſura maxima apud Atticos, capiens choas 12. aut libras 108. Gorr.

METRIOS, μέτριος, *mediocris*, τὸ μέτριον, vel μετριότης, *mediocritas*. Vide ſupra. Hipp. *2. aphor. 3. & 4.* Dieter. *n. 545.*

METROCELIDES, μητροκηλίδες, h. e. *Nævi Materni*. Hanc Græcam vocem finxiſſe nobis videtur Caſp. Theoph. Bierlingius *in Theſibus Medico-Practicis p. 193.* quia in nullo Lexico vel alio Autore reperire licuit. Enimvero ſi cuivis licebit fingere nomina, proh Deum immortalem! quanta farrago vocum inde reſultabit.

METRON, μέτρον. Vide *Menſura*.

METROPOLIS, μητρόπολις, proprie ſignificat arcem, caſtellum, urbem alicujus regionis primariam munitiſſimamque. Tropice uſurpatur de cerebro, & de calore. Hipp *l. de Carnib. ſ. de principiis, IV. 11. 12.*

METROPROPTOSIS, μητροπρόπτωσις, id eſt, *procidentia uteri*. Vide *Procidentia*. Item Emplaſtrum μητροπροπτωτικόν, hujus deſcriptio legitur *in Pharmacopœa Collegii Londinenſ. p. m. 394.*

METUS, φόβος. Dieter. *n. 906.* idem, quod *Timor*, Pavor, vocatur affectus quidam animi, cujus character in hoc conſiſtit, quod fiat animæ veluti contractio, & ſpiritus animales à ſuperficie corporis ſubito recedant, & à ſolitis functionum ſuarum muniis inhibeantur: *Metus* cum extremus eſt, degenerat in deſperationem. Willis *tr. An. Br. P. 1. c. 9.* & Charlt. *Ex. IIX. Path. §. 24.* Refertur inter morbos infantum, ab Hipp. *3. a. 24.* & inter cauſſas morborum à Rolf. *O. & M. M Sp. l. 2. ſ. 3. c. 104.* Remedia vero exhibet contra illum *l. 14. ſ. 3. c. 10.*

MEVIUM à Germanis vocari morbum Gallicum, autor eſt Fallop. *de Morb. Gall. c. 2.* *mevium* notare obſcœnum, verum quæ Germaniæ regio hoc termino utatur, nobis non conſtat.

MIASMA, μίασμα, *Inquinamentum*, idem, quod *Contagium*, de quo ſupra lit. C.

MICA, ψίξ, ψιχίον, dicitur communiter minutiſſimum fruſtulum panis friati. Ita *Mica panis albi* toſti ingreditur pulveres pepticos apud Craton. *in Conſiliis* aliquoties. *Mica* vero etiam prædicatur de ſabulo lucido, argenti vel auri colorem referente, vulgo *Argentum felium* dicto, *in Ephem. N. Cur. Ann. II. Obſ. 78.*

MICATIO, στίλβη, στίλβωσις, idem eſt quod *fulgor*, *coruſcatio*, ſplendor. Hodieque tamen dicitur quoque de *ſanguinis undulatione*, & palpitatione aliqua, quæ oritur ex lucta portionum activarum & ſpirituoſarum cum craſſioribus & paſſivis. Vide Charlon. *Oec. Anim. Ex. V. §. 16.*

MICHA, *Michach*, i.e. *Venus*, *Cuprum*. Rul. & Iohnſ.

MICLETA, id eſt, experta, nomen eſt Opiatæ cujuſdam, cujus deſcriptio habetur in Antidotario Nicolai apud Meſuen *Operum fol. m. 386.* & vi pollet adſtringente in alvi & ſanguinis fluxibus. Extat etiam *in Diſpenſator. Auguſtano.*

MICROCOSMETOR, terminus novus à D. Dolæo fictus, denotans auram quandam diviniorem toti mundo coëxtenſam, in prima creatione ſenſu donatam, & eſſe à ſpiritibus animalibus diſtinctum quid, illis vero uti tanquam præcipuo ejus inſtrumento, & in brutis ſolum dominari, in hominibus vero, ubi anima rationalis conjuncta eſt, ſub hujus imperio ope ſpirituum animalium ejus juſſa exequi, quemadmodum ita explicavit *in Encyclopædiæ præfatione ad Lectorem.* Sedem ſuam habet in cerebro, & ſpiritibus animalibus à ſanguine nimis efferveſcente & ſcoriis ſulphureis referto offenſis & commotis, *Microſmetor* fit *Coſmetorges*, h. e. Rex iræ, uti hoc fuſius propoſuit *l. 2. Encyclop. c. 2.* Vide *Coſmetorges.*

MICROCOSMUS, μικρόκοσμος, vocatur *Homo* ad differentiam *Macrocoſmi*, ceu mundi majoris. Quod epitheton valde arridet Paracelſicis & Spagyricis. Rul. & Iohnſ. ita deſcripſerunt: *Microcoſmus* eſt parvus & medius mundus inter firmamentalem & elementalem ſitus naturaliter, qui de utroque participat, i. e. *homo*: quia quicquid in illis realiter & actu continetur, in homine pariter habetur ſpiritualiter & potentia. Quo fit, ut una ſit illius & eadem, quæ de illis fieri poteſt ac debet Anatomia Philoſophica vera, non mortua cadaveris, ſed viva eſſentialis pariter ac eſſata. Prolixius hæc deducta legantur in Th. Chym. *Vol. V. p. 369.* & Baſ. Valent. *Opuſc. Germ. de Microcoſmo.* Quamvis vero non penitus improbanda ſit illa comparatio *Hominis* cum Mundo univerſo, & ita nomen *Microcoſmi* illi abſque veritatis jactura tribui poſſit, approbante quoque inter Patres Eccleſiæ Joh. Damaſceno, & allegante C. Hofm. *c. in Gall. LL. de V. P. n. 157.* Nihilo tamen minus merito animadverterunt viri docti & Chymici periti in Paracelſ. & ejus ſectatores, quod Elenchum ſecundum quid commutant, dum quod quadantenus, &

per ſimilitudinem partis cum toto dictum eſt, univerſaliter interpretantur, & eſſentialiter exponunt, indeque poſtea, utpote ex falſo principio, magnificas texunt conſequentias, verbis veriſſimis Libav. *in Exam. Philoſ. viv. ſec. deſcr. Hartm. ſect.* 38. *T. IV. Oper. p.* 259. Idem fecit Rolf. *in Chymia ad A. F. R. I.* 1. *c.* 20. *ſeqq.* Helmont. *tr. Invent. Tartari in morb. temerar. n.* 15. *ſeqq.* quamvis hic ſibi non adeo certo conſtiterit. Siquidem aliis in locis, præſertim *in tr. de Magn. vuln. cur. Microcoſmico cœlo* ſingulares tribuat ſigillandi virtutes. Alias Hominis contemplatio ex ſuis principiis vocatur *Microcoſmica ſcientia*, Libav. *in Typo Art. Med. Hipp. & Hermet. T. III. Oper. p.* 123. Præter illam ſignificationem *Microcoſmus* quoque tribuitur *Lapidi Philoſophico*, uti conſtat *ex Th. Chymic. Volum. I. pag.* 515. Libav. *Apoc. Herm. Part. poſt. Tom. II. Op. p.* 418.

MICROLOGIA, μικρολογία, Gal. vocatur inanis illa ſubtilitas vocabulorum, & eſt idem, quod λεπτολογία, *argutiæ* inanes, *l.* 2. *meth. med. circa fin.*

MICROPHTHALMOS, μικρόφθαλμος, dicitur; *qui parvis oculis præditus* eſt.

MICRORCHIDES, μικρόρχιδες, dicuntur, quibus teſticuli ſunt magnitudine ciceris aut fabæ, ſicut e Fideli *p.* 335. notavit P. Amm. *Irenic. p.* 136.

MICROSCOPIUM, μικροσκόπιον, vocatur *Conſpicilium*, ſive vitrum arte paratum, quo atomi viſibiles quaſi, & minutula etiam inſecta in molem coloſſeam tranſmutantur: cujus inventor creditur Franciſc. Fontana, Neapolitanus. Hujus vitri ope quamplurima antea ignota inventa & detecta ſunt: unde integra Meſſis Obſervationum *Microſcopicarum* occurrit *in Ephem. N. Cur. A. I. Obſ.* 13. *& A. II. Obſ.* 27.

MICROSPHYCTOS, μικρόσφυκτος, cui pulſus eſt parvus, vel debilis. Legitur apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 17. & allegavit Lind. *Ex. X.* §. 155.

MICROSPLANCHNOS, μικρόσπλαγχνος, vide *Parviviſcerus.*

MICROTRAPEZOS, μικροτράπεζος, dicitur, qui tenui menſa & victu utitur, & opponitur gulæ, vel cupediis dedito. Lind. *Ex. XVI.* §. 166.

MICTIO, οὔρησις, Mictus, ſignificat excretionem urinæ, ab οὐρέω, *mingo, mejo.* Hipp. 4. *aph.* 83. Dieter. *n.* 653. Foëſ. *p.* 469. eſtque vel ſecundum, vel præternaturalis. Ad hanc quoque pertinet *mictus ſanguinis* vel *mictio cruenta*, de qua in Practicis plura occurrunt; præſertim apud For. *l.* 24. *Obſ.* 6. *ſeqq.*

MICTURIENS, οὐρητιάων, vocatur, qui libenter urinam excernere conatur, unde & ſomnians ſe reddere urinam, ſtragula ſua permingit. Helmont. *tr. jus Duumvirat. n.* 31.

MIFRES, id eſt, *Aſphaltum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

MIGRANA, idem, quod *Hemicrania*; morbus capitis, qui modo dextram, modo ſiniſtram ejus partem occupat; & ad futuram uſque protenditur; quæ doloris interſtitium eſt. Ita dicitur à *Grana*, quam vocem pro *capite* acceperunt antiqui. Keuchen. *Not. ad Sammon. p.* 92.

MILES, στρατιώτης, quid ſignificet, nec pueros latere poteſt ex vocabulario. Ad forum Medicum quoque *milites* pertinent, dum eorum conditio miſerabilis ſæpiſſime eſt ob vivendi rationem, dum excubiis aliisque negotiis *militaribus* interdiu noctuque defatigari coguntur, Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 12. hinc variis morbis gravioribus ſunt obnoxii, v. g. Catalepſi ex nimio gelu, For. *lib.* 10. *Obſ.* 41. Febribus caſtrenſibus, & morbo Hungarico, ubi quandoque plures imperitia Chirurgorum Empiricorum, quam vi morbi intereunt, Lang. *l.* 1. *in præfat.*

MILESIUS, μιλήσιος, derivativum ἀπὸ μιλήτου; *Mileto* urbe Aſiæ, vel Cariæ celeberrimæ. Tribuitur vero Epitheton *Lanæ Mileſiæ*, ceu molliſſimæ apud Hippocr. *l. de viſu II.* 2. *& l. de Sterilib. XI.* 28.

MILIARIUM dicitur vas altum & anguſtum in balneis ad aquas calefaciendas olim uſitatum. Rhod. *ad Scribon. n.* 60. C. Hofmann. *c. ad Gal. LL. de V. P. n.* 280. Lang. *l.* 1. *ep.* 50.

MILIOLUM, κεγχρίδιον, vocat Severinus tuberculum exterioris palpebræ magnitudine & duritie granulum parvum milii referens, quod prolixius deſcripſit *l. de noviſſ. abſceſſ c.* 9. §. 5.

MILIUM, κέγχρος, refertur inter ſemina *Cerealia* à Gal. 1. *de R. V. I. A. t.* 18. Sed pauciſſimum præbet alimentum, eſtque magis medicamentum, quam alimentum, *l.* 7. *de S. Fac. h. tit. Miliacei panes* ſunt friabiles, aridi, incommodi ad nutritionem, *l.* 1. *de Al. fac. c.* 15.

MILLEPEDES, ὄνοι, vide *Aſellus.*

MILPHÆ, *Milphoſis*, μίλφαι ἢ μίλφωσις, idem, quod μαδάρωσις, defluvium pilorum e palpebris. Apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 5. *in princ.* legitur in Maſculino οἱ μίλφοι, quod alibi reperire non licuit. Perperam vero & vitioſe Caſtellus quondam per *y* expreſſit *Mylphæ*, quem tamen imitatus etiam Stephanus Blankardus *in Lexico Medico*, ſive ex negligentia, ſive ex ignorantia Græcæ Linguæ: quis vero etiam acceperit pro medicamentis adverſus defluvia capillorum, nobis non conſtat. Vide *Madaroſis.*

MILTOS, μίλτος, dicitur Latine *Rubrica*, *Minium*, inter terras refertur, vimque habet exiccandi, detergendi, adſtringendi, &c. Meminit Hipp. *l. de ulcer. XIV.* 5. Duæ vero leguntur *Rubricæ* celebriores, quarum una vocatur μίλτος σινωπική, ἢ σινωπὶς, *Rubrica ſinopica*, aut *Minium ſinopicum*, Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 7. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 111. Altera μίλτος λημνία, *Rubrica Lemnia*, Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* Eſt & *fabrilis*, ſive μίλτος τεκτονική, quæ inferior eſt *Sinopica*, Dioſc. *d. l. c.* 112. Schroder. *l* 3. *c.* 2. *in fin.* Rul. *in Lex.*

MILVUS, ἰκτῖνος, vide Ictis. Eſt & nomen piſcis

ſcis volantis, cujus hiſtoria cum uſu habetur in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 5. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.* 76.

MIMO, μιμώ, idem, quod πίθων, πίθηκος, *Simia*, animal quadrupes, digitatum, viviparum, ita dictum, quod hominis mores imitetur inſtar mimi, C. Hofm. C. *ad Galen. LL. de V. P. n.* 168. & *l.* 1. *V. L. c.* 25. *Simiæ* vero hiſtoriam & uſum vide apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. vivip. dig. c.* 5.

MINA, μνᾶ, nomen eſt ponderis certi, eſtque duplex. Una *Mina Attica* & *Ægyptia*, quæ habent uncias ſedecim, h. e. drachmas 128. altera *Romana*, quæ uncias viginti continet, Galen. *l. de pond. & menſ. cap.* 3. Ægin. *tit. eod.* Plinius tamen *l.* 21. *H. N. cap. ult.* dicit: *Minam* pendere drachmas centum. Quin etiam Fannius: *Mnam* vocitant, noſtrique *Minam* dixere priores, centum hæ ſunt drachmæ, citante Caſtell. μύνα quoque ſignificare μυρία, id eſt, *mille*, ait Heſychius, allegante C. Hofm. *l.* 6. *V. L. c.* 7.

MINERA proprie dicitur terra, ſive materia, ex qua mineralia & metallica maxime fiunt, ut *Minera* ſolis, cupri, antimonii, Schrod. *l.* 1. *c.* 2. Rul. Per tranſlationem quoque *Minera* vocatur *materia morbifica*, v. g. *Minera febris*, à recentioribus paſſim. *Minera Philoſophorum* vocatur *Lapis Philoſophicus albus operis minoris*, Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *c.* 12. *Minera* tropice dicitur cauſſa, vel *materia morbifica* antecedens materialis, contradiſtincta vapori, & dividitur in animatam & inanimatam, indicatque in genere evacuationem, docente Capivaccio *in Compendio Methodi med. c.* 16. *ſeqq. p.* 294. *ſeq.* Meminit & *in prolixiori Methodo medendi c.* 16. *ſeqq. p. m.* 266. In ſpecie de Incubi *Minera* legatur idem *Pract. Med. l.* 1. *c.* 15. *p. m.* 515.

MINERALE duplicem habet ſignificationem, latam & ſtrictam: Late ſumitur pro omnibus illis corporibus naturalibus mixtis, quæ non comprehenduntur ſub vegetabilibus & animalibus, & dicuntur alias *res Macrocoſmicæ*; quarum expoſitionem ſub titulo *Mineralogiæ* tradidit Schroder. *l.* 3. *per tot.* Junge Fr. Hofmann. *in Clav.* Stricte vero ſignificat eas res, quæ quidem participant quadantenus de metallis; ſed non ſunt perfecte talia: unde & *Semimetalla* à quibuſdam dicuntur; Schrod. *d. l. c.* 15. Junge Libav. *T. III. Oper.* Deficit autem ſemper aliqua ex proprietatibus metallorum. Dividuntur à nonnullis in *Majora*, *Media* & *Minora*. Th. Chym. *Vol. I. p.* 304. *Mineralium* originem à Sale petendam eſſe, quod Paracelſus ejuſque aſſeclæ Univerſale vocarunt, docet Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 4. *in princ. p.* 245. *ſeqq.*

MINERVA, ἀθήνη, nomen Deæ Gentilium, quæ & *Pallas* dicitur Hanc e Jovis cerebro natam eſſe, fabuloſum dixit Gal. *l.* 3. *de Hipp. & P. l. dec. c.* 8. Eſt & nomen medicamenti alicujus externi Emplaſtri, quo uſum ſe ſcripſit Gal. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 2.

MINISTER, ὑπηρέτης, vocatur, qui ægris officia præſtat. Dicuntur alias 1. *aph.* 1. οἱ παρεόντες, quos exponit Gal. per τοὺς ὑπηρέτας, *in comm. ad h. l. & in c.* 2. *in* 6. *Epid. l.* 43.

MINIUM, μίλτος, vide *Miltos*. Significat *Rubricam*. Deinde dicitur Saturnus, vel Plumbum per calcinationem reverberatoriam præcipitatum. Schrod. *l.* 3. *c.* 13. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Dicitur & Crocus Saturni præcipitatus, Rul. & Iohnſ. Jung. Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *cap.* 25. Verum dicitur & *Minium nativum*, quod ex lapide quodam argenteæ venæ permiſto fieri & à *Cinnabari* differre docet Dioſc. *l.* 5. *c.* 109. quod Græce ἄμμιον vocatur. Jung. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 4. *p.* 464. Libav. *d. l.*

MINORATIO dicitur levior quædam evacuatio & moderata, ſive per vomitum, quam veteres præmittere ſolebant in principiis morborum, etiam febrium. Gr. vocatur συρμαϊσμὸς, 2. *de artic. t.* 51. quamvis mendoſe legatur συρμισμὸς, notante Foëſ. *Oecon. p.* 601. Vide *Syrmæa*. *De minorativa evacuatione* plura lege apud Lang. *l.* 1. *ep.* 39. Foreſt. *l.* 29. *Obſerv.* 12. *Schol. & l.* 32. *O.* 6. *Schol.* Integrum quoque de *Minoratione* tractatum olim ſcripſit Ludov. Panizza Venetiis excuſum. Medicamenta *minorativa* ſunt eadem, quæ *Lenitiva*. Id. *l.* 10. *Obſerv.* 15. *Schol. & l.* 32. *O.* 13. *Schol.*

MINUTA, epitheton Febris Syncopalis acutiſſimæ, quæ ilicet pulſum & vires proſternit, uno aut altero paroxyſmo, adeo ut ad quartum diem perdurare non valeant. Joh. Stephan. *Paraphr. in Avic. l.* 4. *fen.* 1. *c.* 55. *p.* 275.

MINUTIAE, μινυτίαι, circa vocabula in Medicina quidem non ſemper ſunt attendendæ, vide *Micrologia*. Verum circa res ipſas, v. g. circa cauſſas morborum & uſum medicamentorum minime negligendæ, monente Jul. Alexandr. *not. in Gal. l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 2.

MINUTIO, μινύθησις, idem, quod *Imminutio*. Vide *Meioſis*. *Imminutio* ſumitur pro *Extenuatione*. 3. *de iis, q. in med. t.* 25.

MINYA, μινύα. Vide *Rubrum*.

MINYTHESIS, μινύθησις, idem, quod μείωσις. *Imminutionem*, *Extenuationem* ſignificat, de quibus ſupra. Loca Hipp. ubi vocabulum hoc uſurpavit, vide apud Foëſ. *p.* 415.

MIRABILIS, θαυμάσιος, epitheton hyperbolicum nonnullis medicamentis tributum v. g. Aqua *mirabilis* Londinenſ. & Langii, quarum deſcriptiones videantur in D. David. Spina *Manuali p.* 85. & 90.

MIRACH, Arab. idem, quod *Abdomen*. Foreſt. *l.* 6. *Chir. Obſ.* 48. *Schol.* Bartholin. *l.* 1. *Anat. in proœm.* *Mirachia* vocatur morbus, vel dolor inteſtinalis, qui fit ab humoribus acutis & pungitivis, vel ab apoſtemate *Mirach*, vel meſenterii. Valeſc. de Taranta Philon. *Pharm. l.* 4. *c.* 25.

MIRACULUM, θαῦμα, quid ſignificet, etiam ex aliis Lexicis notum eſt, videlicet id, cujus ratio, modus & cauſſa videtur humanam rationem tranſcendere.

Talia

Talia quoque ineſſe naturalibus, aliquoties Gal. docuit; præſertim circa generationem hominis & partum, ut & membra utrique functioni inſervientia. Ita oſſium dearticulationem quoque vocat *miraculum*, *l.* 1. *de P. c.* 15. *in princ. Miracula* quoque ſua jactant Spagyrici, ſed plerunque inepte & *βαναύσως*. De *Miraculis* libellum etiam ſcripſit Anglus quidam Medicus D. Bernhardus Connor, cujus ſupra mentio facta, ſub nomine *Evangelii Medici* ſive *Medicinæ Myſticæ*: Vide *Evangelium*, in quo *Miracula* vocavit, quæ ſupra naturam ſunt & fiunt, ſuſpenſis pro liberrima DEI voluntate Naturæ legibus. An rem acu, quod in proverbio dicitur, tetigerit, alii nobis doctiores judicent.

MIRACH, Arab. idem, quod *Abdomen*. Foreſt. *l.* 6. *Chir. Obſ.* 48. *Schol.* Bartholin. *l.* 1. *Anat. in proœm. Mirachia* vocatur morbus, vel dolor inteſtinalis, qui fit ab humoribus acutis & pungitivis, vel ab apoſtemate *Mirach*, vel meſenterii. Valeſc. de Taranta Philon. *Pharm. l.* 4. *c.* 25.

MIRMIDONES Paracelſo videntur eſſe *deliramenta*, phantaſmata, *ineptæ ſpeculationes*, *tr. de Surditate* §. *Proceſſus*.

MISADIR, *Mixadir*, id eſt, *Sal Ammoniacum*. Rul. & Iohnſ. *Miſadir* volatile eſt, quod volat ſuis alis & non percipitur. Ideoque dictum eſt aquila propter nimiam velocitatem. *Th. Chym. Vol. V. p.* 68.

MISANTHROPIA, *μισανθρωπία*, hoc eſt, *odium in homines* ſive faſtidium converſationis humanæ. Ita vocatur à D. D. Wedelio ſecundus Melancholiæ gradus, quando *μισάνθρωποι* illi dicuntur, qui hominum alias amicorum & acceptorum præſentiam averſantur, unde eorum veſtigia evitant, in latebras refugiunt, nulla non re territi, nec lachrymantur, nec aliorum lachrymis commoventur. *Patholog. ſect. III. c.* 9. *p.* 596.

MISER, *Miſeria*, *τλήμων*, *τλημοσύνη*, vel dicitur de ægro & morbo, vel etiam de aliis concurrentibus adverſitatibus. Ita Linden. dixit, *miſeriam* eſſe incidere in manus imperiti Medici, *Ex. XII.* §. 1.

MISERERE *mei*, *ἐλέησον*, barbarum nomen, denotans morbum graviſſimum Ileon. Vide *Eileos*. Helm. *tr. de flatib. n.* 28. Lind. *Ex. IIX.* §. 59.

MISERICORDIA, *ἔλεος*, inter affectus animi pertinet, quando alterius malo commoventur, & dolemus. Hæc non ſemper Medico, præſertim Chirurgo convenit, ſed potius expedit, ſæpe auſteritatem adhibere in tollendis morbis, monente Dieter. *n.* 822. Alias rectiſſime urget Paracelſus in genere *miſericordiam* in Medico, quod ægris promte ſuppetias eundo imitari debeat Deum, *de Caducis* §. 1. *in princ.*

MISMAR, vel *Meſemar*, dicitur *Nodus* rotundus albus, ſimilis capiti clavi, & accidit in digitis pedum ut plurimum à percuſſione & poſt exituras, h. e. eryſipelationes, inflammationes exulceratas, Avic. *l.* 4. *fen.* 3. *tr.* 2. *c.* 14.

MISOCHYMICUS, *μισοχυμικὸς*, dicitur ab Hartmanno is, qui perſuaſum ſibi habet Chymiam non eſſe in Medicina neceſſariam, & ideo eam proſequitur *Diſp. Chymico-Med. VIII.* ab Henr. Petræo *inauguraliter habita Tom. IV. oper. Hartmann. p.* 5152.

MISOPTOCHOS, *μισόπτωχος*, i. e. *odio habens pauperes*. Epitheton *arthritidis*, quæ eſt Bacchi & Veneris filia, nonniſi rariſſime pauperes invadens & tenuiter viventes, docente C. Rejes *C. El. q.* 88. *n.* 8. *ſeqq.*

MISOS, *μῖσος*. Vide *Odium*.

MISSA, ænigmatice quoque tranſlata ad *myſterium Lapidis Philoſophici*, cujus deſcriptionem ſub forma *Miſſæ* propoſuiſſe Nicolaum Melchiorem Cibinenſem teſtatur Libav. *Tom. II. Oper. p.* 350.

MISSADAN, eſt *Argentum vivum*. Rul. & Iohnſ.

MISSERASSI, id eſt, *Gypſum*. Iid.

MISSIO, à verbo *Mitto*, pro *Emitto*, ſumitur frequentiſſime pro *evacuatione*, ſi jungatur cum ſanguine. *Sanguinis miſſio. Sanguis miſſus.* Ieſſen. *in pec. tract. h. tit.* & alii. Veteres quoque *Miſſionem* vocaſſe humorem excrementitiorum peccantium ſecretionem à natura factam ad hanc vel illam partem ſingularem quaſi deſtinato & electivo conſilio ſive Critico conatu, ſcripſit D. D. Stahl *in Diſſert. de Motu Humor. ſpaſmotic. c.* 10. *p.* 38. & eam fieri non tam pulſu, quam motu tonico ſpaſmotico partium ſolidarum concurrente plauſibiliter docuit.

MISTIO, *Mixtio*, *Mixtura*, *Miſtura*, *μίξις*, interdum etiam *κρᾶσις*, late & ſtricte accipitur. Late pro omni accumulatione rerum diverſarum & ſimplicium. Ita diverſi pulveres, ſpecies & medicamenta ſimplicia ſolida dicuntur *miſceri*, ubi tamen nulla fit communicatio, aut tranſitio virtutis propriæ in alterum. *Stricte* vero ſignificat compoſitionem ſimplicium diverſorum cum unione, quemadmodum hoc ex Phyſicis conſtat. Jung. *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 383. *ſeqq. & Volum. V. p.* 609. Ex hac unione oritur nova veluti qualitas & virtus compoſita, quæ temperamentum, *κρᾶσις*, vocatur. Vide *Craſis*. Chymici ita deſcribunt: *Miſtio* eſt compoſitio per minima undiquaque. Ejus ſpecies ſunt quatuor: Inceratio, Incorporatio, Colliquatio & Confuſio, Rul. & Iohnſon. De his ſpeciebus vide in ſuis Literis. *Miſturæ* quoque vocantur certæ quædam formulæ remediorum compoſitorum, inter quas palmam fert *Miſtura ſimplex*, ſive *Diaphoretica*, de qua in Diſpenſatoriis. Legatur Rolfink. *Chym. l.* 4. *ſ.* 4. *per tot.* Iohnſ. *in Lex. lib.* 2. *Miſcere* etiam aliquando poni pro *bibere*, vult Keuchen. *not. ad Sammon. p.* 129.

MISY, *μίσυ*, metallicum recrementum dicitur cum chalcitide cognatum, & cum chalcitide naſcitur, præterquam quod tenuiorum ſit partium. Mentio fit in ſpuriis *ad l.* 1. *de morb. mul. Hipp. III.* 5. *Miſy peregrinum* laudat Crito apud Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 7. Rul. & Iohnſ. ita deſcripſerunt, quod ſit res metallica ex ſpeciebus chalcanthi, ex humore coagulato, ut chalcitis. Duplex habetur: *Nativum* & *factitium*. Jung. Schrod. *l.* 3.

l. 3. *c.* 18. Fr. Hofm. *in clav.* Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 4. *p.* 476. Rhod. *ad Scrib. p.* 76.

MITELLA, ταινία, idem, quod *Faſcia*, qualis adhibetur ad cubitum fractum, Hipp. 1. *de artic. t.* 51.

MITHRIDATIUM, μιθριδάτειον, ita dicitur *Antidotus* à Mithridate Rege inventa & compoſita, qua ſe à venenis tutum ſervaſſe dicitur. Verum variæ ejus proſtant compoſitiones, de quibus apud Gal. *in libr. de Antidotis*, nec non *in Diſpenſatoriis.* Nobis videntur, ſalva aliorum autoritate, quo grandiores, eo inconcinniores & ineptiores formulæ. Quænam ſimpliciſſima fuerit, tradit Plin. *l.* 23. *c.* 8. & ex hoc Keuchen. *not. ad Sammon. p.* 293. Paracelſ. quemadmodum plurimis aliis terminis abuſus, ita etiam huic quoque ænigmaticam & myſticam tribuens ſignificationem, quando finxit *Mithridatium Olympi* & *Theriacam cœleſtem*, i. e. miſturam ſideream arcanam, *l.* 1. *Philoſ. ſagac.*

MITIGATIO, παρηγορία, πράϋνσις, idem, quod *Lenitio. Mitigatoria* remedia, vel *mitigantia*, eadem cum *Anodynis*, Gr. παρηγορικὰ, quæ dolorem leniunt. Vide *Anodynos.* Quædam ſunt per ſe, quædam per accidens talia, Galen. *l.* 2. *de S. Fac. c.* 14. Dicuntur & λυσίπονα, παυσίπονα. Ruland. & Iohnſ. *Mitigativum magnum* vocat Paracelſ. quod ex *Sedativis Quintis eſſentiis* parari debet, *lib.* 2. *de morb. ament. c.* 5. à verbo παρηγορέω, de quo vide Foëſ. *p.* 487. & Dieter. *n.* 656.

MITULUS, mendoſe, pro *Mytulus*, vide infra.

MIVA eſt nomen medicamenti, quod vel idem cum Syrupo, vel idem valde ſimile. In Officinis occurrunt *Miva Cydonior. ſimplex & compoſ.* de quibus vide Diſpenſatoria.

MIXÆTHRIA, *Mixæthrion*, μιξαιθρία, μιξαίθριον, dicitur conſtitutio temporis ſerena intermixta cum pluviis, Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 4. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 416.

MIXOPYOS, μιξόπυος, *pure permixtus.* Dicitur de urina apud Hipp. *d. l. t.* 42.

MIXTIO, *Mixtus, Mixtura.* Vide *Miſtio.*

MNA, μνᾶ, idem, quod *Mina.* Vide p. a.

MNASÆI *pharmacon*, μνασαίου φάρμακον, emplaſtrum eſt ab autore *Mnaſæa*, ſecundo ordine emolliens, cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 4. Paulo aliter Ægin. *l.* 7. *c.* 17. *Mnaſeas* autem fuit Methodicæ ſectæ autor. Gal. *Introduct. c.* 4.

MNEME, *Mnemoneuticos*, μνήμη, μνημονευτικός. Vide *Memoria.* Mneme etiam eſt epitheton Balſami cujuſdam cephalici ex Schrodero (quamvis in illa editione, quæ mihi ad manus fuit, invenire haut potuerim :) deſcriptio vero ejus ſatis prolixa videatur in D. Helf. Iunken *Corp. Pharm. Part. I. p.* 194. & in D. David. de Spina *Man. Ph. Chym. p.* 173.

MNEMECEPHALICUS, Epitheton eſt Balſami cujuſdam deſtillati, ob miram & hyperbolicam virtutem, quam ipſi tribuerunt perpetuam rerum memoriam pariendi, ita ut Carolum, Ducem Burgundiæ, decem millibus florenorum ab Anglo quodam Doctore emiſſe, ſcripſerint. Deſcribitur à Sennerto *l.* 1. *Med. Pr. p.* 2. *c.* 5. & Schrodero *l.* 2. *c.* 41. qui nomen hoc illi impoſuit.

MOBILIS, εὐκίνητος. Vide *Eucinetos. Mobile perpetuum* Drebbelii Batavi quid fuerit, videatur apud Hartmannum *Diſp. Medico-Chym. VIII. Epithemate* 13.

MOCHLIA, μοχλία, μοχλεία, vocatur reductio oſſium à loco præternaturali ad naturalem, Gal. *in Def.* Derivatur à μοχλὸς, *vectis*; unde μόχλευσις dicitur *molitio per vectem*, Hipp. 2. *de fract. t.* 50. & *ſ.* 3. *t.* 40. 47. 1. *de artic. t.* 21. & *ſ.* 4. *t.* 57. 58. Foëſ. *p.* 418. μοχλίον idem, quod μοχλίσκος, *parvam vectem* ſignificat. Ægin. *l.* 7. *c.* 107. De *Hoplomochlio*, vide ſupra lit. H. Hippocr. libellum Chirurgicum quoque ſcripſit & inſcripſit μοχλικὸς, *Vectiarius.* Jung. Gal. *cap.* 1. *in* 1. *Prorrhet. t.* 4.

MOCHTHOS, μόχθος, idem, quod πόνος, *Labor*, vide *Labor*, Adjectivum μοχθηρὸς, *laborioſus*, item *malus*, Hipp. 2. *aph.* 27. Dieter. *n.* 555.

MODERATUS, σύμμετρος, idem, quod μέτριος, dicitur de omni eo, quod propriam ſuam naturam obtinet, quemadmodum *Immoderatus*, de omni, quod ſuam naturam relinquit. Gal. *l.* 2. *de dign. pulſ. c.* 3. *circa fin.*

MODIOLUS dicitur illa pars Trepani, quæ circa os perforandum eſt circumvolvenda, quam veteres Græci χοινίσκον vocarunt, eſtque duplex; unus cum clavo in medio, & *Mas* dicitur; alter ſine clavo, *Fœmina*, cujus delineationem & modum applicandi vide in Scult. *Arm. Chirurg. Part. I. Tabb. II. fig.* 3. 4. 5. & *T. XXVII. fig.* 6. Vide & *Cycliſcos. Terebella. Abaptiſton.*

MODIUS, μόδιος, menſura dicitur, continens ſedecim ſextarios. Gorr. Gal. *l. de pond. & menſ. c.* 5. Vide *Symmetria.*

MODULATIO ſignificat exercitium vocis, quo magis fortis percipitur & alta, unde & Græce ἀναφώνησις vocatur, vide ſupra *Anaphoneſis.* Additur vero Epitheton *Agoniſtica modulatio*, quæ ab Ægineta deſcribitur, & prolixius à Petro Fabro *Agoniſticor. l.* 1. *c.* 2. & 15. *L. II. c.* 14. 15. 18. 32. *L. III. c.* 8. & 10. ſicut notavit Rhodius *in Diſſert. de Acia p.* 67.

MODUS, τρόπος, vocabulum multiplicem & variam habens notionem, uti notavit Gal. 3. *in* 1. *Epid. t.* 1. & *alibi.* Uſitatiſſima ſignificatio illa eſt, quando notat *conditionem*, differentiam, *formam*, vel certam circumſcriptionem, indolem ac *rationem* alicujus rei. Huc pertinet recentiorum nonnullorum *Modus ſubſtantiæ*, qui nihil aliud eſt, quam certa ratio materiæ ex particularum componentium quantitate, figura atque poſitura reſultans. Linden. *Ex. XIII.* §. 333. Jung. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 32. Ita τρόπος διαίτης, *victus ratio*, & τρόποι φαρμάκων medicamentorum *differentiæ* ac ſpecies dicuntur, Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 62. *l. de dec. orn. IIX. n.* 11. *lib.* 2. *Epid. ſ. III.* 40. quemadmodum & ratio applicandi dicitur *Modus utendi*, de quo vide Schroder. *l.* 1. *c.* 31. Imo ipſarum partium naturas diverſas vocat Idem τρόπους; *XIX.* 6. De morborum *differentiis* quoque frequentiſ-

ſime uſurpatur ab eodem, quæ loca collegit Foëſ. *in Oec. p. 246. ſeqq.* Porro ſumitur etiam pro animi *moribus*, *l. 6. Epid. ſ. 6. t. 26.* pro *habitu corporis*, *d. l. ſect. 2. t. 18.* Aliquando idem eſt, quod menſura, notante Rhod. *ad Scrib. n. 73.*

MOEROR, *Mœſtitia*, λύπη, δυσθυμία. Vide *Lype*, *Dyſthymia.*

MOGILALOS, μογίλαλος, vocatur, qui difficulter loquitur, ex aliquo vitio, vel mala affectione. Gorr. Coincidunt cum ἀγκυλογλώσσοις, *l. 14. obſ. 30.* Obiter monendum, ex ignorantia & negligentia Græcæ linguæ perperam ſcripta legi apud P. Zacchiam vocabula, *Molalia*, *Molilagia*, *Molilalgia* pro *Mogilalia. Quæſt. Medico-Legal. l. 2. Tit. 3. q. 9. n. 18. 19.*

MOLA, μύλη, dictio eſt valde æquivoca. Proprie quid ſignificet, ex aliis Dictionariis etiam pueris conſtat. Tropica in Medicina locum habet, & 1. dicitur de *Patella*, quæ os latum & rotundum toti genu ſuprapoſitum, Gr. μύλη, μυλακρὶς, ἐπιγονατίς. Vide *Epigonatis.* 2. de ipſis *dentibus molaribus*, qui etiam μύλαι, *Molæ* vocantur, Gal. *l. de oſſib. cap. 5. & l. 9. de V. P. c. 15.* 3. de ipſis *maxillis*, quæ alias & Molæ appellantur. Linden. *Ex. XI.* §. 148. 150. 4. *Mola*, μύλη, vocatur caro vel maſſa quædam informis, & inutilis in utero muliebri concepta. Hipp. *l. 1. de morb. mul. XCVII. 1. & l. 2. h. t. LXII. 1. de Sterilib. XX. 2.* Reſpondere dicitur talis *moles* ovis ſubventaneis gallinarum, uti volunt Caſtell. & Gorr. Verum Gallinæ abſque coitu concipiunt talia ova; ſed mulieres citra viri congreſſum *molam* vix aut nunquam concipient. Rul. ita deſcripſit: *Mola matricis* eſt abortivum quid in matrice generatum. Jung. Parac. *de ulcer. c. 58.* Cauſſa hujus conceptus vitioſi & abortivi haut dubie in ſeminis alterutrius, inprimis maſculini, deficiente activitate ponenda erit. Hiſtoriam naturalem *Molarum uteri* egregie quoque conſcripſit Joh. Bapt de Lamzwerde *in peculiari tractatu h. tit.* Obſervationes varias vide in Practicis, nec non Hildano, *Ephem. Nat. Cur. & aliis.* In ſpecie de *Molis Volatilibus* in Dania haud infrequentibus legi poterunt *Acta Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 26. pag. 56. ſeqq.* De *Mola* Philoſophica Langelotti vide *Eph. N. C. A. III. Obſ. 59.*

MOLARIS, μυλικὸς, 1. eſt epitheton dentium, qui latiores & craſſiores ſunt reliquis. Vide *Dens. Mola.* 2. eſt nomen *medicamenti compoſiti*, dentium dolores mitigantis, cujus variæ formulæ leguntur apud Gal. *l. 5. de C. M. S. L. c. 9.*

MOLECULÆ dicuntur hodiernis Philoſophis & Chymicis portiones corporis naturalis, & artificialis paulo craſſiores, quæ enaſcuntur ex combinatione atomorum vel homogenearum, vel diverſarum, uti paſſim in eorum ſcriptis videre eſt, præſertim legi meretur libellus Anonymi Gallicus *Eſſais d'Anatomie* inſcriptus, *Diſcours premier ſect. 1. in principio.*

MOLENDESIS dicitur Calor defectivus, cui opponitur vehementior, qui *Opteſis* vocatur, *Th. Chym. Vol. V. p. 433.* Haud dubie debet idem eſſe cum μόλυνσις, de quo p. p. Vide *Molynſis.*

MOLESTIA, *Moleſtus*, δυσφορία, δύσφορος. Vide *Dyſphoria.*

MOLGA, μόλγη, idem, quod *Salamandra.* Vide infra *ſuo loco.*

MOLIBATO, *calchum*, *æs plumbi.* Ruland. & Iohnſon.

MOLITIO, μόχλευσις, in ſpecie dicitur, quæ *vectibus* fit. Vide *Mochleia.*

MOLITURA, ἄλεσις, ab ἀλέω, *molo*, ſignificat proprie ipſam *molendi* actionem, quæ fit in *molis*, eſtque ſpecies trituræ, quando grana rediguntur in farinam. Hinc & apud Scribon. leguntur *molita* faba, ervum *molitum*, piper &c. *n. 158. ſeqq.* Vide *Lex.* Rhod. *Scrib.* De *molitura* vide etiam Jul. Alex. *l. 8. Salubr. c. 11.* Chymice *Molere* eſt *calcinare* metalla per hydrargyrum, eſtque idem, quod *amalgama.* Libav. *tr. de Igne naturæ c. 30. Lomenta* quoque *auri* & *argenti* fiunt mediante *molitura*, *S. Arc. Chym. l. 4. c. 10. & 11.* Tropice *molere* quoque idem ſignificat, quod *coire.* Rolfink. *de Part. genit. P. 1. c. 1.*

MOLLICINUS, μαλθακώδης, epitheton medicamentorum, quæ connatam humiditatem habent, qualis eſt in pinguibus ſingulisque oleoſis medicamentis &c. Gal. *l. 4. de C. M. P. G. c. 5.*

MOLLIFICATIO, Latino-barbaris, ea paralyſeos ſpecies, quæ Medicis πάρεσις, quando humor undecunque regurgitans, non ruit ad nervorum principium, ſed muſculis, & tendinibus nervorum ſe tantum inſinuat. Thomas Reneſius *V. I. l. 2. cap. 18. Mollificatio* in ſpecie Ani vocatur, quando ſphincter ani reſolutus alvi fecibus invito etiam ægro tranſitum concedit, imo & procidentia ani accedit. Valeſc. de Taranta Philon. *Pharmac. l. 4. c. 32. p. 312.*

MOLLIS, μαλακὸς, μαλθακὸς. Vide *Malacos.*

MOLLITORIUS, μαλακτικὸς, idem, quod *Emolliens.* Legitur apud For. *l. 3. Chir. Obſ. 9. Schol.*

MOLLUCCA dicitur *Cancer*, cui amiſſa veteri cruſta nova ſubit tenera. Linden. *Ex. V.* §. 4.

MOLLUSCUM, idem, quod μαλάκιον. Vide *Malacion.* Linden. *d. l.*

MOLOCH Chymiſtis vocatur Saturninus, ſive *plumbeus Catinus*, per quem in igne fervente argentum vivum trajicitur. Libav. *tr. de Igne natur. c. 35. Tom. II. Oper. p. 72.*

MOLOCHINE, μολοχίνη, epitheton Emplaſtri cujuſdam viridis, apud Galen. *l. 2. de C. M. P. G. cap. 2. fere ad fin.* à μολόχη, quod idem eſt, ac μαλάχη, & ſignificat *malvam.* Gorr.

MOLOCHITES, vide *Malachites.*

MOLOPS, μώλωψ, proprie dicitur *vibex*; cutis ſugillata ex verberibus. Transfertur tamen etiam ad

maculas

maculas rubras febrium quarundam malignarum. Foreſt. *lib. 6. Obſ. 39. Schol. & l. 5. Chirurg. Obſ. 9. in Schol. marg.*

MOLUMÆ, μολῦμαι, idem, quod μολέω, *procedo*, venio. Legitur apud Hippocr. *Coac. t.* 511. quamvis Foëſ. & Ionſton. *in Annot. ad h. l.* de hac lectione dubitent.

MOLYBDÆNA, μολύβδαινα, *Plumbago*, idem, quod Galena. Vide *Galena*, *Lithargyrium*.

MOLYBDITIS, μολυβδῖτις, epitheton alicujus *Lithargyrii*. Vide *Lithargyros*. Gorr.

MOLYBDOCHROS, & *Molybdochrus*, μολυβδοχρώς, μολυβδόχρους, dicitur *plumbeus colore*, uſurpaturque de iis, qui lineoſi ſunt, Lang. *l.* 1. *ep.* 11. Legitur & apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 100. de plumbaginis ſpecie pejori.

MOLYBDOEIDES, μολυβδοειδὴς, *Plumbarius*, Epitheton *Lapidis* ſic dicti à *plumbi* ſimilitudine, viribus iiſdem præditi, quibus & plumbi ſcoria, ſive recrementum. Quid vero ſit, nemo veterum explicavit, Gorr. An fortaſſis ipſa minera Plumbi ita dicitur?

MOLYBDOS, μολυβδὸς, *Plumbum*. Vocatur Metallum viliſſimum, conſtans ex multo mercurio, ſulphure indigeſto, ſale aluminoſo, ponderoſiſſimum, cujus hiſtoriam, præparandique varietatem ad uſum Medicum vide apud Schrod. *l.* 3. *c.* 13. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Jung. & alios Autores. Libav. Iunken *Ch. Exp. Cur. Part. I. ſect.* 5. *c.* 3. *p.* 414. *ſeqq.* Apud Chymicos dicitur *Saturnus*, ſignoque ♄ notatur. Rolf. *in pec. diſput. h. t.* Hippocr. quoque aliquoties meminit μολύβδου, *plumbi*, ad uſum externum in curatione polyporum, *l.* 2. *de morb. XXXIII.* 22. *XXXIV.* 9. 28. 34. *de ſterilit. XV.* 8. *alibique.* Foëſ. *pag.* 415.

MOLYNOMÆ, *Molyomæ*, μωλύνομαι, μωλύομαι, Hippocr. ſignificat ſenſim *diſpareo*, *evaneſco*, & uſurpatur de tumoribus, aut calore remittentibus & evaneſcentibus frequenter, v. gr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 38. quamvis in nonnullis legatur μελαινόμενα, aut μὴ λυόμενα, abſque ratione, animadvertente Foëſ. *l.* 2. *ſ. II.* 17. *l. 6. ſ.* 2. *t.* 46. *l.* 7. aliquoties. Vide Foëſ. *d. l. pag.* 423.

MOLYNSIS, μόλυνσις, dicitur *imperfecta* & inſufficiens *Elixatio*, ex Ariſtot. *l.* 4. *Meteor. cap.* 3. quando ob defectum caloris, aut propter copiam humoris, in eo, quod coquitur, coctio perfecta fieri nequit. Gorr. Significat etiam *conſpurcationem*, inquinationem, in Lexicis Græcis. Unde & μολυνὴ dicitur podex, ceu pars, quæ ſemetipſam conſpurcat.

MOLYZA, μώλυζα, vocatur vel *caput allii*, vel *allium* ſimplex caput habens, & non in plura diviſum, Gal. *in Expoſ voc. Hipp.* Occurrit ſæpius in Hipp. *in lib. de morb. mul. & de ſterilit.* quæ loca vide apud Foëſ. *d. l.*

MOMISCUS, μώμισκος, dicitur Polluci, pars dentis molaris, quæ gingivæ adjacet. *Momiſci* etiam vocantur omnes dentes molares apud Ingraſſ. *comm. in Gal. l. de Oſſib. p.* 140.

MONÆ, Paracelſo idem, quod *Nates*, Scholiis in Libros de Urinis *in append. Tom. V.*

MONARCHIA, μοναρχία, hujus vocabuli propria ſignificatio ſpectat ad Politicos. Tranſlatum vero à Paracelſo & Helmontio ad ipſam Medicinam non minus obſcure, quam abuſive, dum ille non modo tres *monarchias* corporum naturalium aſſeruit: primam *monarchiam* mundi: alteram maris: tertiam fœminæ, *Paramir. lib.* 4. *& alibi ſæpius*: ad quas ſpectant tres *monarchiæ* Medicinæ & remediorum, paſſim in ſcriptis, ſed & non veritus eſt, ſemetipſum *monarcham* dicere illius *monarchiæ medicæ*, *Fragment. libri quatuor columnar. Medicinæ &c.* Hic vero ſimiliter tres *monarchias* corporum ſtatuit: animalem, vegetabilem, & mineralem, *tr. Tartarus non in potu*, *n.* 3.

MONAS, μονὰς, *Unitas*. Terminus Spagyricus & hieroglyphicus, dum ex uno ad unum omnia deducere conantur. Vide *Theatr. Chym. Vol. II. p.* 183. *ſeq.* Vocatur & aliis *Cliſſus*, vel *Elixir*, quando extractæ partes ex ſimplici iterum copulantur, quam operationem Philoſophi & Arcanorum Profeſſores *Unitatem ex Triade*, alii *circulum ex quadrato* dicunt. Libav. *Alch. Pharm. cap.* 27.

MONEDULA, nomen avis, Ariſtoteli λύκος, *Lupus*, dictæ, quæ eſt ſpecies *Graculi*, qui Gr. κολοιὸς in genere vocatur, cujus hiſtoriam vide in Aldrov. *l.* 12. *Ornith. c.* 9.

MONERES, μονήρης, proprie dicitur de navi, quæ uno remo conſtat. Tropice ſignificat *ſolitarium*, & conjungitur cum φιλερήμω, *deſerti amatore*, & tribuitur atrabiliariis, Hippocr. *Epiſt. ad Philopœmen.* 11. 12.

MONETA, νόμισμα, quid ſignificet, alias notum eſt. Dicitur Galeno teſſera, vel ſymbolon, in qualibet urbe emtionis & venditionis, *l.* 2. *de diff. pulſ. cap.* 5. Tales metallicas *monetas* excuſas cum imaginibus progreſſu temporis in lapides fuiſſe tranſmutatas, legitur *in Th. Chym. Vol. I. p.* 496. *&* 556.

MONOCEROS, μονοκερὼς, Lat. *Unicornis*, nomen animalis, & prominentiæ illius eſſeæ, quæ ex animali illo excreſcere creditur, & pro ſingulariſſimo Alexipharmaco habetur. Latine *Unicornu*. Verum quantis adhuc dubiis & ſcrupulis implicata ſit hæc de *unicornu* hiſtoria, legi poterit apud Aldrov. *l.* 1. *de quadruped. c.* 6. Caſp. Rejes *C. Elyſ. q.* 67. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 39. Fr. Hofmann. *in Clav. ad hunc loc.* qui exiſtimat, *unicornu*, quod hodieque in diverſis locis aſſervatur, eſſe nihil aliud, quam dentem balænæ. Verum tamen *unicornu* dari, exiſtimat Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 6. *p.* 687. Alias datur & *unicornu foſſile*, *lapis ceratites*, *ebur foſſile*, eſtque lapis colore & levore cornu referens, interdum & forma ipſa Schrod. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 21. Fr. Hofm.

ad h. l. Medicamentum quoque Chymicum ex auro paratum, quod alias Manna ſolaris dicitur, appellatur *unicornu ſolare*, Schroder. *lib.* 3. *cap.* 9. Iohnſ. *lib.* 2. *Lexic. Chym.* qui & ex Mynſichto *unicornu mineralis* facit mentionem.

MONOCOLON Parac. videtur appellare *Inteſtinum cæcum*, *Paramir. libr.* 3. item *Monoculum*.

MONOCULUM, vide *Monocolon*. Alias *monoculi* dicuntur, quibus alter oculus, vel materialiter, vel ſaltem virtualiter deficit. Gr. μονώπες, μονόφθαλμοι, μονόμματοι, Latine etiam & quidem rectius, *unioculi*, vel *unoculi*. Hos diſtinctius videre minuta legitur apud C. Hofmann. *in Gal. de V. P. n.* 729.

MONOEMEROS, μονοήμερος, epitheton *Collyriorum*, quæ *unius diei* ſpatio ophthalmias curare poſſunt. Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 2. Circa illorum uſum tamen cautela opus eſt, ne adhibeantur, ubi plenitudo totius corporis peccat. Nam quia facultate frigida ſunt, obſtruunt, denſantque meatus, & ſi copia humoris in oculis fuerit, in cauſa ſunt plerumque, ut tunica κερατοειδὴς rumpatur. Gorr. Caſt.

MONOMACHIA, μονομαχία, vide *Duellum*. *Monomachon* quoque vocatur *Inteſtinum cœcum* in ſpuriis Galeni *l. de Compag. membr. ſive de nat. hum.*

MONOMELON, μονόμηλον, eſt nomen *Collyrii* μονημέρου, ita dicti, quod unica *ſpecilli*, Gr. μήλη vocati, inductione oculorum inflammationi medeatur, cujus deſcriptio habetur in Aëtio. Gorræus.

MONONYCHA, μονώνυχα. Vide *Monycha*.

MONOPAGIA, idem, quod *Hemicrania*. Valeſc. de Tarant. *Philon. l.* 1. *c.* 7.

MONOPHAGIA, μονοφαγία, vocatur, quando quis ſolus comedit, mos Dynaſtis familiaris. Differt à μονοσιτία, C. Hofmann. *ad Gal. LL. de V. P. n.* 506.

MONORCHIS, μόνορχις, qui unum habet teſticulum. Rolf. *de part. genital. Part.* 1. *c.* 11. Interdum autem ad tempus pubertatis ſaltem ſunt μονόρχεις, poſtea vero prorumpit alter quoque teſticulus, qualis hiſtoria à D. Brechtfeld obſervata legitur *in Act. Haſn. Vol. I. Obſ.* 106. *p.* 197.

MONOSITIA, μονοσιτία, dicitur, quando quis ſemel tantum de die cibum capit, à verbo μονοσιτεῖν, idque de *cœna* intelligendum eſſe, patet ex oppoſito ἀριστᾶν, *prandere*, *l. de veter. medic. XIIX.* 4. 6. 12. 13. Meminit & Hippocr. illius verbi 2. *de R. V. I. A. t.* 20. *& ſ.* 2. *t.* 22. 27. *l.* 3. *de diæt. III.* 2.

MONOXYLON, μονόξυλον, vocatur *Navicula ex uno ligno*, vel arbore cavata, *parata*. Occurrit apud Hipp. *l. de A. L. & Aq. XXXXII.* 7.

MONS, ὄρος, hujus vocis ſignificatio ex aliis quoque Dictionariis nota eſt. Ad Medicinam tamen ſpectat ejus quoque conſideratio, cum propter ſubjectum, tum propter mediam medicam. Ita *montes*, niſi peculiaris peccet aëris contagio, gaudent aëre puriori, & privilegium vitæ longioris præ ſe ferunt, Helm. tr. *Mons Domini in fin.* Quodſi tamen à Septentrione regioni adjacent, in his aquilones veluti perturbant, ac morbos faciunt, Hippocr. *l.* 2. *de diæt. II.* 11. 12. Jung. *l. de A. L. & Aq. LV.* 3. *ſeqq.* Sic & herbæ, animalia, & aves, quæ *montana* loca occupant, habentur pro ſalubrioribus ut plurimum, Gal. *in LL. de Al. fac. & de atten. victu.* *Mons Siliceus* Helmontio dicitur ſolea, ſtratum, ſive terræ intercapedo, in qua ſaxa, lapides, ac mineralia univerſa ortum ſuum ex aqua deſumunt, *tr. de Lithiaſ. c.* 1. *n.* 7. Junge *tr. Terra*, *n.* 4. Per metaphoram pars ſuperior externa pudendi muliebris vocatur *Mons Veneris*. Rolf. *de part. gen. P. II. c.* 35. Ita protuberantiæ muſculoſæ in vola manus à Chiromantis vocantur *Montes*. Quid per *Montes Philoſophorum* Spagyricorum ſit intelligendum, lector harioletur ipſe e *Th. Chym. Vol. VI. p.* 550. Libav. ſcribit, *Montibus* comparari *alembicos*, & ſuperiorem partem ſublimatorii. *Tom. II. Oper. p.* 247.

MONSTRATIO, δεῖξις, idem, quod *Demonſtratio*. Hæc ſi ocularis fuerit, interdum plus præſtat, quam præcepta, præſertim in Chirurgicis, argumento Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 47.

MONSTRUM, τέρας, quid ſignificet, e Phyſicis petendum. Eſt enim nihil aliud, quam erratum naturæ, ſive effectus naturalis, à ſolita & recta diſpoſitione ſpecifica degenerans. Rul. videtur ſtrictius accepiſſe, quando deſcripſit *monſtra* per orta quædam præter naturam animantia, quæ cœlum excludit ovo ſuæ putrefactionis, illicitæ ac nefandæ commixtionis. Variorum *monſtrorum* obſervationes petantur ex earundem Scriptoribus, v. g. Schenckio, *Ephemerid. Nat. Curioſ.* C. Rejes *C. El. q.* 45. *&c.*

MONTANUS, ὄρειος. Vide *Mons*.

MONTICOLA, ὄρειος, idem, quod *Montanus*, dicitur de iis, quæ vel gignuntur, vel degunt in montibus, v. g. Aves *monticolæ*. Galen. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 4.

MONTIFRINGILLA, ὀρεσπίζης, nomen aviculæ montanæ, cujus hiſtoriam tradit Aldrov. *l.* 18. *Ornith. c.* 7. Hic loci ſub finem autumni copioſiſſimæ capiuntur, & in menſa apponuntur.

MONYCHA, μώνυχα, contracte pro μονόνυχα, h. e. μόνον ὄνυχα habentia, dicuntur animalia ſolidam ungulam unicam habentia, uti ſunt equi. Latine *Solipeda*, aut *ſolunguia*, ſive *ſolidunguia*. Hipp. 1. *de artic. t.* 28. Galen. *in comm. ad h. l.* Foëſ. p. 423.

MORA, διατριβὴ, vide *Diatribe*. *Mora* illicita ignavorum eſt. Linden. *Ex. VI.* §. 15. *Mora* quoque dicitur id, quod Hipp. Gr. vocat τρίβος, i. e. attritionem, h. e. callo obduratam partem, & longiori attritione, ſumiturque pro ipſo callo, 1. *de artic. t.* 21. Galen. *in comm. ad h. l.* Foëſ. *p.* 822. Ita quoque accepiſſe videtur Paracelſ. quando *Moram* inter ſymptomata morbi Gallici retulit, conjungens Attritis. *l.* 5. *de ſympt. var. morb. Gallic. c.* 9.

MORBIDUS,

MORBIDUS, *Morboſus*, νοσερὸς, νοσώδης, idem quod *Valetudinarius*, dicitur partim de eo, qui actu ægrotat, partim etiam, qui ad morboſam diſpoſitionem inclinat. Vide Dieter. *n.* 575. 577.

MORBILLI, nomen à recentioribus inventum, q. d. *Parvus morbus*, vel parva peſtis, ſignificat minutiſſimas puſtulas, cum maculis rubentibus, aut quandoque purpureis aut liveſcentibus obortas à ſanguinis portionibus tenuioribus, ichoreſcentibus, à prima nativitate diliteſcentibus, ſcatenti p. n. fermentatione cum aliquali coagulatione conjuncta. Quorum hiſtoriam ex recentioribus optime deſcripſit Willis *de febr. c.* 15. Jung. Fr. Piens *h. t. Part. Sp. c.* 8. An veteribus fuerint cogniti *Morbilli*, non mihi videtur quæſtio tanti momenti, quanti olim habita. Quidni enim ſub nomine ἐκθυμάτων, vel ἐξανθημάτων? Pertinent inter morbos Epidemicos, malignos, infantibus familiares, quamvis nec adultos immunes eſſe experientia hoc ipſo tempore, quo hæc ſcripſi, teſtetur in vicinia. Rul. Dorn. Iohnſ. confuſe deſcripſerunt. *Morbilli* ſunt puſtulæ Venereæ: item puerorum albæ vari, ecthymata, pituitæ eruptiones, ecbraſmata.

MORBUS, νόσος, νοῦσος, νόσημα, terminus in Medicina adeo frequens, & notus, ut vix ac ne vix quidem ullus alius ſit frequentior. Generaliter ſignificat omne id, quicquid homini moleſtiam affert. Hippocr. *l. de flatib. II.* 8. quam etiam calculo ſuo comprobat Linden. *Ex. XV.* §. 79. 80. Specialiter vero & accuratius deſcribitur, quod ſit diſpoſitio p. n. ſive ſtatus p. n. corporis humani, & ejuſdem partium, à quo actio primum læditur, Gal. *l. de diff. ſympt. c.* 1. *& l. de diff. morb. c.* 7. quam definitionem expoſitam clarius reperies *in noſtris Dogm. Med. Gen. P. II. c.* 2. *dogm.* 1. 2. *ſeqq. p.* 110. *ſeqq.* Plura qui deſiderat de notione *Morbi*, videat Caſp. Hofm. Montani, aliorumque ſcripta, jungatque Dieter. *n.* 576. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 8. *&* 9. Ita & *morborum* differentias eſſentiales, accidentales, ſpeciales denominationes vide paſſim in ſcriptis Medicis, præſertim Sennert. & Ionſton. *in Syntagm. Med. Pract.*

MORDAX, *Mordicans*, *Mordicatio*, δακνὸς, δάκνων, δῆξις. Vide *Dacno*. *Mordax* vinum, idem, quod *Picans*. Vide infra *Picans*.

MORDILAPIDES, Græce dici poſſent δακρόλιθοι, vocantur piſciculi quidam, ſuntque ſpecies *Fundulorum*, ſed vilior. Meminit Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 7.

MORES, τὰ ἤθη. Vide *Mos*.

MORETARIUM, idem, quod *Mortarium*. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 411.

MORETUS, *Moretum*, dicitur ſpecies Julepi, eſtque potionis genus ex aromaticis, aliisque confortantibus commixtum, addito ad gratum ſaporem ſaccharo, vel ſyrupo. In ſpecie vero ita vocatur à *Moris*, vel *Diamoro* ingrediente. Schroder. *l.* 2. *c.* 64.

MORGANA, licet proprie non ſit terminus Medicus, quia tamen inter admirandas res naturales pertinet, libuit inſerere; Denotat autem mirabile quoddam phaſma ſpecularium obſervatum ab Athanaſ. Kirchero in littore maris Siculi, quod ulterius examinavit Joh. Marcus Marci *in Phil. Vet. Reſt. P. III. ſect.* 6. *ſubſect.* 3. *p.* 283. *ſeqq.*

MORIA, μωρία, idem, quod μώρωσις. Vide *Fatuitas*.

MORION, μορίον, *Particula*. Sumitur tamen ſæpe pro *Parte* in genere. Vide *Meros*.

MORMYROS, μορμύρος, vocatur piſcis quidam marinus, cujus hiſtoriam cum uſu in cibis exhibet Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 19. Dicitur & μορμύλος.

MORO, *morus*, vocatur apoſtema carnis, ad ſimilitudinem mori. Rul. Dorn. & Iohnſ.

MOROCHTHOS, μόροχθος, μόροξος, Gal. *l.* 9. *de S. F.* Dicitur Lapis quidam mollior, candidus, ita, ut eo lineæ ducantur, cujus deſcriptionem tradit Dioſcor. *l.* 5. *c.* 152. ubi & *Galaxiam*, ut & *Leucographida* appellari docet, quamvis ipſe de Galactite ſeorſim egerit. Jung. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *pag.* 275. *ſeqq.* Schroderus *Oſteocollæ* hoc nomen ex Matthiolo attribuit, *l.* 3. *c.* 8. *n.* 15. Naſci in Saxonia, præcipue Hildesheimii, teſtatur Rul. *in Lex.*

MOROSIS, μώρωσις, *Moria*, μωρία. Vide *Fatuitas*.

MOROSUS, δυσάνιος. Vide *Dyſanios*.

MOROXOS, μόροξος, idem, quod *Morochthus*, de quo p. a.

MORPHÆA, *Morphea*, ſpecies *Lepræ*, *Albaræ* non abſimilis, Dorn. Rul. & Iohnſon. Idem, quod *Alphus*. Vide ſupra lit. A. *Morphæa* differt à lepra, quod hæc ſit in carne, illa vero in cute. Foreſt. *l.* 5. *Obſ. Chir.* 2. *Schol.*

MORPHE, μορφὴ, ſignificat *formam*, præſertim externam & accidentalem. Vide *Forma*.

MORPHNOS, μόρφνος, nomen avis, ad *Aquilas* pertinentis, quæ & *Anaticida*, *Clangos*, *Plangos*, dicitur, cujus hiſtoriam tradit Aldrov. *l.* 2. *Ornith. c.* 8. *&* 9.

MORPIONES vocantur *Pediculi* illi *lati*, quos Itali *Piattole* appellant, ad pubem genitalium, aliquando & ſub axillis enati. Legitur apud Aldrov. *de inſect. l.* 5. *c.* 4. *p. m.* 544. & Rolf. *de Part. genital. Part. II. c.* 34. *p. m.* 185.

MORS, θάνατος; quid ſignificet, e Phyſicis conſtat, videlicet diſſolutionem animæ & corporis in animalibus; quam cur neget Kergerus, vide *in ejus tr. de ferm. ſect.* 1. *c.* 6. Nec male *mors* deſcribitur, quod ſit defectus vitæ, aut extinctio caloris nativi, Dier. *Iatr. n.* 384. Item omnimoda naturæ proſtratio, Gal. *l.* 3. *de criſ. c.* 5. Parac. vocat *mortem* ultimam materiam morbi. Eſtque duplex: lenta, & violenta. *Mors Chymiſtica* dicitur corruptio artificialis corporum inſenſatorum, conſiſtens in ſeparatione ſpirituum & animarum eorundem in ſui ternarii ad unitatis reductionem, h. e. ad potiorem vitam, licet non perpetuam, excellentiorem tamen ea, quam à natura prius habe-

 bant,

bant, uti deſcribitur *in Th. Ch. Vol. I. p.* 360. *Mortis naturalis* terminum prorogare, quod ſit in Medici poteſtate, rectiſſime negat C. Rejes *Camp. El. q.* 26. *n.* 4. & 6. Idem etiam docet, qua ratione Medicus *mortem* prædicere debeat? *q.* 11.

MORSELLUS, *Morſulus*, terminus Pharmaceuticus, ſignificans genus medicamenti ſiccum ſaccharatum quod & *Lozonga*, *Lozengia*, *Paſta Regia* vocatur, item *Tabula*, vel *Tabulatum*. Deſcriptionem pete ex Weker. *Antidot. Gen. l.* 1. *c.* 42. P. Morell. *de form. remed. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 1. *ſeqq.* Schrod. *l.* 2. *c.* 69.

MORSUS, *Morſura*, Ardoyn. *l.* 5. *de Venen. c.* 1. *ſeqq.* δῆξις, δηγμὸς, δῆγμα, vide *Degmos*. Proprie ſignificat ſolutionem continui in partibus mollibus factam, per dentium impreſſionem. Huc pertinent *Morſus canis* rabidi, lupi, viperarum, quin & hominum. Metaphorice vero uſurpatur de omni dolore acerbiori, Rhod. *in Lexic. Scribon. p.* 411. *Morſiuncula* diminutivum eſt, & ſumitur de dolore dentium infantili, Græce ὀδαξισμὸς. Dieter. *n.* 597.

MORTALIS dupliciter ſumitur: 1. ſubjective de omni corpore naturali vivo, quod etiam morti ſubjectum eſt. In ſpecie Homines κατ' ἐξοχὴν dicuntur *Mortales*, Gr. θνητοὶ. 2. ſignificative, & effective, Gr. θανατώδης, & ita idem eſt, quod *Lethalis*. Vide *Funeſtus*.

MORTARIOLUM, ὁλμίσκος, dicitur de cavitatibus, quibus dentes ſunt infixi, Gr. βόθρια alias dictis, Lat. *Alveoli*, *Præſepiola*, *Mortariola*, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 9. *Mortariolum* quoque eſt modiolus catillorum cinereorum formandorum, in lati circuli modum, vel pertuſi catini ex orichalco plerumque factus. Hoc *mortariolum* comitatur *pila*, (vulgo *Monachus*) quæ eſt piſtillum cum tubere rotundo, ex baſi lata media prominente, cujus incuſſu catilli fovea formetur. Sed ad catillos majores, h. e. majorem naturæ copiam capientes formandos, utimur circulo ferreo, & conveniente pila foveam producimus. Rul. & Iohnſ.

MORTARIUM, ὅλμος, inſtrumentum & vas Coquis, Pharmacopœis, Chirurgis uſitatum, in quo res cum pila vel piſtillo tunduntur, aut teruntur, Rhod. *ad Scribon. n.* 111. Parantur ex ligno, ferro, orichalco, plumbo, vitro, &c. Meminit Gal. *l.* 1. *de antid. c.* 15. & alibi. *Plumbei mortarii* uſus eſſe ſolet ad unguenta & emplaſtra conficienda, ulceribus malignis & cancroſis accommodata, quia plumbum argenti vivi eſt particeps, Lang. *l.* 2. *ep.* 47. Legitur & *Moretarium* Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 411. Alias Græcum ὅλμος etiam truncum corporis, h. e. totum illud, quod eſt à cervice ad coxendicem, notat, in qua ſignificatione videtur uſurpaſſe Moſchion. *l. de morb. mul. c.* 79. Interpres Alzaharavii *Mortarium* quoque vocavit os cribriforme, notante C. V. Schneid. *de Catarrh. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 1. *p.* 152.

MORTIFERUS, idem, quod *Lethalis*, *Funeſtus*, νεκρώδης, θανατώδης. Ita *facies Hippocratica* vocatur *Mortifera*. Gal. 1. *prognoſt. t.* 7. & 8.

MORTIFICATIO, νέκρωσις, dicitur caloris nativi in corpore, vel parte aliqua extinctio, qualis contingit in ſphacelo poſt gangrænam. Dicitur & *Sideratio*. Vide Foreſt. *l.* 1. *Chirurg. obſ.* 13. *Schol.*

MORUM, Pathologica ſignificatione idem eſt, quod *Thymus*, vel ei ſimilis affectus, videlicet ruber, cruentusque tumor, *Morum* fructum referens, in partibus genitalibus viri & fœminæ, poſt concubitum aut deambulationes, juxta nonnullos etiam in aliis corporis partibus mollioribus, v. gr. in facie & ſede obortus, Ingraſſ. *comm. ad Avicenn. de tum. p. n. p.* 264. Hoc vocabulum etiam tribuitur affectui cuidam palpebrarum, qui Arab. *Alchute* vocatur, Gr. πλαδαρότης, habeturque pro morbo in numero, cum ſit caro mollis interiori palpebræ adveniens, unde & ſanguis rubens, niger & viridis emanat, quemadmodum deſcripſit Joh. Stephan. *Paraphr. ad Avic. l.* 3. *fen.* 3. *c.* 19. *p.* 176. Vide *Pladarotes*.

MOS, ἦθος, τρόπος, accipitur vel de animi proprietatibus; Ita Gal. libellum ſcripſit, quod animi *mores* ſequantur temperamentum corporis. Et hujuſmodi *mores* probe Medico ſunt obſervandi, Gal. *c.* 3. *in* 1. *Epid. t.* 1. & *alibi*: Vel de *conſuetudine*, vide *Ethos*, Dieter. *n.* 238. Vel de *certo modo* alicujus rei. Ita Mos morbi dicitur ille modus, qui determinat, utrum morbus benignus, vel malignus ſit? Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 3. Vel etiam comparativam habet ſignificationem, & ponitur pro *veluti*, v. g. *More* farinæ, emplaſtri, pultis, Scrib. *n.* 44. 189. 224. Rhod. *in Lexic. Mos* idem eſt, quod *mycra*, Rul. & Iohnſ. *Lexic.*

MOSA dicitur edulium & pulmentum uſitatiſſimum in Germania ex farina triticea, vel zea paratum cum lacte, qua non ſolum ruſtici utuntur, ſed & pene omnes matres & nutrices infantes replent & infarciunt, cum hypochondriorum tenſione & epilepſiæ periculo, rectiſſime animadvertente & reprobante Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 10. & *not. in Gal. l.* 1. *de Al. fac. c.* 5. *Moſa* alias Anglis dicitur fungi quoddam genus inſtar paludis, admodum adſtringens & pinguis, qui pro ceſpitibus comburendis laterum figura abſciſſis & ſole ſiccatis inſervit. Plura vide in Oldenburg. *Act. Philoſ. Anno* 1669. *m. Novembr.*

MOSCH, vocabulum exoticum, quod denotare debet peculiaria *vaſa rorifera* ipſum renum corpus ſubeuntia, quæ Bilſius primum ſe obſervaſſe gloriatus fuit, quamvis nemini adhuc demonſtraverit, nec alii ante & poſt illum obſervare eadem potuerint, teſte D. D. Bohnio *Exerc. Phyſiol. XIII.* §. 5. & 6.

MOSCHELINUM, μοσχέλαιον, appellatur à Nicolao Alexandrino oleum quoddam compoſitum Aromaticum, & nervoſo generi maxime conveniens, quod etiam ingreditur Unguentum Aregon *in Diſpenſatoriis*. Ita vero dicitur à *Moſcho*, qui in magna quantitate reliquis ſpeciebus additur & baſin conſtituere videtur.

MOSCHUS, μόσχος, quam certum eſt, quod hoc nomine veniat certum quoddam genus odoramenti, ſive materia fragrantiſſima à quodam animali Indiæ proveniens; tam incertum eſt adhuc, quale illud ſit animal, & quomodo generetur in illo *Moſchus*, aut quomodo colligatur & præparetur. Quamplures ſunt, qui *Capram ſylveſtrem Moſchion*, μόσχιον, propterea dictam, ſive *Dorcadem Moſchi* dicant, eandem etiam depictam exhibent. Vid. Aldrov. *lib.* 1. *de quadrup. biſulc. c.* 19. 20. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 6. *p.* 661. Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 27. Alii vero illud impugnant, inter quos non modo Amatus Luſitanus, verum etiam ex noviſſimis Fr. Hofmannus *in Clav. ad d. Schr. loc.* ubi prolixe reperies *Moſchi* ortum & hiſtoriam, quæ omnia exſcribere non concedit anguſtia chartæ. In *Actis Philoſ.* Oldenburgii *Anno* 1666. *m. Jun.* ex Dn. Thevenotti Relationibus variorum itinerum curioſorum legitur, *Moſchum* nihil aliud eſſe, quam teſticulos animalis cervi ſimilis reperti in provincia Honan, eumque bonum & haud mixtum vendi in Nankin & Pekin. Alia de *Moſchi* origine & conſtitutione rurſus leguntur *in Act. Hafnienſ. Vol. I. Obſ.* 58. *p.* 116. Nobis libet hac in re dubia ἐπέχειν, cum deſtituamur propria experientia. Satis ſit nobis ſcire, quod ejus vis medica ſit inſignis in reficiendis ſpiritibus vitalibus & animalibus; quamvis etiam non careat omni noxa. Videatur præter dictos Autores etiam Caſp. Rejes *C. El. q.* 84. Quæ *Moſchum* redolent, dicuntur *Moſchata*. Ita in officinis occurrunt *Trochiſci Galliæ Moſchatæ*, *Aliptæ Moſchatæ*. Inter vegetabilia ſimplicia *Geranium moſchatum*, *Scabioſa moſchata*, &c. Cur vero nux myriſtica, ſive nucleus interior nucis Indicæ Moſchata dicatur, non eſt hujus loci, de cujus uſu Medico videatur inter alios Iunken *Chym. Exp. Cur. P. I. ſect.* 3. *cap.* 1. *p.* 162. Paracelſus quoque non fuit veritus, epitheton hoc tribuere morbis, unde *Colicam Moſchatam*, *Zibethinam* commentus eſt, *Paragrani*, *Tr.* 1. & 2. quamvis non ſatis explicet, quid velit per illam intellectum. μόσχος etiam *Vitulum* ſignificat, de quo infra.

MOSQUITÆ Luſitanis dicuntur ſudamina ſive papulæ rubentes & aliquantum aſperæ, notante Bontio, *Meth. med. morbis externis in India cap.* 18.

MOSYLLON, μόσυλλον, epitheton *Cinamomi optimi*, cujus deſcriptionem vid. ap. Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 12.

MOTACILLA, κίγκλος, vide *Cincleſis*. Adde Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 59.

MOTOS, μοτός. Vide *Linamentum*.

MOTUS, κίνησις, vocabulum latiſſimæ ſignificationis. 1. Phyſiologice complectitur omnes functionum & mutationum ſpecies, *Generationem*, *Corruptionem*, *Augmentationem*, *Diminutionem*, *Alterationem*, & *Motum localem*, ad quem etiam pertinet *Motus Tonicus*, de quo videatur infra in *Tenor*. Hinc diviſio in *motus naturales*, *animales*, & *ſpontaneos* occurrit paſſim apud Galenum, & alios. Prædicatur & de partibus ſolidis & humoribus, & ſpiritibus. 2. Pathologice de morbis quoque dicitur *Motus*, & pertinet ad differentias accidentales, de quo vide *Dogm. Med. Gen. P. II. c.* 6. *dogm.* 9. *p.* 157. *ſeqq.* Ita dantur & *motus animales* diverſimode præternaturales, v. g. Convulſivi, ſive Clonici, Tremor, Palpitatio, &c. *Motus* quoque corporis localis exceſſivus, violentus, aut deficiens pertinet inter cauſſas morbificas, noxam variam inferens, uti patet ex Charlton. *Ex. Pathol. VII.* Hildan. *Ep.* 92. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 53. Ita quoque de humoribus ipſis ſæpe occurrit, quod *moveantur*, ſive *motus* humorum vitioſi dentur. Curative Hipp. ſæpe uſurpavit τὸ κινέειν, *movere*, pro evacuatione aliqua inſigni in aphoriſmis & alibi. Vide Foëſ. *pag.* 338. Dieter. *n.* 463. 464. In Pharmaceuticis, Chymicis dantur varii *motus artificiales*, quos omnes exponere, non eſt noſtri inſtituti.

MOXA denotat medicamentum quoddam cauſticum actuale, potiſſimum in arthritide laudatum, quamvis Dolæus quoque in apoplexia, epilepſia, mania, aſthmate convulſivo commendaverit ejus uſum. Eſtque lanugo quædam leviſſima ſicciſſimaque ex contritione plantæ alicujus exiccatæ, quæ vel Artemiſia noſtra eſt, vel ei conſimilis, parata. Unde eos valde decipi credit Dolæus, qui ex India allatam expetunt, ab illa, quæ ex Artemiſia paratur, plane nihil differentem, *l.* 2. *Encyclopæd. c.* 2. Videatur & *Hiſtoria Moxæ* à Mich. Bern. Valentino *ad D. D. Andr. Cleierum perſcripta*.

MUCAGO, vide *Mucilago*.

MUCHARUM, *Mucarum*, vocabulum eſt barbarum, ſignificans vel *infuſionem roſarum*, cum aqua fervente factam & aliquoties iteratam, vel infuſionem ejuſmodi cum ſaccharo in conſiſtentiam *ſyrupi* redactam & coctam. Eſtque duplex: *Perfectum*. & *Imperfectum*. Ex *imperfecto*, qui ex duabus ſaltem infuſionibus conſtat ſit *Syrupus Roſarum ſimplex*. Ex perfecto, hoc eſt ex multis infuſionibus, ſit *ſyrupus roſatus ſolutivus ſimplex*, videlicet ſine additione aliorum ſimplicium Purgantium, v. gr. Rhabarb. Agaric. &c. Hildan. *Cent.* 6. *Obſ.* 29. In Diſpenſatoriis occurrit deſcriptio *Muchari perfecti*. Lang. tradit *Mucharum compoſitum*, *l.* 3. *ep.* 1. *c.* 4. Libavii conjectura ſaltem eſt ingenioſa, quod *Muchara* videntur dicta ἀπὸ τοῦ μυχοῦ, quod ſignificat intimum locum, *penetrale*, & ἀπὸ τοῦ ὕψου, quaſi ſit arcanum exaltatum frequentibus infuſionibus. *Alchym. Pharm. c.* 24. *fin.*

MUCILAGINOSUS quid ſignificet ex ſeq. vocabulo facile conſtabit, nimirum omne id, quod viſcoſam & glutinoſam obtinet conſiſtentiam. In ſpecie vero hodieque eſt epitheton quarundam glandularum intra ſpinæ vertebras ſitarum, de quarum uſu videantur *Acta Erudit. Lipſ. de A.* 1699.

MUCILAGO, item *Mucago*, vocatur liquor viſcoſus & glutinoſus. Eſtque triplex: naturalis, præternaturalis, & artificialis. Ad primam pertinet *liquor nutricius*, quemadmodum & Langius liquorem articulorum vocat *Mucilaginem*, *lib.* 1. *ep.* 3. item *Mucus inteſtinorum*, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 10. Ad ſecundam *Mucilago Tartarea*, ex qua Tartarus in urinis generatur, de qua ſæpius Paracelſ. meminit *in Tract. de Urinis*, *& alibi.* Ad tertiam Extractæ *Mucilagines* ex ſeminibus, v. g. Pſyllii, Galen. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 4. Cydoniorum, &c.

MUCOCARNEUS, dicitur *Abſceſſus* quidam, Gr. μυξοσάρκωμα, qui partim interne carneus, partim mucidus, h. e. e mucoſa materia concretus. Deſcribitur à M. Aur. Severin. *l. de noviſſ. obſerv. abſceſſ. c.* 3. Jung. Mart. Bogdan. *Obſerv. Med.* 6. *cultro Lyſeri Anatom. addita p.* 215.

MUCOR, idem, quod *Mucus*, *Mucoſus humor*, coincidit fere cum vocab. *Mucilago*, niſi quod *Mucus* & *Muci* accipi uſitatius ſoleat de excrementitio humore viſcido, qualis eſt, qui à capite deſtillat in coryza, gravedine, aliisque catarrhis, Galen. *l.* 2. *de nat. fac.* 9. Gr. βλέννα, μύξα. Vide *Blenna.* Jung. Diet. *Iatr. n.* 558.

MUCOSUS, μυξώδης, ſpeciale eſt epitheton glandularum binarum novarum à Guilielmo Cowper Chirurgo Londinenſi repertarum in membro virili, quarum delineatio exhibetur in *Actis Eruditor. Lipſ. Anni* 1702. *m. Novembr. p.* 499. *ſeq.*

MUCRO, αἰχμὴ, τὸ ὀξὺ, proprie ſignificat cuſpidem gladii, cultri, vel lanceæ. Tropice vero dicitur de acuta parte cordis, quæ tantum protenditur, quantum cordis magnitudo occupat ſpatii. Gal. *l.* 2. *de H. & Pl. dec. c.* 4. Gr. dicitur κορυφή.

MUCRONATUS, epitheton *Cartilaginis* in pectore, quæ & *Enſiformis*, Græc. ξιφοειδὴς dicitur. Vide *Cartilago enſiformis.*

MUCUS, vide p. a. *Mucor.*

MUGIL, κέφαλος. Vide *Cephalos.*

MUGITUS, μύκημα, dicitur vox & ſonus armentorum proprius. Verum Laur. Bellinus transferre non eſt veritus ad ſonum graviorem & protractum, quem ægri ſub initium apoplexiæ edunt, veluti ſuſpirium intenſius & per majorem copiam inſpirati aëris factum, *tract. de morb. cap. in Opuſc. Medicis p.* 441.

MULÆ dicuntur *puſtulæ*, ex frigore vel calore ortæ. Dorn. *in Diction.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

MULIEBRIS, *Mulier*, γυναικεῖος, γυνὴ. Vide *Gynæceia*, *Gyne.* Chymici *mulierem* vocant Mercurium, ſive argentum vivum, quemadmodum ſulphur maritum *Th. Chym. Vol. IV. p.* 179. Libav. *Tom. II. oper. p.* 395.

MULLUS, τρίγλη, vocatur piſcis marinus, vel potius littoralis, ſquamoſus, de quo Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 17. *item l.* 11. *de S. Fac.* §. *Draco marinus.* Jul. Al. *l.* 14. *Sal. c.* 6. Prolixiorem vero ejus hiſtoriam tradit Aldrov. *l. de Piſc. c.* 1.

MULSA, *Mulſum*, ὑδρόμελι, μελίκρατον. Vide *Hydromeli.*

MULTIPARUS, πολυτόκος, epitheton animalium, multos fœtus gignentium. An fœmina etiam poſſit eſſe πολυτόκος, ventilavit P. Ammann. *in Irenico p.* 49. Eadem ſunt, quæ πολύσπερμα, ſive multo ſemine prædita. C. Hofm. *in Gal. de V. P. n.* 1044.

MULTIPEDÆ, πολύποδες, idem, quod *millepedæ*, inſecta, quæ alias *Aſelli* dicuntur, ὀνίσκοι. Vide *Aſellus.*

MULTIPLICATIO, πολλαπλασιασμὸς, præter vulgarem & generalem ſignificationem, qua res dicuntur vel corporaliter, vel virtualiter augeri & propagari, frequenter uſurpatur à Spagyricis, præſertim in negotio Lapidis Philoſophici, quamvis diverſæ occurrant deſcriptiones, v. gr. *Multiplicatio* nihil aliud eſt, quam evacuationum reiteratio, continuatioque, *Th. Chym. Vol. I. p.* 294. *Multiplicatio* eſt evacuatæ rei ſuper terram ſuam reductio, ut munditiæ ſpiritus oriatur, *d. l. pag.* 313. 447. *Multiplicatio* eſt res, quæ facit augmentum medicinæ in colore, odore, virtute, & quantitate. Nam eſt ignis, qui excitans nunquam moritur, ſed ſemper tecum habitat, cujus una ſcintilla poteſt excitare plus ignis in virtute *multiplicati*, *Vol. II. p.* 116. Modos *multiplicandi* in lapide vide *Vol. III. pag.* 38. 397. *Vol. IV. p.* 408. *Vol. VI. p.* 150. 429. 554. Jung. Libav. *Tom. II. Oper. p.* 360. 409. 418. 441.

MULTITUDO, πλῆθος, idem quod *Plenitudo*, *Plethora.* Vide infra *ſuo loco.*

MULUS, *Mula*, ἡμίονος, ἀστράβη, vocatur animal quadrupes, quod communiter peperit equa ex aſini coitu; quamvis & ex aſina & equo, item ex onagro & equa generari poſſint. Hiſtoriam *muli* utriusque ſexus prolixe tradit cum uſu Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. c.* 4. Uſum docet Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 28. *Mulam* recens ex equa natam alia mula gravidam recenſet ex Nieremberg. C. Rejes *C. El. q.* 36. *n.* 28. & ex hoc *Eph. N. C. A. I. O.* 36. Paracelſo *Mulus* quoque ſignificat *Morbum Gallicum*, *l.* 3. *Chirurg. magnæ. c.* 1.

MUMIA vocabulum eſt Arabicum vel Perſicum, ſed hodieque variæ ſignificationis. Vel enim ſignificat *Piſſaphalthum*, aut liquamen quoddam, in ſepulchris inventum, in quibus hominum cadavera aromatibus condita per multos annos ſervata fuerunt: vel ipſum cadaver humanum ita conditum, & ſub arena ſolis torrefactum. Imo non ſolum caro humana ſiccata, & condita, ſed & quævis alia occiſa vim ſanandi habens, ſic condita, quæ & *Mumia patibuli* vocatur, Schr. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* (qui rectiſſime judicavit, nos optima ratione poſſe carere hoc medicamento ſuſpecto & nauſeabundo) Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 6. *p.* 696. Rul. & Iohnſ. *l.* 2. Beker. *Microc. Med. l.* 2. *c.* 6. & noviſſime Dn. Wurbſbain. *Diſp. de Medic. ex homine deſumtis.* Egregie quoque de *Mumiæ* variis ſignificationibus & parandi modis diſſeruit Iunken

ken *Chym. Exp. Cur. P. I. ſect.* 2. *c.* 4. *p.* 116. *ſeqq.* Paracelſ. tamen & Helmontius (quos alii poſtea ſecuti ſunt) ad alia quoque tranſtulerunt hoc vocabulum. Ita *Mumia medullæ*, vel de medullis, ſunt oſſium ipſæ medullæ. *Mumia elementorum* eſt balſamus elementorum externorum. *Mumia transmarina* dicitur *Manna. Mumia verſa*, liquor *Mumiæ*, Rul. & Iohnſ. *d. l. Mumia Satyrii* eſt medicamentum ex Satyrio paratum, cujus deſcriptionem tradidit Caſp. Rejes C. *El. q.* 44. *n.* 10. De *Mumia Hermetica* Ch. Ad. Balduini *Inventum IX. in Hermete Ejuſdem curioſo* legatur. *Mumia* quoque dicitur halitus hominis ſani mane ore aqua bene mundato in phiolam vitream fortiter inſpirando immiſſus, & per antiperiſtaſin frigoris in aquam ſolutus. Rolfink *CH. I. A. F. R. l.* 3. *ſect.* 1. *art.* 1. *c.* 7. Singulariſſima vero ſignificatio hæc eſt, quando *Mumia* deſcribitur, quod ſit ſubſtantia corporis tenuiſſima, ſpiritualis, ætherea, cuique pro natura & ſpecie ſua ingenita, in morte, & poſt mortem aliquatenus permanens, cum affectionum, tum virtutum ejuſdem intimarum & propriiſſimarum plurimum abundans, indeque cum ſuimet, tum proprietatum ejus rite extructæ tranſplantationis medio mire fœcunda, ad eum finem, ut vel in ſuo, vel in alieno ſubjecto, natura ſeu diſpoſitio vitioſa, morbidave corrigatur, integra & ſana conſervetur, & roboretur, Beker. *d. l.* In qua *Mumiali virtute* commentitia Magneticam vulnerum curationem ſtabilire annixus eſt Helmont. *tr. h. tit. n.* 3. *ſeqq.* Enimvero merito admonere libet φιλιάτρυς: Fugite hinc: Latet anguis in herba.

MUMISATIO dicitur præſervatio cadaverum à putredine. Uſitatius vocatur *Balſamatio*, *Conditura.*

MUNDATIO, idem, quod *Purificatio*, *Depuratio*, Græc. καθαρισμὸς. Dicitur & Latin. *Mundificatio.* Eſt prima clavis in negotio Lapidis Phil. *Theatr. Chym. Vol. II. p.* 523. *Vol. III. p.* 430. Talis *mundatio* terræ Philoſophicæ perficitur 40. diebus, & aliquando plus minusve ſecundum quantitatem terræ, vel aquæ, *Vol. IV. p.* 547.

MUNDIFICATIVUS, καθαρτήριος, idem, quod, *Purificans*, *Depurans.* Uſurpatur de medicamentis, quæ & *detergentia* dicuntur, ſuntque vel interna, vel externa. Illa deſcribit Galen. *l. de oculis ſpurio*, *c.* 3. Hæc paſſim in Chirurgicis reperiuntur. Vide *Detergens.* Lang. quoque Emplaſtrum *mundificativum* incarnans & conſolidans clare deſcripſit *l.* 3. *ep.* 1. *c.* 12. Jung. Hildan. *cent.* 4. *obſerv.* 4. *Mundificativa* ſunt invalidam & putridam carnem à bona & viva ſeparantia & repurgantia, exteriora, rhyptica, Dorn. *in Dictìon.* Rul. & Iohnſ. De *mundificativis ſpecificis* ſcripſit Paracelſ. *Archidox. l.* 7.

MUNDUS adjective & ſubſtantive ſumitur. In illa idem eſt, ac *Purus*, Gr. καθαρὸς, κόσμιος, vide *Catharos.* In hac dicitur primario de univerſo orbe, cœlo, & terra, Gr. κόσμος, qui & propterea *Macrocoſmos* dicitur. Vide *Coſmos.* Hunc maximum & pulcherrimum veriſſime dixit & demonſtravit Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. Plura de hoc vide apud Phyſicos. Comparative de *Homine*, qui *Parvus mundus*, *Microcoſmos* appellatur, vide ſuperius ſuo loco. Et Paracelſus tres ſtatuit *mundos*: majorem & primum, qui eſt cœlum, cum terra: minorem, & medium, qui eſt vir: & minimum, vel poſtremum, qui eſt mulier, *Paramir. l.* 4. Alia à Spagyricis alios tres nominarunt: Inviſibilem, cœleſtem, & elementarem. Vide *Vol. IV. Th. Chym.* & quære in Indice. *Mundi* tria regna recenſet Schroder. *l.* 3. *in princ.*

MURÆNA, σμυραίνα, μυραίνα, piſcis dicitur oblongus teres, & lubricus, carens ſquamis, ſimilis quodammodo anguillæ, cujus hiſtoriam, cum uſu, tradit Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 27. Meminit & Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 7. Dicitur & *Fluta* Columellæ, P. Jovius *l. de piſc. marin. lacuſtr. &c. c.* 31.

MURARIUM eſt epitheton *Nitri.* Vide *Nitrum.*

MURCI dicebantur olim, quibus pollex fuit præciſus ad evitandum munus Martium vel bellicum, ſicut ex Ammiano notavit P. Ammann. *in Irenic. p.* 253.

MUREX, τρίβολος, κήρυξ, e concharum aſperarum genere eſt, differens à purpura, cujus deſcriptionem & uſum proponit Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 8. *& ſeqq.* Jung. *ad Scrib. n.* 104.

MURIA, ἅλμη. Vide *Halme. Salſilago*, vel *Conditura* ſalſamentariæ jus, liquorve. De triplici ſpecie *Muriæ* vide Lang. *l.* 1. *ep.* 59. *Muria* naturalis eſt aqua marina, vel illa, unde coquitur ſal noſtrum, ut ſit Hallis Saxoniæ. De *muriæ* virtute alexiteria in peſte, ejusque præparatione legatur Hildan. *C.* 2. *O.* 34. Conferre quoque Iſchiadicis teſtatur Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 10. *c.* 14. Alia de viribus *muriæ* lege *in Th. Chym. Vol. I. p.* 578. De *Muria acida*, Græc. ὀξάλμη, *ibid. p.* 608. De *Muria dura*, Mercur. *libr.* 2. *V. L. c.* 26. Legitur aliquando & *Muries*, Rhod. *in Lex. Scribon. Muria* quoque dicitur menſtruum fœtus, aqua fortis, Rul. & Iohnſ. Hodieque nonnulli ad declarandum qualitates ſalinas humorum p. n. etiam referunt *Acrimoniam Muriaticam*, quæ eſt ſali communi æmula in exceſſu, & corrigitur, per alcalia, in ſpecie per calcem vivam.

MURMENTUM, idem, quod *Glis*, vel *Mus Montanus*, vel *Alpinus*, Rul. & Iohnſ. *Vide Marmota.*

MURMUR, βορβορυγμὸς. Vide *Borborygmos.*

MURRHA dicitur *lapis Chalcedonius*, vel gemma, quæ præcipue in Carmania ex humore ſub terra ſolis æſtu concreto, velut Lyncurium coaleſcit, quæque non ſplendet, ſed purpureis & coruſcis in candore maculis verſicolor, veluti murena piſcis nitet. Inde *myrrhina*, vel *murrhea vaſa* parata, quæ vini ſaporem fovebant. Lang. *lib.* 1. *ep.* 29. quamvis aliam de *murrheis vaſis* ſententiam habuerit C. Hofm. *l.* 3. *V. L. c.* 29.

MURTEUM; pro *Myrteum*, uti & *Murtus* pro *Myrtus*. Scrib. *n.* 220. 223. Vide *Lex. Scrib.* Rhodii.

MUS, μῦς, animal quadrupes, digitatum, minus, notiſſimum, cujus variæ ſunt ſpecies, quarum deſcriptionem cum uſu Medico vide apud Aldrovand. *l.* 2. *de quadrup. dig. vivip. cap.* 30. *ſeqq.* Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 29. Alias Græcum μῦς denotat quoque *Muſculum*, ſive *Lacertum*. Vide *Lacerta. Muſculus.* Dieter. *n.* 559. *Mus* pharaonis, ichneumon. Trinc. *de Curat. pract. l.* 9. *c.* 12.

MUSA, præter ſignificationem Dearum novem numeratarum hic alienam, eſt etiam nomen diverſarum compoſitionum medicarum à peritiſſimo Philoſopho *Muſa* ita dictarum; quarum una in ſpecie vocatur *Muſa ennea* contra omnes febres laudata *in Antidotario*, Nicolai, *Operum Meſuæ fol.* 385. *b.*

MUSADI, *Sal Ammoniacum.* Rul.

MUSAICUM opus vel *Muſivum* vocatur; teſſulatum lapillis variorum colorum, ex quibus arte compoſitis & coagmentatis omne genus imaginum redditur. Chr. Meretti *in Art. Vitrar. Neri Not. l. V. c.* 75. *p.* 372.

MUSALOGIA, eſt titulus libri à Paracelſo ſcripti, cujus meminit *tr.* 2. *de Peſtilit. c.* 2.

MUSCA, μυῖα, inſectum vocatur æſtatis tempore notiſſimum, cujus varia quidem ſunt genera, ad uſum vero Medicum ſaltem genus vulgare recipitur. Deſcriptionem *Muſcarum* omnis generis cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Inſectis c.* 1. Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 110. Jung. *Eph. N. C. A.* 1. *O.* 13. *Muſca Hiſpanica* eſt *Cantharis*, de qua ſupra. De *Muſcis* venenatis lege C. Rejes *C. El. q.* 36.

MUSCERDA, μυόχοδον, dicitur fimus murium, cujus uſus Medicus eſt notiſſimus, v. g. ad glandes pro alvo ſtimulanda. Vide *Mus.*

MUSCOSUS, βρυώδης, βρυόεις, eſt epitheton quarundam glandularum conglobatarum apud Anatomicos recentiores ad differentiam conglomeratarum, quæ dicuntur *Vaſculoſæ*. Nukius *in Adenographia* & ex hoc *Act. Erudit. Lipſ. A.* 1692. *m. Majo.*

MUSCULOSA *expanſio*, vide μυώδης.

MUSCULUS, μῦς, communiter in Medicina ſignificat partem corporis organicam ex carne & fibris nerveis intertextis conſtantem, cujus extremitas dicitur *Tendo*, medium vero carnoſum *Venter*. Ejus principium eſſe dicitur, in quod nervus pro affluxu ſpiritus animalis inſeritur. Eorum ſunt quam plurimi in corpore humano, quorum pleniorem deſcriptionem petere oportet e ſcriptis Anatomicis, ſpeciatim Bartholino, in genere quidem *l.* 1. *Anat. c.* 5. In ſpecie paſſim per totam Anatomiam, quæ loca inquiri poſſunt in indice. Jungatur & Anonym. Tract. *de motu Muſculor. Anatomiæ Cerebri Williſii annex.* Item Charlton. *Ex. XI. Oec. Animal. & Steno tr. de Muſculis & Glandulis.* Legi etiam poſſunt, quæ D. G. Bidloo *in Part. V. Tabularum Anatomicarum à LXVI. ad LXXXVI.* excluſive tradidit deſcriptionem *muſculorum* veram & differentias proponens, elegantesque eorum figuras exhibens. *Muſculus* quoque ſumitur pro diminutivo muris. Teſtaceorum quoque ſpecies quædam vocatur *Muſculus*, Gr. μυσκήτιον, cujus hiſtoriam tradit Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. cap.* 70. *Muſculus* etiam in adjectivo ſenſu ſumitur ab Anatomicis, v. g. *Arteriæ Muſculæ*, ſuperior & inferior. Bartholin. *libell.* 2. *Anat. c.* 5. *p.* 655. *ſeqq.* Venæ Muſculæ *libell.* 1. *c.* 6. *p.* 638.

MUSCUS, βρύον, σπλάγχνον, φάσκος, σφάκος, dicitur excrementum herbaceum, inſtar lanuginis corticibus arborum, vel oſſibus aëri expoſitis, adnaſcens. Dicitur & *Uſnea*. Interdum tamen certis etiam plantis attribuitur. Schroder. *l.* 1. *c.* 2. *Eph. N. C. A. II. Obſ.* 51. *in Schol.* De *muſcis* plantarum vel Botanicis, Gal. *l.* 6. *de S. F.* & laud. Schrod. *l.* 4. quæ loca quære *in Indice*. De nominibus *Muſcorum* genericis legatur C. Hofmann. *l.* 2. *V. L. c.* 30. De *Muſci clavati* terreſtris, ſive Lycopodii viribus antepilepticis vide *Eph. N. C. A. III. Obſ.* 15. De ejus virtute contra plicam & menſtrua ſiſtendi *A. II. Obſ.* 52. De *Uſnea cranii*, *d. l. Obſ.* 53.

MUSICA, μουσική, quid ſignificet, aliunde quoque conſtat ex Dictionariis. Ars ſane nobilis, & indigens multa exercitatione, ad egregios concentus, vel vocales, vel inſtrumentales formandos. Apprime quoque utilis ad curationem morborum, quin ad ſanitatem conſervandam, de qua virtute legatur Lang. *l.* 3. *ep.* 6. Foreſt. *l.* 4. *Obſ.* 4. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 19. C. Rejes *C. El. q.* 28. *n.* 12. 13. *Muſica muta* olim dicebatur, quæ vultu, geſtibus manuum, pedumque nutibus, & ſignis fiebat. Idem *q.* 7. *n.* 14. *Aurum Muſicum* quid dicatur & quomodo paretur e *Collect. Leid.* vid. apud Iunken *in Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 51. *Muſicum* etiam dicitur de auro factitio & ſpurio, quod paratur e ſtanno & ſale ammoniaco, & deſcriptio ex le Mort legitur in D. David. à Spina *Lexico Pharm. Chymico p.* 148.

MUSTELA, γαλῆ. Vide *Gale.*

MUSTELUS, aut ſec. J. Alex. *l.* 14. *Salubr. c.* 9. *Muſtellus*, γαλεὸς, Vide *Galeos.*

MUSTEUS, γλευκίνος. Vide *Gleucinos.*

MUSTUM, γλεῦκος. Vide *Gleucos.* Legitur & Gr. μοῦστον in Rhod. *Lexic. Scribon.*

MUSTUS, eſt *Calx alba urinæ*, veluti pinguedo. Dorn. *in Diction.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

MUSULA, *Muſſela*, *Muſſula*, Paracelſo dicitur Sciurus niger, de quo ſtatuit, morbum epilepticum provocare, *Paragr. l.* 3. *c.* 3. §. *& in Fragment. vel Scholiis ad h. l.* quamvis cum deſcriptione *Sciuri* ab Aldrovando tradita non quadret.

MUTATIO, μεταβολή, μεταλλαγή. Vide *Metabole.*

MUTILATIO, *Mutilum*, κολόβωμα, vide *Coloboma.*

Pertinet

Pertinet ad morbos in numero deficiente. Gal. *Art. Med. c. 96. l. de diff. morb. c.* 8. Quamvis D. P. Amman. ſtatuat *Mutilata* dici non particulas perditas vel abſciſſas, ſed potius eas, quæ remanent, ac inſigne actionis impedimentum afferunt, *Ir. p.* 251. *ſeqq.*

MUTIS, μύτις, dicitur illud *Atramentum*, ſive Nigrum, quod in ore Sepiæ continetur. Sed & piſcem quendam apud Hipp. ſignificat, uti vult Gal. *in Exeg. Diction. Hipp.* Eſt & Ariſt. *l.* 4. *H. N. c.* 1. & 2. in mollibus piſcibus viſcerum loco ſub ore, & per eam gula tendit, Foëſ. *p.* 422. Jung. Aldrov. *l.* 1. *de mollib. c.* 4. & Linden. *Ex. V.* §. 27. *ſeqq.*

MUTULUS, μύαξ. Vide *Myax.*

MUTUS, ἄφωνος, κωφὸς, dicitur voce carens, aut qui ſermonem proferre nequit. Vide *Aphonia.* Pertinet ad Actiones abolitas.

MYAX, μύαξ, *Mytulus, Mutulus*, dicitur de *Conchis*, qua marinis, qua fluviatilibus communibus, quarum pleniorem deſcriptionem, nec non uſum in cibo & medicina, tradidit Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 71. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.*48. Meminit & quoad uſum Gal. *l.* 11. *S. F.* §. *Caro viperæ, circa fin.* Æginet. *l.* 7. *c.* 3. *lit. M.* Inter noviſſimos Anatomiam *Mytuli* & ejus motum mirandum expoſuit Anton. de Heide, cujus mentio fit *in Act. Erud. Lipſ.* 1684.

MYCE, μύκη, idem, quod μύσις, *præcluſio, conniventia*, occluſio. Galen. *in Exeg. dict. Hippocr.* à verbo μύω, *claudo*, occludo.

MYCES, μύκης. Vide *Fungus.*

MYCHTHISMOS, μυχθισμὸς, *Mychthodes*, μυχθώδης, ſignificat *ſuſpirium cum gemitu*, à verbo μύζω, quod notat, clauſis labris ſonum quendam edo, qualis eſt *gementium.* Legitur utrumque vocabulum apud Hipp. *Coac. t.* 519. 540.

MYCONOIDES, μυκονοειδὲς ἕλκος. Ulcus κόθυχον καὶ μυζῶδες, definit Erotianus fortean, quod muco plenum ſtridorem quaſi preſſum edit cum ſibilo, narium inſtar, qui ita dicitur.

MYCTERES, μυκτῆρες, vocantur *Nares*, proprie dicuntur partes concavæ naſi utrinque poſitæ, quæ meatum præbent ſpiritui & odoribus, & exitum concedunt excrementis mucoſis, Hipp. 5. *aph.* 49. Dieter. *n.* 557. Quamvis & in ſingulari μυκτὴρ *Naſum* ſignificet, Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 2. *t.* 6. *Coac. t.* 603. *Naſi* alias & *Narium* deſcriptionem videre licet ap. Anatomicos, in ſpecie Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 10. Ariſtoteli quoque *Proboſcis* Elephantorum vocatur μυκτὴρ, *Naſus*, teſte C. Hofm. *c. in Galen. LL. de V. P. n.* 1126. Verbum μυκτηρίζω etiam occurrit in Hipp. *l.* 7. *Epid. LIIX.* 17. quod Foëſ. expoſuit per ſanguinem naribus effundere, *Oec. p.* 419. Verum Lind. reddidit in editione Hippocr. per *excandeſcere* ira, quæ expoſitio mihi quoque veroſimilior videtur, cum nullam rationem videam, ob quam de hæmorrhagia narium explicari debeat. *Naſus* quoque Hipp. dicitur μυξωτὴρ, *l.* 2. *de morb. XIX.* 17.

MYDAO, μυδάω, dicitur *ſuperfluo humore redundo*, marceſco. Uſurpatur de iis, quæ ex nimia uligine putrifica corrumpuntur, & liqueſcunt, v. g. de carne, Hippocr. *l. de ulcer. VII.* 6. & *l. de c. vuln. XXII.* 2. de membrana cerebrum ambiente, *ibid. XXIII.* 2. de ulceribus ipſis, *l.* 1. *de morb. mul. VI.* 12. Vid. Foëſ. *p.*418.

MYDESIS, μύδησις, in genere ſignificat *corruptionem* partis, ex nimio humore & uligine, à μυδάω. In ſpecie vero dicitur de affectu palpebrarum, ubi humore ſuperfluo redundantes, & adipe tumentes, humorem aſſidue emittunt, Gal. *Introd. c.* 15. Caſtell.

MYDON, μυδῶν, Polluci videtur ſignificare *carnem fungoſam* in ulcere fiſtuloſo, in quo ſinus ſunt mucoſi, oræ vero calloſæ. Foëſ. *d. l.*

MYDRIASIS, μυδρίασις, idem, quod πλατυκορίασις, *pupillæ dilatatio*, cum pupilla quidem nihil colore variat, dilatatur autem magis, quam natura poſcit, ut Iridis circulo fiat proxima, & viſioni noceat, Gal. *l.* 3. *meth. med. c.* 2. & *Introd. d. l.* Ægin. *lib.* 3. *c.* 22. Videtur aliqua eſſe reſolutio pupillæ, ejusque cauſſa nimius humorum influxus, ſive paulatim factus, ſive repente coacervatus, à quibus tunica, ἡ ῥαγοειδὴς diſtenditur, pupilla dilatatur, & acies ejus hebeſcit. Accidit pueris, &, qui nigros habent oculos, facile in hunc affectum incidunt. Gorr. & Caſtell.

MYDROS, μύδρος, dicitur Hipp. *globulus*, lapillus, aut *fruſtulum ferri*, quod igneſcere debet, unde additur διάπυρος, *ignitus.* Pertinet ad cauteria actualia, *l.* 2. *de morb. mul. XXIX.* 9. Dicitur etiam de Aëre *lib. de flatib. XII.* 8. Foëſ. *dict. loc.*

MYELOS, μυελὸς. Vide *Medulla.*

MYGALE, μυγάλη, *Mus araneus*, ita dictus, quod ſit muris ſpecies, colore autem muſtelam referat, quæ Græc. γαλῆ dicitur, cujus morſus venenatus habetur, uti patet ex Foreſt. *l.* 30. *O.* 12. Lang. *lib.* 1. *ep.* 68. Pleniorem hiſtoriam *Muris aranei*, cum uſu & noxa, vide apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 33.

MYIA, μυῖα. Vide *Muſca.*

MYLACRIS, μυλακρὶς, idem, quod μύλη, *Mola*, h. e. *Patella.* Vide *Mola, Epigonatis.*

MYLE, μύλη. Vide *Mola.*

MYLICOS, μυλικὸς. Vide *Molaris.*

MYLITES, μυλίτης, *molaris.* Epitheton *lapidis*, quo frumenta teruntur. Ejus uſus eſt in ſcirrhoſis ligamentorum & tendinum tumoribus, candefacti & extincti, uti patet ex Foreſt. *lib.* 10. *O.* 114. *Schol.* & *l.* 4. *Chir. obſ.* 4. *Schol.*

MYLOHYOIDEI ſunt iidem linguæ muſculi, qui alias vocantur *Myloglosſi.* Barth. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 546.

MYLOS, μύλος, nomen piſcis marini, cujus meminit Gal. *l.* 3. *Al. fac. c.* 31. Pertinet ad *Coracinos*, quos μύλλους dici teſtatur Aldrov. Vide *Coracinus.* Significat & *ſcirrhum* in utero concretum. Erot. *p.* 44. f. Unde μυλοῦν, indurare. Jung. Moſch. *de morb. mul. cap.* 135. ubi cum mola durities jungitur, Gorr.

MYOCEPHALON, μυοκέφαλον, h. e. *Muſcæ caput*, rectius *Murium caput*. Dicitur affectus oculi, eſtque exigua uveæ tunicæ porrectio in nigro oculi, muſcæ capiti ſimilis, per exulcerationem facta, Gal. *in def.* Eſt ſpecies procidentiæ oculi. Cum ulcera, quæ eroſa vel rupta cornea tunica accidunt, profunda evaſerint, portio uveæ excidit, quodque prolapſum eſt, nigrum aut cœruleum apparet: in circuitu vero circa fundum ejus partis, quæ procidit, labra eroſæ ruptæve corneæ candida apparent, eoque magis, ſi, quod prolapſum eſt, induruerit, & corneæ tunicæ labra callum contraxerint. Cæterum, prolabente uvea, pupilla omnino divellitur, adeo, ut vel nullo modo appareat, vel alio prorſus ſitu & figura. Et his quidem notis τὸ μυοκέφαλον ἀπὸ τῆς φλυκταίνης, diſtinguitur. Caſtell. & Gorr. Jung. Æginet. *l.* 3. *c.* 22. Jul. Alexandr. *not. in Galen. l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

MYODES, μυώδης, *muſculoſus*, epitheton *muſculi Lati*, μυώδες πλάτυσμα dicti, apud Galen. *l. de muſc. diſſect. c.* 7. eſtque ille, qui ſub cute in collo habetur. Eſt ſubſtantia tenuis, & fere membranoſa, faciem totam prope, & totum collum tegens atque movens. Huic originem dat membrana quædam nervoſa, toti noſtræ cuti ſubnata, hic ut in fronte & capitis parte aliqua carneſior facta. Dicitur alias *Panniculus carnoſus*, aut *membrana carnoſa*, cujus accuratiorem deſcriptionem quære in Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 4.

MYOLOGIA, μυολογία, eſt doctrina de muſculis. Blanc. *in Lex.*

MYOPIASIS, *Myops*, μυωπίασις, μύωψ. Vide *Luſcioſus.*

MYOTOMIA, μυοτομία, vocatur anatomica muſculorum diſſectio & demonſtratio, quo titulo uſus eſſe legitur Guilielm. Cowper Chirurgus Anglus *in Supplementis Actor. Lipſienſ. Tom. II. ſect. XI. p.* 507.

MYRACOPON, μυράκοπον, epitheton medicamenti Topici, quod laſſitudines tollit, cum quadam odoris ſuavitate, Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 12. Eſtque Acopo communi liquidius, & unguento craſſius. Recipit enim aut ceram, aut reſinam, aut aliquid ejuſmodi, quorum nullum in unguenta admittitur. Gorr. & Caſtell.

MYRINGA, *Myrinx*, Barbaris dicitur *Membrana Tympani*, in aure interna, cujus denſitas p. n. eſt cauſſa ſurditatis, vel imminuti auditus. Capivacc. *Pract. l.* 1. *c.* 50. *p. m.* 588. *ſeqq.* Bartholin. *l.* 3. *Anatom. cap.* 9. *pag.* 525.

MYRINUM, μυρίνης, ſcil. οἶνος, vinum, item *myrrhinum*, *murrinum* dicebatur vinum, cui unguentum ſuperfuſum erat, de quo Linden. *Ex. X.* §. 162. *ſeqq.*

MYRMECIA, μυρμηκία, μυρμηκιασμὸς. Vide *Formica.*

MYRMECITES, μυρμηκίτης, lapis dicitur *Formicarius*, vel repentis formicæ effigiem habens, uti κανθαρίας, ſcarabæorum; vel nigras habens eminentias, verrucis ſimiles, quas verrucas μυρμηκίας, ſive μυρμηκία nominare ſolent. Plin. *l.* 37. *c.* 11. Aldrovand. *l.* 5. *de Inſect. c.* 1.

MYRMECIUM, μυρμηκίον, vocatur etiam cubile totum e foliis pinaſtri & abietis, ligni fruſtulis & arena paratum & congeſtum, formicas & earum ovula continens. Legitur apud Dan. Ludovici *Diſſ. I. Pharm. p. m.* 728. Jung. *Notæ* Etmülleri *ad h. l.*

MYRMECIZON, μυρμηκίζων. Vide *Formicans.*

MYRMEX, μύρμηξ. Vide *Formica.*

MYROBALANOS, μυροβάλανος, q. d. *Glans unguentaria.* Eſt fructus prunorum exoticus, diverſi generis, inter purgantia pertinens. Quinque ejus ſpecies numerari ſolent, quarum deſcriptionem vide in Schrod. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 430. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* C. Hofm. *Offic. lib.* 1. *c.* 24. Rolf. *de purgant. ſect.* 9. *Art.* 3. Differt à *Glande*, vel *Nuce Unguentaria.* Jung. Rhod. *ad Scrib. n.* 261. Plura dari genera, quam quinque, vult Velſchius *Eph. N. Cur. A. III. O.* 32.

MYRON, μύρον, late ſumitur, & ſtricte. In illa ſignificatione comprehendit & *olea*, & *unguenta*, apud Hippocr. uti patet ex collatione quorundam locorum, v. g. *l. de nat. mul. IIX.* 14. *& l.* 2. *de morb. mul. XXXI.* 15. *item l. de nat. mul. XXIX.* 124. *& lib.* 2. *de morb. mul. XLVII.* 22. *LXXXIV.* 4. Vide Foeſ. *p.* 420. Stricte vero ſignificat *Unguentum*, quod eſt forma medicamenti mediæ conſiſtentiæ, quo externæ corporis partes inunguntur, Gorr. Jungatur Weker. *Antidot. Gen. l.* 1. *c.* 36. *Spec. l.* 2. *ſ.* 28. Schrod. *l.* 2. *c.* 87. Morell. *de formul. remed. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 9. De differentia inter μύρον χρίσμα, & ἄλειμμα, videatur Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 7. *de S. F. c. de Lilio.*

MYROPISSOCERON, μυροπισσόκηρον, eſt nomen medicamenti compoſiti ad alopecias, cujus meminit Soranus in compoſitione pharmaci, quam citat Gal. *l. de C. M. S. L. c.* 1. quamvis non videatur ſciviſſe ipſe Gal. quale fuerit medicamentum, ſcribens, ſe exiſtimare, picem fuiſſe, & ceram unguento quopiam, ut gleucino, laurino, nardino, lentiſcino, cedrino, eliquatam. Gorr.

MYROPOLES, μυροπώλης. Vide *Pigmentarius.*

MYRRHA, μύῤῥα, σμύρνα, antiquis etiam *Murrha*, dicitur Gummi, vel lachryma arboris Arabicæ, de qua Dioſcor. *l.* 1. *c.* 88. Jung. Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 392. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. loc.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 5. *p.* 634. Quæ deſtillata colligitur, dicitur στακτὴ, *ſtacte. Myrrham* aliquando etiam poni pro *unguento*, docet C. Hofm. *l.* 3. *V. L. c.* 4. confirmat Linden. *Ex. X.* §. 162. De *Myrrhato vino* videatur idem *d. l.* §. 140. *ſeqq.*

MYRSINATON, μυρσίνατον, nomen emplaſtri, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 17.

MYRSINELÆON, i. e. *Oleum myrtinum*, de quo legatur Dioſc. *l.* 1. *c.* 48.

MYRSINITES, μυρσινίτης, idem, quod *Myrrhinites*, i. e. vinum *Myrrhatum.* Linden. *d. l.* §. 159.

MYRTIDANON, μυρτίδανον, triplicem habet ſignificationem.

ficationem. Apud Dioſcor. ſignificat aliquid Myrto adnaſcens, inæquale, & verrucoſum, ejuſdem coloris, quod perinde quaſi manus caudicem Myrti amplectitur, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 156. Hoc Gal. vocat μυρτίδα, *l.* 7. *de S. F.* Apud Hipp. ſignificat fructum, vel plantam, quam Perſæ Piper Indicum vocant, *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 8. Apud Plin. *Myrtidanum vinum* dicitur ex Myrti ſylveſtris baccis confectum, *lib.* 14. *c.* 16. notante Foëſ. *p.* 421.

MYRTOCHEILIDES, μυρτοχειλίδες, dicuntur extremæ pudendi muliebris margines carnoſæ, quæ etiam πτερυγώματα, Alæ appellantur. Gorr. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 7. §. 131.

MYRTON, μύρτον, idem, quod κλειτορὶς, *Clitoris.* Gorr. & Linden. *d. l.*

MYRUS, σμύρος, vocatur piſcis *Muræna mas*, Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 7. Verum hoc impugnavit Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 27.

MYS, μῦς. Vide *Mus*, *muſculus.*

MYSATTOMÆ, μυσάττομαι, id eſt, *abominor*, *deteſtor.* Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. XLVI.* 12. Fortaſſis deſcendit à μῦσος, *ſcelus*, quod occurrit *l. de morb. ſacro IV.* 59. Vide Foëſ. *p.* 422.

MYSIS, μύσις. Vide *Myce.*

MYSTAX, μύσταξ, pars dicitur, quæ eſt ſupra labra & infra nares. Hinc & barba ibi exoriens, eodem nomine venit. Gorr. Caſtell. Barthol. *l.* 3. *An. c.* 11.

MYSTERION, μυστήριον, in genere ſignificat *Arcanum*, ſcil. Medicum. Unde & Gal. vocat *Myſteriorum* libros, *l.* 7. *de S. F. in princ.* In ſpecie μυστήριον vocabatur *Antidoti ſpecies*, quæ & τετραφάρμακον dicitur, *Theriaca diateſſaron*, quod ex quatuor rebus conſtet, cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 12. *c.* 47. citante Gorr. & occurrit *in Diſp. Aug.* quam etiam Zwolferus præferre non dubitat ipſi Theriacæ Andromachi, *in Animadv.* Gal. quoque meminit *Confectionis Anodynæ* Antiphtiſicæ, quæ *Myſterium* dicta fuit, *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5. Alias Medicina Paracelſica & Spagyrica crepat mirum in modum *Arcana* pene innumera. Vide *Arcanum.* Dorn. Rul. & Iohnſon. ita deſcripſerunt ex Parac. *Paramir.* & aliis ſcriptis: *Myſterium magnum* eſt prima omnium rerum materia, principium, & mater cunctarum corruptibilium creaturarum Dei, chaos illud rude. Item: *Myſterium* eſt eſſentia interioris naturæ totius ſubſtantiæ, in ſubtili, reconditaque materiæ parte vehens. Unde à ſucco tantum diſcedit, quantum ſuccus à corpore. Et quia in intimis receſſibus materiæ corporeæ latet, ſubtilemque admodum habet naturam, *Myſterium* vel *Arcanum* appellari ſolet. Excipitur autem vel ex ipſis rebus ſtatim, præmiſſa tamen præparatione debita, vel etiam ex magiſterio interdum & ſucco. Eſtque duplex: *Quinta eſſentia* & *Arcanum ſpecificum.* Alia *Myſteria Caballiſtica* quære *in Vol. V. Th. Chym.*

MYSTRON, μύστρον, menſura eſt liquorum apud Atticos, tres drachmas ponderales capiens, ſive cochlearia duo cum dimidio, ſive χήμην unam & quartam ejus partem. Nota ejus fuit $\overset{\upsilon}{\mu}$ Gorr. *ex Galen.* & *Ægin. de pond. & menſur.*

MYTIS, μύτις, vide *Mutis.* Dicitur & μυτίλις. Linden. *Ex. V.* §. 32.

MYTTOTON, μυττωτὸν, dicitur intritum, vel *pulmentum ex allio & nigra oliva* compoſitum, quod in cibo movet urinam, venarum orificia aperit, & hydropicis conducit, Dioſc. *l.* 2. *c.* 182. quamvis & alia admiſta fuerint, cepa, porrum, acetum, caſeus, &c. Meminit Hipp. *l. de viſu III.* 9. *l.* 2. *Epid. VI.* 54. Jung. Foëſ. *p.* 422. Varias vocis apud diverſos ſignificationes indicat Erotianus.

MYTULUS, μύαξ. Vide *Myax.*

MYUROS, μύουρος, i. e. *muris caudam* referens, vel ſoricis. Epitheton pulſus deficientis, quando ſecundus pulſus primo eſt paulo minor, & ſic deinceps, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 11. Vocatur & μείουρος, Linden. *Ex. XI.* §. 65. Ejus duplex differentia habetur: Vel enim continuatur illa imminutio, donec prorſus aboleatur pulſus, & vocatur μύουρος ἐκλείπων, vel rurſus augeſcit, & redit ad aliquem vigorem, vel magnitudinem, vocaturque μύουρος παλινδρομῶν, recurrens. Gorr. Caſtell.

MYXA, μύξα, vide *Mucor*, *Mucus.* *Myxæ* vel *Myxaria* quoque vocantur *Sebeſten.* Schrod. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 315. Lang. *l.* 1. *ep.* 66. *ad fin.*

MYXINOS, μύξινος, q. d. *Muco.* Eſt ſpecies *Mugilis* piſcis, Linden. *Ex. XI.* §. 34. ita dictus, quod muco alatur, §. 43. Vide *Mugil.*

MYXORRHOOS, μυξόρροος, dicitur Hippocrati, cui mucus copioſus fluit, eſtque idem quod μυξώδης; uſurpatur de infantibus, qui multum ſalivæ vel muci excernunt, & propterea epilepſiæ minus obnoxios eſſe ſcribit *l. de morbo ſacro.*

MYXOSARCOMA, μυξοσάρκωμα, vide *Mucocarneus.*

MYXOTER, μυξωτὴρ, idem, quod μυκτὴρ. Vide *Mycteres.*

MYZO, μύζω, Hippocr. ſignificat *ſugo*, *libr. de Princip. vel Carnib. IIX.* 2. Jung. Linden. *Ex. XIII.* §. 85. 87. 89. Alias *occludo*, comprimo ſignificat. Vide *Myce*, *Suctio.*

N.

N *n.* ν. Latinum eſt ſignum Medicum in remediorum formulis, denotans *numerum*, v. g. bacc. laur. N. VI. &c.

NABIT pulvis, ex ſaccharo cando, qui oculum confortat. Matt. *de Grad.*

NACTA Paracelſo dicitur *apoſtema pectoris*, in ſpecie, mammarum in fœminis, quod oritur ex ſanguine menſtruo retento, lactiſque materiæ permiſto. *Bertheoneæ l.* 3. *c.* 3. *& l. de apoſtem. & ulcerib. c.* 27. Rul. & Iohnſ.

NADUCEM Perſis dici *Molam*, ſcribit Avic. *l.* 3. *f.* 21. *tr.* 2. *c.* 18.

NÆVUS, etiam per ſimplex *e*, *Nevus*, Scrib. *n.*228. Rhod. *in not. ad h. loc.* σπῖλ@, σπίλωμα, idem, quod *Macula*, *Labes*, Vide *Macula.* Galen. *l.* 8. *de S. Fac.* §. *Polygonatum.* Eph. N. C. *A. III. obſ.* 38. Stricte dicitur de *Notis infantum* à matre gravida tempore geſtationis per imaginationem fortiorem impreſſis & communicatis, difficillime in infantibus, & rarius in adultis nunquam curabilibus, de quibus legi poterit ex noviſſimis ſcriptoribus Bonet. *Med. Septentr. l.*1. *ſ.* 1. *cap.* 8. *& ſ.*26. *c.* 1. *&* 2. *p.* 307. *ſeqq.* Tales *nævi* in infantibus duplices obſervantur, protuberantes & plani, figura varia & colore diverſo.

NAFDA, *ſinapia*, eſt Petroleum, vel *Aſphaltum*, Rul. Iohnſ. vero legit *Naſda.*

NAGEMULUS, nomen piſcis, qui & *Schilus* vocatur, cujus deſcriptionem vide in Aldrov. *l.* 5. *de piſc. cap.* 59.

NANUS, idem ſignificat, quod *pumilus*, qui juſtam magnitudinem non aſſequitur, quod natura ſeu principium vitale non evolvere valuit habitaculum ſuum, verbis D. Wedel. *Patholog. Dogm. ſect. III. c.* 4.

NAPHTHA, νάφθα, eſt bituminis Babylonii colamen, & flos coloris candidi, bitumine tenuior, & ignem ad ſe celerius e longinquo trahit. Ejus deſcriptionem, cum virtutibus Medicis, lege apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 101. Verum Rul. prolixior eſt, diſtinguens *Naphtham* in *Naturalem*, & *Factitiam.* Illam eſſe docuit idem cum *Petroleo:* Hanc vero eſſe colamen bituminis, quæ ſi alba fuerit, poſſe reſpondere *Petroleo*, at non tam bonam. Si nigra, poſſe eſſe veteribus *ſtercus dæmonum* dictum. Imo ex illo bituminis colamine indurato fieri poſſe *Gagaten* credit. Schroder. negat noſtratibus eſſe uſitatam, ſed *Petroleum* ejus loco uſurpari, *l.* 3. *c.* 32. Ita Sal *Naphthicus* vel *Napticus* dicitur apud Meſuen. *in Operib. fol. m.* 78. qui niger eſt, & odorem *naphthæ* habet, colligitur in lacu Aſphaltite, cum æſtuat, & vocatur Sodomenus, notante Andrea Marino & Manardo *ad illum locum.*

NAPTA, idem eſt, quod *Naphtha.* Hinc Rul. dicit, *Naphtha* eſt Gumma.

NAPTA *alba*, id eſt, Petroleum album. Vel idem ſignificat, quod *Nata.* Vide *Nata.*

NAR, eſt *pyr*, πῦρ, *Ignis.* Ruland. & Iohnſon. in *Lexic.*

NARBASAPHAR, id eſt, *flatus mineræ*, *Aurichalcum.* Iidem.

NARCAPHTHON, *Naſcaphthon*; νάρκαφθον, νάσκαφθον, inter aromata recenſetur, quæ ex India olim deportabantur, corticoſum natura, & putaminibus arboris Mori ſimile; nunc ſolo nomine nobis cognitum eſt. Jucundi odoris gratia ſufficitur. Gorr. Ægin. *l.* 7. *cap.* 3. ubi mendoſe in Lat. verſ. legitur *Naocanthon*, vel *Nacaphthon.* In Græco enim νάσκαφθον occurrit, Thuris cortex quoque *Naſcaphthum* dicitur, apud Schroder. *lib.* 4. *cl.* 1. *n.* 344.

NARCE, *Narcoſis*, νάρκη, νάρκωσις, Lat. *Torpor*, *Stupor.* Eſt proprie ſenſus, motusque diminutus nervoſarum partium, *Hebetatio.* Frequens vocab. Hippocr. v. g. *l.* 5. *aphor.* 25. *l. de humid. uſu X.* 15. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 6. *l.* 2. *de morb. mul. XXXIV.* 2. *& alibi.* Vide Foëſ. *Oec. p.* 424. Differt à paralyſi gradu, cum *Stupor* ſit ſaltem difficultas ſentiendi & movendi, & propria quædam in paralyſin diſpoſitio. Ant. Alvarez *part.* 1. *Conſil. & Epiſt. Medic. Conſil.* 1. *pag.* 108. Per tranſlationem etiam de *animi torpore* dicitur, Hipp. 5. *aph.* 16. & ita coincidit cum ἀναιϑησία, Dieter. *n.* 560. ſcilicet, quia etiam ſpiritus animales torpent, Lind. *Ex. X.* §. 241. Νάρκη quoque vocatur *Torpedo*, piſcis cartilagineus, planus, cui inſignis ſtupefaciens facultas tribuitur, non ſine αὐξήσει hyperbolica. Ejus deſcriptionem, cum uſu in cibo & medicina, vide apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 45. Meminit & virtutis Medicæ Galen. *l.* 11. *S. Fac.* §. *Narce.*

NARCOTICUS, ναρκωτικὸς, id eſt, *ſoporiferus*, torporiferus, obſtupefaciens. Coincidit cum Hypnotico. Dicitur de medicamentis, quæ refrigerando corpus, & obſtupefaciendo ſenſum dolorem acerbum obtundunt & mitigant, & ſi paulo liberalius ſumantur, etiam mortem afferunt. Rul. & Iohnſ. ita deſcripſerunt, quod ſint medicamenta ſoporifera, dolores auferentia, vel, ut minus torqueant, efficientia. Cautus igitur eorum debet eſſe uſus, ne, quem obdormire voles, poſtea excitare non poſſis, ex Celſi *l.*3. *c.*14. Linden. *Ex.XIII.* §. 322. *Narcoticos* morbos Paracelſ. vocat urentes, qui nimio ardore ſenſum partium deſtruunt, & delirium inferunt, ut Angina, *l.* 2. *de Tart. tract.* 2. *cap.* 1. *in Annotat. & Fragment. ad h. l.*

NARDOS, νάρδ@, duplici modo accipitur. 1. Significat ipſam plantam, vel fruticem odoratum, cujus deſcriptio ſpectat ad Botanicos, à noſtro inſtituto aliena. 2. Oleum, vel unguentum Nardinum, uti patet ex Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *in princ. & in medio.* Jung. Ægin. *lib.* 7. *c.* 18. qui ad Embolas refert. Confirmat & hanc ſignificationem Rhod. *ad Scrib. comp.* 1. Nardinum quoque dicitur abſolute de vino *Nardo* condito, Lind. *Ex. V.* §. 77. de Collyrio Æginet. *l.* 7. *c.* 16.

NARES, μυκτῆρες. Vide *Myctέres.*

NARIFUSORIA, Didac. Merinus *de morbis internis l.* 2. *c.* 4. medicamenta, quæ naribus infunduntur.

NARTHEX, νάρθηξ, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat plantam, quæ Lat. *Ferula* dicitur, de qua in Botanicis: vel inſtrumentum medicum e *ferula.* Etymolog. Vel eſt titulus quidam alicujus libri Græci Medici, teſte Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 13. Vocatur & *Narthecium*, ναρθήκιον, i. e. *promtuarium.*

NASA, idem, quod *Nata.* Paracelſ. Vide *Nata.*

NASALE,

NASALE, ἔῤῥινον. Vide *Errhinon.*

NASCALE, idem, quod *Peſſus*, Schroder. *l.* 1. *c.* 3. Accuratius vero deſcribitur à Morello, à *Peſſario* diſtinctum, quod ſit penicillus in nodi effigiem molliſſimus, ex cotonis vel lanæ flocculo, aut hapſo, qui inſuccatur, vel ſucco idoneo, vel unguento convenienti, *libr.* 2. *de Form. remed. præſc. ſect.* 2. *c.* 12.

NASCITAS, pronunciatio per naſum. Pichotus de *catarrho.*

NASCOR, φύομαι, i. e. ex alio fio, & producor; ita tamen, ut cum origine ſua ſit ejuſdem ſpeciei, Gal. *l.* 2. *Anat. adm. cap.* 11. Quomodo *Naſci* differat ab *Eſſe*, vide *Th. Chym. Volum. I. p.* 368.

NASSA, proprie *corbem piſcatoriam* ſignificat, Diminutivum *Naſſula.* De *naſſa naturali* vid. *Eph. N. Cur. A. III. obſ.* 245. Venas & Arterias *Naſſis* comparatas lege in Gal. ad Timæum Plat. *fragm. num.* 9. 10. *&c.*

NASTOS, ναςὸς, i. e. *confertus*, & *denſe plenus*, ac veluti preſſus, non ſecus ac amphoræ, quæ ad ſummum uſque plenæ ſunt, cui opponitur χαῦνος, καὶ μανὸς, *rarus*, laxus. Uſurpatur de mare in comparatione ad fœminam, Hippocr. *l. de glandul. XI.* 11. de pulſu & pane, Galen. *l.* 4. *de dignot. pulſ. c.* 2. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 424.

NASUS, μυκτὴρ, μυξωτὴρ, ῥὶν, vide *Mycteres.* Odoratus eſt inſtrumentum. *Naſi deperditi* reſtitutionem Chirurgicam primus publice tradidiſſe legitur Taliacotius, quam feliciſſime exercuiſſe Joh. Griffonium, Chirurgum Bruxellenſem, teſtatur Hildan. *cent.* 3. *obſ.* 31. *& Epiſt.* 62. An vero *naſus factitius* ex alieno brachio poſt mortem illius, e cujus brachio fuit exciſus, neceſſario corrumpatur, putreſcat, & decidat, uti vult Helmont. *de magn. vuln. cur. n.* 22. 23. non eſt hujus loci ventilare. Eſt & nomen piſcis cujuſdam, apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 26.

NATA, *Natta*, *Naſa*, *Naſda*, *Napta*, unum idemque ſignificant, videlicet excreſcentiam magnam carnoſam, veluti caro natium, vel ancharum, diverſæ quidem magnitudinis, dolore carentem, ex Guidone, Foreſt. *l.* 3. *Chir. obſ.* 7. *Schol.* Rul. & Iohnſon. ut & Dorneus deſcripſerunt *Naſdam*, vel *Nattam*, quod ſit gibbus. Parac. ſcripſit, quod ſit incrementum præternaturale, partibus diverſis corporis adnaſcens. Vocat etiam errorem naturæ: Hinc tot ſpecies *Nattæ* conſtituit, quot partium ſolidarum ſunt differentiæ, v. g. *Carnoſam*, *Glandulofam*, *Cartilagineam*, *Ligamentoſam*, &c. *l. de ulcerib. & Apoſtem. c.* 12. *& alio libr. ejuſd. titul. cap.* 51. Deducit vero à ſucco nutricio illius partis aberrante, & collecto. M. A. Severinus *Natam* vel *Naſdam* deſcripſit per tuberculum ex anomalis abſceſſibus unum, quod interdum ex graciliori baſi, veluti ex pedunculo ficus, propendet, putavit etiam ad melicerides potius, quam ad ſteatomata referri. *l. de anom. abſceſſ. cap.* 27. *& ult.*

NATARON, vel *Natron*, id eſt, *Nitrum.* Rul. Iohnſ.

NATATIO, κολύμβησις fortaſſis dici poſſet, ſumitur apud Gal. pro balneo in labris amplioribus, quæ δεξάμεναι, & κολυμβῆθραι vocantur. Vide *Dexamene.* Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 6. *& alibi. Natatus* vel *Natatio* proprie eſt motionis ſpecies, quando animalis tranſportatio de loco in locum efficitur in aqua, Joh. Alphonſ. Borellus *de motu animal. Part. I. c.* 2. *in princip.* Cor quoque *natare* dicitur vulgo, quando ad ventriculum ſeri influxus copioſior, & veluti fluctuatio ſentitur. Lind. *Ex. IV.* §. 71.

NATES, γλουτοὶ, πυγαὶ, vide *Glutos.* A ſimilitudine quadam prominentiæ duæ orbiculares cerebri, vel potius medullæ oblongatæ quoque vocantur *Nates.* Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 6. Willis *Anat. cerebri c.* 14. à Veſalio in diminutivo *Natulæ* vocantur ad imitationem Græci nominis, γλουτία.

NATIO, ἔθνος, idem, quod *Populus*, *Gens*, *Regio.* Vide *Chora.* Pertinet ad circumſtantias cauſarum ſanitatis & morborum, uti recte docet Paracelſ. *l. de morb. Tartar. c.* 2.

NATIVITAS, γενέθλη, vel accipitur de ipſa hominum origine, & generatione; vel de aſtrologico judicio ex ſiderum certo poſitu, & aſpectibus, qui fuerunt puncto temporis, quando homo natus fuit, quod hodieque vanum fallaciſſimumque judicatur; quemadmodum & ipſe Helmont. reprobavit *in Tumul. Peſtis.* Jung. *Theatr. Chym. Vol. VI. p.* 349.

NATIVUS, ἔμφυτος. Vide *Emphytos*, *Calidum. Nativa* etiam medicamenta vocantur, quæ ſola natura ſuppeditat ad differentiam artificialium, Blaſ. *Med. Univ. p. m.* 53.

NATRIX, ὄφις, ſpecies dicitur ſerpentis, cujus deſcriptio videatur in Aldr. *l.* 2. *Hiſt. ſerp. & drac. c.* 18.

NATTA, vide *Nata.*

NATULÆ, vide *Nates.*

NATURA, *Phyſis.* Hujus vocabuli ſignificationem varie & apud Philoſophos & Medicos acceptam fuiſſe, jam olim Gal. obſervavit, & ſcripſit, 2. *aph.* 34. 2. *de R. V. I. A. t.* 34. *alibique.* Ne dicam de hodiernis Scriptoribus, in quibus adhuc plures ſignificationes occurrunt. Nobis nec libet, nec licet, omnes adducere omnium opiniones, ſed ſaltem ea perſequemur, quæ ad Medicinam pertinent, & cum hodiernis veris principiis concordant. Qui plura generaliora deſiderant, inquirere poſſunt *in Theatr. Galenico* Mundellæ, Foëſ. *Oec. p.* 670. Auguſtin. Donii *Tract. de Nat. hom.* Dieter. *n.* 913. Caſp. Rejes *C. El. q.* 25. ipſos etiam Phyſicos, qua veteres, qua recentiores. Hac vice ſufficere poſſunt ſequentia. *Natura*, φύσις, dicitur generaliter de omni corpore naturali, vel ſpecialiter de homine. Utroque modo conſideratur vel ſubſtantialiter vel accidentaliter, quamvis ambo modi conſiderandi

haud

haud raro confundantur. *Natura* ſubſtantialiter, & quidem incomplexe conſiderata eſt principium & cauſſa efficiens omnium rerum naturalium, Parens rerum, Ars Dei, quæ ſollicita ſatagit, ut & individuo conſervando, & ſpeciei propagandæ ſtudeat, Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 3. cujus vis Divina ſeſe immiſcet materiæ corporum naturalium, inque illa opera ſua exercet, efformando, conſervando, Idem *l.* 2. *c.* 2. Hanc *naturam ſubſtantialem* non omnibus corporibus naturalibus eſſe propriam & ſpecificam, excepto homine, ſed ſaltem dari univerſalem, diverſas tamen corporum ſpecies ab ea dependere, propter varium mixtionis modum, hodiernorum Philoſophorum plerorumque eſt hypotheſis, de qua videatur Joh. Marcus Marci *in Part. I. Philoſ. veter. reſtit.* An vero illa opinio adeo ſit expedita, alii judicent: Nobis nondum videtur. Illa univerſalis *Natura* dicitur *Anima Mundi*, *Spiritus Mundi Æthereus*, &c. Hanc hypotheſin etiam impugnavit clariſſimus & celeberrimus Dn. Sturmius in quadam Diſſertatione *Idolum Naturæ*, inſcripta, in qua manifeſtæ abſurditatis illam arguere non dubitavit, ideo quod illi Naturæ tales virtutes & potentiæ tribuantur, non ſine blaſphemiæ quadam nota, quæ ſoli Deo competunt. Contra quam Diſſertationem poſtea inſurrexit Cl. D. D. Schelthammerus in tractatu *de Natura ſibi & Medicis, vindicata* lectu haut indigno, ad quem rurſus laudatus Sturmius *alia Diſſertatione* reſpondit exiſtimans, quod Adverſarius cum larvis luctari videatur, ſiquidem, ſi per Naturæ vocem intelligitur lex, norma & ordo motuum corporibus naturalibus à ſummo Creatore conceſſa, & ab hoc ceu primo motore unice dependens, neque ipſe hanc inficietur, verum ſolum illam, cui omnipotentiam, omniſcientiam ad movendum Naturæ cum nonnullis gentilibus attribuerent. Aſt noviſſime de nonnemine Eruditorum *ex Actis Eruditorum Lipſienſium* me legiſſe memini, qui à partibus D. Schelthammeri ſtare non eſt veritus, & quidem rationibus haut levis etiam momenti. Mearum quidem non eſt partium litem hanc dirimere meamque facere, interim non diſſimulo me non videre, quid deroget omnipotentiæ Divinæ, etiam ſi quis legem illam & normam diverſorum motuum à DEO ſummo Creatore ex liberrima voluntate corporibus naturalibus vi Benedictionis primævæ inditam & conceſſam Naturæ nomine venientem pro principio interno non mere accidentali, ſed eſſentiali & ſubſtantiali habuerit, cujus virtute à primo motore omnino dependente variæ motuum ſpecies, niſi à materiæ ineptitudine aliisque cauſſis externis impediatur, fiunt & continuantur. Jungatur Gerhard Neufville *Synopſ. Univ. Med. in princip.* Ad hominem applicata vel eſſe debet *Anima Rationalis*, quæ juncta corpori, informat & exaltat illam *Naturam*, quam habet cum aliis corporibus naturalibus communem, ſive mundanam; præſertim calorem, ſive flammam vitalem, vel, ſi non placet, animam rationalem, ceu peculiarem ſubſtantiam mere incorpoream, immiſcere negotio rerum corporearum, *Natura* hominis ſubſtantialis dicenda erit modo dicta *Flamma vitalis*, *calidum nativum*, *biolychnium*, quod propterea *anima medica*, item Williſio *anima corporea*, vel *brutalis ignea* dicitur, non excluſa quoque *anima lucida*, ſive *ſpiritu animali* in partibus nervoſis, & ad ſenſum exſanguibus principii efficientis naturalis vices ſuſtinente. Videatur Willis *tr. de Anim. Brut.* Hæc *Natura humana* eſt cauſſa ſanitatis, & Medicus morborum, quo tamen reſpectu Helmont. diviſit haud fortaſſis inepte in *naturam*, *ſtantem*, *ſedentem*, & *jacentem*. Per *ſtantem* intelligens, quæ ſola morbis medetur ſpontanea bonitate, abſque adminiculo artis Medicæ; Per *ſedentem*, quæ ſurgere cogitur, antequam ſtet, ideoque ſurgit difficilius, hoc eſt, quæ opus habet remediorum congruorum minime violentiorum ſubſidio ad ſurgendum, ut poſtea ſtans morborum curationi præeſſe poſſit. Per *jacentem*, quæ nunquam ex ſe ſurgere poteſt; ut in morbis deſperatis, quales ſunt lepra, aſthma, hydrops, epilepſia. *Tract. ignot. Hoſp. morb. n.* 89. Jung. Dieter. *d. l.* Vel accipitur *Natura* ſubſtantialiter complexe pro ipſo corpore naturali, in qua ſignificatione de homine uſus Hippocr. quando ſcripſit *tract. de Natura hominis*, & Galen. quando *Naturæ* humanæ partes dixit eſſe ſpirituoſas, ſolidas, carnoſas, ſanguineas, &c. notante Jul. Alex. *not. in lib.* 11. *meth. med. c.* 1. Vel accidentaliter ſumitur, & iterum generaliter, & quaſi abſtracte, uti ſumſiſſe videtur Helmont. deſcribens, quo *Natura* ſit juſſus Dei, quo res id eſt, quod eſt, & agit, quod agere juſſa eſt, *tract. Phyſic. Ariſt. n.* 3. & *tr. Blas Hum. n.* 39. Vel complexe pro *temperamento* uniuscujusque corporis naturalis, quod in homine eſt facultas illa, vis & potentia agendi, reſultans ex præſentia, activitate, & appropriatione caloris vitalis, ſpiritus animalis cum humoribus & membris ſolidis. Vide ſupra *Craſis*. Eſtque effectus *Naturæ* ſubſtantialiter & complexe conſideratæ. In qua ſignificatione dici poterit de viribus medicamentorum: imo abuſive de viribus morborum, uti notavit Dieter. *d. l.* ex Luciano & Chryſoſtomo, & notat proprietatem accidentalem alicujus rei. Secundum hanc ſignificationem *Natura hominis* dividitur in *communem*, quæ omnibus hominibus competit ad differentiam *Naturæ* brutorum, & aliorum corporum naturalium; & in *propriam*, quæ unicuique humano individuo eſt propria, Gr. ἰδιοσυγκρασία dicta. Vide *Idioſyncraſia*. Jung. Jul. Alex. *l.* 1. *ad Glauc. c.* 1. Aliquando vocab. *Naturæ* ſignificat *Pudendum muliebre*; Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 32. Keuchen. *ad Seren. p.* 219. Quid Chymici per *Naturam* intelligant, quæratur *in VI. Voluminibus Theatri Chymici*, cum inſtituti noſtri non permittat ratio, omnia loca heic annectere. In genere dicitur illis cœli cum elementis in generatione omnium, quæ ſunt, exercitatio. *Vol. I. p.* 196.

NATURALIS, φυσικὸς, dicitur de omni eo, quod à *natura*, tanquam à cauſa efficiente, dependet, vel quod natu-

naturam in ſe habet. Et ita opponitur *artificiali*, τῷ τεχνικῷ proprie dicto, quamvis & improprie *natura* dicatur *optimus artifex*, vel, ut antea ex Lindeno diximus, *Ars Dei*, *Ex. III.* §. 8. Prædicatur de diverſis rebus, v. g. de corpore, & ejus partibus: de facultatibus & actionibus. Interdum vero à Medicis ſignificatio illa reſtringitur ad eas *facultates* & *actiones*, quæ abdomini & ventri inferiori attribuuntur, ut ſunt, *nutritiva*, & *generativa*, *nutritio*, & *generatio*, cum ſubordinatis. Vide Inſtitutioniſtas, & in ſpecie *Dogm. noſtr. p.* 89. *Spiritum* quoque *naturalem* in hepate elaboratum Gal. cum ſuis aſſeclis ſtatuerunt, quem tamen recentiores merito rejecerunt. Interim nos hoc nomine ſubſtituere non dubitamus pro *nutritione fermentum ventriculi*, & pro *generatione ſpiritum genitalem*. Vid. *Dogm. noſtr. p.* 64. *ſeq.* & *Diſp.* D. D. Oheim. *ad mentem noſtram conſcripta de Liquore Nutricio*, & *animali Conſectario*. I. *Naturale* quoque interdum idem ſignificat, quod *ſecundum naturam*, κατὰ φύσιν, id eſt, *ſanum*, Dogm. *p.* 16. Tandem *Naturale* opponitur *præſtigioſo*, & diabolico. Ita *Magiam naturalem* defendere auſus eſt Paracelſ. *in Tr. de Podagra*, *alibique*. Et *naturalia* remedia opponuntur magicis. C. Rejes C. *El. q.* 28. *Naturalis*, interdum pro conſueto, quibus conſuetudo altera natura. Dom. Leon. *art. med. l.* 4. *cap.* 10.

NATUS, ἔγγονος, ἐγγενής, idem, quod *filius*, Galen. *l.* 2. *de ſem. c.* 5. Hinc & νεογνὸς, recens *natus*, pro νεογόνος, Hipp. 3. *aph.* 24. Jung. Diet. *n.* 564.

NAVIFORMIS, σκαφοειδὴς, epitheton eſt *oſſis*, in tarſo, quod & *naviculare* dicitur, à ſcaphæ vel cymbæ ſimilitudine, connectitur cum talo, & tribus oſſibus tarſi ſuperioribus. Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 21.

NAVIGATIO, ναυτιλία, quid proprie ſignificet, non pertinet ad Medicum, ſed ex aliis Dictionariis conſtat. Conſideratur vero *navigatio* tanquam cauſa vomitus, ob motum corporis, corpus & humores hinc inde agitantem in nondum aſſuetis, uti patet ex Hipp. 4. *aph.* 14. Jung. Dieter. *n.* 561. Cæterum de *navigantibus* obſervavit Helmont. quod duplo, imo triplo, & amplius edant plus, niſi ægrotent, minus vero excernant, quam dum in terra degunt, *tr. Blas human. n.* 36. *tr. Alim. Tartar. in ſontic. n.* 15. Quod *navigatio* à veteribus pro inſigni remedio in phthiſi, atrophia, hectica commendata fuerit, & quidem longa, ex Plinio, Corn. Celſo, Cœlio Aureliano demonſtravit D. D. Stahl *in Propemptico ad Diſp. Inaug. Dn. Joh. Sam. Carl. Oringenſ. de Fundamentis Pathologiæ Practicis*; An vero hoc hodieque & in quibuſvis locis maritimis locum habeat & ſecurum adeo habendum ſit remedium, ulteriori indigere adhuc ventilatione, ex variarum circumſtantiarum circa ſubjectum & cauſſas examinatione plane mihi perſuaſum habeo.

NAUSEA, ναυτία, proprie *faſtidium* illud & conatum ad vomitum ſignificat navigantibus familiarem. Sumitur vero communiter pro omni ciborum faſtidio. Eſt ſymptoma ventriculi, ad actiones læſas mixtas ex imminuta & depravata pertinens, & poteſt deſcribi, quod ſit propenſio, vel conatus quidam ad vomitum irritus, cum anxietate circa præcordia, & ſalivatione oris, proveniens ab halitibus fermenti in ventriculo vitioſi acido-bilioſis; fibras vellicantibus, & ſpiritus animales inſufficienter ad exploſionem irritantibus. Vid. Sylv. *l.* 2. *c.* 9. §. 3. & *c.* 30. §. 86. Dekers ad Barbette *l.* 4. *c.* 2. *lit. a.*

NAUSIOSIS, ναυσίωσις, in genere idem ſignificat, quod ναυτία vel ναυσία, i. e. *Nauſea*. Hippocrati vero denotat peculiarem affectum vaſorum ſanguineorum ſive venarum, quando velut nauſeabundæ ſanguinem effundunt & evomunt, qui affectus & ἐκχύμωσις vocatur, *lib.* 2. *de fract. t.* 24. Jung. Gal. *in com. ad h. l.* & Foëſ. *p.* 425. Vide ſupra *Ecchymoſis*.

NAUTEA, quid ſignificet, nondum adeo expeditum eſt. Quidam exiſtimant, aquam de coriis, vel, quod eſt verius, aquam de ſentina dicta à nautis ſignificare, ut Non. Marcellus. Alii vero ſtatuunt, eſſe herbæ nomen, cum granis nigris, qua coriarii utuntur, quæ quia nauſeam facit, hoc nomine inſignita fuit. Alii dicunt, *Nauteam* rubidum quid eſſe, quo Pontificum veſtimenta quædam colorant. Rhod. *ad Scribon. n.* 180.

NAUTIA, ναυτία. Vide *Nauſea*.

NAUTILIA, ναυτιλία. Vide *Navigatio*.

NAUTILUS, ναυτίλος, vel ναυτικὸς, eſt genus teſtacei animalis, cujus diverſæ ſunt ſpecies, quarum deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 3. & 4. *Nautili* lapidei meminit Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 415. *ſeqq.*

NAXIA, ναξία. Vide *Cos*, à *Naxo Inſula*.

NEANICOS, νεανικὸς, proprie dicitur *juvenilis*. Apud Hipp. vero idem eſſe videtur, quod *vehemens*, fortis, magnus, uti patet ex 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 9. & *ſ.* 3. *t.* 42. *Coac. t.* 97. 226. 363. teſte Foëſ. *d. l.*

NEANIS, νεᾶνις, puellam *juvenculam* ſignificat. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. IIX.* 38.

NEANISCOS, νεανίσκος. Vide *Juvenis*.

NEAPOLITA, νεαπολίτης, autor quidam Medicus, à quo nomen accepit ſmegma quoddam *Neapolitæ* dictum, adverſus μιλφώσεις, ap. Ægin. *l.* 3. *c.* 22. Gorr.

NEAPOLITANUS, epitheton *Morbi Gallici*, ita dicti ideo, quod primo homines paſſi dicantur hanc ægritudinem in Italia, dum Rex Gallorum *Neapolin* occupabat. For. *l.* 23. *obſ.* 1. *Schol.* Vide alios de hoc morbo autores. Parac. vocat *Neapolitanum crimen*, *l.* 3. *Chirurg. magn. c.* 1. 7. & 8.

NEAROS, νεαρὸς, i. e. *recens*, cui opponitur *vetus*, παλαιὸς. Uſurpatur de ſanguine Hippocr. *l.* 5. *aph.* 43. Junge Dieter. *n.* 562.

NEASTRON, terminus Paracelſicus, ſignificans motionem elementorum in elementatis, ſive in omni-

bus quæ ab elementis oriuntur, & diffundit ſeſe veluti in ſuos ramos, & quo pervenit, ſeſe exerit. Hinc quædam partes expoſitæ ſunt *Neaſtro* Ignis; quædam aëris; aliæ, aquæ, vel terræ. Dicitur etiam *Morbus Elementorum.* Vide *Tab. 9. de generat. febr.*

NEBULA, νέφος, νεφέλη, νεφέλιον, quid proprie ſignificet, ex Phyſicis notum eſſe poteſt, videlicet congeriem exhalationum, vel vaporum craſſiorum, circa Horizontem, ab aëre nunc magis, nunc minus frigido condenſatorum, inſtar nubis tenuioris, unde & *Nubes ſterilis* vocatur, Ariſtot. *l.* 1. *Meteor. c.* 9. Pertinet interdum inter cauſas morborum procatarcticas, præſertim ſi inquinata fuerit. Parac. *de morb. metallifoſſor. l.* 1. *Tract.* 2. *c.* 1. Per tranſlationem in foro Medico de diverſis rebus dicitur. 1. de vitio oculi, h. e. ſuperficiaria *albedine tunicarum oculi* tenuiori. Nam ſi craſſior fuerit *Albugo*, λεύκωμα vocatur. Hæc *Nebula* vocatur *Albugo tenuis*, Senn. *l.* 1. *Med. Pr. p.* 3. *ſ.* 2. *c.* 16. Vel eandem habet ſignificationem quam *Nubecula*, *Nubes*, de quo vocab. paulo inferius.

NEBULGEN, eſt ſal ex humiditate nebulæ ſuper lapides in pratis decidentis, à calore Solis induratum. Paracelſ. *Scholiis in libr. de Grad. & Compoſ.* Dorn. *in Dict. Rul.* & Iohnſ. *in Lex.*

NECANS, θανάσιμος, θανατώδης, idem, quod *Lethalis.* Ita Cappadox apud Plaut. dixit: *Lien* necat, i.e. mori facit, magnitudine ſua, & doloris, exponente Linden. *Ex. IX.* §. 30.

NECESSITAS, ἀνάγκη, vide *Anance*, *Anancæos*, ἀναγκαῖος. *Neceſſitas* duplex eſt: & ex hypotheſi, quemadmodum & res *neceſſariæ* duplices ſunt. Vide Dieter. *n.* 53. Helmont. non inepte *neceſſitatem* ingeniorum & inventionum matrem vocavit, *tr. Natt. Contr. neſc. n.* 6. *Neceſſariæ res* alias dicuntur, quibus carere non poſſumus, *Th. Ch. Vol. I. p.* 238. ſed illis ſive velimus, ſive nolimus, corpus noſtrum utitur, Gal. *ad Thraſybul. c.* 18. Hæ ſunt Res ſex non naturales. Vide *Dogm. N. p.* 73. *ſeq.*

NECESSITUDO, ἀνάγκη πρὸς φιλίαν, eſt peculiaris quædam *neceſſitas*, ſive tale jus, quo eorum, quos Deus, & ſua voluntas inſolubili religioſæ conjunctionis vinculo colligavit, atque innexuit ſibi invicem, cuilibet conceſſa eſt poteſtas ab altero petendi, exigendi cum amoris debita, tum propinquitatis officia, & beneficia charitatis, uti elegantiſſime deſcripſit Lind. *Ex. XV* §. 89.

NECHIASECH, terminus Paracelſicus, qui quid ſignificet, non adeo planum eſt. Videtur tamen ſignificare portiones ſalinas, corroſivas, & depaſcentes; & occurrit *in l.* 1. *de ulcer. apoſtem. Syronib. & Nodis cap.* 5.

NECRO ASTRALE, legitur etiam apud Parac. *l.* 2. *de podagr* §. *Necromantia.* Verum quid ſignificet, fateor meam hebetudinem. Spectat ad *Necrocomicam*, & hæc ad *Necromantiam*, de quibus mox.

NECROCOMICA, ſunt prodigioſa præſagia, rei futuræ cujuſpiam prænuncia, per ſigna ex aëre in terram decidentia, ut cruces olim temporibus Maximiliani I. Imp. ac alia multa. Dorn. *in Dict. Rul.* & Iohnſ. *in Lex.* ex Parac. qui paſſim in ſcriptis meminit, v. gr. *d. loc. de podagric. & Fragm. de Anat. ocul. & c. l.* 9. *de Signat. rer. natur. &c.*

NECROLIUM, eſt remedium, quod mortem pellere, ac vitam conſervare poteſt, Dorn. *in Dict. Rul.* & Iohnſ. Unde & *Necroliæ artes* dicuntur, & qui eas callent, *Necrolii*, apud Parac. *l.* 5. *de vit. long. c.* 5.

NECROMANTIA, νεκρομαντία, eſt ars illicita, (& revera Diabolica) quæ cum mortuis operabatur olim, ut cum aſtra manifeſtabantur apud mortuos. Is dicitur vere *Necromanticus*, qui mortuos comparere facit, voces & reſponſa poteſt ab illis extorquere, circuire cogit, ac edere mirabilia. Quicquid mortuorum capitibus, oſſibus, acubus, linteis, pharetris, ſepulchris, ac ſimilibus arripitur, vel adimpletur, ſub nefariam hanc artem cadit, quæ tota ſuperſtitioſa, ac Chriſtiano fugienda ac deteſtanda, ſunt verba Dorn. Rulandi & Iohnſoni. Vocatur & *Goëtia*, apud Lang. *l.* 1. *ep.* 71. & *l.* 2. *ep.* 46. Diſtinctio Paracelſi in *Necromantiam aſtralem*, & *ſortilegiſticam*, nullius videtur momenti, cum aſtralis ſit mere commentitia, nitatur falſis hypotheſibus, & cum altera diabolica & deteſtanda *Sortilegiſtica* facile participet. Præſtat igitur, abſtinere à talium Scriptorum lectione.

NECROSIS, νέκρωσις. Vide *Mortificatio.*

NECTAR, νέκταρ, vocabatur gentilibus *potus Deorum*, quemadmodum *Ambroſia*, eorundem cibus. Proprie vero *Nectar* dicitur vinum mulſum, ex muſto confectum, hoc modo: Muſtum, quouſque ad dimidias fere reſideat, excoquitur, & in decem ejus ſextarios unus Mellis Attici miſcetur, poſt in cadum transfunditur, gypſatoque vaſis ſpiraculo in umbra reconditur, ex Gorræo, qui ex Conſtantino Cæſare *l.* 8. *de agricult.* deſumſit. Verum inflationibus obnoxium eſſe perhibetur, & ſtomacho adverſum, daturque alviciendæ cauſa. Aliam vero & magis conditam aromatibus deſcriptionem tradidit Linden. *Ex. X.* §. 153. qui ex Feſto, *Nectar* idem, quod *Myrrhinum* vel *Murratum* vinum docuit. Laudavit quoque, quod ſit ſuaviſſima confectio, nec dubitandum, fuiſſe inter veterum lautitias §. 154. *Nectar* quoque peculiare propoſuit Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 1. *c.* 2. ex liquoris Ficticelæ unciis tribus, & Rubedinis de Colcothar unc. duabus, cujus doſis drachm. dimidia in vino bono, & commendat ad urinam promovendam. Videantur *Schol. & Fragm. ad h. l.* Iohnſ. ſcripſit: *Nectar* fit ex correcto & claro vino: Correctum vinum rubrum eſt coagulatum: Clarum eſt vinum album, *l.* 1. *Lex. Med & l.* 2. *Nectar* eſt confectio Albuminis ovorum. Sic etiam alii Medici recentiores inventa ſua remedia hoc nomine exornare non dubitarunt, v. gr.

v. gr. Langius *Nectar* adſtringens ex Acoro adulterino. *Nectar* Catarrhorum Mynſ. e ligno Saſſafras. *Nectar* ſuccoſum e Bryonia. Vid. Etmüller *in Schrœd. dilucid.* & loca quærantur *in Indice.*

NECTAREUS, *Nectarites*, νεκτάρεος, νεκταρίτης; Epitheton (1) *vini*, apud Dioſc. *l.* 5. *c.* 66. (2) *Antidoti*, apud Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 7. quæ duo tamen ab *Helenio* potius ita dicta videntur eſſe, quod *Nectarion* Gr. dicitur à quibuſdam. (3) *Eclegmatis* Anodyni contra colicam, pleuritidem, & dyſpnœam, *l.* 9. *d. t. c.* 4. ubi tamen *Helenium* non ingreditur, & ita ratione ſuavitatis ob miſturam vini generoſi & mellis ita dictum fuit. Cur vero (4) *Collyrium* Marci *Nectarium*, νεκτάριον, ad lippitudinem & χημώσεις curandas faciens, vocatum fuerit, *l.* 4. *tit. eod. c.* 7. rationem nullam videmus.

NECTROMANTIA, dicitur ſpecies quædam Philoſophiæ Paracelſicæ, rectius *Magiæ*, ab antiquis etiam *Gaballia* dictæ, cujus quatuordecim partes recenſet *Philoſoph. ſagac. l.* 1. Dividitur in *Naturalem* & *Cœleſtem*. De hac egit *d. tit. l.* 2. Verum merito habenda ſuſpecta hujuſmodi ars, eamque præſtat ignorare, quam in eam anxie inquirere.

NEDEON, quid Paracelſo ſignificet, nec Dornæus, nec alii ejus ſectatores explicarunt. Videtur vero denotare aliquam ſpecificam rei uniuſcujuſque naturalis proprietatem eſſentialem, vel virtutem. Occurrit *l.* 4. *Philoſoph. tr.* 2. *c.* 1.

NEDYIA, νηδύϊα, vocantur τὰ ἔντερα, *inteſtina*, viſcera abdominis. Gorr. & Foëſ.

NEDYS, νηδὺς, ſignificat *ventrem inferiorem*, & in ſpecie ventriculum. Uſus aliquoties Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 4. *l. de A. L. & Aq. XLVI.* 13. *l. de Carnib. vel Principiis XII.* 19. *XIII.* 1. *l. de Arte XVII.* 3. *XXI.* 21. *l. de Corde I.* 11. *l. de nat. mul. LX.* 2. Jung. Foëſ. 430. Legitur & apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 52.

NEDYUSA, νηδῦσα, eſt epitheton τῆς δίψας ſive *ſitis*, & ſignificat vehementem, *inexhauſtam*, veluti in viſcerum penetralibus alte infixam. Legitur *Coac. t.* 173. quamvis Interpretes adhuc ambigant circa lectionem hujus textus. Videatur Holler. *in Comm. ad Coac. Hipp. p. m.* 413. Ionſton. *p.* 136. Foëſius *d. l.*

NEFRENDES, νεφροὶ, dicuntur in genere, qui *carent dentibus*; ita pueri quoque *nefrendes* ſunt, qui per ætatem adhuc dentibus frangere non poſſunt; & ſenex *nefrendis*, vel *nefrens*, qui dentibus caret. Vide Keuchen. *not. ad Seren. p.* 96. Stricte tamen de porcellis plerunque dictum fuit, qui nondum fabas, & alia legumina dentibus frangere potuerunt, Jul. Alex. *Not. in Gal. l.* 1. *de Al. fac. c.* 12. Quæ derivatio veroſimilior eſt, quam illa Fulgentii Carthaginenſis, apud Aldrov. *lib.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 36. qui porcum caſtratum *nefrendem* dictum fuiſſe credidit, quaſi ſine νεφρῶν, i. e. ſine renibus. Etenim renibus non privantur caſtrati, ſed teſticulis.

NEIÆRA; νείαιρα, νειαίρη; vel oxytonôs νειαιρὴ, dicitur *imus venter*. Legitur aliquoties apud Hippocr. *Coac. t.* 591. *l. de nat. mul. IV.* 6. quamvis Lind. poſuerit ἐς τὴν αἰθέρην, i. e. ſub dio. Verum Foëſ. legit τὴν νειαιρὴν, *l.* 1. *de morb. mul. LXXXI.* 4. Junge Foëſ. *pag.* 425. & ipſe Erotianus legit νέαιραν, quam γαστέρα interpretatur, alios vero colon, quod ſub κοιλίᾳ ſitum eſt, ita nominare dicit.

NEILION, νείλιον, nomen eſt malagmatis, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 18.

NENEMIE, νηνεμίη, venti ceſſatio, *ſerenitas*, aëris tranquillitas dicitur. Foëſ. *Oec. p.* 431.

NENUFAR, dicitur *Nymphæa*. Diet. *Iatr. p.* 90. *ad fin.*

NENUFARENI, dicuntur ſpiritus, aërem inhabitantes. Dorn. Rul. & Iohnſ. *ex Paracelſ. Philoſ. ad Athenienſ. l.* 1. *text.* 13. ubi tamen *Neufareni* legitur.

NEOCHMOS, νεοχμὸς, ſubſtantive, & adjective ſumitur, & denotat vel *innovationem* vel *rem* recenti motu *innovatam*. Hipp. *l. de morb. mul. XXIIX.* 24. & adverb. νεοχμῶς, *noviter*, *l.* 1. *h. tit. XXXII.* 6. Jung. Foëſ. *p.* 426.

NEOGNOS, νεογνὸς, recens natus. Vide *Natus.*

NEOPOTOS, νεόποτος, dicitur, *qui recens potum ſumſit.* Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 55.

NEORRHOPHETOS, νεοῤῥόφητος, vocatur, *qui noviter ſorbitionem ſumſit.* Hipp. *d. l.*

NEOS, νέος, duo ſignificat: *Novum* & *Juvenem*, Dieter. *n.* 565. Vide *Juvenis.* A νέος deſcendit adverbium νεωστὶ, *recens*, *noviter*, nuperrime, de quo videatur Linden. *Ex. XIII.* §. 287. *ſeq.*

NEOTERICOS, νεωτερικὸς, *recentior.* Uſurpatur frequentiſſime de Scriptoribus & Autoribus, ad differentiam veterum & antiquiorum, quod paſſim occurrit.

NEOTEROPŒEO, νεωτεροποιέω, id eſt, *innovo*, novi quid molior. Quo verbo uſus Hipp. 1. *aph.* 20. *l. de Humor. III.* 83. quod alibi expreſſit per καινουργέω, *l. de vet. med. XXXIIX.* 2. *Paſſiv.* νεωτεροποιεῖσθαι legitur *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 29. Vide Foëſ. *p.* 430. Dieter. *num.* 569.

NEPA, idem, quod *Cancer.* Keuchen. *ad Seren. pag.* 136. quamvis Aldrov. potius *Scorpionem* denotare velit, *l.* 2. *de cruſtat. c.* 16. *p.* 160. *h. &* 170. *h. ed. Bonon.*

NEPENTHES, νηπενθὴς, potio olim vocabatur, quæ fecit oblviſci malorum, uti demonſtravit Lind. *Ex. X.* §. 144. Caſp. Rejes *C. El. q.* 2. *n.* 12. *& q.* 88. *n.* 13. per quam colloquium ſuave inter convivas fuiſſe intellectum quoque exiſtimavit Lang. *l.* 1. *ep.* 56. quamvis alibi herbam aliquam, *Oenotheram* dictam, vino inditam ſtatuerit hunc effectum producere, *l.* 3. *ep.* 6. Chymici tamen tranſtulerunt vocabulum hoc ad *Compoſitionem* quandam *Opiatam*, cujus meminit Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 44. Beguin. *in Tyrocin.* Iohnſ. *in Lexic. l.* 2. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *p.* 314. deſcriptio vero occurrit *in Diſpenſat. Norimberg. p.* 186.

NEPHELE, νεφέλη, non modo vocatur *Nebula*, ſed & *Nubes*. Vide *Nubes*.

NEPHELOIDES, νεφελοειδής, *nubiloſus*, epitheton urinæ, quæ multum albæ nubeculæ continet. Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 43.

NEPHRIDION, νεφρίδιον, dicitur *pinguedo renalis*, quæ renibus adjacet. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul.* L. 14. Foëſ. *p.* 425.

NEPHRITICOS, νεφριτικός, duplicem potiſſimum habet ſignificationem: unam Pathologicam, alteram Pharmaceuticam. Juxta illam dicitur vel de ipſo morbo, & ita coincidit cum *Nephritide*; vel de Ægris, ſive Calculo, ſive inflammatione, ſive alio affectu renum laborantibus, ap. Gal. paſſim, v. g. *l.* 6. *de L. A. c.* 2. *& alibi.* Vel de Excretionibus, 1. *Epid. ſ.* 2. *c.* 8. Juxta hanc in genere medicamenta renibus conferentia vocantur νεφριτικά, *Nephritica*, Gal. *l.* 6. *de tu. ſan. c.* 11. *l.* 10. *de C. M. S. L. c.* 1. Junken. *Chym. Exp. Cur. P. II. ſ.* 1. *c.* 18. *p.* 679. *ſeqq.* In ſpecie vero apud recentiores laudantur *Lapis Nephriticus*, & *Lignum Nephriticum.* De illo legatur Schroder. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 331. *ſeqq.* Confirmat & Rhodius hujus lapidis amuleticam virtutem contra calculum *Cent. III. Obſ.* 30. De hoc Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *num.* 228. Fr. Hofm. *ad h. l.* Chiocc. *d. l. ſ.* 5. *p.* 575.

NEPHRITIS, νεφρῖτις, vocabulum valde æquivocum eſt. Phyſiologice ita dicta fuit *vertebra prima lumborum*, quæ & ἀσφαλῖτις, Gorr. & Lind. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 34. Pathologice vocabulum accipitur vel late pro *omni morbo renum*, ſive ſimilari, ſive organico, uti colligere eſt *ex* 6. *aph.* 6. *l.* 6. *Epid. ſ.* 8. *t.* 4. Gal. *l. de affect. in renibus cogn. & cur. cap.* 2. Conſentiunt Foëſ. *p.* 430. Dieter. *n.* 566. Caſtell. & alii. Vel ſtricte & rurſus dupliciter: 1. pro *Renum Calculo.* Vide *Calculus*, Græc. λιθίασις. Ita accepit Helmont. quoque *tract. de Lithiaſi paſſim.* 2. pro *Inflammatione Renum*, quæ magis accurata & propria eſt ſignificatio, ad ſimilitudinem aliorum morborum Græce in ῖτις deſinentium. Vide *Itis.* Deſcribitur à Galen. *in Def. Med. Nephritis* eſt renum inflammatio cum vehementi dolore, cui interdum conjuncta eſt urinæ difficultas, cum fibroſis excretionibus aut arenoſis, aut modico ſanguine. Cauſa cum aliis inflammationibus eſt communis, videlicet ſanguis acrior & bilioſus, vel eryſipelaceus impeditus in tranſitu, ex arteriis emulgentibus, ad venas emulg. & ita ex ſtagnatione inflammans. Foreſt. *lib.* 24. *obſ.* 1. *ſeqq. & alii.* Vocatur & *Nephriſis*, apud Helmont. *d. l.* Accipitur etiam adjectivum apud Hippocr. ubi legitur νεφρῖτις φθίσις, *tabes renalis*, *l. de int. aff. XVI.* 18.

NEPHROS, νεφρός, dicitur Latine *Ren.* Uſitatius pluraliter νεφροί, *renes*, Dieter. *n.* 567. Horum hiſtoriam vide in Anatomicis, ſpecialiter Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 17. Commentum Olhafii de *renum* vi σπερματοποιητικῇ, quod tamen aliquot Medici Clariſſimi amplexi ſunt, refutatum legere licet apud Lind. *Medic. Phyſiol. l.* 2. *c.* 5. §. 142. *ſeqq. multis.* Barthol. vero *d. l.* adhuc fluctuare videtur. *Ren* quoque accipitur abuſive interdum pro *Teſticulo*, quo ſenſu ſumſit Ionſton. *Syntagm. Med. p. m.* 1017.

NEPHROTOMIA, νεφροτομία, dicitur *ſectio Renum*, de qua legi poterit apud Hipp. *de int. aff. XV.* 19. Enimvero non ibi ſermo eſt de *ſectione* ipſorum *renum*, ſed de ſectione abſceſſus juxta renes. Impoſſibilis igitur potius habenda eſt *Renum ſectio*, cum Boneto *Mercur. Compit. l.* 3. *p.* 43.

NEPION, νήπιον, vide *Infans.* Foëſ. *Oecon. p.* 431.

NEPONES, vide *Barones.*

NERITA, νερίτης, dicitur ſpecies teſtaceorum, & quidem *turbinatorum*, cujus deſcriptionem, cum variis differentiis, vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 26. *ſeqq.*

NERONIANA, epitheton *Venæſectionis*, quando plures, quam una, tunduntur venæ, uno die. Hildan. *cent.* 6. *obſerv.* 92. ubi exemplis demonſtrat, hujuſmodi venæſectionem merito eſſe reprobandam.

NERVALIA, *oſſa*, vide *Arcualis.*

NERVI reverſivi. Vulgo recurrentes, Trinc. *l.* 5. *c.* 1.

NERVINUS, νεῦρος, νευρώδης, *Nerveus*, *Nervoſus.* Sumitur vel Phyſiologice, pro partibus illis de nervorum natura participantibus, vel ad nervi naturam, ſimilitudinem accedentibus; ut ſunt *Fibræ*, *Ligamenta*, *Tunicæ*, &c. quæ propterea communi nomine appellantur *partes Nervoſæ* paſſim in Autoribus. Ad primam ſignificationem referre libet nomen plantaginis, quod dicitur πολύνευρος, *multinervia*, vel *Nervalis*, Scrib. *n.* 12. Rhod. *ad h. l.* Vel Pharmaceutice tribuitur remediis, ad *Nervos* & *Nervoſas partes* utilibus. Ita in Diſpenſatoriis *Emplaſtrum Nervinum* legitur, ut & *Unguentum*; nec non Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 8.

NERVUS, νεῦρον, accipitur late & ſtricte. Late includit, præter *nervos* proprie dictos etiam *Tendines* & *Ligamenta*, v. gr. Hippocr. *l. de Arte XIIX.* 2. *l. de Principiis, vel Carn. XI.* 3. *& alibi ſæpius.* Vide Foëſ. *p.* 427. Stricte dicitur de canalibus, ſpiritum animalem ad partes ſenſui & motui locali deſtinatas deferentibus, unde & inſtrumenta ſenſus & motus dicuntur, quorum hiſtoriam pete ex Anatomicis, in ſpecie Bartholin. *libell.* 3. *Anatom. per totum.* Willis *Anat. Cerebri c.* 17. 19. *ſeqq.* & ex noviſſimis Vieuſſen *Neurologia* accurate conſcripta. *Nervum* non eſſe organum executivum motus voluntarii, (ſcil. quatenus eſt pars ſolida organica) ſed organum delativum imperii voluntatis, recte ſcripſit Helmont. *tr. Catarrhi delir. n.* 59. *& tr. de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 15. Quæ *nervorum* ſit ſtructura, & quæ conformatio ope microſcopii deprehendatur, vide apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 1. *ſ.* 4. *c.* 11.

NESDER, legitur apud Paracelſ. *l.* 1. *Philoſ. ad Athen. c.* 14. ſed quid ſignificet, non licet determinare.

NESIS, νῆσις, proprie ſignificat *accumulationem*, σώρευσις Gr. dictam, à νέω, *glomero*. Hinc νῆμα *filum glomeratum* notat. Per tranſlationem vero dicitur de morbo, ex humorum accumulatione facto, Hippocr. *l. de L. in hom. XXXII.* 1.

NESTEIE, νηστείη, vide *Jejunium*. Νῆστις, vide *Jejunus*.

NETOPON, νέτωπον, nomen eſt medicamenti cujuſdam odorati, & ex variis aromatibus mixti, propterea ſumtuoſi. Qualia erant muliercularum Romanarum Unguenta, Spicatum, Foliatum, Comagenum, & Suſinum, cujus Hippocr. paſſim meminit in libris *de nat. mul. & morb. mul.* de ſuperfœtatione, in affectibus uteri peſſariorum loco adhibendi, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 67. Loca vero Hippocratis allegata vide ap. Foëſ. *Oec. p.* 426. Sunt qui confundant cum *Metopio*. Vide *Metopion*. Alii Galbanum, alii oleum amygdalarum dulc. eſſe crediderunt. At Profp. Martianus omnes hac opiniones ſuſpectas reddidit ex ipſis Hipp. textibus, ſatius eſſe dicens, ingenue fateri ignorantiam, quam temere animos legentium velle decipere, *Annot. ad Hipp. l.* 1. *de morb. mul. p.* 271.

NEUROCHONDRODES, νευροχονδρώδης, dicitur *ligamenti genus* durum, *cartilagineum*, partim latum, partim rotundum. Medium quoddam corpus inter cartilaginem & ligamentum: hoc quidem durius, illa vero mollius. Ejuſmodi habentur in articulo pternæ cum aſtragalo, & vicinis partibus. Tale etiam in intimo ſinu coxendicis viſitur, valde quidem durum, quod principio tam latum eſt, ut pubis foramen etiam attingat; deinde paulatim contrahitur, rotundiusque factum inſeritur in medium cruris caput. Hæc Gorræus. Legitur apud Gal. *l.* 2. *de Temp. c.* 3. In magnis etiam animalibus tale corpus νευροχονδρώδης reperiri, ſcribit Idem *l.* 6. *de V. P. c.* 19.

NEUROLOGIA, νευρολογία, i. e. *deſcriptio* accurata *nervorum*, qualem Th. Willis *in ſua Anatom. cerebri* aliique ex hodiernis Anatomicis exhibuerunt.

NEUROMETORES, νευρομήτορες, vel νευρομήτραι, vocantur *Muſculi Pſoas*, uti ſcribit Fallop. *in Obſ. Anat.* quæ extant *Tom.* I. *Oper. p. m.* 390. Veſal. *l.* 2. *de H. C. F. cap.* 38.

NEURON, νεῦρον. Vide *Nervus*.

NEUROTOMIA, νευροτομία, vel anatomicam nervorum ſectionem ſignificat, vel præternaturalem eorundem diſſectionem.

NEUROTROTOS, νευρότρωτος, qui *nervum vulneratum* habet, Gal *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 21. Ita νευρότρωτα vocantur *nervorum vulnera*, *l.* 7. *S. Fac.* §. *Nuces Caryæ*.

NEUTER, οὐδέτερος, dicitur de qualitate, vel facultate, qua corporis humani, qua medicamentorum indifferente, tripliciter, vel quando non participat de duobus extremis: vel quando de ambobus: vel quando modo de uno, modo de altero participat, Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 21. & *l. Art. Med. c.* 6. An omnibus tribus ſubdiviſio applicari poſſit *Neutrius* in *Neutrum* ſemper: *Neutrum*, ut multum: & *Neutrum*, ut nunc, ventilavit, ſed abſque artis emolumento, Hier. Cardanus *in Contradicent. l.* 1. *tract.* 6. *contrad.* 6. & 7. In ſpecie de *ſtatu* corporis humani *Neutro* noſtram ſententiam vide *in Dogm. Med. Gen. in Prælimin. p.* 8. 9. *Neutralitas* quoque à Chymicis deſcribitur, quod ſit *neutraliter* media diſpoſitio, vel mediocritas, in qua per modum medii ſeſe habituant actiones ſui ſubjecti ad conſervationem ſpeciei, ex Lullii *Theorica c.*2. *in Vol.IV. Theatr. Chymic. p.* 4.

NEUTHA eſt pellicula, vel oculis, vel auriculis infantum adnaſcens, ſive totam pueri faciem tegens in partu. Dorn. Rul. & Iohnſ. ex Paracelſ. *l.*1. *de Præparat. tr.* 4. *de Vitriol. alb.* An fortaſſis Amnios?

NEVUS, idem, quod *Nævus*. Legitur *in Lexic.* Scrib. Rhodii & alibi.

NEXIS, νῆξις. Vide *Natatio*.

NEXUS, πλοκὴ, idem, quod *Connexio*. Dicitur etiam de membranis fœtum involventibus, notante Keuchen. *ad Seren. p.* 223.

NICARION, νικάριον, vocatur genus quoddam *Collyrii nardini*, ex lacte præparati, ad multa oculorum vitia perutilis, cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 7. *c. ult.* citante Gorræo.

NICCOLUS, nomen Gemmæ, ap. Chiocc. in *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 212. cui tribuitur vis movendi affectus, & ſpiritus turbandi, cogendique, adeo ut triſtitiam & audaciam excitet.

NICODEMUS eſt nomen proprium, de quo e S. Literis *Joh. III. & XIX.* conſtat. Cur vero Angli oleum quoddam *Oleum Nicodemi* vocaverint, cujus deſcriptio *in Pharmac. Colleg. Londin. p. m.* 333. habetur, me & fortaſſis plures alios latet.

NICON, item *Ninon*, barbaris vocatum fuiſſe *Helleborum*, teſtatur C. Rejes *Camp. El. q.* 63. *n.* 45.

NICOTIANA, vide *Tabacum*.

NIDOR, κνίσσα, dicitur odor fœtens & redolens aduſtionem, Lind. *Ex. XIII.* §. 283. Vel eſt odor fumoſus pinguedinis, qualem dant toſtæ cornua capræ, Keuch. *ad Sammonic. pag.* 284. Qualem ſi accidat in ventriculo gigni, quod percipi poteſt ex ſaliva, ructu, vomitu, indicio eſt, pingue ciborum amburi, & tranſire in quid ſimile bili. Lind. *d. l.*

NIGER, *Nigredo*, μέλας, μελασμὸς. Vide *Melas*, *Melaſma*, *Melaſmos*. De *nigredine* Mercurii fixa lege Libav. *S. A. Ch. l.* 3. *c.* 15. In opere Lapidis Philoſophici *Nigredo corvina* quid ſit, vid. apud eund. *T. II. Oper. p.* 98. 368. 405. 407. Jung. *Th. Chym. Volum. III. p.* 726. *Vol. IV. p.* 546. & 891.

NIGRIFICATIO dicitur illa ipſa operatio, quando aqua illa Mercurialis Philoſophica ſupra nigra appa-

 ret,

ret, & veluti vellus nigrum aut pellem nanciſcitur. Et quia Sol & Luna, i. e. aurum & argentum inerant, dicebant etiam *Eclipſin Solis & Lunæ*, ac *Nigrificationem Maris*. Th. Chymic. *Vol. III. p.* 434.

NIGROMANTIA olim erat ars naturalium rerum in terra abſconditarum, ut minerarum & metallorum, &c. Poſtea Diaboli inſtinctu & malorum hominum nequitia in abuſum abiit, arsque diabolica facta eſt, Rul. Dorn. vero *in Diction. Parac.* & Iohnſ. *in Lex.* paulo clarius ita deſcripſerunt: *Nigromantia* eſt ars neſanda & execrabilis, qua diaboli malignique ſpiritus aſtute ſe cogi fingentes ab hominibus, ultro interim obediunt in eorum perniciem tantum non aliter, ut repente quid e longinquis adferant, aut ad remotiſſima loca deferant. Noctu potiſſimum eſt deſtinata, quia lucem fugiunt maligni dæmones, umbrarumque ſunt miniſtri ac tenebrarum. Deplorandum igitur eſt, quod nihilominus ſint inter Chriſtianos, qui artem hanc diabolicam vel excuſare, vel etiam ejus opera uti non verentur.

NIHIL, *Nihilum*, οὐδὲν, μηδὲν, opponitur *Alicui*, ſive *materiæ*. Idem proprie, quod *Non Ens*. Etenim quod vere non eſt, *nihil* eſt: & contra: Quod *nihil* eſt, vere non eſt, *Th. Chym. Vol. I. p.* 240. De *nihilo triplici* Crolliano, *Deali*, *Negativo*, & *Privativo*, ἐπίκεισιν Libavii vide *Tom. IV. Oper. p.* 83. An Paracelſi doctrina, quod omnia ad *nihilum* tendant? firmo ſtet talo, non eſt hujus loci, ventilare. *Nihil* vel *Nil album* quid ſit, vide *Pompholyx*.

NILIACUM, νηλιακὸν, epitheton *mellis*, idem notans, quod *Atticum*, vel *Hymettium*, & principem tenet locum in Medicina, ex Dioſc. Keuchen. *ad Sammon. p.* 158.

NIMBUS, ὄμβρος, idem, quod *Imber*. Vide *Imber*. *Nimbos* ex tonitru fracedine decuſſos, fertiles teſtatur experientia, & cum hac Helm. *tr. Imago ferment. n.* 33.

NIMIUM, πολὺ, idem, quod *Multum*. Hoc naturæ inimicum dixit Hipp. 2. *aph.* 51. rationem addidit Gal. *in comm. ad h. l.* quia deſtruit συμμετρίαν, & moderationem, atque diſſolvit compagem σύστασιν animalis.

NIOPON, νίωπον, oleum ex nucleis amaris preſſum, cujus modum ſimplicem exponit Erotianus, alias & oleum amygdalorum amarorum dicitur νίωπον.

NIPHETOS, νιφετὸς, dicitur *Nix*, confertim & cum impetu irruens, ſive *nives confertæ*, apud Hippocr. *l.* 4. *Epid. III.* 8. Jung. Foëſ. *p.* 432.

NISUS, σπιζίας, nomen *Accipitris minoris*, ſive *Fringillarii*, cujus hiſtoriam tradidit Aldrov. *l.* 5. *Ornith. c.* 2. *Niſus* quoque idem eſt, quod *Nixus*, i. e. *Conatus*.

NITEDULA, λαμπυρὶς. Vide *Cicindela*.

NITIALA, nomen ſtellæ apud Parac. quam cum ſale Vitrioli ejuſdem eſſe naturæ, ſibi perſuaſit. *tr. de Podagra.* §. *Cura.* An *Sirium* intellexit?

NITOR, στίλβη, idem, quod *Splendor*, *Fulgor*, λαμπρότης, eſt effectus luminis, teſte Lind. *Ex. XI.* §. 171.

NITRIALES, ſunt res omnes adurentes, & in calcem redigentes, ut ſal petræ, vel nitrum, ſulphur &c. Dorn. Rul. & Iohnſ.

NITRUM, νίτρον, eſt ſpecies ſalis, ſive *ſal ſulphureum*, φλογιστὸν, ſalſo amarum, ex terra pingui excoctum. Schroder. *l.* 3. *c.* 23. ubi integram *Nitri* hiſtoriam, vires, præparandi modos proponit. Jung. Fr. Hofm. *in Cl. ad h. l.* Dicitur & λίτρον, ἁλίνιτρον, *Baurach*, *Cerberus Chymicus*, *Sal infernalis*, &c. Plura de *Nitro* vide apud Lang. *l.* 2. *ep.* 32. Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 40. Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſect.* 2. *p.* 159. *ſeqq.* Th. Chym. *Vol. I. p.* 636. *ſeqq.* Willis *Ex. I. de ferment. c.* 10. Rolf. *Chym. l.* 5. *ſect.* 1. *art.* 3. Iunken. *Chym. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *cap.* 2. *p.* 256. *ſeqq.* qui etiam plures *Nitri* Chymicas præparationes deſcriptas exhibet *in Lex. Ch. Ph. Part. I. p.* 164. *ſeqq.* An *Nitrum* hodiernum conveniat cum *Nitro* veterum, dubitatur. Ita ut genuinum veterum *Nitrum* vix hodie reperiri nonnulli ſibi perſuaſum habeant, niſi circa confinia Nili, quo loco ejuſdem ſtirias effloreſcentes reperiri ſcribunt, coloris nunc rubeſcentis, nunc blande cœruleſcentis, unde & *Niliacum* vocat D. Ludov. *Pharm. Diſſert. I. p.* 423. Quod ſi vero loco Plinii *l.* 31. *c.* 30. conſideremus, nulla, aut certe exigua, apparebit differentia, Rhod. *ad Scrib. num.* 153. *Nitri rubri* meminit Hipp. *l. de nat. mul. XXIX.* 101. *l.* 1. *de morb. mul. CXX.* 19. ut & Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 8. Deſcribitur quoque *Nitrum*, quod fit ſalſugo quædam ex urinarum congregationibus in ſal præparata: verum videtur juſto ſtrictior. *Nitrum Murarium* quod vocat laud. Ludovici *d. l.* eſt nihil aliud, quam *Aphronitrum*, ſive lanugo illa, quæ ex muris effloreſcere conſpicitur, & dependet ejus origo à calce viva, qua muri ſunt conſtructi. *Nitrum* dicitur lapis ſalſus, i. e. ſulphur album. *Nitrum Alexandrinum*, id eſt, cinis clavellatus. *Nitron*, id eſt, fex vitri. Rul. & Iohnſ.

NIX, χιὼν, quid ſit, & quale meteoron, Phyſicorum eſt, docere. Pertinet vero ad forum Medicum, quatenus vel pertinet inter cauſſas ſanitatis & morborum, vel ad uſum Diæteticum & Pharmaceuticum transfertur. Illud patet ex Hippocr. 5. *aph.* 54. Junge Dieter. *n.* 923. J. Alex. *l.* 17. *Sal. c.* 12. *& alibi*: hoc ex Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 2. ubi *p. m.* 150. mentionem facit *Nivis mulſæ*, h. e. cum melle mixtæ, quam veteres in æſtuoſis febribus obtulerunt, χιονόμελι dictam, non ex C. Rejes *C. El. q.* 74. *n.* 27. ubi eos appetitus & eximium embamma olim Magnatibus habitum legitur, ſine quo omnis ciborum apparatus ingratus fuit. *Nix fumans* dicitur *Calx viva*. Keuchen. *ad Sammon. p.* 244.

NIXIA vocabulum videtur eſſe ab ethnica ſuperſtitione deſumtum, reſpondens Lucinæ, & exprimens conatum naturæ in promovendo partu. Uſus illo D. Pechlinus *obſerv. Medicar. l.* 1. *obſ.* 33. Chymici nomen hoc etiam ad ſuos proceſſus tranſtulerunt: Unde apud Schroder. *Pharm. l.* 3. *c.* 17. *Nix diaphoretica Antimonii* legitur, quam nihil aliud eſſe, quam correctum

Sulphur

Sulphur auratum, aliis materia perlata dictum, D. Joh. Michaelis *ad h. l.* notavit.

NOAS, *Noac*, id eſt, *æs* vel *cuprum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

NOBACH, *Noboch*, inſtrumentum eſt *Necromanticum.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

NOCASIT, id eſt, *cribrum*, vel *vas perforatum.* Rul. & Iohnſ.

NOCENS, βλάπτων, idem, quod *Nocuus*, *Noxius*, βλαβερὸς, opponitur *Juvanti.* *Nocentia* eſſe vitanda, *Juvantia* vero amplectenda, pertinet ad Methodum medendi, Gal. *c.* 2. *de hum. t.* 1.

NOCHAT, *Nuchat*, id eſt, *venus*, *æs*, *Nuchor.* Rul. & Iohnſ.

NOCHELES, νωχελὴς, id eſt, *tardus*, ſegnis, à νω privatio, & κέλλω, curro, celeriter moveo. Dicitur in ſpecie de ſecundinis tardantibus apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. CVIII.* 50.

NOCTAMBULO, *Noctambulus*, νυκτοβάτης, (rectius *Somnambulo*, ὑπνοβάτης, cum & ſani noctu ambulare poſſint & ſoleant) dicitur de eo, qui dormiens e lecto ſurgit & ambulat, imo varia vigilantium opera exercet. Ad quam claſſem morborum, vel ſymptomatum potius referri debeat hic affectus, non adeo planum eſt. Sennert. videtur ad *Coma vigil* referre, *Inſtit. Med. l.* 2. *ſect.* 1. *p.* 3. *c.* 7. & *ſect.* 2. *c.* 4. *Med. Pr. l.* 1. *p.* 2. *c.* 19. Verum mihi minus videtur veroſimile, cum *Comatoſi* minime ſint expediti ad opera vigilantium. Quin potius referri debet ad *Melancholiæ* ſpecies, vel conſtituet peculiarem ſpeciem Somni præternaturalis, videl. *depravatum ſomnum*; quo videtur inclinare Willis *tr. An. Brut. P. I. c.* 16. Hujus affectus cauſa conſiſtit omnino in ſpirituum animalium quorundam irrequietorum excurſione. Meminit hujus affectus Lang. *l.* 2. *ep.* 45. C. Rejes C. *El. q.* 37. *n.* 48. *ſeq.*

NOCTIDIALE, νυχθήμερον, h. e. *ſpatium noctis & diei*, ſive viginti quatuor horarum. Galen. *de ſeptim. partu. t.* 1.

NOCTILUCA, idem, quod *Cicindela.* De animalculo *noctilucente* Indico, *Cocujo* dicto, conſule *Theatr. Chymic. Vol. VI. pag.* 95. Vide *Cicindela.* De *Noctiluca Aërea* & *Glaciali* vid. *Acta Erudit. Lipſienſ. An.* 1682. & ipſius inventoris Illuſtris Rob. Boyle tractatus *h. tit.*

NOCTISURGIUM, idem eſt, quod Somnambulatio vel Noctambulatio, legitur apud Sennert. *Med. Pract. l.* 1. *Part. II. c.* 19.

NOCTUA, γλαῦξ, dicitur avis, noctu maxime videns, diurnam vero lucem non perferens, cujus prolixiorem deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina tradidit Aldrov. *lib.* 8. *Ornithol. c.* 7. Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *num.* 60. Sanguinem *noctuæ* inter abſurda refert remedia contra orthopnœam, Gal. *l.* 10. *de S. F.* §. *Stercus anſerinum.* Ova *noctuæ* moderate elixa, & infantibus exhibita abſtemios reddere, teſtatur Lang. *l.* 2. *ep.* 50.

NOCTUINI oculi vocantur, qui ſunt glauci, cæſii, Ital. Occhi di gatto, Ioſ. Laur. Am. *On. p.* 568.

NOCTURNUS, νόκτιος, νυκτερινὸς, dicitur de morbis, præſertim de Febribus, quarum paroxyſmi contingunt noctu, opponunturque *Diurnis.* P. M. de Calderia *Tom. I. Op. p.* 305.

NODOSUS dicitur de certa *Arthritidis* ſpecie, quando materia quædam tophacea & fex terreſtris articulis impacta & coagmentata efficit, ut diſtorqueantur, cutis tandem diſſiliat, &, pereunte motu, membrum incurvetur. Foreſt. *l.* 29. *obſ.* 2. *in Schol.* Jac. Balde vocat *tertium gradum Podagræ*, qui eſt Perfectorum, *coagulatam Podagram* aſſuetudine dolendi nutrientium, *Part. I. Solat. Podagr. q.* 12.

NODULUS, vel ſignificat *parvum nodum*, & ita Græce dici poſſet ἁμμάτιον; vel uſitatius notat *ſacculum*, σακκίον, vel *marſupiolum*, cui induntur ſpecies, medicamenta ſimplicia & compoſita, pro vinis & cereviſia medicatis. Et ſynecdochice quoque ſæpe pro illis ipſis ſpeciebus vocabulum ponitur, uti ex Practicis libris paſſim conſtat. *Nodulus* quoque accipitur pro *globulo* rotundo, fabæ figuram referente, glandis vel ſuppoſitorii uſum obtinente. Weker. *Antidot. gen. l.* 1. *cap.* 49.

NODUS, ἅμμα, eſt vocabulum æquivocum apud Latinos Medicos. Primam ſignificationem vide in *Hamma.* Altera acceptio eſt Phyſiologica, & dicitur vel de *protuberantiis oſſium*, ſive capitibus circa articulos, Gr. κόνδυλος. Vide *Condylus.* Vel de membranis carnoſis & craſſioribus circa vaſa umbilicalia occurrentibus, e quorum *nodorum* numero & diſtantia de frequentia conceptus conjicere volunt obſtetrices, ſed abſque veriſimilitudine. De his vide Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 37. & C. Rejes C. *El. q.* 52. Tertia eſt Pathologica, & ſignificat varii generis *Tumores*, ex materiæ vitioſæ coagulatione vel congelatione obortos in partibus externis, Helm. *tr. Blas hum. n.* 35. Ita tumorem in mala indolentem & indies augmentum capientem *Nodum* vocavit D. Binninger *Obſerv. Med. Cent.* 1. *obſ.* 32. *pag.* 34. Ita abſceſſus cum Folliculo, *Atheroma*, *Steatoma*, *Meliceris* dicuntur *Nodi*, Foreſt. *l.* 3. *Chir. Obſ.* 7. *Schol.* Indurationes Gallicas vocat *Nodos* Paracelſ. in *libris ſuis de morb. Gall.* *Nodi* articulorum ſunt tumores indurati, Dorn. Rul. & Iohnſ. *Nodos* etiam vocavit D. Pejerus illas inteſtini tenuis in ſe retractiones & ſitum mutatum, quales in uno ſubjecto quatuor vidit, ita ut portio triuncialis coarctata & retractata in vicinam partem delituerit, inſtar limacis in domuncula aut gladii in vagina, & nonniſi vi quadam extrahi patuerit, uti legere eſt in Pœonis & Pythagoræ *Exercit. Epiſtol. Anatomico-Medicis Ex. XVII. ep.* 2. Hanc veram cauſſam eſſe iliaci doloris nullum eſt dubium, ſed an ſemper & in omni ſubjecto, determinare

non libet. *Nodus barbaricus*, σύνδεσμος βαρβαρικὸς, pertinet ad primam ſignificationem, eſtque vinculi genus quoddam, & *ligatura* ad dolores ſedandos, cujus meminit Gal. *l.* 2. *de L. Aff. c.* 2. Jung. Jul. Alex. *in Not. ad h. l.*

NOERA, id eſt, *coopertorium* vaſis deſtillatorii. Rul. & Iohnſ.

NOLI *me tangere* vocatur ſpecies Herpetis exedentis cancroſi, ſive Phagedænæ (alii etiam ad *Lepram* referunt) ita dicta, quod vel tangentem inficiat, vel quia quanto plus tangitur, tanto magis creſcit, ac in pejus vergit. Eſtque tumor & exulceratio corroſiva in facie, circa os & naſum, & ſupra mentum, proveniens ab ichore acri, maligno, & ſeptico ſubſiſtente. De hoc affectu vide Foreſt. *l.* 2. *Chirurg. obſ.* 9. *cum Schol.* Senn. *Med. Pr. l.* 5. *p.* 1. *c.* 20. Meminit & aliquoties in *ſcriptis* ſuis Paracelſ.

NOMAS, νομὰς, epitheton *columbarum*, quæ in montibus degunt, Gal. *l.* 10. *de S. F.* §. *Stercus Gallinac.*

NOME, νομὴ, dicitur *Ulcus depaſcens*, Lat. *Paſtio*, quod ſerpendo vicinas partes quoque corrumpit, Galen. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 4. *&* *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 14. Coincidit cum *Phagedæna.* Dicitur & Ulcus obambulans, ambulativum, Foreſt. *l.* 7. *Chir. obſ.* 3. *Schol.* Alias νομὴ etiam *Pabulum* ſignificat.

NOMEN, ὄνομα, quid ſignificet, & pueris notiſſimum eſt. Sæpe tamen late quoque ſumitur, comprehendens quandoque ipſa *verba*: v. g. quando Gal. ſcribit: Allaborandum, ut in Medicina ſemper *nominibus* maxime perſpicuis utamur, *l.* 2. *de diff. pulſ. c.* 2. Non excluſa eſſe ipſa quoque *verba*, nemo non intelligit. Quæ ſententia uti veriſſima, & notatu propterea digna, ita tacite refutat Helmontianam, Paracelſicam, & fere in genere Spagyricam Medicinam, plurimis novis, inuſitatis, obſcuris, & Bœoticorum ænigmatum ſimilibus nominibus refertiſſimam. Quod vero *nominibus*, præſertim ſacris, aliqua inſit virtus Medica, rectiſſime refutavit Dieter. *Iatr. p.* 729. quia non ſunt res corporeæ, nec ſpirituales, nec accidentia ſubjecto inhærentia; ſed notiones extrinſecus ab aliis attributæ, ex placito impoſitæ, omnes vitæ & actiones expertes, Caſp. Rejes *C. El. q.* 22. *n.* 8. Interim Medicis *nominum* inquiſitio omnino neceſſaria, *Id. q.* 68. *n.* 1. 2. cum certis de cauſis impoſita eſſe minime dubium ſit, vel ut naturam, vel virtutem rei exprimant, Schroder. *l.* 1. *c.* 37. Symptomata plerumque eſſe ſimul *nomina* morborum, docet Lind. *Ex. III.* §. 43.

NOMOS, νόμος, Latine *Lex.* Vide ſupra Lit. LE.

NOMOTHETEMA, νομοθέτημα, proprie *legiſlatum* ſignificat. Hippocr. vero nomina vocavit naturæ νομοθετήματα, ob antea dictam rationem, quia certis de cauſis ſunt impoſita, veluti lege quadam, *l. de Arte III.* 5.

NONANUS, ἐννεαταῖος, epitheton febris erraticæ, cujus meminit Hipp. 1. *Ep. ſ.* 3. *t.* 17. quamvis eam dari, merito dubitet Gal. *in comm.* vel ob hanc quoque rationem, quia eſt erratica. Ergo nihil certi de illius periodo dici poterit.

NON ENS, οὐδὲν, idem, quod *Nihil*, cujus nullus conceptus, nulla ſcientia, cum non habeat ſui ſpeciem, ſub qua ſe repræſentet. Quænam ſint *non Entia Chymica*, lege apud Rolf. *Chymiæ l.* 6. *c.* 3. *ſeqq.* quamvis Bekerus & Langellottus eum refutare auſi ſint. Ille *in ſupplemento in Phyſicam ſubterraneam*; hic vero *in Epiſtola quadam ad Nat. Curioſos in Ephem. Nat. Cur. A. III. obſerv.* 59.

NORA dicitur *Calx*, item *quodlibet ſal*, item *Nitrum.* Rul. & Iohnſ.

NOSEROS, νοσερὸς, *Morbidus*, *valetudinarius*, qui in perpetua imbecillitate vivit. Legitur apud Hipp. 6. *aph.* 2. Junge Dieter. *n.* 575.

NOSIDIDACH, id eſt, *Artum*, vel *Artus.* Rul. & Iohnſ.

NOSOCOMION, νοσοκομεῖον, dicitur locus, in quo ægri curantur. Latine etiam *Valetudinarium* dici poſſet.

NOSOCOMOS, νοσοκόμος, dicitur, *qui ægrotorum curam gerit*, Dieter. *Iatr. p.* 933. & propterea haud inepte Ionſton. *in ſuo Syntagmate Med. Pract.* partem tertiam vocavit νοσοκομικὴν, deſcribens, quod ſit pars Medicinæ practicæ ſpecialis, in qua de morbis & ſymptomatibus in ſpecie eorumque cura agitur.

NOSODOCHIUM, νοσοδοχεῖον, idem, quod *Noſocomion*, vulgo *Hoſpitale*; de quo lege Dieter. *Iatr. p.* 444.

NOSOLOGIA, νοσολογία, idem, quod *Pathologia.*

NOSOPOEETICOS, νοσοποιητικὸς, dicitur Georg. Thomſono, quicquid morbi cauſſa exiſtit, *in Explicatione terminor. quorundam Artis Acui Magneticæ præmiſſa.*

NOSOS, νόσος, νόσημα. Vide *Morbus.*

NOSTER, ἡμέτερος, dicitur Spagyricis de metallis Philoſophicis, v. g. *Aurum noſtrum* eſt *Elixir rubrum*, & *album* eſt *Argentum noſtrum.* Adjectum *Noſtri* facit diſcrimen inter vulgaria & Philoſophica, quorum illa ſunt confuſa cum elementis; hæc ab illis liberata, & ad aſtralem naturam perducta. Libav. *Apoc. Herm. P. Poſt. T. II. oper. p.* 412.

NOSTOCH dicitur jaculum alicujus ſtellæ, vel potius ejus repurgatione dejectum quid in terram. Invenitur potiſſimum Junio, Julio & Auguſto, ſuper latos campos, vel in pratis, inſtar fungi magni, vel ſpongiæ foraminoſum quid & leve, tendens in fulvum & ravum colorem, & ut coagulatum jus tactum contremiſcit. Sunt, qui per *Noſtoch* ceram intelligunt metaphorice, Dorn. Rul. & Iohnſ. Parac. jungit cum Terniabin, & vocat manſiones rerum ſupracœleſtium, *l.* 4. *de vit. long. c.* 8. fructus aëris, *Philoſ. Tr.* 2. *it. l. de puſtul. Gallic. & aliis ſympt. cap.* 7. *fin.* *Balſami Noſtoch* meminit idem, *Berthoneæ l.* 2. *c.* 7. Cœlitus quoque demitti credidit Helmont. *tr. de magnet. vuln. cur. n.* 43.

NOSTOS, νόϛ☉, dicitur *dulcedo* & ſuavitas ciborum. Unde νόϛιμα, *dulcia*, & πολύνοϛα, quæ multum ſuavitatis in ſe habent, quod vocab. legitur ap. Hipp. *l.* 2. *de diæta XXXII.* 10. Junge Foëſ. *Oec. p.* 435.

NOTA ſæpe ſumitur pro *Macula*, *Nævo.*

NOTHOS, νόθ☉. Vide *Illegitimus.*

NOTHROS, νωθρὸς, dicitur *torpidus*, torpeſcens, ſegnis, & νωθρότης, *torpor.* Utrumque frequens ap. Hipp. Ita *Auſter* dicitur νωθρὸς effective, 3. *aphor.* 8. Junge Dieter. *n.* 581. Pulſus *tardus*, *Coac. t.* 139. ægri νωθροὶ, *languidi*, 1. *prorrh. ſ.* 3. *t.* 10. 25. Subſtantivum νωθρότης, 1. *prorrh. ſ.* 1. *t.* 13. *Coac. t.* 91. Dicitur & νωθρίη, 1. *prorrh. ſ.* 3. *t.* 49. *Coac. t.* 208. Vide plura loca apud Foëſ. *d. l. p.* 436.

NOTIÆOS, νωτιαῖ☉, *dorſalis*, à νῶτον, *dorſum.* Epitheton medullæ ſpinalis, quæ & μυελὸς ἐγκεφαλίτης vocatur, quia nihil eſt, quam *cerebrum* veluti prolongatum. Vide *Medulla.*

NOTIODES, νοτιώδης, *humidus*, à νοτὶς, *humor*, humiditas, *mador.* Eſt epitheton febris cujuſdam, ap. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 29. quæ recentioribus *Humoralis* dicitur, ſpecies malignæ & colliquativæ febris, quando corpus continuo madore evaporat, cum maximo languore, & virium proſtratione. Jung. C. Hofm. *de febr. c.* 54. & 58.

NOTIOS, νότι☉. Vide *Auſter.*

NOTIS, νοτὶς, *humor*, *vapor* dicitur, Linden. *Ex. III.* §. 216. Vide *Notiodes.*

NOTON, νῶτ☉, *Dorſum.* Vide ſupra in DO.

NOTOS, νότ☉. Vide *Auſter.*

NOVACULA, ξυρὸς, ξυρίον, à ξύω *rado*, inſtrumentum vocatur chirurgicum, quo pili deraduntur, cujus uſum nonnulli vere, vel ſimulate metuunt, notante Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 4. *circa fin.* Uſurpatur tamen interdum ad alias operationes Chirurgicas. Ita *Novaculam* vocat cultrum ad abſcindenda membra Hildan. *in Ciſta militari pag.* 1042. *Operum ſuorum.* Sic etiam Scultetus ſingularem *Novaculam* deſcripſit, quam Græci *Scodeghino* vocarunt, & Rouſſetus ad fœtum Cæſareum uſurpavit, *Part. I. Tab. II. fig.* 2. & *Tab. XLII.* Alia etiam Magna deſcripta occurrit *Tab. XX. fig.* 5.

NOVALE, Paracelſo dicitur *Portentum*, & in ſpecie *Novalia cæleſtia* vocat occultas imaginationes in homine, ex lectione vel ſermone obortas, *l.* 2. *Philoſ. ſagacis.*

NOVATOR, νεωτὴς, in bonam & malam partem ſumi poteſt. Secundum illam dicitur, ſive Philoſophus, ſive Medicus, qui doctrina, judicio, prudentia, mentis acie præſtans res novas invenit ad totius artis ſive ſcientiæ perfectionem utiles & neceſſarias. Qualis fuit Harvejus inventor circulationis ſanguinis, C. Aſellius venarum lactearum &c. Secundum hanc vero *Novator* eſt, qui ſolo vanæ gloriæ ſtudio præter neceſſitatem nova excogitat vel principia, vel terminos; & ſimilia &c. quo epitheto Helmont. non immerito à pleriſque appellari ſolet, quamvis & hodieque ſint, qui gloriolam vanam ſimiliter ſectentur. Plura de utraque ſignificatione vide apud Hor. Augen. *Tom. III. l.* 2. *c.* 4. *ſeqq. p.* 39. *ſeqq.*

NOVILUNIUM, νεοσελήνη, νεομηνία, olim dicebatur prima dies menſis, ſive *Calendæ.* Hodieque vero de conjunctione ſolis & lunæ accipi ſolet. Quod tempus Paracelſ. venenoſæ naturæ eſſe, lædere cerebrum, nimis audacter ſcripſit contra experientiam, *tr.* 2. *de peſtil. circa fin.* & *tr.* 3. *c.* 2.

NOX, νὺξ, tempus illud notat, quo Sol infra Horizontem noſtrum ſeſe abſcondit. Hanc ægris plerumque eſſe graviorem, quam diem, non ſolum in criſibus, ſed & communiter, egregie declaravit Dieter. *n.* 580. ex Hipp. 2. *aph.* 13. In ſpecie dolores Gallicos *noctu* exacerbari, ſcribunt omnes Practici, hunc morbum pertractantes, & ex his Foreſt. *l.* 32. *obſerv.* 5. & 21. *in Schol. Nox media* Spagyrice dicitur in Lapidis Philoſophici labore, quando omnia nigreſcunt magis magiſque, Lib. *Tom. II. oper. p.* 142. *Noctu*, Gr. νύκτωρ, Hippocr. 4. *aph.* 83. *Nocturnus*, νυκτερινὸς, dicitur de febre quadam quotidiana, quæ noctu accedit, Hippocr. 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 64. Gal. *in com.* quamvis Hofm. *in Not. MS.* monuerit, in aliis codicibus legi ἡμερινῶν, & rurſus in aliis ἀμφημερινῶν.

NOXA, βλάβη, idem, quod *Damnum*, Nocumentum. Vide *Blabe.* Verbum *Nocere* etiam pro *Lædere* ponitur. Keuch. *ad Sammon. p.* 258.

NUBA duplicem habet ſignificationem. 1. Eſt ſpecies *Mannæ*, vel Terniabin, roſeo colore, qualis in Hibernia utplurimum cadit. Parac. *Schol. in l.* 4. *de grad.* & *compoſ. c.* 4. Dorn. *in Diction.* Rul. & Iohnſ. 2. *Nuba* idem eſt, ac *Cuprum.* Rul. & Iohnſ.

NUBES, *Nubecula*, νεφέλη, νεφέλιον. Proprie ſignificat meteoron aëreum, ex vaporibus aqueis in ſublime elatis & collectis productum, quæ ſignificatio ad Phyſicos ſpectat. De *nubibus* ſuperioribus & inferioribus vide *Th. Chym. Vol. V. p.* 334. Poſtea Medici tranſtulerunt ab aëre ad urinas, in quibus materia illa immixta & ſuſpenſa *Nubis* vel *Nubeculæ* nomine appellatur, quæ alias & ἐναιώρημα dicitur. Vide *Enæorema.* Loca apud Hippocr. ſunt 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 29. 36. *Coac. t.* 577. 582. 584. Supereminentiæ quoque in alvi dejectionibus ſubpingues interdum pallidæ, interdum flavæ, aut alio colore infectæ, νεφέλαι vocantur Erotiano *Onom. p.* 76. *c. Nubes* etiam & *Nubecula* ſignificat vitium oculi, *Albugo*, *Pannus* quoque dictum, veluti *alba cicatrix* tenuior, in nigro oculi, exulcerationem ſuperficiariam comitatur. Hipp. 2. *prorrh. XXIIX.* 33. *Ægin. l.* 3. *c.* 22. Galen. *in def.* Hildan. *cent.* 3. *obſ.* 23.

NUCHA vocatur locus, ubi initium eſt ſpinalis medullæ. Sumitur & pro ipſo principio ſpinalis medullæ, quam partem cerebri vocat. Parac. *Paragraph. l.* 3. *c.* 1. §. 1. & ſedem Epilepſiæ ibi conſtituit.

NUCLEUS, πυρὴν, proprie ſignificat fructum arborum,

borum, ut *nuces*, vel mediam medulloſam, & interiorem partem nucum; vel etiam alia grana, v. g. grana mali punici dicuntur *nuclei*, Hipp. *l. de Affect. XLIIX.* 11. 12. Dioſcor. *l.* 1. *c.* 151. Vel etiam officula meſpilorum, palmularum, &c. Grana quoque thuris *nuclei* appellantur, Hipp. *l. de ſuperfœt. XX* 5. & baccæ ſambuci, *lib.* 2. *de morb. mul. XXIIX.* 38. Vide Foëſ. *p.* 547. Metaphorice vero ob aliquam formæ ſimilitudinem tribuitur quoque ſpecillorum quorundam Chirurgicorum parti alteri minori, in *nuclei* modum rotundæ, quam Chirurgi ad uſus diverſos adhibent. Propterea dicuntur *Specilla nucleata* διαπύρηνα, quæ Hipp. φαλακρὰ, *calvata* vocavit, 1. *de artic. t.* 43. Gal. *in comm. ad h. l.*

NUDUS, γυμνὸς, *Nuditas*, γυμνότης, quid ſignificent, non opus habent explicatione. *Nuditas* interdum eſt utilis, Hippocr. *de ſal. diæt. t.* 13. interdum noxia. Ita nudis pedibus ſaltem incedere, Veneri noxium, Caſp. Rejes C. *El. q.* 56. *n.* 2. Hinc etiam ob ſtimulum Venereum evitandum S. Franciſcus ſuæ profeſſionis Monachis uſum calceamentorum denegaſſe fertur, & olim Sacerdotes Gentilium *nudis pedibus* ſacrificaſſe, i. e. animo caſto, & à libidinum criminibus expiato, e ſymbolis Pythagoricis conſtat, Idem *q.* 44. *n.* 19. Vide *Pſiloma.*

NUHAR, i. e. *Venus*, vel *Æs*, *Cuprum*, item *Naaz.* Rul. & Iohnſ.

NUMEN, δαίμων, ſumitur pro *Deo*, & ejus præſentia efficaci in rebus humanis, ſpecialiter etiam in rebus operibusque Medicis, quam egregie inculcat Linden. *Ex. III.* §. 6. 7. 17.

NUMENIUS, νεμήνιος, dicitur Avis roſtrata, alias & *Arquata* dicta, cujus hiſtoriam & uſum in cibis vide apud Aldrov. *l.* 10. *Ornith. c.* 21.

NUMERUS, ἀριθμὸς. Hujus ſignificatio nota vulgo quoque eſt, & ad Arithmeticam ſpectat. Helmont. dicit, *Numerum* nihil aliud eſſe, quam unitatum connexionem, *tr. de Tempore n.* 22. Ejus uſus inſignis eſt quoque in Medicina, non, quod peculiaris virtus ei inſit, quæ opinio merito refertur inter φλυάρας, ſive nugas, Galen. *l.* 3. *de dieb. Critic. c.* 11. ſed ratio ejus habetur in diverſis partibus Medicinæ, v. g. in Pathologia pertinet ad differentias morborum eſſentiales: *Morbi in Numero* excedente, vel deficiente, Gal. *de diff. morb. c.* 4. & 8. Ac accidentales: an morbus ſit Unus & Solitarius: an plures, vel complicati? *Dogm. Med. Gen. p.* 149. In Semiologia, quando attenditur *numerus* ſymptomatum, vel ſignorum Criticorum, Indicum, & non Criticorum. In Methodo medendi *numerus* Indicationum. In Pharmaceuticis res pleræque *numero* menſurantur. *Numerus* morborum quamvis certo determinari nequeat, à vero tamen nondum aberraſſe arbitror Lindenum, quando tribus millibus, trecentisque plures ſtatuere morbos non eſt veritus, *Ex. III.* §. 11. Notanter quoque Foreſt. ſcripſit, quod *Numerus* malorum oſtendat *numerum* remediorum, *l.* 10. *obſ.* 11. *Numeri pares* vocantur *Fœminei*: *Impares Maſculini*, Th. Ch. *Vol. I. pag.* 465. *Numerus* Ternarius & ſeptenarius habentur pro myſticis, de illo vide *Th. Chym. Vol. I. in Phyſ. Triſmeg.* Keuch. *ad Sammon. p.* 222. 235. De *numeris* Philoſ. lege Libav. *T. II. Op. p.* 337.

NUNCIUM Helmontio dicitur perceptio illa, ſive ſenſatio, & primus conceptus appetitus, aut affectuum, vel perturbationum, qualem primum accidere putat in ſtomacho, *tr. Sedes Animæ, n.* 13. & *tr. Jus Duumvir. n.* 13.

NUNDINATIO, ἐμπόλησις, vel, ut aliis placet, ἀπεμπόλησις, (quamvis potius hoc vocabulum contrarium ſignificet, videl. intermiſſionem *nundinationis*) Medicis dicitur pactio cum ægris de ſoſtro, Linden. *Ex. II.* §. 30. *ſeqq.* Vide *Apempoleſis.*

NUS, νοῦς. Vide *Mens*, *Animus.*

NUSCITIOSUS, idem, quod *Luſcioſus*, vel *Luſcitioſus*, μύωψ, Foreſt. *l.* 1. *O.* 37. *Schol.* Vide *Luſcioſus.*

NUSIADAT, i. e. *Armoniacum*, Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* qui *Nuſiadat* ſcripſit.

NUSIS, νεῦσις, *nutatio*, dicitur, quæ fit, quando caput flectimus. Poteſt tamen pro artuum flexione accipi, notante Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 1. *de mot muſc. c.* 3.

NUSTUM Paracelſo dicitur partim in genere, *pinguedo*, *flos lactis*, portio butyroſa ſupernatans, partim in ſpecie hujuſmodi *pinguedo in urina* ſupernatans, quæ interdum inſtar materiæ albicantis ſabuloſæ ſubſidet. Vide plura de *Nuſto l.* 2. *de Tartaro Tr.* 3. *c.* 3. *in comment.* & *fragm. ad h. l.*

NUTRICATIO, idem, quod *Nutritio*, de qua p. p.

NUTRICOLUM vocatur Paracelſo membrum, in quo ſeparatio, digeſtio, & expulſio ab elementatis factis concoquitur. *Schol. in l.* 1. *de urin. tr.* 2. *c.* 1.

NUTRIMENTUM, τροφὴ, idem, quod *Alimentum*, de quo vocab. vide ſupra in AL. & in genere vocatur, quicquid ſubſtantiam corporis noſtri conſervare, & augere, & in eandem converti poteſt, Gal. *l.* 1. *de S. F c.* 1. *l.* 3. *de Temper. c.* 2. Nec inepta deſcriptio Schroderi *l.* 1. *c.* 17. *Nutrimentum* eſt materia humida, ſpirituoſa, quæ vi & facultate rei nutricandæ præparatur, ſubindeque alterata, mutata, determinata, membris incorporatur. Univerſalior enim eſt initio, & à natura rei nutricandæ diverſa, unde paulatim alteratur, inque naturam rei nutriendæ tranſplantatur. Verum Rul. & Iohnſ. deſcriptio, quod *Nutrimentum* ſit res tranſmutata in ventriculo per putrefactionem, accurata non eſt, & ſtrictior ſuo definito. *Nutrimentum* Lapidis Philoſophici quale ſit, vide Lib. *Oper. T. II. p.* 403. 405. 531. *ſeqq.* ſcil. *Mercurius Philoſophicus.*

NUTRITIO, θρέψις, item, *Nutricatio*, in genere vel eſt continue effluentis materiæ redintegratio. Unumquodque vero ea ipſa ſubſtantia, qua primum genitum eſt, ali etiam perpetuo conſuevit, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 16. Vel eſt perfecta *Aſſimilatio l.* 3. *de Temper. cap.* 1. *in fin.* Ad generalem ſignificationem quoque

que pertinet deſcriptio apud Schrod. *l.* 1. *c.* 4. quæ ibi videatur. *Nutritionem* cum *Generatione* in hoc tertio convenire, quod loco deperditi ſubſtituatur nova materia congeneris priori, egregie demonſtravit Charlton. *Exerc. I. Oecon. anim.* §. 2. in qua Exercit. plura de *nutritione*. In ſpecie *Nutritio* corporis humani ita deſcribi poteſt: *Nutritio* eſt Actio Naturalis, qua intercedentibus variis alterationibus, ſubordinatis, & ſegregationibus, beneficio caloris vitalis, ſuccus nutricius partibus corporis univerſis ac ſingulis oblatus in ſubſtantiam nutriendi convertitur, & ita, quod antea deperditum eſt, reparatur. An vero ſuccus ille *nutricius* per arterias, an vero per nervos ad partes feratur, non eſt hujus loci dirimere. Eſt ergo *Nutritio* nihil aliud, quam ſinguiis momentis renovata generatio. Charlton. *d. l.* Jungatur ex eleganti libello Rob. Boyle *de corpor. animalium poroſitate c.* 2. ubi ſuccincte *Nutritionem* pariter & accurate delineavit. Quid Chymicis vocetur *Nutritio*, videatur ſupra in vocab. *Imbibitio*, *Inceratio*. Adde Libav. *Tom. II. Op. p.* 408. Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 11.

NUTRITORIUS, θρεπτήριος, θρεπτικὸς, dicitur de partibus ad *nutritionem* facientibus; quales non ſolum ſunt organa coctionis, ſed & organa excrementorum ſecretionis, ex mente Galen. *l.* 5. *de V. P. c.* 13. *in fin.* ubi vocantur ὄργανα τῆς τροφῆς. Vide C. Hofm. *in com. ad h. l. n.* 296.

NUTRIX, τρόφεσα, proprie dicitur, quæ lactat infantem, θηλάζεσα παιδία, Gal. *l.* 1. *de ſan. tu. c.* 9. quæ qualis eſſe debeat, videatur *ibid.* ut & Jul. Alex. *l.* 27. *Sal. c.* 5. Dieter. *Iatr. p.* 935. ubi Inter *Adſtantes* refertur. Ejus vitia recenſet Helmont. *tr. Nutritio ad vit. long.* Qui *Nutrix Chymica* ſit, videlicet peculiaris *Terra Virgo dicta*, cum nobis nec libeat, nec liceat nugis illis apocryphis tempus terere, quærat curioſus harum Lector *in Th. Chym. Vol. I. p.* 201. 378. *Vol. III. p.* 25. Libav. *Alchym. Pharmaceut. c.* 31.

NUX, κάρυον, in genere ſignificat fructum, qui exterius duriori cooperitur cortice, & intus latet nucleus, qui edendo eſt. Lang. *l.* 1. *ep.* 67. Stricte dicitur ſimpliciter de *Juglande*, Gal. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 28. Pertinet ad Botanicam. *Nux* metaphorice vocatur *Capitis Doloris* ſpecies, quæ alias & *Galea* vocatur, eſtque totius σύντον⊙ πόνος, h. e. æqualis undique dolor & moleſtia. Heurn. *de morbor. capit. c* 5. *Nux Regia*, i. e. Juglans, Aſcan. Marin. *de morſ. Can. rab. cap.* 26.

NYCHTHEMERON, νυχθήμερον, ſignificat ſpatium viginti quatuor horarum, diem & noctem comprehendens. Vide *Noctidiale*.

NYCTALOPS, νυκτάλωψ, νυκταλωπία, præcipuo ſignificatu dicitur de iis, qui noctu melius vident, quam interdiu. Hippocr. 2. *prorrhet. XLI.* Conſentit Gal. *in def. Medic. & in Iſagog. cap.* 16. Helmont. *tr. Form. ort. n.* 51. 52. ut mirum ſit, nonnullos Interpretes contra Etymologiam vocabuli & uſitatam acceptionem explicare de nocturna cœcitate, ſive *Luſcioſitate*, uti quidem Foëſ. fecit *p.* 436. & Cumenus *in Eph. N. Cur. A. III. Obſerv.* 133. Vide *Luſcioſus.*

NYCTERINOS, νυκτερινὸς, *Nocturnus*. Vide *Nox.*

NYCTERIS, νυκτερὶς. Vide *Veſpertilio.*

NYCTICORAX, νυκτικόραξ, Lat. *Corvus nocturnus*. An vero *accipiter nocturnus*, aut *bubo*, aut *ulula*, hoc nomine veniat? an in genere omnes nocturnæ aves rapaces ita vocentur, non eſt noſtrarum partium, extricare. Vid. Aldrov. *l.* 8. *Ornithol. c.* 1. Meminit ovi *Nycticoracis* Gal. *lib.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8.

NYCTOEIDES, νυκτοειδὴς, dicitur, quod noctis ſpeciem habet, & ponitur pro nigro. Erotian. *Onom. p.* 77. d. Gorr.

NYGMA, νύγμα, idem, quod νύσις, νύξις, *punctura*, quæ eſt ſolutio continui in parte molli carnoſa facta per inſtrumentum acutum & tenue, Gal. *l. de conſt. art. med. c.* 6. Eſt & remedii genus, quod *Punctio* dicitur, & adhibetur hydropicis, Gr. παρακέντησις dicta. Vide *Paracenteſis.*

NYGMATICOS, νυγματικὸς, proprie *Punctorius* dicitur. Sed à Galeno ſumitur pro *Emplaſtro contra puncturas*, *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 10. *in princ.* quemadmodum & hodieque Emplaſtr. *Stictic um Crollii*, vernacule Stich-Pflaſter dici ſolet.

NYMPHA, νύμφη, æquivocum eſt vocabulum. Quoad Anatomicam ſignificationem non conveniunt inter ſe Autores. Galenum & alios ex antiquioribus partim pro *Clitoride*, partim pro *Hymene* accepiſſe, patet ex Gal. *l.* 15. *de V. P. c.* 3. C. Rejes *C. El. q.* 48. *n.* 16. *& q.* 57. *n.* 9. Recentiores vero ſpongioſas illas & molles membranas à clitoride ad medium orificii uteri ſeſe extendentes in quibuſdam ſubjectis amplas ſatis, & quandoque prominentes, in quibuſdam vix dignoſcendas, ſignificant, de quibus inſpiciendi paſſim recentiores anatomici, & præcipue Regnerus de Graaf, qui ex inſtituto organa genitalia mulierum explicavit: Veteres vix diſtinxerunt, vel à clitoride, vel genitalium labiis. *Nympham* quoque vocari foveolam menti in acutum monticulum terminati atque per illam veluti diviſi, ſcribit D. D. Hofmann. *Id. Mach. Ham. Exerc. XIIX. ſ.* 28. §. 1. *Nymphæ* quoque vocantur *Vermiculi apum*, veſparum, crabronum, noviter ex ovulis prodeuntes, quemadmodum vermiculi fucorum. Aldrovand. *l.* 1. *de Inſect. c.* 1. *p. m.* 57. 58. *Nymphæ* quoque Paracelſo ſunt ſpiritales homines ac mulieres, vel corporei ſpiritus, aquas inhabitantes, quales fuit Meluſina. Paracelſ. *in Paramir. & alibi* ſcribit etiam, ſe integrum tractatum conſcripſiſſe de talibus ſpiritalibus hominibus. Dornæus, Ruland. & Iohnſ.

NYMPHÆA, νυμφαία, primo nomen eſt herbæ paluſtris, vel aquaticæ, de qua quære in Botanicis. Porro *Nymphæam* quoque appellari vitium Clitoridis in magnitudine

nitudine aucta, quod *Caudatio*, vel Excreſcentia nymphæ vocatur, autor eſt Rolf. *d. l. c.* 42.

NYMPHES Paracelſo dicitur alius homunculus à *Nympha*, non aquaticus, ſed in terris occurrens, qui alias antiquo nomine *Sylphes*, item *Pygmeus* vocatur. *Fragment. libri Philoſophiæ de ſang. ultra mortem.*

NYMPHIDICA, idem eſt Paracelſo, quod *Nympha*, i. e. ſpiritalis homunculus, & *Nymphidica vita* de illis dicitur, *l. de vit. long.* Metaphorice *Nymphidicæ* ſpiritus aquarum ſolventium in arte dici poſſunt. Dorn. Rul. & Iohnſ.

NYMPHOMANIA, νυμφομανία, idem, quod *Furor uterinus*, Senn. *l.* 4. *Med. Pr. part.* 2. *ſect.* 3. *c.* 5. Hipp. vero hanc libidinem furioſam vocavit οἰστρομανίαν, *in ep. ad Damag.* Poſſet etiam vocari *Hyſteromania.*

NYMPHOTOMIA, νυμφοτομία, i. e. *Nympharum ſectio*, dicitur operatio Chirurgica apud Æginet. *l. 6. c.* 70. qua Nymphæ excreſcentes, aut Clitoris, (quæ etiam nonnullis Nympha dicta fuit) prominens reſcinditur. Perperam igitur à Mercato vocabulum hoc pro Nymphomania ſumitur, animadvertente Sennert. *d. l.*

NYSADIR, idem, quod *Nuſiadat*, i. e. *Sal Armoniacus.* Rul. & Iohnſ.

NYSTAGMOS, νυσταγμὸς, dicitur *dormiendi cupiditas cum nictatione capitis*, Hippocr. *l. de vet. med. XIX.* 10. *l.* 4. *de R. V. I. A. t.* 88. *l. 6. Epid. ſect.* 4. *t.* 17. à verbo νυστάζειν, *nictando dormiturire*, quod legitur *lib.*7. *Epidem. XII.* 10. Jung. Foëſ. *p.* 436.

NYX, νὺξ. Vide *Nox.*

NYXIS, νύξις, idem, quod νύγμα, *punctura.* Vide *Nygma.*

O.

O Gr. ὁ μικρὸν καὶ ω μέγα, præter litteralem ſignificationem apud Chym. Character eſt, denotans *Alumen*, de quo ſupra ſuo loco. Sic & tria minora ₒOₒ ſignificant *Oleum.*

OBAMBULATIO, περίπατος, proprie dicitur de motu corporis locali mitiori, à verbo περιπατέω, qua ſignificatione legitur apud Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 1. Tropice vero uſurpatur nomen de cura & meditatione, quæ animæ eſt περίπατος, veluti *obambulatio*, Hippocr. *6. Epid. ſect.* 5. *t.* 11.

OBAUDITIO, *Obauditus*, βαρηκοΐα. Vide *Baryecoia*, *Cophoſis*, *Surditas.*

OBCOECATIO, idem *Occæcatio*, ἐκτύφλωσις, τύφλωσις, Hipp. *6. aph.* 56. Dieter. *n.* 847. Vide *Cæcitas.* Paracelſo *Obcæcatio Nigromantica* vocatur quinta ſpecies *Nigromantiæ*, quæ corpus viſibile inviſibili poteſt occultare, *libr.* 1. *Philoſoph. ſagacis.*

OBDORMISCO, ἀφυπνόω, κοιμάομαι, h. e. dormiendi gratia cubo. Dieter. *n.* 316.

OBDUCO, ἐπισπάω, περιάγω, proprie aliquid alteri circumduco. Accipitur vero etiam pro *Bibere*, teſte Rhodio *ad Scribon. n.* 122. & Keuch. *ad Sammonic. p.* 194.

OBDURO, περισκληρύνω, dicitur de frigore cutem externam, vel habitum corporis ſuperficiarium conſtipante & *obdurante.* Hipp. 5. *aph.* 20. *l. de humid. uſu XI.* 15. Unde *obdurata tubercula*, περίσκληρα φύματα vocantur *l. 6. Epid. ſ.* 1. *t.* 13. Vid. Foëſ. *Oec. p.* 500. Dieter. *n.* 679.

OBEDIENTIA, ὑπακοὴ, πειθαρχία, idem, quod *Obſequium*, cujus ſignificatio etiam pueris notiſſima. Requiritur vero etiam ab ægrotis, ſi ſaluti ſuæ conſulere cupiunt. De hac virtute vide Linden. *Ex. II.* §. 23.

OBELÆA, ὀβελαία, epitheton *Suturæ*, ſive commiſſuræ *Rectæ* in cranio, quæ à media ſyncipitis ſutura ad mediam occipitis ſecundum longitudinem extenditur. Dicitur & ῥαβδοειδὴς ῥαφή. Latini *Rectam* aut *Sagittalem* vocant, Gal. *l. 9. de V. P. c.* 17. *l. de oſſib. c.* 1. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 5.

OBELCHERA, id eſt, *Cucurbita.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

OBESITAS, πολυσαρκία, πάχος, παχυσμὸς. Vide *Corpulentia*, *Craſſities.* Eſt diſpoſitio corporis, vel in latitudine ſanitatis, vel etiam p. n. pertinens ad auctam magnitudinem. Opponiturque *Gracilitati*, ἰσχνότητι. *Obeſitas* naturalis quomodo procuranda, docet Galen. *l. 6. de ſan. tu. c.* 8. Foreſt. *l.* 31. *obſ.* 11. *cum Schol.* Præternaturalis vero eſt cauſſa morborum acutorum, in ſpecie etiam ilei, Linden. *Ex. IV.* §. 28. quomodo tollenda, Hippocr. *de ſal. diæt. t.* 14. Gal. *l.* 14. *Meth. med. c.*15. Lang. *l.* 1. *ep.* 65. ubi Laccæ veræ potus cum aceto extollitur, Helmont. *tr. Jus Duumviratus*, *num.* 59. & *Latex Humor. negl. n.* 44. De *Obeſitate*, quam inter tumores p. n. primum ponit, & πολυσωματίαν, παχυσωματίαν, πολυσαρκίαν, dici vult, videatur Ingraſſ. *comm. ad Avicenn. de Tum. p. n. p.* 78.

OBEX, ἐμπόδιον, πρόβλημα, idem, quod *Remora*, quæ adjicitur ad retinendum aliquid. Refertur inter partes Inſtrumentorum Chirurgicorum, Oribaſ. *de Machinamentis.* Vide *Problema.*

OBFUSCATIO, vel *Offuſcatio*, ἀμαύρωσις, obſcuritas viſus. Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 35. *in Schol.* Hildan. *Cent.* 1. *O.* 27. Dieter. *Iatr. n.* 47. Vide *Amauroſis.*

OBJECTUM, terminus potius Logicus, quam Medicus, ſignificans *materiam*, *circa quam* ſcientia vel ars verſatur. Ita *Objectum* Medicinæ ſunt res naturales, ſecundum naturales, & præternaturales, cum etiam nonnaturales. Aliquando tamen confunditur cum *Subjecto*, quod eſt materia, quæ agentis elaborationi ſubjicitur, ſive *Materia in qua* dicta. Schrod. *l.* 1. *c.* 36. *Objectum viſivum* vocatur corpus, quod per viſum cognoſcitur. Willis *tr. An. Brut. P.* 1. *c.* 10. *Objecta* dicuntur movere ſenſus, Paracelſ. *tr. de partu hominis c.* 3. 4.

OBITUS, idem, quod *Mors*, θάνατος. Vide *Mors.*

OBLÆSIO, πήρωσις, idem, quod *Mutilatio*, Privatio quoque vel impedimentum functionis alicujus naturalis. Gal. *def. Medic.*

OBLATÆ *purgantes* dicuntur medicamentum quoddam figuratum, ferme coincidens cum *Holippis*, paraturque ex farina tenuiſſima & ſaccharo, cum ſpeciebus purgantibus.

OBLATIO, προσφορά, generaliter dicitur de omni remediorum applicatione. Reſtringitur vero ad cibi & potus aſſumtionem: Quemadmodum & τὰ προσφερόμενα, *oblata*, late de omnibus remediis, ſtricte de cibo & potu expoſuit Gal. 3. *in* 3. *Epid. t.* 56. προσφορὰ leguntur, ſive *oblationes* apud Hippocr. 2. *aph.* 33. Jung. Foëſ. 537. Dieter. *n.* 733. Aliquando & *oblata* dicuntur προσφορήματα, apud Euripid. & προσοίσματα, Hipp. *l. de L. l. Hom. LII.* 7. *LIII.* 1. *LIV.* 13.

OBLINITIO, ἐπάλειψις, ἐπίχρισις, idem, quod *Illinitio*. Legitur aliquoties apud Scrib. Confer ad *Lex. Scrib.* Rhod. Vide *Illitio*.

OBLIQUATIO, σκολίωσις. Vide *Obſtipatio*.

OBLIQUITAS, λοξότης, σκολιότης, *Obliquus*, generaliter opponitur rectitudini. Vide *Loxos*. Specialiter idem eſt, quod *obliquatio*. Vide & *Scolioſis*, *Scoliotes*. *Obliqui capitis Muſculi ſuperiores* & *inferiores* qui vocentur, vide in Anatomicis, & inter hos apud Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 5. *p.* 567. Item *Oblique aſcendentes* & *deſcendentes abdominis l.* 1. *c.* 6. *p.* 47. 54.

OBLIVIO, λήθη. Vide *Lethe*.

OBLONGUS, idem, quod *Longus*. Vide ſupra μακρός. Vide *Longus*.

OBMUTESCENTIA, ἀφωνία. Vide *Aphonia*.

OBOLUS, ὀβολός, nomen ponderis, continens octo æreos, & tres *oboli* faciunt drachmam dimidiam, Galen. *de pond. & menſ. c.* 3. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 1.

OBRITUM, eſt *Cuprum*. Ital. *Bronzo* vocatum, metallum ex ære & ſtanno. Fallop. *de metall. ſ. foſſil. c.* 17. *Tom. I. Op. p.* 324.

OBRIZUM, eſt *purum aurum*, in ſpadiceum colorem arte calcinatum, aut pulveratum. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Sumitur etiam de auro puro naturaliter tali, *Th. Chym. Vol. II. p.* 342. *Vol. III. p.* 209.

OBSCOENUS, αἰσχρός, idem, quod *Turpis*, *impudens*, ἀναιδής, ἀναίσχυντος. Dicitur de partibus genitalibus, quamvis elegantius *Pudenda*, αἰδοῖα, vocentur, quorum denudatio *obſcœnitatem* implicat. Diet. *Iatr. n.* 4.

OBSCURITAS, σκότος, proprie & improprie accipitur. Illo modo pro defectu luminis debiti, & ita v. g. *obſcuritas* viſus, ἀμαύρωσις, idem, quod *Obfuſcatio*. Hoc modo dicitur de vitio quodam ſermonis, & dictionibus non perſpicuis Gr. ἀσάφεια, Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A t.* 18. *& alibi.* Vide *Aſapheia*. Talem *obſcuritatem* affectare ſoliti ſunt veteres plerique. Helmontius quoque cum ſuis aſſeclis ejuſmodi *obſcuritatis* vitio laborat.

OBSEQUIUM, idem, quod *Obedientia*, πειθαρχία, de quo paulo ſuperius.

OBSERVATIO, τήρησις, συμπαρατήρησις, vocabulum Empiricæ ſectæ proprium, ſignificans cognitionem rei alicujus ſenſuum fide comparatam. Unde & cum *Experientia* ſæpe confundebant, ut & cum *Memoria*. Vide Gal. *de opt. ſecta. cap.* 2. *& in ſeqq. paſſim.* Secta quoque Empirica propterea vocabatur *Obſervatrix*, τηρητική, & Empirici τηρητικοὶ, *Obſervatores* apud Gal. *de opt. ſect. ad tyr. c.* 1. *fin.* Hodieque utplurimum æquipollet *Hiſtoriæ Medicæ*, uti patet ex Foreſt. & *Eph. Nat. Cur.* aliorumque Autorum *Obſervationum* Libris. Utinam vero ſemper ex fide nobis darentur *Obſervationum* Libri! Libet obſignare voto Linden. *Ex. XIII.* §. 8. De *obſervationum* neceſſitate & utilitate, & quidem ad priſcam *obſervandi* rationem eruditum conſcripſiſſe tractatum D. Georgium Baglivum, Medic. Roman. & Anatom. ibid. Profeſſorem, legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1698. *m. Januar. p.* 33. Vide *Caſus. Hiſtoria.*

OBSESSUS, δαιμονικός, ἐνεργούμενος, dicitur, qui à Diabolo ſive Cacodæmone corporaliter affligitur. Vide *Energumeni*. Quo etiam refert Paracelſus nonnullos, qui Chorea S. Viti laborarunt, *tr. Paramir. de morb. inviſib.* An *Obſeſſi* naturalibus remediis curari poſſint? ventilavit Caſp. à Rejes *C. El. q.* 28.

OBSIDIANUM, nomen vitri, vel *lapidis fuſorii*, qui & *Schmalthum* dicitur, de quo vide plura apud Plin. *l.* 36. *H. N. c.* 26. Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 21. Chiocc. *Muſ. Calceolar. ſ.* 3. *p.* 380. Tranſlatum etiam ad *Vitrum Antimonii* à Libav. *d. loc. c.* 23.

OBSTETRIX, μαῖα, μαιεύτρια, dicitur fœmina perita, quæ fœminis gravidis & parturientibus operam ſuam præſtat, qua ordinando remedia, qua manum admovendo. Egregiam quoque deſcriptionem tradidit jam olim Moſchion. *de morb. mul. c.* 1. Debet ergo perita eſſe Anatomiæ & corporis humani ſtructuræ. Verum quam ſæpe hoc fallat, teſtatur experientia; Unde & apud Foreſt. legitur *l.* 19. *obſ.* 14. quod *obſtetrix*, quæ diu artem obſtetricandi exercuerat, ſatis inſuper garrula, veſicam pro utero habuerit, nec diſcernere potuerit. Jungatur & C. Rejes *Cl. El. q.* 52. 53. Olim officium quoque *obſtetricum* opus maximum fuiſſe, explorare temperamenta, & conſtitutionem corporum, & locorum ſecretorum maris & fœminæ, ad fœcunditatem conjugii promovendam, & ſterilitatem evitandam, teſtantur ex Platon. Theæteto Gal. 5. *aph.* 62. Lang. *l.* 1. *ep.* 49. Dieter. *Iatr. p* 75. Talis fuit prima, poſt legem ab Athenienſibus latam contra mulieres, ne medicinam facerent, Agnodice, virgo & puella, de qua ex Igino hiſtoriam recenſet Hor. Augen. *l.* 1. *Epiſt.* & *conſ. Medicin. c.* 6. *Tom. I. Oper. p. m.* 331. De *obſtetricum* officio leguntur etiam & veterum & recentiorum libri *de morb. mulier.* & alii, qui de *arte obſtetricandi* ſcripſerunt.

Præſertim inter noviſſimos D. Henricus Deventer in ſuis Obſervationibus Chirurgicis, quas titulo *Luminis Novi pro Obſtetricantibus* edidit, officium *obſtetricum* & earum qualitates egregie deſcripſit, præſertim *c.* 1. *&* 2. imo per totum ferme tractatum. Hodieque adhuc excellit Franciſci Mauriceau Chirurgi Pariſienſis liber *de gravidarum & parturientium ſymptomatibus & cura*, vernacule proſtans, ut & Joh. Nic. Pfiſteri liber *de mulierum Natura & Morbis vernaculis.* An obſtetricum ſententia in gravidatione & caſibus aliis gravioribus ſufficiant, videatur in P. Ammanni *Irenico p. 98. ſeqq.* Pertinent huc lectu quoque digna, quæ occurrunt *in Act. Hafn. Vol. II. obſ. 22. p. 53. ſeqq. Sella obſtetricalis* dicitur, quæ peculiariter uſurpatur in partu ad fœtus excluſionem commoda.

OBSTIPITAS, σκολίωσις, *Obſtipus*, σκολιὸς, γαυσὸς, dicitur generaliter de omni obliquitate, tortuoſitate & incurvatione; Ita & Hypochondriorum σκολιότης legitur apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 57. id eſt, ἀνωμαλία, & inæqualitas. Uſitatius tamen de partium oſſearum tortuoſitate ſumitur: Ita ſpinæ inæqualitas σκολίωσις, quæ alias *Gibbus* dicitur. De cruribus quoque *tortuoſis* legitur Græc. γαῦσος vel γαυσὸς, Hipp. 2. *de fract. t.* 69. 4. *de art. t.* 61. *&* 64. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 134. *&* 574. Pertinet ad morbos figuræ vitiatæ.

OBSTRUCTIO, ἔμφραξις. Vide *Emphraxis.* Dicitur & *Obturatio.*

OBSTRUENS, στυπτικὸς, epitheton medicamentorum, quæ meatus & ora vaſorum occludunt, & ſenſibiles excretiones prohibent, quorum natura eſt craſſarum partium, terrea & expers acrimoniæ. Gorr. Opponuntur τοῖς ἀναστομωτικοῖς, *deobſtruentibus* & *aperientibus.* Vocantur illa quoque *Obturantia.*

OBSTUPEFACIENS, ναρκωτικὸς. Vide *Narcoticus. Obſtupefactio*, νάρκη vel νάρκωσις. Vide *Narce.*

OBSTUPESCENTIA, ἔκπληξις. Vide *Ecplexis.*

OBSURDESCO, id eſt, *Surdus fio*, κωφάομαι, dicitur de νεκρώσει virtutis acuſticæ ſive auditivæ, eſtque ſignum lethale in Ileo, Linden. *Ex. IV.* §. 79. *ſeqq.* Vide *Cophos.*

OBTENSIO, περίτασις, à περιτείνω, *obtendo*, ſive circumtendo, quod legitur apud Hipp. 5. *aph.* 71. Jung. Dieter. *n.* 981.

OBTORTUS, γαῦσος, idem, quod *Obſtippus*, de quo p. a.

OBTURATIO, ἔμφραξις, στέγνωσις, idem, quod *Obſtructio. Obturatoria* vocantur illæ materiæ, quibus vaſa Chymica, vel Pharmaceutica *obturantur*, vel incruſtantur. Libav. *T. II. Oper. p.* 139. *Obturatores* Muſculi femoris foramen inter os pubis & iſchii implentes leguntur apud Barthol. *l.* 4. *An. c.* 11. *p.* 580.

OBTUSUS, ἀμβλὺς, idem, quod *Hebes.* Dieter. *n.* 48. Proprie de ferro, metaphorice de oculis, nec non de animo dicitur.

OBVIAM ITIO, ἀπάντησις. Vide *Apanteſis.*

OBVOLUTIO, περιείλησις, idem, quod *Circumvolutio.* Uſurpatur de faſciis, quæ membro alicui *obvolvuntur.* Gal. *de faſciis.*

OCCASIO æquivocum eſt vocabulum. Vel enim reſpondet Gr. καιρὸς, & notat *opportunitatem temporis*, cujus inventio eſt principium curationis morborum. Foreſt. *lib.* 1. *Chirurg. Obſ.* 3. *Schol.* imo anima curationis, C. Rejes *C. El. q.* 24. *n.* 4. Vide *Cæros.* Vel reſpondet Græco πρόφασις, ἀφορμὴ, & ſignificat *cauſſam procatarcticam*, externam, evidentem, imo generalius omnem rei materiam, ex qua initium motus ad reliquas actiones prodit; Gal. *com.* 1. *in* 1. *Epid. t.* 10. *c.* 1. *in* 3. *Epid. t.* 15. *& c.* 3. *in* 6. *Epid. t.* 18. *& c.* 2. *progn. t.* 66. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 539. Diet. *n.* 736. Vid. *Cauſſa.*

OCCASUS, δύσις, communiter, & proprie dicitur de ſole & aſtris ſub Horizontem ſeſe abſcondentibus. Vide *Dyſis.* Per tranſlationem vero quoque de *interitu* vel hominum dicitur, & ita reſpondet vocabulo *Mors*: vel morborum, & ita coincidit cum *ſolutione*, vel *curatione.* Spagyrici quoque in magiſterio Lapidis Philoſophici tranſtulerunt ad nigredinem, quæ eſt ſignum putrefactionis & ſolutionis ſecretæ, quam vocant *occaſum ſolis*, & initium artis. Libav. *Tom. II. Op. p.* 414.

OCCIDENS, δυσμὴ, δύσις, proprie dicitur de loco, ubi Sol occidit & ſeſe ſub terram abſcondit, viſui noſtro ſubducens. Dicitur & *Occaſus. Occidentalis*, Gr. δυσμικὸς. Tropice Chymicis *Occidens* vocatur *Acetum*, item *Occidens ſtella*, id eſt, *Sal Ammoniacus*, *Occidens*, *Mercurius*, Saturnus Hermaphroditus. Aqua viva, viſcoſa, &c. Rul. & Iohnſ.

OCCIDO, ἀποκτείνω, idem, quod *interimo*, neco, Gal. *l. de Ther. ad Piſ. c.* 8. Helmont. queritur de Arte Medica, quod hodieque liberum ſit *occidere*, ob imperitorum libertatem. *tr. Tumul. Peſtis.*

OCCIPUT, ἰνίον. Vide *Inion.* Dicitur & ὀπισθοκράνιον, Æginet. *l.* 6. *c.* 2.

OCCISIO ſpiritus mundi, ſive aquæ vivæ & in ſal naturæ converſio, eſt ſecretum *Calcinationis* ſapientum. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 186.

OCCLUDENS, κλεῖον, idem, quod *Obſtruens*, *Condenſans*, opponitur *Aperienti*, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 14.

OCCLUSIO in ſpecie vocatur anguſtatio viarum ſimilis obſtructioni, modo ſit circa orificium ductus vel canalis, Blaſ. *Med. Univ. p.* 27.

OCCOECATIO, τύφλωσις, idem, quod *Cæcitas*, active ſumta. Vide ſupra ſuo loco. *Occæcati*, τυφλωθέντες, quidam celeriter Solem intuentes notantur à Gal. *l.* 10. *de V. P. c.* 3. *circa fin.*

OCCULTUS, κρυπτὸς dicitur vel ſubjective. Ita *Cancer occultus* ad differentiam exulcerati. Vide *Cryptos.* Vel cauſſaliter & effective, quando alicujus rei vel effectus cauſſa latet. Unde quondam Medici *Qualitates occultas* excogitarunt, quarum operandi ratio intricatior eſt, præſertim à priori; quæ licet ſint, qui

in totum negare audeant, noſtro tamen judicio omnino non videntur negandæ. Vide *Dogm. noſtra M. Gen. p. 699. ſeqq.* quas Helmont. fortaſſis non inepte ad Archeum referre conatur, *tr. Poteſtas Medicam. n.* 33. Quomodo Spagyrici manifeſta reddant *occulta*, & vice verſa, Vide *Th. Chym. Vol. III. p.* 40. Item Libav. *Tom. II. Oper. p.* 144. *& alibi ſæpius.*

OCEANUS, ὠκεανὸς, quid ſignificet, ex aliis etiam Lexicis patere poteſt, nimirum vaſtum mare maximam partem orbis terrarum ambiens. De hoc ſtatuit Helmont. nihil aquarum recipere à mari mediterraneo, *tr. Aqua n.* 13. Unde *Oceani* fluxus & refluxus proprie dependeat, Phyſicis inquirendum relinquimus. Legatur &, ſi placet, integer tractatus Federici Delphini Mathematici quondam Veneti, *hoc tit.* & *Th. Ch. Vol. V. pag.* 402 Item *Acta Philoſophica* Oldenburgii *Ann.* 1666. Alias *Oceanus* quoque vocatur ſolium vaſtum in balneis, & omnino locus alveusque major ab amplitudine vocatus, & à lavantium quoque ſtrepitu, & marino quaſi æſtu, teſte Lampridio. Comparationem *Oceani* Macro- & Microcoſmici, h. e. analogum motum aquarum ex & ad *Oceanum*, ſic & ſanguinis ex Corde & ad Cor, *diſſertatione epiſtolica* propoſuit Philipp. Jac. Sachs à Lewenheim ad D. Thom. Barthol.

OCHEMA, ὄχημα, Latine *Vehiculum*, vocatur Gal. portio humida, aquoſa, & tenuis cum chyli, tum ſanguinis, quia nec chymus, nec ſanguis, venas tranſire poſſet abſque hujus adminiculo *l.* 4. *de V. P. c.* 5. Jung. C. Hofm. *in comm. ad h. l.* Schenk. *de ſero ſang. c.* 3. Hodie *Lymphæ* quoque nomine venire videtur. Vide *Lympha. Vehiculum.*

OCHESIS, ὄχησις. Vide *Vectio.*

OCHETEUMATA, ὀχετεύματα, à quibuſdam vocantur *foramina narium*, quæ etiam θηλάμους aliqui appellant. Gorr. Linden. Ariſtoteli tribuit, & Theodorum per *meatus* Latine *expreſſiſſe* ſtatuit *l.* 2. *Med. Phyſiol. c.* 12. §. 9.

OCHETOS, ὀχετὸς, generaliter ſignificat rivum, *meatum*, *viam*, ductum, canalem, per quem aliquid effluit, aut tranſit. Ab Hippocrate vero tribuitur diverſis rebus, v. g. viis circa urinam & alvum, 3. *de art. t.* 52. venis & arteriis, *d. l. t.* 59. exponente Gal. *in comm. ad hæc loca :* poris ſive ſpiraminibus cutaneis, *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 8. Jung Foëſ. *Oec. p.* 474. Erotian. *Onom. p.* 84. *c.* Deſcendit à verbo ὀχετεύω, veho, *derivo*, tranſitum concedo; quod etiam legitur apud Hippocr. *l. de Ven. XXV.* 12.

OCHEUS, ὀχεὺς, vocatur à quibuſdam *ſcrotum*, quod magis uſitato nomine ὀσχέον appellant Gorr. Rolfink. *de part. gener. inſerv. P. I. c.* 14.

OCHLOS, ὄχλος, perturbationem, *moleſtiam*, negotium moleſtum ſignificat apud Hipp. 3. *de art. t.* 27. *& l.* 4. *Epid. II.* 14. *l.* 6 *Ep. ſ. VI. t.* 12. Hinc ὀχληρὸς, ὀχλώδης, *moleſtus* dicitur 2. *de artic. t.* 59. Galen. *in com.* Erot. *On. p.* 83. C. Foëſ. *d. l.* Et verbum ὀχλέειν ſignificat *turbare*, perturbare. Foëſ. Significat & *Vulgus*, *Populum.* Vide infra.

OCHRA, ὤχρα, terræ ſpecies eſt colore luteæ, à quo nomen habet. Duplex habetur: *nativa*, ſive foſſilis, olim ex Attica, hodieque ex Dacia & Hungaria: altera *factitia*, quæ ex plumbo aduſto fit, aceto extincto, pictoribus magis uſitata. *Ochræ* hiſtoriam & uſum vide pluribus apud Dioſc. *l.* 5. *c.* 108. Rul. *in Lex.* Schroder. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Fr. Hofm. *in Cl. ad h. l.* Libav. *S. A. Ch. l.* 6. *c.* 4. *& Alchym. Pharmac. c.* 10. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 2. *p.* 135. *ſeqq.*

OCHROS, ὠχρὸς, colorem ſignificat luteum, *pallidum*, nempe ex candido & flavo permixtum, tanto candidiorem flavo, quanto flavum rubro. Gal. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 22. Quod ſi adhuc plus albicet, ὠχρόλευκος, *ex pallido albicans* dicitur. Hippocr. *l.* 7. *Epid.* notante Foëſ. *p.* 694. Linden. herbum vocavit ὠχρὸν, vulgo *olivaſtrum* dictum. *Ex. IX.* §. 18. ὦχρος quoque pen. circumflexa notat leguminis genus, Lat. *Ervilia* aut *Cicera* dictum. Gorr. Jul. Alex. *com. in l.* 1. *de Al. fac. c.* 25. Vide *Pallidus.*

OCHROXANTHOS, ὠχρόξανθος, *ex pallido flavus* color. Legitur apud Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 4.

OCHTHODES, ὀχθώδης, verrucoſus, *prætumidus*, *calloſus*, toroſus. Dicitur de Labiis ulcerum duris & prætumidis. Gal. *l.* 3. *Meth. Med. c.* 3. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 1. *ſeqq.* quin & ipſa ulcera ægre cicatricem ducentia ὀχθώδη vocantur, *Ibid.* ὄχθοι quoque *tumores calloſi*, verrucoſi dicuntur, notante Henr. Steph. *in Theſaur.* & Scapula. Gorr.

OCIUM, σχολὴ, ἀργία, refertur inter res non naturales, eſtque ſpecies *quietis*, cauſſa procatarctica ſanitatis & morborum. Galen. *com.* 2. *de nat. hum. t.* 1. Hildan. *de valet. tu.* Dogm. noſtr. M. Gen. *P. V. c.* 5. *dogm.* 5. *p.* 645. Charlton. *Ex. Pathol. VII.* §. 3.

OCLASIS, ὄκλασις, idem, quod ὄκλασμα, *genuum flexio*, cum quis genibus flexis in crura ſubſidit. Hipp. 3. *de art. t.* 64. ab ὀκλάζειν, i. e. *genua flectere.* Erotian. *Onom. p.* 82. *d.* Jung. Foëſ. *p.* 449.

OCLAX, ὀκλὰξ, *geniculatim*, genibus flexis, curve, Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 15. C. Hofm. *comm. ad h. l. n.* 166. Gorræus vero exponit per ipſam μύλην, molam, aut ἐπιγουνατίδα, *in defin.*

OCNEO, ὀκνέω, ſignificat *cunctari*, pigrum, aut ſegnem eſſe. Unde compoſ. κατοκνέω, idem ſignificans; *non poſſum.* Erot. *d. l.* Ὀκνηροὶ, idem, quod ἀσθενεῖς, *pigri*, *infirmi*, ſegnes. Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 22. Vide Foëſ. *p.* 450.

OCOB, id eſt, *Sal Armoniacum*, *Occb*, *Obac*, *Ocab.* Rul. & Iohnſ.

OCREA, ἀντικνήμιον. Vide *Anticnemion. Ocreas Chirurgicas* pro varis & valgis curandis deſcriptas exhibet Paræus *Chirurg. l.* 22. *c.* 11.

OCRIS, ὄκρις, vel ὄκρις, vocatur *eminentia* aut prominentia *oblonga.* Hinc adjectiv. ὀκριοειδὴς, aut ὀκριόεις, pro-

prominentiam oblongam habens. Hipp. 2. *de art. tr.* 42. Vid. Foëſ. *d. l.*

OCTAMENOS, ὀκτάμηνος, *octimeſtris.* Dicitur de partu intempeſtivo, in cujus cauſſæ inquiſitione, propter quam fœtus non ſoleat eſſe vitalis, valde laborarunt Medici. Hipp. integrum libellum *h. tit.* conſcripſit. Enimvero nobis res videtur valde ſuſpecta, quod pleræque mulieres tempus conceptionis ignorare ſoleant.

OCULARIS, ὀφθαλμικὸς, dicitur de omni eo, quod ad oculos pertinet, v. g. *Ocularis* virtus vel facultas, Gal. *l.* 17. *de S. F.* §. *Myrrha, ſive Smyrna*, &c. *Ocularia* medicamenta, *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 4. De *Ophthalmicis* medicamentis eleganter quoque ſcripſit e recentioribus Iunk. *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſ.* 1. *c.* 8. *p.* 556. *ſeqq. Ocularis* Medicus *l.* 14. *M. Med. c.* 19. Rhod. *ad Scrib. n.* 37. *Ocularia* quoque ægritudo dicitur à Dieter. ὀφθαλμία, *in Iatr. p.* 918. 920.

OCULISTA, ὀφθαλμιατρὸς, *Ophthalmiater*, dicitur in ſpecie Medicus, qui in curandis oculorum affectibus peritia ſua excellit, qua per remedia Pharmaceutica, qua per Chirurgicas operationes, quamvis hodieque Empirici & Circumforanei hanc ſibi arrogent artem. Legitur utrumque apud Scultet. *Armam. Chirurg. Part. I. Tab. IIX. fig.* 4.

OCULUS, ὀφθαλμὸς, ὄμμα, ſic dicitur inter ſenſuum externorum inſtrumenta plerorumque judicio nobiliſſimum, nimirum viſus totius pars organica, cujus ſumme artificioſam ſtructuram celerrimam ſentiendi vim, ampliſſimam utilitatem merito Anatomici aliique admirati ſunt ſummopere & deprædicarunt: Sunt enim revera *Oculi* cuſtodes defenſoresque corporis humani. In quorum Anatomica deſcriptione etiam nulli pepercerunt operæ celeberrimi Anatomici, v. gr. Spigelius *de H. C. F. l.* 10. *c.* 9. Aquapendens *tr. de Oculo, viſus inſtrumento*, Plempius *in Ophthalmographia.* Barthol. *l.* 3. *de Anat. cap.* 8. Willis *Anim. Br. P.* 1. *c.* 15. & plures alii. De *oculis* inſectorum videantur Obſervationes peculiares Abbatis de Catelan. *in Ephemeridibus Eruditorum Pariſienſibus de Anno* 1680. *num.* 24. *&* 1681. *n.* 12. *&* 18. ut & *Acta Erudit. Lipſienſ. An.* 1682. Tribuitur & vocabulum hoc lapidi cuidam peregrino, vel gemmæ, quæ *Oculus mundi* vocatur, de cujus poroſitate obſervata vide Boyle *tr. de corp. ſolid. poroſit. c.* 6. An fortaſſis idem cum Belioculo? de quo ſupra in *Belloculus.*

ODAXISMOS, ὀδαξισμὸς, generaliter ſignificat *pruritum mordacem*, à δάκνω, præpoſito *O. Morſiunculam* diceres voce Plautina, vel *Titillationem.* Hinc etiam de renibus ὀδαξωμένοις uſurpavit Dioſc. notante Dieter. *Iatr. num.* 597. Generaliter quoque videtur accepiſſe Helmont. *tr. Jus Duumvirat. num.* 61. *& tr. Retenta.* Uſitatius tamen accipitur ſtricte pro *pruritu gingivarum*, quem ſentiunt infantes tempore dentitionis, cum dentes eruptionem moliuntur & confligunt gingivarum carnes. Hippocr. 3. *aph.* 25. Foëſ. *pag.* 443.

ODIUM, μῖσος, dicitur affectus animi oppoſitus *Amori*, conſiſtens in alienatione mentis & appetitus erga id, quod æſtimatur, ut noxium, adeoque malum; Rolf. *O. ac M. M. Sp. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 106. Willis *An. Br. P. I. c.* 9. Charlton. *Ex. IIX. Pathol.* §. 27. Eſt igitur inter cauſſas procatarcticas ſanitatis & morborum referendum *odium.* De *odio* etiam poſt mortem in cadaveribus duorum hominum durante lege C. Rejes *C. El. q.* 53. §. 10.

ODMALEA, ὀδμαλέα, Hippocr. dicuntur *graviter olentia*, ſive fœtida *lib.* 1. *de morb. mul. VII.* 3. *XX.* 3. *XXI.* 18. Foëſ. *d. l.*

ODME, ὀδμὴ, idem, quod ὀσμὴ, Lat. *Odor*, dicitur qualitas illa ſenſibilis, quæ ab alio corpore emanans naribus percipitur. Conſiſtit vero in effluviis ſulphureis & fumoſis emiſſis, quorum quædam ſuaveolentia, quædam fœtida & naturæ noſtræ ingrata habentur. Gal. *c.* 1. *de nat. hum. t.* 6. Schrod. *l.* 1. *cap.* 34. Gal. dicit, eſſe ſubſtantiam quandam, quæ nec ita tenuis eſt, ut aër, neque ita craſſa, ut humor, *l. de odoratus Inſtrum. c.* 2. *fin.* Jung. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 6. *pag.* 649. *ſeq.* C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. num.* 562. *Odores* bonos citiſſime reficere vires vitales, docet ex Gal. Lang. *l.* 2. *ep.* 27. & Helmont. *tr. Imago Fermenti imprægnat. &c. n.* 16. *ſeqq. Odorem* ingratum cavere debet Medicus ad ægros acceſſurus, Gal. *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 9. *Odorem hircoſum* ſub axillis eſſe ſignum hominis devirginati, vult Caſp. Rejes *in C. El. q.* 38. *n.* 9. *ſeqq. Odorum* ſuavitate offendi uterum, & cur? monſtrat idem *q.* 84. *n.* 1. *ſeqq.* Verum non eſt univerſale. Fœtoris correctio dicitur *Magiſterium Odoris*, de quo legatur Libav. *S. A. Ch. l.* 6. *c.* 7. & *Alchym. Pharmac. c.* 16. *Odor* quandoque ipſam rem *Odoratam*, vel *Aroma* notat, Rhod. *in Lex. Scrib.*

ODONTAGOGOS, ὀδοντάγωγος, vocatur *forceps dentarius*, quo dentes extrahuntur. Talem plumbeum olim in templo Apollinis fuiſſe ſuſpenſum, teſtatur Foreſtus *l.* 14. *O.* 7. *in Schol.* quo ſignificatur, non eſſe tollendum dentem, niſi vacillet, ut plumbeo forcipe excludi poſſit, id eſt, nulla vi. Utinam hoc & ægri, qui dolore dentium affliguntur, & circumforanei obſervarent, neque tam promte ad evellendos dentes conſentirent. Vide *Dentagra.*

ODONTALGIA, ὀδονταλγία, id eſt, *Dolor dentium*, Gal. *l.* 2. *meth. med. c.* 2. Eſt ſymptoma actionis læſæ & p. n. auctæ in dentium cavernulis & partibus fibroſis, proveniens à ſolutione continui ibidem per acidum reſolutum & fluorem paſſim facta. Qui dolor quandoque adeo vehemens eſſe ſolet, ut ægri violentas ſibi inferre cogitent manus. Remedia contra dolorem dentium vocantur ὀδονταλγικά à Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 7. *ſ.* 2. *c.* 9. Jungatur & Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſ.* 1. *c.* 10. *p.* 567. *ſeqq.*

ODONTAGRA, ὀδοντάγρα. Vide *Dentagra.*

ODONTIASIS, ὀδοντίασις, *Dentitio*, idem, quod ὀδοντοφυΐα. Vide *Dentitio.*

ODONTOGLYPHON, ὀδοντόγλυφον, *dentiſcalpium*, quo ea, quæ dentibus inhærent, vel adhærent, eximuntur. Gorr.

ODONTOIDES, ὀδοντοειδής. Vide *Dens.*

ODONTOPHYIA, ὀδοντοφυΐα, idem, quod ὀδοντίασις. Vide *Dentitio.*

ODONTOTRIMMA, ὀδοντότριμμα. Vide *Dentifricium.*

ODOR, ὀδμή, ὀσμή. Vide *Odme.*

ODORABILIS, ὀσφρητός, dicitur de omni re, quæ exhalationes emittere poteſt, vel ſuaveolentes, vel maleolentes. Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 6. Dicuntur & *Odoratæ res.*

ODORAMENTUM, idem, quod res *Odorata*, ὀσφρητὸν, ἄρωμα. In Pharmaceuticis deſcribitur, quod ſit medicamentum tam ſimplex, quam compoſitum, quod citra ignis acceſſionem ſuo odore ſpiritus alterare, aut reficere poteſt. Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 52. Præſcribuntur partim ad voluptatem, partim ad ſanitatem. Morell. *de form. rem. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 10.

ODORATUS, ὄσφρησις, idem, quod *Olfactus*, vocatur ſenſus quidam externus, cujus inſtrumentum eſt Naſus cum ſuis partibus interioribus, præſertim proceſſibus mammillaribus, Barth. *libell.* 3. *Anat. c.* 2. Hunc ſenſum accurate deſcripſit Willis *An. Br. P. I. c.* 13.

ODORIFERUM, ὀσφρητὸν, idem, quod *Odoramentum.* Dieter. *n.* 112. Hinc & Rul. deſcripſit *Odorifera* medicamenta, quæ odore ſuo ſanitatem inducunt, & morbos expellunt. *Specificum Odoriferum* Paracelſo dicitur ea materia, quæ ſpecifice morbum expellit, *Archidox. l.* 7. Varietatem *Odoriferorum*, quorum alia per ſe multa vel pauca effluvia fragrantia emittunt, alia, quæ magis incarcerata reſinoſis ſolidis partibus non niſi adhibita frictione, liquatione aut alia interveniente violenta tractatione odorem ſpirant, monſtravit Jac. le Mort *Pharm. Medico-Phyſ. c.* 24.

ODUS, ὀδούς. Vide *Dens.*

ODYNE, ὀδύνη, ὀδύνημα. Vide *Dolor.* Dieter. *n.* 601. *ſeqq.* Lind. *Ex. XIII.* §. 121. *ſeqq.*

OECEIOS, οἰκεῖος. Vide *Domeſticus.*

OECONOMIA, οἰκονομία, proprie *adminiſtrationem domeſticam* ſignificat. Hippocr. tamen reſtrinxit ad ægrorum procurationem & diſpenſationem, *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 43. in qua adminiſtranda Medici diligentiam requirit Foëſ. *Oec. p.* 446. Charlton. quoque Phyſiologicas ſuas Exercitationes nomine *Oeconomiæ animalis* exornavit.

OEDEMA, *Oedos*, οἴδημα, οἶδος; late & ſtricte ſumitur. Lata ſignificatio antiquis fuit frequens, qua vocabulo hoc omnes *tumores* p. n. venerunt, uti ipſe notavit Gal. *ad* 4. *aph.* 34. & 5. *aph.* 65. Jung. Foëſ. p. 444. Dieter. *n.* 604. Et ita idem eſt, quod ὄγκος παρὰ φύσιν. Stricta vero ſignificatio adhuc hodieque uſitatior, quando tumor frigidus, laxus, mollis, albicans, doloris expers, non retinens, à pituitoſo humore exortus, vocatur *Oedema*. Cujus talis deſcriptio dari poteſt: *Oedema* eſt tumor p. n. in toto corpore, vel certa aliqua parte, mollis, laxus, foveam poſt compreſſionem relinquens, ſine magno dolore, proveniens à portionum ſanguinis aquoſarum, vel lymphæ ſubſiſtentia & aliquali congelatione. *Oedema* totius corporis eſt *Anaſarca*, ſpecies Hydropis, de qua ſuo loco, Helmont. ad Laticem ſtagnantem refert, *tr. Ignot. Hydrops n.* 20.

OEDEMOSARCA, vocatur à M. A. Severino abſceſſus utriformis quidam rarior & craſſior, mollitie œdemati, & duritie ad contractum obſervata ſarcomati vel tumori carnoſo reſpondens, cujus obſervationem deſcripſit *l. de nov. obſ. abſceſſ. c.* 4. Similis etiam habetur apud Hildan. *Cent. IV. obſ.* 59.

OEESIS, οἴησις, id eſt, *opinio*, opinatio, & Hipp. dicitur ſpecioſa artis peritia, abſque tamen vera experientia, *l. de dec. ornat. IV.* 1.

OENANTHARION, οἰνανθάριον, epitheton *Unguenti* alicujus, ob condituram, quæ odoris & deliciarum gratia additur ex vino & flore liliorum, οἴνῳ καὶ ἄνθει κρίνων, parata. Gorr. Duæ *Oenanthariorum* formulæ habentur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 21. Dicitur & οἰνάνθινον.

OENAREA, οἰναρέη, epitheton *cineris*, qui paratur ex *ſarmentis*, vel pampinis *vitis*, quæ vocantur οἴναρα, vel οἰνάριδες. Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXIV.* 21. & *LXXXIIX.* 8. Erotian. *p.* 85. *c.* Foëſ. *p.* 446.

OENAS, οἰνάς, Lat. *Vinago*, dicitur ſpecies Columbæ montanæ, cujus hiſtoriam & uſum in cibis tradidit Aldrov. *l.* 15. *Ornithol. c.* 7.

OENELÆON, οἰνέλαιον, dicitur miſtura vino & oleo conſtans, cujus meminit Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 8. & *l. de fac. parabil.* Jung. Alexandrin. *l.* 18. *Sal. cap.* 12. Gorr. Tali miſtura Chirurgi quondam uſi ſunt ad omnium capitis vulnerum curationem; verum hoc plane improbavit Joh. Baptiſt. Carcanus *de vuln. cap. ſerm.* 2. *lect.* 3. *p. m.* 71. *ſeqq.* *Oleum vini*, οἰνέλαιον, item οἰνόσταγμα, vocatur à Rolfink. Spiritus Vini, *in Chem. I. A. F. R. l.* 3. *ſect.* 2. *art. I. c.* 17. *ſeqq.* quod tamen reprobat Cl. Wedelius, *in Pharmac. Acroam. l.* 11. *ſect.* 3. *c.* 8. *p. m.* 353. ἀκύρως ita dici ſtatuens, vel ideo, quod oleum cum ſpiritu vini nequeat permiſceri.

OENEUOMÆ, οἰνεύομαι, i. e. *bibo*, præſertim vinum, Erot. *Onom. p.* 83. *f.* Foëſ. *d. l.*

OENODES, οἰνώδης, *vinoſus*, epitheton vini generoſi, quod multam admittit aquæ miſtionem. Dicitur & πολυφόρος, opponiturque ὀλιγοφόρῳ, tenui & aquoſo ὑδατώδει οἴνῳ, quod minima eget aquæ miſtione, in ſe ſatis aqueum. Gal. 3. *de R. V. I. A. t.* 20. Caſtell. Linden. *Ex. X.* §. 111.

OENEROS, οἰνηρός, *vinoſus.* Uſurpat Hipp. de cu-

ratione Chirurgica fracturarum, quando faſciæ & ſplenia imbuuntur & fracturæ vino perfunduntur, quæ vocatur οἰνηρὴ ἰητρείη. 3. *de fract. t.* 46. Foëſ. *d. l.*

OENOGALA, οἰνόγαλα, dicitur potionis genus, quod ex *vino & lacte* mixtis parabatur. Cujus meminit Hippocr. *l.* 7. *Epid. XL.* 17. quamvis alii intelligant per *vinum lactei teporis*, ſive tepidum, veluti lac, quæ verſio etiam à Lindeno retenta fuit. Verum meo judicio minus congrua hæc eſt acceptio, ſi ἀκριβειαν compoſitorum vocabulorum ſpectaveris. Foëſ. *d. l.* Gorr.

OENOGARON, οἰνόγαρον, *garum vino miſtum*, garum vinoſum, apud Aët *l.* 3 *c.* 85. citante Gorræo: vel *c.* 90. allegante Keuchen. *ad Seren. p.* 155.

OENOMELI, οἰνόμελι, *vinum mulſum*, dicitur & ſimpliciter *Mulſum*, nihilque aliud eſt, quam vinum melle conditum, deliciis magis, quam ſanitati deſtinatum; inflationibus enim obnoxium. Ejus varietatem parandi docet Dioſcor. *l.* 5. *c.* 16. Meminit & Lind. *Ex. X.* § 160.

OENOPHLYGIE, οἰνοφλυγίη, proprie *vinolentia*, ebrietas, vini nimius potus. Qua dictione uſus Hipp. *l. de intern. aff. XXXI.* 5. *XXXV.* 23. Qui vitio huic dediti ſunt, vocantur οἰνόφλυγες, *vinolenti*, ebrioſi. 2. *Prorrh. II.* 14. cujus emphaſin quoque declaravit Lind. *d. l.* §. 112. Junge Foëſ. *p.* 448. Vide *Ebrietas.*

OENOPOLA, οἰνοπώλης, *qui vina vendit.* Meminit Linden. *d. l.* §. 61.

OENOPOS, οἰνωπὸς, epitheton coloris, q. d. *vinoſus*, qualis eſt uvarum matureſcentium, cum ex rubro nigricant & ſplendent, aut in purpuram & nigrum tranſitus fit. Meminit Hipp. *l.* 7. *Epid. III.* 22. *& l. de nat. mul. I.* 6. *l.* 2. *de morb. mul. IV.* 6. Jung. Foëſ. *d. l.*

OENOS, οἶνος, proprie dicitur *Vinum*, h. e. ſuccus uvarum maturarum per expreſſionem collectus, per fermentationem depuratus à fæcibus, atque in doliis vi proprii & nativi caloris perfecte coctus. De cujus natura, differentiis, virtutibus & noxa paſſim veteres & recentiores bene multa ſcripſerunt. Videatur Hippocr. *l.* 2 *de diæta*: Mundella *in Indice Oper. Gal.* Foëſ. *p.* 446. *ſeqq.* Dieter. *Iatr. num.* 606. Lind. *Ex. X.* Deodat. *Panth. Hygiaſt. l.* 2. *c.* 16. Moræus *in Schol. Salern. p. m.* 90. *ſeqq.* C. Hofm *l.* 5. *Inſtit. c.* 25. 26 Willis *de ferment. c.* 7. *& de febr. c* 1. Schroder *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 412. Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. I. ſect.* 3. *c.* 8. *p.* 207 *ſeqq.* Et quis omnes receuſeat? De *vinis* medicatis diverſis idem Schroder. *l.* 2. *c* 63. Morell. *l.* 1. *de form. remed. ſect.* 1. *c.* 6. Per quandam ſimilitudinem alii quoque Succi officinales expreſſi & depurati *Vina* dicuntur, v. g. Cydoniorum, Granatorum, Citri &c. Idem *d. l. c.* 82. Nonnulli quoque ſpiritus e *vino* parati appellantur *Vina*, ut *Vinum alcaliſatum*, *Circulatum*, &c. Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 25. *Vinum correctum* eſt Alcool vini. *Vinum eſſatum* eſt, quod herbarum vires attraxit, vel aliorum, quibus affuſum fuit. Dorn. *in Dict. Rul.* & Iohnſ. *in Lex.*

OENOSTAGMA, οἰνόσταγμα, i. e. deſtillatum ex vino, idem quod *Spiritus vini.* Vide *Oeneläon.*

OEONISTA, οἰωνιστὴς, *Augur*, & οἰωνιστική. Vide *Mantice.*

OESOPHAGOS, οἰσόφαγος. Vide *Gula. Oeſophagæus Muſculus* dicitur ille, qui gulam ambit inſtar ſphincteris, de quo vide Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 12. *p.*448.

OESTROMANIA, οἰστρομανία, dicitur Hippocr. *in epiſt. ad Damag.* furioſa libido ad Venerem, & ita idem eſt quod *Nymphomania.* Vide paulo ſuperius.

OESTRUS, οἶστρος, proprie dicitur Inſectum notiſſimum, *Tabanus* Veteribus quoque dictum, aculeo duriori in ore armatum, quam cæteræ Muſcæ, cujus deſcriptionem tradidit Aldrovand. *l.* 3. *de Inſect. c.* 4. Per metaphoram quoque *Clitoris* vocatur *Oeſtrum Veneris.* Barthol. *l.* 1. *Anatom. c.* 34. Imo omnis ſtimulus amatorius proverbialiter per *Oeſtrum* exprimitur. Hinc Galen. οἰστρώδη ἐπιθυμίαν vocavit, cujus emphaſin notavit Caſp. Hofm. *comm. ad Gal. l. de V. P. n.* 1008.

OESYPE, *Oeſypos*, οἰσύπη, οἴσυπος, proprie eſt ſordes & fimus lanæ circa nates ovium adhærens, uti patet ex Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXIV.* 13. Erotian. *Onom. p.* 85. *c.* Poſtmodo vero etiam de ipſa *lana ſordida*, vel *ſuccida* uſurparunt vocabulum, teſte Dioſcor. *l.* 2. *c.* 84. confirmante Gorræo & Foëſ. *Oec. p.* 449. Quid per *Oeſypum Atticum* intelligi debeat apud Galen. *l.* 14. *meth. med. c.* 7. ventilavit C. Hofm. *l.* 2. *V. L. c.* 14. De *Lana ſuicida* legatur Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 30. Vide ſupra *Lana.*

OFFA, μάζα. Vide *Maſſa.*

OFFENSA, *Offenſio*, duplicem habet ſignificationem. Vel enim idem eſt, quod *Noxa*, *Damnum*, Gr. βλάβη, & *offendens*, βλάπτων, Gal. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 13. Rhod. *in Lex. Scribon.* Vide *Blabe.* Vel reſpondet *Alliſioni*, & Gr. dicitur προσκρουσὴ, vel πρόσκρουμα, eſtque ea læſio, quando corpus percutitur, aut violenter afficitur ab alia re externus obviante. Foreſt. *lib.* 6. *Chirurg. Obſ.* 29. *Schol.* Ita & ſpiritus ſive aër in reſpiratione interruptus Hippocr. dicitur πνεῦμα προσκόπτον, *ſpiritus offendens*, 4. *aph.* 68. Junge Dieter. *n.* 7.0.

OFFICINA generaliter omnem locum ſignificat; ubi aliquid præparatur & elaboratur, Gr. ἐργαστήριον. In Medicina vero duæ potiſſimum *Officinæ* habentur, quarum una eſt *Pharmaceutica*, diciturque locus ſeu *Apotheca*, in qua ſimplicia & compoſita medicamenta in quantitate & qualitate ſelectiſſima debent parari, vel parata inveniri cum inſtrumentis Pharmacopoëticis. Fr. Hofm. *Clav. ad Schr. l.* 2. *in princ.* Schroder. vero *d. l.* minus accurate deſcripſit, quod ſit Pars Pharmacologiæ, quæ ſeriem rerum medicamentoſarum ſecundum claſſes officinales deſcribit. Altera eſt *Chirurgica*; Gr. ἰατρεῖον Hipp. dicta. Vide *Iatreon.*

OFFI-

OFFICINALIA vocantur medicamenta, quà ſimplicia, quà compoſita, quæ in Officinis Pharmaceuticis quotidie proſtant, & ita opponuntur *Magiſtralibus.* Vid. *Dogm. Med. Gen. P. VI. c. 4. d. 6. p. 753. ſeq.*

OFFICIUM, δέον, καθῆκον, πρέπον, vide *Deon.* Vocatur id, quod alicui agendum incumbit. Ita *officium* hominis eſt, omni modo, arte, opera, facultatibus, devincire hominum inter homines ſocietatem. *Officium Medici* exoptatiſſimum procurare homini bonum, quo ſine nullum aliud gratum eſſe aut jucundum poteſt, h. e. ſanitatem, Linden. *Exerc. III.* §. 9. Speciale medentis vel curantis morbos eſt, ut cito, tuto & jucunde ſanet. *Ex. XVI.* §. 1. Tribuitur & *Officium* partibus corporis humani, & reſpondet Latino *Actio* vel *Uſus*, Gr. χρεία. C. Hofm. *C. in Galen. LL. de V. P. n.* 8. Paracelſ. *Paramir. l.* 2.

OFFION, idem, quod *Opium*, *Eph. N. Cur. A.II.O.69.*

OFFUSCATIO, vide *Obfuſcatio. Amauroſis.*

OGER, *Ogertinum*, *Ogertum*, Paracelſo idem quod *Ochra*, paſſim in ſcriptis. Verum more ſolito transfert & ad hominem, & *Oger microcoſmi*, item ad cauſſas morborum ſalinas, hinc *Ogertina* peſtis, pleureſis, icteritia paſſim legitur in ſcriptis, præſertim *in Fragm. ad LL. de Tartaro.*

OIS, ὄϊς, Latine *Ovis*, idem, quod πρόβατον, eſt animal quadrupes, lanoſum, manſuetum, lupo inimicum, cujus mas *aries*, caſtratus *vervex*, fœmina ſtricte *ovis*, pullus *agnus* vocatur. Horum omnium hiſtoriam & uſum in cibo ac medicina vide ap. Aldr. *l.* 1. *de quadrup. biſulc. c.* 8. prolixiſſime, ut & Schr. ſuccincte, *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 30.

OLCA, mendoſe pro *Holca*, vel *Holce*, ὁλκή, i. e. *Drachma.* Vide *Holce.*

OLEAGINOSUS, ἐλαιώδης, dicitur de eo, quod pinguedinem inſtar olei in ſe continet, ut ſunt Amygdalæ, Nuces, & alia quædam ſemina. Hujuſmodi *oleaginoſa* cerebrum gravare, docet Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 23.

OLEAMEN, *Oleamentum*, λίπασμα, dicitur in genere omne linimentum mollius ex oleis paratum. Scrib. *n.* 222.

OLECRANON, ὠλέκρανον, Gorr. etiam per *o*, ſed mendoſe, ſcripſit. Idem, quod ἀγκὼν, *Ulna*, cubiti pars gibbera, unde & *Gibber* dicitur, ab Hipp. *l.* 7. *Epid. XXXII.* 6. Vide *Ancon. Cubitus.*

OLEITAS, idem, quod *Pinguedo. Oleitas* rerum in omnibus earum Sulphur eſt. Dorneus *in Diction.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Dicitur alias & *Olivitas*; cujus tres ſpecies recenſentur pro conditione triplici olivarum, apud C. Hofm. *l.* 5. *V. L. c.* 3.

OLENE, ὠλένη, ſic dicitur à quibuſdam *cubitus*; ſive os inter duos articulos ἀγκῶνα & καρπὸν medium, alio nomine πῆχυς appellatur, Gorr. Huic reſpondet Latinum *Ulna.* Barbaris *Focile majus.* Lind. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 74. Bart. *libell.* 4. *An. c.* 20. Hinc ὠλέκρανον quaſi ὠλένης κράνος, *ulnæ* galea.

OLEO, ὄζω, quid ſignificet, notum eſt, videl. odorem emitto, eſt mediæ ſignificationis. Nam καλὸν ὄζειν & βαρὺ ὄζειν, dicitur *bene & male olere.* Dieter. *n.* 603. Gal. *l.* 4. *de S. F. c.* 22.

OLEOSUS, ἐλαιώδης, ἐλαιηρὸς, idem, quod *Oleaginoſus*, Pinguis, Gal. *l.* 6. *meth. med. c.* 6.

OLETHRIOS, ὀλέθριος, *pernicioſus*, valde noxius. Hinc Galeni proverbium ἀεὶ ὀλέθρια τὰ δυσώδη, ſemper *pernicioſa* ſunt fœtida, *c.* 2. *in* 3. *Epid. t.* 9. Lang. *l.* 1. *ep.* 53.

OLEUM, ἔλαιον, vide *Elæon.* Quibus addi poſſunt, quæ de *Oleis Chymicis* prolixe tradit Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 17. *ſeqq.* & *Alchym. Pharmac c.* 39. Quære etiam in Theatr. Chymici Indicibus. *Oleum ex lacte* dicitur *Butyrum* Græcis, teſte Lind. *Ex. XVI.* §. 119. Spiritus quoque rectificati præſertim à Chymicis *Olea* vocantur, v. g. *Oleum* Vitrioli, Sulphuris, &c. ſeu ſalia fluida concentrata, à phlegmatis conſortio, quantum poſſibile, depurata, ita dicta, ob craſſitiem & ponderoſitatem particularum. Quin & ſalia fixa per deliquium reſoluta, ut *oleum* Tartari per deliquium. Utraque ſignificatio *Olei* eſt impropria. Vid. Jacob. le Mort *Chym. Medico-Phyſ. c.* 2. *p. m.* 12. 13. Variæ *Oleorum Chymicorum* e vegetabilibus & mineralibus præparationes deſcriptæ legantur in Iunken. *Lexic. Chym. Pharm. P. I. p.* 168. *ſeqq.*

OLFACTORIOLUM dicitur vaſculum muliebre, in quo odoramenta geſtantur. Vel myrotheca & pyxis perforata & ocellata, quæ odores ſuos & ſuaves halitus per foramina exſpirat. Rhod. *ad Scrib. n.* 104.

OLFACTORIUS, ὀσφραντικὸς, idem, quod *olfactilis*, dicitur de rebus odoratis, quæ odorem emittunt. Vide *Odorabilis.*

OLFACTUS, ὄσφρησις, idem, quod *Odoratus.* Vide p. ſuperius.

OLIGOPHORUS, ὀλιγοφόρος, epitheton vini aquoſi. Vide *Oenodes.*

OLIGOPSYCHIA, ὀλιγοψυχία, Lat. *Puſillanimitas.* Legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. XXVI.* 23. ὀλιγοψυχοτέρη, i. e. *animi imminuti* natura mulierum dicitur, *l. de Virgin. morb. I.* 20.

OLIGOS, ὀλίγος, *paucus*, *exiguus*; Opponitur vel ἀθρόῳ, pleno, vel πολλῷ, multo, vel etiam μακρῷ, longo. Vid. Dieter. 614. *ſeq.*

OLIGOTROPHIA, ὀλιγοτροφία, i. e. *parcior nutritio.* Gal. *l.* 3. *de ſan. tu. c.* 8.

OLISTHEMA, ὀλίσθημα, item ὄλισθος, *prolapſio*; dicitur integra *articuli elapſio*, vel luxatio perfecta, ad differentiam διακινήματος, quod parvam oſſis emotionem ſignificat, Hipp. 3. *de fract. t.* 51. Gal. *in com. ad h. l. & in def. Med.* à verbo ὀλισθαίνω, *prolabor*, quod legitur 2. *de fract. t.* 39. *&* 3. *h. t. t.* 61. *&* 4. *de art. t.* 1. quamvis *in Exegeſ. dict. Hipp.* Gal. poſuerit ὀλισθάζω. Alias ὄλισθος etiam ſignificat *lubricitatem*, uti patet ex Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 26. & ptiſana vocatur ὀλισθηρὰ,

lubrica, *ſect.* 1. *h. t. t.* 29. Articulus quoque *lubricus*; ὀλισθηρὸς, legitur. 1. *de artic. t.* 29. Vide Foeſ. *p.* 451.

OLIVA, ἐλαία, vocatur fructus, ex quo fit oleum. Gal. *l.* 2. *de S. F. c.* 7. *Olivarum* differentiam vide etiam apud Bruyerin. *de re cibar. l.* 11. *c.* 36. Potiſſima eſt, quod aliæ ſint *colymbades*, aliæ *druppæ*. De quibus vocabulis actum in ſuis literis initialibus.

OLIVARIS, *Oliviformis*, dicitur de Gangliis. Vide *Ganglion.*

OLIVITAS, idem, quod *Oleitas*. Vide p. a.

OLLA, χύτρα. Vide *Chytra.* De modo *ollas* parandi vide Willis *Ex. de ferm. c.* 12. Conſentit Helmont. *de Lithiaſ. c.* 3. *n.* 6.

OLODES, ὀλώδης, pro θολώδης, *turbidus*, niger, apud Hipp. legi vult Gal. *in Exeg. dict. Hipp.* ab ὀλὸς, atramentum ſepiæ. Gorr.

OLOPHLYCTIDES, ὀλοφλυκτίδες, idem, quod φλυκταίναι, *puſtulæ*, beſtiolis parvis ſimiles. Erot. *in Onom p.* 85. *A. B.* quamvis in Hipp. loco *l.* 2. *de morb. mul.* LXXXIIX. 5. ſaltem φλυκτίδες legatur, i. e. *puſtulæ.*

OLOR, κύκνος, vide *Cycnus.* Alias *Olor* veteribus poſitum legitur pro *Odor*, teſte Keuch. *ad Sammonic. p.* 115. & 143.

OLOS, ὀλὸς, pro θολὸς, (quod ſignificat *atramentum ſepiæ*) vult ſcribi Gal. *in Exeg. dict. Hipp.* Verum Linden. improbat hanc lectionem, & ſuadet præſcribendum eſſe theta θολὸς, *Ex.* 5. §. 9.

OLUS, λάχανον, refertur inter alimenta e plantis deſumta, pauci nutrimenti, ita ut non vires tribuant, ſed mortem ſaltem prohibeant, à morte defendant, ſed robuſtam valetudinem non promoveant, Gal. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 43. *ſeqq.* Linden. *Exerc. XVI.* §. 160. 169. Jung. C. Hofm. *l.* 5. *Inſt. c.* 10. Bruyerin. *de re cibar. l.* 8. *c.* 3. *ſeqq.* quamvis ſint, qui ſibi aliisque perſuadere audent, plantas temperatas alimenta eſſe optima, ſuccum alibilem vitalem ſincerum promittentia, coctuque facilem. *Olus molle* dicitur pulmentarium *oleraceum*, cum ſubſtantia, tum effectu molle ac tenerum, quod ventrem ſubducit. Rhod. *ad Scribon. n.* 99.

OLY dicitur pinguedo metallorum ſupernatans menſtruo illa ſolventi. Rul. *in Lex.*

OLYMPIACOS, ὀλυμπιακὸς, dicitur (1) *Collyrium* magna ſimplicium turba conſtans, uti deſcribit Ægineta *l.* 7. *c.* 6. & commendat in procidentia oculi & omnibus ulceribus, *l.* 3. *c.* 22. notante Gorræo. (2) *Olympicus ſpiritus* eſt aſtrum in homine, quod efficit, ut umbram de ſe præbeat, uti nugatur Paracelſ. *l.* 3. *de morb. inviſib.* e quo deſumſerunt Dorneus, Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

OLYMPOS, ὄλυμπος, vocatur quoque modo dictum Collyrium apud Æginet. teſte Gorræo. Alias idem eſt, quod *Cœlum*; de quo ſupra lit. C.

OLYNTHOS, ὄλυνθος, *ficum immaturam* ſignificat, ſive *Groſſum*. Aliquoties legitur apud Hippocr. *l. de nat. mul. X.* 19. *XVII.* 8. *XXIX.* 127. & *alibi.* Vide Foeſium *pag.* 452. Galen. *lib.* 8. *de S. Fac.* §. *Olynthi.*

OLYRA, ὄλυρα, eſt ſpecies frumenti; de qua non conveniunt, an ſit ipſa *Zea*, an vero ejus ſpecies. Heſych. deſcripſit per ſpeciem ſeminis mediæ inter frumentum & hordeum naturæ, e Gal. d. l. Gorr. Latin. *Siligo* vocatur. Lang. ad *Zeam* refert. *l.* 1. *ep.* 56.

OMAGRA, ὠμάγρα, dici poteſt Arthritis humeri cum ſcapula articulationem infeſtans. Par. *l.* 17. *Chir. c.* 1.

OMASUM, Barthol. *Omaſus*, ἐχῖνος, dicitur venter peculiaris cancellatus in cornigeris & ruminantibus. Vide *Echinos*, Ariſtot. *l.* 2. *H. A. c.* 17. *l.* 3. *de P. A. c.* 14. & Barthol. *l.* 1. *An. c.* 9.

OMELYSIS, ὠμήλυσις, vocabulum eſt ambiguæ ſignificationis. Foreſt. *Oec. p.* 692. *ſeq.* exiſtimat, ſignificari proprie farinam hordeaceam crudam, ad differentiam polentæ, quæ torretur. In lata vero ſignificatione notare omnem farinam crudam. Et hanc ſententiam confirmare videntur loca Hippocratis, in quibus vocabulum ὠμήλυσις legitur, v. g. *lib.* 2. *de morb. XXX.* 8. *l. de nat. mul. XXIII.* 5. *lib.* 1. *de morb. mul. XXX.* 9. *XXXII.* 5. *lib.* 2. *LXIX.* 5. *LXXVII.* 2. quos duos ſignificatus etiam adſignat Galenus *in exeg.* Langius vero deſcribit per puram hordei crudi farinam à furfuribus caſtratam, & ex ea in hydrelæo cum butyro diſſoluta Cataplaſma phlegmonum & ſynanchiæ ſuppurativum parari docet, *l.* 1. *ep.* 57. Et hanc opinionem confirmat autoritate Galen. libris *de C. M. S. L.* aliquoties. Item *l. Introduct. cap.* 13. Alii v. g. Abſyrtus dicunt eſſe mixtionem quandam ſeminis fœnugræci, lini & hordei farinarum æquali pondere. Cœl. Aurel. *l.* 2. *c.* 24. & 37. interdum ſimplicis pollinis aut panis infuſi Cataplaſma; interdum pollines aqua ſolutos ſignificare docet. Jungatur & Augen. *Tom. I. Epiſt. & Conſ. Med. ep.* 6. *p.* 166. Scribitur & diviſim, ὠμὴ, λύσις.

OMENTA, cerebri membranæ ipſum ambientes, Merc. *l.* 1. *c.* 2.

OMENTUM, ἐπίπλοον. Vide *Epiploon.*

OMIÆOS, ὠμιαῖος. Vide *Humerarius.*

OMMA, ὄμμα. Vide *Oculus.* Significat & *Viſum.* Dieter. *n.* 617. Foeſ. *p.* 453.

OMNIS, πᾶς, ἅπας. Hujus vocabuli ſignificatio extra forum quoque Medicum notiſſima. In memoriam vero revocat duo axiomata notatu digna; quorum primum eſt, *Omnia eſſe in omnibus*, vel *Omnia ab omnibus* participare, id quod Hipp. quoque docuiſſe teſtatur Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 16. quo ſine dubio reſpexit ad locum Coi ſenis *l. de Alim. IV.* 24. ξύῤῥοια μία, &c. *Confluxio una, Conſpiratio una, Conſentientia omnia.* Vide *Confluxio.* Vel etiam ad illum locum *l. de Loc. in Hom. III.* 6. Minima corporis pars habet *omnia* ea quæ habet maxima. Jung. C. Hofm. *ad Gal. LL. de V P. num.* 401. An vero Axioma illud recte ad Magicam virtutem extendatur ab Helmont. *tr. de magnet. vuln. cur. n.* 130. aliis

aliis dijudicandum relinquo. Mihi non videtur. Alterum eſt: *Omnia ab uno, & omnia ad unum.* Eſtque Canon Hieroglyphicus Chymicus, quo naturam & virtutem *Lapidis Philoſophici* exornare conantur Spagyrici. Verum res magis ingenioſis commentis, quam ipſa veritate nititur. Videantur ſcripta Spagyricorum, ut & Libavii. Obiter quoque & hoc axioma notandum: *Omnia à tribus fieri*, videlicet artifice inſtrumentis & materia, quod eleganter artificialia naturalibus applicando, expoſuit Gal. *l. de vocal. inſtr. diſſ. c.* 2.

OMOCOTYLE, ὠμοκοτύλη, quid ſignificet, vide *Acetabulum.*

OMOGERON, ὠμογέρων, dicitur, cui ſenectus eſt adhuc cruda vel viridis, ſive in primo ſenio conſtitutus, ad differentiam τοῦ τυμβογέροντος, h. e. *ſenis capularis:* quemadmodum egregie expoſuit Dieterich. *Iatr. Hipp. n.* 160. *p.* 308.

OMOLINON, ὠμόλινον, h. e. *linum crudum*, quo ad uſtionem faciendam utitur Hipp. *l. de affect. XXX.* 13. *XXXII.* 9. vel in fiſtulis ani curandis, *l. de fiſtul. II.* 13. quem curandi modum Ægineta vocat ἀπολίνωσις, *l.* 6. *c.* 78. Vel in lateris tuberculo poſt ſectionem & uſtionem *l. de int. aff. X.* 20. in hydrope *ibid. XXV.* 31. Plura loca vide, ſi placet, apud Foëſ. *Oecon. p.* 692. Alias ὠμόλινον quoque vocatur linteum illud, quod tondendorum humeris injiciunt tonſores, ne inquinetur veſtis capillorum ſegmentis. Lind. *Ex. V.* §. 109.

OMOPHAGOS, ὠμοφάγος. Vide *Crudivorus.*

OMOPLATÆ, ὠμοπλάται, item πλάται, (quo & cum aſpiratione *Homoplatæ* quandoque leguntur) vocantur *Scapulæ*, vel *Scoptulæ*, Celſo *l.* 3. *c.* 22. *lib.* 8. *cap.* 1. quæ humeri articulum conſtituunt, ſuntque oſſa in utraque humeri regione duo in dorſo ſita admodum inæqualia, & omnibus ſuis partibus diſſimilia, foris gibba, intus ſima, quorum ulteriorem deſcriptionem petere licet ex Anatomicis, Gal. *l.* 13. *de V. P. c.* 10. C. Hofm. *comm. ad h. l.* Barthol. *libell.* 4. *c.* 19. *Anat.* Vide *Plata.*

OMOS, ὦμος. Vide *Humerus.* Ea quoque pars uteri, quando poſt cervicis anguſtiam incipit in cavitatem majorem ampliari, Græcis ὦμος dicitur, Moſchion. *de morb. mul. c.* 6.

OMOS, ὠμός. Vide *Crudus*, *Cruditas.*

OMOTARICHOS, ὠμοτάριχος, late ſignificat *ſalſamentum crudum*, quo carnes condiri ſolent, Gal. *l.* 5. *de C. M. S. L. c.* 1. Stricte vero dicitur de *Thynnorum ſalſamento*, ſive *carne Thynnorum ſale condita*, de cujus virtute videatur Dioſc. *l.* 2. *c.* 33.

OMOTOKEO, ὠμοτοκέω, i. e. *crudum* ſive immaturum *partum edo.* Hinc fœmina ὠμοτοκοῦσα, i. e. *abortivum fœtum pariens* dicitur, apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 155.

OMOTRIBES, ὠμοτριβὲς, item, quod ὀμφάκινον, epitheton olei ex olivis immaturis expreſſi, q. d. *Oleum crudum*, h. e. acerbum. Refrigerat & adſtringit, Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 3.

OMPHACINON, ὀμφάκινον. Vide *Omotribes.*

OMPHACION, ὀμφάκιον, dicitur *ſuccus uvæ acerbæ.* In Officinis vocatur *Agreſta.* Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 392. F. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Meminit & Hippocr. *Omphacii epuloticí*, cujus uſus eſt ad vulnera & ulcera, *l. de Ulcer. IIX.* 5. *ſeqq.* Derivatur ab ὄμφαξ, quod ſignificat *uvam acerbam.*

OMPHACIS, ὀμφακὶς, vocatur cavum illud, ex quo glandes quernæ enaſcuntur, & coriarii utuntur. Ægin. *l.* 3. *cap.* 42. Plinius *calicem glandium*, recentiores Medici *capulam* vocant.

OMPHACITES, ὀμφακίτης, epitheton *vini acerbi* ex uvis nondum plane maturis parati, quale peculiariter in Lesbo factum legitur apud Dioſc. *l.* 5. *c.* 12.

OMPHACITIS, ὀμφακίτις, epitheton Gallæ parvæ tuberoſæ, ſolidæ, nullo foramine perviæ. Dioſcor. *l.* 1. *cap.* 146.

OMPHACOMELI, ὀμφακόμελι, potionis conditæ genus ex ſucco uvæ acerbæ & melle. Reſpondet *Syrupo de Agreſta.* Officin. Gorr. Vid. *Diſpenſatoria Auguſtanum & Norimberg.*

OMPHALOCELE, ὀμφαλοκήλη, *Hernia umbilicalis*, eſt ſpecies herniæ, in qua vel omentum, vel inteſtina prolapſa protuberant, cum ſolutione continui & tumore regionis umbilicalis, vel umbilici prominentia, aut ſitu mutato. Dicitur ἐξόμφαλος etiam. Vide *Exomphalos.* Obſervationes vide apud Foreſt. *l.* 27. *O.* 28. *ſeqq. cum Scholiis*, Jung. *Reſponſoriam Epiſtolam* Hild. *ad Doring. in oper. Hildan. p.* 900. item *Cent.* 3. *Obſ.* 63. *ſeq.* Fabr. ab Aquapend. *de Chirurg. oper. cap. de Umbilici prominentia.* Quod vero apud quoſdam defectus umbilici in recens natis aliquoties cum aliqua prominentia obſervatus *Hernia umbilicalis* audiverit, merito improbavit Celebr. Ruyſchius *Cent.* 1. *obſ. Anat. Chirurg.* 71. nihilominus ſi in regione illa, ubi umbilicus eſſe deberet, prominentia aliqua conſpicitur, fortaſſis *Exomphalos* ſano ſenſu dici poſſet.

OMPHALODEXIOS, ὀμφαλοδέξιος, inuſitatum hoc epitheton legitur apud Dieterich. *in Iatr. Hipp. num.* 50. quod nonnulli Interpretes exiſtimaverint ſubſtitui debere in locum ἀμφιδέξιος 7. *aph.* 43. ita ut ſenſus ſit: Fœmina non concipitur in dextro uteri latere, aut geſtatur. Verum eſt merum figmentum & prorſus inconveniens, quia caret omni autoritate, deinde nulla ἀκρίβεια e nomine ὄμφαλος ad uterum demonſtrari poteſt.

OMPHALOMANTIA, ὀμφαλομαντία, vocatur à Caſp. à Rejes vaticinatio illa obſtetricum fabuloſa ex nodis vaſorum umbilicalium de numero prolis futuræ, *quæſt.* 52. *n.* 6.

OMPHALOS, ὀμφαλὸς, *Umbilicus.* Sumitur dupliciter pro *regione umbilicali* & media regione abdominis, cavitate quadam prædita, Dieter. *num.* 619. Deinde pro illo

illo centro medio totius corporis, quod nihil aliud eſt, quam complexus & coalitio vaſorum *umbilicalium* cum uracho contortorum. Gal. *de diſſect. vulv. c.* 10. Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 37. Vide *Umbilicus.*

OMPHALOTOMOS, ὀμφαλοτόμος, epitheton obſtetricis, quæ umbilicos infantibus recens natis præcidit. Legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXVI.* 13. Vide Foëſ. *p.* 454.

ONAGER, ὄναγρος, dicitur *Aſinus ſylveſtris*, cujus hiſtoriam cum uſu in cibis & medicina tradidit Aldrov. *l.* 1. *de quadruped. c.* 3. Dæmones quoque & ſpiritus *Onagri* vocantur Paracelſ. *in declaratione totius Aſtronomiæ.*

ONCOS, ὄγκος, Latine dicitur *Tumor*, ſubintellige præter naturam. Hinc Gal. ſcripſit lib. περὶ ὄγκων παρὰ φύσιν. Deſcribitur, quod ſit diſtenſio in latum, longum, & profundum. Pertinet ad morborum compoſitorum ſpecies, ad eam claſſem referendas, à qua actionum læſio potiſſimum dependet. Aquapend. *Pentateuch. Chirurg. l.* 2. *c.* 1. Vide *Oedos.*

ONCYLLOMÆ, ὀγκύλλομαι, ſignificat *intumeſco* apud Hipp. 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 7. ubi quidem Gal. ὀγκουμένη poſuit; & propterea Barthol. Euſtachius *in not. ad Erotian. p.* 79. negavit, ſe reperiſſe ὀγκυλλωμένη. Enimvero & hoc verbum ὀγκύλλομαι uſitatum eſſe, patet ex Lexicographis aliis. Apud Atticos ſignificat tropice magna & alta ſapere. Gorr.

ONDA vocatur inventor omnium medicamentorum, præſertim vero ſimplicium, Paracelſ. *præfat. in libros Bertheoniæ.*

ONEIROCRITICUS, ὀνειροκριτικός, ſignificat eum, *qui de inſomniis judicium ferre poteſt. Divinator ex inſomniis* Theatr. Chym. *Vol. VI. p.* 81. Legitur apud Joh. Ant. von der Linden *in Manuductione ad Medicinam* à Schelhammero edita & annexa Introductioni Conringianæ, *in Part. Poſt. p. m.* 84. *Oneirocriticam* refert ad partem Medicinæ Diagnoſticam, ex inſomniis etiam de morborum horumque cauſſarum cognitione utiliter judicantem. Dicitur & ὀνειρομάντις, & ὀνειρομαντία, ſcientia ex inſomnis prædicendi in Bierlingii *Theſauro Medico p.* 538.

ONEIROGMOS, ὀνειρωγμός, *ſomnia Venerea* & *pollutionem nocturnam* ſignificat, quamvis hoc poſterius proprie ἐξονείρωσις dicatur, vide *Exoneiroſis.* Deſcendit à verbo ὀνειρώττω, *ſomniis Venereis tentor*, & inter ſomniandum ſemen profundo. Hippocr. *l.* 1. *de diæt. XXXVI.* 3. *l.* 2. *de morb. XLIX.* 10. *l. de intern. aff. L.* 29. Verbum vero ἐξονειρώσσειν legitur *l.* 2. *de diæt. XXVI.* 6. *l. de int. aff. XLVI.* 20. *l.* 4. *Epidem. XXX.* 3. Vide Foëſ. *p.* 454. *ſeq.* Jung. Lang. *l.* 2. *ep.* 5. Lind. *Ex. XV.* §. 35. 40. *ſeqq.*

ONEIROGONOS, ὀνειρόγονος, ſignificat ſeminis in ſomno profluvium, notante Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 3. *p. m.* 262. & *c.* 4. *p.* 266.

ONEIROMANTES, *Oneiromantia*, ὀνειρομάντις, ὀνειρομαντία, quid ſignificet, vide p. a. in *Oneirocriticus.*

ONEIROPOLEO, ὀνειροπολέω, *ſomniare libidinem*, & videre inſomnium ſignificat, teſte Lind. *ex Suida*, *d. l.* §. 43. Fere idem, quod ὀνειρώσσω.

ONEVOMÆ, ὀνεύομαι, ſignificat apud Hippocr. *per axem*, qui ὄνος, vel ὀνίσκος Gr. dicitur, *extendo.* Sunt, qui κατονεύεσθαι ſcribunt. Gorr.

ONIS, ὄνις, dicitur *ſtercus aſininum*, vel fimus aſininus. Utitur ſæpe Hipp. in tota muliebrium morborum tractatione & de natura muliebri, quæ loca videri poſſunt apud Foëſ. *Oec. p.* 455.

ONISCOS, ὀνίσκος, ὄνος, vide *Aſellus.*

ONOCROTALUS, Gr. πελεκᾶν, ὀνοκρόταλος, πελεκῖνος, vocatur avis palmipes, cujus hiſtoriam cum uſu in cibo & medicina vide in Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 2. Latine *Pelecanus*, de quo *infra.*

ONOMA, ὄνομα. Vide *Nomen.*

ONOS, ὄνος. Vide *Aſellus.*

ONUS, βάρος, vide *Baros.* Sumitur etiam pro morbo, quia aggravat corpus. Lind. *Ex. XIII.* §. 379.

ONYX, ὄνυξ, Latine *Unguis*, vocabulum eſt æquivocum. Proprie & Phyſiologice ita dicitur pars digitorum extima & lata, qua firmiores ad apprehenſionem redduntur, de quibus videantur Anatomici, & inter hos Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 1. Injuriam illis faciunt, qui e numero partium excludunt. *Ungues* etiam vocavit prominentias illas in peculiari linguæ involucro cuſpidatas Goth. Bidloo *Anatom. Tab. XIII. fig.* 2. Pathologice notat duos diverſos affectus oculorum; primum excreſcentiam aliquam carneam, vel membranaceam albidam adnatam, quæ in *unguis* ſimilitudinem naſcentis vel creſcentis Lunæ cornibus reſpondens paulatim ſumit augmentum, Cœl. Aurelian. *l.* 2. *acut. c.* 32. Gr. dicitur πτερύγιον, vide *Pterygion.* De hoc affectu legatur Aquapend. *tr. de oper. Chir. c. h. tit.* Deinde ὄνυξ quoque vocatur collectio puris in nigro oculi, cum inflammatione, juxta iridem, ungui ſimilis. Gal. *in def. med.* Ægin. *l.* 3. *c.* 22. Vocatur & alias πύωσις. Chirurgice notat inſtrumentum ad extrahendum fœtum mortuum, quod alias *Hamus* vel *Uncus* dicitur, Gr. ἰχθύα, vide *Ichthya.* Legatur apud Hipp. ὄνυξ, *l. de ſuperfœt. V.* 1. Tandem Pharmaceutice ſignificat vel Conchylii ſpeciem, quæ *Blatta Byzantia* dicitur. Vide *Blatta.* Vel Gemmam, quæ & ὀνυχίτης dicitur, quod illi ſit candor unguis humani, quamvis Ruland. varii coloris *Onyches* recenſeat *in Lexic.* Igneas, nigras, corneas &c. Prolixiorem hujus deſcriptionem vide apud Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 209. *ſeqq.* *Alabaſtrum* quoque ὄνυχα vocari, teſtantur Chiocc. *d. l.* & Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. Vide *Alabaſtrites.* Quid Gal. intellectum voluerit per ὄνυχα aromaticum, *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 1. *fere ad fin.* non licet certo determinare. *Unguis*, ὄνυξ, etiam

etiam Botanicis vocatur extremitas candicans illa in foliis florum roſarum, qua affixa ſunt calici dicti. Tabern. *l.* 3. *Hiſt. Stirp. c.* 100.

OOEIDES, ὠοειδὴς, dicitur etiam *humor aqueus*, vel *albugineus in oculo*, qui & magis uſitato nomine ὑδατοειδὴς vocatur. Gorr. Linden. *l.* 2. *Med. Phyſiol. c.* 10 §. 42.

OOGLA, Lac ovis permixtum, Aët. & Ægin. *l.* 9. *c.* 5.

OON, ὤον, Lat. *Ovum*, quid communiter ſignificet, notum eſt. Nimirum eſt peculiaris conceptus in animalibus, præſertim in volatilibus, e teſta (quæ & cortex & veſtis ovi vocatur, Keuch. *ad Sam. p.* 205.) membranis, albumine & vitello conſtans. Inter *ova* gallinacea eſſe uſitatiſſima ad victum & medicinam, patet ex Gal. *l.* 3. *de Al Fac. c.* 22. *l.* 11. *de S. F.* §. *Ovorum facultas*, & alibi C. Hofman. *l.* 5. *Inſt. Med. c.* 21. Deodat *Pand. Hyg. l.* 1. *c.* 39. Schrod. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 55. Fr. Hofm. *in clav ad h. l.* Aldrov. *l.* 14. *Ornithol. c.* 1. Iunken. *Chym. Exp. Cur. part. I. ſect.* 2. *c.* 6. *p.* 123. *ſeqq.* Verum Anatomici etiam hodierni extenderunt ad omnem conceptum à mare & fœmina proficiſcentem, utriusque pariter virtute præditam, ex quo uno unum fit animal, uti deſcripſit & prolixe expoſuit Harvejus *de gener. anim. Ex.* 26. *Ovum* reſpondere mundo vult Paracelſ. *Paragr. tr* 2. *de Aſtronom. Ovum aureum* vernacule vocatur Antidotus, vel *Electuarium de ovo*, cujus deſcriptio habetur *in Diſpenſatoriis.* Spagyricis *Ovum Philoſophorum* vocatur *Lapis Philoſophicus* & Benedictus, *Ovum Hermetis*, quod oviforme Philoſophicis operationibus inſervit. Ruland. & Iohnſ. Jung. *Th. Ch. Vol. I. p.* 18. 41. 289. *& alibi. Uterum* quoque *Ovum* dici ab Epicuro vult Rolfink. *de part. gen. P. II. c.* 11. De *Ovo* Crocodili, ut & Galli centenario vide eund. *d. l. c.* 44. 45. Quære etiam *in Eph. Nat. Cur.* Vide *Ovum.*

OONÆ vocabantur quædam gentes ex argumento, quod avium ovis victitarent, ut eſt ap. Jul Alex. *l.* 13. *Sal. c* 12.

OPALUS, *Opali*, dicitur Gemma pretioſa, cujus mater eſt India; color varius, utpote in qua carbunculi tenuior apparet ignis, & Amethyſti fulgens purpura, & Smaragdi virens mare. Magnitudo ejus nucis avellanæ. Propter eximiam gratiam vocarunt παιδέρωτα, & privatum genus *Sanginon* Indi dicunt. Rul. & Iohnſ. Chiocc. *Muſ. Calceol ſect* 3. *pag* 207. 208. Lib. *S. A. Ch. l.* 7 *cap.* 21. *& T. III. Oper. p.* 89. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 8. *ſ* 2. *c* 11. De *Opalo* factitio & ratione effingendi illum vide *Acta Philoſoph.* Oldenburgii *An.* 1668. *menſ. Auguſt*

OPE, ὀπὴ, ſignificat *foramen*, diciturque de *foraminibus* cranii, Gal. *l.* 9. *de V. P. c.* 1. Vid. Caſp Hoſm. *com. in Gal d l n.* 659 qui vertit per *feneſtram.*

OPERATIO, ἐργασία, idem eſt in genere, quod *Actio*, videlicet motio effectiva. Gal. *l.* 6. *de H. & Pl. dec. c.* 1. Vide *Actio.* Verum hodieque uſitatius dicitur de actionibus Medicis artificialibus, quales ſunt operationes chymicæ, pharmaceuticæ, chirurgicæ. Dicitur & Gr. ἐγχείρησις. Vide *Encheireſis.* De ipſis medicamentorum effectibus ſæpe quoque uſurpatur v. g. à Williſio, qui *Operationes medicinales*, earumque cauſſas ceu ſcitu neceſſarias commendat. *Ph. Rat. P. I. ſ.* 1. *c.* 1. & *Operationes Emeticas* deſcribit. *d. l. ſ.* 2., *c.* 1.

OPERCULUM, πῶμα, dicitur id, quo aliquid tegitur aut occultatur. Ita *opercula* in machinamentis parantur, ut maſchinationes ſub ipſis occultentur, ne idiotis pateant. Oribaſ. *de machinam. c.* 5.

OPERIMENTUM, σκέπασμα, ἔπιβλημα, idem quod *Tegumentum*, dicitur, quod forinſecus imponitur defenſionis alicujus gratia; uti ſunt veſtimenta & ſimilia. Gal. *l.* 7. *de V. P. c.* 22.

OPERIMETHIOLIM, eſt minerarum ſpiritus. Dorn. *in Diction. Paracelſ.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

OPHELEO, ὠφελέω, ſignificat *utilitatem affero*, juvo, *proſum.* Ejus contrarium βλάπτω, noceo, de quo ſupra vide *Blabe.* τὸ ὠφελεῖν ſerio inculcat Hipp. & Medicus ſibi commendatam habeat ex aureo illo loco: ὠφελέειν καὶ μὴ βλάπτειν, *Prodeſſe*, aut non nocere, *ex l.* 1. *Ep. ſ* 2. *t.* 50. Vide Galen. *in comm. ad h.l.* & C. Hofm. *orat. Iſag. II. p.* 124. *ſeq. Prodeſſe* eſt Medicorum, Linden. *Ex. XIII.* §. 343. *ſeqq.*

OPHIASIS, ὀφίασις, dicitur ſpecies *Calvitiei*, Lat. *Area.* Vide *Alopecia*, *Calvities.* Dicitur affectus capitis, quo capilli decidunt certis ſpatiis in ſerpentis ſimilitudinem, ſolaque figura differt ab *Alopecia.* Gorr. Caſtell. Gal. *l.* 2. *M. M c.* 2. *& l.* 14. *c.* 17.

OPHIS, ὄφις, idem, quod Lat. *Serpens*, nomen generale animalis reptilis venenati, cujus variæ dantur ſpecies & differentiæ, quas vide prolixe apud Aldrov. *in Hiſtor. Serpent. & Dracon.* Spagyricis *Serpens* & *Baſiliſcus ſapientum* dicitur *Mercurius ſublimatus* ſummo ſtudio. *Th. Ch. Vol. III. p.* 400. Libav. *Tom. III. p.* 247. *Serpens ſpiritus caſtitatis*, id eſt, *Mercurius.* Rul. & Iohnſ.

OPHITES, ὀφίτης, Latine dixeris *Serpentinus*, ſcil. *lapis*, eſt *marmor* maculoſum, in modum ſerpentis, cujus tres ſpecies conſtituit Dioſcor. *l.* 5. *c.* 162. omnibusque vim peculiarem contra capitis dolorem & ictus ſerpentum tribuit alligatis. Jung. Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 14. Fr Hofm *in clav ad h. l.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſect. III. p.* 379. Meminit & Libav. *S. A. Ch. l.* 1. *c.* 14. An vero Gal. ὀφίτης, cujus virtutem deſcripſit *l.* 9. *de S. A. Fac.* inter lapides, de Marmoris ſpecie ſit intelligendus, dubitandum adhuc videtur, quia & ille in dubium vocat, an recte inter lapides numerari debeat, quod tamen de marmore minime dubitandum. Imo Schrod *Ophiten* marmor inſtar porphyritis duriſſimum deſcripſerit.

OPHRYS, ὀφρὺς, Latine *Supercilium*, pars inferior frontis, quæ pilos habet, & veluti terminus hujus. Vel ſunt ipſi pili in frontis fine ſupra oculos excipientes

tes eæ, quæ à capite defluunt, ne in oculos delabantur, uti deſcripſit Barthol. *l.* 3. *An. c.* 8. Geminum igitur ſecundum oculorum numerum occurrit. Meminit Græci vocabuli Hippocr. 4. *aph.* 49. *&* 7. *aph.* 73. Jung. Dieterich. *n.* 641. nec non Lind. *Med. Phyſiolog. l.* 2. *c.* 10. §. 76. *Supercilia* quoque vocantur partes in oſſibus ad ſinuum orbem inſtar labiorum prominentes & ſimul profunditatem augentes, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 2. *in fin.*

OPHTHALMIA, ὀφθαλμία, ſumitur late, & ſtricte: Late pro omni oculorum morbo, præſertim dolore. Stricte notat inflammationem oculi, vel potius tunicæ adnatæ in oculo cum rubore & dolore, aliquando ſine, aliquando cum lachrymarum profuſione, proveniens à ſanguinis ichoroſi effervescentis in venulis ſtagnatione & impedito refluxu. Celſo Latine vocatur *Lippitudo.* Meminit Hippocr. 3. *a.* 11. 16. *&* 6. *a.* 17. & alibi. Hujus ſpecies eſt ξηροφθαλμία, *Lippitudo ſicca*, quando nullæ lachrymæ effluunt. Vide Dieterich. *n.* 638. *& ſeq.* Foëſ. *Oec. pag.* 475. Hildan. *Cent.* 4. *Obſ.* 14. *& Cent.* 5. *Obſ.* 17. *ſeq.* aliosque plures Autores.

OPHTHALMIATER, ὀφθαλμιάτρος. Vide *Oculiſta.*

OPHTHALMODULIA, ὀφθαλμοδουλία, Latine ſignificat *miniſterium oculi.* Quo nomine inſignivit ſuum tractatum Germanicum Georgius Bartiſch, ſicut legitur *in Actis Erud. Lipſ. Ann.* 1700. *m. Majo p.* 233.

OPHTHALMOS, ὀφθαλμός, ὀφθαλμικός, *Ophthalmicus.* Vide *Oculus.*

OPIATUM ſumitur late, & ſtricte. Late pro omni confectione vel electuario, quod conſiſtentia reſpondet confectionibus veterum & antidotis, quæ opium recipiunt. Diciturque alias *Conditum*, vide ſupra *Conditum.* Schroder. *l.* 1. *c.* 3. Legitur & in fœminino *Opiata*, Foreſt. *lib.* 28. *Obſerv.* 58. Stricte pro confectione narcotica, quam ingreditur *Opium.* Ita ſumſit Helmont. paſſim in ſcriptis ſuis, Weker. *Antid. Gen. lib.* 1. *c.* 30. Willis *Pharm. Rat. P.* 1. *ſect.* 7. *c.* 1. *ſeqq. An. Brut. P.* 2. *c.* 3. *&* 8. Paracelſus quoque ab *Opiatis* ſtricte dictis febris quoddam genus vocavit *Opiaticum*, cum inſigni effervescentia ſanguinis conjunctum, ita ut *Opiatis* curetur. *Tab. IX. de generatione febrium.* Utramque ſignificationem explicavit Morell. *Form. rem. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 2.

OPIFEX, *Opificium*, δημιουργός, δημιουργία, generaliter dicitur de omni artifice, vel opere. Vide *Demiurgos.* Specialiter pro artificibus mechanicis & operibus eorum illiberalibus, quæ ſignificatio non eſt hujus loci.

OPINIO, δόξα, ὑπόθεσις. Vide *Doxa. Hypotheſis.* Sumitur & pro imaginaria peritia, & dicitur Gr. οἴησις, vide *Oeeſis.* Hujus ſpecioſæ ſcientiæ & fallacis fructus eſt, ut fluctues inter varia conſilia: nihil libere velis, nihil abſolute, nihil ſemper, hoc hodie ſpernas, cras appetas, imo ne hora tecum eſſe poſſis, verbis Lind. *Ex. I.* §. 16. Jung. *Ex. VI.* §. 8. Eſt quoque *opinio* via & ratio, qua pervenire nonnulli contendunt ad veram Philoſophiam. Hac nititur Philoſophia moderna Carteſiana & Spagyrica, de qua vide *Th. Chym. Vol. I. pag.* 195. *&* 243.

OPION, ὄπιον, *Opium*, dicitur ſuccus papaveris, quem alii Lac, vel Lachrymam vocarunt. Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 7. Gorr. de cujus hiſtoria vide Dioſcor. *l.* 4. *c.* 65. Interdum confunditur cum *Meconio*, vide *Meconium.* Interdum ſtrictius ſumitur pro ſucco vel lachryma ſtillante ex capitibus papaveris albi, leviter inciſis. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 314. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Helmont. *tr. Pharmacop. ac Diſpenſ. n.* 12. Willis ſupra *d. l.* Accuratius adhuc hodieque examinarunt D. D. Wedelius *in Opiologia* & peculiariter ejus vim diaphoreticam demonſtravit B. D. Mich. Etmüllerus *in Exercit. h. tit.* Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. I. ſ.* 3. *c.* 11. *p.* 232. *ſeqq.*

OPISMOS, ὀπισμός, vocatur *Collectio Opii* apud Dioſcorid. *l.* 4. *c.* 63. & ex eo Plin. *l.* 20. *H. N. c.* 28. allegante Hartmanno tract. Pelshoveri *de Opio Theor. IV. quæſt.* 1. Hanc Libavio ignotam fuiſſe ſcribit idem *d. l. Theor. VII. quæſt.* 3.

OPISTHOBARES, ὀπισθοβαρές, vocatur collyrium quoddam, ad aſperitates palpebrarum efficax, cujus deſcriptio habetur ap. Aët. *l.* 7. ex Oribaſio. Quod alias etiam nominibus ἀρμάτιον καὶ ἔντονον, tradit appellari. Gorr.

OPISTHOCHEIMON, ὀπισθοχειμών, vocatur *extrema hyems*, aut frigus in extrema hyeme. Hippocr. *l. de Humor. VII.* 12. *lib.* 1. *Epid. ſ. II. t.* 4. Vide Foëſ. *pag.* 458.

OPISTHOCRANION, ὀπισθοκράνιον, *Occiput* vel *Occipitium.* Æginet. *l.* 6. *c.* 2. Vide *Inion.*

OPISTHOCYPHOSIS, ὀπισθοκύφωσις, ſpinæ dorſi in poſteriorem partem contorſio. Dicitur & ſimpliciter κύφωσις, de qua ſuo loco. Gorr.

OPISTHOTONOS, ὀπισθότονος, eſt ſpecies convulſionis, quando corpus in partem poſteriorem convellitur. Vide *Convulſio.* Ægri hoc morbo laborantes vocantur *Opiſthotonici.* Scribon. *n.* 170. Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 6. 14.

OPITER vocatur infans, cui mortuo patre avus eſt ſuperſtes; notante Roderic. à Caſtro *l.* 4. *de nat. mul. c.* 2. *p. m.* 178.

OPIUM, ὄπιον. Vide *Opion.*

OPOBALSAMUM, ὀποβάλσαμον. Vide *Balſamus.*

OPOCALPASON, *Opocarpaſon*, ὀποκάλπασον, ὀποκάρπασον, ſuccus arboris *Calpaſi*, Myrrhæ ſimilis, ſed venenatus, exitialis, & ſtrangulationem inducens, teſte Galen. *l.* 1. *de Antidot. c.* 11. & Lang. *lib.* 1. *ep.* 62. Chiocc. *Muſ. Calc ſect. V. p.* 636.

OPODELTOCH, nomen *Emplaſtri* non ſolum vulnerarii, ſed & ad alios morbos externos, refertur ap. Parac. cujus paſſim in ſcriptis ſuis facit mentionem, præcipue in Chirurgicis, & quidem diverſis deſcriptionibus.

nibus. Vide *l. de ulcer. & apoſtem. c.* 1. & 33. *in Apocryphis de vulner. teſticul. & prælect. Chirurg. c.* 3. Diſpenſatoriis vero hodieque receptis inſerta eſt deſcriptio *Emplaſtri Opodeltoch* D. Mindereri, quæ videatur cum animadverſ. Zwolferi.

OPOPANAX, ὀποπάναξ, *ſuccus Panacis Heraclii.* Ejus hiſtoriam & modum colligendi cum virtute Medica lege apud Dioſcor. *l.* 3. *c.* 53. Gal. *l.* 8. *de S. Fac. & l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 5. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 395. Fr. Hofm. *clav. ad h. l.* Rhod. *ad Scribon. n.* 82.

OPOPIA, ὀπώπια, Hippocr. dicuntur *oculorum oſſa*, *l. de oſſium nat. V.* 6. Foëſ. *p.* 456.

OPOPYRON *laudani* eſt Paracelſi remedium, quo febris & ejus dilatatio pellitur. Dorn. *in Diction. Paracelſ.* Meminit vero Theophraſt. *lib.* 2. *de vit. long. cap.* 5. *Opopyra* dicitur ſuccus quaſi ignitus ab ὀπὸς, *ſuccus*, & πῦρ, *ignis*, & eſt nomen Confectionis contra morbos ſpaſmoticos & paralyticos in Antidotar. Nicolai *Operum Meſuæ fol. m.* 386. *ſeq.* quam etiam commendavit Johannes Gadeſolenius Anglicus in *Roſaſica Angl.* in ſpaſmo & tortura oris *pag.* 121. alibique. *Opopyra magna* ſanctis Coſmo & Damiano attributa legitur apud Hartmann. *de Opio Theor. IIX. quæſt.* 1.

OPORE, ὀπώρη, duplicem obtinet ſignificationem. 1. Dicitur de certo anni tempore, videlicet *extrema æſtate*, ſive altera, vel etiam tertia æſtatis parte, ſecundum varias veterum diviſiones. Gal. *l.* 1. *de Antid. c.* 13. *com.* 3. *de hum. t.* 19. *l. de cib. bon. & mal. ſucc. c.* 8. quod nonnulli deſcribunt à Canis ad Arcturi ortum ex Poëtis, Rolfink. *O. ac M. M. Sp. in addendis*, *p. m.* 150. Alii ad ipſum *Autumnum* referunt. 2. Significat ipſos *fructus*, dicto tempore maturos, inter quos præcipue fuerunt *ficus* & *uvæ*. Interpretes quoque plerumque exponere ſolent per *Poma*. In hac ſignificatione legitur apud Hippocr. *lib.* 5. *Epid. XV.* 4. *XXIII.* 4. & *l.* 7. *XL.* 16. *l. de int. aff. XXIIX.* 3. 9. *XLV.* 2. 18. Gal. *l.* 7. *M. Med. cap.* 6. Jung. Jul. Alex. *in Annot. ad h. l.* Adde Mercur. *l.* 2. *V. L. cap.* 3. & 6.

OPORICE, ὀπωρικὴ, nomen medicamenti eſt ex fructibus compoſiti. Fit ad dyſentericos, ſtomachique vitia in congio muſti albi lento vapore decoctis malis cotoneis quinque cum ſuis ſeminibus, Punicis totidem, ſorborum ſextario, & pari menſura ejus, quod Rhun Syriacon vocant, croci ſemuncia, coquitur uſque ad craſſitudinem mellis. Hæc ex Plinii *l.* 24. *H. N. cap.* 14. *fin.* refert Gorr. Gal. vocavit δι' ὀπωρῶν eandem fere deſcriptionem ponens, *l.* 8. *de C. M. S. L. cap.* 3.

OPORTET, χρὴ, δεῖ. Ejus ſignificatio ex Grammaticis nota. Vocabulum vero notatu digniſſimum & frequentiſſimum in Medicina, qua Medicis, qua ægris. Vid. Dieter. *n.* 177. ubi Medicorum *Oportet* explicat. Ægrorum *oportet* conſiſtit in obſequio erga Medicos & tolerantia. Vide *Obedientia.* Helmontius reſtrinxit ad *Neceſſarium*, quo vitæ mediæ qualitates remanent in tranſmutatis, & propterea vocavit *Magnum Oportet*; *tract. h. tit. n.* 10. *Magnum Oportet* eſt tribulus, & ſpina terræ, in vita media hominis, de quo in *ſing. tr. Explic. vocab. Helmont. in fine operum.*

OPOS, ὀπὸς, Latine *Succus*, præſertim Plantarum crudus, ſive expreſſus, ſive ſponte manans vocatur. Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 36 *fin.* Idem fere, quod χυλὸς vel χυμὸς, *l.* 6. *d. tit cap.* 1. & *l.* 9. *in proœm.* ad quæ loca vide Jul. Alex. *in Annotat.* Stricte vero dicitur & κατ' ἐξοχὴν de Silphii vel Laſeris ſucco, ex Hippocr. *l.* 2. *de morb. XXXIX.* 12. 24. Aliquando tamen addidit ipſe σιλφίου, vide loca apud Foëſ. *pag.* 458. Quid ſit ὀπὸς Κυρηναϊκὸς, *ſuccus Cyrenaicus*, vide apud Rhod. *ad Scrib. n.* 67. Lang. *l.* 1. *ep.* 62. Vide *Succus.*

OPPANGO, ἐγχρίμπτω. Vide *Enchrimpto.*

OPPIDANUS, ἀςεῖος, quid ſignificet, notum eſt. Vide infra *Ruſticanus.*

OPPILATIO, ἔμφραξις, ςέγνωσις, idem, quod *Obſtructio*, & quidem arcta, notante Rhodio *in Lex. Scribon.* ex Barthii *l.* 40. *Adverſ. c.* 4. Helm. *de Lithiaſ. c.* 6. *n.* 23. Hinc & *Oppilativus*, idem, quod *Obſtruens*, *Obſtipans*, ςεγνωτικὸς, diciturque de medicamentis. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

OPPLETIO, idem, quod *Repletio*, *Impletio*, πλήρωσις. Vide *Impletio.*

OPPORTUNITAS, καιρὸς, εὐκαιρία. Vide *Cæros.*

OPPRESSIO, θλίψις, καταθλίψις, idem fere, quod *Compreſſio.* Vide *Compreſſio.* Dicitur de cordis & præcordiorum anxietate in febribus ardentibus, à ſanguinis turgeſcentis, vel coagulativi impedito per pulmones & cor tranſitu, Foreſt. *l.* 7. *Obſ.* 21. *Schol.* & 30. *Schol.*

OPRIMECHIOLUM Paracelſo dicitur omnis fumus ex ære, *l.* 2. *de Tart. tr.* 2. *c.* 2. *in Not. & fragm. ad h. l.*

OPSARION, ὀψάριον, ſignificat *piſciculum*, de quo vocabulo vid. Lind. *Ex. XVI.* §. 62. *ſeqq.* ὀψαρίδιον, *parvus piſciculus.* Lang. *l.* 1. *ep.* 59.

OPSIGONOS, ὀψίγονος, *ſero natus.* Epitheton *dentium molarium* noviſſimorum, qui jam adultis naſcuntur, κραντῆρες, καὶ σωφρονιςῆρες, etiam dictorum. Gorr. Vide *Cranter.*

OPSIS, ὄψις, apud Hippocr. ſumitur pro ipſo *oculo*, uti patet *ex libello* περὶ ὄψιος, & *l.* 2. *Prorrh. XXIIX.* 23. 27. 28. *&c.* vid. Foëſ. *p.* 474. Alias dicitur de ipſo ſenſu videndi, ſive *Viſu*, qui merito inter ſenſus quinque externos palmam ſibi vendicat, ob celerrimam perceptionem etiam ad loca maxime diſtantia pertingentem, & ſub ſpecie ſubtiliſſima comprehendentem, cujus deſcriptionem & modum vide in Phyſiologicis, præſertim etiam apud Willis *An. Brut. P.* 1.

item novam *Viſionis* Theoriam tradidit alias Regiæ Societ. Angl. Socius, Wilhelm. Briggs, uti patet *ex Act. Erudit. Lipſ.* 1683. Significat quoque apud Hipp. ὄψις externam *faciem*, ſive formam totius corporis, v. g. ægrorum, quæ varia habetur, 4. *de R. V. I. A. t.* 53. unde & oſtentationem notat, 3. *de artic. t.* 27. Lat. quoque *viſio* pro *apparentia* accipitur. Hinc deſcribitur, quod *viſio* ſit ſupernaturalis ſpirituum apparitio, hominum oculis quodammodo conſpicua. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

OPS METALLUM, id eſt, *Argentum vivum*, Rul. & Iohnſ.

OPSOMANES, ὀψομανὴς, dicitur, qui aliquo cibi genere ad inſaniam uſque delectatur. Linden. *Ex. XVI.* §. 161.

OPSON, ὄψον, *Opſonium*, perperam *Obſonium*, generaliter denotat omne id, quod præter panem & vinum menſis imponi ſolitum eſt. Athenæus *l.* 7. reſtrinxit ad omnia igne cocta; ſed J. Alex. dari quoque multa cruda *obſonia* aſſeruit. Hodieque ſtrictior ſignificatio uſitatior videtur, qua dicuntur *Opſonia* illorum pleraque, quorum ratio conjunctas patitur cum alimento medicamenti vires. Plura vide apud d. Alex. *l.* 18. *Sal. c.* 1. *ſeqq. Ars parandi rite Obſonia* vocatur *Obſonatrix*, Gr. ὀψαρτικὴ, eidem *d. l.* pertinet ad *Coquinariam*. Meminit τῶν ὄψων quoque Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXIII.* 37. *XCI.* 13. 14. Jung. Foëſ. *Oec. pag.* 475.

OPTESIS, ὄπτησις. Vide *Aſſatio.* Hinc ὀπτὸς, *aſſus*. Rul. Calor excedens temperiem abuſtivam dicitur *Opteſis*, *Th. Ch. Vol. V. p.* 433. Vide & *Vol. IV. pag.* 395.

OPTICUS, ὀπτικὸς, *Viſorius*, ſive ad *viſum* pertinens & conferens. Ita nervi *optici*, ſpiritus *optici*, ſive *viſorii*, paſſim apud Medicos veteres & recentiores leguntur. *Optica* quoque dicitur pars Mathematicæ ſcientiæ, unde ὀπτικοὶ λόγοι, ὀπτικὴ ὑπόθεσις, leguntur apud C. Hofm. *C. in Galen. de V. P. n.* 551. 757. *ſeq. Optica* medicamenta vocantur, quæ oculis & viſui conferunt. *Opticarum* pilularum meminit Lang. *l.* 3. *ep.* 1. *c.* 8.

OPUS, ἔργον, vide *Ergon. Opera Chymica* dicuntur vel labores, vel effectus, qui prodeunt ex laboribus. *Opus trium dierum* quid vocetur, vide *in Th. Ch. Vol. II. p.* 43. *Opus* mulierum & puerorum *Vol. III. p.* 39. *& Vol. IV. p.* 818. *&* 894. *Opus* Veris, Æſtatis, Autumni, Hyemis, *p.* 13. 17. *&c. Vol. III.*

ORA, ὤρα, idem, quod φροντὶς, vel μελέτη, *curam* ſignificat, Gal. *in exPl. voc. Hipp.* C. Hofm. *com. in Gal. de V. P. n.* 294. Unde ὠρέω, *curam gero*. Gal. *d. l.* Gorr. & Erotian. *Onom. p.* 124. *e.*

ORA, Lat. Græce dicitur ἐσχατιὰ, & notat extremitatem uniuscujusque rei. Ita *ora* ulceris, h. e. ejus extremitas, legitur apud Scribon. Larg. *n.* 240. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.*

ORACULUM, χρησμὸς, referri poteſt inter inſomnia, & deſcribitur, quod ſit ea viſio, quam ſuperi ad aliquid agendum, vel evitandum denunciant. Caſp. Rejes *C. El. q.* 37. *n.* 3.

ORALE, id eſt, *vas*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ORATIO, λόγος, idem, quod *Sermo*, λαλιὰ, *Locutio*. Vide ſupra *Lalia*, *Locutio*. Eſt autem breviter compoſitio nominum (ſubintellige & verborum) Gal. *l. de ſophiſm. in verbo conting. c.* 3. *Oratio* animi ſenſum aperit & tantum non eſt animi interpres, *com.* 2. *de Humor. t.* 3. Hinc debet eſſe moderata, quæ dilucíditatem efficit, *c.* 3. *de artic. t.* 55. cum *orationis* virtus ſit perſpicuitas, vitium vero obſcuritas, 4. *de R. V. I. A. t.* 18.

ORBICULARE, epitheton eſt oſſiculi quarti auditus. Vide *Cochlear.*

ORBICULUS, σφαιρίον, κυκλίδιον, æquivocum eſt, diverſisque rebus tribuitur. Ita *Orbiculi* in machinis dicuntur, qui ſtruuntur ad trochlearum motionem, quæ per ſe ſunt immobiles & collocantur in medio earum, Oribaſ. *de machin. c.* 4. *Orbiculi* quoque idem ſunt, quod *Rotulæ* in Offic. Werker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 42. *Orbiculi* etiam vocantur particulæ catenarum. *Ephem. N. C. A. III. Obſ.* 141.

ORBIS, σφαῖρα, κύκλος, etiam homonymon eſt vocabulum, variisque rebus tribuitur. Vel enim notat figuram circularem, & ita idem eſt, quod *circulus*, κύκλος. Vide *Circulus.* Qua de cauſſa etiam tribuitur non ſolum partibus corporis rotundis: ita *oculi* dicuntur *orbes*, teſte Keuch. *in not. ad Samonic. p.* 231. ſed & totus *Mundus* dicitur *Orbis*, qui Græce κόσμος, vide *Coſmos*; & in ſpecie *Orbis terrarum.* Vel eſt etiam nomen piſcis marini, ob rotunditatem globoſam *Orbis* dicti, duriſſimi, cujus hiſtoria cum ſpeciebus & uſu traditur ab Aldrov. *l.* 4. *de piſc. c.* 15. Et egregiam *Orbis ſcutati* figuram exhibet Chiocc. *in Muſ. Calceol. ſ.* 1. *p.* 90. 91.

ORBITA, τροχιὰ, in genere ſignificat peripheriam circularem, in qua aliquod corpus rotundum locum ſuum obtinet, vel etiam ipſam corporis rotundi ſuperficiem, v. g. *Orbita* Lunæ &c. In Anatomicis ſpeciatim *Orbita oculi* frequenter occurrit, h. e. antrum ſive cavitas illa, e proceſſibus oſſis frontis ad canthos oculi protenſis & oſſe maxillæ ſuperioris illis conjuncto conſtans. De qua *Orbita* oculi ſingularem obſervationem habet D. Ruyſchius, quod vulnus penetrans *orbitam* oculi fuerit lethale propter ſuperioris partis in illa tenuitatem, *Cent. Anatom. Chirurg. Obſ. LIV.*

ORCA, ὄρκη, nomen piſcis cetacei marini Delphino ſimilis apud Rondel. & Aldrov. *l.* 1. *de cetis c.* 6.

ORCHEA, ὄρχεα, idem, quod ὄσχεος, h. e. *ſcrotum*. Galen. *in exp. voc. Hipp.* ubi tamen quidam codices legunt ὄρχεος. Gorr. Nobis mendoſa hæc lectio videtur. Vide *Oſcheos.*

ORCHILUS, ὀρχίλος, idem, quod τροχίλος, nomen

men avis, alias *Regulus* dictæ, de qua lit. RE. Aldrov. *l.* 17. *Ornithol. c.* 1.

ORCHIS, ὄρχις, dicitur Lat. *Teſtis* vel *Teſticulus*, corpus glandulofum, molle, album, teres, generationis pars organica. In plurali ὄρχεις, *teſticuli*. Loca, ubi Hippocr. uſus hoc vocabulo, vide apud Foëſ. p 464. Eorum vero accuratam deſcriptionem & uſum vide in ſcriptis Anatomicis, & inter hos Bartholin. *l.* 1. *c.* 22. & adhuc curioſius delineatam *Teſtium* maſculorum ſtructuram exhibet D. Bidloo *Anat. Tabul. XLIII. XLVI.* & in ſexu fœminino Barthol. *d. l. cap.* 26. Vide ſupra *Didymi*, & paulo inferius *Ovarium*.

ORCHOS, ὄρχος, idem, quod ταρσὸς & ὄρχοι, à quibuſdam dicuntur extremi palpebrarum ambitus, unde excreſcunt cilia. At ὄρχοι, plantæ ordine poſitæ, ſive *Plantarum ordo*.

ORCHOTOMUS, ὀρχοτόμος, dicitur, qui teſticulos exſcindit, uno verbo *Caſtrator*, quamvis & ad *Herniotomos* referatur. Vide *Caſtratio*.

ORCUS, ᾅδης, idem, quod *Infernus*, proprie locus damnatorum, cujus ſignificatio ad forum Theologicum ſpectat. Ignis quoque ſubterraneus, quem in medio terræ copioſiſſimum æſtuantiſſimumque nonnulli credunt exiſtere, vocatur *Orcus* vel *Barathrum*. Th. Chym. *Vol. V. p.* 333. *Divinum in morbis*, ab Hippocr. excogitatum *Orcum Platonis* vel *Plutonis* appellare non veretur Helm. *tr. de Ideis morbor. n.* 26. De *Orco Orphei*, *Hermetis*, fictitiis, lege judicium Libav. *T. IV. Oper. pag.* 141.

ORDEUM, κριθή, ponitur ſine aſpiratione pro *Hordeum* paſſim apud antiquos Autores. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.* & *Indicem Galeni Frobenian.*

ORDINATUS, τεταγμένος, epitheton *pulſus*, qui pari ſemper numero paribus partibus & ſtatis ictus ſuos ſervat periodis. Gal. *de pulſ. ad tyron. cap.* 6.

ORDO, τάξις. Hujus vocabuli ſignificatio aliunde nota. Quemadmodum vero *Ordo* merito admirandus eſt in natura & rebus naturalibus; ita quoque Medicis in ſuis actionibus & ſermonibus curæ cordique eſſe debet, quamvis notaverit Gal. veteres orationis *ordinem* neglexiſſe, *c.* 1. *de fract. t.* 1. & *cap.* 1. *de iis*, *q. in med. t.* 7. Hodieque vero Doctores magis ſunt ſolliciti de *ordine* ſervando in tractanda & docenda Medicina. Hinc & Rolfink. non dubitavit, ſcripta ſua titulo *Ordinis ac Methodi* inſignire. Quantum in Chymicis ſitum ſit in obſervatione *ordinis*, paſſim inculcatur in eorum ſcriptis. Quære *in Indice Theatr. Chym. per Volumina I. IV. V. & VI.*

ORECTICOS, ὀρεκτικός, id eſt, *appetitum excitans*, uſurpatur de medicamentis, de vino & aliis, apud Dioſcorid. *l. V. c.* 13. & *alibi.*

OREITYPIE, ὀρειτυπίη, *montanus labor*, unde ὀρειτύποι dicuntur, qui ex montibus ligna, lapides, & id genus alia in urbes deferunt. Occurrit apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 17. Vide Gal. *in comm. ad h. l.*

OREMONE ſignificare morbum ex Amato Luſitano conſtat *centur. IV. curat.* 71. & quidem deſperatum vel lethalem, ſed qualem, hariolari non licet, cum ignoretur, an vox ſit Hebræa, Arabica an alia exotica.

OREXIS, ὄρεξις. Vide *Appetitus*. A Paracelſo & Helmontio *Orexis* ſumitur pro ardore *ſtomachi* paſſim in ſcriptis eorum, quæ loca quærantur *in Indicibus*. Nobis enim non licet omnia compilare; nec libet.

ORGANON, ὄργανον. Vide *Inſtrumentum*.

ORGANOPOEOTICA eſt ars, bellicorum inſtrumentorum inventrix. Dorn. Rul. & Iohnſ.

ORGAO, *Orgaſmos*, ὀργάω, ὀργασμὸς, Latine *Turgeo*, *Turgeſcentia*, *Turgentia*. Emphatica ſane vocabula apud Hippocr. quorum propria ſignificatio eſt, ardenter appetere coitum, & deſiderio libidinis incendi, ubi ſemen turgens excretionem ſuam deſiderat & urget. Quam ſignificationem poſtea tranſtulit Hippocr. & cum hoc ejuſdem diſcipuli ad humores excrementitios, ſuperfluos & præternaturales, qui in corpore, vel hinc inde agitati, vel efferveſcentes & p. n. fermentati, ſui excretionem poſtulant. Hinc pravus humorum motus & impetus cum ſtimulo excretionis dicitur *Orgaſmus*. Verbo uſus eſt Hippocr. 1. *aphor.* 22. & 4. *aphor.* 10. Vide Gal. *comm. ad hæc loca*. Adde Foëſ. *Oec. p.* 459. *ſeq.* Dieter. *n.* 624. Lind. *Ex. VII.* §. 48. Jul. Alex. *Not. in Gal. l.* 11. *M. M. c.* 15. & *in l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 3. Exercit. noſtras *de Remoris purgat. Diſp. II.* §. 31. & *Diſp. V.* §. 27.

ORGE, ὀργή. Vide *Ira*.

ORGIA, ὄργια, Hippocrati idem ſunt, quod μυστήρια, *arcana*, *myſteria*; uti patet ex *Lege illius in fine* & *in orat. Theſſali filii ad Athenienſ. n.* 144. Vid. Erotian. *Onom. p.* 85. *f.* & Foëſ. *p.* 460.

ORGILOS, ὀργίλος, idem quod ὀξύθυμος, dicitur is, qui eſt *præcipitis iræ* & acerbæ, qui leviſſima de cauſſa in iracundiam acerbam fertur, ob rationis imbecillitatem. Legitur apud Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 78. Foëſ. *p.* 461. Jul. Alex. *lib.* 3. *Salubr. c.* 3.

ORICHALCUM, ὀρείχαλκον, ὀρίχαλκον, ὀρείχαλκος. Vide *Aurichalcum*. Dicitur æs Cadmia foſſili tinctum, factitium. An tale unquam fuerit nativum & foſſile, certo non conſtat. Gorr. Libav. *Orichalcum* ex ære, cadmia fornacum, lapide calaminari & calaëmo fieri, ſcripſit. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 24. ubi etiam ſtatuit *Nativum*, quod eſt æs citrinum in Funduribus inter Mexicum & Dariem Americæ fodinas repertum. *Orichalcum nobile* parari ex argento, cupro, lapide calaminari, addito ſæpius vitro vel etiam magneſia, docet idem *Tom. III. pag.* 204. *ſeq.* *Orichalcea fila* leguntur apud Rul. *in Lex.* Junge Jac. le Mort *Metallurg. contract. pag.* 271.

ORICIA, epitheton Terebinthi, ab *Orico*, civitate Epiri, juxta quam naſcitur Terebinthus. Keuchen. *ad Sammon. p.* 214.

ORICILLA, pro *Auricilla*, quemadmodum & *Ores* antique pro *Aures*.

ORICULARIS, *Oricularius*, pro *Auricularis*, dicitur de *Clyſtere*, de *Specillo*, apud Celſum, *l.* 7. *cap.* 26. & 30. *l.* 5. *c.* 28. & *l.* 6. *c.* 18. Rhod. *ad Scrib. n.* 39. Keuch. *d. l. pag.* 87.

ORIENS, ἀνατέλλων, ἀνατολή, proprie dicitur de loco, vel plaga cœli, in qua ſol oritur & ſupra Horizontem aſcendit. Cui opponitur *Occidens*, quamvis Helmont. negaverit, contrarie opponi *tr. Natura contrar. neſc. n.* 38. *Oriens Microcoſmi* eſt in Pyloro, Paracelſ. *de Colica*. *Oriens* quoque Spagyricis dicitur urina, ſal urinæ, item vitriolum, oleum rubrum, rubinus, maſculus, aries, quæ omnia ſunt ænigmata Spagyrica. Ruland. & Iohnſ.

ORIFICIUM, στόμα, fere idem, quod *Os*, *oris*, notatque meatus extremitatem apertam. Ita duo *Orificia* in ventriculo dicuntur: unum *Stomachus*; alterum *Pylorus*, Barth. *l.* 1. *Anat. cap.* 9. Ita vaſorum naturalium, ut ſunt venæ, arteriæ, extremitates apertæ, dicuntur *orificia*, quemadmodum & Artificialium paſſim in ſcriptis Medicis.

ORIGINALIS, *Originarius*, epitheton morborum, idem ſignificans, quod Protopathicus, Idiopathicus, Eſſentialis, de quibus nominibus alibi. Uſurpavit vero aliquoties D. Richartus Morton *in ſua Phthiſiologia l.* 2. *c.* 1. 2. 6. 7. *&c.* de Phthiſi pulmonari à mala diſpoſitione pulmonum primo inſtanti dependente.

ORIGO, ἀρχή, idem, quod *Initium*, *principium*. Vide *Initium*.

ORIOLUS, χλωρίων, idem, quod *Picus*, *nidum ſuſpendens*, cujus deſcriptio legitur in Aldrovand. *l.* 12. *Ornithol. c.* 39.

ORION, ὠρίων, nomen proprium Deaſtri gentilis habiti pro filio Jovis, Neptuni & Mercurii; de quo Poëtæ fabulantur, ictu ſcorpii periiſſe, cum Dianæ vim inferre conaretur. Keuchen. *ad Samonic. pag.* 265. Tranſlatus deinde inter ſidera, & mentio illius fit in ſacris Literis. Hujus operationem in cadaver lupi eſſe, generare ſerpentes, finxit Paracelſ. *de Peſtilit. tr.* 1.

ORIONIUS, id eſt, *urinoſus*. Dicitur de ſpiritu urinæ, vel ſale urinæ. Unde *Orionium Zvvingeri* vocatur, quod eſt Tertius *Orionis* ſpiritus fixus, qui ex craſſiore ſalſioreque parte lotii evocatur. Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 29.

ORIX, ſitibundæ Ægyptiæ feræ nomen, quæ mœſta & quaſi ſupplex caniculæ ortum intuetur & lachrymabunda illius æſtum deprecari videtur, Lang. *l.* 2. *ep.* 2.

ORIZEUM, idem, quod *Aurum*. Hinc *Orizeum foliatum* aurum in tenuiſſimas bracteas malleo cuſum. *Orizeum præcipitatum* eſt aurum in crocum ſuum redactum; adminiculo Croci Mercurii. Dorn. Rul. & Iohnſ. *Orizeus liquor* Paracelſo dicitur liquor ex auro præcipitato paratus, cujus deſcriptio habetur *Paragraph. lib.* 11. §. 3. & meminit ejus aliquoties alibi in illis libris. *Orizeus color*, eſt flavedo in oculis aut urina, cujus etiam paſſim mentionem fecit idem.

ORIZON *æternitatis* (pro *Horizon*) eſt virtus ſupercœleſtis. Dorn. *in Dictionario Paracelſ.* Vide *Horizon*. ex Theophr. *l.* 2. *de vit. long. c.* 2.

ORMS, id eſt, *gallina*. Rul. & Iohnſ.

ORNAMENTUM, κόσμος, dicitur de partium *pulchritudine*, quæ quandoque obſcuratur ab earum utilitate, Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 13.

ORNITHIAS, ὀρνιθίας, nomen *venti Aquilonaris* frigidi, verno tempore ſpiritus, quando aves & hirundines rurſus adveniunt. Legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. LI.* 2. Foëſ. *p.* 462.

OROBION, ὀρόβιον, ſignificare videtur *Ervi farinam* apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CXXIII.* 22. apud Erotianum eſt adjectivum, & redditum per *ruffum*, aut æquale orobo, ἧλον ὀρόβιον, verruca *ruffa* aut orobo ſimilis. *Onomaſt. p.* 84. *d.*

OROBO eſt *vitrum metallinum*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

OROBOEIDES, ὀροβοειδής, *orobo ſimilis*, dicitur de ſedimentis urinæ fulvi coloris, quæ hepatis colliquationem indicant, Gal. *c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 14. & 4. *aph.* 76. Foëſ. *p.* 463.

OROGAMO eſt *Aurum*. Rul.

OROS, ὄρος. Vide *Mons*. Dicitur & à quibuſdam τὸ πεδίον, h. e. pars tota pedis ſuperior, quam alii πολυοστέον appellant, i. e. multorum oſſium. Caſtell. Gorr.

ORPHNODES, ὀρφνώδης, *tenebricoſus*, ab ὄρφνη, *tenebræ*. Legitur apud Hipp. 5. *prognoſt. t.* 30. & 33. Gal. *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 4. Jung. Foëſ. *p.* 464. Erot. *p.* 79. *c.*

ORPHUS, ὄρφος, vel ὀρφὸς, vocatur piſcis quidam, ſive littoralis ſive marinus, cujus deſcriptionem & uſum in cibis vide in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 11.

ORRHAGOGON, ὀῤῥαγωγὸν, h. e. *Seriducum*. Epitheton purgantium, quæ alias *Hydragoga* vocantur. Utrumque Græcum & Latinum legitur apud D. D. Wedel. *Am. Med. de Elaterio & Soldanella l.* 11. *ſect.* 1. *c.* 5. *p.* 252.

ORRHODEO, ὀῤῥωδέω, ſignificat *metuo*, formido; & occurrit apud Hipp. *l.* 2. *Prorrh. XX.* 4. *l.* 2. *de fract. t.* 65. & *ſ.* 3. *t.* 17. *l.* 1. *de morb. XLII.* 1. *XCVI.* 24. Jung. Erot. *On. p.* 83. *a.* & Foëſ. *Oec. p.* 463. *ſeqq.*

ORRHOPISSA, ὀῤῥόπισσα, quaſi ὀῤῥὸς πίσσης, eſt *picis liquidæ ſeroſum excrementum*, picis veluti ſerum. Hoc legitur apud Hipp. *l. de Ulcer. IX.* 12. Vide Erotian. *pag.* 82. *ſ.* Gorr. *in def.* Dicitur & πίσσανθος.

ORRHO-

ORRHOPYGION, ὀῤῥοπύγιον; rectius ὀῤῥοπύγιον, ultima pars ſpinæ, qua vertebræ deſinunt. Manifeſtius in avibus, quam in homine. Gorr. Illud in præpinguibus & altilibus grandius redditum gulæ placuiſſe, & præſertim militum, teſtatur Bruyerin. *de re cibari* *l.* 15. *c.* 18.

ORRHOS, ὀῤῥὸς, Lat. *Serum*, i. e. aquoſa portio lactis & ſanguinis. De illo Hipp. *l.* 4. *de Morb. XXV.* 28. *XXVI.* 9. de hoc Gal. *l.* 5. *de V. P. c.* 5. *& alibi. Serum* hoc ſanguinis uti per ſe eſt ὄχημα, ſive vehiculum; ita per accidens & ex longiori mora degenerans fit excrementitium & urinæ aliorumve liquidorum excrementorum materia. Plura de *Sero ſanguinis* vide in Schenkii *tract. h. tit.* item apud Willis *de febrib. c.* 1. ubi & de *ſero lactis* egregie diſſeruit. *Serum* excrementitium etiam *Ichoris* nomine venit. Vide *Ichor.*

ORRHOS, ὄῤῥος, in penult. acuto notata ſignificat vel oſſis ſacri extremum, ad caudam uſque protenſum; quod & ὀῤῥοπύγιον dicitur, teſte Gal. *exeg. Hipp.* vel *Perinæum*, ſive lineam ſubter penem medium ſcrotum interſecantem, & per πύγην ad anum uſque tendentem; quæ & τράμις dicitur ex Ruffo, Polluce, & Heſychio. Caſt. Foëſ. *p.* 463. ab orrhos etiam eſt ὀῤῥώδης, quod Galen. definit, quod ab orrho protenditur *exeg. Hipp.*

ORTHOCHEMISTA; idem quod verus in Chemia artifex. Georg. Thomſon *in Explicatione quorundam terminorum Artis Acui ſuæ Magneticæ præmiſſa.*

ORTHOCOLON, ὀρθόκωλον, quaſi *rectus articulus*, eſt articulationis vitium, quando ob durum aliquem tumorem muſculi partem inflectentes non ſequuntur, ſed articulus perpetuo tenditur, nec inflecti poteſt. Galen. ſcripſit ὀρθόκυλλον, 3. *de artic. t.* 100. Verum Foëſ. priorem lectionem approbat, quamvis C. Hofm. *in ſuis Notis* ἀντικεῖται *ad h. l.* & poſteriorem lectionem non penitus rejiciat, cum videatur eſſe argutior compoſitio, ſi τῇ ὀρθότητι apponatur ad latus ἡ κυλλότης.

ORTHODORON, ὀρθόδωρον, menſura eſt apud Græces, qua rerum intervalla metiuntur. Eſt autem totum id ſpatium, quod inter primam palmæ partem, καρπὸν Græci dicunt, & extremum medium digitum interjacet. Sic enim Pollux & Heſychius interpretantur. Continet autem digitos circiter undecim. Latine *rectus palmus* dici poteſt. Gorr.

ORTHOMETHODUS, ὀρθομέθοδος, vocatur G. Thomſon. *d. l.* via regia aperta ac brevis, ſive recta docendi, aut aliquid præſtandi ratio.

ORTHOPNOEA, ὀρθόπνοια, quaſi *rectam ſpirationem* dixeris, eſt magna ſpirandi difficultas, ut non aliter ea fieri poſſit, quam recta cervice & thorace elato, quod etiam iis accidit, qui velociter cucurrerunt. Qui ſic affecti ſunt, dicuntur ὀρθοπνοϊκοὶ, quia decumbentibus ſuffocationis periculum ob anguſtationem aſperæ arteriæ imminet, vixque erecta cervice ſufficiunt, dorſo nulli rei innixo. Cauſſam hujus vide in *Aſthma.* Meminit Hipp. *l.* 7. *Epid. VI.* 6. Junge Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 21. *& c.* 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 54. Foëſ. *p.* 461. Qui inflammationem vel pulmonum, vel faucium quoque cauſſam agnoſcunt, confundunt Peripneumoniam, aut Anginam cum *Orthopnœa.*

ORTHOS, *Rectus*, opponitur *Curvo.* Ita Vena recta legitur apud Hipp. 5. *aph.* 68. Vide Dieter. *num.* 625. Vide *Rectus.*

ORTHOSTADEN, ὀρθοστάδην, adverbium apud Hipp. quod ſignificat in *erectum ſtando*, ſive more eorum, qui erecti ſtant: Et dicitur vel de exacte ſanis, qui ſtant, ambulant, ſuisque negotiis præſentiam ſuam accommodant, Lind. *Ex. XIII.* §. 22. vel de leviter ægrotantibus, qui nondum decumbere coguntur: in qua ſignificatione ſumſiſſe videtur Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 10. *ſ.* 2. *t.* 12. 22. 41. *ſ.* 3. *t.* 65. 66. Vide Gal. *com. ad locum primum Hipp.* Verbum ὀρθοστατεῖν, *erecte ſtare*, occurrit *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 93. Adverbium illud opponitur τοῖς κατακειμένοις, *decumbentibus* vel *Clinicis*, de quibus ſuo loco.

ORTUS apud Latinos ambiguam obtinet ſignificationem. Vel enim dicitur de loco, ubi ſol & ſidera aſcendunt ſupra noſtrum Horizontem. Et ita idem eſt, quod *Oriens*: de quo p. ſuperius: vel de motu ipſo ſolis & ſiderum, quando ſupra Horizontem aſcendunt, Gr. ἀνατολὴ, vel ἐπιτολή. *Ex. XI.* §. 178. vel idem eſt, quod origo, initium, principium, *Generatio*, Gr. ἀρχὴ, γένεσις; de quibus etiam ſuis literis. Ita Helmont. tractatum inſcripſit *Formarum ortus*; quem nonnulli modernorum imitantur, & *Morborum ortum* dicunt pro generatione. In opere Lapidis Philoſophici *Ortus Solis Myſticus* dicitur, quando ex caligine & nigredine paulatim fit mutatio in albedinem. Libav. *Tom. II. Oper. p.* 142. 373.

ORTYGOMETRA, ὀρτυγομήτρα, q. d. *Coturnix grandior*, unde & vernacule *Rex Coturnicum* vocatur, nomen avis, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 13. *Ornith. c.* 23.

ORVIETANUS, cognomen Agyrthæ vel Circumforanei, alias *Hieronymus Ferrantes* dicti, qui inventione alicujus *Antidoti* ſingularis vel Electuarii Alexipharmaci claruit contra omnia venena. Is enim primus auſus fuit publico foro deglutire ignotum ſibi quodlibet toxicum, teſte Helmont. *tr. Tumul. peſtis* §. *Hippocr. redivivus.* Vide & Rhod. *ad Scribon. num.* 144. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 11. *ſ.* 2. *c.* 8. Deſcriptio Electuarii legitur apud Schrod. *l.* 2. *c.* 51.

ORUO, ὀρούω, id eſt, *irruo*, impetum facio, irrumpo. Legitur apud Hipp. de menſibus ſurſum impetum facientibus, *lib.* 1. *de morb. mul. LXIX.* 5. vide Foëſ. *p.* 463.

ORYZA, ὄρυζα, de genere frugum eſt, mediocriter alit, & vim quandam adſtringendi habet, qua

ventrem modice ſiſtit. Vide Gal. *l.* 1. *de Al. fac. cap.* 17. *& l.* 8. *de S. Fac.* §. *Oryza*, *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 4.

OS, Genit. *Oris*, Gr. στόμα, proprie duobus modis accipitur: primum de eo ſpatio, quantum diducta labra patent: Deinde de toto illo ſpatio, quod dictis labris ad imas uſque fauces interjacet, in quo dentes, palatum, lingua, gurgulio & tonſillæ duæ continentur, quarum omnium partium una tunica eſt, etiam naribus communis. Hæc Gorr. & Caſtell. Eſt prima nutrimenti ad ventriculum via, & vocis inſtrumentum. Aperitur & clauditur. Ejus deſcriptionem vide apud Barth. *l.* 3. *Anat. c.* 11. Et quid multis? Qui, quid ſit στόμα, vel *os*, neſcit, *os* non habet, Dieter. *n.* 791. *Oris ſine lingua* perfecte loquentis deſcriptionem à Jacobo Roland. de Bellegad Gallice, & à Carolo Reigero Latine tranſlatam vide *in Eph. N. Cur. Ann. II. p.* 559. *ſeqq. Oris tartarus*, qui dentibus adhæret, vocatur Paracelſo, *Paramir. l.* 3. *tr.* 2. Porro vocabulum *Oris* ſolet etiam transferri ad alia, & notat meatus vel cavitatis, vel vaſis initium & aditum, eſtque idem, quod *orificium*, *oſtium*. Ita *os* ventriculi, vel ſtomachi apud Helmont. legitur *tr. Tum. Peſtis* §. *Proprietas peſtis. Os* uteri frequenter legitur apud Hipp. 5. *aph.* 46. *lib.* 1. *de morb. mul. LX.* 2. *lib.* 2. *IX.* 17. Vide Foëſ. *p.* 588. Rolf. *de Part. Genital P. II. c.* 43. Ita & in artificialibus dicitur *os* fornacis, *os* vitri, *os* ſpiritale, pro orificio. Rul.

OS, Gen. *Oſſis*, ὀςέον, ὀςοῦν, pars corporis organica duriſſima atque terreſtris naturæ, cujus hiſtoriam, differentias, catalogum, prolixius vide in ſcriptis Anatomicis, Hipp. *de oſſium natura*. Gal. *de Oſſibus*, ſpecialiter etiam apud Barth. *libell.* 4. *Anat.* ubi integram ὀςεολογίαν propoſuit. Junge & Foëſ. *Oec. p.* 464. *ſeqq.* Dieter. 629. Inter *Oſſa* unum peculiari nomine eminet, quod ἱερὸν, *ſacrum*, vocatur, quod ſit omnium in ſpina maximum. Antiqui enim magnum *ſacrum* vocarunt. A Galeno late & ſtricte ſumtum: Late, quatenus *os coccygis*; Stricte pro ea ſaltem parte, quæ revera ſacra eſt, h. e. magna & lata, qua etiam cum *oſſe Ilio* per ſynarthroſin conjungitur. Hujus deſcriptionem ulterius vide apud Barthol. *d. l. c.* 15. *Oſſa* in genere ſunt totius corporis fundamenta, ſuſtentacula & munimenta; quodque parietes & trabes in domibus; in tentoriis pali; in navibus carinæ præſtant, hoc in corporis humani fabrica *oſſium* præbet ſubſtantia, verbis Veſalii *in Anatom. Oſſa officinalia* lege apud Schroder. *l.* 2. *c.* 26. *Oſſa* quoque pro amuletis collo appendiſſe, teſtatur Keuch. *ad Samonic. p.* 274. *Oſſiculum* diminutivum eſt *os* parvulum, qualia ſunt *oſſicula*, in meatu auditorio, *oſſiculum* in corde, &c. *Oſſa* emolliendi modum docuit Dionyſ. Papinus Reg. Societ. Angl. Socius, & mentio fit *in Act. Erud. Lipſ.* 1682. De *Oſſium* mollitie præternaturali & flexilitate legatur ſtupenda obſervatio à D. Daniele Prottennio Med. Helſing. notata *in Act. Hafn. Vol. III. obſ.* 24.

OSCEALIS, rectius *Oſchealis* ab *Oſchion*, dicitur *Hernia ſcroti*, Galeat. de S. Sophia *ad Rhaſ. l.* 9. *c.* 89. *fol. m.* 83. *b.*

OSCEDO, ἄφθαι, idem, quod *Aphthæ*, vide ſupra lit. A. Keuchen. *d. l. p.* 142.

OSCHEON, ὄσχεον, ὄσχεος & ὄσχη, *ſcrotum* ſignificat. Eſt *burſa* vel marſupium, teſtes continens multis rugis præditum, in infima parte lineam habens ſecundum longitudinem excurrentem, quæ Sutura vocatur. Vide Barth. *l.* 1. *Anatom. c.* 21. Rolf. *de Part. gen. P. I. c.* 14. Dicitur & *ſcrotum*. Loca Hippocr. vide apud Foëſ. *p.* 465. Inde dicta eſt *Oſcheocele*, ὀσχεοκήλη, *Hernia ſcroti*, in qua ob rupturam, aut læſionem aliquam inteſtinum, aut omentum in ſcrotum delabitur. Linden. *Ex. IV.* §. 45. ὄσχια quoque dictos fuiſſe palmites vitium botris onuſtas, quas in feſto Scirados Palladis Athenienſium ephebi detulerunt, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 58. Galeno *in exeg.* ὄσχεον, ſi vera eſt lectio, quam Foëſius ſollicitat, eſt flexuoſa & pampiniformis circa os uteri, eminentia, quæ alias ἀμφίδιον & λίγνα appellatur, ab ὄσχος vel μόσχος, palmes vel vitium malleolus.

OSCILLATORIUS *motus* dicitur apud Borellum *de motu animal. part.* 2. qui in horologiis rotarum motum dirigit, regulat ac contemperat æquitemporaneis itibus ac reditibus ſuis. Et talem quoque locum habere exiſtimat in ſanguine per aërem inſpiratum æqualibus portionibus illi commiſſum, elaſticitate ſua ſpirituum motum regulantem & moderantem, quod tamen negare non dubitat celeberr. D. D. Bohn. *in Circulo Anatomico Phyſ. Progymn. IV. p. m.* 68.

OSCITATIO, χάσμη. Vide *Chaſme*.

OSCULUM æquivocum eſt. Vel enim diminutivum eſt ab *ore*, Gr. στόμιον Ita *oſcula vaſorum*, i. e. extrema orificia arteriarum & venarum ſæpe leguntur in ſcriptis Medicis. Vel ſignificat impreſſionem labiorum in alterius vel os, vel frontem, vel aliam corporis partem. Dicitur & *baſium*, *ſuavium*, φίλημα, eſtque ſymbolum amoris. Tale *oſculum* fieri aliquando cauſſam contagii Venerei, ſive morbi Gallici, demonſtravit Foreſt. *l.* 32. *Obſ.* 9. *in Schol.* Ita mulierem Turcicam, e baſio, quod ſervo febre maligna extincto amoris ſtimulo infixerat, morbum ſibi contraxiſſe cum ſummo vitæ periculo notavit, eamque curaſſe ſcripſit D. Vitus Riedlin. *Lin. Med. Ann. II.* 1696. *m. Ian. Obſ.* 25. *p.* 40.

OSEUS Paracelſo dicitur *Scrotum*, in quo teſticuli continentur *l. de Ulceribus c.* 54. & paſſim alibi, *in libris de Tartaro. Fragment. ad h. l.* Haud dubie corruptum vocabulum à Græco ὄσχεος.

OSIS, ὦσις, dicitur *pulſio*, impulſio, *truſio*, idem, quod ὤθησις. Uſurpatur ab Hippocr. de vertebræ propulſione introrſum facta, quæ fit cauſſa anginæ 3. *aph.* 26. *& l.* 2. *Epid.* Vide Dieter. *n.* 948. Sumitur etiam aliquando pro *expulſione*. Hinc nonnulli ὦσιν tribuerunt

runt purgantibus, quod expellendo operentur, v. g. Joubertus *in Paradoxis*, uti videre eſt *in Diſp. noſtra de Purgationis modo ac viis ad alvum*, *additâ Remoris Purgationis th.* 5. & 10. *ſeq.*

OSME, ὀσμὴ, idem, quod ὀδμή. Vide *Odor.*

OSOROR, id eſt, *Opium*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

OSPHRESIS, ὄσφρησις. Vide *Odoratus.*

OSPHYS, ὀσφύς. Vide *Lumbus.*

OSPRION, ὄσπριον, idem, quod δημήτριον, *legumen*, *Cereale*. Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 92. Gal. *l.* 7. *M. M. c.* 6. Vide J. Alex. *in not: ad h. l.* Stricte tamen ὄσπριον ſignificare *fabam*, ceu primarium, inter legumina, ex Athenæo & Clemente Alexandrino notarunt Mercurial. *l.* 4. *V. L. c.* 5. Foëſ. *Oec. p.* 461.

OSSA *paralleli* eſt univerſale medicamentum in podagra. Dorn. Rul. & Iohnſ.

OSSICULUM. Vide *Os*, Gen. *oſſis.*

OSSIFICATIO dicitur de partibus natura mollibus in duritiem oſſeam degenerantibus, qualem plane ſingularem obſervationem habet Ruyſch. *Cent. Anat. Chirurg. Obſerv. LXIX.* de valvulis cordis oſſeis factis & in totum coalitis, hinc etiam *oſſificationis* nomen ibi reperitur. Ita & ſeq. obſervatione portio Venæ Portæ *oſſeæ factæ* recenſetur & exhibetur *fig.* 58.

OSSIFRAGA, *Oſſifragus*, primum eſt nomen avis fere ad Aquilas pertinentis, ita dictæ, quod oſſa ex alto in rupes demiſſa frangat, Gr. φήνης, & φηνὴ, vocatur, cujus deſcriptio habetur cum uſu in Medicina apud Aldrov. *l.* 2. *Ornithol. c.* 11. Deinde eſt nomen Lapidis, qui alias *Oſteocolla* appellatur. Vide hoc vocabulum paulo inferius.

OSSISANA dicitur Lapis ſabuloſus olim prope Spiram & Darmſtadium repertus, miraculoſus in conglutinandis oſſibus ruptis vel fractis propter conſignationem ejus magicam, uti ſcribit Crollius *de ſignatur. intern. rerum*, & ex hoc Hartmannus. An fortaſſis idem cum Oſteocolla ſive lapide oſſifrago, de quo q. p. vide *Oſteocolla.*

OSSIVORUS eſt epitheton Tumoris alicujus peculiaris in femore obſervati apud Ruyſch. *Obſerv. Anat. Chir. Cent. I. O.* 81. qui à mala oſſis conſtitutione præſertim per colliſionem aut graviorem lapſum dependente ortum ducit. Dicitur & ibidem *Spongioſus.* Vide *Spongoides.*

OSTAGRA, ὀστάγρα, inſtrumentum Chirurgicum, quo oſſa vel attolluntur, vel deprimuntur, vel omnino loco moventur, Gorr. Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6.

OSTEOCOLLA, ὀστεοκόλλα, dicitur lapis fixiſſimus, albo cinereove colore oſſis figuram referens. Dicitur *lapis Oſſifragus*, quia celebratur ad oſſa cito glutinanda. Uſus internus & externus. Legatur Schr. *l.* 3. *c.* 8. *n* 15. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Valde ejus virtutem commendat quoque Helmont. *tr. Confirmatur morb. ſed in an. ſenſit n.* 17 *circa fin.* item *tr. Adit. præcluſ. ad condum. n.* 12. Videatur etiam de ejus viribus, uſu & abuſu Hildan. *Cent.* 1. *Obſ.* 90. 91. *Cent.* 3. *O.* 90. *Cent.* 5. *O.* 86. De cujus origine, loco & natura hiſtoriam tradidit Joh. Chriſtoph. Becmannus *in Epiſtola ad Henr. Oldenburgium*, quæ habetur in hujus *Actis Philoſ. Ann.* 1668. *menſ. Septembr.*

OSTEOCOPOS, *Oſteocopos*, ὀστεοκόπος, ὀστοκόπος, *laſſitudinis ſpecies* eſt, in qua partes, quæ in alto corpore ſunt poſitæ, ut muſculi circa oſſa poſiti & tendines oſſibus adhærentes ex nimio motu contuſionis, vel inflammationis ſenſum habent; unde ex penitiore ſenſu intimarum partium videtur, quod circa oſſa moleſtia & affectio hæreat. Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 2. Gal. *l.* 3. *de San. tu. c.* 5. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 5. Adde Foëſ. *p.* 464. Lang. *l.* 1. *ep.* 2. & *l.* 2. *ep.* 14. ubi oſtendit, eſſe ſymptoma ſingulare Luis Venereæ, id quod & Caſtellus notavit, Keuchen. *ad Sammonic. p.* 268. ubi & *Hoſteocopos* in libro avito legi monuit. Scorbuti quoque ſymptoma eſſe, docet experientia.

OSTEOLOGIA, ὀστεολογία, h. e. doctrina vel *tractatio de oſſibus.* Legitur apud D. Bidloo *Part. VI. Anatomiæ*, in qua à *Tab. XXCVIII. ad finem* oſſium figuræ accurate delineatæ conſpiciuntur.

OSTEON, *Oſteon*, ὀστέον, ὀστοῦν. Vide *Os.*

OSTRACITIS, ὀστρακῖτις, ſpecies Cadmiæ factitiæ, quæ in fornacum locis humilioribus ex craſſa materia fit, & ſuperficie teſtam repræſentat. Gorr. Vide *Cadmia.*

OSTRACODERMON, ὀστρακόδερμον, dicitur omne animal, cui pro cute teſta eſt, Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 1. & *l.* 3. *c.* 33. Lat. *Teſtaceum*; aut, cum Scaligero, *Teſticorium.* Linden. *Ex. V.* §. 41. *Teſtaceorum* omnium ſpecies deſcriptas cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Exanguibus h. tit.*

OSTRACON, ὄστρακον, ſignificat *teſtam figulinam*, cujus uſus etiam eſt in Medicina, præſertim ad fotum. Hipp. *lib.* 2. *de morb. XLIV.* 17. *l. de nat. mul. XXIV.* 193. 204. Hinc vaſa ὀστράκια ἢ ὀστράκινα, *teſtacea* vel *figulina* vocantur Hipp. *d. l. CI.* 12. *l.* 2. *de morb. mul. LXXII.* 14. Vide & Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Oſtracon.*

OSTREA, *Oſtreum*, ὄστρεον, (non ὄσπρεον, quod idem eſt, cum ὀστρακοδέρμῳ, ſive teſtaceo, Linden. *d. l.*) eſt ſpecies animalis teſtacei, eſtque *concha marina*, ex genere rotundarum. Harum uſus hodieque adhuc viget in menſis lautioribus. Olim in principio cœnæ fuiſſe adhibitas, teſtatur Mercurial. *l.* 4. *V. L. c.* 11. Earum prolixiorem deſcriptionem cum uſu in cibis vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Exanguibus c.* 66. *ſeqq.* Schrod. *l.* 3. *cl.* 3. *n.* 85. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 14. *Oſtrei* Anatomen accuratam tradidit Williſ. *tract. An. Brut. P. I. c.* 3. *Oſtreas* ſine capite vivere, ex Plinio notavit C. Rejes *C. El. q.* 31. *n.* 7.

OSTRITES, idem, quod *Oſteocolla*, teſte Schrod. *alleg. eodem loco.*

OSTRITIUM, *Oſtrutium*, nomen eſt herbæ, de qua videantur Botanici. *Oſtrutii* vero *Mineralis* quoque meminit Parac. *l.* 8. *de cur. morb. Gall. c.* 1. in cura lubrica, quamvis non explicet, quid intelligat per illud.

OSTUN,

OSTUN, ὀςοῦν, idem, quod ὀςέον. Vide *Os.*

OTA, ὦτα, *Aures.* Sing. οὖς, *Auris.* Vide *Aures.*

OTALGIA, ὠταλγία, generaliter dicitur omnis *Dolor aurium*; ſtricte vero is, qui in profundo meatus auditorii percipitur. Gal. *l.* 2. *M. M. c.* 2. *& c.* 3. *in prognoſt. t.* 13.

OTEILE, ὠτειλή, apud Hippocr. ſignificat & *vulnus*, & *cicatricem*, notante Gal. Uſurpavit Hipp. 1. *de artic. t.* 44. 45. *&* 56. (vide Gal. *in comm. ad hæc loca*) *l. de cap. vuln. XIX.* 3. Adde Foëſ. *p.* 694. addit autem Galenus *in exeg. Hipp.* non tantum cicatricem notare, ſed etiam ulcera ἕλκη dici ὠτειλάς.

OTENCHYTES, ὠτεγχύτης, *Sypho auricularis*, dicitur inſtrumentum Chirurgicum, vel *ſpecillum*, quo aliquid in aures infunditur. Celſus *ſtrigilem* vocat, *l.* 6. *cap.* 7. ubi Foëſ. mavult legi *ſtriglen.* Alias & *Clyſteres auriculares* vocantur ὠτεγχύται, Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Vide Foëſ. *p.* 693. Rhod. *ad Scribon. n.* 39. Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XIII. fig.* 3.

OTHANI eſt *Mercurius Philoſophorum.* Ruland. *in Lexic.*

OTHONE, ὀθόνη, *linteum*, & ὀθόνιον, panniculum vel *faſciam e linteo factam* ſignificat; hoc legitur apud Theophraſt. *l.* 7. *Hiſt. plant. c.* 3. *circa finem.* Ὀθόνια pro vinculis vel faſciis uſurpavit Hipp. *de fractur. ſect.* 1. *c.* 30. 31. exponente ita Palladio *in Scholiis ad h. l.* Jungatur ſi extra oleas vagari libet, B. D. Henr. Mülleri *Meditat. Paſſional.* 92.

OTICOS, ὠτικὸς, dicitur de eo, quod ad aures pertinet, v. g. ὠτικὸς κλυςὴρ, Clyſter *auricularis*, ὠτικὸν φάρμακον, medicamentum *auriculare.* Gorræus. De Medicamentis *Oticis* egregie quoque diſſeruit Iunken *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1. *c.* 9. *p.* 560. *ſeqq.*

OTIS, ὠτὶς, etiam apud Xenoph. per ο, ὀτὶς, ſcribi, teſtatur Gal. Eſt nomen avis in Thracia & Macedonia frequentis, quæ alias *Gradipes* & *Avis tarda* vocatur, ejusque deſcriptio cum uſu habetur in Aldrov. *l.* 13. *Ornithol. c.* 12. Meminit & Hipp. vetando ejus uſum in Epilepſia, *l. de morb. ſacr. II.* 14. Jung. Erot. *Onom. p.* 82. Foëſ. *Oecon. p.* 694. De *Otidis* interaneis accurate deſcriptis legi etiam poterit in Pæonis & Pythagoræ *Exercit. Anatomico-Medicis Exerc.* 44. *epiſtola poſterior & prior Ex.* 45.

OTITES, ὠτίτης, epitheton digiti proximi minimo, qui *Auricularis* dicitur. Gorr.

OTORRHYTOS, ὠτόῤῥυτος, dicitur Hippocr. cui aures fluxione & deſtillatione tentantur *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 3. Linden. vero legit ὠτόῤῥυπος à ῥύπος, ſordes. Utraque lectio convenit.

OTUS, ὦτος, avis dicitur noctuæ ſimilis, pinnulas circa aures habens. Dicitur & *Aſio*: Deſcriptionem & uſum vide apud Aldrov. *lib.* 8. *Ornithol. c.* 3. ex Ariſtot. *l.* 8. *H. A. c.* 12.

OVA medica. Cucurbitæ ſtrictiores à forma ovali, Merc. *l.* 2. *c.* 2.

OVARIUM, terminus eſt recens Anatomicus, ſignificans congeriem globulorum, vel veſicularum, liquorem ſeminalem continentium, in teſticulis muliebribus, hodieque à Kerkringio, Stenone & aliis inventorum, ita ut elixa etiam illa *ova* condenſentur ad vitelli ſimilitudinem. *Ovaria* cum *ovis* humanis egregie delineata conſpici quoque poſſunt in D. Bidloo *Anatom. Tab. LIII. & LVII. fig.* 1. *&* 2. Nihilominus e noviſſimis viviparorum ex ovo generationem in dubium vocare auſus eſt Joh. Hieron. Sbaragli D. Bonon. *in peculiari tractatu, De Viviparorum generatione Scepſis ſ. Dubia*, *inſcripto*: negans eſſe vera ova, ſed ſolum veſiculas, neque conceptum in Tubis aut Ovario fieri. Enimvero num ipſius dubia tantum habeant ponderis ad aliorum Anatomicorum demonſtrationes ſenſuum fide confirmatas infringendas, valde adhuc dubitatur. Videatur D. D. I. M. Hofmanni *Ideæ Machin. Hum. ſect. XII.* §. 9. ubi etiam publicam diſſertationem promiſit. Nos litem hanc, cum præter noſtri inſtituti ſit rationem, non facimus noſtram. An vero ova illa conſtituant τὸ κύημα, ſive conceptum & à ſemine maſculo fœcundentur, & actuentur? & an hoc in ipſa uteri cavitate, an vero in tubis, aut harum alterutra fiat? adhuc valde controverſum eſt; nec eſt hujus loci, nec inſtituti, ventilare. Vide Barth. *l.* 1. *Anat. c.* 26.

OVIDUCTUS, idem, quod *Tuba Fallopii*, canalis ab ovario ad uteri fundum excurrens, per quem τὸ κύημα, ſive ovulum tranſit in cavitatem uteri. Vide *Tuba.*

OVIPARUM, ὠοτόκον, eſt epitheton animalis, quod ad propagandam ſpeciem ſuam ova gignit & excludit, ad differentiam *Viviparorum*, de quo vocab. vide infra ſuo loco, quamvis natura aliquando etiam extraordinarie aliquid præſtet: Imo ſecundum recentiorum opinionem ſano ſenſu omnia *Ovipara* etiam dici poſſe ſupra in voc. *Oon* indicavimus.

OVIS, οἶς, πρόβατον. Vide *Ois.*

OVUM, ᾠόν. Vide *Oon.* Quibus addi debet, quod *Ovum philoſophicum* quoque dicatur inſtrumentum ſublimatorium, pro ſublimatione Mercurii, cujus figura exhibetur in Frid. Hofm. *Clav. ad Schr. p. m.* 317. ubi ſcripſit lapides etiam quoſdam in Haſſia repertos, minera Martiali ſcatentes, & aëri humido expoſitos in ſal Vitriolinum abeuntes, vocari *ova philoſophica. Ovum* dicitur etiam *cephalalgia*, vel *capitis dolor.* Valeſc de Tar. Philon. *Pharmac. l.* 1. *c.* 7. ex Avicenna.

OXALME, ὀξάλμη, *miſtura ex aceto & ſale* parata; cujus meminit Dioſcor. *l.* 5. *c.* 23. Galen. *l.* 14. *M. M. c.* 3. Vocatur & *Muria acida*, ejusque deſcriptio & virtus legi poterit *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 608. ubi ridiculum, quod inter medicamenta Chymica referatur, cum quilibet Corydon parare poſſit hanc miſturam. Eſt conditura Braſſicæ, Foreſt. *l.* 4. *Chirurg. Obſ.* 3. *Schol.*

OXELÆON, ὀξέλαιον, dicitur *compoſitio ex aceto & oleo*, ap. Gal. *l.* 1. *de C.M.P.G. c.*7. & *l.*2.*c.*2. Vid.Foreſt. *d.l.l.*6. *O.* 39. *Schol.* Sed & intrinſece ſumitur pro conditura quadam *lib.*2. *de Al.Fac.c.*33. Jul.Al. *in comm. ad h.l.*

OXINES, ὀξίνης, vinum dicitur, quod coacuit aliquatenus, non tamen perfecte in acetum converſum eſt, Latine *Vappa.* Linden. *Exerc. X.* §. 150.

OXOS, ὄξος, vide *Acetum*. Significat & *vinum acidum*, notante C.Hofm.*l.*3.*V.L.c.*9. & 10. Lind. *d.l.*§.101.

OXYBAPHON, ὀξύβαφον, idem, quod *Acetabulum*, κοτύλη, nomen menſuræ. Vide *Acetabulum*, *Cotyle*. C. Hofm. *d. l. l.* 1. *c.* 11.

OXYCHOLIA, ὀξυχολία, ὀξύχολος, idem, quod ὀξυθυμία, de quo p. p. vide *Oxythymia*.

OXYCRATON, ὀξύκρατον, Latin. *Poſca*, eſt compoſitio ex aqua & aceto. Gal. *l.* 1. *de S. F. c.* 29. cujus miſcendi & componendi ratio pro varia intentione diverſa eſſe ſolet. Rhod. *ad Scrib. n.* 46.

OXYCROCEUM dicitur Emplaſtrum quoddam, cujus gemina deſcriptio habetur in Diſpenſatorio Auguſtano: una cum croco & aceto: altera ſine illo. De ejus uſu & abuſu vide Hildan. *Cent.*4. *Obſ.* 99. 100. ubi etiam Emplaſtrum Diabolicum vocaſſe Vigonem, notavit.

OXYDERCES, *Oxydorcicus*, ὀξυδερκής, ὀξυδορκικός, i. e. *viſus aciem promovens.* Dicitur de medicamentis, quæ oculos, nullo quidem ſenſibili affectu præditos, male tamen munere ſuo fungentes, corrigunt, & in integrum reſtituunt. Gal. 5. *de S. Fac. c.* 23. Pertinent ad Ophthalmica.

OXYGALA, ὀξύγαλα, *lac acidum*, de quo legatur Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 16. Lind. *Ex. XVI.* §. 122. *ſeqq.*

OXYGARON, ὀξύγαρον, *garum acidum*, h.e. garum cum aceto mixtum, ſpecies embammatis vel intinctus, obſonii loco, ad piſces olim adhibiti, quemadmodum *Oxelæogarum*, ὀξελαιόγαρον dictum fuit, quando una cum aceto & oleum admiſcebatur. Gorr. Jul. Alex. *l.* 18. *Sal. c.* 16. *Oxygarum purgans* tradidit Aët. *l.* 3. *c.* 86.

OXYGLYCY, ὀξυγλυκύ, aut ὀξυγλυκές, eſt ſpecies ἀπομέλιτος, & dici poteſt *Mulſa acida*, vel *Acetum mulſum dulce.* Parabatur ex favis dulciſſimis aqua maceratis & decoctis, Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 29. & *c.*3. *t.*49.

OXYLIPES, ὀξυλιπής, epitheton panis, cui exiguum aceti affuſum eſt: *Panis acidus*. Ventrem ſiſtit. Meminit Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 5. Vide Jul.Alex. *not. ad h. l.*

OXYMEL, ὀξύμελι, *acetum mulſum*, vel accommodatius, *Mulſum acidum*, potio vetuſtiſſima certa ex aceto, melle, & aqua parata, ut quæ etiam ante Hippocratis tempora in ſanitatis uſum venerit. Dividitur in *ſimplex* & *compoſitum.* Deſcriptiones vide apud Hipp. *l. de intern. aff. LI.* 45. Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 6. 3. *de R V. I. A. t.* 24. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 22. Jul. Alex. *l.* 26. *Sal. c.* 9. Vide & Diſpenſatoria Auguſt. & Norimberg Inter compoſita celebriora ſunt *Scilliticum* & *Helleboratum Juliani.* De quibus in dictis diſpenſatoriis.

OXYNGION, ὀξύγγιον, ſignificat *axungiam*, h. e. adipem ſuillum, nec eum quidem omnem, ſed proprie, qui unguendis rotarum axibus inſervierit. Illi enim tum ex rotarum circumactu, tum ex earum ferrugine nova quædam qualitas acceſſit, ob quam & inflationibus imponitur, & ſedis vitiis opitulatur plus, quam recens & ſincerus adeps. Gorr. Legitur ap. Dioſc. *l.* 3. *c.* 10.

OXYNITRON, ὀξύνιτρον, nomen eſt *Emplaſtri ruptorii*, cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 15. *c.* 17. allegante Gorræo.

OXYOPIA, ὀξυωπία, *acies viſus*, & ὀξύωπος, *viſu acuto præditus.* Opponitur τῇ ἀμβλυωπίᾳ. De quo ſupra in *Amblyopia*. Occurrit vero illud apud Ariſtot. *l.* 4. *probl.* 3.

OXYPHLEGMASIA, ὀξυφλεγμασία, dicitur *acuta* & *vehemens inflammatio*, à nimium ſuccenſo acriorique ſanguine. Occurrit apud Hipp. *de morb. virgin. II.* 22.

OXYPHOENICA, ὀξυφοίνικα, eſt epitheton Tamarindorum ab acido ſapore & colore rubro deſumtum, & legitur apud Schroder. *Pharmacop. Med. l.* 4. *cl.* 3. *p.* 251. Petr. Morell. de *Mater. Medic.*

OXYPHONIA, ὀξυφωνία, *vox acuta*, qualis edi ſolet cum ejulatu & planctu. Legitur apud Hipp. *Coac. t.* 257.

OXYPORON, ὀξύπορον, ὀξυπόριον, vocatur *medicamentum facile penetrans*, & permeans, vireſque exerens, qualia ſunt λεπτομερῆ, tenuium partium, ut, ſalina, volatilia, ſpirituoſa. Huc pertinent & pleraque Chymica, ὀξυπόριον καθαρτικόν, purgans *facilis activitatis*, legitur apud Aëtium *l.* 3. allegante Gorr.

OXYREGMIA, ὀξυρεγμία, *acidus ructus*, cujus cauſſam vide ſupra in *Ereuxis*. Legitur aliquoties apud Hipp. v. g. 6. *aph.*1. & 33. & *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 49. 50. *l.* 2. *de Diæt. XXIV.* 15. *XXV.* 11. & *alibi ſæpius.* Vide Foeſ. *p.* 457. Dieter. *n.* 620.

OXYRINCHUS. Vide *Sturio.*

OXYRRHODINON, ὀξυῤῥόδινον, vel etiam ὀξυρόδινον, in genere vocatur medicamentum ex aceto & oleo roſaceo paratum. Practici tamen magis uſurpant in ſtrictiori ſignificatione, pro ſpecie *Epithematis Cephalici*, ſive *Frontalis*, ex diverſis proportionibus aceti & olei roſacei miſtorum parata, quamvis & alia olea pro indicationum neceſſitate ſubſtitui poſſint, v. g. Nympheæ, Violaceum &c. Vide Morell. *de Form. rem. l.*2. *ſect.* 2. *c.* 2. Schroder. ſcribendum eſſe putat hoc modo: ὀξυῤῥόδυνον, ab ὀξὺς, ῥόδον, & ὀδύνη, quaſi medicamentum ex aceto, roſiſque factum ad dolorem leniendum. *l.* 1. *c.* 3. Verum prior lectio eſt uſitatior. De uſu *oxyrrhodinorum* lege etiam Rhod. *ad Scrib. compoſ.* 1.

OXYS, ὀξύς. Vide *Acutus*, *Acidum.*

OXYSACCHARUM, ὀξυσάκχαρον, dicitur medicamentum liquidum ex *aceto* & *ſaccharo* paratum, quemadmodum p. a. dictum fuit *Oxymel* medicamentum ex *aceto* & *melle* compoſitum. Interdum enim ob certas & urgentes cauſſas ſaccharum pro melle accipitur, v. g. in febribus, & in ſexu fœminino, in quo me-

lis uſus non omni tempore conveniens. Dantur etiam *oxyſacchara ſimplicia* & *compoſita* in officinis. Vide Diſpenſatoria. Meminit & Foreſt. *l.* 4. *Obſ.* 7. *in Schol.* & *l.* 5. *Obſ.* 10. *in Schol. Oxyſaccharum vomitivum* ex Angelo Sala deſcribitur à Schrod. *l.* 2. *c.* 84. & commendatur à Caſp Rejes. *C. El. q.* 70. *n.* 9.

OXYSAL, terminus eſt Chymicus, cujus deſcriptio habetur apud Angel. Salam de præparatione Eſſentiarum. Paratur vero ex Sale Cardui bened. & Aceto deſtillato. Meminit & *Oxyſalis* D. Ludovic. *Pharm. Diſſ.* I. *p.* 51.

OXYTES, ὀξύτης, *Aciditas*, vide *Acidum*.

OXYTHYMIA, *Oxythymos*, ὀξυθυμία, ὀξύθυμος, idem, quod ὀργίλος, dicitur de *præcipiti ira*, & ſubito excandeſcentibus. Vide *Orgilos*. Loca Hippocratica vide in Foëſ. *Oec. p.* 457.

OXYTOCOS, ὀξύτοκος, ſignificat *partum accelerans*. Occurrit apud Dioſcorid. *l. II. c.* 197. & *l. III. c.* 37.

OZÆNA, ὄζαινα, dicitur *ulcus narium putridum* & tetri odoris halitum emittens, Gal. *l. defin.* & *l.* 3. *de C. M. S. L. cap.* 3. Deſcriptio ita poteſt perfici: *Ozæna* eſt exulceratio plerumque maligna interna, vel externa naſi, cum fœtore & profluvio ſaniei, magis vel minus purulentæ, ſerpens cum vel ſine corruptione cartilaginearum & oſſeatum naſi partium, proveniens ab affluxu & collectione ichoris ſanguinei vel lymphatici acrioris & corroſivi, partes ſolidas molliores depaſcentis. Sæpius ſymptoma eſſe luis Venereæ, teſtatur experientia, notaruntque Gorræus & Caſtellus. De hoc affectu legantur Foreſt. *l.* 13. *Obſ.* 4. & 5. River. *l.* 4. *Prax. c.* 1. Hildan. *Cent.* 2. *Obſ.* 22. *ſeq.* Barbett. *Chirurg. P.* 2. *l.* 3. *c.* 7. *Ozæna* quoque nomen eſt piſcis, vel potius *Polypi*, qui & ὀσμύλη vocatur, cujus deſcriptio habetur apud Aldr. *l.* 1. *de Exang. qui eſt de mollib. c.* 3.

OZE, ὄζη, vocatur Celſo *fœtor oris*, qualis ante febres cum frigore ſentitur, *l.* 3. *c.* 11. Vide Rhod. *ad Scrib. n.* 40.

OZEMAN, id eſt, *album ovorum*. Ruland. & Iohnſ.

OZO, id eſt, *Arſenicum*. Iid.

OZO, ὄζω, ſignificat *oleo*, & tribuitur bono & malo odori. Legitur apud Hipp. 5. *aph.* 11. Vide Diet. *n.* 603.

OZOS, ὄζος, vocatur *ramus arboris*, vel ejus veluti brachium. Theophraſt. *l.* 5. *Hiſt. plant. c.* 2. unde ὀζοῦμαι & διοζοῦμαι, in ramos diſtribuor, *ramificor*, quod verbum uſurpavit Hippocr. teſte Gorræo, quamvis locum non addiderit. Sunt vero *l. de nat. puer. IX.* 2. *XV.* 7. 8. *XXVI.* 1.

P.

P Litera apud Latinos eſt character, vel nota menſuræ certæ aridorum ſignificans *pugillum*, quemadmodum hoc patet ex Schrodero, Morello, & aliis Diſpenſatoriis. Apud Scribonium editione Rhodii denotat Pondo; de quo vocabulo infra *ſuo loco*. Græcum Π eſt character apud Hipp. *in lib.* 3. *Epid.* denotans vocabulum πιθανὸν, probabile, ſub finem ægrotorum hiſtoriæ annexum; quamvis varia occurrat ſcriptura vel πι, vel ΠΙ. Vide Foëſ. *in Notis*.

PABULUM, τροφὴ, νομὴ, φορβὴ, proprie dicitur de paſcuo brutorum, & idem eſt, quod *Alimentum*. A recentioribus tamen non inepte tranſlatum pro declaranda continuatione caloris vitalis e ſanguine ad portiones hujus oleoſas & ſpirituoſas, quæ dicuntur illius *Pabulum*; uti patet ex ſcriptis Charltoni, Willis, aliorumque.

PACCIANUM, Πακκιανὸν, ſpecies *Collyrii* apud Aëtium, *lib.* 7. citante Gorræo. Meminit & Gal. *lib.* 4. *de C. M. S. L. c.* 3. ad quem locum vide *notas* Jul. Alex.

PACHETOS, παχετὸς, Hipp. dicitur *Laqueus*, *l.* 2. *de morb. mul. II.* 16. vide ſupra *Laqueus*. Jung. Foëſ. *Oec. p.* 490.

PACHNE, πάχνη. Vide *Pruina*.

PACHOS, *Pachytes*, πάχος, παχύτης. Vide *Craſſities*.

PACHYNTICOS, παχυντικὸς, vide *Incraſſans*.

PÆDAGOGUS, παιδαγωγὸς, proprie ſignificat eum, qui pueros informat & educat. Zeno tamen *Pædagogos* quoque eos vocavit, qui promti & idonei fuerunt ad corrigendum & increpandum proximum, licet vocati non fuerint, teſte Gal. *l. de cogn. & cur. an. morb. c.* 3. *circa fin.*

PÆDANCHONE, παιδαγχόνη, vocatur Anginæ ſpecies pueris familiaris, quæ & *Angina ſicca* vocatur, cujus lethalem hiſtoriam notavit M. Aurel. Severin. *tr. de Abſceſſ.* & ex hoc Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſect.* 23. *Obſ.* 4. *p.* 382.

PÆDARTHROCACE, παιδαρθροκάκη, (perperam apud recentiores per ſimplex e *Pedarthrocace*, v. g. in Job. à Makeren *à Blaſio editis Chirurg. Obſ. c.* 68. *fin.*) idem quod *Spina ventoſa*. Vide *Ventoſa*. Ratio nominis hæc eſt, quod affectus pueris fit frequentior.

PÆDEUSIS, παίδευσις, idem, quod παιδεία. Vide *Inſtitutio*. Legitur apud Hipp. *de Humor. II.* 12. Vide Foëſ. *p.* 476. Linden. *Ex. V.* §. 12. Eſt & παιδεία idem, quod τρόπος ἐπιστήμης, *modus certus ſcientiæ*, C. Hofmann. *Com. ad Gal. LL. de V. P. n.* 373.

PÆDIA, παιδιὰ, idem, quod παῖγμα, παίγνιον, vide *Ludus*.

PÆDICOS, παιδικὸς, *puerilis*, dicitur de omni eo, quod pueris competit. Ita Ætas *puerilis*, morbus *puerilis*. Eſt & nomen Cataplaſmatis, quod & φαιὸν dicitur apud Gal. *l.* 4. *C. M. S. L. c.* 7. Sumitur aliquando late, includens etiam infantum primam ætatem; aliquando ſtricte, excludens hanc. De morbis *infantilibus* & *puerilibus* ſuccincte etiam egit Iunken *Chym. Exp. Cur. P. II. ſ.* 1. *c.* 1. & 2. *p.* 963. *ſeqq.*

PÆDION, παιδίον. Vide *Infans*.

PÆDOCTISÆ, παιδοκτίσαι, idem, quod παιδοποιῆσαι, hoc eſt, *liberos procreare*. Erotian. *Onom. p.* 85. *b.* Foëſ. *p.* 477.

PÆDOPHLEBOTOMIA, παιδοφλεβοτομία, id eſt, *Venæſectio puerorum*. De qua magna olim fuit diſceptatio

ceptatio inter Alex. Maſſariam cum Galeno negantem, & Hor. Augenium illam approbantem, quemadmodum hanc litem deſcripſit Joh. Munſter. *h. tit.* Affirmativam defendit etiam Valer. Badilius Medicus Veronenſ. *tr. h. t.* Nobis vero magis arridet negativa.

PÆDOTRIBA, παιδοτρίβης, dicitur *Miniſter Gymnaſtæ*, quemadmodum coquus Medici, qui debet etiam peritiam habere omnium exercitationum in palæſtra, ut pueros exercere poſſit, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 9. 11. 12.

PÆDOTROPHICA, παιδοτροφική, à quibuſdam olim dicta fuit pars Medicinæ, tractans modum infantes & pueros educandi, & nutriendi, *lib. de part. art. med. inter ſpurios Galeni libros relato c.* 5.

PÆONIA, παιωνία, æquivocum eſt. Proprie nomen eſt plantæ commendatiſſimæ contra epilepſiam, de qua conſule Botanicos. Deinde eſt nomen *confectionis*, vel *Antidoti* apud veteres celeberrimæ contra tuſſim, deſtillationes, & thoracis pulmonumque affectus, apud Aët. *l.* 13. *c.* 102. citante Gorræo. Παιώνιον quoque vocatur *Catapotium Andreæ* ad morbos lienis, apud Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 2.

PÆPALE, παιπάλη, pars dicitur farinæ tenuiſſima, flos ipſe polentæ, *pollen.* Gorr.

PÆS, παῖς, vide *Puer.*

PÆZO, παίζω, ſignificat *Ludo.* Aliquando vero ſtricte ſumitur pro *venerem exerceo*, Linden. *Ex. VI.* §. 48.

PAGAMENTUM vocatur Docimaſtis Metallicis maſſa impuriorum metallorum cum argento permiſta. D. Ol. Borrich. *in Docimaſt. Metall.* §. 17.

PAGANINA eſt vox Italica, qua intelligitur primum infantum excrementum, in tenuiſſimum pulverem redactum, quod ad dies pluſculos exhibitum receptiſſimum eſt contra epilepſiam experimentum, vid. P. Poterius *in Pharmacop. Spagyric. p.* 191. 192.

PAGOYUM, terminus Paracelſicus eſt, denotans *Ens ſpirituale*, à quo deducuntur morbi occulti, vel ab incantatione dependentes, de quo ſcripſit Paracelſ. *Paramir. Tract.* 4. *qui Pagoyus inſcribitur*, *& tr.* 4. *de peſtilitate c.* 1. *&* 2.

PAGRUS, vel *Phagrus*, πάγρος, vel φάγρος, vocatur piſcis, q. d. *Vorax*, littoralis, cujus deſcriptio cum uſu in cibis occurrit apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 8. Meminit & Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31.

PAGURUS, πάγουρος, vocatur aquatile ὀστρακόδερμον, ſive cruſtatum, eſtque *Cancri* ſpecies, Ægin. *l.* 1. *c.* 91. cujus deſcriptio cum uſu habetur apud Aldr. *l.* 2. *de Exang. c.* 91. Habentur inter *Cancros* laudatiſſimi, J. Alex. *l.* 14. *Salubr. c.* 14. *Paguri lapidoſi* delineationem vide apud Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 430.

PALÆOS, παλαιὸς, *vetus*, *inveteratus*, priſcus. Opponitur novo, recenti. Legitur de morbis *inveteratis*, 5. *aphor.* 23. Jung. Dieter. *Iatr. n.* 644. *Veterem* Medicinam plerique recentiorum ceu inſufficientem nec veris principiis nixam reprobant quidem aut derident, eam tamen rurſus commendare non dubitavit non ſine egregiis argumentis D. Georgius Bachlivus Med. Rom. & Anatom. ibid. Prof. *L. de Praxi Medica ad priſcam medicinam obſervandi rationem revocanda*, ſicut patet *ex Act. Erud. Lipſ. A.* 1698. *menſ. Jan. p.* 33.

PALÆSTE, παλαιστὴ, dicitur *menſura quatuor digitorum.* Vocatur & alio nomine δοχμή. Vide ſupra *Dochme.* Legitur apud Hipp. *l. de nat. mul. XXIX.* 149. 153. Jung. Foëſ. *p.* 477. Gorr. *in def.* Latine *Palmus: Dodrans.*

PALÆSTRA, παλαίστρα, dicitur locus exercitiorum corporis vehementiorum, præſertim athleticorum: unde & *Athletæ* dicti ſunt παλαισταὶ, id eſt, Luctatores, Lat. *Palæſtritæ*, Gal. *l.* 1. *de Al fac. c.* 2. Junge & *l. de parv. pilæ exercitio*, *c.* 3. *&* 5.

PALATINÆ Glandulæ dicuntur Stenoni glandulæ conglomeratæ tonſillis continuatæ, de quibus vide Bartholin. *l.* 3. *An. c.* 12. *p.* 537.

PALATUM, ὑπερῶα. Vide *Hyperoa.*

PALE, πάλη, vel ſignificat *luctam*, ſive *certamen*, unde *Palæſtra.* Vel idem eſt, quod παιπάλη, *tenuiſſima farina*, in qua ſignificatione ſæpius uſus Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIX.* 17. *C.* 44. *l.* 2. *II.* 6. *LXX.* 5. *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 2. Confer. ad Foëſ. p. 477.

PALEAR, κάλλαιον, dicitur *barba galli gallinacei*, cujus meminit Gal. inter alimenta nullius vel uſus, vel noxæ, *l.* 3. *de Al. fac. c.* 21.

PALIMBOLOS, παλίμβολος, alibi παλίμβολος, vocatur *homo doloſus*, qui aliud loquitur, aliud ſentit, quique facile mutat ſententiam. Homo fluxa fide. Deinde quoque ita vocatur, *morbus vagus*, inconſtans, qui facile mutatur, fluctuat, & in diverſum trahitur aut fluctuat; aut qui ſpem levationis facit, ſed intus malignus eſt, Hippocr. *l.* 6. *ſect.* 6. *Epid. t.* 15. Gal. *in Com. ad h. l.* Adde Foëſ. *p.* 478.

PALIMPISSA, παλίμπισσα, vocatur à quibuſdam *pix arida* vel ſicca, quaſi pix rurſus cocta, quia pix ſicca nihil aliud eſt, quam reſina bis cocta, Dioſc. *l.* 1. *c.* 97. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 397.

PALINCOTOS, παλίγκοτος, epitheton morbi, qui *recrudeſcit.* Eſtque nota malignitatis, quia cauſa morbifica, ante quieſcere quidem viſa, denuo movetur & inſurgit. Κότος enim doloris acerbitatem & exardeſcentiam ex ira ſignificat. Verbum παλιγκοτεῖν frequens apud Hippocr. 2. *de fract. t.* 28. 30. 31. *l.* 2. *de morb. mul. LVI.* 2. Occurrit & nomen παλιγκότησις, & παλιγκοτία, *recrudeſcentia*, *offenſio*, apud eundem 3. *de fract. t.* 33. *l. de Loc. in Hom. LIII.* 7. Plura loca vid. ap. Foëſ. *p.* 477.

PALINDROMIA, παλινδρομία, vocatur *Recurſus*, vel *reverſio*, regurgitatio p. n. humorum peccantium ad interiora, vel partes nobiliores. Legitur hoc nomen apud Hipp. 2. *Prorrh. XIII.* 1. à verbo παλινδρομέω, *recurro*, *regurgito*, quo ſæpius uſus Hippocr. *ſ.* 2. *progn. t.* 68. *ſ.* 3. *t.* 29. *Coac. t.* 143. *lib.* 1. *Epid. Sect.* 2. *t.* 35.

Jungatnr Foeſ. *Oecon.* p.478. & Dn. D. Merclini Medici Norimbergenſis, Prodromus *Palindromiæ* lectu non indignus. Pulſus παλινδρομῶν μύουρος, reciprocus deficiens, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 11.

PALINGENESIA, παλιγγενεσία, id eſt, *Regeneratio*, dicitur de plantarum aridarum revireſcentia beneficio alicujus aquæ Mercurialis, de qua vide *Theatr. Chymic. Vol. VI. p.* 452. quam tamen ceu phantaſticam jure merito rejecit Fr. Hofm. *in Cl. Schr. l.* 5. *p.* 639. *ſeq.* & Rolfink. *Chym. l. ult.* De Quercetano narrant, illum habuiſſe ſubſtantiam quandam quaſi ſubtiliſſimi cineris facie, parva quantitate, incluſam phiolis hermetice ſigillatis, quibus colorem lychni vel lampadis ſuppoſuit, terra illa excrevit in vitro ſub forma roſæ, vel etiam alius plantæ, e qua primitus confecta fuit: ſubmoto igne, rurſus collapſa fuit. Verum noſtro tempore non conſtat de hoc experimento. Vide *Regeneratio.*

PALINIDRYSIS, παλινίδρυσις, q. d. *Rurſus ſubſidentia*, dicitur de humoribus prius elevatis, quando rurſus ſubſidunt & in ſeſe velut redeunt. Legitur apud Hippocr. *l. de Humor. II.* 8. opponiturque μετεωρισμῷ, *elevationi* præcedenti. Adde Foeſ. *d. l.*

PALINOPTOS, παλίνοπτος, exponitur à Galeno *in Exeg. dict. Hipp.* per *averſum à Sole.* Foeſ. *d. l.* q. d. *viſui rurſus expoſitum.*

PALIRRHOEA, παλίρροια, h. e. *retrogradus* humorum *fluxus* Aretæo dicitur, *l.* 2. *de morb. ac. cap.* 4. allegante Foeſ. *d. l.* v. g. in cholera morbo. Idem fere, quod παλινδρομία.

PALLA eſt nomen veſtimenti alicujus muliebris, quod Æſchylum inveniſſe ſcripſit Theod. Janſ. ab Almeloveen *R. I. On. p.* 56.

PALLAX, πάλλαξ, vocatur lapis quidam factitius ex cœlo & terra lunæ, cum æquali pondere Solis, *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 487. quamvis nullibi alias hujus nominis ſignificationem hanc reperire potuerim. Significat vero communiter πάλλαξ, *adoleſcentem*, uti patet ex Lexicis. *Pallaca* ſignificat maſſam auri foſſilem grandiorem, apud Plin. *l.* 33. *H. N. c.* 4. & Joh. Agric. *l.* 8. *de nat. foſſil.*

PALLIATIO, *Palliativa cura*, vocatur Medicis, quando in morbis deſperatis & incurabilibus, præmiſſo prognoſtico eventus funeſti, quædam remedia mitigantia vel dolorem, vel alia ſymptomata urgentia, adhibentur, ut in cancris ulceratis, fiſtulis cancroſis, aliisque. Vide Foreſt. *l.* 7. *Obſerv. Chir.* 16. *Schol. & Obſ.* 17. ubi & *Unguentum palliativum* legitur. Græce dici poſſet ἴασις ἐπιπόλαιος.

PALLIDUS, *Pallor*, ὠχρὸς, ὠχρότης, ὠχρίασμα; vide *Ochros.* Adde Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 1. *de Antidot Tom. II. Oper. pag.* 779. *Pallor* p. n. faciei & corporis habetur ſignum affecti hepatis & ſtomachi, interdum & renum, Scribon. *Comp.*125. Lang. *l.* 2. *ep.*51. Helmont. *tr. Sedes anim. n.* 32. Species quoque *Icteritiæ Pallida* vocatur à Paracelſo, quam deducit ex ſciſſo, mercurialibus liquoribus, & vitriolo albo, *l. de Ictericiis c.* 1.

PALLIUM, ἱμάτιον, quid ſignificet, etiam pueris in trivio notum eſt. Tropice tribuitur cum epitheto *Purpureum*, à Baſil. Valentino pulveri cuidam ſolari parato ex amalgamate Solis & Mercurii retortæ indito, & hinc ſeparato Mercurio remanenti, qui cum ſulphure calcinatus evadit purpureus, unde in Germanica lingua vocatur à dicto Autore Purpur-Mantel.

PALMA æquivocum eſt vocabulum, (1) enim ſignificat arborem, & ejus etiam fructus, Græc. φοῖνιξ, & fructus φοίνικες, qui alias *Dactyli* vocantur, de quibus vide Galen. *l.* 2. *de Al. fac. c.* 26. & conſulantur ulterius Botanici. (2) Denotat internam manus partem, quæ & *Vola* dicitur, & *Poſtbrachiale*, μετακάρπιον. Vide *Metacarpion. Palmaris Muſculus* dicitur, qui expanditur in volam manus, cuti firmiſſime adhærens, & reſpondet in pedibus *Plantari.* Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 9. *p.* 475.

PALMOS, παλμὸς, Latine *Palpitatio*, item *Subſultio*, vocatur motus localis præter naturam, quando partes ſolidæ nobis invitis attolluntur, & demittuntur, Gal. *l. de trem. palpitat. &c.* 4. & 5. Inter ſpeciales *palpitationes* notabilior eſt Cordis *palpitatio*; & quemadmodum omnis membrorum *palpitatio* oritur à materia quadam vaporoſa & flatulenta agitata & tranſitum non habente; uti teſtatur Gal. *d. l.* Ita & *cordis palpitatio* eſt motus ejus depravatus, præcipue in contractionis urgentia conſiſtens, interdum adeo vehemens, ut ab adſtantibus percipi queat ſonus percuſſionis coſtarum, cum proſtratione virium, animi deliquio, & reſpiratione læſa ſonituque aurium, proveniens à flatibus & vaporibus fibras cordis ſpaſmodice irritantibus, & convellentibus. Videatur Sylv. *Prax. Med. l.* 1. *c.* 35. Verum Willis potius cauſam *palpitationis* cordis proximam accuſat obſtructionem & infarctionem vaſorum, præſertim arterioſorum pulmonalis & magnæ ſeu aortæ, vel ob ſanguinis non ſatis activi ſegnitiem, vel etiam ob ejuſdem nimium fervorem, uti videre eſt prolixius *in Pharm. Rat. P. I. S. c.* 3. Sunt quidem alii, qui dilatationem cordis magis peccare credunt, ſed teſtatur αὐτοψία, Cor non tempore dilatationis coſtas ferire, ſed potius tempore conſtrictionis, in qua mucro ejus verſus coſtas attollitur. Helmontius cauſam refert ad Gas heterogeneum, vitale noſtrum Gas de natura ſalis balſamici exiſtens potentiſſime celerrimeque afficiens, *tract. Complex. atque Miſt. Elem. figm. n.* 42. 43. Παλμώδεις δι' ὅλου vocantur Hippocr. quibus *palpitationes* in toto corpore ſentiuntur, *Prorrh. ſect.* 1. *t.* 29. Dolores cum palpitatione occurrunt *d. l. t.* 35. Plura vide apud Foeſ. *d. l.*

PALPEBRA, βλέφαρον, vocatur externa oculi pars ſuperciliis ſubjacens, ſuperne inferneque inte-

riores

riores oculi tunicas contegens; atque una ſuperior; altera inferior vocatur, Gal. *l. introduct. c.* 19. Conſtat *palpebræ* cute, membrana carnoſa, muſculis, tunica tarſis, & ciliis, de quibus videantur Anatomici, & hos inter Bartholinus *l.* 3. *Anatom. c.* 8. De *palpebræ* ſuperioris cum oculo coalitione vide Hildan. *Cent.* 6. *Obſerv.* 7. vocantur & κηλύμματα, hoc eſt, *tegumenta oculorum*, vel *Coopercula*, notante Dieter. *n.* 155.

PALPITATIO, παλμὸς, vide *Palmos.*

PALUMBUS, *Palumbus*, φάσσα, φάττα, vel φάψ, vocantur ſpecies quædam *Columbarum*, & quidem *Sylveſtris*, cujus plenior deſcriptio cum uſu in cibis & Medicina habetur apud Aldrov. *l.* 15. *Ornithol. c.* 5. Adde Gal. *l. de atten. vict. cap.* 8. *in fin.* Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 62. Dicitur etiam *Torquatus. Palumbarius accipiter* φασσοφόνος dicitur, qui *palumbis* inſidiatur, Gal. *l.* 11. *de V. P. c.* 18.

PALUS apud Latinos æquivocum eſt. Vel enim maſculino genere denotat lignum acuta cuſpide, quod infigitur, item Vallus, & Græce dicitur σκόλοψ, Gal. 8. *de S. Fac.* §. *Pycnocomon*, & *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 2. Rul. *in Lex.* vel in fœminino notat aquam ſtagnantem facile corruptibilem, Græce λίμνη, Lat. *Lacus, ſtagnum.* Vide *Lacus.*

PALYNO, παλύνω, ſignificat *aſpergo*, conſpergo, item ἐπιπαλύνω, *inſpergo*, Hippocr. *l.* 1. *de morbis mul. CIV.* 8. Foëſ. *p.* 479.

PAMMACHOS, πάμμαχος, *omnigenus.* Uſurpatur de infortunio ab Hippocr. *in Præcept. X.* 4. Rectius exponitur, omnia tentans, vel, *omnia impugnans.* Παμμάχοι alias dicuntur in omni certaminum genere exercitati, notante Rhodio *ad Scribon. n.* 101.

PAMPATHES, παμπαθὲς, nomen emplaſtri compoſiti ex cinnabari ad tophos, alioſque tumores ſcirrhoſos, cujus deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *cap.* 17. Ab Aëtio quoque appellatur τυῤῥηνικὸν, *Tyrrhenicum*, notante Gorræo.

PAMPHILION, παμφίλιον, quaſi *omnibus gratum*, nomen eſt *Emplaſtri albi*, cujus deſcriptio habetur apud Galen. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 17. & *l.* 3. *c.* 14.

PAMPHOROS, πάμφορος, h. e. omnia ferens, ſive *omnium ferax.* Epitheton *Naturæ*, apud Hippocr. *Coac. t.* 512.

PAMPINUS, ἕλιξ ἀμπέλου, Galen. *l.* 2. *de C.M.S.L. cap.* 1. & *alibi*, quid ſit, ad Botanicos ſpectat, videlicet criſpaturæ & flagella, quibus vitis adhæret palis, *pampini* vocantur. Hinc propter ſimilitudinem plexus vaſorum ſpermaticorum præparantium ante ingreſſum ad teſtes dicitur ab Anatomicis *Pampiniformis*, ſive *vaſa pampiniformia*, quæ & *pyramidalia* vocantur. Bartholin. *l.* 1. *An. c.* 21.

PANACEA, πανάκεια, id eſt, *univerſale remedium*, olim fuit nomen quorundam Compoſitionum medicamentoſarum apud Galen. v. g. Antidoti cujuſdam, *l.* 2. *de Antidot. c.* 1. ab Aphroda autore acceptæ; item alia *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. quæ & Stichus vocatur; eſtque Catapotium anodynon. Emplaſtra quoque quædam dicta fuerunt *Panaceæ*, v. g. Epuloticon Andromachi, *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 15. aliud Heræ, quod & *Sanitas* vocabatur. *l.* 5. *c.* 2. Verum quemadmodum tum temporis nomen illud hyperbolice fuit acceptum, ita & hodieque adhuc à Spagyricis abuſive ſumitur, dum varias excogitarunt *Panaceas*, quæ tamen nihil minus ſunt, quam Panaceæ. Vide ſupra *Catholicus.* De *Panacea* Mercurii lege Schroder. *l.* 3. *c.* 15. Antimonii, *c.* 17. Nitri, *c.* 23. Ita *Panacea* olim *Anvvaldina* decantata fuit; & quæ ſunt aliæ. Enim vero licet nolimus litem hanc facere noſtram, an ex ſimplicibus natura ſua deleteriis, aut certe venenoſis, beneficio artis, poſſint præparari veræ *Panaceæ*, quod quidem nobis non videtur rationi, aut veritati conſentaneum; rectius tamen illi Medici ſtatuere videntur, qui negant, dari *Panaceas*, inter quos etiam B. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 13. *c.* 2. & *alibi.* Sane ſi *Panaceæ* non includunt aliorum remediorum uſum, uti legitur *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 637. non recte dicuntur *Panaceæ.* Judicium de *Panaceis* limitatum vide apud Dan. Ludovic. *in Diſſert.* I. *Pharmac. p.* 112. quod nota egregia illuſtravit B. Etmüllerus. De *Panaceæ Solaris* Wildenganſii noxio uſu vide quoque *Ephem. N. Cur. A. III. Obſervat.* 232. *Panacea* aurea Glauberi eſt Sulphur auratum Antimonii. Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 26. *Panaceæ Solaris* Cnöfelii deſcriptio videatur in Iunk. *Lex. Ch. Ph. l.* 1. *p.* 112. Eſt & *Panacea* nomen Leviſtici, vel Centaurii majoris hyperbolicum, Gorræus. De herba vero illa, quæ in oppido Cæſareæ Philippi e ſtatua Salvatoris ante fores mulieris, quam Chriſtus ab hæmorrhagia 12. annorum liberaverat, erecta excreviſſe legitur apud Euſebium *l.* 7. *Hiſt. Eccleſ. Panacea* dicta, videatur Lang. *libr.* 2. *ep.* 11. *ad fin.* & fides ſit penes auctores.

PANALETHES, πανᾳληθὲς, id eſt, *univerſaliter verum.* Nomen Emplaſtri nigri inter Cephalica relati, apud Aët. *l.* 15. citante Gorræo.

PANARITIUM, Gr. παρωνυχία, dicitur tumor calidus ulceroſus, ſumme doloroſus, accidens in ſummitate digitorum in latere unguis, & quandoque tam vehementer afficiens, ut vigilias & inquietudinem excitet, Foreſt. *lib.* 5. *Chir. Obſ.* 16. Lang. *l.* 2. *ep.* 42. Hildan. *Cent.* 1. *Obſ.* 97. Cauſam ejus proximam vulgo ſtatuunt vermiculum corrodentem, unde & vernacule *Vermis digitorum* vocatur. Sed Lang. *d. l.* dubitat. Hoc certum eſt, materiam eſſe ichoroſam, acerrimam, corroſivam, & vel cum ſero ſanguinis, vel cum ſucco nervoſo ad partem affectam delatam. A Paracelſo, Dorneo, & aliis vocatur & *Pandalitium*, item *Paſſa*, Paracelſ. *l. de ulcer. & apoſtem. c.* 17. De hoc affectu legatur & P. Barbette Chirurg. *Part. II. l.* 1. *c.* 15. vide *Paronychia.*

PANATA, *Panatella*, nomen edulii in Italia uſitatiſſimi,

tatiſſimi, ex pane triticeo vel ſimilagineo, interdum etiam additis ſeminibus melonum, cum ovo interdum admiſto in aqua ad pultis conſiſtentiam coćti, Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſect.* 1. *cap.* 11. Meminit & Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 4. *& alibi.* Scultetus parari ſcribit *Panatellam* ex mica panis ſimilaginei, jure carnis ſalito, & butyro recenti, *Arm. Chirurg. Part. II. obſ.* 23.

PANCARPIA, παγκαρπία, nomen placentæ cujuſdam in modum rotæ papyro involutæ, quo diutius duret. Apud Alexandrinos celebre fuit hoc placentæ genus, teſte Gorræo.

PANCHRESTOS, πάγχρηστος, q. d. *ad omnia utilis.* Epitheton quorundam Collyriorum, v. gr. apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *in princ.* & apud Ægin. *l.* 2. *c.* 22.

PANCHRYSOS, πάγχρυσος, id eſt, *omnino aureum.* Nomen liquidi Collyrii, apud Ægin. *d. l.* Idem cum præcedenti.

PANCHYMAGOGUM, παγχυμαγωγὸν, eſt epitheton quorundam purgantium, quæ creduntur omnis generis vitioſos evacuare humores. Ita in Diſpenſatoriis legitur *Extractum Panchymagogum* Crollii, quale etiam refert Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 10.

PANCOENOS, πάγκοινος, idem, quod ἐπιδήμιος. Vide *Epidemius.* Epitheton morborum contagioſorum publice per totam regionem vel plebem graſſantium. Vocantur & πανδήμιοι. Gorr.

PANCRATIASTA, παγκρατιαστὴς, idem, quod παλαιστὴς, *luctator*, *athleta*, pugil in omni certaminum genere exercitatus. Vide *Pammachos*, *Palæſtra.* Dieter. *n.* 11.

PANCRATION, παγκράτιον, non ſolum eſt nomen plantæ bulboſæ, de qua conſulantur Botanici: Verum etiam eſt nomen certaminis duplicatum, *luctum & pugillatum* comprehendentis; cujus aliquoties meminit Gal. *l.* 2. *de ſan. tu.* & expoſuit J. Alexandr. *in not. ad h. loc. T. II. Oper. p.* 392. Lucta in pulvere multo vocatur *Pancratium volutatorium*, teſte C. Hofm. *Comm. in Gal. LL. de V. P. n.* 812.

PANCREAS, πάγκρεας, proprie & ἁπλῶς ita dictum eſt corpus glanduloſum, laxum, ſitum ſuum obtinens ſub poſteriori parte ventriculi hujusque fundo, cujus accuratior deſcriptio & hiſtoria quæratur in Anatomicis, Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 13. Warthon. *Adenograph. c.* 13. Regner. de Grâf. *de nat. & uſu ſucci pancreatici.* D. I. C. Brunner. *de Experim. nov. circa Pancreas, & ejus vero uſu.* Celebris eſt hoc ſeculo hæc *Glandula* ob peculiarem ſuccum vel liquorem, qui in illo colligitur, & per ſingularem canalem ad inteſtinum duodenum defertur; unde *Liquor Pancreaticus* vocatur, quemadmodum & Vas illud *Ductus Pancreaticus.* Hunc geminum quoque inveniri duodeno inteſtino inſertum, patet ex Obſervatione *in Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 14. *p.* 31. De illius uſu extollendo valde operoſi fuerunt hactenus plurimi Medici, non contenti, quod ſuccus ille ſit excrementitius quidam arterioſi ſanguinis liquor; ſed quod ſit humor laudabilis ex ſanguine & ſpiritibus animalibus in ipſo præparatus, & quidem ſubacidus, qui denuo alimentis, vel chylo admiſcetur. Enimvero non eſt hujus loci hanc dirimere litem; quamvis nolim diſſimulare, Grâfium cum ſuis ὁμοψήφοις ſpeculationes ſuas commenticias nondum ſat evidenter probaſſe, ut ita veroſimilius mihi videatur, liquorem illum *Pancreaticum* potius excrementum eſſe inutile, quam utilem aliquem humorem, denuo ſanguini adjungendum; licet nolim penitus negare, quod in ſegregando chylo utili à portionibus feculentis uſum inſignem præſtet, quando in inteſtino duodeno maſſæ chyloſæ tranſeunti permiſcetur. Succum illum *pancreaticum* in naturali ſtatu non eſſe acidum, nec cum bile efferveſcere hodie Naturæ rimatores variis phænomenis egregie oſtenderunt & obſervarunt, inter quos eſt etiam Joh. de Muralto *in Vade mecum Anatomic. Ex. III. §. 6. p. m.* 79. & ex obſervationibus celeberrimi Anatomici Du Verney, patet, quod in hiſtrice ductus *pancreaticus* duorum pedum diſtantia à biliaris ductus inſectione in pylorum facta in inteſtinum duodenum ingreſſus fuerit repertus, in Struthiocamelo vero trium pedum diſtantia, uti legitur *in Supplem. Act. Erud. Lipſ. Tom. II. ſect.* 4. *p.* 199. Dicitur & *Callicreas.* Cæterum eodem *Pancreatis* nomine mediam *Meſenterii Glandulam* Aſellius, & nonnulli ejus ſectatores indigitarunt, quam alias *Lactium* titulo inſigniverunt, & ita anſam dederunt, ut pro una eademque parte haberentur, recte animadvertente Grâfio *d. l.* §. 17. Junge Barthol. *d. l. c.* 12. Warton. *d. l. c.* 8.

PANCRENE, παγκρήνη, epitheton Pancreati tributum à D. Bernhardo Swalbe peculiari libello *Pancreas pancrene* dicto, quo epitheto nihil aliud indicatur, quam quod pancreas ſit veluti fons (κρήνη enim fontem ſignificat) lymphaticus.

PANDALEON, *Pandaleum*, vocatur medicamentum ſolidum internum, tabulatum, Arabum inventum, pectori & pulmoni dicatum, ſuave, à morſulis & rotulis non niſi forma differens, fitque, quando materia medicamentoſa ſaccharo ſoluto ſuſcepta in pyxidem aliquam effunditur, ut inibi indureſcat, unde uſus tempore fruſtum aliquod cultro aut cochleari demitur. Schrod. *l.* 1. *cap.* 13. Morell. *de form. remed. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 2.

PANDALITIUM, idem, quod *Panaricium*, de quo p. a.

PANDEMIOS, πανδήμιος, vide *Pancœnos*, *Epidemios.*

PANDICULATIO, σκορδίνημα, σκορδινισμὸς, dicitur motus quidam violentus tenſivus membrorum ſolidorum, à flatulenta materia ad fibras & nervoſas partes delata dependens. Affinis valde χάσμη, five *oſcita-*

oſcitationi; de qua ſupra vide *Chaſme*. Hinc etiam *pandiculatio* cum *oſcitatione* coincidit. Fit quidem à natura, ſed coacta. Meminit aliquoties & Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 34. *l.* 4. *ſ.* 5. *t.* 4. *l. de Superfœtat. IX.* 3. Vide Foëſ. *p.* 574.

PANICULA, diminutivum *Pani*, vocatur & *Panula*. Rhod. *ad Scribon. n.* 82. & 263. item *in Lex. Scrib.* Vide *Panus.*

PANIS, ἄρτος, quid vulgo ſignificet, omnibus etiam puerulis, notum eſt. Ejus autem apud veteres & recentiores quoad materiam, fermentum, coquendi & condiendi rationem, tot occurrunt differentiæ & ſpecies, ut illas omnes hic recenſere, nimis prolixum foret. Legi poſſunt Foëſ. *Oec. p.* 95. *ſeqq.* Gorr. *def.* Mundell. *in Indice vel Theatr. Galen.* Bruyerin. *de re cibar. l.* 6. *per tot* Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 11. *ſeqq.* Moræus *in Schol. Salernit. c.* 17. *p. m.* 225. *ſeqq.* & 258. *ſeqq.* Deodat. *Panth. Hyg. l.* 2. *c.* 4. C. Hofm. *l.* 5. *Inſt. c.* 6. §93. *ſeqq.* Merito inter edulia primas tenet, & ab omnibus expetitur. Siquidem rariſſima ſunt exempla, qui *panem* penitus abhorruerint, quorum unum legitur *in Ephem. N. Cur. A. II. O.* 44. alterum *Obſ.* 207. ex Hildan. De panis uſu medico vide Schroder. *lib.* 4. *cl.* 1. *n.* 316. & Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l. Panis* repletionem eſſe peſſimam, paradoxon eſſe, & autoritate carere, non male demonſtravit C. Rejes *C. El. q.* 85. *n.* 4. *ſeqq.* *Panis petrefacti* obſervationes vide apud Helmont. *tr. Nat. Contr. neſc. n.* 30. Theatr. Chym. *Vol. IV. p.* 884. Chiocc. *Muſ. Calceol. p.* 411. 412. Vocabulum ἄρτος, ab Hipp. etiam acceptum legitur pro paſtillo vel maſſa quadam compacta ex qualibet materia & linteo incluſa calideque pro fomento utero applicata, *l. de nat. mul. XXIX.* 198. 203. *C. I.* 9. 10. *Panum* æreorum tres eſſe ſpecies, ſcripſit Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 1. ubi & *Panes* ex Pyrite & Cadmia conflatos recenſet & *panem* argenteum, item *Panes æris* fatiſcentes. *Panis* quoque idem eſt, quod *Panus*, Gr. φῦμα, notante Keuch. *ad Samonic. p.* 245.

PANNICULUS, ῥάκος, ῥακίς, idem fere, quod *linamentum*, denotat. Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 1. *l.* 3. *c.* 9. *& alibi.* Pertinet ad uſum Chirurgicum & Pharmaceuticum. Ab Anatomicis vero *panniculus* accipitur pro *membrana*, ut *panniculus carnoſus. Panniculi* cerebri &c.

PANNUS, æquivocum eſt. Proprie ſignificat textile quoddam ex lanis ovium paratum, de quo notavit Helmontius, quod panni ex lanis mortuarum ovium parati facilius foraminibus pertundantur. Gr. ῥάκος, ὕφασμα. *Tr. Tumul. peſtis* §. *Imaginantur Mineralia &c.* Tranſlatum etiam vocabulum *Pannus* ad uſum pharmaceuticum, hinc legitur *Pannus linteus crocatus* deſcriptus in Helf. Iunken *Corp. Pharmac. Part.* 1. *p.* 667. & Dav. de Spina *Lex Pharm. p.* 676. Metaphorice denotat 1. affectum oculorum, eſtque materia viſcida craſſior, adhærens tunicis oculorum & viſum impediens, quem affectum nonnulli confundunt cum *Ungue oculorum*, Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 6. Arab. dicitur *Sebel.* 2. *notat maculam*, vel *nævum* in cute ſive ex lue Gallica, ſive ex alio morbo maligno dependentem, de quo legatur Parac. *l. de apoſtem. & ulcer. c.* 43. *& alibi.*

PANNYCHIS, παννυχίς, vide *Pernoctatio.*

PANOCHIÆ vocantur à nonnullis bubones ſive tumores inguinum. Fallop. *de morb. Gallic. c.* 90. *Tom. I. oper. p.* 758.

PANONICOLETE, terminus Paracelſicus, qui legitur *l.* 3. *de morb. Gall. circa fin.* Cujus tamen ſignificatio mihi non conſtat, neque ex contextu patet.

PANSELENOS, πανσέληνος, vide *Plenilunium.*

PANSPERMIA, πανσπερμία, eſt commentum Anaxagoræ, qui ſtatuit omnium ſemina eſſe in omnibus, quod merito rejecit Lib. *T. IV. Op. p.* 16.

PANTAGOGUS, παντάγωγος, idem ſignificat, quod *Panthymagogos*, id eſt, medicamentum omnes humores ſcil. vitioſos evacuans. Ita apud Mynſicht. extat *Syrupus Pantagogus*, *Armam. Medico-chym. ſect. XVI.*

PANTHEÆ, Lecti penſiles Italis, Anton. Guainer. *com. de pleur. c.* 17.

PANTHERA. Vide *Pardalis* vel *Pardus.*

PANTICES, idem, quod *Inteſtina*, unde *panticinari* eſt bibonum & collurconum more potum ingurgitare, & ita ventrem ſaburrare. Linden. *Ex. IX.* §. 56.

PANTODAPOS, παντοδαπός, varius, *omnigenus.* Uſurpatur ab Hipp. *de morbis* 2. *de nat. hum. t.* 4. & *libr.* 5. *Epid. XXXI.* 14. *de excrementis.* Foëſ. *p.* 479.

PANTOLMIOS, παντόλμιος, eſt nomen hyperbolicum *Trochiſci*, qui excreſcentiam carneam citra roſionem ſupprimit; uti legitur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 12. An idem cum *Paſtillis Fauſtianis*, *l.* 4. *c.* 43. uti velle videtur Gorræus?

PANUS, antiquis etiam *Panis*, unde diminutiva *Panicula*, *Panula*, Gr. φύγεθλον, Galeno etiam φῦμα ἄπεπτον, *tuberculum immaturum*, *c.* 3. *de artic. t.* 2. dicitur tuberculum inflammatorium, vel potius eryſipelaceum abſque ſuppuratione ad glandulas plerumque ſubcutaneas obortum, cum dolore inſigni urente & mordicante proveniens ab ichore ſanguineo acriori, ibidem ſtagnante. Gal. *l. de tum. p. n. c.* 15. *l.* 2. *de art. cur. ad Glauc. c.* 1. Celſ. *l.* 5. *c.* 18. Scribon. *n.* 263. Foreſt. *l.* 1. *Chirurg. Obſ.* 7. *cum Schol.* Barbette ad *Bubonem* refert *Chirurg. P. II. l.* 1. *c.* 11.

PANYGRON, πάνυγρον, epitheton eſt medicamenti alicujus topici liquidioris, cujus deſcriptio extat apud Oribaſium *Operum ſuorum Tom. III. l.* 4. *Euporiſtor. c.* 121. *p. m.* 247.

PAPA, Paracelſo dicitur vermis, h. e. *Baſiliſcus*, qui quamdiu vivit, tamdiu erit peſtis expectanda, *l.* 2. *de Peſte cum addit. tract.* 1. *c. in fine.*

PAPHLAZO, παφλάζω, proprie ſignificat *æſtuo &* ferveo, & de maris æſtu dicitur; tranſlatum vero hoc ab Hippocr. ad ſermonem interruptum & veluti bullantem,

lantem, quando inter loquendum *hæſitant.* Eo verbo uſus Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. V.* 7. *l. de Criſ. X.* 12. Jung. Foëſ. *p.* 490. Dicitur & φλάζω. Gal. *in Exeg. dict. Hipp.*

PAPILIO, ψυχὴ, ἑσπερινὴ σητοκοπὶς, inſectum eſt notiſſimum alatum, ſed multifarii generis, cujus hiſtoriam prolixam cum uſu tradidit Aldrov. *l.* 2. *de Inſect. c.* 1. *ſeqq.* Adde Lang. *l.* 1. *ep.* 14. & 50. *Bombyces* degenerare in *papiliones*, confirmat Helmont. *Tract. Demonſtratur Theſis n.* 94. Chymici quoque flores quoſdam papilionum nomine inſignire ſolent. Ita flores ex correctione Mercurii præcipitati acquiſitos *papiliones* argenteos vocari teſtatur D. Joh. Michaelis *in Notis noviſſime editis ad Schroder. Pharmac. l.* 3. *c.* 15. quos Schroderus lanuginis perlatæ titulo comprehendit.

PAPILLA, θηλὴ, vide *Mamma.* Eſt extremum mammæ mulieris, quod ori infantis inditur, Gal. *l.* 15. *de V. P. c.* 7. Barthol. *l.* 2. *An. c.* 1. Tribuitur etiam hoc vocabulum Glandulis inteſtinalibus à Peiero *in ſuis Exercit. de dictis glandulis. Papilla* quoque eſt diminutivum à Papula apud Sammonic. *c.* 10.

PAPILLARES proceſſus, vide *Maſtoides*, de nervis olfactoriis. Barthol. *ibidem d. l.*

PAPULA, ἐκθυμα, ἔκπυσμα, *tuberculum ulceroſum*, cutaneum notat. Vide *Ecthyma.* Gal. *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 51. Nobis videtur idem eſſe cum Puſtula. *Papula* acuta eſt *Furunculus*, δοθιὴν. Rhod. *ad Scribon. num.* 210.

PAR, duplicem habet ſignificationem, 1. dicitur de diebus, qui Græce vocantur ἄρτιοι, ad differentiam τῶν περιοσσῶν, *imparium*: in illis olim crediderunt rariores & difficiliores fieri criſes, vide *Artios*, *Impar.* 2. notat binas unitates alicujus rei, v. g. in formulis remediorum quando ſcribitur: Recip. baccarum lauri, fructuum jujub. aut ſebeſt. *paria* tria aut plura. *Sine pari* dicitur Emplaſtrum quoddam Londinenſium, cujus deſcriptio extat in D. D. de Spina *Manuali Ph. Chym. p.* 425. *ſeq.*

PARA, παρὰ, id eſt, *præter*, præpoſitio uſitatiſſima in Medicina, cum ſimpliciter, tum in compoſitione. Plerumque vero accipitur in malam partem, ita ut ſignificet aliquem receſſum à ſtatu integritatis ſive bonæ diſpoſitionis, hac tamen limitatione, ut nihilominus reſiduum maneat *aliquid bonitatis*; ut hac ratione differentia eluceat inter *Præter* & *Contra.* Morbi omnes ſunt παρὰ φύσιν, *præter* naturam, eorumque cauſæ & effecta; Mors ſola, & quæ eam vel efficiunt, vel conſequuntur, ſunt *contra* naturam; ἐναντίον τῆς φύσεως, quamvis in latiore acceptione morbi quoque dicantur contra naturam; animadvertente J. Alex. *not. in Gal. de diff. morb. c.* 4. Alias & παρὰ ſignificat *ad* vel *juxta*, *in* 4. *aph.* 31. teſte Dieter. *n.* 648.

PARABILIS, εὐπόριστος, vide *Euporia.*

PARABLASTANO, παραβλαστάνω, ſignificat *progerminare* vel accreſcere, & quidem præter vel neceſſitatem, vel naturæ inſtitutum. Dicitur de palpebris apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 63.

PARABOLICUS, epitheton *Ignis Solaris.* Vide *Ignis.*

PARACELSUS, nomen proprium Spagyricæ Medicinæ principis, qui alias nominatur *Philippus Aurelius*, vel *Aureolus Theophraſtus Paracelſus dictus Bombaſt. ad Hohenheim*: cujus vita legi poterit in Melchioris Adami *vitis Medicorum.* Scripta ejus plura, qua vernacula, qua latina, adhuc paſſim proſtant. De ejus peritia ſingulari & felicitate medica diverſa feruntur judicia. Nobis non libet eſſe arbitris. Valde tamen ſuſpectum eſſe de Magia Diabolica, facile ex ſcriptis ipſius demonſtrari poſſet, ſi inſtituti concederet ratio. Gravius in eum invehitur C. Rejes *Camp. El. q.* 30. *n.* 8. Furti ſcriptorum & arcanorum quoque arguit Libavius *Tom. II. Op. p.* 103. & alibi paſſim ipſum incuſat. Ejus ſectatores vocantur *Paracelſiſtæ* non minus ſuſpecti magicæ vel vanitatis, vel præſtigiarum dæmoniacarum, ſi in omnibus ducis ſui principia retinuerint.

PARACENTESIS, παρακέντησις, Latine *Punctio*, *Compunctio*, vel rectius *Perforatio*, dicitur operatio Chirurgica, qua vel in Aſciticis abdomen cultello, vel acu perforatur ad evacuandam aquam collectam, cujus aliquoties meminit Hipp. *l. de Loc. in hom. XXXVI.* 17. *ſeqq. l. de affect. XXIII.* 25. *ſeqq. l. de intern. affect. XXV. XXVI. ſeqq. l.* 6. *aph.* 27. *l.* 6. *Epid. ſ.* 7. *n.* 62. licet vocabulum παρακεντήσεως in illis locis non occurrat. Modum operationis hujus ex recentioribus tradiderunt Aquapendens, *tr. de Oper. Chirurg. cap. de perforatione abdominis in hydropicis.* Hildan. *Cent.* 1. *Obſ.* 47. & *ep.* 8. Barbette *Chir. Part.* 1. *c.* 14. Cautelam docuit & Dieter. *Iatr. p.* 1268. *ſeq.* Vel quando in ſuffuſione ſive cataracta laborantibus oculi tunica perforatur acu, & materia illa viſcida viſum intercipiens removetur, de qua Plin. *l.* 25. *c.* 23. Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 5. allegante Foëſ. *p.* 480. Modum vide apud Aquapend. *d. l. cap. de ſuffuſ.* Hildanum *ep.* 67. Barbette *d. l. cap.* 16. Cæterum non video, quid obſtet, quo minus & aliæ *perforationes* Chirurgicæ, trepano vel terebra factæ, dicendæ ſint παρακεντήσεις, licet non fiant punctione ſimplici.

PARACINDYNEUO, παρακινδυνεύω, ſignificat *audacius periclitor*, propter emphaticam præpoſitionem παρὰ exprimentem aliquam tranſgreſſionem, notante Linden. *Exeg. XIV.* §. 140.

PARACMASTICOS, παρακμαστικὸς, *declinans*, vide *Acmaſtica.* Dicitur & de ætate, quæ jam vergit ad ſenium, & incipit ſecundum Gal. à 35. anno, duratque ad annum 49. quo ſcilicet ſenectus incipit. Gorr. & Caſtell.

PARACME, παρακμὴ, vide *Declinatio.*

PARACOË, παρακοὴ, *obauditio*, idem quod βαρυηκοΐα, vide *Barycoia, Cophoſis.*

PARA-

PARACOLLETICOS, παρακολλητικὸς, idem quod κολλητικὸς, *Agglutinans*. Lang. *in Indic. epiſtol.*

PARACOPE, παρακοπὴ, late & ſtricte accipitur. In illa notat generaliter *delirium*, de quo ſupra lit. D. In qua etiam legitur *Coac. t.* 47. In hac *deſipientiam leviorem* & mentis emotionem in febris fervore, uti patet ex Hipp. *6. aphor.* 26. Lind. omnes παρακόπτειν dicit, qui per morbos *delirant*, *Ex. XII.* §. 162. 169. *ſeqq.* Vide & Dieter. *n.* 649.

PARACRUSIS, *Paracruſticos*, παράκρουσις, παρακρουστικὸς, etiam dicitur de *levi mentis emotione* & *delirio mitiori* in morbis. Frequens Hipp. *l.* 1. *Prorrh. t.* 99. 194. Plura loca vide apud Foëſ. *d. l.*

PARACYNANCHE, παρακυνάγχη, vide *Angina*.

PARACYPTO, παρακύπτω, ſignificat *prono corpore ſeſe inclinare* aut *incurvare*, ad aliquid inſpiciendum. Tranſlatum ab Hippocr. ad inſertionem caulis allii loco ſpecilli in anum *l. de fiſtul. II. 9.* Vide Foëſ. *d. l.*

PARADEIGMA, παράδειγμα, vide *Exemplum*.

PARADOXOLOGOS, *Paradoxopœos*, παραδοξολόγος, παραδοξοποιὸς, qui aliena à recepta opinione & ſententia vel dicit, vel facit. Quod utrumque Epitheton ab aliis Medicis Galeno fuiſſe attributum, ipſe teſtatur *l.* 10. *M. M. c.* 4. *in fin.*

PARADOXON, παράδοξον, ſignificat *ſententiam* vel revera, vel ſaltem apparenter abſurdam, vel *incredibilem*, à communi opinione recedentem.

PARÆTESIS, παραίτησις, ſignificat *recuſationem*, ſubterfugium, indulgentiam, quæ ægro conceditur apud Hipp. *l. Præcept. in fin.*

PARAGOGE, παραγωγὴ, *adductionem*, adaptationem ſignificat in ſpecie oſſium, apud Hippocr. *l.* 2. *de art. t.* 1. *Mochlic. IX.* 16. Oſſa quoque, quæ facilius adduci poſſunt, dicuntur παραγωγότερα. 2. *de artic. t.* 64.

PARAGRANUM, nomen libri alicujus Paracelſici, in quo fundamenta ſe propoſuiſſe Medicinæ aliis perſuadere conatur. Sed revera in plerisque obſcurum per æque obſcurum.

PARAGRAPHI, etiam eſt titulus ſcripti cujuſdam Paracelſici, Libros 14. *Paragraphorum* continens, in quibus morborum quorundam curationem tradidit.

PARALAMPSIS, παράλαμψις, dicitur cicatrix in nigro oculi reſplendens, quod aliquando craſſior ſit Ægide. Hipp. 2. *Prorrh. XXIIX.* 35. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *Oec. p.* 481.

PARALEGO, παραλέγω, ſignificat Hipp. ſermone delirare, *aliena loqui* aut abſurda, quale quid & ebrioſis contingit. Hipp. 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 75. ad quem locum vide Galen. *Comment & l.* 2. *de diff. reſp. c.* 10. *l.* 3. *c.* 11. Plura loca in Epid. vide apud Foëſ. *d. l.*

PARALEREO, παραληρέω, *Paraleros*, παράληρος, *deliro*, delirus, idem quod παραφροσύνη, vide *Delirium*. Galen quidem expoſuit per μακρὰν παραφροσύνην, *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 34. Verum Hippocr. in eodem libro Epid. ægroto ſexto expreſſe etiam ſcripſit πολλὰ παρελήρησε, multum *deliravit*, ita ut ſit verbum, *delirium* in genere exprimens. Foëſ. *dict. loc.*

PARALLAXIS, *Parallagma*, παράλλαξις, παράλλαγμα, dicitur partium ſolidarum, præſertim oſſium *alternatio*, emotio, & inter ſe facta perverſio, aut *immutatio*, ubi alia ſuper aliam effertur. Hippocr. 2. *de fract. t.* 60. *l.* 3. *t.* 40. 46. 47. *l.* 5. *de art. t.* 72. *Mochlic. l.* 2. *XXIV.* de dentibus *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 3. de muſculis & nervis παραλλαγὴ, 2. *de artic. t.* 14. Metaphorice etiam de animo vel mente aberrante, & delirante 4. *de R. V. I. A. t.* 4. Vide Foëſ. *d. l.* *Parallaxeos* ſignificatio Aſtronomica petatur ex Matheſi.

PARALLELUS, παράλληλος, terminus Mathematicus, ſignificans lineas imaginarias, ſub quibus & *Zonæ* comprehenduntur; quarum notitiam Medico quoque commendat Galen. *l.* 3. *aph.* 14. *Parallela* quoque vocatur Affectus malignus cutaneus, internam manuum ac pedum partem tantum obſidens, nec latius, quam ad latera & phalangem digitorum in manibus ſerpens, pityriaſi, ſive furfuribus capitis ſimilis, ſed ſquamæ ſunt majores, & cuti ita adhærent, ut niſi unguibus divellantur, decidere nequeant. Eſtque ſymptoma Morbi Gallici. Plura de hoc affectu legantur apud Foreſt. *l.* 8. *Obſ.* 13. *Schol.*

PARALOGOS, παράλογος, vide *Inopinus*.

PARALOXÆNOMÆ, παραλοξαίνομαι, id eſt, *obliquor*, in obliquum feror. Dicitur de utero Hippocr. *l. de nat. mul. XXXIV.* 1. *& l.* 2. *de morb. mul. XXXVI.* 1.

PARALYSIS, παράλυσις, item *Pareſis*, πάρεσις, eſt nervorum reſolutio, cum nervi & corporis partes ſenſus & motus expertes vel perfecte vel imperfecte fiunt, Gal. 1. *de Sympt. cauſ. c.* 5. Ab Hippocrate ſæpe confundi cum apoplexia, notavit Foëſ. ad vocem ἀποπληξία; quamvis Dieter. aliquam differentiam conatus ſit reddere, volens, ἀποπληξίαν dici totius corporis *reſolutionem*; παράλυσιν vero partis alicujus duntaxat, *Iatr. n.* 86. Plura de *Paralyſi* idem *p.* 211. *ſeq.* Enimvero ſi rem accurate velimus perpendere, non tam nervorum *reſolutio* dicenda paralyſis, quam *fibrarum* in muſculis & membranis, quæ ſunt partes nervoſæ, non ipſi nervi. Accuratior igitur ex recentioribus hæc notari poterit deſcriptio: *Paralyſis* eſt motus animalis & tactus in parte quadam corporis abolitio, vel imminutio vehemens, cum ejuſdem quandoque atrophia, pulſu debili, aliisque ſymptomatis, proveniens à partium nervoſarum relaxatione propter deficientem ſpirituum animalium præſentiam aut activitatem, ab intemperie materiali cerebri, vel obſtructione nervorum oborta. Legatur Willis, *An. Brut. Part II. c.* 9. Sylv. *Prax. Med. l.* 2. *c.* 22. Videantur & alii Practici, qui de hoc affectu

 prolixe

prolixe ſcripſerunt. Exempli de quodam; qui pro lubitu *paralyticus* fieri, & rurſus ſeſe curare pro lubitu potuit, quod ex Auguſtino allegavit C. Rejes *C. Elyſ. quæſt.* 50. *n.* 22. fides ſit penes autorem. Affectus hic non male quidem vocatur ab Helmont. *pediſſequa Apoplexiæ tr. de Lithiaſ. c. 9.* Verum interdum etiam hujus eſſe prodromum, teſtis eſt experientia. Dicitur & παραπληγία, aut παραπληξία, uti recte notavit Galen. *cap.* 2. *in* 1. *Epid. t.* 59. Vide Foëſ. *pag.* 483. Paracelſus ſpeciem Guttæ ſtatuit *Paragraph. l.* 7. *c.* 1. §. 1. cauſam refert Mercurium & Sulphur. *l. de trib. primis eſſent. c.* 1.

PARAMERIA, παραμήρια, dicuntur *internæ femoris partes.* Gorr. Lat. παραμήριον *femen* vocat Linden. *Med. Phyſiol.* 2. *c.* 14. §. 19.

PARAMESOS, παράμεσος, digitus vocatur minimo proximus, *Medicus* à Latinis dictus, quod Medicinæ dicatus credatur. Gorr. Vulgo *Annularis* appellatur.

PARAMETHIEMI, παραμεθίημι, *dimitto*, prætermitto, negligo. Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XL.* 5. 8.

PARAMINYTHEO, παραμυθέω, ſignificat *imminuo.* Hippocrates *d. l. XXXVII.* 5.

PARAMIRUM, titulus ſcripti Paracelſici gemini, quorum unum agit de quinque entibus omnium morborum, Aſtrali, Venenato, Naturali, Spirituali, & Divino ſive Dei: Alterum explicat cauſas morborum ex Sulphure & Mercurio, ex Tartaro, ex Matrice: item tractat de morbis inviſibilibus. Hæc *Paramirica ſcripta* primum occupant locum *in edit. Argentorat.* Huſeri.

PARAMPECHO, παραμπέχω, & παραμπέχομαι, *obvelo*, obduco. Ἀμπεχόνη enim *velamentum*, tegumentum ſignificat. Hippocr. *l. de morb. ſacr. II.* 5. adde Foëſ. *p.* 482.

PARANDRUMENOS, παρανδρούμενος, *nubilis.* Poterit uſurpari de perſona & de tempore, ſive ætate: in qua ſignificatione uſus Hipp. *l. de Virg. morb. II.* 2.

PARANGELIA, παραγγελία, παράγγελμα, *præceptionem*, *præceptum* ſignificat, ſive comprehenſionem aphoriſticam & brevem, quæ facit vel inſtituendum Medicum, vel etiam ægrum, aut adſtantes. Ita Hippocr. libellum Præceptionum ad Medicum pertinentium conſcripſit. Meminit & talium παραγγελμάτων *l. de Medic. II.* 1. & eorum, quæ ad ægrum pertinent *l. de dec. orn. XII.* 2. Vide Foëſ. *p.* 480.

PARANOEA, παράνοια, etiam ſignificat, *Dementiam*, *Delirium.* Hippocr. 2. *progn. t.* 20.

PARAPECHYON, παραπήχυον, à quibuſdam dicitur brachii pars, quam proprio nomine κερκίδα appellant. Dicitur & παραπήχυον. Gorr. Latine *Radius* & *Focile majus* appellatur. Adde Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2, *c.* 14. §. 74.

PARAPEMPO, παραπέμπω, vide *Tranſmiſſio.*

PARAPHAO, παραφάω, ſignificat *leviter contingo* vel contrecto, manu ſenſim admota & veluti errante. Frequens Hippocr. *in libr. de nat. mul. VI.* 10. *l.* 1. *de morb. mul.* quæ loca vide apud Foëſ. *p.* 485. & differt à παραφρόσει, quod παραφρονεῖν notat. vid. Gal. *Exeg. Paraphaſiæ* παραφάσιες, ita dicta ſunt abſcondita in pudendo muliebri loca, quæ immiſſo digito contrectari licet, à verbo παραφάσσω, quod leviter contrectare eſt: vid. Galenus *in exegeſi Hipp.*

PARAPHIMOSIS, παραφίμωσις, vitium eſt φιμώσει contrarium, cum videlicet ea, quæ naturales meatus concludunt, opercula & tegumenta ita deducta ſunt, ut reduci nequeant. Proprie tamen dicitur *de præputio retrorſum adducto*, ut glandem tegere nequeat: quod malum ex nervi contractione maxime contingit. Fit ex immodica præputii ſiccitate. Ei contrarium vitium φίμωσις appellatur. Gal. *in def.* Gorr. & Caſtell. à φίμος, quod nexum ſummi orificii ſacculorum, cum toto illius ambitu in anguſtum collecto funiculo clauduntur & ligantur, ſignificat. Rolf. *de part. genit. P. I. c.* 50.

PARAPHORA, παραφορὰ, etiam ſignificat *parvum delirium* apud Hipp. & παράφοροι *leviter deliri* vocantur. *l.* 1. *ſ.* 2. *Prorrh. t.* 37. *l.* 2. *Epid. ſ.* 3. *n.* 11. Gal. *in comm. ad primum locum & in c.* 1. *ad l.* 3. *Epid. t.* 2. quamvis ex aliis quoque textibus pateat, ſignificare potius generaliter delirium & delirantes, uti patet ex *l.* 1. *ſ.* 1. *Prorrh. t.* 3. *Coac. t.* 300. & Aretæus etiam *l.* 1. *c.* 1. *de cur. acut. morb.* uſus eſt de phreniticorum delirio, quod ſane vehemens eſt. *Deligationes* quoque παράφοροι dicuntur Hipp. h. e. *errabundæ*, vitioſæ, 1. *de art. t.* 66. Jung. Foëſ. *pag.* 485.

PARAPHRENITIS, παραφρενῖτις, vide *Phrenitis.*

PARAPHROSYNE, παραφροσύνη, vide *Delirium.*

PARAPHYAS, παραφυὰς, dicitur id, quod adnaſcitur arbori, ſurculus, ſoboles, *germen*, *ramulus.* Idem eſt, quod ἀποφυάς. Utrumque occurrit in Hipp. *l. de Venis XVII.* 8. *XXVI.* 6.

PARAPHYSIN, παρὰ φύσιν, vide *Para.*

PARAPLEGIA, *Paraplexia*, παραπληγία, παραπληξία, eſt *levior apoplexia* ad paralyſin magis accedens, vel quando alterutro ſaltem in corporis latere, aut certo membro, immobilitas & ſenſus privatio animadvertitur, Gal. *c.* 2. *in* 1. *prorrhet. t.* 50. quamvis alii iterum diſcrimen fecerint inter παραπληγίαν & παραπληξίαν; illud ad particularem, hoc ad totalem *Apoplexiam* referentes, notante Gal. *c.* 3. *in* 1. *Prorrh. t.* 26. & 4. *de R. V. I. A. t.* 27. & *alibi.* Vide *Apoplexia*, *Paralyſis.* Jung. Foëſ. *p.* 483.

PARARMA, πάραρμα, *fimbriam* ſignificat, quales ob mollitiem continendis, aut conſtringendis deligationibus ſuperponuntur; Suntque velut texturarum exordia. Legitur apud Galen. *cap.* 2. *de artic. t.* 32.

PARARRHYTHMOS, παράρρυθμος, eſt epitheton pulſus incongrui ætati, vel naturæ alicujus ſubjecti, & ita ſpecies ἀρρύθμου. Gal. *in def.* Gorr.

PARARTHREMA, παράρθρημα, idem, quod Διακίνημα, *parva luxatio*, per quam articulus leviter ſuo loco naturali receſſit. Gorr. Vide *Diacinema*. Lat. *Subluxatio*, *Prolapſus*, dici poteſt. For. *l. 9. Chirurg. Obſ. 1. in Schol.*

PARASARCHUM, titulus quidam ſcripti Paracelſici, quod ſecundum habetur inter opera *Theophraſtica* dicta; in quo egit de ſummo Bono in æternitate, uti ſcripſit Valentinus de Retiis. Vid. *Tom. VI. Oper. Paracelſ. edit. Huſeri.*

PARASCEPASTRA, παρασκεπάστρα, dicitur vinculi ſimplicis genus, quo univerſum caput obvolvitur. Gal. *de faſciis n. 5.*

PARASCEVE, παρασκευὴ, *apparatus*, *præparatio*, quæ & προπαρασκευὴ dicitur Hippocr. *2. de R. V. I. A. t. 16.* à verbo παρασκευάζεσθαι, inſtructum eſſe, paratum eſſe, quod legitur *3. de fract. t. 33.* quid ſignificet, notum eſt. Dicitur vero active & paſſive, non ſolum de perſonis, Medico, ægro & adſtantibus, qui debent ſeſe *præparare* aut inſtructi eſſe ad præſtandum ea, quæ ſingulis competunt, *argumento I. aph. I.* ſed etiam de rebus Medicis, morbo, vel potius cauſa aut materia morbifica, & remediis. *Præparatio* materiæ peccantis, ſive humorum vitioſorum, conſiſtit in diſpoſitione per artem facta ad ſecretionem ab utilibus & vitalibus humoribus, & excretionem per loca convenientia, quando craſſi humores redduntur fluxiles inciſione, tenues incraſſatione, lenti deterſione, mordaces attemperatione, verbis Rolfink. *O. & M. M. Sp. l. 5. ſ. 1. c. 5.* cujus variæ *præparationis* meminit Galen. *l. quos purg. oport.* Jung. Sennert. *Inſtit. Med. l. 5. Part. 2. ſ. 1. c. 1. Media* vel medicamenta, quibus *præparatio* hæc producitur, vocantur *Præparantia*, Græc. προπαρασκευάζοντα, de quibus Sennert. *d. l. P. 1. ſ. 1. c. 5.* & Rolfink. *d. l. 5. ſ. 2. per tot.* Huc pertinent & *Exercitationes* corporis *præparatoriæ* dicto Galeno, Gr. παρασκευαστικὴ, *l. 3. de ſan. tu. cap. 2. & ſeqq.* quibus corpus & humores ad ſecretionem & excretionem inutilium, & retentionem utilium diſponitur & *præparatur*. *Præparatio remediorum* eſt artificioſa elaboratio materiæ Medicæ, ut commodius & citius effectum ſuum exerere poſſit. Harum *præparationum* ſpecies quamplurimas juxta ſeriem alphabeticam vide apud Schrod. *l. 1. c. 14.* Stricte dicta *præparata* in officinis vocantur ſimplicia quædam medicamenta, ſolida & duriora, in tenuiſſimum pulverem, accedente aqua aliqua convenienti, trita, & exiccata: quorum Catalogum lege apud eund. *l. 2. c. 76.* Jung. Fr. Hofm. *Clav. ad h. l.*

PARASCHIDES, παρασχίδες, dicuntur *Oſſium fragmenta*, aut fiſſorum oſſium ſegmenta, quæ ab his ſeparantur & abſcedunt, oſſis fiſſa. Hippocr. *3. de fract. t. 2.* adde Foëſ. *p. 484.*

PARASEISMA, παράσεισμα, dicitur *concuſſio corporis*, & inter exercitationes refertur. Hippocr. *l. 2. de Diæt. XLII. 1.*

PARASITOS, παράσιτος, æquivocum eſt. Vel enim dicitur de cibo omni, qui cum pane comeditur, ut eſt apud Athen. vel de homine *adulatore*, qui gulæ gratia alteri aſſentitur. Hujus egregiam deſcriptionem vide apud Linden. *Ex. XI. §. 129. ſeqq.* ubi ventris operarium, ad nutum manduconem, in ventre linguam habentem appellat.

PARASPHAGIS, παρασφαγὶς, vocatur *pars colli* jugulo proxima, ad claviculas ſita inter collum & pectus, Gorr. Dicitur & παρασφάγιον, teſte Caſp. Hofm. *c. in Gal. de V. P. n. 1114.*

PARASTATÆ, παραστάται, quaſi dic. Latin. *Adſtites.* Quam certum eſt de hoc vocabulo, quod denotet aliquam partem corporis generationi inſervientem, tam incertum adhuc, quænam harum hoc nomine venire proprie debeat ac poſſit. Apud Hippocr. παραστάτας, idem eſſe atque *Epididymides*, volunt interpretes, *lib. de Venis XXI. 6.* Vide Foëſ. *d. l.* Aliis diſtinguunt inter παραστάτας κιρσοειδεῖς & ἀδενοειδεῖς, *variciformes & glanduliformes* ſive *glanduloſos*, illos dicentes meatus ſeminales ex vena & arteria implicatis conſtantes & in unam veluti naturam conſertis ſemen foventes & perficientes, Gal. *in def.* vel *corpus varicoſum pyramidale*, incipiens paulo ſupra teſtem & in ſuperiorem hujus partem inſertum; hos vero appellantes corpus glanduloſum meatui urinario ſuprapoſitum, vaſorum deferentium inſertionem excipiens, Gorr. Caſtell. Lang. *l. 2. ep. 7.* quod *corpus glanduloſum* tantum *Paraſtatarum* nomine expoſuit Rolf. *de part. genit. p. 1. cap. 25.* quamvis alii προστάτας appellant. Bartholin. vero *paraſtatas* vocavit principium vaſorum deferentium *lib. 1. Anat. c. 23.* Junge hic Linden. *Med. Phyſiol. l. 2. c. 7. §. 21. ſeqq.*

PARASTELLO, παραστέλλω, *curſum cohibeo*, ſiſto. Hipp. *l. 5. Epid. XXVII. 2.*

PARASTREMMA, παράστρεμμα, dicitur *oris diſtortio* convulſiva, & perverſio, qualis in *Spaſmo Cynico* contingit: vel cum faciei partes quoque aliæ, naſus, oculi, aut labia, contrahuntur aut diſtorquentur. Legitur apud Hipp. *l. 2. Prorrh. XLII. 7.* Confer. ſimul ad Foëſ. *d. l.*

PARASYNANCHE, παρασυνάγχη, vide *Angina.*

PARASYNESIS, *Paraxyneſis*, παρασύνεσις, παραξύνεσις, dicitur ſententia vel *intelligentia erronea* & *hallucinatio* non quidem aperte falſa & ex ignorantia, ſed quæ probabilitatem aliquam habet & veroſimilitudinem. Legitur apud Hippocr. *1. de artic. t. 36. 38. & ſ. 3. t. 71.* Vide & Gal. *in comm. ad h. loca & l. 9. de Hipp. & Pl. decr. cap. 5.* Latine & *Deceptio* dici poteſt. Foëſ. *d. l.*

PARASYRO, παρασύρω, in *tranſverſum traho*, tranſverſum ferio & in obliquum diſtraho. Dicitur de telis apud Hipp. *l. de Cap. vuln. XIV. 1.*

PARDALIS, *Pardus*, πάρδαλις, πάρδος, vocatur animal ferociſſimum, quadrupes, cujus hiſtoriam cum

uſu fuſe tradidit Aldrov. *l.* 1. *de an. quadr. dig. vivip. c.* 2. *Pardalis* eſt quoque nomen Emplaſtri apud Aëtium *l.* 10. *c.* 12.

PAREAS, παρείας, nomen ſerpentis, qui in Syriæ locis reperitur, colore æs referens; alii vero nigricant; cujus venenum tantum ex morſu non eſt, ut enecet, ſed ſaltem inflammationem infert, notante Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 2. *Schol.* ex Aët. *l.* 13. *c.* 31.

PARECBOLE, παρεκβολὴ, idem, quod ἐκλογὴ, *Excerptum*, Hiſtoria, Obſervatio. C. Hoſm. *Comm. in Gal. de V. P. n.* 2.

PAREDRIA, παρεδρία, *aſſeſſio*, h. e. aſſociatio affectionis, qua vehementia ejus innuitur apud Hippocr. *l. præcept. VII.* 6.

PAREGORICOS, παρηγορικὸς, *mitigans*, leniens. Vide *Mitigatio.*

PAREIA, παρειὰ, dicitur pars faciei, quæ ab oculis ad mentum uſque protenditur, Latin. *Gena* aut *Mala.* De quibus ſuo loco. Hinc παρειὰς, vinculum, quod malas continet male affectas, teſte Gorræo ex Gal. *de faſciis n.* 6.

PAREMPTOSIS, παρέμπτωσις, *Incidentia*, vide *Coincidentia*, adde Mercur. *l.* 4. *V. L. c.* 13.

PARENCEPHALIS, παρεγκεφαλὶς, vide *Cerebellum.*

PARENCHYMA, παρέγχυμα, ab Eraſiſtrato dicta fuit propria cujusque viſceris ſubſtantia, quæ inter vaſorum intercapedines recipitur, quia non vult appellari carnem. Ea enim ſolum Caro dicitur, quæ eſt in muſculis, Gal. *l.* 2. *de Temper. c.* 3. *Com. in Hipp. de nat. hum. in proœm. l.* 7. *Adm. Anat. c.* 5. *l.* 6. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 8. J. Alex. *l.* 12. *Salubr. c.* 1. Ita vero dictum ab eo, quia credidit, ſubſtantiam illam eſſe ſanguinem vaſis ſuis effuſum, & demum ita concretum, Gal. *l.* 11. *de S. Fac. in princ.* C. Hoſm. *Comm. in Gal. de V. P. n.* 218. J. Alex. *not. ad Gal. l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 6. *& ad loc. de Hipp. & Plat. decr.* citatum, quam tamen opinionem Recentiores dubium reddere, imo rejicere auſi ſunt, ſtatuentes, hepatis, lienis, pulmonis, renum ſubſtantiam, vel in totum, vel maximam partem eſſe glanduloſam, aut veſicalem, ut Malpighius *in Exercit. Epiſtolicis*, & Williſ. *Pharm. Rat. part. II.*

PARENTALIS, idem, quod *Hæreditarius*, epitheton morborum à parentibus ad liberos propagatorum. Rolfinck. *Ord. ac M. Med. Sp. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 28. *&* 35. ubi & *Gentilitios* vocat, atque *Connatos.*

PARENTHESIS, παρένθεσις, terminus alias Grammaticus, vel Rhetoricus, à Paracelſo tamen tranſlatus ad *Tractatus quinque Paramiri* præmiſſos libris quinque Paramiri, in quibus generaliter expoſuit Entia quintuplicia. Vide *Paramirum.* Hos tractatus appellavit *Parentheſin Medicam. Prologo* 4.

PAREON, παρεὼν, *præſens*, adſtans. Vel dicitur de perſonis, quæ ægro vel Medico ſuppetias ferunt, aut operam aliquam, vel miniſterium præſtant, Hipp. 1. *aph.* 1. Jung. Dieter. *n.* 655. vel de rebus ſec. & præter naturam hoc vel illud agendum indicantibus. Linden. *Ex. XIII.* §. 336. *ſeq.*

PARERGON, πάρεργον, ſignificat *opus ſecundarium* & præter intentionem & inſtitutum. Unde proverb. πάρεργον ἔργον ποιήσασθαι, præpoſtere aliquid agere, de quo vid. Galen. *cap.* 1. *de R. V. I. A. t.* 3.

PARERMA, πάρεισμα, ſignificat *affulcimentum* & ſtabilimentum. Legitur apud Hipp. 3. *de iis, quæ in medic. t.* 10. *&* 30. Vide Foëſ. *p.* 487.

PARESIS, πάρεσις, idem, quod *Paralyſis*, de quo vocab. p. a.

PARETHEO, παρηθέω, *percolo*, per colum tranſmitto. Legitur apud Hipp. *l. de dentit. II.* 9. ubi Foëſ. mendum ſubeſſe cenſuit, & pro παρηθῆ παρηθεῖται legit. Verum abſque ratione. Rectiſſime enim retinetur παρηθῆ activum præſentis temporis conjunctivi modi, uti contextus hoc manifeſte docet. Ergo quandoque & bonus dormitat Homerus.

PAREXIS, πάρεξις, vide *Exhibitio.*

PAREXODOS, παρέξοδος, ſignificat *apparatum ad peregrinationem* neceſſarium, qui ſimplicior & frugalis eſſe debet Medico. Hippocr. *l. de dec. orn. IIX.* 1.

PARIETALIA *oſſa*, vide *Arcualis.*

PARISTHMIA, παρίσθμια, duplicem habet ſignificationem. Phyſiologice ita dicuntur *Glandulæ faucium*, quæ Lat. *Tonſillæ*, *Amygdalæ* quoque vocantur, quarum hiſtoriam vide in Anatomicis, præſertim Bartholin. *l.* 2. *c.* 11. Warthon. *Adenograph. c.* 22. in qua ſignificatione legitur apud Hippocr. *l. de Glandul. V.* 2. Pathologice vero παρίσθμια quoque vocantur *illarum glandularum morbi*, dum vel inflammantur, vel ob affluxum materiæ aqueæ & pituitoſæ intumeſcunt, vel etiam quando ob defectum humiditatis nimium reſiccantur, & ita deglutitionem quovis modo impediunt. Ita accipitur ab Hippocr. 3. *aph.* 26. Adde Foëſ. *p.* 488. Dieter. *n.* 657. Vide *Tonſillæ.*

PARLA, pro *Perla*, hoc eſt, *Margarita*, legitur *in Theatr. Chym. Vol.* 4. *p.* 192.

PAROCHETEUSIS, παροχέτευσις, vide *Derivatio.* Hoc vocabulum legitur apud Hipp. *l. de Humor. t.* 24. Et verbum παροχετεύειν, *derivare*, *l.* 6. *Epid. ſ. II. t.* 7. Vide Foëſ. *Oec. p.* 489.

PARODONTIDES, παροδοντίδες, vocantur quibuſdam *tubercula* quædam dolentia *juxta dentes* in gingivis, ut eſt apud Celſ. *l.* 6. *c.* 13. quo tamen loco quidam παρουλίδες legendum cenſent; quod nomen hoc παροδοντίδες à nullo Græcorum uſurpatum obſervetur, Gorr. Enimvero non video, quid obſtet, quo minus & hoc retineri & in uſum vocari queat. Meminit & Foreſt. *l.* 24. *Obſ.* 16. *Schol.*

PAROECHOMENA, παροιχόμενα, vocantur *præcedentia*, præterita, apud Hipp. 2. *de fract. t.* 58. Foëſ. *pag.* 488.

PARON, παρὸν, vide *Præſens.*

PARONYCHIA, παρωνυχία, Latine *Reduvia*, item *Panaritium*, (de quo ſuperius) vocatur abſceſſus ad radices unguium natus. Meminit Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ. VI.* 52. Æginet. *l.* 3. *c.* 81. Eſt & nomen plantæ ab effectu, quod *paronychias* curet, dictæ, Gal. *l.* 8. *S. Fac.* §. *Paronychia.*

PAROPIÆ, παρωπίαι, dicuntur *anguli minores oculorum*, qui ad tempora ſpectant, Gorræus. Scholiaſtæ Nicandr. παρωπίαι vocantur, quia ad aures proclinantur. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 10. §. 88.

PAROPTESIS, παρόπτησις, ſignificat ſudoris provocationem in Laconico ſive balneo ſicco cum carbonibus ardentibus, ſive prunis; q. d. *Adaſſatio.* Videatur Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c. I. p. m.* 255.

PARORASIS, παρόρασις, vocatur imbecillitas aut pravitas quædam viſus, Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 5. Fernelius vocavit *Hallucinationem*, deſcribens, quod fiat cornea tunica alieno colore infecta, ut ita objecta omnia tincta appareant. *Pathol. l.* 5. *c.* 5. Actionem quoque viſus depravatam *hallucinationem* vocavit Mich. Gavaſſet. *de reb. p. n. c.* 21. *p. m.* 43.

PAROTIS, παρωτὶς, generaliter ſignificat omnem abſceſſum & *tumorem glandulas ad aures occupantem* & infeſtantem, Ægin. *l.* 3. *c.* 23. Lind. *Ex. IV.* §. 87. quamvis Gal. reſtrinxerit ad tumorem dumtaxat inflammatorium in glandulis circa aures, *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 2. *& alibi.* Cauſa eadem, quæ aliorum tumorum vel inflammationum, videlicet materia ſanguinea, vel cruda vel ſeroſa acida, aut coagulativa ſtagnans in glandulis. Hippocrates ſæpiſſime appellat illos tumores, τὰ παρὰ τὰ ὦτα, aut παρ' ὂς, aut παρ' ὦτα, interdum addidit ἐπάρματα, cujus loca vide apud Foëſ. *p.* 484. *ſeq.* Quod vero ἔπαρμα ſimpliciter idem ſit, quod *Parotis*, uti voluit Caſtellus, erroneum eſt. Vide *Eparma.*

PAROXYSMUS, παροξυσμὸς, *exacerbatio, acceſſio, invaſio* dicitur, eſtque tempus morbi vehementius, in quo cauſſa morbifica validiſſime vires ſuas exerit per ſymptomata graviora aut copioſiora, & quidem vel periodice, ut in febribus, qua intermittentibus, qua continuis ad intermittentium indolem ſeſe moventibus; vel abſque etiam periodo; ubi παροξυσμὸς coincidere videtur cum *ſtatu* vel vigore *morbi*: quemadmodum & verbum παροξύνεσθαι in hac ſignificatione aliquoties accepit Hipp. *l.* 4. *Epid. XI.* 17. *XXIX.* 13. *l. de fiſtul. V.* 6. Vide Foëſ. *p.* 488. Dieter. *n.* 658. Aliquando etiam παροξυσμὸς pro *Criſi* ſumitur, quia hæc plerumque in *paroxyſmos* vel in ſtatum morbi incidere ſolet, uti notavit Foëſ. *Ex.* 2. *aph.* 13.

PARS, μέρος, vide *Meros. Pars cum parte* Chymicis dicitur maſſa ex auri & argenti æqualibus partibus cementata graduata, Rul. Iohnſon. *in Lex. Pars* Sylveſtris id eſt exterior. Dom. Leon. *art. med. l.* 2. §. 1. *c.* 14. *Pars* notat ſimilarem, Locus diſſimilarem partem. Duret. ad Holler. *de morb. inter. l.* 1. *c.* 1.

PARTHENOS, παρθένος, proprie ſignificat *virginem.* Eſt vero *virgo* κατ' ἀλήθειαν illa Sexus fœminini perſona, quæ congreſſum Venereum non eſt experta, ſive quam vir non cognovit, Lind. *Ex. VIII.* §. 28. Et in hac ſignificatione legitur ap. Hippocr. *l. de nat. mul. III.* 15. & *in lib. de Virgin. morbis*, qui morbi ſimpliciter παρθένιοι *ibid.* inſcribuntur, quo titulo ſpecialiter quoque gaudet *chloroſis*, χλώρωσις, Lang. *l.* 1. *ep.* 21. Plura vide infra ad vocabulum *Virgo.*

PARTICULA, μόριον, proprie quidem diminutivum eſt partis, ſed ſæpiſſime indifferenter ponitur pro parte, Galen. *l.* 2. *M. M. c.* 8. *& alibi.*

PARTICULARIS, μερικὸς, κατὰ μέρος, opponitur *Univerſali*, diciturque vel de morbis, qui partem unam alteramve occupant, *Dogm. noſtr. Med. Gen. P. II. c.* 6. *d.* 3. *p.* 148. vel de remediis, quatenus *Catholicis* & Panaceis opponuntur, qualia legi poſſunt *in Theatr. Chym. Vol. VI.* ubi quæras in Indice. *Tincturæ* quoque *Spagyricæ*, vel ad argentum, vel ad aurum vocantur *Particularia.* Libav. *Tom. I. Oper. p.* 150. *Tom. II. p.* 25, 240.

PARTITIO, μερισμὸς, communiter idem, quod *Diviſio.* Alias nomen quoque fuiſſe *Exercitii* cujuſdam, quod & *Præparatio* dictum fuit, teſtatur Gal. *l. ad Thraſybul. c.* 47. *circa fin.*

PARTUS, τόκος, dicitur actio, qua fœtus excluditur ex utero, ita ut conatus reciprocus & connixus quidam concurrat matris parturientis, & fœtus excludendi in partu naturali, de quo lege Gal. *l.* 5. *aph.* 55. Harvejum *de gen. anim. additamento* 1. D. D. Maur. Hoffmann. *Inſt. Anat. Diſp.* 12. C. Rejes *q.* 45. *&* 90. & alios plures. De *partu* difficili vide ſupra in *Dyſtocia.* Aliquando *Partus* idem ſignificat, quod *Fœtus* apud Lang. Hildan. Helmont. & alios. Keuchen. exiſtimat, *partum* dici de fœtu nondum edito, ſive embryone, *Not. ad Samonic. p.* 224. ſed fallitur, cum exempla multa ſint in contrarium.

PARVIBIBULUS, βραχυπότης, βραχύποτος, juxta Gal. *com.* 3. *in* 3. *Epid. l.* 24. Vide ſupra *Brachypotæ.* Quia vero ibi omiſſa ſunt, quæ ad defenſionem illius vocabuli adverſus aliorum opiniones faciunt, libuit hic addere. Nimirum Interpretes nonnulli exiſtimantes hoc epitheton non competere phreniticis, ſtatuerunt legendum vel βραχυπόται, βραχυπότιαι aut βραχυπτερύμενοι, quemadmodum ex Gal. *com. ad h. l.* indicavit. Unde & Foëſ. partim *in not. ad h. l.* partim etiam *in Oecon.* ancipitis redditus eſt ſententiæ, C. Hofm. vero *in Notis MS. ad Galeni locum* pro autoritate ſeverius primam lectionem reprobans, poſteriorem amplectendum eſſe ſtatuit. Ex recentioribus Mart. Liſterus *Exerc. III. de morb. Chronic. p. m.* 122. ſcripſit per βραχυπότας ſive parvibibulos intelligi debere hydrophobos, quod parum bibant ob metum liquoris. Verum ſalva omnium eorum autoritate, cum nullam ſonticam rationem videam recedendi à vulgari lectione, βραχυπόται

γυπόπτῃ ; nomen omnino retinendum eſſe exiſtimo. Quod enim phrenitici aliquando etiam parum bibant, ratio ſatis manifeſta, quia propter delirium animus ſtimulum ad objecta neceſſaria non ſentit furore diſtractus, quemadmodum facile colligitur *e Coac. text.* 98. Caſp. Hofmanni ut & Foëſii commentum de ſuſpicacitate, quod phrenitici breviter ſuſpicaces ſint, eſt prorſus contra mentem & ſenſum Coi principis, cum potius ζηλοπόπτῃ quam βραχυπόπτῃ dici deberent ob fervorem etiam ſpiritibus animalibus communicatum. Liſteri vero opinio (quæ etiam olim fuit Cœlii Aurelian. *l.* 3. *acutor. c.* 15.) eſt prorſus à ſcopo aliena, cum ſint diverſiſſimi affectus Phrenitis & Hydrophobia quoad cauſas & quoad ſubjectum. Neque vero cuilibet alicui ſenſum alienum affingere erit integrum vel conceſſum.

PARVIVISCERUS, μικρόσπλαγχνος, dicitur, cui & parva & prava ſunt viſcera, Gal. 3. *de Hippocr. & Pl. decr. c.* 4.

PARULIS, παρουλὶς, vocatur inflammatio gingivarum cum vel ſine ſubſequente ſuppuratione. Quod ſi excreverit caro luxurians dicitur ἐπουλὶς. Ægin. *l.* 3. *c.* 26. *& l.* 6. *c.* 27. Rhod. *ad Scribon. n.* 61.

PARUS, αἰγίθαλος, nomen aviculæ, cujus variæ dantur ſpecies, quarum deſcriptionem cum uſu in cibis & Medicina prolixe tradidit Aldrov. *l.* 17. *Ornith. c.* 12. *ſeqq.* Adde Schrod. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 63.

PARVUS, μικρὸς, quid ſignificet, notum eſt ex aliis Lexicis. Dicitur de magnitudine minori, quemadmodum *Paucus* de numero exiguo, Lind. *Ex. VII.* §. 26. *Parvi morbi* opponuntur magnis. *Parvus Mundus* qui dicatur, vide *Microcoſmos.*

PARYGRON, πάρυγρον, dicitur medicamentum quoddam liquidum vel humidum, quod medetur particulæ parva adhuc phlegmone conflictanti, protinus huic impoſitum, ubi duritiem à dolore alienam pars affecta acquiſierit; quemadmodum etiam, ſi phlegmonoſo affectu omnino ſit libera, Galen. *l.* 1. *C. M. S. L. c.* 8. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 2. Caſtell. Gorr.

PASCUUM, νομὴ, idem, quod *Pabulum* jumentorum & pecudum, cujus bonitas, aut pravitas multum facit ad lactis varietatem, notante Galen. *l.* 8. *de ſan. tu. c.* 7. *Paſcere* & *paſce* proprie brutorum eſt, quamvis & de homine aliquando uſurpari poſſit. Lind. *Ex. XII.* §. 155. 156.

PASIPHILOS, πασίφιλος, nomen *Emplaſtri ſicci* cruſtam inducentis, quod conſtat ex æqualibus portionibus vitrioli, ſandarachæ, miſyos, & chalcitidis, ex Aetio Gorr. Latine ſignificat *Omnibus charum.*

PASMA, πάσμα, vocatur medicamentum *inſperſile* in modum pulveris aut farinæ. Dicitur & διάπασμα, καταπάσμα. Vide *Catapaſma.* Gorr.

PASPALETES, πασπαλίτης, i. e. *miliaceus.* Epitheton panis e milio confecti, Πάσπαλος enim *milium* ſignificat, idem, quod κέγχρος. Gal. *in Ex. voc. Hipp.* Foeſ. *p.* 489.

PASSA, σταφὶς, ἀσταφὶς, Epitheton *uvarum*, ita dictarum ſive à *pando*, ſive à *patior.* Vid. Jul. Alex. *l.* 10. *Sal. c.* 14. Diminutivum uſitatius eſt *Paſſulæ*, quarum tres habentur differentiæ, *Zibebæ*, *Majores & Minores.* Sunt vero Uvæ vi caloris vel ſolaris, vel clibani ſiccatæ, Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 360. Bruyerin. *de re cibar. l.* 11. *cap.* 41. *Paſſa* quoque Paracelſo idem eſt, quod *Panaritium*, vel *Pandelitium*, de quo ſupra. Πασσαὶ quoque dicuntur Iridis partes nigræ, quæ oculi pupillæ proximæ ſunt. Gorr.

PASSALISCOS, πασσαλίσκος, vocatur *paxillus*, h. e. *parvus palus.* Πάσσαλος enim *palum* ſignificat. Legitur utrumque apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXII.* 2. 6. Foeſ. *d. l.*

PASSAVANTICUS eſt epitheton pulveris cujusdam purgantis, cujus deſcriptio habetur apud Schroder. *l.* 2. *Pharm. c.* 77. Fortaſſis ita dictus videtur à πᾶς & ἀναντικὸς, i. e. omnes humores expellens & evacuans.

PASSER æquivocum eſt apud Latinos. 1. enim eſt nomen avis, cujus variæ dantur ſpecies, inter quas vulgaris ſalaciſſima habetur avis; unde & cerebella ejus ad Venerem excitandam commendatur. Harum avicularum deſcriptionem & uſum in cibis & Medicina vide apud Aldrov. *l.* 15. *Ornithol. c.* 10. *ſeqq.* Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 64. Jul. Alex. *l.* 13. *Sal. c.* 1. *&* 8. *& Not. in Galen. l.* 7. *Meth. med. c.* 6. ubi *Paſſeres* pro omnibus aviculis montanis accipiuntur. Græc. στρουθὸς. *Paſſeris* guttur aceſcere valde notavit Helmont. adhuc puer. Et hinc eorum voracitatem deduxit, *tr. Imago fermenti impr. n.* 26. *& calor. effic. non dig. n.* 23. *Paſſeres* vivos deplumatos & glandulis circa aures, aut ſub axillis, aut ad inguina impoſitos allicere venenum peſtiferum, & poſtea mori; poſt mortem vero cremari aut humari debere, docet Paracelſ. *tract.* 1. *de Peſtilitate. Paſſer* eſt nomen piſcis, qui & *Rhombus* appellatur, cujus deſcriptio, differentiæ, & uſus in cibis legitur apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 46. 47. Meminit & Jul. Alex. *l.* 14. *Salubr. c.* 8. Bruyerin. *l.* 19. *de re cib. c.* 20. Græc. dicitur ψῆττα.

PASSIO, πάθος, πάθημα, generale nomen eſt, omnem motum denotans, qui ab altero in alterum fit, ſive ſecundum, ſive præter naturam fiant. Hinc & ſenſus externi *Paſſiones* dicuntur Phyſicæ. Medicis tamen uſitatius accipitur de rebus præter naturam, & æquipollet vocabulis *Affectus*, *affectio*, de quo ſupra lit. A. Junge Foeſ. *Oec. p.* 475. *ſeqq.* Dieter. *n.* 642. Linden. *Ex. XII.* §. 99. Helmontius quoque peculiarem tractatum inſcripſit: *Paſſiva Deceptio Scholarum Humoriſtarum*, in quo pugnat contra 4. humores olim receptos. *Paſſi quidem* Arabibus dictas eſſe *venas Carotidas*, ſive ſomnificas, docet C. Rejes *C. El. q.* 56. *n.* 17.

PASSIO bovina, Vermis inter cutem, & carnem totius Corporis. Alſahar. *pract. Tract.* 31. §. 2. *cap.* 13.

PASSULA, vide *Paſſa.*

PASSULATUM vocatur forma medicamenti ex pulpa paſſularum coctarum & per ſetaceum trajectarum parati, pertinetque ad Electuaria. Purgantis meminit Libav. *S. A. Ch. l.* 8. *c.* 12.

PASSUM, γλυκύ, dicitur *Muſtum decoctum*, & quidem ex uva *paſſa*. De hoc potu & ejus differentiis, vide plura apud Linden. *Ex. X.* §. 91. *ſeqq.* Rhod. *in Lex. Scribon.* Tribuitur etiam aliis ibidem, v. g. Meconium *paſſum*, Lac *paſſum.*

PASTA, πάστα, πάστη, vocatur edulium, vel juſculum farina mixtum, & ita quodammodo viſcidum. Heſychius exponit per edulium ex caſeo inſulſo, ſimilagine, & ſeſamo confectum. Eſt & pulmentum ex freſis leguminibus farina mixtum, Foeſ. *p.* 489. *Paſtam albam* Spagyricam extrahi debere ex Jove & Saturno; *rubram* vero ex Venere, Saturno & Marte docet Geber. *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 165. *Paſtæ regiæ* vocantur *Morſuli*, de quibus ſupra *lit. M.*

PASTÆTUM, ἀρτόκρεας, Lat. etiam *Artocreas*, eſt nomen edulii notum, quod paratur ex omnis generis alimentis coctioni deſtinatis peculiari paſta farinacea incluſis, & undiquaque contectis, ita ut illa paſta repræſentet ollam, vel cacabum, de quo plura legantur apud Jul. Alex. *l.* 19. *Sal. cap.* 7.

PASTILLUS, proprie idem, quod *Trochiſcus*, τρόχισκος, item *Rotula*, (quamvis & heic differentiam aliquam obſervaverint recentiores, unde de *Rotulis* infra ſuo loco dicetur) & dicitur de forma quadam medicamenti ſicca ſolida ex pulveribus, variis liquoribus exceptis & in formam circularem redactis paratum, Gal. *lib.* 5. *de C. M. P. G. c.* 11. *l.* 1. *de Antidot. c.* 9. Vide Weker. *l.* 1. *Antid. Gen. c.* 43. *Spec. l.* 2. *ſect.* 40. Schroder. *l.* 2. *c.* 86. Morell. *de Form. Rem. l.* 1. *ſ* 3. *c.* 6. Aliquando tamen & latius acceptum legitur vocabulum *Paſtillus*, de forma quoque oblonga, ita ut *Turundæ* & *Glandes* comprehendantur, notante Rhodio *ad Scribon. n.* 5. Blancard. etiam ad Pomum odoriferum, *Pomambra* dictum, retulit *in Lexic.* ſed qua autoritate, non libuit inquirere.

PASTINACA, æquivocum eſt, & vel plantam ſignificat, de qua ſignificatione conſulantur Botanici, vel animal aquatile venenoſum, ſive piſcem, & Græce dicitur τρυγὼν θαλάσσια, cujus hiſtoriam, veneni vim, & uſum in Medicina tradidit prolixe Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 46. Meminit & Galen. *l.* 5. *de C. M. P. G. cap.* 2. *in fin.* & Theatr. Chym. *Vol. V. p.* 394.

PASTIO, *Paſtus*, νομή, vide *Nome. Paſtus* alias idem eſt, quod ciborum aſſumtio.

PATELLA, μύλη, ἐπιγονατὶς, vide *Mola.* Alias idem quoque notat, quod *Patina*, de quo p. p. Rhod. *in Lex. Scribon.* Eſt & nomen Teſtacei univalvis, Gr. λεπὰς dicti, cujus hiſtoriam cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 79.

PATER, πατὴρ, quid ſignificet proprie, notum eſt, videlicet marem, qui genuit prolem, quamvis Helmont. argutias agat, negando, *patrem* eſſe cauſſam efficientem filii, ſed ſaltem ſeminis, *tr. Cauſæ & initia natur. n.* 10. Chymici ænigmatice attribuerunt hoc vocabulum variis rebus, v. g. ſulphuri, ſoli, calcinationi Rul. *in Lex. Theatr. Chym. Vol.* 1. *p.* 201. *Pater æris* vocatur *Larbaſon*, quia matrix & minera auri, argenti, aliorumque metallorum eſt. Libav. *Tom. III. Oper. p.* 14.

PATETOS, πατητὸς, proprie *Paſſus* Latine dicitur. Unde σταφυλαὶ πατηθεῖσαι, uvæ *paſſæ*, vocantur. Verum *Patetos* etiam vocatur ſpecies quædam *Palmæ*, teſte Rhod. *ad Scribon. plane ad finem.* Gal. *l. de cib. bon. & mal. ſucc. c.* 4.

PATHEMA, πάθημα, vide *Paſſio.*

PATHETICUS, παθητικὸς, eſt ſpeciale epitheton nervorum quarti paris intra cranium occurrentis, ideo quod totum in muſculum oculorum impenditur, & ita veroſimile eſt oculi motum juxta animi paſſiones & impetus movere. Willis *Anat. cerebr. c.* 21. *fere ad fin.*

PATHOGNOMONICUS, παθογνωμονικὸς, epitheton ſignorum *Diagnoſticorum* ſingulis morbis propriorum & inſeparabilium, quamvis Linden. à recepta hac ſignificatione receſſerit præter neceſſitatem. Vide *Diagnoſis.* Raro datur ſignum unicum *Pathognomonicum*, ſed potius obſervanda *Pathognomonica ſyndrome*, id eſt, concurſus ſymptomatum, affectuum p. n. index, Grl. *l.* 1. *de L. A. c.* 1.

PATHOLOGIA, παθολογία, vocatur ea Medicinæ pars miniſtra cognitioni inſerviens, quæ docet & exponit res præter naturam, (videlicet morbum, cauſam morbificam, & ſymptomata,) in homine occurrentes. Videantur Inſtitutioniſtæ paſſim, ut & *Dogmata noſtra Part. II. in princ.* Minus accurate & juſto ſtrictius noſtro judicio appellatur *Æthiologia*, αἰτιολογία.

PATHOS, πάθος, vide *Paſſio.*

PATIAS, idem, quod *ſquama æris*, vel metallica, Gr. λεπὶς. Rul. & Iohnſ.

PATIENTIA, ὑπομονὴ, idem, quod *Tolerantia*, ægro adeo neceſſaria, ut ejus habeatur panoplia & unicum ſæpe remedium, quam egregie commendatam lege apud Dieter. *Iatr. p.* 841. Non tamen intelligenda Stoica illa, de qua Lind. *Ex. IIX.* § 14. 15. quæ ſupra humanam naturam, ſed qualis in hominem & præſertim Chriſtianum cadit, qua dolores & cruciatus animoſe tolerat & ſuſtinet, hac ſpe firmus, ut, quando Deus voluerit, ſibi collaturus ſit ſanitatem. Propter hanc virtutem ægri quoque communiter & vernacule vocantur *Patientes;* quamvis haud raro ipſi etiam Medici debeant eſſe *Patientes* variis modis. In operationibus Chymicis prolixioribus quoque neceſ-

ſariam

ſariam eſſe *Patientiam*, conſtat ex *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 898. *Patientia* Muſculus qui dicatur, vide ſupra in vocab. *Levator.*

PATINA, λοπὰς, dicitur vas patulum, quo aliquid recipi poteſt; item etiam *olla.* Λοπάδιον parva *patella* vocatur, Gal. *c.* 1. *de artic. t.* 19.

PATOR, id eſt, *hiatus*, χάσμα, ſinus apertus. Dicitur de narium cavitate aperta apud Scribon. *n.* 46. 47. Adde Rhod. *in Lex.*

PATOS, πάτος, vocatur *ſordes*, hoc eſt ſudor, cum pulvere mixtus certantium & colluctantium in palæſtris, qui & ῥύπος vocatur, Æginet. *l.* 7. *c.* 3. §. *Rhypos.* Optimum eſſe mammillarum inflammationibus remedium, vult Oribaſius *l.* 2. *euporiſtor. c.* 1. *tit.* ῥύπος, *p. m.* 90.

PATRIMONIUM accipitur tropice etiam vulgo pro *Genitalibus* & *Teſticulis*, & ita legitur ap. D. Ludovici *Pharm. Diſſert.* I. *p.* 517.

PATURSA dicitur *Morbus Gallicus.* Fallop. *tr. h. t. c.* 2. & eſt idem, quod Scabies Indica, eo quod ex India occidentali Hiſpanos tranſportaſſe credatur, quamvis hoc neget Helmont. *tract. Tumul. Peſt.* §. *Peregrina lues nova.*

PAUCIFERUS, ὀλιγοφόρος, vide *Oligophoros.* Opponitur τῷ οἰνώδει. Vide *Oenodes.*

PAUCUS, ὀλίγος, vide *Oligos.*

PAULA, παῦλα, nomen Emplaſtri ad bubones & ſtrumas efficacis, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 17.

PAULADADUM, vel *Pauladada*, eſt ſpecies Terræ ſigillatæ naſcentis in Italia, quam circumforanei, qui ſeſe jactant ex familia S. Pauli, paſſim in illis provinciis venalem habent, Dorneus *in Diction.* Vocatur alias *Terra ſigillata Melitea* vel *S. Pauli.* Schroder. *l.* 3. *c.* 2. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

PAULATIM, κατ' ὀλίγον, opponitur τῷ *repente* & *conſertim.* Hipp. 2. *aph.* 81. Junge Gal. *comm.*

PAUO, παύω, ſignificat *Ceſſo.* Vide *Pauſis.*

PAVO, *Pavus*, ταὼς, *avis Medica*, cujus deſcriptio cum uſu in cibis & Medicina habetur apud Aldrov. *lib.* 13. *Ornith. c.* 1. Meminit & Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 19. Jul. Alex. *l.* 13. *Sal. cap.* 3. Add. Schroder. *lib.* 5. *cl.* 2. *n.* 65. Bruyerin. *l.* 15. *de re cib. c.* 28. Ejus Anatomen à Caſparo Bartholino Th. fil. obſervatam vide *in Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſ.* 114. *pag.* 288. *Pavones* clamore præſagire mortem dominorum ſuorum, ſcribit Paracelſ. *in Fragm. Med.* In operatione Lapidis Philoſophici quid ænigmatice dicatur *Pavonis cauda*, vide *in Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 355.

PAVOR, φόβος, vel idem ſignificat, quod *Timor*, vide *Metus*, (vel ſaltem gradu majori à timore differt) & ita cum *terrore* coincidit. Vide Jul. Alex. *l.* 22. *Sal. c.* 3. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 105. Sæpe cauſa efficiens Epilepſiæ, notante Helmont. *tr. A. ſede an. ad morb. n.* 15. Aliquando *Pavor* idem, quod *ſcabies*, *prurigo.* Et *pavidum* idem, quod *ſquamoſum.* Keuchen. *ad Sammon. p.* 111.

PAUPER, πένης, *Paupertas*, πενία, quid ſignificent, ex aliis notum eſt Lexicis. Dicitur de iis, qui deſtituuntur præprimis fortunæ bonis. Pertinet quoque conſideratio *Pauperum* ad Medicinam, quatenus vel ſunt ſubjectum ſanitatis, cum teſte Luciano ſæpe eorum conditio vivendi ſit optima & tranquilliſſima, quia graves morbi illos non facile invadunt, Dieter. *Iatr. pag.* 179. Vel etiamſi aliquando ægrotent, quod Medici non debeant ſeſe ſubtrahere ab eorum curatione, ad exemplum Hippocratis, notante Gal. *l. quod opt. Medicus &c.* nec ſumptuoſa, ſed euporiſta ordinare remedia. *l.* 3. *de C. M P. G. cap.* 2. Chymicos non debere eſſe *pauperes*, cum Ars hæc inimica ſit *pauperibus*, expreſſe docet Joh. Iſaac. *Oper. Miner. c.* 13. *in Theatr. Chym. Vol. III. p.* 313. Hinc haud dubie ortum proverbium Italicum: Non ti fidare all' Alchimiſta *povero*, e Medico amalato. Utinam hoc obſervarent Magnates!

PAUSIS, παῦσις, dicitur *ceſſatio*, *remiſſio*, à παύω, *ceſſo*, remitto, vel ceſſare *facio*, ſedeo, uti patet ex 2. *aphor.* 2. & 4. *aph.* 15. Adde Diet. *n.* 661. Nomen vero παῦσις legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. VII.* 7. Plura vide apud Foeſ. *p.* 489. *ſeq.*

PECCATUM, ἁμαρτία, ἁμάρτημα. Vide *Delictum*, *Erratum*, *Hamartia.*

PECHEDEON, πηχέδεον, idem, quod *Perineum*, περίνεον, ſive πῶρος, hoc eſt, interſtitium inter anum & ſcrotum. Erotian. *Onom. p.* 94. *b.* Foeſ. *p.* 505.

PECHYAGRA, πηχυάγρα, dici poteſt ex mente Paræi Arthritidis ſpecies cubitum occupantis, *l.* 17. *Chir. c.* 1.

PECHYS, πῆχυς. Vide *Cubitus.*

PECHYTYRBE, πηχυτύρβη, epitheton *Scorbuti* apud Foreſt. *l.* 20. *Obſ.* 11. *in Schol.*

PECTEN, κτεὶς, vide *Cteis.* Quibus addi poteſt; quod *Pecten* etiam ſit nomen piſcis apud Romanos, cujus hiſtoriam cum uſu tradidit Aldr. *l.* 2. *de piſc. c.* 27. *Pectines*, intervalla. Lineæ ſecundum longitudinem, in arborum materia, per quas findi poſſunt. Dodon. *Pemp.* 1. *l.* 1. *c.* 1. *hiſt. Stirp.*

PECTINÆUS Riolano dicitur Muſculus ad oſſium pubis commiſſuram prope cartilaginem ortus, alias *Lividus* dictus, & videtur eſſe *pars Tricipitis.* Barthol. *l.* 4. *An. c.* 11. *p.* 580.

PECTINATIO, κτενισμὸς, dicitur purgatio capitis & capillorum pectine facta, cujus utilitatem Medicam laudat Rolfink. *O. & M. M. l.* 4. *Sect.* 10. *Part.* 3. *c.* 2.

PECTORALIS, στηθικὸς, περιστήθιος, dicitur Muſculus, qui totum fere pectus occupat Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 2. *p.* 459. *Pectorale* pertinet ad veſtitum, quo pectus ab aeris injuria munitur.

PECTOS, πηκτὸς, *concretus*, *congelatus*, vel condenſatus;

denſatus. Ita πηκτὸν γάλα, lac *concretum*. Gorr. vide *Concretio*.

PECTUNCULUS eſt nomen piſcium teſtaceorum navibus ex India orientali redeuntibus infinito numero adhærentium, quoad collum quidem potiſſimum avibus Barnules dictis aliquatenus ſimilium, qui tamen revera non tales ſunt, quemadmodum ex Anatomia utrorumque hoc pateſcit, docente hoc D. Carolo Leigh *in Hiſtoria Naturali Lancaſtriæ, Ceſtriæ & Jugorum Darbiæ l.* 1. *c.* 10. Vid. *Act. Erudit. Lipſ. A.* 1701. *m. Novemb. pag.* 514.

PECTUS, ϛῆθος, variis gaudet ſignificationibus. Communiter & late notat totam *anteriorem thoracis*, ſive medii ventris *partem*, in qua ſignificatione legitur apud Hippocr. 3. *aphor.* 5. 23. & 5. *aphor.* 24. Stricte pro *Sterno* ſumitur, hoc eſt, media pectoris parte jugulo ſubjecta, cui coſtæ annectuntur, Galen. *Introduct. c.* 10. ad quam ſignificationem referunt Interpp. locum Hipp. 1. *de artic. t.* 68. Porro & notare videtur ϛῆθος, ſive *pectus* ipſum *orificium ventriculi*, quod ſub cartilagine mucronata deliteſcit, idque probari poteſt ex Hippocr. *Coac. t.* 43. *lib.* 1. *Epid. ægr.* 14. & *l.* 2. *ſ. VI.* 29. Tropica quoque ſignificatio habetur, quando πέδιον, ſive planta pedis ab Hipp. vocatur ϛῆθος ποδὸς, *pectus pedis*. 3. *de artic. t.* 92. & vola manus, ϛῆθος χειρὸς, *pectus manus*, *l. de Venis XII.* 12. Vide Foëſ. *p.* 586. 587. Dieter. *n.* 789. *Muſculus pectoralis* qui dicatur, vide in Anatomicis & Bartholin. *l.* 4. *cap.* 2. *Anatom. Pectoralia medicamenta* vocantur quæ & *Thoracica* dicuntur, de quibus paſſim apud Practicos legi poterit.

PEDAGRA, eſt *Tartarus*. Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

PEDESTRIS, πεζὸς, epitheton animalium, quæ pedibus incedunt, ad differentiam volatilium & natantium. Ita apud Gal. aliquoties homo deſcribitur animal *pedeſtre* bipes, *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 5. *in fin. & alibi.*

PEDETHMOS, πηδηθμὸς, dicitur *ſaltus*, *pulſus* venarum, vel potius arteriarum apud Hipp. *l.* 7. *Epid. XXI.* 21. Foëſ. *n.* 504.

PEDIASIMOS, πεδιάσιμος, dicitur quaſi *campeſtris* ſpecies *Myrrhæ* præpinguis, qua expreſſa ſtacte emittitur. Gorr. *ex Dioſc. l.* 1. *c.* 77.

PEDICULATIO, idem, quod *Phthiriaſis*, ſeu *morbus pedicularis*. Walther. *S. M. p.* 1255. Heurn. *de morb. cap. c.* 6.

PEDICULUS, φθεὶρ, nomen notiſſimum inſecti morſu ſuo moleſti ſatis hominibus & brutis, quod ex ſuccorum pravorum copia generari, docet Gal. *l.* 11. *de S. F. &c.* Caro viperæ. *Pediculorum* vero hiſtoriam cum uſu & noxa deſcriptam, vide apud Aldrov. *de Inſect. l.* 5. *c.* 4. Schrod. *l.* 5. *cl.* 4. *n.* 11. Devorare *pediculos* adverſus Icterum uti ſordidum, ita & vanum eſſe remedium, docuit experientia. *Morbus pedicularis*, Græce φθειρίασις, vocatur, eſtque plerumque comes ſcabiei humidæ, ex cujus materia acervatim pediculi generantur. Peculiaris vero ſpecies *morbi pedicularis* habetur, quando in palpebris, & ſub axillis, ut & in pube gignuntur cuti arctiſſime infixi pediculi plani & latiores, Italis *piattole* dicti. De *pediculorum* morbo mirabili *Ægyptiorum*, vide C. Rejes *C. El. q.* 36. *Pediculi* quoque dicuntur ſummitates ſcoporum, quibus appendent acini. Græce πείσματα πέλματα. Linden. *Ex. X.* §. 192.

PEDILUVIUM, aliis *Lavipedium*, eſt ſpecies balnei particularis, nimirum demerſio pedum intra aquam, calida vel frigida, de cujus uſu, præſertim calido, videatur Laur. Bellin. *in Opuſc. Medic. tr. de ſanguinis miſſione*, *p.* 153.

PEDION, πέδιον, dicitur *planta pedis*, inter tarſum & digitos ſita. Vocatur & πέλμα, *planum* pedis. Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 5. & *c.* 1. Caſp. Hofm. *in Comm. ad Gal. LL. de V. P. n.* 109. vocat *Metatarſium*. Barthol. vero *Pedium* dicit eſſe *Tarſum*, *libell.* 4. *An. c.* 21. Vocatur & πέζα.

PEDITUS, πορδὴ, idem, quod *Crepitus*. Vide ſupra lit. CR. Vide Helmont. *tract. de flatib. n.* 36. & 50.

PEDORA vocatur *ſordes oculorum, aurium* & *pedum*. Keuchen. *ad Sammon. p.* 241.

PEDUNCULUS, idem, quod *Pediculus*, φθεὶρ.

PEGANELÆON, πηγανέλαιον, h.e. *oleum rutaceum*, Non. *de P. M. C. c.* 29. *p. m.* 34.

PEGANERON, πηγανηρὸν, vocatur *Emplaſtrum rutaceum*, cujus tres deſcriptiones habentur, una apud Ægin. *l.* 7. & duæ apud Aët. notante Gorr.

PEGE, πηγὴ, ſignificat *fontem*. Alias πηγαὶ quoque vocantur *oculorum anguli minores*, qui ſunt ad naſum, quos etiam alio nomine ῥαντῆρες appellant. Gorr. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 10. §. 88.

PEGERNUS, id eſt, *peregrinus*, hoc eſt, *Mercurius*. Rul. & Iohnſ.

PEINA, πεῖνα, idem, quod λιμὸς, *famem* ſignificat. Vide *Fames*, à verbo πεινάω, eſurio. Galen. *c.* 3. *in* 6. *Epid. t.* 28.

PEIRA, πεῖρα, idem, quod ἐμπειρία, *Experientia*. Vide *Empeiria*.

PEITHOMENOS, πειθόμενος, *obſequens*. Dicitur de odoribus in corporis uſum facile cedentibus & reficientibus. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ. VIII. t.* 14.

PELADA, ſpecies *Capillorum defluvii*, præſertim e morbo Gallico provenientis. Foreſt. *l.* 8. *Obſ.* 2. *Schol.*

PELAGIOS, πελάγιος, idem, quod θαλάσσιος, *marinus*. Epitheton piſcium, qui ad mare profundum ſecedunt, Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 26. 27.

PELAMYS, πηλαμὺς, nomen piſcis pelagii non ſquamoſi, carnis duræ, interdum genericum, varias ſpecies comprehendens, interdum ſpeciale, pro illo piſce, qui e Ponto affertur, ſumtum, Galen. *d. l. c.* 31. Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 18. Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 9. *circa fin.* Huc pertinent & *Thunni*.

PELARION, πηλάριον, vocatur *Collyrium quoddam* μενόμενον, à πηλὸς, *lutum*, ita dictum ex ipſa compoſitionis forma, quaſi *lutoſum*. Unde & τρυγῶδες, *feculentum*, vocatur. Deſcriptio habetur apud Aëtium, notante Gorræo & Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Eſt & apud eundem nomen Emplaſtri ex ſcoria argenti, alias διὰ ἐλκύσματος dicti, *d. l. c.* 17.

PELAS, πέλας, *prope*, *proximus*. Hinc Superlativ. adverb. πελαστάτως, *proxime*, legitur apud Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XCI.* 56. Et verbum πελάζω, *appropinquo*, *d. l. LI.* 9.

PELECANUS, πελεκᾶν, æquivocum eſt. Proprie ſignificat avem, quæ alias *Onocrotalos* dicitur, de quo vocabulo ſupra in ON. Tropice primo notat inſtrumentum Chirurgicum dentibus extrahendis deſtinatum, ob extremitatem incurvatam inſtar roſtri *Pelecani;* cujus deſcriptionem vide apud Paræum *l.* 16. *Chirurg. c.* 27. Chymiſtis deinde dicitur *Pelecanus* vas quoddam circulatorium à figura Pelecani roſtro pectus ſuum fodientis nuncupatum, amplo ventre ſenſim in anguſtius collum vergente, quod retortum & curvatum os rurſum in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui, liquore infuſo, Hermetico ſigillo occluditur, & calore admovetur. Rul. & Iohnſ. Hinc *Pelecanatio* dicitur Chymicis circulatio per *Pelecanum*, notante Beguino *in Tyrocin. Chym.*

PELIADES, πηλιάδης, epitheton ſerpentis, cujus virus recenſet ex Aëtio Foreſt. *l.* 30. *Obſerv. ult.*

PELICIDE, id eſt *mel coctum*, *pelude*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PELICOS, πηλίκος, idem, quod πόσος, *quantus*. Dicitur de quantitate morborum. Galen. *l.* 1. *de diff. morb. c.* 8.

PELIDNOS, πελιδνὸς, vide *Lividus*.

PELIOMA, πελίωμα, dicitur pars ſugillata livida, ad differentiam μελάσματος. Foreſt. *lib.* 5. *Chir. Obſ.* 9. *Schol.*

PELLACIA, idem, quod *Pica*, apud Lucret. notante C. Hofmann. *lib.* 3. *Apolog. pro Galeno Part. II. c.* 59. ubi ſimul recte reprobat Maſſariam, qui Pelaptiam apud Lucretium legit. *lib.* 3. *Med. Pract. c.* 8.

PELLICULA, idem, quod *Membrana*, *Tunica*, χιτὼν, ὑμήν. Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 2. *in princ.* Vide *Hymen*, *Membrana*.

PELLIS, idem, quod *Corium*, δέρμα, præprimis cutem animalium pilis, vel lana adhuc conſtantem ſignificat. Hinc *Pellis lanata*, apud Scribon. *n.* 80. *Pellis canina*, *n.* 161. *Pelles manicatæ*, χειρίδες, alias *Manicia* dictæ, manus involucra ex *pellibus* facta leguntur. *Pellibus* animalium ſi quis uti velit, plurimum referre, an illa animalia ferro jugulata, an ſponte mortua ſint, recte ſcribit Mercurial. *l.* 2. *V. L. c.* 25.

PELLOS, πελλὸς, & πελλὸς, idem, quod πέλιος, aut πελιδνὸς, *Lividus*, ſubfulvus. Gorr. *in def.*

PELLUCIDUS, διαφανὴς, Vide *Diaphanes.*

PELMA, πέλμα, 1. ſignificat *plantam pedis*, & ita idem, quod πέδιον. Vide *Pedion.* 2. Πέλμα vocatur *ſolea* ex corio, aut alia materia parata, plantis pedum applicanda. Hipp. *in Mochl. XIIX.* 7. Alibi dicitur ἴχνος, 4. *de art t.* 9. Vide *Ichnos.* Denique πέλματα vocantur *pediculi pomorum*. Lind. *Ex. X.* §. 192.

PELOBATIS, πηλοβάτης, ἢ πηλοπάτης. Vide *Lutigradus.*

PELOR, *Pelorogaſtor*, πέλωρ, πελωρογάστωρ, dicitur, cui *magnus* eſt *venter*, Linden. *Ex. XI.* §. 138. Πέλωρ aut πέλωρος magnum ſignificat.

PELORIS, πελωρὶς, vocatur ſpecies Conchæ, vel *Chama*, *major*, oſtreis, quæ in ſtagnis ac paludibus reperiuntur, fere ſimilis, cujus caro dura & multi alimenti, notante Rhodio *ad Scrib. n.* 104. Deſcripſit etiam Aldrovandus ſub nomine *Chamæ Peloridis l.* 3. *Exang. c.* 63.

PELTALIS, vid. *Scartilago*, *Scutiformis.*

PELVIS, χώνα, πύελος. Vide *Choana. Pyelos.* Præterea quæ in prioribus binis editionibus omiſſa, merito addere operæ pretium eſt, quod quibuſdam Anatomicis & Chirurgis, imprimis e noviſſimis D. Henrico à Deventer *in ſuo Lumine Novo pro Obſtetricantibus*, *Pelvis* dicatur ſpatium illud totum, quod occupat uterus præſertim Gravidarum, & circumſcribitur oſſibus Ilium, Coxendicis, Pubis & oſſe ſacro, quemadmodum accurate & prolixe deſcripſit *c. III. p. m.* 14. *ſeqq.* Cujus ſpatii capacitas ſi recte ſe habuerit, ad partus facilitatem multum conferri ita e contrario ſi juſto anguſtior aut major, aut nimis plana fuerit, diverſa incommoda inde circa partum exoriri poſſe obſtetricibus ſcitu neceſſaria, pro data occaſione ſeſe accommodare rite queant, fideliter propoſuit *c. XXVII. p.* 111. *ſeqq.*

PEMMA, πέμμα, vide *Cellaria.* Lang. *l.* 1. *ep.* 56.

PEMPELOS, πέμπελος, dicitur *ſenex*, qui ad tertiam ſenectutis ætatem pervenit, videlicet decrepitam & propter infirmitatem omnibus rebus inutilem, ita dictus à πέμπω, mitto, quaſi mox ad manes ablegandus. Galen. *l.* 5. *de ſan. tu. c.* 12. *fin.*

PEMPHINGODES, πεμφιγγώδης, epitheton certæ febris, quæ *flatulenta*, ſpirituoſa, inflata, dicitur, in qua per cutem aëreum effluvium exhalare ſentimus, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 29. Gal. *in Com.* quamvis alii aliter explicent, dicentes, eam notare febrem, in qua propter ichoris maligni & fervidioris copiam puſtulæ ferventes, cum in ore, tum in habitu corporis erumpunt. Foeſ. *p.* 492. Gorr. Eſt ſpecies febris ſynochi non putris vehementioris. Caſp. Rejes *C. El. q.* 68. *n.* 7. Πέμφιγξ vocab. multæ ſignificationis eſſe, docuit Galen. *dict. loc.* *Pemphinx* dicitur etiam malum cum exanthematibus ſive puſtulis ſimilibus iis, qui à morſu cimicum aut urticarum percuſſione inducuntur &c. teſte Vit. Riedlin. *Obſ Medic. Cent. I. Obſ.* 46. *p.* 107.

PEMPLOS, πέμπλος, idem, quod πέμπελος, *ſenex capularis*, decrepitus, Acheruntícus, P. Zacchias

chias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 1. *tit.* 1. *q.* 9. *num.* 24.

PEMPTÆOS, πεμπταῖος, *quintanus.* Epitheton febris intermittentis, quinto quoque die acceſſionem repetentis. An detur? nonnulli dubitant. Gal. negat, ſe vidiſſe *l. de typis vel circuitibus.* Gorræus vero teſtatur, ſe vidiſſe. Nobis videtur res valde incerta & dubia, ob facilem lapſum in obſervatione temporum. Caſp. Hofm. ad tertianam refert, in qua una dies eſt ſine acceſſione. *Apolog. pro Gal. l.* 3. *c.* 298.

PENATES dicuntur ſpiritus ignis elementi & cœli, penetrales, penes nos nati, penuarii; *lares* Hereii, Epheſtii, Eteſii, Meilichii, Dorn. Rul. & Iohnſ. e Paracelſ. *tr.* 2. *de Peſtil. cap.* 1. & *l. Meteor. c.* 4.

PENES, πένης, vide *Pauper.*

PENETRANS, περαιωτικὸς, διαπερατικὸς, ἐφεκτὶς, dicitur de virtute medicamentorum ad interiora tranſeunte Galen. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 3.

PENETRATIO, alias Chymicis idem eſt, ac *ſubmerſio.* Rul. & Iohnſ.

PENICILLUS, *Penicillus*, κερχίσκος, ῥάκος, quid ſignificet, ex aliis quoque Lexicis conſtat. Refertur ſaltem inter inſtrumenta quoque Medica & præſertim Chirurgica, quatenus læſis partibus induntur, aut applicantur. *Penicilla* idem, quod *Turundæ.* Lang. *lib.* 3. *ep.* 5. Foreſt. *lib.* 6. *Chirurg. Obſerv.* 14. *Schol.* Keuchen. *ad Sammon. p.* 252.

PENIDIUM eſt epitheton *Sacchari* clarificati, purificati & in bacillos redacti, ejus parandi modum vide apud Schroder. *libr.* 4. *cl.* 4. *n.* 400.

PENIS, καυλὸς, σῆμα, idem, quod *Coles*, *membrum virile.* Vide *Coles.* Adde Rolf. *l. de part. genit. Part.* I. *c.* 43. *ſeqq. pluribus. Penis muliebris* vocatur *Clitoris.* Vide *Clitoris. Glandula* quoque *pinealis* in cerebro à quibuſdam *Penis cerebri* vocatur, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 6.

PENNA, κάλαμος. Vide *Calamos. Pteron. Pennarum* monſtroſam concretionem intus repertam in anſere, vide *in Ephem. N. Cur. A.* II. *O.* 80. *Pennam marinam* ex Plinio deſcriptam & delineatam vide apud Paræum *Chir. l.* 4. *c.* 21.

PENSILIS, epitheton Verrucæ, quæ Græce ἀκροχορδὼν dicta. Vide *Acrochordon.*

PENTACULA, περίαπτα, ſunt ſigna, ſigilla, & delineamenta admirandis & incognitis aliquando literis characteribus implicata, quæ collo appenſa creduntur à malignis ſpiritibus & faſcino quovis præſervare. Dorn. *Dict. Parac.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PENTAMYRON, πεντάμυρον, nomen. *Unguenti* cujuſdam, ita dicti à quinque rebus, quibus conſtat, puta ſtyrace, maſtiche, cera, opobalſamo, (Æginet. opopanace) & unguento nardino. Deſcribitur apud Aëtium *l.* 12. *c.* 44. citante Gorr. & Æginet. *l.* 7. *c.* 18.

PENTAPHARMACON, πενταφάρμακον, proprie ſignificat medicamentum conſtans quinque rebus. Verum nomen hoc inditum quoque alimentis, quaſi uſum eſſe Imperatorem Adrianum & reperiſſe Ælium, fuiſſeque ſumen, pavonem, pernam, cruſtulatam & aprugnam, notavit Rhod. *ad Scribon. n.* 211. quemadmodum τετραφάρμακον fuit de ſumine, faſiano, perna & cruſtulo. *Ibid.*

PENTATHETON, πεντάθετον, *Emplaſtri* nomen ad colliſa, vibices flagellorum & cutem excoriatam. Aëtius *l.* 15. *c.* 75. Gorr.

PENTATHLOS, πένταθλος, vocabatur olim is, qui quinque generibus certaminum valebat. Dieter. *Iatr. p.* 103.

PENURIA, idem quod *Indigentia*, *Paupertas*, ἀπορία.

PEPÆDEUMENOS, πεπαιδευμένος, proprie olim dicebatur puer inſtitutus in linguis & artibus. Caſp. Hofmann. *Comm. in Galen. LL. de V. P. num.* 9. Communiter ſignificat omnem *Eruditum.*

PEPANSIS, πέπανσις, idem, quod πεπασμὸς, *Maturatio.*

PEPASMOS, πεπασμὸς, vide *Coctio. Maturatio.*

PEPEGOS, πεπηγὸς, *fixus*, immotus, *compactus.* Uſurpavit Hipp. de corporibus, *lib. de ſal. diæt.* & *de oculis l.* 1. *ſect.* 2. *Prorrh. t.* 11. Foëſ. *p.* 493.

PEPEIROS, πέπειρος, *concoctus*, ad maturitatem perductus. Uſurpatur de morbis ab Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 40. & 41. de ſputo *l.* 2. *Epid. Sect.* III. 57.

PEPIESMENOS, πεπιεσμένος, *preſſus*, hoc eſt vexatus. Dicitur de ægris ſiti oppreſſis ad potum interdictum. Hipp. *l.* 4. *Epid.* XXXI. 4.

PEPON, πέπων, *coctum*, maturum ſignificat, à πέπτω. Vide Dieter. *n.* 668. Eſt etiam nomen fructus, de quo conſulantur Botanici.

PEPONATOS, πεπόνατος, *ſmegma* dicitur, ad faciei nigritiem conferens, cujus meminit Ægin. *l.* 3. *c.* 25. & *l.* 7. *c.* 13. Vide Gorr.

PEPSIS, πέψις. Vide *Coctio.*

PEPTICOS, πεπτικὸς, *Concoquens.* Dicitur cum de facultate naturali alimenta in ſubſtantiam nutritioni commodam permutante, quæ *Concoctrix* vocatur; tum de Medicamentis, qua *Stomachicis* ventriculi officium promoventibus, qua *Maturantibus* & *Suppurationem* promoventibus. Gorr.

PEPYROMENOS, πεπυρωμένος. Vide *Torrefactus.*

PERACUTUS, κάτοξυς. Vide *Acutus. Catoxys.*

PERAMBULANS Paracelſo vocatur amans peregrinationum, & qui per itinera experientiam & firmam notitiam ſibi acquirit; & hoc recte à Medico perfecto requirit aliquoties in ſcriptis ſuis, v. g. *in Defenſ.* 4. *in prologo de herb. virtut. in Chirurgicis ſcriptis.*

PERAS, πέρας, vide *Terminus.*

PERCA, Græce πέρκη, περκὶς, nomen piſcis, & quidem duum generum. Alia enim eſt *Perca marina*, ceu major, cujus hiſtoriam cum uſu tradidit Aldrov. *l.* 1. *de piſc. cap.* 9. Meminit & Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 3.

ſin. Alia eſt *Perca fluviatilis* minor, cujus deſcriptionem cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrov. *lib.* 5. *de piſc. c.* 34. Jul. Alex. *l.* 15. *cap.* 6. Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 86. Quid *Perca Auſonii* ſit, dubitat Linden. *Ex. XI.* §. 227. *ſeqq.*

PERCIPIOLUM, eſt Medicamentum ad morbum comprobatum. Dorn. *in Dict. Parac.*

PERCNOPTEROS, περκνόπτερος, vocatur *Aquilarum* ſpecies ob deformitatem omnium viliſſima, cujus hiſtoriam cum uſu tradidit Aldrov. *l.* 2. *Ornithol. c.* 10.

PERCNOS, περκνὸς, *nigrum* ſignificat apud Hippocr. *l. de cap. vuln. XXVI.* 2. exponente Erotiano & Foëſ. *p.* 502. Eſt etiam nomen aquilæ apud Aldrovand. *d. l.*

PERCOLATIO, ἤθησις, idem, quod *Colatio.* De quo ſupra in co.

PER CONSENSUM. Vide *Conſenſus.*

PERCRIBRATUS, vide *Cribratorium.*

PERCULSIO, πλῆξις, à πλήττω, *Percutio*, idem, quod *Percuſſio.* Accipitur proprie & tropice. Vide Dieter. *Iatr. p.* 198.

PERCURRO, præter communem ſignificationem, etiam denotat membrorum fotum & frictionem levem, teſte Keuch. *ad Sammon. p.* 112.

PERCUSSIO, πλῆξις, quid proprie ſignificet, notum eſt ex aliis quoque Lexicis. Spectat vero ad Medicos, vel ſub reſpectu cauſæ alicujus externæ violentæ: unde *Percuſſi*, βλητοὶ, item πεπληγότες vocantur, in quibus fibrarum in partibus membranoſis & muſculoſis continuitas quadantenus ſolvitur & turbatur; imo & oſſeis, dum percuſſio gibboſitatem inferens legitur apud For. *l.* 29. *Obſ.* 23. *in Schol.* De *percuſſione* temporum lethali legatur obſervatio apud Bonet. *Medic. Septentr. in l.* 1. *Sect.* 3. *c.* 20. *p.* 56. Vel ſub reſpectu remedii Chirurgici, quando v. gr. membra extenuata ad reſtaurationem ferulis *percutiuntur.* Gal. *l.* 14. *M. M. c.* 16.

PERDESIS, πέρδησις, idem, quod πορδὴ, *Crepitus* ventris. Hippocr. 2. *progn. t.* 24. & *Coac. t.* 495. Vide *Crepitus.*

PERDETUM, Paracelſo vocantur *Siſari radices*, vel aliud raparum lutearum genus, *de ulc. & apoſtem. c.* 57.

PERDITIO, φθορὰ, vide *Abortus*, *Phthora.*

PERDIX, πέρδιξ, περδίκη, nomen avis inter delicias ciborum relatæ ſalaciſſimæ, & vivaciſſimæ, cujus deſcriptio habetur cum uſu in cibis & Medicina apud Aldrov *l.* 13. *Ornith. c.* 17. *ſeqq.* Jung. Jul. Alex. *l.* 12. *Sal. c.* 6. Bruyerin. *de re cibar. l.* 15. *c.* 32. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 66. *Perdicum ova* in cibo ſumpta pocula amatoria vocavit Kiramides apud C. Rejes *C. El. quæſt.* 29. *num.* 26.

PERDONIUM, vocatur Paracelſo *vinum medicamentum* ex herbis, d. l. Dorn. *in Diction.*

PERDUCO præter vulgarem ſignificationem omnibus notam idem notat, quod *Ebibo*, notante Rhod. *ad Scribon. n.* 135. & Keuchen. *ad Sammonic. pag.* 104.

PERENDA, vide *Zenda.*

PERENNIS ponitur aliquando pro *continuo.* Ita Febris tertiana *perennis* legitur apud Joh. Steph. *in Paraphr. ſuper Avic. l.* 4. *fen. c.* 39. *p.* 268.

PEREO, ἀπόλλυμαι, dicitur de iis, qui proximi ſunt morti, & eunt in declivi umbræ mortis. Dieter. *n.* 83. Linden. *E. VI.* §. 53.

PERETERION, περητήριον, vocatur trepanum, vel *terebellum rectum & acutum.* Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* Junge Foeſ. *p.* 494.

PERFECTIO, *Perfectus*, τελειότης, τέλειος, dicitur de unaquaque re, ſive ſecundum, ſive præter naturam, cui nihil deeſt virtutis, Gal. *l.* 5. *de Hippocr. & Pl. decr. c.* 5. & *l. de maraſm. c.* 4 *Perfectum minus* Spagyricis dicitur Lapis albus terminatus tribus coloribus duntaxat etiam ad oculum apparentibus, ex quibus componitur. *Perfectum majus* eſt ultima *perfectio* in opere majore, & quatuor componitur, conſtatque coloribus. De utroque vide plura *in Theatr. Chym. Vol. I. pag.* 423. *ſeq.* 447. A *perfectis* ad *imperfecta* non licet argumentari, nec contra. Caſp. Hofm. *Com. ad Gal. LL. de V. P. n.* 531.

PERFLATUS, διαπνοὴ, idem, quod *Perſpiratio.* Vide *Diapnoë.*

PERFORANTES *Muſculi* dicuntur Anatomicis *Digitos flectentes* tertio internodio inſerti per fiſſuram tendinum Perforatorum. Dicuntur & *Profundi*, quia ſubſternuntur Perforatis. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 9. *p.* 577.

PERFORATI ſunt Muſculi digitos flectentes, qui ſecundo internodio inſeruntur, habentes in tendine rimam, ſive fiſſuram, Bartholin. *d. l. pag.* 576.

PERFORATIO, παρακέντησις, accipitur late, & ſtricte. Late pro omni operatione chirurgica, qua diviſio fit in aliquam cavitatem inſignem. Vide *Paracenteſis.* Ita & *perforatum* cribrum, *perforatæ* nuces, ollæ, leguntur apud Scribon. Vide *Lexic.* Rhod. Ita quoque ſetaceum in nucha paratum vocatur *Perforatio*, Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 130. *Schol.* Imo & præternaturales oſſium eroſiones *perforatorum oſſium* nomine veniunt apud Hildan. *de ich. & mel. c.* 29. Stricte *Perforatio* dicitur apud Gal. σύντρησις; operatio chirurgica, vel anatomica, quæ in ſpacioſam thoracis & pulmonis ſedem penetrat, *l.* 7. *Anat. admin. c.* 14.

PERFRICTIO, περίψυξις, idem, quod κατάψυξις. Vide *Catapſyxis.* Dicitur & *Perfrigeratio.* Scrib. *n.* 57. 268. Legitur apud Anton. Muſam *l. de Veronica n.* 35. ubi Gabr. Humelbergius *com. ad h. l. p.* 36. explicat per algores & frigora.

PERFRIGERATIO, περίψυξις, κατάψυξις. Vide *Perfrictio.*

PERFRIGIDUM, περίψυχρον, dicitur *intenſe frigidum*, quod veluti gelu obriguit & immobile fit. Linden. Ex. IIX. §. 48.

PERFUMATOR, idem, quod *Unguentarius*, μυρεψὸς, μυροπωλὸς. Rhod. *ad Scrib. n. 66.*

PERFUSIO, κατάχυσις. Vide *Catachyſis.*

PERIÆRESIS, περιαίρεσις, vide *Præciſio.*

PERIAMMA, *Periapton*, περίαμμα, περίαπτον. Vide *Amuleta.*

PERIBLEPSIS, περίβλεψις, *circumſpectionem* ſignificat, quales ſunt phreneticorum & delirantium inſtabiles oculorum intuitus. Occurrit apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. X.* 20. Dicitur & ἐμβλεψις, *d. l. V.* 27. Vide Foeſ. *p.* 494.

PERIBOLE, περιβολὴ, duplici gaudet ſignificatione. Primum ſignificat *veſtitum* & cultum exteriorem corporis, Latine *Amictus* dictum, Hippocr. *l. de dec. orn. II. 9.* In qua ſignificatione & *Pericardion* Hipp. dicitur περίβολος, quaſi *Amiculum*, *l. de Corde IV.* 3. 16. & Thorax pulmonis, pulmo cordis, dicitur περίβολος, C. Hofm. *Com. ad Gal. LL. de V. P. n.* 322. 338. Deinde περιβολὴ *vocatur morbificæ materiæ excretio* per *habitum*, ſive *ambitum* corporis, ſive per exanthemata, papulas, vel alia corporis cutanea vitia. Hipp. *l.* 1. *Epid. ſect.* 2. *t.* 38. Quamvis nonnulli legant ἐκκρίσεως, *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. 51. Foeſ. *d. l.*

PERICAES, περικαὴς, dicitur, *qui circumcirca ardorem* in toto corpore *ſentit*, v. g. in febribus ardentibus, Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 10. *Coac. t.* 158. *l. 6. Epid. ſ.* 1. *t.* 29. Adde Foeſ. *p.* 496. Dicitur & de utero plus æquo calido & ſicco, 5. *aph.* 62. Adde Dieter. *num.* 672.

PERICALYPTO, περικαλύπτω, *circumtego*, undique obvolvo, Hipp. 5. *aph.* 59. Diet. *n.* 673.

PERICARDION, περικάρδιον, vocatur *Cordis involucrum*, ſive ἀμφίεσμα, eſtque *membrana* ratione ſubſtantiæ, *tunica* ratione uſus, Gal. *l.* 7. *de An. adm. c.* 2. Adde *l. 6. de V. P. c.* 16. Dicitur & *Capſula Cordis*, *Theca*, *Domicilium*, in cujus medio cor eſt ſuſpenſum. Unde & eodem modo, quo cor ipſum in quandam Coni ſpeciem & acutiem deſinit, oſſi pectoris annexum. Hujus hiſtoriam vide apud Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 5. *p.* 349. *ſeq.* Liquor in illo contentus unde ortum ſuum habeat, variæ variorum ſunt opiniones, quas etiam recenſet Barthol. *d. l.* cujus ſententiæ & nos ſubſcribimus. Jungatur & D. D. Hofm. Jun. *Diſſert. Anat. in Horn. p.* 122

PERICARPIUM, περικάρπιον, vocatur id, quod fructum, vel ſemen ambit, eſtque in quibuſdam, v. g. pomis, pyris, & aliis edule; in aliis vero v. g. nucibus, caſtaneis, non eſt edule. Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 1 *de Antid circa finem. Pericarpia* quoque vocari medicamenta Topica carpis manuum applicata, quæ alias *Epicarpia* dicuntur; (de quo vocabulo ſupra) patet ex interpretatione Latina Tentaminis Parolegici Rob. Boyle, *c.* 4. *p. m.* 20.

PERICHAREIA, περιχάρεια, dicitur *ſubitum & vehemens gaudium*, contrarium Ecplexiæ, quæ eſt ſubitus timor. Ex amborum affectuum occaſione, ſcimus, quoſdam interiiſſe. Gal. *l.* 12. *M. M. c.* 5. Vide *Chara*, *Gaudium.* Latinitati quoque donatum aliquoties uſurpavit Sanctorius *in ſua Statica Medicina* præſertim *ſect. VII. Aph.* 1. 22. ſignificatque lætitiam, & opponitur Mœſtitiæ *Pericharia.*

PERICHOLOS, περίχολος, dicitur vel *valde bilioſus*, vel *circumcirca bilioſus.* Uſurpari poteſt cum de homine, tum de excrementis. Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 18. Gal. *in comment. ad h. l.* Foeſ. *p.* 502.

PERICHRISIS, *Perichriſton*, περίχρισις, περίχριστον, dicitur medicamentum liquidius, quo pars affecta *circumliniri* debet. Dioſc. *l.* 1. *c.* 97. & 131. Scribon. *n.* 29. Rhod. *in not. ad h. l.*

PERICHROOS, *Perichrus*, περίχροος, contracte περίχρους, *valde coloratum*, vel *circumcirca coloratum* ſignificat, & ſumitur pro περίχολος. Gal. *d. l. ad Hipp.*

PERICHYDA, περιχυδὰ, adverbium Hippocrati ſignificans: *humore circumfuſo*, aut undiquaque affuſo, *lib. de Affect. XLV.* 15. Foeſ. *d. l.*

PERICHYSIS, περίχυσις, ſignificat *circumfuſionem* vel obfuſionem. Cel. D. D. Wedelius uſurpavit de tranſpiratione & de aëre corpus noſtrum ambiente, cum *in Theoremat. Medic. Part. IV. ſect.* 2. *c.* 12. tum *in Patholog. Dogm. ſect.* 2. *c.* 9. *p.* 294. An hoc fortaſſis ex propria fecit autoritate, cum in nullo Lexico Græco reperire mihi licuerit, ut taceam ſignificationem hancce valde eſſe impropriam.

PERICLASIS, περίκλασις, dicitur *fractura*, cum os in totum perfringitur, v. g. quando ſura cum tibia media perfringitur cum inſigni vulnere, nudatis oſſibus. Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 9. Foeſ. *p.* 496.

PERICLYDEN, περικλυδὴν, adverb. Hippocr. fere idem ſignificans, quod περιχυδὰ, hoc eſt, *circumaffuſa aqua*, vel cum aliquid affuſa aqua undiquaque abluitur, *l.* 1. *de Diæt. XXXVI.* 23.

PERICNEMIA, περικνήμια, dicuntur Hippocr. vel *partes tibiam circumdantes*, vel ipſa *tibia*, Hipp. *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 25. Quamvis alii τὰ περὶ κνήμην legant, notante Foeſ. *d. l.*

PERICOCHLION, περικόχλιον, dicitur *machina Medica*, quæ Latin. *Cochlea fœmina* appellatur. Oribaſ. *de Machinam. c.* 4. *in princ.*

PERICOPE, περικοπὴ, proprie ſignificat *circumciſionem*, quando aliquid circumcirca diſſecatur. Metaphorice vero notat ſententiam aliquam ſuccinctam & limitatam, item *Delineationem* alicujus operis. C. Hofm. *Comm. in Gal. LL. de V. P. n.* 316.

PERICRANION, περικράνιον, dicitur *membrana cranio impoſita*, orta à dura matre per cranii ſuturas exeunte, Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 9. Barthol. *l.* 3. *Anatom. c.* 2.

ubi diſtinguit à *Perioſtio cranii*, cum ſeparari poſſint à perito Anatomico. *Pericranium* egregie delineatum exhibet D. G. Bidloo *Anat. Tab. V.*

PERICULUM, κίνδυνος, vide *Cyndinos.*

PERIDROMIS, περιδρομὶς, vocabatur *locus deambulationis ſub dio.* Idem, quod ὑπαίθρα. Lang. *l.* 1. *ep.* 51.

PERIDROMOS, περίδρομος, dicitur à quibuſdam ἡ στεφάνη, *corona*, hoc eſt, extremus capillorum ambitus. Gorr.

PERIEGES, περιηγὴς, dicitur *circumactus*, rotundus; uſurpaturque de annis cartilagineis aſperæ arteriæ, apud Hippocr. *l. de diſſection. l.* 4. Foëſ. *p.* 496.

PERIEPOMÆ, περιέπομαι, apud Hipp. ſignificat *male tractor*, male afficior, exagitor, *l.* 2. *Prorrh. XXXI.* 13. Foëſ. *p.* 495.

PERIERGIA, περιεργία, vocatur *ſuperflua curioſitas*, & labor ſupervacaneus, item, apparatus *ſuperfluus*, Hippocr. *l. de dec. orn. I.* 3. *II.* 8. 12. Et Adjectiv. περίεργος, *ſuperfluum*, ambitioſum, fruſtraneum ſignificat. Ita odor περίεργος, hoc eſt, affectatus. Legitur *in Præcept. IX.* 15. Vina περίεργα, & juſculum περίεργον, Caryca, Linden. *Ex. X.* §. 81. 82. Jung. Caſp. Hofm. *C. in Gal. de V. P. n.* 247. Opponitur ἀπερίεργος, *minime curioſus*, quod legitur etiam apud Hippocr. *de dec. orn. II.* 19. Vide Foëſ. *d. l.*

PERIESTECOS, περιεστηκὼς, dicitur Lat. *ſuperſtes.* & Hipp. idem eſt, quod *ſalutaris.* Uſurpaturque & de morbis & de ſignis Hipp. 2. *Progn. t.* 9. 60. 65. & *c.* 3. *t.* 23. *l.* 2. *Epid. ſ.* 3. *t.* 12. & *l.* 3. *ſ.* 3. *t.* 87. Gal. *in definit. Med.* Adde Foëſ. *d. l.*

PERIGINOMÆ, περιγίνομαι, hoc eſt, *ſuperſtes ſum*, evado, morbo liberor, Hippocr. 7. *aph.* 44. 2. *Progn. t.* 9. *lib.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 66. *lib.* 5. *Epid. XXII.* 28. Aliquando etiam ſumitur pro *abundare*, ſuperfluum eſſe, *l. de octimeſtri partu III.* 14. Foeſ. *d. l.* Dieter. *num.* 670.

PERIGLISCROS, περίγλισχρος, ſignificat omni ex parte *glutinoſum*, lentum. Hippocr. 4. *aph.* 53. Adde Dieter. *n.* 671.

PERIGRAPHE, περιγραφὴ, vocatur rudis *deſcriptio*, *delineatio*, Hippocr. *l. de dec. orn. II.* 2. Latine *Lineamentum*, item *Circumſtantia.* Foeſ. *d. l.* Ita περιγραφὰς vocari lineas albas & impreſſiones in abdominis Muſculo recto occurrentes, ſcribit Veſal. *l.* 2. *de H. C. F. c.* 3.

PERILYPOS, περίλυπος, id eſt, *valde triſtis*, idem, quod δύσθυμος, & λυπηρός. Legitur apud Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 44. Foeſ. *p.* 497.

PERIMADAROS, περιμάδαρος. Vide *Madaros.*

PERIN, πηρὶν, alii πῆριν. A quibuſdam exponitur per teſticulum. Aliis ſignificat perinæum; Aliis ἕδραν, ſedem. Erot. *On. p.* 95. *e.* ubi πήνιξ legitur. Gorr. Conf. Gal. *in exeg.*

PERINÆON, *Perineon*, περίναιον, περίνεον. Vide *Interfœmineum.*

PERINEMA, περίνημα, *Circumlutio*, à περινέω, *circumluo.* Idem quod περίκλυσμα. Foeſ. *d. l.*

PERINENEUCOS, περινενευκὼς. Vide *Epineneucos.*

PERINYCTIDES, περινυκτίδες, idem, quod ὑλοφλυκτίδες, *papulæ*, puſtulæ, tubercula papulis ſimilia. Erot. *On. p.* 85. *a.*

PERIOCHE, περιοχὴ, præter alios ſignificatus, qui in aliis Lexicis occurrunt, notat opinionem, argumentum vel *conceptum* de aliqua re Medica. Ita D. Car. Drelincurtius de Humano fœtu Syſtema ſuum *Periochis* plurimis exornavit, conceptus quoque appellans.

PERIODEIA, PERIODEUSIS, vide Periodus p. p.

PERIODEUTES, περιοδευτὴς, *circuitor* olim dicebatur, qui ſanitatis reſtituendæ cauſa per urbes circumivit, & artem Medicam exercuit. Hodie *Circumforaneus*, *Agyrta*, *Circulator.* Rhod. *ad Scribon. num.* 171.

PERIODOS, περίοδος, item περιοδεία, περιόδευσις, Latine *Circuitus*, apud nonnullos recentiores etiam occurrit *Periodicatio.* Omnes hi termini ſumuntur vel Phyſiologice vel Pathologice. In illa ſignificatione notat Sanguinis Circulationem. Vide *Circulatio.* In hac dicitur morborum quorundam certa, vel incerta intervalla habentium ambitus quidam & veluti circulus, cum ex iiſdem ad eadem per eundem ordinem feruntur, Gal. *c.* 1. *aphor.* 12. *l. de temp. morb.* & *alibi paſſim.* In definitionibus deſcripſit, quod ſit tempus ex intenſione & remiſſione conſtans. Unde *Periodus* dividi ſolet in παροξυσμὸν, & ἄνεσιν, in *exacerbationem*, & *remiſſionem.* Caſtell. In febribus intermittentibus plerumque *Periodi* ſunt ſtatæ & ordinatæ. In aliis, v. g. Epilepſia, Arthritide, non item. Junge Foeſ. *d. l.* Dieter. *num.* 676. Quomodo Paracelſus *Periodos* temporum & *periodicam digeſtionem* explicet, vide *l.* 2. *de Tartar. tr.* 1. *c.* 3. *Periodus* etiam eſt Celſa, vel muſculus vitæ, pulſus in corpore diſcurrens. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PERIODYNIA, περιωδυνία, ſignificat *vehementem* partis *dolorem* & veluti circumtenſum. Frequens Hippocrati vocabulum, v. g. de capitis dolore, *l. de affect. II.* 7. de auris dolore *l.* 2. *Epid. ſ. VI.* 46. quemadmodum & verbum περιοδυνέω, vel περιωδυνέω, 7. *aphor.* 52. & *lib.* 3. *de morb. I.* 19. *l.* 5. *Epidem. VI.* 5. & *alibi.* Vide Loca apud Foeſ. *p.* 502. Dieter. *n.* 677.

PERIOMPHACODES, περιομφακώδης, *valde crudus*, circumcirca immaturus. Uſurpatur de tumore adhuc duro, & nondum ad ſuppurationem vel maturationem diſpoſito, Hipp. *l.* 4. *XIX.* 23. Foeſ. *p.* 498.

PERIOSIS, περίωσις, i. e. *Circumpulſio*, vide ſupra *Circumpulſio.*

PERI-

PERIOSTEOS, περιόστεος, Latine *Perioſtium*. In genere vocatur membrana tenuis, quæ ſingulis oſſibus proxime adjacet, exquiſito ſenſu prædita. Habet vero ſpecialia nomina in quibuſdam partibus, v. g. *Pericranion*, in cranio: ὑπεζωκὼς, ſub coſtis; de quibus ſuis locis. Oculi quoque tunica extrema ſeptima in ordine à Galeno numerata περιόστεος ἐπίφυσις dicitur, alias *Adnata tunica*, Gal. *l.* 19. *de V. P. c.* 2. *&* 3. *Perioſtium cranii* à *Pericranio* diſtinxit Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 2.

PERIPATOS, περίπατος. Vide *Obambulatio*.

PERIPHEREIA, περιφέρεια. Vide *Superficies*.

PERIPHIMOSIS, περιφίμωσις, vitium dicitur φιμώσει contrarium, cum videlicet ea, quæ meatus naturales occludunt, ita diducta ſunt, ut reduci nequeant. Proprie tamen dicitur de *præputio* ita *retrorſum adducto*, ut glandem rurſus tegere nequeat. Vide *Phimoſis*. Gorr.

PERIPHORADEN, περιφοράδην, adverbium exprimens *circumductionem crurum* in ambulando; veluti boves faciunt, quod p. n. hominibus accidit, quibus femoris coxa excidit caput. Legitur apud Hippocr. *l. Mochlic. XI.* 10. Quamvis in edit. Linden. legatur περιεσφάδην, *&* 3. *de artic. t.* 73. Vide Foëſ. *p.* 501.

PERIPLEO, περιπλέω, *circumfluo*, nimio humore diffluo. Uſurpatur de ligamentis humore ſuperfluo relaxatis, Hipp. 1. *de fract. t.* 21.

PERIPLEUMONIA, περιπλευμονία. Vide *Peripneumonia*.

PERIPLYSIS, περίπλυσις, Latine dicitur *Proluvies* aut *Proluvium*. Uſurpatur vero in ſpecie de alvi *proluvio*, quando multis tenuibus & liquidis diffluit & veluti diluitur, 1. *Prorrhet. c.* 1. *t.* 2. Adde Galen. *in Comment. ad h. l.*

PERIPNEUMONIA, περιπνευμονία, Ion. περιπλευμονίη, Lat. *Pulmonia*, vel *Pulmonaria*. Quibuſdam juxta vocis ἀκρίβειαν ſignificare videtur Inflammationem membranæ *pulmonem* inveſtientis. Verum vocatur & à quibuſdam ſimpliciter πνευμονία. Eſt igitur *Peripneumonia* Inflammatio pulmonis quoque ſubſtantiæ cum febre acuta, ſpirandi difficultate, ſuffocationis periculo, ita ut erecti ſedere cogantur ægri, à ſanguinis ichoroſi & eryſipelacei refluxu per venam pulmonalem impedito, & inde oborta ſtagnatione & ſubſequente corruptione. Vide ex recentioribus de hoc affectu egregie tractantem Willis *Pharmac. Rat. II. ſect. I. c.* 8. Singularem nos quoque in vicinia ante aliquot annos obſervavimus caſum in Illuſtriſſima quadam Perſona maſcula *Peripneumonia* totius pene pulmonis ſphaceloſa, & ita lethali correpta, haud dubie ob juſto parciorem ſanguinis vena ſecta evacuationem, cum fuerit in ætate virili, vegeta, corpulentiſſimæ conſtitutionis, & potui generoſioris vini diutius indulſiſſet. De hoc vocabulo vide Foëſ. *p.* 498. Dieter. *n.* 678. Confundi ſæpe cum *Pleuritide*, notavit etiam Paracelſ. *lib.* 2. *de Tart. tract.* 2. *cap.* 3.

PERIPODIEN, περιποδίην, quod circulo ſub pedibus eſt & infra. Galen. *in Exeg. voc. Hippocr.* & Gorræus.

PERIPOMAO, περιπωμάω ſignificat apud Hippocr. *circumdo alicui vaſi velut operculum*, *lib.* 2. *de M. M. LXI.* 9.

PERIPSYXIS, περίψυξις. Vide *Perfrictio*, *Catapſyxis*.

PERIPTOSIS, περίπτωσις, ſignificat *caſum*, vel *fortuitam occaſionem*; eſtque vox Empiricis propria, ſpecies una ſectæ Empiricæ, quando ex *occaſione fortuita* remedia depromſerunt, notante Gal. *in Iſag. ad Sectas c.* 2. Unde eſt vero & Hippocr. *l. de præcept.* I. 20. III. 1. Verbum περιπίπτω, *incido*, occurrit *l. de arte XIX.* 19. *de vet. medic. VII.* 8. Vide Foëſ. *p.* 499. Alias quoque idem eſſe, quod παρέμπτωσιν, vult Caſtellus. Vide *Paremptoſis*.

PERIPYEMA, περιπύημα, ſignificat *puris collectionem* circa partem aliquam factam, v. g. circa dentes, *lib.* 4. *Epid. XXIIX.* 17. Lat. *Circumſuppuratio*.

PERIRRHEDES, περιῤῥηδὴς, dicitur in utramque partem reflexum aut perfractum, aut *utrinque recurvum*, apud Hippocr. *l.* 1. *de artic. t.* 73. Alibi vero generalius pro in *utramque partem labile* ſignificare videtur, *l.* 2. *de morb. mul. XLVII.* 7. Adde Foëſius *pag.* 499.

PERIRRHEPSIS, περίῤῥεψις, dicitur *vinculi circumcirca declinatio*, cum in alteram partem vergit & declinat, id quod fit ex immoderata faſciarum copia. Legitur apud Hipp. 3. *de iis, quæ in med. t.* 6. Adde Gal. *in Comm. ad h. l.*

PERIRRHEXIS, περίῤῥηξις, ſignificat *abruptionem*, quæ circumcirca fit, cum oſſa corrupta & ſiderata, aut carnes emortuæ circumcirca abrumpuntur. Legitur apud Hippocr. 4. *de art. t.* 35. *& in Mochlic. XX.* 13. Vide Foeſ. *d. l.*

PERIRRHOEA, περίῤῥοια, dicitur Hippocrati *circumfluus humorum effluxus*, cum ex univerſo corporis ambitu humores in alveos & cavitates ad repurgationem veluti per emiſſaria quædam deponuntur, atque ita totum corpus ſuperfluis humoribus repurgatur, aliquando per alvum, aliquando per renes & veſicam, interdum per vomitum, aut alia effluvia corporis. Occurrit apud Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 7. Vocatur & περίῤῥοος *d. l.* 1. *Epid. ægr.* 4. *lib.* 7. *Epid. XLI.* 10. *Coac. t.* 639. Adde Foeſ. *d. l. p.* 499. *&* 500.

PERISCELES, περισκελὴς, ſignificat *durum*, *moleſtum*, irritans, mordicans. Uſurpatur ab Hippocr. vel de medicamentis mordacibus & moleſtis, *l. de Ulcer. II.* 7. *& l.* 2. *de morb. mul. LIIX.* 33. vel de doloribus, *l. de Criſib. XI.* 18. *Coac. t.* 294. quamvis communiter legatur diviſe περισκέλεα, *circa crura*, notante Foeſ. *d. l.* de ardoribus cum magno ſqualore con-

conjunctis Lind. *Ex. XI.* §. 189. Metaphorice de animo præduro & præfracta mente, quæ nec precibus, nec verbis flecti poteſt, Foeſ. *d. l.*

PERISCLEROS, περίσκληρος, *circumcirca durum,* ſignificat. Uſurpatur de tuberculis in ambitu duris ab Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. 1. t. 13.* Adde Galen. *in Comment.* Verbum περισκληρύνω, obduro, occurrit 5. *aph.* 20. & reperitur *l. de Hum. uſ. XI.* 15. Adde Dieter. *num.* 679.

PERISCYPHISMOS, περισκυφισμὸς, ſectionis Chirurgicæ genus eſt in Syncipite ad calvariam uſque una tribusve lineis, quemadmodum deſcribitur apud Æginet. *l. 6. c. 7.* & Aet. *l. 7. c. 3.* Quæ tamen operatio hodieque exolevit, notante Gorr.

PERISPHALSIS, περίσφαλσις, ſignificat generaliter *circumductionem*, circumactionem. In ſpecie vero ita vocatur modus leviſſimus reponendi articulum luxatum, circumducendo illum, donec in ſedem naturalem recidat, quod fit, ubi acetabula exiguum labrum habent, nec profundi ſinus ſunt, v. g. humeri & coxæ capite, Galen. *c. t. de artic. t. 7.* Occurrit vero apud Hippocr. 2. *de artic. t. 1. & in Mochlic. IX.* 20. Alias vocatur & ἀμφίσφαλσις, 4. *de artic. t.* 47. Ægineta vocat περιστροφὴν & περιφόρησιν, *l. 6. c.* 118. Adde Foeſ. *p.* 501.

PERISSOS, περισσὸς, ſignificat *abundans*, ſuperfluum. Apud Hippocr. vero ſumitur pro *Impari.* Vide *Impar.*

PERISSOSIS, περίσσωσις, ſignificat *ſuperfluam abundantiam*, redundantiam, copiam & plenitudinem, Hipp. *l. 6. Epid. ſ. 5. t. 17.*

PERISTALTICOS, περισταλτικὸς, *circumpreſſorius*, coarctandi circumcirca vim habens. Vel uſurpatur de facultate miniſtra partium organicarum, v. g. ventriculi, uteri, &c. alimenta & fœtum complectentium. Gorr. *in def.* Vel in ſpecie *motus inteſtinorum*, quo alimenta & excrementa promoventur, vocatur *periſtalticus*, & incipit à pyloro, deſinitque ad inteſtinum rectum, eſtque inſtar lumbrici reptantis, qui in cholera quandoque p. n. invertitur, ut & ſurſum per os expellat. Lind. *Med. Phyſ. l. 2. c. 4.* §. 85. 86. & Barthol. *l. 1. Anat. c.* 10.

PERISTATICOS, περιστατικὸς, Vide *Circumſtantia.* Uſurpatur etiam de vitæ genere afflicto & calamitoſo, quale eſt eorum, qui negotiis publicis detinentur, Gal. *in Hipp. de ſal. diæt. t. 1.*

PERISTELLO, περιστέλλω, Hippocr. ſignificat *Obvolvo*, obtego, circumcirca contego, 4. *de R. V. I. A. t.* 44. Ita uterus fœtum *obvolvit*, *l. 1. de morb. mul. LL.* 13. Vide Foeſ. *d. l.*

PERISTOLE, περιστολὴ, idem, quod περισταλτικὴ δύναμις, facultas & actio *circumpreſſoria*, quæ fere eadem cum *Retentrice*, Caſp. Hofm. *C. ad Gal. LL. de V. P. n.* 213. *ſeq.* Ipſe *motus* quoque inteſtinorum *periſtalticus* vocatur περιστολή. Lind. *d. l. & Ex. IV.* §. 23.

PERISTOMA vocatur à Pecqueto *rugoſum* illud & ſpongioſum molliſſimæ ſubſtantiæ veluti *velamentum.* Bilſius *muſcum villoſum*, Bartholinus *cruſtam* quaſi *membranaceam*: *vermicularem cruſtam* Grafius, qua obteguntur orificia vaſorum in inteſtinorum cavitatibus, & per quam vaporis ſpecie tranſit chylus ſubtilior, vocant. Lege de hoc *periſtomate* Barthol. *d. l. c.* 10. *p.* 81. An fortaſſis rectius περίστρωμα diceretur? vide *Periſtroma.* Hanc materiam viſcidam interiora inteſtinorum inveſtientem quomodo examinaverit per microſcopium Levenhoek & invenerit ingentem numerum vaſorum ſanguiferorum aliorumque, videri poterit *in Actis Erudit. Lipſ. An.* 1686. *m. Jan. p. 5. ſeqq.*

PERISTREPHO, περιστρέφω, *circumvolvo*, circumverto. Legitur apud Galen. 1. *Prorrhet. c. 3. t.* 64. Vide Foeſ. *d. l.* Unde περιστροφὴ, *circumvolutio*, & ſpecialiter pro περισφάλσει. Vide *Periſphalſis.*

PERISTROMA, περίστρωμα, proprie ſignificat *Obvolucrum*, & communiter accipitur de ſtragulis, & aulæis, ex Athenæo *l.* 5. In Anatomicis etiam uſurpari poterit de tunicis viſcera inveſtientibus, item de Tunica inteſtinorum cruſtoſa, quam Pecquetus *Periſtoma* appellavit. Vide p. ſuperius.

PERISYSTOLE, περισυστολὴ, dicitur quies illa & morula inter ſyſtolen & diaſtolen, quam nonnulli negant, alii affirmant. Barthol. in ſanis vix obſervabilem, in moribundis vero ſatis manifeſtam ſtatuit, *l. 2. Anat. c. 6. p.* 371.

PERITASIS, περίτασις, *Circumtenſio*, Lat. dicitur Hippocr. 1. *Prorrh. ſ. 3. t. 7. Coac. t.* 617. *l. 4. Epid. XXI.* 20. *XXIX.* 6. Licet in quibuſdam locis περίστασις mendoſe legatur, animadvertente Foeſ. *d. l. pag.* 50. à verbo περιτείνω, *obtendo*, circumtendo; quod legitur 5. *aph.* 71. Adde Dieter. *n.* 981. Unde & περιτενὴς, *circumtentus*, rigidus ex extenſione deſcendit, quod occurrit 3. *de artic. t.* 47.

PERITERION, περιτήριον, vide *Terebella.*

PERITEXIS, περίτηξις, *eliquationem* cum eroſione & morſione ſignificat, apud Hipp. *Coac. t.* 481.

PERITIA, idem, quod *Eruditio*, ἐπιστήμη, ἐμπειρία: Hæc requiritur in Medico, quia *peritiam* ars ſequitur, *imperitiam* vero aliquando fortuna, C. Rejes *C. El. q. 21. n.* 8.

PERITONÆUM, περιτόναιον, ἢ περιτόνειον, aut *peritonæos membrana*, dicitur tegumentum abdominis, proprium omnibus viſceribus infimæ corporis regionis inter ſeptum tranſverſum & crura ſitæ ſuperſtratum, Galen. *l. 6. Anat. adm. c. 4. & l. 4. M. med. c.* 6. Arab. dicitur *Siphac.* Hujus deſcriptionem vide etiam apud Anatomicos recentiores, & hos inter Bartholin. *l. 1. Anat. c.* 7. *Peritonæi vertex* vel *ſphæra*, σφαῖρα, vocatur illa portio, quæ muſculorum abdominis lato tendini telæ araneorum ſimilis fortiter adhæret. Galen. *d. l. Anat. adm.*

PERITTOMA, περίττωμα. Vide *Excrementum*.

PERIZOMA, περίζωμα, idem, quod *Cingulum*; inter inſtrumenta Chirurgica pertinens. Ita Cingulum pro hernioſis vocatur *perizoma* ab Hildan. *Cent.* 6. *Obſ.* 73. Alias περίζωμα idem quoque ſignificat, quod διάφραγμα, Lat. *Cinctus*. Gorr.

PERLA, idem, quod *Margarita*, *Unio*. Vide *Margarita*. Inde *Perlatum Medicamentum* & Saccharum, aliaque dicuntur, quæ *margaritas* recipiunt. *Perlata materia* pro Hypochondriacis legatur apud Dan. Ludovici *Diſſ.* I. *Pharm. p.* 121. Pertinet inter Panaceas, hujusque inventor habetur D. Crügnerus, crediturque à nonnullis elaborari ex lapide quodam odorem violaceum ſpirante, dum calefit. Fides ſit penes Autorem. Verum Dan. Pruttenius Medicus Helſingorenſis, qui Steganographicam hujus arcani deſcriptionem Germanicam ingenioſe detexit, arbitratur eſſe nihil aliud, quam Magiſterium Antimonii Diaphoretici id albiſſimum tenuiſſimumque alcohol redactum, uti patet *ex Act. Hafn. Vol. III. obſ.* 26. Pathologice *Perla* oculorum, idem, quod Panus, & eſt macula directa, coram pupilla in centro. Joh. Anglic. *Roſ. Anglic. p. m.* 167. *ſeqq.*

PERMANENTES, διαμένοντες, morbi dicuntur, qui ſubſiſtere poſſunt, ablata quamvis cauſſa, & opponuntur *ſucceſſivis*, Th. Rhoder. à Veiga *in Gal. l.* 1. *de L. A. p. m.* 200.

PERMUTATIO, διαλλαγή, idem quod *Mutatio*, μεταβολή.

PERNA, πέρνα, quid ſit, & ſignificet, etiam pueris in trivio notum eſt e Comenio. *Perna Plinii* vero eſt e *Concharum* ſpecie, cujus numeroſum circa Pontias inſulas proventum eſſe ſcribit dictus Autor *l.* 32. *cap.* 11. *fin.* ita dicta à ſimilitudine formæ, qua prioris, qua poſterioris coxæ porcinæ ſalinæ. Chiocc. *Muſ. Calc. Sect. I. p.* 26.

PERNICIOSUS, ὀλέθριος, vide *Olethrios*. *Pernicioſe* dicuntur non ſolum ii, quibus deſperata res eſt, ſed & quibus gravis metus, ſine certa tamen deſperatione, ex Celſo *l.* 5. *c.* 26. Lind. *Ex. IV.* §. 73. *Pernicioſæ* febres eædem ſunt, quæ *Malignæ*, P. M. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 497. *ſeqq.*

PERNIO, χίμεθλον, χίμεθλον, dicitur ſoluta continuitas aut fiſſura, vel interitrimentum manuum & pedum hyberno tempore à ſummis algoribus proveniens. Oritur vero frequentiſſime in talo, Galen. *l. de med. fac. parab. c.* 203. Caſtell. Gorr. C. Hofm. χύμεθλον quoque ſcripſit e Suida, & e Gal. oſtendit, eſſe mortificationem à nive, *C. in Gal. LL. de V. P. n.* 136. Eſt *pernio* quoque cum exulceratione, ulceribus foratur, tanquam ab igne combuſtus eſſet, notante Helm. *de Lithiaſ. c.* 9. *n.* 26.

PERNOCTATIO, παννυχὶς, ita dicitur feſtum, quod per totam noctem celebratur. Galen. *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 20.

PEROLEDUS, terminus Paracelſicus & Helmontianus, denotans *aëris fundum*, vel circulum, vel terminum. Helmont. *tr. Gas Aquæ n.* 24. 25. Meminit & Paracelſ. *l. meteor. c.* 5.

PERONE, περόνη. Vide *Fibula*. *Peroneus* Muſculus pedem antrorſum flectens qui dicatur, vide in Anatomicis, in ſpecie apud Bartholin. *l.* 4. *An. c.* 13. *p.* 582. Conf. etiam Erotianus & Galenus *exeg.*

PEROSIS, *Peros*, πήρωσις, πηρὸς, ſignificat *læſionem* membri in numero deficiente. Idem fere quod *Mutilatio*, & *Mutilus*. Quibus diſtinctionibus, & præſertim verbo πηροῦν ſæpe uſus Hippocr. *l. de genit. IIX.* 35. 36. 39. *IX.* 2. 4. 7. 8. 14. *&c.* Sumitur tamen & pro alia læſione organica crurum & artuum, uti videre eſt ex locis à Foëſ. adductis *p.* 505.

PERPALLIDUS, ἔξωχρος, & verbum *Perpalleſco*, dicitur, quando color pallidus per totum corpus diffuſus eſt. Linden. *Ex. IV.* §. 82.

PERPERACUTUS, i. e. *Acutiſſimus*. Vide *Acutus*.

PERPESSIO Spagyricis dicitur metallorum tractatio per ignem. *in Theatr. Chymic. Vol. II. p.* 72.

PERPETUATIO, dicitur apud Chymiſtas Fixationis ſpecies, quando volatile, aut valde mobile, ad ſtatum quietis reducitur. Morley *Proleg. II. Coll. Chym. Leid. c.* 2.

PERPETUO, idem, quod *Semper*, διὰ παντὸς, ἀεί. Opponitur τῷ *Interdum*. Galen. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 4.

PERSEVERANTIA, ἐπιμονή, idem, quod *Duratio*. Dicitur de paroxyſmi continuatione, quæ eſt ſignum febris longioris & gravioris. Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 26. *Schol.*

PERSICUS, περσικὸς, epitheton eſt patronymicum, vel fructuum quorundam autumnalium *Mala Perſica* dictorum, de quibus videantur Botanici. Vel additur *Igni*, & denotat morbum cauſticum & igneæ naturæ, eſtque vel plane idem cum *Anthrace*, ſive *Carbunculo*, vel valde ſimilis. Vide Senn. *M. Pr. l.* 5. *p.* 1. *c.* 13. Paracelſus aliquoties in angina ſive prunella, quoque *ignem*, vel calorem *Perſicum* eſſe ſcripſit.

PERSISTENS, idem, quod *Conſtans*, καθεστηκώς; dicitur morbus *conſtans*, qui iiſdem horis accedit & remittit, Gal. *l. de Typis c.* 3.

PERSPIRATIO, διαπνοή. Vide *Diapnoë*.

PERSULTATIO, διαπήδησις. Vide *Diapedeſis*.

PERTINACIA, ἐπιμονή, ſumitur à Medicis pro *Perſeverantia*, *Duratione* continua. Eſtque interdum mala, interdum bona. *Pertinacia* cauſæ morbificæ uti mala eſt, morbi vehementiam gignens; ita *pertinacia* juvantis, ſive remedii bona eſt, & malum corporis ſæpe vincit, teſte Celſo *l.* 3. *c.* 12. allegante Linden. *Ex. XIII.* §. 386.

PERTURBATIO, apud Latinos æquivocum eſt in Medicina. Si de corpore dicitur & in ſpecie de alvo, Græce dicitur ταραχὴ apud Hippocr. 1. *aphor.* 2. item τάραξις, ἐκτάραξις, de quibus vocabulis vide infra *Tarache.*

Tarache. Taraxis. Si vero de animo, tunc æquipollet Græco πάθ@, & Latino vocabulo *Affectus animi*, Gal. 4. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 4. Vide *Affectus*. Aliquando & *Perturbatio animi* pro *mentis emotione* & *delirio* ponitur.

PERTUSSIS vocatur Tuſſis convulſiva infantum à Thom. Sydenham. *Obſervat. de morb. acut ſect.* 4. *c.* 5. *p. m.* 302.

PERVERSIO, διαστροφὴ, διάστρεμμα. Vide *Diaſtremma.*

PERVIGILIUM, ἀγρυπνία, idem, quod *Vigiliæ nimiæ* vel præternaturales, eſtque ſymptoma inſigne actionum ſenſitivarum læſarum, Gal. *l. de diff. ſympt. c.* 3. oppoſitum *ſomnolentiæ nimiæ*. Deſcribi poteſt, quod ſit ſenſuum externorum & communis p. n. exercitium nimium cum corporis extenuatione, languore, oculis ſqualidis, & aliquando delirii periculo proveniens à continua agitatione ſpirituum animalium in cerebro elaboratorum, & expanſione cerebri intemperiem ſiccam cum vel ſine calore excedente ſupponente. De hoc affectu vide Willis *An. Brut. P. Pathol. c.* 5. *Pervigil* legitur apud Lind. *Ex. XII.* §. 50.

PERULA legitur apud Paracelſum, additum *Icteritiæ*, diciturque eſſe ſummum arcanum in *Ictero* Gallico, *l.* 7. *de puſtul. Gallic. ulcerib. &c. c.* 6. Alias *Perula* etiam pro *ſphærula* uſurpatum fuit; teſte Keuchen. *ad Sammon. p.* 168.

PERUNCTIO, idem, quod *unctio*, ἄλειψις, χρίσις, διάχρισμα.

PERUNDIS Paracelſo dicuntur, qui cum ſemine creſcunt, quemadmodum *Zenda*, qui ſine ſemine, *Tom. IIX. Oper. Fragm. Anatom.*

PERUVIANUS, epitheton *Balſami* nativi, quod & *Indicum* vocatur. Vide *Indicus.*

PERYSIAS, περυσίας, epitheton *vini anni ſuperioris*, ad diſtinctionem illius, qui dicitur αὐτίτης, quaſi αὐτοετίτης, *hujus anni*, à πέρυσι, quod ſignificat anno præterito. Unde περυσινὸς καρπὸς, fructus anni ſuperioris, apud Theophr. *H. Pl. l.* 3. *c.* 12. Vide Foëſ. *p.* 503. Apud Gal. *in Exeg. dict. Hipp.* legitur contracte περσύας.

PES, πὸς, quid ſignificet, notiſſimum eſt. A Medicis ſumitur late & ſtricte. Late pro toto illo, quod à natibus ad extremos pedis digitos continuatur, & comprehendit *femur*, *tibiam* & *parvum*, ſive extremum *pedum*. Stricte vero *pes* dicitur *pes minor*, ſive *extremus*, qui dividitur in pedium, metapedium & digitos. Organon eſt ambulatorium, βαδιστικὸν, quemadmodum hoc prolixe deduxit *Gal. in LL. de V. P.* Conſulantur & alii Anatomici, & inter hos Barthol. *l.* 4. *An. c.* 10: *ſeqq.* Lind. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 102. *ſeqq. Pedis* hominis in lapidem converſi deſcriptionem tradit Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. III. p.* 417. *Pes* æquivoce quoque dicitur id, e quo uva dependet à ſarmento, eſtque velut radix racemi. Linden. *Ex. X.* §. 192. Eſt & nomen menſuræ, qua rerum intervalla metimur, conſtatque unciis 12. ſive ſedecim digitis, aut palmis quatuor. Caſtell. Gorr. Rhod. *ad Scrib. n.* 163. Rul. *in Lex. Pes Gryphius* dicitur inſtrumentum Chirurgicum ad extrahendam molam apud Paræum, *Chir. l.* 22. *c.* 35.

PESSOS, πεσσὸς, Latine *Peſſus*, *Peſſarium*, πεσσάριον, vocatur medicamentum Topicum ſinui pudoris, ſive pudendo muliebri indendum, figuram habens oblongam teretem; longitudine digiti & craſſitie, paratum vel ex ſacculo lineo oblongo lana concepta goſſypio res medicamentoſas uterinas excipientibus, vel incorporatum melle, ladano, galbano, cera, ſucco, in dictamque formam redactum, Weker. *Antid. Gen. l.* 1. *cap.* 51. *Spec. l.* 2. *ſect.* 45. Morell. *de form. rem. l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 12. Schroder. *l.* 2. *c.* 83. Πεσσὸς φθόρι@, Hippocr. dicitur *talus*, ſive *peſſus* vulvæ ſubdititius ad abortum promovendum, quem prohibet in jurejurando.

PESTICIÆ, idem quod *Petechiæ*, h. e. Maculæ malignæ puliculares. Interdum & pro cunctis exanthematis ponitur. Ingraſſ. *comm. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 195.

PESTIS, *Peſtilentia*, *Peſtilens*, *Peſtiferus*, λοιμὸς, λοιμώδης. Vide *Læmos*, *Læmodes.*

PETALODES, πεταλώδης, epitheton urinæ, quæ habet hypoſtaſin ſimilem ſquamis piſcium vel foliis, aut lamellis, Hipp. 2. *prognoſt. t.* 28. Gal. *de Urin. c.* 37. Meminit & Hipp. 4. *aphor.* 76. *in Com. ad h. loc. Progn.* Foëſ. *p.* 504.

PETECHIÆ, *Peticulæ*, vocatur quædam febris peſtilentis & Epidemicæ ſpecies cum exanthematibus ſive maculis, pulicum ſimilibus morſui, cum aliis graviſſimis ſymptomatibus, plerumque lethalis, proveniens à ſanguinis per fermentum tenue coagulativum & putredinale inducta ichoreſcentia, coagulatione & diſſolutione ſive putredine. Vocatur alias *Febris Petechialis*, *Lenticularis*, *Pulicaris*. Vide *Lenticula*. Meminit J. Alex. *Com. in Gal. l.* 4. *de tu. ſan. p.* 405. *in l. de bon. & mal. ſucc. c.* 1. *& in l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 2. De hac febre legatur Willis *de febr. c.* 14. Rul. *de febre Hungarica*, aliique. Maſſarias etiam *Peticulas* appellavit, *l.* 5. *Pract. cap.* 25. & *Peticulæ lues* legitur apud Fallop. *de morb. Gall. cap.* 1. *Tom. I. Oper. p.* 613.

PETIA *oculi* dicitur ſanguis fluens de aliqua arteria, vel vena læſa, aut ſauciata. Gal. *l. ſpur. de oculis part.* 4. *c.* 7. Conſtantin. *de oculis c.* 12. *&* 17. Alias Pecia, Petia, frequentiſſime uſurpatur à Medicis, v. g. quando materia remenii alicujus præcipitur, ut in petia ligetur, ut antimonium, Mercurius &c. Ubi Petia ſignificat fruſtulum lintei vel etiam panni ſericei tenuioris. Ita & Diminutivum Petiola, peciola pro linteolo ſumtum legitur. Plura de hoc vocabulo videantur in Gloſſario. Itali vocant Pezzo, fruſtum pedis menſura majus aut minus, Lat. Pedacium, de

quibus

quibus nominibus videatur Octav. Ferrar. *in Origin. Ling. Ital. p.* 231.

PETICULÆ, vide *Petechiæ.* Laur. Bellin. *de febr. in Oper. Med. p. m.* 264.

PETIGO, *Petix*, idem quod *Impetigo*, *Lichen.* Rhod. *in Lex. Scrib. n.* 393.

PETIOLUS, ποδίσκιον, πόδιον, idem, quod *Pediculus* fructuum, quo adhærent ramis, vel ſurculis. Sumitur tamen etiam de extremis pedibus animalium teneriorum, h. e. hædi, agni, Celſ. *l.* 2. *c.* 18.

PETRA, πέτρα, *ſaxum*, idem fere, quod *Lapis*, niſi quod *Petra* duriorem ſaltem lapidem ſignificare videatur ex uſu recepto. Ita *Petra Aſia*, pro Aſſio lapide apud Gorr. *Petra ſanguinaria* pro lapide *Hæmatite* ponitur apud Rul. & Iohnſon. *in Lex.* πετρῶδ@ dicitur de oſſe *petroſo* temporum, quod & ſaxeum, lapidoſum vocatur, de quo vide Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 6. item de piſcibus, qui alias Lat. *ſaxatiles* dicuntur. Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 28.

PETREFACTIO, vel *Petrificatio*, dicitur de corporibus in lapideam ſubſtantiam mutatis, *Eph. N. Cur. An.* I. *Obſ.* 14. De natura *Petrificationis* & origine corporum diſſertationem quoque ſcripſit Thom. Schirlæus Medicus Anglus. Videantur & *Acta Philoſophica* Oldenburgii *A.* 1665. *m. Octobr. & Novembr.* 1666. item *Acta Hafn. Vol.* I. *Obſ.* 46. *p.* 83.

PETRELÆON, πετρέλαιον, *Petroleum.* Dicitur à quibuſdam *Bitumen liquidum.* Oleum *Petræ*, Axungia Macrocoſmi, eſtque liquamen pingue liquidum e ſaxis & petris effluens; album & rubrum in Italiæ quibuſdam provinciis, Mutinenſi & tractu Parmenſi. Schrod. *l.* 3. *c.* 32. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

PETRIFICATIO, vide *Ancubitus.* Alias idem eſt, quod *Petrefactio.*

PETROSUM, λιθοειδὴς. Vide *Lithoeides.*

PEUCINE, πευκίνη, epitheton *reſinæ*, quæ *picea* dicitur, à πεύκη, arbor *picea*, *larix.* Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 8. *de S. F. de Reſinis.*

PEXIS, πῆξις, vide *Congelatio*, *Concretio.*

PEZA, πέζα, apud Hipp. vel *malleolum pedis*, vel imam *plantam* ſignificat, *l.* 2. *de morb. mul. LIV.* 16. Lind. reddidit per pedum extremitatem. Vid. Foëſ. *p.* 409.

PHACELLOS, φάκελλ@, vide *Faſciculus.*

PHACODES, φακώδης, *lenticolor*, *lentis colorem referens*, quales ſunt Lienoſi. Hipp. *l.* 3. *Epid. in fin. ſtat. peſt.* Unde & compoſ. ὑποφακώδεις, *lib.* 2. *Epid.* I. 76. hoc eſt, fere lentis colorem habentes.

PHACOIDES, φακοειδὴς, i. e. *lentis formam habens.* Epitheton Humoris Cryſtallini in oculo, Veſal. *l.* 7. *de H. C. F. c.* 14.

PHACOPTISANA, φακοπτισάνη, edulium dicitur ex lente & ptiſana compoſitum, ita tamen, ut plus lentis, quam ptiſanæ contineat, quod hæc magis intumeſcat, illa autem minimum. Legitur apud Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 18. & Jul. Al. *l.* 8. *Sal. c.* 8.

PHACOS, φακὸς, vide *Lens*, *Lenticula*; *Lentigo.*

PHACOSIS, φάκωσις, refertur inter affectus oculorum à Gal. *Introd. c.* 15. Vocatur alias *Nigra oculi macula.*

PHACOTOS, φακωτὸς, *Lenticulatus*, ſive *Lentis ſpeciem referens*, idem, quod φακοειδὴς. Dicitur de diverſis rebus, v. gr. de vaſe vaporario, item de inſtrumento Chirurgico, ſine ſcalpro in fracturis oſſium cranii. Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6.

PHÆNOMENA, φαινόμενα, dicuntur omnia illa, quæ in corpore noſtro ſecundum, vel præter naturam obſervantur in ſenſus incurrentia, quibus poſtea aliqua ſententia ſtabiliri & confirmari poteſt. Quod epitheton hodieque in Phyſicis & Medicina frequentiſſimo eſt in uſu, & coincidit in multis cum Experimentis.

PHÆOS, φαιὸς, vide *Fuſcus.* Eſt & epitheton Collyrii à colore, Italis *Bruno* dicti, quod & παιδικὸν, hoc eſt, *puerile* vocatur ob levitatem. Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 6. Vide Rhod. *ad Scribon. n.* 23.

PHAETON eſt nomen proprium gentilitium, cujus ſignificationes ex aliis Lexicis petantur. Ut vero hic inſereretur, anſam dedit Hartmannus, qui *in Miſcellan. Chymico-Medicis*, *Operum ſuorum Tom. VI. in fol.* meminit ænigmaticæ Phaëtonis ſuperioris in Nympharum nomen metamorphoſeos, an vero ſolem vel aliud quid per illum intelligat, Spagyrici hariolentur.

PHAGEDÆNA, φαγέδαινα, vocabulum eſt æquivocum valde. Vel enim aliquando ſumitur late pro omni ulcere ſanas partes vicinas arrodente; & ita idem ſignificat, quod νομὴ, item Ulcus Telephium, Chironium: Vel ſtricte interdum pro ulcere tumido profundo, ſubjectam carnem & vicinas partes erodente. Loca Hippocratis & Galeni vide apud Foëſ. *p.* 648. *ſeq.* quod à ſale cauſtico dependere docuit Helm. *l. Schol. Hum. Paſſ. Dec. c.* 1. *n.* 31. Vel etiam nomen hoc tribuitur affectui ventriculi, quando immodico ciborum deſiderio tenetur, nec ſatiari poteſt. Et ita coincidit cum Bulimo, vel Appetentia Canina. Gal. *in def. Med. & c.* 3. *in l.* 6. *Epid. t.* 37.

PHAGOS, φάγ@, dicitur *vorax*, Comedo, edax. Linden. *Ex. XIII.* §. 159.

PHAGRAS, vide *Pagrus.*

PHALACROCORAX, φαλακροκόραξ, dicitur *Corvus aquaticus*, cujus deſcriptionem vide in Aldrov. *l.* 19. *Ornithol.* 56.

PHALACROSIS, φαλάκρωσις. Vide *Calvities.*

PHALÆNA, φάλαινα, Lat. *Balæna*, vide *Balæna.* Caſp. Hofm. *Comm. in Gal. LL. de V. P. n.* 161.

PHALAIA, barbarum eſt vocabulum, duplicem habens ſignificationem. Primum enim à Baſilio Valentino Spagyrico ita dicitur Medicamentum Catholicum, ſive *Univerſale*, & *Panacea* intra corpus ſumenda, eſtque nihil aliud, quam Mercurius Philoſophicus, de cujus

encomio etiam legatur D. D. I. I. Iœpſerius *in Introduct. ad vitam long. Part. II. c. 12. p. m.* 406. 407. quemadmodum *Aſa* univerſale eſt remedium externum, *tr. de Magno myſterio mundi & illius medicina.* Deinde à Rolfink. ita vocatur *Tinctura Gialappæ*, veluti per tranſpoſitionem literarum *Ihalapa*, *tr. de purgant. ſ.* 2. *art.* 3. *c.* 15.

PHALANGITES, φαλαγγίτης, dicitur planta, quæ morſis ab araneis medetur. Gal. *l.* 8. *de S. F. §. h. t.*

PHALANGOSIS, φαλάγγωσις, dicitur affectus, quo pilorum ſubnaſcentium duplex triplexve acies in ſuperiore, vel inferiore palpebra provenit, Gal. *Introd. c.* 15. Aëtius vero ex Severo ſcribit, φαλάγγωσιν eſſe relaxationem palpebrarum vel χάλασιν, cum extremitas intro vergit, ut pili non facile appareant, niſi quis diſtendat palpebras. Ægin. *l.* 6. *c.* 8. & 11. à διστιχίασει & τριχίασει in hoc diſtinguit, quod in his novi pili provenientes peccent afficientes bulbum oculi, in phalangoſi pili naturales oculum pungant intro vergentes. Caſtell. & Gorr.

PHALANX, φάλαγξ, proprie *aciem*, ſive agmen militum, ſignificat. Per translationem vero vocantur hoc nomine *articuli*, quibus digiti oſſi carpi propinquo dearticulantur. Gal. *l.* 2. *de V. P. c.* 9. Græce σκυταλίδες φάλαγγες, à σκυτάλη, *turma equitum* ordine locata. Caſtell.

PHALERÆ, φάλαραι, proprie vocantur *equeſtria ornamenta.* Per metaphoram vero ita quoque vocatur ſpecies deligationis, vel *faſciæ ad naſum* pertinentis. Gal. *de faſciis n.* 52.

PHANEROS, φανερὸς, *Manifeſtus.* Idem, quod δῆλος. Vide Dieter. *n.* 885.

PHANION, φανίον, hoc eſt, *Lampas*, vel *facula.* Nomen medicamenti duplicis compoſiti, unius *Neapolitæ* ad maximas epiphoras & doloris moleſtias: alterius *Serapicum* dicti, quorum deſcriptionem vide apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 7.

PHANLEC, id eſt, *ferrum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PHANTASIA, φαντασία, vide *Imaginatio.*

PHANTASMA, φάντασμα, idem, quod φαντασία. *Phantaſmata* quoque Paracelſo dicuntur *Spiritus* in locis deſertis & circa littora maris apparentes, qui terrefaciunt aliquando, & ſuam originem ducunt ſecundum illius opinionem ex imaginationibus hominum, quales vivi de vel cum mortuis habent, Dorn. Rul. & Iohnſ. Vide Parac. *tr. de virtut. herbar. radic. tit. de Coralliis & de Hyperico.* Refert idem inter homines ſidereos, *tr. Explicatio totius Aſtronomiæ. Phantaſma* quoque dicitur apparitio in ſomno. C. Rejes *C. El. q.* 37. *n.* 5.

PHARCIDODES, φαρκιδώδης, *Rugoſus* Latine dicitur, à φαρκὶς, *ruga*, quod idem eſt, ac ῥυτὶς, unde & ῥυτιδώδης. Foeſ. *Oec p.* 650. Erot. *Onom. p.* 121. *f.*

PHARICON, φαρικὸν, nomen eſſe veneni ſimplicis, & quidem vehementiſſimi, uti ab omnibus Medicis veteribus & novis ſtatuitur, ita incertum adhuc eſt, quid, & quale venenum hoc nomine veniat. Confer ad Rhod. *in Scrib. not. n.* 195. Adde Lang. *l.* 1. *ep.* 68. Foreſt. *l.* 30. *Obſerv.* 10. *in Schol.* Meminerunt ex antiquis Dioſcor. Gal. Plinius, Nicander & alii, quorum loca vide in allegatis recentioribus.

PHARMACEIA, φαρμακεία, ſumitur late & ſtricte. Late pro omni aſſumtione medicamenti. Stricte vero Hippocrati uſitatius pro purgatione. Dieter. *n.* 886. Foeſ. *p.* 650. Interdum etiam idem ſignificat, quod φαρμακευτική. In qua ſignificatione ſumitur à Jac. le Mort, *Pharmac. Med. Phyſ. c.* 1.

PHARMACEUTICA, φαρμακευτική, vocatur pars miniſtra artis Medicæ, tradens deſcriptionem medicamentorum & rite adhibendi modum. Gorr. Vide paſſim Inſtitutioniſtas, & inter hos *Dogm. Medic. Gener. Part. VI. cap.* 1. *pag.* 664. *ſeqq.*

PHARMACITES, φαρμακίτης, idem, quod ἀμπελῖτις γῆ, nomen terræ duriuſculæ nigræ, piceæ, longos carbones referentis, aſſulatim ſciſſilis, æquabili ſplendore, quæ detrita accepto oleo ſtatim liqueſcit. Eſtque nihil aliud, quam bitumen foſſile, vel carpo foſſilis. Vide Dioſcor. *l.* 5. *c.* 181. Gorr.

PHARMACOCHYMIA, φαρμακοχυμία, dici poteſt illa pars Chymicæ artis, quæ tradit præparationes medicamentorum Chymicorum, ad diſcrimen partis Spagyricæ metallorum tranſmutationem docentis. Legitur hoc vocabulum apud Libav. *tr. de Igne nat. c.* 37. quam aliis *Alchymiam Pharmaceuticam* vocavit integri cujuſdam tractatus *Tom. II. Oper.*

PHARMACON, φάρμακον. Vide *Medicamentum.* Præter hanc ſignificationem uſitatam, etiam idem, quod βάμμα, vel βαφεῖον, notat, hoc eſt, *tincturam* vel *tinctum*, unde φαρμάσσω, *tingo.* Keuchen. *ad Samon. p.* 252. Vocantur & φαρμακῶντες, *tincturæ.*

PHARMACOPOEUS, φαρμακοποιὸς, dicitur *Artifex*, callens modum rite præparandi medicamenta, qua ſimplicia, qua compoſita. Cujus perſonam & attributa ſuccincte & egregie deſcripſit Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. p.* 29. Eſt enim altera Medici manus, Dieter. *Iatr. p.* 934. Dicitur & *Pharmacopola*, *Apothecarius*, φαρμακοπώλης, quia vendit quoque medicamenta. Ars rite præparandi medicamenta vocatur quoque à Schrodero in princip. *Pharmacopœia.*

PHARMACOPOLIUM, φαρμακοπωλεῖον, idem quod *Apotheca*, de quo ſupra: *Officina*, in qua præparantur & venduntur medicamenta, ſimplicia & compoſita.

PHARMACOPOSIA, φαρμακοποσία, dicitur vel in genere potio omnis medicamenti liquidi, vel in ſpecie purgantis. Hipp. *l.* 4. *aph.* 19. Gal. *c.* 7. *aph.* 25. Foeſ. *p.* 651. Dieter. *n.* 888.

PHARMACOSA *medicamenta* vocat Fallop. quæ aliquid veneni ſapiunt, à lata & abuſiva vocab. φάρμακον ſignificatione. *tr. de purg. ſimpl. c.* 2. *Tom. I. Op. pag.* 131.

PHARMACOTHECA, φαρμακοθήκη, dicitur Ciſta, vel Capſa quædam multis loculis & cancellis inſtructa

ad recipienda medicamenta ad uſum neceſſaria, qualem portatilem exhibet Rolf. Lentilius *in Miſcellan. Medico-Practic. Sect. III. p.* 145. vernacule dicitur Hauß-apothek.

PHARMACURGICUS, φαρμακουργικὸς, eſt epitheton remediorum e Pharmacia deſumptorum quod uſurpavit Harderus *in Apiario Obſ.* 75.

PHARMIANUM, φαρμιανὸν, nomen Malagmatis, apud Galen. *l.* 7. *de C. M. P. G. cap.* 6. *fere ad finem.*

PHARYNGETHRON, φαρυγγεθρον, apud Hipp. fauces ſignificat, *l. de diſſect. ſtatim in princ.* Et ita Galen. pro pharynge ſumpſit, *l. Introd.* Sed in *l. de voc. inſtr. diſſ. cap.* 6. pro oſſe hyoide accipi volunt Gorr. & Caſtell. quamvis ſaltem ex Latina verſione hoc habuerint; dubitandum vero, an in Græco textu (qui deſideratur in Codicibus) explicatio illa occurrerit.

PHARYNGOTOMIA, φαρυγγοτομία, idem, quod *Laryngotomia*, de quo ſupra.

PHARYNX, φάρυγξ, vide *Fauces.*

PHASCIOO, φασκιόω, i. e. *ligo faſciis.* Legitur aliquoties apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 57. 62. 68. ubi & ſubſtantivum φασκία, i. e. *faſcia* occurrit.

PHASIANUS, φασιανὸς, vocatur avis quædam major & inter alimenta delicatiora relata, cujus deſcriptionem cum uſu in cibis & medicina vide apud Aldrov. *l.* 13. *Ornith. c.* 5. Jul. Alex. *l.* 13. *Sal. c.* 5. Bruyerinum *de reb. cibar. l.* 15. *cap.* 39. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 15.

PHASMA, φάσμα, *apparitio*, idem, quod φάντασμα. Lang. *l.* 2. *ep.* 35.

PHASSA, φάσσα, vide *Palumbis.*

PHATNION, φάτνιον, idem, quod βόθριον, *alveolum*, vel *præſepiolum* dentis ſignificat. Vide *Bothrion.* Caſtell.

PHAULOS, φαῦλος, duplicem habet ſignificationem, 1. idem notat, quod ἁπλοῦς, *ſimplex*, *vilis*, vulgaris, v. g. Hipp. 1. *de fract. t.* 19. & *t.* 45. 4. *de art. t.* 35. Adde Gal. *Com.* deinde *vitioſum*, *pravum*, 2. *aph.* 32. Adde Foëſ. *n.* 652. Dieter. *n.* 890. Jul. Alex. *not. ad Galen. lib.* 5. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 2.

PHAUSINGES, φαύσιγγες, dicuntur proprie in tibiis rubri ab igne ſurgentes circuli, & per abuſionem etiam reliqui. Alii maculas ab igne excitatas eſſe ſcribunt, Foëſ. *Oec. d. l.* Vocantur & φῷδες, vel φώϊδες. Conf. plenius explicantem vocem Erotianum, Gal. *exeg.* Pollux. & Heſych.

PHAUSTIANOS, φαυστιανὸς, nomen *paſtilli*, admodum acris & exedentis adverſus excreſcentias maximas carnoſas. Deſcriptum habetur apud Aët. *l.* 9. *c.* 49. citante Gor. & Æginet. *l.* 7. *c.* 12.

PHAZALA, morbus equis mare rubrum ingredientibus. Joan. Ruell. *Veter. Medic. lib.* 11. *c.* 122. *p.* 114.

PHECLE, φέκλη. Vide *Fecla.*

PHEMOS, φῆμος, dicitur medicamentum Martiano autore, contra dyſenteriam, apud Aët. *l.* 9. citante Gorr.

PHENGITES, φεγγίτης, nomen lapidis luminoſi, qui lumen acquirere & iterum expandere poteſt, cujus meminit Fr. Hofm. *in Clav. ad Schrod. p. m.* 187.

PHEREA, φηρέα, vocabulum inter Hippocratis voces obſcurum, & oblongas glanduloſorum corporum, quæ circa aures ſunt, eminentias ſignificans. Uſurpatur ab Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 14. Plura de hoc vocab. vide in Foëſ. *d. l.* & Gal. *exeg. Hipp.*

PHERONYMOS, φερώνυμος, dicitur is, qui ob ſcientiam aliquam dignus eſt illo nomine, & opere ipſo hoc ipſum nomen meretur. Ita Medicus φερώνυμος eſt, qui reapſe medetur ægris. Linden. *Ex. XIII.* §. 564.

PHIALA dicitur vas vitreum ex ventre in modum ſphæræ rotundo gracilem canalem in proceritatem emittens, cujus uſus frequens in coagulationibus & ſolutionibus. Rul. & Iohnſ. Rolfink. ita dictum eſſe ſcribit à ſimilitudine tegminis fœminei cephalici, quod Germ. Haube vocatur. Chym. *I. A. F. R. l.* 2. *c.* 18. Vulgo *Phiola* exprimitur.

PHIBALEOS, *Phibalios*, φιβάλεος, φιβάλιος, vel eſt *ſpecies* certa *ficuum*, Gal. *in Ex. voc. Hipp.* vel idem, quod *Caricæ*, ſive ficus exiccatæ, Foëſ. *d. l.*

PHIBIT, id eſt *rapax*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PHILADYNAMOS, φιλαδύναμος, in ſuperlativo φιλαδυναμώτατος, quod occurrit apud Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 40. & aquæ eſt epitheton ſignificans eam, quæ vires facile frangit & debilitat. Foëſ. *d. l.*

PHILAGRIANON, φιλαγριανὸν, nomen Malagmatis, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 18. Gorr.

PHILALYSTES, φιλαλυστὴς, ſignificat Hipp. illum, qui animo anxio eſſe ſolet & inquieto, unde & huc & illuc ſe jactat perturbatus. Latine per *Fugitivus* exprimitur, *l. Præcept. X.* 10. Foëſ. *d. l.*

PHILANTHROPOS, φιλάνθρωπος, h. e. *amicus hominum.* Ita vocatur medicamentum compoſitum antinephriticum in Nicolai *Antidotario Oper. Meſuæ fol.* 383. *b.* ubi commentator quidem Magiſter Platearius hallucinatus eſſe videtur, dum derivationem hujus nominis à Philiaſide i. e Filipendula herba diuretica deducere non eſt veritus.

PHILIATROS, φιλίατρος, dicitur *Studioſus medicinæ*, qui adhuc in primis verſatur diſciplinis & præceptis; quo intellectum ſuum exerceat, Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. c.* 5. Eſt & nomen libri Damocratis, teſte Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2.

PHILIPPI *Trochiſcus*, φιλίππου τρόχισκος, adverſus dyſenteriam deſcribitur ab Ægin. *l.* 7. *c.* 12.

PHILISTÆA, terminus Spagyricus obſcurus, qui legitur apud Baſil. Valent. *in Repetit. de Lap. Philoſoph. c. de Antimonio*, ubi dicit: quod ſi Antimonium tranſiverit in *Philiſtæam*, tunc per ſe fieri vitrum.

PHILOCOTYLE, φιλοκοτύλη, nomen Emplaſtri, cujus deſcriptio legitur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 17. ubi tamen φιλοκοτύχη in textu legitur. Gorr. vero φιλοκοτύλη ſcripſit *in defin.*

PHILOCRATIS *Emplaſtrum*, φιλοκράτους ἔμπλαστρον, deſcribitur à Celſo *l.* 5. *c.* 19. allegante Gorr.

PHILOENOS, nia, φίλοινος. Vide *Vinoſus.*

PHILOLAGNOS, φιλόλαγνος, vocatur *amans veneris*, *ſalax*, apud Hipp. *l.* 2. *de morb. XLIX.* 3. Latine etiam exprimitur *Veneri deditus.*

PHILOLUTROS, φιλόλουτρος, *amans balnei*, qui balneo delectatur, Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 57. Dicitur & φιλολουτρέων, *d. l. t.* 60. Foëſ. *d. l.*

PHILOMEDICA eſt epitheton potionis in febribus ardentibus pro ſiti extinguenda, cujus meminerunt Treutnerus & Frondek in Elixir Arboris vitæ, deſcriptio extat *in Collectan. Chymic. Leidenſ. c.* 332.

PHILOMELA. Vide *Luſcinia.* Adde Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 1. *c.* 15.

PHILONION, φιλώνιον, nomen medicamenti anodyni *Opiati* ab autore *Philone* ita dicti, cujus variæ occurrunt deſcriptiones etiam in Diſpenſatoriis Norimbergenſi, Cordi, Auguſtano & Londinenſi.

PHILONIS *Collyrium*, φίλωνος κολλύριον, deſcribitur à Celſo *l.* 6. *c.* 6. citante Gorræo. Meminit *Philonis* Medici Gal. *l.* 1. *meth. med. c.* 7.

PHILONIUM, φιλώνιον, nomen Antidoti narcoticæ, cujus variæ deſcriptiones extant in Diſpenſatoriis Norico, Auguſtano, aliiſque. Non negligenda tamen Zwolferi animadverſio. Duo alia deſcripſit, calidum unum, alterum frigidum appellans Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. c.* 23. *p.* 174.

PHILOPARABOLOS, φιλοπαράβολος, eſt epitheton curationis vehementioris & temerariæ, præſertim in phreniticis, Cœl. Aurel. *Acut. l.* 1. *c.* 15. *p. m.* 45. 49.

PHILOPHYSICUS, φιλοφυσικός, dicitur amans vel *ſtudioſus rerum naturalium.* Et ita dictum fuiſſe *Aſclepiadem*, teſtatur Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. cap.* 5. *fere circa finem.*

PHILORISTIA, φιλοριστία, vocatur Galeno nimium *ſtudium conficiendi definitiones*, atque hoc etiam in Medicina & Medicis reprobat vocans morbum. *l.* 4. *de diff. pulſ. c.* 1. *& c.* 17. *in fin.*

PHILOSOPHIA, *Philoſophus*, φιλοσοφία, φιλόσοφος, *ſtudium* & *ſtudioſum ſapientiæ* ſecundum literam ſignificat. Proprie vero notat partim omnes illas diſciplinas, quæ rerum ſupernaturalium ætherearum, naturalium explicant eſſentiam, cauſas, & affectiones; & comprehenduntur titulo *Philoſophiæ Theoreticæ*, quæ continet *Metaphyſicam*, *Mathematicam* ſive *Aſtronomiam* & *Phyſicam*; partim has quoque diſciplinas, quæ hominis perfectionem & felicitatem in actionibus Moralibus, Civilibus vel Politicis, & Domeſticis ſive Oeconomicis acquirendam docent, & nomine veniunt *Philoſophiæ Practicæ*, quæ complectitur *Ethicam*, *Politicam*, & *Oeconomicam.* Utramque *Philoſophiæ* partem ſcitu neceſſariam eſſe extra dubium eſt. Et haud dubie inculcare hoc voluerunt Hippocr. egregio illo axiomate: ὁ ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος, Medicus *Philoſophus* Deo æqualis; & Galen. *lib. quod optimus Medicus, optimus quoque ſit Philoſophus.* Jung. & Linden. *Ex. II.* §. 8. *ſeqq.* quamvis fortaſſis Ethica & Phyſica præ reliquis maxime ſint neceſſariæ. Cæterum nomina *Philoſophiæ* & *Philoſophi* partim jactuoſe, partim abuſive ſibi attribuerunt Spagyrici, & præſertim Paracelſus cum ſuis ſectatoribus, dum in illius ſcriptis leguntur opuſcula inſcripta *Philoſophiæ Sagacis*, item *Philoſophiæ* ad *Athenienſes.* Plura quoque in Theatro Chymico inquiri poſſunt; qua Helmontius cum ſuis aſſeclis, qui ſe *Philoſophum per ignem* glorioſe appellare non eſt veritus. Hinc & uterque artificium illud Panaceæ & Catholici non dubitavit appellare *Lapidem Philoſophicum.* Vide *Lapis.* Noſtri non eſt inſtituti in hujus *Philoſophiæ* ventilatione prolixiorem impendere operam. *Philoſophus* etiam fuit nomen proprium, vel Medici, vel Chirurgi, apud Aëtium *Tetr.* 4. *ſerm.* 3. *c.* 24. ubi legitur φιλοσόφου ἔμπλαστρος, *Philoſophi Emplaſtrum* ad calcitratus & vulnera tumida, citante Gorr. *in def.* plane quoque abuſiva acceptio verbi φιλοσοφεῖν eſt pro *coire*, aut venerem exercere, apud Lucian. allegante Rolfink. *de P. Genit. Part. I. c.* 1. *Oleum Philoſophorum* vocari Oleum de Lateribus, vel Laterinum, e Diſpenſatoriis aliiſque materiæ Medicæ ſcriptoribus conſtat.

PHILOTECHNOS, φιλότεχνος, *artium ſtudioſus*; qui omnes artes, unam nempe poſt aliam, addiſcere cupit, donec eruditorum choro inſeri dignus habeatur. Linden. *Ex. V.* §. 12. φιλοτεχνεῖν quoque eſt *artificioſe agere*, ut prudens artifex agit, apud Gal. notante C. Hofmann. C. *in LL. de V. P. n.* 908.

PHILOTIMIA, φιλοτιμία, *ambitionem* cum invidia ſignificat. Et verbum φιλοτιμεῖσθαι uſurpatur de illis, qui gloriam occupantur ſtudio reprehendendi alterum & criminandi, Hippocr. *l. de Arte. l.* 10. Foëſ. *cap.* 656.

PHILTRON, φίλτρον, proprie ſignificat *pharmacum* vel *poculum amatorium*, hoc eſt, ad amorem conciliandum datum, non quidem naturalibus viribus hunc effectum præſtans, ſed virtute veneficii Diabolici. Unde & ipſe Galen. gentilis licet, horum pharmacorum notitiam Medicis non competere ſcripſit, *l.* 10. *de S. Fac. mox à princip. Philtrorum* quoque nomine omnia alia veneficia, ceremoniæ, ligaturæ, veniunt. Videatur Senn. *l.* 1. *Pr. M. p.* 2. *c.* 10. *& l.* 6. *p.* 9. *c.* 5. Diet. *Iatr. pag.* 735. Meminit & Lang. *l.* 1. *Ep.* 33. Rolf. quoque incantamentis annumeravit, *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 29. Prolixe C. Rejes *q.* 29. Helmontius vero videtur ad naturalem aliquam συμπάθειαν & mumialem confermentationem referre, *tr. de magn. vuln. cur. n.* 27. Verum ejus autoritas merito ſuſpecta habetur, quemadmodum & hypotheſis illa de magnetica curatione. *Philtrum* quoque ab

ab Anatomicis vocatur cavitas illa labii ſuperioris media valvulæ ſimilis, Latinis quibuſdam *Lacuna* dicta. Gorr. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 11. *p.* 532.

PHILYPOSTROPHOS, φιλυπόστροφος, ſignificat omne id, quod morborum reverſionem & recidivam facere ſolet. Hipp. 1. *Prorrh. c.* 3. *t.* 13. *Coac. t.* 348.

PHIMOSIS, φίμωσις. Vide *Paraphimoſis*.

PHIONITIDES, naturales dicuntur inimici, qui ſeſe mutuo perſequuntur ad mortem, ut ciconia ranas, felis mures, aranea bufones, &c. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PHLASMA, φλάσμα, pro θλάσμα, Ion. *Contuſio*, *Contuſum*, *colliſio*, quemadmodum & φλάω, pro θλάω, *contundo*. Vide *Contuſio*. Adde Foëſ. *p.* 656.

PHLAUROS, φλαῦρος, *vitioſum* ſignificat, ita ut ubique in malam ſignificationem acceptum apud Hipp. legatur 6. *aph.* 52. *ſ.* 2. *de R. V. I. A. t.* 50. *ſ.* 3. *t.* 33. *l.* 1. *Ep. ſ.* 2. *t.* 80. 3. *de fract. t.* 17. Vide Foëſ. *d. l.* Diet. *n.* 899. Linden. vero exponit per non bonum, ſive *malum incipiens*. *Ex. IV.* §. 92.

PHLEBION, φλεβίον, *Venula* dicitur. Diminutivum à φλὲψ, de quo infra, Hipp. 4. *aph.* 79. Jung. Diet. *n.* 903.

PHLEBODONODRS, φλεβοδονώδης, vox habetur apud Hipp. peregrina, nova & adhuc valde dubia, cum alia legant φλεδονώδης. Occurrit vero 1. *Prorrhet. ſ.* 3. *t.* 9. *&* *Coac. t.* 20. ubi vide Gal. *Com. ad loc. prim.* qui expoſuit per agitata & diſtenta vaſa ſanguinea propter magnum ſanguinis fervorem & efferveſcentiam febrilem. Verum C. Hofmann. *in notis* ἀνεκδότοις *ad Gal. loc. cit.* exiſtimat legendum eſſe φλεδονώδεα, quod ſignificat ægros delirantes ſcil. in ſomniis. Φλεδόνες enim ſunt *nugæ*, *ineptiæ* & φλυαρίαι, quam vocem & Linden. retinuit, nobiſque etiam veroſimilior videtur. Quod vero in quibuſdam exemplaribus MS. etiam φλεγματώδεα legatur, nobis plane ad textum non quadrare videtur, quamvis Ionſton. *ad d. Coac. text.* retinuerit. Plura vide apud Foëſ. *Oec. p.* 657. Erot. *On. p.* 118. *& f.* 119. *a.*

PHLEBOPALIE, φλεβοπαλίη, Democrito dictus fuit arteriarum motus. Nam φλὲψ generaliter venas & arterias complectitur. Verum Foëſ. *p.* 658. ad hunc locum Erotiani animadvertit potius legendum eſſe φλεβοπαλίαν, aut φλεβοπαλείαν, quaſi *venarum agitationem* & fluctuationem. At vero non video tantum vitium, cum φλεβοπαλία facile per licentiam Græcam fingendi nova vocabula, & per derivationem à πάλλω, ſalio, vibro, excuſari & declarari poſſit; præſertim cum in ſtatu p. n. hujuſmodi arteriarum ſaltus evidentiſſime conſpiciatur in aneuriſmate, ubi non tam fluctuatio, quam vibratio & concuſſio arteriæ notari poteſt.

PHLEBORRAGIA, φλεβοῤῥαγία, vocatur Hipp. ἡ ῥῆξις τῶν φλεβῶν, *ruptio venarum*. 4. *de R. V. I. A. t.* 86. Gal. *in com. ad h. l.*

PHLEBOTOMIA, φλεβοτομία, communiter & uſitatiſſime Latine dicitur *venæ ſectio*, vel *ſanguinis emiſſio* per venam ſcalpello diviſam vel inciſam facta, Gal. *l.* 11. *M. M. c.* 1. Remedium Chirurgicum notiſſimum & frequentiſſimi uſus, ſæpius etiam præter neceſſitatem, inprimis præſervationis gratia. Refertur inter generoſa & univerſalia præſidia, valetque primario ad deplendam copiam, ſcil. turgentem & urgentem, ſecundario ad alia quoque in qualitate, aut motu ſanguinis vitia. Jung. Diet. *n.* 900. Jeſſenii Judicium de Sang. V. S. miſſ. *cum annot. noſtris.* Verum hoc remedium acerrime impugnare non fuit veritus Helm. *de febrib. c.* 4. quamvis rationibus non adeo validis, uti quidem ſibi viſæ fuerunt, quas hoc loco examinare non concedit inſtituti ratio. Præter hanc receptam ſignificationem vox φλεβοτομία & verbum φλεβοτομεῖν ſumuntur, vel pro quavis *diviſione venarum* p. n. & violenta v. g. *l.* 4. *Ep. circa fin.* quamvis non videam, quid obſtet, quo minus de artificiali *Venæſectione* explicari debeat locus ille: vel pro multiplicatione venæ alicujus majoris in ramos plures & ſurculos, *l. de Venis*, *XXVI.* 6. Vide Foëſ. *d. l.* Conf. Gal. *exeg.* qui de duplici ſignificatu agit.

PHLEBOTOMUS, φλεβότομος, vocatur *inſtrumentum Chirurgicum*, quo fit *venæ ſectio*, communiter duplex hactenus fuit receptum; unum, quod vernacule flitte dicitur, & pulſu celeri per digitum facto venæ intruditur, quemadmodum in ſcarificationibus vulnuſcula infligi ſolent: alterum, quod hodieque receptius & fortaſſis commodius ſecuriusque, Italis *Lancetta* dictum, quo vena pungitur cum levi inciſione. Debent vero hæc ſcalpella probe aſſervari, ne inquinentur, aut veneno inficiantur, unde graviſſima oborta eſſe mala ex Hiſtoriis conſtat.

PHLEDONODES, φλεδονῶδες. Vide *Phlebodonodes*.

PHLEGMA, φλέγμα, *Pituita*, Latinis dicitur. Olim à veteribus inter humores quatuor naturales relata, humor frigidus & humidus in corpore exiſtens, hyeme potiſſimum excedens, Galen. *c. de nat. hum. t.* 40. *& alibi.* Verum cum commentum hoc veterum hodieque exoleverit, per φλέγμα vel *pituitam* intelligitur humor crudus, aqueus, excrementitius, vel naturaliter, vel p. n. in corpore genitus & collectus. Quo pertinent *Mucus* narium, *Saliva*, *Phlegma ventriculi & inteſtinorum*, Charlton. *Ex. Phyſiol. VII.* §. 6. *Sylv. l.* 2. *Pr. M. c.* 23. §. 213. *ſeqq.* quamvis ſignificatio hujus vocabuli Græci non reſpondeat cum ejus derivatione & etymologia, ſiquidem præ ſe fert etymon hoc φλέγμα *accenſionem*, utpote à φλέγειν deſcendens, quo ſignificatu etiam præter communem venire apud Hippocratem obſervat Gal. *exeg.* Vide Dieter. *n.* 904. In arte deſtillatrice & Chymia *Phlegma* dicitur liquor deſtillatus ſpirituoſo & inflammabili liquori contradiſtinctus. *Phlegma* eſt mera aqua inſipida, conſtans particulis levibus, glabris & flexibilibus, merum vehiculum & inſtrumentum omnis nutritionis & conjunctionis, & matrix, ceu recipiens ſpiritus & materiæ omnis ſubtilis, quamvis Chymicorum induſtria illam ab his ubique ſeparare & rejicere intendat Jac. le Mort *Chym. Medic. Phyſ. c.* 2. *p.* 16. Schroder. *l.* 1. *c.* 3. Specia-

liſſime

liſſime vero in opere lapidis Philoſophici *Phlegma* vocatur aqua Mercurii prima, ſubſtantia media, in qua principium lapidis eſt, ſcil. ejus diſſolutio, nec intrat cum ea, quamvis ſe invicem complectantur naturæ nexu, de quo plura vide *in Theatr. Chym. Vol. III. p.* 730. *ſeqq.*

PHLEGMAGOGUS, φλεγματαγωγὸς, epitheton purgantium quorundam medicamentorum, quæ pituitam educere per alvum creduntur, inter quæ Agaricus, Cnicus, Turbith, &c. referuntur. Vid. Lang. *l.* 2. *ep.* 18. Morell. *de materia medic. cl.* 2. *purgant.*

PHLEGMASIA, φλεγμασία, vel idem, quod φλεγμονὴ, *Inflammationem* ſignificat, vel febrem inflammationi alicui conjunctam. Gal. 1. *aph.* 7. Caſtell. Linden. *Ex. IV.* §. 17. 25. Legitur alias apud Hippocr. 3. *de morb. XV.* 4.

PHLEGMATIAS, φλεγματίας, Hippocr. idem eſt, quod φλεγματικὸς aliis, ſive *Phlegmaticus*, aut *Pituitoſus*, ſcil. ex hypotheſi de quatuor humoribus, h. e. qui temperamento ex ſanguine crudo, frigido & humido præditus eſt, & Cholerico opponitur. Hipp. *de A. L. & Aq. LV.* 11.

PHLEGMATORRHAGIA, φλεγματοῤῥαγία, dicitur affectus hæmorrhagiæ narium ſimilis, quando nares per aliquot dies ſola pituita tenui ſtillant, qualis obſervatio extat apud Henr. Salmuth. *Cent. I. Obſ.* 37. & ex hoc Bonet. *in Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 17. *Obſ.* 10. *p.* 323. 324.

PHLEGMONE, φλεγμονή. Vide *Inflammatio.*

PHLEGYROS, φλεγυρὸς, *Ignitus*, veluti ardens, aut incenſus, Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *p.* 661.

PHLEMELIA, φλεμέλια, vel idem ſunt, quod κέδματα, de quo vide ſupra *Cedma*: vel latine *flemina* dicuntur, & vocantur tumores circa talos, qui labore viæ oboriuntur. Vide Keuchen. *ad Samon. p.* 280.

PHLEPS, φλὲψ, Latine vocatur *Vena.* Utroque vocabulo Veteres comprehenderunt *arterias* & *venas* proprie dictas, teſte Galen. *c.* 6. *in* 6. *Epid. t.* 2. *& c.* 2. *de iis q. in med. t.* 28. Verum recentiores contra diſtinguere ſolent, per *venam* proprie intelligentes vas ſanguinem ad cor refluum continens. Et numerantur hodieque primariæ tres: *Vena pulmonalis*, per pulmonis parenchyma diffuſa, olim Arteria venoſa perperam dicta. *Vena Cava*, quæ per totum corpus ramos ſuos diſpergit: & *Vena Portæ*, quæ ſaltem per organa tertii, vel infimi ventris ſive abdominis diviſa eſt. De quibus videantur Anatomici, & in ſpecie Barthol. *libello* 1. *Anat. c.* 1. *ſeqq.* Proprium eſt *venarum* ſanguinearum, ut habeant *valvula* in pluribus locis, hoc eſt, membranulas in interna cavitate venarum occurrentes, impedientes ſanguinis recurſum ad partes, admittentes vero profluxionem ad cor. Vide *Valvula.* Alias & *Venæ* vocabulum aliis vaſis ſanguinem non vehentibus tribuitur, ut: *venæ Lacteæ*, *venæ Lymphaticæ*, verum minus proprie; Rectius *vaſa* vocantur. In Metallifodinis *venas* vocari illa loca ſubterranea, ubi ipſa minera metallica habetur continuata, patet ex Rul. & Iohnſ. *Lex. Chym.* Dividuntur à Borrich. in *mites*, quæ in catino fuſorio percalefacto facile ſubeunt plumbum, & *refractarias*, quæ non ſine labore & artificio quoque vehunt pyriten, marcaſitam, cretam, talcum & alia ſimilia corpora, tr. *Docimaſt. Metallic.* §. 20.

PHLIA, φλιὰ, Latine *Poſtis*, & φλιαὶ, *poſtes*, ſive ligna, axes utrinque firmantia, aut firmamenta, quæ ſuculas utrinque diſpeſcunt & continent, uti expoſuit Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 51. Pertinet ad inſtrumenta Chirurgica. De hoc vocabulo plura vide apud Foëſ. *pag.* 661. Legitur & apud Hippocr. 3. *de artic. t.* 49. *&* 4. *t.* 55.

PHLIBO, φλίβω, idem quod θλίβω, *premo*, unde compoſ. ἐκφλίβω, *exprimo*, apud Hippocr. *l. de Loc. in Hom. XV.* 5. 6. quamvis Linden. retinuerit ἐκθλίβω. Foeſ. *d. l.*

PHLOGIAO, φλογιάω, verbum Hipp. uſitatum, ſignificans *exardeſco*, inflammor. *l.* 2. *de Morb. LXIV.* 8. *l. de morb. ſacr. XVI.* 38.

PHLOGINON, φλογινὸν, Latine *Flammeum*, Epitheton Collyrii liquidi, vel illitionis, apud Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

PHLOGISTOS, φλογιστὸς, dicitur de omni eo, *quod flammam concipere poteſt.* In ſpecie de Sulphure Hippocr. dixiſſe ſtatuit Helmont. *Tum. Peſt.* §. *Hippocr. rediv.*

PHLOGMOS, φλογμὸς. Vide *Flamma.*

PHLOGODES, φλογώδης, ſignificat *flammeum*, incenſum. Uſurpatur de colore faciei intenſe rubente apud Hipp. 1. *Prorrh. ſect.* 2. *t.* 33. *& Coac. t.* 7. *&* 624. Vide Foeſ. *p.* 662.

PHLOGOIDES, φλογοειδὴς, *flammæ ſpeciem*, vel colorem repræſentans, vel potius à flamma excitatus rubor. Legitur apud Hippocr. *lib.* 3. *de morb. VII.* 14.

PHLOGOSIS, φλόγωσις, olim idem fuit, quod φλεγμονή. Sed hodieque ſignificat potius quamlibet *incenſionem* & fervorem, ſive φλογώδη διάθεσιν, *diſpoſitionem flammeam* etiam abſque tumore; Foreſt. *l.* 1. *Chirurg. Obſ.* 4. *Schol.* Dieter. *n.* 905. Talis fervor quandoque ſubitaneus & momentaneus Scorbuticis ſolet eſſe familiaris, de quo apud Matth. Martin. *de Scorbuto* §. 261.

PHLOTRON dicitur ſpecies fluxus ex cooſtro generati. Rul. & Iohnſ.

PHLUS, φλῦς, vel φλόος, item, φλεῶς, *lanuginem* ſignificat. Hippocr. *l. de int. aff. XXXIIX.* 6. ubi *Cortex* Latine redditur. Vide Foeſ. *p.* 661. Adde Caſp. Hofm. *Commen. ad Galen. LL. de V. P. n.* 431. Legitur & de cortice panis apud Moſchion. *de morb. mul. cap.* 65.

PHLYCTÆNÆ, φλυκταίναι, item φλυκταινίδες, ſunt puſtulæ in ſumma corporis planitie enaſcentes à tenui ſanie cuti ſubtenta, eamque ſua ſalina tenui acrimonia erodente & pungente. 2. *Progn. t. 60. l. 2. Epid. ſect. I.* 5. Dicuntur & φλυκταινίδια Coac. *t.* 402. Inde φλυκταίνωσις, *puſtularum eruptio*, 3. *de fract. t.*74. & φλυκταινοειδὲς χρῶμα, color corporis puſtuloſus, vel corpus puſtuloſum, *lib.* 2. *de morb. mul. IX.* 7. Vide Foëſ. *p.* 663.

PHLYCTIDES, φλυκτίδες, idem quod *Phlyctænæ*. Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXIIX.* 5. Moſchion. *l. de morb. mul. c.* 121.

PHLYDAO, φλυδάω, id eſt, *humector*, Hipp. *de morb. ſacr. XV.* 20. unde φλυδαρὸς, *humidus*. Galen. *in Exeg. voc. Hipp.*

PHLYSIS, φλύσις, *eruptionem in cute* ſignificat ex humoris alicujus excrementitii abundantia. Gal. *d. l.* à verbo φλύζω, *ſcaturio*, erumpo, *l.* 2. *Epid.* Foëſ. *d. l.*

PHLYZACION, φλυζάκιον, *puſtulam* bullæ in modum erumpentem ſignificat, ab igne excitatam in cute, idem, quod φλυκταίνα. Occurrit apud Hippocr. *Coac. t.* 114. *&* 4. *de R. V. I. A. t.* 63. Foëſ. *d. l.*

PHOBEROS, φοβερὸς, ſumitur ab Hipp. active & paſſive: in illa ſignificatione notat *horrendum* ac metuendum, *Coac. t.* 416. in hac ſignificat *timidum*, perterritum, & de ægro dicitur *l.* 6. *Epid. ſ. VIII. t.* 45. Vide Foëſ. *p.* 663.

PHOBETRON, φόβητρον, *terriculamentum* ſignificat, quod metum injicit, Hipp. *l. de morb. ſacr.* quamvis in edit. Lind. non occurrat.

PHOBOS, φόβος. Vide *Metus*. Diet. *n.* 906.

PHOCA, φώκη, nomen piſcis *Cetacei*, vulgo *Vitulus marinus* dicti, cujus deſcriptio cum uſu in cibis & Medicina habetur apud Aldrov. *l.* 1. *de Cetis c.* 10. Meminit & Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31. *&* 37. L. 10. *de S. Fac.* §. *Coagulum*, *& l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 2. *in fin.*

PHOCÆNA, φώκαινα, eſt etiam nomen piſcis *Cetacei*, qui alias *Turſio*, item *Porcus marinus* dicitur, ad *Delphinos* pertinens, cujus hiſtoriam cum uſu in cibis & Medicina vide apud Aldrov. *d. l. c.* 8. Ejus Anatomen vide *in Eph. N. Cur. A. III. O.* 20.

PHODES, *Phoides*, φῶδες, φοῖδες, idem, quod φωΐσιγγες. Vide ſupra *Phauſinges*. Legitur apud Hipp. *Coac. t.* 318.

PHOENICINOS, φοινίκινος, Lat. *puniceus*, color dicitur rutilus, qui & *Phœniceus* vocatur, & habet exuperantiam ruboris, qualis eſt color fructuum palmæ arboris non admodum ſole incoctorum. Elephantiaſis quoque vocatur νόσος φοινικίνη, *morbus Phœnicius*, vel quia in *phœnicia* aliisque orientalibus regionibus graſſatur, vel à colore rutilante. Hipp. *l.* 2. *Prorrhet. in fin.* Vide Foëſ. *p.* 663. Eſt & nomen Emplaſtri φοινίκινον, quod alias *Diachalcitis*, aut *Diapalma* in Diſpenſatoriis vocatur. Gorr. *in def.*

PHOENICITES, φοινικίτης, lapis dicitur à figura, quam habet ſimilem fructui palmæ. Dioſcor. vocavit ἰουδαϊκὸν, *l.* 5. *c.* 155.

PHOENICOPTERUS, φοινικόπτερος, nomen avis eſt, paſſim in antiquis ſcriptoribus occurrens, ſed qualem proprie ſignificet, nondum expeditum eſt. Imprimis linguam ejus & cerebellum in deliciis fuiſſe ex Martiale & Lampridio conſtat. Legatur de hac Aldrovand. *l.* 20. *Ornithol. cap.* 4. Bruyerin. *de re cibar. l.* 15. *c.* 45. Meminit & Celſus inter medii valoris alimenta referens, *lib.* 4. *cap.* 18.

PHOENICUROS, φοινίκουρος, vide *Ruticilla*.

PHOENIGMUS, φοινιγμὸς, Latine *Rubificatio*, *Rubefactio*, eſt ruboris per medicamenta in cute excitatio, Cutis rubor. Pertinet huc *Dropax* & *Sinapiſmus*. Meminit Galen. *l.* 7. *meth. med. c.* 4. Ipſa medicamenta quoque vocantur φοινιγμοὶ. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 4. *ſ.* 9. *part.* 2. *c. unic.* Alias *Rubificatio* quoque dicitur de *Rubedine* producta in proceſſu lapidis Philoſophici, *Th. Chym. Vol. II. p.* 302. *ſeq. III. p.* 41. 289. *IV. p.* 552. *&c.*

PHOENIX, φοῖνιξ, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat *Palmam* arborem, de qua ſuperius in PA: Vel etiam aliam plantam arvenſem loliaceam. Gorr. Vel avem ſignificat, num veram, an fabuloſam, non eſt hujus loci dirimere. Legatur de hac Aldrov. *l.* 12. *Ornith. c.* 28. Vel eſt nomen Collyrii τραχωματικοῦ, apud Aëtium Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.*7. ubi *Phœnix Apollonii* vocatur. Vel Spagyricis dicitur *Phœnix* quinta ignis eſſentia, vel *Lapis Philoſophicus* celebratiſſimus. Ruland. & Iohnſ. Adde *Theatr. Ch. Vol. IV. p.* 447. *& Vol. V. p.* 401.

PHOITAO, φοιτάω, apud Hippocr. ſignificat *prodire*, egredi. Dicitur de Urina, *lib.* 7. *Epid. LV.* 19.

PHOLCOS, φολκὸς, dicitur Lat. *Strabo*, qui laborat *Strabiſmo*, ſive obliqua oculorum eſt acies. Vide *Strabiſmus*. Gorr.

PHOLETER, φωλητὴρ, qui ſe abſcondit, *Latebricola*, qui libenter latitat, amans ſolitudinis, à φωλεὸς, *latibulum*, luſtrum. Hinc verbum φωλεύω, *occulto*, Linden. *Ex. XI.* §. 155. Pertinet ad Melancholiæ ſpecies.

PHOLIS, φολὶς, *ſquamam* ſignificat. Hinc φολὶς χαλκοῦ, *ſquama* æris. Hipp. *l. de Viſu III.* 8. Erot. *On. p.* 120. idem, quod λεπὶς.

PHOLLICODES, φολλικώδης, ſignificat *fungoſum*, *laxum*. Legitur & φολλιδώδες, quamvis fortaſſis mendoſe. Uſurpatur de tumoribus, & habitu corporis laxiori, *l.* 4. *Epid. XI.* 5. *XIX.* 11. Vide Foëſ. *p.* 664. Conf. omnino Erotianus.

PHONASCI, φωνάσκοι, dicebantur olim ii, qui vocis exercitio magno utuntur, uti ſunt tragœdi, comœdi, præcones. Gorr. Foreſt. *libr.* 15. *Obſ.* 32.

PHONE, φωνὴ, Latine *Vox* dicitur, eſtque effectus vocalium inſtrumentorum, quæ ſunt larinx, hoc eſt, principium aſperæ arteriæ cum ſuis cartilaginibus

ginibus & muſculis ad eas pertinentibus. Deſcribi poteſt, quod ſit ſonus animalis à glottide ex percuſſione reſpirati aëris ad animi conceptus explicandos productus. In homine *vox* illa eſt articulata, & dicitur *ſermo*, loquela, oratio, Græce λόγος. De voce, & inſtrumentis ad *vocem* pertinentibus, ſcripſerunt Gal. *de voc. inſtr. diſſect.* Aquapend. *de voce.* Adde Barth. *l.* 2. *Anat. cap.* 11. aliique. De *Vocum* differentiis vide etiam Foëſ. *p.* 672. *ſeq.*

PHONOS, φόνος, communiter *cædem*, vel *homicidium* ſignificat, ut & ſanguinem cæde profuſum, aut cadaver: in qua poſteriori ſignificatione acceptum legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. LXXI.* 9. Jung. Linden. *Ex. XIV.* §. 131. Φονικώτατοι πυρετοὶ, febres maxime lethales leguntur. *l. de Criſib. II.* 5. Foëſ. *pag.* 664.

PHORA, φορά. Vide *Latio.*

PHORBE, φορβὴ, *pabulum* ſignificat. Vide ſupra *Pabulum.* Legitur apud Hipp. *l. de ſuperfœt. XIII.* 3. à verbo φέρβω, paſco. Foëſ. *p.* 665.

PHORGANODES, φοργανώδης, *laxum* & *apertum* ſignificat, diciturque de orificio uteri aperto & ad conceptum idoneo, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LVII.* 9. ubi ab aliis legitur φαρκιώδης. Vide Foëſ. *d. l.*

PHORIMOS, φόριμος, epitheton eſt Aluminis, quod alias *Alumen Rochæ* in Offic. dicitur. Gorr.

PHORINE, φορίνη, *cutem*, vel *corium* ſignificat, diciturque de pelle ſuilla, apud Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 102.

PHOROS, φορὸς, Lat. *ferax*, *fertilis* dicitur, uſurpaturque de fœmina ad conceptionem prona, Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. XXI.* 20.

PHORTICOS, φορτικὸς, vocatur homo gravis, *moleſtus*, *odioſus.* Hipp. *l. de Medico I.* 29. Dicitur quoque de aliis rebus *oneroſis. d. l. III.* 2. *IV.* 9.

PHORYNO, *Phoryſſo*, & *Phoryo*, φορύνω, φορύσσω, φορύω, idem, quod φύρω, φυράω, *ſubigo*, miſceo, macero. Legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. C.* 5. & *l. de Sterilib. XI.* 36. Vide Foëſ. *d. l.*

PHOS, φῶς. Vide *Lumen*, *Lux.* Φῶς quoque dicitur circulus ſubniger, qui papillam ambit. Et Oribaſius ſcribit medium tranverſariorum, quæ in Nilei machinamento ſunt, vocari φῶς, quod alias *Plinthium* appellatur, Gorræus.

PHOSPHOROS, φωσφόρος, Latine *Lucifer*, terminus alias Aſtronomicus, notans Veneris Aſtrum ante exortum ſolis conſpicuum, quemadmodum idem dicitur *Heſperus*, quando occaſum ſolis ſequitur. Eſt vero etiam nomen *Collyrii*, quod alias *Diacrocu* dicitur, & deſcribitur à Gal. *l* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. & Ægin. *l.* 7. *c.* 16. vide *Diacrocu* Proprie & in genere *Phoſphorus* illud vocatur corpus, quod interna & ſubſtantiali luce gaudet. Ita ſol potiori jure dici poteſt *Phoſphorus*, luminis & diei effector. Poſſidet in ſe lucem, & lumen generat per radios. Hermetici vero hoc nomine exornant corpus artificio paratum lucidum in ſeſe, luminoſum etiam, *Luminarem magnetem* dictum, luminis in aëre tractorem & ad tempus aliquod conſervatorem. Dicitur & cum additione *Phoſphorus Smaragdinus.* Hujus naturam imitari dicitur *Lapis Bononienſis*, de quibus omnibus præter alios ex profeſſo ſcripſit Wittebergæ Dn. Georg. Caſp. Kirchmeier Prof. P. *tract de Phoſphoro*, *natura Lucis & Igne.* Paſſim etiam in aliis Autoribus ejus fit mentio. Ex noviſſimis Dn. Comierius Theol. & Mathemat. Pariſ. de *Phoſphoris* eorumque ſecreta præparatione tractatum ſcripſiſſe legitur *in Act. Erud. Lipſ.* 1684. Vide etiam: *Noctiluca.* Phoſphori præparationes varias deſcriptas exhibet etiam D. Iunken *in Lex. ſuo Chym. Pharm. Part. I. p.* 183. *ſeqq.*

PHOXINUS, φοξῖνος, nomen *piſciculi fluviatilis*, ad *Fundulos* & *Cobitas* pertinentis, cujus mentio fit apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 10. & 32. Duæ enim ſpecies recenſentur: *Levis* & *ſquamoſus.* Jul. Alex. *Mordilapides* vocat *l.* 15. *Sal. c.* 7.

PHOXOS, φοξὸς, dicitur is, qui p. n. *acuminato* & faſtigiato eſt capite, ita ut utrinque depreſſæ appareant frontis eminentiæ, aut etiam occipitis, Gal. *l. de Oſſib. c.* 1. *l.* 9. *de Uſ. P. c.* 17. & *c.* 1. *in* 6. *Epid. t.* 3. Vid. Foëſ. *pag.* 664. Jul. Alex. *l.* 3. *Sal. c.* 4. C. Hofm. *in Gal. de V. P. n.* 693. *ſeq.*

PHRAGMOS, φραγμὸς, dicitur ab Anatomicis totus dentium ordo atque acies, Gorr. Lat. *Sepes.* Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 13. §. 24.

PHRASIUM viride, id eſt, *Flos æris.* Ruland. & Iohnſ.

PHRAZO, φράζω, Lat. *ſignifico*, denuncio, indico. Dicitur de ſignis futurum aliquod indicantibus, Hippocr. 2. *aph.* 5. idem, quod σημαίνω. Vide Dieter. *n.* 907.

PHRENES, φρένες, Lat. *Præcordia.* Hipp. & aliis antiquis medicis vocabatur *Diaphragma*, teſte Erotiano, de quo in lit. DI. Vide Diet. *n.* 928. Unde & venæ ad illud excurrentes dictæ ſunt *Venæ Phrenicæ*, Barthol. *libell.* 1. *c.* 5. Arteria *Phrenica*, *libell.* 2. *c.* 5. h. e. *Diaphragmatica.*

PHRENITIS, φρενῖτις, φρενιτίασις, licet generali etymi ſignificatione omnem mentis emotionem videatur denotare, uſus tamen apud veteres & recentiores obtinuit, ut ſaltem vocabulum hoc acciperetur de delirio continuo cum febre acuta, & inflammatione interna cerebri & meningum ejus conjuncto. Gal. *c.* 1. *ad l.* 1. *Prorrh. t.* 1. Hinc & Celſus *l.* 2. *c.* 1. *inſaniam febricitantium* vocavit. Poterit vero ita accuratius definiri: *Phrenitis* eſt delirium perpetuum vehementius cum febre acuta, pervigilio, furore, riſu, clamoribus, aliisque vehementioribus ſymptomatibus, pro majori videlicet minorive cauſæ morbificæ benignitate, aut malignitate, proveniens ab inflammatione meningum cerebri per ſanguinis acrioris & ichoreſcentis effervefcentiam immoderatam & impetuoſio-

rem ejus affluxum, cum impedito refluxu & ſtagnatione oborta, ſpiritum quoque animalem in ſubſtantia cerebri incendente & tumultuarie agitante. Quod ſi vero cerebrum ejusque meninges per conſenſum ſaltem afficiatur παραφρενίτις, Latine etiam *Paraphrenitis* à plerisque dici ſolet; quamvis non ſemper obſervatum fuerit, uti patet ex Gal. *l.* 5. *de* L. *A. c.* 4. ubi agitur de *Phrenitide* ex inflammatione Diaphragmatis. Plura & accuratiora de hoc affectu videantur apud Willis *tr. An. Brut. P. II. c.* 10. A Latinis quoque introductum eſt vocabulum *Phreneſis*, quaſi ſit Gr. φρένησις. Videatur Dieter. *n.* 909.

PHRICE, φρίκη. Vide *Horror*. Φρικώδεις πυρετοὶ, *febres horrificæ*, ſive cum horrore invadentes, *l.* 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 23. Foëſ. *pag.* 667. C. Rejes *C. El. q.* 68. *n.* 11. Vide *Querquera*.

PHRONESIS, φρόνησις, proprie *prudentiam* ſignificat. Sumitur tamen ab Hippocr. pro ſentiendi virtute, vel *ſenſu*, potiſſimum tactus. Hipp. *l. de morb. ſacr. IIX.* 12.

PHRONTIS, φροντὶς. Vide *Cura*.

PHRYCTE, φρυκτὴ, Lat. *Fricta* ſimpliciter, & intelligitur *Reſina Colophonia*, ad differentiam liquidæ ſive *humidæ*, quæ ὑγρὰ dicitur. *Fricta* vero vocatur, quod torreatur, aut uratur, ut docet Dioſcor. *l.* 1. *c.* 93. Meminit vero φρυκτῆς Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 2. Adde Foëſ. *p.* 668.

PHRYGANON, φρύγανον, ſignificat *ſarmentum*, *virgultum aridum*, vel ſurculum exuccum. Unde & *Cremia* dicuntur, quaſi ad cremandum apta. Occurrit apud Hipp. *lib.* 1. *de morb. mul. XCIII.* 11. 15. 16. Vide Foëſ. *p.* 667.

PHRYGIUS, φρύγιος, vocatur Lapis quidam, in Phrygia & Cappadocia occurrens, vel gleba pumicoſa, pallida, modice gravis, non ſolida, intercedentibus albis ſegmentis. Aliqui pro *Lyncurio* vendunt; alii pro *Belemnite*. Vim habet exſiccandi, adſtringendi, & cicatricem inducendi. Gorr. Meminit Gal. *l.* 6. *de San. tu. c.* 12. & *l.* 9. *de S. Fac.* § *Phrygius*. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 141. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 3. *p.* 385. Crudum eſſe acerrimum, ignitum vero dare præſentaneum oculis remedium, ſcribitur *in Theatr. Chym. Vol. I. pag.* 87.

PHRYNOS, φρῦνος, vide *Rubeta*.

PHTHARTICOS, φθαρτικὸς, idem, quod δηλητήριος, *deleterius*, lethalis, φθοροποιὸς; Diciturque de venenis *deleteriis*, eorumque facultatibus, Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 18. *in fin.* Cui opponitur ἀλεξιτήριος, Gorr.

PHTHEINAS, φθεινὰς, dicitur de *morbo tabifico*, qui tabem excitat. Hipp. *l. de Glandul. X.* 1. idem, quod φθινώδης, de quo p. p.

PHTHEIRIASIS, φθειρίασις, *morbus pedicularis*. Vide *Pediculus*.

PHTHENXIS, φθέγξις, Lat. *Loquela*, à φθέγγομαι, *loquor*. Nomen occurrit apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. VI.* 11. Verbum 5. *aph.* 5. φθεγγώδης διάθεσις, dicitur Hipp. *periculoſus affectus* multorum ſermonibus illuſtris, vel clamoribus, aut ejulatu plenus, *l. Præception. VI.* 14. Adde Foëſ. *pag.* 653. Diet. *n.* 892.

PHTHINODES, φθινώδης, *Tabidus*, Lat. dicitur à verbo φθίνω, *tabeſco*. Uſurpatur de ægris, & de morbis tabem conjunctam habentibus. Vide Foëſ. *p.* 654. Dieter. *n.* 895. *ſeq.*

PHTHINOPORON, φθινόπωρον. Vide *Autumnus*. Dieter. *n.* 893.

PHTHISICUS, φθισικὸς, idem, quod φθινώδης. Vide *Phthinodes*, *Phthiſis*.

PHTHISIS, φθίσις, Latine *Tabes* dicitur, accipiturque communiter, vel late pro omni corporis, aut partis extenuatione, macritudine & conſumtione, & ita coincidit cum vocab. *Atrophia*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Vel proprie & ſtricte φθίσις vocatur corporis *tabes* & *conſumtio* colliquativa cum tuſſi, ſputo purulento, aliisque ſymptomatibus, proveniens ab ulcere pulmonum, vel etiam alterius viſceris nobilioris ſanguinei, ſanguinis diſpoſitionem ulceroſam & lixivioſam ſupponente. Legantur, præter veteres, ex recentioribus Willis *Pharmac. Rat. P. II. ſ.* 1. *c.* 6. Sylv. *Pr. Med. l.* 4. *tr.* 4. Chriſt. Benettus *Theat. Tabid.* Barbette *l.* 3. *P. M. c.* 2. Dicitur & φθόη. In cujus cauſa, ex acido præternaturali deducenda, hodieque nonnullus Doctores ſibimetipſis & aliis imponere, & ex falſa hypotheſi ægris acria & alcalica commendare, cum præſentiſſimo vitæ periculo, remedia, docuit experientia. Ægri hoc morbo correpti dicuntur *Phthiſici*. Φθίσις quoque dicitur pupillæ affectus, cum hæc anguſtior, hebetior & obſcurior rugoſiorque evaſit. Tunc autem majora, quam ſunt, apparent ea, quæ videntur propter pupillæ anguſtiam. Cauſſa hujus mali denſatio, quam ſiccitas potius parit, quam aliud quid. Differt ἀπὸ τῆς ἀτροφίας, quod hæc oculi totius ſit, illa pupillæ tantum imminutio. Gorr.

PHTHOE, φθόη, idem, quod φθίσις, Dieter. *n.* 898. Legitur apud Hipp. 7. *aph.* 78.

PHTHOIS, φθόϊς, *paſtillus*, *placenta* dicitur Græcis, contracte φθοῖς: Legitur apud Hipp. *in Spur. ad l.* 1. *de morb. mul. III.* 11. 26. 30. *l.* 2. *LXXXIIX.* 9. 10. Inde Diminutivum φθοΐσκος, *paſtillus*, *trochiſcus*, quod legitur *d. l.* 1. *LXXX.* 8. *C.* 45. & *l.* 2. *LXXXVII.* 3. adde Foëſ. *p.* 655. *ſeq.*

PHTHORA, φθορὰ, generaliter *corruptionem* ſignificat; Hippocrati vero idem, quod ἀποφθορὰ & *abortum*, hoc eſt, fœtus imperfecti ejectionem denotat. Vide *Abortus*.

PHTHORIOS, φθόριος, dicitur de medicamentis abortum ſive φθορὰν promoventibus: Alio nomine *Ecbolia*, ἐκβόλια, dicuntur. Gorr. Caſtell.

PHTHOROPOEOS, φθοροποιὸς, idem, quod φθαρ-

φθαρτικὸς, *deleterius*. Vide *Phtharticos*. Adde Jul. Alex. *Not. in Gal. l. 2. de Antidot. p.* 738.

PHUSCA, φοῦσκα, videtur reſpondere Latino *Poſca*, ſi Æginetæ deſcriptionem attendimus; ſiquidem ex aceto & aqua paratur. Ab Aëtio tamen potus ita dicitur, in quo ebur aliquandiu maceratum ceræ inſtar emolleſcit, ut flexile in quodcunque opus tractetur, *l.* 3. *c.* 80. 81. citante Gorræo.

PHYCIS, *Phycen*, φυκὶς, φυκὴν, nomen *piſcis ſaxatilis*, de quo vide Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 8. adde Lind. *Ex. V.* §. 36.

PHYCOTYCHE, φυκοτύχη, nomen eſt Emplaſtri, ad omnia ulcera, præſertim in ano vel ſede, commodi, apud Aëtium, notante Gorræo.

PHYGETHLON, φύγεθλον. Vide *Panus*.

PHYLACTERIOS, φυλακτήριος, olim dicebatur amuletorum & remediorum magicorum præbitor, teſte Kenchen. *in proleg. ad Sammon. p.* 68.

PHYLLON, φύλλον. Vide *Folium*. Apud Hippocr. etiam ſtrictius accipi videtur pro herbis & foliis hortenſibus condimentariis, *l.* 2. *de morb. XXIX.* 8. *XXX.* 7. adde Foëſ. *p.* 668. conf. omnino Gal. *exeg.*

PHYMA, φῦμα, Lat. *Tuberculum*, generaliter dicitur omnis tumor p. n. erumpens, præſertim in exteriori ambitu corporis, vel alicujus partis à cauſa interna proveniens. Deducitur à φύομαι, e terra naſcor. Comprehendit igitur abſceſſus, puſtulas, ulcera, &c. Vide Foëſ. *d. l.* & Dieter. *n.* 911. Stricte vero glandularum inflammationes mox erumpentes & ad ſuppurationem tendentes ſignificat. Galen. *l.* 2. *de art. cur. ad Glauc. c.* 1. & Æginet. *l.* 3. *c.* 12.

PHYNON, φύνον, nomen eſt *Collyrii* apud Celſ. *l.* 6. *c.* 9. citante Gorræo.

PHYPELLA idem ſignificat quod Panus, nimirum tumor glandularum inflammatorius, uti ſcribit Hartmann. *in Prax. Chymiatric. Oper. in fol. p.* 89. cur vero nomen Germanicum Ohrenzwang addiderit, rationem quoque addere debuiſſet.

PHYRAMA, φύραμα, generaliter omnem *maſſam miſtam*, & ſubactam liquoreque maceratam, à φύρω, *miſceo*, quod idem eſt ac φορύνω, de quo ſupra. Præſertim vero *farina aqua macerata* & ſubacta in panificio φύραμα dicitur. Specialiter tamen hoc quoque nomine venit genus quoddam *Ammoniaci thymiamatis*, ita dictum, quod cum terra, arenis & calculis miſtum ſit. Gorræus.

PHYSA, *Phyſodes*, φύσα ἢ φύση, φυσώδης. Vide *Flatus*. Φύσα ſignificat etiam apud Hippocr. follem, cujus uſum in volvuli curatione commendavit *l.* 3. *de Morb.* vide Foëſ. *in not. ad illum locum n.* 27.

PHYSEMA, φύσημα, φύσησις, præter communem ſignificationem, quæ idem fere notat, quod φῦσα, *flatum*, inflationem; tumorem flatuleatum, peculiariter quoque hoc vocabulum tribuitur *reſinæ piceæ*, quæ πιτύϊνη vocatur à Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 12. *l.* 2. *c.* 3. & 10. *l.* 3. *c.* 4. *l.* 7. *c.* 3. Adde Jul. Alex. *in not. ad Gal. d. l.* 2. *c.* 3.

PHYSETER, φυσητὴρ, φυσστητὴρ, ſignificat *Follem*: Vide *Follis*. Φυσητῆρες ὀστεινοὶ, oſſea ſufflatoria dicuntur, apud Herodotum, quibus Scythæ uſi ſunt immittentes genitalibus equarum ad inflandos earum uteros, ut ea compreſſione ubera uberiorem præberent lactis copiam. Charlton. *Oecon. Anim Ex. III.* §. 9.

PHYSICA, φυσικὴ, quid ſignificet, ex Philoſophicis patet, videlicet eam ſcientiam, quæ corporis naturalis, qua naturalis, eſſentiam, cauſas & affectiones explicat. Hinc & *Phyſicus* dicitur Philoſophus naturalis, Gal. *in pr. com. ad Hipp. de nat. hum.* qui nullum naturæ opus velit intactum relinquere. *l.* 11. *de V. P. c.* 18. *princ.* Nihilominus uſus quoque obtinuit, ut & Medici vocentur *Phyſici*, quatenus omnia in naturæ utilitatem dirigere debent. Vide *Poliater*.

PHYSICA remedia Octavio Horatio, quæ ſine manifeſta ratione proſunt, Scholiaſt. *ad marg. l.* 1. *c.* 27.

PHYSIGRA, φύσιγγα, vocatur *caulium exortus*, & maxime pars ejus concava. Gal. *in exeg. voc. Hipp.* Erot. *On. p.* 108. *b.* Gorr.

PHYSINX, φύσιγξ, *fiſtulam*, vel canalem concavum ſignificat, caulem cavum, vel *ſcapum*. Hippocr. aliquoties uſus *l. de fiſtul. II.* 1. 2. 7. 8. vide Foëſ. *p.* 670.

PHYSIOGNOMIA, φυσιογνωμία, dicitur ars, quæ de hominis natura judicat ex externo habitu corporis. Unde & illa ſigna, ex vultu & facie deſumta, vocantur *Phyſiognomica*. Hanc artem integro volumine expoſuit Joh. Bapt. Porta *l. de humana Phyſiognomia*. Huic arti nimium attribuiſſe Paracelſum, paſſim ex illius ſcriptis conſtat; quemadmodum & Crollium *de ſignaturis*. Enim vero licet non penitus rejicienda videatur, quam & Galen. aliquoties commendavit, v. g. *l.* 2. *de Temp. c.* 6. *l.* 5. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 5. *l. quod an. mor. ſeq. temp. corp. c.* 7. in multis tamen quoque eſſe fallacem, experientia ſatis ſuperque hactenus docuit.

PHYSIOLOGIA, φυσιολογία, ἡ φυσιολογικὴ, vel idem eſt, quod Phyſica, vel ſpecialiter in Medicina ea dicitur pars miniſtra, quæ explicat tres res ſecundum naturam, puta ſanitatem, cauſas ejus, & accidentia, in rebus naturalibus corporis humani fundatas. Videantur paſſim Inſtitutioniſtæ recentiores, & in ſpecie *Dogmata Noſtra Part. I. p. I. p.* 13. *ſeqq.*

PHYSIS, φύσις. Vide *Natura*.

PHYSOCELE, φυσοκήλη, idem, quod *Pneumatocele*, de quo paulo inferius.

PHYSTE, φύστη, dicitur *maſſa non ſubacta*, ſaltem nonnihil irrigata, nondum vero exacte intrita, aut non multum ſubacta. Linden. *Ex. XVI.* §. 153.

PHYTALIA, φυταλία, vocatur *poſtrema hyemis pars*, ſic dicta à veteribus, quod eo tempore inſitiones optime fierent. At φυταλιὰ locus eſt vitibus, aliiſque arboribus conſitus apud Hom. Gorr.

PHYTANE,

PHYTANE, φυτάνη, vocatur Hipp. *plantandi* vel ſerendi *tempus*. Galen. *in Expoſ. voc.*

PHYTEUTERION, φυτευτήριον, *plantarium*, vel ſurculorum in terram plantatorum congeriem ſignificat. Legitur apud Hipp. *de nat. puer. XXIV.* 1. *XXV.* 2. 11. Foëſ. *p.* 671.

PHYTICE, φυτική, vocatur *anima vegetativa*, & quæ cum brutis nobis communis eſt, C. Hofm. *Com. in Gal. de V. P. n.* 1144.

PHYTOLOGIA, φυτολογία, Schrodero dicitur pars Pharmacologiæ, quæ agit de vegetabilibus & plantis, *l.* 4. *in princip.* φυτὸν enim *plantam* ſignificat.

PHYTOMINERALIA vocat Andr. Caſſius *de Auro c. VI. p.* 67. ſuccinum, corallia, ligna lapideſcentia ex incongrua componendi voces licentia.

PHYXIMOS, φύξιμος, quaſi φεύξιμος, *qui effugi vel vitari poteſt.* Uſurpatur ab Hippocr. de morbo benigno & ad ſalutem vergente, *l. de intern. aff. II.* 9. Sumitur & active de eo, quod mala fugare poteſt. Φεύξιμος βωμὸς, *ara ſalutis*, vel *aſylum*, ad quam confugitur ſecuritatis gratia. Foëſ. *pag.* 669.

PIA *mater* dicitur membrana tenuior, μήνιγξ, cerebrum immediate involvens, ad differentiam exterioris & craſſioris, quæ dura dicitur. Vide *Durus. Mater.*

PIALOS, πίαλος, aut πιαλέος, *pinguis.* Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XXV.* 11.

PIANTERIA, πιαντήρια, dicuntur *edulia*, *quæ pinguefaciunt*, & obeſum reddunt corpus Hippocr. *l. de L. I. hom. XI.* 2. à verbo πιαίνω, *pinguefacere*: quod legitur *l.* 1. *de morb. mul. LXXVII.* 2. adde Foëſ. *p.* 506.

PIAR, πῖαρ, *pingue*, vel *pinguedinem* ſignificat, idem, quod πῖειρον, aut πιερόν. Legitur apud Hippocr. *l. de nat. puer. XXI.* 7. *XXXIII.* 7. *l.* 2. *de morb. mul. LXXXV.* 14. *l. de Ulcer. XI.* 3. Foëſ. *dict. loc.*

PIATTONES ex Italico idiomate in Latinum tranſlati vocantur pediculi inguinum, vel pubis, latiuſculi & plani, in cute hærentes, quemadmodum & aliquando ſub axillis, & oculorum ciliis. Legitur in Marcell. Cumani *Obſervationibus* apud I. H. Velſchium *in Sylloge Conſil. & Obſerv. Med. Cent. I. Obſ.* 80. *p. m.* 80. Vide *Pediculus.*

PICA, κίσσα, κίττα, æquivocum eſt. Primo ſignificat avem, e corvino vel cornicum genere, cujus hiſtoriam & varias ſpecies cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 12. *Ornith. c.* 11. *ſeqq.* Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 68. Deinde eſt nomen morbi, qui & *Malacia*, μαλακία, item *Picatio*, κίττωσις, dicitur, eſtque appetitus depravatus & vitioſus rerum ad nutritionem ineptarum, aut certe incongruarum, vel quoad quantitatem, vel qualitatem, cum languore, anxietate & quandoque deliquio animi, proveniens à miaſmate quodam inexplicabili, fermentum ventriculi & nervoſas partes afficiente. Affectus fœminis, præſertim gravidis, familiaris. Rariſſime maſculos quoque infeſtat. Appetuntur vero varia, acida, acerba, acria, terra, teſtæ, creta, carbones, imo & aranei, panni veteres, putria coria, & alia à natura alias aliena & exoſa. Vide Dieter. *num.* 113. Eph. N. Cur. *A. II. Obſ.* 209. Rariſſima legitur *Picæ* ſpecies, qua mulier quædam in Anglia laborabat, excipiens ventum ore aperto e follibus inverſis propria manu motis impulſum in Henr. Oldenburg. *Act. Philoſ. An.* 1667. *m. Novembr.* Viros pro gravidis uxoribus hoc affectu laboraſſe legitur *d. l. Obſ.* 215. C. Rejes *C. El. q.* 50. *n* 5. Helmontius quidem ad uterum referre conatur, *l. de Magn. vuln. cur. n.* 162. ſed quomodo cauſa hæc in viros cadet, qui hoc quoque morbo laborant?

PICACISMUS, vide *Picatio*, *Dropax.*

PICANS dicitur vinum, quod guſtui ſingularem ſuavitatem infert, & adumbrata velut imagine formam excellentem exprimit. Plerumque cum recenti & dulci conjungitur. Legitur aliquoties apud Bernardin. Cajum *de Aliment. cap.* 28. *p.* 109. *ſeqq.* Dicitur & *Mordax* Andr. Chiocc. *quæſt. Philoſ. & Med. l.* 1. *q.* 4. *p. m.* 41.

PICATIO homonymum eſt apud Latinos. Vel enim idem ſignificat, quod *Pica*, πίττωσις, Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 3. *&* 7. *Picaceus affectus* dicitur, Rejes *d. l.* Vel eſt nomen remedii, Gr. πίττωσις, dicti, eſtque ſpecies dropacis. Vide *Dropax.* Dicitur & *Picaciſmus.* Schenk. *ſynt. comp. & præſcr. med. p.* 271. 274. *ſeq.* Unde & illi, qui adhibent πιττωταὶ, *picatores* vocantur, Gal. *l.* 7. *meth. med. cap.* 7. Adhibetur ad atrophiam tollendam *d. l. & l.* 14. *c.* 16. Ceratum διαπίσσης πισσηρὸν ſive *picatum* vocat, *c.* 1. *de fract. t.* 21. Adde Rolf. *O. & M. M Sp. l.* 4. *ſ.* 9. *p.* 2. *c. unic.*

PICERION, πικέριον, Hippocr. idem eſt, quod βούτυρον, *butyrum*, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXIIIX.* 28. *lib.* 2. *XII.* 31. *XIV.* 14. 16. Foëſ. *pag.* 507. & Erotianus.

PICOTA dicitur ægritudo conſiſtens in puſtulis minoribus rubri coloris, vocatur & *Sarrampio.* Vital. *de Furno Medic. c.* 264. *fin.*

PICROCHOLOS, πικρόχολος, Hipp. dicitur *homo amara bile abundans*, 2. *de R. V. I. A. t.* 29. & alibi. Vide Foëſ. *d. l.* Transfertur vero etiam ad iracundos, qui iram gravem fovent, qui & πικροὶ, *amarulenti*, & ὀξύθυμοι vocantur, Hippocr. *d. l. t.* 44. Πικρόχολοι τὰ ἄνω ſunt illi apud Hippocr. qui in ſuperioribus partibus, puta in ventriculo, bilem coacervant, & quibus inediam moleſtiſſimam eſſe ſcripſit, *d. l. t.* 29. Gal. *in com. ad h. l.* pro cachecticis vel qui mali habitus ſunt, uſurpari monet Erotianus & picrocholos hinc iracundos eſſe & facile commoveri.

PICROS, πικρός. Vide *Amarus. Picrocholos. Hiera.* Aliquando etiam pro *acri* ſumitur. Ita πικρὸν piper dicitur, & πικρότης vini non ejus amaritudinem, ſed acrimoniam denotat. Linden. *Ex. X* § 116.

PICTONIUS, PICTAVIENSIS, dicitur eſſe epi-

 theton

theton Riolani dolorum ſpuriorum Colicam æmulantium & potius peritonæum cæterasque membranas abdominis partibus obtenſas obſidentium & excruciantium, Luc. Tozz. *Med. Pract. Part. II. p. m.* 111.

PICUS, πελεκᾶν, ξυλοκόπος, δρυοκόπος; nomen avis, quæ arbores roſtro tundit & perforat; cujus hiſtoriam, ſpecies, & uſum in cibo tradit Aldr. *l.* 12. *Ornith. c.* 30.

PIEIROS, πίειρος, ἢ πίερος, *pinguis*. Legitur de facultate, Hippocr. *l. de nat. puer. XXIII.* 22. *XXXIII.* 2. 3.

PIESMA, πίεσμα, dicitur *retrimentum* quodlibet poſt expreſſionem relictum. Dicitur & ἐκπίεσμα. Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 2. *l.* 1. *c.* 8. *l.* 3. *c.* 1. *l.* 13. *M. M. c.* 15. Jul. Alex. *in not. ad h. l.* Vocatur alias & ἀπόθλιμμα. Adde Foëſ. *p.* 506.

PIESTER, πιεστὴρ, πιεστήριον. Vide *Prælum*.

PIESTRON, πίεστρον, vocatur *Inſtrumentum Chirurgicum*, quo uſus Hippocr. ad contundenda oſſa capitis in extrahendo fœtu mortuo. Latine *Preſſorium* aut *Contuſorium* redditur ab Interpretibus. Legitur *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 4. Dicitur alias ἐμβρυοθλάστης. Gal. *in Ex. voc. Hipp.* Adde Foëſ. *p.* 507. Vide *Embryothlaſtes*.

PIETAS, εὐσέβεια, caput virtutem, & anima Medicinæ merito habetur. Linden. *Ex. II.* §. 17. Rectiſſime vero negavit Gal. veram *pietatem* conſiſtere in hecatombis ſacrificandis, aut aliis pretioſis ſuffumigiis; ſed in notitia propria & eruditione aliorum, quid ſit vera ſapientia, bonitas, &c. *l.* 3. *de V. P. c.* 10. Clarius expreſſit laud. Lind. *Ex. III.* §. 8. *Pietatis* exercitium conſiſtit cum in vero cultu Dei, tum in fideli executione muneris ſuſcepti. Et per hanc Medici ſe Deo gratos, hominibus charos, actisque operibus proſperos, inclytos, opulentos, beatos reddunt, §. 3.

PIGMENTARIUS, μυροπώλης, μυρεψὸς, *unguentorum inſtitor*, qui unguenta vendit, Rhod. *ad Scribon. num.* 22. *Pigmenta* enim inter medicamenta habentur.

PIGMENTUM, potio ex melle, vino, & pulvere calidarum rerum, cum adjurationibus propinata. Tagault. *l.* 1. *c.* 4.

PIGRITIA, *Piger*, ἀργία, ἀργὸς, vide *Ignavia*, *Argos*.

PILA, σφαῖρα, *globulum luſorium* notat, ad corporis exercitia ludicra pertinet, de quo exercitio Galen. integrum conſcripſit libellum, de parvæ *pilæ* exercitio inſcriptum. In ſpecie & oculis conferre docet ex Galen. Linden. *Ex. VI.* §. 48. *Pilæ* quoque vocantur globuli plumbei, qui vi ignis e tormentis explodunter. *Pilæ* porro dicuntur vaſa, vel lignea, in quibus veteres frumenta contundebant. Rhod. *ad Scribon. n.* 74. vel Pharmaceutica, lapidea, fictilia, ænea, in quibus ſemina & nuclei teruntur, aliaque diverſi generis ſubiguntur & miſcentur, quæ hodieque ſub mortariis comprehenduntur. Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 49. *Plinius* aliquando pro *Pilula* uſurpari teſtatur Keuchen. *ad Samon. p.* 121.

PILARELLA, idem, quod *Pelada*. Foreſt. *loc. ibidem citat.* Vide *Pilada*.

PILARIS *morbus*, vide *Trichiaſis*.

PILETOS, πιλητὸς, dicitur *ex lana, vel pilo coagmentatus*. Dicitur de amiculis, quæ vocantur πιλητὰ κτήματα, apud Gal. *l.* 1. *de V. P. c.* 13.

PILEUS, πῖλος, πίλημα, *Pileolus*, πίλιον quid ſit, notum eſt. Pertinent quoque ad Pharmaceutica, *pilei delicati*, ἁπαλὰ πιλήματα. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. vide *Cucupha*. Anatomici quoque nomina *Pileus & Pileolus* tropice tribuerunt Tunicæ in fœtus capite repertæ, quæ etiam Galea, Vitta dicitur, unde & infantes ſic nati Galeati, Vittati nuncupantur, de qua legi merentur Car. Drelincurtii *Emendationes de Fœtuum pileolo*. Inter Chirurgica quoque inſtrumenta refertur *Pileolus* argenteus (hodieque etiam ex ligno, cera alba efformatus) undique in vertice perforatus, qui exulceratis papillis nutricum applicari ſolet pro lactatione commodiori. Vid. Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XIII. fig.* 7.

PILI *Zenii*, ſunt pili circa caudam leporum naſcentes. Dorn. Rul. & Iohnſ.

PILICREPI vocabantur olim Balneatores, vel eorum miniſtri, qui pilis globulisve pice illitis per præfurnium in fornaculam actis, ignem excitarunt, Ant. Fumanel. *de Baln. mox à princip.*

PILIMICTIO, τριχίασις, vide *Trichiaſis* Legitur apud Foëſ. *Oecon. Hipp. p.* 623. Et profecto mihi videtur hoc latinum nomen commodius, dummodo in uſum magis vocaretur, quam Græcum, quod ob varias ſignificationes obſcurius eſt, neque legenti ſtatim conſtare poteſt, de quo morbo pilari accipiatur.

PILOPOEETICOS, πιλοποιητικὸς, dicitur de κονίας, ſive *Lixivio*, quo *Coactores lanarii* utuntur, ad cogendas & parandas lanas. Πιλοποιὸς etiam *Coactiliarium* vel *coactorem lanarium* ſignificat; ſive ſint pilei, ſive aliæ etiam veſtes, ex lana villisque confectæ, quæ *Coactilia* dicuntur. Foëſ. *pag.* 408. Gorr. Rhod. *ad Scrib. n.* 230. C. Hofm. *in Gal. de V. P. n.* 883.

PILOS, vide *Pileus. Pilopœeticos*.

PILULA, καταπότιον, σφαιρίον, Lat. etiam *Catapotium* eſt medicamentum ſiccum globuli formam habens, quod deglutiri debet integrum ad fallendum amarum & ingratum ſaporem, juxta proverbium: *Pilulæ* & injuriæ non maſticandæ, ſed deglutiendæ ſunt. Sunt vero *purgantes* & *alterantes Pilulæ*: quarum catalogum & hiſtoriam vide in Pharmaceuticis, præſertim Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 44. & *Spec. l.* 2. *ſ.* 38. Morell. *Form. rem. l.* 1. *ſect.* 3. *c.* 5. Schroder. *l.* 2. *c.* 73. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l. Diſpenſ. Norimb. & Auguſtan.* Sunt tamen quidam, qui *Catapotia* à *Pilulis* diſtin-

diſtinguunt, & illa de Bolis majoribus exponunt, teſte Rhod. *ad Scribon. n.* 87.

PILUM, idem, quod *Piſtillum*: Vide *Pila.*

PILUS, θρὶξ, in caſibus obliquis, & plurali numero, per τ, τριχὸς, τρίχες, quid ſit, etiam pueris notum eſt. Controverſiam arduam: An in numerum partium recipiendi ſint *pili*, nec ne? non eſt hujus loci ventilare, quamvis non diſſimulemus, nobis magis placere affirmativam; Bartholinus vero negativam tueri conatur, *lib.* 3. *Anat.* ſed rationibus minus ſolidis, cum petitionem ejus, quod eſt in principio, in plerisque committere videatur. *Pili* alii ſunt congeniti, alii poſt-geniti. Dantur & *pili* præternaturales: vide *Trichiaſis. Pilorum* teſticulo muliebri & renibus innatorum diverſæ longitudinis e variis Autoribus meminit Rhodius *cent. III. obſ.* Plura de *pilis* vide apud Barthol. *d. l.* adde Dieter. *n.* 394. vide *Thrix. Pilorum* formam & figuram ope Microſcopii deprehenſam vide deſcriptam in Boneti *Medic. Septentr. l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 1. *in princ.* & apud D. Goth. Bidloo *Anatom. Tab. IV. Fig.* 6. *ſeqq.*

PIMELE, πιμελὴ, *Pinguedo.* Vide *Adeps.*

PINDO, h. e. *pilo tundo.* Keuchen. *ad Sammon. pag.* 185.

PINEALIS *Glandula*; vide *Conarium.*

PINEATUM vocatur medicamentum, quod *nucleos pini* potiſſimum, vel inſtar baſis, recipit. Ita *Confectiones pineatæ* ſunt Morſuli vel Tabellæ ex *pineis nucleis* paratæ, & *Unguentum pineatum* deſcribitur à Foreſto, *l.* 2. *Chir. Obſ.* 9. *in Schol.*

PINGUEDO, πιμελὴ, πῖαρ, πίειρον, λίπος, vide *Adeps.* Adde Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 3. quamvis dubii adhuc ſimus, an ſuffragium noſtrum tribuere debeamus, quod inter humores retulerit, & e partium ſolidarum claſſe removere auſus ſit. *Pinguedines Officinales*, quæ & *Axungiæ* dicuntur, vide apud Schroder. *l.* 2. *c.* 32. *Pinguedo mineralis* quid ſit, vide *in Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 426. *Pinguedines* per alias *pinguedines* tolli patet ex ſmegmate, *Th. Chym. Vol. VI. p.* 57. *Pinguedinoſa* dicuntur quævis *pinguia*, Ruland. & Iohnſon. *in Lex.*

PINNA, idem, quod *Penna*, vel *Ala*, πτερύγιον, v. g. *Pinnæ* apum, aquilæ, vid. Rhod. *in Lex. Scrib.* Ita *Pinnæ* naſi vocantur *Alæ* narium, Gal. *in def.* Barthol. *l.* 3. *An. c.* 10. vide *Ala.* Auris quoque externæ pars ſuperior & latior nonnullis *Pinna*, aliis *Ala* vocatur. Id. *d. l. c.* 9. *p.* 522. *Pinna*, Gr. πίννα, eſt etiam ſpecies Oſtraceorum, vel Teſtaceorum, cujus deſcriptionem & uſum in cibis vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Exang. c.* 76. Junge Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 46.

PINNACULUM in Architectonicis ſignificat acumen fornicis. Unde Wedelius uvulam ita vocare non dubitavit *pinnaculum* fornicis gutturalis, uſumque tribuere moderandi tremulationem vocis. *Phyſiolog. Reform. c. XII. p. m.* 442.

PINNOTER eſt ſpecies parvi Cancri, quem deſcripſit Paræus *Chir. l.* 24. *c.* 21.

PINODES, πινώδης, *ſordidus*, idem, quod οἰσυπηρὸς. Dicitur enim de lana ſuccida, ſive *ſordida.* Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXV.* 6, 7. Alias & πινόεν vocatur, *d. loc. LXVI.* 11. & *lib.* 2. *de morb. XIII.* 27. *XIIX.* 12. Derivatur à πῖνος, quod idem, ac ῥύπος, *ſordes*; ſignificat vero & *vinum hordeaceum*, aut quod e ſordibus vellerum elutis conficitur. Vide Foëſ. *p.* 508. *ſeqq.*

PION, πίον, ſignificat apud Hipp. *pingue* & *dulce* cum in lacte, tum in ſanguine. Hipp. *l. de nat. puer. XXI.* 11. *l.* 3. *de Morb. XXV. l. de nat. mul. XXIX.* 104. *l.* 1. *de morb. mul. C.* 26. *l.* 6. *Epid. aliquoties.* Vide Foëſ. *d. l.* πίον etiam *pinguem* denotat. Dieter. *n.* 685.

PIPERINÆ *Thermæ* in Helvetia, quarum deſcriptionem legere licet apud Hildan. *Oper. p.* 657. *ſeqq.*

PIPISCO, πιπίσκω, ſignificat *propino*, potui exhibeo. Hipp. *l. de Loc. in hom. XXXIII.* 11. *XXXIV.* 2. *XXXIIX.* 9. 11. *&c.*

PISCES beſtiales Bernar. Gordonius Belluæ marinæ *part.* 7. *c.* 14.

PISCIS, ἰχθὺς: vide *Ichthys. Echeneis.*

PISCIS aſellus, vulgo Canis. Aquapen. *de form. fœtus c.* 3. *part.* 1.

PISO, idem, quod *Mortarium*, Keuchen. *ad Samon. p.* 185.

PISOLITHUS, πισόλιθος, legitur apud D. D. Wedelium inter lithontriptica, *Amœn. Med. l.* 1. *ſect. III. c.* 9. *p.* 186. An fortaſſis intelliguntur *piſa lapidea*, quorum mentio fit apud Andr. Chioccum *in Muſæo Calceolar. ſect. III. p.* 410.

PISSANTHOS, πίσσανθος. Vide *Orrhopiſſe.* Lat. *Picis flos.*

PISSASPHALTOS, πισσάσφαλτος. *Piſſaphaltum* bituminis genus eſt, aut nativum, quod Epiri ad Apolloniam gignitur, ita dictum, vel quod naturaliter mixta ſit bitumini pix, ut ſcribit Plinius *l.* 24. *H. N. c.* 7. vel quod bitumen oleat, ut Dioſc. tradit, *l.* 1. *cap.* 100. Aut factitium mixtum pici bitumen, quod pro Mumia venditant, ut eſt apud Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 396. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23.

PISSELÆON, πισσέλαιον, dicitur *oleum picinum*, compoſitum eſt medicamentum ex pice & oleo mixtis, Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 3. & *l.* 2. *cap.* 1. Dioſcor. *l.* 1. *cap.* 9. Verum aliis idem eſt, quod πίσσανθος, ſive *pix liquida.* Gorr. Schroder. *d. l.*

PISSE, πίσση, latine *Pix.* Eſt fluxus ex accenſis tædis, vel pars reſinoſa ex arboribus, per ſenectutem nimia pinguedine quaſi ſtrangulatis, de qua videatur Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 397. Πίσσα ἡδυντὴ, hoc eſt *pix condita aromatibus* & ſuaveolens, aliquoties legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXIII.* 17. *CXXIII.* 17. 18. & *lib.* 2. *LXXXIV.* 7. Vide Foëſ. *p.* 510. Alias *pix* quoque πισσάριον vocatur, Galen. *l.* 6. *de C.M.S.L. c.* 3. qui

qui in *exegeſi* ex aqua & aromate coqui aſſerit, ἡδύν-την γλῶσσαν.

PISSEROS, πισσηρὸς, epitheton Ceroti, quod ex cera, oleo roſato & pice arida componitur. Latine *Ceratum picatum*; item *Tetrapharmacum*, cujus aliquoties meminit Hippocr. *l.* 2. *de morb. mulieb. XXXIIX.* 14. *LVI.* 17. 3. *de fract. t.* 3. 23. & 2. *de artic. t.* 47. Adde Foëſ. *d. l.*

PISSOCEROS, πισσόκηρος, vocatur *cruſta alveorum & tectorium*, ceræ veluti initium, eſtque ſecundum operis apum veluti fundamentum. Gorr.

PISSOSIS, πίσσωσις, vel πίττωσις. Vide *Picatio.*

PISTARE, id eſt, *contundere.* Rul.

PISTATIO dicitur, quando materia quædam vaſi incluſa maſſa panis incruſtatur, & coquitur. Ita paratur oleum quoddam lumbricorum, quando hi aliquandiu putrefacti una cum vaſe vitreo illos continente maſſa panis incruſtantur, & coquuntur, ita in liquorem flavum craſſum & oleoſum faceſcunt, contra dolores arthriticos lancinantes externo uſu laudatum, ſi prius filtretur. D. Etmüller. ad D. Ludov. *Pharm. p.* 422.

PISTILLUM, ὕπερος, & ὕπερον, 1. *de artic. t.* 15. Vide *Hyperos*, *Cercis.*

PISTOS, πιςὸς, æquivocum eſt apud Græcos pro diverſa derivatione. Si à πείθω & πίςις, *fides*, deducitur, ſignificat *fidus*, fide dignus. Si vero à πίνω, *bibo*, idem eſt ac πότιμος, *potabilis*, & dicitur de medicamentis fluidis & potabilibus. Linden. *Ex. XIII.* §. 323.

PISUM, πίσον, inter legumina pertinet, & cum fabis habet cognationem. Galen. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 22. Bruyerin. *de re cibar. l.* 7. *c.* 2.

PITHECOIDES, πιθηκοειδὴς, *ſimiæ formam habens*, dicitur de animalibus *ſimiæ* confinibus, quæ Gal. ad Anatomicas exercitationes elegit, ut & *ſimias* ipſas, *l.* 6. *An. adm. c.* 3.

PITHEROS, πιθηρὸς, idem, quod πίειρος, id eſt, *pinguis.* Uſurpatur ab Hipp. de terra *pingui*, *l. de A. L.* & *Aq. LVII.* 4.

PITHEX, πίθηξ, Lat. *Simia*, dicitur animal quadrupes, homini maxime ſimile, cujus deſcriptionem tradidit cum uſu Aldr. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 5.

PITTACIUM, πιττάκιον, proprie ſignificat tabulam e pice paratam, vel pice obductam. Attribuitur vero etiam panno medico, qui medicamento illitus affecto loco imponitur. Differt latitudine majori à ſplenio. Occurrit apud Celſ. *l.* 3. *c.* 10.

PITTOSIS, πίττωσις, vide *Picatio.* Et πιττωτὰ medicamenta e *pice parata* vocantur, apud Galen. & Aët.

PITUITA, φλέγμα, vide *Phlegma.* Ubi dictis hic addi poteſt, quod latinis ſcriptoribus pituita dicatur morbus gallinarum, quo alba pellicula linguam veſtit extremam; quam unguibus vellere convenit, de quo Palladius *de R. R. L.* 1. *cap. XXVII.* & *XXIX.*

PITUITARIA *Glandula* dicitur, quæ excrementa cerebri e ventriculis per infundibulum excipit, deſcribitur paſſim ab Anatomicis, præſertim Bartholin. *Anat. l.* 3. *cap.* 6. *p.* 487. Willis *Anat. cerebr. c.* 12. *&c.*

PITYINA, πιτυίνη, vide *Phyſema.*

PITYLISMA, πιτύλισμα, dicitur *geſticulatio manuum*, unde & verbum πιτυλίζω, *manibus geſticulor*, quod refertur inter corporis exercitia à Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 10. Deducitur à πίτυλος, quod proprie ſignificat ſtrepitum, vel ſonum aquæ remo percuſſæ. Foeſ. *p.* 510.

PITYOCAMPE, πιτυοκάμπη, vide *Eruca.*

PITYRIASIS, *Pityron*, *Pityrodes*, πιτυρίασις, πίτυρον, πιτυρώδης, vide *Furfur.*

PIX, πίσση, vide *Piſſe.*

PLACENTA, μάζα, vide *Maſſa*, *Maza*, æquivocum eſt apud Latinos. Vel enim denotat proprie varias eduliorum ſpecies, ſubactas ex caſeo, lacte, melle, farina, &c. de quibus Gal. *l. de bon.* & *mal. ſucc. c.* 4. Vel in Anatomicis *Placenta* appellatur rotunda illa maſſa, tempore graviditatis in utero occurrens, quæ infinitis acetabulis conſtat, & *Hepar uterinum* vocatur; cujus hiſtoriam vide apud Anatomicos, præſertim Bartholin. *l.* 1. *c.* 36. Harv. *de gen. anim. Addit.* 5. *Placentæ* quoque *roſaceæ* vocantur folia florum Roſarum per exſiccationem & comprehenſionem cohærentia, in Officinis venalia, pro Epithemate capitis. Legitur & in Morley *Coll. Chym. Leid. cap.* 363.

PLACENTULA eſt diminutivum vocabuli præcedentis. *Placentulas* poſt fœtus excluſionem in utero relictas, ſub *pſeudomolarum* nomine à Ruyſchio obſervatas & delineatas vide ſis in *Centuria Obſervat. Anatom. Chirurg. Obſ. XXIX.* quam vis & maſſa cruoris coagulati quoque *Pſeudomola* dici poſſit, *Obſ. XXIX.*

PLACITIS, πλακῖτις, eſt ſpecies *Cadmiæ* factitiæ, in fornacibus cruſtarum modo concretæ. Gorr. Vide *Cadmia.*

PLACUS, πλακοῦς, ἡ πλακώεις, vocatur *panis cruſtaceus*, placenta cruſtacea, ſiquidem Græcis πλάκες *cruſtæ* dicuntur. Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 9.

PLADAROTES, πλαδαρότης, *affectus palpebrarum* internæ partis, in qua molliuſcula corpora lævia maxime decolora oboriuntur. Galen. *l. Introd. c.* 15. Vocatur & *Morum*, de quo vocab. ſupra.

PLADOS, πλάδος, dicitur *omnis humiditas ſuperflua*, quæ partem aliquam languidam & flaccidam reddit. Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ.* 2. *t.* 11. adde Galen. *in com.* 2. *de R. V. I. A. t.* 34. 3. *de fract. t.* 19. & *alibi.* Inde & verbum πλαδᾶν, *nimio humore diffluere. l. de A. L.* & *Aq. XXV.* 11. & Adjectivum πλαδαρὸς, *humidus*, mollis, *laxus* præ nimio humore, & de variis rebus dici-

dicitur : de carnibus, *l. de int. aff. XLIII.* 3. de ſputo, *l.* 1. *de morb. muliebr. XXV.* 4. de dejectionibus, 3. *de R. V. I. A. t.* 7. de ulceribus, Caſtell. & Gorr. Aliquando & *inſipidum* ſignificat, præ nimia ſcil. humiditate, *l. de vet. med. XXIV. 26. XXVII. 6.* 11. 14. adde Foëſ. *p.* 511. Erotianus deſcribit aduſtam, fatuam & humidam corporis diſpoſitionem, quæ carni non ſolidæ conveniat.

PLAGA, πληγή, Latinum accipitur late pro *omni morbo*, & ſtricte pro morbo externo, & vi quadam inflicto.

PLAGIOS, πλάγιος, *obliquum* & ad *latus aliquod reclinatum* ſignificat. Aliquoties legitur de ſitu fœtus p. n. ad partum apud Moſchion. *de morb. mul. cap.* 146.

PLAGULÆ, σπλῆνες, σπληνία, vocantur *Splenia*, h. e. panni lintei & pulvini, vel madefacti, vel compacti, vel cerato aliquo imbuti. Suntque firmamenta faſciarum, quæ ὑποδεσμίδες dicuntur, in fracturis, aut luxationibus, quæ os repoſitum & confirmatum continent, prohibentque inflammationem, Hippocr. 1. *de fract. t.* 32. & 3. *de iis, q. in medic. t.* 11. *Splenia* quoque dicuntur *linteola oblonga*, ut & Emplaſtra magis, quam lata fronti impoſita & deligatione firmata ad mitigandum dolorem, aut alium quempiam uſum, Keuchen. *ad Sam. p.* 89. 90. Legitur & in Græco σπληνίσκος *l.* 2. *de Morb. XIIX.* 12. Junge Foëſ. *Oec. pag.* 579. *ſeq.*

PLANCUS, λειόπους. Vide *Lejopodes.*

PLANETES, πλανήτης, *errabundus*, vagus, *erro.* Uſurpatur ab Hippocr. de morbis, & in ſpecie de febribus nullum certum periodorum ordinem habentibus. 3. *aph.* 22. & *alibi.* Vide Foëſ. *p.* 511. & Dieter. *n.* 686. *Planetæ* alias Aſtronomis dicuntur ſtellæ, ut ex illorum ſcriptis addiſcendum. Eorum nomina à Chymicis quoque tranſlata eſſe ad metalla, patet ex horum monumentis, v. g. *Sol auro* tributus, *Luna argento*, *Venus cupro* &c. de quibus ſingulis in ſuis locis & literis propriis.

PLANIPEDES, λειόποδες, iidem, quod *Planci*, vide *Lejopodes.*

PLANITIES, πέδιον, dicitur de ſolea, ſive *planta pedis.* Vide *Pedion.*

PLANTA apud Latinos homonymon eſt, vel enim reſpondet Græco φυτὸν; vide *Phyton* : vel Græco πέδιον; vide etiam ſuperius *Pedion. Planta noctis.* Arab. *Benath* vocantur aſperitas, pruritus & puſtulæ parvæ, quæ plerumque in frigore noctis poſt deſudationem & obſtructionem pororum cutis ex ambientis frigore oriuntur, Avic. *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 3. *cap.* 10. Jung. M. Aurel. Sever. *l. de epinyct. & roſeol. p.* 130.

PLANTARIS Muſculus dicitur pedem extendens, reſpondetque *Palmari* in manu. Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 13. *p.* 582.

PLASTICUS, πλαστικὸς, id eſt *formans.* Ita dicitur δύναμις πλαστική, facultas, vel virtus formatrix ineſſe ſemini maſculo in generationis negotio, eſtque nihil aliud, quam anima vegetativa, ſive principium illud vitale activum, e motu intrinſeco & locali reſultans, ovuli fœminei corpuſculum fœcundans & ex illius materia corpuſculum cum ſuis membris & partibus efformans. Injuriam igitur fecit veteribus Blancardus, quando *in Lexico* ſcribere non eſt veritus, illam vim plaſticam fuiſſe apud veteres aſylum ignorantiæ, ita ut, quod non recte explicare poterant, vocaverint vim plaſticam. Enimvero non accidentale quid per δύναμιν πλαστικὴν voluerunt intellectum, ſed ipſum ſpiritum in aërei ſeminis ſubſtantia comprehenſum, uti hoc egregie demonſtravit ὁ θεῖος Caſp. Hofm. *l. de generat. hom. cap.* 1. *ſeqq.*

PLATÆ, πλάται, idem ſunt, quod ὠμοπλάται, *ſcapulæ*, *ſcoptulæ*, & legitur ap. Hipp. *l. de loc. in hom. XI.* 3. *ſeqq.* adde Foëſ. *p.* 512. Vide *Omoplate.*

PLATAMON, πλαταμὼν, vocatur petra e mari prominens lubrica, lævis. Galen. *in Ex. voc. Hipp.* Foëſ. *d. l.*

PLATEA; Ariſt. πελεκὰν, nomen avis fluviatilis roſtro cochlearis formam habente; vide *Pelecanus.* Lang. ejus induſtriam laudat *l.* 2. *ep.* 2.

PLATIASMOS, πλατειασμὸς, Gorræo dicitur vitium oris : cum, eo nimium diducto, ſermo male promitur.

PLATYOPHTHALMON, πλατυόφθαλμον, cognomen *Antimonii*, ſive στίμμεως, ſed fœminæ, quod proprie στίμμι dicitur. Nomen inditum, quod à mulieribus ad comparandam oculis gratiam uſurpatur. Gorr.

PLATYS, πλατὺς, vide *Latus.* Πλατεῖαι quoque vocantur *Lumbrici lati.* Foreſt. *l.* 21. *Obſ.* 26. *in Schol.*

PLATYSMA, πλάτυσμα, non ſolum de *Lato muſculo* uſurpatur, vide *Latus* : Verum etiam, quicquid in latum extenditur, hoc nomine venire poteſt. Ita in Chirurgicis *linteum latum*, cui emplaſtrum illitum eſt, πλάτυσμα appellatur. Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 14. Ita Aëtius *l.* 9. *c.* 48. *laminam ferream vocat* πλάτυσμα σιδήρου, notante Gorr.

PLATYSTERNOS, πλατύστερνος dicitur *lato pectore præditus.* Legitur apud D. Pechlinum *Obſerv. Phyſico-Medic. l.* 1. *Obſ.* 26. 28. 32. An vero & in antiquioribus Græcis autoribus occurrat, inquirere ob temporis anguſtiam haud licuit. Reſpondet igitur τῷ εὐρύστερνος, quod apud Heſiodum legitur.

PLAUTUS, idem, quod *Plancus*, h. e. pedes planos habens, λειόπους, Caſp. Hofmann. *ad Gal. l. de V. P. n.* 137.

PLECHAS, πληχὰς, aliis & πλιχὰς. Vide *Greſſura.*

PLECTANE, πλεκτάνη, *plicam*, *plexum*, & complicaturam ſignificat. Legitur apud Hippocr. *l. de Venis XXI.* 2. de venis capillaribus, aut ſurculis minoribus. Et verbum πλεκτανοῦσθαι, h. e. *inſtar cirrhorum diſpergi*, de venarum plexura intricata in hepate, *d. l. XXV.*

XXV. 11. πλεκτάναι quoque dicuntur Cornua uteri. Vide *Ceræa*, & *Polypi brachia* & cirrhi, Lat. *flagella*, quibus adhæret. Vide *Polypus*. Foeſ. *pag.* 512. Lind. per *amplexabula* reddidit. *Exerc. V.* §. 57. Commode etiam *Plicæ Polonicæ*, πλεκτάνη applicari poſſet.

PLECTRUM, πλῆκτρον, dicitur *appendix oſſis petroſi* oblonga & acuta, quæ propterea *Belenoides*, & *Graphioides* vocatur, Gorr. Bartholin. *libell.* 4. *c.* 6. Linguam quoque, ut & Uvulam *plectri* nomine inſigniri, docet C. Hofm. *C. in Gal. de V. P. num.* 447.

PLEGE, πληγή, vide *Plaga*, *Ictus*.

PLEGMA, πλέγμα, *plexus*, idem, quod πλεκτάνη. Ita paraſtatæ variciformes, ſive *corpora varicoſa*, vocantur πλέγμα δικτυοειδὲς, *plexus retiformis*. Lang. *l.* 2. *ep.* 7.

PLEIAS, πληϊὰς, πλειὰς, & pl. *Plejades*, ſidus ſeptem ſtellarum dicitur in Tauro, quod alias & *Virgiliæ* Latinis dicitur: quarum ſtellarum occaſus pro fine autumni ponitur, apud Hipp. 1. *Epid. ſ.* 1. *t.* 1. *&* *ſ.* 2. *t.* 2. Gal. *in comm.* Foeſ. *p.* 514. Lind. *Ex. XI.* §. 186.

PLEMMYRA, *Plemmyris*, πλημμύρα, πλημμυρὶς, proprie ſignificat maris *intumeſcentiam* ex æſtu, cum affluit inundans, & accedit. Per tranſlationem vero de *omni humorum abundantia* & exceſſu uſurpatum ab Hippocr. 3. *de R. V. I. A. t.* 40. & Gal. *in comm. ad d. l. t.* 42. Verbum quoque πλημμυρέω, *inundo*, legitur *l. de Sacr. Morb. XI.* 9. adde Foeſ. *p.* 514.

PLEMNE, πλήμνη, dicitur *rotæ modiolus*. Hipp. 2. *de fract. t.* 41. 46. 48. (adde Gal. *in comm. ad h. l.*) ut & *in Mochlic. XXIII.* 6. Foeſ. *d. l.*

PLENILUNIUM, πανσέληνος, dicitur, quando Luna Soli e diametro oppoſita in totum fulgida apparet, de cujus viribus diſſerit Gal. *l.* 3. *de dieb. decr. c.* 3. *ſeqq.*

PLENITUDO, πλῆθος, πληθώρα, vide *Plethora*.

PLENNA, πλέννα, idem, quod βλέννα, *mucus*, vide *Blenna*, hinc πλενναρὰι, mucoſæ apud Gal. *exeg.*

PLENUS, πλήρης, quid proprie ſignificet, notum eſt: Opponitur enim *vacuo*, τῷ κενῷ. Per tranſlationem vero etiam dicitur de pulſu, Gal. *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 6. *Plenum* etiam pro *forti*, & *plenius* pro *fortius* accipitur, Gr. ἀδροτέρως 4. *aph.* 9. *Plena ſolutio* morbi vocatur *perfecta* ejus remiſſio, Lind. *Ex. VII.* §. 60.

PLEONASMOS, πλεονασμὸς, vocatur *exceſſus in diviſione*, vel enumeratione ſpecierum, & differentiarum, Foeſ. *p.* 512. quamvis & *omnem redundantiam* ſignificet. Jul. Alex. *annot. in Gal. l.* 2. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 5.

PLEONEXIA, πλεονεξία, vocatur *inſatiabilis avaritia*, Medico ſane indigna, de cujus vocabuli emphaſi vide Alex. *Annot. in Galen. l. de dign. & cur. anim. pathem. propr. c.* 9. Vide *Apleſtia*.

PLEROSIS, πλήρωσις, *repletionem* & *refectionem* ſignificat, à verbo πληρόω, quod utramque admittit ſignificationem. Hipp. 2. *aph.* 11. & 6. *a.* 39. Jung. Foeſ. *p.* 514. Dieter. *n.* 694. 695.

PLEROTICUS, πληρωτικὸς, i. e. *replendi vim habens*. Legitur apud Dioſc. Convenit interdum cum Sarcotico.

PLESMONE, πλησμονὴ, *plenitudo*, *ſatietas*. Diciturque potiſſimum de ciborum abundantia, & opponitur *fami*. Hipp. 2. *aph.* 4. Significat & *repletionem*, & ita coincidit cum πληρώσει. 2. *aph.* 22. Jung. Foeſ. *d. l.* Dieter. *n.* 696.

PLESTINX, πλήστιγξ, idem, quod νάρθηξ, *ferula*. Gal. *in expl. voc. Hipp.*

PLETHORA, *Plethos*, πληθώρα, πλῆθος. Lat. *Plenitudo*, *Multitudo*, *Copia*. Accipitur communiter in foro Medico pro humorum omnium abundantia: quamvis minus accurate; cum hac ratione à cacochymia non recte poſſit diſtingui. *Plethora* igitur proprie *ſanguinis redundantiam* ſignificat, Lind. *Ex. IV. p.* 19. Eſtque vel ſecundum naturam, vel præter naturam. Alia *legitima*, ubi ſanguis laudabilis redundat; alia *ſpuria*, in qua ſanguis cum impuritatibus miſtus excedit; hac tamen lege, ut copia ſanguinis prævaleat. Præternaturalis alia dicitur *quoad vaſa* talis; alia etiam *quoad vires* talis dicitur, quæ corporis functionibus incommodat. *Plethora urgens* & *turgens* vocatur, quæ ſolum indicat ſanguinis detractionem, vel emiſſionem. Plura vide in *Inſtitutionibus*, & *Dogm. Med. Gen. p.* 181. *ſeqq.* Adjectivum *Plethoricus*, quoque frequentiſſimo eſt in uſu.

PLETHRON, πλέθρον, *ſextam partem ſtadii* ſignificat. Unde verbum ἐκπλεθρίζειν, curſitare in tam brevi ſpatio prorſum retrorſumque in utramque partem ſine flexura: pertinetque inter motiones corporis. Gal. *l.* 2. *de tu. ſan. c.* 10.

PLEUMAO, πλευμάω, Ionice ſignificat *pulmonis vitio laboro*. Hipp. *lib.* 2. *de morb. XLVI.* 2. vel potius ex pulmonis morbo *tabeſco*. Nam πλεῦμος Gal. idem eſt, ac φθόη, *tabes in Expl. Vocum Hipp.* & πλευμώδης ſignificat *tabidum*. Foeſ. *p.* 512. *ſeq.*

PLEURITIS, πλευρῖτις, *morbus Lateralis*, dicitur & Paracelſ. *Pleureſis*, late ſignificat omnem morbum & dolorem lateris alterius, vel utriusque, & qui tali laborant, *Pleuritici* appellantur. Strictior vero ſignificatio uſitatior eſt, quando *Pleuritis* dicitur dolor lateris punctorius vehementiſſimus, cum tuſſi, febre acuta, ſputo, citius, vel tardius ſubſequente proveniens, ab inflammatione membranæ coſtas ſuccingentis, ob ſanguinis bilioſi effervеſcentis impeditum per venas ibidem refluxum oborta. Subjectum hujus morbi πλευρὰ, etiam πλευρὸν, *Pleura*, h. e. membrana ὑπεζωκὼς, coſtas ſuccingens vocatur. Alia eſt *legitima*, alia *ſpuria*. De hoc affectu plura vide in Practicorum ſcriptis. De vocabulo lege Foeſ. *Oec. p.* 513. Dieter. *n.* 690.

PLEURON, *Pleura*, πλευρὸν, πλευρὰ, vocatur generaliter *Latus*: unde πλευρίων πόνοι, *morbi laterum*, 3. *aphor.* 5. & 23. 3. *aph.* 65. 6. *aph.* 5. adde Diet. *n.* 689.

Vide

Vide *Latus.* Stricte vero ſignificant hæc vocabula vel ipſas *Coſtas*, vide *Coſta*; vel membranam intrinſecus thoracis cavitatem ſuccingentem, cujus deſcriptionem vide apud Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 4.

PLEUROPNEUMONIA, πλευροπνευμονία, dicitur recentioribus quibuſdam ſpecies complicata & compoſita ex *Pleuritide* & *Peripneumonia*, & accidit iis, quibus pulmones male affecti coſtis adhærent. Plura de hoc affectu vide apud Bonet. *Mercur. Compit. l.* 14. *p.* 558. 578. Legitur & apud eundem *Pleuroperipneumonia*, *Med. Septentr. Collat. ad l.* 2. *ſect.* 10. *in Indic.* Et integram de hac diſſertationem conſcripſit Chriſt. Schroderus, quam inſeruit ſuæ *Medicinæ Septentrionali* Bonetus *libr.* 2. *ſect.* 10. *c.* 6. *p.* 378. *ſeqq.* Vocatur & inverſo nomine *Pneumopleuritis*, de quo p. p. Placuit etiam illud vocabulum apprime Dolæo *in Encyclopæd. l.* 2. *c.* 3. §. 1. *p.* 270. *ſeq.*

PLEXUS, πλέγμα, πλεκτάνη, πλόκη, tribuitur ab Anatomicis diverſis vaſorum ſanguineorum intricatis connexionibus, v. g. *Plexus Choroides* cerebro. Vide *Choroides.* Barthol. *l.* 3. *An. c.* 6. Hunc negavit Helm. *tr. Jus Duumvirat. n.* 32. *Plexus Retiformis*, ſive *Rete mirabile.* Barthol. *d. l. in princ.* Vide *Dictyoides. Plexus capreolaris*, vel *Variciformis*, vaſorum ſpermaticorum, quæ & *Pyramidalia* dicuntur, Rolf. *de Part. genit. l.* 1. *c.* 35. Barthol. *l.* 1. *c.* 21. *Plexus glandiformes* tres nervorum. Id. *libello* 3. *c.* 2.

PLICA, πλεκτάνη, *Plicatio*, *Plicatura* uſurpatur vel de vitio capillorum Polonis familiari; quando capilli ita in cirrhos contorquentur, ut extricari nullo modo poſſint. De quo affectu legatur Sennert. *Pr. Med. l.* 5. *p.* 3. *ſect.* 2. *c.* 9. Eph. Nat. Cur. *Ann. II. Obſerv.* 52. Bonet. *Med. Septentr. Collat. l.* 1. *ſect. IV. c.* 4. *p.* 2. *ſeq.* & in pube muliebri *Ann. III. Obſ.* 220. Mentio quoque fit literarum Abr. à Gehema ad Corn. Bontekoë de *Plica Polonica* in *Act. Erudit. Lipſ.* 1683. vel dicitur de oſſium contorſione & comprehenſione, citra fracturam: v. g. *Coſtarum plicatura*, Foreſt. *l.* 8. *Chir. obſ.* 6. *Plicatio* fociliuni brachii, *obſ.* 8. *in Schol.* aliorum etiam oſſium tenellorum in pueris. *obſ.* 9. *in Schol.*

PLICHAS, πλιχὰς, vide *Plechas.*

PLINTHION, πλινθίον, eſt genus machinamenti, autore Nileo, ad ſimilitudinem tractoriorum quadratorum oblongorum. Figuram exhibet Gorr. ut & Scultet. *Armam. Chir. Part.* 1. *Tab. XXIV fig.* 5. modumque applicandi ſcalæ docet *Tab. XLIX. fig.* 1. Propter formæ quandam convenientiam faſciæ quoque genus quoddam vocatur *Plinthius laqueus*, qui & *quadruplex circulus* dicitur, Gal. *de faſc. n.* 13.

PLINTHITIS, πλινθῖτις, ſpecies dicitur *Aluminis*, teſte Aetio, quæ alio nomine πλακῖτις appellatur. Gorr.

PLOODES, πλοώδης, *fluctuans*, & veluti innatans. Dicitur apud Hippocr. de Jugulo firmamento debito carente, 1. *de fract. t.* 69. Vide Foeſ. *in comm. ad h. l. Oec. p.* 515. Erot. *p.* 94. *d.*

PLUMA, idem, quod *Penna*, & quidem levior, tenuior, πτίλον.

PLUMACEOLUS, vide *Pulvillus.*

PLUMACEUS, epitheton eſt quorundam Magiſteriorum levitatem eorum exprimens, apud Zwolfer. *in appendic. ad Pharmac. Reg.*

PLUMBAGO, μολυβδαίνα, γαλήνη. Vide *Molybdæna. Galæna. Lithargyrium.*

PLUMBUM, μόλυβδος. Vide *Molybdos.*

PLUMBUM, Plin. *lib.* 25. *c.* 11. Vitium oculorum à ſimilitudine. φλαύκωσις Humel. *in c.* 13. *Q. Ser.*

PLUMOSUM dicitur ſpecies *Aluminis*, quæ & *Lapis Amiantus*, vel *Asbeſtos*, vide *Amiantos.* Paracelſus vero etiam ad ſalinas portiones in homine productas tranſtulit paſſim in ſcriptis ſuis *de Tartaro* & alibi.

PLURALITAS dicta olim fuit à Philoſophis de metallis, ita, ut non ſingulariter vocabulo Metallum uſi ſint, ſed pluraliter: Metalla &c. ad indicandam arctam inter ſe cognationem, quod omnia ex uno fonte, videl. Mercurio, promanent. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 305. 315.

PLUTEA vocatur Avic. reduplicatio, quam facit membrana craſſior, ſive meninx dura, aut dura mater, qualis eſt Sinus falciformis, *l.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 5. *c.* 3.

PLUVIA, ὕδωρ, ὄμβρος, quid ſignificet, ex Phyſicis, imo ex Lexicis trivialibus conſtat. Vide *Imber. Aquam pluvialem* eſſe limpidiſſimam ac tenuiſſimam, & magni etiam uſus, teſtatur Ægin. *l.* 1. *c.* 50. & præſertim Hipp. *de A. L. & Aq. XVII.* Schroder. *l.* 3. *c.* 3. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

PLYMA, πλῦμα, *loturam* ſignificat, h. e. aquam, in qua aliquid elutum ſit. Legitur apud Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 123. *l.* 17. *Epid. XXXIX.* 22. Hinc πλυτὸν, *elotum*, aqua maceratum dicitur, 2. *de art. t.* 44. Foeſ. *pag.* 515. πλῦμα σταιτὸς ἐπὶ πυρὶ eſſe *Cereviſiam* noſtram, vult Linden. *Ex. VI.* §. 9. quamvis locum Hipp. invenire non potuerim, neque etiam Foeſ. *in expoſ. vocabulorum*, πλῦμα & σταῖς, allegaverit.

PNEUMA, πνεῦμα, Latine *Spiritus.* Utrumque vocabulum valde æquivocum eſt, plura ſignificans. Græcum πνεῦμα, apud Hippocratem (1.) denotat ſubſtantiam quandam aëream, tenuem, halituoſam vel vaporoſam, & ad conſtitutionem corporis noſtri eſſentialiter pertinentem; quæ Latine etiam *Spiritus* à plerisque dicitur. *l. de Arte XVII.* 9. Junge Lind. *Ex. XIII.* §. 216. (2.) idem ſignificat, quod φῦσα, *Flatus*, *l. de Flatibus IV.* 7. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 62. (3.) Accipitur ſæpiſſime pro *Aëre*, *d. l. V.* 3. & *vento*, *l. de Sacr. morb. XI.* 7. *l.* 6. *Epid. ſ. II. t.* 24. *ſ. VIII.* 20. 23. (4.) ſumitur pro tota *Reſpiratione*, in aliquot locis; præſertim *ſ.* 1. *de R. V. I. A. t.* 32. *ſ.* 4. *t.* 34. *ſ.* 1. *Progn. t.* 24. Junge Gal. *com. ad hæc loca.* (5.) pro *difficili reſpiratione*, uti demonſtravit Galen. *de diffic. reſp. l.* 3. *cap.* 12. Adde Foeſ. *pag.* 515. *ſeqq.* Dieter. *num.* 697. Ita & Lat. vocabulum *Spiritus* eaſdem

admittit ſignificationes. Imprimis vero quando ſubſtantiam corporis eſſentialem denotat, triplex olim *Spiritus* à Galeno introductus fuit, *Naturalis*, *Vitalis*, *Animalis*; Quomodo vero hodieque ad vera principia debeant intelligi & exponi, videatur in *Dogmat. noſtris Med. Gen. P. I. c. 5. dogm. 6. p. 63. ſeqq.* & *Propylæo p. 22. ſeqq.* vide infra *Spiritus*. De *Spirituum Nitro-aëreorum operationibus* in homine ſcripſit Ludov. Maria Barberius. Vide *Act. Lipſ. A.* 1682. In Pharmaceuticis *Spiritus* notat ſubſtantiam tenuem, limpidam, vi ignis, ex miſto, per artem deſtillatoriam elevatam: quæ, licet, atomis collectis, adſtantis aëris frigore, in liquorem condenſetur, nomen non mutat. Eliciuntur ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus: ſuntque vel Simplices, vel Compoſiti. Utrorumque hiſtoriam vide apud Schrod. *l. 2. c.* 81. Rolf. *Chym. l. 3. ſect.* 1. *artic.* 2. *per tot.* ut & *in Diſpenſatoriis*. Apud Spagyricos & Paracelſicos frequenti quoque in uſu eſt vocabulum *Spiritus*, diverſis ſub ſignificationibus, plerisque tamen ænigmaticis & parabolicis. Generaliter dicitur principium primum corporum naturalium, inſtructum facultatibus peragendi curriculum ſibi natura commiſſum; vel eſt ſubſtantia ſubtiliſſima, vi creationis primum producta, ac poſtmodum vi benedictionis propagata, cujuscunque rei principium formale, actionum omnium ſcaturigo, &c. Schrod. *l.* 1. *c.* 5. Eſtque vel *univerſalis*, ſive *Spiritus Mundi*; vel *particularis*, *vegetativus*, ſingulorum corporum ſublunarium; qui in vegetabilibus *humor aëreus*, in animalibus *humor radicalis*, vel *calor innatus*, generaliter *ignis naturæ* dicitur. *Th. Chymic. Vol. II. p.* 104. Apud Dorn. Rul. & Iohnſ. hæ occurrunt acceptiones & deſcriptiones *Spiritus*. *Spiritus* eſt aqua ſolvens e re ſimplici & acri producta, cum ignei halitus natura. Potiſſima ejus pars eſt halitus igneus, miſtus tamen parte vaporoſa. Itaque & conſiſtentiam obtinet aqueam. In tali ſubſtantia ſpecificam vim rei gerit. *Spiritus* ambigit inter aquam & oleum, & ad liquorem accedit. Itaque etiam oleum vocatur; præſertim in mineralibus. Et *Spiritus* quidam ſunt oleoſiores, quidam aqueoſiores. Alias *Spiritus* nominantur etiam exhalationes earum, ſicuti fumi metallici, item ſtibii, ſtanni, flos ſalis, vini &c. Quibus placet, poterunt melioris doctrinæ gratia *Spiritus Chymicos* in ſex claſſes diſpeſcere: ad primam pertinent *Spiritus* acido-ſulphurei volatiles; ad 2 ſalino-volatiles rigidi; ad 3 inflammabiles; ad 4 acidi poſt phlegma ſubſequentes; ad 5 acidi, fixi & graves olei nomine indigitati; & ad 6 oleoſi ſubtiles. Vid. Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. c. 2. pag.* 10. *Spiritus animalis* vocatur vis animæ, per quam corpus appropinquat, acquiſita ſimilitudine ad cœli proportionem adæquatam & incorruptam. *Spiritus fœtens*, i. e. *ſulphur*. *Spiritus* quoque dicitur argentum vivum, à ſex corporibus tractum, & in evacuationum aquis conſiſtens. *Th. Chym. Vol. I. p.* 294. & 426. Alias quatuor nonnulli numerarunt *Spiritus*: *Sulphur*, quod habet naturam igneam: *Sal Ammoniacum*: *Argentum vivum*, quod habet *ſpiritum* aqueum, & vocatur alio nomine *Servus fugitivus*. *Auripigmentum* ſeu *Arſenicum*, quod habet *ſpiritum* terreum. *Th. Ch. Vol. III. p.* 276. Rulandus vero ſeptem, imo plures recenſet. Verum Lector curioſus ipſemet, in ſcriptis Paracelſicorum, & apud Libav. inquirat plures acceptiones commentitias. Nobis enim nec libet, nec licet omnium ſcrinia compilare.

PNEUMATIAS, πνευματίας, idem, quod πνευματώδης, de quo p. p.

PNEUMATICOS, πνευματικὸς, *ſpiritualis*, proprie dicitur. Verum quatenus πνεῦμα etiam *flatum* ſignificat apud Hippocr. πνευματικοὶ dicti fuere Medici quidam hoc cognomine, qui à flatu ſeu ſpiritu in corpora ſubeunte omnia vel ſecundum naturam ſe habere, vel in morbos incidere cenſebant. Fortaſſe Hippocr. aut ſi quis alius autor libelli *de Flatibus*, huic ſectæ occaſionem præbuit, cui ſeſe inter Medicos Athenæus & Archigenes imprimis addixerunt. Gorr. Meminit horum Gal. *l. 3. de diff. pulſ. cap.* 1. & alibi. *Pneumatica* ſcientia dicitur, quæ exponit naturam aëris, præſertim ambientis corpora naturalia & atmoſphæram conſtituentis. Sam. Reyher. *in diſſert. de Aëre c.* 1. *ſeqq.*

PNEUMATOCELE, πνευματοκήλη, vocatur *Hernia flatulenta*, *ramex ventoſus*, quando à flatu fit diſtentio ſcroti, vel umbilici. Gorr. Caſtell. ex Ægin. *l. 6. c.* 64. Hujuſmodi obſervationem vide in Job à Meekren *Chirurg. Obſerv. poſthumis c. 4. p.* 357. *edit. Lat.* Dicitur & *Phyſocele* apud Paræum *Chir. l. 7. c.* 14.

PNEUMATODES, πνευματώδης, idem, quod πνευματίας vocatur Hipp. 4. *aph.* 72. *flatibus diſtentus*, vel *anheloſus* & ſuſpirioſus ex flatuum diſtentione, teſte Gal. *l. 3. de diff. reſp. c.* 12. adde Foëſ *p.* 520. Dieter. *n.* 698. Tales dicuntur etiam πνευματούμενοι, *c. 3. in 1. Prorrh. t.* 72. & Gal. ἐμπεπνευματώμενοι, *d. l.*

PNEUMATOMPHALOS, πνευματόμφαλος, vocatur *Hernia umbilicalis flatulenta*, ſive à flatu diſtendente oborta. Gal. *in def.*

PNEUMATOSIS, πνευμάτωσις, vocatur *inflatio ventriculi*, ſive flatuum collectio in ventriculo: cujus generatio petatur ex deſcriptione Flatuum, vide *Flatus*.

PNEUMENOS, πνεύμενος, dicitur Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. 4. t.* 5. *anheloſus*, difficultate ſpirandi laborans, Foëſ. *in not. ad h. l.* & *Oecon. pag.* 521. Approbavit hanc expoſitionem Caſp. Hofmann. *in notis MS. ad Galen.*

PNEUMON, πνεύμων, Lat. *Pulmo*, vocatur viſcus thoracis, cor ambiens, molliſſimum & laxiſſimum, reſpirationis, ut & vocis inſtrumentum; cujus viſceris ſtructuram merito admirandam dixit Dieter. *n.* 699.

de

de qua videantur Anatomici, & ex recentioribus Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 9. Jungatur Willis *Pharm. Rat. P. II. ſect.* 1. *c.* 1. D. D. Bidloo, *Anat. Tab. XXIV. XXV.* In Pharmaceuticis *Pulmo vulpis* præ aliis in phthiſi maxime commendatur: uti patet ex Diſpenſatoriis. Vide etiam *Vulpes.* Inter Zoophyta marina refertur *Pulmo marinus*, Gr. πνεύμονες, cujus hiſtoriam, cum uſu in Medicina, tradidit Aldrov. *de Zoophytis l.* 4. *c.* 3. Jung. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 1. *pag.* 86.

PNEUMONICUS, πνευμονικὸς, dicitur de medicamentis pulmoni deſtinatis; quorum hiſtoriam vide apud Rolfink. *O. & M. Med. Sp. l.* 8. *ſect.* 1. *c.* 1. *ſeqq. Pneumonica* etiam *Vena* à Sammichelio obſervata vocatur, quæ à vena cava in pulmonem inſeritur, quamvis ab aliis adhuc in dubium vocetur, Barthol. *libell.* 1. *An. c.* 5. *p.* 637.

PNEUMOPLEURITIS, πνευμοπλευρῖτις, idem, quod *Pleuropneumonia*, (de quo vocab. paulo ſuperius) quamvis hoc poſterius convenientius judicaverit allegatus *ibid.* Schroder. *in ſua diſſertat.* Vide Bonet. *ibid. alleg. loco.*

PNEUSTIAO, πνευστιάω, ſignificat apud Hipp. *crebro ſpiro*, anhelo, frequentem ſpiritum duco, *l. de int. aff. XLVII.* 16. *l.* 7. *Epid. X.* 40.

PNIGALION, πνιγαλίων, idem, quod ἐφιάλτης, id eſt, *Incubus*, à ſuffocando ita dictus. Vide *Ephialtes.*

PNIGITIS, πνιγῖτις, epitheton cujuſdam *Terræ*, quæ colore *Eretriæ* ſimilis, magis nigricans, cujus deſcriptionem tradunt Dioſcor. *l.* 5. *c.* 177. & Plin. *l.* 35. *c.* 16. Verum quæ ſit proprie illa terra, nihilominus neſcitur, Rul. *in Lex.*

PNIGMOS, πνιγμὸς, idem, quod πνῖξ. *Strangulatio*, *ſuffocatio*, 4. *aph.* 34. & 4. *de R. V. I. A. t.* 63. *Coac. t.* 61. Aliquando & πνίγμα legitur, *lib.* 7. *Epid. XIII.* 2. L. 4. *LII.* 11. Foëſ. *p.* 521. Vide & *Apopnixis. Hyſtericus.*

PNIGOS, πνῖγος, *æſtum pleniorem* & veluti ſuffocantem ſignificat. Legitur in Hipp. *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 6. *l.* 5. *XXXIII.* 11. Hinc πνιγώδης ſtrangulationem, vel *ſuffocationem inducens*, *l.* 1. *ſ.* 2. *Prorrh. t.* 54. 55. *Coac. t.* 324. Adde Foëſ. *d. l.*

PNIX, πνῖξ, *ſuffocationem* in genere notat, Hipp. 4. *aph.* 34. Dieter. *n.* 700. & dicitur de *uteri ſuffocatione*, de qua vide ſupra *Hyſtericos.*

POCULUM, ἔκπωμα, Galen. 1. *meth. Med.* 1. quid ſignificet, notum eſt, videlicet vas ex varia materia præparatum, e quo potulenta, vel alimenta, vel medicamenta ebibuntur. Olim varia parata fuiſſe *pocula* medicata, ex ære, ex electro, h. e. auro, & quinta argenti parte ex cornibus, ex lignis medicamentoſis, conſtare poterit ex Lang. *l.* 1. *ep.* 29. C. Rejes, *C. Elyſ. q.* 64. *n.* 15. Libav. *S. A. Ch. l.* 1. *c.* 16. & 18. *Pocula* triplicia conſtituit ab uſu Rolfink. videlicet *Neceſſitatis*, *Hilaritatis*, *Ebrietatis*, *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 74. *Poculum amatorium* eſt *Philtrum* de quo ſupra.

PODAGRA, ποδάγρα, eſt *Arthritis pedum*, proprie: vide *Arthritis.* Quamvis vulgo receptum ſit, vocabulo hoc abuti generaliter, pro omni arthritide. Inde verbum ποδαγράω, *podagra laboro*, quod legitur apud Hippocr. 6. *aph.* 28. *ſeqq.* & adjectivum ποδαγρικὸς, *d. l. aph.* 49. 55. Jung. Diet. *n.* 701. ubi plura de hoc affectu lectu jucunda & utilia propoſuit. In ſcriptis etiam Helmontii, de *podagræ* origine e ſemine, e ſtomacho; cujus character ipſi vitæ Archeo concreditus eſt, deque ejus remediis legi & inquiri poterunt in Indice. *Podagræ* nonaginta ſpecies numeraſſe olim Æſculapium, patet ex Seren. *c.* 42. adde Keuchen. *in notis p.* 249. De *Podagra* noviſſime & ſcripſit Thom. Sydenham, uti patet *ex Act. Erud. Lipſ. A.* 1684. Tropice etiam *Podagra plantarum* dicuntur plantæ illæ aliis adnaſcentes, quales ſunt Cuſcuta, Epithymum, Viſcus &c. Fallop. *de med. purg. ſimpl. c.* 42. *Tom. I. Oper. p. m.* 116.

PODEON, ποδεών, vocatur *extremum utris*, vel quod ex utre propendet, petiolus in utre pendulus, per quem liquor infunditur & effunditur. Legitur apud Hippocr. *l. de Aff. XXII.* 10. adde Foëſ. *p.* 521.

PODEX, πρωκτὸς, ἕδρα, idem, quod *Anus.* Vide ſupra in AN.

PODONIPTRON, ποδόνιπτρον, vocatur vas, in quo pedes lavantur, quod legitur apud Suidam ex Ariſtophane v. Lang. *l.* 2. *ep.* 45. Unde & proverb. Dextrum in calceolo, lævum vero in *podoniptro*, de quo Eraſm. *in Chiliadib. Chil. III. cent.* 1. *n.* 62.

POECILLON, ποικίλλον, *varians*, ſive variis expoſitum affectionibus: Uſurpatur ab Hippocr. de hypochondriis, 1. *Prorrhet. ſ.* 2. *t.* 60. *Coac. t.* 186. Foëſ. *d. l.* ποικίλος *varium* ſignificat; unde & *Acoptum* quoddam à varietate *Pœcilon*, ποικίλον, dictum fuit apud Ægin. *l.* 7. *c.* 19.

POEOTES, ποιότης. Vide *Qualitas.*

POGON, πωγὼν, vide *Barba.*

POLA, *Polla*, pro *Pala* antiquos legiſſe, teſtatur Keuchen. *ad Sam. p.* 168.

POLEMIOS, πολέμιος, *inimicus*, adverſarius dicitur de Nimio, quod naturæ adverſatur. Hipp. 2. *aph.* 51. vide Dieter. *n.* 703.

POLENTA, ἄλφιτον. Vide *Alphiton*, adde Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 9.

POLIATER, πολίατρος, vocatur *Medicus ordinarius* in arce aut oppido quodam juſſu & autoritate Magiſtratus artem ſuam exercens. Dicitur & *Phyſicus Ordinarius.* Vide *Phyſicus.*

POLIOSIS, *Poliotes*, πολίωσις, πολιότης, vide *Canities.*

POLITURA, ξέσις, λείανσις, dicitur artificium rem aliquam nitidam reddendi, expoliendi & lævigandi, item ipſa materia, qua effectus ille præſtatur. Libav. *S. A. Ch. l.* 1. *c.* 24.

POLLEN, χνοῦς, *farina tritici tenuiſſima* dicitur; ſicut flos ſiliginis. Vide *Gyris*. adde J. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 9. Tribuitur tamen & aliquando aliis farinis tenuioribus: v. gr. *Pollen Thuris* legitur apud Scribon. *n.* 46. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.*

POLLEX, ἀντίχειρ, vide *Anticheir.*

POLLINCTURA, κηδεία, eſt *Balſamatio mortuorum*, de qua Andr. Rivinus integrum ſcripſit libellum. Vide *Conditura.*

POLLUTIO, ἐξονείρωσις, vide *Exoneiroſis. Gonorrhœa.*

POLOS, πῶλος. Vide *Pullus.*

POLPHOS, πόλφος, Latine dicitur *Bulbus*, v. g. ceparum, raphani &c. Alii cibum quendam ex pulte factum eſſe dicunt. Erotian. *Onomaſt. p.* 96. *b.*

POLUS, πόλος, vocatur tota capitis rotunditas, quæ etiam *Teſta* dicitur. Keuchen. *ad Samon. p.* 92. Quid vero apud Aſtronomos *Polus* ſignificet, videatur in eorum ſcriptis.

POLYÆMIA, πολυαιμία, ſignificat, *veram plethoram*, h. e. abundantiam & ubertatem. Fernel. *tr. Patholog. c.* 14.

POLYARCHION, πολυάρχιον, nomen *Malagmatis* à *Polyarcho* autore, cujus deſcriptiones habentur apud Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 5. *& l.* 7. *de C. M. S. G. c.* 7. Ægin. *l.* 7. *c.* 18. Eſt etiam *Cataplaſmatis* nomen apud Aët. *l.* 9. *c.* 34. citante Gorræo.

POLYCHRESTOS, πολύχρηστος, *ad multa utilis.* Epitheton commendatitium medicamentorum illorum, quæ multis affectibus curandis conveniunt. Suntque eorum non modo genere, ſed & ſpecie diverſa, & contrariis quandoque viribus prædita. Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. cap.* 1. quamvis interdum nomen hoc hyperbolice nonnullis attributum eſſe, videri alicui poſſet.

POLYCHRONIOS, πολυχρόνιος, idem, quod χρονικὸς: vide *Chronicus.* adde Dieter. *n.* 706.

POLYCLONOS, πολύκλωνος, *ramoſus.* Gorr. Epitheton Artemiſiæ.

POLYDACTYLOS, πολυδάκτυλος, h. e. *qui juſto plures habet digitos.* Tale ſceleton *polydactylon* monſtroſum in manu dextra ſex, in ſiniſtra totidem & duplicem pollicem, in pede dextro octo, in ſiniſtro novem digitos habens, habetur in D. Ruyſchii *Muſæo Anatomico p.* 118. *ſeq.*

POLYEIDÆ *ſphragis*, πολυειδὴς σφραγὶς, nomen *Trochiſci* olim celebris ad ulceris diuturna, & contumacia; cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 11.

POLYGALACTOS, πολυγάλακτος, *lacte abundans* dicitur, cui opponitur ἀγάλακτος, *lacte deficiens.* Erot. *Onom. p.* 19. *d.*

POLYGRAOS, πολυγράος, idem, quod πολυφάγος, *multivorus*, vorax. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *d. l.*

POLYGURIA, πολυγυρία, uſurpatur pro Diabete à Joh. Seidelio *in Diſſertat. Inaugur. hoc titulo inſcripta*, quæ extat *Decad. VI. ſelect. Diſp. Medicarum Baſileenſium n. II.* Enimvero videtur autor proprio auſu nomen hoc finxiſſe, quamvis incongrue fortaſſis, cum nullibi in Lexicis neque in Medicis, qui de Diabete ſcripſerunt, invenire hactenus licuerit.

POLYMORPHOS, πολύμορφος, *multiformis.* Ita in ſpecie à quibuſdam dictum *os cuneiforme*, ſive σφηνοειδὴς. Ita & *Os cubiforme* vocatur πολύμορφον, Bartholin. *libell.* 4. *Anatom. c.* 6. *&* 21. *p.* 718. 753.

POLYNOSTOS, πολύνοστος, vide *Noſtos.*

POLYOSTEON, πολυόστεον, à quibuſdam dicta pars pedis ea, quæ multis oſſibus conſtat, & alio nomine πέδιον appellatur. Gorr.

POLYPHARMACOS, πολυφάρμακος, idem, quod πολύχρηστος, dicitur de medicamentorum facultatibus, ad multa conducentibus. Galen. *l.* 1. *de C. M. P. G. cap.* 1. vel potius de *medicamentis compoſitis.*

POLYPHOROS, πολυφόρος, epitheton vini generoſi, idem ſignificans, quod οἰνώδης: vide *Oinodes.* Linden. *Ex. X.* §. 111.

POLYPODES, πολύποδες, vide *Aſinus*: Dicuntur & *Millepedæ.*

POLYPODITES, πολυποδίτης, epitheton vini ex *Polypodio* facti: cujus deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 3. *c.* 60. *&* 61. citante Gorræo.

POLYPOSIA, πολυποσία, ſignificat multam, vel *largam potionem*, non aquæ, ſed *vini*, apud Hipp. 7. *aph.* 7. adde Dieter. *n.* 704.

POLYPUS, πολύπους, Hipp. πώλυπος, æquivocum eſt. Generaliter notat omne animal, quod multos habet pedes. Unde & *Aſelli* ſive *Millepedæ* dicti πολύποδες, de quibus p.a. Proprie vero ita dicitur animal exangue, molle, marinum, ad *Sepias* pertinens; cujus hiſtoriam, cum uſu in cibo & medicina, prolixe vide apud Aldrov. *lib.* 1. *de Mollib. c.* 2. Chiocc. *in Muſ.Calc. ſ.* 1. *p.* 71. 72. Nimiæ ejus quantitatis meminit & Linden. *Ex. V.* §. 80. 81. Tropice vero & per tranſlationem, ob aliquam figuræ ſimilitudinem, *Polypus* vocatur tumor quidam, p. n. in naſo conſiſtens, carneam veluti ſubſtantiam ſolidam habens, cum multis appendicibus, cujus meminit Hippocr. *l. de affect. VI.* 1. Galen. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. Æginet. *l.* 6. *c.* 25. Scribon. *n.* 51. Vide Rhod. *in Not. ad h. l.* Hildan. *ep.* 61. Nos quoque in utraque nare Illuſtris cujuſdam Perſonæ vidimus *polypum* naſi, & feliciter opera Chirurgi manuaria, adhibitiſque debitis remediis, A. 1673. m. Octobri extraximus. *Polypus* vero ita accuratius deſcribi poterit: *Polypus* eſt excreſcentia carnea mollis, laxa, colore varia in naribus genita, interdum verſus palatum, interdum extrorſum vergens, pluribus appendicibus adhærens, proveniens à portionibus nutricii ſucci vitioſi luxuriantibus & propter ſolutionem aliquam continui in naribus præcedentem ſubſiſtentibus, & in maſſam

maſſam carneam concreſcentibus. Sunt, qui & in corde tales *polypos* obſervari aliquoties ſtatuerunt. Verum non immerito Kerkring. ſuſpectos reddidit, exiſtimans, eſſe ſolum ſanguinis poſt mortem congelati & coagulati portiones. *Eph. Nat. Cur. An. I. Obſ.* 31. *Polypum* in *rene* obſervavit Jac. Sponius Lugduni Gallor. uti conſtat *ex Act. Erud. Lipſ.* 1684. Uteri *polypum* carnoſum obſervavit D. Ruyſchius, & delineatum exhibuit *in Centur. Obſ. Anatomico-Chirurg. Obſ. VI.*

POLYSARCIA, πολυσαρκία, dicitur *Carnoſitas*, ſive excedens corpulentia. Jul. Alex. *Not. in Gal. l.* 14. *meth. med. c.* 15.

POLYSCHEDIA, πολυσχιδία, *multiplex diviſio*, & multifida ſectio vocatur: uſurpaturque de varietate dogmatum, vel præceptionum, apud Hippocr. *de Præcept. X.* 17.

POLYSEMOS, πολύσημος, multa ſignificans, *inſignis*. Erot. *On. p.* 19. *d.* Opponitur τῷ ἀσήμῳ, *nullius momenti.*

POLYSOMATIA, πολυσωματία, idem quod πολυσαρκία, de quo p. a. Vide *Obeſitas.*

POLYSPASTON, πολύσπαστον, dicitur *machinamentum* articulis reponendis accommodum; ita dictum, quod multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præſtet. Refertur ad Archimedem autorem, Gorr. Meminit & hujus vocabuli Caſp. Hofm. *Com. in Gal. de V. P. n.* 479.

POLYSPERMOS, πολύσπερμος, *ſemine abundans*, fere idem, quod πολυτόκος, *fœcundus*. Dicitur de animalibus, C. Hofm. *d. l. n.* 1044.

POMA, πόμα, Latine *Potus*, *Potio* dicitur, ejusque ſignificatio eſt nota. Pertinet ad alimenta fluida, quæ ſola infuſione & deglutitione abſumuntur. Dieter. *n.* 707. Linden. vocat *Cibum ſorbilem. Ex. IIX.* §. 34. Gr. dicitur & ποτὸν, item πόσις. Dantur & *Potiones medicæ*, ſive Pharmaceuticæ, ſuntque Medicamenta liquida, quæ bibuntur, atque ſola fere mixtione liquidorum conſtant, de quibus Schroder. *l.* 2. *cap.* 74. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Morell. *de form. rem. l.* 1. *ſ.* 1. *cap.* 3. Suntque vel *Purgantes*, vel *Alterantes*. Confortantes commode quoque Alterantibus annumerari poſſunt.

POMAMBRA, quaſi *Pomum Ambræ*, dicitur *Odoramentum ſiccum*, paratum ex ſuaveolentibus rebus, & in formam *pomi* minoris, vel globuli redactum, cum, vel ſine Moſcho, Ambra & Zbetho: cujus deſcriptionem & formulas vide apud Schroder. *l.* 2. *c.* 75. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Morell. *l.* 2. *de form. remed. ſect.* 2. *c.* 10. Weker. *Antidot. gen. l.* 1. *c.* 52. *& Spec. l.* 2. *ſ.* 48.

POMPHOLYGERON, πομφολυγηρὸν, eſt nomen Emplaſtri, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.*7.*c.*17. notante Gorræo.

POMPHOLYX, πόμφολυξ, duplicem habet ſignificationem, propriam & tralatitiam. Secundum illam denotat *Bullam*: de quo vocabulo vide ſupra, in BU. Secundum hanc notat medicamentum metallicum, quod in coctura æris ſurſum fertur, & in cameris parietibusque fornacum, bullarum modo tumens, colligitur: cujus hiſtoriam & deſcriptionem lege apud Dioſcor. *l.* 5. *cl.* 85. Gorr. Schroder. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 5. Fr. Hofm. *Cl. ad h. l.* Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 4. *p.* 461. Dicitur alias *Nil album*, item *Tutia* Arab. Differt à *Spodio*. Ruland. vocat *cinerem metallicum*. Chiocc. æris & cadmiæ *favillam*. Hinc Ung. *Diapompholygos* in Officinis proſtat; de quo vide Diſpenſatoria.

POMPHOS, πομφὸς, dicitur *eminentia cutis tumida*, ſimulque humore redundans & rubicunda. Hipp. *l.* 2. *de morb. LXVIII.* 10. quamvis Linden. ibidem πολφοὶ poſuerit; & *l.* 2. *de morb. mul. XI.* 5. Adde Foëſ. *Oec. p.* 522. *ſeq.* Latine *Papula rubens*. Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 41. *Schol.*

POMUM, μῆλον, idem, quod *Malum*; vide *Malum*. *Poma Heſperidum*, in arte Spagyrica, quæ dicantur, vide apud Libav. *Tom. III. p.* 213. *Pomum Adami* dicitur vulgo protuberantia illa in collo anterius conſpicua, quam facit cartilago Thyroides; propter fabuloſam opinionem in Adami faucibus pomi partem de vetita arbore ſubſtitiſſe & ad poſteros tranſlatam fuiſſe. De *Pomo* imperiali fulgurante vide in Chriſtian. Adolphi Balduini *Hermete Curioſ. Invent. II.*

PONDO, *Pondus*, σταθμὸς, σταθμίον, ſignificat quantitatem rei alicujus gravitate determinatam; quemadmodum menſura vaſculi recipientis concavitate certa notatam. Dantur vero quamplurima, & pene infinita *pondera*, pro regionum & conſuetudinum diverſitate. De quibus videatur inter antiquiores Gal. *l. de ponder. & menſur.* & Æginet. *tit. eodem.* De ratione *ponderum* & *menſurarum* in Corn. Celſo occurrentium *egregiam diſſertationem poſthumam* reliquit Joh. Rhod. ſpecies ſingulorum & ſignaturas cum quantitate determinavit. In illa vero diſſertatione mihi placent verba fere ad finem legenda: Certa in paucis maximumque hujus argumenti robur autoritas, ita tamen, ut nervi atque artus ſapientiæ nihil temere credere. Si hoc verum, uti eſt veriſſimum, quantum utilitatis ex hujuſmodi conjecturali inquiſitione ſcrupuloſa in ſcopum Medicum redundet, alii judicent. Inter recentiores Sennert. *Inſt. Med. l.* 5. *p.* 3. *ſ.* 1. *c.* 3. Dogm. noſt. *p.* 758. *ſeq.* De *ponderibus Spagyricis* Theatr. Chym. *Vol. I. p.* 485. *Vol. III. p.* 489. *Pondo* indeclinabile olim additum fuit, ad denotandam differentiam menſuræ. Rhod. *in Lex. Scrib. pag.* 425. *Pondus* ſæpe idem ſignificat, quod *onus*, Græc. βάρος. Vide *Baros*.

PONEROS, πονηρὸς, *pravum*, vitioſum, malum ſignificat. De cujus vocabuli expoſitione vide plura apud Foëſ. *pag.* 523. Dieter. *n.* 710. Linden. *Ex. XIII.* §. 267. *ſeqq.*

PONOS, πόνος, vide *Labor*.

PONS,

PONS, γέφυρα, quid proprie ſignificet, ex aliis petendum eſt Lexicis. Varolius tranſtulit in Anatomiam, & hoc nomine inſignivit proceſſus quoſdam cerebelli globoſos, prope vermiformes; quorum deſcriptionem vide apud Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 5. *p.* 484.

PONTAGIUM terminus eſt Paracelſicus, denotans rem mixtam, ſcil. pontici cum amaro, vel ſtypticum & ponticum, ſicuti in aceto, acacia, & ſimilibus. Paracelſ. *de Tartar. l.* 2. *tract.*1. *c.*5. *in not. & in Fragm. ad h. l.*

PONTICUS, epitheton eſt ſaporis certi ſalini, reſpondentis aquæ marinæ: & denotat ſal cum fæculentia conjunctum, de qua *pontica* qualitate plura vide apud Paracelſ. *dict. l.* Meminit & Willis *l. de febr. c.* 6. & applicat ſanguinis diſpoſitioni aceſcenti & fœculentæ. *Pontica vina* ſunt acida, fœculenta, tartarea. *Ponticus* eſt etiam epitheton Mellis, quod in Heraclia Ponti provenit. Hoc qui comederint vel biberint iis eadem accident, quæ his, qui aconitum hauſerunt, ſicut ſcripſit Nonus *de M. P. C. c.* 282.

PONTIFICIUM, ἱερατικὸν, vide *Hieraticum.*

POPANAX, pro *Opopanax*, de quo ſupra in OP. Rul. & Iohnſ.

POPLES, ἀγκύλη, ἰγνύς, dicitur articuli illius, quo os magnum femoris articulatur oſſi tibiæ, pars interior, qua crus flectitur. Galen. *l. Introd. cap.* 10. Vide *Ignys.*

POPLITEUS dicitur partim de Vaſis ſanguineis, vena & arteria crurali, quæ dicuntur Popliteæ: partim de muſculo tibiam adducente, qui vocatur *Popliteus.* Barthol. *libell.* 1. *An. c.* 9. *p.* 644. *libell.* 2. *c.* 6. *p.* 658. & *l.* 4. *c.* 12. *p.* 581.

POPULARIS, ἐνδήμιος, ἐπιδήμιος, vide *Endemius, Epidemius*, à δῆμος, *populus.*

POPULEON, διὰ αἰγείρου, nomen *Unguenti*, in officinis notiſſimi, & ipſis ruſticis frequentiſſimi uſus, una cum Ung. Dialtheæ. Ita dictum eſt à gemmis Populi albæ arboris, quæ baſin conſtituunt. Vide Diſpenſatoria. Laudat etiam Lang. *l.* 1. *Ep.* 54. *Unguentum populeon*, cum æqua portione Electuarii purgantis mixtum, & plantis pedum inunctum, purgare corpus, vult Paracelſ. *in Conſil. Medicis.*

PORCELLIO, κυβαρὸς, idem, quod *Aſellus, Millepeda.* Vide *Aſinus.* Lind. *Ex. XI.* §. 21.

PORCELLUS, *Porcus*, ὗς, χοῖρος, idem, quod *Sus*, Scropha, animal quadrupes notiſſimum, cujus hiſtoriam, cum uſu in cibo & medicina, prolixe deſcriptam lege apud Aldrov. *lib.*1. *de quadrup. biſulc. c.*36. Bruyerin. *de re cibar. l.* 13. *c.* 1. & 2. Tribuitur quoque nomen *Porci* & *Porcelli* piſcibus, v. g. *Delphino* & aliis, qui, more porcorum roſtro terram fodere dicitur. Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 69. *Porcus* etiam, Gr. χοῖρος, ponitur pro *pudendo muliebri.* Rolf. *de part. Genit. P. II. c.* 32.

PORCETRA dicitur, juxta Pomponium, Sus, quæ ſemel peperit, atteſtante Ingraſſia, *Com. ad Avic. de Tum. p. n. p.* 230.

PORDE, πορδὴ, vide *Crepitus.*

POREILIGON, id eſt, *batitura ferri.* Rul. & Iohnſ.

POREIRETICUM, vel mortarium æneum, aut orichalceum, vel radulam ſignificat. Rul.

POROCELE, πωροκήλη, vocatur *hernia tophacea*, vel calloſa, in teſticulo, aut membrana erythroide concreſcens, inſignis, retinens, dura & inæqualis. Gal. *in def. Med. & Introd. c.* 18. Æginet. *l.* 6. *c.* 63. Gorr. *in def.*

POROMPHALON, πωρόμφαλον, eſt concretio calli, vel tophi, in umbilico, Gal. *in def.*

POROPOOEIA, πορωποιΐα, vocabulum eſt Methodicorum proprium, & ſignificat exiguorum meatuum, ſive pororum apertionem, Galen. *l.* 4. *meth. med.* 4.

POROS, πόρος, vide *Meatus. Foramen* notat. Linden. *Ex. V.* §. 37.

POROS, πῶρος, vide *Callus. Tophus.*

POROSITAS, dicitur de corporibus meatus exiguos habentibus. Paſſim in ſcriptis Medicorum.

POROTICOS, πωρωτικὸς, i. e. *Callum faciens.* Dicitur de medicamentis callum generantibus. Vocantur & τυλωτικά.

PORPHYRA, πορφύρα, Latine *Purpura* dicitur. Proprie ſignificat, inter turbinatas conchas, nobiliſſimam, ob ſuccum illum, ſive florem, qui etiam *Purpuræ* nomine venit, nobiliſſimum, & ad tingendum præſtantiſſimum: unde color purpureus vocatur. De hujus Conchæ hiſtoria & uſu, qua medico, qua alio, vide Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 5. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.* 41. *ſeqq. Purpuram filorum* ſive *Purpuratum filatum*, inter remedia probatiſſima, contra Amentiam, refert Paracelſ. *tract.* 2. *de morb. ament. c.* 5. De *purpura Græcorum ſcriptoria*, *Encauſtum* dicta, lege Libav. *S. A. Ch. l.* 6. *c.* 6. Tinctura illa *purpurea*, ſive color, vocatur eidem *Purpuriſſum*, *d. l. c.* 3. *in fin. Purpurina Arſenici* eſt compoſitio mercurialis rubea, cujus meminit idem *l.* 7. *c.* 26. Late ſæpe ſumi *Purpureum colorem*, pro omni eleganti rubro; & ita cum *Phœniceo* confundi, teſtatur C. Hofm. *l.* 4. *V. L. cap.* 44. *Purpura* quoque præternaturalem habet ſignificationem, diciturque de maculis febrium peſtilentialium, *Petechiæ* dictis, Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 59. adde Schol. *Porphyra*, πορφύρα, quoque eſt nomen Emplaſtri, cruenta vulnera glutinantis, apud Aët. *l.* 15. *c.* 12. citante Gorræo.

PORPHYRETICUS, πορφυρητικὸς, eſt epitheton lapidis duriſſimi purpureum colorem ſuppeditantis, cujus duritiem vincere docuit Franciſcus del Tadda Florentinus, quemadmodum e Bulingero *de Pictura & Statuar. l.* 11. *c.* 7. notavit Th. I. ab Almeloveen *R. I. On. p.* 37.

PORPHYRIO, πορφυρίων, vocatur avis quædam, circa fluvios degens, cœrulea, longis cruribus, & roſtro purpureo prædita, cujus deſcriptionem cum uſu in cibo, & aliis, vide apud Aldrov. *l.* 20. *Ornithol. c.* 28.

PORRACEUS, πρασοειδὴς, *Praſinus*, dicitur de omni eo, quod colorem porri viridem refert, v. g. bilis *porracea*. Gal. *l.* 2. *de temper. c.* 6. *& alibi; c.* 5. *in* 6. *Epid. t.* 14. Excrementa alvi *porracea*, *c.* 2. *in Progn. t.* 23. Vomitus *porracei*, *d. l. t.* 39. Vide Foëſ. *p.* 526.

PORRIFIGI, Ital. nomen, idem ſignificans, quod *Ficus*, ſive tumores, in quos criſtæ neglectæ degenerant, Alex. Maſſarius *l.* 3. *P. M. c.* 24.

PORRIGO, idem, quod *Furfuratio*. Vide *Furfur*.

PORRUS, *Porrum*, Fallopio *de Tum. p. n. c.* 24. dicitur ſpecies *Verrucæ*, quæ habet quaſdam radices ad extra, ad ſimilitudinem porrorum, & ita minutim fixa, Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 10. *in Schol.* Meminit & aliquoties Paracelſ. *in ſcript. Chirurg.* præſertim vero de ulcerib. &c. *cap.* 61. vulgo *Oculus Gallinæ* Germ. dicitur. Adde Walth. *Sylv. Med. p.* 1513.

PORTA, πύλη, vel etiam pluraliter *Portæ*, πύλαι, dicitur de hepatis parte ſima, ubi duæ parvæ ſunt protuberantiæ, quas *Portas* dixerunt, credentes, per eas omnem chylum, pro ſanguificatione, in hepar deferri, verum hodieque fere exolevit hæc de chyli ad hepar tranſitu hypotheſis. Vena quoque ibidem exorta, & per viſcera abdominis diſperſa *Vena Portæ* propterea vocatur. Vide Linden. *l.* 2. *Med. Phyſiol. c.* 5. §. 88. *ſeqq.* Barthol. *l.* 1. *cap.* 14. *Porta* quoque ſumitur pro vulva, Rolf. *de part. gen. P. II. c.* 33. De Chymicis *portis*, h. e. operationibus propriis, in negotio Lapidis Philoſophici, lege Libav. *T. II. Op. p.* 131.

PORTATILE, *in ſacco Acetum* quid ſit, vide ſupra in *Acetum. Portatilis* Pharmacotheca quid ſit, prædictum in *Pharmacotheca.* Venduntur vero tales in urbibus, oppidis & pagis, repletæ quidem aquis, ſi Diis placet, pretioſis, balſamis, oleis, verum aquæ plerumque nihil aliud ſunt quam ſpiritus vini colore aliquo tincti, quemadmodum & olea, unde viliori pretio comparari poſſunt, atque ita emptores decipiuntur, & quidem merito, quia decipi volunt.

PORTONARIUM, vocatur nonnullis primum inteſtinorum, quod alias *duodenum* dicitur. *l. de Anat. vivor. inter ſpurios Gal.* verum nomen hoc potius competit orificio ventriculi dextro; ſiquidem reſpondet Græco πυλωρὸς, i. e. *Janitor.* In qua ſignificatione etiam ſumitur in Avicennæ ſcriptis Latine redditis *l.* 3. *fen.* 16. *tr.* 1. *c.* 1.

PORUS, πόρος, i. e. *Meatus.* Vide *Meatus.*

POSCA, item *Puſca*, ὀξύκρατον. Vide *Oxycraton.*

POSIS, πόσις, *Potio.* Vide *Poma.*

POSITIO, θέσις. Vide *Situs* : *Theſis.* Dicitur & *Poſitura.*

POSSET *à poſſet*, Poſſeticus liquor Anglis eſt Lac calidum coagulatum, ſerum cereviſiatum, eſtque potio Anglis uſitata valde *par raport à la Médecine*, ſ. pro vehiculo medicamenti, communicante mihi hanc expoſitionem Max. Reverendo & Excell. D. Chriſtoph. Wegleitero, S. Theologiæ Prof. P. celeberrimo, Anglicæ linguæ peritiſſimo.

POSTAPPARENS, ἐπιφαινόμενος, vide *Epiphanomenos.*

POSTERACHIALE, μετακάρπιον : Vide *Metacarpion.*

POSTCOENIUM, ἐπιδεῖπνον, h. e. *ſecundaria cœna.* Dieter. *n.* 310.

POSTHE, πόσθη, Latin. *Præputium* vocatur, glandis in pene tegumentum : cujus extremitas Judæis & Turcis circumciditur. Bartholin. *lib.* 1. *Anat. c.* 24. *Præputium* cancro correptum à concubitu cum uxore menſtruata refert Rhodius *cent. III. Obſ.*

POSTHIA, ποσθία, idem, quod κριθὴ, *Hordeolum* : Vide *Crithe.*

POSTHUMUS, ποσθουμος, ὀψίγονος, dicitur, qui patre mortuo natus eſt, Theophil. *Paraphraſ. Gr. Inſtit. Jur. l.* 1. *tit.* 13. §. 4. *p. m.* 127. An vero undecimo vel duodecimo menſe nati inter *poſthumos* referendi ſint, videatur Roder. à Caſtro *l. IV. de Nat. mul. c.* 2. *p. m.* 178. & P. Amman. *Irenic. p.* 77. *ſeqq.*

POSTIS, φλιά. Vide *Phlia.*

POSTPOSITIO, τὸ ὑστερίζειν, dicitur reditus paroxyſmi, in febribus intermittentibus, tardior : & opponitur *Anticipationi* : eſtque ſpecies ἐπιδόσεως, & ſignum, cæteris paribus, declinationis, vel remiſſionis morbi. Gal. *l.* 1. *de Criſ. c.* 4. Foreſt. *l.* 3. *Obſ.* 26. *Schol.* Ita & Menſtrua *poſtpoſita Gr.* ὑστερητικὰ vocat P. M. de Calderia, eo, quod repetant per tardiora intervalla, quam ſtatui naturali hujus individui conveniat, & opponit *Anticipatis*, ſive Antevertentibus, *Tom. IV. Op. p.* 208. *ſeqq.* vide *Anticipans.*

POTABILIS, πότιμος, ποτὸς, πότιμος, dicitur de omni eo, quod per os hauriri debet. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.* vel, quod poculis porrigitur, liquidum, Libav. *S. A. Ch. lib.* 2. *c.* 1. *ſeqq.* ubi Magiſteria *potabilium* deſcribuntur. *Potabilia* ad generationem Tartari facere, aliquoties ſcripſit Paracelſ. in ſcriptis ſuis, præſertim *in Paramiro*, *& Paragrano.* Loca quærantur in Indice. De *Auri potabilis* variis deſcriptionibus vide Schroder. *lib.* 3. *c.* 8. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Sunt, qui etiam plane negant. Nos litem non facimus noſtram. Mars *potabilis* triplici proceſſu juxta Carol. de Maëts proponitur à Morley *in Collect. Chym. Leid. c.* 256. Ferri potabilis Williſ. deſcriptio legatur in Iunken. *Lex. Ch. Ph. P. I. p.* 116.

POTASCH, etſi vernaculum, uſurpatur tamen à Latinis autoribus, ſignificat vero ſal lixivum per calcinationem extractum, vel ſal volatile habens affinitatem cum priori. G. Thomſon. *in explicatione terminorum Artis præmiſſa Acui Magneticæ.*

POTENTIA, *Poteſtas*, δύναμις : Vide *Dynamis.*

POTERIUM, ποτήριον, nomen *Malagmatis* gemini abſorbentis humores hydropicorum, apud Gal. *l. 9. de C. M. S. L. c. 3. mox. in prin.*

POTIMOS, πότιμος, vide *Potabilis.*

POTIO, πόσις, πόμα, *Potus.* Vide *Poma.*

POTOS, ποτὸς, adjective, idem, quod πότιμος, *Potabilis*, de quo p. a. Subſtantive vero apud Hippocr. *compotationem* & convivium *l. 1. Epid. ſ. 3. t. 19. & l. 5. XXX. 20.*

POUST dicitur Indis opii ſpecies vilior ex foliis & ſtolonibus papaveris excocta, docente Bontio *in cap.* 4. Garciæ ab Orto, allegante D. D. Heigelio Medico ordinario Ratisbonenſi *in Diſſert. ſua Inaugur. de Opio c. 1.*

PRACTICA, πρακτικὴ, dicitur vel *Artis Medicæ exercitium*, vel autorum ſcripta, quæ continent deſcriptionem & modi & materiæ faciendi Medicinam, qua pro conſervanda, qua pro recuperanda ſanitate. Opponitur *Theoreticæ* Medicinæ, quæ tradit præcepta Artis & fundamenta, prius addiſcenda, antequam ad artis exercitium quis ſeſe accingere cupit. *Practicus* quoque dicitur Medicus, qua curans, qua conſervans ſanitatem. *Theoreticus* vero proprie eſt Profeſſor, qui docet præcepta. Præſupponit igitur *Practica* ſtudium Theoreticum: nec bonus dici poterit *Practicus*, niſi prius fuerit bonus Theoreticus. Dogm. Med. Gen. *in prælimin. dogm.* 8. *p.* 9. 10. Dicitur ſæpe & *Praxis Medica.* Utrumque vocabulum applicarunt & Spagyrici labori lapidis Philoſophici; uti videre eſt *in Theatr. Chym. Vol. IV. p. 2. & alibi.*

PRÆBIUM, idem, quod Doſis, ſive quantitas medicamenti, quæ una vice offertur. Ita ſumitur à D. D. Wedelio *Opiolog. l. 1. ſect. 2. c. 9. p.* 75. quamvis legiſſe me quoque alibi meminerim, uſurpatum fuiſſe hoc nomen pro vehiculo alterius medicamenti.

PRÆCAUTRIX, προφυλακτικὴ, vide *Præſervatio.*

PRÆCEDENS, προηγουμένη, idem quod *Antecedens.* Vide *Cauſa Proëgumene.*

PRÆCEPTUM, παραγγελία. Vide *Parangelia.*

PRÆCIPITANTIA dicuntur Medicamenta ſanguinis fervorem & motum inordinatum ſedantia, acidum corrigendo, & abſorbendo; Pertinent inter diaphoretica, de quibus ſupra ſuo loco dictum fuit. Os ſæpiæ *Præcipitans magnum* à nonnullis vocatum fuit. Lang. vero Pulverem compoſitum hoc Epitheto exornavit.

PRÆCIPITATIO, dicitur operatio Chymica, ad σύγκρισιν, vel coagulationem pertinens; per quam ſoluta corpora in præceps aguntur & demittuntur. Sumitur vel generaliter, pro quavis ſolutorum ex menſtruis ſuis repercuſſione: eaque eſt cum *ſpontanea*, quando impregnatum menſtruum, nullo addito alio motore, demittit calcem, v. g. ſpiritus Vitrioli Philoſophicus, vel Phlegma Vitrioli vulgare ſolvens corallia, margaritas, oculos cancrorum; tum *violenta*, cum affundendo alium liquorem, ſolutum petit fundum. Vel ſpecialiter pro *præcipitatione Mercurii*, qua per aquas fixatorias & gradatorias liquabilitas Mercurii ſiſtitur, & ex menſtruo ſuo præcipitatur; unde & κατ' ἐξοχὴν *Præcipitatus*, vel *Præcipitatum* dicitur, quamvis pulvis ille ruber Mercurialis, qui vulgo *Præcipitati* nomine venit, nihil minus ſit, quam *Præcipitatum*: cum fiat evaporatione potius menſtrui ſolventis ad ſiccitatem. Plura vide apud Libav. *l. 4. S. A. Chym. fere per totum. Alchym. Pharmac. cap. 36.* Rolfink. *Chym. l. 2. c. 4.* Fr. Hofm. *in Clav. ad Schrod. p. 93. 94.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Aliquando etiam Pathologice *Præcipitatio* accipitur pro *Procidentia.* Ita *Præcipitatio Matricis* legitur apud Valeſc. *de Tarant. libr. 6. cap. 11. Philon. Pharmacop. pag. m.* 668.

PRÆCISIO, περιαίρεσις, rectius *circumciſio*, eſt operatio chirurgica, quæ adhibetur in alis, inguinibus, natibus, & ano. Galen. *Introduct. cap.* 18.

PRÆCOCIA, πραικόκκια, in ſpecie dicuntur fructus quidam, ſive ſpecies *malorum Armeniacorum*; ita dicta à maturitate, qua Perſica & Armeniaca alia antecellunt, ut & bonitate; de quibus Galen. *l. 2. de al. fac. c.* 20. Jul. Alex. *l.* 10. *Sal. c. 6.*

PRÆCOGNITIO, πρόγνωσις, idem, quod *Prænotio*; dicitur pars Semiologiæ, qua conſtat Medico de futuro eventu, in utroque ſtatu ſanitatis & morbi; quamvis communiter ſaltem de prænotione futuri eventus ægrorum acceperint Doctores. Fit vero per certa ſigna *prognoſtica*, προγνωστικὰ dicta, quæ in homine futuras res denunciant, qua ſecundum, qua præter naturam; nec ſunt alia realiter à *diagnoſticis*, ſed ſaltem modo conſiderandi diſtinguuntur. Plura vide apud Inſtitutioniſtas, inprimis vero in noſtris Dogmat. Med. Gen. *Part. III. c. 1. c. 5. & 6.* Paracelſ. etiam barbare vocat *Prognoſticationem.* Differt à *Prædictione*, πρόῤῥησις dicta, quando verbis vel ſcriptura indicatur id, quod ſcimus de futuro eventu; quæ non ſemper eſt adeo neceſſaria, uti *prænotio.* Lind. *Ex. XV.* §. 149.

PRÆCORDIA, φρένες. Vide *Phrenes.* Gal. *l. 6. de Hipp. & Pl. decr. c.* 9. A Celſo tamen latius accipi videtur, pro *Hypochondriis*, aut pro eo, quod utrique hypochondrio interjacet, Bartholin. *l. 1. Anat. in procem.* & Linden. *Ex.* 9. §. 35.

PRÆCURSORES Paracelſo dicuntur accidentia & ſigna futuri, vel imminentis morbi. *l. 2. de Tartar. tract. c. 2. in Annotat.*

PRÆCUSTODIA, προφύλαξις, idem, quod *Præſervatio.*

PRÆDEBILITATI, προαπωδυνηκότες, προεξαδυνατηκότες. Vide *Proapaudeſantes.*

PRÆDESTINATIO, terminus Paracelſo frequentiſſimus: & ſignificat idem, quod *Fatum*; de quo ſupra, in FA. videlicet imperſcrutabilem neceſſitatem; & terminum fatalem alicujus rei, Deo ſoli cognitum. *Paramir. Tract. 3. c. 6. ſeqq.* & alibi paſſim.

PRÆDICTIO,

PRÆDICTIO, πρόῤῥησις, προδιαγόρευσις, dicitur prænotio Medici, verbis vel ſcriptura patefacta. Vide Prænotio. Eſt quandoque neceſſaria ad conciliandam fiduciam ægri. Lind. Ex. XV. §. 4. ſeqq. Dieter. n. 719.

PRÆDIVINATIO, προθεσπία, idem, quod Divinatio, Prædictio. Gal. l. de conſt. medic. c. 18.

PRÆFATIO, προοίμιον, eſt operis vel ſcripti alicujus præparatorium, quandoque neceſſarium. Gal. c. 1. prognoſt. t. 1. Lind. Ex. XV. §. 10.

PRÆFOCATIO, πνὶξ, idem, quod, Suffocatio: & dicitur de uterina ſuffocatione. Vide Hyſtericos.

PRÆFURNIUM dicitur pars foci anterior, & exterior, per quam carbones injiciuntur. Legitur apud Chr. Meretti Not. in Neri Artem vitrar. præf. p. 272.

PRÆGNANS, κυμῶς, ἐγκύμων, idem quod Gravida, fœtum in utero gerens, vide Cymas, Encymon, Cyeſis, Gravida.

PRÆGNATIO, idem, quod Impragnatio: de quo ſupra, in IM. Legitur in Theatr. Chym. Volum. III. pag. 163.

PRÆHUMECTO, προϋγραίνω, Hipp. 4. aph. 13. Jung. Diet. n. 734.

PRÆINCIPIENS, προκαταρκτική, vide Cauſa, Procatarcticos.

PRÆLUDIUM, terminus Paracelſicus, denotans vaticinationem influxus, vel virtutis Aſtralis in homines: & meminit Paramir. lib. 2. de orig. morb. c. 7. & l. de caduco matricis, §. 4.

PRÆLUM, item Prelum, πιεστὴρ, πιεστήριον, inſtrumentum, quo ſucci exprimuntur, in officinis quoque Pharmaceuticis uſitatum. De prelo pro muſto, vide Lind. Ex. X. §. 187.

PRÆMACERATIO, i. e. maceratio præmiſſa. Legitur apud Rhod. in Lex. Scrib. & n. 193.

PRÆMEDITATIO, προεξευκρίνησις, denotat diligens judicium, & ſingularem prudentiam Medico neceſſariam; non ſolum in recta applicatione remediorum, præſertim generoſorum & evacuantium, quæ uti magnifice prodeſſe, ita & apprime nocere poſſunt; ſed etiam in cognitione & prædictione, circa morbos, inſtituenda. De qua virtute legatur Dieter. n. 722. Lind. Ex. XII. §. 59. Verbum προεξευκρινέω legitur apud Hipp. 1. aphor. 24.

PRÆNOTIO, πρόγνωσις. Vide Præcognitio.

PRÆOPINATIO, προδόξασις, occurrit hoc vocabulum Græcum & Latinum apud Galen. comm. 1. in Hipp. prognoſt. t. 4. quamvis ipſe fateatur non eſſe in uſu. Significare vero debet incertam adhuc de morbo ejusque eventu in animo prædicentis Medici præſenſionem.

PRÆPARANS dicitur partim de vaſis, venis & arteriis ad teſtes & epididymides excurrentibus, Spermaticis dictis, de quibus videantur Anatomici, v. g. Barthol. l. 1. Anat. c. 21. p. 202. ſeqq. partim de medicamentis. Vide Paraſceve.

PRÆPARATIO, Præparatum, Præparans, παρασκευὴ, ὑποπαρασκευή. Vide Paraſceve.

PRÆPOSTERE, πάρεργον, vide Parergon.

PRÆPUTIUM, πόσθη. vide Poſthe.

PRÆSAGIUM, τὸ προλέγειν, πρόῤῥησις, idem, quod Prædictio. Sumitur & pro ipſo ſigno prognoſtico. Hinc Ruland. Dorn. & Iohnſ. deſcripſerunt Præſagium, quod ſit præcedens aliquod notabile ſignum rei futuræ hiſtoriam, ex quo prophetia ſumitur quandoque.

PRÆSCIENTIA, πρόγνωσις, idem, quod Præcognitio, Prænotio.

PRÆSENS, παρὼν, παρεὼν, quid communiter ſignificet, etiam pueri norunt. In Medicina οἱ παρεόντες, præſentes, qui ægris adſunt, iisque adminiſtrant, ex Hippocr. 1. aph. 1. Junge Dieter. n. 655. Deinde τὰ παρόντα dicuntur ſtatus hominis præſens, ſive ſecundum, ſive præter naturam; cujus cognitio Medico neceſſaria, antequam de futuro eventu velit prænoſcere. Gal. l. 4. de præſ. ex pulſ. c. 11. & alibi. Præſens auxilium vel remedium dicitur, quod efficax eſt, & mox juvat. Et, præſenti numine curare, proverbialiter dicitur, derepente, & fere præter ſpem, medelam afferre. Keuchen. ad Samon. p. 85.

PRÆSENSIO, πρόνοια, πρόγνωσις, idem, quod Prænotio Latinis Hippocr. Interpretibus. Gal. in com. 1. ad prognoſt. t. 1. & alibi. Augen. Tom. III. Epiſtol. & Conſ. Medic. l. 3. ep. 9. p. m. 97.

PRÆSEPIOLUM, φατνίον, vide Phatnion, Bothrion.

PRÆSERVATIO, προφυλακή, dicitur de ea Medici functione, qua prohibetur aliquid, ne fiat, & opponitur curationi, τῇ θεραπείᾳ. Galen. 2. aph. 22. Hinc προφυλακτική, pars Medicinæ præſervatoria vocatur, quæ à morbo præſervat l. 11. meth. med. c. 2. Eſt igitur pars τῆς ὑγιεινῆς: Tuetur enim ſanitatem, & providet, humores lentos incidendo, craſſos attenuando, multos evacuando, calidos refrigerando, frigidos calefaciendo, mordaces contemperando, (ſcil. in latitudine ſanitatis,) ne morbum gignant. Gorr. Stante hoc principio, omnino hallucinati ſunt, & adhuc hallucinantur communiter Doctores, quo veteres, qua recentiores, quando indicationem præſervatoriam etiam in Methodum medendi intruſerunt, eamque cauſſæ remotiori oppoſuerunt, Gal. Art. medic. cap. 99. Videantur noſtra Dogmata P. IV. c. 3. dogm. 4. p. 484. ſeqq. Ita erravit quoque Lind. Ex. XIII. §. 342. quando præſervationem indicationem morbi fientis, ſeu, quod in idem recidit, cauſæ jam agere incipientis, eſſe dixit. Rectius vero Helmont. ſcribit: Præſervatio eſt futuri præcautio, tr. de Lithiaſ. c. 7. n. 21. Præſervativa remedia dicuntur, quæ vitam à ſuis inimicis & corruptionibus defendunt. Dorn. Rul. & Iohnſ. ſcil. prohibendo, ne infeſtent. Præſervativum ſummum Philoſophicum dicitur Lapis Philoſophicus: & has habere qualitates debet, non ut ratione

odoris, aut ſimilis cujuſdam qualitatis, ſed ratione caloris naturalis confortet & præſervet; quod ſi non fit, res inanis eſt. *Theatr. Th. Vol. VI. p. 690.*

PRÆSIDIUM, βοήθημα, idem, quod *Auxilium*, *Remedium*, *Indicatum*. Occurrit paſſim apud autores Latinos veteres & recentiores.

PRÆSTIGIÆ, *Præſtigiatura*, γοητεία, μαγγανεία, eſt Diabolica medendi ratio, quæ omnino abeſſe debet: qualis eſt vetularum, ſagarum; quam & Gal. *l. 6. de S. Fac. in princ.* rejecit. Jung. Dieter. *n. 683.* Non utatur talibus rationalis Medicus, aut Dogmaticus, Galeni exemplum ſecutus, infamiam, atque artis dehoneſtamentum veritus, ideo, quod ratione nixum Medicum omnino dedeceant talia; qui, quæ methodo & recta ratione curare potuerit, non aliunde (præſertim à Diabolo) ad ea auxilium quærat. Jul. Alex. *Not. ad Gal. l. 9. de S. Fac. cap. de Butyro.* Pſeudo-Chymici quoque ſunt *præſtigiatores* & impoſtores: qualem Guibertum fuiſſe, ſcribit Libav. *T. III. Oper. p. 233.*

PRÆTER, παρὰ, vide *Para*.

PRÆTERITUS, προγεγονὼς, quid ſignificet, ex Grammatica conſtat. Præteritorum cognitio dicitur Gal. notitia cauſarum, quæ morbos inducunt, *l. 4. de præſ. ex pulſ. c. 11.* Enimvero nimis ſtricte accipit; cum & *præterita*, in ſtatu ſecundum naturam, Medico ſint obſervanda, in Methodo ὑγιεινῇ. *Signa præterita* docet pars Semiologiæ ἀναμνηστικὴ, ſive *rememorativa*, ad diagnoſin pertinens.

PRÆTEXTUS, πρόφασις, dicitur *cauſa evidens*, *procatarctica*, & quidem Hipp. vera, quæ occaſionem præbet, & diſpoſitionem in corpore inducit, ſive inclinationem. Hipp. *2. aph. 41. & 3. aph. 12.* aliquando tamen & cauſam fictam, vel ſimulatam notat. Galen. *c. 2. de fract. t. 62. & 3. t. 46.* Junge Foëſ. *pag. 539.* Dieter. *n. 736.*

PRÆVIDEO, idem ſignificat, quod Prænoſco, *Prædico*. In qua ſignificatione ſumſit Celſ. Martinengus *tr. de providendis morborum eventibus.*

PRAGMA, πρᾶγμα, vocabulum, pro varia rerum, de quibus uſurpatur, natura variis gaudet ſignificationibus. Ita omnem *ægri ſtatum*, & quæ in rem ejus peraguntur, denotat, *Progn. ſ. 1. t. 2.* Omnes res & negotia, *lib. 1. de morb. mul. XXXII. 13.* Significat etiam rem vel negotium, de quo impræſentiarum quæritur, & circa quod verſamur, inſtitutum, *2. de R. V. I. A. t. 40. l. de Steril. XI. 4.* Plura vide apud Foëſ. *Oec. pag. 525 ſeq.*

PRAMNIOS, πράμνιος, epitheton *vini nigri & auſteri* apud Hipp. *l. 2. de morb. mul. LXIX. 1. & LXXXVI. 8.* adde Foëſ. *pag. 526.* Linden. *Ex. X. §. 100. 106.*

PRANDIUM, ἄριστον, vide *Ariſton*. Plura vide apud Jul. Alex & alios, qui de re cibaria ſcripſerunt.

PRASIA, πρασιὰ, ſignificat *areolam in hortis*, torum quadrangularem, vel alterius figuræ, oleribus ſerendis dicatam. C. Hofmann. *C. de V. P. n. 677.*

PRASINUM viride, *flos æris.*

PRASINUS, πράσινος, idem, quod *Porraceus*. Vide in PO.

PRASIS, Rul. dicitur *Creta viridis*. Idem fortaſſis, quod *Praſſius*.

PRASOIDES, πρασοειδὴς, vide *Porraceus*.

PRASSIUS, πράσιος, nomen lapidis, vel gemmæ viridantis, vilioris turbæ, *Smaragdi Domus*, vel palatium dictæ; quia hic in illa, veluti incluſus, reperitur. Vide Chiocc. *Muſ. ſ. 3. p. 217.*

PRAVUS, φαῦλος, idem, quod *Vitioſus*: Vide *Phaulos*, *Poneros*.

PRAXIS, πρᾶξις, proprie actionem, & quidem Medicam, hoc loco ſignificat. Sumitur vero communiter pro *Practica*, de quo vocab paulo ſuperius.

PRAYS, πραΰς, Ion. πρηΰς, *mitis*, remiſſior. Dicitur de morbis minoribus, v. g. febres πρηεῖς leguntur apud Hippocr. *l. 1. Epid. ſ. 2. t. 41. & l. 6. ſ. 1. t. 29.* Suntque eæ, quæ non ſtipatæ ſunt vehementioribus ſymptomatibus. Adde Foëſ. p 527. Fere idem ſignificat, quod εὐήθης, *benignus* vel *boni moris*. Comparativus πρηΰτερος, ſive πραΰτερος, legitur *4. aph. 17.* Dieter. *n. 717.*

PRECES, *Precatio*, προσευχὴ, αἴτησις, & hoc vocabulum merito ad Medicinam referimus; ſiquidem & *precibus*, & venerationi aſſiduæ locus eſſe debet apud Medicum, pro obtinenda Divina præſentia & providentia in rebus Medicis, ad gloriam ejus nominis, ad honorem artis ab ipſa creatæ, & ad ſalutem denique, ejus opera utentis, ægri, verbis elegantiſſimis Linden. *Ex. III. §. 6.*

PREHENSIO, κατάληψις, Sylvio dicitur pro *Catalepſis*, Dolæus *Encyclopæd. l. 1. c. 7. §. 1. p. 95.* Vide *Catalepſis*.

PREMNON, πρέμνον, proprie *ſtirpem*, *ſtipitem* & truncum ſignificat. Polluci tamen *extremitatem albi in oculo* vocari πρέμνον, vult Gorr. *in def.*

PRENES, πρηνὴς, dicitur Hippocr. quod *ad terram reclinat*. Gal. *in Exeg. voc. Hipp.* Gorr. Locus eſt apud Hipp. *1. de fract. t. 3.* Vide Foëſ. *p. 527.*

PRESBYTEROS, πρεσβύτερος, comparativus eſt vocab. ſequentis, ſignificans *ſeniorem*. Verum non ſemper de ſenibus ſumitur, ſed ſæpe etiam reſpective applicatur aliis *ætate grandioribus*, quam prius fuerant. Ita fœtus *grandior* dicitur πρεσβύτερος, *aph. 1.* pueri *grandiores*, *3. aph. 26.* adulti, *d. l. aph. 27.* Vide Dieter. *n. 315.*

PRESBYTES, πρεσβύτης, *ſenex*, vel idem, quod γέρων, *ſenex*, vel ſaltem gradu differens, ita ut πρεσβύται dicantur in primo ſenio conſtituti; γέροντες vero in extremo. Legitur apud Hippocr. *2. aphor. 39. & 3. aphor. 31.* Jungatur Foëſ. *Oec. p. 517.* & Dieter. *n. 316.*

PRESIS, *Preſma*, πρῆσις, πρῆσμα, Gal. exponit *in Exeg. dict. Hipp.* per ἐμφύσησιν, *inflationem*; & approbat

approbat Foëſ. *p.* 3. *&* 527. Enimvero non video; quomodo cum verbi origine quadret. Deſcendit enim à πρήθω, quod ſignificat *incendo*, *inflammo*; ut ita potius *inflammationem* ſignificare deberet; quæ etiam notatio tribuitur in Lexicis, niſi fortaſſis reſpexerit Gal. ad effectum; quod inflammatio, vel incenſio in cute etiam bullas & veſicas excitet.

PRESMUCHUM, *Preſmukis*, id eſt, *Ceruſſa*. Rul. & Iohnſ.

PRESSORIUM, idem quod *Prælum*, *torcular*, pieſtron. Dorn. Rul. & Iohnſ.

PRESSURA, θλίψις, idem, quod *Compreſſio*; Ita θλίψις στομάχου, *preſſura* Stomachi, ſive *compreſſio*, legitur apud Gal. *de pulſ. ad tyrones*, à copia moleſta aſſumtorum alimentorum. *Preſſura gentium* dicitur Paracelſo, morbum quoque comprehendere Gallicum, *l.* 3. *Chirurg. magnæ c.* 4. *fin. Preſſus* etiam ſæpe ponitur pro impreſſus. Vide Rhod. *in Lexic. Scribon. pag.* 427.

PRESTER, πρηστὴρ, æquivocum eſt. Vel enim ſignificat partem oculi exteriorem, quæ, per iram incenſa, tumensque inflatur, ut autor eſt Pollux, notante Gorræo. Vel eſt nomen ſerpentis venenoſi, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l. de Serp. & Dracon. c.* 8. Vocatur alias *Dipſas*, quod venenum ejus igneum intolerabilem ſitim excitet.

PRETIOSUS, τίμιος, ἔντιμος, à *Pretium*, τιμὴ, dicitur de materia Medica, quæ, vel ob raritatem, vel ob efficaciam ſingularem, carior habetur. Ita *Lapides pretioſi* vocantur Gemmæ, ad differentiam *minus pretioſorum*. Utrorumque Catalogum vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 4. *ſeqq.*

PRIAPISCOS, πριαπίσκος, vocatur *lignum* parvum *in medio ſcamno Hippocratico* inſertum, octo fere digitorum, magna ex parte rotundum. Vocatur & σφηνίσκος, & σκαλμὸς. Gorr. *in definit.* Πριαπίσκος quoque dicitur *linamentum*, in penis formam redactum, Paſſario reſpondens, vel *Turunda major*, apud Æginet. *l.* 3. *c.* 24. *circa fin.*

PRIAPISMUS, πριαπισμὸς, Lat. *Tentigo*, eſt auctio pudendi virilis, ſtabilis, in longitudinem ac orbem tumefacti, citra rei Venereæ appetentiam, Gal. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 9. à flatuoſo ſpiritu *l.* 14. *Meth. Med. c.* 7. nullo præſente ſtimulo ad libidinem, aut deſiderio coitus; ut quibuſdam accidere conſuevit, ducta denominatione à *Priapo*. Nam hunc, ut cui ſuapte natura hujuſmodi coles eſſet, ita finxerunt, atque pictura deſcripſerunt homines. *l.* 6. *de Loc. Aff. cap.* 6. Addit Aëtius, dolores inde moveri, quales eſſe in tetano ſolent; quod inflatum diſtentumque pudendum, convulſionis modo, afficiatur. Scribit etiam, qui ſic laborant, cito perire inflatos, & frigidum ſudantes, niſi illico auxilium eis adferatur. Fit hic morbus à flatu vaporoſo, cavernoſum penis nervum diſtendente, &c. Hæc Gorr. & Caſtellus. Quibus libet addere paulo accuratiorem deſcriptionem: *Priapiſmus* eſt convulſio particularis, vel rigiditas convulſiva penis, abſque ſtimulo ad libidinem vel coitum, proveniens à ſpiritibus ſpuriis & flatuoſis, ſpongioſis nervoſi corporis meatus occupantibus & diſtendentibus. Vocatur & σατυρίασις, *Satyriaſis*, vel σατυριασμὸς, à *Satyris*, quibus etiam rigida genitalia tribuuntur: quamvis alii hoc nomen inexplebili coeundi cupiditati, penem excitanti, competere doceant. Habet & hoc vocabulum alias ſignificationes. Vide infra *Satyriaſis*. De *Priapiſmo* Monachorum, in coitu cum moniali defunctorum, vide Dieter. *Iatr. p.* 1116.

PRIAPOLITHUS, πριαπόλιθος, nomen lapidis à Petro Borello impoſiti, quales reperiuntur juxta urbem Caſtrenſem, ſubalbi, rotundi oblongi, figuram penis & quandoque vulvæ habentes, aliquando etiam, ſed rarius teſticulis inſtructi ſunt & glande, in medio vero eorum percurrit vena cryſtalli puriſſimi, adeo ut totus lapis veluti cepa cuticulis variis conſtructus videatur. Alii ſunt recti, alii incurvi, alii etiam cancroſi & eroſi tanquam veneno Venereo obſervantur. Exiſtimat dictus Autor, vim habere forſan ob ſignaturam adverſus morbos genitalium & venereos. *Hiſtor. & Obſ. Medico-Phyſ. cent. III. obſ.* 85.

PRIAPUS, Πρίαπος, non modo nomen eſt Deaſtri gentilium, magno mutone præditi; ſed & ipſe *Penis* hoc nomine indigitatur, Rolf. *de part. gen. P.* 1. *c.* 43. Eph. N. C. *An. III. O.* 20. *Priapi cervini*, in pulverem redacti, meminit Libav. *S. A. Chym. l.* 4. *cap.* 28.

PRIMATES dicuntur corpora fallacia, nobis ab aſtris ob oculos poſita; de quibus Paracelſus *in expoſ. prima ſuper Matthæum c.* 14. fuſius diſſerit. Dicitur alias *Prumalia*. Dorn. *in dict. Paracelſ.* Rul.

PRIMITIÆ vocantur aqua puerperii, quæ ordinarie ante fœtus excluſionem profunditur. Blaſ. *Med. Un. p.* 365. 460.

PRIMITIVUM, eſt idem, quod *Procatarcticum*, diciturque de illa cauſſa remota προκαταρκτική.

PRIMOGENIUS, *Primogenitus*, πρωτόγονος, ἀρχίγονος, dicitur vel de eo, quod origine primum eſt; ita calidum nativum dicitur ἀρχίγονον, Gal. *adv. Lycum. cap.* 7. Ita filius natu primus dicitur *Primogenitus*. Vel idem eſt, quod *ſimilaris*, ὁμοιομερὴς, *l. quod an. mor. ſeq. temp. corp. c.* 3. Vide *Homœomeres.*

PRIMORES *Dentes*, i. e. anteriores, vocantur *Inciſorii*. Barthol. *libell.* 4. *c.* 13. *p.* 731.

PRIMUS, πρῶτος, quid ſignificet, & pueris notum eſſe debet: quamvis diverſas quoque admittat ſignificationes; uti patet ex Galen. *l.* 2. *de H. & Pl. decr. c.* 8. Aliquando *primum* idem, quod ſimplex *l.* 3. *meth. med. c.* 10. Vel *Similare*, *de diff. morb. cap.* 3. *Prima materia* Helmontio eſt Aqua, *tr. Latex humor. negl. n.* 45. De *prima materia* Lapidis Philoſophici

phici vide Carmen vernaculum, additum ſcripto Fr. Baſilii Valentini de Lapide Philoſophorum: ubi vocat *Duplicem Mercurium*. *Primum* movens in naturalibus eſt Spiritus mundi vegetativus, *Th. Chym. Vol.* 12. *p.* 105. *Primæ* quid ſint, vide *Via*.

PRINCEPS, ἀρχὸς, dicitur *inteſtinum rectum*, vide *Archos*. Galen. *de vulv. diſſect. c.* 1. *Principes* quoque dies vocantur perfecte Critici. Blancard. in Lex.

PRINCIPIUM, ἀρχὴ, idem, quod *Initium*. Vide ſupra IN. In Medicina magna diſceptatio occurrit circa *principium* morbi, de quo non inter ſe conveniunt; verum recte diſtinctionem tradidit Dieter. docens, *Principium morbi* eſſe duplex: Aliud *indiviſibile*, & momentaneum, ſineque ulla latitudine: eſtque punctum temporis, in quo cepit ægrotare homo. Alterum *cum latitudine*, quodque aliquot horarum, quandoque & dierum ſpatio pro morbi conditione, brevioris vel longioris, determinatur. *Iatr. n.* 109. 110. *Primum* rariſſime notari poteſt à Medicis: & optandum eſſet, ut de ſecundo ſaltem poſſent eſſe certiores. Nobis placuit, hanc dare deſcriptionem: *Principium morbi* eſt, quando morbus animadvertitur, per aliqua ſymptomata. *Dogm. Med. Gen. P. II. c. 6. d.* 10. *p.* 160. De *principiis corporum naturalium* hodieque inter Phyſicos & Chymicos magnus quoque adhuc eſt diſſenſus. In genere deſcribuntur; e quibus primis res in quolibet miſtorum genere eſt facta, quæ quia inſunt, & jam certam naturam ſibi ſubſtratam habent, in qua vigeant, & cum qua educi poſſunt. Alia ſunt ſimpliciter prima: alia in quovis genere prima, & illis analoga. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Verum Schroder. paulo diſtinctius *principia* tractavit, diſtinguens inter *Principia conſtituentia*, quæ ipſam rem conſtituunt: quorum duo eſſe dicit: *Spiritum* & *corpus*: illud formale; hoc materiale: quibus addidit tertium, *Ignem*: & inter *Principia cognitionis*, quæ etiam duo habentur apud Hermeticos, *Lumen Naturæ* & *Gratiæ*. *l.* 1. *c.* 5. Adde Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Chymicorum alii tria numerant, *Salem*, *Sulphur*, & *Mercurium*: alii plura, *Spiritum* & *Terram* addentes. Videantur *Theatr. Chymici Volumina*, & quæratur hoc vocab. *in Indice*: ut & Libavii *Opera*. Nobis enim nec licet, nec libet eſſe prolixiores. *Principia* quoque corporum, olim inſtrumentalia vocata, fuiſſe *Cerebrum*, *Cor*, *Hepar*, ſcripſit Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 6. *meth. med. c.* 2. vide *Initium*.

PRION, πρίων, vide *Serra*.

PRIONODES, πριονώδης, *ſerratus*. Lind. *Ex. XI.* §. 67. item πριονοειδὴς, *ferræ formam habens*, qualis dicitur oſſium commiſſura quædam apud Fallop. *in Obſ. Anatom. Tom. I. Oper. p.* 361.

PRISCUS, παλαιὸς, idem, quod *Vetus*, antiquus: vide *Palæos*.

PRISIS, πρίσις, proprie *ſerrationem*, ſive ſectionem ſerra factam ſignificat, à πρίω, *ſerra ſeco*. Improprie vero ſtridor dentium dicitur Hippocr. πρίσις & πρίειν, 1. *Prognoſt. t.* 21. Gal. *in comm. ad h. l.* Alias πρίσις quoque vocatur *terebratio*, vel perforatio, terebra aut trepano facta, *de vuln. c. IX.* 5. 6. ut & terebra vocatur πρίων, *d. l. XXIIX.* 9. quæ alias τρύπανον eidem quoque appellatur, *d. l. XXV.* 4. Vide Foëſ. *p.* 527.

PRISMA, πρίσμα, vide *Scobs*.

PRIVATUS, ἴδιος, dicitur Phyſiologice de *partibus*, quarum functio immediate & primo cedit in commodum partium publicarum. *Dogm. M. Gen. P. tr. c.* 2. *d.* 9. *p.* 29. Patholog. de Morbis, qui dicuntur σποράδες, σποραδικοὶ. Vide *Sporades*.

PROACMAZO, προακμάζω, ſignificat exiſto in ætate ante vigorem, & denotat *adoleſcentiam*, vel *juventutem*, legiturque apud Hippocr. *Coac. t.* 635. Vide Foëſ. *Oec. p.* 527.

PROÆRESIS, προαίρεσις, eſt terminus proprie Philoſophicus; cujus ſignificatio ex Ethicis petenda. Ab Hippocr. tribuitur Lachrymis *voluntariis*, ſive quæ ſcientibus nobis, & volentibus profluunt, 4. *aph.* 52. quibus opponuntur lachrymæ *involuntariæ*, ἀπροαιρέτως vel μὴ κατὰ προαίρεσιν fluentes, non ex dolore, aut ob mœſtitiam, ſed ratione morbi acuti. Vide Dieter. *n.* 718.

PROAGOGEIA, *Proagogos*, προαγωγεία, προαγωγὸς, illud ſignificat omnem illegitimam, amoribusque licitis non conciliatam productionem maris ad fœminam, vel fœminæ ad marem: uno verbo, *Lenocinium*: hoc ipſum productorem, vel *Lenonem*. Lind. *Ex. IX.* §. 22.

PROAGOREUSIS, προαγόρευσις, vel προδιαγόρευσις, *Prædictionem* ſignificat, 2. *aphor.* 19. & προαγορεύων *prædicens*: 1. *Prognoſt. t.* 4. Junge Diet. *n.* 719. idem, quod πρόῤῥησις.

PROAPAUDESANTES, προαπαυδήσαντες, iidem ſunt, qui προεξαδυνατήσαντες, h. e. *prædebilitati*, quorum vires à priori morbo ſunt nimis fractæ. Illud legitur 1. *Prorrhet. ſ.* 1. *t.* 8. & προεξαδυνατήσαντες, *Coac. t.* 100. Jung. Erot. *Onom. p.* 86. *f.* & 87. *a. b.*

PROAUXES, προαυξὴς, *provectior*, *adultior*, & qui paulo amplius increvit. De pueris legitur apud Hipp. 4. *de artic. t.* 4. adde Gal. *in comm. ad h. l.* Foëſ. *d. l.* Et προαύξησις dicitur *corporis auctæ moles*, *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 67. Lat. dicitur præproperum incrementum corporis.

PROBATIO, βάσανος, βασανισμὸς, vide *Baſaniſmos*.

PROBATON, πρόβατον, idem, quod οἶς, id eſt, *Ovis*, vide *Ois*.

PROBLEMA, πρόβλημα, æquivocum eſt: Proprie ſignificat objectaculum, vel *obicem*: quo aliquid retinetur, aut quod obtenditur. In qua ſignificatione legitur apud Hippocr. *l. de nat. mul. LXII.* 4. & *l.* 1. *de morb. mul. XXXVI.* 3. Jung. Foëſ. *p.* 528. Improprie notat *quæſtionem dubiam*, ſive quæ in utramque partem

partem ventilari poteſt. Horum tria genera Ariſtotelem ſtatuiſſe, quorum alia ſolutionem, alia ſupplicium, alia ſenſum poſtularunt, teſtatur Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 3. *in princ. Problematicum Ens* vocatur *Ratio*, ab Helmont. *tr. Venatio Scientiar. n.* 27.

PROBOLE, προβολή, dicitur *prominentia* quædam, vel eminentia alicujus partis, Hipp. 1. *de artic. t.* 27. & *l. de vuln. cap. I.* 2. adde Foëſ. *d. l.*

PROBOSCIS, προβοσκὶς, προνομαία, dicitur pars oblonga, flexilis, in Elephante eo loco, ubi eſt naſus, & utitur ea loco manus. Gal. *l.* 17. *de V. P. c.* 2. Junge C. Hofm. *in not. ad h. l. n.* 1126. vide *Elephas.*

PROBULEUOMENOS, προβουλευόμενος, non ſolum dicitur *prænoſcens*; ſed etiam, qui præmeditate deliberat prius, aut perpendit. Hipp. 1. *Progn. t.* 4.

PROCATARCTICOS, προκαταρκτικὸς, terminus receptiſſimus in Medicina, etiam Latina, & dicitur de Cauſſis. Verum interdum confundi cum προηγουμένη, patet ex Foëſio, & aliis. Latine dici poſſet *Præincipiens*. Proprie dicitur de *Cauſſis externis* & remotis, qua ſanitatis, qua morborum; & comprehendit non ſolum res non naturales, verum etiam omnia alia vel contingentia, vel etiam violenta, & fortuita, quæ anſam dare poſſunt ad ſanitatis, vel morbi generationem. Dicuntur & προκαταρχοντα αἴτια, aliis προφάσεις, *occaſiones* vocantur. Vide *Dogm. noſtra P. I. c.* 6. *p.* 71. *ſeq.* & *P. II. c.* 8. *p.* 213. *ſeqq.*

PROCELLA, *Procelloſus*: λαίλαψ. Vide *Lælaps.*

PROCEPHALOS, προκέφαλος, idem, quod μακροκέφαλος, Lat. *Capito*. Linden. *Ex. XI.* §. 38. vide *Capito*, *Macrocephalos.*

PROCERITAS, μακρότης, *Procerus*, μακρὸς, proprie dicitur de ſtatura hominis, quoad longitudinem, & quidem majorem.

PROCESSUS eſt æquivocum apud Latinos. In Anatomicis notat *prominentiam oſſis continuam*, & ita partem illius oſſis, in quo protuberat, Gr. dicitur ἀπόφυσις. Vide *Apophyſis*. In Chymicis vero ſignificat *laborem* aliquem, vel *operationem Chymicam* integram, & e multis operationibus conſtantem. Ita *proceſſus* ad Lapidem Philoſophicum Paracelſi. *Th. Ch. Vol. I. p.* 232. *ſeqq.*

PROCHEILON, πρόχειλον, vide *Prolabia.*

PROCHEIMASIS, προχείμασις, Plinio dicitur *præcedens tempeſtatum ſignificatio*, *l.* 18. *H. N. cap.* 25. *in princ.*

PROCHEIRON, πρόχειρον, q. d. ad manum *promptum*. Epitheton ſpiritus, vel ſpirationis, idem ſignificans, quod μετέωρον, h. e. ſpirationem *expeditam*, *elatam*, ſublimem: & legitur apud Hipp. 1. *Prorrh. ſ.* 1. *t.* 24. & *Coac. t.* 252. Vocatur & Spiritus πρὸς χεῖρα, id eſt, *ad manum*, *l.* 7. *Epid. XII.* 15. Junge Foëſ. *p.* 519. Gorr.

PROCHORESIS, προχώρησις, *progreſſum* ad aliquid ſignificat, v. g. πρὸς ἄφοδον, ad alvi ſeceſſum. Hippocr. 2. *de fract. t.* 64. à verbo προχωρέω, *progredior*, item commodus ſum, *accommodatus*: quod legitur *d. l. t.* 62. Foëſ. *p.* 540.

PROCHYMA, πρόχυμα, vocatur *muſtum*; quod ſponte, antequam uvæ calcentur, exſtillat. Dicitur & πρότροπος οἶνος, ἢ πρόδρομος, *Protropum*, aut *Prodromum*, ſcil. vinum. Linden. *Ex. X.* §. 176. 177.

PROCIDENTIA, πρόπτωσις, nomen eſt generale Pathologicum, denotans morbum in ſitu vitiato, quando pars quædam prolabitur extra ſuum locum genuinum. Ita *Procidentia oculi* πρόπτωσις vocatur, quando à cauſa quadam violenta, ictu, ſtrangulatione, &c. bulbus oculi ſede ſua dimovetur. Gal. *in def. Procidentia ani*, quando inteſtinum rectum extra ſedem prominet, cum inſigni dolore, proveniens à ſphincteris reſolutione, vel relaxatione; per cauſas vel internas, vel externas inducta. Vide Foreſt. *l.* 23. *Obſ.* 1. & 2. Aquapend. *in Oper. Chirurg. Procidentia uteri* eſt ejuſdem extra locum ſuum deſcenſus & prominentia, etiam à ligamentorum ſoluta unitate, aut paralyſi oborta, Ionſton. *Syntagm. libr.* 5. *Noſocomom. tit.* 11. *c.* 2. *art.* 7. *p. m.* 1040. Bartholin. *l.* 1. *An. c.* 28.

PROCLESIS, πρόκλησις, dicitur Lat. *provocatio*, aut invitatio, ſenſuum ad externa revocatio. Legitur apud Hippocr. *l. de Humid. Uſ. IV.* 7. quamvis Linden. προσκλήσις legerit. Verum non eſt quoad ſignificationem magna inter utrumque vocabulum diverſitas. Πρόσκλησιν proprie *advocationem* ſignificat; & legitur etiam *l. de dec. orn. XII.* 10. adde Foëſ. *p.* 530.

PROCOELOS, πρόκοιλος, idem, quod προγάστωρ, *ventroſus*, cui venter tumidus prominet & extat altius. Linden. *Ex. XI.* §. 139. Vocantur à Galen. προγάστορες etiam μεγαλόκοιλοι, *l.* 1. *de Al. fac. c.* 1.

PROCONDYLOS, προκόνδυλος, dicitur *primus ſingulorum digitorum articulus*: quemadmodum medius κόνδυλος, & ultimus μετακόνδυλος appellatur. Caſtell. Gorr. Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 15. §. 91.

PROCONIA, προκώνια, vocabulum ancipitis ſignificationis. Apud Hippocr. jungitur cum τὰ ἄλφιτα, & notat *farinas recentes*, tenues, ſive polentas: quas tamen Gal. ſpecialiter de hordeacea, exponit, *in Exeg.* præter neceſſitatem; cum & de tritico uſurpaverit recenti Hipp. *l. de nat. mul. LIV.* 3. Varinus per προκώνια intelligit *triticum melle inunctum*. Aliis eſt *hordeum confractum* & contuſum cum aromatibus, vide Foeſ. *d. l.* & 531.

PROCREATIO, idem, quod *Generatio prolis*, γένεσις, παιδοποιΐα, uti paſſim ex Autoribus conſtat. Ita & *procreatio metallorum* ex ſulphure & mercurio legitur, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 825.

PROCTOS, πρωκτὸς, idem, quod ἕδρα, Latin. *anus*, *podex*, pars ea per quam ventris excrementa exonerantur. Gorr. vide *Anus*,

PROCULUS dicitur infans, qui patre peregre abſente editus eſt. Roder. à Caſtro *l.* 4. *de nat. mul. c.* 2. *p. m.* 178.

PRODESSE, ὠφελέειν, vide *Opheleo*.

PRODIGIUM, τέρας, idem, quod *Portentum*, rem miraculoſam, vel admiratione dignam ſignificat. Paracelſ. *morbum Gallicum* inter alia nomina quoque appellavit *Prodigium ſceleris*, ob graviſſima & ſæpe prodigioſa ſymptomata, *lib.* 3. *Chir. magn. c.* 1. Utinam hoc probe attenderent laſciviæ dediti porci, hircique, humanam tantum naturam non exuentes!

PRODOXOSIS, προδόξωσις, vide *Præopinatio*.

PRODROMUS, πρόδρομος, in genere Lat. dicitur *Præcurrens*. Specialiter tribuitur vino, vel muſto. Vide *Prochyma*. *Prodromi*, πρόδρομοι, quoque vocantur venti, qui ab initio Canicularium, ſive Syrii exortus, ſpirantes ex ſeptentrionali plaga æſtum ſolis attemperant; quemadmodum *Eteſiæ* ad finem illorum dierum, Gal. *c.* 3. *de hum. t.* 13. & *c.* 3. *in* 3. *Epid. t.* 6. *Prodromus* etiam Pathologice dicitur affectus quidam p. n. alium morbum ſuperventurum indicans: Ita v. g. Vertigo aliquando *prodromus* dicitur Apoplexiæ.

PRODUCTIO apud Latinos ambiguæ eſt ſignificationis. Vel enim fere idem eſt, quod *procreatio*, *generatio*, alicujus rei, ſive ille actus, quo res aliqua fit, Gr. φύσις, ἔκφυσις. Dividitur hæc *productio* in nativam, & artificialem. Ad nativam pertinent *creatio*, *generatio*, *nutritio*, cum aliis hic concurrentibus actibus. *Productio artificialis* pertinet ad Pharmaceuticam. Vide Schroder. *lib.* 1. *cap.* 4. *ſeqq.* Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Ad hanc primam ſignificationem etiam referri debet *morbi productio*, id eſt *generatio*. *Productum morboſum materiale* requirit remedium. Helmont. *tr. Aditus præcluſ. n.* 2. *Productio* porro idem, quod *Prolongatio*, Gr. μήκρωσις. Ita *Productæ hæmorrhoides*, i. e. prominentes, Scrib. *num.* 230. Rhod. *in Lexic. Scrib. Productio* & *Productor* idem, quod *Lenocinium*, & *Leno*. Vide *Proagogeia*. *Productio Caballiſtica* eſt fictitia, improba, magica, ac diabolica. Libav. *Com. IV. p.* 164.

PROECNITROO, προεκνιτρόω, ſignificat *prius nitro locum perfrico*. Legitur apud Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 1. & in remediis Græcis Moſchionis *libro de morb. mul. additis c. ult.*

PROECREGNYMÆ, προεκρήγνυμαι, *prærumpo*, ante tempus erumpo. Uſurpatur vel de anni tempore, v. g. hyeme tempus conſuetum antevertente, apud Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ. II. t.* 1. vel de morbis criticis, aut criſin mentientibus morbi mutationibus repentinis, *l. de Humor. VII.* 16. Vide Foëſ. *p.* 529.

PROEGUMENE, προηγουμένη, epitheton cauſſæ, qua ſanitatis, qua morborum, internæ, ſed latentis. Latine dicitur *Antecedens*. Differt à proxima in particularibus, loco, & modo conſiderandi; in univerſali corporis conſtitutione, ſaltem χέσει, ſive modo conſiderandi: & ut actus primus à ſecundo, juxta Philoſophos. Legantur noſtra Dogm. *P. I. c.* 5. *p.* 57. *ſeq.* Charlton. *Ex. IV. Patholog.* §. 8.

PROEXADYNATESANTES, προεξαδυνατήσαντες, idem, quod προαπαυδήσαντες, *prædebilitati*, vide *Proapaudeſantes*.

PROEXEUCRINEO, προεξευκρινέω, *præmeditor*, prius probe aliquid perpendo, vide *Præmeditatio*.

PROFESSOR, ἐξηγητής, διδάσκαλος, in Medicina, vocatur, qui theoremata artis docet, & alios inſtruit, ut aliquando medicinam rite facere queant. Vide *Practica*. Paracelſus olim, nimis petulanter, in illos invectiva uſus immerito. *Tr. de Peſte*, aliquoties. Tropice etiam *Profeſſor publicus* à Tachenio vocatur *Ignis* ob communem in Chymia uſum explicandi virtutem remediorum latitantem.

PROFICIO proprie eſt paſſivæ ſignificationis, & notat *Juvari*. Recte Linden. *Proficere* eſt ægrorum, *Prodeſſe* Medicorum. *Proficit* ille, quando in via ſalutis, ſive ſanitatis progreditur, ut ſentiat, ſe indies plus plusque ejus boni conſequi, ad quod votis omnibus contendit, *Ex. XIII.* §. 382. *ſeqq.* & 543. *ſeqq.* Græce dicitur ὠφελέομαι. Sumitur tamen frequenter etiam active, pro *Confero*, *Proſum*, *Juvo*, ὠφελέω. Scribon. *n.* 125. & *alibi.* Vide *Lex. Scribon.* Rhodii. Ab activa ſignificatione Latinum *Proficuus*, χρήσιμος, ξύμφορος, πρόσφορος, id eſt, *utilis*, uſum præſtans. Dieterich. *n.* 590.

PROFLUVIUM accipitur late & ſtricte, cum & ſine additione materiæ effluentis. Generaliter reſpondet Gr. ῥύσις, ῥοῦς, vel ῥόος, ἐκροή. Vide *Fluor. Ecroe*. Stricte dicitur de *fluxu alvi*, Græc. διάῤῥοια: Vide *Diarrhœa*: Sanguinis, Vide *Hæmorrhagia*: Seminis, Vide *Gonorrhœa*: Muliebris, Vide *Fluor. Gonorrhœa*.

PROFUNDUS dicitur *Carpi Muſculus*, qui alias *Perforans* vocatur, quia adhuc ſub perforato deliteſcit, de quibus vocabulis vide ſupra ſuo loco.

PROGASTOR, προγάστωρ, vide *Procœlos*.

PROGERMINUS *Abſceſſus* vocatur à M. A. Severino ille, qui à lenta, corrupta, aut ſi mavis ſemiputri pituita collecta gignitur, quaſi dicas ex terra humoris luxurie germinans tuber. Plura de his propoſuit *in l. de noviſſ. obſ. abſceſſ. c.* 1.

PROGLOSSIS, προγλωσσίς, dicitur Anatomicis *pars linguæ anterior acuta*. Gorr. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 13. §. 73.

PROGNOSIS, *Prognoſticus*, πρόγνωσις, vide *Præcognitio*.

PROGRESSIO, προχώρησις, vide *Prochoreſis*.

PROGRESSIVUS, eſt epitheton hodieque non infrequens humoribus vitalibus præſertim applicatum ad eorum motum localem declarandum, quemadmodum e D. D. Stahlii ſcriptis hoc ſatis eluceſcit.

PROHIBENS, idem, quod *Contraindicans*, ſive

quod

quod diſſentit ab altero indicante & ei repugnat; Mich. Gavaſſetius *de Indic. curat. cap.* 11. *pag.* 71.

PROJECTIO terminus eſt Chymicus, vel Spagyricus, diciturque hoc nomine facta, per Medicinam, ſuper re mutanda projectam, cum repentino ingreſſu, ex mutatione exaltatio. Convenit cum fermentatione, quod rem intus in ſubſtantia mutet. Differt autem, quod non fiat cum digeſtione lenta; qua paulatim miſtilia alterantur, & craſin accipiunt; ſed violenta & repentina penetratione facta quaſi in momento ingreſſionis transfiguret. Vocatur vero illa medicina mutans, non fermentum, ſed *Tinctura*, item *Elixir*. Ruland. & Iohnſ. Add. Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 33. Imprimis vero extollitur *Projectionis* uſus in labore lapidis Philoſophici: de quo vide *in Theatr. Chymici Voluminibus* aliquot, & loca quære *in Indice.*

PROISTAMÆ, προΐσταμαι, *præſum.* vide *Proſtaſis.*

PROLABIA, πρόχειλα, προχειλίδια, dicuntur partes labiorum extremæ eminentes. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 13. §. 45. Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 11.

PROLACCION, προλάκκιον, dicitur proprie de vaſis illis in vindemiis, in quibus fit vinum πρότροπον, ſive muſtum ſpontaneum citra calcationem profluens. Applicavit vero Ariſtoteles tribus ventris majoris in brutis ruminantibus appendicibus, videlicet Reticulo, Omaſo & Abomaſo, *l.* 3. *de Part. An. c.* 14. notante C. Hofm. *l.* 2. *Inſt. Med. c.* 3. §. 2.

PROLAPSIO, ἔκπτωσις, ὀλίσθημα, vide *Ecptoſis. Oliſthema.*

PROLECTATIO, dicitur extractio per extenuationem partium ſubtilium, ita, ut rarefacta, inclinatione ſuæ naturæ, à craſſioribus in diverſum ferantur, ibique conſiſtant. Itaque etiam ejuſmodi res, e quibus aliquid *prolectamus*, attenuatoriæ vocantur, ſeu rarefactiles, & antequam conſiſtat *prolectatum*, vel igneum, vel aëreum, vel aqueum ſufficitur, ut ita, mediante horum elementorum forma, fiat *prolectatio*, & abſiſtat à terreis fixis, vi levitatis ſuæ, vel fluxus, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PROLEPTICOS, προληπτικὸς, vide *Anticipans.*

PROLUVIES, περίπλυσις, vide *Periplyſis.* Alias *Proluvium* ponitur pro *profluvio.* Keuchen. *ad Sammonic. p.* 25.

PROMALACTERION, προμαλακτήριον, prima vocatur domus, vel pars balnei, in qua corpora præmolliri ſolebant; teſte Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Chalcanthos.* Jung. Jul. Alexandr. *not. ad Gal. l.* 10. *meth. med. c.* 10. Lang. *l.* 1. *ep.* 50.

PROMANUS, ἀντίχειρ, idem, quod *Pollex.* Vide *Anticheir.*

PROMECES, προμήκης, Latine *Oblongus*, non Prælongus, notante C. Hofm. *in not. ad Gal. LL. de V. P. n.* 89. 934. 1177. 1181. In ſpecie dicitur de Inſtrumentis Chirurgicis, ſive ſcalpellis, extremitatem acutam & ita *oblongam* habentibus, ad oppoſitionem τῶν φαλακρῶν. Hipp. *de artic. t.* 43.

Caſtelli Lexic. Med.

PROMETHEOMÆ, προμηθέομαι, idem, quod προβουλεύω, ſignificat apud Hipp. *Provideo*, prius *proſpicio* & propendo. Uſurpatum aliquoties ab Hippocr. 2. *de fract. t.* 71. 1. *de art. t.* 62. 63. *ſ.* 3. *t.* 49. *ſ.* 4. *t.* 36. *l.* 1. *de morb. mul. XCIV.* 8. & adjectivum προμηθὲς, *proviſum*, 1. *de R. V. I. A. t.* 24. Jung. Foëſ. *p.* 531.

PROMETOPIS, *Prometopidion*, προμετωπὶς, προμετωπίδιον, dicitur cutis, quæ fronti prætenditur, in qua *rugæ* ῥυτίδες notantur. Gorr.

PROMTITUDO, εὐπορία, vide *Euporia.*

PROMYLLÆNO, προμυλλαίνω, ſignificat *productis labris os contraho*: apud Hipp. *l. de vet. med. XXXIX.* 25. quamvis προσμυλλήνας ibid. legatur: rectius tamen Foëſ. e M. S. correxit, *Oec. p.* 531.

PROMYSSO, προμύσσω, ſignificat *pecuniam extorqueo*, præemungo. Hippocr. *l. Præcept. IV.* 16. Lind. reddidit per *Præconturbo.* Verum μύσσω ſignificat *emungere*, mucum e naribus elicere.

PRONATORES vocantur Muſculi manus oppoſiti *Supinatoribus*, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 8. *p.* 574. Suntque radii Rotundus & Quadratus.

PRONERVATIO, ἀπονεύρωσις, idem, quod *Tendo*: vide *Aponeuroſis.*

PRONOEA, πρόνοια, idem, quod πρόγνωσις, *prænotio*, *præcognitio*, Hippocr. & Gal. *in princ. Prognoſt.* Significat & providentiam, vide infra.

PRONOMÆA, προνομαῖα, idem, quod *Proboſcis*; de quo p. ſuperius.

PRONUBA, προμνήστρια, dicitur fœmina, cujus ars conſiſtit in inſtituenda felici conjunctione maris & fœminæ, Gal. *l.* 5. *aph.* 59.

PRONUS, πρηνὴς, dicitur de figura corporis, vel ſitu, quando in ventrem collocatur homo. Cui opponitur *ſupinus* ſitus, ὕπτιος, quando in dorſum reponitur, Gal. *c.* 4. *de artic. t.* 59. vide etiam *Hyptiaſmos.*

PROORISMOS, προορισμὸς, *Prædeſtinatio*, *Præfinitio.* Hipp. *in præcept. III.* 6.

PROOSIS, πρόωσις, *Propulſio* & *Prooſtice*, προωστικὴ δύναμις, *propulſatrix* facultas dicitur, in genere eadem, quæ *Expultrix*, ἀποκριτική; in ſpecie vero dicitur de virtute uteri, qua fœtum expellit. Galen. *l.* 3. *de fac. nat. c.* 3. Gorr.

PROPAGATIO, διαδοχὴ, proprie dicitur de conſervatione humani generis per multiplicationem individuorum. Gal. 5. *aph.* 39. Dicitur vero etiam de metallorum multiplicatione apud Libav. *Tom. III. Oper. pag.* 208.

PROPENDENTIA idem ſignificat, quod *Procidentia*, apud D. Fr. Ruyſchium *in Centur. Obſerv. An. Chirurg. Obſ. VII.* ubi ſimul raro exemplo demonſtravit, quod non ſolum vagina uteri prolabi & propendere ſoleat, ſed & ipſe uterus totus, quantus

Hhhh nec

nec inverſus propenderit, quemadmodum & accurate delineatus ibidem conſpicitur.

PROPENDULUS legitur ſpecialiter de Utero nimis demiſſo in abdomine, quod inprimis in fœminis ventroſis obſervatur apud D. Henr. à Deventer *Art. obſtetric. cap. XLVI. p.* 201.

PROPEPONECOS, προπεπονηκὼς, dicitur *ante morbum dolens* pars corporis, à προπονέω, ante doleo; Hipp. 4. *aph.* 33. adde Dieter. *n.* 723.

PROPETES, προπετὴς, *prociduus*, proclivis, *propenſus.* Accipitur vel de corpore vel partibus illius labaſcentibus, & ad caſum pronis: v. g. Hipp. *ſ.* 1. *Prognoſt. t.* 15. *Coac. t.* 497. *l.* 4. *de morb. mul. XCIII.* 14. 1. *de art. t.* 4. *ſ.* 3. *t.* 8. 24. *&c.* vel per tranſlationem, de vitæ, linguæ & morum *præcipitantia*, *protervia* & temeritate, *l. de Medico I.* 20. *l.* 4. *Epid. XXV.* 2. Junge Foëſ. *p.* 532.

PROPHANES, προφανὴς, dicitur *conſpicuus*, manifeſtus, apertus. Uſurpatur de uteri oſculis *hiantibus*, apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XXXII.* 12.

PROPHASIS, πρόφασις, *Occaſio* Latine dicitur. Accipitur pro *cauſſa* evidente remota ſive *procatarctica.* Vide *Occaſio.* Lind. vero pro cauſſa antecedente, & corporis ad morbum inclinatione accepiſſe videtur, *Ex. IV.* §. 27.

PROPHYLACE, προφυλακὴ, προφύλαξις, προφυλακτικὴ, *Præſervatoria*, vide *Præſervatio.*

PROPNIGEION, προπνίγειον, dicitur *præfurnium*, hypocauſto annexum, in quo, igne ſuccenſo, hypocauſtum incaleſcebat. Lang. *l.* 1. *ep.* 51.

PROPOLIS, πρόπολις, dicitur craſſior apum materia, flava, odorata, ſtyracem referens, ceræ finitima, gluten in alveorum foribus repertum. Quidam *ceram ſacram* vocarunt, teſte Scrib. *n.* 82. De hujus virtutibus videatur Galen. *l.* 8. *de S. F.* §. *Propolis.* Dioſcorid. *l.* 2. *c.* 176. Schroder. *lib.* 5. *cl.* 4. *num.* 94.

PROPOMA, πρόπομα, dicitur *potio ex vino & melle concinnata*; ita dicta quod ante cibum biberetur. Æginet. *l.* 7. *c.* 15. Mercurial. *l.* 1. *V. L. c.* 7. Poterit tamen commode ad alios potus, & vina medicata, quæ ante cibum ſumuntur, extendi; notante Rhod. *in not. ad Scribon. n.* 135. Gr. quoque dicitur προποτισμὸς, uti patet ex Mercur. *d. l.*

PROPORTIO, ἀναλογία, ἀναλογισμὸς, dicitur reſpectiva quædam convenientia, vel in quantitate, vel in qualitate. Ita *proportio* perſonæ teſtatur de natura & indole hominis, Parac. *Philoſ. ſagac. l.* 1. De *proportione* materiæ & formæ lapidis Philoſophici vide *Th. Chym. Vol. I. pag.* 520. *Proportio* & numeri, aliorumque metallorum, eſt pars Cabalæ. *Volum. II. pag.* 97. De *proportione* circa lapidem Philoſophicum, vide etiam apud Libav. *Tom. II. Oper. pag.* 203. *ſeq.*

PROPOTISMOS, προποτισμὸς, q. d. *Præpotio* proprie ſignificat medicamentum præparans, ante purgationem hauſtum, J. Alex. *in not. ad Galen. l.* 6. *de S. F. c.* 1. Dieter. *n.* 358. Late etiam coincidit cum vocab. πρόπομα: vide p. 2.

PROPRESSIO eſt terminus D. D. Stahlio in ſuis ſcriptis familiaris, qua indicatur motus ſanguinis in venis, v. g. vena portæ impeditioris ob lentorem & coacervati promotio per mechanicam partium ſolidarum irritationem.

PROPRIETAS, ἰδιότης, *Proprius*, ἴδιος, vel dicitur de Facultatibus, viribus & *Temperamento*: Græce dicitur ἰδιοσυγκρασία: vide *Idioſyncraſia.* Vel de Morbis: vide *Idiopatheia.*

PROPTOSIS, πρόπτωσις, vide *Procidentia*, adde Rhod. *ad Scribon. n.* 21.

PROPYUNTES, προπυοῦντες, dicuntur *pus præmature colligentes* apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. LVIII.* 14. ita exponente Foëſ. *in Oec. p.* 532. verum apud Linden. verſio legitur, *Præpotens.*

PRORA quid dicatur in navi, ex aliis Lexicis notum eſt. Per metaphoram denotat in capite Occipitis locum, unde & Os illius Os *proræ* & ſutura Lambdoidea, Sutura *proræ* nuncupatur, Veſal. *l.* 1. *de H. C. F. in fin.* Barthol. *Anat. libell.* 4. *cap.* 5. *pag.* 702. & 710. Blaſ. *Med. Univ. p.* 104.

PRORRESIS, πρόῤῥησις, Lat. *Prædictio.* Πρόῤῥημα idem. Vide *Præcognitio.* Hujuſmodi ſententias conſcripſit in duobus libris *Prædictorum*, προῤῥητικῶν.

PROSAGOGE, προσαγωγὴ, non eſt ejuſdem ſignificationis. Proprie ſignificat *adductionem*, vel admotionem. Unde ἐκ προσαγωγῆς Hippocr. notat *paulatim*, ſenſim accedendo, facto progreſſu, additione quadam, aliquid fieri, v. g. 1. *de R. I. A. t.* 20. *ſect.* 2. *t.* 28. 1. *de fract. t.* 48. *& alibi ſæpius*: quæ loca vide apud Foëſ. *p.* 533. Strictius vero ſumſit Hippocr. vocab. προσαγωγὴ etiam *l.* 1. *de diæt. XXXII.* 18. de *exhibitione ciborum* & *l. de Inſomn. V.* 12. Verbum προσάγω etiam eandem habet ſignificationem diverſam. *Exhibeo*, admoveo: & naturaliter *accedo.* 3. *aph.* 25. Junge Dieter. *n.* 724.

PROSAPTOMÆ, προσάπτομαι, vide *Somatomacheo.*

PROSARMA, πρόσαρμα, dicitur *alimentum*, cibarium, *quod offertur*, idem, quod προσφορὰ, πρόσθεσις. Hippocr. 1. *aphor.* 15. *l. de Humor. III.* 82. Jung. Foëſ. *pag.* 534. Dieter. *n.* 725.

PROARSIS, πρόαρσις, *oblationem* ipſam cibariorum ſignificat, idem quod προσφορά. Legitur apud Hipp. 2. *de S. V. I. A. t.* 16. 18.

PROSARTESIS, προσάρτησις, h. e. *Appenſio*, vocatur longiorum membranarum ad vicina loca applicatio, Gal. *in defin.* Unde & προσηρτημένα ſunt *appendices* & retinacula apud Hipp. 3. *de fract. t.* 29.

PROSARTHROSIS, προσάρθρωσις, *adarticulatio*; idem quod διάρθρωσις. Vide *Diarthroſis. Adarticulatio.*

PROSCE-

PROSCEPHALÆON, προσκεφάλαιον, dicitur *cervical*, pulvinus, qui capiti aut membro fracto ſupponitur, Hippocr. 2. *de fract. t.* 63. *l.* 7. *Epid. X.* 9. *l.* 1. *de morb. mul. XCIV.* 7. ſed p. p. *ibid.* 10. ὑποκεφάλαιον quoque dicitur, *l. de Sterilib. XXVI.* 10. adde Foëſ. *p.* 536.

PROSCHEIRA, πρὸς χεῖρα, *ad manum*. Vel idem eſt, quod πρόχειρον, vide ſupra *Procheiron*: vel ad *contactum* ſignificat, uſitata phraſi Hipp. *l.* 3. *Epid. ægr.* 15. *p. ſt. peſt. l.* 6. *ſ.* 8. *t.* 41. Foëſ. *p.* 537.

PROSCLESIS, πρόσκλησις, *Advocatio*; vide *Procleſis*.

PROSCLYSMA, πρόσκλυσμα, vide *Aſperſio*. Gorræus.

PROSCOLLEMA, προσκόλλημα, *Agglutinamentum*. Vide *Agglutinatio*.

PROSCOMMA, *Proſcope*, πρόσκομμα, προσκοπή. Vide *Offenſa*.

PROSCOPTON, προσκόπτον, id eſt, *offendens*. Vide *Offenſa*.

PROSCRIPTIO, idem quod *Retardatio*. Ruland. *in Lex.*

PROSCYRESIS, προσκύρησις, proprie *appropinquationem* ſignificat. Hippocr. vero ſumſit de *autoritate Medica*, *l. Præcept. IX.* 14. Foëſ. *p.* 536.

PROSDECHOMÆ, προσδέχομαι, Lat. *admitto*, item *Expecto*. Hippocr. 4. *de art. t.* 37. *Mochlic. XX.* 9. *&* 3. *aphor.* 4. 5. 6. Vide Foëſ. *pag.* 534. Dieter. *n.* 727.

PROSECHES, προσεχὴς, idem quod συνεχὴς, *continens*, epitheton cauſæ proximæ, quæ ſemper cum morbo præſens eſt. Vide *Continens*, Gorr. à verbo προσέχω, quod ſignificat *adhæreo*, *permaneo*. Hippocr. *l.* 2. *Prorrh. XVI.* 22. & pluribus aliis locis apud Foëſ. *d. l.* citatis.

PROSECON, προσῆκον, idem, quod καθῆκον, *officium*, item *conveniens*, *idoneum* ſignificat, Hippocr. 6. *aph.* 47. adde Dieter. *n.* 728.

PROSECTIO, *Proſector*, ἀνατομὴ, ἀνατομικὸς. Vide *Anatome*. Barthol. *princ. Anatom. p.* 1.

PROSENES, προσηνὴς, ſignificat, *mite*, benignum, placidum, Hipp. 1. *de R. V. I. A. t.* 18. & in compar. προσηνέστερον, 1. *de fract. t.* 32.

PROSESTALMENOS, προσεσταλμένος. Vide *Proſtellomæ*.

PROSGEIOS, πρόσγειος, idem quod *Littoralis*, accola littoris. Epitheton piſcium, Linden. *Ex. V.* §. 58.

PROSISCHO, προσίσχω, *admoveo*, applico, Hipp. 3. *de artic. t.* 70. Vel eſt idem, quod προσέχω, *permaneo*, duro. *l. de int. aff. LX.* 15. Vide Foëſ. *p.* 536.

PROSO, πρόσω, idem, quod ἔμπροσθεν, *ante*, *anterius*. Uſitatiſſimum Hipp. *l.* 4. *Epid. IV.* 6. Sæpe etiam pro *ultra* ponitur, *d. l. XXII.* 16. & alibi vide Foëſ. *p.* 537.

PROSODOS, πρόσοδος, Hippocr. ſtricte ſignificat *congreſſum*, vel concubitum viri cum muliere. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 26. Gal. *in comm. ad h. l.*

PROSOEMA, πρόσοιμα, idem, quod πρόσαρμα, id quod offertur ad aſſumendum, Gorr.

PROSOPON, πρόσωπον, vide *Facies*.

PROSOPSEMA, προσόψημα, vocatur quicquid ad panem adhibetur comedendum. Alias & προσφάγιον. Linden. *Exerc. XVI.* §. 159. idem, quod ὄψον.

PROSPECTIO, πρόνοια, προβούλευσις. Vide *Prometheomæ*.

PROSPEGMA, πρόσπηγμα, *concretio* dicitur, v. g. mucoſæ materiæ in ano, procidentiam ejus promovens. Hipp. 2. *Prorrhet. XXXII.* 3.

PROSPEPTOCOS, προσπεπτωκὼς, epitheton faſciarum adhæreſcentium, & ita membro veluti occurſantium, coactarum & adſtrictarum, Hippocr. *l. de fract. t.* 40.

PROSPHAGION, προσφάγιον, idem, quod προσόψημα. Vide *Proſopſema*. In ſpecie pulticulam notare; aut potius juſculum, colligere licet ex Moſchion. *de morb. mul. c.* 55.

PROSPHEROMENA, προσφερόμενα, dicuntur eæ res non naturales, *quæ aſſumuntur* intra corpus: Alimenta videlicet, & Aër. Gal. *l.* 10. *meth. med. cap.* 7. Sæpe ſtrictius de alimentis tantum uſurpatur, & verbum προσφέρειν, & τὰ προσφερόμενα. Haud raro tamen & generaliter omnia præſidia & auxilia, etiam externa, quæ circa ægrum parantur, nomine veniunt τῶν προσφερομένων, cujuſmodi ſunt ligamenta, medicamenta, & lintea circa vulnus, cataplaſmata, Hippocr. *de Medico III.* 9. *ſeqq.* Junge Foëſ. *d. l.* Lind. *Ex. XIII.* §. 291.

PROSPHORA, προσφορὰ, *oblationem*, & id, quod offertur, ſignificat. Hoc etiam προσφόρημα, πρόσοισμα dicitur, & coincidit cum τῷ προσφερομένῳ. Dieter. *n.* 733. Alias πρόσφορος idem, quod πρόφορος, i. e. *utilis*, congruus. Linden. *d. l.* §. 295.

PROSPHOREMA, προσφόρημα, idem, quod προσφερόμενον, *oblatum*, vide *Oblata*.

PROSPHYSIS, πρόσφυσις, vocatur *Annexio*, Connexio. Hipp. 3. *de artic.* 3.

PROSPOEEO, προσποιέω, *ſimulo*: Vide *Simulatio*.

PROSTASIS, πρόστασις, ſignificat *præſtantiam*, *dominium*, vel abundantiam, v. g. humorum excrementitiorum, Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 16. & ita deſcendit à προΐστημι, vel προΐσταμαι, quod ſignificat *præeſſe*, dominari, antecellere, *l.* 5. *Epid. XVIII.* 5. quamvis ibi in malam partem accipiatur, de ſpirandi difficultate. Προστατεῖν vero etiam *dominari* ſignificat, & dicitur de Medico, dum morbo præeſt, *ſ. Præcept. X.* 8. Πρόστασις vero, quatenus deſcendit à προστείνω, extendo ad aliquid, dicitur de carnis *protenſione*, facta ad os, *l. de Loc. in hom. XXIII.* 5. Jung. Foëſ. *p.* 542. 536.

PROSTATÆ, προστάται, vocantur binæ glandulæ, ſitæ ad radicem penis, ſupra ſphincterem ejus, ad utrumque latus: quamvis Columbus *Paraſtatas* dixerit, Fallopius *Glandoſum aſſiſtens*; quarum glandularum hiſtoriam vide apud Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 23. Warthon. *Adenograph. c.* 30. & junge *Exerc. XII. Anat.* Pæonis & Pythagoræ.

PROSTELLOMÆ, προστέλλομαι, i. e. *gracileſco*, unde προεστελμένοι *graciles* & ſicciores dicuntur Hipp. *de ſal. diæt. l.* 6. & 16.

PROSTERNIDION, προστερνίδιον, *pectorale* ſignificat, quemadmodum & προστηθίδιον. Vide *Pectoralis.*

PROSTETHIS, προστηθὶς, dicitur pars carnoſa, quæ in manuum & pedum cavitatibus, & inter digitos, naſcitur. In manu στῆθος χειρὸς, in pede στῆθος ποδὸς vocatur. Gorr. Caſtell.

PROSTHEMENOS, προσθεμένος. Vide *Proſtithemi.*

PROSTHESIS, πρόσθεσις, *Appoſitio.* Vide *Additio.*

PROSTHETA, πρόσθετα, in genere, dicuntur omnia *medicamenta Topica* ſive externa; quæ apponuntur corpori & partibus ejus. In ſpecie vero apud Hippocr. vocantur illa medicamenta, quæ utero vel inſinuantur, vel applicantur: *Subdititia*, vel *ſubdita*; quales ſunt peſſi, glandes, Gal. *c.* 3. *in lib.* 1. *Epid. t.* 22. quorum ingentem Catalogum reperies apud eundem, *l. de nat. muliebr. & de morb. mul.* Dicuntur & προσθέματα, ibid. Vide Foëſ. *p.* 535.

PROSTHION, πρόσθιον, *pudendum virile*, ſive penem, vel mentulam ſignificat; quamvis Foëſ. exiſtimet legendum eſſe πόσθιον. *l.* 5. *Ep. VII.* 19.

PROSTITHEMI, προστίθημι, ſignificat *appono*, offero, exhibeo, ſcil. alimenta, 1. *aph.* 12. cui opponitur τὸ ὑποστέλλεσθαι, *ſubtrahere.* Dieter. *n.* 732. Hinc πρόσθεσις, *appoſitio*, additio. In ſpecie deinde ſignificat προστιθέναι, *ſubdere*, *ſupponere* in vel ad uterum, quod frequens apud Hippocr. *in lib. de nat. mul. & morb. mul.* alibique προσθεμένη, *ſuppoſita.* Vide Foëſ. *d. l.* Unde προσθετὰ, *ſubdititia.* p. a.

PROSTOMION, προστόμιον, dicitur, quando ambo labia extremitatibus ſuis rubris invicem committuntur, & legitur in D. D. Hofmanni *Idea Machinæ Hum. Ex. XIIX. ſect.* 28. § 1.

PROSTRATORIA, καταβλητική, dicitur ſpecies artis *Gymnaſticæ*, quæ alias *Luctatoria* dicitur, Gal. *ad Thraſybul. c.* 45.

PROTARICHEUO, προταριχεύω, *præmacero*, vel prius exicco, Lat. dicitur, ταριχεύειν enim exiccare ſignificat. Dicitur de iis, qui corpus inedia exiccant præpropere; quod Diatritarios feciſſe Galen. teſtatur. Legitur apud Hippocr. 2. *de R. V. I. A. t.* 18. adde Foëſ. *p.* 538.

PROTASIS, πρότασις, *protenſionem* ſignificat. Dicitur de ſpiratione protenſa, 4. *de R. V. I. A. t.* 21. Gal. *in comm. ad h. l.*

PROTEUS, πρωτεὺς, nomen eſt Collyrii in principio ſuffuſionum efficacis ad omnem viſus hebetudinem, callos, & cicatrices. Æginet. *l.* 7. *c.* 16. Gorr.

PROTHEUS dicitur *Mercurius*, qui ſe in omnes formas vertit, & denuo propriam recuperat, Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 1. *Protheus* quoque dicitur *prima materia*, Theatr. Chym. *Vol. V. p.* 344. & *ignis* vel ſpiritus ignis; quod non habeat formam, ſed in ſe omnia tranſmutet, quæ attingit, ſicut *Protheus*, Ægyptiorum genius, feciſſe fingitur. *Vol. VI. p.* 16. Quid *Protheus*, omniformis Terræ viſcerum vocetur, videatur in Hartmanni *Miſcellan. Chymico-Medic. Oper. in fol. Tom. VI. p.* 11.

PROTHYMIA, προθυμία, *alacritas*, promtitudo, quemadmodum & adject. πρόθυμος, *alacris*, vegetus, Latine redditur, quod in comparat. occurrit apud Hipp. 1. *aph.* 13. Jung. Dieter. *n.* 722. Verbum προθυμέομαι non modo ſignificat alacri eſſe animo, ſed & idem eſt, quod προμηθέομαι, præmeditato conſilio & animo ſibi proponere. *Coac. t.* 47.

PROTMESIS, πρότμησις, à quibuſdam dicitur *Umbilicus*, quod primum in infante reſecetur. Gorræus.

PROTOGALA, πρωτόγαλα, vocatur *Lac*, quod ſtatim *à partu mulctum* eſt, quodque, cinere calido tepefactum, citra coagulum, ſtatim concreſcit. Hoc veteres Comici πυριάτην, in Aſia πυρίεφθον appellabant: teſte Gal. & notante Gorr. Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 16. J. Alex. *l.* 12. *Sal. c.* 9.

PROTOGONOS, πρωτόγονος, vide *Primigenius.*

PROTOPATHEIA, πρωτοπάθεια, *primarius affectus*, vel morbus dicitur, quemadmodum *morbus per conſenſum* ſuperveniens, δευτεροπάθεια. Ille dicitur & ἰδιοπάθεια: Galen. *l.* 1. *de Loc. Aff. c.* 3. Vide *Idiopatheia.*

PROTOPEPTICUS, πρωτοπεπτικὸς, videtur haud ineptum epitheton fermenti in ventriculo chylificantis & alimenta digerentis, inque chymum permutantis, quod legiſſe meminimus in Andr. Buxbaum *Diſp. Inaug. de ventric. Inflatione in proœmio.*

PROTOPLASTUS, *primus homo* Paracelſo, *Com. XIIX. Oper.* ubi & *Protothoma* dicitur.

PROTORRHYTOS, πρωτόῤῥυτος, dicitur *Reſina*, *quæ primum ſponte fluit*: unde & αὐτόῤῥυτος vocatur. Alias καπνέλαιον. Gorr.

PROTOSMA, Paracelſo vocatur *prima mulier. d. l.*

PROTOSTACTOS, πρωτόστακτος, epitheton *lixivii*, *quod primum extillat*, & in quod parandum calx ad cinerem quemcunque additur. Ægin. *l.* 7. *c.* 17. Gorræus.

PROTOTOMI, πρωτότομοι, dicuntur caules braſſicæ teneriores, ſive *aſparagi*: ex Gal. *l.* 2. *de al. fac.* notante Gorr.

PROTROPON, πρότροπον, idem, quod πρόδρομον, vel πρόχυμα. Vide *Prochyma.*

PROTUBERANTIA, ſumitur pro omni *eminentia*, ſive naturali, ſive præternaturali. Ita *protuberantiæ oſſium* ſunt ἀποφύσεις: Vide *Apophyſis. Protuberantiæ in cerebro* & cerebello leguntur variæ in Anatomicis. Vide Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 2. *m.* 3. *Protuberantiæ* p. n. dicuntur ἐξοχαί. Vide *Eminentia.*

PROVECTUS, *Provectior*, προαυξής, vide *Proauxes.*

PROVIDENTIA, πρόνοια, dicitur de *Divina virtute* gubernatrice & directrice omnium rerum. Gal. *l. de fœt. format. c.* 6. Vel idem, quod *præcognitio*; de quo vide *ſupra.*

PROULIMATESIS legitur apud Foreſt. *l.* 18. *obſ.* 34. *in Schol.* & denotat vitium ventriculi in ſitu, quando extrinſecus prominet, cum tumore, eſtque incurabile malum. Verum alibi hoc vocabulum reperire non licuit. An fortaſſis mendum ſubeſt? An vero deducendum vocabulum à Græco & Poëtico οὔλιμος, vel οὖλιος, ab ὄλλυμι, occurrit, Lat. *perniciosus*, *noxius*, & ita legendum ſit προουλιμάθεσις, h. e. *præexiſtens perniciosa poſitio.* Refert enim Autor inter ventriculi vitia naturalia incurabilia.

PROVOCATORII Dies ſunt iidem, qui *Intercalares*, vel *intercidentes* dicuntur, qui inter criticos & indices numerantur, & in quibus etiam aliquando criſes imperfectæ fiunt. Blanc *in Lex.*

PROXENOS, πρόξενος, dicitur, qui peregrinos hoſpitio excipit, & hoſpitalitatis officium præſtat, Erot. *in Onom. pag.* 96. *d.* Foëſ. *Oecon. p.* 531.

PRUDENTIA, φρόνησις, Generalior vocabuli ſignificatio ſpectat ad Philoſophos. *Prudentia Medica* eſt, quæ nititur recta ratione, comparaturque diſcendo & faciendo, eſtque neque tumida, neque timida. Recte dicitur oculus ſcientiæ, vel artis. Lind. *Ex.XIII.* §. 534. *Ex. XV.* §. 1. 2. Ita celeberrimus Medicus Italus modernus Georgius Baglivus in elegantiſſimo ſuo *de praxi Medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda*, Tractatu *in præfat.* ſcripſit: Medicinam vel prudentiam eſſe vel prudentiæ ſpeciem, cui perficiendæ nihil æque conducat ac experientia, &c. quæ ſequuntur, cuncta legi merentur.

PRUGRÆNO, προυγραίνω, pro προϋγραίνω, *Præhumecto* Latine dicitur, Hippocr. 4. *aph.* 13. Idem, quod ὑγρὰ ποιεῖν: *Corpora fluida facere*, 2. *aph.* 9. Vide Dieter. *n.* 734.

PRUINA, πάχνη, quid ſit, e Nomenclaturis & Phyſicis conſtat. Aquam *pruinæ* minus eſſe ſalutarem, docet J. Alex. *l.* 17. *Sal. c.* 12. *Pruina in urina* Paracelſo dicitur contentum urinæ ſabuloſum, quod & *Uſnea* vocatur *lib.* 1. *de urin. judic. tr.* 2. *cap.* 2. *ut & in Schol. Pruinam* vocat Dorn. Rul. & Ioh. ſ. primam Tartari ſpeciem. *Pruinæ Chymicæ* ſunt *Sublimata.* Libav. *Alchym. Pharmac. c.* 1.

PRUNA, ἄνθραξ, æquivocum eſt: 1. notat particulam torris, qua differt à flamma, quod ejus materia ſit magis terrea, quam flamma. Gal. *l.* 3. *de Temp. c.* 1. Deinde Pathologice idem eſt, quod *Carbunculus*, *Ignis Perſicus.* Paracelſ. *l. de ulc. & apoſtem. c.* 32. Vide *Anthrax. Ignis Perſicus.*

PRUNELLA Paracelſo idem eſt quod *Angina. l.* 2. *de Tartar. tr.* 2. *c.* 5. *ut & in fragm.* Vocatur & *Prunella alba*, Walth. *Sylv. med. p.* 810.

PRUNUS, idem, quod *Pruna*, eſt ignis mortuus, rapiens membrum & vitam, natus ex incenſione trium primarum. Paracelſ. *Schol. l. de grad. & compoſ. cap.* 6.

PRURITUS, κνησμός, vide *Cneſmos.* In ſpecie *Prurigo*, vel *Pruritus* dolorificus *dentium* dicitur ὀδαξισμός, vide *Odaxiſmos.*

PSÆRO, ψαίρω, apud Hipp. ſignificat *leviter moveor*, agitor: & uſurpatur de utero poſt partum difficiliorem leviter moto: *lib.* 2. *de morb. mul. XXXIIX.* 6. de pulſibus leviter ferientibus, *d.l.LXIII.* 8. adde Foëſ. *Oec. p.* 688.

PSÆSTA, ψαιστά, vocatur *liba*, placentæ, ex maza, oleo, & melle ſubactæ. Vide *Itrion. Libum*, ψαιστὴ μάζα, legitur apud Hippocr. *l. de int. aff. XLIV.* 20. Vide Foëſ. *d. l.* conf. Gal. *in exeg.*

PSAGDAS, ψάγδας, dicitur ſpecies Unguenti cujuſdam. Gal. *in Ex. voc. Hipp.* Conf. Erotianus.

PSALIDOEIDES, ψαλιδοειδής, ſive ψαλοειδής, Lat. *Fornicatus*, dicitur de cerebri parte convexa. Vide *Camara.*

PSAMMISMOS, ψαμμισμός, dicitur genus curationis, quod per *arenam* perficitur, cujus meminit Ægineta, in cura hydropis, *l.* 7. *c.* 3. in ἄμμος, unde & ἀμμισμὸς appellari poſſet. Gorr.

PSAMMODES, ψαμμώδης, i. e. *Arenoſus*, Sabuloſus. Hipp. 4. *a.* 79. Vide *Arena.* Diet. *n.* 939.

PSAMMOS, ψάμμος, vide *Arena.*

PSAPHEROS, ψαφερός, ψαφαρός, idem, quod ψαθυρός, *friabilis.* Dicitur de excrementis ſiccis: *Coac. t.* 60. De urina turbida cum aſperitate. *t.* 583. de ſubſtantia glandularum ac cerebri, *l. de Glandul. I.* 3. *XII.* 2. adde Foëſ. *p.* 689.

PSARON, ψαρόν, nomen medicamenti ſicci, acris & erodentis, ad carnis excreſcentias in ulceribus depaſcendas; cujus meminit Æginet. *l.*4. *c.* 43. & deſcriptio habetur apud Aët. *l.* 14. *c.* 36. citante Gorræo.

PSATHYROS, ψαθυρός, idem, quod ψαφερός, *friabilis.* Vide *Hypopſathyros.*

PSAUO, ψαύω, duplicem habet ſignificationem, 1. *attingo*, & ita idem, quod ἅπτομαι. Ita ψαυόμενον dicitur, quod *attingitur*, vel tangitur: Hippocr. 1. *de fract. t.* 17. *ſ.* 3. *t.* 63. 3. *de artic. t.* 47. deinde *vellico*, & ψαύομαι, vellicor, *l.*2. *de morb. mul. LVI.* 1. adde Foëſ. *pag.* 588.

PSEGMA, ψῆγμα, ſic à nonnullis olim vocatum

fuiſſe *æris florem*, Dioſcorides autor eſt, *l.*5.*c.*88. quaſi *ramentum* veterum clavorum. Gorr.

PSELAPHIA, ψηλαφία, dicitur *palpatio*, *contrectatio*, quæ fit manibus, vel more cœcorum, vel inveſtigantium; nec video neceſſitatem, cur Interpretes reddiderint per frictionem, in loco Hippocr. *de dec. orn. VII.* 17. cum commode propria ſignificatio *contrectationis* retineri poſſit; dum præcipit Hippocr. manuariam omnem operam, & inter eas quoque *contrectationem*, ſi quæ neceſſaria, procurandam eſſe μετὰ καταστολῆς, cum omni ſubmiſſione. Verbum ψηλαφᾶν ſignificat manibus palpare & *contrectare*, legiturque *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 86. Inde ψηλαφώδεις ægri dicuntur, qui *manibus palpant* & contrectant, veſtigantium more, 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 16. & *Coac. t.* 267.

PSELLOTES, ψελλότης. Vide *Balbuties.*

PSEPHOS, ψέφος, idem, quod σκότος, i. e. *Tenebræ*, unde ψεφαρὸς ſignificat *caliginoſum*, nigricans. Gal. *in Ex. dict. Hipp.* Foëſ. *p.* 689.

PSETTACEUS, ψῆττα, epitheton *piſcium planorum* duplicis generis, lævium & ſpinoſorum; quo pertinent *Paſſeres*, *Rhombi*, *Soleæ* &c. de quibus vide Aldrov. *l.* 2. *de Piſc. c.* 42. *ſeqq.* ubi vocantur *Pſittacei.*

PSEUDOASTHMA, ψευδάσθμα, vocatur aſthma ab abſceſſu, carunculis vel aliis cauſſis ſolidis originem ſuam trahens, Alex. Benedict. Veronenſ. *l.* 8. *c.* 33.

PSEUDOCADMIA, vide *Anticadmia.*

PSEUDOHYDROPS, legitur apud Zac. Luſit. *Prax. admir. l.* 2. *obſ.* 80.

PSEUDOLIEN rectius fortaſſis *Pſeudoſplen*, ψευδοσπλὴν, dicitur de glandulis liens adſitis & illi ſola magnitudine excepta, quoad ſubſtantiam & colorem ſimilibus, vaſcula quoque à ſpleneticis oriunda obtinentibus, quales obſervavit celeberrimus Ruyſchius *Cent.* 1. *Obſ.* 51.

PSEUDOMEDICUS, Gr. dici poſſet ψευδίατρος; dicitur, qui Medicinam impoſturis ſuis defœdat, quorum hodieque infinitus eſt numerus. De iis legatur elegans Epiſtola Langii *l.* 1. *ep.* 1. & *l.*3. *ep.ult.* Caſp.Rejes C. *El. q.* 6. *n.* 4.

PSEUDOMOLA, vide *Placentula.*

PSEUDOPHTHISIS, ψευδόφθισις, hoc vocab. legitur *in Ephem. N. Cur. Ann. II. in Indic.* Significat vero tabem, quæ mentitur phthiſin.

PSEUDOPOLYPUS, ψευδοπόλυπος, dicitur excreſcentia membranacea & fungoſa in cerebro & utero genita abſque rubore, apud Bonetum *Med. Septentr. l.*1. *ſect.* 3. *c.* 5. §. 3. *p.* 60. Ita Kerkringium *pſeudopolypis* cordis, quos obſervavit, perſuaſum *Polypos* veros inficiatum eſſe exiſtimavit & reprehendit D. Pechlin. *l.* 11. *Obſ. Phyſ. Med. O.* 1. *p.* 202.

PSIDA, cortex mali granati. Euchar. Rhod. *de partu c.* 12.

PSILOMA, ψίλωμα, ψίλωσις, *Nudationem*, *denudationem* ſignificat, v. g. oſſis, 7.*aphor.*19. *Epid.XXXV.* 1. *l.* 7. *XIX.* 1. Dicuntur & oſſa ἐψιλωμένα, *denudata*: 5. *aph.* 22. ψιλὸς, *nudum* ſignificat. Tropice tribuitur aquæ puræ, vino non permixtæ, *l. de int. aff. XXXIIX.* 38. Jung. Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 940.

PSILOTHRON, ψίλωθρον: Vide *Depilatorium.*

PSINKUS, id eſt, *Ceruſſa.* Rul. Iohnſ. item *Pſincus* dicitur, *ibidem.*

PSIMMYTHION, *Pſimmithon*, ψιμμύθιον. Vide *Ceruſſa.*

PSITTACION, ψιττάκιον, nomen *Emplaſtri* emollientis & diſcutientis, quod deſcribitur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 17. & Aët. *l.* 15. citante Gorræo. Eſt quoque nomen *Collyrii* apud Scribon. Larg. *n.* 27. Jung. Rhod. *in not. ad h. l.* ita dicti à coloris varietate. Meminit & Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7.

PSITTACUS, ψιττάκη, vel ψιττακὸς, item πιτταγὸς; nomen avis peregrinæ, & apud Indos frequentis: cujus deſcriptionem, cum ſpeciebus variis & uſibus, tradidit Aldrov. *l.* 11. *Ornithol. cap.* 1. *ſeqq.* & ejus Anatomen D. Oliger. Jacobæus communicavit *Actis Hafnienſ. Volum. II. Obſerv.* 124. *p.* 314.

PSOÆ, ψόαι, dicuntur & *Muſculi lumborum* & *Lumbi ipſi*, apud Hippocr. uti notavit Foëſ. *d. l. ex.* 2. *de nat. hum. t.* 9. *de Oſſ. nat.* vel juxta Linden. *de Venis XII.* 2. 3. 3. *de art. t.* 43. Legitur & ψύα. *d. l. XXV.* 9 & *l. de ſacr. morb. VI.* 8. De *muſculis pſoas* vide Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11.

PSOMISMA, ψώμισμα, vocatur Gal. *cibus*, *qui pueris offertur*, & ori inditur, *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 4. à verbo ψωμίζειν, *cibum in os indere*: quod aliquoties uſurpavit Hippocr. *l.*4. *de morb. XXVII.* 11. *l.*1. *de morb. mul. LVI.* 12. *l.* 7. *Epid. III.* 21. à ψωμὸς, quod *buccam* notat. Rhod. *ad Scribon. n.* 201. adde Foëſ. *p.* 690.

PSOPHOS, ψόφος, *ſtrepitum* ſignificat, & pavorem ex ſtrepitu: *Coac. t.* 96. & 386. Hinc ψοφώδεις dicuntur, *qui ſtrepitum facile ſentiunt*, & expaveſcunt: Galen. *c.* 1. *in* 1. *Prorrhet. t.* 16. adde Foëſ. *d. l.*

PSORA, ψώρα, dicitur *Scabies*, cum aſperitate ſummæ cutis & pruritu, proveniens ab ichoroſo corrupto ſanguine, multis ſalinis, lixivioſis, & corroſivis particulis fixis ſcatente, cutimque & integumenta diſſolvente. Dicitur & ψωρίασις. Gal. *in def. med.*

PSORICA, ψωρικὰ, dicuntur medicamenta, quæ contra *pſoras* & ſcabiem proſunt, & cutis aſperitatem emendant, & in ſpecie in palpebris; Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 3. *ſeqq.* Gorr. & Caſtel.

PSOROPHTHALMIA, ψωροφθαλμία, dicitur oculi palpebrarum *ſcabies pruriginoſa*, Galen. *l. de fac. parab. c.* 10. Caſtell. Gorr.

PSYCHAGOGICA, ψυχαγωγικὰ, vocantur à Conr. V. Schneidero Medicamenta illa, quibus Apoplexia & Syncope curantur, quatenus ſpiritus animales evocant, & ſenſus internos movent, *tract. de nova trium morb. curat.c.*6. *in fin. p.m.*105. quamvis fortaſſis ſine autoritate,

&

& contra receptam ſignificationem verbi ἄγειν in aliis compoſitis vocabulis, in quibus ſemper evacuationem & eductionem ſignificat, v. g. Cholagoga, Phlegmagoga, ut ita vox *Pſychagoga*, vel *Pſychagogica*, notaret medicamenta animam educentia, h. e. *venena lethalia.*

PSYCHOLOGIA, ψυχολογία, *doctrina de anima.* Barthol. *in proœm. Anat.* Hæc quomodo ad Medicinam pertineat, addiſcere licet ex Th. Willis *erudito tract. de Anima Brutorum.*

PSYCHE, ψυχὴ, vide *Anima. Pſychicos*, ψυχικὸς, vide *Animalis.*

PSYCHOMACHIA, ψυχομαχία, ſignificat conflictum, qui oritur ex affectibus animi vehementioribus, ut cogitationes quandoque tandiu inhibeantur, donec commotio illa ceſſaverit, nec ſemper mens illas paſſiones cito ſiſtere, nec in contrarium ad lubitum mutare poſſit. Meminit ejus Charlton. *Exercit. Patholog. IIX.* §. 18.

PSYCHROLUSIA, ψυχρολυσία, *balneum frigidum* ſignificat, atque ita cum ſequente voce coincidit. Hæc vero legitur in Novis curioſis Hamburgenſibus *Remarques* dictis *Anni* 1703. idem ergo quod *Pſychroluthron.*

PSYCHROLUTRON, ψυχρόλουτρον, *balneum aquæ frigidæ*, quod olim antiqui adſtruxerunt balneis æſtivis, ad corpus à ſudatione reficiendum, & natando exercendum, Lang. *l.* 1. *ep.* 50. Legitur & ψυχρολουσία apud Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 1. *p. m.* 259.

PSYCHROPHOBOS, ψυχροφόβος, dicitur, *qui timet aquæ frigidæ uſum*; Gal. *l.* 9. *meth. med. cap.* 5. *circa fin.*

PSYCHROPOSIA, ψυχροποσία, quod *frigidum potum* ſignificat, quemadmodum ex aliis quoque Lexicis Græco-Latinis conſtat. Quam noxius vero hic ſit potus, non modo pluribus ægris, verum etiam ſanis, quotidiana teſtatur experientia.

PSYCHROS, ψυχρὸς, ψυχρότης. Vide *Frigidus.*

PSYCTERIOS, PSYCTICOS, ψυκτήριος, ψυκτικὸς, vide *Frigefaciens.*

PSYDRACIA, ψυδράκια, dicuntur *papulæ*, vel *veſiculæ*, in capite obortæ, à tenui lympha, minus acri & calida, obortæ: unde à *Phlyctænis* in hoc differre docent Autores, Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 9.

PSYGMA, ψύγμα, dicitur *medicamentum refrigerans*, Hipp. *l.* 2. *de morb. XVI.* 15. 18. *XIX.* 9. *l. de morb. mul. XXXIIX.* 8.

PSYLLOS, ψύλλος, vide *Pulex.*

PSYTHIOS, ψύθιος, epitheton *vini dulcis*, apud Linden. *Ex. X.* §. 100. 101.

PSYXIS, ψύξις, *Refrigeratio*, *frigus*, frigiditas dicitur: Vide *Frigefactio*, alias ψυκτικόν.

PTARMOS, πταρμὸς, Lat. *Sternutatio* dicitur; eſtque ſpecies motus convulſivi, quamvis non ſemper mere præternaturalis, violenti tamen; in quo, poſt aliquam inſpirationis inchoatæ ſuſpenſionem, vi magna, ſed interrupta, per nares & os, cum vehementi univerſi corporis concuſſione, & ſono quandoque magno, aër cum occurrentibus una vice expellitur, uti recte deſcripſit Sylvius *P. M. l.* 1. 23. §. 3. Irritatio vero ſit in naribus, ab aura, vel effluviis acribus, volatilibus & alkalicis; aliquando etiam à nimio ſplendore, nervoſas partes narium vellicantibus; quamvis modum afficiendi exacte nemo adhuc expreſſerit. Hinc C. Hofmann. vocavit opus mirabile *Sternutationem*; ut hactenus nemo vel Philoſophorum, vel Medicorum explicarit modum, quo ſit. *l.* 5. *Inſt. c.* 36. §. 5. Jung. Dieter. *n.* 737. *Sternutationem* aliquando fuiſſe certum ſignum ebrietatis imminentis in quodam mercatore obſervavit D. D. Vit. Riedlin. *Linear. Medic. Anno* 1696. *m. April. Obſ.* 23. *Ptarmica*, πταρμικὰ, *Sternutatoria* medicamenta dicuntur, Errhina, quæ ſternutationem promovent, uſitatiſſima & notiſſima. Weker. *A. Gen. l.* 1. *c.* 47.

PTERNA, πτέρνη, Lat. *Calcis os*: Vide *Calcaneus.*

PTERON, πτερὸν: Vide *Avis*, *Volatilis.*

PTERYGION, πτερύγιον, proprie *parvam alam* ſignificat. Unde alæ narium vocantur πτερύγια; Vide *Ala.* Per tranſlationem vero etiam ita vocatur *Unguis in oculo*; qui eſt morbus in numero aucto, conſiſtit in membranacea quadam materia, duriuſcula, vel molli, adhærente tunicæ plerunque adnatæ, aliquando cum viſus abolitione, dum ad papillam uſque protenditur, & oritur à ſucci nutritio-excrementitii affluxu ſuperfluo, ob læſionem aliquam in oculo prægreſſam: vide *Onyx.* Legatur Aquapend. *de Oper. Chirurg. h. t.* Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 7. Riv. *l.* 2. *c.* 18. πτερύγιον quoque vocari incrementum carnis p. n. in unguibus pedum, aut manuum, partem unguis operiens, autor eſt Celſus, *l.* 16. *c.* 18. notante Foëſ. *p.* 541.

PTERYGODEES, πτερυγώδεες, dicuntur ab Hippocrate μετάφρενα, qui protenſo collo ſunt, amplaque habent & elata pectora. Vide *Pteryx.*

PTERYGOIDES, πτερυγοειδὴς, i. e. *Aliformis.* Vide *Alaris.*

PTERYGOSTAPHYLINI vocantur Muſculi exigui Uvulam ſuſpendentes, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 12. *p.* 540.

PTERYX, πτέρυξ, Latine *Ala* dicitur, idem, quod μασχάλη, vide *Ala.* Hinc πτερυγώδεις, *alati*, vocantur, qui oblongo ſunt collo, & utplurimum lata & eminentia habent pectora, *l.* 3. *Epid ſ.* 3. *t.* 70. Galen. *in comm. ad h. l.* adde prolixius differentem Foëſ. *d. l.*

PTILOSIS, πτίλωσις, eſt *palpebrarum defluvium*: quando pili e palpebris excidunt, quod oritur ab acrimonia ichoroſa corroſiva, Gal. *defin. med.* & *in Iſagog. cap.* 16. Ægineta vero *l.* 3. *c.* 22. per calloſitatem palpebrarum rubicundam deſcripſit. Verum πτίλοι Gal. dicuntur, quibus periere ex ciliis pili, *l.* 14. *meth. med. c.* 18. *ſub fin.* & *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8.

PTISANA, πτισάνη, πτισσάνη, proprie ſignificat *hordeum decorticatum* & mundatum, ſive piſtum; aliquando

quando tamen & pro ſucco & juſculo ex illius modi hordeo parato ſumitur, Gal. *l. 9. de plac. Hipp. & Plat. c. 6. Ptiſanæ* laudes non modo prolixe ſcripſit Hippocr. *in l. de R. V. I. A.* quod ſit inter omnes ſorbitiones optima, omnibus frumentaceis eduliis anteferenda &c. verum etiam confirmavit hoc continua experientia uſque ad noſtra tempora. Jung. Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 8. Lang. *l.* 1. *ep.* 57. Bruyerin. *de re cibar. l.* 5. *c.* 10. Dividitur etiam *Ptiſana* in colatam & non colatam à P. M. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 404. Alias *ptiſana* quoque dicitur cum additione πυρίνη, *triticea*, apud Hipp. *l. de affect. XLII.* 7. & *l. de morb. mul. XCIII.* 24.

PTOODES, πτοώδης, dicitur *timidus*, meticuloſus, *expaveſcens.* Hipp. *l. 6. Epid. ſect.* 2. *t.* 38. à πτοία, quod vel *periculum*, vel *metum* nonnullis ſignificat. Foëſ. *Oecon. p.* 542.

PTOSIS, πτῶσις, generaliter ſignificat *caſum*, *Lapſum*: vide *Lapſus.* In ſpecie vero idem ſignificat, quod φαλάγγωσις. vide *Phalangoſis.* Gorr. Caſtell.

PTYALAGOGOS, πτυαλαγωγὸς, dicitur de medicamentis *ſalivationem efficientibus*, quæ laudantur in morbis chronicis, etiam febribus quartanis ex Tulpio à Boneto *Mercur. Compit. l. 6. p.* 207. *n.* 21.

PTYALISMOS, πτυαλισμὸς, πτυελισμὸς, dicitur *crebra ſputatio*, vel oris ſalivatio; cum os continenter ſaliva redundat. Ortum habet à copioſo ſero & lympha glandularum, præſertim ſalivalium, & excedente, ductusque ſalivales patentiores reddente. Vocabulo hoc frequentiſſime uſus Hippocr. paſſim in ſcriptis ſuis, quemadmodum & verbo πτυελίζειν, quæ loca, ſi expetuntur, reperire licet apud Foëſ. *d. l.*

PTYAS, πτυὰς, nomen ſerpentis, vel *Aſpidis*, quæ, perinde ac ſi ratione prædita fuiſſet, diſtantia emenſa, collum protendiſſe, & iter facientibus venenum inſpuiſſe, fertur. Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 8. Meminit & Aldrov. *l.* 1. *hiſt. ſerp. & drac. c.* 4.

PTYELON, πτύελον, Latine *Sputum*, dicitur, eſtque excrementum corporis naturale, quod per os rejicitur. Plenius ex recentioribus ita deſcribi poterit: *Sputum* eſt excrementum pituitoſum, à ſanguine, in cerebri membranas, per carotides & cervicales arterias, delato ſegregatum, & in glandulas, circa baſin cerebri exiſtentes, collectum, indeque deſtillans, per palatum denuo excretum, Charlton. *Oec. Anim. Ex. VII.* § 6. Jung. Ejuſdem *Exerc. Pathol. IX.* §. 13. Sæpe coincidit & confunditur cum *Saliva* σίελος dicta, de qua videatur p. inf. in *Saliva.* De *ſputi* differentiis præternaturalibus variis quæratur *in Theatro Galenico* Mundellæ, alibique, in Foëſio *p.* 543. qui Autor ſtrictius videtur deſcripſiſſe *ſputum* per excrementum, quod tuſſiendo ore rejicitur. Neque enim in naturali conſtitutione tuſſis ad *ſputi* excretionem concurrit. Screatio quidem poteſt concedi, ſi inter *ſputum* & ſalivam hoc diſcrimen eſt, quod illud craſſius ſit, quam hæc, ſed tuſſis non ſemper. Circa nominis etymologiam & varias acceptiones conſulatur Dieter. *n.* 738.

PTYGMA, πτύγμα, vocatur *panniculus complicatus*, ſive in ſinus convolutus, apud Cœl. Aurel. *l.* 1. *c.* 1. *Tard. paſſion. & l.* 2. *c.* 13. allegante Foëſio. Latine *Plagula.*

PTYSMA, πτύσμα, idem, quod πτύελον, *ſputum*; quamvis Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 5. πτύσμα diſtinxerit à πτύελῳ. Vide *Sputamen*, & πτύσις, idem quod πτυσμὸς, *exſpuitio*, vel *ſpuitio.* Loca apud Hipp. vide Foëſ. *d. l.* Latine *Screatio.*

PTYSMAGOGE, πτυσμαγωγὴ, dicitur *evacuatio per ſputum*, & medicamenta ſalivam moventia πτυσμαγωγὰ dici poſſunt, quamvis Rolfink. illud acceperit de purgatione ſeroſitatum per alvum, de ſucco Iridis loquens *tract. de Purgant. Sect. IIX. Art.* 1. *c.* 5. *p.* 246.

PUBES, *Pubertas*, ἥβη. Vide *Hebe.*

PUBLICUS, δημόσιος, πάγκοινος, πάνδημος. Uſurpatur Phyſiologice de *partibus* corporis, quæ dicuntur *publicæ*; quarum functio totius corporis ſaluti bonoque *publico* miniſtrat primario, ut organa ſanguificationis, chylificationis, &c. Vide *Dogm. noſtra M. Gen. P. I. c.* 2. *d.* 9. *p.* 28. vel de Morbis; vide *Cœnos*, *Endemos*, *Epidemios*, &c.

PUDENDA, αἰδοῖα, dicitur de utriusque ſexus membris genitalibus, vide *Ædœa.* Dieter. *n.* 14. *Pudenda* etiam vocantur Vaſa ſanguinea, quæ ad Genitalia excurrunt, Vena & Arteria. Bartholin. *libell.* 1. *c.* 8. *p.* 644. & *libell.* 2. *c.* 5. *p.* 658.

PUDENDAGRA vocatur *Lues venerea*, vel morbus Gallicus, Augerio, notante Foreſto *l.* 32. *Obſ.* 1. *Schol.* & Caſpari Torellæ, Epiſcopo S. Juſtæ, Alexandri VI. Pontif. olim Medico in tractatu ſuo *de Pudendagra*, cum Dialogo & Conſiliis, quæ extant in Aloyſ. Luiſini *Aphrodiſiaco Volum. I. p. m.* 421. *ſeqq.*

PUDOR, *Pudicitia*, αἰδὼς, αἰσχύνη, pertinet inter animi Pathemata, eſtque triſtitia quædam, ac animæ conſternatio, propter mali noſtri opinionem, ab aliis conceptam. Licet vero ſpiritus & anima ſenſitiva ſeſe contrahant, flamma tamen vitalis ſanguinem ſæpe exterius propellit, & genas rubore tingit, unde & *Pudoris ſedes* dicuntur *Genæ*; quemadmodum *Pudoris* naturam egregie expoſuit Willis, *An. Brut. P. I. c.* 9. Quodammodo jam eo quoque inclinavit Jul. Alex. *in not. ad Gal. l.* 2. *de cauſſ. ſympt. c.* 5. dicens: In *pudore* caloris, ſpirituumque, intro actorum, cum ſanguine, reciprocationis foras factæ, cauſſam eſſe rationis impulſum. Eſt alias affectus & Medicis competens; præſertim erga ſexum fœmininum, & ægris, ne videantur pudorem penitus devoraſſe. Linden. *Ex. II.* §. 21. *Dicitur & Verecundia.*

PUELLA dicitur Gr. θῆλυ, παιδίον: Galen. *l.* 1. *de ren. aff. cogn. & cur. c.* 2. παρθένος. Reſpondet ætatis ratione puero. Quamvis vero ordinarie *puella* nondum ſit apta ad impraegnationem, Spagyrici tamen finxerunt

xerunt *puellam prægnantem*, per quam intelligunt primam aquam albam; quemadmodum aquam rubram juvenem pulchrum, in labore Philoſophici lapidis: de quibus nugis ænigmaticis vide *Vol. IV. Th. Chym. pag.* 945.

PUER, παῖς, *Puellus*, παιδίον, illud proprie dicitur de ſecunda annorum hebdomade; quemadmodum hoc de prima. Diet. *n.* 643. *Puerilis*, παιδικὸς, vide *Pædicos.*

PUERPERA, τοκὰς, παιδοτόκος, dicitur proprie, quæ enixa nuperrime eſt infantem; quamvis & aliquando accipiatur pro adhuc *prægnante*, uti colligere eſt ex verſione loci, apud Hipp. *de Sterilib. XIV.* 2. ubi, τοκήεσσα dicitur *puerpera.*

PUGIL, ἀθλητὴς, idem, quod *Athleta. Luctator.* Vide *Athleticus.*

PUGILATUS, πυγμὴ, eſt ſpecies certaminis, & inter exercitia fortiora refertur, quod propulſando peragitur, & robore indiget. J. Alex. *not. ad Gal. l.* 2. *de ſan. tu. Tom. II. Oper. p.* 392.

PUGILLUS, δρὰξ, δραχίον, nomen menſuræ ſiccæ, quantum ſcil. extremis digitis invicem junctis & adductis comprehendi poteſt, ſive omnibus, ſive tribus ſaltem, Sennert. *Inſt. l.* 5. *p.* 3. *ſ.* 1. *c.* 3. Schenk. *de medic. compoſ. &c. p* 66. *aliique.*

PULBION, πȣλβίον, idem, quod ὑποκεφάλαιον, *pulvinar.* Erot. *On. p.* 193. *f.*

PULCHRITUDO, κάλλος, eſt *fructus ſanitatis*, quatenus bonam corporis conformationem cum laudabili temperie & continuatione integra ſequitur, Gal. *ad Thraſybul. c.* 14. *fin. Pulcher* etiam Gr. dicitur εὐειδὴς, h. e. *formoſus*, cui opponitur ἀειδὴς, deformis. Vid. Dieter. *n.* 9. *Pulchritudo* quoque ornat Medicum, nempe ut vel ſolo aſpectu Medici in ſpem valetudinis ægri erigantur. Linden. *S. M. Ex. I.* §. 10. *Pulchritudo* eſt ſcopus Naturæ ſecundarius, C. Hofm. *in Gal. LL. de V. P. n.* 768. verum amoris philtrum, C. Rejes. *C. El. q.* 29. §. 33. 34.

PULEX, ψύλλα, ψύλλος, nomen inſecti notiſſimi, & moleſtiſſimi, fœminis præſertim & canibus; cujus hiſtoriam vide apud Aldrovand. *lib.* 5. *de inſect. cap.* 6. Ejus ſtructuram admiratus Gal. *l.* 17. *de V. P. cap.* 1. *fin.* adde ea, quæ per microſcopium obſervata leguntur *in Eph. N. Cur. An. I. Obſerv.* 13. Alias & *Pſylli* Latine vocabantur, qui venenum e vulnere labiis exugebant, cum quis à ſerpente morſus erat, notante Keuchen. *ad Samon. p.* 257. *ſeq.*

PULLUS, πῶλος, νεοττὸς, quid ſignificet, notum eſt. In genere omnem ſobolem tenellam animalium quorumcunque; quamvis videatur frequentius dici de volatilibus, quam terreſtribus, aut aquatilibus. Imo ſimpliciter ſæpiſſime apud Autores ponitur pro *pullo gallinaceo.*

PULMENTUM, idem, quod *Puls.* De quo p. infr.

PULMO, πνεύμων, Ion. πλεύμων, vide *Pneumon. Caſtelli Lexic. Med.*

Pulmonaria vena & arteria dicuntur à nonnullis arteria venoſa & vena arterioſa veteribus alias nuncupata, teſte Bart. *l.* 2. *Anat. c.* 7. *p.* 404.

PULMONIA, idem, quod *Peripneumonia.* Vide p. ſupr. Hoc vocabulo uſus eſt P. M. de Calderia, *Tom. III. Oper. pag.* 136. & Hor. Augen. *Tom. III. Ep. & Conſ. Medic. l.* 7. *c.* 7. *p. m.* 268.

PULPA, σὰρξ, Theophr. *l.* 1. *hiſt. pl. c.* 4. dicitur caro ſeu ſubſtantia ſucculenta, præſertim fructuum, inter corticem ac nucleum comprehenſa, v. g. pomorum, ceraſorum, paſſularum, prunorum, tamarindorum, &c. Schrod. *l.* 1. *c.* 2.

PULPESIA, *Pulpezia*, idem, quod *Apoplexia*, *Sideratio.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PULS, *Pulmentum*, *Pultica*, ἔτνος, Vide *Etnos.*

PULSATIO, σφύξις, σφυγμὸς, in genere omnem motum arteriarum notat, ob ſanguinis à corde impulſum, qua naturalem, qua præternaturalem, uti ex pluribus locis demonſtravit Foëſ. *p.* 605. *ſeqq.* Jung. Dieter. *n.* 811. Hodieque tamen receptior videtur acceptio præternaturalis, ad differentiam *Pulſus*, σφυγμȣ̃, qui primario naturalem arteriarum diſtenſionem, à ſanguinis motu factam, denotat: Secundario & cum additione, etiam de præternaturali dicitur. De *pulſuum* differentiis præcipua ſaltem reperies in noſtris *Dogm. M. Gen. P. III. ſ.* 4. *p.* 361. *ſeqq.* Noviſſime quoque hoc argumentum erudite pertractavit D. Laur. Bellin. *in Operis Membr. II. de Pulſibus. Pulſatio* quoque in Pharmaceuticis dicitur, quæ fit malleo, aut piſtillo, ut partes à ſe mutuo avellantur; Ita ſemina e plantis, cortices à nucleis, medulla radicum ab exteriori ſubſtantia, *pulſando* ſeparantur. Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 28.

PULSATORIUS, σφυγματώδης, dicitur *dolor*, qui ob ſanguinis effervelcentiam & motum vehementiorem in arteriis percipitur, & in aliis partibus membranaceis & nervoſis; eſtque magnarum inflammationum accidens, Gal. *l.* 2. *de Loc. Aff. c.* 7.

PULSILOGIUM vocatur inſtrumentum Medicum, quo arteriarum motus & quies exploratur, cujus inventorem ſe eſſe gloriatur Sanctorius, ita ut centum & triginta tres æqualium motuum differentias illo inſtrumento exactiſſime dimetiri liceat, incipiendo ab obſervatione rariſſimi & procedendo ad creberrimum. De hoc plura legantur in d. Autoris *Method. vitand. error. l.* 5. *c.* 7. *fol.* 109.

PULSIO, ὦσις, ὤθησις, vide *Oſis.* Refertur inter cauſas morbificas, vel potius modos cauſſandi, aut afficiendi p. n. à Rolfink. *O. & M. M. Spec. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 28.

PULSUS, σφυγμὸς, vide *Pulſatio.* Communiter etiam motui cordis attribuitur, ſed accuratius arteriis. Nam cor non *pulſat* ab impetu ſanguinis influentis, ſed à conſtrictione & evacuatione repentina. De *Pulſifica virtute*, vel cordi, vel arteriis inſita, adhuc

 contro-

controvertitur inter Anatomicos; quam litem hujus loci non eſt expedire; quamvis non videamus urgentem rationem, quæ permoveat, ut illam *pulſificam* virtutem credamus, aut ſtatuamus.

PULTATIO, idem, quod *Atheroma*. Ingraſſ. *Comm. in Avic. de Tum. p. n. p.* 83.

PULVERATIO, *Pulveriſatio*, κονιορτωσις, dicitur operatio Pharmaceutica (quamvis & in Diætetica uſum habeat) qua in pulverem contundendo, aut terendo, ſolida ſicca corpora rediguntur. Vide *Pulvis*.

PULVILLUS, idem, quod *Plumaceolus*, ὑποκεφάλαιον, ὑπαυχένιον, vocatur *parvum pulvinar*, paratum vel ex pluma tenuiori, inter duo lintea munda ac mollia conſuta, vel ex ſtuppa cannabina diligenter pexa & mundata, vel ex lana, aut goſſypio; De quorum *pulvillorum* deſcriptione & uſu vide plura apud Foreſt. *l. 6. Chir. Obſ.* 13. *in Schol. & Obſ.* 36. *in Schol.* Poſſunt etiam referri ad *Plagulas*. Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. LVI. p.* 144.

PULVINAR, *Pulvinum*, ὑποκεφάλαιον, προσκεφάλαιον, quid ſit, pueri quoque norunt ex Nomenclaturis; vide *Hypocephalæon*; *Proſcephalæon*.

PULVIS, κόνις, vocatur ſpecies medicamenti ſicci in minutiſſimas particulas contundendo, vel terendo, redacti. Sunt vero *pulveres* alii ſimplices; alii compoſiti; alterantes, vel purgantes, vel diaphoretici; de quibus plura vide apud Practicos, præſertim Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 26. *Spec. l.* 2. *ſ.* 20. Morell. *de form. rem. l.* 1. *ſ.* 2. *c.* 7. Schroder. *l.* 2. *c.* 77. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 5. *ſeqq.* & plures alios. *Pulvis pinguis* dicitur Galeno, in quo nec aſperum quicquam, nec acre ſubeſt. *l.* 5. *de ſan. tu. cap.* 3. *circa fin.* De *pulveribus Philoſophicis*, qua medicamentoſis, ex auro, argento, mercurio, qua aurificis, quære *in Th. Chym. Vol. I. pag.* 23. 609. *Vol. II. p.* 46. *Vol. III. p.* 170. 391. 410.

PUMEX, κίσσηρις, eſt lapis poroſus, & innumeris foraminulis & cavernulis plenus, inſtar ſpongiæ. Ejus duæ ſunt ſpecies: *Niger*, vulgo lapis Balnearum, ad leviganda & purganda corpora aptus: & *Albus*, levis, trituque facilis. De cujus viribus, præparatione & uſu vide Gal. *l.* 8. *de S. F.* §. *Ciſſeris.* Dioſc. *l.* 5. *c.* 125. Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 16. Fr. Hofm. *in Clav.* Rul. & Iohnſ. De *pumice* cremato, ignito, ejusque viribus auri tincturam ſorbendi vide Libav. *Tom. II. Op. p.* 147. & 302.

PUMILUS, *Pumilio*, idem, quod *Nanus*. Vide *Nanos*.

PUNCTATIO, quæ alias ſutura per puncta adpellatur, eſt ſutura de puncto in punctum. Rhodius *de acia p.* 131.

PUNCTICULARIS dicitur febris aliquando omnis maligna, aliquando ſtricte illa, qua cum maculis & exanthematibus in habitu corporis eſt conjuncta, Petr. Mich. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 569. *ſeqq.*

PUNCTIO, νύγμα, νύξις, vide *Nygma*. Sæpe etiam ponitur pro *dolore punctorio*, qui à cauſſa interna, particulis acribus ſalinis, vel ulceroſis, vel corroſivis acidis, dependet, apud Paracelſ. paſſim *in ſcriptis*, & *aliis*.

PUNCTUM, κέντρον, vocatur cum additione *Lachrymale*, foramen oſſi naſi inſculptum, cui appoſita eſt Caruncula lachrymalis, in oculi canto majori. Barthol. *l.* 3. *Anat. cap.* 8. *Punctum* ſaliens dicitur primum cordis rudimentum & delineatio, in formatione fœtus, quando motus quidam pulſans obſervatur, ceu principium vitale.

PUNCTURA, idem, quod *Punctio*, νύγμα.

PUPILLA, κόρη, vide *Core*.

PUPPIS OS vocatur *Os frontis*, vel ſyncipitis, & ſutura in illo oſſe, Sutura *puppis*. Veſal. *in Expoſ. termin. Anatomic. ad fin. l.* 1. *de H. C. F.* Jung. Barthol. *Anat. libell. IV. c.* 5. *p.* 702. Blaſ. *Med. Un. pag.* 104. ad differentiam ſcil. ſuturæ Lambdoideæ, quæ Sutura proræ vocatur.

PUPULÆ vocantur communiter extremitates digitorum, quæ Arab. *Alanemel* vocantur. Andr. Bellunenſ. explicat. vocum Arabic. annexa operibus Avicennæ. *T. II. p.* 402.

PURGAMENTA dicuntur ſtricte excreta poſt partum, ex utero. Græc. λόχια, vide *Lochia*. Aliquando tamen pro *alvi ſordibus* accipi, docet Keuch. *ad Samonic. p.* 129. *Purgamentum* ſtellarum quid dicatur, vide *Cœliſolium*.

PURGANS, καθαρτικὸν φάρμακον, late interdum, quamvis rarius, accipitur pro omni vacuante, qua interno, per alvum, vomitum, &c. qua externo: ut ita idem ſit, quod *purificans*: dum etiam ulcera curari dicuntur, impoſito *purgante*, καθαρτικῷ. Hippocr. 3. *de fract. t.* 3. adde Foëſ. *Oecon. p.* 297. interdum ſtricte & frequentiſſime pro *purgante* ſolum *per alvum*. Et in hac ſignificatione deſcribi poſſunt ac debent *purgantia*, quod ſint medicamenta, quæ virtute fermentativa, magis, vel minus vehementiori, vel colliquativa, humores excrementitios & vitioſos, ad ſegregationem à vitalibus & utilibus ad loca convenientia, præprimis ductum bilarium & pancreaticum, diſponunt, ſimulque irritando & vellicando fibras inteſtinorum excretionem illorum recrementorum eo depoſitorum promovent. Dividuntur in *mitiora*, & *fortiora*; quibus nonnulli *intermedia* præter neceſſitatem adjiciunt. Catalogum utrorumque, & quidem cum *ſimplicium*, tum *compoſitorum*, paſſim reperies in Practicis. Elective humores *purgare*, aut vi magnetica allicere, commentum eſt. Plura de *purgantibus* qui deſiderat, legat, præter Hippocr. Galen. & alios antiquiores, etiam ex recentioribus præprimis Schroder. *lib.* 4. *cl.* 3. cum Fr. Hofm. *Clave ad h. l.* Rolfink. *Tr. de Purgantibus, O. ac M. M. Sp. l.* 5. *ſect.* 1. *per tot.* Linden. *Ex. XIII.* §. 349. *ſeqq.* Williſ. *Pharm. Rat. Part. I. ſ.* 3. *c.* 1. Pechlin. *tr. de Purg.* Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1.

ſect. 1. *c.* 2. *p.* 456. *ſeqq.* ut & noſtras Diſputationes *de Remoris purgationis*, *Diſp. II. & appendicem* de *purgationis modo ac viis ad alvum.* An vero *Purgantia* in ſe ac ſua natura dentur adeo ſecura, ut nec putrefaciant, nec vitalia reſolvant, nihilque expellant foras, niſi quantum peccet, ideoque non aggravent, ſed ab onere ſaltem ſublevent, uti voluit Helmont. *tr. Poteſtas medicam.* §. 34. & Fr. Hofm. *d. l.* de eo valde adhuc dubitatur, ob naturam omnium *purgantium* naturæ noſtræ vel ad minimum quodammodo adverſam. Vide *allegatam noſtram Diſputationem.*

PURGATIO, κάθαρσις, φαρμακεία, aliquando latiſſime ſumitur pro omni evacuatione; ut ita idem, quod κένωσις ſit: ſive à natura proveniat, ſive arte procuretur; quemadmodum hoc pluribus, ex Hippocr. & Gal. locis demonſtravit Foëſ. p. 296. 297. aliquando vero ſtricte, pro *purgatione* artificiali; quæ per inferiora inſtituitur, & ita deſcribi poteſt: *Purgatio* eſt evacuatio humorum excrementitiorum & vitioſorum, e viis convenientibus, ductu biliario & pancreatico, ad inteſtina depoſitorum, mediante horum irritatione, & ad expulſionem ſtimulatione, virtute purgantium magis vel minus colliquativa facta. Videantur autores p. a. allegati. *Purgatio* Chymicis quoque idem eſt, quod *purificatio*: & fit ſeptem modis; *Deſtillatione*, *ſublimatione*, *ſolutione*, *lotione*, *uſtione*, *ſegregatione*, *colatione.* Rul. *in Lex.*

PURGATORIUM Paracelſo dicitur quilibet *morbus*, *Paramir. l.* 5. *c.* 2. & 3.

PURIFICATIO, idem, quod *Depuratio*, *Mundatio.* Gr. dici poſſet καθαρισμὸς. Vide *Depuratio. Purgatio.*

PURPURA, πορφύρα. Vide *Porphyra.*

PURULENTIA, idem, quod *Suppuratio*, ἐκπύησις. vide *Ecpyema.*

PURULENTUS, ἔμπυος, πυώδης, idem, quod *Suppuratus.* Vide *Empyema.*

PURUS, καθαρὸς, vide *Catharos*, *Puritas*, καθαρότης.

PUS, πύον, dicitur materia quædam liquida præternaturalis & ſemiputris, in exulceratis partibus, e ſanguine extravaſato, & ſtagnante, mediante caloris intenſioris colliquatione putredinali remolliente particulas concretas, & tranſponente partes ſubtiles, producta. Quo & Hippocr. reſpexiſſe videtur, ſcribens, *pus* fieri ex alterato, calefacto, & putrefacto ſanguine, in ulceribus, *l. de Ulcer. II.* 10. & Gal. propterea ἡμιμοχθηρὰν μεταβολὴν, *ſemipravam* mutationem, vocavit, 2. *aph.* 47. Hinc & Helmont. *pus* dixit, non eſſe excrementum ulceris, ſed cruoris in materiam noxiam & corruptam depravationem & degenerationem, *tr. Scab. & ulcera Schol. n.* 17. 18. 19. quamvis alibi negaverit, *pus* eſſe partem cruoris, *tr. Schol. Humor. Paſſ. Decept. c.* 1. *n.* 42. ſcil. quando *pus* eſt factum, non amplius dici poteſt pars ſanguinis, ſcil. vitalis. Plura de *puris* generatione, cujus notæ bonitatis ſunt albedo, lævitas, æqualis conſiſtentia, & fœtoris abſentia, vide apud Foëſ. *p.* 544. Dieter. *n.* 743. Linden. *Ex. XIII.* §. 333. *Puris generatio* alias dicitur *Suppuratio* & à Neotericis tribuitur Acido exuperanti. Hinc Dolæus ita deſcripſit, quod fiat, quando acidum materia deferveſcente incipit exuperare, avolantibus plus minus particulis volatilibus, ſeu ſpirituoſis & accedentibus hinc inde heterogeneis, unde inflammationis tragœdia cataſtrophen ſuam ſortitur ex tumore inflammato in ulcus purulentum abſcedens, *Encyclopæd. l.* 2. *c.* 3. §. 2. *p.* 279.

PUS, πȣ̃ς, Vide *Pes.*

PUSILLATUM, *Puſulatum* dicitur *Pulvis* non perfecte tenuiſſimus, ſed adhuc aſperitatem ſabuloſam & granula quædam continens. Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 3.

PUSTA, eſt ſaniei digeſtio, à pure dicta. Paracelſ. *l.* 1. *de Tartar. tract.* 5. *c.* 1. *ut & in Fragm. ad h. l.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

PUSTULA, ἐξάνθημα, ἔκθυσμα, ἔκζεσμα, idem, quod *Papula*, morbus dicitur in habitu corporis, ſoluta cutis, vel cuticulæ unitas, ſive parvulus tumor in exteriori cuticula, vel cute; Tuberculum &c. Vide *Exanthema*, *Ecthyſma*, *Phyma* &c.

PUSULA, idem, quod *Granula*, *pulvis puſillus*; grantulando concinnatus. Libav. *antea c. l.*

PUTAMEN, idem quod *Cortex*, φλοιὸς, λέμμα; λέπος: Vide *Cortex*, *Lepos.*

PUTEUS, φρέαρ, quid ſit, ex aliis Lexicis patet. Aquæ e *puteo*, calidiores tempore hyberno reliquis, Gal. *l.* 1. *de S.F. c.* 8. Flamma e *puteo*, ut & exhalationes malignæ, obſervatæ leguntur *in Eph. N. C. A. I. Obſ.* 33. *Puteus* in metallifodinis vocatur *crypta*, e qua metallica terra minera extrahitur. Rul. *in Lex.*

PUTOR, idem, quod *Fœtor*, δυσωδία. *Graveolentia*, dicitur de ore. Galen. *c.* 4. *in* 6. *Epid. t.* 9. *ad fin.*

PUTORIUS eſt nomen *Muſtelæ ſylveſtris*, ex ore fœtidum halitum emittentis, cujus hiſtoria habetur in Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 17.

PUTREDO, *Putrilago*, σηπεδὼν, σῆψις; *Putris*, *Putridus*, σαπρὸς. Uſitatiſſimi equidem hi termini ſunt in Medicina, præſertim etiam doctrina de febribus: ſed in quo conſiſtat vere eſſentialis ratio *putredinis*, neſcio, an aliquis exacte, & ex aſſe deſcripſerit. Licet enim generalis deſcriptio, à Gal. & Ariſt. propoſita, non ſit rejicienda; quando *Putredo* dicitur totius corporeæ ſubſtantiæ mutatio ad corruptelam à calido externo, non tamen ſufficere videtur ad omnem difficultatem eximendam. Nos, ſalvo aliorum judicio, hanc dabimus deſcriptionem generalem: *Putredo* eſt corruptio corporis mixti naturalis, vel inchoata, vel conſummata, conſiſtens in diſſolutione principii formalis & ſpecifici à principio materiali, & conſequente dennione etiam diverſarum materialium particularum, antea exactiſſime per principium formale unitarum & miſtarum. Hæc vero deſcriptio dextre nunc applicanda erit diverſis corporibus mixtis: & alia obſervabitur *putredo*

corporum liquidorum à *putredine* corporum ſiccorum; horumque vel mollium, vel duriorum: alia animatorum; alia inanimatorum; alia incipiens; alia perfectior; alia conſummata. Jungatur Willis, *de ferm. c.* 8. *de febr. c.* 9. & Notæ noſtræ *ad Jeſſenii Judicium de Sang. V. S. miſſo pag.* 43. *ſeqq.* Kerger. *tr. de Ferment. ſ.* 2. *c.* 9. Si quis meliora & certiora docuerit, ei cum gratiarum actione herbam porrigemus.

PUTREFACTIO, σῆψις, idem, quod *Putredo* active ſumta. Hinc Dorn. Rul. & Iohnſon. deſcripſerunt, quod ſit miſti reſolutio per putredinem naturalem, cum partes, inter ſeſe commiſtæ, reſeratis clauſtris internis, operante calore per humorem & reſolvente, diſcedunt. Eſt vero *Putrefactio* etiam via ad varias Pharmaceuticas operationes: unde artificioſa quoque datur *putrefactio*, in qua attendere oportet, ne fiat reſolutio καθόλου totalis, & deſtructio, ſed duntaxat eouſque, quo vel aliquid activi eliciatur, vel nova quædam veluti rerum natura introducatur, & fructus etiam alterius generationis producatur. Eſtque talis *putrefactio* digeſtio quædam fermentativa, ſubſtantiam rei, calidi externi acceſſione, ad rem præſtantiorem producendam diſſolvens. Habeturque duplex: *putrefactio*, & *reſolutio per medicinam.* Eſt etiam *putrefactio* quædam ambigens inter calcinationem corroſivam, & *putrefactionem*, vocaturque *putrefactio ſicca* & *Philoſophica.* Imo à quibuslibet nomen habet, cum quibus aliqua ratione conſentit; ut ſublimatio, ſeparatio elementorum, coctio, ſolutio, &c. Fit autem in aqua Philoſophorum ſicca, ſeu aceto acerrimo: nec eſt alius rei, niſi Solis & Lunæ. Dorn. Rul. Iohnſon. Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 33. Quæratur etiam *in Indicibus ſex Voluminum Theatri Chymici.*

PUXIS, pro *Pyxis.* Scribon. *n.* 230.

PYCNOS, πυκνός. Vide *Creber.*

PYCNOSIS, *Pycnoticos*, πύκνωσις, πυκνωτικός: Vide *Condenſatio.*

PYCTE, πυκτή, dicitur *lac coagulo concretum*, cui, demto ſero, mel additum eſt. Ventrem ſubducit, maxime ſi ſerum adjectum fuerit. Gorr.

PYELOS, πύελος, id eſt, *Pelvis*: Alveolus: Vide *Choana.* Balneæ quoque minores, vel *alvei adſtrictiores*, πύελοι dicti fuerunt, Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 6. J. Alex. *not. ad h. l.*

PYGARGUS, πύγαργος, nomen valde æquivocum, notans vel *capram feram*, Aldrov. *lib.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 13. vel *Ardeam*, vel uſitatius *Aquilæ* ſpeciem, cujus deſcriptionem tradidit Aldrov. *l.* 2. *Ornith. c.* 5. Dicitur & metaphorice de homine delicato & ignavo, C. Hofm. *in not. ad Gal. LL. de V. P. n.* 229.

PYGMACHOS, πυγμάχος, dicebatur is, qui in certamine & lucta, & pugilatu exercebatur. Rhod. *ad Scribon. n.* 101.

PYGMÆI, πυγμαῖοι, proprie dicuntur populi vel in India, vel in Grönlandia minimæ longitudinis, πυγμήν, h. e. menſuram cubiti ad digitos non ſuperantes, nihilominus pugnacis naturæ, ita ut cum gruibus certare fingebantur. An unquam tales fuerint in orbe populi, adhuc controvertitur, & varias opiniones ſcriptorum collectas legere licet apud Eraſm. Franciſc. *P. I. Horti Indici Orient. & Occid. pag.* 540. *ſeqq.* Deinde de quibuſvis *nanis*, vel *pulmilionibus*, quales etiam artificioſa & longiori inunctione produci poſſe, opinatur Dobrzenzsky de Nigro Ponte, Medicus Regius Pragenſis, *in Eph. Nat. Cur. A. I. Obſ.* 79. Paracelſo vero *Pygmæi* dicuntur *homunciones*, vel ſubterranei ſpiritus, quos & *faculas* & *ſcintillas* vocant. Non natos eſſe perhibent, neque habere parentes, ſed non aliter ex corruptione terræ, quam ex equino fimo putrefacto ſcarabæi, generari. Dorn. *in Dict. Parac.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Meminit eorum aliquoties Parac. *in l. de partu hominis, de peſtil. & alibi*, & fatetur, ſe integrum de *Pygmæis* ſcripſiſſe tractatum, de quo nobis non conſtat. A. 1699. Eduardus Tyſon Medicus Anglus, Collegii Medici Societatis Regiæ ſocius, *Pygmæi* ſive hominis ſylveſtris Anatomen exactam & cum ſimia cereopithecoque comparatam edidit, quæ *in Actis Eruditor. Lipſ. A.* 1700. *m. Novembr.* commendatur.

PYLA, πύλα, Vide *Porta.*

PYLORUS, πυλωρός, Lat. *Janitor*, vocatur *dextrum orificium ventriculi*; vulgo inferius dictum, anguſtius ſiniſtro, ſive ſtomacho; cujus uſus eſt, tranſmittere cibum in liquorem, ſive cremorem liquidum mutatum ad inteſtina tenuia: ſiquidem cum duodeno immediate continuatur. Plura vide in Anatomicis, & in ſpecie in Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 9. *Pyloro* peculiare regimen attribuit Helmontius in digeſtionis opere: uti patet ex tract. *Pylorus Rector.*

PYODES, πυώδης, *Purulentus*: ita leguntur *purulentæ mictiones* apud Gal. *c.* 3. *in* 1. *Prorrhet. t.* 20.

PYON, πύον. Vide *Pus.*

PYOPOEOS, πυοποιός, vocatur *virtus pus faciendi*, & tribuitur pici aridæ vel ſiccæ apud Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 82. *vel* 97. *ad Sarac.*

PYORRHOUN, πυοῤῥοῦν, hoc eſt purulentus, epitheton aurium, e quibus pus effluit, apud Nonum *de M. P. C. c.* 80.

PYOSIS, πύωσις, in genere ſignificat *ſuppurationem.* Specialiter vero idem eſt, quod ὄνυξ, vel ὑπόπυον. Vide *Onyx.*

PYR, πῦρ. Vide *Ignis.*

PYRACTOSIS, πυράκτωσις, *Combuſtionem* ſignificat, Fuchs. *comm. in Galen. l.* 1. *de morb. diff. cap.* 5. *p. m.* 24. *a.*

PYRAMIDALES *Muſculi* vocantur, qui quartum par muſculorum abdominis conſtituunt, & tendinibus rectorum incumbunt. Bartholin. *l.* 1. *An. c.* 6. *p.* 55.

PYRAMIDALIA vaſa dicuntur vaſa ſpermatica præparantia, quæ alias & *pampiniformia* vocantur. Vide *Pampinus.*

PYRAMIS, πυραμὶς, præter figuram geometricam, & turres quaſdam Ægypti, quas ſignificat, in chymicis vocatur vas metallicum, aliis *Catinus coniformis* dictum, in modum *pyramidis* excavatum, ut pars ejus ſuperior lata, inferior autem in acutum vergens, pro liquatis mineralibus in regulum formandis, accommodari poſſit. Ruland. & Iohnſon. *in Lex.*

PYRAUSTA, *Pyrauſtum*, πύραυςος, dicitur inſectum quoddam, ad papiliones pertinens, quod, ignis flamma gaudens, ad lucernas advolat, & ſæpe ſeſe comburit, cujus hiſtoriam vide apud Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 2. *Auri* quoque *Spiritus* vocatur *Pyrauſtum*, quod ignis ſit ipſius pabulum & alimentum, *Th. Chym. Vol. I. p.* 35.

PYREN, πυρὴν. Vide *Nucleus.*

PYRENOIDES, πυρηνοειδὴς, vocatur proceſſus ſecundæ vertebræ cervicis, qui alias *Dens* Hipp. vocatur: aliis *Dentiformis*, ὀδοντοειδὴς. Vide *Dens.*

PYRETERION, πυρητήριον, dicitur pars illa furni Chymici, quæ ignem continet. Dicitur & *Pyriſtirion* apud Morley in *Collect. Chym. Leid. proleg. cap.* 2. quamvis minus accurate ad leges Grammaticas Græcæ Linguæ.

PYRETOLOGIA, πυρετολογία, i. e. *doctrina*, vel tractatio de *Febribus*, hodieque magis magisque exculta.

PYRETOS, πυρετὸς. Vide *Febris. Pyretion*, πυρέτιον, *febricula.*

PYRGITÆ, πυργίται, *Turriti*, vocantur paſſerculi, qui in turribus altioribus nidificant. Gal. *l.* 6. *de ſan. tu. c.* 11. Laudantur in calculoſis, *l. de ren. morb. cur. c.* 6.

PYRIA, πυρία, idem, quod θέρμασμα. Lat. *Fomentum.* Legitur apud Hipp. 5. *aph.* 28. & 6. *aph.* 31. adde Foëſ. *p.* 547. Dieter. *n.* 747. Dicitur & πυρίαμα, Gorr. Vide *Fomentum.*

PYRIASTES, πυριάςης. Vide *Protogala.*

PYRIATERION, πυριατήριον, locus dicitur, ubi fit ſudatio, Laconicum, *Sudatorium.* Vide *Laconicum.* Pantin. *in not. ad Celſ. l.* 2. *cap.* 17. *p.* 271.

PYRIATOS, πυριατὸς, ſcil. κέραμος, i. e. *Later fervefactus.*

PYRICAUSTOS, πυρίκαυςος. Vide *Ambuſta.*

PYRIEPHTHOS, πυρίεφθος. Vide *Protogala.*

PYRIFORMIS, epitheton primi e *Muſculis Quadrigeminis* dictis femur abducentibus & circumagentibus, Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 580.

PYRIMACHUS, vel PYROMACHUS, πυρόμαχος, vocatur veteribus *ſtibium*, vel *antimonium* coctum & in lapideam duritiem concretum, ideo quod igni repugnet, & in ardentes tantum fornaces conjectum fluat, I. Agricol. *l.* 10. *de nat. foſſil.* Ariſtotel. vocavit lapidem *Pyromachum*, *l.* 4. *Meteorol. c.* 6. Ex recentioribus tamen ſunt, qui nomen hoc ad Cuprum cum ſulphure fuſum & in lapideam duritiem concretum reſtringunt.

PYRINE, πυρίνη, nomen *Emplaſtri* ad ſcirrhos & durities, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 17. Gorr.

PYRIPHLEGES, πυριφλεγὴς, homo dicitur febricitans, qui valde ex febre illa fervet ad contactum, i. e. *igneo ardore flagrans*, Hippocr. 4. *de R. V. I. A.* Dicitur & πυριφλεγέθης. *l.* 1. *de morb. mul. LXXXI.* 2.

PYRISTIRION. Vide *Pyreterion.*

PYRITES, πυρίτης, vocatur lapis quaſi *igniarius*, *ſilex* e chalybe ſcintillas evocans alliſus. Ab aliis quoque dicitur *Lapis luminis.* Variat vero valde quoad colorem, prout in metallifodinis diverſis reperitur. Ejus varia genera recenſet Ruland. De ejus uſu vide Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Pyrites.* Dioſc. *l.* 5. *c.* 143. Foreſt. *l.* 10. *O.* 114. *Schol.* Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 18. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 382. *ſeqq. Marcaſita* dicitur etiam *Pyrites argenteus.* Th. Chym. *Vol.* I. *pag.* 777. Item *Lapis Philoſophorum* à quibuſdam dictus fuit *Pyrites*, utpote qui totus ſulphur ſit, & argentum vivum, e quibus lapis ille conſtat. *d. l. p.* 42.

PYRIUS, πύριος, dicitur *pulvis* ille *tormentarius*, qui pro ſclopis & tormentis bellicis explodendis uſurpatur, notiſſimus. Paratur ex nitro, ſulphure, & carbonibus: cujus modum parandi etiam ad Chymiam pertinere, vult Libav. *Synt. A. Ch. l.* 7. *c.* 31. Ejus vis ſclopetans, vel fulminans, poteſt etiam reprimi, & dicitur *Repreſſus.* Idem *l.* 6. *c.* 9.

PYROMANTIA, πυρομαντία, eſt ſcientia, vel ars, ex igne præſaga, cum ignis aſtra ſe palam faciunt hominibus, ut inde veri notitia prorumpat ejus, quod quæritur, ablato quovis dubio, vel ſuſpicione. Exemplo ſit, quod de buxo fertur, & foliis ejus, in ignem projectis; ſingulis eorum, de quibus habetur ſuſpicio, nominibus inſcriptis, crepitare ſontis folium, & exilire creditur. Dorn. Rul. Iohnſ. Hanc Paracelſus paſſim commendat, & Medicis addiſcendam ſuadet, ceu partem aſtronomiæ. Verum nobis omnino videtur magica, diabolica, & ita vitanda.

PYRONOMIA, πυρονομία, eſt caloris ad ſuas operas adhibendi, ignisque regendi ſcientia. Et ita idem eſt, quod *Pyrotechnia*, de qua p. p. Rul. Verum Paracelſo *Pyronomus* dicitur, qui prognoſticat ex ignis Elemento: & ita cum *Pyromantia* coincidit. *l.* 2. *de Tartar. tract.* 2. *c.* 3. *in comm.* Ejuſdem ſententiæ eſt Iohnſ. *in Lex. Chym. l.* 2.

PYROPHAGUS, πυροφάγος, dicitur *Ignivorus*, qui vel peculiari artificio, vel præſtigiis ignem devorare audet, quales hodieque inter circumforaneos conſpiciuntur lucellum hinc captantes. Meminit & talis *Pyrophagi* Bonet. *Medic. Septent. l.* 3. *ſ.* 1. *c.* 19. *pag.* 510.

PYROPUS, πυρωπὸς, æquivocum eſt; 1. notat gemmam rubram, vulgo *Rubinus* dictam, alias *Carbunculus*. Vide *Carbunculus*. 2. ſignificat *æris Cyprii coronarii miſturam*, cum auri quarta parte, in tenuem bracteam redactam, qua pyramidum ſummitates obducebantur. 3. *Electrum igneum* ex genere ſuccini, vel Philoſophorum tinctura, &c. Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 24. *Pyropi* auri diaphani deſcribuntur ab Hartmanno *Miſcell. Chymico-Med. Oper. in fol. Tom. VI. p.* 9.

PYROS, πυρὸς, ſignificat *Triticum*, frumentum notiſſimum & uſitatiſſimum in diætetica, ſive victu, & medicina. Optimum habetur, quod denſum eſt, & ſubſtantiam habet adeo compactam, ut dentibus vix dividi queat. Vide Gal. *l.* 1. *de alim. fac. c.* 2. 3. *l. de atten. vict. c.* 6. *l.* 8. *de S. fac.* §. *Pyros*. Bruyerin. *de re cibar. l.* 5. *c.* 1. 2. *Triticum hornum*, vel hornoticum, id eſt, hoc anno collectum, vocatur σητάνιον, & commendatur ab Hipp. 2. *de art. t.* 43. adde Gal. *comm. ad h. l.* quid ſint πυροὶ σκληροὶ, *dura tritica*, lege apud Linden. *Ex. XVI.* §. 143.

PYROSIS, πύρωσις, eſt ille *ardens rubor*, quo facies tota accenditur, præſertim illis, qui fervidis diebus faciunt iter. Linden. *Ex. XI.* §. 189.

PYROTECHNIA, πυροτεχνία, vocatur illa ars, quæ operatur in præparatione naturalium rerum, adminiculo ignis, tanquam potiſſimo medio & inſtrumento. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Ejus uſus maximus in Pharmaceuticis & Chymicis. Quam etiam laudavit Helmont. *de Lithiaſ. c.* 5. *n.* 4. Ut *Pyrotechnia* corpora referat coram oculis: ita januam ad Philoſophiam naturalem. Hinc *Pyrotechniſta* dicitur G. Thomſono *in explicatione quorundam terminorum Artis Acui ſuæ Magneticæ præmiſſæ* in genere quivis artifex per ignem, in ſpecie excellens Chymiſta. *Pyrotechnia Hermetica* vocatur, quæ pertinet ad præparationem Lapidis Philoſophici, *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 398.

PYROTICOS, πυρωτικὸς, idem, quod καυστικὸς, *urendi vim habens*. Vide *Cauſticos*. *Pyrotica* Charneri deſcriptio videatur apud Hartmann. *d. l. p.* 56.

PYRRHOCORAX, πυῤῥόκοραξ, quaſi *Corvus ruber*, nomen avis, ad *Graculos* pertinentis: cujus deſcriptio cum uſu habetur apud Aldrov. *l.* 12. *Ornithol. c.* 8.

PYRRHOS, πυῤῥὸς, Latine *Rufus*, notat colorem ignis colori ſimilem, & ad flavum maxime accedit. Foeſ. exiſtimat, eſſe Latine exprimendum per *Fulvum*, i. e. ex flavo palleſcentem, qualis eſt Orichalci. *Oec. p.* 548. ubi plura vide. Jul. Alex. vero dicit, πυῤῥὸν eſſe colorem ſimilem æreì coloris, aut capillorum & barbæ illorum, qui propterea Ænobarbi dicuntur. Qui ſi palleſcat, *fulvum*, κιῤῥὸν, faciet. Rufumque colorem notari in vinis Creticis & Malvaticis, *not. in Gal. lib.* 12. *meth. med. c.* 4. Gorr. dicit ad flavum accedere, ſed eo eſſe pallidiorem. Nobis placet Alexandrini expoſitio ad ſignificationem vocabuli propriam maxime accedens.

PYRRHULA, πυῤῥούλη. Vide *Rubicilla*.

PYTHMEN, πυθμὴν. Vide *Fundus*.

PYTHON, vel *Pythius Draco*, πύθων, dicitur ſerpens acuti viſus, oculis magnis, & triplici dentium ordine præditus; deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 2. *hiſt. Drac. & ſerp. c.* 3. *Pythones* alias & *Pythoniſſæ* Paracelſo dicuntur præſtigiatores, incantatores & ſagæ, quibus attribuitur, quod divinari poſſint, & tempeſtates excitare, tonitrua &c. paſſim in ſcriptis, *Paramiro*, *de Podagra*, *& alibi*.

PYTIA, πυτία, ita Gorr. (quamvis nobis mendoſe ſcriptum videatur, pro πιτύα) vide *Coagulum*.

PYULCON, πυουλκὸν, dicitur inſtrumentum Chirurgicum, quo pus, vel ſanies, e profundis & ſinubus extrahitur. Meminit aliquoties Galen. v. g. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 5. *lib.* 5. *meth. med. c.* 8. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 8. quale vero fuerit, non certo conſtat. Videtur tamen fuiſſe non diſſimile, aut forte idem cum eo, quod vocatur *Syringa*, vel *Fiſtula*, quo hodieque Chirurgi utuntur. Gorr. Caſtell.

PYULCUS eſt canula argentea, oblonga, vulneri proportione reſpondens, cujus extremitas, quæ intra vulnus admittitur, varie perforata, altera quæ extra ulcus manet, orbiculariter inveſtitur, ac dilatatur, ne vulnus intret, Euſtach. Rud. *de vulneribus l.* 1. *c.* 17.

PYXINON, πύξινον, q. *buxeum*, nomen *Collyrii*, apud Celſ. *l.* 6. *c.* 6. notante Gorr.

PYXIS, πύξις, proprie, & ſtricte, vaſculum, quo aliquid aſſervatur, e buxo paratum ſignificat: ſed hodieque communiter accipitur pro quovis, ex quacunque materia, parato vaſculo. Qualia variæ formæ, & e varia materia parata, requiruntur in Pharmaceuticis & Chirurgicis. *Pyxides* ligneæ, ſtanneæ, plumbeæ, æneæ, lapideæ, fictiles, vitreæ. Weker. *A. G. l.* 4. *cap.* 13. *Pyxidem* unguentariam vocat Hildan. illam, qua inſtructi eſſe debent Chirurgi, ad ægros accedentes, & quidem in ſex, vel plures claſſes diſtinctam: *in Ciſta Militar. p.* 1041. *Pyxis* nautica vocatur, in qua magnetis declinatio obſervatur, ad directionem navium hodieque neceſſaria. *Th. Chym. Vol. V. p.* 352. *Pyxis* quoque eſt nomen unguenti acopi, cui præcipua vis eſt emolliendi. Valet ad omnes inflammationes. Ita vero dictum, quod commodiſſime in vaſe buxeo ſervetur. Ejus deſcriptio habetur apud Æginet. *l.* 7. *c.* 19. & Aët. *l.* 15. ſed diverſis paulo ponderibus, citante & notante Gorræo. Ab Anatomicis etiam amplam & profundam cavitatem in oſſe iſchii ſive coxendicis pro excipiendo oſſis femoris capite globoſo, alias *Acetabulum* dictam, vocari *Pyxidem*, ſcribit Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 16. *p.* 739. *Os pyxidis* dicitur os occipitis, quod eſt os proræ, memoriæ appellatur. Id. *d. l. c.* 6. *p.* 710.

QUADRA-

Q.

QUADRAGESIMUS, τεσσαρακοστὸς, ſcil. dies, qui habetur pro principio morborum Chronicorum, *argumento* 4. *aphor.* 36. Galen. *in comm. ad h. l.* quamvis alii ſint, qui adhuc Criticum eſſe concedunt. *ex* 5. *aph.* 15. *&* 7. *&* 6. *aph.* 49. ex mente Dieterichii *n.* 823. Verum utrumque verum eſſe poteſt: 1. quod poſterius allegati duo aphoriſmi loquantur non de die *quadrageſimo* in ſpecie, ſed intra *dies quadraginta*: ut ita *quadrageſimus* nihilominus excludatur à morborum acutorum termino. 2. non abſurdum nobis videtur, criſes quoque tribuere morbis chronicis, *ex* 6. *aph.* 48. 7. *aph.* 29. *&c.*

QUADRANGULUM, τετράγωνον, Lat. *Tetragonum*, *ſecretum ſapientum*, ſive Spagyricum: Vide *in Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 609. & infra *Tetragonum.*

QUADRANS, τεταρτημόριον, dicitur *quarta pars libræ*, τέταρτον μέρ☉- τῆς λίτρας, h. e. unciæ tres. Gal. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 5.

QUADRANTAL, idem, quod *amphora*, ſextarios 48. continens, vel urnas duas. Fernel. *Therap. lib.* 4. *c.* 6.

QUADRATUS, i. e. *Temperate carnoſus*, ἔυσαρκ☉-: Vide *Euſarcos.* Alias in propria magis ſignificatione propter figuram quadrilateram hoc Epitheton tribuitur diverſis muſculis in corpore humano occurrentibus, v. g. muſculus labiis & buccis communis, quem Gal. cum aliis veteribus à cute non diſtinxit, ſub colli cute adeo arcte ſitus vocatur *Quadratus.* Barthol. *l.* 3. *An. c.* 11. *p.* 533. Ita in Dorſo per latum & carnoſum vertebras flectens *Quadratum* dicitur, *l.* 4. *c.* 7. *p.* 568. Muſculus quoque Radii, qui manus eſt pronator, *d. l. c.* 8. *p.* 574. & quartus inter Quadrigeminos dictos femoris muſculos *Quadrati* appellantur, *d. l. c.* 11. *p.* 580.

QUADRIGEMINI, vocantur Muſculi femur abducentes & circumagentes, quorum primus *Pyriformis*, ultimus ſpecialiter *Quadratus* nominantur, reliqui nomine proprio carent. Barthol. *d. l.*

QUADRILATERA oſſa dicuntur, quæ quadratam habent figuram, licet lineis non exacte æqualibus conſtantem. Talia infirmiſſima eſſe ſcribit Fallop. *de Oſſib. c.* 13. *Tom. I. Oper. p.* 495.

QUADRUPES, vel *Quadrupedum*, τετράπεε, dicitur animal quatuor pedibus incedens. *Quadrupedum* tria genera ſumma conſtituuntur: *ſolidipeda*, *biſulca* & *digitata*: quamvis aliæ poſtea adhuc differentiæ dentur; dum alia vivipara, alia ovipara; quædam ruminantia, quædam non ruminantia; nonnulla cornuta, alia non cornuta obſervantur. Sunt & quædam feræ, quædam vero cicures beſtiæ, de quibus omnibus Aldrovand. prolixe ſatis tractavit *in diverſis voluminibus.*

QUÆ EX QUIBUS, ὅσα ἐξ ὅιων, phraſis Hippocratica; *lib.* 1. *Epid. ſect. III. t.* 1. qua indicatur morborum viciſſitudo, ſucceſſio & tranſmutatio; quæ Medico ſcitu neceſſaria eſt: Cujus mutationis & ſucceſſionis quatuor præcipue ſpecies numerantur. *Epigeneſis*, *Metaptoſis*, *Metaſtaſis* & *Apoſtaſis*, ſive Abſceſſus. Hæc phraſis movit Stephan. Rodericum à Caſtro, ut elegantem libellum conſcripſerit hoc titulo *Quæ ex quibus*, de morborum viciſſitudinibus.

QUÆSTIO, ζήτημα, ζήτησις, idem, quod *Problema*, quid ſit, notum eſt. *Quæſtiones Logicæ* dicuntur, quæ ad uſum artis nihil faciunt. Galen. *l.* 3. *L. A. c.* 1. Has tuto ignorare licet. Lind. *Ex. XIII.* §. 31. Qui delectantur hujuſmodi *quæſtionibus*, non inepte vocantur *Quæſtionarii*, qui adoleſcentibus aperiunt impudentiæ ludum. C. Hofm. *c. in Gal. de V. P. n.* 374.

QUALITAS, ποιότης, terminus eſt receptiſſimus in Medicina, & denotat aliquam proprietatem corporis naturalis, à ſubſtantia inſeparabilem. Conſiſtere enim videtur juxta recentiorum principia Philoſophica in particularum materialium minimarum peculiari diſpoſitione & contextu taliter, vel taliter modificato, unde corpus noſtrum quacunque ratione *quale* denominari poteſt. Diviſiones variæ occurrunt apud Autores, quarum potiſſimæ ſunt: quod aliæ *Qualitates* ſint *elementares*; aliæ *occultæ*, & à tota ſubſtantia dependentes. *Elementares* iterum ſubdividuntur in *primas*, *ſecundas* & *tertias*. *Primæ* ſunt quatuor, calor, frigus, humiditas, ſiccitas. Ad *ſecundas* referuntur qualitates, Subtilitas, Craſſities, Obſtructio, Apertio, Denſatio, Rarefactio, &c. *Tertiæ* dicuntur, quæ certæ alicui parti appropriantur &c. Verum hæc omnia magis ſunt Phyſica, imo Logica, quam Medica. In Medicina ſufficit, *Qualitates* ita accepiſſe, quatenus ſunt proprietates corporum, fundatæ in tota ejus ſubſtantia, & ita in concreto, non abſtractive, ſumtæ. Paucis: *Qualitates* idem ſunt, quod *Facultates*, ἰδιοσυγκρασίαι, Complexiones. Vide *Dynamis.* An *qualitates* dentur *occultæ*, diſputant adhuc inter ſe Doctores, vide *Occultus.* Chymici *qualitates* nitroſas, ſulphureas, mercuriales, aluminoſas &c. excogitarunt, fortaſſis ad uſum magis facientes, quam Philoſophorum commenticiæ, primæ, ſecundæ, &c.

QUANDROS dicitur lapis, ſeu gemma, quæ reperitur in cerebro vulturis, coloris candidi, & dicitur replere mammas lacte, & contra nocivos caſus valere. Rul. & Iohnſ. Aldrov. *l.* 3. *Ornithol. c.* 1. §. *uſus in medicina.*

QUANLI, id eſt *plumbum.* Rul. & Iohnſ.

QUANTITAS, ποσότης, ποσὸν, πλῆθος, quid ſignificet, e Logicis petendum; Duplicem eſſe, *Continuam* & *diſcretam*, Gal. quoque docuit, *de diff. morbor. c.* 8. *in fin.* Utriusque conſideratio ſumme neceſſaria in ſubjecto Medicinæ, & objecto; ſive in homine omnibusque rebus ſecundum, præter, & non naturalibus; quamvis non ex aſſe, aut accuratiſſime dici, aut

aut determinari omnino queat, præſertim in remediis applicandis, Galen. *l.* 2. *meth. med. c.* 3. *& l. de Cur. rat. per S. M. c.* 12. *& l. de V. S. adv. Eraſiſtr. c.* 7. Opus eſt igitur artificioſa conjectura, peritia virium, vel facultatum, & frequenti exercitio, *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 37. In præparatione quoque lapidis Philoſophici *Quantitas* ignis probe obſervanda. *Th. Chym. Vol. V. p.* 189.

QUAQUILA, vel *Quisquila*, idem, quod *Coturnix*, Gr. ὄρτυξ, vel ὀρτύγια. Aldrov. *l.* 13. *Ornith. c.* 22.

QUARS, petra fellis. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

QUARTANA, τεταρταῖος, eſt ſpecies febris primario intermittentis, quæ incluſive in diem quartum extenditur: ſive de quarto in quartum paroxyſmos ſuos repetit, cum interveniente intermiſſione; Secundario etiam de continuata dicitur, ubi intermiſſio vera non eſt; interim ſingulis quatriduis exacerbatio major animadvertitur, τεταρταιοφυὴς Gr. dicta. Illam intermittentem Hippocr. dixit ſecuriſſimam, facillimam, & longiſſimam, *l.* 1. *Epid. ſ.* 13. *t.* 4. quod quidem verum eſſe, experientia confirmat, & conſenſus Doctorum; non tamen ſimpliciter, & abſque ulla imitatione; quandoquidem ejus cauſa conſiſtit in ſanguinis dyſcraſia melancholico-ſeroſa, ſimulque vappeſcente, minusque ſpirituoſa; quæ ſi altiores jam egerit radices, aut non rite conſideretur in curatione, facile tranſit in ſcorbuticam diſpoſitionem, & alios morbos chronicos graviores producit. Hinc rectiſſime ſcripſit Dieter. *Iatr. p.* 1192. Aſpera & duri ingenii eſt morbus *Quartana*, non huc & illuc fluctuans, ſed humoribus lentis agitatis, firmo progreſſu, in corpus venit, totum illud concutiens & exagitans. Hinc & *Saturni filia* vocatur. Plura de hac febre vide apud eund. *d. l. n.* 826. Willis *de febr. c.* 6. Sylv. *Pr. Med. l.* 1. *c.* 27. Piens *de Febr. Tract. ſpec. c.* 12. C. Rejes. *C. El. q.* 71.

QUARTARIUS, τέταρτον κοτύλης, quarta vel potius dimidia pars heminæ, eſt menſuræ nomen liquidorum, vini continens uncias quinque, olei uncias quatuor cum dimidia, mellis ſex cum drachmis ſex. Gal. *de pond. & menſur.* vel potius Dioſc. *in addit.*

QUARTATIO, eſt ſeparatio auri & argenti invicem commiſtorum, quæ ideo dicta *Quartatio*, quod miſturæ ex auro & argento tantum ſit addendum argenti, ut hujus tres partes ſint ad illius unam, fiantque omne quatuor. Dorn. Rul. & Iohnſ. Meminit & Lib. *Tom. II. Oper. p.* 96. 98. De hac legatur & Jac. le Mort *Chym. ſect.* 2. *ſive Metallurg. Contr. p.* 268. ubi hanc puriorum metallorum ſeparationem præfert cupellationi, quippe meliorem.

QUARTURA, idem, quod *Quartatio*, ſummum auri examen, hac via videlicet, ut argenti partes novem ad omnia auri commiſceantur, liquatione per ignem. Deinde aqua ſtygia, vel forti, reſolvantur ambo ſimul. Argentum totum in aquam confluit, auro ſolo ſubſidente, pulveris inſtar ſpadicei, nigricantisque coloris. Rul. & Iohnſ.

QUARTUS, τέταρτος, dicitur de die morbi, præſertim febrilis, eſtque index ſeptimi, bonam criſin, vel malam, h. e. acriſian, oſtendens ex Hippocr. 2. *aph.* 24. *&* 4. *aph.* 71. Dieter. *n.* 827. *Quartam* digeſtionem in ſiniſtro ſtomacho cordis finxit Helm. *tr. Blas hum. n.* 21. Τέταρτον quoque ſignificare pondus unciarum quatuor cum dimidia & ἡμικοτύλιον etiam vocari e Dioſcoride docuit Schenk. *Synt. comp. & praſc. med.* 67.

QUASSATIO, σεῖσις, idem, quod *Concuſſio*, κατάσεισις. In ſpecie vocatur *Quaſſatio*, σεῖσις, quarta ſpecies luxationis vertebrarum, quando vertebræ in ſuo loco manent, ſed juncturæ, vel compages ſunt dimotæ, Gal. *c.* 3. *de artic. t.* 2. Vide *Quatio*. *Quaſſatio* dicitur etiam ſolutio facta in tendinibus aut ligamentis, Arab. *Rabathe*. Andr. vero Bellunenſi *Adhæreth*. Avic. *Cancic. part.* 1. *tract.* 2.

QUATERNARIUS, *Quaternio*, τετράς, vocatur periodus *quatuor* dierum, obſervanda Medicis in morbis acutis; quia vel ſolutio, vel ſignificatio aliqua futuræ ſolutionis in illo termino fieri ſolet. Gal. *l.* 3. *de dieb. decr. cap.* 1. *Quaternarius* Numerus elementorum ab Helmontio rejectus, cum in natura univerſa, tum in miſtorum conſtitutione: *tr. Tumul. Peſt.* §. *A labe noſtra immune & innocuum cœlum.* Eſt & numerus myſticus Spagyricorum, *Th. Chym. Vol. I. pag.* 547. *& Vol. II. p.* 210. 211.

QUATIO, σείω, idem, quod *concutio*, h. e. violenter agito, impello: Dicitur vel proprie de materiali corporis manu facta concuſſione, v. g. quando ſuppurati *quatiuntur*, ut exploretur, quanam parte pus deliteſcat. Hipp. *l.* 2. *de Morb. XLV.* 11. *& l.* 3. *XXVI.* 30. *Coac. t.* 432. 499. Vel improprie & virtualiter, de rebus non naturalibus, quæ ſanguinem agitando corporis partes *concutiunt*, v. g. caput, *Coac. t.* 167. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 3. *t.* 51. Jung. Foëſ. *pag.* 561. Ita tuſſis dicitur *quatere* pulmonem, quamvis hoc ad propriam ſignificationem potius referat Dieter. *Iatr. p.* 281.

QUATRIO, idem, quod *Talus*, Gr. ἀστράγαλος, ita dicitur à quatuor lateribus. Bartholin. *libell.* 4. *de oſſib. c.* 21.

QUATUOR, τέσσαρες, τέσσαρα, numeri certi nomen eſt notiſſimum. *Quatuor* mundi prima, non eſſe eadem cum Elementis Ariſtotelis, videlicet terram, aquam, ſpiritum, lucem, vult Libav. *T. II. p.* 113. Verum non ſatis demonſtraſſe videtur hoc aſſertum. *Quatuor* naturæ eſſentialium miſtorum eidem quoque ſunt: Terra virgo, Liquor aqueus, Oleum aëreum, vel ſpiritus, Ignis cœleſtis, vel aſtralis *d. l. pag.* 193.

QUEBRICUM aliis dicitur eſſe *Arſenicum*, aliis *Sulphur*. Rul. *Quebrith*, *Quibrith*, *Sulphur*. Ruland. & Iohnſ.

QUELLEM dicitur *terra originalis*, ſabulum; ad quod ligo nunquam penetrat. Helmont. *tr. Terra. num.* 4. 5. terra elementalis, futura baſis hominis. Idem *Ibid.*

QUELLES, id eſt, *Elixir.* Th. Chym. *Vol. V. p.*455.

QUERCINUS, *Quernus*, δρύινος, δρυώδης, quod vel in *quercu* occurrit, vel e *quercu* naſcitur. Ita *Viſcus quernus* vocatur, qui in officinis potiſſimum in uſu eſt, & à Paracelſo laudatur. Vide *Viſcus.*

QUERQUEDULA, βοσκάς, nomen *Anatis ſylveſtris*, cujus varias ſpecies deſcripſit, cum uſu in cibis, Aldrov. *l.* 19. *Ornithol. c.* 30. *ſeqq.*

QUERQUERA, κάρκαρος, nomen eſt *febris*, quæ Gr. φρικώδης, *horrifica*, vocatur, ab horrore, & tremore, cum ſonitu. Mendoſe *zerzera* dicitur, animadvertente Keuchen. *ad Samon. p.* 269. adde C. Rejes C. *El. q.* 68. *n.* 10. 11. Vide *Phricodes.*

QUIANOS, i. e. *Vena terræ. Cuperoſum.* Rul. Iohnſ.

QUID PRO QUO; Id eſt, abſque judicio, vel conſenſu, vel præſcitu peritioris, vel præſcribere, vel præparare; vel offerre, vel applicare remedium. Merdam pro Muſco. Hoc jure merito improbat & deteſtatur Paracelſus aliquoties in ſcriptis ſuis, & vocat *Librum Pæanorum*, i. e. rudium aſinorum: quandoquidem, ſi Medicus hoc fecerit, imperitus eſt, & rudis; Si Pharmacopœus, aut Chirurgus, malitioſus: Omnes vero hi læſam conſcientiam habent. Paracelſ. *def.* 7. *& in fragm. Med.* Utinam vero Pharmacopœi ab hac culpa eſſent hodieque immunes, profecto ars Medica non ita detrimentum pati cogeretur, & jacturam dignitatis ſuæ citra culpam propriam faceret!

QUIES, ἡσυχία. Vide *Heſychia.*

QUINTANA, πεμπταῖος, vide *Pemptæos.*

QUINTA, πέμπτος, vel πέμπτη, uſitatiſſimus terminus Chymicis, dum *Quintæ eſſentiæ* mentionem frequentiſſime faciunt. Vide *Eſſentia.* Quibus ibidem traditis addi poſſunt & hæc: *Quinta Eſſentia* eſt natura, virtus, color, vita, ſpiritus, ipſa medicina & proprietas rerum, à corpore ſuo per artem extracta; aliis forma ſpecifica, quæ ſi à ſpecie removeatur, ad ſuum genus accedit, altiusque progreditur, donec in centro quieſcat. Vel: Eſt myſterium ad æthereæ naturæ puritatem viresque præſtantiſſimas exaltatum. Inde ſolet appellari cœlum, & cœleſtis ſubſiſtentia, in qua puriſſima ſinceriſſimaque craſis hæret, & radix ſubſtantialis, tanquam eſſet defluvium ætheris, vel radius firmamenti, voce Creatoris, per ima diſperſus, animæque mundanæ ἀπογέννημα. *Quinta eſſentia* vegetabilibus eorumque partibus extrahitur. Fitque hæc potiſſimum ex ſucco extracto. Primatum obtinet hic *Quinta Eſſentia Vini*, quam & *Mercurium vegetabilem* nominat; alii *Aquam primi Entis*, *cœlum*, & *Clavem Philoſophorum. Quinta eſſentia animalium* eſt, quæ extrahitur ex partibus animalium, ratione miſtionis naturalis & vegetabilis: itaque & praxis parum differt à vegetabilium apparatu. *Quinta eſſentia mineralium* eſt, quæ ex mineralibus conficitur. Excellunt hic *quintæ eſſentiæ* metallorum & gemmarum. Hæc Dorn. Rul. & Iohnſonus. Exempla variarum *Quintarum Eſſentiarum* præſertim Mineralium, quære apud Libav. & *in Theatr. Chym.* Enimvero ſunt alii, qui prorſus illas impugnant & inficiantur: inter quos eſt Rolfink. *Chym. l.* 6. *c.* 2. At, neſcio, an in omnibus ſatisfecerit. Hoc quidem concedi poteſt, quod non videatur veroſimile, eſſentiam formalem & ſpecificam alicujus rei à rebus ipſis poſſe artificioſe ſub forma alicujus medicamenti ſeparari, & extrahi: verum quod illa ipſa ſubſtantia in mixtis, ex qua Medicæ facultates promanant, & ab aliis *Quintæ Eſſentiæ* nomine venit, ſit elementaris naturæ, nondum adeo planum eſt, & expeditæ veritatis; quamvis hujus quæſtionis deciſio non ſit hujus loci. Sed & Helmontius improbat Epitheton *Quinta*; quia negat *Quaternarium* Elementorum, tria ſaltem concedens, ut igitur inventum illud Chymicorum rectius *Quarta eſſentia* dici deberet, *tr. Tria prima Chym. princ. &c. n.* 44. *Quintum eſſe* idem eſt, quod *Quinta eſſentia*, ſive cujuſlibet elementi eſſe per ſe ſolum, ſive animal ex eo ſolo productum; uti loquitur Rul. & Iohnſ. &c.

QUISQUILA, idem, quod *Quaquila*; de quo p. a.

QUISQUILIUM, Cocci granum, ſeu Kermes. Unde veſtis quiſquiliata. Blaſ. Bernard.

QUOMODO, ᾗπως, ὅπως, πῶς, qualitatem quandam rerum, quæ doctrina traduntur, ſignificat, Gal. *c.* 1. *de iis q. in med. f. t.* 6.

QUOTIDIANA, ἀμφημερινὸς, καθημερινὸς, eſt ſpecies febris, quæ ſingulis diebus paroxyſmos ſuos repetit, vel cum intermiſſione intercedente, ut *Quotidiana intermittens*, vel ſine intermiſſione, ut *Quotidiana continua*, Gal. 2. *de diff. febr. c.* 7. Cauſſa vera hujus febris non eſt pituita excrementitia, ſed conſiſtit in ſanguine, portionibus crudioribus fermentativis ad turgeſcentiam uſque ſcatente, & celeriter quidem efferveſcente, ſed lentius deflagrante, ob fomitem febrilem crudiorem & ligno viridi ſimilem. Jung. Willis, *de febr. c.* 5. Pienſ. *tit. eod. tr. ſpec. c.* 10.

R. Gr. P. ρ.

R Litera difficilis pronunciationis; Dieter. *Iatr. p.* 1216.

RABEBOIA, ſunt *radices Flammulæ majoris*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* apud Dorneum legitur *Rabeboja*, fortaſſis mendoſe.

RABIEL, *Rohel*, id eſt, *Sanguis Draconis.* Rul. & Iohnſ.

RABIES, λύσσα. Vide *Lyſſa.*

RABIRA, vel *Radira*, id eſt, *Stannum.* Rul. & Iohnſ.

RACHAMMELCA, terminus novus à D. Dolæo effectus & deſumptus ex Hebr. *Rechem*, quod uterum ſignificat,

ſignificat, & *Melech*, quod *Regem.* Exprimere autem voluit principium generationis activum, ſive *ſpiritum plaſticum* uterinum, *Encyclopæd. l.* 5. *c.* 1. §. 1. *&* 3. *p.* 860.

RACHI, vel *Racho*, id eſt, *Mercurius.* Iid.

RACHITIS. Vide *Rhachitis.*

RACRI, id eſt *Sal Armoniacus. Raan*, vel *Ranu.* Iidem.

RADENS, ξύων, ξυστικὸς, epitheton *Atræ bilis*, p. n. ſeſe habentis, & in corroſivam aciditatem degenerantis, Gal. *l.* 2. *de nat. fac. c.* 9.

RADIÆI dicuntur *Muſculi*, quidam *interni*, quidam *externi*, carpum flectentes, & extendentes, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 11. *p.* 575.

RADICALIS, idem, quod *Innatus*, vel inſitus, ἔμφυτος, dictum olim de *Humore* quodam *inſito* cum ipſo ſemine, Gal. *ad Thraſib. c.* 19. Paracelſ. *l.* 2. *de morbis metalliſodin. c.* 5. Hoc ex recentioribus acerrime tanquam pro aris & focis defendit contra Helmont. D. Jac. Joſeph. Iœpſerius *Manuduct. ad vit. long. c.* 4. *p.* 18. *ſeqq. Radicales dies* quoque dicuntur perfecti Critici, qui & Principes vocantur. Blancard. *in Lex.*

RADICATIO, ῥίζωσις, vocatur principium plantarum, quando incipiunt progerminare, Gal. *l.* 6. *de Hipp. & Plat. decr. c.* 3.

RADICISECA priſcis temporibus dictus fuit Miniſter Medicorum colligendis medicamentis ſimplicibus deſtinatus.

RADIUS eſt vocabulum multæ ſignificationis. Proprie notat luminis ſolaris & lunaris expanſionem ad diſtans. Gr. ἀκτὶν, ἀκτὶς, de qua ſignificatione legantur Phyſici. Tralatitie vero in Anatomicis dicitur *Radius* os cubiti majus, quod Græce κερκὶς appellatur: Vide *Cercis.* In Mechanicis & metalliſodinis *Radii* vocantur in rota ligna illa, e modiolo, ad obſides, orbile conſtituentes, excurrentia, veluti e centro ad circumferentiam: quorum plerumque duodecim numerantur. Vel etiam *Radius* eſt rutrum ligneum. Rul. In Spagyricis *Radii* quoque per ſimilitudinem attribuuntur Planetis mineralibus, præſertim *Soli & Lunæ*, h. e. *Auro & Argento*: Suntque nihil aliud, quam halitus illi, qui in vitro Hermetico ex corporibus exurgunt, & ſecum ferunt tincturam ſeu animam corporis: unde & *Radii tingentes* vocantur, Libav. *Tom. II. Oper. p.* 441. *item p.* 341. 342. in qua ſignificatione etiam jam olim ſumſit Paracelſus, quando Mercurio attribuit *radi*[illegible], h. e. effluvia, quæ in corpora hominum immittit & imprimit, *l.* 3. *de morbis fodinar. c.* 4.

RADIX, ῥίζα, etiam valde æquivocum eſt. Propria ſignificatio e Phyſicis & Botanicis nota, quarum uſus frequens eſt & in victu, & in Pharmaceuticis. Vide Jul. Alex. *l.* 9. *Sal. c.* 2. *ſeqq.* Bruyer. *de re cibar. l.* 9. *c.* 1. *ſeqq.* C. Hofm. *Inſt. Med. l.* 5. *c.* 11. Schrod. *l.* 2. *c.* 15. Speciatim ῥίζα Galeno *in exeg. Hipp.* eſt planta exilis, ſine caule, ſpina, & fructu trium foliorum ſupra terram prominentium, duorum digitorum magnitudine anchuſæ ſimilis eſt: *Radix* autem *alba* idem eſt quod dracontium, eodem auctore. *Radicum* Chymicam analyſin e fundamentis Carteſianæ philoſophiæ tradidit Tunken. *Chymic. Exp. Cur. P. I. ſ.* 1. *c.* 2. *p.* 187. *ſeqq. Radicula* vero ſumitur pro *Raphano*, apud Galen. *l.* 5. *S. Fac.* §. *Raphanis*, Gr. ῥαφανὶς. Per metaphoram vero *Radices* in Anatomicis dicuntur partium veluti principia, vel vera, vel etiam ex impoſitione hominum, pro principiis habita. Ita *radix vaſorum* habetur cor reſpectu arteriæ aortæ & venæ cavæ: quemadmodum, reſpectu venæ portæ, Gal. *l.* 5. *meth. med. c.* 3. *in fin.* Ita *Radices dentium* vocantur illæ portiones, quæ infixæ ſunt alveolis; ſuntque vel ſimplices, ut primorum, ſed altius infiguntur & firmius; vel bifidæ, aut ternæ, ut molarium. Vide Barthol. *libell.* 4. *c.* 13. Quid vero Plautus per *Radices Cordis* intellexerit, in deſcriptione Leonis Cappadocis, vide Expoſitionem Lind. *Ex. IX.* §. 50. Apud Chymicos *Radix Metallorum* vocatur *Antimonium.* Iohnſon. *l.* 2. *Lex.* De *radicibus mineralium in genere* vide *Th. Chym. Vol. I. p.* 571. In ſpecie de *radice Elixiris citrini*, in negotio Panaceæ, vel lapidis Philoſophici, *Vol. IV. p.* 871. Clarius vero *radices Arboris Solaris* i. e. lapidis Philoſoph. recenſentur, Sal, Sulphur & Mercurius, *Vol. VI. p.* 181. *Radix aurea Zehneri* dicitur *Præcipitatus ruber compoſitus.* Rolf. *Chym. l.* 5. *c.* 6. *c.* 4.

RADULA, idem, quod *Scalprum.* Paræus *Chir. l.* 9. *c.* 4.

RAIA, βατὶς, βάτος. Vide *Batos.*

RAINALE, dicitur lapis, e quo inſecta nociva fiunt. Rul.

RAMAG, id eſt, *Cinis.* Rul. & Iohnſ.

RAMED, id eſt, *Rhabarbarum.* Iohnſ. *l.* 2. L. *Ch.*

RAMENTUM, ξύσμα, ῥίνημα, idem, quod *Strigmentum*, in genere dicitur de omni eo, quod *radendo* detetitur & deſtringitur, ſive lima, ſive ſimili alio inſtrumento. In ſpecie vero *Ramenta* Hippocr. vocantur particulæ membranaceæ interioris inteſtinorum, vel etiam veſicæ, ſuperficiei, deraſæ ab acriori & corroſiva materia excrementitia, v. g. in dyſenteria, 7. *aph.* 64. 3. *de R. V. I. A. t.* 32. Galen. *l.* 1. *de L. Aff. c.* 4. *com.* 4. *aph.* 26. *& alibi.* Vide Foëſ. *Oec. pag.* 441. *Ramenta ſtomachi* leguntur apud Scrib. *n.* 191. adde Lex. Rhodii. In metallicis portio venæ, violentia aquarum, aut alia, abrupta, aut protruſa, *ramentum* nuncupatur. Eſtque vel *ſcobs*, vel *ſtrictura*; Vide Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 3. *Ramentum Elephantis* pro raſura eboris, & *Ramentum navis*, i. e. unguem raſum de navibus, Græc. ξώπισσα, leguntur apud Keuchen. *pag.* 162. *&* 206.

RAMEX, κήλη, idem quod *Hernia.* Vide *Hernia.*

RAMIGRI, i. e. *Colophonia.* Rul.

RAMOSUS hodieque à nonnullis refertur inter principia compoſitionum, deſcribiturque quod conſtet particulis globoſis craſſis terreſtribus, ſpiritui ſubtiliſſimo innatantibus, ſibique invicem cohærentibus, flexilibus & fluidis, Jacob le Mort *Pharm. Medico-Phyſ. c.* 3. *ſeqq.* vide *Fluidus.*

RAMUS, κλάδος. Vide *Clados.*

RANA, βάτραχος, eſt æquivocum vocabulum. Propria, & recepta ſignificatione notat animal aquaticum, quadrupes, oviparum notiſſimum; cujus deſcriptionem, differentias, ut & uſum in cibis & Medicina, quære apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. ovipar. c.* 1. *ſeqq.* Schrod. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 87. Libav. T. *II. Op. pag.* 155. De harum generatione & ſucceſſiva conformatione legi quoque poterit Obſervatio Oligeri Jacobæi *in Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 39. *pag.* 109. *ſeqq.* *Ranas* per vomitum ab ancilla Altenburgenſi rejectas communicavit Th. Reineſ. *d. l. Obſ.* 40. *pag.* 110. Eſt etiam nomen piſcis cartilaginei, & dicitur *Rana* marina, ſive *piſcatrix*, cujus deſcriptionem & uſum tradidit Aldr. *l.* 3. *de piſcib. c.* 64. *Ranæ* καλαμῖται vocantur *ranæ virides*, inter calamos aquaticos, & gramina morantes, & γύρινοι e nubibus, vel cœlo lapſæ, Keuchen. *ad Sammon. p.* 232. *Rana* quoque vel *Ranula* dicitur, in Pathologicis, apoſtema quoddam ſub lingua, eſtque tumor, vel potius abſceſſus, cum folliculo, materiam meliceridi, aut muco ſimilem continens, oblongus, aut rotundus, ad frenum linguæ, & venas, propterea *raninas* dictas, occurrens, aliquando & in lapidem, vel tophaceam duritiem concretus, cum impedimento ſermonis, proveniens à materiæ crudæ & excrementitiæ, cum ſanguine, vel etiam ſaliva, affluentis collectione, ſibi fixam ſedem cum concretione parante. De qua videantur Practici, præſertim Foreſt. *l.* 14. *obſ.* 29. Senn. *M. Pr. l.* 1. *P.* 3. *ſ.* 5. *c.* 4. Paræus *l.* 7. *c.* 5. Aquapend. *tr. de oper. Chirurg. h. tit.*

RANCIDITAS, σαπρότης, dicitur ſpecies corruptionis putridæ, quæ competit rebus ſulphureis & oleoſis, pinguibus; quando aut fervore, aut vetuſtate, corrumpuntur; v. g. nuces *rancidæ*, Foreſt. *lib.* 30. *Obſ.* 10. *Schol.* Willis *de ferment. c.* 8.

RANCULA vocatur Joh. Anglico dolor erraticus in vulnere propter humorum affluxum ad locum vulneratum, eſtque cum pulſatione & tumore. Derivatio vero illius eſt plane ridicula, dum ſcripſit dici *Ranculam*, quaſi replens locum. *Roſ. Angl. p. m.* 1038.

RANGIFER, dicitur animal quadrupes, cervi ſpeciem repræſentans, curſus celerrimi, in extremis Septentrionalibus regionibus, Suecia, Lappia frequens, & ad labores uſitatum: cujus hiſtoriam vide apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr biſulc. c.* 31. Meminit & Helmont. dicens, quod Rangifer extra ſuum clima non vivat. *tr. Nat. contr. neſcia*, *n.* 1. Horum animalium recens mactatorum ſanguinem calidum manu exceptum haurire incolas contra ſcorbutum ex communicatione D. Joh. Dieteri notavit ſimulque rationem aliquam adjunxit Sennert. *de Scorbut. c.* 7. Anatome vero *Rangiferi* à Nic. Stenone exhibita legitur deſcripta *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 135. *p.* 274. *ſeqq.*

RANULA, βατράχιον. Vide *Rana.*

RAPAX, ἅρπαξ. Vide *Harpax.*

RAPHANUS, idem cum caule, ex Scholiaſte Ariſtoph. & Jul. Poll. *l.* 6. *c.* 8. Jacob. Conſtantinus *cap.* 14. *Collectaneorum.*

RAPIENS *vitam* eſt epitheton plantæ alicujus venenatæ, ſive *Laureola*, ſive *Chamelæa* aut *Thymelæa* fuerit, quod Botanicis extricandum permittimus. Legitur apud Tabernamont. *l. III. c.* 93. quamvis deſcriptio Autoris, vel etiam Bauhinii *in Pinace* cum illo frutice, qui hodieque vernacule Keſſerhalß nuncupatur, non quadrare videatur. Vocatur & *d. l. Faciens viduas.*

RAPTUS, ἐνθουσιασμὸς, i. e. occulta quædam, & ſupernaturalis cognitio alicujus repentina, à ſpiritu quodam vel dæmone infuſa. Vide *Enthuſiaſmos.* De *raptu* Prophetarum legitur *in Th. Ch. Vol. VI. pag.* 67. De *raptu* latius accepto Paracelſ. *l.* 2. *Philoſ. ad Athenienſ. text.* 15. *Raptus* etiam ſumitur pro *ſpaſmo* apud Cœl. Aurel. *l. III. Acut. c.* 7. *p. m.* 185.

RAREFACIENS, ἀραιωτικὸς, epitheton medicamentorum, tenuium partium, & calidorum, virtute coincidentium cum *aperientibus* & *diaphoreticis*; utpote, quod cutis ſpiracula reſerant, Gal. *l.* 1. *S. Fac. c.* 14. His opponuntur *condenſantia*, πυκνωτικὰ, de quibus ſuo loco.

RARITAS, *Rarus*, σπανιότης, σπάνιος, ἀραιότης, ἀραιὸς, proprietas vel attributum corporum, quorum partes multis ſpatiis inanibus interceptæ ſunt: ſive quæ, ſpongiarum inſtar foraminibus pervia, Gal. *l.* 1. *S. Fac. c.* 13. *&* *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 5. His opponuntur *denſa* corpora: πυκνά. Alias & *raritas* eſt circumſtantia ad tempus pertinens; quando tardius aliquid iteratur aut redit. Ita *Rarus pulſus* dicitur, Gal. *l. de pulſ. introduct. cap.* 4. Huic opponitur *Creber.*

RASA, idem quod *Reſina.* Jul. Alex. *Annot. in Gal. l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 12.

RASA, vel *Raſtis*, hoc eſt *Stannum.* Iid.

RASAHETI, *Ruſatagi*, *Ruſangi*, id eſt. *Æs uſtum.* Rul. & Iohnſ.

RASCATIO, idem, quod *Screatus* vel Exſcreatio; quando v. g. ſanguis cum *raſcatione* ejicitur, h. e. ex gutture & adjacentibus membris uvulæ. Iſaac. *l.* 3. *Viatici c.* 8. *&* 9.

RASCETA, idem, quod *Brachiale*, vel *Carpus*: Vide *Carpus.* Dicitur & de pede, ſive nodo claviculæ pedis. Foreſt. *l.* 6. *Chir. obſ.* 49. *Schol.* Dicitur & *Raſetta.* Barthol. *libell.* 4. *c.* 20.

RASORIUM, *Raſpatorium*, ξυϛὴρ, idem, quod *Scalprum*. Vide infra *Scalpellum*, *Scalprum*.

RASTETA, idem, quod *Raſcetta*. Paracelſ. *de Urin.*

RASTOL, id eſt, *æs*. *Raſoes* idem, Rul. & Iohnſ.

RASTUL, id eſt, *Sal.* Iidem.

RASURA, ξύσμα, ξυσμὸς, ſumitur vel active, vel paſſive. Active idem quod *Raſio*, ξυσμὸς, ξύσις. Uſurpatur vero & in Pathologicis, de humoribus acrioribus, *radentibus* vel inteſtina, vel alias membranaceas partes, ventriculum, veſicam &c. qui humores ideo vocantur ξυστικοὶ, *raſorii*: Et in Pharmaceuticis, dum parantur quædam ſimplicia per *raſionem*, vel limaturam, ut *Raſura* Cornu Cervi, Eboris, &c. Vel in Chirurgicis, quando lima, aut aliis inſtrumentis, fit oſſium *raſio* vel *abraſio*, aut quando capillorum fit *raſio* cultro. Paſſive idem eſt, quod *Ramentum*, *Strigmentum*, ξύσμα. Vide *Ramentum*.

RATIO, λόγος, λογισμὸς. Vide *Logos*. Accipitur vel ſubſtantialiter pro *Anima rationali*, Mente, Animo humano. Vel effective pro *Ratiocinatione*. Vide *Logiſmos*. Vel pro *indicatione* ex methodo Medicinali deſumto argumento, 2. *aph.* 27. 42. & 3. *aphor.* 1. Vide Dieter. *n.* 507. Lind. *Ex. VII.* §. 31.

RATIONALIS, λογικὸς. Vide *Logicos*.

RAUCEDO, *Raucitas*, βράγχος. Vide *Branchos*. Adde illis Boneti *Sepulchret. l.* 1. *ſect.* 22. *obſ.* 18.

RAVED, i. e. *Rhabarbarum*, Schrod. Vide p. inferius.

RAXACH, i. e. *Gummi Ammoniacum*. Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 2. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 369.

REALGAR, proprie & metaphorice accipitur. Proprie etiam non uno modo deſcribitur: Rul. Dorn. & Iohnſ. ſcripſerunt, quod ſit fumus mineralium, quicquid arſenicale eſt, aut operimenti naturam habet. Apud Foreſt. *l.* 30. *obſ.* 8. *in Schol.* hæc leguntur: *Realgar* fit ex ſulphure, calce viva, & auripigmento (idiomate noſtro, inquit Pandectarius, dicitur *Soricaria*) interficitque ſorices, & omnia animalia. Pulvis eſt mordicans, fiſtulas ac vermes equorum, & corrodendo abſumens omnem malam ſuperfluamque carnem. Libavius hoc notavit: *Realgar* modo ſpeciem auripigmenti rubei vocant, in quo aureus color miſcetur ſandarachæ fiſſili, glebarum ſpecie, & gracili venatum diſcurſu: vel etiam pulverem rubeum in ſcaptenſulis argentariis collectum, deſignari putant; modo recrementum rubeum fœtidum & venenatum, quod circa fornacum metallicarum oras & ſpiracula concreſcit; non raro etiam citrinum, cinereum, vel alterius coloris. Santes Ardoynus arſenicum, ſulphure miſtum, judicavit, denotans fortaſſe halitus illos Officinarum concretos, quos, vernacule, fumum officinarum, Hüttenrauch indigitant. Alii *Realgar* fixum eſt arſenicum halinitro adjecto crematum. Omnino autem eſt, cum arſenicalibus, ejuſdem naturæ; aut vicinæ. Libav. *S. A. Ch. l.* 3. *cap.* 16. Metaphorica acceptio eſt merum commentum Paracelſicum, qui diſtinxit *Realgar* in *Macrocoſmicum* & *Microcoſmicum*: Illud quadruplex iterum finxit; juxta numerum Elementorum: Ut *Realgar aquæ*, ſpuma natans ſuper aquas; *Realgar terræ*, Arſenicum; *Realgar aëris*, Tereniabin; & *Realgar ignis*, Conjunctio Saturnina. Dorn. Rul. Iohnſ. e Paracelſ. *Paragran. l.* 3. *c.* 2. §. 1. & *alibi.* Imo attribuit quoque *Realgar Aſtris*, & ſingulis Planetis, quo aquas inficiunt, *in Fragm. Medic.*

REBIS, id eſt, *excrementum alvi.* Parac. *de hydrope.* & *l.* 3. *de morb. fodin. c.* 4. *Rebis* etiam, id eſt, *lapis Rebis*, *capilli.* Dorn. Rul. & Iohnſ. In chryſopœia *Rebis* dicitur materia, ex qua ſemen aurificum generatur; eſtque aurum & ſuum argentum vivum. Dicitur vero barbaro nomine *Rebis*, quod ex bina re primum componitur, quæ tandem, diuturna coctione, fit una ſpecie, & numero. *Th. Chym. Vol. II. p.* 43. *adde pag.* 252. & 395. *Vol. III. p.* 751. *Vol. IV. p.* 400. Meminit & Libav. *Tom. II. Oper. p.* 40. & 426. Quibuſdam recentioribus *Rebis* dicitur Mercurius Philoſophicus duplicatus, ſulphure Solari & Mercurio univerſali conſtans. Dicitur & *Azoth.*

REBISOLA, dicitur arcanum urinæ ad icteritiam; quæ ſi coquatur, ac deſpumetur optime, poſt triduum quieſcens, lapillos *rebiſoleos* edit. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Paracelſ.* etiam commendat ad morbos metallifodinarum. *l.* 3. *h. tit. c.* 11.

REBOLEA, mumia. Rul.

REBONA, *ſtercus aduſtum*, *mumia.* Rul. Dorn. & Iohnſ.

REBUS, eſt ultima rerum materia. Iidem.

RECENS, νεαρὸς; Vide *Nearos.*

RECEPTA, *Receptum*, vocatur barbare *formula Remedii*, vel medicamenti, quæ præſcribitur à Medico; vel quales deſcriptiones occurrunt jam in Diſpenſatoriis. Longas *Receptas* ſcribere magna ex parte, non videtur tam pertinere ad ſalutem ægri, quam fortaſſis ad vanam gloriolam & aucupationem excitandam; e Scherbii *Theſ. Med. Diſp. X. θ.* 2.

RECEPTACULUM, δοχεῖον, ἐκδοχεῖον, ὑποδοχεῖον, dicitur omne id, quo aliquid excipitur & colligitur. In ſpecie apud Anatomicos, occurrit *Receptaculum Chyli*, à Pecqueto inventum; cujus hiſtoriam vide apud Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 12. In Chymicis *receptaculum* vocatur vas amplum & globoſum, deſtillantes humores recipiens. Variare vero debet, pro rei deſtillandæ ratione. Nam ſi res vaporoſæ, flatulentæ, ac ſpirituales diſſolvuntur, amplum eſſe debet; alioquin, à ſpirituum vi magna, magno bombo, ac crepitu, nec ſine adſtantis periculo rumpitur, atque in fruſta diſſilit. Si vero res calidæ tenuesque fuerint, collo longo formatum eſſe debet. Sin autem res mediæ fuerint,

medium

medium *receptaculum* requiritur. Rul. & Iohnſ. Terra dicitur *Receptaculum* Influentiæ Cœleſtis. *Vol. VI. Theatr. Chym. p.* 403.

RECEPTARII Medici Langio dicuntur, qui, à Pharmacopœis & Chymiſtis, abſque ulla ratione, integros *receptorum* faſciculos colligunt & recipiunt; quibus plauſtra onerare poſſent &c. Lang. *l.* 2. *ep.* 23.

RECESSUS, ἀπόστασις, vide *Apoſtaſis.*

RECHA, id eſt, *marmor.* Rul. & Iohnſ.

RECIDIVA, ὑποτροπή, ὑποστροφή, vide *Hypotrope.*

RECIPE, uſitatiſſima hodieque vox notata per abbreviaturam Rec. præmittitur formulis remediorum, quam prolixius ventilavit Schenk. *Synt. comp. & præſcr. med. p.* 83. 84. Reſpondet autem antiquo vocabulo *Sume*, quod integris literis expreſſum præmiſiſſe veteres ſuis formulis teſtatur idem *d. l.*

RECIPIENS, idem, quod *Subjectum* morborum. Vide *Subjectum.* Vocatur & inſtrumentum, vel vas, in Deſtillatoria arte, quod excipit e deſtillatione materiam prolectam, *Recipiens*, eſtque uſitatiſſimum.

RECIPROCATIO, ἀνταπόδοσις, vide *Antapodoſis.*

RECIPROCUS, παλινδρομῶν, idem, quod *Recurrens*, epitheton Pulſus myuri vel deficientis. Vide *Myuros.*

RECLINATIO, κατάκλισις, eſt motus muſculorum voluntarius, Gal. *l.* 1. *de mot. muſc. c.* 7. Vide *Cataclisis.*

RECLUSIO, ἀναστόμωσις, morbus dicitur partium inſtrumentalium, ſive organicus, Gal. *l. de diff. ſymt. c.* 6. Eſtque morbus in meatibus apertis, vel ampliatis. Vide *Anaſtomoſis.*

RECOCTA dicitur Caſeus, qui fit ex ſero, vel lacte acetoſo, Arab. *Raib* dicto. Vocatur talis caſeus vernacule quarck / Arab. *Atachat.* Avic. *l.* 2. *tract.* 2. *cap.* 127.

RECOLATIO, idem quod *Percolatio*, vel *iterata Colatio.* Scrib. *n.* 268. Vide *Colatio.*

RECOLLIGO, ἀναφέρω, idem, quod *vires recupero.* Hipp. 2. *aph.* 43. Dieter. *n.* 63.

RECOQUO, ἀφεψέω, pro *Decoquo, Coquo.* Keuchen. *ad Sammon. p.* 88.

RECORDATIO, ἀνάμνησις, ὑπόμνησις, eſt præteritarum rerum memoria, & ad actus animæ ſenſitivæ pertinet, conſiſtentes in impreſſione & ſpecierum ſenſibilium in ſpirituum animalium idea. Vide Willis *d. A. Br. P. I. c.* 6.

RECORPORATIVUS, μετασυγκριτικός, dicitur ſpecies curationis, cujus meminit etiam Cœl. Aurel. *l.* 11. *Tard. paſſ. c.* 2. *p.* 330. Vocatur alias μεταποροποιΐα, vide ſupra *Metaporopœia.*

RECREATIO, ἀνάληψις, idem, quod *Refectio*; & *Recreans*, idem, quod *Reficiens.* Angen. *Tom. III. Ep. Medic. p. m.* 366.

RECREMENTUM, περίττωμα, idem, quod *Excrementum.* Vide ſupra, in EX. *Recrementa* mineralia vel metallica vide apud Rul. & Iohnſ. Dicuntur & *Scoriæ*, de quo vocab. infra *ſuo loco.*

RECRUDESCENTIA, *Recrudeſcens*, παλιγκότησις, παλίγκοτος, vide *Palincotos.*

RECTIFICATIO, nihil aliud eſt, quam deſtillationum iteratio, vitreis (plerumque) organis facta, *Th. Chym. Vol. I. p.* 211. Vel *Rectificatio* deſtillationibus fere omnibus communis eſt, tum aquarum, tum ſpirituum vegetabilium, mineralium, animalium; tum oleorum. Eſt terminus artis, notatque purificationem aut *exaltationem* alicujus ſubſtantiæ &c. Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Fere idem eſt cum *Cohobatione.*

RECTRIX, ἡγεμονική, epitheton *animæ rationalis.* Vide *Hegemonicos.*

RECTUS, ὀρθός, vide *Orthos. Rectum* quoque *inteſtinum* vocatur tertium craſſorum, & ultimum, quod ad anum uſque porrectum eſt, Gal. *l.* 6. *Anat. adm. c.* 9. ad cujus extremitatem muſculus ſphincter eſt. Vocatur & *Princeps inteſtinum*, Gr. ἀρχός. De quo vide in Anatomicis, Barthol. *l.* 1. *An. cap.* 11. Vide & *Longaon.* Recti muſculi abdominis dicuntur, qui rectis fibris à ſterno & coſtis ſpuriis protenduntur uſque ad regionem pubis & lineis albis tranſverſis ſignati obſervantur, *l.* 1. *An. c.* 5. *p.* 54.

RECURSIO, *recurrens*, παλινδρομία, παλινδρομῶν. Vide *Palindromia. Nervi recurrentes* vel *recurſivi* qui ſint, vide apud Bartholin. *libell.* 3. *An. c.* 2. Alias *Recurſus* etiam accipitur pro repetitione paroxyſmorum, in qua ſignificatione uſus Laur. Bellinus *de febrib. propoſ.* 26. *Oper. ſuor. p. m.* 398.

RECURVUS, *Recurvatio*, λόρδωσις, idem, quod *Curvus*, *Curvamen*: de quo ſupra in CU.

RECUTITI, idem, quod *Apellæ*, quibus præputii portio reſecta, & circumciſa eſt, Barthol. *l.* 1. *An. c.* 24. quamvis rectius generalior ſignificatio tribuatur à Paræo, *recutitos* dicente, quibus præputium brevius eſt, ut colis glandem operire non poſſit, ſive hoc vel naturæ vitio à prima conformatione, ſive caſu & reſectione contigerit. *Chir. l.* 16. *c.* 31. Quamvis P. Ammann. per Recutitos & Recutitionem aliud quid intelligi ſatis plauſibiliter demonſtret, dicens, denotare artificium illud Chirurgicum, quo defectus præputii vel reſecti vel natura denudatam habentium glandem reficiendi vel retrahendi præputium, de quo Corn. Celſ. *l.* 7. *c.* 25. Inſtrumentum vocatur σπαθιστήρ, plura de hoc artificio legantur *in D. Ammanni Irenico p.* 247. *ſeqq.* & Joh. Rhodius *diſſert. de Acia c. VI. p.* 94. ſcribit, *Recutitos* dici notum eſt, quibus in glande cutis deeſt, quandoquidem ipſa nunquam integra vel ſponte vel arte renaſcitur.

REDARGUTIO, ἔλεγχος. Vide *Elenchos.*

REDIVIVUS eſt epitheton Chemicis familiare, quando in proceſſibus minerale vel metallum, quod ſub alia forma delituit inviſibiliter, revera tamen adfuit,

ſub naturali ſua forma producitur. Ita *Mercurius redivivus*, qui in Cinabari inviſibilis latuit, admiſcendo tres partes calcis trituratæ & per retortam cogendo producitur, de quo modo & alio legatur Blancardus *Chemiæ c. XI.* §. 40.

REDUC, *Redux*, eſt pulvis, quo calcinata metalla & mineralia liquantur, iterum in metallinum regulum redeuntia. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

REDUCTIO, ἀνάστασις, ἀναγωγὴ, ἔγερσις, quaſi *reſuſcitatio*. Vox eſt æquivoca, etiam in Chymicis. 1. Ita dicitur corporis alicujus, in formam calcis, pulveris, aut liquoris redacti, priſtinæ formæ reſtitutio. Locum habet præcipue in metallis, quæ menſtruorum additione formam quaſi amiſerunt. *Reductio* talis eſt, cum ſalia mineralia, v. g. Sal Vitrioli, alumen, in humido calido ſoluta, *reducuntur* in frigido humido in priſtinam ſolidam conſiſtentiam. 2. *Reductionis* vox etiam attribuitur *Reſolutioni* corporum in prima entia & principia, ut vocant: Cineres vegetabilium volunt reduci in arborem, fruticem &c. Sed eſt nulla, & merum commentum. Plura de hoc vocabulo vide apud Rolfink. *Chym. l. 2. c. 4.* Junge *Theatr. Chym. Vol. I. p. 696. 697. 699. Vol. IV. p.* 848. *Vol. V. p. 542. & 716. Vol. VI. p. 215. 229. Reductionem calcium* in metalla opus habere circumſpecto magiſtro, docet Libav. *S. A. Ch. l. 5. p. 9. fin. Reductionem Tartari* urget Paracelſ. *Paramir. lib. 3. tract. 2. & 3. Reductio cibi* in ſua principia, Sal, Sulphur, & Mercurium, fit per Archeum Stomachi, *tract. 2. de Peſtilentia in princ.* In genere quoque *Reductio* Paracelſo dicitur omnis mutatio in alium ſtatum: v. gr. mutatio morbi in ſanitatem eidem vocatur *reductio*, *l. de renovatione & reſtauratione, in princ.*

REDUNDANTIA, πληθώρα, περισσότης, περίσσωσις. Vide *Periſſoſis*.

REDUPLICATIO, ἀναδίπλωσις, ἐπαναδίπλωσις. Vide *Anadiploſis*.

REDUVIA, idem, quod *Paronychia*, παρωνυχία. Vide ſupra in PA. Dicitur & quibuſdam *Redibia*, *Redubiæ*. Keuchen. *ad Sammonic. p.* 241.

REFECTIO, ἀνάληψις, ἀνάθρεψις. Vide *Analepſis*, *Anathrepſis*.

REFINATIO, idem ſignificat in genere quod *Depuratio*. In ſpecie hoc nomine venit ars, qua ſaccharum e cannis extractum, ut candorem & duritiem acquirat, ab omnibus impuritatibus per lixivium e calce viva paratum liberatur, de qua legatur Angel. Sala *in Saccharologia cap.* 3. Caſp. Barlæus *de rebus geſtis Claſſis Naſſovicæ in Braſilia*, aliique, & ex his Eraſm. Franciſc. *Hort. Indic. Orient. & Occident. Part. I. p. m.* 267. *ſeqq.* Ita & Spagyricis metalla depurata dicuntur Refinata, v. g. Aurum, Argentum &c.

REFLEXIO, ἀνάκλασις, vel idem eſt, quod *Recurvatio*, vel dicitur de viſione, ubi ſpecies viſibilis in circulo *reflectuntur*, Paracelſ. *de An. ocul.* hæc dicitur uſitatius *Refractio*.

REFRACTARIA *Vena*. Vide *Phleps*.

REFRACTIO, ἀνάκλασις, eſt vox *Optica*, idem, quod *Reflexio* ſignificans, C. Hofmann. *ad Gal. LL. de V. P. n.* 83. Barthol. *l. 3. An. c. 8. ad fin.*

REFRICTIO, ἀνάτριψις, vide *Anatripſis*.

REFRIGERATIO, κατάψυξις, περίψυξις, vide *Catapſyxis*.

REFRIGERATORIUM dicitur Chymicis omne illud vas, quod aquam frigidam comprehendit, qua mediante vapores in deſtillatione exaltati per refrigerationem condenſantur in aqueam ſubſtantiam, ſive roſtrum ſaltem alembici tranſeat, ſive ipſum ambiat alembicum, ſive alio modo adhibeatur, de quibus legantur ſcripta Chymicorum, quamvis & vas ligneum ſale communi plenum pro *Refrigeratorio* exhibeat Joh. Franciſc. Vigani *in Medulla Chymiæ tabul. 2. fig. 5. f.*

REGALE, commentum eſt, quo repurgatur aurum. Dorn. *in Dict. Paracelſ.* Iohnſ. Ejus deſcriptionem vide *in Th. Chym. Vol. I. p.* 548. *ſeq. Regale fœtidum menſtruum* Spagyricum dicitur aqua regia, quæ aurum ſolvit, cum Mercurio, & ſtella Antimonii. Libav. *Tom. II. Oper. p.* 231.

REGENERATIO, παλιγγενεσία, vide *Palingeneſia. Regeneratio Philoſophica*, ſive Spagyrica eſt nihil aliud, quam corruptionis ſeparatio, incorruptionis reſtitutio, mortis ablatio, vitæ redintegratio, virtutum elementarium remotio, & cœleſtium inſtauratio, & tandem malignitatis extirpatio, & bonitatis excitatio, elementorum ſterilium regnantium mors & mortificatio & virtutis immortalis atque cœleſtis vita. *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 374. Plus quam ſatis, encomiorum & titulorum, dummodo non eſſent bullæ inanes.

REGIBBUS, λορδὸς, idem, quod *Repandus*, *Recurvus*: Vide *Lordos*. Occurrit hoc vocabulum in Braſavoli *Indice Galenico*.

REGIMEN, uſitatum eſt vocabulum in Medicina; ſignificans alicujus rei *ordinationem*, διάταξιν, ἐπιστασίαν. Ita victus *regimen* paſſim occurrit in Practicis. Sufficiat locus apud Foreſt. *lib. 32. Obſ. 9. Schol.* Paracelſ. *l. 4. Paramir. Regimen lapidis Philoſophici* legitur *in Th. Chymic. Vol. II. p. 296. Vol. III. pag. 654. Vol. IV. pag.* 820. 830. 860. *&c. Vol. V. p. 20. &c. Regimen ignis*, in operationibus Chymicis, *Vol. IV. pag.* 526. 816. 860.

REGINA, βασιλὶς, eſt nomen liquidæ ocularis compoſitionis, quæ *Reparatrix*, ἀναληπτική, vocatur apud Galen. *lib. 4. de C. M. S. L c. 7. Regina* quoque, ænigmatico nomine, vocatur *Luna Philoſophorum*, ſive *Lapis Philoſophicus*, metalla inferiora, cuprum, ſtannum, ferrum, in argentum conſtantiſſimum, transformans, *Th. Chymic. I. p.* 531.

REGIO,

REGIO, χώρα, vide *Chora*. *Regiones* quoque Anatomicis dicuntur certæ corporis & determinatæ portiones; uti videre eſt apud Bartholin. *in procem. fin.* v.g. *Regio* umbilicalis, *l.* 1. *in princ.*

REGIONALIS, ἐνδήμιος, dicitur de morbis certæ regioni familiaribus. Gal. *in princ. comm. in Libr. Epid.* Vide *Endemios*.

REGIUS, βασιλικὸς. Tribuitur & morbis, & medicamentis. *Morbus regius*, idem eſt, quod *Icterus*. *Aqua Chryſulca*, ſive Aurum ſolvens, vocatur *Aqua Regia*, alias *Stygia*. Schrod. *l.* 3. *c.* 23. *in fin.*

REGNUM, βασιλεία, tranſlata hæc vox in Medicinam, notans certam claſſem rerum naturalium. Imprimis vero *tria Regna* communiter traduntur; *vegetabilium rerum*, in quo *vinum* primum locum tenere creditur; *mineralium*, in quo *aurum*: & *animalium*, in quo *homo* primas ſibi vendicat. *Th. Chym. Vol. VI. pag.* 682.

REGULA, κανὼν, vide *Canon*.

REGULARIS eſt epitheton Variolarum apud Thom. Sydenham *in obſerv. de morb. ac Sect. III. c.* 2. quando in illis contenta materia quoad colorem, conſiſtentiam, & alia accidentia nullam extraordinariam malignitatem præ ſe tulerunt, ſed apud omnes iis correptos eadem exhibuerunt φαινόμενα, ſive Diſcretæ ſive Confluentes fuerint. Illis opponuntur *Anomalæ* ſive *Irregulares*, de quibus *ſect.* 5. *c.* 4. quales ibidem nigræ Variolæ deſcriptæ leguntur, quæ intenſam redolebant putrefactionem.

REGULUS, homonymon eſt in Medicina. 1. ſignificat aviculam, quæ & *Trochilus* Plinio dicitur. Gr. βασιλεὺς, βασιλίσκος; cujus deſcriptionem, cum uſu, vide apud Aldrov. *l.* 17. *Ornithol. c.* 1. Deinde eſt terminus Chymicorum Technicus, qui, in probatione aut fuſione alicujus mineræ, illud, quod manet in crucibuli fundo, vel cupula, *Regem*, vel *Regulum* appellant. Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſ.* 11. *cap.* 1. Uſitatiſſimus eſt *Regulus Antimonii*: ibid. Schroder. *l.* 3. *c.* 17. Libav. *S. A. Ch. l.* 3. *c.* 11. & *l.* 6. *cap.* 21. *item Tom. II. Oper. p.* 181. *ſeq.* Hic deſcribi poteſt, quod ſit Mercurialis *Antimonii* ſubſtantia metallica à ſuperfluo ſulphure mediantibus Nitro & Tartaro vi ignis cum detonatione operantis alcaliſatis ſequeſtrata.

REJECTIO, ἀναγωγὴ, ſæpe uſurpatur ſpecialiter pro excretione præternaturali, per os; ſive pro vomitu. Scrib. *n.* 180. 181. 183. Vide Rhod. *in not. ad n.* 183. & *in Lex. Scribon.* Vide etiam ſupra *Anagoge*.

REINCRUDATIO, barbaro hoc nomine uſus Joh. de Muralto *in ſuo Vade mecum Anatomico Exerc. I. p.* 13. modum explicaturus, quo ſanguinis color rubicundus in album permutatur contra naturæ ordinem. Verum an adeo congrue nomen hoc fictum ſit, non immerito quis dubitaverit.

REITERATIO, idem, quod *Iteratio* ſimpliciter, h. e. *Repetitio* alicujus laboris, vel rei. In Chymicis *Reiteratio* eſt ſpecies exaltationis Paracelſi, *Paragr. tract.* 3. *de Alchymia*. *Reiteratio* fit, quum terra ſublimata ponitur in cœlum, & in eo putrefactione diviſioneque ſolvitur. *Th. Chym. Vol. I. pag.* 436. *Reiteratio ſublimationis Mercurii* legitur *Vol. IV. pag.* 1002. *Reiteratio examinis metalli* per plumbum, vel tribulationis: *Vol. VI. p.* 78.

REL, REBUS, i. e. *lac acetoſum*. Rul. Iohnſ.

RELATIO, terminus alias Logicus, tranſlatus etiam in forum Medicum, denotat reſpectum rei indicatæ ad rem indicatam, qui reſpectus alias communiter vocatur *Indicatio*. Anton. Alvarez. *Epiſt. & Conſil. Med. Part. I. p. m.* 241.

RELAXANTIA, χαλαστικὰ, vide *Chalaſticos*. *Relaxatum*, κεχαλασμένον, opponitur contento, συντεταμένῳ. Gal. *in* 6. *Epid. t.* 30.

RELAXATIO, quid in genere ſignificet, nimirum materiæ prius conſtrictæ reſolutionem, notum eſt. Verum accipitur etiam pro *Ampliatione*. Ita Pylorum *relaxatum*, ut omnes digitos junctim compoſitos admitteret, ceu cauſam Appetitus canini, notavit Ruyſchius *in Centur. Anat. Chirurg. Obſ. n. LXXIV.*

RELIQUIÆ, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα. Hippocr. 2. *aph.* 12. Vide *Encatalimpano*.

RELOLLÆUM, eſt virtus ex complexione, ut in Hyperico prima virtus eſt in calido & curativo: Accidentalis vero Cherionia & occulta, in eo, quod vermibus adverſetur atque corruptioni. Dorn. *in dict. Parac.* Rul. Paracelſus vero ita deſcripſit. *Relolleum* (attractiva vis rerum) eſt natura ultra primam; & eſt duplex, ſcil. permanens, ut in magnete, & carabe, & maſtiche; Non permanens, ut eſt in igne. Et ſic in morbis eſt duplex: *Relolleum permanens*, & non permanens: *Permanens*, ut de febribus, & ſpeciebus ejus; non permanens, ut in Roſea, Catocha. *Relollea* extra naturam, de ſimplicibus, ut Zinziber, Nitrum, Aſphaltum, *in Scholiis ad L. de grad. compoſ. cap.* 1. Unde & in aliis, *ad h. l.* Scholiis. Meminit *Relolleacearum* ægritudinum, & ſeparationis *Relollinæ*. Helmontius paulo diſtinctius de *Relollæo*: *Relollæum*, eſt qualitas efficiens, non procedens ex fermentis & ſeminibus rerum, eſtque duplex: unum videlicet in corpore proprio, alterum vero in alieno. Inter *Relollæa propria* quædam ſunt ſeparabilia; ut frigus in aëre & aqua: Alia vero inſeparabilia; ut calor in lumine ſolis, candelæ, & ignis, quæ nunquam frigere poſſunt. *Relollæum alienum* eſt violentum, quod ſi non foveatur, perit per ſuos gradus, & momenta; Ideoque dicitur *tranſiens*, ut eſt calor in aqua, *tr. Nat. contr. neſc. num.* 25. 26. Calorem in Elementis eſſe merum *Relollæum*, ſcribit *in tr. Scholar. Hum. paſſ. decept. num.* 4. Iohnſ. triplex conſtituit *Relollæum*, *Incorporatum*, *Innatum* & *Momentaneum*. *Incorporata* ſunt omnia Mercurialia: videlicet Mercurius Sulphuris, Mercurius ſalium. *Innata* ſunt ex tribus, Conſolidativa, Mundificativa, Confortativa. *Momen-*

Momentanea; ut Mors eſt improviſum *Relollæum*; cum tinctura velociſſima, *Lex. Chym. l.* 1. Libavius *Rellollaceas* qualitates refert inter cœnoſos terminos ſpurci Parac. *Tom. IV. Oper. p.* 246.

REMEDIUM, βοήθημα, idem, quod *Auxilium*, *Indicatum*, *Juvans* ad ſanitatis conſervationem, qua ad ejuſdem recuperationem. Comprehendit ſub ſe Res non naturales, non ſolum Medicamenta, & Chirurgicas operationes; verum etiam victum, & quæ ad Diætam pertinent. Linden. *Ex. VII.* §. 32. Eſtque de materia Medica ſimul intelligendum hoc vocabulum, & de ejus formali ratione & virtute. Vide *Dogm. noſtr.* G. P. *IV. c.* 1. *d.* 4. *p.* 462. *ſeq.* imo & de dextro uſu. Nam rectus uſus eſt & anima materiæ, & vita *remedii*, & forma utriusque. Quod enim hæc materia *remedium*, hoc *remedium* auxilium & vere exiſtant & recte dicantur, hoc totum habent ab uſu recto. Linden. *Ex. II.* §. 65. Conſentit Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 1. *de Al. fac. c.* 1. *Remedia* inveniuntur per duo inſtrumenta, quæ ſunt ratio, & experientia, eſtque hæc periculoſa & fallax, illa vero difficilis, h. e. non facilis cognitu. Gal. *in* 1. *aph.* 1. *Remedia* quoque *ſpiritualia*, h. e. quæ animi vigorem promovent, prodeſſe ad corporis ſanitatem, vide *in Th. Chym. Vol. V. p.* 358. Verbum *Remediare* aliquoties occurrit apud Scribon. Larg. *n.* 11. 14. 18. 27. *&c.* Vide Rhod. *Lex. Scribon.*

REMIGATIO, ἐρεσία vel εἰρεσία, pertinet inter Exercitationes corporis fortiores, Galen. *l.* 2. *de ſan. tu.* & comprehendit motum miſtum. *l.* 1. *de Uſ. part. c.* 19.

REMINISCENTIA, ἀνάμνησις, idem, quod *Recordatio.* Vide *Anamneſis. Recordatio.*

REMISSIO, ἄνεσις, idem, quod διάλειμμα, παρακμή; Vide *Declinatio*, *Dialeimma.* *Remiſſus* etiam ſæpe pro *debili* ponitur, v. g. *Remiſſus* pulſus, *Remiſſus* paſtillus. *Remiſſa* aqua frigida. Rhod. *in Lex. Scribon.*

REMORA, ἐχενηΐς, nomen piſcis marini, ſaxis adhærentis, qui, navibus adhærens, motum earum retardare poſſe creditur; Cujus deſcriptio cum uſu videatur in Aldr. *l.* 3. *de piſc. c.* 22. De *Echeneide* Spagyricorum vide ſupra in *Echeneis.* Peculiare quoque inſtrumentum Chirurgicum *Remoræ* nomine exornavit Hildanus à ſe inventum, *Cent. V. obſ.* 86. e quo etiam deſcripſit Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXIII. fig.* 3. *& T. XLVII. f.* 3.

REMOTIO, ἀφαίρεσις, idem, quod *Ablatio*: Vide *Aphæreſis.* *Remotionem* ſui indicant omnia, quæ ſunt præter naturam, uti docemur in Methodo medendi.

REN, νεφρός, vide *Nephros.* *Renalis*, νεφριτικός, vide *Nephritis*, *Nephriticos.*

RENCHUS, nomen piſcis, in Bavaria frequentioris, quem, à ſapore, carniſque bonitate, valde laudavit J. Alex. *l.* 15. *ſal. c.* 5. *fere ad fin.* In Aldrov. non occurrit hoc nomen.

RENISUS, *Renitentia*, ἀντιτυπία; dicitur proprie de duritie, quæ reſiſtit ad contactum. Vide Linden. *Ex. IV.* §. 55. Hinc *renitens* duro jungitur, Gal. *ad* 5. *aph.* 67. *Renitentes* corporis diſpoſitiones ſunt, quæ non facile concedunt tranſitum miaſmati morboſo, ſive contagio; & difficulter læduntur, Gal. *l.* 1. *de diff. febr. c.* 4.

RENOVATIO, (Græce dicitur ἀνακαίνωσις ab ἀνακαινίζω) terminus eſt Paracelſicus, idem ſignificans, quod *Reſtauratio*; & accipitur de reductione mineralium, à ſtatu corruptionis ad integritatis ſtatum. Poſtea transfertur etiam ad reductionem corporis ægri in ſanitatem priſtinam, *l. de Renovatione & Reſtauratione.*

RENUNCIATIO, dicitur ſententia vel judicium Medici aut Chirurgi ad Magiſtratum datum, vel judicem de ægri vel vulnerati ſtatu, v. g. de lethalitate vulneris, de contagio, de veneno propinato, de fœtus propulſione &c. Legatur integer tractatus Ambr. Paræi *de Renunciationibus* Chirurgiæ annexus, in quo & *Elogium* poſuit interdum pro *Renunciatione.* Videatur & Bonet. *Merc. Compit. l.* 15. *p.* 596.

RENUTRITIO, ἀνάθρεψις, idem quod *Refectio*. Vide *Anathrepſis. Analepſis.*

RENUTUS, dicitur Plinio motus capitis in partem poſteriorem, Fallop. *de oſſib. c.* 19. *Tom. I. oper. pag.* 509. quemadmodum in partem anteriorem *Annuitio*, vel *Annutus.*

REPANDITAS, λόρδωσις. Vide *Lordoſis.*

REPELLENS, ἀποκρουστικόν. Vide *Apocruſticon.*

REPERCUTIENS, ἀποκρουστικόν, idem, quod *Repellens.* Galen. *l.* 5. *S. F. c.* 17. Ita & Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.* Ita & *Repercuſſio* deſcribitur per humoris in aliquam partem fluentis, repulſionem à Leonh. Botallo *de cur. vuln. ſclopet. cap.* 7. *p. m.* 17. deſcripſerunt; quod *Repercuſſiva* ſint medicamenta, fluxiones retrorſum agentia. *Repercuſſio* etiam in Chymicis coincidit cum *Præcipitatione.* Hinc *Repercuſſa* vel *Repercuſſiva* dicuntur, quæ fiunt per ſubſidentiam & præcipitationem ad fundum, Libav. *Tom. II. Oper. p.* 125. 216.

REPETENTIA, idem, quod *Repetitio.* Uſurpatur de acceſſionibus febrilibus, ſuntque vel Evidentes, vel Obſcuræ. P. M. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 424.

REPETITIO, ἐπανάληψις, ἀνάληψις, vel dicitur de morbis, & eorum periodis, ac paroxyſmis, Gal. *l. de morb. tempor. cap.* 8. vel de præceptis Medicis, quorum *repetitio* maxime neceſſaria ac utilis eſt; eamque paſſim Gal. in ſcriptis ſuis inculcat, cujus loca afferre prolixius foret. Videatur *Theatr.* Mundellæ.

REPLETIO, πλήρωσις, πλησμονή. Sumitur & in malam, & in bonam partem. Vide *Pleroſis*, *Pleſmone.*

REPOSITIO, ἐμβολή, vocatur operatio Chirurgica, qua membrum aliquod, quod loco ſuo naturali excidit, cum violentia, & artificioſe, in priſtinum locum reponitur, Galen. *c.* 3. *de fract. t.* 62. Vide *Emballo.*

Quære etiam in Indice operum Hildani, aliorumque Chirurgiæ ſcriptorum.

REPRÆSENTATIO, ἔμφασις, vide *Emphaſis*.

REPRESSIO, ἐπίσχεσις, idem, quod *ſuppreſſio*. Vide *Epiſcheſis*.

REPRIMENS, ἀποκρουστικός, vide *Apocruſticos*, idem quod *Repellens*.

REPTATIO, *Reptatus*, *Reptus*, ἕρψις, ἑρπυσμός, eſt ſpecies motus localis totius animalis, qui per terram continue eandem contingendo peragitur ipſique innitendo, qualis in ſerpente, anguilla, vermibus conſpicitur. Hier. Fabr. ab Aquapend. *l. de motu loc. animal. ſec. totum. h. tit. p. m.* 21.

REPTILE, ἑρπετόν, ἑρπηστόν, epitheton animalium, quæ humi gradiuntur. Vide *Herpeton*.

REPULSIO, ἀπόκρουσις, ἄντωσις, *Repulſorius*, idem, quod *Repellens*, ἀποκρουστικός. *Repultrix* facultas refertur inter miniſtras. Vide *Apocruſticos*. Dicitur vero *Repulſio*, quando humores, in affluxu, retunduntur; &, parte conſtricta, aditu quaſi prohibentur. Dieter. *n.* 46.

REPURGATIO, ἀνακάθαρσις, ἐκκάθαρσις, *Repurgantia*, καθαρτικά, ἀνακαθαρτικά, dicitur vel de purgatione pororum cutaneorum, pro fuliginum & vaporum excluſione, Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 12. vel de purgatione per ſputum, 5. *aph.* 8. *&* 4. *de R. V. I. A. t.* 20. Vide *Anacatharſis*.

REQUIES, ἀνάπαυσις, communiter idem ſignificat, quod *Quies*. Vide *Heſychia*. Proprie vero dicitur vacatio ab exercitatione. Galen. *ad* 4. *aph.* 13. adde Dieter. *n.* 59.

RES, vel Græce dicitur πρᾶγμα, vel ſaltem exprimitur per neutrum τὸ, cum additione proprietatis alicujus ſpecificæ. Ita triplices occurrunt *Res* in Medicina. *Secundum naturam*, τὰ κατὰ φύσιν, & *Res præter naturam*, τὰ παρὰ φύσιν, & à recentioribus dictæ *Res non naturales*. Helmontius *rem* generaliter deſcripſit, quod ſit id in ſe, quod eſt abſque reflectione ſui, ad aliquem humanæ rationis diſcurſum, inventionem, *Tract. Venatio ſcientiarum. n.* 25. *Res Macrocoſmicæ* ſunt, quæcunque extra familiam vegetabilium & animalium collocantur; ſive primariæ ſint, & macrocoſmi membra; ſive ſecundariæ, i. e. ex peritomate macrocoſmico productæ. Schroder. *l.* 3. *cap.* 1. *Res naturales*, τὰ φυσικά, pertinent ad Transſumta Medica; quatenus ad *res* triplices, antea dictas, diverſimode applicantur. Vide *Dogm. Med. Gen. p.* 13. *ſeqq.*

RESECTIO, ἀνατομή, vide *Anatome*. Alias & *Reſecare* dicitur pro *Reprimere*, v. g. *Reſecare* dolores podagricos. Keuch. *in not. ad Samon. p.* 250.

RESIDENTIA, ὑπόστασις, idem, quod *Subſidentia* in Urinis. Vide *Hypoſtaſis*.

RESIMUS, σιμός. Vide *Simos*.

RESINA, ῥητίνη, eſt lachryma, vel liquor pinguis & oleaginoſus; cum ſponte ex arboribus profluens, tum interdum accedente vulneratione. Eſtque duplicis conſiſtentiæ: liquidiuſcula, & duriuſcula, quæ communiter etiam Gummatibus annumerantur, Catalogum vide apud Schroder. *l.* 2. *c.* 19. De virtutibus Gal. *l.* 8. *de S. F. h. tit.* Olim *Lentiſcina* fuit præſtantiſſima, Gorr. *Reſina* ſimpliciter ponitur pro vulgari pice flava & molliori, ſutoria dicta. Dorn. *Reſinas rariores* exoticas quaſdam deſcripſit Chioccus *Muſ. Calc. ſect.* 5. *p.* 624. *ſeqq.* Porro vocab. *Reſina* tranſlatum etiam ad alia, v. g. ad *Magiſteria* Scammonii & *Gialappæ*, quæ vocantur *Reſinæ*. Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect.* 2. *c.* 16. *de purgant. ſ.* 2. *art.* 3. *c.* 12. A Chymicis *Reſina terræ* dicitur *Sulphur*, *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 583. *fin. Reſina terræ potabilis* eſt *ſulphur ſublimatum* in liquorem, balſamum, vel oleum redactum. *Reſina auri* eſt crocus ex auro tractus. Dorn. Rul. & Iohnſ. Prorſus abuſive ſumſit Paracelſus de materia Tartari glutinoſa, *l.* 1. *de Tartar. tr.* 4. *cap.* 2. *in Annot.*

RESINATUS, ῥητινίτης, epitheton eſt vinorum; quorum aliquoties meminit Celſ. *l.* 2. *c.* 24. *fin. & c.* 28. Dicuntur vero *Vina reſinata*, quia olim Muſta Italica pice, vel reſina inſperſa condiebantur, ut odoris & ſaporis acumina iis accederent, de quo modo condiendi legatur Plin. *l.* 14. *H. N. c.* 19. 20.

RESINOCERUM, ῥητινόκηρον, dicitur mixtura ex *reſina* cum *cera*, cujus differentia triplex legitur apud Gal. *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 2. *fere ad fin.*

RESISTENTIA, ἀντιπάθεια, eſt qualitas, vel potentia naturalis, ſecundum quam aliquid non patitur ab agente etiam implicito. Eſtque duplex: perfecta & imperfecta. Plura de hoc vocabulo vide apud H. Augen. *Tom. I. Epiſt. & Conſ. Med. l.* 2. *ep.* 3. *p. m.* 52. *& Tom. II. l.* 5. *c.* 18. *p.* 498.

RESOLVENS, διαφορητικός, epitheton medicamentorum Topicorum, quæ vim habent materiam textam & tenacem liquandi & attenuandi; de quibus Gal. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 7. Suntque ſalinæ naturæ. Hinc & Helmont. vocat reſolutiva ſalia, lixivia & alkalia, quæ virtutibus ſeminalibus ſunt orbata, exceptis paucis, *tr. Poteſtas Medicam. n.* 31.

RESOLUTIO, æquivocum eſt apud Latinos: Vel enim accipitur Pathologice, & reſpondet Græco παράλυσις. Vide *Paralyſis*, *Lyſis*, *Dialyſis*. Vel ſumitur technice, Pharmaceutice, aut Chymice: & ita Gr. dici poſſet ἀνάλυσις, eſtque Coagulationis oppoſitum, deſcribitur, cum commiſta violenter ſeparantur, adjecto reſolvente, & quamlibet miſturæ partem ſegregante. Eſtque idem, quod *ſolutio*, λύσις, item *Diſſolutio*, de quo ſupra ſuo loco. *Reſolutio* duplex proponitur *in Theatr. Chym. Vol. II. p.* 30. alia *totalis*, cum interitu totius; alia *partialis*, ubi quædam ſenſilia remanent, communia cum primæ, tum poſteriori jam diſſolutæ materiæ. Ita & Baſil. Valentin. *in ſuo ult. Teſtamento l.* 1. *c.* 2. duplicem ſtatuit *reſolutionem* metallorum; unam, quæ fit à fuſoribus metallicis; alteram, quæ fit

fit à Chymiſta Iohnſon. in *reſolutione* Chymica quinque ſeſe offerre, ſcripſit: 1. Æthereum corpus, ſive ſpirituoſam ſubſtantiam, aut Mercurium. 2. Sulphureum quoddam corpus, ſeu oleagineam ſubſtantiam, ſulphur dictam: Quæ duo tantæ ſubtilitatis ſunt, ut, ſi non bene reſerventur, ſæpius evaneſcant in auram. 3. Sal, quantumvis craſſius, virtutem tamen non obſcuram habens. 4. Phlegma, & aqueum elementum. 5. Terreum, & caput mortuum dictum; quæ duo nullarum ſunt virium, & mortua. De hujus vocabuli variis ſignificationibus vide & Fallop. *de Tum. p. n. c.* 18. *Tom. I. Op. p.* 638.

RESOLUTIVUS tribuitur à modernis *Fermentationi*, quæ eſt motus efficientis in materia principiorum ejus ſingulorum ſegregativus, & opponitur *fermentationi combinatoriæ*, vel *combinativæ*, quæ & *conferrmentatio* vocatur, eſtque motus efficientis in materia principiorum ejus pro circumſcriptione loci, temporis & caloris conjunctivus. De utraque videatur Clar. Dn. Georgii Ern. Stahlii *Diſſert. de Sanguificatione c.* 3.

RESONITUS, idem, quod *Contrafiſſura*. Paræus *Chir. l. 9. c.* 8.

RESORBERI, ἀναπίνεσθαι, ſumitur ab Hippocr. pro *abſumi*, 2. *de art. t.* 51.

RESPIRATIO, ἀναπνοὴ, dicitur actio vitalis, vel potius vitanimalis, conſtans ex *Inſpiratione* & *Exſpiratione*: de quibus partibus vide *Expnoë* & *Eiſpnoë*. Cæterum de *Reſpirationis* organis & uſu vide ex recentioribus Charlton. *Oec. An. Ex. IIX.* Th. Willis *Pharm. Rat. P. II. in princ.* Malach. Truſton. *h. tit.* & alios. An *reſpiratio* fœtui competat, ventilavit etiam Barthol. *l. 2. Anat. c.* 8. Uſus *reſpirationis* per ſe quod ſit ſanguinis accenſio, nobis adhuc eſt ſuſpectus.

RESPUO, ἀναπτύω, ἀποπτύω, proprie dicitur ſputum ſurſum revoco, & ejicio, idem, quod expuo. Metaphorice vero notat *rejicio*, averſor, aliquid. Gal. *l. 3. de Hipp. & Pl. decr. c.* 5.

RESSELLA eſt terminus Paracelſicus, de quo non conſtat, quid ſignificet. Dicitur vero, quod ſit colorem auferens quid, quemadmodum *Aſſa* colorem promovens. Legitur *Paramir. l.* 4.

RESTAURATIO, idem, quod *Refectio*, ἀνάληψις, ἀνάθρεψις, q. *Renutritio*. Gal. *c. 1. de fract. t.* 48. Paracelſo idem eſt, quod *Renovatio*. Vide p. ſupr. *Renovatio*. Helmontio *reſtauratio* dicitur, inclinationis ſuſceptæ abtruncatio; & opponitur *Præſervationi*, quæ eſt futuri præcautio, per impedimentum materiæ diſponibilis, *tr. de Lithiaſ. c. 7 n.* 21.

RESTINCTIO, ἀπόσβεσις, Chymicis dicitur gradatio, qua res candefactæ in liquore exaltante reſtinguuntur, atque ita ad nobilitatem perveniunt, in eo genere optimorum: Hic enim eſt principalis primusque finis inventæ *reſtinctionis*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* deſcendit à verbo ἀποσβέννυμι, *reſtinguo*, de quo apud Dieter. *n.* 88.

RESTITUTIO, κατάστασις, καθίδρυσις, dicitur membri ſede ſua emoti in priſtinum locum repoſitio, vel conſtitutio, vel collocatio. Gal. 3. *de fract. t.* 38. quamvis & latius ſæpe accipiatur pro additione deficientis, v. g. Lactis *reſtitutio*. Hildan. *cent.* 4. *obſ.* 27. Naſi abſciſſi *reſtitutio*. Id. *cent.* 3. *obſ.* 31. Imo pro curatione abſoluta ægri, quando æger *reſtitutus*, i. e. ad priſtinam ſanitatem reductus dicitur.

RESUDATIO, dicitur laborioſa ægritudo, faciens ægrum diu pati, eſtque accidens ſuperveniens hydropi, quando inflatio communicatur femori, Avic. *l. 3. fen.* 14. *tr.* 4. *fin.*

RESUMTIO, ἀνάληψις, idem, quod *Refectio*, ſive virium recuperatio. Dieter. *n.* 57.

RESUPINATIO, ὑπτιασμὸς. Vide *Hyptiaſmos*.

RESURRECTIO, ἀνάστασις, eſt vocabulum ad Theologiam magis, quam ad Medicinam ſpectans. Tropice tamen *reſurrectio metallorum* dicitur immortificabilis *regeneratio*, mediumque, per quod ejuſmodi tincturæ promoventur, ad ſui generationem, *Vol. I. p.* 524. *Theatr. Chym.*

RESUSCITATIO eſt terminus Spagyricus, idem ſignificans, quod *Reſtauratio*, *Regeneratio*, *Renovatio*. Parac. *l. 6. de nat. rer.* *Reſuſcitationem* vegetabilium inter non-entia Chymicorum retulit Rolfink. *Chym. l. 6. c.* 3. Eandem tamen exemplis defendere videtur Bartholin. *in Act. Haſn. Vol. I. Obſ.* 42. *p.* 78. 79. De *reſuſcitatione* Terræ virgineæ in proceſſu lapidis Philoſophici, vel Chryſopœias vide *Vol. VI. Th. Chym. pag.* 188.

RETE, δίκτυον, *Reticulum*, κεκρύφαλος, diverſis attribuitur corporis partibus. Antiquis *Rete* dictum fuit *Omentum*. Caſtell. In brutis quibuſdam, quæ quatuor habent ventres, ſecundus *Reticulum* vocatur. Vide *Cecryphalos*. *Rete mirabile* vocatur plexus arteriolarum carotidum glandulam pituitariam in ambitu complectens. Vide *Dictyoides*.

RETENTIO, ἐπίσχεσις, vide *Epiſcheſis*. *Retentrix facultas*, καθεκτικὴ δύναμις, refertur inter quatuor miniſtras & opponitur *attractrici*. Gal. *l. 3. de fac. nat. c.* 6.

RETENTUM dicitur, vel *Retinendum*, id, quod naturæ familiare eſt, & opponitur *excernendis*, vel *excretis*. Helmont. peculiarem librum inſcripſit *Retenta*, & intelligit, quæ vel forinſecus aſſumuntur, vel intus domeſtica naſcuntur, per internam inordinationem. Accipit vero præternaturaliter & Pathologice; cum tamen & *Retenta* dentur *naturalia*, de quibus vide *noſtra Dogm. P. I. c. 9. dog. 3. p.* 99.

RETICULARIS, *Retiformis*, *Retinus*, δικτυοειδὴς; vide *Dictyoides*. *Rete*. *Reticulum*; κεκρύφαλος: Vide *Cecryphalos*.

RETICULUM, vide p. a. *Rete*.

RETINACULUM vocatur Inſtrumentum Chirurgicum, quo Herniotomi in caſtratione & herniæ

ſcroti ſectione commode utuntur, ne inteſtina in ſcrotum prolabantur. Vid. Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XVII. fig.* 2. & modum applicandi *Tab. XXXIX. fig.* 2. 3. 4.

RETORTA eſt vas globoſum, cujus collum paulatim à ventre procedit, ac ſenſim in oblongum canalem reflexum tranſit. Chymicis frequens; & ad deſtillationem mineralium ſpirituumque potiſſimum pertinet. Rul. Iohnſ. *in Lex.*

RETRACTIO, *Retrahens*, ἀντίσπασις, ἀντισπαστικὸν, idem, quod *Revulſio*, *Revellens*. Vide *Antiſpaſis*.

RETRANSMUTATIO Paracelſo dicitur materiæ alicujus, v. g. Tartareæ, quæ prius liquor fuit, poſtea coagulatæ, vel induratæ, iterata permutatio in liquorem. *Paramir. l.* 3. *tract.* 5.

RETRIMENTUM, ἀπόκριμμα, accipitur de variis minutiis, quæ ſecedunt ex corporis alicujus ſiccioris & friabilis frequentiori tractatione & agitatione. Ita *Retrimenta fœni* vocantur, quæ vulgo flores fœni & ſemina appellantur, & pro uſu externo commendat D. Ludovic. *Diſſert. I. Pharm. p.* 615. 627. quamvis *Retrimentum* etiam de aliis excrementis accipiatur.

RETROCESSIO, idem, quod *Revocatio*, Gr. ἐπανάκλησις. Vide *Epanacleſis*.

REVELATIO quid ſignificet, ex aliis Lexicis conſtat. De ea valde gloriari ſolent Spagyrici, Helmontius quoque, & alii; ſed res eſt valde ſuſpecta.

REVELLLENS, ἀντισπαστικὸς, vide *Antiſpaſis*. Gal. *l. 6. Epid. c.* 2. *l.* 32.

REVERBERATIO terminus eſt technicus, in Chymia, ſignificans ignitionem, qua corpora igne vivo repercutiente, & *reverberante* in calcem ſubtiliorem reducuntur: eſtque vel clauſa, vel aperta. *Clauſa*, quando corpora in furno *reverberii* clauſo calcinantur. Hac *reverberatione* ignis gradus ad amuſſim adminiſtrari poſſunt, ut calor intendi remittique poſſit; quod in vulgaribus non accidit. *Aperta*, quando materia in *reverberatorio* furno, omnibus foraminibus apertis, calcinatur. Hæc valde vehemens eſt; & utimur ea in corporibus duris ac tenacibus reſolvendis. *Reverberatorium* furnus eſt, in quo per flammam materialia calcinantur. Dorn. Rul. & Iohnſ. Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 3. Et Ignis *Reverberatorius* dicitur, quando undique flamma vaſculum ambit. Iunken. *Chym. Exp. Cur. P.* 1. *ſ.* 1. *c.* 3. *p.* 51. Eſt igitur *Reverberatio* fere idem, quod *Calcinatio*, *Th. Chym. Vol. III. p.* 395. *Reverberationem* etiam in corpore humano finxit Paracelſ. *Paramir. l.* 2. *c.* 5. *l.* 4. *de Sit. long. c.* 6.

REVERSIVUS, ὑποστροφώδης, epitheton febris, apud Hippocr. quæ non eſt acuta, ſed diuturna, & imperfectas habet ſolutiones erroneasque acceſſiones, Hipp. *l. 6. Epid. ſ.* 2. *t.* 21. Galen. *ad h. l. Reverſio* dicitur ὑποστροφὴ, idem, quod *Recidiva*, vide *Hypoſtrophe*.

REVIVIFICATIO, idem, quod *Reſuſcitatio*; Libav. *Tom. II. Op. p.* 231. Ita *Revivificatio Mercurii* proponitur e Jac. le Mort in Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 281.

REVIVISCENTIA idem eſt, quod *Revivificatio*. Dicitur vero in ſpecie de ſanguinis languidioris per venas ad cor refluentis, in vena portæ recaleſcentia ex mente Charlton. *Oecon. Anim. Exerc. VII.* §. 25.

REVOCATIO, ἐπανάκλησις, vide *Epanacleſis*.

REVOMO, ἐπανεμέω, i. e. vomitum repeto. Vide *Epanemeo*.

REVULSIO, ἀντίσπασις. Vide *Antiſpaſis*; idem, quod *Retractio*. Gal. *c.* 2. *n.* 6. *Epid. t.* 8.

REX, βασιλεὺς, propria ſignificatio non eſt hujus loci. Tropice vero *Rex* dicitur Rulando Aqua ſpiritualis, vel ſpiritus in aqua. Lapis Philoſophicus vocatur *Rex Regum*, metalla inferiora in optimum aurum transformans, *Th. Chym. Vol. I. p.* 531. *Vol. III. pag.* 41. *Vol. IV. p.* 898. Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 8. *& Vol. II. Oper. p.* 345. 346. 394. Cæterum, quoad propriam ſignificationem, quod Reges quidam à Deo habere credantur ſingulare beneficium, certos curandi morbos, v. g. Angliæ ſpaſmum & Galliæ ſtrumas, de quibus vide C. Rejes *C. El. q.* 24. in medio relinquimus, ſitque fides penes Autores.

RHA, ῥᾶ, idem, quod *Rheum*, ῥῆον, κατ' ἐξοχὴν, ita vocatur *Rhaponticum* verum, apud Gal. Dioſc. Schrod. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 281. ab amne *Rha* dicto. Gorr.

RHABARBARUM, ῥέον βαρβαρικὸν, notiſſimum inter purgantia mitiora, alios ad Botanicos pertinens; cujus ſecuritatem communiter quidem Medici laudibus extulerunt: videatur Rolfink. *de purgant. ſect.* 12. *artic.* 1. verum Linden. non immerito ſuſpectam reddere conatus eſt *Sel. Med. Ex. XII.* §. 57. *&* 128.

RHABDOIDES, ῥαβδοειδὴς, epitheton *ſuturæ rectæ* in cranio, quæ & *ſagittalis* dicitur. Vide *Obelæa*.

RHABDOS, ῥάβδος. Vide *Virga*.

RHACHIA, ῥαχία, Ionice ῥηχίη, à ῥήσσω, *frango*; rumpo, dicitur *inundatio*, vel *reſtagnatio maris*, aut potius crepido littoris petroſa, cui alliduntur fluctus. Transfertur ab Hippocr. ad *inundationes* humorum, & ſupernatantias in corpore. Gal. *in Exeg. dict. Hipp.*

RHACHIS, ῥάχις, Latine *Spina*. Dieterich. *n.* 749. Diciturque vertebrarum omnium à cervice ad imos uſque lumbos ſtructura, erigendo recurvandoque corpori conveniens, cujus deſcriptionem vide in Anatomicis; in ſpecie apud Barthol. *libell.* 4. *An. cap.* 14. Per totius ſpinæ vertebrarum foramina media tranſit medullaris ſubſtantia, à cerebro continuata, quæ *Spinalis Medulla* vocatur, vide *Medulla*. Vide *Spina*.

RHACHISAGRA, ῥαχισάγρα, vocari poteſt ſpecies Arthritidis particularis ſpinam dorſi infeſtantis, Paræus *l.* 14. *Chir. c.* 1.

RHACHITÆ, ῥαχῖται, vel ῥαχιαῖοι, vocantur *Muſculi Dorſales*, qui univerſis coſtarum commiſſuris, in toto thorace, ſuperinjecti ſunt, à poſteriore parte,

 nihil

nihil relinquentes; quod non contegant, ſed omnes coſtarum radices, & vertebrarum proceſſus, qui à lateribus ſunt, adhæc, quid inter ipſas radices eſt, complectuntur, Hippocr. 7. *aphor.* 36. *Galen. in comm.* & *l.* 4. *Anat. adm. cap.* 6. Bartholin. vocat *Spinatos*, *libr.* 4. *Anatom. c.* 6. 7.

RHACHITIS, ῥαχῖτις, morbus dicitur rarior, & Anglis quondam Endemius in figura vitiata, quando caput, ſpina dorſi, coſtæ, tibiæ, aliaque oſſa, à debita ſua figura ſenſim alienantur: cujus eſſentiam & generationem erudite deſcripſit Gliſſon. integro libello de *Rhachitide.* add. Charlton. *Ex. Pathol. X.* §. 42. Proſecutus eſt quoque hujus affectus deſcriptionem Joh. Mayow, Medicus Oxonienſis, Anglus, Collegiatus, *tract. h. tit.* & noviſſime Dolæus *Encyclopæd. l.* 6. *c.* 13. *p.* 1028. *ſeqq.* cujus deſcriptio plenior eſt hæc: *Rhachitis* eſt affectus ex inæquali ſucci nutritii diſtributione obortus, ob cujus defectum, vel ſuperabundantiam partes aliæ nutrimento privatæ macreſcunt ac emaciantur, aliæ vero plus ſatis nutritæ ad molem juſto majorem augentur. Aqua *Rhachitica* Mayow deſcripta videatur in D. de Spina *Manuali p.* 107.

RHACOS, ῥάκος, *lacerum linamentum* dicitur, quo utuntur Chirurgi in ulceribus & vulneribus, Hippocr. *l.* 2. *de morb. XXXIV.* 26. Unde & cutis dicitur ῥακώδης, i. e. *lacerata* & eroſa, inſtar veſtis laceræ, quod contingit in abſceſſibus ſuppuratis, &, ob timiditatem, vel imperitiam, tardius apertis, Gal. *l.* 2. *ad Glaucon. c.* 8.

RHACOSIS, ῥάκωσις, i. e. *detritio*, vocatur *morbus ſcroti*, quando laxata ejus cutis, & excoriata eſt. Galen. *in defin.* Caſtel. Æginet. *l.* 6. *c.* 67.

RHÆBOIDES, ῥαιβοειδής, vel ῥοιβοειδής, idem fere, quod ῥαιβός, *motus incurvatus*, Hipp. 3. *de artic. t.* 38. quamvis ῥοβοειδής ibidem extet; ſed recte C. Hofm. in ἀνεκδότοις cenſet, legendum eſſe ῥοιβοειδής, aut ῥαιβοειδής.

RHÆBOS, ῥαιβός, idem, quod ῥοικός, καμπύλος, i. e. *incurvus*, obortus. In ſpecie vero uſurpatur de morbo crurum, in figura vitiata, quando verſus interiorem partem incurvantur, quibus opponuntur *Blæſi*, Gal. *l. de cauſſ. morbor. cap.* 7. Jung. C. Hofm. *comm. ad Gal. de V. P. n.* 146. & *l.* 3. *Inſt. Medic. c.* 59. §. 5. in quo loco Galeno contrariari videtur, Latine *Vari* vocantur, M. Aur. Sever. *l. de gibb. valg. & var. c.* 2.

RHAGADIÆ vocantur Dorn. Rul. & Iohnſ. & deſcribuntur, quod ſint notæ, vel apoſtemata pudendorum, Paracelſ. etiam ad genua refert, *l.* 5. *Paragraphor. in fin.*

RHAGAS, ῥαγάς, Lat. *Fiſſura*, & in plur. ῥαγάδες, dicuntur ſolutiones continui partium molliorum, v. g. labiorum, manuum, item in ano; quæ proveniunt ab intemperie ſicca nimis & ſalſa, ſuccum nutricium ſalſum & ſicciorem ſupponente, Foreſt. *l.* 23. *obſ.* 10, & *l.* 14. *obſ.* 1. Scribon. *n.* 223. Vide *Fiſſura.*

RHAGE, ῥαγή, i. e. *Rima*, fiſſura. Vide *Fiſſura.*

RHAGES, ῥᾶγες, dicuntur ſummitates digitorum, & pulpulæ interiores, quæ & κορυφαὶ, *vertices* & *acini* vocantur, Caſtell. & Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 14. §. 91.

RHAGIUM, ῥάγιον, eſt ſpecies *Phalangii* venenati, ita dicti à ſimilitudine acini uvæ nigræ, quaſi *Acinæum*, & os quidem juxta medium ventrem habens, pedes vero ex utraque parte quam breviſſimos, Foreſt. *l.* 30. *obſ.* 12. ex Aëtio *l.* 13. *c.* 18.

RHAGOIDES, ῥαγοειδής, Latine *Uvea*, epitheton tunicæ oculi ab uvarum colore ita dictæ, ordine *Secundæ*, quæ & *Perforata* dicitur à ſtructura, alias & *Choroides*; cujus hiſtoriam, cum uſu vario, vide apud Linden. *Med. Phyſiol. l.* 2. *c.* 10. §. 23. *ſeqq.* Bartholin. *l.* 3. *Anat. c.* 8. & alios plures.

RHAIZO, ῥαΐζω, vel ῥηΐζω, Ionice, ſignificat *Levo*, *Allevo.* Hippocr. 5. *aph.* 25. *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 81. 132. *l.* 4. *XXIX.* 13. &c. adde Foëſ. *p.* 552. Dieter. *n.* 756.

RHAMMA, ῥάμμα, Vide *Acia.*

RHANTERES, ῥαντῆρες, à quibuſdam dicti *oculorum anguli interiores*, naso proximi, & majores; qui & πηγαὶ vocantur, ceu *fontes* lachrymarum. Gorr. Linden. *d. l.* §. 88.

RHAPHANEDON, ῥαφανηδὸν, epitheton *fracturæ raphini modo factæ*, quæ & καυληδὸν κάταγμα vocatur: quando ſecundum craſſitiem os frangitur tranſverſim, Ægin. *l.* 6. *c.* 89. Gorr.

RHAPHANELÆON, ῥαφανέλαιον, i. e. *oleum Raphaninum*, de quo legatur Dioſcor. *l.* 1. *c.* 45.

RHAPHE, ῥαφή, Latine *Sutura*, duplicem habet ſignificationem, propriam, & impropriam. Proprie notat, præter communem, etiam opificibus notam juncturam duorum corporum mollium, filo & acu mediante factam: in foro Medico etiam aliquando neceſſariam conjunctionem labiorum, vel vulneris, acia factam; à qua tamen, quantum fieri poteſt, Chirurgi cavere debent, ob dolorem, metum convulſionis, & facilem ex putredine fili diſſolutionem: in cujus locum applicantur, ubi licet, Emplaſtra glutinantia, vulgo **heffi-pflaſter.** *Suturarum* Chirurgicarum varias ſpecies, quales ſunt ſimplex, diviſa, interciſa, agglutinatoria, incarnativa, cum Acu, ſine hac curioſius expoſuit Ioh. Rhodius *in ſua ingenioſa diſſert. de Acia.* Improprie vero *Sutura* dicitur ſpecies quædam συναρθρώσεως, vel juncturæ, aut commiſſuræ oſſium, conſutis rebus ſimilis, & ſerratæ quales in capitis oſſibus obſervantur: dividunturque in *veras*, & *ſpurias*; quarum Hiſtoriam vide apud Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 5. *Sutura* quoque dicitur inferior pars penis, in longitudinem vergens, Caſtell. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *cap.* 7. §. 63.

RHAPHIS, *Rhaphion*, ῥαφὶς, ῥαφίον, ſignificat *acum*, vel *aciculam*, ſuendi inſtrumentum, Hipp. *l.* 2. *de Morb. LXIV.* 11. Foëſ. *p.* 541.

RHASTONE;

RHASTONE, ῥαστώνη, dicitur *Levamen*, *Allevatio*, Terminus Hippocr. familiaris, vide *Levamen*. Significat & *facilitatem* in curando, oppoſitam violentiæ, Medicoque commendat, *l. de Art. XX.* 3. adde Foëſ. *d. l.*

RHEBOS, ῥεβὸς, idem, quod ῥαιβὸς. Vide *Rhabos*.

RHECHIA, ῥηχίη, Ion. pro ῥαχία. Vide *Rachia*.

RHEGE, ῥηγὴ, pro ῥῆγμα, *Ruptura*, *ſciſſura*. Gal. *in Ex. dict. Hipp.*

RHEGMA, ῥῆγμα, Lat. *Ruptura* dicitur, eſtque ſpecies ſolutæ continuitatis partis mollioris, ex violento ictu, vel caſu, abſque ſectione aut punctione facta, à nimia diſtenſione proveniens. Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 753. Dogm. noſtr. *P. II. c.* 5. *dog.* 6. *p.* 140. Peculiaris quoque ſignificatio ῥήγματος occurrit apud Hippocr. *lib.* 1. *de morb. XVI.* 2. eſtque ſpecies σπάσματος in carnibus, aut venis non ſuppuratæ, cum doloribus diuturnis. Lindenus quoque ῥήγματα, *ſugillata* aliquando ſignificare, exiſtimat, præſertim in loco *l.* 3. *de Morb. t. XIX.* 7. 8. vide *Ex. XII.* §. 15. verum non videmus rationem ſufficientem; cum *ruptio* abſceſſum interna intelligi poſſit, uti & Foëſ. expoſuit.

RHEGMATIAS, ῥηγματίας, vocatur is, cui abſceſſus intus rumpitur, aut in quo ruptura facta eſt, Hipp. *l.* 1. *de Morb. XXIX.* 8. *l.* 2. *XLI.* 8. ῥηγματία quoque in fœm. idem, quod ῥῆγμα, ruptio; *d. l.* 51. 20. quamvis fortaſſis mendum ſit per omiſſum σ, ut ad ipſum ægrum referendum potius ſit, animadvertente Foëſ. *p.* 552. qui tamen etiam rurſus hallucinatus, quando loca *l. de A. L. & Aq. V.* 6. *& VI.* 5. abſtractive ῥηγματίας expoſuit, cum tamen contextus doceat, de ægris eſſe explicandum. Alibi æger talis vocatur & ῥηγματώδης, *l.* 7. *Epid. XVI.* 3. quamvis perperam in Græco legatur ῥευματώδης. Latine *Ruptura hians* dici poſſet.

RHEGMOCHASMOS, ῥηγμόχασμος, legitur apud Celſ. *l.* 4. *c.* 4. ubi cauſas ſputi ſanguinis recenſet. Quia vero nemo alius videtur eam dictionem uſurpaſſe, dubitat Gorr. num legendum ſit, ῥῆγμα, χάσμα. Approbavit vero Foreſt. *l.* 16. *obſerv.* 13. *Schol.* nec video, quid abſurditatis inferat, cum vaſis ſanguineis propria habeatur, quæ cum *ruptura* ſimul *hiant* quoad orificia.

RHEMBE, ῥέμβη, idem, quod πλάνη, *error*, aberratio, e verbo ῥέμβω, vagor, *erro*. Hippocr. *l.* 7. *Epid. XII.* 9. ῥεμβώδεις πυρετοὶ vocantur *Aretæo l.* 2. *febres erraticæ*, vagabundæ, notante Foëſ. *d. l. p.* 551. Erotianus ῥεμβωειδέα exponit curva & ex parte cava & inflexa.

RHENANUM, epitheton *Vini*, e fluvio *Rheno* dicti; quod hodieque refertur inter præſtantiora Germanica, ita ut ad extera quoque regna transferatur. Eſtque revera tenuium valde partium. Verum, ob illam ipſam tenuitatem; noxium ſtatuit arthriticis, & cavendum monet Foreſt. *l.* 29. *obſ.* 1.

RHENCHOS, ῥέγχος, ῥέγξις, dicitur Latine *ſtertor*, i. e. ſonus ex naribus editus, profunde dormientibus communis; & aliquando etiam apoplexiæ nota. Hipp. *l.* 5. *Epid. XXXVI.* 14. *l.* 7. *XIII.* 14. 15. *XVI.* 15. *de R. V. I. A. t.* 34. à verbo ῥέγχω, *ſterto*, quo etiam frequenter uſus Hipp. præſertim *6. aphor.* 51. & alibi. Vide Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 750. Ejus modus fiendi valde eſt abſtruſus, præſertim & in felibus.

RHEON, ῥέον, idem, quod ῥᾶ. Vide *Rha*.

RHEPO, ῥέπω, verbum emphaticum, *vergo*, inclino. Uſurpatur de humoribus ad excretionem diſpoſitis. Hipp. 1. *aph.* 21. adde Dieter. *n.* 751. Linden. *Ex. XIII.* §. 402.

RHETINE, ῥητίνη. Vide *Reſina*.

RHEUMA, ῥεῦμα, Lat. *Fluxio*. Vide *Fluor*.

RHEUMATISMOS, ῥευματισμὸς, aliquando accipitur late pro omni *Fluore* & *Fluxu*, & ita idem eſt, quod ῥεῦμα: Hodieque vero reſtringitur ad certum aliquem affectum; quamvis nec inter illos de ejus vera eſſentia conſtet. Videatur River. *Prax. l.* 16. *c.* 13. & Chicotius *Epiſtol. & Diſſert. Medic.* 4. Nobis, ſalvo aliorum judicio, videtur *Rheumatiſmus*, in ſtricta ſignificatione, notare affectum mixtum ex *catarrho*, & *arthritide*. Et fortaſſis ita deſcribi poſſet; quod ſit dolor partium muſculoſarum, membranarum, glandularum, ut & perioſtiorum, cum febre quandoque erratica lenta, impotentia movendi, languore totius corporis, proveniens ab intemperie humida p. n. ſeroſa, cum ſalinis vitioſis particulis, corporis, ſanguinis, & ſucci nervoſi cacochymiam ſeroſam, quandoque & flatulentam præſupponente. Qui quartam Catarrhi ſpeciem vellet conſtituere, forte non adeo à vero aberraret. Vocatur & *Rheumaticus affectus*, ῥευματικὴ διάθεσις, nec inepte etiam, ad hodierna principia, deſcripſit Galen. *l. de cur. rat. per V. S. c.* 8. *& l.* 2. *ad Glaucon. c.* 2. dum ad glandulas, excipiendis recrementis idoneas, protrudi noxios humores docuit. Qualem differentiam ratione materiæ, loci & modi inter *Rheumatiſmum* & Catarrhum propoſuerit D. D. Wedelius, videatur in Ejuſdem *Patholog. Dogmat. ſect. II. c.* 10. *p.* 340. Verum laudatus Autor ipſe fatetur mixtum ſæpe eſſe ſtatum, ut ita nullum certum diſcrimen inter utrumque morbum determinari queat.

RHEXIS, ῥῆξις, idem, quod ῥῆγμα, *Ruptionem*, vel *rupturam* ſignificat, præſertim venarum, Hippocr. 3. *aph.* 28. *&* 4. *aph.* 78. quamvis & de puris eruptione dicatur, 5. *aph.* 15. & de tuberculi ruptione, 7. *aph.* 8. Vide Foëſ. *p.* 552. & Dieter. *n.* 757.

RHICNOSIS, ῥίκνωσις, vocatur *cutis corrugatio*, cum extenuatione & macie corporis: cui opponitur ἔκτασις, cutis diſtenſio, à repletione, Hipp *l.* 6. *Epid. ſ. III. t.* 29. Inde ῥικνώδεις, ſunt *rugoſi*: *ibid. t.* 16.

RHICNOS, ῥικνὸς, ῥιγνὸς, *rugoſus*. Gal. *c.* 1. *Progn. t.* 12. & *in Exeg. voc. Hipp.*

RHIGOS, ῥῖγος, Latine *Rigor*, dicitur perfrigeratio totius corporis, præſertim panniculi carnoſi, cum concuſſione ſpaſmodica, vel convulſiva, cujus cauſſam veteres ad pituitam vitream, vel aliam vitioſam phlegmatis diſpoſitionem retulerunt. Verum ejus cauſſa vera conſiſtit in ſucci nutricii & nervoſi, per particulas acidas tenuiores, vel etiam halitus ſaltem acidos, vitriolaceos, aut nitroſos, corruptione, dictas partium cutis & cuticulæ & panniculi carnoſi fibras vellicante & irritante. Videatur Willis *de febr. cap.* 3. Quamvis enim ibidem de *rigore*, in febre tertiana paroxyſmum inchoante, loquatur; poterit tamen etiam cauſſa illa applicari ad aliam quoque occaſionalem aceſcentiam ſucci nutricii nimiam, ac præternaturalem, à cauſſis externis obortam. Videatur & de hoc vocabulo Dieter. *n.* 758. Foëſ. *d. l.* Significat alias *Rigor* inflexibilem duritiem & tentionem nervorum, vel muſculorum. Keuch. *ad Samon. p.* 149.

RHIN, ῥὶν, ῥῖνες, vide *Mycteres*, *Naſus*.

RHINARION, ῥινάριον, nomen *Collyrii* σμηκτικοῦ, cujus meminit Ægin. *l.* 3. *c.* 22. Deſcriptio vero habetur *l.* 7. *c.* 16. Gorr.

RHINE, ῥίνη. Vide *Squatina.*

RHINEMA, ῥίνημα, ſignificat *Ramentum*, *Scobem*, quæ lima deteritur. Hipp. *l. de Ulcer. & l.* 1. *de morb. mul. CIX.* 2. & Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 3. Vide Foëſ. *p.* 534. & ſupra *Ramentum.*

RHINENCHYSIA, ῥινεγχυσία, i. e. *infuſio in naſum*, vel nares. Et ῥινεγχύτης inſtrumentum, vel ſiphunculus, quo aliquid in nares infunditur. Legitur apud Cœl. Aurelian. *de morb. Chron. l.* 2. *c.* 4. allegante Scapula, qui etiam ex Dioſcoride verbum ῥινεγχυτίζω, i. e. *infundi in nares*, adduxit.

RHINION, ῥινίον, Collyrii nomen, apud Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 7. ſic dictum, quaſi *Limula.* Aliud ejuſdem nominis deſcribitur à Celſo, *l.* 6. *c.* 6. ad xerophthalmiam & oculos ſcabros. Gorr.

RHINOCEROS, ῥινοκερὼς, dicitur animal quadrupes, magnitudine taurum, forma aprum æmulans, cornu unicum in proboſcide gerens pyramidale, quod commendatur tanquam inſigne alexiterium adverſus venena, ut & morbum Epilepticum. Hujus animalis deſcriptio prolixior cum uſu videatur apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 33. Add. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 32. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 6. *p.* 687. *ſeqq.* Meminit & Caſp. Rejes *C. El. q.* 67. De ſpiritu e *Cornu Rhinocerotis* parato, hujusque ſingulari effectu legatur Obſervatio D. Herm. Nic. Grimm. *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 89. Eſt & nomen Avis peregrinæ rarioris, & fortaſſis monſtroſæ, apud eundem *l.* 12. *Ornith. c.* 20. Piſcis quoque quidam hoc nomine appellatur, cujus ſaltem meminit in loco allegato priori. In hiſtoria vero Piſcium non deſcripſit Autor.

RHINOPTES, ῥινόπτης, dicitur, qui per narium meatus patentes ex prægreſſo morbo circa angulum majorem oculi perſpicere & videre potuit, cujuſmodi obſervationis meminit Rungius *in Exerc. de Viſus ſymptom.* §. 68.

RHINOS, ῥινὸς, græca vox, apud Hippocratem, uti Erotianus interpretatur, cutim notat, cum quo & Homerus conſentit, qui idem & alio loco pro clypeo, & pelle facto ſynonymice adhibet. Heſychius etiam per βύρσαν vel δέρμα explicat.

RHIPIDION, ῥιπίδιον, vide *Flabellum.*

RHIPTASMOS, ῥιπτασμὸς, ſignificat *Jactationem corporis*, idem quod ἀλυσμὸς, ἀλύκη. Vide *Alyce.* Legitur apud Hippocr. *l.* 3. *de morb. XVI.* 7. *ſ.* 3. *de R. V. I. A. t.* 14. *Coac. t.* 82. *l.* 4. *Epid. X.* 16. *l.* 5. *XIX.* 3. Deſcendit à verbo ῥιπτάζω, *jacto* membra: quo etiam aliquoties uſus Cous, 4. *de R. V. I. A. t.* 48 *l.* 2. *de morb. XVII.* 6. *LXVII* 3. *l.* 3. *I.* 14. *&c.* Vide Foëſ. *d. l.* Eſt & verbum ſimplicius ῥίπτω, idem ſignificans, quod legitur *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 17.

RHIZA, ῥίζα, vide *Radix.*

RHIZAGRA, ῥιζάγρα, dicitur Græcis forceps pro radice poſt exemptum dentem relicta exprimenda, Celſ. *l.* 7. *c.* 12. Hujus delineationem roſtro corvino ſimilem exhibet Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. X. fig.* 5.

RHIZIAS, ῥιζίας, vocatur liquor ex radice inciſa collectus, & in ſpecie radice *Silphii*, ſuavi fragrans odore, Lang. *l.* 1. *ep.* 62.

RHIZOTICUS, ῥιζωτικὸς, epitheton Aceti apud Mynſicht. *Armam. Medico-Chym. ſect. XXIII.* ita dicti, quia e ſolis radicibus ingredientibus aceto ſalviato infuſis conſtat.

RHIZOTOMOS, ῥιζοτόμος, dicitur proprie, qui radices ſcindit, *Radiciſeca.* Et ῥιζοτομία, *radicum ſectio.* Et ῥιζοτομικὴ vocatur ars miniſtra Pharmaceuticæ ſimplicium & compoſitorum medicamentorum repoſitionem monſtrans, J. Alex. *de Medicin. & Med. l.* 3. *p.* 138. Alias metaphorice hoc epitheton ῥιζοτόμος de ipſis remediis morborum radicitus tollentibus accipi etiam poteſt.

RHODAPSINTHATON, ῥοδαψίνθατον, compoſitio eſt ex roſis conſtans. Deſcriptio multiplex habetur apud Aët. *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. citante Gorræo.

RHODELÆON, ῥοδέλαιον, Lat. *Oleum roſatum.* Rolf. *Chym. l.* 3. *ſ.* 2. *art.* 1. *c.* 5. ubi deſtillati ſaltem meminit, quamvis & decoctum hoc nomine venire poſſit ac ſoleat.

RHODIACON, ῥοδιακὸν, nomen *Emplaſtri* compoſiti ſecundum Aſclepiadem; cujus deſcriptio habetur apud Gal. 2. *de C. M. P. G. c.* 17. *fin.*

RHODIDES, ῥοδίδες, dicuntur *Paſtilli roſacei*, deſcripti à Dioſcoride *l.* 1. *c.* 131.

RHODINON, ῥόδινον, *Roſaceum*; ponitur ſæpe ſimpliciter, ſubintelligendo *Oleum*, Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L.*

S. L. c. 1. *& alibi.* Dicitur & ῥόσατον vel ῥόσατον, *Roſatum.* Keuchen. *ad Sammon. p.* 226. at *Roſacea Gutta* quis ſit morbus, vide *Gutta.* alias ἔλαιον ῥόδινον deſcribit Galenus, quod aromatibus non eſt infectum, *exeg. Hipp.*

RHODION, ῥόδιον, nomen eſt medicamenti ſicci ſub forma pulveris acris & corroſivi, cujus variæ deſcriptiones habentur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 13. Aët. *l.* 14. *c.* 36. citante Gorræo. Uſum monſtrat Ægin. *l.* 4. *c.* 43. *&* 53.

RHODITES, ῥοδίτης, epitheton *vini roſati,* ſeu roſis conditi, cujus parandi modum tradidit Dioſc. *l.* 5. *c.* 35.

RHODOMELI, ῥοδόμελι, *mel roſaceum*, quod ſimplex & purgatorium habetur in Officinis. Deſcriptiones videantur in Diſpenſatoriis.

RHODOMELON, ῥοδόμηλον, confectio dicitur ex roſis, & malis cydoniis parata: quia vero roſæ non eodem tempore cum cotoneis reperiuntur, oportet roſas cum melle ſuo tempore componere, & poſtea, alio tempore, cum cotoneis compoſitionem abſolvere, addendo aquæ ſextarios quinque ad coquendum, ita, ut ſucci cotoneorum ſit ſextarius, roſarum libræ tres, mellis ſextarii tres, notante Gorr.

RHODON, ῥόδον, Latine *Roſa*, flos eſt notiſſimus, ſuaveolens utplurimum, cujus ſignificatio ad Botanicos pertinet. Ponitur & aliquando pro *Oleo roſaceo*, monſtrante Rhodio e Scribon. *n.* 194. & *in Lexic. Scribon. Roſa* quoque dicitur *Tartarum*, item *Eryſipelas.* Rul. & Iohnſ. *in Lex. Roſa capitis* quid ſit, vide *Roſa. Roſa mineralis* quale ſit medicamentum Chymicum ex Antimonio paratum, vide in Morley *Coll. Chym. Leid. c.* 55. *Roſa mineralis* Angelo Salæ dicitur Mercurius vitæ tinctus cum ſantalo & aliquo modo correctus, quem etiam laudat D. Joh. Michael. *in not. ad Schr. Pharmac. l. III. c.* 15.

RHODOSACCHARUM, ῥοδοσάκχαρον, i. e. *Saccharum roſatum*, quod nomen vel *Conſervæ roſarum*, vel etiam *Tabulato* e ſucco roſarum, & ſaccharo parato tribui ſolet. De utroque vide Diſpenſatoria.

RHODOSTACTON, ῥοδόστακτον, idem, quod ῥοδόμελι, *mel roſaceum*, uti patet ex deſcriptione apud Ægin. *l.* 7. *c.* 15.

RHODOSTAGMA, ῥοδόσταγμα, vocatur *liquor ſtillatitius roſarum.* Lang. *l.* 1. *ep.* 53.

RHOEAS, ῥοιάς, vel ῥυάς, eſt affectus oculorum, *Encanthidi* contrarius, conſiſtens in carunculæ lachrymalis nimia imminutione, in oculi majori angulo, Gal. *l. de diff. morb. c.* 9. *& in def. med.* Cauſſa ejus materia depaſcens & exiccans vel corroſiva eſt, & ita ſequitur fiſtulam lachrymalem, vel comitatur. Vide River. *lib.* 2. *Pr. M. c.* 16. Vocantur & oculi ita affecti ῥυάδες, vel ῥυάδες ὀφθαλμοὶ, Aëtio *tetrab.* 2. *l.* 3. *c.* 90. allegante Foëſ. *Oec. p.* 556.

RHOEBCOS, ῥοικός, idem, quod ῥαιβός, vide *Rhabos.*

RHOEZOS, ῥοῖζος. Vide *Stridor.*

RHOGMATIAS, ῥαγματίας, idem, quod ῥηγματίας. Vide *Rhegmatias.*

RHOGME, ῥωγμή, idem, quod ῥῆγμα, *Ruptura.* Specialiter tamen ita vocatur *oſſis ruptio*, vel fractio, per ſuperficiem recta, vel anguſta, vel lata, Gal. *in Def.* Vel eſt diviſio cranii ſuperficiaria, vel profunda quidem, ſed eatenus, ut fractum os non loco moveatur, de qua Ægin. *l.* 6. *c.* 90. Caſt.

RHOGMOS, ῥογμὸς, *ſonus* eſt, & *ſtertor*, quem dormientes ſupini edunt *Rhonchus*, Latine dicitur, aut gutturis ſtridor, vel pectoris reſonans ſtridor, apud Aurelian. *l.* 2. *c.* 10. *&* 27. *Acut.* allegante Foëſ. *p.* 555. vide p. p. *Ponccus.*

RHOICOS, ῥοϊκὸς, *fluidus*, *fluxus.* Dicitur de corporibus, ob multam humiditatem mollibus & fluidis. Hipp. *l. de A. L. & Aq. XLVII.* 6. 10.

RHOIDARION, ῥοϊδάριον, dicitur medicamentum aridum; cujus præparandi modum vide apud Aët. *l.* 2. *c.* 68. allegante Gorræo.

RHOITES, ῥοίτης, epitheton *vini e malis Punicis facti*, apud Dioſc. *l.* 5. *c.* 34. ῥόαι enim ſunt *mala Punica.* Unde & ῥοΐτον, *confectio* dicitur ex ſucci *malorum Punicorum* partibus tribus, & una mellis ad tertias decoctis parata: apud Ægin. *l.* 7. *c.* 15.

RHOMBOS, ῥόμβος, *Rhombus*, dicitur ſpecies deligationis Chirurgicæ, figura *rhombum* referens, hoc eſt, quadrangulum æquilaterum, ſed non rectangulum, aut etiam *Rhomboides*, quadrangulum in quo duo ſemper latera oppoſita æqualia ſunt neque rectangulum. Hujus deligationis varias differentias tradidit Galen. *l. de faſciis.* Meminit Hippocr. 2. *de iis*, *quæ in med. t.* 2. & ῥομβοειδέων, 2. *de art. t.* 40. Adde Foëſ. *dict. loc.* Rhomboides quoque ob aliquam figuræ ſimilitudinem dicitur Muſculus ſcapulam oblique ſurſum ad poſteriora trahens. Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 3. *p.* 564. Porro *Rhombus* eſt quoque nomen piſcis marini ad Paſſeres pertinentis, cujus deſcriptio, ſpecies, cum uſu in cibis & medicina, videantur apud Aldr. *l.* 2. *de piſc. c.* 48. Meminit & Jul. Alex. *l.* 14. *Salubr. c.* 7. Bruyer. *l.* 19. *de re cib. c.* 25. Chicc. *Muſ. Calc. f.* 3. *p.* 424.

RHOMMA, ῥόμμα, idem, quod ῥόφημα, *ſorbitio.* Vide *Rhophema.*

RHONCHOS, ῥόγχος, Latine etiam *Rhonchus*, idem, quod ῥογμὸς, *Stertor*, eſt ſonus cum ſtrepitu, vel ſtridore intra fauces, & præſertim circa meatus narium, quando in fauces dehiſcunt, cujus tamen ſoni cauſam & generationem nemo Phyſicorum, quantum memini, exacte deſcripſit, imprimis, qui & in fœtibus obſervatur: à verbo ῥέγχω, *ſterto*, quod legitur 6. *aphor.* 51. Vide Dieter. *n.* 750. & ſupra, *Rhenchos.*

RHONNYMI, ῥώννυμι, i. e. *valeo*, *vigeo*, firmo, roboro, dicitur non ſolum de corporis, ſed & de mentis, vel animi vigore, Hipp. 2. *aph.* 33. Adde Diet. *n.* 765.

RHOODES, ῥοώδης, idem, quod ῥοϊκὸς, *fluidus*, *fluxus.* Dicitur de oculis præ fluxione continua humidis.

dis. Hipp. *l.* 1. *Epid. ſ. II. t.* 6. *& lib.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 32. de alvi fluxu *d. loc. t.* 36. de mulieribus, *l. de vuln. cap.* Adde Erot. *p.* 97. *e. f.* Erotianus etiam oſſibus applicari per metaphoram monet & ῥοωδέα ὀςέα interpretatur à ſe invicem dimota.

RHOOS, ῥόος, contr. ῥοῦς, Latine *Fluxio*, Fluxus. Vide *Fluor.*

RHOPALOSIS, ῥοπάλωσις, pilorum eſt affectus, cum illi veluti in baculos coagmentati ſunt, ut ſejungi, & amplius creſcere nequeant. Gorr. concretio ſummorum pilorum indiviſibilis, veluti in baculos, Gal. *in def.* Videtur coincidere cum *Plica Polonica.*

RHOPE, ῥοπὴ, idem ſignificat, quod ὁρμὴ, *impetum* ſcil. & influxum fortiorem apud Gal. *de art. curat. ad Glaucon.* Ita quoque ſumſit Th. Willis de ſanguinis ſubito fluxu *Pharmaceut. Ration. P. II. Sect. III. c.* 1.

RHOPHEMA, ῥόφημα, Lat. *Sorbitio* dicitur; eſtque cibus humidior, vel multo liquore dilutus, ut modica valentioris cibi vis humore frangatur. Medium quaſi alimentum inter cibum & potum. Hippocr. *l. de vet. medic. XI.* 6. 7. 8. Specialiter vero & eminenter hoc nomine venit apud eundem *Cremor ptiſanæ dilutus*, 3. *de R. V. I. A. t.* 35. Gal. *in comm. ad h. l. & cap.* 4. *t.* 77. *alibique.* Vide Foëſ. *p.* 556. Dieter. *num.* 561. Legitur & ῥύφημα in quibuſdam locis, teſte Foëſ. *d. l.* quamvis hæc mutatio ο in υ facile contingere potuerit, etiam ex errore. *Sorbitiones attractoriæ* quæ ſint apud Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 18. vide *Epiſpaſticos.*

RHOPOPOLA, ῥοποπώλης, vocatur *coemtor omnigenarum rerum*, Gal. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 2.

RHOPTOS, ῥωπτὸς, idem quod ῥοφητὸς, *ſorbilis*, & ῥοπτὰ, *ſorbilia*, Gal. *in exeg. voc. Hipp.* Gorr. Foëſ. *pag.* 555.

RHOSATON, ῥόσατον, dicitur *confectio e roſis*, purgans vitioſum humorem, deſcripta apud Aët. *l.* 3. citante Gorræo.

RHOSCOMENOS, ῥωσκόμενος, dicitur, qui *bene valet*, & adv. ῥωσκομένως, *valenter*, apud Hipp. *l. de corde* I. 6. Foëſ. *p.* 557.

RHOX, ῥὼξ, idem, quod ῥαγοειδὴς, ſic dicta *tunica uvea*, Gorr. Vide *Rhagoides. Papillam* quoque hoc nomine expreſſit Moſchion. *de morb. mul. c.* 96.

RHUS, ῥοῦς. Idem quod ῥόος. Vide *Fluor.*

RHYAS, ῥυὰς, idem, quod ῥοιὰς, vide *Rhoeas.*

RHYBDON, ῥύβδον, *anchoram* ſignificat. Unde ῥυβδοειδέα τρόπον, i. e. *inſtar anchoræ* dicitur, apud Erot. *p.* 98. *b.*

RHYEMA, ῥύημα, ſpecies dicitur liborum & *Itriorum* ex melle & ſimilagine parata, melior laganis, Galen. *c.* 1. *de nat. hum. t.* 36. & *l.* 1. *de Al. fac. c.* 4. Vide *Itrion.*

RHYMA, ῥῦμα, idem quod βοήθημα, *Remedium*; auxilium, præſidium. Gorr. Dieter. *n.* 762. à ῥύω, *ſolvo*, libero.

RHYME, ῥύμη, idem, quod ὁρμὴ, *impetum* in fluxu ſignificat, Hippocr. *l. de Medico V.* 3. idem quod ῥύσις.

RHYMMA, ῥύμμα, dicitur *medicamentum abſterſorium*, corpori nitorem concilians, à verbo ῥύπτειν, *abſtergere*, Gorræus *in def.* Galenus *pulverem abſterſorium* vocat & in ſpecie cucumeri eſculento attribuit, *l.* 8. *de S. F.* §. *Sicyos.*

RHYNDACE, ῥυνδάκη, vel ῥυντάκη, nomen avis exoticæ ignotæ, *Manocodiatæ* ſimilis, Aldrovand. *l.* 12. *Ornith. c.* 27.

RHYNENCHYTES, ῥυνεγχύτης, dicitur inſtrumentum, per quod medicamenta naribus infundi queunt, apud Scribon. Larg. & Cœl. Aurelian. notante A. Tiraquell. *de Nobil. c. XXXI.* §. 275. *fol.* 133. *b.*

RHYODES, ῥυώδης, idem, quod ῥοώδης, *fluidus.* Hipp. 3. *de art. t.* 51.

RHYPODES, ῥυπώδης, epitheton medicamentorum, quæ à ſordium ſimilitudine & quaſi *ſtrigmentoſa* appellantur. Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 1.

RHYPOS, ῥύπος, Lat. *Sordes*, vocatur excrementum tertiæ coctionis, quod in ambitu corporis colligitur, quando potiunculæ craſſiores, in tranſpiratione inſenſibili retentæ ad cutem, vel etiam in induſiis & veſtimentis, adhærent & commaculant. Dicitur & γλοιὸς. Quin etiam in ulceribus, quemadmodum tenue excrementum *Ichor*, ſive *Sanies* appellatur; ita, quod craſſum eſt, *Sordes*, ex quo ulcus redditur *ſordidum.* Gal. *l.* 3. *meth. med. c.* 3. De *ſordium* facultatibus Medicis vide eund. *l.* 8. *de S. Fac.* §. *Rhypos*, ubi de *ſordibus* athletarum oleo inunctorum potiſſimum agit.

RHYPTICOS, ῥυπτικὸς, i. e. *Abſtergens*, *Abſterſorius*, *Detergens*, *Extergens*, epitheton medicamentorum, quæ vel in cute, vel in ſuperficie, vel in ulceribus, ſordes purgant & auferunt. Vide *Abluentia.* Galen. *l.* 3. *de S. Fac. c.* 12. & *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 4. *ad fin.*

RHYSIS, ῥύσις, *fluxus*, idem, quod ῥόος, ſumitur interdum late, pro omni *fluxu*, in qua ſignificatione etiam Methodici ſumſerunt unam ex tribus communitatibus, dicentes ῥύσιν, ſive *fluxionem*, h. e. refractionem nimiam corporis, & retinendorum excretionem. Gorr. Interdum ſpecialiter pro *fluxu ſanguinis*, & ita idem, quod *Hæmorrhagia*: vel de *fluxu ſeminis*, qui dicitur ῥύσις νυκτὸς, i. e. *Gonorrhœa.* Linden. *Ex. XV.* §. 56. vel de *alvi fluxu*, ῥύσις κοιλίης: Hipp. 2. *aph.* 14. & 3. *aph.* 16. vel *defluvio capillorum*: 5. *aphor.* 11. 12. Interdum ſpecialiſſime de *Hæmorrhagia narium*: 3. *aph.* 27. 7. *aph.* 9. *&c.* Vide Foëſ. *p.* 557. Diet. *n.* 763.

RHYSSEMATA, ῥυσσήματα, *rugæ & ſordes*, quæ in ſenili facie cernuntur. Gorr.

RHYTHMUS, ῥυθμὸς, dicitur proportio pulſuum, prioris cum ſubſequentibus. Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 7. ſive

ſive eſt comparatio pulſus prioris cum poſteriori ſecundum varias circumſtantias celeritatis, magnitudinis ſimul conſideratas. Eſt igitur *Relatio pulſuum. Dogm. P. III. cap.* 4. *d.* 5. *pag.* 370. Eſt vero ſuus cuique ætati, naturæ, anni tempori, ſexui &c. pulſuum *rhythmus*; quem qui ſervat, ἔυρυθμος dicitur; qui non ſervat, ἄῤῥυθμος. Gorr. Caſtell.

RHYTIDOSIS, ῥυτίδωσις, dicitur *oculi tabes* & *corrugatio* imminutæ pupillæ, ob defectum affluentium ſpirituum & humorum. Galen. *l.* 3. *meth. med. c.* 2. *l.* 10. *de V. P. comm. c.* 5. *in c.* 3. *aph.* 16. Unde & ῥυτιδούμενοι, ὀφθαλμοὶ, oculi *rugoſi*, vel *corrugati* dicuntur. *lib.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 26. Alias & ventres ῥυτιδώδεις, i. e. *rugoſi*, leguntur apud Hippocr. 2. *Prorrhet. XXXI.* 10. Vide Foëſ. *d. l.*

RHYTOS, ῥυτὸς, duplicem habet ſignificationem ſecundum duplicem derivationem: 1. à ῥέω, *fluo*, ſignificat ῥυτὸς, *fluidus*: Ita ῥυτὰ ὠὰ, vocat ova ſorbilia Moſchion. *l. de morb. mul. c.* 126. Et poculi quoddam genus ῥυτὸν dictum fuit cornibus ſimile, teſte Athenæo. 2. à ῥύω, traho, *tractus* ſignificat. Vide Lexica alia.

RICINUM, *Ricinus*, κρότων. Vide *Croton.*

RIGATIO, idem, quod *Irrigatio*, ἐμβροχὴ, h. e. *Humectatio*, *Irroratio*, de quibus omnibus in ipſorum literis.

RIGOR, ῥῖγος. Vide *Rhigos.*

RILLUS vocatur inſtrumentum Chymicum, in quod metalla liquefacta infunduntur in formas oblongas. Dorn. Rul. Iohnſ.

RIMA æquivocum eſt. In Anatomicis ſumitur de pudendi muliebris externo hiatu & fiſſura, quæ σχίσμα Gr. dicitur: item *Rima magna* & grata, Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 32. Rolfink. *de part. genit. P. II. c.* 36. Pathologice vero idem eſt, quod *Fiſſura* in manibus, pedibus, ano, &c. Vide *Rhagos*, *Fiſſura.*

RIMOSUS *affectus* dicitur de fiſſuris, & rhagadibus, quales à lue Venerea in diverſis membris poſt aures, in lingua, labiis, mammis, genitalibus, manibus ac pedibus obſervantur, uti ſcribit M. A. Severin. *l. de noviſſ. abſc. c.* 23. §. 2.

RIMULA in diminutivo tribuitur ab Anatomicis aperturæ illi inter duas cartilagines Arytænoideas occurrenti, quæ alias *Glottis* dicitur. Vide *Glottis.*

RINAR, id eſt, *Limatura. Rion* idem. Rul. & Iohnſ.

RINGENS, σεσηρὸς, vide *Seſeros.*

RIPARIUS, ὀχθηρὸς παραποτάμιος, epitheton animalium, præſertim volatilium, quæ in ripis aut littoribus degunt, & ex aquis victum ſibi quærunt, Aldrov. *l.* 6. *Ornithol.* §. *Genera & Differentiæ.* In ſpecie vero *Meropem* dictam fuiſſe *Ripariam*, docet idem, *l.* 12. *c.* 45.

RISIGALLUM, idem, quod *Auripigmentum.* Schroder. *l.* 3. *c.* 27.

RISTORUM, nomen alimenti nutritii comparati cum vitellis ovi, & propterea in febribus acutis improbati. Aliquoties legitur in Bernhardini Caji *libr. de aliment. c.* 31. quamvis quid proprie ſit, non extet. An ab Italico *Riſtoro*, quod ſignificat fructum, utilitatem, reſtaurationem?

RISUS, γέλως. Vide *Gelos.*

RIWAND, & Riwandtzini, ſunt Arabica nomina *Rhabarbarum* ſignificantia, quamvis aliquando in Latinitatem recepta, de quibus videatur Rolfink. *Tr. de Purgant. ſect. XII. art.* 1. *c.* 1. *& ſect. XIV. art.* 4. *ſect.* 6.

RIVUS, ὀχετὸς. Vide *Ochetos.*

ROADES Paracelſo dicitur *Medicus ineptus*, indoctus, *l. de Tartareis morbis*, *c.* 19.

ROB dicitur ſuccus inſpiſſatus. Iohnſ. Vel eſt nil aliud, quam Syrupus craſſior e ſuccis fructuum cum ſaccharo ad conſiſtentiam craſſiorem coctione redactis paratus. Habentur vero in Officinis *Rob* ſimplicia & compoſita, quorum Catalogum vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 82. *&* 84. Weker. *A. Gen. l.* 1. *c.* 13. *fin.* ut & *in Diſpenſatoriis.*

ROBES, id eſt, *Acetum.* Rul. & Iohnſ. *Roſcod*, idem.

ROBORANS, vide *Confortans.*

ROBORATIO, ῥῶσις, idem quod *Confortatio*, *Confirmatio*, de quibus ſuo loco.

ROBUR, κράτος, ἰσχὺς, ῥώμη, quid ſignificet, notum eſt. Corporis *robur* omne conſiſtit in mole ac ſoliditate debita, Lind. *Ex. XVI.* §. 214.

ROBYS, epitheton panis, ex optico tritico parati, & in clibano piſti, Lang. *l.* 1. *ep.* 56.

ROCHETTA, idem quod pulvis, vel potius fruſtulentum inſtar lapidis durum, olim fundamentum artis vitrariæ ex Oriente & Syria advectum, cinis herbæ cujuſdam ibidem abundantis Kali dictæ. Plura de hoc videantur in Ant. Neri *Arte vitrar. l.* 1. *c.* 1. & Chriſtoph. Merett. *Not. ad illum locum p.* 281. *ſeqq.*

ROCHUM, epitheton *Aluminis*, & quidem, quod *Rupeum* vocatur. An à Gallico *Roc*, quod *Rupem* ſignificat, Paracelſus ſimpliciter *Rochum* vocavit, *l.* 4. *Paragraph. c.* 1. §. 3. *& alibi.* In Officinis vocatur *Alumen Rochæ.* De hoc vide ſupra *Alumen.*

RON, id eſt *libra Rotula*, idem, Rul. Iohnſ.

RONDESSA, dicitur *felis Americana* gryſea, quæ dicitur pullos toties, quoties placet, reponere rurſus in ventrem, & eximere. Fides ſit penes Autores, *Eph. Nat. Cur. A. I. Obſerv.* 109. *Schol.*

RORALIS odor Avic. acetoſus & inſipidus. Mercur. *de comp. Med. l.* 1. *c.* 15.

RORIFERUS dicitur vel de venis lacteis, quemadmodum Bilſio videtur rorem ſaltem ſive lympham tranſire in venas lacteas, non chylum; vel de venis lymphaticis, quæ liquorem limpidum tenuem inſtar roris vehunt. Barthol. *Anat. libell.* 1. *p.* 613.

ROS, ἄρσος; propriam & impropriam habet ſignificationem. Illa pertinet ad Phyſicos; eſtque *vapor aqueus*, circa Horizontem, ab aëre frigidiori in guttulas condenſatus, & graminibus terræve incumbens: De cujus virtutibus Medicis qua ſalutaribus, qua noxiis, paſſim tradiderunt quædam Autores. *Ros* eſt nihil aliud, quam ſudor veluti ſpirituoſus ſalinus hujus mundi, materia ſubtili imbutus, quemadmodum non inepte deſcripſit prolixius de hoc argumento diſſerens Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. c. 9. p.* 89. 90. Helmontius inſignem efficaciam attribuit, præſertim *Rori Majali*, quod ſaltem ſaccharinum contineat, *tr. Arbor vitæ in Tumul. peſtis & alibi.* Schroderus *Aquam roris* omnes alias ſubtilitate & penetratione antecellere, ſcripſit, & conſtare liquore volatiliori ſaleque acriori, *l.* 3. *c.* 3. Hinc & noxa provenit, quod ſcabiem & pruritum inducat, J. Alex. *l.* 17. *Sal. c.* 13. Lang. *l.* 2. *ep.* 30. Helmont. *Rorem* non inepte vocat *vernam nubem*, non putidam, *tr. Progymnaſm. Meteor. n.* 23. Impropria ſignificatio varia eſt. Vel enim nomen hoc tribuitur plantis: ut *Ros ſolis*, quæ & *Rorella*, cui neſcio quam hodieque attribuunt vim antiphthiſicam, & tamen ſimul calidam & ſiccam eſſe, docent; item *frugis generi* in Stiria familiari, panico prorſus ſimili, ſed multo adhuc minori, imo grano omnium minimo ex juſculis uſitatiſſimo, teſte Alexandr. *l.* 8. *Sal. c. 6.* vel *portionibus ſucci nutricii*, mox partibus corporis noſtri appropriandis & aſſimilandis, jam per earum ſubſtantiam ſparſis, Gal. *l.* 7. *meth. med. c. 6. in princ.* Tandem ſpagyrice & ænigmatice *Ros* vocatur *Mercurius Philoſophorum*, & quidem ſpecialiter *Ros Madian*, ex hiſtoria Gedeonis *in libr. Judic. c. 6.* Libav. *S. A. Ch. l. 7. c.* 3. An vero ex *rore Majali* proprie dicto artis opera acquiri poſſit, uti docetur *in Theatr. Chym. Vol. VI. p.* 450. Spagyricis examinandum relinquimus. Hodieque etiam Liquor quidam ſpirituoſus paratur nomine *Ros Solis* veniens, quo exceſſive capiuntur loco ſpiritus vini vulgaris haurientes non ſine corporis nocumento.

ROSA, *Roſaceum*, *Roſata*, ῥόδον, ῥόδινον. Vide *Rhodon. Roſa Capitis* Severino dicitur ulcus quoddam nullo antehac nomine donatum, e ſpina natum, rubore nobile, ambitu flexili circumductum, minime tamen ſuavi odore halans, ad declive caput, aut ſuper aurem ex parva puſtula, quæ abſceſſit, aut thymio maligno, aut parvo herpete profectum, cujus ulteriorem deſcriptionem & ferme incurabilitatem tradidit *l. de noviſſ. obſ. abſc. c.* 12.

ROSALIA Martiano dicitur eſſe nomen morbi cujuſdam pueris familiaris, ita ut variolarum inſtar nullus ipſum evitare poſſe credatur, atque ita Synonymon Morbillorum, quamvis Romanum vulgus alia exanthemata vel aſperitates quadam in cute peticulasve rubras granorum milii ad inſtar Roſaliam vocaſſe idem ſcripſerit *Annotat. in Hipp. p.* 308.

ROSBOTH Arab. ſignificat mollitiem aliquam excreſcentem in parte dura, de cujus induratione & regimine æquationis ſcripſit Avic. *l.4. fen.5. tr.2. c.13. & 14.*

ROSEA, i. e. *Eryſipelas.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

ROSEOLÆ, dicuntur puſtulæ rubræ ignitæ & eryſipelatis indolem referentes. Coincidunt cum *Morbillis*, Gal. *Rougeole.* vide *Morbilli.* Dolæus *Encyclopæd. lib. 4. c. 6. §. 1. p.* 778. De *Roſeolis ſaltantibus* prolixius quoque ſcripſit M. A. Severin. *Part. II. l. de Epinyctidib.* videatur: *Saltans.*

ROSIO, βρῶσις, διάβρωσις, idem, quod *Corroſio.* Eroſio. Vide *Corroſio.*

ROSMADIAN, vide *Ros.*

ROSMARUS, nomen beſtiæ marinæ veteribus forſan ignotæ, quæ *vacca marina* alias dicitur, falſo pro Hippopotamo habitæ, dentes firmiſſimos habentis, pretio, nitore, viribusque cum ebore certantes deorſum e cranio prominentes; Quale cranium dentibus adhuc integre armatum in Muſæo D. D. Majoris videre licet. Vide *Diſſert. de aurea Jovis catena* ſub præſidio Laud. D. Majoris habita *c.* 8. §. 11.

ROSSANIA, vel *Roſſalia*, idem, quod *Roſeolæ.* Ingraſſ. *com. in Avic. de Tum. p. n. p.* 194.

ROSTRIFORMIS, κορακοειδής, vide *Coracoides.*

ROSTRUM, ῥύγχος, ῥάμφος, quid proprie ſignificet, ad Phyſicos pertinet. Ejus ſubſtantiam pene cartilagineam eſſe, cute obductam, docet Jul. Al. *l.* 12. *Sal. c.* 1. Alias *Caput*, vel *Roſtrum Corvi*, vocatur principium Lapidis Philoſophici, quod nigredine innoteſcit, Libav. *Tom. II. Oper. p.* 205. *Roſtrum Leporinum.* Vide *Leporinus. Roſtra* quoque vocantur partes anteriores quarundam forcipum Chirurgicarum bifidæ, v. gr. *Roſtrum* Gruis rectum & curvum, pſittacinum, vulturis &c. de quibus vide Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XI. fig.* 1. 2. 3.

ROTATIO, idem, quod *Gyratio.*

ROTATOR, τροχαντήρ. Vide *Trochanteres.*

ROTILA Paracelſo dicitur *Rubrica*, inde & *Tartara Rotilina* vocat, *l. de morb. Tartar. c.* 4.

ROTULA, τροχίσκος, homonymon eſt. 1. vel ſignificat idem, quod *Patella*, *Mola*, Gr. μύλη, ἐπιγονατίς, Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 15. Vide *Epigonatis.* 2. Vel notat certam formam medicamenti ſicci, quæ & *Paſtillus*, & *Orbiculus* vocatur; item *Tabella*, e pulveribus, vel ſuccis, vel oleis deſtillatis cum ſaccharo mixtis, parati, & in figuram rotundam cum planitie ad baſin redacti, de qua videatur Schroder. *l.* 2. *c.* 69. Morell. *de Medic. form. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 3.

ROTUMHA dicitur vas ſimile cucurbitæ. Ruland. *in Lex.*

ROTUNDITAS, *Rotundus*, dicitur de figura globoſa, vel circulari, & corpore talem figuram obtinente. Græc. κυκλοτερὴς dicitur & laudatur à Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 11. ubi & περιφερὴς vocatur. *Rotunditatem* oculorum prædicat quoque Paracelſ. *de Anatom. Oculor.*

Oculor. Muſculi quoque diverſi cognominantur *Rotundi*, v. gr. in Humero duo, quorum unus *Rotundus major*, alter *Rotundus minor*, vel *Tranſverſus brevior* appellatur, Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 2. *p.* 561. & Muſculus Radii primus eodem epitheto exornatur *d. l. c.* 8. *p.* 574.

RUB, idem, quod *Rob*, i. e. ſuccus inſpiſſatus, Rul. *in Lex.* An per errorem fortaſſis Typographicum?

RUBEA *Icteritia* vocatur Paracelſo *Eryſipelas*, *l. de Icteritiis c.* 1. *ſeqq.*

RUBECULA, ἐρύθακος, ἐρίθευς, nomen aviculæ minoris, ita dictæ à rubro pectore, cujus deſcriptionem cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 17. *Ornith. c.* 30.

RUBEFACIENS, idem, quod *Rubificans*, φοινίσσων, dicitur medicamentum ruborem in cute excitans, quo pertinent *Sinapiſmi.* Vide *Phœnigmos.*

RUBELLA dicitur eſſentia ſpiritualis, extrahens vi ſua ſolutoria tincturam e corporibus. Dorn. *in Diction. Paracelſ.* Meminit Parac. *l.* 2. *de vit. long. cap.* 8.

RUBELLIANA dicitur de *uvis ruberrimis*, Rhod. *ad Scribon. n.* 249.

RUBER, *Rubeus*, ἐρυθρός. Vide *Erythros. Ereuthos.*

RUBETA, φρῦνος, φρύνη, dicitur Rana venenoſa, cujus hiſtoriam cum virtutibus Medicis vide in Aldr. *l.* 1. *de quadr. dig. ovip. c.* 2. Huc pertinent *bufones.* Vide *Bufo.* Acopum ex *rubetis* proponit Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 12.

RUBETRA, βάτις, nomen aviculæ, cujus deſcriptionem lege apud Aldrov. *l.* 17. *Ornitholog. c.* 29.

RUBICILLA, πυῤῥούλη, idem, quod *Pyrrhula*, nomen aviculæ, Ital. *Tranguello montano*, & Bononienſibus *Stufflotto* dictæ, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *d. l. c.* 31.

RUBIFICANS, *Rubicatio*, vide *Phœnigmos.*

RUBIGO, ἰός, dicitur recrementum ex corruptione metallorum; in ſpecie Cupri dicitur *Ærugo.* Vide *Ærugo.* Dicitur & de recremento fructuum, ex rore noxio proveniente, Bonet. *Sepulchreti l.* 3. *ſect. X. obſ.* 16. *Schol.* De *rubigine* frugum & fructuum ceu peſte vegetabilium inter recentiores accurate ſcripſit Bernhardinus Ramazzinus Medicus Mutinenſis *in eleganti deſcriptione conſtitutionis anni p.* 35. ſicut extat *in Ephemer. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. IX.* Hinc *Rubigalia* feſta apud Gentiles emanaſſe & Deum *Rubigum* vel *Rubigium* ſibi finxiſſe patet ex Plinii *l. XX. H. N. c.* 29. *Rubigo* illa Gr. dicitur ἐρυσίβη. Plinius *Uredinem* vocavit *d. l. c.* 18.

RUBINUS, πυρωπός, vide *Pyropus. Carbunculus.*

RUBOR, *Rubedo*, vide *Ereuthos*, *Erythros. Pyrrhos.*

RUBRICA, μίλτος. Vide *Miltos.* Paracelſ. vocavit *Rotilam. Rubrica* etiam tribuitur Impetiginis ſpeciei ſecundæ; quando puſtulæ rubræ aſperæ apparent, uti vult Blancard. *in Lex.*

RUCTUS, ἔρευξις, ἐρυγή, ἐρυγμός. Vide *Ereuxis.*

RUDICULA, σπαθίδιον, dicitur lignum, quo medicamenta, liquida præſertim, permiſcentur & agitantur.

RUFFUS, πυῤῥός. Vide *Pyrrhos.*

RUGA, ῥυτίς, ſignificat cutaneam plicam; unde ῥυτιδώδης, *rugoſus.* Vide *Rhytidoſis.* Item *Corrugatio.* Vocantur & πολίδες καὶ ἀμφρυγαί, Keuchen. *ad Sam. p.* 128.

RUGITUS, βρυχηθμός, proprie vox leonum eſt. Sumitur autem aliquando pro *murmure* in inteſtinis, & hypochondriis, Gr. βορβορυγμός dicto. Vide *Borborygmos*, Gal. *l.* 2. *de Antid. c.* 3.

RUMA, idem quod *Gula*, item exterior pars gutturis, quamvis Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 3. *p.* 263. 264. ἀνθερεῶνα Græcis dici ſcripſerit, de cujus vocis ſignificatione ſupra vid. *Anthereon.*

RUMANI dicitur Cabaliſtis ſeminis cœleſtis portio, ſuccum quendam referens: quæ in terram decidit, dulcis eſt. *Theatr. Chym. Vol. VI. p.* 356.

RUMINANS, μηρυκάζων, dicitur de animalibus; cibum jam deglutitum revolventibus; unde & plures habent ventres reliquis. Gal. *l.* 6. *Anat. adm. c.* 3. (quamvis lepus & cuniculus etiam *ruminent*, unico ſaltem ventriculo donati, vide D. D. Hofm. *Diſſ. Anat. in I. v. Horn. Microc. p.* 19.) Hinc & in Sacris pro purioribus habita, ob perfectiorem ciborum coctionem. Helm. *tr. Vitæ rat. n.* 21. & Barthol. *l.* 1. *An. c.* 9. qui etiam *Ruminationem* ita deſcripſit, quod ſit cibi in ore repetita maſticatio, ad perfectiorem coctionem; unde alimentum optimum. Hominem cornutum generaſſe *ruminantem* filiam, extat *in Eph. N. Cur. A. I. obſ.* 30. *Schol. Ruminatio* Græce dicitur μηρυκισμός, & verbum *ruminare*, μηρυκίζειν, μηρυκάζειν, μηρύκειν. Rariſſime in hominibus obſervata fuit. Legatur vero de *Ruminatione* humana peculiaris Diſputatio Johannis Burgoweri *in Diſp. Medicis Baſileenſib. Decad. VII. diſp.* 3. & peculiare exemplum juvenculæ cujuſdam apud Bonet. *Med. Septentr. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 13. *p.* 518.

RUPES, λιθοῤῥὼξ, ἐρίπνη, quid ſignificet, e Dictionariis trivialibus jam conſtat. *Rupes* artificioſa e calculis humanis conſtans & parata e D. Ruyſchii *Theſauro Anatom.* T. excerpta legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1701. *m. Septemb. p.* 386. quamvis *in Muſæo Ruyſchiano Centuria obſervation. Anatom. Chirurg. annexo* non invenire potuerim.

RUPICAPRA, αἴγαγρον, δορκάς, eſt ſpecies *Capræ ſylveſtris*, rupes montium, præſertim Alpium, colentis, cujus totam hiſtoriam cum uſu in cibis & medicina tradidit Aldr. *l.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 11. Aliis *Caprea* dicitur, aliis *Dama*, quamvis Aldrov. *c.* 12. de *Dama* ſeorſim egerit; quemadmodum & J. Alexandr. diſtinctas ſpecies eſſe docuit, *l.* 1. *Sal. c.* 10. Legatur & Schroder.

 l. 5.

l. 5. *cl.* 1. *n.* 10. Dicitur & *Gaſſela*, de qua obſervationes Anatomicæ leguntur in Oldenburg. *Actis Philoſoph. An.* 1669. *m. Jul.*

RUPTILE dicitur Fallopio, quod in plures partes dividi poteſt. Hujus *ruptibilitatis* cauſſa eſt pororum amplitudo & ordinatus ductus cum exſiccatione eorum, *tract. de ſimplic. medic. c.* 7. *Tom. II. Oper. p. m.* 9.

RUPTIO, *Ruptura*, ῥῆγμα, ῥωγμή: Vide *Rhegma*, *Rhogme*. Aliquando & ſpecialiter ſumitur pro *Hernia*. Parac.

RUPTORIUM vocatur Chirurgicis medicamentum cauſticum, quo interdum aperiri ſolent abſceſſus, Foreſt. *l.* 1. *Chirurg. obſerv.* 2. *Schol.* Parari ſolent ex cinere ſarmentorum & calce viva, laudatque in ſphacelosis membris applicanda, Hildan. *de Gangr. & Sphac. c.* 16. *Ruptorium ſecretius* ex corticis recentis fraxini cineribus laudatur ex Jac. le Mort *in Collect. Chym. Leidenſ. c.* 365.

RUSMA *Tartarorum* paratur ex melle, quod ad ſpiſſitudinem inſtar ſapæ incoctum & loco dropacis impoſitum cum violentia abrumpitur, Fr. Hofm. *ad Schr. l.* 5. *cl.* 4. *p.* 702. Hoc utuntur etiam Turcicæ mulieres pro Pſilothro, ad tollendos pilos pudendorum, teſte Rolfink. *de part. genit. P. II. c.* 34. In *Actis* vero *Philoſophicis* Oldenburgii *Ruſma* ſpecies Terræ in Turcia repertæ, *Ann.* 1666. *m. Decembr.*

RUSTICANUS, ἀγροῖκος, quid in genere ſignificet, jam ante notum eſt. In ſpecie vero tribuitur obſtetrici illi, quæ ruri & in pagis officio ſuo fungitur, ad differentiam obſtetricum *oppidanarum*, ab D. Henrico à Deventer *in Lumine Novo Obſtetricant. c. XXVI. p.* 84.

RUSTICULA, vide *Gallinago*.

RUSTICUS, γεωργὸς, ἀγροῖκος, dicitur, in genere, de omnibus, qui vitam ruri degunt. Eorum cutem denſam eſſe, teſtatur Gal. *de opt. ſect. c.* 26. nec facile podagrici fiunt, ob articulorum vigorem laboribus bene firmatum, & aquæ potum, Dieter. *iatr. p.* 1026. Eorum vivacitatem longævam demonſtrat imprimis exemplum Thomæ Barre pauperis in Comitatu Angliæ Salopienſi *ruſtici*, qui ætatis annos 152. complevit cum novem circiter menſibus; in cujus poſt mortem corpore aperto repertas Obſervationes Anatomicas legere licet in antea laudati Henr. Oldenburgii *Act. Philoſ.* 1668. 1669. *m. Febr.*

RUTABULUM eſt uncus, vel baculus ferreus longus, in altera parte cochlear, in altera radulam habens, docimaſticis operationibus inſerviens, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Galenus Græce vocat μοχλὸν, *l.* 1. *de Antid. c.* 15.

RUTETA, idem, quod *Tarantula*, ſpecies Araneæ, Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 12. *Schol.*

RUTICILLA, φοινίκουρος, nomen aviculæ, à cauda rubra ita dictæ, cujus hiſtoriam cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 17. *Ornith. c.* 32.

RUTILUS, eſt epitheton coloris, ad aureum flaveſcentis, Gr. πυῤῥός. Vide *Pyrrhos*. Keuchen. *ad Sammon. p.* 103. Ita ſanguis dicitur *rutilus*, *p.* 165.

RUTRUM, *Rutum*, idem, quod *Bipalium*, μυνύα, inſtrumentum ruſticum, pro comminuendis glebis paratum; cujus meminit Gal. *c.* 2. *de fract. t.* 3. Ruland. *in Lex.*

S.

S Græc. Σ. vel etiam C. utrumque characterem enim Græcis in uſu fuiſſe, docet e Caſaubono & aliis C. Hofm. *Com. in Galen. LL. de V. P. n.* 384. *ſeq.* Alias Latinum S eſt nota characteriſtica ponderis, vel menſuræ, denotans dimidium præcedentis, vel *Semis*. Rhod. *in Lexic. Scrib.* Senn. Morell. & Diſpenſatoria.

SABACOS, σαβακός, *putridum* ſignificat & purulentum, apud Hipp. *l.* 1. *de morb.* Jung. Foeſ. *p.* 557. Idem, quod σαθρὸς, de quo inferius, vide *Sathros*.

SABANON, σάβανον, dicitur in balneis *pannus*, aut velamentum, quo corpora, ad ſiccandos balnei madores circumdabantur, Heſychio, & Phavorino σάγανον, dictum, Keuchen. *in not. ad Sammonic. pag.* 112. *ſeq.*

SABAUDICUS, epitheton pulveris, cujus deſcriptio extat in D. Iunken *Corp. Ph. P. II. p.* 207. & D. Spin. *Lex. Ph. p.* 779.

SABINUM, σαβῖνον, eſt epitheton, qua *vini* generoſi tenuium partium, & urinam moventis, qua *olei* tenuium partium, & relaxantis, apud Gal. *l.* 4. *de ſan. tu. cap.* 6. *& l.* 6. *meth. med. c.* 2. *ad fin.* & *alibi ſæpius* à loco natali.

SABON, vel *Sabena*, dicitur *Sapo*, vel *Lixivium*, unde ſapo fieri ſolet. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

SABULUM, ψάμμος, ἄμμος, ψάμμαθος, idem, quod *Arena*; de quo ſupra. *Sabulum marinum* facere multum ad fœcunditatem terræ, legitur *in Ephem. Nat. Cur. A. II. Obſ.* 112. *Sabuloſa urina* eſt, in qua portiones Tartareæ, inſtar arenæ, vel fundum petunt, vel lateribus matulæ adhærent. *Sabuloſa arena* legitur apud Scribon. *n.* 144. & defendit illam lectionem à pleonaſmo Rhod. *in not. ad h. l. Sabulum Queilum* quid ſit, vide in lit. Q. In Metallurgia *Sabulum* dicuntur arenæ metallicæ, quando pilis, vel mortariis venæ contunduntur, Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 3.

SABURATIO, idem, quod *Arenatio*, de quo ſupra in AR.

SACCELIZO, *Saccizo*, σακκελίζω, σακκίζω, ſignificat *Saccare*, i. e. per *ſaccum* colare. Frequens apud Gal. teſte Gorræo. Hinc *vinum ſaccatum* legitur apud Keuch. *in not. ad Sammonic. p.* 110. & Scribon. *n.* 122. Jung. Rhod. *in not. ad h. l.* Gr. οἶνος σακκίας, vel διυλισμένος. Hinc & *Saccus vinarius* dictus eſt ὑλιστὴρ, item σάκκος, ibid. *Urina* quoque dicitur *humor* corporis *ſaccatus*, Keuchen. *dict. loc.* Uſurpatur

etiam

etiam hoc verbum & verbale *ſaccellatio* de herbis aliisque ſimplicibus *ſacculo* vel *ſaccello* inditis & forinſecus applicatis, C. V. Schneider. *de catarrh. l.IV. ſect.* 11. *c.*10.

SACCELLUM *capitale* pro *ſacculo* legitur in operibus Meſuæ *fol. m.* 1816.

SACCHAR, *Saccharum*, σάκχαρ ἢ σάκχαρον, eſt ſuccus dulciſſimus, in arundinibus concretus, candidus, & ſalis modo, dentibus fragilis. Ex hodiernis nonnullorum principiis, particulis diverſis, præſertim viſcoſo-ramoſis & terreſtribus conſtans, aquoſæ enim mediante arte ſeparantur. Jung. Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. c.* 24. *p.* 188. *ſeq.* Vocatur & quibuſdam *Mel arundinaceum*, vel *Calaminum*. De ejus parandi & coquendi ratione legi poterunt ſcriptores exoticarum rerum, &, inter hos, e recentiſſimis, qui collegit ex aliis, Eraſm. Franciſci, *in Hort. Indic. Orient. & Occid. Part. I. pag.* 261. *ſeqq. plurimis*. De ejus vero virtutibus legantur Dioſcor. *l.*2.*c.*104. Schroder. *l.* 4. *cl.*4. *n.* 400. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Jul. Alex. *l.* 118. *Sal. c.* 14. Bruyerin. *de re cibar. lib.* 10. *c.* 8. Lang. *l.* 1. *ep.*64. *& l.*2. *ep.*32. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 8. *ſ.* 1. *cap.* 1. *Saccharum Candum*, rectius *Cantum*, κάντιον, à κάντος, i. e. *Angulus*, monente Linden. *Ex.* 10. §. 16. dicitur depuratum & cryſtalliſatum, h. e. concretum in angulares cryſtallos. *Saccharum Tabarzet* Paracelſ. quid dicatur, vide *Tabarzet*. Alias & *Saccharum* à Chymicis tribuitur aliis arte paratis ſalibus, v. gr. *Saccharum Saturni*, ſive Sal Plumbi: *Saccharum Aluminis*. Videantur ſcripta Chymicor. Schroder. *l.* 3. *c.* 13. *&* 24. *&c.*

SACCHARINUS dicitur de eo, quod dulcedinem ſacchari obtinet; Ita legitur *ſaliva ſaccharina* in peculiari obſervatione, quam notavit Bonet. *Med. Septentr. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 1. *p.* 319.

SACCITOMINUM, dicitur Codronchio *vinum ſaccatum*, ſive ſacco percolatum, teſte Rhod. *d. l.*

SACCUS, *Sacculus*, σάκκος, μάρσιππον, quid proprie ſignificet, etiam pueris in trivio notum eſt. *Saccorum* uſus varius in Medicina, ad receptionem, colationem, fotum, & alia. Videatur Gal. *c.*6. *in l.*6. *Epid. t.*5. Weker. *A. G. l.* 1. *c.* 50. *l.* 4. *c.* 13. Morell. *de form. rem. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 15. Schroder. *l.* 2. *c.* 78. *Sacculi* pro vinis medicatis vocantur & *Noduli*; de quo vocab. in N. Transfertur & ad partes corporis, qua ſ. n. qua p. n. per ſimilitudinem *ſacci* formam referentes. Ita apud Barthol. de *ſacculis* pinguibus à Malpighio obſervatis legi poterit *l.* 1. *Anat. c.* 3. *p.* 30. & de Diaphragmatis procidentia, inſtar *ſacci*, apud Bonetum *in Sepulchreto*, vel *Anatom. Pract. l.* 4. *ſ.* 1. *obſ.* 36. *Schol. p.* 1448. *Saccum* quoque vocatum à quibuſdam fuiſſe Cœcum inteſtinum, notavit Caſtellus. Receptaculum etiam chyli commune, ad quod venæ lacteæ per Meſenterium diſperſæ tanquam ad centrum concurrunt, *Saccus lacteus* vocatur Hornio in Microcoſmo, teſte Barthol. *l.* 1. *An. c.* 12. *p.* 104. & Pericardium *Sacculus cordis*.

SACER, ἱερός, vide *Hieros*.

SACRANUS *color*, i. e. *Color purpureus*. Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 2.

SACRES dicebantur iidem, qui *Nefrendes*, h. e. Porcelli decem circiter dierum, ad ſacrificia olim idonei. Lang. *l.* 1. *ep.* 61.

SACROLUMBUS, nomen Muſculi inter proprios Thoracis poſticam partem occupantes ſiti, de cujus uſu non conveniunt Anatomici. Bartholin. *lib.* 4. *An. c.* 4. *p.* 566.

SACTIM eſt *Vitriolum*. Rul. *in Lex.*

SADIR, i. e. *Scoria*. Ruland. *in Lexic.* & Iohnſon.

SÆPÆ dicuntur *puſtulæ magnæ*, ab erodendo dictæ, inde rectius σήπη, *ſæpe* fortaſſis ſcriberentur. Mentio fit earum apud Foëſ. *l.* 6. *c.* 40. *Schol.*

SAFFATUM eſt *ſpecies Salis*. Iohnſ. *in Lex.*

SAFFUS PANIS Paracelſo dicitur *Panis S. Johannis*, medeturque orexi p. n. *in Scholiis ad libros de Tartaro pertinentibus*.

SAGA, idem, quod *Præſtigiatrix*, dicitur, quæ hominibus nocet virtute diabolica, quamvis etiam ſub prætextu juvandi velint tales fœminæ commodare. Helmontius de his concedit, Satanæ eſſe organa, nihilominus operari virtute naturali, *tr. Recepta Injecta*: & *tr. de Injectis Materialibus*.

SAGACITAS, ἀγχίνοια, in genere dicitur bona quædam conjectura, & inveſtigatio, quæ cum recta ratione fit, Dieter. *Iatr. p.* 55. Nec male Helmont. vocavit filiam judicii atque diſcurſus, *tr. Mentis complementum n.* 4. In Medico vero debet potiſſimum eſſe duplex; Altera eſt *vera ſagacia* (verbis Linden. *Ex.XIV.*§.141.) quæ auxilium adinvenit ex certa notitia Indicantis, ſive ejus, quod curandum eſt, additione. Altera vero conſiſtit in *accurata præſagitione*, qua præ omnibus aliis excelluit & admirabilis fuit Hippocrates, teſte Linden. *Ex. XVI.* §. 163. Paracelſi vero *Sagacem adeptam Philoſophiam* h. e. ſupra naturalem, aſtronomicam, magicam, ceu partim fictitiam, partim ſuperſtitioſam, miſſam facimus.

SAGADENON, σαγαδηνὸν, nomen *Opobalſami*, à loco, in quo plurimum & optimum provenit, cunctis aliis melius, quod in Palæſtinæ prædiis colligitur, ut annotavit Gal. *l.* 1. *de Antidot. cap.* 4. & ex hoc Gorræus.

SAGANI dicuntur Spiritus quatuor Elementorum; Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Paracelſus vero *Sagaras* vocat, *libr. Meteor. c.* 4.

SAGAPENUM, σαγάπηνον, ſuccus eſt ferulacei fruticis, naſcentis in Media. Laudatur translucidum foris, colore ruffo, &, cum frangitur, intus candido, odore medio, inter Laſerpitii ſuccum & Galbanum, Gorr. Hujus hiſtoriam & uſum vide apud Gal. *l.* 8. *de S. Fac.* §. *h. tit.* Dioſcor. *l.* 3. *c.* 95. C. Hofm. *l.* 1. *Offic. c.* 31. qui inter purgantia retulit, Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 401. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rhod. *ad Scribon. n.* 69. Vocatur & *Serapinum*.

SAGDA; vel *Sagdo*, gemma eſt coloris praſſii; ſecundum Albert. Solin. & Plin. *l.* 37. *c.* 10. attrahit lignum, uti *Gagates* paleas, imo ita fortiter adhæret ligno, ut avelli non poſſit, niſi abſcindatur. Reperitur ad naves tabulis fortiter affixa. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SAGIMENVITRI, i. e. *Sal-vitri*, vel *Sal-alkali*. Rul. & Iohnſ.

SAGINATIO, σίτισι, σίτευσις, πάχυνσις, idem, quod Paſtio brutorum, ſed cum craſſitie corporis. *Sagina* cochlearum olim fuit urtica, cum furfure, teſte Samonic. *c.* 28. Vide Keuchen. *p.* 201.

SAGITTA, βέλος, idem, quod *Jaculum*, *Telum*, pertinet ad Medicinam, quatenus eſt cauſſa morborum externorum, v. g. vulnerum; & ſi veneno infectum fuerit, etiam malignorum internorum. Confer. ad Linden. *Sel. Med. Exerc. IV.* §. 50. C. Rejes *Camp. El. q.* 63. *n.* 44. Ad Chirurgiam in ſpecie pertinet Extractio congrua *ſagittarum*; ad quod artificium opus eſſe cognitione Anatomica partium corporis humani, teſtatur Galen. *l.* 17. *de V. P. cap.* 2. *fin.* Jung. Foreſt. *l.* 6. *Chirurg. Obſ.* 9. ut & Paræus, aliique Chirurgi. Quid ſit *maleficium ſagittarium*, etſi proprie huc non pertinet, quia tamen à Medico mentio ejus facta, videatur D. P. Ammanni *Irenic. p.* 212.

SAGITTALIS, ὀβελιαῖος: Vide *Obelæa*.

SAGZENEA, nomen medicamenti, quod ex Avicenna commendatur ad Matricis ventoſitatem à Valeſco de Taranta *in Philon. Pharmac. l.* 5. *c.* 13. Eſt duplex: *Magna* & *minor*, & utraque valere dicitur contra affectiones frigidas ſtomachi, inteſtinorum, uteri. Deſcribuntur ab Avic. *l.* 5. *ſumm.* 1. *tract.* 1.

SAHAFATUM, apud Avicenn. & Plin. *manantia capitis ulcera* nominantur, quæ Græci ἀχῶρας, & κηρία, Haliabbas *tineam*, ſub quo & ficus & ψυδράκια, & ἐξανθήματα, collocavit, nominant. Caſtellus. Walther. *in Sylva Medica* vocat *Sahaphati p.* 1328.

SAHARA, idem, quod *vigiliæ nimiæ p. n.* vel *Pervigilium.* Valeſc. de Tarant. *Philon. Pharm. l.* 1. *c.* 11. Foreſt. *l.* 10. *obſ.* 35. *Schol.*

SAIC eſt *argentum vivum*. Iohnſ. *l.* 1.

SAIRE, idem, quod *Eſſere*, h. e. *puſtula livens*; Foreſt. *l.* 1. *Chir. obſ.* 15. *Schol.*

SAKMUNIA Arabice *Scammonium* ſignificat, & à Rol. in Latinitatem receptum *tr. de Purgant. ſect. XIII. art.* 4. *c.* 1. & *ſect. XIV. art.* 4. *c.* 6.

SAL, ἅλς. Vide *Hals*.

SALACITAS, ἀφροδισιασμὸς, λαγνεία, proprie ſignificat cupiditatem ad rem Veneream: idemque quod *Libido Salax* dicitur ἀφροδισιαστικὸς, Galen. *l.* 2. *de Temp. cap.* 6. *Salacitatem* plerunque in ſexu maſculo comitatur *Priapiſmus*, vel *Satyriaſis*, de quibus ſuo loco. Unde & conjunxit Walther. *in Sylv. Medica.*

SAL ALKALI, idem, quod *Alkali*: de quo ſupra.

SALAMANDRA, σαλαμάνδρα; proprie nomen eſt animalis quadrupedis, e genere lacertarum: cujus hiſtoriam, cum uſu & noxa, prolixe tradidit Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. Ovipar. c.* 8. (quamvis ſint, qui velint potius ad vivipara referre.) Jung. Schroder. *lib.* 5. *cl.* 4. *n.* 113. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* Multa quoque ex variis Autoribus de *Salamandræ* hiſtoria collegit Cl. Dn. Mollerus, Collega & Affinis noſter honorandus, *in peculi. diſquiſitione de Salamandra*, quam uti publice in hoc Liceo cum applauſu defendit, ita eandem adauctam, non ita pridem edidit Nob. & Exp. D. I. P. Wurfbain, Medicus Norimb. & S. R. I. Nat. Curioſ. Collega Hermes II. dictus, Affinis & Fautor noſter colendus. Meminit hujus Animalis Gal. *l.* 5. *de S. Fac. c.* 6. & *alibi.* Legatur & Lang. *l.* 2. *ep.* 4. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 6. *p.* 676. Quod *Salamandra* nullis ſit obnoxia flammis, uti Serenus Sammonicus *in Medic. metrica* tradidit, *c.* 8. & confirmatur *Th. Chym. Vol. V. p.* 400. id cum grano ſalis accipiendum. Reſiſtere quidem poteſt ad ſpatium igni, ſua nimia frigiditate; interim comburi quoque poſſe, teſtantur per experientiam varii Medici Veteres & Recentiores. Ex hac opinione, quod ignis vim eludat, *Salamandræ capilli* dicta ſunt filamenta, vel capillamenta lapidis Amianti, quæ & *linum Asbeſtinum*, ſive *incombuſtibile* vocantur, Lang. *l.* 1. *ep.* 66. *Salamandræ* coctæ innoxie devoratæ mentio ſit *in Ephem. N. Cur. A. II. Obſ.* 206. Improprie, & ænigmatice à Spagyricis vocab. *Salamandræ* tribuitur *terræ rubræ*, vel *ſulphuri ſolis*, vel ſubſtantiæ per Mercurii ſublimationem purificam, quæ ad condenſationem vel fixationem pervenerit, ita, ut in igne, more *Salamandræ*, perdurare poſſit. Aldrov. *d. l.* Quæ poſterior ſignificatio etiam legitur *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 148. quod per conjunctionem Mercurii, ceu animæ mundi & ſolis, vel auri vulgaris reſultet & naſcatur vera *ſalamandra*, & *filius Solis*; qui, cum totus ignis ſit, in uno momento omnem impuritatem imperfectorum metallorum, ſuper quæ projicitur, conſumit, & in ipſo tempore ſubſtantiam mercurialem, quæ in imperfectis metallis eſt, in argentum & aurum coquit.

SALAMANDRI vocantur Paracelſo Spiritus ignem inhabitantes, vel ignei homines, Dorn. & Iohnſ. *Lex.* ex Paracelſ. *Philoſophiæ tract.* 5. Hic etiam meminit *Salamandrinæ Eſſentiæ*, h. e. igneæ, quam & *Meluſinicum Ares* appellat, *l.* 4. *de vit. long. c.* 6.

SALAMITA vocatur Paracelſo *Procus Sagarum*; Meteoron igneum dæmoniacum, quod vulgo *Draco volans* appellari ſolet, *l.* 1. *de Meteoris.*

SALAPPA, pro *Gialappa*, legitur apud Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 5. *p.* 584.

SALCAELÆON, σαλκὰ ἔλαιον, i. e. *Salcæ oleum*; quod fuit olei aromatici conditura pretioſa, apud Aëtium, *l.* 1. & *ult.* citante Gorræo.

SALDATURA dicitur *Stannum*; quo artifices utuntur ad ferruminandum & obturandum vaſa, lucernas

cernas & ſimilia. Fallop. *de metall. ſ. foſſil. c.* 21. *Tom. I. Op. p.* 322.

SALDINI, idem, quod *Salamandri*, homines, quos influentia ignis ſuſtentat, & ex elemento ignis nutriuntur, uti fuit illa gentilis mulier, nomine *Ziſer*, quæ ſtatim, atque infirmabatur, ſeſe in ignem conjiciens, reficiebatur & convaleſcebat; in eo ſedens gaudensque, tanquam in aliquo balneo, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Videtur tamen Paracelſ. aliquam diſtinctionem feciſſe inter *Saldinos* & *Salamandros*, *l.* 5. *de vit. long. cap.* 2. *in fin.*

SALEBROT, vel *Sal lambrot*, h. e. *Sal acutum.* Rul. & Iohnſ.

SALEFUR, i. e. *Crocus hortenſis.* Iidem.

SALEUO, σαλεύω, id eſt, *fluctuo*, in hanc & illam partem vergo, & vacillo. Dicitur ab Hippocr. de his, quibus utrumque femur excidit, quique corpus in hanc & illam partem jactant & agitant, 3. *de artic. t.* 95. Improprie de animi incertitudine accipi ſolet. Vide Foëſ. *Oec. p.* 557. *ſeq.*

SALIA VIRGULA vocatur geminus bacillus, quo indagare ſolent Metallurgi exhalationes metallicas, quas vernacule Witterung appellant. Fr. Baſil. Valent. *l.* 1. *Ult. Teſt. c.* 24.

SALICIUM eſt affectus quidam externus ad curam coſmeticam pertinens, quamvis, quid proprie ſit, non conſtet. Legitur vero apud Joh. Stephan. *Coſmet. Oper. p.* 462.

SALIFICATIO vocatur, quando e corpore miſto mediante fermento particulæ ſalinæ colliguntur, ut coëant & concreſcant. Uſus hoc vocabulo Caſp. Cramer. *Colleg. Chymic. diſſert. I. c.* 4. §. 3. *p. m.* 13.

SALINACIDUM, ὀξάλμυρον, vel ἀλμυρὸν, dicitur de mixto ſapore ex ſalino & acido; cui opponitur ὀξύγλυκον, *Dulcacidum*, Keuchen. *ad Samon. p.* 126. *ſeq.*

SALINATORES, & Salitores, qui funus condiebant. Pet. Bellonius *c.* 5. *de funere medicato.*

SALITURA, ἅλισις, vocatur ſpecies conditura, quæ fit ſale; de qua legatur Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 9. & Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 20.

SALIVA, σίαλος, σίελος, & in neutro σίαλον, σίελον, Dieterich. *n.* 738. communiter accipitur indiſcriminatim pro *ſputo*, de quo ſupra in *Ptyelon.* Proprie vero hoc nomine venit humor quidam tenuior aquoſus, vel lymphaticus albicans, in glandulis maxillaribus ſegregatus, & per ductus ſalivales ad glandulas oris anteriores delatus, & inde per intervalla profluens, pro diverſo modo conſiderandi, vel inter excreta, vel inter retenta referendus, ut guſtationi, maſticationi, deglutitioni, ſermoni, & in ventriculo fermentationi inſerviret; cujus uberiorem hiſtoriam & uſum vide apud Warthon. *Adenogr. c.* 21. Stenon. *de Muſc. & Glandul.* Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 11. Bonetum *Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 21. *obſ.* 16. *p.* 358. *ſeq. & l.* 4. *ſ.* 2. *obſ.* 6. *p.* 1529. Helmont. negavit *ſalivam* à ſanguine ſequeſtrari, *tr. Latex Humor. num.* 24. 25. *Salivæ* virtutes medicas tradidit Galen. *l.* 10. *de Simpl. fac.* § *Sialos.* In ſpecie venenis & venenatis animalibus reſiſtere legitur apud Rhod. *ad Scrib. p.* 164. C. Rejes *C. El. q.* 24. *n.* 10. Aliquando & cauſſam fieri contagii, recentiſſimæ Medicorum obſervationes confirmarunt. Porro Græcum vocab. σίαλος etiam denotare *pinguedinem*, patet ex Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 83. unde & σιαλώδεα *pinguia* eidem ſignificant, *l. de Sterilib. IIX.* 28. Junge Foëſ. *Oec. p.* 564.

SALIVALIS, epitheton ſpeciale nonnullorum vaſorum lymphaticorum noviter ab Anatomicis inventorum, *Ductus Salivales* dictorum, unde etiam alius horum ductus Warthonianus, alius Stenonianus &c. dicitur. Noviſſime publicavit D. Caſpar. Bartholin. Obſervationem de *Ductu Salivali* hactenus nondum deſcripto, Hafniæ, 1684.

SALIVATIO, σιελισμὸς, duplicem habet ſignificationem. Unam Pathologicam, qua notat ſymptoma excernendi p. n. aucti, quando ſaliva plus æquo per os excernitur, ob viarum laxitatem & copiam ſeroſitatum aquearum ad glandulas collectarum; de quo ſymptomate legatur Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 4. & Ægin. *l.* 3. *c.* 17. Vide *Sialochoos.* Alteram Therapeuticam, qua ſignificat remedii genus, quando virtute alicujus medicamenti *ſalivæ* affluxus ad os promovetur. Inter quæ medicamenta propterea Pyrethrum *Herba ſalivaris* dicitur, teſte Rhodio *ad Scribon. p.* 39. Imprimis cura per ſalivationem inunctione Mercurii, in lue Gallica, à nonnullis laudari ſolet, quamvis periculo rem non carere, monuerit Hildan. præſertim in Arthriticis, *Cent. IV. Obſ.* 82. & *C. V. O.* 92. Alias *Salivatio* quoque laudatur certiſſimum Plicæ remedium, *in Ephem. N. Cur. A. II. Obſ.* 52. *Schol.* De ejus cauſſa, & aliis mediis, vide & Libav. *S. A. Ch. lib.* 4. *cap.* 25. & *T. II. Oper. p.* 162. ubi vitioſe per *y ſyaliſmus* ſcribitur.

SALLENA ſpecies eſt *Salis petræ.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex. Chym.*

SALMERINUS, nomen piſcis, qui *Salmunculus fluviatilis* dici poſſet, ad differentiam *Salmonum.* Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 4. Aldrov. *l.* 8. *de piſc. c.* 11. *Salmo* caret Græco nomine proprio. Dicitur piſcis marinus, juxta tamen fluviorum majorum oſtia ſæpenumero occurrens, utpote dulcibus gaudens etiam aquis, & in fluvios tranſiens; cujus hiſtoriam cum uſu vide apud Aldrov. *d. l.* 4. *de piſc. c.* 1. J. Alex. *d. l. c.* 1. Rolfink. *O. & M. M. Spec. l.* 14. *ſect.* 1. *c.* 13. ejus laudes in cibis ſuſpectas reddidit ex Geſnero, ob craſſius & viſcoſius nutrimentum.

SALNITRUM, idem, quod *Nitrum*: de quo ſupra C. Hofm. *C. in Gal. LL. de V. P. n.* 366.

SALOME, σαλώμη, nomen *Emplaſtri melini*, apud Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 7.

SALPA, σάλπη, piſcis vocatur viliſſimus, lacuſtris &

& marinus, ſtercore & alga veſcens, unde & σκατοφάγος dicitur; cujus deſcriptio, cum uſu in cibis, habetur apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 21. (al. & *Sarpa* dicitur) Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. cap.* 10. *fin.*

SALPETRA, idem, quod *Nitrum*, præſertim artis induſtria paratum, Lang. *l.* 2. *ep.* 32.

SALSAMENTUM, τάριχος, vocatur omne id, quod ſale conditum eſt, proprie quidem piſcium, & præſertim *Thunnorum carnes ſale conditæ* & aſſervatæ; uti patet ex Hipp. *l. de int. aff. XXIIX.* 17. *XXXIII.* 24. 32. Plura loca e Gal. quoque vide apud Foëſ. *Oec. pag.*612. De *ſalſamentis* etiam plura lege apud Jul.Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 9. & 10.

SALSATURA vocatur in opere Lapidis Philoſophici *Dealbatio*, in Theatr. Chym. *Vol. V. p.* 206.

SALSEDO, ἅλμη, proprie ſalſum ſaporem alicujus rei ſignificat. Græcum vero vocabulum plerumque de *Muria* accipitur. Vide *Halme. Salſedinem* cauſſam diſpoſitionis ſanguineæ poſuit Paracelſ. *Paramir. tr.* 3. *c.* 10.

SALSEDO MUCRUM eſt *ſal petræ.* Iohnſon. *Lex. l.* 1.

SALSUGO, ἅλμη, idem, quod *Muria*, ſive liquor ſalſus, quo carnes, vel aliæ res, condiuntur & aſſervantur. Vide *Halme.* Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 412. Ita & homines *ſalſuginoſi* dicuntur, quorum in ſanguine ichor *ſalſuginoſus* peccat, quibus recte commendantur liquida moderate calida. P. M. de Calderia *Tom. II. Oper. p.* 49.

SALSUS, ἁλμυρὸς, eſt ſpecies ſaporis, cujus natura ex ſale guſtato optime innoteſcit, Galen. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 8. *Salſa* eſt *Argilla*, Iohnſon. *Lex. l.* 1. *Salſum* ſimpliciter, vel cum epitheto, *Græcum* olim dicebatur *vinum*, cui aqua marina admixta fuit, Lind. *Ex.X.*§.63. *Sal ſalſum*, quale & commune culinare eſt, materialiter conſtare ex acido quodam univerſali concentrato cum aqua alcalina, hodieque unanimiter docent & demonſtrare conantur Chymici. Dicitur & *Enixum;* cujus exemplum etiam datur Tartarus Vitriolatus.

SALTABRI, idem, quod *Sal alembrot.* Rul. *in Lex.*

SALTANS epitheton eſt *Roſeolarum*, quod *Saltantes* dicuntur. Vid. *Roſeolæ*, cujus nominis ratio videatur in M. A. Severini *de Roſeolis ſaltantibus controverſ.* 1. & in nuperrime habita *Diſputatione Inaugurali de h. t.* Nobiliſſ. D. Henr. Frid. Baumanni Med. Doctorandi *cap.* 1.

SALTATIO, χορεία, ὄρχησις, vide *Chorea.*

SALTUS, παλμὸς, idem, quod *Jectigatio*, *Palpitatio.* Vide *Palmos.* Alias & *Saltus* dicitur πήδησις, πήδημα, eſtque motus violentus pedum, quando totum corpus, mediante celeri pedum, vel amborum, vel alterutrius, elevatione violenta extollitur & promovetur. Hinc & *Saltici* dicebantur gymnaſtæ, qui *ſaltus* pernicitate certarunt. Dieter. *Iatr. p.* 103.

SALVATELLA vena eſt ramus venæ axillaris mediæ, percurrens inter medium digitum manus, & auricularem, Gal. *l.*3. *An. adm. c.*5. & *l. de Anat. viv.* Arab. dicitur *Siele*, eſtque ſurculus rami externi venæ cephalicæ brachii per externam carpi ſuperficiem excurrens, & inter digitum annularem, & nimium pergens, Barthol. *libell. I. Anat. c.* 7. Controverſiam illam: Num ſectio hujus venæ peculiariter faciat contra Melancholiam, & affectus lienis, nec ne? in medio relinquemus, propter experientiam fallacem; & propterea judicium difficile. *Salvatellam* quoque dici cephalicam, inter pollicem & indicem ſitam, ex Mundino docet Barthol. *d. l. circa fin.*

SALUBRIS, ὑγιεινὸς, idem, quod *Sanus*, vel *Sanabilis.* Vide *Hygieinos.* Aliquando & effectivam habet ſignificationem, Gal. *l. de ſectis ad eos, qui introducuntur, c.* 1. *Salubria* ab antiquis dicta, quæ & præſentem ſanitatem conſervant, & collapſam redintegrant. Linden. *Ex. X.* §. 117. Jul. Alexandr. *not. ad Galen. l.* 2. *de Al. fac. c.* 70. *fin.*

SALUS, ὑγεία, idem, quod *Sanitas.* Vide *Hygieia.* Dicitur & Gr. σωτηρία, Gal. *l.*11. *M. M. c.* 9. Ubi deſperata omnino *ſalus*, fruſtraneum foret, exponere calumniis vulgi remedia, quæ multis fuere uſui. *Salus* dubia certa deſperatione potior. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 4. *ſ.* 1. *c.* 32.

SALUTARIS, σωτήριος, idem, quod *ſalubris.* Diet. *n.* 814. Morbus *ſalutaris* dicitur, qui poteſt curari, Hipp. 7. *aph.* 37.

SALUTATIO, *Salutator*, ἀσπασμὸς, ἀσπαζόμενος; quid ſignificet, extra quoque forum Medicum innoteſcere poteſt. Licet vero *ſalutanti* ritus merito laudetur, Linden. *Ex. IX.* §. 23. non ſine ratione tamen Galen. exprobravit eorum Medicorum antiquorum morem, qui matutinas horas triverunt *ſalutationibus* circumeundo, *l.* 1. *M. M. c.* 1. & *ult. Salutatores* quoque olim dicti ſunt, præſertim apud Hiſpanos, *Praſtigiatores*, qui Italis *S. Catharinæ alumni* vocantur, & gloriantur, ſe plurimos poſſe ſolo contactu & afflatu morbos curare; de quorum fraudibus legatur C. Rejes *C.El. q.* 24. *n.* 10. *ſeqq.*

SALZ, *Sulz* vel *ſelenippum*, eſt *ſalſugo*, vel muria ſalis, ex ſale reſoluto, frigore, vel humiditate penuarii, vel cellæ vinariæ. Iohnſ. *in Lex.*

SAMECH, *Samach*, idem eſt Paracelſo, quod *Tartarus*, vel *Sal Tartari*, remedium omnium vulnerum. Dorn. Rul. & Iohnſ. Meminit vero Paracelſ. hujus vocabuli *Fragm. Med. ad Tom. III. referend. capit. de febb. hepatis & Archidox. l.* 9. §. *Remed. in vulnus.* Et Helmontius vocat *Arcanum Samech. tr. Progymnaſma Meteori*, *n.* 27. Deſcriptio *Balſami Samech Paracelſi* vide in Morley *Collect. Chym. Leid. c.* 469.

SAMEN, i. e. *Hordeum*, vel *ordeum.* Rul. & Iohnſon.

SAMIES, terminus Paracelſicus obſcurus, denotans effectum

effectum aëris arcanum, quemadmodum effectus Terræ arcanus *Thronus* vocatur. *Philoſ. ad Athen. l.* 2. *text.* 13.

SAMIOS, σάμιος, epitheton *Terræ argillaceæ*, à loco natali; cujus terræ duæ ſunt ſpecies: una, quæ ſimpliciter *Terra Samia* dicitur, altera vero quæ ἀστὴρ vocatur, cruſtacea, & cotis modo prætenſa, glutinoſior & magis emplaſtica. De *terræ Samiæ* virtutibus legatur Gal. *l. 9. de S. Fac.* Dioſc. *l. 5. c.* 172. In hac terra invenitur & *lapis Samius*, λίθος σάμιος, candidus, ſubdurus, adſtringendi & refrigerandi virtute pollens: Hoc utuntur aurifices in poliendo auro, ut reſplendeat. Dioſc. *d. l. cap.* 173. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *pag.* 386. *ſeq.*

SAMPSYCHINON, σαμψύχινον, epitheton *Olei* & *Unguenti*, à planta *Sampſucho*, quæ *Amaracus*, & *Majorana* alias vocatur. Gorr.

SANATIO, ἴασις, θεραπεία, idem, quod *Medela*, *Curatio.* Vide *Cura.*

SANCTUS, ἅγιος, ἱερὸς, idem, quod *Sacer.* Attribuitur communiter *ligno Guajaco*, quod propterea nonnulli ἁγιόξυλον, i. e. *Lignum Sanctum* vocarunt. Ita & Paracelſ. inter remedia contra amentiam refert *Appropriatum ſanctum*, *Oleum ſanctum. Tract. II. de morb. ament. c.* 4. *fin.* Cæterum item Parac. *Sanctis* etiam demortuis ſingularem virtutem corpora ſanandi tribuiſſe legitur paſſim *in ſcriptis ſuis Paramiri*: quamvis eorum invocationem rejecerit, ceu non Chriſtianam, quæ cum ſint extra Medicinæ limites, merito miſſas facimus.

SANDALION, σανδάλιον, nomen *laquei*, deſcripti ab Oribaſio, quam ipſe τῷ χιαστῷ laqueo implicat; ut videre datur *l. de laqueis*, allegante Gorræo.

SANDARACA, σανδαράχη, *Sandaracha*, æquivocum eſt: Primum ſignificat, juxta Gorræum, materiam duritie ceræ proximam, quam apes recondunt; eſtque dum operantur, earum cibus, amari ſaporis; qui ſæpe invenitur in favorum inanitatibus ſepoſitus. Gigni dicitur rore verno. Dicitur alias *Cerinthus*, κήρινθος. Jung. Aldrov. *l. de Inſect. cap.* 1. *pag.* 83. *ed. Bonon.* Deinde Arabibus dicitur *Sandaracha* Gummi Juniperinum, ſive *Vernix.* Rul. Iohnſ. Schroder. *l. 3. c.* 27. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* qui merito nomen hoc improbat, & ab eo abſtinendum monet, imitatus Jul. Alex. *l.* 10. *Sal. c.* 10. Denique *Sandaracha* uſitatiſſime dicitur ſuccus quidam concretus terreus, quodammodo uſtus & friabilis, arſenicalem naturam & vires obtinens, in metallis fere iiſdem, ubi arſenicum, vel Auripigmentum occurrit, proveniens. Unde & *Arſenicum rubrum* vocatur. De cujus viribus Gal. *l. 9. de S. F.* Dioſc. *l. 5. c.* 122. Schrod. & Hofm. *dd. ll.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſect. IV. p.* 473.

SANDYX, σάνδυξ, eſt *Ceruſſa uſta*, donec rufa, & ſimilis Sandaracæ evaſerit. Gorr. ex Dioſc. *l. 5. c.* 103. Facultatibus reſpondet *Ceruſſæ*, Gal. *d. l.* Emplaſtri de *Caſtelli Lexic. Med.* *Sandyce* deſcriptio videatur in D. de Spina *Man. Ph. Ch. p.* 435.

SANDYX, *Terra rubra*: *Paulus Philoſophicus*: item *Auripigmentum rubrum.* Rul. & Iohnſ. Vocatur & *Syricon.* Vide infra SY.

SANGUICULUM, αἱματιά, αἱμάτιον. Vide *Hæmatia.*

SANGUIFICATIO, αἱμάτωσις. Vide *Hæmatoſis*, *Hæma.*

SANGUIFLUUS, αἱμόῤῥοος. Vide *Hæmorrhus.*

SANGUIFUCA, i. e. *filtrum*, colum. Ruland. Iohnſon.

SANGUINALIS, αἱματίτης, epitheton *Lapidis.* Vide *Hæmatites.*

SANGUINARIUS, ἔναιμος. Vide *Enæmos.*

SANGUINEUS, αἱματικὸς, vel dicitur de partibus, quæ primum credebantur conſtitutæ e ſanguine, Lind. *Ex. XIII.* §. 446. Vel in ſpecie, *dexter cordis ventriculus* ita dictus fuit, quia e vena cava, mediante auricula dextra, omnem refluum ſanguinem accipit, & iterum per arteriam pulmonalem in pulmonem diſtribuit; ad differentiam ſiniſtri, quem *ſpirituoſum* nominarunt, ex præconcepta opinione erronea, ſolum, aut maxima ex parte ſpiritum vitalem in illo produci, & per arteriam magnam in totum corpus diſtribui, Gal. *l. 6. de V. P. c.* 7. Vel dicitur de *abundantia Sanguinis* in corpore, qua ſec. qua p. nat. Vide *Plethora. Sanguinea* quoque Ruland. dicitur *Salnitrum*, *in Lexic.*

SANGUINIOLUM vocatur Paracelſo in urina ſignum futuræ exulcerationis, & apoſtematis. *l.* 1. *de morb. ex Tart. tract.* 5. *c.* 1.

SANGUIPURGIUM vocatur à quibuſdam ipſa *Febris benigna*, quia per talem efferveſcentiam ſanguis à portionibus fuliginoſis depuratur. Franc. Piens *de febr. part. gen. c.* 1. *p.* 4.

SANGUIS, αἷμα. Vide *Hæma.*

SANGUISUGA, βδέλλα, idem, quod *Hirudo*, de quo vide ſupra in HI.

SANGUISUGUM quoque barbaris medendi magiſtris dictum fuiſſe affectum cordis, quando ſanguis in eo nimium cumulatus fuit, teſtatur Bonet. *Anat. Pract. l. 2. ſ.* 1. *obſ.* 91. *Schol.*

SANIES, ἰχώρ. Vide *Ichor.* Helmont. dicit, eſſe productum ſeminum, vel radicum ulceris, *tr. Scabies & Ulcera Scholar. n.* 17.

SANIODES, σανιώδης, vel σανιδώδης, Gal. dicitur, cui thorax, tabulæ ritu, anguſtatus eſt, *l. 2. de Temp. c.* 6. Derivatur ἀπὸ τῆς σανίδος, quod *aſſerem*, ſive tabulam ſignificat. Obiter hic notandus error Scapulæ *in Lexic.* qui σανιδώδεις dici vult eos, quibus ſcapulæ inſtar alarum protuberant, quæ explicatio plane contraria eſt Galeno, & confundit ἀκρίβειαν vocabuli πτερυγώδης. Hoc enim uſurpatur de iis, quibus ſcapulæ inſtar alarum protuberant. Verum

τοῖς συνιδιδίτι thorax cum ſcapulis compreſſus & coarctatus eſt.

SANITAS, *Sanus*, ὑγίεια, ὑγιεινὸς, ὑγιής. Vide *Hygieia. Sanitas* triplex corporis & Mentis, *Jovis Virtus; Lunæ potentia: Solis Miraculum:* legatur *in Th. Chym. Vol. I. pag.* 454.

SANNION, σαννίον, denotat *caudam*, *membrum virile*, παρὰ τοῦ σαίνω, i. e. quatio. Rolf. *de Part. genit. P.* 1. *c.* 43.

SANTERNA dicitur ærugo ſcolecia, cum urina pueri refecta ad auri glutina; unde in chryſocollas recipitur, Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *c.* 23. Unde & *Santerna* factitia *Chryſocolla* ſive *Borax* vocatur. Fallop. *de metall. ſ. foſſil. c.* 31. *Tom. I. Oper. p.* 374.

SAPA, σίραιον, ἕψημα, eſt *muſtum coctum* ad tertias vel dimidias. Vide *Defrutum.* Adde Galen. *l.* 7. *de C. M. S. L. cap.* 2. Vocatur & *Apothermus.* Poteſt etiam ad omnes ſuccos per coctionem inſpiſſatos extendi, qui alias *Rob* dicuntur. Weker. *A. G. l.* 1. *c.* 13. Vide *Rob.* Legitur Græc. vocab. σίραιον etiam apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XCI.* 53. & apud Ægin. *l.* 3. *c.* 28. ubi decoctum caricarum ſignificat. Plura vide apud Linden. *Ex. X.* §. 39. *ſeqq.* Foëſ. *p.* 567.

SAPERDA, σαπέρδη, nomen piſcis eſt, & pro opſonio ſumitur, apud Hippocr. *l. de int. aff. XXIIX.* 17. Foëſ. *p.* 558.

SAPHADA Paracelſo dicuntur *ſquamæ* pilis adhærentes, & parum rubent, & idem ſunt in forma, ac *tinea*, niſi quod tineæ ſint albæ, *l. de ulcer. & apoſtem. c.* 87.

SAPHENA eſt nomen venæ, quæ deſuper ad partem cruris interiorem deſcendit, & deſcendendo occultatur, donec partem ſuper malleolum interiorem attingere incipiat. Caſtell. Dicitur alias σφυρίτης φλέψ, *vena malleoli*, & deſcribitur à Barthol. *libell.* 1. *Anat. c.* 9. Vide *Malleolus.* An peculiarem habeat prærogativam in obſtructione menſium præ aliis venarum in pede ſectionibus, merito hodieque ex Anatomicis principiis dubitatur. Febris ex oppilatione *ſaphenæ* meminit Paracelſ. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 4.

SAPIENTIA, σοφία, quid in genere ſignificet, ex aliis quoque Lexicis trivialibus notum eſt, de qua Linden. *Ex. II.* §. 8. *Sapientia Medica* in quo conſiſtat, docuit eleganter Idem *Exerc. III.* §. 19. *ſeq.* videlicet in devota invocatione Dei, recta notitia morbi, inventione remediorum & horum commoda adminiſtratione. Jung. & *Ex. II.* §. 4. *ſeqq.* An ad Medicos quoque pertinet illud Scaligeri: Vera *ſapientia* eſt, nolle nimium ſapere? *Exerc.* 307. Paracelſ. ſummum ac primum librum totius Medicinæ vocavit *Sapientiam*, ut aliquis ſciat certo; non vero opinetur, *Labyrinth. Medic. c.* 1. *princ.* Græcum σοφία ipſam quoque *Artem* ſignificare, ſcripſit Erotian. *Onomaſt. pag.* 102. *a. Sapiens*, σοφὸς, recte dicitur, cui memoria non ſolum eſt viva bibliotheca, ingenium perſpicaciſſimum, judicium ſolidum atque incorruptum; ſed etiam qui labore & exercitatione has Naturæ dotes extulit, & ad maturitatem plenam perduxit, Lind. *Ex. V.* §. 12. Vide *Philoſophia.* Quæ Paracelſiſtæ de *Sophia Adepta* jactitant, tanquam figmenta miſſa facimus. A Chirurgis plantæ quoque vulnerariæ vocantur *Sophiæ*, non ſolum *Conſolida aurea*, ſive à floribus, ſive à virtute ita dicta, Illyricis & Liburnis familiariſſima, cujus folium ſi ore maſticetur, labia contrahit, & ſi ſuper caulem adhuc exiſtens laceratur, per ſeipſam conſolidatur, nobiliſſima dulcedine pollet, ac balſamo, Dorn. Rul. & Iohnſ. ſed etiam alia *Thalictri ſpecies*, uti patet ex *Adverſariis* Lobelli, & *Pinace* Bauhini.

SAPO, σάπων, σμῆγμα, quid ſit, etiam tonſoribus & pueris notum eſt. Gallorum inventum eſſe, ſcripſit Gorræus ex Plinio; verum meminit & Galen. *ſapones*, & refert inter abſtergentia potentiſſima, *l.* 8. *M. M. c.* 4. *circa fin. & alibi.* Simpliciſſima compoſitio eſt ex ſebo, cinere, & ſale. Qui apud Venetos paratur, primas hodieque tenet. Sed proſtant & aliæ compoſitiones odoratorum *ſaponum*, de quibus Schroder. *l.* 2. *cap.* 80. ex antiquioribus Aët. *l.* 6. *c.* 54. Ægin. *l.* 7. *c.* 13. citante Gorræo. Ex recentioribus etiam de *Sapone* & ejus uſu Pharmaceutico Chymico ſcripſit Iunken *Chymiæ Exp. Cur. Part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 10. *pag.* 143. *ſeqq. Sapo ſapientiæ* dicitur ſal *commune præparatum*, Dorn. Ruland. & Iohnſ. *Smegma* idem etiam eſt, quod *Sapo.*

SAPONEA eſt nomen medicamenti Arteriaci vel Bechici, quod paratur ex oleo amygd. dulc. & ſaccharo diſſoluto in aqua violar. Claudin. *de Ingreſſ. ad infirmos l. II. ſect.* 11. *c.* 17. *p. m.* 248.

SAPONIFORMIS eſt epitheton tributum primæ materiæ metallorum, quæ materia hermaphroditica dicitur ex ſulphure & ſale mixta, unde *Lixivium ſaponiforme* quoque audit Adam Sigiſm. Scholz. in *Diſp. Inaugur. de Marte ſalutifico ſect.* 1. *lit. B.*

SAPOR, χυμὸς, dicitur qualitas illa, quæ guſtu percipitur; cujus plurimas eſſe differentias, docuit Gal. *l.* 1. *de S. Fac. c.* 36. Enumeravit quoque illas Schroder. *lib.* 1. *c.* 34. Weker. *Ant. Gen. l.* 4. *c.* 4. Quod vero in his, & aliis *ſaporum* differentiis, & ortus morborum, & curationes, unice conſiſtant, uti ſcripſit Iohnſ. *Lexic. Chym. l.* 2. autoritate nixus Hipp. *l. de vet. med. XXIV.* illud cum grano ſalis intelligendum arbitror, cum hæ *ſaporum* differentiæ ſaltem ſigna ſint diverſarum virtutum & facultatum medicamentoſarum, & morboſarum; non vero ipſæ cauſſæ efficientes; niſi velis per *ſaporem* ipſum Chymum, h. e. materiam *ſapidam*, intelligere cum Gal. *d. l.* Vide *Chymus.* D. D. Ettmüllerus fermenta morboſa diverſa *ſaporis* nomine indigitavit, v. g. *Sapor* ſcorbuticus, *ſapor* pleuriticus &c. *in Medic. Theoria & praxi inſtructis Patholog. præceptis c.* 2. §. 19. à D. D. Frid. Hoffmanno ſapor etiam accipitur καταχρηστικῶς pro Guſtu, *Fundament. medic. Patholog. c.* 7. §. 71. 72.

SAPPHIRUS,

SAPPHIRUS, σάπφειρος, *Saphirus*, gemma eſt pretioſa, cœrulei coloris, pellucida, & diaphana; cujus hiſtoria, vires, & uſus legantur apud Gal. *l. 9. de S. Fac. h. tit.* Dioſc. *l. 5. c.* 157. Lang. *l. 2. ep.* 49. Schrod. *l. 3. c. 6.* Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. III. pag.* 223. *ſeqq.* Rul. Iohnſ. *Sapphirum* ex cœlo Lunæ & hujus terra terræ Jovis permixta factum eſſe, legitur *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 487. paulo aliter, & clarius, *Vol. IV. p.* 189. *ſeq.*

SAPRIAS, σαπρίας, nomen *vini generoſi* fragrantiſſimi, imo nectare nobilioris, quod & *Anthoſmias* alias vocatur. Linden. *Ex. X.* §. 129.

SAPROS, σαπρὸς, *putridum*, & potiſſimum vetuſtate corruptum, ſignificat. Frequenter occurrit apud Hipp. uti legere eſt apud Foëſ. *p.* 558.

SAPYRUS, pro *Sapphyrus*, legitur apud Keuchen. *ad Samon. p.* 112.

SARAFFI, id eſt, *Gypſa.* Rul. & Iohnſ.

SARAPUS, σάραπυς, dicitur, *qui magnos, & propterea diſparatos habet pedes.* Foëſ. *pag.* 548. C. Hofm. *C. ad Gal. de V. P. n.* 147. C. Hofm. vult, legendum vel ſcribendum eſſe σάραπυς, exponens de inferioribus ſive extremis pedibus, ita ut horum digiti introrſum flectantur, malleoli vero extantes ſint & prominuti, & conjectatur Latine tales homines dici *Scauros*, *Apolog. pro Gal. l. 3. c.* 101. *in exeg. Hipp.* ipſe Galenus deſcriptionem ſuppeditat, quod Saraphus ſit, qui divarcatos & diſtantes habet pedum digitos.

SARATELLULA, legitur apud Paracelſ. *in Fragm. Chirurg. de apoſtemat. p. m.* 657. de quo termino tamen non conſtat, quid notare debeat.

SARCAZO, σαρκάζω, ſignificat *ſupremis labris aliquid avello.* Diciturque de animalibus utrinque dentatis, apud Hipp. 1. *de art. t.* 28. Adde Foëſ. *d. l.* Per translationem vero ſignificat etiam morſis labris *ſubſannare*, unde σαρκασμὸς amarulentæ irriſionis genus dicitur. *Ibid.*

SARCA, *Sayrſa*, *Sarra*, id eſt, *Ferrum.* Rul. & Iohnſ.

SARCION, σαρκίον, Lat. *Caruncula* dicitur. Hipp. 4. *aph.* 76. Dieter. *n.* 766. *Sarcion*, quoque dicitur *lapis coloris ruffi.* Iohnſ. *Lex. l.* 2.

SARCITES, σαρκίτης, idem, quod *Anaſarca*, vel *Leucophlegmatia*, Hydropis ſpecies. Gorr. Cardan. *l. 2. tract. 3. contradict.* 21.

SARCOCELE, σαρκοκήλη, i. e. *hernia carnoſa*; teſticulis induratis contingens, & ad ſcirrhos pertinet, Gal. *l.* 14. *meth. med. c.* 7. Ejus felicem exemtionem Chirurgicam per diſſectionem inventam ſtructuram vide *in Act. Hafn. Vol. I. Obſ.* 28. *p.* 59. *& Obſ.* 97. *p.* 188. in quo loco recte negat *Sarcocelen* medicamentis poſſe diſcuti, aut curari. Vide etiam de *Sarcocele* ab Oxycrato teſtibus & ſcroto perperam applicato producta nullo alio remedio, quam caſtratione curanda P. Ammann. *in Irenic. p.* 140.

SARCOCOLLA, σαρκοκόλλα, eſt lacryma arboris, in Perſide naſcentis, thuris pollini ſimilis, colore ſubruffo, amara guſtanti. De cujus natura & viribus legantur Gal. *l.* 8. *de S. Fac. h. tit.* Dioſcor. *l. 3. c.* 99. Schroder. *l. 4. cl. 2. n.* 403. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rol. *O. M. M. Sp. l. 5. ſ. 4. c.* 11.

SARCOEPIPLOCELE, i. e. *hernia carnoſa omentalis*, quando omentum in carneam ſubſtantiam accreſcit, & induratur; ſive circa umbilicum, ſive in ſcroto fiat. Legitur apud Gal. *Introduct. c.* 18.

SARCOMA, σάρκωμα, eſt carnis in naribus, aut aliis etiam partibus, p. n. accretio, Galen. *in def.* Differt à Polypo magnitudine & forma. Eſt quidem Polypus *Sarcoma*, ſed non contra. Polypus enim Polypi piſci ſimilitudinem quodammodo habeat oportet: quod in *Sarcomate* non requiritur. Caſtell. Iohnſ. *l.* 2. *Lex.*

SARCOMPHALON, σαρκόμφαλον, eſt incrementum carnis in umbilico mitis, vel malignæ. Gal. *in def.* Gorr. & Caſtell. Cauſſa ſolutio continui, & ſucci nutritii largior propterea affluxus, quemadmodum in aliis excreſcentiis contingit.

SARCOPHAGOS, σαρκοφάγος, in genere *carnivorum* ſignificat. Lind. *Ex. XI.* §. 67. Eſt aliquando epitheton *Mortis* Poëtis familiare. Aliquando uſurpatur pro *Cathæretico.* Specialiter vero epitheton hoc tribuitur *lapidi*, qui ἄσιος, *Aſius* alias appellatur: de quo ſuo loco in *Aſſius.*

SARCOPHYIA, σαρκοφυΐα, *excreſcentia carnea* dicitur Hippocr. 3. *de fract. t.* 45.

SARCOPYODES, σαρκοπυώδης, epitheton ſputi, quod eſt adinſtar carnium purulentarum, & inſigne pulmonis ulcus indicat: uti in tabida muliere, apud Hipp. *l. 4. Epid. III.* 26. Vide Foëſ. *p.* 559.

SARCOSIS, σάρκωσις, in genere carnis generationem ſignificat. Sæpius tamen præternaturaliter, & idem eſt, quod *Sarcoma*, Excreſcentia carnea. In ſpecie *Sarcoſis* in utero eſt carnis ibidem prognatæ & collectæ expullulatio; quam, ſi magna ſit, recidere convenit vellicatam ſcalpris: ſin parva, protinus tollere, Gal. *in def.* Videtur proinde nihil aliud eſſe, quam mola. Caſtell.

SARCOTHLASIS, *Sarcothlaſma*, σαρκόθλασις καὶ σαρκόθλασμα, dicitur *caro contuſa*, cui plerumque ſupervenit ἐκχύμωμα ſive ſanguinis ſuffuſio ſub cute. Utrumque legitur in Nono *de M. P. C.* c. 252.

SARCOTICON, σαρκωτικὸν, dicitur *medicamentum carnis generationem promovens*; vel quod carne ulcus implet, Galen. *l. 3. M. M. c. 2. l. 2. de C. M. P. G. c.* 4. Nam quamvis carnis generatio naturæ opus videatur, juvatur tamen illa medicamentis, quæ modice detergent, calefaciunt, & purgant, atque minimum ſiccant, nulloque modo adſtringunt. Caſtell. & Gorr. Catalogum vide paſſim apud autores materiam

Medicam proponentes. Speciatim D. D. Wedelium *Amœn.-Medic. l.* 1. *Sect.* 2. *c.* 9. *p.* 108. P. Morellum *de mater. Medic.* ſub tit. Sarcotica cum formulis Blaſii *p. m.* 470. *&c.*

SARDA, *Sardina*, σάρδα, σαρδίνη, homonymon eſt. Vel enim piſcis marini & lacuſtris nomen; cujus hiſtoriam cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 37. J. Alexandr. *l.* 15. *Salubr. c.* 5. Vel eſt nomen lapidis, aut gemmæ, quæ & *lapis Sardus* vocatur, à *Sardibus*, ubi primum reperta: alias *Carneolus* quoque dicta, loturæ carnium ſimilis colore, & ſemiperſpicua: cujus deſcriptionem & vires vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Chiocc. *in Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 238. *ſeqq.* Ruland. etiam multas hujus ſpecies recenſet *in Lex.*

SARDONIUS, *Sardous*, σαρδόνιος, σαρδῷος, eſt epitheton *riſus p. n.* & convulſivi, ab *Herba Sardonia* ita dicti, quæ ſua malignitate hanc convulſionis ſpeciem producere creditur, & alias *Apium riſus* vocatur; de quo riſu differit Bartholin. *l.* 2. *An. cap.* 3. *pag.* 340. Junge Keuchen. *ad Samon. p.* 178. Vide *Gelos*. Attribuitur etiam interdum lapidi antea explicato, & vocatur *Sardonius*, vel *Sardous lapis.*

SARDONYX, σαρδόνυξ, gemma eſt, vel lapis pretioſus, ruber, pellucidus, habens ſpeciem unguis humani, impoſitus manibus in ſuperioribus partibus apparet Onyx, in altera parte Sarda. Rul. & Iohnſ. Chiocc. *d. l. p.* 241.

SARE, idem, quod *Eſſere.* Blancard. *in Lex.*

SARFAR, id eſt, *ferrum.* Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

SARGOS, σάργος, vocatur piſcis marinus littoralis, ad cibum maxime commodus; cujus deſcriptio cum uſu legatur in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 16. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 10.

SARMATICA *Lues*, idem, quod *Plica Polonica.* Luc. Lælius conſultat. de *Lue Sarmatica.* Vide *Plica.*

SARMENTUM, φρύγανον: Vide *Phryganon.* Plin. *l.* 23. *H. N. c.* 1. partes illas, in quibus acini fuere, *ſarmenta* vocavit, notante Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 10. *c.* 7.

SARNICUM, *Sacen* eſt *Draconis.* Iohnſ. *Lex. l.* 1.

SAROPUS, σαρῶπυς, vide *Sarapus.*

SARRAMPIO, idem, quod *Picota.* Vital. *de Furno* *p.* 264. *ſin.* vide *Picota.*

SARTAGO, τήγανον, dicitur vas coquinarium, etiam Chirurgis neceſſarium, ad coquenda Unguenta & Emplaſtra. Hildan. *in Ciſt. milit.*

SARTORIA COSTA, juxta nonnullos *Coſta Ceti*; quamvis alii dicant eſſe potius firmamentum *Mandibulæ ceti*, cui infiguntur dentes. Confer. Gothofr. Martheri *Itinerar. Grünlandic.* Nomen vero primum legitur apud D. Ludovic. *Diſſert.* I. *Pharm. p.* 314. *Sartorius Muſculus*, vide *Faſcialis.*

SARX, σάρξ. Vide *Caro.*

SATHE, σάθη, ſignificat *penem*, ſive membrum virile, teſte Rolfink. *O. & M. Med. Sp. P.* 1. *c.* 43.

SATHROS, σαθρὸς, *marcidus*, *lacerus*, putris. Legitur apud Hipp. *l.* 1. *de diæt.* XIII. 18. 22.

SATIETAS, *Saturitas*, πλῆθος, πλησμονὴ, ſumitur plerumque in exceſſu p. n. Vide *Pleſmone.*

SATTO, vel *ſaſſo*, σάττω, σάσσω, ſignificat *infarcio*, *fartim impleo.* Hippocr. *l.* 2. *de morb.* XIV. 27. *lib.* 4. VII. 9. 10. IIX. 15. IX. 10. X. 12. *&c.* Adde Foëſ. *p.* 560.

SATURATUS, *Saturitas*, idem, quod *Satietas*, πλησμονή. Uſurpatur vero etiam haud ineleganter de ſufficiente humectatione, cum aliquo exceſſu. Scrib. *num.* 227. Adde Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 438. Eſt etiam terminus Chymicus in eadem ſignificatione humectationis acceptus, quando v. g. Salia alcalia fixa cum ſpiritu Salis *Saturari* dicuntur. Vid. Dan. Ludov. *Pharmaciam.*

SATURNUS, κρόνος, proprie ſignificat Deaſtrum gentilium, porro tranſlatum inter ſidera. Hinc planetarum à terra remotiſſimus *Saturnus* habetur pro maligno, ſummo frigido. Quas res naturales influxu ſuo dirigere finxerint, lege apud Schroder. *l.* 1. *c.* 9. Talia figmenta etiam reperire licet in Paramiro, aliiſque ſcriptis Paracelſi. Chymici nomen hoc tribuerunt *Plumbo*: vide ſupra *Molybdos.* Adde Rul. & Iohnſ. & alios Chymiæ ſcriptores. *Saturnus* Philoſophorum etiam dicitur Antimonium. Schroder. *Pharm. Medico-Chym. l.* III. *c.* 17. ad quem locum vide *Notas* D. Joh. Michaëlis *noviſſime editas.*

SATYRIACE, σατυριακὴ, eſt nomen confectionis & Antidoti Venerem ſtimulantis, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 11.

SATYRIASIS, *Satyriaſmos*, σατυρίασις, σατυριασμὸς, ambiguæ adhuc ſignificationis vocabulum, propter Hippocr. 3. *aph.* 26. ubi inter puerorum nondum pubertatis terminum attingentium morbos refertur: in quo communis illa acceptio, pro *Tentigine* membri virilis, ſive *Priapiſmo* (vide *Priapiſmus*) locum non videtur poſſe invenire. Licet enim ſæpius rigiditas penis illis etiam dormientibus eſſe ſoleat familiaris, minime tamen morbus dicenda, quia nihil offenſæ inde percipiunt. Hinc Interpretes de glandularum juxta aures tumoribus exponunt, Gal. *in Exeg. pag.* 560. Dieter. *n.* 767. quæ expoſitio nititur loco parallelo Hippocr. *l.* 7. *Epid.* LI. 16.

SAVICH Arab. eſt *farina ſubtilis.* Valeſc. de Tarant. *Philon. Chirurg. c.* 6. *p.* 810.

SAUNIA olim fuit confectio lenis & ſuavis, inſtar maſſæ panis valde nutriens & reſtaurans, parata ex amygdalis dulcibus, ſaccharo ana ℔j. amyli ℔ß. ol. amygd. dulc. ℥jß. aq. Violar. q. ſ. F. Maſſa in formam quadrat. oblong. pondere ℥j. Clement. Clementin. *Lucubrat. p. m.* 144.

SAVONEA;

SAVONEA, nomen confectionis Arteriacæ delicatæ, contra tuſſim, apud Foreſt. *lib. 16. Obſerv.* 4. *Schol.*

SAURA, σαῦρα. Vide *Lacerta*. Præter illas vero acceptiones ibidem adductas, occurrit adhuc alia, apud Hippocr. 4. *de artic. t.* 64. ubi σαῦραι dicuntur *Vimineæ* quædam *texturæ*, ex palmis intextæ, aut digitorum integumenta, ſive digitalia, à *lacertarum* ſimilitudine *Lacertæ* dictæ, Foëſ. *p.* 560.

SAXATILIS, πετραῖος. Vide *Petra*.

SAXIFRAGUS, λιθοντρυπτικός. Vide *Lithontrypticos*. *Saxifraga* vel *Saxifragia*, omnia, quæ calculum, lapidem, vel arenam expellunt, denotat. *Saxifrâgium*, quivis lapis, qui tartarum in homine frangit, & diſſolvit, eſt. Rul. Iohnſ.

SAXONICUS eſt epitheton pulveris, cujus deſcriptio habetur in *Pharmacop. Aug.* ut & *Corp. Ph.* D. Iunken. alibique.

SAXUM, πέτρα, idem, quod *Lapis*, *Petra*; de quibus vocabulis *ſuo loco*.

SBESIS, σβέσις. Vide *Extinctio*.

SBESTEN, id eſt, *Calx viva*. Rul. & Iohnſ.

SCABER, *Scabrities*, τραχύς, τραχύτης, quamvis communiter in malam partem accipi ex Lexicis vulgaribus conſtet, ſignificantia *aſperitatem præternaturalem*: A recentioribus tamen hodieque nomina hæc in bonam quoque partem transferri legimus, ad exprimendum facultates quaſdam medicamentorum à figura dependentes, quando aſperitate ſua craſſiora attenuant, viſcoſaque divellunt, qualia ſunt Lapides pretioſi, Corallia, Limaturæ Martis, Solis, Lunæ, &c. Frequentiſſime occurrunt in *Lumine Rationali Medico*, & explicantur *in appendice Examinis* in Dan. Sennert. *l.* 5. *Inſtit. p.* 8. 9.

SCABIES, ψῶρα. Vide *Pſora*. Pertinet ad ſolutiones continui partium ſolidarum, Gal. *l.* 14. *M. M. cap.* 17.

SCABRUS Paracelſo videtur dici affectus aurium, conſiſtens vel in dolore, vel in aſperitate aliqua p. n. & meminit *Paragraph. lib.* 12. §. 1. *l.* 13. §. 2.

SCACURCULA, eſt *ſpiritus oſſis de Corde Cervi.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

SCAIOLÆ ſunt commentum vel impium, vel vanum Paracelſi, quo fingere conatus *quintuplices ſpiritus*, quorum ſinguli virtute propriæ ſuæ imaginationis, & quidem alter alteri noxam & detrimentum inferre & quilibet ſuum corpus, in quo reſidet, peculiari modo lædere poteſt. Quam doctrinam confirmavit Paramiro ſuo de quinque *Entibus*, item tractatu de Nymphis, Pygmæis, Sylveſtribus, Gnomis & Lemuribus. Et hoc ex fundamento fictitio fatetur oriri Philoſophiam Medicinæ ſagacem, Adeptam ſupernaturalem, *de Peſtilitate tr.* 2. *c.* 1. At in *l.* 5. *de vita long. c.* 5. quatuor ſaltem *Scajolas* ſtatuit. Hinc & Dorn. *in Diction. Paracelſ.* & ex hoc Rul. & Iohnſ. *in Lexicis ſuis*, quatuor ſaltem numerarunt *Scajolas*, deſcribentes, quod ſint ſpirituales mentis & animi vires, proprietates, virtutes, atque potentiæ; quæ juxta numerum elementorum ſunt quadruplices. Sunt rotæ quatuor ignei currus, quo raptus eſt Elias in cœlum; quæ ſumunt originem ex animo & mente hominis, à quo recedunt, & in quem iterum reflectuntur. Sunt quidem phantaſia, imaginatio, ſpeculatio, & agnata fides. Sunt etiam, & præcipue quatuor illi principes articuli totius fidei noſtræ Chriſtianæ, ut Baptiſmus, Fides in Chriſto JESU, ſumtio Sacramenti cœnæ Domini, & Charitas in proximum, quæ fidei fructus maturos exhibet. Per quæ omnia vitam longam, quin etiam æternam conſequimur. De his latius lege Paracelſum, *in Euchariſtia*, & *expoſitionis libro de Cœna Domini*: & audies, quæ ſatisfaciant animo pietatis & veritatis cupido. Hactenus Dornæus, Rul. & Iohnſ. Enimvero, cui bono hæc ἀλλότρια commenta Paracelſica? Caveant quin potius ſibi Philiatri & alii Chriſtiani ab hiſce ænigmaticis figmentis, animum magis turbantibus, quam illuſtrantibus.

SCALA, κλίμαξ, quid ſit, pueri e Dictionariis norunt. Pertinet inter Chirurgica inſtrumenta, ad repoſitionem articulorum, teſte Galen. *c.* 4. *de art. t.* 43. Talem *ſcalam* Chirurgicam ſex gradibus conſtantem exhibet Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XXIX. fig.* 3. & modum utendi, *Tab. XLIX. fig.* 1. Metaphorice *ſcala* quoque vocatur curriculum vitæ humanæ, per certas ætatum differentias, qualem *ſcalam* Dieter. propoſuit humani initii & incrementi, *in Iatreo, n.* 599. Ita in Metallurgia operationes tranſmutationis per *ſcalam* fieri, legitur *in Th. Chym. Vol. I. p.* 496. *ſeq.* & Elementorum cognitio vocatur *Scala Jacobi* myſtice qua ad mundum cœleſtem aſcendere licet, *Vol. VI. p.* 88.

SCALENOS, σκαληνός, ſignificat *obliquum*, & proprie ad Matheſin pertinet. Legitur vero & apud Hippocr. de vena quadam, quæ ad renes tendit, *l. de Reſectione ſive Anatome II.* 5. & canales *obliquos* σκαληνοειδεῖς vocat, *ibid.* 8. Muſculi quoque in collo ſiti cognominantur in Anatomicis *Scaleni*, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 6. *p.* 568.

SCALPELLUM, ξυστήρ, κνηστήρ, SCALPRUM, ξύστρα, dicuntur inſtrumenta Chirurgica, quibus oſſa raduntur, vel alium etiam in uſum adhibentur. Illud legitur apud Hipp. *de c. vuln. XIX.* 8. Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 6. *& alibi.* Hoc aliquoties apud Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. ubi pro *ſtrigili* ſumitur. Vide Foëſ. *p.* 442. Hildan. *in Ciſta militari alibique.* Vide *Cneſter. Smile. Scalprorum*, quæ & *Raſoria*, *Raſpatoria*, item *Radulæ* dicuntur, varias formas deſcriptas etiam exhibet Scultet. *Arm. Chir. Part.* 1. *Tab. VI. fig.* 3. *ſeqq. ad* 10. Quære etiam *in Indic.*

SCALPTUS, *Scalptura*, κνησμός. Vide *Cneſmos*, vocatur

vocatur & ξυσμὸς, apud Hippocr. 3. *aphor.* 21. Adde Dieter. *n.* 595. *Scalpturam* prohibendam eſſe ægris ob pruritum, & quod peſſima & præter excoriationem humores alliciat & dolores graves excitet, docet Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. LVI. p.* 149.

SCAMMA, σκάμμα, vocatur terminus, aut *limes deambulationis*, in arena, aut ſpatii, quod tranſiliunt, qui ſe ſaltu exercent, apud Cœl. Aurel. *l.* 2. *Tard. paſſ. c.* 1. allegante Foëſ. *Oecon. p.* 568.

SCAMMONION, σκαμμώνιον, vocatur ſuccus purgans fortior, e planta *Scammonea*, σκαμμωνία collectus; qui cum malo cotoneo præparatus & correctus vocatur δακρύδιον quaſi *Lachrymula*, vulgo in Offic. *Diagrydium.* De hoc purgante vide plura apud Rolfink. *de purgant. ſect.* 13. *art.* 4. *per tot.* C. Hofm. *Offic. l.* 1. *cap.* 34. Freitag. *Aur. Med. l.* 2. *c.* 13. Schrod. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 468. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Solenander hujus uſum valde ſuſpectum habuit, inter *capita diaboli* vernacule dicta referens, *ſect. V. conſ.* 22. *pag.* 504. 505.

SCAMNUM, βάθρον. Vide *Bathron.*

SCANDELLA, γυμνόκριθον. Vide *Gymnocrithon.*

SCANTON, eſt *fœtor Urinæ.* Iohnſon. *Lex. lib.* 1.

SCAPELLATUM, id eſt, *retectum*: dicitur de præputio retracto, qui affectus Græce φίμωσις vocatur. Marcell. Cuman. *Obſ.* 74. apud I. H. Velſchium *Sylloɡ. Cur. & Obſ. Med. Cent. I. p.* 78.

SCAPHA, σκάφη, proprie *labrum balneatorium*, vel *ſolium*, vel *naviculam* ſignificat; & uſurpavit Hippocr. *l. de Steril. XXII.* 3. *l.* 3. *de morb. XV.* 18. Sæpius Aurelianus, Trallianus, allegante Foëſ. *p.* 569. Per translationem vero *Scapha* Anatomicis quoque dicitur ambitus auris interior, Helici oppoſitus, Barthol. *l.* 3. *An. c.* 9. σκάφη vinculi quoque nomen eſt, quod adhibetur, ubi ſummum caput, & quod inter ipſum & frontem eſt, vincire convenit. Dicitur alio nomine *Tholus Diocleus.* Gal. *de Faſciis.*

SCAPHION, σκαφίον, æquivocum eſt vocab. Vel enim *parvam ſcapham* ſignificat; & idem eſt, quod σκαφίδιον. Foëſ. *p.* 570. vel *Ligonem*, quo terra foditur, Hipp. 2. *de fract. t.* 3. Vel *Cranium* notat, Gorr. ex Ariſtophane, Lind. *Med. Phyſiol. l.*2. *c.*8. §.30. *Sel. Med. Ex. X.* §. 185.

SCAPHIS, σκαφὶς, dicitur *mulctra paſtoralis*, alveus, *ſcaphula*, quo vaſe paſtores utuntur in lacte reponendo. Significat & μάκτρον, ſive vas, in quo farina ſubigitur. Ab Hipp. accipitur pro *menſura*, quæ alias *Concha* dicitur, *lib.* 1. *de morb. mul. CXXIII.* 13. *CXXVI.* 4. 4. Adde Foëſ. *d. l.* Vide *Concha.*

SCAPHOIDES, σκαφοειδὴς, epitheton Oſſis, Tali caput anterius & oblongum excipiens. Os *Naviculare* vel *Naviforme*, ita dictum à Scaphæ ſimilitudine, Gal. *de Oſſib. cap.* 24. & *l.* 3. *de V. P. c.* 7. Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 21.

SCAPULA, ὠμοπλάτη. Vide *Omoplate.* Vena & arteria ſcapularis, interna & externa, quæ dicantur, videantur apud Bartholin. *libell.* 1. & 2. *p.* 640. & 652.

SCAPUS, ςύλος, καυλὸς, idem, quod *Caulis*, medium inter caput & radicem, Linden. *Ex. X.* §. 185.

SCARABÆUS, κάνθαρος, vide *Cantharus.*

SCARABELAPHUS, σκαραβέλαφος. Vide *Cantharus.*

SCARDAMYSSO, σκαρδαμύσσω, ſignificat *Nicto*; oculis *conniveo.* Scribitur & καρδαμύσσω, teſte Erotiano, *Onom. p.* 56. Legitur σκαρδαμύσσειν apud Hipp. *l. de int. aff. XLVI.* 16. *LI.* 14. *l. de dieb. judic. III.* 16. *Coac. t.* 77. *lib.* 6. *Epid. ſect.* 6. *t.* 2. Jung. Foëſ. *p.* 569. *Nictantibus* opponuntur ἀσκαρδαμύκτοι. Vide *Aſcardamyctes.*

SCARDULA vocatur piſcis, qui & *Rama* dicitur, Cyprino ſimilis, longe vero ignobilior, ſtagnantibus aquis gaudens, fœdo mucore & luto victitans. Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 6. Adde Aldrov. *l.* 5. *de piſc. cap.* 42. qui *Cyprinum latum* appellat.

SCARIFICATIO, ἐγχάραξις. Vide *Encharaxis.*

SCARLATINA FEBRIS dicitur, quæ cum maculis conjuncta eſt inſtar morbillorum, utplur. tempore æſtivo frequentior, & infantibus præ cæteris familiaris, cujus pleniorem deſcriptionem tradidit Sydenham, *Obſerv. Med. de morb. ac ſect.* 6. *c.* 2. *p. m.* 417. *ſeq.*

SCARUS, σκάρος, piſcis vocatur ſaxatilis, ſquamoſus; cujus hiſtoria cum uſu videatur apud Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 2. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 3.

SCATEA dicitur *ſecunda tartareæ urinæ ſpecies*, à fœtore nomine ſumto; eſtque indicativa omnium ex Tartaro putrefactionum, ejusque ſignum, Iohnſ. *Lex. l.* 1. Vide Paracelſ. *l.* 6. *Paragr. c.* 2. §. 1. Et *in fragm. ad h. l.* docet, talem urinam eſſe lepræ ſignum.

SCATULA eſt vas ligneum vulgo notum, in quo aliquid aſſervatur. Ad medicamenta vero non debent ſumi e lignis reſinoſis paratæ, ne odore ſuo reſinoſo confectiones inficiant. Hinc majoris adhuc ſecuritatis gratia muniri ſolent intus & foris charta alba, cœrulea, rubra, aut variegata. Schenk. *S. Comp. & Pr. M. p.* 233.

SCAURUS, vide *Sarapus.*

SCEDASTICOS, σκεδαςικὸς, epitheton *facultatis diſſipandi* tribuitur Ochræ apud Dioſcorid. *l.* 5. *c.* 62. vel 108. *ed. Sar.*

SCEILEN *Vena* dicitur *Salvatella*, ramus inter medium & annularem, Avicenn. *lib.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 5. *c.* 4.

SCELETOS, σκελετὸς, quaſi cadaver aridum & exiccatum, eſtque oſſium corporis humani, aut brutorum etiam invicem cohærentium, univerſa compactio, Gal. *l. de Oſſib. c.*25. *in fine & l.* 1. *Anat. adm. c.* 2. Dicitur & σκελετὸν communiter, Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 1. item, qui ſceleti inſtar macilenti ſunt, & tenuis corporis, σκελετοὺς dici, monet Erotianus.

SCELETYRBE, σκελετύρβη, rectius σκελοτύρβη; quaſi

quaſi *crurum turbam* ac reſolutionem dicas, qua erectus homo ambulare nequit, ſed latus quandoque ſiniſtrum in dextrum, nonnunquam dextrum in ſiniſtrum circumfert, interdum quoque pedem non attollit, ſed attrahit, velut ii, qui magnos clivos adſcendunt, Galen. *in def.* Epitheton Scorbuti. Vide *Scorbutus.* Latine *Crurum enervatio*, Lang. *l.* 1. *ep.* 42.

SCELIPHROS, σκελιφρὸς, id eſt, *aridus*, ſiccus, idem, quod ξηρὸς. Occurrit apud Hippocr. *l. de int. aff. XLVI.* 11. *l. de A. L. & Aq. V.* 3. *ſect.* 1. *de art. t.* 28. Jung. Foëſ. *p.* 571.

SCELOS, σκέλος, *Crus.* Vide ſupra *Crus.*

SCELOTYRBE, vide *Sceletyrbe.*

SCEMPSIS, σκῆμψις, idem, quod ἀπόσκημψις; *decubitus.* Galen. *in Ex. Dict. Hipp.* In textu legitur σκῆψις. Vide *Scepſis.*

SCENOS, σκῆνος, apud Hipp. *totum corpus* ſignificat, *lib. de Reſect. I.* 15. *l. de Corde V.* 13. Foëſ. *d. l.*

SCEPARNOS, σκέπαρνος, aut σκέπαρνον, vide *Aſcia.*

SCEPASTRA, σκεπάστρα, ſic dicitur faſciæ genus ad operiendum & deligandum caput, Lat. *Operculum.* Gal. *de Faſciis.* Gorr.

SCEPE, *Scepaſma*, σκέπη, σκέπασμα, *tegumentum*, *velamentum* corporis ſignificat, inter cauſſas ſanitatis procatarcticas pertinens, pro aëris non ambientis attemperatione. Legitur apud Hippocr. *l. 6. Epid. ſ. VIII.* Gal. *l.* 2. *de S. F. c.* 24. Quamvis etiam pro *tugurio* & *tecto* uſurpaſſe videatur, 4. *de R. V. I. A. t.* 44. Vide Rhod. *ad Scribon. in not. n.* 60. *p.* 105.

SCEPTICUS, σκεπτικὸς, dicitur in genere is, qui nihil ſciri poſſe ſtatuit, & in ſingulis rebus hæret, atque hæſitat. Quæ philoſophandi ratio etiam à Carteſio hodieque introducta videtur & olim *ſceptica Schola Medicorum*, à Galeno notata *l. an ſang. in art. natur. cont. c.* 4. *fin. & l. de ſubfig. Emp. c.* 1.

SCEROS, σκηρὸς, i. e. *laxum ſpongioſum*, quamvis Heſychius per σκληρὸν expoſuerit. Erot. *Onom. p.* 103. *b.*

SCETHROS, σκεθρὸς, idem, quod ἀκριβὴς, *accuratus.* Hinc σκεθροτέρη ἴησις, *accuratior curatio*, apud Hipp. 3. *de art. t.* 60. Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 44. Vide Foëſ. *p.* 570.

SCEVASTOS, σκευαστὸς, i. e. *factitius.* Dicitur de *vino*, apud Dioſc. *l.* 5. *c.* 45. Adde Linden. *Ex. X.* §. 198.

SCHASIS, σχάσις, æquivocum valde eſt nomen, & variæ ſignificationis, ob verbum, à quo derivatur, σχάω vel σχάζω, quod diverſa etiam ſignificat, videlicet, *ſcarifico*, *laxo*, *transfero*, vel tranſpono, inhibeo. Apud Hipp. 2. *de art. t.* 14. exponit Gal. verb. σχᾶται per ſubito e priori ſtatu in alium movetur. Interpretes vero Latini reddiderunt per *Decutitur*, & σχάσιν per *decuſſionem.* Apud Gal. *in LL. Meth. med.* σχᾶται, eſt *ſcarificare*, ut & apud Ariſt. *l.* 8. *H. A.* allegante Henr. Steph. *in Theſ.* Hinc & σχάσις apud Theophr. *l.* 4. *c.* 3. *Hiſtor. plantar.* *ſcarificationem* notat. Junge Foëſ. *p.* 607. *ſeq.*

SCHASTERIA, σχαστηρία, inſtrumentum notans funem, vel aliud quid, quo corpus aliquod vel intentum relaxatur, vel erectum demittitur: Gal. *com. ad d. Hipp. loc.* C. Hofm. in ἀνεκδότοις *Notis ad Gal.* negat, recte exponi σχαστηρία per funem, qui curſoribus prætenditur, ſed potius notare *trochleam*, ſive quodcunque *aliud organum*, quod prætentum funem ſuſtinet, &, quo moto, concidit funis. σχαστήριον quoque ſcalpellum, vel *cultellum ſcarificatorium* ſignificare, e Lexicis aliis conſtat.

SCHEDIA, σχεδία, idem, quod βάθρον, *ſcamnum.* Hippocr. vocatur & ξύλον. Oribaſ. *de machin. c.* 29. Gorr.

SCHEHENDENIGI, i. e. *Cannabis*, vel ſemen ejus, Rul. Iohnſ.

SCHEMA, σχῆμα, vide *Figura.* Adde Hippocr. *l. de vet. Med. XXXIX.* 7.

SCHERBET vel SERBET *Turcarum* paratur e ſuccis acidis berberum, ribium, citri, &c. cum ſaccharo, quemadmodum docet Theodor. Mayerne *Prax. Med. Tom. I. p. m.* 264. ubi etiam exempla propoſuit. Vide & *Acta Erudit. Lipſ. A.* 1691. *m. Febr. p.* 61.

SCHESIS, σχέσις, corporis *diſpoſitionem nondum confirmatam* ſignificat, quæ facile inducitur aut removetur; ad differentiam ἕξεως, quæ ſtabilis dicitur habitudo. Deinde etiam ſignificat *adventitiam* corporis *habitudinem*, Gal. *c.* 1. *de artic. t.* 26. *& l.* 3. *de cauſſ. Pulſ. cap.* 10. Σχέσις quoque interdum idem eſt, quod ἐπίσχεσις, i. e. *retentio*, inhibitio. Hippocr. *l.* 5. *Epid. XXIX.* Junge Foëſ. p. 608. Dieter. *n.* 812.

SCHETÆA, σχεταῖα, dicuntur quæ compeſcenda ſunt & *cohibenda*: Hipp. *l.* 2. *de mor. mul. XXIV.* 5.

SCHETICOS, σχετικὸς, *diſpoſitivus*, epitheton febris, quin & aliorum morborum, qui non adeo altas radices egerunt, ſed faciliorem admittunt ſolutionem, ad differentiam τῶν ἑκτικῶν, ſive *habitualium*, qui difficilius diſcutiuntur. Galen. *l.* 8. *M. M. c.* 1. C. Rejes C. *El. q.* 68. *n.* 12.

SCHIAS, *Schion*, *Schiaticus*, pro *Iſchias*, *Iſchion*, *Iſchiaticus*, legitur apud Keuchen. *ad Samonic. p.* 238.

SCHIDACEDON, σχιδακηδὸν, ſpecies eſt *fracturæ*, *per longitudinem oſſis*, non per *tranſverſum*, factæ, quæ καυληδὸν vocatur, Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 5.

SCHINDALMOS, σχινδαλμὸς, *fiſſuram* ſignificat, Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XXV.* 17. Dioſc. *l.* 1. *c.* 17. citante Foëſ. *p.* 609. σχινδάλησις etiam *fiſſionem aſſuloſam* ſignificat.

SCHINELÆON, σχινέλαιον, i. e. *oleum lentiſcinum*, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 50. In remediis Moſchionis libro *de morb. mul.* annexis extat σχοινέλαιον, ſed videtur menda.

SCHISMA, σχίσμα, i. e. *fiſſura*, *ſciſſura*, *rima.* Stricte de pudendo muliebri ponitur. Vide *Rima.*

SCHISTOS, σχιστὸς, dicitur *lapis Hæmatitæ affinis*, pallidior tamen colore, & virtute infirmior, ſuapte natura

fiſſilis

fiſſilis & friabilis, de quo legatur Gal. *l. 9. de S. Fac.* Dioſc. *l. 5. c.* 145. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. 3. p.* 273. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. l. 3. cap.* 8. *p.* 179. *Alumen* quoque *Schiſton* vocari, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 32. *Lac* σχιστὸν vocatur, in quo lapides igniti fuerunt extincti: Galen. *l.* 10. *de S. Fac.* §. *Stercus caninum*: vel quando lacti ferventi acetum inſtillatur, *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 16.

SCHOENOBATES, σχοινοβάτης. Vide *Funambulo.*

SCHOENOTONOS, σχοινότονος, epitheton ſellæ, ex junceo, vel ſparteo fune nexæ, & contextæ, Hipp. *l. de Sterilib. XVI.* 5.

SCHOLE, σχολή: vide *Ocium.* Quid Latine *Schola* vero ſignificet, notum eſt, videlicet locum, in quo Diſciplinæ & artes docentur. Ita *Scholæ* veteres Medicæ Romæ fuiſſe dicuntur ac Eſquilias. Rhod. *ad Scribon. pag.* 15. *Scholæ Herophileæ* meminit ex Strabone idem *p.* 14. Accipitur etiam pro ipſa doctrina. Ita Parac. triplicem *Scholam* finxit, *Elementalem*, *Sideream*, & *Æternam. Philoſ. ſagac. t.* 1. Et Helmont. aliquoties invehitur in *Scholam* Galenicorum, ſive *Humoriſtarum*, i. e. in doctrinam & hypotheſes illorum.

SCIAMACHIA, vel *Sciomachia*, σκιαμαχία, dicitur exercitatio manuum, vel brachiorum levior, quum vel celeriter manus aliquo pacto ventilamus, aut micamus, aut cum altero leviter conſerimus colluctatione languidiore, citra vehementiam, aut roboris provocationem. Jul. Alex. *l. 6. Sal. c.* 8. ex Galen. *l. 2. de San. tu. c.* 11. q. d. *Umbratilis pugna*, & meditatio potius pugnæ. Alexandr. *not. ad h. l.* Accipitur & tropice pro vano aliquo & leviori animorum diſſidio & colluctatione.

SCIATICA, pro *Iſchias*, de quo affectu ſuo loco.

SCIAUGEO, σκιαυγέω, Hippocr. ſignificat *cæcutio*, eorum more, qui ex umbra aut tenebris prodeuntes ad lucis aſpectum caligant, *l. de int. aff. LI.* 12. *& l. de dieb. judic. III.* 13.

SCIDEN, i. e. *Ceruſſa.* Rul. *in Lex.*

SCIDNAMÆ, σκίδναμαι, apud Hippocr. ſignificat *diſſipor*, Hipp. *dictis locis.* Adde Foëſ. *p.* 572.

SCIENTIA, ἐπιστήμη, in foro Medico non obtinet ſtrictam ſignificationem; ſed ſufficit accipere pro *certa alicujus rei cognitione.* Ad quam acquirendam etiam in arte Medica opus eſt, ut prius mens ab opinionibus purgetur, antequam vera ſcientia inducatur, Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 6. In praxi quoque opus *ſcientiæ* eſt, non perturbari, nec tranſire ab iis, quæ recte viſa ſunt, etiamſi nondum appareat manifeſta utilitas ex his, quæ facta ſunt, *c. in* 2. *aph.* 52.

SCIMPODION, σκιμπόδιον, ſignificat *lectulum diſcubitorium*, in quo cervicem reclinare poſſumus, v. g. tempore ſomni meridiani, ſi opus fuerit, C. Hofmann. *Com. in Gal. de V. P. n.* 1150. Dicitur & σκίμπους, extat apud Moſchion. *de mor. mul. c. ult.* 163. Utrumque etiam ſignificare poteſt & ſolet ſcabellum, cui non minus, quam dicto lectulo inſidere poſſumus.

SCINCUS, σκίγκος, vocatur animal, e genere lacertorum, quadrupes, cujus pleniorem deſcriptionem, cum uſu in Medicina, videſis apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. digit. ovipar. c.* 12. Schroder. *l. 5. cl. 4. n.* 115. Lang. *l.* 1. *ep.* 66. Nonnullis etiam vocatur *Crocodilus terreſtris*: ſed minus accurate ob parvitatem.

SCINDAPSUS, σκινδαψὸς, nomen fictum à Gal. quemadmodum & *Blityri*, *l. 1. de diff. pulſ. c.* 4. ad improbandam nimiam in nominibus eligendis curioſitatem. Vide C. Hofmann. *Comm. de V. P. n.* 228. *&* 533.

SCINTILLA, σπινθὴρ, particula ignea dicitur, eſtque cauſſa horroris, ſi cutim nudam attigerit, Gal. *l. 2. de ſympt. cauſſ. c.* 5. *Scintillæ*, quæ interdum ex oculis erumpere videntur, non ſunt veræ igneæ particulæ, uti quidem Paracelſ. credidit. *Paramir. tr. 3. c.* 9. ſed ſaltem eſt ab aëris illuminatione, vel ſpirituum animalium luciditate emanante. Vid. Plemp. *Ophthalmograph. l. 4. problem.* 21. & Willis *A. Br. P. I. c.* 15. Dicitur hæc *ſcintillarum* eruptio σπινθηρισμὸς, *ſcintillatio*, *coruſcatio. Scintilla* quoque Paracelſo ſignificat articulorum quandam reſolutionem, & impotentiam movendi, ceu ſymptoma luis Gallicæ, quæ *ſcintilla Veneris* propterea vocatur, *lib. 7. de orig. cauſſ. & cur. morb. Gallic. c.* 10. *l. 8. c.* 2.

SCIODES, σκιώδης, *umbroſus*, caliginoſus, à σκιά, *umbra*, tribuitur autumno ab Hippocr. *l. 3. Epid. ſ. III. t.* 3.

SCIRONA, eſt *Ros autumni.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SCIRRHOMA, σκίῤῥωμα, refertur inter morbos externos, ſuram pedis infeſtantes, *d. l. c.* 16. *fin.* quamvis non deſcribat, qualis proprie affectus ſit.

SCIRRHONES vocari pediculos ſubcutaneos vix viſibiles, ſcribit Fallop. *l. de ulcer. cap.* 23. *Tom. I. Oper. p. m.* 612. *ſeqq.*

SCIRRHOSIS, σκίῤῥωσις, dicitur Gal. *liveſcens & creſcens caro* ex vehementia diuturnæ inflammationis orta, *l. Introduct. c.* 15.

SCIRRHUS, σκίῤῥος, proprie eſt tumor durus, renitens, indolens, Galen. 4. *de R. V. I. A. t.* 21. *& alibi*; quamvis diſtinguant inter *ſcirrhum* legitimum, ſive exquiſitum, & non exquiſitum, quem vocant ὄγκον σκιῤῥώδη, Gal. *l. 14. M. M. c.* 6. Verum non ſemper illa diſtinctio obſervatur. Interea *Scirrhus exquiſitus* ita plenius deſcribi poterit, quod ſit tumor durus, renitens, indolens, in glandulis obortus, proveniens à ſucci lymphatici atrabiliaris acido-auſteri & congelativi ſubſiſtentia & collectione. Ex hac definitione facile confici poteſt quoque deſcriptio *Scirrhi non exquiſiti*, addita particula, fere indolens, & cauſſæ morbificæ limitatione, prout ſuccus ille glandularum, vel de phlegmate, vel de aliis portionibus vitioſis

vitioſis ſalinis, acribus, minusque congelativis; participat. Rariores obſervationes *Scirrhi veri* totius abdominis, & dimidii Pulmonis, invenies *in Ephem. N. Cur. A. II. O. 60. & A. III. O. 262.*

SCISSILE, σχιστόν. Vide *Schiſtos.*

SCISSIO, communiter idem, quod *ſectio*, τομή; de quo p. inferius. Dicitur tamen & σχίσις, *ſciſſio*, quæ competit lacti, quando fervido huic vel acetum, vel oxymel inſtillatur, ut fiat coagulatio, Gal. *l. 3. de Al. fac. c. 16.*

SCISSURA, Paracelſo idem, quod *Fiſſura*, σχίσις, *in Fragm. Medic. & alibi.* Vide *Fiſſura.*

SCIURUS, σκίουρος, item ἵππουρος, vocatur animalculum quadrupes digitatum, viviparum, cauda præditum totum corpus obtegente, arborum amantiſſimum: cujus deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrov. *l. 2. de quadr. dig. vivip. c. 24.* Junge Fr. Hofmann. *in Clav. ad Schr. l. 5. p. 682. ſeqq.* De cerebri *ſciuri* uſu contra vertiginem laudatiſſimo vide Achill. Graſſeri *Obſ. I.* apud Joh. H. Velſch. *in Syllog. Cur. & Obſ. Med. Cent. III. p. 5.* cujus etiam notam leges.

SCLERIA, σκληρία, dicitur *palpebrarum interior durities*, Gal. *l. Introduct. c. 15.* Quamvis & in ſignificatione generali, qua omnem duritiem denotat, & ita idem eſt, quod σκλήρωσις, accepiſſe videatur, dum addidit τῆς μήτρας, i. e. uteri, *l. de morb. mul. c. 133.*

SCLEROCOETIA, σκληροκοιτία, vocatur *decubitus in duro cubili* & ſtrato. Hipp. *l. 3. de diæt. IV. 1.* & verbum σκληροκοιτέειν *l. de ſal. diæt. t. 13.*

SCLEROMA, σκλήρωμα, idem, quod σκληρυσμός, ſtricte tamen dicitur de *duritie*, quæ in parte aliqua vulvæ oritur, & coincidit cum σκιῤῥώσει, Galen. *in defin.*

SCLEROPHTHALMIA, σκληροφθαλμία, dicitur *Lippitudo dura*, in qua oculus durior, ad motum pigrior, dolens, rubicundus redditur, palpebræque ſimiliter duriores ſicciores que redditæ, poſt ſomnum, aperiri facile non poſſunt, vel inverti, propter duritiem. Differt à ξηροφθαλμία, ſola magnitudine doloris, duritiei & ſiccitatis; quod hæc ſit illa ſatis imbecillior. Gorr. Caſtell. Cauſſa ſine dubio in portionum lymphaticarum ſanguini admiſtarum aciditate congelativa ponenda erit.

SCLEROS, σκληρός. Vide *Durus.* Significat & *aridum*, Lind. *Ex. XVI. §. 143.*

SCLEROSARCOMA, σκληροσαρκωμα, eſt abſceſſus progerminus utplurimum in gingivis enatus, carneus, durus, interdum galli coronam vel criſtam, interdum oſtracodermi carnem referens. Differre ab Epulide vult M. Aurel. Severin. *l. de nov. obſ abſceſſ. c. 16.* ubi plura de hoc affectu invenies.

SCLEROSIS, σκλήρωσις, id eſt, *durities.* Vide *Scleria.*

SCLEROTICA vocatur tunica oculi, cujus pars anterior dicitur Cornea, de qua ſupra vide *Ceratoides.* Poſterior vero eſt denſa & opaca, duraque, Barthol. *l. 3. Anat. cap. 8. p. 515.* Significare etiam σκληρωτικὸς poteſt *Indurans*, à verbo σκληρόω, quamvis non ſit in uſu apud Græcos.

SCLERYNTICOS, σκληρυντικός. Vide *Indurans.*

SCLERYSMOS, σκληρυσμός, σκλήρυσμα. Vide *Induratus.*

SCLIRUS, corrupte etiam pro *Sclerus* legitur, idem, quod *Scirrhus*, ſignificans, Walther. *Sylv. Med. p. 1343.*

SCLOPETUM quid ſit, ex Lexicis aliis conſtare poteſt. Eſt ſingularis cauſſa vulnerum, in quibus curandis, præter alias indicationes communes aliis quoque vulneribus, reſpiciendum quoque ad empyreuma à pulvere pyrio, & ignito globulo inductum auferendum. Vide Sennert. *l. 5. Med. Pract. P. 4. c. 20.* & Fabr. Hildan. *tract. de Sclopetaria curatione.*

SCNIPS, σκνίψ, item κνίψ, dicitur *vermiculus*; qui ineunte vere naſcitur, cum germinare vires, earumque pars turgere incipit; unde germen, quod oculum vocant, exit. Gal. *l. 9. de ſimp. Fac. §. Terra Samia.* Alii ad *formicas* hoc nomen applicant noſtrates minimas. Aldrovand. *l. 5. de Inſect. c. 1. pag. 526. Ed. Bon.*

SCOBS, πρίσμα, ξύσμα, idem, quod *Ramentum*; *Raſura*: de quo ſuperius in RA. Ita *Scobs eborea* legitur apud Scrib. *num. 16.* Apud Celſ. legitur Scobis. *Scobs* ſtricte quoque notat *cinerem clavellatum*, h. e. *alkali*; item *ſcoriam cujusque metalli.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* in qua ſignificatione etiam accipitur à Fr. Baſilio *teſtam. Ult. l. 1. c. 20.*

SCODEGHINO *Italorum.* Vide *Novacula.*

SCODINEMA, σκορδίνημα, vel σκορδίνημα, idem, quod κορυζαρία, Erotian. *Onom. p. 99. e.* Verum Gorr. & alii tribuunt hoc vocab. Græcum σκορδίνημα *Pandiculationi*, ſive diſtentioni membrorum cum oſcitatione. Vide *Pandiculatio.*

SCOLECIA, σκώληξ, Epitheton *æruginis*, cujus duo ſunt genera: *Foſſilis*, & *factitia.* Dioſcor. *l. 5. c. 92.* Libav. *Synt. A. Ch. l. 5. c. 23.*

SCOLECIZON, σκωληκίζων, *vermiculans*, epitheton *Pulſus inæqualis*, in quo tota arteria non ſimul & ſemel videtur diſtendi, ſed ſucceſſive, adinſtar vermium reptantium. Fere coincidit cum formicante & undoſo. Eſt autem ſignum debilioris flammæ vitalis, Gal. *de pulſ. ad Tyr. c. 8. & l. 1. de diff. pulſ. c. 26. 27.*

SCOLECOIDES, σκωληκοειδής, i. e. *vermiformis*; ſcil. ἐπίφυσις, dicitur de quodam *proceſſu cerebri.* Eſtque corpus ex particulis quamplurimis, per membranas tenues connexis, varie denſeque compoſitum, quod à medio cerebri ventriculo ad poſtremum fertur. Gal. *l. 9. de Anat. adm. c. 5. & l. 8. de V. P. c. 14.* Barthol. ad cerebellum refert. *l. 3. Anat. c. 5.*

SCOLEX, σκώληξ, *vermis*, idem, quod *Lumbricus.* Vide ſupra, LU. item *Helminthes.*

SCOLIOTES, σκολιότης, *Obliquitas.* Dicitur de Hypochondriis, apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 87. ubi Gal. *in comm.* exponit per ἀνωμαλίαν, i. e. inæqualitatem; σκωλίωσις quoque ſignificat *obſtipationem*, & dicitur in ſpecie de ſpinæ dorſi in latus perverſione. Gal. *c.* 3. *de art. t.* 2. quemadmodum & verbum σκολιαίνεται in hac ſignificatione uſurpavit Hippocr. 3. *de art. t.* 48. Junge Foëſ. p. 574.

SCOLOPAX, σκολόπαξ. Vide *Gallinago.*

SCOLOPENDRA, σκολόπενδρα, nomen eſt animalis venenati, cujus tamen varia dantur genera. Alia enim *terreſtris*, aliæ *marinæ*: de quibus omnibus cum earum uſu vide apud Aldrov. *l.* 5. *de Inſect. c.* 15. *& l.* 7. *c.* 6. *l.* 1. *Hiſt. Serp. & Drac. c.* 21. Dioſc. ſaltem *marinæ* meminit, *l.* 2. *c.* 16. Quam Gal. intellexerit *l.* 3. *de V. P. c.* 2. vide Rhod. *ad Scrib. n.* 150. *Scolopendris terreſtribus* lucem eſſe innatam, legitur *in Eph. N. Cur. A. I. Obſ.* 138.

SCOLOPOMACHÆRION, σκολοπομαχαίριον, dicitur *cultellus acutus*, in cuſpide paulum incurvatus, veluti roſtrum *Gallinaginis*, Gr. σκολόπαξ dictæ, ad paxilli formam accedens, ad uſum qua Anatomicum, qua Chirurgicum. De illo legitur apud Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 6. de hoc apud Ægin. *l.* 6. *c.* 74. & Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 11. *Schol.* Hippocr. ſimpliciter vocavit μαχαίριον. *l.* 1. *de morb. mul. XCVI.* 4. Jung. Foëſ. *d. l.* Delineationem exhibet Scultetus *Arm. Chir. Part. I. Tab. XXIV. fig.* 1.

SCOMBER, *Scombrus*, σκόμβρος, vocatur piſcis; cujus hiſtoriam cum uſu in cibis legito apud Aldrov. *t.* 2. *de piſc. c.* 53. Meminit & Lang. *l.* 1. *ep.* 59. quamvis non accurate quadret cum Aldrovand. deſcriptione.

SCOPÆ, σκύβαλον, quid ſignificet e trivialibus Lexicis ſatis conſtat, licet etiam aliquando in foro Medico locum inveniant, v. g. quando de ſcopis recentibus portiones quædam, quales ad virgas ſumi ſolent, ſanguini e vena ſecta in manu aut pede & quidem in vaſculum aqua calida refertum immiſſo intruduntur, ut poſt aliquot horas perſpici queat, num portiones ſanguinis viſcidæ adhæſerint, nec ne?

SCOPELISMUS, σκοπελισμὸς, dicitur crimen per lapidum poſitionem in damnum alterius malefice commiſſum. D. P. Amman. *Irenic.* p. 211. *ſeqq.*

SCOPOS, σκοπὸς, *ſcopus*, latine denotat *metam*; *intentionem*, finem, ad quem tendit Medicus ſuis actionibus. Generalis *ſcopus* dicitur id, quod ſecundum naturam eſt. Gal. *de oſſib. in princ.* Quomodo *Scopus* ab *Indicatione* differat, docet J. Alex. *not. ad Gal. l.* 11. *Meth. med. cap.* 8. quamvis non ſemper obſervetur.

SCOPS, σκώψ, nomen avis; cujus deſcriptionem cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 8. *Ornith. c.* 4.

SCOPTULA, idem, quod *Scapula*: Vide *Omoplatæ.*

SCOPULA, σπογγύθριον, diminutivum eſt ſcoparum; & denotat cum epitheto *ſetacea* inſtrumentum, e ſetis compactis paratum, quo veſtes verri & pugnari ſolent. Ejus tamen uſum in foro Medico neceſſarium oſtendit D. Henr. à Deventer *in Lum. Nov. per obſtetric. c. XXVI. p.* 89. *ſeq.* & propterea injungit Obſtetricibus ut *ſcopulas ſetaceas* in promptu habeant, quibus infantis deliquium patientis plantas pedum fricent, ut experiantur, vivus-ne ſit an mortuus.

SCORAX, i. e. *Gummi olivæ.* Rul. & Iohnſ.

SCORBUTUS, *Scorbutum*, morbus dicitur olim Septentrionalibus ſaltem populis & maris Balthici accolis familiaris, & veluti endemius: Hodieque vero adeo late ſeſe diffundens, ut tantum non Epidemius pluribus aliis populis eſſe videatur. Deſcribitur, quod ſit congeries plurimorum ſymptomatum omnis generis, proveniens à morbo complicatiſſimo, intemperie lenta maligna, obſtructione viſcerum & vaſorum, ſolutione continui diverſa, per ſanguinis, ſucci nutritii & nervoſi, vel lymphæ glandularum, multifariam corruptionem, ichoreſcentiam, vappeſcentiam, aciditatem, acrimoniam, ſtagnationem, coagulationem, & lentam putredinem oborto. Prolixiorem hujus definitionis declarationem habere poteris ex lectione quamplurium Autorum recentiorum, qui de hoc affectu ingenium ſuum exercentes ſcripta in publicam ediderunt lucem; inter quos nominaſſe ſufficiat Sennertum, Eugalenum, Brunnerum, Reuſnerum, Williſium, Charlton. &c. Jungatur & Barbette *Prax. l.* 4. *c.* 3. Hippocrati etiam cognitum fuiſſe, ſub nomine *magni Lienis*, & *Ilei hæmatitis*, nullum eſt dubium. Peculiaria & particularia quoque nomina ſunt *Stomacace* & *Scelotyrbe*, de quibus ſuis in locis, quæ ſynecdochice pro ipſo *Scorbuto* uſurpari poſſunt. Foreſt. *l. XX. Obſ.* 13.

SCORDINEMA, σκορδίνημα. Vide *Pandiculatio.*

SCORDOLASER, id eſt, Aſſa fœtida, Alex. Bened. *l.* 7. *c.* 13.

SCORIA, σκωρία, proprie dicitur *ſordes metalli*, fex, vel recrementum ejus. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Scoria.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 94. 97. 101. *Scoriæ* argenti, plumbi, ferri virtutes explicat. Rul. *Scoriam* vocat recrementum illud, quod in prima corruptione ad ſubſtantiam Mercurii non pertinet. Baſil. quoque *d. l. c.* 21. de *Scoria metallorum* tractavit. Helmont. *ſcoriam* vocavit ſtercus, ſive excrementum liquidum urinæ, *de Lith. c.* 4. *n.* 21. *& c.* 6. *n.* 16.

SCORITH, id eſt, *Sulphur*, Ruland. & Iohnſon. *in Lex.*

SCORPÆNA, *Scorpis*, Σκορπὶς, nomen piſcis, à *Scorpio* diſtincti, cujus hiſtoriam cum uſu tradit Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 27.

SCORPIACA, σκορπιακὴ, Epitheton eſt *Antidoti* cujuſdam, quæ ictibus ſcorpionum medetur, apud Gal. *l.* 2. *de Antidot. c.* 12.

SCORPIO & US, σκόρπι⊙, eſt æquivocum. Proprie notat inſectum animalculum, cancros fere imitans, ictu graviſſime nocens: cujus hiſtoriam cum noxa, uſu & antidotis vide apud Aldrov. *l.* 5. *de Inſect. c.* 11. Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *num.* 116. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Jung. Rhod. *ad Scribon. num.* 164. *Scorpiones* tales in cerebro genitos notavit Bonet. *in Anatom. Pract. l.* 1. *ſect.* 1. *Obſ.* 121. *p.* 75. In ovis quoque coctis obſervatum *ſcorpionem* eſſe, legitur *in Eph. Nat. Cur. A. I. Obſerv.* 36. *Schol. in fin.* ſed fides ſit penes Autorem. *Scorpionem* coctum innoxie comeſtum vide *in A. II. Obſ.* 205. Deinde propter ictum ab aculeis malignum *Scorpius* quoque vocatur piſcis quidam, qui cum uſu deſcribitur ab Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 25. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 63. Tropice *Scorpius* quoque inter ſigna Zodiaci refertur & Chymicis *Scorpius conſtrictus* dicitur ferrum præparatum. Rul. & Iohnſ.

SCORPIODECTOS, σκορπιόδηκτ⊙, id eſt, *à ſcorpio morſus.* Dioſcor. *l.* 1. *c.* 4.

SCORPIOPLECTOS, σκορπιόπληκτ⊙, idem ſignificat, ſcil. qui à ſcorpione læſus eſt, legitur apud Nonum *D. M. P. C. c.* 268.

SCORTUM homonymon eſt. Vel enim idem quod *Meretrix*, quæ ad Medicinam non ſpectat ſignificatio: Vel idem eſt, quod *Scrotum*, ὀσχέον. Vide *Oſcheon.* De vocab. *Scrotum* plura invenies apud Rolfink. *de Part. genit. P.* 1. *c.* 14.

SCORZONERA à montibus Gallitiæ adfertur. Scorzo animal venenoſum reptile, cujus morſu lethali homines demorſi hac herba liberantur. Incert. medic. Piſ. *ad Capivac. Prax. l.* 6. *c.* 37.

SCOTODINOS, σκοτόδιν⊙, *tenebricoſa vertigo*, quando tenebræ obverſantur. Vide *Dinos.* Legitur apud Hipp. 4. *aph.* 17. Jung. Dieter. *n.* 777. σκοτοδινίη etiam dicitur *Coac. t.* 161.

SCOTOMA, σκότωμα, Parac. *Scotomia*, idem, quod σκοτόδιν⊙, *vertigo.* Vide *Dinos.*

SCOTOS, σκότ⊙, ſignificat *Tenebras*, & in ſpecie *Caliginem oculorum.* Hipp. *l.* 5. *Epid. XII.* 6. *& XXI.* 13. quamvis etiam per *vertiginem tenebricoſam* exponi poſſit. Vide Foëſ. *p.* 574.

SCREATIO ſumitur dupliciter, 1. pro actu *exſputionis*, Græc. ἀπόχρεμψις, πτύσις. Vide *Apochrempſis.* 2. pro materia, quæ ore ejicitur, Lat. *Sputum*, Gr. πτύελον dicta. Vide *Ptyelon.*

SCRIBLITA, τρακτὴ, eſt ſpecies placentæ vel Tractæ. *Trados Capyridia.*

SCRIPTIO, *Scriptura*, *Scriptum*, γραφὴ, γράμμα. Vide *Litera.* Libet ſaltem annectere unum & alterum præceptum, de *ſcriptis* Medicis obſervandum, ex Galen. In Hippocratis & cæteris antiquorum *ſcriptis* nihil negligere oportet, *cap.* 2. *in l.* 6. *Ep. t.* 25. *Scripta* recentiorum examinanda à probatorum ſimul & eruditorum hominum Collegio, priuſquam in publicum, quæ bona ſunt, exponant, aut quæ mala ſunt, perdant, *l. contra Julian. c.* 1.

SCRIPTULUS, idem, quod *Scrupulus*, de quo p. p.

SCROBICULUS cordis, ἀντικάρδιον. Vide *Anticardium.*

SCROPHA, χοῖρ⊙, χοιρὰς, idem, quod *Sus fœmina*, ὗς, *porcus.* Vide *Porcus*, *Scrophula*, *Scrofula*, χοιρὰς, idem, quod *Struma*, tumor glandularum in collo obortus. Vide *Struma. Scrophuloſa phthiſis* quid ſit videatur in Richart. Morton. *Phthyſiologiæ l. III. c.* 1. *p. m.* 234. *ſeqq.*

SCROTUM, vel *Scortum*, ὄσχεον. Vide *Oſcheon. Scrotum Cordis* dici quoque *Pericardium* ſcribit Blancard. *in Lexic.*

SCRUPULUS, *Scruptulus*, *Scriptulus*, γράμμα. Vide *Gramma.*

SCUMA, idem quod *ſquama.* Gr. λεπὶς. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SCURBUTUM, idem, quod *Scorbutus*; de quo ſuperius. Legitur apud Foreſt. *l. XX. Obſ.* 12.

SCUTA TABESI, id eſt, *Teſtudo.* Ruland. & Iohnſ.

SCUTIFORMIS, θυρεοειδὴς. Vide *Cartilago ſcutiformis. Scutum.*

SCUTRUM, *Scutriſcum*, idem, quod *Cucuma*, κακκάβιον, lebetis genus, vas, in quo aqua balnearum, vel oleum, calefit. C. Hofm. *Com. in Gal. LL. de V. P. n.* 280.

SCUTUM, ἀσπὶς, θυρεὸς, πέλτη, proprie ſignificat inſtrumentum bellicum, quo corpus munitur ab invaſione hoſtili. Tranſlatum partim ad Anatomica, ubi *Cartilago ſcutiformis* legitur. Vide *Cartilago.* Ita & *Patella* genu conſtituens vocatur *Scutum*, vel *Os ſcutiforme*, Barthol. *libell.* 4. *c.* 21. *p.* 751. Partim ad Pharmaciam & Chirurgiam, in quibus *Scuta* vel dicuntur *Emplaſtra quædam*, v. g. Cordialia, Stomachalia, plerumque ſindone obducta & vel collo appenſa, vel corpori alligata ligulis, Morell. *l.* 2. *de form. remed. ſect.* 2. *c.* 11. Vel etiam alia munimenta; quale *ſcutum* cum ſucceſſu finxit & adhiberi juſſit Hildanus in membri virilis nimia longitudine ad coitum inepta, *Centur. VI. Obſ.* 61.

SCYBALA, σκύβαλα, vocantur *excrementa alvi ſicciora*, & quaſi in nucleum efformata, fere combuſta, non ſemper ab interno fervore phlegmonoſo, uti Galenus voluit 4. *de R. V. I. A. l.* 17. ſed etiam aliquando à longiori mora, & ſucci pancreatici nimia aciditate vitriolacea, defectuque excrementi bilioſi; uti in hypochondriacis & melancholicis quibuſdam obſervare licet. Jung. Galen. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 32. Dicuntur & σπυραθίδη, *caprilla ſtercora*, in globulos veluti coacta. Vide Linden. *Ex. IV.* §. 36.

SCYBELITES, σκυβελίτης, nomen vini, vel potius *muſti*,

muſti, quod ſua ſponte ex uvis paſſis extillat, utpote vinum ultro effundentibus, Aët. *l.* 9. *c.* 24. Fuit e genere *Protroporum*, & à Galeno aliquoties laudatur. Vide Lind. *Ex. X.* §. 179.

SCYLACION, σκυλάκιον, proprie *catulum*, vel potius *carnem catulinam* ſignificat, Hippocr. *lib.* 2. *de diæt. XVI.* 18. *l. de Steril. IIX.* 28. *l. de ſuperfœt. XVI.* 1. à σκύλαξ, *catulus.* Vide Foëſ. *p.* 575. Deinde σκυλάκιον vocatur *Collyrium quoddam*, à Gal. & Aëtio deſcriptum, ſed diverſimode, notante Gorræo.

SCYPHUS, κύαθος, idem quod *Cyathus*, poculi genus, olim ligneus, teſte Lang. *l.* 1. *ep.* 29. Vide *Cyathus.* Cereorum *ſcyphorum* duodecim fit mentio apud Gal. *l. de opt. ſect. c.* 14. De experimentis *ſcyphorum* vitreorum per certum humanæ vocis ruptorum legatur ſagaciſſimi ſcrutatoris rerum naturalium, D. Dan. Georg. Morhofi *epiſtola ad D. Joh. Dan. Majorem.*

SCYROS, σκῦρος, idem, quod πῶρος, *Callus*, Vide *Callus.* Legitur apud Hipp. *lib.* 1. *de morb. mul. XXXIV.* 5. 6. 7. Adde Foëſ. *d. l.*

SCYTALIDES, σκυταλίδες, vocantur oſſicula digitorum ſingulorum terna, excepto *Pollice*, qui duo habet, mutuo inter ſe colligata & ordine ſuccedentia, veluti in acie turma equitum, quæ σκυτάλη vocatur. Latine *Internodia.* Vide *Internodium.* Alias *Scytale*, σκυτάλη, quoque appellatur ſerpentis ſpecies, cujus hiſtoriam & veneni naturam deſcripſit Aldrov. *l.* 1. *Hiſt. Serp. & Dracon. c.* 9. *Scytalides* quoque dicebantur telorum ligneorum ſpecies, aliæ pedis, aliæ cubiti, menſuram adæquantes, ut eſt apud Lang. *l.* 2. *ep.* 3.

SCYTOS, σκῦτος, *Corium* ſignificat in genere, quamvis Gal. reſtrinxiſſe videatur ad capitis cutem, vel ea, quæ ſunt inter cervicem & tendines, & obſervat Erotianus ex aliis non ſignificari ſolum hac voce corium inter colli nervos, ſed etiam apud alios medullam dorſi; & alios locum, qui eſt inter ſupercilium & frontem; alios ita dicere omnem capitis cutem.

SEB, i. e. *Aurum*, vel *Alumen. Sel* idem Rul. & Iohnſ.

SEBASTON, σεβαστόν. Vide *Sebeſten.*

SEBEL, Arab. idem, quod *Pannus oculorum.* Dorn. Rul. Iohnſ. Foreſt. *l.* 11. *obſ.* 6. *& in Schol.* Val. de Tarant. *Philon. Pharm. l.* 2. *cap.* 4. Vide *Pannus.* Diſcrimen inter *Sebel* & *Pterygion*, ſive *Unguem* oculi vide apud Nic. Piſ. *de Mo. Co. & Cu. l.* 1. *c.* 28.

SEBESTEN, σεβαστόν, dicuntur & *Myxa*, *Myxaria*, μύξα, μυξάρια. Vide *Myxa.*

SEBUM, vel *Sevum*, στέαρ, dicitur oleoſa & pinguis ſubſtantia, adipe ſiccior, & magis concreta compactaque, ejuſdemque interim cum adipe generis, cum utrumque e ſanguinis & chyli oleoſis portionibus gignatur, niſi quod *Sevum* fragile uſquequaque ſit, nec ad ignem admotum tam facile liqueſcat, & cum refrixit, denuo concreſcat, uti ovis & capræ; Pinguedo autem liquidior ſit, minimeque apta durari, oleo longa vetuſtate incraſſato ſimilis, ut equi & ſuis. Caſtell. Sevorum Officinalium, Catalogum vide apud Schroder. *l.* 2. *c.* 34. Quod στέαρ etiam fermentum ſignificet, aut farinam aqua ſubactam, in medio, ceu dubium relinquimus.

SECALE, σεκάλη, frumenti genus, nobis hodie quam optime notum; cum panis quotidianus ex eo parari ſoleat, vilior panis eſt triticeo, aut e Zea parato. Vocatur & *Siligo*, *Rogga*, item *Secla.*

SECANIABIN, idem eſt quod Oxymel ſive Acetum mulſum, cujus variæ deſcriptiones videantur apud Meſuen in *Operibus fol. m.* 134. *b. ſeq.*

SECESSUS, *Seceſſio*, apud Latinos varias habet ſignificationes. Vel enim idem ſignificat, quod *Abſceſſus*, *Abſceſſio*, ἀπόστασις, Dieter. *n.* 93. Vel accipitur pro diſſolutione, ſive deunione diverſarum proportionum in aliquo mixto, Lind. *Ex. X.* §. 55. Vel ſtricte, pro actu excretionis alvi, & abitu ad locum, Gr. ἀφόδευσις, ἀπόπατος. Id. *Ex. XIII.* §. 251. de quibus omnibus vocabulis ſuis in locis.

SECHA, Santonicum. Santes Ardoinus *de Venenis l.* 8. *c.* 31.

SECLA, idem, quod *Secale*, Schroder. Vide *Secale.*

SECORS, ἀκάρδιος. Vide *Acardios.*

SECRETIO, etiam variæ ſignificationis vocabulum eſt apud Latinos. Vel enim pro Excretione ſumitur & dicitur ἔκκρισις, Diet. *n.* 249. 250. Gal. *l.* 6. *de L. A. c.* 6. *& c.* 2. *in progn. t.* 37. Vide *Eccriſis.* Vel ſaltem notat disjunctionem, & idem eſt, quod *Segregatio*, Gr. διάκρισις, & ita dicitur Secretio e numero dividentium eſſe, Gal. 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 6. Vide *Diacriſis.* Quod vero Jul. Alex. *Not. in Gal. l. quos purgare ep. T. II. Oper. p.* 584. ſtatuit, excretionem & ſecretionem fieri una eademque opera, mihi non videtur univerſaliter verum, ſed ſaltem κατά τι, quando omnis excretio præſupponit quidem ſecretionem; ſed non vice verſa. Poteſt enim materia quædam ſecerni, licet non excernatur: uti patet in abſceſſibus, & μεταστάσει materiæ peccantis. A recentioribus etiam nomen hoc ad Phyſiologiam transſumtum: Unde Wilhelmus Cole & Bernhardus Conor de *Secretione animali* ſcripta ediderunt, & alii in ſuis ſcriptis Phyſiologicis ſæpiſſime mentionem fecerunt *ſecretionis*, per illam intelligentes fluidæ materiæ vel utilis vel excrementitiæ naturalem in certis organis à maſſa ſanguinea ſeparationem. Sunt vero partes huic functioni dicatæ potiſſimum Glandulæ qua majores; qua minores Vide *Glandula.* De modo vero *ſecretionis* nondum inter ſe conveniunt Autores, dum alii peculiaria

peculiaria fermenta in partibus ſupponunt; alii pororum diverſam ſtructuram organicam ratione figuræ, magnitudinis, &c. reſpectu habito ad figuram & magnitudinem molecularum fluidorum *ſecernendorum* urgent, quamvis forſan neutra opinio animo diſcendi cupido ſatisfaciat, quemadmodum laudatus D. Connor ad finem *Tentaminis* ſui *Epiſtolici de Secretione animali* ſatis aperte demonſtravit.

SECRETUM, idem, quod *Arcanum*, de quo ſupra in AR.

SECTA, αἵρεσις. Vide *Hæreſis.*

SECTACROA, idem, quod Flos ſectarum, & denotat Florem nucis moſchatæ. Dorn. *in Lex.*

SECTIO, τομὴ, quod ſignificet diviſionem aliquam continui, per violentiam inſtrumenti dividentis & incidentis factam, notiſſimum eſt. Gal. 3. *de Anat.adm.c.*2. Occurrit vel inter cauſas ſolutæ unitatis, & ita Pathologice accipitur; vel inter Actiones Pharmaceuticas, Weker. *Ant. Gen. l.* 3. *c.* 25. Vel inter Chirurgicas operationes, Hipp. *l.* 6. *Epid. c.* 6. *t.* 5. *&c.*

SECUNDIFORMIS, χοροειδής. Vide *Choroides.*

SECUNDINÆ, δεύτερα, δευτέρια, ὕστερα. Vide *Deuterion.*

SECUNDUM NATURAM, κατὰ φύσιν, terminus eſt in Medicina uſitatus & opponitur τῷ *Præter naturam*, παρὰ φύσιν. Quemadmodum igitur præter naturam quicquid eſt, ut affectus ſunt, à quibus functio læditur, aut cauſæ horum, aut ſymptomata, Gal. *l.* 3. *de præſ. expulſ. c.* 1. Ita e contrario quicquid vel ſana diſpoſitio, vel cauſa ſanam diſpoſitionem producens, vel accidens aliquod, quod eandem comitatur & conſequitur, ſecundum naturam dici poteſt & debet. Vide *Dogm. Med. Gen. noſtra*, *P.* 1. *c.* 1. *dogm.* 3. *p.* 16. Alias ſecundum rationem agere, in Medicina, idem eſt, ac ex Indicatione agere, Lind. *Ex. VII.* §. 31. Aliquando etiam pro juxta, poſt, prope. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.* & Lind. *Ex. IIX.* §. 39.

SECUR, id eſt, Aurum. Rul. & Iohnſ.

SECURITAS, *Securus*, ἀσφάλεια, ἀσφαλής. Vide *Aſphaleia.* In curatione *Securitas*, ἀσφάλεια, duplex conſtitui poteſt; una ſimpliciter talis: altera ſecundum quid. Vide Rolf. *O. M. M. Sp. l.* 6. *ſ.* 3. *c.* 5.

SECUS, pro Sexus, antiquis. Keuchen. *ad Sam. pag.* 289.

SEDAFF, id eſt, Concha marina. Rul. & Iohnſ.

SEDALIA *vaſa* vocavit Th. Willis venas hæmorrhoidales, ſeu hæmorrhoides, *Pharm. Rat. P. II. ſect.* III. *c.* 1.

SEDATIO, παῦσις, κατάπαυσις. Vide *Pauſis*, *Catapauomæ.* Sedativa, παύοντα, medicamenta ſunt, ut mitigativa, dolorum quietem ægris adferentia, ſimul curativa & ſanativa. Dorn. *in dict. Paracelſ.* Rul. Iohnſ. ex Paracelſ. *de morb. ament. tract.* 2. *c.* 5. Dicuntur alias *Paregorica*, *Anodyna.*

SEDENEGI, dicitur Lapis hæmatites; ut eſt apud Libav *Apoc. Herm. Part. pr. c.* 2. *T. II. Oper. p.* 232.

SEDENTARIUS, quid ſignificet, ex aliis Lexicis jam conſtat. Specialiter vero hoc Epitheton tribuitur ab Henrico à Deventer Belga Medic. Doctore oſſis pubis Acuminibus, quia illis inſidemus *in Arte obſtetricandi c.* 3. *& paſſim in ſeqq. aliis.*

SEDES, ἕδρα, vide *Hedra.*

SEDHE, i. e. Cinabrium. Rul. & Iohnſ.

SEDIGITUS dicitur, qui ſex in una manu habet digitos. Quo nomine appellatus fuit Volcatius Poëta, teſte C. Hofm. *c. in Gal. LL. de V. P. num.* 71.

SEDILE, ἕδος, compages quædam lignea, vel alius materiæ arte facta, ad ſedendum parata. Specialiter ſedile Theſſalicum dictum commendat Hipp. 1. *de artic. t.* 22.

SEDIMENTUM, ὑπόστασις. Vide *Hypoſtaſis.*

SEDINA, *Seden*, i. e. Sanguis Draconis. Rul. & Iohnſ.

SEDMA, h. e. hæmatites: *Scedune*, idem Rul. & Iohnſon.

SEGAX, i. e. Sanguis Draconis. Ruland. & Iohnſ.

SEGES, λήϊον, dicitur vel de frugibus, vel de arvo, in quo fruges coluntur. Metaphorice quoque legitur *ſeges pilorum*, apud Sammonic. Vide Keuchen. *in not. ad eundem. p.* 231.

SEGITH, Serneth. i. e. Vitriolum, *Sagith.* Rul. & Iohnſ.

SEGNITIA, *Segnis*, idem, quod Pigritia, Ignavia, νωθρότης, νωθρός. Vide *Notros*, *Ignavia.*

SEGREGATIO, ἀφορισμὸς, in genere etiam *Sequeſtratio* dicitur, eſtque ſolutio integri in membra diſlocata. Hic enim non confluunt reſoluta, ut colliquabilia; ſed quælibet pars ſecretim tenetur. Segregatio eſt Diſtractio & Extractio. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Dicitur etiam *Diſſolutio*, *Separatio*, διαχώρησις, quam primam partem operationis Chimicæ conſtituit Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2.

SEIRA, σειρὰ, σειρή, reſtis, funis, lorum aut habena dicitur, legitur apud Hippocr. 2. *de fract. t.*3. Jung. Foëſ. *p.* 561.

SEIRIASIS, vide *Siriaſis.*

SEIRIOS, σείριος, vide *Sirius.*

SEISIS, σεῖσις, σεισμὸς, *Concuſſio*, Lat. idem, quod κατάσεισις. Sumitur vel proprie, quando violento ictu corpus afficitur. Ita verbum σείω ſumpſit Hipp. de purulentis, qui concuſſione indigent, ut exploretur, quanam parte pus deliteſcat, Hipp. *l.* 2. *de morb. XLV.* 11. *& lib.* 3. *XXVI.* 30. *Coac. t.* 432. Vel per translationem, pro humorum agitatione in partibus ſolidis. Ita arteriæ à ſanguine fervido pulſantes dicuntur caput concutere, *Coac. t.* 163. 167. Vel σεῖσις ſpecialiſſime vocatur concuſſio & quaſſatio vertebrarum, quod ſpinæ dorſalis vitium eſt, cum earum juncturæ & compages fuerint dimotæ, vertebræ autem ſuo loco

Oooo 3 manens,

manent, Gal. *c.* 3. *de artic. t.* 2. Adde Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 768. Vide *Succuſſatio.*

SELAA, idem, quod Nodus, ſive Abſceſſus cum folliculo. Foreſt. *l.* 3. *Chirurg. obſ.* 7. *Schol.*

SELACHOS, σέλαχος, dicitur piſcium genus cartilagineum, cui cartilago cutis loco eſt, veluti ſquatina, paſtinaca, raga, Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 36. ubi πασέλαχια vocantur; σέλαχος vero legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. XLVI.* 46. *XLIIX.* 33. *LXXII.* 15. & alibi. Jung. Foëſ. *d. l.* Lind. *Ex. XXIII.* §. 174. *ſeqq.*

SELAS, σέλας, exponitur Heſychio lux, fulgor, ſplendor, nitor, &c. Lind.

SELATUS, *ſatir*, *ſaic ſolat*, i. e. Argentum vivum. Rul. & Iohnſ.

SELDONIUM alkali, quid Paracelſus proprie vocet, non conſtat. Hinc ſine dubio Dorn. *in Dictionario Paracelſ.* omiſit. Intelligit vero rem in liquore facile ſolubilem, & Tincturam emittentem; uti patet ex *Paragraph. l.* 3. *c.* 2. §. 4.

SELENIACON, σεληνιακὸν, nomen eſt τῦ κύφεως, ſic dictum, quod Lunæ ſacratum & dicatum fuerit, quod 28. medicamentorum miſtura conſtat, quot diebus Luna curſum menſtruum peragit. Gorr. ex Aët. & Ægin. *l.* 7. *c.* 22. Vide *Ciphi.* Seleniacon quoque dicitur antiquis Amuletum contra Epilepſiam, quod puerorum collo appendebant. Keuch. *ad Samon. pag.* 286.

SELENITES, σεληνίτης, dicitur ſpecies lapidis ſpecularis candidiſſima, unde fiunt feneſtræ lignis levigatis loco plumbi. Dicitur & *Aphroſelenus*, quia noctu inveniatur Lunæ imaginem reddere, Dioſc. *l.* 5. *c.* 159. Rul. Iohnſ. *in Lex.* De occultis ejus viribus differit Lang. L. 2. *ep.* 18. & 36. Vide & Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 3. *p.* 283. Fr. Hofm. *Clav. ad Schrod. p.* 186.

SELEUCIDÆ, σελευκίδες, vocantur aviculæ in Aſia frequentes, quæ jugiter locuſtas edunt, easque celeriter excernunt, Gal. *l.* 6. *de Loc. Aff. c.* 3. Pro fabuloſis habet Aldrov. *l.* 10. *Ornith. c.* 5. Jul. Alex. ſaltem incognitas nobis ſtatuit, *comm. ad Gal. d. l.*

SELIBRA, ἥμισυ λίτρας, dimidium libræ, h. e. unciæ ſex. Gal. *l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 4.

SELINITES, σεληνίτης, epith. vini medicati ex ſemine apii, quod *Selinon* vocatur, parati. Dioſc. *l.* 5. *c.* 74. Gorr.

SELINUSIA, σελινυσία, epitheton Terræ, haud dubie à loco, quæ cum Chia terra, inter optima refertur remedia, contra ambuſta. Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *de Samia Terra.*

SELLA, ἕδος, ἕδρα, quid communiter ſignificet, pueris quoque notum eſt. In foro Medico uſitatiores & frequentiores ſunt *Sellæ familiaricæ*, aut *familiares*, pro exonerando alvo: σελλάρια, ἀφεδρῶνες dictæ, unde *Adſellare*, verbum, i. e. alvum deponere, Keuch. *ad Sam. p.* 197. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 440. Sella obſtetricalis, Foreſt. *l.* 28. *obſ.* 73. ex Moſchione, aliisque Gynæceorum ſcriptoribus. *Sella balnearis*, ſive *ſudatoria*, cujus figuram quoque exhibet Rhod. *ad Scrib. n.* 193. & Paræus *Chir. l.* 16. *c.* 38. In Anatomicis quatuor proceſſus interiores oſſis cuneiformis, ſive Sphœnodis, vocantur *Sella Turcica*, aut *Sella ſphœnoides*, Barthol. *libell.* 4. *Anat. c.* 8. *p.* 718. Hanc in pueris perforatam repertam teſtantur *Eph. N. Cur. A. I. obſer.* 76.

SEMAFOR, id eſt, lucidum carici, ſemar idem, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SEMASIA, σημασία, idem, quod ἐπισημασία, primum morbi inſultum & invaſionem ſignificat, quæ *Acceſſio* Lat. dicitur, Aret. *l.* 1. *acut. c.* 5. Foëſ. *p.* 562. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 345. Vide *Epiſemaſia.*

SEMBELLA, idem, quod Selibra. Legitur in Rhodii *diſſ. de pond. & menſ. p.* 40. ex Scribonio.

SEMEION, σημεῖον, Lat. *Signum* dicitur, eſtque in genere id, quo cognito in alterius ignoti notitiam pervenire poſſumus. Gal. *defin. med.* Signa dividuntur in *ſalubria*, *inſalubria*, & *neutra*; verum hæc ultima facile ad priora duo reduci poſſunt. Vide *Dogm. d. l. p.* 300. *ſeqq.* Sufficit etiam, conſtituiſſe duas claſſes ſignorum, *Diagnoſticorum* videlicet, & *Prognoſticorum*, cum Anamneſtica, ſive Rememorativa, etiam vel uſum Diagnoſticorum, vel Prognoſticorum habeant, *d. l. n.* 303. *ſeq.* Vide Dieter. *Iatr. n.* 769. Signa cognitionis medicamentorum vide apud Schroder. *l.* 1. *c.* 34.

SEMEIOSIS, σημείωσις, *ſignificatio*, *notatio*, aut *deſignatio* dicitur. Comprehendit ſub ſe Dignotionem & Prænotionem: de quibus ſuis locis, & pars Medicinæ doctrinam Signorum Diagnoſticorum & Prognoſticorum comprehendens, vocatur *Semeiotica*, σημειωτική, rectius *Semiologia*, σημειολογία, eſtque pars Medicinæ, ſignorum omnium differentias & vires expendens: de quibus paſſim legantur *Inſtitutiones & Dogmata noſtra Med. Gen. Part. III. per totum.*

SEMEN, σπέρμα, in genere dicitur omne id, ex quo, tanquam ex vitali principio materiali aliud corpus vitale gignitur & fit. Omne ſemen vita & forma eſt dotatum ſubſtantiali, Helm. *tr. Form. Ortus n.* 10. Sub qua ſignificatione omnia plantarum, & vegetabilium, & animalium ſemina comprehenduntur, e quorum numero Catalogum Officinalium vide apud Schrod. *l.* 2. *c.* 16. qui etiam *l.* 1. *c.* 11. hanc ſeminis genericam deſcriptionem tradidit: quod ſit materia humido-ſpirituoſa in creaturam certam proxime, ac natura ſua emergere determinata. Semen contra, ſcilicet ſubintelligendo Vermes, vocatur à quibuſdam Semen Cynæ Offic. ſive Santonicum. Bonet. *Merc. Compit. l.* 19. *p.* 460. Alias frequentiſſime ſtrictiori in ſignificatu ſumitur de Excremento utiliſſimo Hominis, maris & fœminæ, ad generationem & formationem fœtus humani neceſſario: unde & γονὴ, *genitura*, vocatur; licet alii differentiam aliquam urgeant. Vide *Genitura.* Jung. Diet. *n.* 781. An ſemen maris materialiter ad fœtus productionem concurrat, hodieque adhuc controvertitur. Negat Harvejus. Alii affirmant. Inſtituti ratio non concedit, heic enodationem hujus dubii, nec aliorum. Semen muliebre an ſint Ovula, etiam expediant ulterius Anatomici. Chimici

quoque

quoque & Metallurgi ad ſuos labores tranſtulerunt ſpermatis & ſeminis vocabula. Ita aurum fieri dicitur ex auri ſemine, Semen appellando vim prolificam. Eſt enim indita cuique rei naturali virtus quædam, ut ſe propaget, *Th. Chym. Vol. II. p.* 344. Adde Libav. *T. II. Op.p.*142. In opere lapidis Philoſophici interdum unum, interdum duplex ſemen proponitur: In hoc tamen conveniunt, quod Mercurius Philoſophorum dicatur Semen, aliquando tamen cum limitatione, fœmininum ad differentiam Maſculini, quod eſt Aurum in calcem puriſſimam redactum, *Th. Chym. Vol. IV. p.*401. *& alibi.* Plura de ſemine quære *in Indice VI. Voluminum.* Semen veneris dicitur ſquama æris, Rul. & Iohnſ. Sperma aquæ fortis, i. e. fæculentia ejus. Rul.

SEMENTIS, varias habet ſignificationes, 1. notat ipſam *ſationem*, ſive *actionem ſerendi*, & Gr. dicitur σπορά. 2. denotat *ſegetem*, ſive illud, quod e ſemine progerminavit, Gr. σπόρος. 3. à Gal. ſumitur pro hyemis extremo anteriore, in quo ſatio fieri ſolet, Gr. σπορητός, *comm.* 1. *in l.* 1. *Epid. t.* 1.

SEMICOCTUS, ἡμίπεπτος, dicitur de humoribus chyloſis, qui ventriculi calore & fermento alterationem acceperunt, ſed perfectionem debitam non adepti ſunt, Gal. *l.* 4. *de S. F. c.* 15. Ita quoque de ſanguine, aliisque humoribus, etiam excrementitiis dici poterit, ſi nondum debitam coctionis ſuæ perfectionem acquiſiverunt.

SEMICONGIUS, ἡμικόγγιον, dimidium congii, eſt nomen menſuræ liquidorum, continens vini libras quinque, aquæ libras quatuor cum dimidia, mellis libras ſeptem & dimidiam. Gal. *de pond. & menſ.* e Dioſc.

SEMICOTYLE, ἡμικοτύλιον, eſt dimidium cotylæ, Gal. *l.* 10. *de S. Fac.* §. *De ſanguine veſpertilionum.* Qualis vero ſit menſuræ aut ponderis determinatio, non conſtat; cum Acetabuli, vel cotyles quantitas variet apud autores. Vide *Acetabulum.*

SEMICUPIUM, ἐγκάθισμα. Vide *Encathiſma.* Inſeſſio.

SEMIDALIS, σεμίδαλις, *ſimilago*, Lat. eſt farina ex tritico communi facta, ex qua panis confectus σεμιδαλίτης, ſimilagineus vocatur, eſtque paulo vilior ſiligineo, qui σιλιγνίτης dicitur, exque optimi & puriſſimi tritici farina conficitur. Gorr. e Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 2. Jung. Lind. *Ex. XIII.* §. 510. *ſeqq.* Lang. *l.* 1. *ep.* 56.

SEMIMARES, idem, quod *Caſtrati, Spadones, Eunuchi*, Rolf. *de part. genit. P. I. c.* 5.

SEMIMEMBRANOSUS, cognomen eſt Muſculi ſecundi Tibiam flectentis. Barth. *l.* 4. *Anat. c.* 12. p. 580.

SEMIMETALLA, idem, quod Mineralia. Libav. *l.* 2. *S. A. Ch. c.* 24. & *l.* 5. *c.* 11. Talia ſunt Marcaſitæ, Stibium, Biſmuthum. *Tom. III. Operum p.* 20.

SEMINATIO vocatur Blaſio ſeminis e vaſis aſſervantibus & ejaculantibus in uterum immiſſio. *Med. Un. pag.* 10. *&* 454.

SEMINERVOSUS vocatur tertius Muſculus, Tibiam flectens. Barthol. *d. l. p.* 581.

SEMIOBOLUS, ἡμιωβόλιον. Vide *Hemiobolion.*

SEMIPESTIS vocatur Febris Petechialis apud Ionſton. *Synt. Med p. m.* 672.

SEMIRHOMBUS, ἡμιρόμβιον, idem, quod ἡμίτονον. Vide *Hemitonon.*

SEMIS, ἥμισυ. Dimidium. Hemiſy.

SEMISEXTUM, ἡμίεκτον. Vide *Hemiecton.*

SEMISICILICUS pondus eſt rapiens ſcrupulos tres ſive drachmam unam. Rhod. *in diſſ. de pond. & menſ. p.* 41.

SEMISIDERATUS, ἡμίπληκτος. Vide *Hemiplegia.*

SEMISPECULUM, vocatur Inſtrumentum Chirurgicum, ad dilatandum vulnus in collo veſicæ, & deſcribitur ab Hildan. *de Lithotom. c.* 16.

SEMISPINATUS cognominatur Muſculus Thoracem erigens, Barthol. *d. l. c.* 7. *p.* 569.

SEMITERTIANA, ἡμιτριταῖος. Vide *Hemitritæos.*

SEMIVERBERATORIUS, vocatur Ignis, qui fundum ſaltem vaſis ambit, & collum liberum relinquit. Jung. *Chym. Exp. Chir. P. I. ſect.* 1. *c.* 3. *p.* 51.

SEMIUNCIA, ἡμιούγκιον, Semuncia, i. e. Uncia dimidia, ſive drachmæ quatuor. Vulgò dicitur Uncia ſemis. Legitur apud Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 10. *fin.* Jung. Rhodii *Lexic. Scrib. p.* 440.

SEMOTIM veteres vocarunt Achores vel Tineam. Valeſc. de Tarant. *Phil. Ph. l.* 1. *c.* 2.

SEMUNCIA, idem, quod *Semiuncia*, de quo p. a. Legitur in Rhodii *Diſſert. de pond. & menſ. p.* 41.

SENA, vel SENNA, purgans inter vegetabilia etiam in vulgus notiſſimum, & frequentiſſimum: cujus integram hiſtoriam prolixe tradidit Rolfink. *Tr. de Purgant. ſect. XIII. art.* 5. Jung. Freytag. *Aur. Med. l.* 2. *c.* 18. Schroder. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 436. Fr. Hofm. *in Cl. ad h. l.* Accuſatur de flatulentia à Lind. *Ex. IV.* §. 13.

SENDANEGUM, Sendanegi, i. e. Hæmatites. Rul. & Iohnſ.

SENECTUS, γῆρας, Senex, γέρων. Vide *Geras.* De Senecta ſerpentum lege judicium Gal. *l. de Theriac. ad Piſon. c.* 13.

SENILIS, γεροντικός, dicitur de omni eo, quod ad ſenes pertinet; v. g. Morbus ſenilis, ætas ſenilis &c. In ſpecie viſum ſenilem vocavit Blaſius morbum oculorum, quando aliquis admota objecta non recte videt, remota vero bene, *Medic. Univ. p.* 394.

SENIO maximus, dicitur autor vitæ longæ. Dorn. *in Dict. Parac.*

SENSIBILIS, αἰσθητός, dicitur de omni re, quæ in ſenſus incurrit. Gal. *l.* 3. *de dign. pulſ. c.* 1. Dicitur & *Senſilis.* Plura e Phyſicis petenda.

SENSIFICUS, αἰσθητικός, dicitur de nervis ſenſuum externorum, qui ſpiritum animalem, ceu efficientem

tem cauſſam inſtrumentalem, organis ſenſoriis advehunt, Gal. *l.* 7. *de Hipp. & Pl. dec. c.* 5.

SENSIO, αἴσθησις, proprie dicitur de actu ſentiendi, qui conſiſtit in perceptione rei ſenſibilis, ſenſorium alterantis & afficientis. Ab interpretibus Galeni Latinis *Senſio* quoque ponitur pro cognitione, Gr. γνῶσις dicta, *c.* 1. *Prog. t.* 3. Legitur & *Senſatio* in Autoribus.

SENSITORIUM, idem, quod *Senſorium* ſ. organon ſenſuum externorum. Aliquoties legitur in plurali apud Petr. Guiſſonium *in Diſſert. Epiſtol. de libello Anonymo circa abbreviatum veræ Medicinæ genus* ſive *de Tribus principiis Chymicis.* Cujus vero autoritate nitatur, de eo non conſtat, cum in aliis Lexicis reperire non licuerit.

SENSORIUM, αἰσθητήριον, vocatur ſenſus alicujus inſtrumentum. Gal. *l. de odor. inſtr. c.* 5. J. Alex. *not. in Gal. l.* 7. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 7. Dicitur & *ſenſitorium.* Idem *not. in Gal. l.* 7. *de V. P. c.* 8. πρῶτον αἰσθητήριον vocatur commune ſenſorium, quod ſenſibilium omnium ictus, à nervis cujusque organi delatos, accipit, adeoque omnis ſenſionis perceptionem efficit, hocque rectius fortaſſis dicitur de corporibus cerebri ſtriatis; docente Willis, *de Anat. Cerebr. c.* 13. & ex hoc Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 15. *Obſ.* 1. *p.*282. quam de Glandula pineali cum Carteſio hujusque aſſeclis.

SENSUS, αἴσθησις, quid ſit, & quot, cum externi, tum interni, ex Phyſicis conſtare poteſt, ac debet. In Medicina enim conſiderantur, quatenus ſec. vel præter nat. ſeſe habent. Lectu digniſſima ſunt, quæ de ſenſibus externis & internis ſcripta reliquit Willis *de Anim. Brutor. P.* 1.

SENTENTIA, γνώμη. Vide *Gnome.*

SEPARATIO, διάκρισις, διαχώρησις, idem, quod *Secretio*, *Segregatio*, de quibus p. a. De excrementorum ab humoribus utilibus ſeparatione læſa lege Gal. *l.* 3. *de ſympt. cauſſ. in fin.* Separativa virtus interna conſiſtit in caloris vitalis æquali continuatione, ex fermentatione ſanguinis moderata, & æquali. Hæc enim ſi vel nimia fuerit, vel inſufficiens, non dimittit inutiles ab utilibus portionibus, ſed crudus manet ſanguis. Separatio artificialis potiſſimum duplex eſt: *Pharmaceutica*, quo & Chymicam referre libet, & *Chirurgica.* Rul. & Iohnſ. certas ſeparationis ſpecies ita deſcripſerunt: Separatio per abſceſſum eſt, cum partes naturarum diverſarum e commiſtione abſcedunt à ſe mutuo, & ad regiones diſtinctas feruntur, abſiſtentes mutuo. Eſtque duplex. *Diſceſſus & Dilutio.* Separatio per abſtractionem eſt, cum aliquo inſtrumento partes diviſæ à ſe mutuo diſcluſæ, altera ab altera diſtrahuntur. Et fit hoc quoque dupliciter; Ablatione & Subductione; ſive ſint res liquidæ, ſive ſiccæ. Separatio per dilutionem ad latus perficitur, per lintrem humili margine, oblongum, & altera parte in acutum tendentem, qui manibus verſari, & hinc inde agitari poſſit, alteraque parte latiori impelli. Separatio per dilutionem eſt, cum terrea copioſe diluta, ita ſeparantur, ut, gravibus ſubſidentibus, levia emineant, medium occupent media. Et quoniam ejuſmodi lutio, in lutoſis terreisque, vel ad hanc conſiſtentiam redactis, per pulveriſationem, calcinationem, & alia locum habet, potiſſimum veteribus χοπλυσία recte eſt dicta. Miniſtrat autem ei abſtractio, depletio, nonnunquam & filtratio, & ſimiles functiones. Soluta enim turbataque & ad ſua ſpatia delata, mox ſunt deplenda, transfundendaque per filtrum ſetaceum; alioquin confunduntur denuo. Hæc Rul. & Iohnſ. Legatur & de diverſis ſeparationis artificioſæ ſpeciebus Lib. *T. II. Oper. p.* 427. *ſeqq.* Separatio Chirurgica, (quo & ſano ſenſu Anatomicam referre poſſumus) perficitur partim manu, partim inſtrumentis. Hinc ſeparatio quoque inter officia refertur Chirurgicæ partis. Vide *Inſtitut. & Dogm. noſtra. P. VII. c.* 1.

SEPARATORIUM, eſt vas tranſmittens, quodammodo uniforme, oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, & fundo in modum acus acuto materiam rurſus emittendi gratia, præditum, cum annexis anſis duabus, liquoribus invicem ſeparandis accommodatum Rul. Iohnſ. Dicitur etiam Vitrum Hypoclepticum, ſi fides habenda Blancard. *in Lex.* Separatorium quoque vocatur inſtrumentum quoddam Chirurgicum pro pericranio ſeparando apud Blaſ. *Med. Un. pag.* 73.

SEPEDON, σηπεδὼν. Vide *Putredo.* Sepedonodes, σηπεδονώδης, putredinoſus, qui ad putredinem eſt diſpoſitus, Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 7. σηπεδονώδες ἕλκος, ulcus putridum, legitur ad Foreſt. *Chir. Obſ. l.* 7. *obſ.* 3.

SEPHIROS, dicitur apoſtema durum & exiccatum. Gr. idem quod σκλήρωσις, σκλήρωμα, ſcirrhus nothus. Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 2. *Schol.* Parac. *de ulc. & apoſtem. &c. c.* 49. Dorn. Rul. & Iohnſ.

SEPIA, σηπία, dicitur animal molle, exſangue, marinum, cujus prolixam hiſtoriam, cum uſu in cibis & Medicina, ut & nocumento, vide in Aldrov. *l.* 1. *de Moll. c.*4. Schrod. *l.*5. *cl.*3. *n.*88. Fr. Hofm. *in clav. ad h. l.* in ſpecie de nocumento, quod volvulum excitet atramentum ſepiæ, teſtatur Aretæus, *l.*2. *acut. c.*6. quem locum integrum Exercitatione expoſuit egregie Lind. *Ex V. Sel. M.*

SEPIUM, σήπιον, dicitur Os Sepiæ, pars firma, ſub dorſo corporis, *d. l.* §. 42. σηπίδιον, diminutivum eſt, ſignificans *ſepiolam*, §. 84. Os illud ſepiæ interno uſu eſt inſigniter præcipitans, ita ut etiam ſuperet Oculos Cancri. Hinc à nonnullis Præcipitantis Magni nomine exornatum, quamvis externe Martialia & alia Mineralia illud vincant.

SEPLASIARIUS, idem, quod Materialiſta, apud quem materia medica proſtat; à foro Capuæ, Seploſio dicto, in quo unguentarii vendebant. Pertinent ad Pharmacopolas, quibus materiam vendunt. Referuntur etiam ad Myropolas. Vide Dieter. *Iatr. p.* 934. Langius

gius in numerum Medicaſtrorum referre non dubitat *l.* 3. *ep.* 6.

SEPS, σήψ, duplici gaudet ſignificatu: 1. ita dicitur ſerpentis ſpecies, quæ morſu putredinem infert: de quo ſerpente lege Aldrov. *l.* 1. *Hiſtor. ſerp. & Drac. c.* 6. 2. idem eſt, quod σηπεδὼν, putrefactio. Erot. *On. p.* 99. *f.*

SEPSIS, σῆψις. Vide *Putrefactio.*

SEPTAMEN, id eſt, Serapinum. Iohnſ. *Lex. l.* 1. Verum in Rulando legitur *Septimen.*

SEPTANA, ἑπταῖος, epitheton febris, ſeptem diebus periodum abſolvens. Verum dubito, an detur. Meminit Parac. *tr. de Venæſectione* §. *de Febribus.*

SEPTEM, ἑπτὰ, numerale hoc vocabulum & Criticum exponitur à Diet. *n.* 336. Numerus quoque Spagyricis emphaticus. In igne ſunt ſeptem Planetæ. In aqua ſeptem metalla. In terra ſeptem herbæ. In Aëre ſeptem Tereniabin, & in Animalibus ſunt ſeptem principalia membra. Iohnſ. *l.* 2. *Lex. Parac.* Septem calamitatum publicarum genera recenſentur à Foreſt. *Lib.* 6. *Obſ.* 9. *Schol.* e Card. *l.* 8. *de rer. var. c.* 45. Terræ motus, Inundatio, Ventus, Animalia noxa, Peſtis, Bellum, Fames; quibus alii octavum, Incendium, addunt.

SEPTENARIUS, ἑπτὰς, ἑβδομαῖος. Numerus hic à pleriſque Veteribus & Recentioribus habitus fuit pro Criti[illegible] & Climacterico; imo & Myſtico, ita, ut non dubitaverint, ei vires quoque attribuere in Macrocoſmo & Microcoſmo. Verum magis ex præconcepta vana perſuaſione, veluti per traducem multiplicata, quam ex rei veritate. Unde non dubitavit Rhodius appellare nugas, cum Gal. *l.* 3. *de dieb. decr. c.* 11. Vid. Rhod. *in not. ad Scrib. n.* 152. Adde Dieter. *n.* 230. Keuchen. *ad Samon. p.* 222.

SEPTENNIUM, ἑπταετία, periodus, vel ætas ſeptem annorum. De ſeptennio ſecundo vide J. Alex. *l.* 28. *Sal. c.* 1. 2. *ſeqq.*

SEPTENTRIO, *Septentrionalis*, ἄρκτος, ἀρκτικὸς, ἀρκτῷος, dicitur illa plaga cœli, quæ eſt ſub ſigno Urſæ majoris, & Polo Arctico dicta, frigidioris, imo frigidiſſimæ naturæ. Tropice Septentrio, vel Septentrionalis ventus Microcoſmi dicitur eſſe in ſpina dorſi, à Parac. *tr. de Colica.* Septentrio quoque vocatur Aqua fortis, Rul. & Iohnſ. Cabaliſtæ Septentrionem ſemper in malam partem capiunt, quia Sol ibi non tranſit, & medio noctis ſimilis eſt, &c. *Th. Chym. Vol. VI. p.* 81.

SEPTICOS, σηπτικὸς, putrefaciens: Dicitur de Medicamentis, quæ tum eliquare, tum colliquare, ac potiſſimum carnem tenellam conſumere valent: quo pertinent & Cathæretica, ſive Corroſiva. Vide *Corroſio.* Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *Cedrus.* Sunt valde calida, & ſalinis lixiviofis partibus tenuioribus facillimæ actuactionis prædita.

SEPTIMANA, ἑβδομὰς. Vide *Hebdomada.*

SEPTIMESTRIS, ἑπτάμηνος, dicitur de fœtu humano, qui excluditur ſeptimo menſe, & habetur pro vitali & legitimo; de quo Hippocr. integrum ſcripſit libellum, *hoc tit.* Jungatur Gal. *comm. ad hunc libellum* in Græco codice deſideratus. Videatur & C. Rejes C. *Elyſ. q.* 90. Enimvero, licet non negare velim, ſeptimeſtrem poſſe eſſe vitalem fœtum & partum; verum an ſit perfecte vitalis, aut an mulieres certo ſciant eſſe ſeptimeſtrem fœtum, de eo adhuc dubitatur. Hinc P. Amman. *in Irenic. p.* 72. *ſeptimeſtrem* partum dari negavit ſcil. vitalem.

SEPTUAGENARIUS, ἑβδομηκοντούτης, dicitur annos 70. natus. De his teſtatur Gal. quod aliquando ferant ſanguinis miſſionem. *l. de Cur. rat. per. S. M. c.* 13. *fin.*

SEPTUM TRANSVERSUM. Vide *Diaphragma.* Septum pellucidum quoque vocatur Fornacis in cerebro dicti pars inferior. Lyſer. *Cult. Anat. l.* 3. *c.* 6. *p.* 88. Septum Cordis dicitur paries ſiniſtri ventriculi à dextro ſecernens. D. D. Hofm. *Diſſert. An. in Micr. Horn.* Quid *ſeptum penis* vocetur membranaceum, videatur apud Barthol. *An. l.* 1. *c.* 24. G. Bidloo *Anatom. Tab. XLVIII. fig.* 3. *ſeqq.*

SEQUESTRATIO, idem, quod *Separatio*, *Segregatio*, διάκρισις, Membra ſequeſtrationis vocat Parac. organa colatoria.

SERANGODES, σηραγγώδης, antroſus, cavernoſus, rimoſus, idem fere quod συριγγώδης, fiſtuloſus: Legitur apud Hipp. *l. de Carn. IV.* 4. *IX.* 3. *XVI.* 3. *l. de Corde VI.* 1. *l. de vuln. cap. II.* 3. Vide Foëſ. *p.* 562. *ſeq.* qui apud Galenum pro συριγγώδης legi συρυγγώδης vult.

SERAPHIN, eſt ineffabilis virtus, & immenſa potentia cœli, & præſertim Angelicus chorus, & ſchola cœleſtis. Dorn. Rul. & Iohnſ.

SERAPINUS, i.e. gummi Arabicum. Rul. & Iohnſ.

SERAPIUM, idem, quod Sirupus. De quo paulo inf.

SERBET, vide *Scherbet.*

SERENITAS, Serenus, εὐδία, εὔδιος. Vide *Eudia.*

SEREX, id eſt, lac acetoſum. Rul. & Iohnſ.

SERGETICUM, σεργητικὸν, epitheton unguenti irini, apud Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 16.

SERICIACUM, i. e. Arſenicum. Rul. & Iohnſ.

SERICUM, σηρικὸν, æquivocum eſt 1. apud Gal. ſignificat fructum aliquem, edulem quidem, nihil tamen vel ad ſanitatis conſervationem, vel ad morborum profligationem conferentem, *l.* 2. *de Al. fac. c.* 32. Deinde notat lanam illam, quam gignunt, & in globulum ovalem conglomerant, ſeſe una obvelantes vermes, Bombyces dicti. De quo ſerico vide ſupra *Bombyx.* Sericum crudum omittendum eſſe *in Chym. Med. Phyſ.* Vide Morley *Coll. Ch. Leid. c.* 221. Adde Helm. *de febr. c.* 8. *n.* 13. Denique Sericon idem eſt, ac Minium. Rul. & Iohnſ. Serica quoque dicuntur Gal. *Zizipha*, ſive Jujubes. Vide *Zizipha.* Serica Cauterica quæ dicantur Paræo, vide apud eund. *l.* 25. *c.* 32. *p.* 128.

SERIDES, σερίδες, vocantur olera eſculenta, apud Gal. *l. de atten. diæt. c.* 3. Alias σέρις eſt Cichorii vel Endiviæ genus, apud Dioſc.

SERMO, λόγος, λαλία, Vide *Lalia*, *Locutio*, *Logos* *&c.* Aliqua tamen differentia legitur inter Vocem, Loquelam, & Sermonem; dum vox ad loquelam, loquela vero ad ſermonem pertinet. Sermo vero non eſt omne, quod proprie in ſenſum auditus cadit; neque id ſolum, quod ore emittitur: ſed ſolam hominum vocem, qua inter ſe colloquuntur, veteres appellabant, Gal. *comm.* 1. *de humor. t.*24. *& c.*3.*Epid.t.*73. ubi Græce αὐδὴ vocatur. Imprimis vero in Medicina conſiderari debet non ſolum Sermo Medicorum ad ægros, de quo Gal. *c.*4. *in l.*6. *Epid. t.* 9. ne ſit fatuus aut moleſtus, ſed gravis, utilis ægroque acceptus, ſed etiam Sermo ægrorum, ſiquidem & hinc præſentium, notitiæ, & conſequentium divinationi poteſt adjumento eſſe, *c.*3. *in l.*1. *Epid.t.*1. Junge Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 14.

SEROSUS, ὀρρώδης, ὑδατώδης, idem fere, quod Aqueus, vel aquoſus, dicitur partim de ipſo aqueo ſanguinis vehiculo, Gal. *l.* 4. *de V. P. c.* 5. *& alibi*: partim de conſtitutione corporis & temperamento inde dependente, quod pro varietate caloris aut frigoris concurrentis ad Melancholicum vel Phlegmaticum pertinet, imo & ad Cholericum: partim etiam de ſuperfluo & crementicio humore Cachexiam ſeroſam conſtituente, unde & Carol. Piſo elegantem librum conſcripſit *de Morbis à ſeroſa colluvie obortis.*

SERPENS, ὄφις. Vide *Ophis.*

SERPHETA, eſt medicina lapidem liquefaciens. Dorn. Rul. & Iohnſ. Meminit ejus Parac. *l.* 2. *de Tartar. tr.* 3. *c.* 5. *& in fragm. ad h. l.*

SERPIGO, ἕρπης. Vide *Herpes. Impetigo.* Nam utrique affectui tribuitur hoc vocabulum Impetigo. Vide Walth. *Sylv.M.p.*1368. & Valeſc. de Tarant. *Phil.Chirurg. c.*10.

SERRA, πρίων, æquivocum eſt. Proprie notat inſtrumentum, & quidem in Medicina, Chirurgicum, quo membra amputantur: Habeturque duplex: *Magna*, qua artus gangrænoſi aut ſphaceloſi; & *Parva*, qua digiti manuum & pedum reſecari debent. Vide Hild. *de Gangr. & Sphacel. c.*19. *& Ciſt. milit. claſſ.* 19. ut & alios Chirurgiæ ſcriptores, Aquap. Paræum, Scultetum, &c. Ob ſimilitudinem vero roſtri, quod capiti adnatum cum ſerra, Piſcis quoque quidam Cetaceus, Serra vocatur, Gr. πρίστις, perperam πρῆστις, cujus hiſtoriam vide in Aldrov. *de Cet. l.* 1. *c.* 5. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect.* 1. *p.* 82. *ſeq.* Serrulam verſatilem Sculteti videre licet deſcriptam in ejuſdem *Armam. Chir. Part. I. Tab. V. fig.* 1.

SERRATUS, πριωνώδης, cognomen eſt diverſorum Muſculorum, quorum alii Serrati majores, alii minores, alii poſtici appellantur, apud Barth. *l.* 4. *An. c.* 3. *&* 4. *p.* 563. 565. Serrata oſſium commiſſura quid ſit, vel oſſium compages, docet Veſal.*l.*1. *de H.C.F.c.*4. Vide *Frionodes.*

SERVITUS, δουλεία, dicitur de functionibus & uſibus partium miniſtrarum, eſtque duplex: *Præparatoria* & *Latoria.* Illa vocatur Utilitas. Hæc retinet nomen. Declaratur exem pl s; v. g. Cordi miniſtrat ſervitute præparatoria Pulmo, Latoria, Arteriæ, Venæ. Teſticulis miniſtrant præparatorie Vaſa ſpermatica præparantia: Latorie Penis & Vaſa deferentia. Avic. *l.* 1.*fen.*1. *doct* 5. *c.*1.

SERUM, ὀρρὸς, vide *Orrhos.* De ſeri ſtatu præternaturali plura quære in Indice Boneti, *Anat. Pract.*

SERVUS, δοῦλος, quid ſignificet in ſtatu Oeconomico, & pueri quoque e dictionariis norunt. Quod vero olim Medici ſervis annumerati fuerint, ex *l.* 1. §. 5. C. *de com.ſerv.manumiſſ. & l.*3. *in pr. C.Com. de legat.* illud non de Medicis veris ἀρχιτεκτονικοῖς, ſed de horum ſaltem miniſtris, Pharmacopolis, Chirurgis, intelligendum eſſe, egregia oratione jam olim demonſtravit, & partes Medicorum cordate defendit quondam JCtorum decus, Georg. Richterus, *in Orat. Panegyrica.* Servorum valetudinem etiam eſſe obſervandam, ſed horis ſaltem ſubciſivis, docet J.Alex. *l.*33.*Sal.c.*19. Per ſimilitudinem quomodo Æger vocetur *Morbi Servus*, oſtendit Lind. *Ex. XIII.* §. 549.*ſeq.* Chymici cùm Hermete Mercurium vocant *ſervum fugitivum.*Rul.Libav.& alii.Vide *Fugitivus.*

SES, σὴς. Vide *Tinea.*

SESAMION, σησάμιον, vocatur placenta ex ſeſamo, melle, atque oleo parata. Vocatur & σησαμοῦς, σήσαμον. Foëſ. p. 563. σησαμόεντα etiam dicuntur, quæ ex ſeſamo ſunt parata. Hipp. *l. de affect. XLIV.* 29.

SESAMOIDEA, σησαμοειδέα, dicuntur Oſſicula à ſeſami leguminis minuti ſpecie, cui forma & magnitudine reſpondent, & natura multis manuum & pedum articulis veluti auctarium appoſuit ſecuritatis gratia, Gal. *l.* 2. *de V. P. c.* 11. Jung. Barthol. *libell.* 4. *Anatom. c.* 22. *& ult.*

SESCUNCIA, idem, quod ſeſquiuncia, ἡμιόλιον, h. e. drachmæ duodecim. Gal. *l.* 1. *de C. M. S. L. c.* 8. Vide *Hemiolion.* Seſcuncia aliquoties legitur in Scrib. *n.* 50. 60. *&c.* Vide in Rhodii *Lex. Scrib.*

SESEROS, σεσηρὼς, h. e. labris valde diſtans, quod etiam divaricatum vocatur. Occurrit apud Hipp. 3. *de fract. t.* 43. μειδιήματα σεσηρότα dicuntur riſus effuſi, & labris diductis facti, *l. de Gland. IX.* 11. Adde Foëſ. *d.l. conſ.* Gal. *exeg.*

SESIS, σῆσις, à verbo σήθω, *cribro cerno*, ſignificat *cribrationem*, & ſæpius legitur apud P. Æginet. nomen & verbum.

SESQUIALTERA, dicitur ab Helmontio febris ſpuria, qualis eſt Hemitritæos, erratica &c. & eam deducit ex ſcoriæ & lotii deficiente ſecretione & excretione: *de febr. c.* 11. *n.* 14. Seſquialterum idem, quod Hemiolium, de quo ſupra.

SESQUICYATHUS, eſt hæminæ quadrans, vel ſextans cum uncia dimidia, Gal. *l.* 9. *c.* 6. *ad fin.* Celſus etiam meminit *l.* 5. *c.* 19. & Rhodius *in diſſ.rt. de Pond. & Menſ.* æquivalere acetabulo ſtatuit.

SESQUIHEMINA, i. e. Hemina, κοτύλη, una cum dimidia, Gal. *d. l.*

SESQUILIBRA, i. e. libra una & dimidia. Scrib *n.*222.

SESQUIOBOLUS, i. e. obolus unus cum dimidio, i. e. grana quindecim. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1.

SESQUIPEDALIA, ῥῆμα; dicuntur verba ampulloſa, quæ grande quid ſonare videntur, cum audis, ceu inflata vento jactantiæ, cæterum inania rei & rationis. Lind. *Exerc. XIII.* §. 69. Hæc dedecent Medicum Hippocrate & Æſculapio dignum.

SESQUIPLUM, idem, quod ſeſquipondus, ἡμιόλιον, & refertur ad præcedentem determinationem, i. e. integrum cum dimidio pondus. Gal. *l.* 1. *de Antid. c.* 9. *fin. & alibi.*

SESQUISEXTARIUM, i. e. ſextarius unus cum dimidio. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1.

SESQUIUNCIA, vide *Seſcuncia.*

SESSILIS, epitheton Verrucæ, quæ alias μυρμηκία, formica, vocatur. Vide *Formica.*

SESTRON, σῆστρον, idem, quod κόσκινος, Cribrum, à σήθω, cribro. Vide *Coſcinos*, *Cribrum*. Lac. σεσησμένον, *cribratum*, legitur apud Lind. *Ex. XVI.* §. 108.

SETA, τρίχος, proprie *pilum ſuillum* ſignificat. Dicitur tamen & de lanis, unde *pannus ſetaceus* τρίχινος vocatur. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. n.* 4. *circa fin.*

SETACEUM vocatur operatio Chirurgica, eſtque ſpecies fonticuli, vel cauterii, quod parari ſolet utplurimum in occipitio, tribus inſtrumentis, forcipe, acu, & *ſeta*, vel *ſetone*, cujus parandi modum vide apud Aquapend. *de oper. Chirurg. cap. hoc tit.* Hildan. *Cent. I. obſ.* 40. Paræum *l.* 9. *c.* 24. qui *ſetonem* vocat, quemadmodum & Helmont. *tr. Cauterium*, *n.* 22. Laur. Bellin. in Maſculino *ſetaceos* poſuit, deſcribens per fonticulos duplicis emiſſarii per majus & minus ſpatium ſub cute craſſiori filo ſerico aut ſimili tenui funiculo, *in Opuſc. Medic. tr. de ſang. miſſ. p. m.* 187.

SETANIOS, σητάνιος, rectius quam σιτάνιος. *Hornus*, *homotinus*: epitheton tritici apud Hippocr. Vide *Hornus.*

SEVATIO, idem, quod Steatoma, ſecundum Ingraſſ. *Com. ad Avicenn. de Tum. p. n. p.* 84.

SEULO, id eſt, *plumbum*. Rul. *in Lex.*

SEVUM, idem, quod *Sebum*: de quo ſuperius: Gr. στέαρ.

SEXCUPES, pediculus. Santes Ardoinus *de venenis l.* 8. *c.* 22.

SEXTANS, ἕκτον τῆς λίτρας, ſexta pars libræ: pendet uncias duas. Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 14. vel drachmas ſedecim, *l* 8. *de C. M. S. L. c.* 1.

SEXTARIUS, ξέστης, dicitur *menſura liquidis & aridis communis*: de qua tamen Gal. notat, apud Athenienſes olim non fuiſſe, poſtea vero etiam à Græcis receptam; ſed aliter, quam Romanos, ſumſiſſe. Apud Romanos *ſextarius* unus libram unam, ſemiſſem, & ſextantem, ut ſimul juncta conſtituant uncias viginti, pendere dicitur. Athenienſes vero minorem paulo conſtituerunt menſuram, per *ſextarium*, videl. libram cum ſemiſſe, h. e. uncias octodecim. Gal. *l.* 1. *de C.M.P.G c.* 1. Jung J. Alex. *ad h. l.* Adhuc minor legitur ξέστης, *ſextarius*, qui pendet uncias tres, *l.* 6. *de C. M. P. G. c.* 16. Rhodius *in not. ad Scribon.* diſtinxit in menſuralem & ponderalem: illum continere duas heminas: hunc vero tredecim uncias docens, *ad comp.* 127. 130. Idem Autor *in Diſſ. de Ponder. & Menſ.* ſextarium aridorum eſſe libram unam & dimidiam liquidorum: duarum Heminarum, Ponderalem Arabicum Drachmam ſemis, Italicum olei uncias 18. vini & aquæ uncias 20. mellis 27. Linden. *Sextarium* pendere vini uncias ſedecim, totidemque ſcrupulos: Mellis uncias viginti quinque, ſcripſit. *Ex. X.* §. 156.

SEXUNX, i. e. *pondus ſex unciarum*, h. e. *libra dimidia*, Semiſſis, Gal. *l.* 1. *de C. M. P. L c.* 8.

SEXUS, γένος, φύσις, vocatur *differentia viri & fœminæ*: de qua Gal. *l.* 9. *de Hipp. & Pl. Decr. c.* 3. *& alibi.* Diſcrimen hoc animalibus ſaltem perfectioribus competere, accuratiores Philoſophi & Medici ſtatuunt. Alii tamen etiam vegetabilibus quoque attribuere non dubitant; inter quos Schroder. *l.* 1. *c.* 35. & quidem realiter. Rejicitur hæc opinio *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 349. *Sexus* diſcrimen quomodo faciat morboſam diſpoſitionem, monſtrat Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 36. *Sexum* non poſſe mutari naturaliter, prolixe docuit C. Rejes *Camp. El. q.* 57.

SIAGON, σιαγὼν, idem, quod γένυς, γνάθος, *maxilla*, ita dicta, ὅτι σείηται περιαγομένη, quod circumacta moveatur. Gorr. Linden. *l.* 2. *Phyſiol. Med. c.* 13. §. 4. 5. Ariſt. *l.* 3. *H. A. c.* 7.

SIAGONAGRA, σιαγονάγρα, dicitur arthritidis particularis ſpecies maxillæ articulum infeſtans. Paræus *Chirurg. l.* 17. *c.* 1.

SIALOCHOOS, σιαλοχόος, vel σιαλοχέων, idem, quod σιαλίζων, vocatur Hippocr. qui multam ſalivam ore effundit, *l.* 2. *Epid. ſ. II.* 90. *lib.* 3. *de morb. X.* 13. *l.* 2. *de diæt. XVII.* 4. 6. Galen. *c.* 1. *in l.* 1. *Prorrhet. t.* 3. Jung. Foëſ. *pag.* 564. Lat. *Salivator* dici ſolet. Vide *Salivatio.*

SIALOCHOS, σιάλοχος, ex interpretatione Erotiani Hippocrati talis eſt, apud quem abundat ſalicea acris οἱ σίαλον πικρὸν ἀθροίζοντες, differunt ergo hi à σιαλοχόοις, quod illi ex acrimonia σιαλοχοῦν frequenter exſpuunt.

SIALOS, σίαλος, σίαλον. Vide *Saliva.*

SIBAR, id eſt, *Argentum vivum*: item *Stella errata*; Dorn. Rul. & Iohnſ.

SIBARE Avicennæ dicitur *ſpecies Phrenitidis*, quæ *ferina* dicitur. Foreſt. *l.* 10. *obſ.* 1. *Schol.* Vel *Inflammatio Eryſipelacea*, aut potius *Gangrænoſa* cerebri & meningum. P. M. de Calderia *Tom. III. Oper. p.* 20. *ſeqq.*

SIBEDATA, id eſt, *Hirundinaria*. Paracelſ. *l.* 2. *de Tart. tr.* 2. *c.* 2. Dorn. Rul. & Iohnſ. item lapis, quo colores teruntur. Rul. & Iohnſ.

SIBETINA, epitheton *Colicæ*, quæ & *Zibethina* dicitur. Parac. *Paragran. Tract.* 1. & 2.

SIBILUS, συριγμὸς, συρίζειν, λιγυρὸν, eſt ſonus acutior,

acutior, tenuior; qualis in Aſthmaticis obſervatur in inſpiratione, quia humores craſſi obſederunt fiſtulæ laryngis oſculum, ita ut aër hanc viam anguſtatam tranſire non poſſit, ſed lateribus alliſus ſonum acutum edat. Dolæus *Encyclopæd. l. 2. c. 2. §. 10. p. 258.* Vide *Syrizo. Hypoſyrizo.* Tropice etiam *Uvulam* vocari *Sibilum* ſcribit Veſal. *l. 6. de H. C. F. 16. Sibilus* etiam accipitur pro ſono præternaturali in auribus percepto à flatu quodam, vel halitu in anfractibus organi auditorii agitato. Vide *Sonus. Tinnitus.*

SICCANS, ξηραντικὸς, ξηραίνων, epitheton medicamentorum, quæ temperamenta corporum ad *ſicciorem* ſtatum permutant, Gal. *l. 1. de C. M. P. G. cap. 6.* Talis effectiva *ſiccitas* à terreſtreitate particularum dependet, cui humidæ particulæ involvuntur & excipiuntur, cui & leves ſalinæ particulæ intermixtæ ſunt. Dividuntur in mediocriter & valde *ſiccantia*, *l. 3. d. tit. c. 6.* Vide etiam Schroder. Senn. Morell. & alios, qui de materia Medica ſcripſerunt.

SICCHASIA, σικχασία, vocatur *moleſtum faſtidium* & ἀνορεξία mulieribus gravidis familiaris: Adjectiv. σικχὸς in aliis Lexicis occurrit & exponitur à Suida per ἀνόρεκτος καὶ ἀσθενὴς, i. e. *inappetens & infirmus.* Subſtantivum vero legitur in Moſchion. *l. de morb. mul. c. 28.*

SICCITAS, *Siccus*, ξηρότης, ξηρὸς, de qualitate dicitur elementari, inter primas vulgo relata, humidæ oppoſita, communi igni & terræ, & in ſe notiori, quam ut deſcriptione aliqua indigeat, aut ulterius explicari poſſit. Optima deſcriptio videtur, quæ per abſentiam humiditatis exprimitur. In foro Medico variis tribuitur rebus, ſecundum, non nat. & præternaturalibus. Ventres *ſicci* opponuntur humidis, 2. *aph.* 53. quo pertinet *ſicca* mulier, *l. 4. Epid. XIII. 9.* Temperamentum etiam *ſiccum* aliquoties legitur apud Gal. paſſim. Anni temporum *ſiccitates* Græc. dicuntur αὐχμοὶ, 3. *aph.* 16. *Siccus* hydrops, 4. *aph.* 11. i. e. Tympanites. Ophthalmiæ *ſiccæ*, 3. *aph.* 11. *Sicca* & valida frictio dicitur, quæ corpori foris adhibetur, nullo humido, aqua, vel oleo, foris circumfuſo, Gal. *l. 2. de S. Fac. t. 25.* Gr. dicitur ξηροαλείφειν.

SICELICA, *Sicula*, σικελικὴ, epitheton medicamenti contra colicos dolores, apud Gal. *l. 9. de C. M. S. L. c. 5. fere circa fin.*

SICILICUS, *Siclium*, σίκλιον, ponderis nomen, veterinariis uſitatum, pendens unciam dimidiam, ſive drachmas quatuor; uti patet ex Gal. *de pond. & menſur.* confirmante C. Hofmann. *in notis M S. nondum editis.* At Rhod. *ad Scrib. Sicilicum* dicit, eſſe unciæ quartam partem, in qua ſunt ſcrupuli ſex, & pendet drachmas duas, *n. 71. p. 133.*

SICYA, σικύα. Vide *Cucurbita.*

SICYEDON, σικυηδὸν, eſt ſpecies fracturæ, quæ & καυληδὸν & ῥαφανηδὸν, dicitur, quando os totum per tranſverſum frangitur. Gorr.

SICYONE, σικυώνη, quatuor habet ſignificationes; juxta Gal. *in Ex. dict. Hipp.* Colocynthidis, *Cucurbitæ* pyro ſimilis, *Cucurbitæ Chirurgicæ*, & *Cucurbitæ* fundo carentis, ac metæ formam præ ſe ferentis. Foëſ. *Oec. p. 565.*

SICYONION, σικυώνιον, nomen *Unguenti*, vel *Olei* compoſiti, cujus baſis eſt *Cucumis ſylveſtris*, apud Ægin. *l. 7. c. 20.*

SIDERATIO, vel *Syderatio*, æquivocum eſt. Vel enim idem ſignificat, quod *Apoplexia*, aut ſubita *Paralyſis*, quam ſignificationem approbat Lang. *l. 1. ep. 25. & l. 2. ep. 53.* Rhod. *ad Scribon. num. 101. p. 168.* Vel notat *mortificationem* alicujus membri, quæ alias *Sphacelus* vocatur σφάκελος, de quo vocab. inferius, quam retinuit Caſtell. Vide *Mortificatio. Sphacelus.*

SIDEROS, σίδηρος. Vide *Ferrum.*

SIDIA, id eſt, *Lima.* Rul. & Iohnſ. *Lex.*

SIDIOIDES, σιδιοειδὴς, dicitur *color malicorium*, hoc eſt, corticem mali Punici, Gr. σίδιον dictam, *repræſentans*, σίδη enim *malum punicum* ſignificat. Legitur aliquoties apud Hippocr. *l. de judic. dieb. VII. 2. l. de int. aff. XXXI. 3. XXXIV. 7. XXXIIX. 4. XLVIII. 6. lib. 3. de morb. XII. 3.* Jung. Foëſ. *d. l.* Keuchen. *ad Samon. p. 271.*

SIDUS, *Sydus*, idem, quod *ſtella*, ἄστρον, σίδερον. *Sidera* vocantur à ſiderando, quod eſt incendere. Veterum fuit dogma, *ſidera* eſſe omnia igneæ naturæ. Linden. *Ex. XI. §. 171. ſeqq.* 188. hoc dogma hodieque revocavit Gaſſendica, & Carteſiana Philoſophia. Recentiores tamen adhuc Philoſophi Eclectici, inter quos celeberrimus eſt Dn. Sturmius, diſtinguunt inter *ſidera* vel ſtellas fixas, & errantes ſ. planetas, de illis concedentes, quod ſint igneæ naturæ, utpote propriam lucem obtinentes; de his vero non item, excepto Sole reliquis planetis lucem impertiente. *Sidereum corpus* Paracelſo dicitur *ſpirituale*, *Magicum*, *Cabalicum*, cui peculiares attribuit virtutes in herbis, & aliis naturalibus, *tr. Labyrinth. Medic. c. 9. & 10. l. de Peſtilit. tr. 1. & 3. & Philoſ. ſagac. l. 1.*

SIEF, id eſt *Collyrium*, medicamentum Ophthalmicum ſiccum. Vide *Collyrium.*

SIEGONES, σιηγόνες, idem, quod σιαγόνες, *Maxillæ.* Vide *Siagon.*

SIELISMOS, σιελισμὸς, vel σιαλισμὸς. Vide *Salivatio*, à verbo σιαλίζω, *multam ſalivam effundo.* Unde σιαλίζοντες iidem, qui σιαλοχόοι, de quo paulo ſuperius. Legitur vero apud Hippocr. 1. *Prorrh. ſect. 3. t. 21.*

SIFANTIS, id eſt, *terra argentina ſimphus.* Rul. & Iohnſ.

SIGE, σιγὴ, *ſilentium*, *taciturnitatem* ſignificat: Peſſimum ſignum in phreniticis & deliris. Hippocr. 1. *Prorrhet. cap. 2. t. 19. Coac. t. 65.* Vide *Aphonia. Silentium* alias egregie diſtinxit Libav. in *Silentium Prudentiæ* &

& Tolerantiæ, *Tom. III. Oper. p.* 154. Non minus recte & *Silentium Crollii ſacrum* vocavit Diabolicum & execrabile, *Tom. IV. p.* 69. Et o utinam hodieque perſuadere ſibi paterentur Chriſtiani plebeji, (quamvis etiam non ſint pauci, qui prudentiores videri volunt) qui exiſtimant, nihil magici, nihil præſtigiarum præ ſe ferre, dum talia remedia commendantur cum *ſilentio*, vel colligenda, vel applicanda. Revera tale *ſilentium* execrabile eſt, non ſacrum; verba ſunt laud. Autoris veriſſima.

SIGIA, i. e. *Storax liquida*, vel hygra, Rul. & Iohnſ. Gal. *de ocul. c.* 3.

SIGILLATIO, cicatricis indictio. Fallop. *de re cor. c.* 2.

SIGILLUM, σφραγὶς, ita fuit dicta *Terra Lemnia ſigillata*; cujus modum præparandi & *ſigillandi* ſigno Dianæ deſcripſit Gal. *l.* 9. *de S. Fac.* quemadmodum & hodieque *Terra Turcica*, *Melitenſis*, *S. Pauli*, *Sileſiaca*, *Hersbruccenſis* aut *Veldenſis Norica*, certis *ſigillis* notari ſolent; de quibus vide Schroder. *l.* 3. *c.* 2. Fr. Hofm. *Clav. ad h. l.* Caſp. Hofm. *Paral. Offic. c.* 44. 45. Ita & *Trochiſci ſigillis* & aſteriſcis ſignari ſolent, præſertim viperini, in officinis Venetis. *Sigillum Hermeticum* dicitur, quo vitrum fuſum, & igne fuſorio liquatum occluditur; quamvis nonnulli maſſam aliquam ex ſuccino albo, vitro Veneto, Borrace, æqualibus portionibus, ad hanc obturationem uſurpent. Rul. Olim vaſa cera & annulo ſignabantur à Medicis, Rhod. *ad Scrib. n.* 269. *p.* 331. *Sigillis* vero magicam virtutem adſcribere cum Paracelſicis, de quo etiam *in Th. Chym. Vol. VI. p.* 351. ſuperſtitioſum eſt. Vide *Character.*

SIGMOIDES, σιγμοειδὴς, h. e. literam Græcam C referens, non Σ. Vide C. Hofm. *Comm. ad Gal. de V. P. n.* 385. Tribuitur variis corporis partibus. Ita dicitur Proceſſus ſcapularum, qui & *Ancyroides*, & *Coracoides* vocatur Barth. *libell.* 4. *An. c.* 19. Deinde Sinus, ſeu *cavitas ſemicircularis* in *cubito* inter duas cubiti apophyſes comprehenſa, in quam brachii extremum trocheæ ſimile inſeritur, *d. l. c.* 20. Porro *tres Valvulæ cordis* ad oſtium arteriæ pulmonalis in dextro ventriculo foras ſpectantes *ſigmoideæ* vocantur, Gal. *l.* 6. *de V. P. c.* 14. qui tunicas ſaltem appellavit, Barthol. *l.* 2. *c.* 7. *Cartilagines* quoque *aſperæ arteriæ* cum non ſint integre circulares, ſed parte poſteriori membranoſæ, & ita cartilaginea ſua ſubſtantia antiquum C referant, σιγμοειδεῖς vocantur, *d. loc. cap.* 10.

SIGNATIO, *Signatura*, ἐπισφραγισμὸς, alia eſt *neceſſitatis*, quando vaſa obſignantur; aut ipſa medicamenta, ad evitandam vel exhalationem virium vel ſuſpicionem fraudis. Ita & Acidularum Egranarum vaſa fictilia publica autoritate obſignari ſolent. Vide Rhod. *in Lexic. Scrib. p.* 441. Vel eſt *ſuperſtitionis* & vanitatis. Quo, ſalva autoritate, pleraque etiam referenda mihi videntur, quæ Crollius, de *ſignaturis Plantarum*, ſcripſit; cum plurima etiam prorſus ridicula nitantur & inepta ſimilitudine. *Signata ars* Paracelſo dicitur *Caballa*, eſtque ex illius mente, pars Aſtronomiæ, & introitus ad Medicinam; verum ob Magiæ ſuſpicionem vitanda *Labyrinth. Med. cap.* 9. *& tr. de morb. Tart. c.* 16. Vide *Sigillum*, *Character.*

SIGNIFICATIO, ἐπισημασία, σημασία. Vide *Semaſia*, *Semeioſis.*

SIGNUM, σημεῖον. Vide *Semeion.*

SILACH, Arab. *Silac*, dicitur *craſſities palpebrarum*; Foreſt. *l. XI. Obſ.* 46. *Schol.* Alii ad πτίλωσιν, h. e. *defluvium capillorum* applicant, Iohann. Stephan. *Paraphr. in Avic. l.* 3. *fen.* 3. *c.* 3. *p.* 173.

SILEX, κάχλαξ, vocatur genus lapidum, vel ſaxi duriſſimum, extrinſecus leve. Hujus ſpecies eſt *Pyrites*, de quo ſuperius. Alias plures recenſet Rul. *in Lex.* De *ſilicis* virtutibus & uſu vid. Schroder. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 18. & Fr. Hofm. *in Clav.* Theatr. Chym. *Vol. VI. p.* 453. Quære & in Indice Helm.

SILICETUS, idem, quod *Marmoreus*, epitheton *Tartari*, in renibus, aut veſica, nimiopere indurati, apud Paracelſ. *l. de Tartareis morb. c.* 20. *&* 21.

SILIGNIS, σιλίγνις, latine *Siligo*, dicitur puriſſima Tritici farina, e qua paratur *panis ſiligneus*, σιλιγνίτης. Galen. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 2. Lang. *l.* 1. *ep.* 56. J. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 6. *& not. in Gal. d. l.* Lind. *Ex. XIII.* §. 510. *ſeqq.*

SILIPIT, id eſt, *Æs*, *Cuprum*. Rul. *in Lex.*

SILIQUA, κεράτιον. Vide *Ceration.*

SILO homonymon eſt. Vel enim idem eſt, quod *Simus*, σιμὸς, qui naſo eſt ſurſum verſus reparando, Lind. *Ex. XI.* §. 39. Vel apud Chymicos idem eſt, quod *Terra.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SILURUS, σίλουρος, nomen piſcis, de quo tamen inter ſe diſſentiunt Autores, dum alii *Sturionem* eſſe dicunt; in qua ſententia eſt Aldrov. *l.* 4. *de piſc. c.* 9. alii cum *Glanide* confundunt; ut Geſnerus. Vide Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 5. Meminit alias Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Halme*, *ad fin.* Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 2.

SIMIA, πίθηξ. Vide *Pithex.*

SIMILA, *Similago*, σεμίδαλις. Vide *Semidalis.*

SIMILARIS, ὁμοιομερὴς, ἁπλοῦς. Vide *Homœomeres*, *Haplus.* Perfectam *ſimilaritatem* dari nullam uſpiam ſtatuit celeber. Leibnizius de Natura, ſicut legere eſt *in Act. Eruditor. Lipſ. Anno* 1698. *m. Septembr. pag.* 433.

SIMILATIO, idem, quod *Aſſimilatio*: de quo ſupra, in AS. Gr. ὁμοίωσις.

SIMILIS, *Similitudo*, ὅμοιος, ὁμοιότης, quid ſignificet, notum eſt: videlicet aliquam convenientiam rerum inter ſe diverſarum. Galen. *ſimile* duobus modis dici, docet; uno quidem, quando eſt ἀπαράλλακτον, & nulla intercedit varietas: altero, quando ſecundum magis & minus ſaltem eſt convenientia,

ἐν ᾧ μᾶλλον καὶ ἧττον, c. 1. de iis, q. in med. t. 4. fin. Similia ſimilibus conſervari, eſt generaliſſimus ſcopus methodi Hygienes; de quo in *Hygiene*; limitationem ſuam tamen admittit, uti videre eſt *in Dogmat. noſtr. P. IV. c. 2. d. 3. p.* 468. *Similitudinem* formæ liberorum cum matre demonſtrare, quod mater etiam materiam conferat ad formationem fœtus, vult J. Alex. *not. in Gal. l. 2. de ſemin. c.* 1. Plura de *ſimilitudine* inter generans & generatum, inter parentes & liberos, vide apud C. Rejes C. *El. q.* 54. Quamvis vero *ſimilitudinis* obſervatio in Medicina inſignem multumque uſum habeat; probe tamen etiam obſervanda eſt cautela Hippocr. quod *ſimilitudines* Medicis pariant errores & difficultates, *lib. 6. Epid. ſ. IIX.* 80. *vel t.* 49. quem locum notatu dignum bis citavit Linden. *Ex. XII.* §. 71. *& XIV.* §. 114. *Similitudo* enim ſaltem eſt inſtar ſyllogiſmi Dialectici, vel Topici, nihilque certi concludit. Jul. Alex. *not. in Galen. lib.* 4. *M. M. c.* 4. Utinam hoc vero probe obſervarent Chymici & Spagyrici; qui nimium quantum *ſimilitudinibus* nituntur, & ita ſæpiſſime fallunt & falluntur. Fallax quoque in multis eſt *ſimilitudo* plantarum cum partibus corporis humani, quæ tamen vires indicare creditur à Schroder. *l.* 1. *c.* 38. Quin potius veriſſime Libav. negavit, à *ſimili* ad eſſentiam recte aliquid colligi. *Tom. IV. Oper. p.* 259. 277. *Similitudines* quoque dicuntur figuræ cœleſtes, quæ rebus aſſimilantur nos concernentibus, Rul. Iohnſ.

SIMISSA, σιρᾶ, rectius *Semiſſa*, i. e. ad dimidiam coctum. *Similſſator*, vel *ſemiſſator*, qui ad dimidias coquit, Gr. σιρωτής. Linden. *Ex. X.* §. 52.

SIMITAS, *Simus*, σιμότης, σιμὸς, duplicem habet ſignificationem, unam naturalem, in qua dicitur de Hepatis concava parte, ex qua prodit Vena portæ, cujus oppoſita pars *convexa* & *gibba* nuncupatur, Gal. *l.* 4. *de V. P. c.* 13. Barthol. *l.* 1. *An. c.* 14. *& alibi*; alteram præternaturalem, qua notat vitiatam figuram naſi, cum medius naſus ſubſidet, aut deprimitur, Galen. *comm.* 1. *in l. 6. Epid. t.* 4. Jung. Foëſ. *p.* 566. Alias & σιμὸν etiam de rebus non naturalibus uſurpatur, v. g. de *ferularum* Chirurgicarum parte *retuſa*, & reſima, apud Hippocr. 3. *de iis, q. in med. t.* 11. Σιμὸν quoque dicitur *vinculi* quoddam genus, quod ab orbiculari plurimum inclinat, *d. l. comm.* 2. *t.* 2.

SIMIVULPA, πιθηκαλώπηξ, vel *Vulpiſima*, ἀλωπηκοπίθηξ, animal quadrupes digitatum, viviparum, peregrinum, *vulpis* & *ſimiæ* formam ex parte referens, cujus hiſtoriam & uſum in cibis vide apud Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 4.

SIMMITIUM, id eſt, *Ceruſſa*. Rul. & Iohnſ.

SIMOS, *Simothes*, i. e. *Ceruſſa*. Rul. & Iohnſ.

SIMOTRACHELOS, σιμοτράχηλος, dicitur, *qui humeros attollens cervicem contrahit*, arrogantis & glorioſi inceſſum repræſentans. Idem eſt, quod βυσαύχην. Rob. Keuchen. *ad Seren. in Sammon. Medicin. metr. p.* 150. Vide *Byſauchen*.

SIMPLEX, ἁπλοῦς, *Simplicitas*, ἁπλότης, uſitatiſſimus terminus in Medicina, de rebus naturalibus, præternaturalibus, & non naturalibus. Quando de partibus dicitur, idem eſt, quod *Similaris*, vel *Homogeneus*. Quando de morbis, intelligitur ille, qui unam ſaltem partem affectam occupat: quamvis & febris *ſimplex* dicatur Galeno, quæ mitis eſt, & cum ſignis tutis cumprimis, qualis eſt Ephemera, *l.* 1. *de Criſ. c.* 16. Remedia *ſimplicia* dicuntur, ad differentiam compoſitorum, quibus etiam communiter anteferuntur, Helmont. *tr. Pharmac. ac Diſp. n.* 5. quamvis experientia teſtetur, hoc univerſaliter verum non eſſe, ob frequentiſſimam in corpore humano heterogeneitatem valde miſtam & intricatam. Vide *Dogm. noſtra P. VI. c.* 4. *d.* 3. *p.* 747. *ſeqq.* In genere vero *ſimplex* & natura & doctrina prius eſſe compoſito, recte dicitur à Gal. *l.* 1. *de diff. reſp. c.* 2. 3. *aph.* 15. *& alibi*. Chymici tria *ſimplicia* materialia corporum naturalium ſtatuerunt, ceu principia, *vaporoſum*, *inflammabile*, *fixum*, *Th. Chym. Vol. I. p.* 101. Aliis vero quinarius numerus placet: de qua ſententia alibi dictum.

SIMULATIO, προσποίησις, dicitur de iis, qui morbum *ſimulant*. Lege Galen. *libell. de iis, qui morbum ſimulant*. *Simulata* quoque *Medicatio* dicitur, quando cauſſa morbifica non perfecte removetur, ſed ſaltem movetur. Ita v. g. quando febris ſupprimitur, non depurato ſanguine ab inquinamentis ſuis, Lind. *Ex. XII.* §. 115.

SIMUS, vide *Simitas*. *Simus* quoque dicitur Gilla. Rul.

SINA, idem, quod *China*; De Medicina *Sinica* vide *Act. Lipſ.* 1682.

SINAPELÆON, σιναπέλαιον, i. e. *Oleum Sinapinum*, de quo Dioſc. *l.* 1. *c.* 47.

SINAPISIS, id eſt, *Bolus Armena*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SINAPISMUS, σιναπισμὸς, & de medicamento tenuium partium, acri & vehementer calido ex *ſinapi* compoſitum dicitur, Galen. *l.* 3. *de L. Aff. c.* 4. ubi ἐρυθρασμὸς διὰ νάπυος vocatur: & de ipſa operatione, quæ eſt ſpecies *Rubificationis*, vel *Phœnigmi*. Vide *Phœnigmus*. Hor. Augen. vocat *Sinapiſma*, *Tom. II. Epiſt. & Conſ. Med. l.* 3. *p.* 497. *ſeqq.* quamvis vitioſe per *y* legatur. In priori ſignificatione ſumitur à Schroder. *l.* 2. *c.* 44. in poſteriori *l.* 1. *c.* 3. Adde Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 41. *Spec. l.* 2. *ſect.* 33. Morell. *l.* 2. *de form. rem. ſ.* 1. *c.* 14.

SINAPIUM vocatum *Embamma*, vel *Intinctus ex ſem. ſinapi* paratus; cujus meminit J. Alex. *l.* 20. *Sal. cap.* 15.

SINAROS, σιναρὸς, h. e. *Læſus*. Legitur apud Hipp. 3. *de fract. t.* 44. 2. *de artic. t.* 37. *& c.* 3. *t.* 70. *l* 6. *Epid. ſ. VII.* 72. à vocab. σίνος, quod *læſionem*, *noxam* ſignificat. Unde & contrarium ἀσινὴς, *illæſus*. Foëſ. *p.* 567.

SINCERUS,

SINCERUS, γνήσιος, idem, quod *Legitimus.* Vide *Gneſios.* Interdum etiam pro *puro* ſumitur. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.*

SINCIPUT, vel *Synciput*, βρέγμα, anterior capitis pars, ſupra frontem, capillis intecta, *l. Introduct. c.* 10. Barthol. *l.* 3. *Anat. procem.* Vide *Bregma.*

SINE PARI, eſt epitheton Emplaſtri alicujus Londinenſium, de quo vide *Par.* In Anatomicis quæ dicatur *Vena ſine pari*, vide ſupra in *Azygos.*

SINGULARE idem fere ſignificat, quod *Specificum*, eſtque epitheton Medicamenti, quod legitime adhibitum, *ſingulari* planè vi ac proprietate huic vel illi affectui p. n. remederi dicitur. D. Velſchius *in Diſp. de Singularibus.*

SINGULTUS, λύγξ, λυγμός. Vide *Lygmos. Singultuoſa febris* dicitur Practicis non illa, ubi aliquando *ſingultus* moleſtat, ſed quam fere per omnia tempora comitatur hic affectus, & cum febre exacerbatur, notante Petr. Mich. de Calderia *Tom. I. Oper. pag.* 423.

SINISTER, ἀριστερός. Vide *Dexios.* Dieterich. *n.* 104.

SINOMOROS, σινόμωρος, dicitur *malignus, noxius*, pernicioſus. Legitur apud Hipp. 3. *de art. t.* 51. *&* 54. Jung. Foëſ. *d. l.*

SINOPIS, σινωπὶς, ſpecies *Rubricæ* melior. Vide *Miltos.* Apud Rul. etiam *Sinopida* in nomin. dicitur.

SINOS, σίνος, *Noxam, offenſam*, ſignificat, idem, quod βλάβη. Frequenter legitur apud Hippocr. v. g. 3. *de R. V. I. A. t.* 14. 2 *de fract. t.* 15. *l.* 5. *Epidem. XIV.* 3. *l. de vuln. cap. X.* 2. *& alibi.* Vide Foëſ. *p.* 566.

SINUS, κόλπος. Vide *Colpos.*

SIPHA, terminus obſcurus apud Paracelſ. de quo dicit, quod ſaga, vel Pithoniſſa, ignem veluti e ſilice hoc eliciat, & tempeſtatem excitet, *tr. de Podagra tit. Proceſſus.*

SIPHAC, idem eſt, quod *Peritonæum.* Foreſt. *l.* 6. *Chirurg. obſ.* 48. *Schol.*

SIPHILIS, *Syphilis*, *Siphylis*, varia hujus vocis ſcriptura hauddubie inde contigit, quod hactenus de hujus nominis origine vera, Græca, aut Latina, nemine certi quid conſtiterit, neque Fracaſtorius, ceu Italus Medicus Veronenſis, qui in ſuis operibus peculiarem libellum metricum hoc nomine inſignivit luem Veneream ſive morbum Gallicum intelligens, ſollicitus fuerit, vel de ejus vocis origine, vel orthographia accurata. Nobis tamen placeret, ſi licet ὀνοματοποιεῖν (quidni vero liceret, quod aliis haud vitio vertitur) appellare morbum hunc *Siphlidem*, σιφλίδα, ac originem hujus deducere à Græco σιφλὸς, quod contracte idem eſt ac σιπαλὸς, *turpis*, deformis, ut ita deformitas hujus morbi eo clarius exprimeretur, quam corpori & animo infert, quemadmodum ideo recte cecinit dictus Autor *lib.* 1. *de Siphylide fol.* 240. *ſub finem,*

Quippe lue hac naſcente putem ſimul omnia diras
Eumenidas ceciniſſe fera ac crudelia nobis
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciviſſe lacus, &c.

Vide plura in *Syphilis.*

SIPHITA, *Syphita*, nomen morbi, apud Paracelſ. & diſtinguitur in pravam & ſtrictam. *Siphita prava* morbus eſt vulgo *Chorea S. Viti* dictus. *Siphita ſtricta* eſt morbus phantaſticus eorum, qui *noctu dormientes ambulant. Noctambulatio.* Dorn. Rul. Iohnſ. e Paracelſ. *de præparat. l.* 1. *Tract.* 4.

SIPYIS, σιπυὶς, *pyxidem* ſignificat apud Hippocr. *libr. de ſteril. XXII.* 15.

SIRA, id eſt, *Auripigmentum.* Rul. *in Lex.*

SIRACOSTUM, vel *Alſiracoſtum*, eſt nomen medicamenti Arabicum in febribus acutis laudati, apud Meſuen *in Operib. fol.* 112. *c.*

SIRÆUM, σίραιον, quodvis decoctum dulce interpretatur Galenus, & Erotianus οἶνον σίραιον alios ἕψημα adpellare ait, id eſt ſapa. Vide *Sapa.*

SIRENES, *Sirones*, dicuntur *puſtulæ manuum & pedum*, Walther. *in Sylv. Med. p.* 1373. Dorn. Rul. Iohnſ. *in Lex.* Lang. *l.* 2. *ep.* 42. Jungatur D. Etmülleri obſervatio de *Sironibus* in *Act. Erud. Lipſ.* 1682. *Sirenes*, σειρῆνες, quoque dicuntur *monſtra marina*, partim piſcis, partim hominis formam, & quidem fœminæ, ſive virginis, repræſentantia; de quibus legantur *Eph. Nat. Cur. An. I. O.* 23. ubi ἀνθρωπόμορφοι piſces vocantur, & Eraſm. Franciſc. *Horti Indic. Or. & Oec. Part. II. p.* 1412. *ſeqq. Syrenes*, perperam per *y*, apud Dorn. Rul. & Iohnſ. deſcribuntur, quod ſint monſtra marina e nymphis nata.

SIRIASIS, σειρίασις, item σιρίασις, eſt nomen *morbi infantilis*, videl. *inflammatio cerebri* & *membranarum*, quam conſequuntur ſincipitis & oculorum cavitas, febris ardens, pallor, totius corporis ſiccitas, & inappetentia. Derivatur à σειρὸς, quod foveam, in qua ſemina recondunt & aſſervant, ſignificat. Gorr. & Caſtell. Ita & in ſyncipite, ubi ſutura ſagittalis & coronalis coëunt, membranacea illa portio, *folium* vulgo dicta, omnium poſtremo in oſſeam duritiem coaleſcens tum temporis ſubſidet, & foveam quaſi conſtituit, quod plerumque lethale habetur ſignum. Cauſſa eadem, quæ aliarum inflammationum, ſanguis videl. acrior fervidiorque circa membranas cerebri ſtagnans, malignitatis ichoroſæ ſalinæ hauddubie particeps. Vid. Senn. *Med. Pr. T. IV. th. de Infantilium morb. cur. P. II. c.* 7. *h. tit.*

SIRICON *de plumbo*, id eſt, *Cinis plumbi.* Ruland. & Iohnſ.

SIRINGA, id eſt, *Calx.* Iidem.

SIRIUS, σείριος, proprie dicitur de ſidere, antiquis etiam famigerato, quod *Canicula*, κύων, dicitur, cui

cui ſingularem virtutem fervoris in diebus Canicularibus, quando cum Sole exoritur, attribuerunt. Unde & Hipp. tempus illud ante *Canem*, ſub *Cane*, & poſt *Canem*, aliquoties inculcavit. Verum rectiſſime expedivit hanc opinionem, non aſtro huic, ſed Soli καῦμα illud adſcribens Linden. *Ex. XI.* §. 170. *ſeqq.* quamplurimis & confirmavit ſuccincte calculo ſuo Cl. Dn. Sturmius, *Scient. Coſmic. Part. Spec. Tab. IX. in fin.*

SIRONES, vide *Serenes.*

SIROTES, σιρώτης, vide *Simiſſa.*

SIRSEN, Arab. rectius, quam *Birſen*, ſignificat apoſtema capitis calidum: eſtque idem, quod *Phrenitis*, Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 1. *Schol.*

SIRUPUS, *Syrupus*, *Serapium*, σεράπιον, Actuario eſt medicamenti forma fluida, ex decocto, vel ſuccis, aut infuſione, conflata, ſaccharo aut melle dulcorata, atque in eam conſiſtentiam cocta, ne gutta in marmore defluat, ad alterandum, vel purgandum comparata, Morell. *l.* 1. *de form. rem. ſect.* 1. *c.* 4. Weker. *Antid. Gen. l.* 1. *c.* 13. *Spec. l.* 2. *ſect.* 2. Schroder. *l.* 2. *c.* 84. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Obiter ſcrupulum addere libet meum, quod nullam rationem videam, cur per *y* ſcribatur communiter, præſertim quod Græcis ignota fuerit hæc medicamenti forma, nec origine ſua Græcum ſit vocabulum. Hinc & Eſthii opinio, *Syrupum* quaſi συρία ὀπὸν, h. e. liquorem Syris uſitatum dici, magis commentitia & coacta, quam veritati conſona nobis videtur.

SIRZA, idem, quod *Eſchara.* Dorn. Ruland. Iohnſ.

SITANION, σιτάνιον. Vide *Setanios. Hornus.*

SITIOLOGICE, σιτιολογική, vocatur à Lindeno pars Diæteticæ ſecunda tractans alimentorum eſculentorum & potulentorum facultates & uſum *in Manuductione ad Medicin.* à D. Schelhammero edita *poſt Introduct. Conringian. p.* 92.

SITION, σιτίον, latam & ſtrictam habet ſignificationem. Late omnia *alimenta*, *eſculenta*, & *potulenta*, σιτίων nomine veniunt, Hipp. 2. *aphor.* 38. *l.* 6. *Epid. ſ.* 5. *t.* 20. Stricte *panes ex tritico* σιτία vocantur, 4. *de R. V. I. A. t.* 91. Vide Linden. *Ex. XIII.* §. 160. Dieter. *IX.* 173.

SITIS, δίψα, vide *Dipſa.*

SITOS, σῖτος, in genere *Cibum*, *Alimenta* ſignificat, ſtricte frumentum. Vide *Cibus.*

SITOSPELTON, σιτόσπελτον, ſic dicitur à quibuſdam *Feſtuca*, ſive *Ægilops.* Gorr.

SITTA, σίττα, nomen avis, & ſpecies *Pici*; cujus deſcriptionem vide in Aldrov. *l.* 12. *Ornith. c.* 38.

SITUS æquivocum eſt apud Lat. Proprie reſpondet Græco θέσις, Lat. *Poſitus*: denotatque partis ſolidæ locum naturalem & poſitionem à Medico probe ex Anatomicis addiſcendam; quo vitiato, Morbi malæ Conformationis oriuntur; qui dicuntur *Morbi in ſitu.* Multum etiam confert noviſſe *ſitum* partium ad curationem, Gal. *l. de art. med. med. conſt. c.* 17. In ſpecie *ſitus* uteri gravidarum recte cognitus, num recte vel prave ſeſe habeat, quantum uſum habeat in faciliori vel difficiliori partu ex profeſſo longa experientia edoctus oſtendit D. Henr. Deventer *in ſuo Lumine Novo pro obſtetricant.* præſertim *Cap. XXI. & ferme per totum librum.* Deinde *ſitus* ſignificat mucidam lanuginem, quæ ſuperficiei materiæ lentæ pituitoſæ adnaſcitur ex corruptione. Lind. *Ex. X.* §. 45.

SMALTUM, idem, quod *Amauſum.* Vide ſupra in AM.

SMARAGDINON, σμαράγδινον, nomen eſt *Emplaſtri*, cujus deſcriptio habetur apud Celſum, *l.* 5. *c.* 19. ita dictum ob ſummam *viriditatem.*

SMARAGDUS, σμάραγδος, dicitur lapis quidam pretioſus, vel gemma pellucida, amœno virore pulcherrima, & inter reliquas fragillima, cujus pleniorem deſcriptionem, ſpecies, vires & uſum vide apud Plin. *l.* 38. *c.* 5. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *p.* 212. *ſeqq.* Schroder. *l.* 3. *c.* 3. *num.* 8. Fr. Hofm. *in Clav.* Rul. & Iohnſ. Th. Chym. *Volum. pag.* 389. Lang. exiſtimat, Galenum per *jaſpidem vi idem* intellexiſſe *Smaragdum*, *l.* 2. *ep.* 49. *Praſinam gemmam*, πράσινον λίθον, quoque vocari, teſtatur Keuch. *ad Samon. p.* 277. *Smaragdum* fieri ex Cœlo Veneris, & ex terra Lunæ, legitur *in Th. Chym. Vol. I. p.* 487. E liquore Veneris quoque deduxit Libav. *S. Arc. Ch. l.* 3. *c.* 8.

SMARAGEO, σμαραγέω, *ſtrepitum edo*, reſono. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XLIV.* 2. Foëſ. *p.* 576.

SMARIS, σμαρὶς, piſcis dicitur, ex *Mænarum* genere; cujus deſcriptionem & uſum vide in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 40.

SMECTIS, vel *Smectris*, σμηκτὶς, ἢ σμηκτρὶς, epitheton *Terræ Cimoliæ*, quod detergendi vim habeat, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXVII.* 11. *l. de fiſtul. II.* 10. adde Gal. *in expoſ. dict. Hipp.* & Erot. *Onom. p.* 108. *a.* Σμηκτικὸς enim ſignificat vim detergendi, & legitur apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 114. *cet. c.* 129. *ed. Sar.* de Ebeno ligno.

SMEGMA, σμῆγμα: vide *Sapo.*

SMEGMATOPOEUS, σμηγματοποιὸς, vocatur is homo, ſexus vel maſculini, vel fœminini, qui *ſapones conficit* ſive ſmegmata. Legitur vero apud Chr. Merett. *in Not. ad Ant. Neri art. Vitrar. p.* 327.

SMELE, σμήλη, fere idem, quod *ſmegma*: Pulvis dicitur ſiccus, qui cuti non unctæ aſpergitur ad eam detergendam. Ejuſmodi facultatem habent nitrum, ſal, mel, ſalis flos, cimolia, lomentum fabarum, furfur, pumex, &c. Gorr.

SMILE, σμίλη, vocatur *ſcalpellum*, & eſt inſtrumentum Chirurgicum, quod utrinque aciem habebat, & lineas utrasque ſecantes, utrinque curvas; ſed alteram concavam, alteram vero illi oppoſitam, gibbam.

bam. Cuſpis autem acuta erat. Diverſi generis erant; aliud magnum, aliud parvum, aliud mediocre, Gorr. Meminit hujus vocabuli Gal. *de fœt. form. c. 6.* ubi Lat. Interpres addidit, eſſe cultrum ſutorium.

SMILION, σμιλίον, nomen medicamenti acris ad rumpenda apoſtemata, apud Ægin. *l. 3. c. 23. l. 4. c. 18. l. 7. c. 17.* Scribitur & σμηλίον, non male forſitan, παρὰ τὸ σμήχειν, à *detergendo*. Gorr.

SMINTHIOS, σμίνθιος, epitheton *ſalis lacuſtris*; cujus meminit Gal. *l. 11. de S. Fac.* §. *Sales.*

SMIRIS, σμίρις, *Smyris*, σμύρις, apud Rul. eſt *lapis duriſſimus* & aſperrimus, quo utuntur ſculptores annularii, & alii artifices, ad ſcindendum vitra, & alios lapides. Utilis habetur ad erodendum & urendum, ut & ad gingivas exulceratas, & dentifricia. Rul. Ægin. *l. 7. c. 3. in Lith.* ſ. *Lapides.* Dioſcorid. *l. 5. c. 166.*

SMODICON, σμωδικὸν, idem, quod μωλωπικὸν, h. e. pharmacum ad *vibices* conveniens: σμῶδιξ enim *vibicem* ſive livorem ex plaga denotat. Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *p. 576.*

SMYRNA, σμύρνα. Vide *Myrrha.*

SOBOLES, ἔγγονα, idem, quod *Liberi.* Gal. *l. 2. de ſem. c. 5.*

SOBRIETAS, νηφαλιότης, idem, quod *Temperantia*, virtus præſcribens voluntatis imperio cibum potumque, prout ſatis eſt ad neceſſitatem, Medico commendata à Lind. *Ex. II.* §. 27. quin & aliis, ceu morborum noverca & omnium virtutis bonorum diſpenſatrix, Lang. 1. *ep.* 55. Opponitur *Ebrietati*, utriusque vocabuli ridiculam Etymologiam vide ſis apud Dieter. *Iatr. n.* 524.

SOCCUS, ἀρβύλη, vide *Arbyle.*

SODA Arab. *Dolor Capitis* dicitur, vel *Cephalalgia.* Dieter. *Iatr. p.* 624. Valeſc. de Tarant. *Phil. Pharm. l. 1. c. 7. p.* 20. Walth. *in Sylv. Med. p. 376.* *Soda* quoque dicitur in arte vitraria cinis, qui ex combuſtis herbæ kaly ſpeciebus ſuper terreis cratibus decidit in foveam, & in lapideam maſſam coit & induratur. Ch. Meretti *d. l. p. m.* 286.

SODA SUBETHICA vocatur *ſoporiferus capitis dolor.* Bonet. *in Anat. Pr. l. 1. ſect. 3. obſ. 31. p. 139.*

SODOMA dicitur cum epitheto *Gallorum Lues Venerea* à Paracelſo *l. 3. Chirurg. c. 1.*

SOL, ἥλιος, quæ propria ſit ſignificatio, pueri quoque e Nomenclaturis norunt. Cujus inſignem virtutem & efficaciam in corpora naturalia, in ipſum etiam hominem, præſertim vero in aërem nos ambientem, ſi quis vellet in dubium vocare, næ ille recte diceretur adverſus *Solem* loqui, & in manifeſtis dubitare, quod ſtupidi eſſe, vel ſi invertere conaretur manifeſta, ſtolidi proprium dixit Gal. *lib. 2. de mot. muſc. c. 5.* Imprimis vero autor caloris dicendus, ejuſdemque in aëre mutationis, *Sol* enim cauſſa eſt caloris ejus, quem aër ambiens nos per æſtatem habet, prope nos juxta verticem accedens faciensque diem longiorem: Et ipſe ad eundem modum cauſſa eſt frigoris hyemalis, qui obliquus & humilis exiguo tempore ſuper terram fertur, Gal. *com. 1. de nat. hum. c. 36.* Hinc *Sol* aëri præſidere, quemadmodum *Luna* aquis, dicitur, Helmont. *tr. Form. ort. num. 94.* *Sol* recte dicitur univerſalis motor, Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. I. ſect. 1. c. 1. p.* 32. 33. An *Sol* eſt ipſa Mundi Anima Platonica? Tropice *Sol* dicitur primum ignis in corpore humano inviſibilis, à Sole cœleſti influens, nativum ignem fovens in homine, Dorn. Rul. & Iohnſ. Imo quantum e Paracelſ. colligere licet, *Sol microcoſmi* eſt ipſe ignis, vel calor nativus, quam cauſſam etiam phthiſeos dixit *tr. de Tabe*, & *Paragraph. l. 5.* §. 2. Deinde *Sol* Chymicis dicitur *Aurum*; de quo paſſim in ſcriptis Chymicis. Vide *Aurum.* *Sol Gabanalæ* eſt Paracelſi Nectromanticum figmentum, *tr. Philoſoph. ſagacis.* De *Sole* artificiali perpetuo mobili à Chr. Ad. Balduino invento, videatur Ejuſdem *Hermet. Curioſ. Inventum V.*

SOLADINI ſunt *ſpiritus corporei*, in igne degentes inviſibili, Dorn. *in Dict. Paracelſ.* ſupra *Saldini* dicti.

SOLATER, id eſt, *Argentum vivum.* Rul. & Iohnſ. apud quem *Solatur* legitur.

SOLDURA dicitur *fæx ſalis* alkali, quod ad vitra alba ſumitur, Libav. *S. A. Ch. l. 8. c.* 38.

SOLEA, βούγλωττον, Latine etiam *Bugloſſum*, dicitur, piſcis planus marinus, ſquamoſus, *Paſſeribus* affinis, cujus hiſtoriam, cum uſu in cibis, vide apud Aldrov. *l. 2. de piſc. cap.* 43. Meminit & Gal. *l. 3. de Al. fac. c.* 30. Jung. J. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 8. Bruyerin. *l. 19. de re cib. c.* 21.

SOLELASAR, id eſt, *Alkali.* Rul. & Iohnſ.

SOLEN, σωλὴν, æquivocum eſt. Primum notat *canalem* ad aquæductus, Lang. *lib. 1. ep.* 44. Deinde *Solen* dicitur *inſtrumentum Chirurgicum* oblongum, intus cavum, in quod membrum fractum, crus, aut femur, imponitur & continetur. Hippocr *l. 2. de fract. t.* 64. 75. & *cap. 3. de iis, q. in medic. t.* 18. Gal. *lib. 6. M. M. c.* 5. Celſ. *l. 8. c.* 10. Ægin. *l. 6. cap.* 106. Denique *Solen* eſt ſpecies conchæ marinæ oblongæ, rotundæ, duum generum, maris & fœminæ. Utriusque deſcriptionem cum uſu vide apud Aldr. *l. 3. de Teſtac. c.* 75. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect. 1. p.* 47. 48.

SOLENARIUM, σωληνάριον, inſtrumentum Chirurgicum, canalis inſtar, quod ſupponitur membro virili, inſtar *Solenis*, legitur apud Gal. *l.* 14. *Meth. med. c.* 16.

SOLEUS dicitur muſculus pedis. Bart. *l. 4. c. 13. p.* 582.

SOLICITUDO, idem, quod *Cura*, φροντὶς. Vide *Cura.* Gal. *l. de parv. pilæ exerc. c.* 3.

SOLIDUS, στερεὸς, dicitur de *partibus corporis*, quæ conſiſtentiam certam, figuram, circumſcriptionemque habent, contradiſtinctæ ab humoribus & ſpiritibus,

ſpiritibus; Gal. *l.* 1. *de nat. fac. c.* 8. Adde Dieter. *n.* 788. Hippocr. ἴσχοντα, continentia dicuntur. Has ſolas partium nomine dignari voluit Fernel. Sennert. & alii illorum aſſeclæ; ſed abſque ratione prægnante. Vide *Meros*. Omnes *ſolidæ* partes ſunt etiam *Organicæ*. In genere *ſoliditas* corporum debetur ſolis particulis terreſtribus, quæ vinculi & carceris loco exiſtunt fluidis. Jac. le Mort *Pharm. Med. Phyſ. cap.* 5.

SOLIMEMBRIA legitur in Galeno latino, *c.* 1. *de art. t.* 46. ubi in Græco habetur ὁλομελίη, denotatque *ſolidam* atque *integram* alicujus rei *naturam*, & in illo loco quidem, glandularum in ſpecie, quemadmodum & de illis uſurpavit Hippocr. *l. de Glandul. in princip. ſtatim & IV.* 9. Generaliter vero de omnibus corporis membris, *l. de Alim. IV.* 25. ubi opponitur etiam τῷ μέρει, *iuxta partem*, ſive particulariter. Legitur & in Epiſt. Democriti *ad Hippocratem*, *circa finem*, in generali ſignificatione. Vide Foeſ. *p.* 466. Quemadmodum vero quoad Græcum vocabulum, res eſt expedita, ſi emphaſin Etymi attendas, quod ſcil. οὖλος pro ὅλος, Ionice ſcribatur, & ſignificet *totum*, *ſanum*, integrum: μέλος vero *membrum* dicatur; & ita ὁλομελίη nihil aliud ſit, quam *integritas membrorum corporis*: Ita e contrario non video, quid ſibi velit fictum illud latinum nomen *Solimembria*, quod merito inter barbara referri debet.

SOLIPEDA, idem, quod *ſolungula*, μονώνυχα, μώνυχα. Vide *Monycha*.

SOLITARIUS, μονήρης, i. e. *amans ſolitudinem*. Vide *Moneres*.

SOLITUDO, μόνωσις, βίος μοναδικός, dicitur Melancholiæ pabulum, & ita vel inter cauſſas, vel ſigna morbi melancholici referenda. Dieter. *Iatr. p.* 771.

SOLIUM, κολυμβήθρα, δεξαμένη, nihil aliud eſt, quam vas, in quo homines ſedentes lavantur: idem, quod *Labrum*. Vide *Dexamene*. Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 23. *Solium* quoque vocatur altera ſpecies vermium latorum, quæ capite formato conſtat, ad differentiam Tæniæ, quæ abſque formato capite & motu vivit. Videantur *Acta Erudit. Lipſ. A.* 1700. *m. Novemb. p.* 322. *ſeqq.* ubi depicta & deſcripta accurate exhibetur.

SOLOMA, idem eſt, quod *Brumaſar*, & videtur ænigmatice denotare *Argentum*, vel *Lunam Chymicorum*. Vide *Th. Chym. Vol. IV. p.* 986.

SOLESQUIUM, id eſt, *ſulphur*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

SOLSTITIUM, Gr. τροπή, quæ duo nomina invicem videntur pugnare. Quando enim in Latino dicitur *Sol* veluti *ſtare*; in Græco exprimitur per *vertere*: Utrumque recte. Cum enim duo ſint *ſolſtitia*, æſtivum & hyemale; & utrumque ita ſit comparatum, ut Sol tardius motu proprio videatur progredi; dictæ ſunt Latinis *Solſtitia*: E contrario; quia in æſtivo Sol ſummam acceſſionem ad verticem noſtrum attingit, & paulo poſt ab illo rurſus recedit; ita & in hyeme, cum remotiſſimus fuerit à vertice, & mox ad illum rurſus aſcendere incipiat motu ſuo proprio; non inepte τροπαὶ q. d. *Verſiones*, ſcil. motus Solis appellantur. De iis lege Ægin. *l.* 1. *c.* 100. Meminit & Hippocr. *de A. L. & Aq. XXX. V. I.* 3. *de diæt. X.* 9. *V.* 20.

SOLVAS Paracelſo dicitur materia quædam liquida, diſſolvens luctum, *de morb. ex Tartaro tract.* 1. *c.* 4.

SOLUTIO, λύσις, homonymon eſt. Vide *Lyſis*. Quibus addi debent, quæ de *Solutione* artificiali Chymica leguntur apud Rul. & Iohnſ. *Solutio*, διάχεσις, eſt prior Chymicæ Practicæ pars; qua rerum coagulatarum compages ſolvitur & attenuatur. Hæc multis quidem diſtincta eſt ſpeciebus; ſed nomen, apud artifices, in uſu diſciplinæ, de una familiarius & frequentius uſurpatur, quam de altera, & nonnunquam certa quædam ſpecies generis vocabulo ſolo deſignatur. *Solutio* eſt duplex: *Liquatio*, & *Segregatio*; vel *Calcinatio* & *Diſſolutio*. Quære etiam in *Theatri Chymici Indicibus*. *Solutionis* per aquas fortes meminit Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 3. Solutionem Chymicam triplicem conſtituit Morley, una ſit calcinatione, ſecunda extractione, tertia purificatione. *Proleg. Chym. Leidenſ. c.* 3. *princ.* Accuratius de *Solutione* Chymica ſcripſiſſe videtur Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. I. ſect.* 1. *cap.* 4. *p.* 53. *ſeqq.* *Solutio* Spagyrica, in opere Lapidis Philoſophici, dicitur corporis in Mercurium reductio, & eſt artis fundamentum, & principium hujus Magiſterii. *Theatr. Chym. Vol. III. pag.* 132. 430.

SOLUTIVUM, Latinis aliquando idem eſt, quod *Laxativum*, ſive *Purgans mitius*, apud Lang. & alios Autores paſſim.

SOMA, σῶμα. Vide *Corpus*.

SOMATOMACHEO, σωματομαχέω, idem quod προσάπτομαι, denotat athleticum corporis exercitium; quando toto corpore & amplexibus certarunt gymnaſtæ, Gal. *c. de ſalubr. diæt. t.* 14.

SOMNAMBULO, ὑπνοβάτης, idem quod *Noctambulo*, de quo ſupra in NO. *Somnambulatio*, ὑπνοβάτησις, etiam legitur *in Lum. Ration. Medic. cap.* 10. *p.* 90. *ſeq.* & commodius videtur nomen, quam *Noctambulatio*, cum propria experientia ſimus edocti, Theologum quendam celebrem olim ſomno meridiano indulgentem inter dormiendum ſurrexiſſe, prodeambulaſſe, cum conjuge locutum eſſe, à qua etiam rurſus ad ſellam, in qua dormiverat, reductus, paululum adhuc dormivit, evigilans deinde omnium plane fuit ignarus.

SOMNIFERUM, ὑπνωτικόν. Vide *Hypnoticos*. Laudatiſſimus, inter omnia, habetur Lindeno *Syrupus* de

de Papavere. Ex. IIX. §. 81. Jungatur Ol. Borrichii *diſſertatio de Somno & Somniferis, maxime Papavereis,* cujus etiam mentio ſit *in Act. Lipſ.* 1682.

SOMNIUM, ἐνύπνιον. Vide *Enypnion.* Dicitur & *Inſomnium. Somnia* ſunt operationes, quæ fiunt inter dormiendum ab Aſtris in homine. Ruland. & Iohnſon.

SOMNOLENTIA, (an non licet Græce vocare ὑπνηλότητα?) dicitur in ſomnum propenſio & inclinatio. *Somnolenti* ὑπνώδεις vel ὑπνηλοὶ appellantur.

SOMNUS, ὕπνος. Vide *Hypnos.*

SOMPHOS, σομφὸς, diverſis gaudet ſignificationibus, pro conditione earum rerum, de quibus prædicatur. Vel enim ſignificat *laxum*, ſpongioſum, Hippocr. *l. de Loc. in hom. IV. 6.* vel *obſcurum* in voce, *l. 2. de morb. XXXIII. 6.* Vel colorem *fuſcum* & obſcurum, ut ſcribit Gaza, apud Foëſ. *Oecon. pag.* 576. *ſeq.*

SONATH, Paracelſicus Terminus, denotans remedium aliquod, in apoſtematibus laudatum; in quo ineſt aliqua vis expulſiva, *l. 2. de vit. long. c. 6.*

SONTICUS, idem quod *verus*, magnus, *ſacer*, ἀληθὴς, ἱερὸς. Dicitur de morbo, qui, quid agendum, agere non permittit. Keuch. *ad Sam. p.* 285.

SONUS, ἦχος, *Sonitus*, dicitur qualitas illa aëris, quæ auribus percipitur, ſive naturaliter, ſive præternaturaliter habuerit. Sonorum differentiæ & ſpecies ſunt *Tinnitus*, *Sibilus*, *Sonus gravis* & *obtuſus*, Schr. *l. 1. c.* 34. De *ſono* & *magiſteriis* circa *ſonum* vide Libav. *S. A. Ch. l. 6. c. 9. & Alchym. Pharmac. c. 7.* & ex recentioribus Georg. Morhofii tractatum: *Stentor* ὑαλοκλάστης, ſive *de Scypho vitreo per hum. vocis ſonum fracto.*

SOOS, σόος, *impetum* ſignificat, inde σωστικὸς, *Impetuoſus.* Jul. Alex. *not. in Gal. l. 4. de Hipp. & Pl. decr. c.* 5. Deſcendit à verbo σείω, quatio, agito. Alias σῶος, *ſalvum*, ſanum notare, e Lexicis novimus Græco-latinis.

SOPHIA, σοφία. Vide *Sapientia.*

SOPHISTÆ, σοφισταὶ, olim in bona ſignificatione dicebantur illi, qui ſolertia Politica, ac negotioſa prudentia excellebant: Poſtea vero receptior facta ſignificatio mala, qua *Sophiſtæ* dicuntur, qui ſe ſapientes videri magis, quam eſſe ſtudent, pecuniarum, honorisve gratia. Tales etiam inter Medicos reperiri quamplures, conqueritur Lind. *Ex. X.* §. 89. Quos Hippocrates alibi vocat σοφιζομένους, qui ſibi arrogant ſapientiam Medicam, 1. *de fract. t.* 5. Junge Foëſ. *d. l. p* 577. Dorneus *in Diction. Parac.* ita deſcripſit: *Sophiſtæ* ſunt magiſtri noſtri, qui ſe præſumunt omnium ſapientiſſimos, omnia ſcire ac intelligere, nihil etiam ignorare; cum nihil ſit iſtorum Doctorum ſapientia, præter meram ſtultitiam, eloquentia, vel facultate linguæ potius, aſtu faſtuque palliatam, captioſisque munitam ſyllogiſmis, quorum omnium ſi neges principia; mox ruit eorum Gigantum fabrica Nembrothica. *Sophiſtæ* ſunt, qui multum laborant, & parum proficiunt; quoniam nec definientes, nec diſtinguentes, omnia confundunt. Foreſt. *l. 16. Obſ.* 1. *Schol.* ex Jacchino. Jung. C. Rejes *C. El. q. 49. n.* 24. *Sophiſmata* dicuntur fallaces vel rationes, vel concluſiones. Gal. *l. de cujuſcunque animi morb. cogn. & cur. c.* 3. quamvis & in bona ſignificatione aliquando ſumatur, *Th. Chym. Vol. I. p.* 171.

SOPHISTICATIO virginum vocatur Alphonſo à Fontecha, quando partes genitales muliebres nimis laxatæ medicamentis adſtringentibus contrahuntur ad naturalem anguſtiam, quæ ars ſicut in caſu neceſſitatis non eſt rejicienda, ita merito inter malas mulierum vafrarum artes virginitatem ſimulantium refertur à Parac. *l.23.Chirurg.c.*42. Vid. P. Amman. *in Paræneſi ad diſcentes p.* 38. *Sophiſticum aurum* quid dicatur & quomodo fiat, vid. apud Iunken. *Lex. Chym. Pharm. P. 1. p.* 53.

SOPHRONESTERES, σωφρονιστῆρες, vocantur *dentes* intimi ac ultimi, in ſuperiori maxilla, ab utraque parte unus; qui in tertio vel quarto ſeptenario naſcuntur. Suntque ex genere Molarium, dicunturque *Dentes Sapientiæ*, vel *Sapientes.* Legitur apud Hippocr. *l. de Carnib. XIV.* 4. Foëſ. *p.* 609.

SOPIENS, idem, quod *Mitigans*, ἀνώδυνος. Vide *Anodynos.*

SOPIO, antiquis vocabatur *Opium*, teſte Rhodio, *in Lex. Scribon. p.* 418.

SOPOR, κάρος, κῶμα. Vide *Caros*, *Coma.*

SOPORARIÆ arteriæ, vel *Soporales*, καρωτίδες. Vide *Carotides.*

SOPORIFERUM, idem, quod *Somniferum*, ὑπνωτικόν.

SORA, idem, quod *Eſſere*, de quo ſupra.

SORBET, *Sorbetum*, eſt potio apud Ægyptios familiaris, parata ex Saccharo, ſucco Limonum, Moſcho, Ambra & aqua roſarum, de qua hoſpitibus ſuis offerunt poſt hauſtum poculum de potu Cafe, vel Cahue, uti extat in T. P. M. M. C. vernaculo tractatu *de potu Cafe, The & Chocolata p.* 62.

SORBITIO, ῥόφημα. Vide *Rophema.*

SORDES, ῥύπος. Vide *Rhypos.*

SORDITIES, dicitur pus craſſum coagulatum album aut ad nigredinem proclive. Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 3. *cap.* 1. *in princ.* Huic opponitur Pus tenue, quod dicitur *Virus. d. l.*

SOREX, idem, quod *Mus*, μῦς, vel ſpecies muris, ore acuminato prædita. *Soricum* fibras dierum Lunæ numero reſpondere, legitur apud Lang. *l.* 2. *ep.* 18. Unde *Soricis* cauda dicitur pulſus, qui & *Myuros* vocatur. Vide *Myuros.*

SORITICE, σωριτικὴ, *acervalis dubitatio* & intricatio, quæ multa indefinita, & nullis limitibus circumſcripta comprehendit. Legitur apud Gal. *l. de Marcor. c.* 4. De vocabulo *Sorites* vide Dieter. *p.* 482.

SORNI, *Spagyricis* dicitur *Mars*; qui rubeus eſt experientia, aſpectu vero citrinus ſiccitate ſuperatus, quemadmodum Mars eſt, & ſuæ Tincturæ color, qua ſuum arcanum in ſua alvo occultum eſt dulci aqua extrahendum. Ita deſcribitur *in arcanis Sapientum ſuper libr. Turba Philoſophor. diſtinct. 3. Th. Chym. Vol. V. p. 64.* ubi etiam modus extrahendi *Tincturam Sorni* traditur.

SORORIARI dicuntur Mammæ puellarum, quando intumeſcere incipiunt. An in maſculis pueris mammillarum protuberantia *fratrare* dicuntur, Græc. ἀδελφίζειν, apud Hipp. ex Foëſii *Oeconomia* de loco non conſtat, quemadmodum & illa in puellis ſororiatio, ἀδελφιξις τῶν τιτθῶν commode appellatur. Vid. Roſ. Lentil. *Miſc. Medico-Pract. P. III. p.* 130.

SORTILEGIUM, χρησμωδία, χρησμολογία, eſt præſagium ſpirituum: idem, quod Divinatio, Magia. Paracelſus quatuor ſpecies *Sortilegiorum* numerat, *Geomantiam*, *Aſtromantiam*, *Pyromantiam*, *Hydromantiam*, *l. de arte præſaga Tract.* 1. Alibi tamen, nimirum *Tract.* 2. *Necromantiam* quoque annumeravit.

SORY, σῶρυ, *Sorus*, *Sori*, σῶρι, Ægin. eſt minerale, vel medicamentum metallicum, lapidoſum, odore tetro, colore nigro, cognationem habens cum *Chalcitide Melanteria* & *Miſy*, utpote in iiſdem metallis proveniens. Cujus hiſtoriam & vires vide apud Dioſcor. *l.* 5. *c.* 119. Gal. *l.* 4. *de S. F. c.* 7. *& alibi.* Schr. *l.* 3. *c.* 18. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 4. *p.* 475. Ruland. & Iohnſ. *in Lexic.* Ferr. Imperat. *Hiſt. Nat. l.* 13. *c.* 16. Rhod. *ad Scribon. num.* 51.

SOSTRATI *vinculum*. Vide *Vinculum.*

SOTEIRA, σώτειρα, Latine *Servatrix*. Eſt nomen Antidoti, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 11.

SOTERIOS, σωτήριος: Vide *Salutaris.*

SOTIRELLA cum epitheto *Parva* vocatur, medicamentum compoſitum adverſus dolores dentium laudatum, cujus deſcriptio habetur *in Diſpenſ. Auguſt. & Londinenſ.* cujus tamen virtutem & efficaciam plane negat P. Amman. *in Irenic p* 44. dicens, plus eſſe in titulo, quam in pyxide.

SPACIUM, vel *Spatium*, χῶρα. Vide *Chora.*

SPADON, σπάδων, primo idem eſt, quod ἐκτομίας, *Caſtratus*, *Eunuchus*, C. Hofm. *not. ad Gal. LL. de U. P. n.* 1062. J. Alex *l.* 11. *Sal. c.* 6. *&c.* Vide *Caſtratus* Cæterum vocis *Spado* ſignificationem accuratius declaravit P. Ammann. *in Irenic. p.* 136. 137. & 144. 145. dicens *Spadonem* proprie dici eum, cujus nervi, qui membrum genitale erigere debent, item muſculi acceleratores, convulſi vel contracti ſunt. Deinde idem ſignificat, quod σπάσμα vel σπασμὸς, *convulſio*. Erotiano enim eſt corporis convulſio. In qua ſignificatione legitur apud Hipp. de varice, quando in vena quædam fit convulſio. *l.* 1. *de morb. X.* 59. *XI.* 19. *XV.* 3. Jung. Foëſ. *p.* 577.

SPAGIRIA, *Spagyrica*, idem, quod *Chimia*, *Chemia*, vel *Alchymia*, σπαγιρία, Paracelſo dicitur Ars, quæ purum ab impuro ſegregare docet, ut, rejectis fecibus, virtus remanens operetur. Et *Spagyrus* dicitur, quicunque novit diſcernere verum à falſo; à bono ſequeſtrare malum; impurum à puro ſeparare, & abjicere binarium, ſervata unitate: Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Rolfink. exiſtimat, eſſe Græcum vocab. à σπᾶν & ἀγείρειν, *diſgregare* & *congregare*. Verum in Lexico non occurrit. Vide *Chym. l.* 1. *c.* 8. *fin.*

SPALAX, σπάλαξ. Vide *Talpa.*

SPANA, σπάνη, & σπάνον, pro *Hiſpana*, epitheton *Picis*, apud Scrib. *n.* 256. Vid. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 443. Lang. *l.* 1. *ep.* 67. meminit ex Galeno *olei Spani*, vel *Hiſpani*, σπανὸν ἔλαιον.

SPANDARAPUM pro *Sparadrapo* aliquoties legitur apud Schenk. *Syntagm. comp. & præſcr. med. p.* 272. 275. 277. 284. ut non ſit veroſimile eſſe vitium typographicum.

SPANOPOGONES, σπανοπώγωνες, dicuntur quaſi *Raribarbi*, qui raram habent barbam, & quibus e mento pili excidunt. Gal. *l.* 3. *de fac. parab.* Adde Foëſ. *p.* 578.

SPARA, eſt *vis mineralis*, ex *Ilech primæ ſubſtantiæ*, i. e. mineralibus majoribus, Dorn. Rul. Iohnſ. e Paracelſo *l.* 4. *de Tart. tract.* 4. *c.* 1. *& in not. atque fragm.*

SPARADRAPUM, & *Sparadrapus*, dicitur Linteum Emplaſtro ad ignem fluenti immerſum, extenſum & refrigeratum. Vocatur & *Tela Emplaſtica.* Schroder. *l.* 1. *c.* 3. *Tela Gualteri* forſan ab Autore. Jung. Morell. *de form. rem. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 12. Meminit & Foreſt. *l.* 6. *obſ.* 56.

SPARAGMOS, σπαραγμὸς, idem, quod σπασμὸς, *Convulſio*. Unde σπαραγμώδης, qui convulſione tentatur. Hippocr. *l.* 7. *Epid. XIII.* 4. (quamvis Lind. σπασμώδης poſuerit) à verbo σπαράσσω, *vellico*, dilacero, quod occurrit *in Coac. t.* 557. Foëſ. *d. l. Agitatio helleborí* ante uſum vocatur σπαραγμὸς, ita docente Cæl. Aurelian. *l.* 1. *Tard. paſſ. c.* 4. *p. m.* 284.

SPARALLIUM, i. e. *Clyſter uterinus*, Paracelſ. *l. de ulcer. & apoſt. c.* 56. Dorn. Ruland. & Iohnſon. *in Lexic.*

SPAREDIA, vocatur Paracelſo ligatura, quæ albumine ovi illinitur, *in Apocryphis cap. de vuln. oſſium.*

SPARGANON, σπάργανον, dicitur *faſcia*, qua infantes obvolvuntur, *cunæ* & *incunabula*. Hinc verbum σπαργανοῦσθαι, i. e. *faſciis involvi*: quod legitur apud Hipp. 3. *de fract. t.* 76. Vide Foëſ. *d. l.*

SPARGANOSIS, σπαργάνωσις, eſt, dum ob lactis redundantiam mammillæ tumefactæ ſic diſtenduntur, ut copiam hanc vix ferre queant. Gal. *l.* 2. *ad Glauc. c.* 2.

Vel

Vel eſt Tumor mammarum p. n. in lactantibus, à Lactis ſtagnantis & collecti copia, continuitatem illarum cum dolore ſolvente, quemadmodum ſatis accurate hunc affectum deſcripſit & explicavit Dn. D. Joh. Paulus Wurſbain, *in Diſput. ſua Inaug. h. tit.* Jungatur & ex veteribus Valeſc. de Tarant. *Philon. Pharm. l.* 3. *c.* 15.

SPARGAO, σπαργάω, idem fere ſignificat, quod ὀργάω, *turgeo;* diciturque de humorum luxuriante & ferociente impetu ad excretionem. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. VI.* 40. In ſpecie de *Lactis turgentia* in mammis etiam expoſuit Heſychius, teſte Foëſ. *d. l.*

SPARUS, σπάρος, nomen piſcis littoralis, Auratis non prorſus diſſimilis, cujus hiſtoriam & uſum in cibis quoque tradidit prolixe Aldrov. *l.* 2. *de piſc. cap.* 18. & Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 10. Bruyer. *de re cib. l.* 20. *c.* 5.

SPASMA, σπάσμα, vide *Convulſum.*

SPASMODES, σπασμώδης. Vide *Convulſivus.*

SPASMODICUS, ita hactenus communiter ſcriptum fuit, quamvis perperam, rectius.

SPASMOS, σπασμός. Vide *Convulſio.*

SPASMOTICUS, σπασμοτικός, quia hæc terminatio Græca in aliis ſemper per τ exprimitur, v. g. paralyticus, epilepticus, hypnoticus &c. Idem eſt quod convulſivus. Dicitur vel de motibus membrorum convulſivus, vel etiam de remediis contra convulſivos morbos, quæ & *Antiſpaſmotica* vocantur. Hanc ſcribendi per τ rationem etiam retinuit D. D. Frideric. Hoffmannus *in Fundamentis Medicinæ.* Qua vero licentia vel autoritate D. Chriſt. Franc. Paulini tract. de anguilla *ſect.* 2. *c.* 1. §. 2. vocabulo *Spaſmaticus* pro convulſione correpto, nobis quidem non conſtat.

SPASNIA, vehemens in tuſſi, & muſculorum, thoracis veluti lancinatio. Mercurial. *in prælectionibus Piſanis.*

SPATHA, σπάθη, valde eſt æquivocum. Significat interdum *gladium*, enſem; hinc & *ſemiſpatha* gladium minorem notat. Rhod. *ad Scribon. n.* 13. Inde & fortaſſis *ſpatharius* dictus, qui corporis cuſtos habetur, ὁ σωματοφύλαξ. Id. *n.* 212. Aliquando ſignificat inſtrumentum, quo Pharmacopœi utuntur ad coquendum, miſcendum, detergendum, in cacabo, aut mortario. Materia earum vel ferrum, vel lignum, palmæ, quercus, rubi &c. Gorr. ex Gal. *lib.* 1. *de C. M. P. G. c.* 4. Dicitur etiam alias *Rudicula.* Spathæ, σπάθαι quoque vocantur *coſtarum oſſa*, vel coſtæ ipſæ, uti probavit Foëſ. *d. l.* ex Polluce & Ruff. Vel etiam *ſcapulam* ſignificat, apud Hippocr *l. de glandul. X.* 10. *Spathula* diminutivum eſt. Spathe, σπάθη, etiam dicitur operimentum Palmæ fructus exterius, Ægin. *l.* 7. *c.* 18. *in* §. *Gleucinum.* Chirurgicam ſignificationem vide in *Stethoides.*

SPATHESTER, σπαθηστήρ, dicitur inſtrumentum attractorium; ad *Recutitionem* ſive præputii deficientis reſtaurationem adhibitum, P. Amman. *Irenic. p.* 250. vide & *Recutitus.* Jungatur & Celſ. *l.* 7. *c.* 25.

SPATHOMELE, σπαθομήλη, *ſpecillum inſtar gladioli*, vel rudiculæ, Chirurgicum, ad illinendum & ad alios uſus Chirurgicos. Pertinet ad διπύρηνα. Meminit Galen. *c.* 2. *de artic. t.* 47. *& l.* 6. *An. adm. cap.* 10. Junge Rhod. *ad Scribon. n.* 26. J. Alex. *not. ad Gal. l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 4.

SPATILE, σπατίλη, vocatur *liquida alvi excretio.* Legitur apud Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 22. Junge Foëſ. *p.* 578. Apud Erot. legitur σπαταλη.

SPATULA, idem, quod *Spathula*, de quo p. a. *Spatula* etiam ponitur pro *Scapula*, Marcell. Cuman. *Obſ. XLIII.* apud I. H. Velſch. *Syllab. Cur. & Obſ. Med. Cent. I. p.* 63.

SPAUL, id eſt, *ſanguis.* Rul. *in Lex.*

SPECARIUM, σπεκάριον, idem, quod *Lapis ſpecularis*, alias σεληνίτης dictus, J. Alex. *not. ad Gal. l.* 11. *de S. F.* §. *de Oſtreis.*

SPECIES, εἶδος. Vide *Eidos. Specialis*, εἰδικός. *Specialiora* ſub generalioribus comprehendi, ſcribit Gal. *c.* 2. *de R. V. I. A. t.* 53. Quomodo *ſpecies* & pars differant, lege apud eund. *l.* 6. *de Hipp. & Pl. dec. cap.* 1. Jul. Alex. *in not. ad h. l.* In Pharmaceuticis *Species* dicuntur *Pulveres compoſiti* : quarum deſcriptionem & Catalogum vide apud Weker. *Ant. Gen. l.* 1. *c.* 26. *Spec. l.* 2. *ſ.* 20. Schroder. *l.* 2. *cap.* 77. ut & *in Diſpenſatoriis.*

SPECIFICUS, non ſolum dicitur de medicamentis, & eorum virtutibus, à tota ſubſtantia, & forma intrinſeca eſſentiali, primario dependentibus; atque idem eſt, quod ἰδιοσυγκρασία. Vide *Idioſyncraſia.* Item *Occultus.* Hinc Ruland. & Iohnſon. ita deſcripſerunt : quod *Specificum formale* ſit, quod ſpeciem per formales proprietates ſaltem refert. Et licet materiales quoque virtutes concurrant, formales tamen excellunt, & illæ potiſſimum elaborando reſpiciuntur. Tales ſunt *Tinctura*, & *Oleum.* Verum etiam Paracelſ. non veritus eſt extendere ad ægritudines, eas appellando *Specificas*, quæ ſperma ſuum peculiare habent in corpore, *Paramir. l.* 2. *c.* 7. De *Specificis* vero medicamentis lege eundem *Archidox. l.* 7. Imo & Medicorum ſectam quandam conſtituit, quos vocavit *Specificos*, qui alias *Experimentales*, & *Empirici* vocantur, *in Paramiro de* 5. *entib. morbor. prolog.* 3. Hujus vocabuli ſignificationem variam clarius explicatam vide, ſi placet, aut ad manus fuerit, in Theoduli Kemperi *Diſſert. de Medicamentis ſpecificis c.* 1. Dicuntur & nonnullis Singularia, de quo vocab. paulo ſuperius. Pertinent & huc *Appropriata*, de quo etiam ſupra *ſuo loco.*

SPECILLUM, μήλη. Vide *Mele.* Alias proprie *Specillum* dicitur *perſpicillum*, quo aliquid *ſpicimus*, id eſt, videmus, ex Varrone, Rhod. *ad Scribon. n.* 10.

in qua ſignificatione quoque legitur apud Bonet. *Anat. Pract. l. 4. Obſ.* 33. *append.* 2. *p.* 341. *Specilla* quoque pro *Penicillis* & *Turundis* uſurpari, teſtatur Lang. *l.* 3. *ep.* 5.

SPECLARIUM, σπεκλάριον, idem quod διόπτρον, *Specillum*, *Perſpicillum*, per quod aliquid videmus accuratius. Dicitur & σφεκλάριον, *Spheclarium*. Vide Æginet. *l.* 7. *c.* 3. Keuchen. *ad Sammon. p.* 166.

SPECTACULUM, θέαμα, vocatur id, quod viſu dignum habetur, aut viſu percipitur. Quod ſi tale horrendum fuerit, rigorem excitare aliquando, teſtatur Gal. *l. de rigor. c.* 7.

SPECTRUM, φάσμα, idem quod *Viſio*, quid ſignificet, ex aliis Lexicis conſtat. Hæc pertinent inter cauſſas ſupranaturales morborum, quamvis Paracelſus naturaliter quodammodo *ſpectra* ſe habere exiſtimet, ex Aſtralibus corporibus defunctorum deducere commentus. *T. de Corallis & l.* 8. *de nat. rerum.*

SPECULARIS, διαφανὴς, nomen lapidis, de quo vide ſupra, in *Diaphanes. Specular*, vel eſt *Lapis Lunæ*, vel *Approſelinum*, vel *Gypſum*. Rul.

SPECULATIO, σκέμμα, θεώρημα, proprie quidem dicitur de eo, quod oculis contemplamur; verum frequentiſſima quoque eſt impropria acceptio, quando id, quod animo volvimus, & revolvimus, *ſpeculatio* vocatur, Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 6. *fere in princ.* Hanc *ſpeculationem* multum facere ad varietatem generationis, docet Paracelſ. *Tract.* 1. *de partu hom. c.* 2. *ſeqq. ut & alibi.*

SPECULATIVUS, θεωρητικὸς; dicitur etiam de Medicinæ parte illa, quæ in præceptis, ad praxin futuram proponendis, occupata eſt; non quod acquieſcat in contemplatione; ſed ſaltem comparative, ad ipſum Artis exercitium. D. D. Wedel. *Phyſiol. Med. ſect.* 1. *c.* 10.

SPECULIA, Paracelſo dicitur *ſpecies Magiæ*, quam etiam ex ſuper cœleſtibus corporibus dependere commentus eſt *l.* 1. *de vit. long. c.* 7. *fin.*

SPECULUM, κάτοπτρον, δίοπτρον, 1. ſignificat vitrum materia aliqua obductum, vel chalybs etiam politus & levigatus, in quo ſpecies viſivæ repræſentantur. De iis vide Libav. *l.* 1. *S. A. Ch. c.* 21. *&* 24. De *ſpeculi* talis uſu Chymico vide *Th. Chym. Vol. VI. p.* 484. *ſeq.* 2. idem eſt quod *Specillum*; de quo p. a. Vide *Mele. Specula Chirurgica* varia cavitatem aliquam diſtendentia *Dilatatoria* dicta, v. g. *Speculum Ani*, *Uteri*, *Oris*, *Oculorum*, deſcripta occurrunt in Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I.* quæ quæri poſſunt in Indice Inſtrumentorum. In Anatomicis quoque Aranea Tunica oculi vocatur *Speculum*, Barth. *l.* 3. *An c.* 8. *p.* 518. De *ſpeculo* uſtorio vel fuſorio, quod *Concavum metallicum ardens* dicitur, vide ſupra *Concavus.* 3. Improprie *Speculum*, cum adjectione, *Citrinum* appellatur *Arſenicum citrinum. Speculum album*, id eſt *Arſenicum deſcenſum. Speculum Indicum*, id eſt, *Limatura ferri.* Rul. & Iohnſ. Arnold. quoque de Villanova ſcripſit tractatum, quem inſcripſit *Speculum Alchymiæ*; & videri poteſt *in Vol. IV. Theatr. Chymici. Speculum Ononidis* quid vocetur Hartmanno, videatur in ejuſdem *miſcellaneis Chymico-Medicis.*

SPECUS, βάραθρον, ſignificat locum ſubterraneum, qui & *Spelunca* dicitur; quæ ſi graveolens fuerit, reſpirationem lædit, docente Galen. *l. de util. reſp. c.* 4.

SPEIRA, σπεῖρα, Lat. *Spira*, funem in orbem convolutum, & contortum ſignificat. Hipp. *l.* 2. *de morb. XXXIII.* 8. Jung. Foëſ. *p.* 579. Tranſlatum communiter ad quandam formam panis ſimilaginei, *Spira* dicti.

SPELTRUM, idem, quod *Zinkum*, notante Rob. Boyle Latinitate donato *in tract. de Flammæ ponderabilitate, Experim. XI.*

SPERCHNOS, σπερχνὸς, apud Hipp. frequens eſt & ſignificat *vehemens*, *urgens*, *l. de nat. mul. XXX.* 16. *XLI.* 2. *l. de morb. mul. XXXV.* 13. *& ſæpius.* vide Foëſ. *d. l.*

SPERMA, σπέρμα. Vide *Semen.*

SPERMA CETI, dicitur medicamentum quoddam ſimplex, exoticum, quod e mari, cui ſupernatat inſtar pinguedinis, colligitur. De quo nondum indubitato conſtat, unde proveniat; quamvis omnino falſa & ridicula ſit opinio illorum, qui crediderunt, eſſe *ſemen balænarum*, ſive cetaceorum majorum; cujus hiſtoriam, vires, & uſum, vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 31. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* B. D. Etmüller *diſſertationem h. tit.*

SPERMATICUS, σπερματικὸς, q. d. *Seminalis*; dicitur in genere de partibus corporis omnibus, quæ, poſt factam conceptionem, ex colliquamento ſeminali efformantur, & poſtea, mediante ſucci nutritii chyloſi additamento incrementum conſequuntur; ad differentiam partium *ſanguinearum*, quæ ex ipſo ſanguine fieri creduntur: quamvis non videatur veritati hoc conſentaneum, partes quaſdam ex ſanguine, qua tali, efformari: In ſpecie vero dicitur de certis corporis partibus generationi dicatis, v. g. de *Arteriis & Venis ſpermaticis*, Meatibus ſive Poris *Spermaticis*; de quibus legantur Anatomici.

SPERMATOCELE, σπερματοκήλη, improprie dicitur Herniæ ſpecies, quando non ſemen, ſed vaſa ejaculatoria ſeminis corrugata prolabuntur in ſcrotum. Blancard. *in Lex.*

SPERMOBOLEO, σπερμοβολέω, ſignificat *ejaculor ſemen*, excerno, & idem eſt quod διαχορέω, ſicut docet Dieterich. *in Iatr. Hipp. num.* 204. licet de nullo autore conſtet, qui hoc verbum uſurpavit.

SPERMOLOGEO, σπερμολογέω, dicitur de animalibus, quæ ad paſtum ſemina colligunt, iiſque veſcuntur.

tur. Hipp. *l.* 2. *de diæt. XVII.* 14. ubi volucres *ſeminileges* intelliguntur. Foëſ. *p.* 579.

SPERNIOLA, *Sperniolum* vocatur *ſemen ranarum*; vel eſt cruor, liquor, aut *Sperma ranarum*, viſcoſa & mucilaginoſa materia in aquis concreta. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Fr. Hofm. *in Clav. ad Schrod. pag.* 3. unde *Pulvis ſperniolæ compoſitus* Crollii, de quo *in Diſpenſator.*

SPES, ἐλπὶς, vide *Elpis.*

SPETILE dicitur id, quod eſt infra ſuis umbilicum proprii cujuſdam habitus, exos, ſicut notavit ex Feſto Pompejo Aldrovandus inter edulia e carne ſuilla referens *l.* 1. *de quadruped. biſulc. c.* 36. *p. m.* 951. *ed. Bonon.*

SPHACELOS, σφάκελ☉, σφακελισμὸς, Latine etiam *Sideratio* vocatur. Accipitur late, & ſtricte. Late, pro omni corruptione, Galen. *in Ex. voc. Hipp.* Stricte, pro totali partium ſolidarum, qua mollium, qua durarum, νεκρώσει & mortificatione; quando corruptione perfecta emoriuntur, ſenſu, motu, vitaque omni deſtitutæ, propter caloris vitalis extinctionem cum putredine lethali humorum conjunctam; cujus curatio aut nulla, aut in ſola amputatione quærenda. Vide Foëſ. *pag.* 603. Dieter. *n.* 807. Keuchen. *ad Sammon. p.* 247.

SPHACERUS, σφάκερος, vox Hippocrati à Galeno *in exeg.* adſcripta, quam alios σφάλερος ſcribere notat, ex quo Foëſius σφάκελος effingit; ſignificat dolorem capitis ex vulnere.

SPHADAZO, σφαδάζω, ſignificat apud Hipp. *moleſte & ægre ferre*, iraſci: deque eo effertur, qui in ſumma anxietate conſtitutus eſt, *l.* 1. *de morb. mul. LXIV.* 7. Junge Foëſ. *d. l.*

SPHÆRA, σφαῖρα, Lat. *Globus*, *Orbis*, de quibus vocabulis ſuo loco, Gal. caput vocavit σφαῖραν προμήκη, oblongam ſphæram, *lib.* 9. *de V. P. c.* 17. Jung. C. Hofm. *in Com. ad h. l. n.* 691. Meminit & Hippocr. *Sphærarum* Chirurgicarum, ex aluta Ægyptia factarum, ad fracturas crurum utilium, 3. *de fract. t.* 29. *Sphæra Cœli Chymica*, cum ſuis figuris, legatur *in Th. Chym. Vol. II. p.* 456. *ſeq.* Quid Paracelſus per *Sphæram ſuperiorem*, & *inferiorem*, *externam* & *internam* intelligat, quære in illius *Paramiro*, *Paragrano*, *& aliis ſcriptis. Sphæra Solis & Lunæ* dicitur materia mixta utriusque ſeminis, e quo lapis Philoſophicus paratur, & haud-dubie Sulphur & Mercurius Philoſophorum intelligitur. Rul.

SPHÆRION, σφαιρίον, idem, quod *Globulus*, *Pilula.* Vide *Globulus. Catapotion*, Keuchen. *ad Sammon.* p. 121. Hinc & σφαιρίτης dicitur *Cupreſſus*, quod globulos ferat. Galen. *l.* 1. *de C. M. S. L. cap.* 1. *Sphærulam* lucentem ore detentam deſcriptam vide in Chr. Ad. Balduini *Hermete Curioſo Invento IV.*

SPHÆRISTICOS, σφαιριστικὸς, dicitur Galeno is, *qui pilæ exercitium docet*, & omnem pilæ motum callet, *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 11. unde & locus, ubi exercetur pilæ uſus; *Sphæriſterium* vocatur, J. Alex. *Not. ad Gal. l.* 3. *de tu. ſan.*

SPHÆROIDES, σφαιροειδὴς, i. e. *globi*, *vel ſphæræ figuram* habens, ſed non prorſus exactam. C. Hofm. *d. l. n.* 692.

SPHÆROMATA, σφαιρώματα, dicuntur *protuberantiæ Natium carnoſæ* & *globoſæ.* Galen. *l. Introd. c.* 10.

SPHAGE, σφαγὴ. Vide *Jugulum. Anticardion.* Hippocr. etiam pro ipſis venis *jugularibus* ſumſit, alias σφαγίτιδες dictis, *l. de Glandul. II.* 19.

SPHAGITIS, σφαγίτις. Vide *Jugularis.* Lang. *l.* 1. *ep.* 10.

SPHALEROS, σφαλερὸς, *Fallax*, Periculoſus, ex Hipp. 1. *aph.* 1. Vide Dieter. *n.* 808.

SPHECLARION, σφεκλάριον. Vide *Speclariom*

SPHECLE, σφέκλη. Vide *Fex.*

SPHENDONE, σφενδόνη. Vide *Funda.* Galenus *in Exeg. Hipp.* tres ſignificationes adducit: primam, qua fundam notat, & ſecundam propter ſimilitudinem, faſciam, quæ ad elotionem coli utilis ſit, forte ad prolapſum inteſtinum rectum repellendum; tertiam, qua eſt muliebre περίσφυρον ſive crurum cingulum ad fundæ formam accedens.

SPHENOIDES, σφηνοειδὴς. Vide *Cuneiformis.*

SPHENOPHARYNGEUS, dicitur Muſculus lateribus Oeſophagi oblique implantatus. Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 12. *p.* 448.

SPHENOSIS, σφήνωσις, q. d. *Cuneatio*, id eſt, *Cunei impulſio*, vel adactio ad findendum. Hippocr. 3. *de fract. t.* 40.

SPHEX, σφὴξ, vide *Veſpa.*

SPHINCTER, σφιγκτὴρ, quaſi *Conſtrictor*, *Conſtrictorius*, dicitur de Muſculis meatum aliquem occludentibus, v. gr. *Muſculus Sphincter Ani*, ſive Inteſtini Recti, & *Veſicæ urinariæ*, Galen. *l.* 6. *An. adm. c.* 4. C. Hofmann. *c. in Gal. de V. P. n.* 257. 297. Barthol. *l.* 1. *An. c.* 11. *&* 20.

SPHINGONTA, σφίγγοντα, medicamenta dicuntur *adſtringentia*, *obſtruentia*, & eadem cum συπτικοῖς, στεγνωτικοῖς. Vide *Adſtringens*, *Obſtruens.* Gorr.

SPHINX, σφὶγξ, nomen monſtri Thebani, quod *Oedipo* propoſuiſſe fingitur ænigmata, uti legere eſt apud Eraſm. *in Chiliad.* 2. *cent.* 3. *n.* 9. Unde Proverb. *Sphingis ænigmata*, id eſt, ſcripta vel dicta obſcura, cujus proverbii meminit Gal. *c.* 3. *progn. t.* 37. Talia quoque ſunt quædam Paracelſi, Helmontii, & aliorum Spagyricorum commenta. Unde & Becherus *Oedypum Chymicum* ſcripſit ad obſcura *Sphingis Chimiæ* ænigmata reſolvenda.

SPHINXIS, σφίγξις, *conſtrictionem* aut *obturationem* notat, & aliquoties de matricis obſtructione legitur apud Moſch. *l. de morb. mul. c.* 124. 126. *&c.*

SPHODROS, σφοδρὸς, i. e. *Vehemens*, præſertim de actione & motu vehementiori uſurpatur, v. g. de pulſu, Gal.

Gal. *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 5. quamvis & de morbo dixerit, in ſpecie de dolore, Hippocr. 2. *aphor.* 46. Vide Foëſ. *p.* 605. Dieter. *n.* 810. Significatio vocabuli Latini per ſe nota.

SPHONGION, σφογγίον, nomen *Malagmatis* apud Ægin. *l.* 7. *c.* 18.

SPHRAGIDONYCHARGOCOMETES, σφραγιδονυχαργοκομήτης, epitheton Medici ſuperbi, vel etiam Medicaſtri, cui annulatus ubique digitus prætentus, pretium ab exteriore cultu corporis, non interiore animi petens, uti ſolent nonnulli Circumforanei ſeſe exornare. Linden. *Ex. II.* §. 27.

SPHRAGIS, σφραγὶς, Lat. *Sigillum*: de quo ſupra SI.

SPHRIGAO, σφριγάω, idem, quod σπαργᾶν, *turgere* ſignificat, & legitur apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. XLVII.* 4. & *l. de ſterilib. XX.* 5. Obiter hic animadvertendum eſt in C. Hofm. qui in ἀνεκδότοις, ſive *MMSS. notis ad Gal. l.* 2. *de L. A. c.* 2. & 7. improbavit hoc verbum σφριγῶντες, & ſubſtituit σφρυγγῶντες, cum tamen hoc non legatur in Scapula, aliisque Dictionariis; illud vero omnino occurrat. Dicuntur vero *d. l. c.* 7. apud Gal. σφριγῶντες, *turgentes*, qui bene habito ſunt corpore, ſuccisque redundante, & quidem juvenes, non ſenes. Foëſ. *d. l.*

SPHYGMOS, σφυγμὸς. Vide *Pulſus.*

SPHYRA, σφυρα, σφυρίς. Vide *Malleus*, *Malleolus.*

SPHYRADES, σφυράδες, dicuntur globuli, pro σπυράδες, Foëſ. *d. l.*

SPHYRÆNA, σφύραινα, vocatur Piſcis longus, tenuis, acuminato roſtro præditus, Latine *Sudis*, cujus deſcriptionem & uſum in cibis vide apud Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 21.

SPICA, στάχυς, quid ſignificet, jam ante notum eſt, & ad Botanicam pertinet. Per translationem etiam tributum hoc nomen ſpeciei deligationis utriusque humeri, quæ *Spica duplex* Galeno dicitur. *l. de faſciis n.* 78.

SPICATUM, σπικάτον, nomen olei vel unguenti pretioſi, roborantis viſcera & ventriculum, alias *Foliatum*, φολίατον, dictum, apud Gal. *l.* 4. *de L. Aff. c.* 8. & *l.* 6. *de ſan. tu. c.* 10. Vide *Foliatum.*

SPICILLUM, idem, quod *Specillum*, μήλη. Vide *Mele.*

SPICULUM, σκόλοψ, idem, quod *feſtuca*, pertinet inter cauſſas ſolutæ unitatis, & extractionem poſtulat. Gal. *l.* 6. *de S. Fac.* §. *Ariſtolochia*, *l.* 11. §. *Caro viperæ*, & *alibi.* Hodieque uſitatius hoc nomen eſſe ſolet, quo exprimuntur particulæ illæ ſalinæ, acidæ, acres, igneæ, quæ vim habent irritandi, lancinandi, diſſolvendi corpora nervoſa, fibroſa & ſenſu exquiſito prædita, v. g. Mercurii *ſpicula* dicuntur ignea eſſe à celeberrimo D. D. Wepfero *in Hiſtoria Cicutæ aquat. c.* 21. *hiſt.* 3. *Schol.* 2. *p.* 305. *ſeq.*

SPILOS, σπῖλος, idem, quod κηλὶς, i. e. *Macula*; de quo ſupra lit. M.

SPINA, *Spinalis*, ῥάχις, ῥαχίτης. Vide *Rhachis*, *Medulla*, *Ventoſa*, *Bifida.* Spina quoque nuncupatur tumor quidam inflammatorius longitivus à Franciſc. de Pedemontio apud Meſuen *fol.* 355. *b.* *Spinales* nervi vocantur illi, qui inter ſextam & ſeptimam cervicis, imo primam dorſi vertebram, e ſpinalis medullæ latere prodeunt, & muſculis cervicis ramos ſuos impertiunt, decimum par conſtituentes, apud D. Gothofr. Bidloo *Anat. Tab. IX.*

SPINATI, vocantur Muſculi duo longi & ampli inter ſpinas totam cervicem occupantes. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 6. *p.* 568.

SPIPOLA, dicitur avicula, cujus varias ſpecies deſcriptas exhibet Aldrov. *Ornithol. l.* 17. *c.* 26.

SPIRACULA, διαπνοαὶ, πόροι, ſunt *meatus cutanei*, per quos inſenſibilis fit tranſpiratio, ut & ſudoris excluſio, Gal. *l.* 7. *meth. med. c.* 5. Dicuntur & *Spiramenta.* Vide *Meatus.* Paracelſus vocat *ſpiraculum vitæ* primam à Deo factam inſpirationem, qua Adami corpus creatum vivificavit. *Philoſ. ſagac. l.* 2. *c.* 1.

SPIRATIO, ἀναπνοὴ, idem, quod *Reſpiratio.* Vide *Anapnoë.*

SPIRITUIFICATIO, πνευμάτωσις, legitur apud Ingraſſ. *com. ad Avic. de Tum. p. n.* 115. qui magnam licentiam ſibi ſumſit, fingendi novas voces Latinas, ad exprimendam Græcorum emphaſin.

SPIRITUS, πνεῦμα. Vide *Pneuma.* Cæterum magna adhuc diſſenſio apud recentiores Phyſiologos reperitur, circa doctrinam de *Spiritibus*, dum alii nomen hoc κατ' ἐξοχὴν animæ humanæ tribuunt, animam vero brutis, ceu materiale quid; alii vero ſpiritus in homine dari inficias eunt, v. g. D. D. Stahlius *in ſua Diſſertat. de Sanguificatione c.* 2. *in fin.* principium illud activum omnes actus organicos ſive corporeos perficiens eſſe ipſam animam rationalem, ſed abſque concurſu rationalitatis operantem, aut plures agnoſci debere animas in corpore humano exiſtimans. Verum nos quemlibet hic ſuo abundare ſenſu libenter permittimus, nec cenſoriam virgulam nobis tribuere cupimus.

SPIRO, dicitur Baſilio Valentino Inſtrumentum ad Magiſterium Lapidis Philoſophici neceſſarium, quo aër dirigitur, *l.* 1. *Teſtamenti ultimi c.* 36.

SPISSAMENTUM, στύμμα. Vide *Stymma.*

SPISSUS, πυκνὸς, idem, quod *Denſus.* Opponitur *Raro*, ἀραιὸς. Vide *Creber.*

SPITHAMA, σπιθαμὴ, menſura eſt, qua rerum intervalla metimur, eſtque trium palmorum, vel duodecim digitorum ſpatium, extenſis digitis, minimo & pollice. Latinis etiam *Dodrans* dicitur, de quo ſupra in DO. Derivata ſunt σπιθαμαῖος, διςπίθαμος, τρισπίθαμος, quæ paſſim occurrunt apud Dioſcoridem, teſte Gorræo.

SPLANCHNA, σπλάγχνα, dicuntur interiora *Viſcera*

ſcera præcipua, ut *Cor*, *Pulmo*, *Hepar* & *Lien*, ceu vitalitatis, vel ſanguinis purificationis præcipua organa. Legitur apud Hipp. 4. *aphor.* 66. & 2. *de R. V. I. A.* 24. Adde Foëſ. *p.* 579. Dieter. *n.* 782. J. Alex. *not. ad Gal. l.* 3. *Hipp. & Pl. dec. cap.* 4. σπλαγχνικὰ vocari medicamenta adverſus morbos viſcerum infimi ventris notavit e Dioſcor. Scapula. Ab hac eſt μεγαλόσπλαγχνον, quod Erotianus definit, cui propter ardorem tument viſcera. Ita *Splanchnica* medicamenta vocantur in genere appropriata certis corporum membris ab Emanuele Konig *in Regno ſuo Vegetabili*, *c.* 48.

SPLEN, *Splenicos*, σπλὴν, σπληνικὸς. Vide *Lien.*

SPLENDOR, λαμπρότης, αὐλὴ, *Splendidus*, λαμπρὸς, quid hæc vocabula ſignificent, aliunde, & potiſſimum e Phyſicis jam conſtat. Nimii *ſplendores* inter cauſas morbificas doloris oculorum referuntur à Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 6. In Leonibus & Pardis, aliisque quibuſdam animalibus *ſplendidos* eſſe occultos, αὐγοειδεῖς, & *ſplendorem* in pupilla noctu apparere, docet idem *l* 7. *de H. & Pl. dec. c.* 4. *Splendentes urinas* quas vocet Hipp. vide ſupra *Lampe.*

SPLENECTOMIA, σπληνεκτομία, id eſt, *Lienis excïſio.* Meminit hujus vocabuli & modum illius exſectionis peculiari in tractatu ceu πειρατήριον inauditum promiſit Georg. Thomſon *in præfat. Acus magneticæ ad fin.* Hanc in brutis poſſibilem experientia hactenus docuit, an vero in homine fieri queat abſque præſente vitæ periculo, à plerisque in dubium adhuc vocatur.

SPLENETICUS, idem, quod σπληνικὸς, h. e. ad Lienem pertinens, quamvis σπληνικὸς magis dicatur de ſtatu p. n. lienis, ſpleneticus vero ſumatur de remediis, quæ *Splenetica* modernis dicuntur, de quorum materia conſuli poſſunt Materiæ Medicæ ſcriptores, nec inepte de iis diſſeruit Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1. *c.* 15. *p.* 641. *ſeqq.*

SPLENII dicuntur quidam Muſculi caput recta ad poſteriora trahentes, vertebris utrinque inſtrati. Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 5. *p.* 566. Vide etiam D. Bidloo *Anatom. Tab. XVI.*

SPLENION, σπλήνιον. Vide *Plagula.*

SPLENISCOS, σπληνίσκος, idem, quod σπλήνιον, apud Hipp. *l.* 2. *de morbis XIIX.* 12.

SPLENITIS, σπληνίτις, Lat. *Lienaris*, vocatur Hipp. venula *in manu ſiniſtra*, alias *Salvatella* dicta, quemadmodum eadem in dextra dicitur ἡπατίτις, h. e. *Jecoraria*, *l.* 1. *de morb. XXIII.* 18. 19. *XXV.* 6. Adde Lind. *Ex. III* §. 519. Galenus vero hæc nomina σπληνίτις & ἡπατίτις attribuit *morbo Lienis* & *Hepatis*, præſertim eorum viſcerum *Tumori* & *Obſtructioni*, *libr. de diff. ſympt. c.* 5. *p. p. princip.*

SPODIACON, σποδιακὸν, τεφρικὸν, nomen *Collyrii tenuis*, à colore ita dicti, quaſi *Cinereum*, non vero à Spodio, cum hoc non ingrediatur illas compoſitiones. Morſu caret, & vim habet anodynam, ſive dolorem mitigandi. Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Scribon. *n.* 23. Rhod. *in not. ad h. l.* Aët. *l.* 7. citante Gorræo.

SPODION, σπόδιον, *Spodos*, σποδὸς, in genere *Cinerem* ſignificat. Communiter vero reſtringitur ad *Cinerem metallicum*, ſive recrementum metallorum uſtorum, cineris ſimilitudinem & nomen referens, unde & Latinis quibuſdam *Cinerula* nuncupatur. Quæ uti ex varia materia paratur, ita & apud Hippocr. diverſa ſortita eſt nomina, v. *g.* σποδὸς κυπρία, *Spodos Cypria*, *l. de Ulcer. X.* 1. *Illyrica*, ἰλλυρικῶς, *d. l.* 2. Χρυσῖτις, ad Collyria adhibita, *cinis lythargyrii in Not. ad l.* 1. *de morb. mul. III.* 3. 7. 19. 20. Jung. Foëſ. *p.* 580. Eſt idem, vel minimum ſaltem differens à *Pompholyge*, vel *Tutia*, teſte Schrod. *l.* 3. *c.* 19. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Dicitur *Spodium Græcorum*, ad differentiam *Spodii Arabum*, quod eſt *radix Alcannæ* combuſta, Schrod. *d. l.* Tranſlatum etiam in Officinis Pharmaceuticis ad Calcinata. Ita, ut ibidem etiam legatur *Spodium*, pro *Ebore calcinato.* Vide Diſpenſatoria.

SPODITES, σποδίτης, *Cineritius*, epitheton panis apud Hipp. teſte Gal. *in Expoſ. voc. Hipp.* vel à colore ita dictus, vel quod ſub cineribus paretur. Foëſ. *Oec. p.* 580.

SPODOS, σποδὸς. Vide *Spodion.*

SPOLIATORIUM, ἀποδυτήριον, vel *Spoliarium*, idem quod *Apodyterium*, de quo ſupra. Legitur apud Ant. Fumanell. *libell. de Balneis in princ.*

SPONDA, idem, quod *Lectus*, in quo ægri decumbunt. Ita *ſpondam* aliquam delineatam exhibet Hildan. *Cent. V. Obſ.* 86.

SPONDYLOLITHOS, σπονδυλόλιθος, dictum lapidum genus, ex Comitatu Tirolenſi, à forma, vertebras dorſales minorum animalium ſatis accurate repræſentante, ex obſervatione Velſchii, *in Eph. Nat. Cur. A. I. Obſ.* 157.

SPONDYLOS, σπόνδυλος, Latine *Vertebra*, quia per eas corpus varie vertitur. *Vertebræ*, σπόνδυλοι, dicuntur oſſa intus excavata, ſuperius & inferius plana, exterius variis proceſſibus donata, quorum in collo ſeptem, dorſo duodecim, lumbis quinque numerant Anatomici, quibus adjunctum eſt Os Coccygis. Plura de *vertebris* vid. ap. Anatomicos, & in ſpecie Barth. *libell.* 4. *cap.* 14. De luxatione *vertebrarum* cervicis agit Hipp. 3. *aph.* 26. Σπόνδυλος quoque ſtrictiſſime vocatur *ſecunda cervicis vertebra*, apud Hipp. *l.* 1. *ſect.* 2. *Prorrh. t.* 55. *Coac. t.* 266. quæ alias proprio nomine *Dens* eidem dicitur, *l.* 2. *Epidem. ſect. II.* 69. Vide Foëſ. *p.* 580.

SPONGIA, σπόγγος, eſt corpus marinum, rarum, laxatum, poroſum, imbibens & aſſervans aquam. Ruland. exiſtimat, eſſe Zoophyton, neque fruticem, ſed tertiam habere naturam, & illi commixtam eſſe naturam animalis, & plantæ. Hinc & Avicenna deſcribit, quod habeat animas, ſcil. vegetativam & ſenſitivam. Dioſcorides duo genera conſtituit; *Marem*, quæ denſioribus foraminibus, & minoribus conſtat; & *fœminam*, foraminibus præditam majoribus & rotundis.

Quidam addunt & *tertiam* ſpeciem, habentem intra ſe lapides duros, & plurimas cavernas. *Spongia* vocatur etiam à dicto Rulando *Fungus marinus*, ad differentiam *Terreſtris*, quam *Spongiam noſtram* appellavit, in pratis occurrentem, vulgo *Boviſta* dictam, quæ valde accedit ad naturam *Spongiæ marinæ*. De *ſpongiarum* marinarum viribus & uſu vide Galen. *l.* 11. *de S. F.* & alibi ſæpius. Dioſcor. *l.* 5. *c.* 138. *Spongia* quoque vocatur illa excreſcentia in frutice *Cynosbatos* dicta ſæpius occurrens, Schroder. *lib.* 4. *cl.* 1. *n.* 122. nec non interior ſubſtantia cucurbitæ, aut colocynthidis, Hipp. *l. de ſteril. XI.* 35. Σπόγγος quoque Hipp. glandulæ faucium, quæ alias *Tonſillæ* Latinis vocantur, *l.* 4. *Epid. III.* 14. 17. Jung. Foëſ. *d. l.*

SPONGIOLI vocantur *Boleti minores*, adulto vere e terra exeunt, aliis boletis meliores. J. Alex. *l.* 9. *Sal. c.* 5.

SPONGION, σπόγγιον, nomen eſt epithematis, ex caprillo ſtercore compoſiti, apud Ægin. *l.* 3. *c.* 48. vel malagmatis, *l.* 7. *c.* 18. ita vero dictum, quod *ſpongiæ* modo humorem hydropicorum imbibat. Gorr.

SPONGOIDES, σπογγοειδὴς, i. e. *ſpongioſus*, ſive *ſpongiæ* inſtar poroſus. Dicitur de variis corporis partibus; quin & excrementis, v. g. de pulmone, *l. de ven. XIX.* 8. de renibus *d. l. VIII.* 10. de glandulis, *l. de glandul.* I. 2. de Liene *l.* 1. *de morb. mul. LXXXVII.* 5. de oſſibus naſi, quæ alias *Cribrifermia* vocantur. Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 7. *in princ.* de alvi excrementis. Hippocr. *l.* 7. *Epid. XLVI.* 9. Vide Foëſ. *d. l.* Etiam de Tumoribus, unde Ruyſchius *Obſerv. Anat. Chirurg. Cent. I. obſ.* 81. binos Tumores in femore obortos miræ magnitudinis, unum quidem ſeptem quadrantes ulnæ, alterum unicum quadrantem æquantem per excellentiam *Spongioſos* dicere non dubitavit, quos & *Oſſivoros* vocari poſſe juxta Idiotiſmum Belgicum creditur. Speciatim autem dicitur inflammatio tonſillarum poſt febrim ardentem: alii vero etiam ita appellant in capite ſquamis obſita ulcera πτυρώδη ἕλκη, alii in capite orta inania œdemata, quæ intra exeſa ſunt, ita vocant, vide Erotianus.

SPONGOS, σπόγγος. Vide *Spongia.*

SPONS proprie voluntatem ſignificat; unde adverb. *Sponte*, & derivativum *Spontaneus*, αὐτόματος. Linden. *Ex. XV.* §. 136.

SPONSUS, quid proprie ſignificet, non eſt hujus loci, & in vulgus notum eſt. Chymicis vero *Sponſus* dicitur *Mercurius*. Ruland. & Iohnſon. quam inepte alii judicent ex hoc, quod paſſim *Mercurius*, vel *Aqua Philoſophorum* ſit dicta *Uxor*, & *Sulphur* Philoſophorum *Maritus*, vel Mas. Vide *Maritus.*

SPONTANEUS, αὐτόματος. Vide *Automatos.*

SPONTUM dicitur Rulando cinis aqua madefactus, qui fornaci inditur, quando aurum, vel argentum depuratur, *in Lex.*

SPORADES, *Sporadici*, σποράδες, σποραδικοὶ, dicuntur morbi diſperſi, & ſparſim graſſantes, qui ſingulos ſeparatim corripiunt, abſque contagii ſuſpicione. Morbi ſunt vagantes & *privati*, & alius alium occupat. Opponuntur *Publicis*, qua *Endemiis*, qua *Epidemicis*, qui continenter multis hominibus uno eodemque in loco contingunt. Hippocr. *l.* 1. *de R. V. I. A. l.* 9. Gal. *in comm. ad h. l.* item *in def. med.* deſcribuntur *ſporadici*, qui omni tempore, omnique loco exoriri poſſunt, & ſeparatim quemque invadunt. Junge Foëſ. *p.* 580. *ſeq.* Lang. *l.* 2. *ep.* 13. *Sporades* quoque *venas* nonnullis Medicorum dictas fuiſſe propagines venæ cavæ trunci in totum crus ab interiore ipſius parte per inguina procurrentis, inordinatas ad cutem permeantes modicis intervallis diſperſas, notavit Gal. *l.* 3. *Anat. admin. c.* 12. *princ.* Caſtell.

SPORETOS, σπορητὸς, dicitur prima pars hyemis, (aut fortaſſis etiam ultima autumni) Lat. *Sementis.* Vide ſupra SE. Gorr.

SPOROS, σπόρος, idem, quod σπέρμα, *ſemen* ſignificat, & quidem ap. Hipp. *ſemen genitale*, *l.* 2. *de diæt. XXVII.* 11. Vide Foëſ. *d. l.*

SPUDE, σπουδὴ, *Diligentiam*, *ſtudium*, & curam ſeriam ſignificat. Hippocr. 2. *de fract. t.* 24. cum delirio juncta periculum auget, 6. *aphor.* 53. Junge Dieter. *n.* 786.

SPUITIO, πτύσις, πτυσμὸς, idem, quod *Screatio.* Vide *Ptyſma.*

SPUMA, ἀφρὸς, quid ſignificet, notius eſt, quam ut opus ſit verbis. Cauſa eſt à conquaſſatione aquei; quaſſatio ab agitatione, Linden. *Exerc. VII.* §. 14. Vel, ut clarius conſtet, *ſpuma* in humoribus, qua utilibus, qua excrementitiis, eſt ſoboles efferveſcentiæ, & fermentationis præternaturalis. Hinc paſſim legitur apud Hippocr. ἀφρῶδες αἷμα, *ſanguis ſpumoſus*, 5. *aph.* 13. *Coac. t.* 450. quod ſanguis ἀφρίζει, vel ἀφρέει, *ſpumeſcat*, *l.* 2. *de morb. VI.* 10. De *ſpuma* ægrotantium, v. g. ſtrangulatorum & diſſolutorum, lege 2. *aphor.* 43. & Gal. *comm. ad h. l.* Dieter. *n.* 141. epilepticorum, *l.* 1. *de morb. ſacr. IIX.* 17. 18. hyſtericarum mulierum, quæ dicuntur *ſpumare*, *l.* 2. *de morb. mul. XVI.* 4. *XLIV.* 7. Jungatur Foëſ. *Oec. p.* 113. Bonet. *Anat. Pr. l.* 2. *ſ.* 12. *obſ.* 5. *cum ſchol.* ἀφρώδεα διαχωρήματα, *ſpumantia excrementa*, leguntur 5. *aph.* 30. Adde Dieter. *n.* 142. *Coac. t.* 607. Scrib. *n.* 99. Porro *Spuma* quoque de aliis rebus dicitur, v. g. *Spuma lupi* eſt nomen lapidis, de quo apud Agric. *l.* 5. *de nat. foſſil.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 398. *Spuma argenti*, i. e. *Lithargiros*, vide ſupra in LI. *Spuma* Chymicis ſimpliciter notat *Cinerem.* *Spuma maris*, id eſt, *Halcyonium.* *Spuma nitri*, i. e. *Aphronitrum*, *Burach*, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* *Spuma duorum Draconum*, h. e. *Butyrum Antimonii.* Iohnſ. *l.* 2. *Lex.*

SPUMESCENTIA, ἀφρισμὸς (ἀφλοισμὸς videtur mihi ſuſpectum) uſurpatur à D. D. Wedelio de Bile, quando

quando per vomitoriorum proprie dictorum particulas ſalinas ſulphureas volatiliores funditur, ut *ſpumeſcat*, non modo in ventriculo, ſed etiam in proximo inteſtino ſtimulans fibras dictarum partium ad excretionem vel expulſionem, *Amœn. Med. l. II. ſect. V. c.* 8. *p. m.* 287. *ſeqq.*

SPURIUS, νόθος. Vide *Illegitimus.*

SPUTAMEN, πτύσμα, Galeno dicitur *ſputum*, cui alieni humoris aliquid eſt permixtum, ut bilis ſanguinis, ſaniei, *l.* 1. *de criſ. c.* 5.

SPUTUM, πτύελον. Vide *Ptyelon. Sputum Lunæ*, id eſt, *Lithargyrium*, *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 11. *Sputa maris*, i. e. *ſulphur. Sputum boletorum*, compoſita materia ex ſulphure & magneſia, vocatur & aurum ſpiſſum, aqua ſulphuris, quando in Mercurium mutata eſt. Rul. *in Lex.*

SPYRAS, *Spyrathos*, σπυρὰς, σπύραθος, ſignificat *globuloſa caprarum excrementa*, Hipp. *libr. de nat. mul. XXIX.* 25. 180. 182. Gal. *c.* 2. *in Prorrh. t.* 6. σπυραθώδεα *excrementa* eadem, quæ σκύβαλα, Hippocr. 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 6. *Coac. t.* 603. Vide *Scybala.*

SQUALOR, αὐχμὸς, *ſqualidus*, αὐχμηρὸς. Vide *Auchmos.*

SQUALUS, nomen piſcis, & ſpecies *Capitonis*, cujus deſcriptionem cum uſu vide apud Aldrov. *l.* 7. *de piſc. c.* 17. Meminit & J. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 6.

SQUAMA, λεπὶς, vide *Lepis. Squamoſus*, λεπιδοειδής. Vide *Lepidoeides.*

SQUAMIFORMIS, λεπιδοειδής. Vide *Lepidoſarcoma.*

SQUATINA, ῥίνη, piſcis dicitur inter cartilagineos relatus, cujus deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrov. *l.* 3. *de piſc. cap.* 66. Mentio fit & apud Galen. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 36. & Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 11. Bruyerin. *de re cib. l.* 21. *c.* 19.

SQUATINORATA, ῥινόβατος, ſpecies mixta ex coitu *Squatinæ* & *Rajæ*, apud Aldrov. *d. l. c.* 67.

SQUILLA æquivocum eſt. Vel enim denotat radicem *bulboſam* marinam amariſſimam, Græce σκίλλα. Unde *Acetum* & *Oxymel ſcilliticum* Offic. quæ ſignificatio ad Botanicos pertinet. Vel ſignificat animal cruſtaceum, Gr. καρὶς dictum. Vide *Carides.*

SQUILLINUM *aziza*, i. e. *fimus equinus*, Rul. & Iohnſon.

SQUINANTHIA barbaro vocabulo idem eſt, quod *Angina*, apoſtema colli. Dieter. *num.* 487. Dorn. Rul. & Iohnſ.

SRINT, morbi apud Hungaros familiaris nomen, quo omnis tumor in ore, gutture, vel ano inflammatorius indigitatur. *Eph. Nat. Cur. A. II. obſ* 28.

STABILIMENTUM, ἀποστήριγμα, idem, quod *Fulcimentum*, ἔρμασμα, Hipp. 3. *de iis, q. in med. t.* 36. Vide *Fulcimentum.*

STABILIS, εὐσταθής. Vide *Euſtathes.*

STAC, vel *Stoac*, id eſt, *congelatio*, vel *coagulatio*, Rul. Apud Iohnſ. legitur *Stuc.*

STACTE, στακτὴ, duplicem habet ſignificationem. 1. notat *Myrrham ſtillaticiam*, Arab. & Off. *Storax liquidus* dictam. Vide *Myrrha.* Lind. *Ex.* 10. §. 124. 137. 2. ſignificat *lixivium* per cineres *deſtillans*, κονία στακτὴ, *quaſi ſtillaticium*, Gorr. Vide *Conia. Muria* quoque στακτὴ legitur, in qua injecta ſtagnent, vel ſupernatent, ad garum conficiendum, citra inſolationem, ſola decoctione, apud Lang. *l.* 1. *ep.* 59.

STACTICON, *Staction*, στακτικὸν, στακτὸν, nomen *Collyrii* apud Scribon. Larg. *n.* 34. Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Galeno vero & Aëtio, ἔνστακτον dictum. Vide Rhod. *not. ad Scrib. locum.*

STADIEUS, σταδιεὺς, *Stadiodromos*, σταδιοδρόμος; dicitur, qui ſtadium percurrit, aut ſtadio certat, Gal. *in ex. voc. Hippocr.* Foëſ. *p.* 582. C. Hofm. *comm. in Gal. LL. de V. P. n.* 450. Diet. *Iatr. n.* 11.

STÆS, σταῖς, duplicem habet ſignificationem, notante Foëſ. *Oec. p.* 582. Vel enim *farinam aqua maceratam*, & manibus ſubactam ſignificat, veluti fit in panificio; vel interdum, στέαρ, ſive *pinguedinem.* Illam confirmat Jul. Alex. *not. in Galen. l.* 4. *de ſan. tu. Tom. II. pag.* 406. Hanc ipſe Hippocr. *l.* 1. *de morb. mul. CXX.* 24. Σταιτίτης placentæ genus dicebatur ex melle, ſeſamo & caſeo, apud Athenæum *l.* 14. citante Foëſ. *dict. loc.*

STAGIUM idem ſignificat, quod Sextula, eſtque nomen ponderis ſcrupulos quatuor continentis. Jubert. Eſthius *de formulis ſect. I. c.* 1. *p. m.* 4.

STAGMA, στάγμα, vocatur latex, ſive materia, quæ deſtillationi exponitur. Blancard.

STAGNATIO, vide *Stagnum.*

STAGNEA, apud Scribon. *n.* 230. pro *cacabo* & vaſis genere ponitur ſtanno obducto. Alias *Stagneum vas*, *Stagnatum*, Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 445. *Stagnea pyxis* legitur apud eund. Scribon. *n.* 30.

STAGNUM, λίμνη, idem, quod *Lacus*, de quo ſupra in LA. Adde Gal. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 25. Inde derivativum in Medicinam hodieque uſitatiſſime translatum *ſtagnatio*, i. e. humorum collectio, & ſubſiſtentia p. n. cujus cauſſa eſt influxus impeditior. Linden. *Ex. IV.* §. 23.

STAGONIAS, σταγονίας, epitheton *Thuris maſculi* electi, rotundi, & guttæ ſimillimi. Gorr.

STALAGMOS, σταλαγμὸς, i. e. *deſtillatio à capite*, à verbo σταλάζω, quod idem, ac στάζω, Gal. *in exp. voc. Hipp.* Foëſ. *d. l. Stalagma*, στάλαγμα, dicitur materia, quæ deſtillatione prodiit, Blancard. *in Lex.*

STALTICA, σταλτικὰ, dicuntur medicamenta, quæ carnes vulneribus æquant, Caſtell. ex libell. ſpur. Gal. *de dynamid.* Verum generaliter idem ſignificant, quod Repellentia. Unde *Collyria ſtaltica* apud Ægin. *l.* 3. *c.* 22. Jung. Diet. *Iatr. n* 408.

STAMEN, i. e. filum. *Stamen album*, h. e. *filum crudum*, quod etiam leni evaporatione dolores mitigat. Scrib. *n.* 142. Rhod. *in not. ad h. l.*

STAMNOS, σάμνος, dicitur *urna*, vel *urnula*, vas aquarium, Hipp. *l.* 7. *Epid. XLV.* 8. quamvis & vas vinarium alibi ſignificet, notante Foëſ. *d. l.*

STANCARE, pro *ſtagnare*, legitur apud Keuch. *ad Sam. p.* 163. *ſeq.*

STANNAR, eſt mater metallorum, fumus occultus, ex quo metalla generantur. Dorn. e Paracelſ. *l.* 3. *Philoſ. ad Athen. text.* 3. Rul. & Iohnſ.

STANNUM, κασσίτερος, Attic. καττίτερος, item σάγγος. Keuchen. *ad Samon. p.* 164. eſt metallum molle, album, ſplendens, cum livore quodam conſtans, ex Mercurio quodam ignobiliori, ſed puriore, fugaciorique, & Sulphure minus maturo, indigeſto; cujus hiſtoriam, & uſum varium in Pharmaceuticis vide apud Schroder. *l.* 3. *c.* 14. Fr. Hofm. *Clav. ad h. l.* Baſ. Val. *Teſt. Ult. l.* 2. *cap.* 8. Rul. & Iohnſ. negare videntur, *Stannum verum* Arabum idem eſſe cum *Plumbo albo*, modo hanc opinionem etiam rationibus ſatis confirmaſſent. Galen. ſcribit, *Stannum* plumbo adulterari, *l.* 1. *de Antid. c.* 8. *Stannum* omnia metalla reddere friabilia, & fragilia, ſi admiſceatur, non modo Baſil. *d. l.* teſtatur, ſed & Helmont. *tr. Compl. atque Miſt. Elem. ſigm. n.* 20. Quin & ipſum frangit Adamantem, teſte eodem *de Lithiaſ. c.* 1. *n.* 9. *Stannum* Chymicis dicitur *Jupiter*, ob aliquam commentitiam comparationem cum Jove Macrocoſmico, & deſignatur Charactere ♃. Dividitur *Stannum* in *Dives Mediocre*, *Pauper*. Vocatur & *Dominus æris*, item *Plumbum argentarium*, Iohnſon. *l.* 1. & 2. *Lexic.* Plura de *ſtanno* quære in Indicibus *Theatr. Chym. Vol. I. II. III. V.* ut & Libav. *Tom. I.* Iunken. etiam ſcribit ſola puritate *ſtannum* à plumbo differre & temporis ſucceſſu facile in argentum migrare, quod confirmare voluit ſingulari obſervatione Mechanica, *Chymic. Exp. Cur. P. I. ſect.* 5. *c.* 4. *p.* 421. Verum an ex illa obſervatione conſequentia mutationis in argentum firmiter deduci poſſit, adhuc dubitamus. *De ſtanni ſeſſilis* granis lege *Ephem. Nat. Cur. A. II. Obſ.* 78.

STAPES vocatur oſſiculum e tribus, vel quatuor, unum in meatu auditorio, ejusque cavitate prima, ſeu concha. Hujus *Stapedis* primum inventorem fuiſſe Ingraſſiam, licet Columbus & Euſtachius ſibi inventionem tribuant, vult Bartholin. de quo videatur *libell.* 4. *c.* 7. *Anat.*

STAPHIS, σαφὶς, homonymon eſt, denotans 1. plantam, vel herbam *ſtaphiſagria* dictam, de qua ſignificatione conſulantur Botanici. 2. Uvam paſſam. Vide *Paſſa.*

STAPHYLE, σαφυλὴ, Latine *Uva* dicitur, ſignificans proprie fructum vitis viniferæ, ſive congeriem baccarum vitis. Per tranſlationem vero in Phyſiologicis denotat partem aliquam in faucibus, quæ alias *Gargareon*, *Columella*, κίων, dicitur. Vide *Columella*. Pathologice vero denotat & morbos illius partis, præſertim inflammationem, Gal. *l. de tum. p. n c.* 17. Reſtrinxit vero *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 3. At Hipp. latius ſumſit pro morbo uvulæ, *l.* 2. *de morb. X.* 29. Adde Foëſ. *pag.* 583. *ſeq.* Nicol. Piſo ſtatuit nomen *Uvæ* rectius morbo Gurgulionis inflammatorio attribui, quando nimirum in rotunditatem creverit, feraturque deorſum; haudquaquam vero ipſi parti competere, *de Co. & Cur. morb. lib.* 2. *c.* 1. Vide *Uva.*

STAPHYLEPARTES, σαφυλεπάρτης, Inſtrumentum dicitur Chirurgicum, quo uvula laxior elevatur & attollitur, quod & σαφυλάγρα vocatur. Meminit hujus Ægin. *l.* 3. *c.* 26. citante Gorr. Foreſt. *l.* 15. *obſ.* 4. vocat *Staphyleparium.*

STAPHYLIS, σαφυλὶς, vocatur vaſculum illud, quo potus præbetur infantibus, & orificium habet papillam quodammodo repræſentans. Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. cap.* 116. ubi & καττυναρίον vocatur.

STAPHYLOMA, σαφύλωμα, dicitur oculi morbus, cum in ſumma tunica quiddam acino ſimile evenit, Gal. *l.* 2. *meth. med. c.* 2. Latine *Uvatio*, apud Foreſt. *l.* 11. *O.* 24. *Schol.* Duæ potiſſimum habentur ſpecies: una, quando eroſa, ruptave cornea oculi tunica, altera, quæ ei ſubjacet, ῥαγοειδὴς, *uvea* dicta, excidit ad eum modum, ut acinum *uvæ* repræſentet. Cum vero infra hunc modum excidit, μυοκέφαλον, cum ſuperat, ἧλον, vocatur Ægin. *l.* 3. *cap.* 21. Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 7. Altera ſpecies, quando ſine ruptione, aut eroſione cornea intumeſcit, ac prominet certa parte in modum *uvæ* acini. Id quod plerumque contingit ex defluxione, humoribus intra corneam coacervatis, tunicam laxantibus, incurvantibus, & extendentibus. His addidit tertiam ſpeciem Aët. *lib.* 7. *c.* 34. ſcribens, aliquod σαφύλωμα fieri ex puſtula quadam inter ſtrias corneæ tunicæ ſatis profunde excitata, quæ tunicam attollat, non tamen rumpat. Cauſæ hujus affectus variæ eſſe poſſunt, ſed, quæcunque ea fuerit, certum eſt, viſum *ſtaphylomate* omni aboleri. Gorræus. Caſtell.

STARAPHAXAT dicitur medicamentum ſiſtens, à ſtare faciendo dictum, ut creditur, Dorn. Ruland. & Iohnſ. At Paracelſus inter Characteres *Synoviam albam* ſiſtentes refert, *l.* 2. *de vit. long. c.* 14.

STASIMOS, σάσιμος, *Stabilis*, & *Stabilitas*, σάσις quid ſignificent, non opus eſt declaratione, cum per ſe notum ſit. Illud legitur apud Hipp. *l. de nat. mul. l.* 14. *l.* 2. *de morb. mul. II.* 19. *IV.* 3. *l.* 4. *de R. V. I. A. t.* 30. Hoc *d. l. t.* 27. Adde Foeſ. *p.* 583. Στάσιμον etiam affectivam habere ſignificationem, denotans, *vim ſiſtendi habens*, *ſtativum*, vult Lind. *Ex. V.* §. 507. Στάσις humorum idem eſt, ac *ſtagnatio.* Rolf. *O. & M. M. Sp. lib.* 2 *ſect.* 3. *c.* 27.

STASIS, σάσις, quid ſignificet communiter, notum

tum eſt ex aliis Lexicis, nimirum; quando homo erecto corpore immotus pedibus ſuis innititur. Verum præter hanc ſignificationem hodieque vox hæc στάσις uſurpatur de humoribus in corpore alias fluentibus, quando hi præternaturaliter ſubſiſtant, atque ita idem eſt ac *Stagnatio*, de quo vocabulo paulo ſuperius dictum eſt. vid. Rolfink. *O. & M. M. Sp. Comm. l. II. ſect. 3. c. 27.* D. D. Stahlius nomen Græcum etiam in Latino retinuit in egregia ſua Diſſertat. *de Motibus humanis ſpaſmoticis c. IX. p. 33. ſeqq. Staſin* deſcribens *ſanguinis* per meram paſſivam collectionem abſque reſpectu turgeſcentiæ concurrentis, vel non, quamvis utramque accurate declaraverit, & aliquando concurrere poſſe non inficias iverit. Alius v. D. Ioachim Petr. Gaetke diſcrimen aliquod ſtatuit inter ſtagnationem humorum & στάσιν, illi concedens adhuc aliquem motum progreſſivum, verum tardiorem, & impeditiorem, huic vero penitus denegans *in Diſſert. Inaug. de Vena Portæ ſect. III. p. 35.* an vero hoc diſcrimen ab aliis admittatur, valde dubitatur.

STATER, στατὴρ, nomen ponderis, *quatuor drachmas* pendentis. Unde & τετράδραχμον dicitur, Gal. *l. de pond. & menſ.* ex Cleopatra.

STATERA, trutina, de ponderibus Bilanx.

STATHEUSIS, σταθευσις, vel abſque aſpirata στάτευσις, dicitur *inchoata aſſatio*, non perfecta; fitque à calore externo imbecilliori in rem aſſandam, quæ σταθευτὸν vocatur h. e. quod *modice aſſatum* eſt. Gorr. Lat. *Toſtio.*

STATHMION, *Stathmidion*, σταθμίον, σταθμίδιον, ſignificat vel *pondus librale*, ex ære, aut ferro, aut plumbo conſtans, Gal. *c. 2. de fract. t. 3.* vel *pyxidem*, in qua aliquid aſſervatur, *l. 6. de C. M. S. L. c. 2.*

STATICON, στατικὸν, idem, quod σταλτικὸν, dicitur de Collyriis, quæ inordinatum fluxus impetum ſiſtunt, Gorr. Vide *Stalticon.*

STATIO, στάσις, eſt actio utriusque cruris in terram firmati & ſimiliter protenſi, Galen. *l. 15. de V. P. c. 8.* Jung. C. Hofm. *in not. ad h. l. n. 177.*

STATIONARIUS, Epitheton *Febrium* quarundam *continuarum*, quæ à particulari, at nondum ſatis cognita hujus aut alterius anni-conſtitutione pendent, ſingulæ ſuo ordine invaleſcunt, graſſantur admodum & quaſi cæteris dominantur per continuam illam annorum ſeriem. His opponuntur Febres *intercurrentes*, de quibus ſupra ſuo loco. Utrasque deſcripſit Th. Sydenham *in Obſ. Med. Morb. acut. ſect. 6. c. 1. p. m.* 408. 409.

STATIVUM, στατικὸν, idem quod *Stalticum.*

STATURA, μέγεθος, proprie corporis magnitudinem ſignificat. Hanc etiam à Medico recte conſiderari, docet inter alios Jul. Alex. *l. 3. Sal. c. 1. & 7.* Dieter. *Iatr. p. 413. & 762.*

STATUS eſt homonymon vocabulum. Vel enim idem ſignificat, quod *Conſtitutio*, Gr. κατάστασις. Vide *Cataſtaſis.* Vel notat *morbi vigorem*, & ſummam vehementiam, Gr. ἀκμὴ dictam. Vide *Acme.*

STAXIS, στάξις, Hippocr. dicitur *ſtillatio ſanguinis* e naribus parva & inſufficiens; unde etiam damnatur *in text. Prorrh. & Coac. l. 1. Prorrhet. com. 3. t. 56.* 237. 405. Dicitur & ἀπόσταξις. Jung. Foëſ. *p.* 582.

STEAR, στέαρ. Vide *Adeps*, *Sevum.* Præter hanc ſignificationem Foëſ. *Oec. p.* 585. exiſtimat etiam στέαρ notare *fermentum*, vel *farinam aqua ſubactam*, & conatur aliquot locis ex Hipp. Dioſcor. & Gal. probare. Verum C. Hofm. *in MMSS. notis ad Gal. l. 3. de C. M. S. L. c. 1. ad lin. 20. p. 196. edit. Baſil. Græc.* audacter ſcripſit: Ubicunque στέαρ pro fermento aut paſta legitur, vitioſum eſſe; & ſubſtituendum eſſe σταῖς. Nos litem hanc Philologis dirimendam relinquimus. ἡδυντὸν στέαρ interim definit Galenus coctum ex aqua & aromate, item omne aroma, & ſuavia ἡδύσματα.

STEATOCELE, στεατοκήλη, *hernia* dicitur *ſcroti*, ſuccreſcente in eo quapiam *ſevo* ſimili materia. Gal. *l. introd. c.* 18.

STEATOMA, στεάτωμα, vocatur *abſceſſus cum folliculo* dictus, in quo materia *ſevo* ſimilis incluſa continetur, Gal. *l. de Tum. p. n. c.* 5. Lang. *l. 3. ep. 4. in princ.* Hildan. *Cent. VI. Obſ.* 16. & *Cent. Epiſt.* 61. In libro *def. Med.* Galeno adſcribitur *Steatoma*, quod ſit pinguedinis augmentum præter naturam. Jung. Foëſ. *d. l.*

STEGANOPODES, στεγανόποδες, vocantur *planipedes*, apud C. Hofm. *not. in Galen. LL. de V. P. n.* 519.

STEGNOSIS, στέγνωσις, *Conſtipatio*, *Condenſatio*, *Obſtructio.* In genere ita dicitur Medicorum communitas quædam, quam ſequebantur, tanquam aliquam ex indicationibus, & per στέγνωσιν intelligebant, quando vacuationes corporis naturaliter ſuppreſſæ fuerunt. Gal. *de ſectis, ad eos, qui introd. c. 6.* Alibi tamen, videlicet *l. 3. de ſan. tu. cap. 10. in princ.* reſtrinxit vocabulum hoc ad *obſtructionem* pororum cutis, cum per occultos meatus prohibetur tranſmitti, quod ſuperfluum eſt, excrementum fuliginoſum, quam denſitatem pororum & μύσιν, hoc eſt conniventiam vocant. Alias & Hippocr. στεγνότης de *alvi adſtrictione* uſurpatur, 4. *de R. V. I. A. t.* 91. *Alvus* quoque & veſica στεγνὴ, i. e. *adſtricta* legitur *l. 1. de morb. mul. LIX.* 17. Jung. Foëſ. *d. l.*

STEGNOTICOS, στεγνωτικὸς. Vide *Adſtringens.*

STEILÆOS, στειλαιὸς, *manubrium*, aut *capulum* ſignificat apud Hippocr. 2. *de fract. t. 3. & l. 1. de Morb. Mul. CXXVII.* 2. ubi στελεὸς legitur. Jung. Foëſ. *d. l.*

STEIROSIS, στείρωσις, i. e. *Sterilitas.* Legitur apud Moſchion. *de morb. mul. c. 142. p. m.* 39.

STELECHIÆA, στελεχιαῖα, q. d. *Caudicalis*, ita dicitur Gal. *Vena portæ*, quod ſit aliarum venarum quaſi caudex, *l. 6 Adm. Anat. c. 8. l. 6. de L. Aff. c. 4.* Lind. *Med. Phyſiol. l. 2. c. 16. §.* 203.

STELENCHIS, στελεγχὶς, pro ἐλεγχὶς. Vide *Stlenchis.*

STELLA, ἄϛρον, idem, quod *Sidus*. Ejus ſignificatio propria pertinet ad Aſtronomos. An *ſtellarum* quædam ſit efficacia & influxus in corpora quoque hominum, & ita cauſſis ſanitatis & morborum annumerari debeant, non eſt hujus loci, dirimere. Sane non incongrue ſcripſit Lang. *l.* 1. *ep.* 34. Ut *ſtellarum* nomina & numerus ſoli Deo cognitus; ſic illarum circa hæc inferiora effectus & ſignacula ſoli Deo ſunt explorata. Per translationem *Stella* dicitur *Marinum* aliquod *Zoophyton*, vel Inſectum, cujus plures dantur ſpecies, & de quibus prolixius egit Aldrov. *l.* 7. *Inſect. c.* 18. Vide *Aſter thalaſſios*. *Stella Antimonii* quid vocetur, vide apud Lib. *S. A. Ch. l.* 6. *c.* 21. *& Tom. II. Oper. p.* 72. 73. Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect. II. c.* 1. *&* 2. *Stella Occidens*, id eſt, *Sal Ammoniacus*. *Stella terræ*, id eſt, *Talcum*. Rul. & Iohnſ.

STELLIO, ἀσκαλαβώτης, vide *Aſcalabotes*. Adde Rhod. *ad Scrib. n.* 164. *Stellio aduſta*. Rul. & Iohnſ. dicitur *Cinabrium*, *in Lex.*

STEMA, ςῆμα, dicitur *membrum virile*, & ejus præcipue prominens & pendula pars, cui opponitur ὑπόςημα, portio ejus, quæ non propendet, Ruff. *c.* 12. Lind. *Med. Phyſ. l.* 2. *c.* 7. §. 61. Gorr.

STEMPHYLA, ςέμφυλα, dicuntur *vinacei*, vel *vinacea*, h. e. folliculi acinorum, corium, & cortex, Linden. *Ex. X.* §. 186. Galeno vero ςέμφυλα dicuntur uvarum acinorum torculari expreſſorum ſolida recrementa, *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 9. quamvis & ibid. ad olivarum expreſſa recrementa, & βρύτια ad vinacea referat.

STEMPHYLITES, ςεμφυλίτης, Lat. *Lora*, δευτέρια. Vide *Lora*, *Deuteria*, Galen. dicto loco. Στεμφυλίτιδες τρύγες dicuntur *vinaceorum* aqua maceratorum fæces, & recrementa. Hipp. *l.* 2. *de diæt. XXIII.* 17. *lib.* 3. *de morb. XXX.* 9. Jung. Foëſ. *p.* 586.

STENOS, ςενός, locum *anguſtum* ſignificat, apud Hipp. 7. *aph.* 51. Jung. Dieter. *n.* 787.

STENOSTOMOS, ςενόςομος, hoc eſt *anguſtum orificium habens*. Opponitur τῷ εὐρυςόμῳ. Vide *Bombylius*.

STENOTHORACES, ςενοθώρακες, vocantur diſpoſiti ad phthiſin, qui ſunt anguſto & breviori thorace, quia brevius eſt intervallum à claviculis uſque ad extremum ſterni, quam ſit hoc ad umbilicum aut ab umbilico ad pubem. Holler. *in not. ad IV. aph.* 8.

STENTOROPHONICUS, ςεντοροφωνικός, eſt epitheton tubi, per quem ad diſtans loqui poſſumus, qualis fuiſſe dicitur *Tuba ſtentorophonica* Alexandri M. à Kirchero depicta. Meminit D. Wedel. *Phyſiol. Reform. c. XI.*

STENYGROCHORIA, ςενυγροχωρία, rectiſſime ab Erotiano exponitur per *anguſtiam loci*, in quo humiditas ineſt, vel ineſſe debet, *Onom. p.* 100. *f.* & legitur apud Hipp. 1. *de artic. t.* 66. quamvis nonnulli ςενοχωρία legant, ad mentem Galeni, qui negat *in comm.* ὑγρὸν inſertum cum aſpiratione legendum eſſe, ſed eſſe ſaltem pleonaſmum Ionicum ςενυγρὸν, pro ςενόν. Enimvero nobis nondum hoc perſuaderi patimur, ut credamus, non majorem delitеſcere ſub hac voce ἔμφασιν & ἀκρίβειαν, quando ipſum textum inſpicimus, ubi Hippocr. loquitur de mutili deligandi ratione claviculam fractam, ſi lintea etiam traducantur per perinæum, ita, ut ſplenia & lintea, in anguſtia loci illius, in quem & urinæ humiditas & alvi excrementa concurrunt, coacervantur, & moto ſaltem crure, vel pede relaxantur. Ita & verbum ςενυγρῶσαι, quod legitur *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 1. non ſaltem pro ςενῶσαι poſitum eſt, i. e. *anguſtare*: ſed omnino ſimul reſpectus habetur ad ſcopum & uſum coarctationis, qui revera eſt impeditio affluxus humorum, quemadmodum e contra εὐρῦναι, *dilatare*, indicatur, ad humorum influxum neceſſarium promovendum. Jung. Foëſ. *pag.* 586.

STEPHANE, ςεφάνη, ςέφανος, Vide *Corona*.

STEPHANIÆOS, ςεφανιαῖος, Latine *Coronarius*; de variis rebus dicitur, v. g. *Sutura coronalis*, ςεφανιαῖος, quæ in Cranio occurrit, anterior, Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 5. *Vena* & *Arteria coronaria*, quæ cor in orbem amplectuntur, *l.* 2. *c.* 6. Dicitur quoque hoc nomine vinculi quoddam genus, quod *coronarum* modo inter frontem & verticem tendit, Gal. *l. de faſciis*. Gorr. Quod Emplaſtrum *Stephaniæum* Londinenſium dicatur, & e quibus conſtet, videatur *in Pharmacop. Coll. Londinenſ. p. m.* 399. & ex hac in D. D. de Spina *Man. Ph. Ch. p.* 435.

STERA, barbare abjecto υ, pro ὑςέρα, *Uterus* quoque dicebatur, notante Rolfink. *de part. gen. P. II, c.* 11. *fin.* Ita & Dieter. *Iatri num.* 876. Notavit Medicos, qui ſeculo illatiniori ſcripſerunt ſteram dixiſſe abjecto υ, quemadmodum Schias abjecto I pro Iſchias, quod & teſtimoniis comprobavit.

STERCUMEZEFF, eſt *Lithargyrium*. *Stercorumeceff* legitur apud Rul. illud apud Iohnſ.

STERCUS, κόπρος, idem, quod *Merda*. Vide *Copros*.

STEREOS, ςερεός. Vide *Solidus*.

STERIGMA, ςήριγμα, idem, quod ὑποςήριγμα; *Firmamentum*, *munimentum*. Vide *Ereiſma*, *Firmamentum*. Deſcendit à verbo ςηρίζω, *firmo*, quod aliquoties occurrit apud Hippocr. & quidem in ſignificatione neutro-paſſiva, v. g. 4. *aphor.* 33. Jung. Dieter. *n.* 790. Item 4. *de R. V. I. A. t.* 69. *lib.* 6. *Epid. ſ. VII. aph.* 11. citante Foëſ. *p.* 587.

STERILITAS, ἀγονία, *Sterilis*, ἄγονος. Dicitur de utroque ſexu, eſtque abolita generatio, vel conceptio prolis, ob morbos varios partium generationi in utroque ſexu deſtinatarum. Dicitur & *Infœcunditas*. De *ſterilitatis* ſcrutinio vide Lang. *l.* 1. *ep.* 49. Keuch. *ad Sammon. p.* 218. Dieter. *in Iatr. pag.* 526. 802.

STERIPHNOS,

STERIPHNOS, στεριφνὸς, legit Erotian. pro στρυφνὸς, On. p. 110. e. Vide *Stryphnos.*

STERNOHYOIDES vocatur Par Muſculorum Os Ypſiloides & ſimul linguam recta deorſum trahens, Barthol. *l.* 3. *Anat. c.* 12. *p.* 543.

STERNON, στέρνον, dicitur *Pectoris pars anterior oſſea*, & cartilaginea, cui coſtæ annexæ ſunt. Gal. *l.* 7. *Anat. adm. c.* 2. Barthol. *libell.* 4. *c.* 18.

STERNOTHYROIDES appellatur Par Muſculorum, quod Laryngem coarctat. Bartholin. *l.* 2. *An. c.* 11. *p.* 439.

STERNUTAMENTUM, vel idem eſt, quod *Sternutatio*, uti paſſim *in Theatro* Mundell. & Latina verſione Gal. ſumitur, præſertim *l. de odor. inſtr. c.* 6. Jung. Rhod. *in Lex. Scribon.* Vel ſignificat medicamentum ſiccum, ad ſternutationem excitandam, alias *Sternutatorium* dictum, Græc. πταρμικόν. Vide *Ptarmicon. Errhinon.*

STERNUTATIO, πταρμὸς. Vide *Ptarmos.*

STERTOR, ῥέγχος, ῥογμὸς, ῥόγχος. Vide *Rhenchos, Rhogmos*, *Rhonchos.*

STETHOS, στῆθος. Vide *Pectus.*

STHENAROS, σθεναρὸς, dicitur *validus*, *fortis*, à σθένος, *Robur.* Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. XIIX.* 2.

STHETHENION, στηθύνιον, *Pectuſculum.* Media pars pectoris. Gorr.

STHETHOIDES, στηθοειδὴς, q. d. *Pectoroſus.* Epitheton ſcalpelli lati & ventroſi apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. XLV.* 21. Foëſ. *d. l.* Ejus iconem & uſum deſcripſit Sculteus *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. II. fig. I.* Celſus *Spatham* vocavit.

STHETODES, στητώδης, contracte pro στεατώδης, *Adipoſum.* Galen. *in Exeg. voc. Hipp.*

STIÆ, στίαι, dicuntur *calculi* vel *lapilli marini*, Gal. *in Exeg. voc. Hipp.*

STIBI, στίβι, *Stibium*, idem, quod *Stimmi.* Alias *Antimonium*, de quo ſupra in AN.

STICHOS, στίχος, nomen *Confectionis Arteriacæ Platonis* e marrhubio, quæ & *Panacea* dicta apud Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. *fin.*

STIGMATA, στίγματα, dicuntur notæ in facie, aut alia quapiam corporis parte inflictæ, quales in manibus eorum, qui militiam exercent, notantur. Gorr. De *ſtigmatibus* vide etiam Rhod. *ad Scrib. n.* 231.

STILBOMA, στίλβωμα, vocatur pigmentum, ſmegma, ad nitorem faciei commodum, & legitur apud Nonum *de M. P. O. c.* 106. quemadmodum & στιλβωτρος nitorem vultus ſignificat apud Dioſcor. *l.* 1. *c.* 33.

STILBUS, id eſt, *Antimonium.* Ruland. & Iohnſ. *l.* 2.

STILLA, *Stillatio*, στάξις. Vide *Staxis.*

STILLATICUS, idem, quod *deſtillatus.* Epitheton liquorum per alembicum *deſtillatorum.* Lang. *l.* 1. *ep.* 53.

STILLICIDIUM duplicem habet ſignificationem. Unam Pathologicam, & ita idem ſignificat, quod στραγγουρία. Vide infra *Stranguria.* Hildan. *Cent.* 6. *Obſ.* 54. Alteram Pharmaceuticam, quando denotat *inſtillationem* liquoris ſuper aliquam corporis partem, quæ alias *Embrochatio*, ἐμβροχὴ, *Irrigatio* vocatur. Vide *Embrocha.* De *ſtillicidiis* cordis ſcrobiculi, vide Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 9. *ſ.* 1. *cap.* 10. Inſtrumenta ad *ſtillicidium* neceſſaria proponit Mercur. *T. IV. conſ.* 64.

STIMMI, στίμμι, idem, quod στίβι. Vide *Antimonium.*

STIMULANS, κεντῶν, idem, quod *Pungens.* Epitheton doloris cujuſdam Gal. *6. aph.* 5. Alias & *Stimulans* & *Stimulus* dicitur de quibuſdam medicamentis activioribus, quæ lentis adduntur, ad accelerandam operationem, ſive evacuativam, ſive alterativam. In genere de *Stimulis* in Medicina obſervandis egregie diſſeruit D. Laur. Bellini, deſcribens, quod *ſtimulus* ſit motio quædam momenti majoris, cujus ſenſus proinde ad dolorem revocandus eſt, & ejus exercitatio ad ſpeciem majoris momenti productam in nervis ab aliquo impetu vehementiori urgente. In *Operib. nuperrime edit. Membr. III. de Sang. miſſione pag.* 165. *ſeqq.* ubi plura de vi *Stimulorum* legi poterunt. Et eſt noſtro etiam judicio valde accommodatum ad exprimendum cauſſæ morbificæ motum peculiarem, præſertim in doloribus, affectibus ſpaſmodicis & aliis ſimilibus.

STIPATIO, idem, quod *conſtipatio*, στέγνωσις. Vide *Stegnoſis.*

STIPHROS, στιφρὸς, pro στρυφνὸς. Vide *Stryphnos.*

STIPTE, *Stipteria*, vitioſe pro *Stypte*, *Stypteria*, i. e. *Alumen.* Iohnſ. *in Lex.* Ita & *Stiptica*, στύφοντα pro *Styptica*, leguntur apud J. Alex. *not. in Gal. l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1.

STLENGIS, στλεγγὶς, Lat. *Strigil*, dicitur Gymnaſticum inſtrumentum, quo utebantur in balneis antiqui ad deſtringendum ſudorem. Dicitur & ξύστρα. Illud vero vocabulum legitur apud Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 51. quamvis στελεγγὶς occurrat, quod perinde eſt. De hoc vide infra *Xyſtra.*

STOCHASMOS, στοχασμὸς, στοχαστικὸς, vide *Conjectura.* De στοχασμῷ Medici legi meretur D. D. Stahlii *Propempticum ad Diſp. Inaug.* Dn. Joh. Dan. Col. Berolinenſ. *de Hæmorrhoidum internarum motu.*

STOICHEION, στοιχεῖον. Vide *Elementum.*

STOLIDES, στολίδες, idem, quod ῥυτίδες, vocantur *rugæ frontis.* Unde στολιδώδης, *rugoſus*, Gorr. e Galen. *expoſ. voc. Hipp.* Adde Jol. Alex. *not. in Gal. l.* 9. *de S. Fac.* §. *de Lacte.* στολιδωδέστερον legitur in Hipp. 3. *de art. t* 108.

STOLIDITAS, ἄνοια, παράνοια, idem, quod *Dementia*,

mentia, *Amentia*, *Stultitia*, de quibus *ſupra* ſuis locis dictum eſt.

STOLONES, μόσχος, μόσχια, dicuntur *tenella germina*, & ſurculi propullulantes plantarum, quæ referuntur inter victum attenuantem, Galen. *de atten. vict. rat. c.* 3.

STOLOS, στόλος, *prominentiam* ſignificat, & aliquoties legitur apud Ariſtot. *in libris de part. animal. v. g.* στόλος κέρκου, *appendix* caudæ, item στόλος ὀμφαλώδης, *appendix umbilicalis*, cujus ex eodem meminit D. Pechlin. *in noviſſ. Obſerv. Phyſico-Medic. l.* 1. *Obſ.* 19.

STOMA, στόμα. Vide *Os*, *Orificium*.

STOMACACE, στομακάκη, idem, quod *Scorbutus*, à ſymptomatibus oris & dentium læſiones complectentibus. Vide Lang. *l.* 1. *ep.* 42. *fere ad fin. & l.* 2. *ep.* 14. *fere à principio.* Jungantur & alii Autores, qui de *Scorbuto* ex profeſſo ſcripſerunt.

STOMACHICOS, στομαχικὸς, duplicem præcipue habet in Medicina ſignificationem: unam *Pathologicam*, alteram *Pharmaceuticam*. Quoad illam *Stomachici*, στομαχικοὶ, dicuntur, qui morbo ventriculi & præcipue orificii ejuſdem ſiniſtri laborant, unde varia ſymptomata conſequuntur, inappetentia, anxietas, ructus, vomitus &c. uti prolixe hanc acceptionem explicavit Galen. *l.* 8. *de C. M. S. L. c.* 2. *mox à principio.* Quoad hanc στομαχικὰ dicuntur *medicamenta*, quæ ventriculo & ejus orificio proſunt, & quidem ratione fermenti legitime vel vitioſe conſtituti, cum ab hoc dependere videatur totius hominis œconomia, qua ſana, qua ægra, cum in illo prima valetudinis utriusque ſemina ac radices conſerantur, propagentur, indoleſcant, tandemque maturentur, quamvis nonnullis recentioribus hæc de Fermento ventriculi hypotheſis commentitia videatur. Quorum Catalogum paſſim vide in materiæ Medicæ ſcriptoribus, & inter hos etiam Rolfink. *O. & M. M. Sp. libr.* 8. *ſect.* 1. *per totum.* Iunken. *Chym. Exp. Cur. P.* 11. *ſect.* 1. *c.* 13. *p.* 612. *ſeqq.*

STOMACHUS, στόμαχος, vocab. eſt πολύσημον; potiſſimum vero quadrifariam acceptum reperitur: latiſſime, late, ſtricte, & ſtrictiſſime. In latiſſima ſignificatione *Stomachus* dicebatur quodcunque collum anguſtum iſthmi inſtar alicui cavitati ſeu ventri præpoſitum, teſte Ariſt. *l.* 3. *de part. an. cap.* 3. & ita etiam apud Hippocr. *veſicæ cervix* & orificium dictum legitur στόμαχος, *l. de A. L. & Aq. XXII.* 5. 7. *XXIII.* 4. *l.* 1. *de morb. mul. XVII.* 8. &c. item *Uteri cervix*, *l.* 1. *de morb. mul. XXXIV.* 3. *LX.* 3. *l.* 2. *XXIV.* 30. *LXXVI.* 3. *l. de Sterilib. aliquoties*, quæ loca apud Foëſ. *p.* 589. citata reperies. In lata communiter apud Latinos ſcriptores *Stomachus* pro *toto Ventriculo* ponitur. In qua ſignificatione & Helmont. ſumſit, *tract. Jus Duumviratus* ſæpius & alibi, & Samon. *Med. metric. c.* 18. ubi *Stomachum* regem totius corporis eſſe dixit, ad quem locum vide Keuch. *in notis p.* 154. Stricte *Stomachus gulam* denotat, teſte Lang. *l.* 2. *ep.* 43. Strictiſſime vero *Stomachus* dicitur alterum extremum Oeſophagi inſertum ventriculo, ſive *orificium ventriculi ſiniſtrum*, ſitum ſub cartilagine mucronata, quam ob id natura videtur comparaſſe, ut ipſius eſſet propugnaculum. Quod alias ob exquiſitiſſimum ſenſum Græcis καρδία quoque dictum fuit. Vide *Cardia.* De hoc orificio ejusque ſtructura conſulantur Anatomicorum ſcripta, & hæc inter Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 9.

STOMACHOTROTUS, στομαχότρωτος, dicitur, *cui ſtomachus eſt vulneratus*: quemadmodum καρδιότρωτος, cui cor eſt vulneratum, de quo vocabulo ſupra. Talem in ſtomacho vulneratum militem, ita ut per vulnus aſſumta prodierint, nihilominus feliciter curatum vidimus ante aliquot annos in Palatinatu ſuperiore.

STOMARGUS & *Strymargus*, στόμαργος καὶ στρύμαργος, cognatæ forte voces ſunt, & diverſa ſcriptione turbatæ. Primam interpretatur Galenus, quod talem ſignificet, qui ſtulte loquitur, ex Dioſcoride, & ab aliis ſcribi monet σύμαργος, quando nomen proprium eſt; poſteriorem dicit talem notare, qui in Venerem furore percitus eſt, ad quod indicandum Hippocrates plura adhibuit epitheta, ſicuti μυοχάνη, σαρύπους, χρυαλώπηξ, metaphorico uſu. Conf. Galenus *in exeg.* ſub utraque voce.

STOMATICOS, στοματικὸς, dicitur de medicamentis, quæ modice ſiccant, ſic vocata, quod in aſſiduo ſunt uſu, cujuſmodi ſunt, quod ex Moris conficitur, & quod ex Rubi fructu, aut ſucco corticis nucum juglandium viridis paratur, Gal. *l.* 5. *meth. med. c.* 20. *fin.* quamvis vera magis & propria ſignificationis ratio in hoc conſiſtat, quod talia medicamenta *ad affectus oris* & faucium adhiberi ſoleant & debeant, Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 1. ubi prolixum horum Catalogum invenies.

STOMOMA, στόμωμα, dicitur *ferrum purgatius*, ſive nativum, ſive igne ſæpius per liquefactionem depuratum, idem, quod *Chalybs*, Rul. & Iohnſ. Meminit *ſquamarum ſtomomatos*, Gal. *libr.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. *& libr.* 4. *de C. M. P. G. cap.* 7. Helmont. *Paradox.* 4. *n.* 14.

STOMOMANICON, στομομανικὸν, vocari *muſculum latum*, ſive πλάτυσμα μυῶδες, vult C. Hofm. *not. ad Gal. LL. de V. P. n.* 838. de quo muſculo vide ſupra *Latus.*

STOMOO, στομόω, idem, quod ἀναστομόω, hoc eſt; *aperio.* Legitur apud Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 2. *t.* 29. ſive *apertio* fiat à naturæ conatu, ſive ope medicamentorum ἀναστομωτικῶν, ſive ferri, aut ignis vi. Galen. *in comm. ad h. loc.* Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 2. *ad Glauc. c.* 7. Foëſ. *Oec. p.* 590.

STOPAROLA, eſt nomen aviculæ e genere muſcicaparum;

caparum; magnitudine *Motacillæ*; cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 7. *Ornithol c.* 27.

STORAX, στύραξ, Styrax, duplicis generis in officinis proſtat: Siccus & Liquidus. Ille dicitur etiam *Calamites*. Utriusque hiſtoriam, vires & uſum, vide apud Gal. *l.* 1. *de Antidot. c.* 14. *l.* 8. *S. F.* § *Styrax*. Dioſcor. *l.* 1. *c.* 79. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 406. Fr.Hofm. *Clav. ad h. l.* Rhod. *ad Scribon. n.* 88. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 5. *p.* 583. 626. *ſeq.*

STRABISMUS, στραβισμὸς, *Strabiliſmus*, dicitur muſculorum oculi non omnium, ſed aliquorum reſolutio, ob quam cauſſam vel ſurſum, vel deorſum, vel in latera nuunt oculi, Gal. *in defin.* Idem, quod ἴλλωσις. Vide *Illæno*. Haud raro ſequi Epilepſiam, teſtatur experientia, & confirmatur *in Eph. Nat. Cur. A. III. O.* 162. Apud Ægin. *l.* 3. *c.* 22. convulſio dicitur muſculorum oculos moventium, quod rectius & vero magis conſentaneum videtur.

STRANGALIDES, στραγγαλίδες, ſymptoma σπαργανώσεως, dum ita vocantur *globuli & durities in mammis* à lacte concreto obortæ, ſi lactis proventus nulla parte decedat. Gorr. Nic. Piſ. *de M. C. & C. l.* 2. *cap.* 10. *princ.*

STRANGOIDOS, στραγγοειδῶς, i. e. guttatim, inſtar *guttarum*. Hoc adverbium aliquoties legitur ap. Moſchion. *l. de morb. mul. c.* 125. *ſeqq.*

STRANGULATIO, πνὶξ, πνιγμὸς. Vide *Pnix*, *Pnigmos*, *Pnigma*.

STRANGURIA, στραγγουρία, *Stillicidium urinæ*, quando guttatim urina deſtillat, cum frequentiori & dolorifico ad excernendum ſtimulo. Cauſſa in aceſcentia ſeri, & vellicativis inde emanantibus effluviis, partesque nervoſas urethræ aut veſicæ irritantibus, & partim etiam convellentibus ſine dubio conſiſtit. De hoc vocabulo & affectu vide Hipp. 3. *aphor.* 31. 6. *aph.* 44. 7. *aph.* 48. Gal. *in comm. ad primum & tertium Hipp. loc.* Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 792. Linden. *Ex. VI.* §. 13. qui egregie hunc affectum veluti depinxit. Lang. *l.* 1. *ep.* 46. Helmont. *tr. Pleura furens*, *n.* 14. *Stranguria* veteribus interdum Gonorrhœam denotat, cujus Symptoma eſt. Proſper Martianus *in Hipp.*

STRATIFICATIO, vide *Stratum*.

STRATIOTICON, στρατιωτικὸν, ſive *Stratiotæ Collyrium*, commendatum adverſus duram & ſiccam lippitudinem. Acre eſt, & lachrymas provocat, ejusque deſcriptio habetur apud Scrib. *n.* 33. Æginet. *l.* 3. *c.* 22. Jungatur Rhod. *in not. ad h. l.*

STRATUM, communiter idem eſt, quod *Lectus*, κοίτη, de quibus vocabulis ſupra. Vide *Cœte*, *Lectus*, Gal. *l. de marcor. cap.* 5. At Pharmacopœis & Chymicis *ſtratum ſuper ſtratum* eſt phraſis uſitata, denotans alterno ordine factam poſitionem duarum diverſarum materiarum, uti fit in *cementatione* metallorum. Hanc phraſin etiam explicavit Rhodius *ad Scribon. n.* 60. e Palladio *l.* 12. *de re ruſtic.* dicente: Facere *ſtraturam* alterno ordine ſubinde creſcentem. Dicitur alias & *Stratificatio*. Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. cap.* 3. *pag.* 20.

STREBLOS, στρεβλὸς, idem, quod στραβὸς, hoc eſt, is, qui oculos habet perverſos & tortos, Hipp. *l.* 1. *Epid. ſect. VI.* 30. Latine *Strabo* dicitur Foëſ. *d. l.*

STREMMA, στρέμμα, idem fere, quod *Luxatio*; vel *Tortio partium* circa articulos nervoſarum, articulis illæſis. Meminit Hippocr. 3. *de iis, q. in med. t.* 31. (Adde Gal. *comm. ad h. l.*) Foëſ. *d. l. Tortio* idem etiam eſt, quod ſubluxatio, quando oſſa articulorum non prorſus excidunt. Joh. Coſtæus *in Annot. Avic. l.* 4. *Canon. fen.* 5. *tr.* 1. *c.* 1.

STREPITOSUS affectus dicitur Gr. ψοφώδης πάθος, & eſt morbus flatulentus, in Alpibus Auſtriacis non infrequens, quando in collo, facie & brachiis oritur intumeſcentia ex flatuum diſtenſione, ut inſtar veſicæ ſuillæ ſiccæ non prorſus diſtentæ ſtrepitum edat ad contactum, & curatur fumo vel ſuffitu ex Myrti foliis parato, de quo legatur ex P. de Sorbait *Med. Septentr. l.* 2 *ſect.* 24. *c.* 3. *p.* 502.

STREPITUS, ψόφος. Vide *Pſophos*. De *ſtrepitu oſſium*, & affectu *ſtrepitoſo* legantur Obſervationes *in Eph. Nat. Cur. A. III. Obſ.* 271. 275.

STRIA duplicem habet potiſſimum ſignificationem in Medicina, (I) Anatomicam; Ita Medullæ cerebri oblongatæ diſſectæ interior ſubſtantia exhibet lineas radioſas, quæ Malpighio fibrillæ vocantur. Williſius vero *Strias medullares* vocat, & *corpora ſtriata Anat. cerebr. c.* 1. & 13. & Senſorii communis munus illis tribuit. (II) Chymicam, quando ſpiritus deſtillati præſertim Salis, Nitri &c. in recipiente exhibent lineas, & radios veluti emittunt coloratos, unde & *Spiritus ſtriati* dicuntur.

STRIBILIGO, idem, quod ἔκθυμα, *efflorescentia* cutanea. Hæc ſi nigra fuerit, notat Archeum male affectum. Helmont. *in Tum. Peſtis.* §. *Præparata ſedes.*

STRICTOR, σφιγκτὴρ, vide *Sphincter*. *Strictum* emplaſtrum exponit Rhod. *ad Scribon. compoſ.* 45. per *Denſum*, *in Lex. Scrib.*

STRICTURA, æquivocum eſt apud Latinos. Vel enim idem ſignificat, quod *Durities*, σκλήρωσις, σκλήρωμα. Ita in libris ſpuriis Galeni legitur de Bdellio, Opopanace, &c. quod *ſtricturas* emolliant & reſolvant, *Libr. de ſimpl. medic.* Vel *Strictura* eſt ſpecies *ramenti*, Græce ξύσμα, quando ferramenta ignita, aut æramenta candentia malleis ſtringuntur, aut extinguuntur aquis frigidis, à quibus abſilit percuſſu aut ſecedit pulvis quidam craſſiuſculus. Vocatur & *Battitura* ab aliis etiam *Squama*, Libav. *S. A. Chym. l.* 4. *c.* 3. *Stricturæ Chalybis* leguntur *in Apocal. Hermet. Part. prior c.* 20.

STRIDOR, τρίσις, eſt ſpecies ſoni, notior in ſe, quam ut verbis exprimi poſſit. *Stridor dentium* dicitur τρίσις, τρισμὸς, Hippocr. 1. *Progn. t.* 21. Vide *Priſis.*

Priſis. Alias *ſtridor* Græce quoque ῥοῖζος vocatur, quod vocabulum Poëticum magis, quam civile eſſe, judicavit Gal. *l.* 3. *de diff. pulſ. cap.* 2. Unde & pulſus ῥοιζώδης, *Stridulus*, inter vehementes relatus ibidem commentitius potius dicendus, quam verus.

STRIGILIS, ςλεγγὶς, ςτλεγγὶς. Vide *Stlengis.*

STRIGMENTUM, γλοιὸς, vide *Gloeos.* Adde Lang. *l.* 1. *ep.* 51. Dicitur & ξύσμα, & Lat. *Strictura.*

STRINGENS, pro *Adſtringens*, ςυπτικὸς. *Stringere mammas* lacte turgentes quid ſit, apud Q. Serenum *c.* 20. vide apud Keuch. *in not. p.* 159.

STRIX, ςρὶγξ, proprie nomen avis nocturnæ, habentis nomen de ſono vocis ſtridulo, quæ vulgo *Amma* dicitur ab amando parvulos; de qua legatur Aldrov. *l.* 8. *Ornithol. c.* 8. Tranſlatum poſtea vocabulum ad *ſagas* & *lamias* mulieres incantatrices & præſtigioſas, quæ *ſtriges* vocantur. Vide Keuchen. *ad Samon. p.* 287. *ſeqq.* Harum patronum Paracelſum dixit Libav. *Tom. IV. pag.* 84.

STROBILE, ςρoβίλη, dicitur *linamentum intortum*, aut penicillum turbinis in modum implicitum & contortum, h. e. turbinatum lineamentum apud Hippocr. *de fiſtul. II.* 6. 9. 11. A qua figura & nuces pineæ ςρόβιλοι dicuntur, & reſina pinea ςροβιλίνη. Vide Jul. Alex. *not. in Gal. l.* 4. *de tu. ſan. Tom. II. Oper. p.* 410. & *p.* 755.

STROMBITES, ςρομβίτης, dicitur lapis ſimilis cochleæ aquatili ex amplo in tenue turbinis inſtar deficiens in ſpiram à dextra tortus, qui ulterius deſcribitur ab Agric. *l.* 5. *de nat. foſſil.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3 *p.* 388. & 412.

STROMBOS, ςρόμβος, nomen generale cochlearum marinarum, quæ Latine *Turbines* nuncupantur, aut ςρομβώδη, *Cochleæ Turbinatæ*, quarum deſcriptionem prolixiorem lege apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 2. & *ſeqq.*

STROMNE, ςρωμνὴ, idem, quod ςρῶμα, *ſtratum*, quo lectus ſolet inſterni. Extat apud Moſchion. *de morb. mul. c.* 69.

STRONGYLOS, ςρογγύλος, *rotundum*, teres, ſive in formam rotundam & turbinatam contractum ſignificat, Dieterich. *num.* 793. Epitheton vermium, ἑλμίνθων, *teretium.* Ita granum illud, quod ineſt piperi Indico & *Myrtidanum* dicitur, ab Hipp. deſcribitur per ςρογγύλον, *libr.* 2. *de morb. mul. LXXXIV.* 18. & *l.* 1. *CXIX.* 12. Eſt quoque epitheton *ſpecilli*, quod alias σπαθομήλη vocatur, de quo ſuperius in *Spathomele.* Galen. *in Ex. dict. Hipp.* Jung. Foëſ. *p.* 591.

STROPHOMATA, ςροφώματα, vocantur *Vertebræ* in machinis artificialibus Oribaſ. *de machin. cap.* 4.

STROPHOS, ςρόφος, vocatur *Dolor inteſtinorum Torminalis*, *Tormina* plur. unde & *Torminoſi* vocantur, qui his doloribus frequenter vexantur. Dicitur & *dolor Strophoſus.* Eſt ſymptoma concomitans. Iliacam & Colicam paſſionem. Hujuſmodi dolores & cruciatus interaneorum *Vermina* Feſto dicuntur. Plura de hoc vocabulo emphatico lege apud Foëſ. *d. l.* Dieter. *n.* 794. Lind. *Ex. VIII.* §. 42. *ſeq.* Dolor quoque vocatur *Verminatio*, Rhod. *ad Scrib. n.* 121.

STROTER, ςρωτὴρ, parva trabes, *trabecula*, lignum, canterius, qualis inter duas columnas alligatur ad humeri elapſum articulum reponendum. Hippocr. 1. *de artic. t.* 20. Foëſ. *p.* 592.

STRUCTURA, κατασκευὴ, vide *Cataſceue.* De *ſtructuræ hominis* encomio lege Lind. *Ex. III.* §. 7.

STRUMA, χοιρὰς, idem, quod *Scrophula*, eſtque tumor ſcirrhoſus glandularum, vel in collo, vel ſub alis, aut inguinibus, proveniens à materiæ congelativæ nutritiæ collectione, ſtagnatione, & induratione. Ejus ſpecies eſt *Bronchocele*, quando *ſtruma* in collo naſcitur. Nec aberrabit, qui *herniam* teſtium carnoſam vel ſcirrhoſam ad ſtrumas referet. An vero abſceſſus tres cum folliculo *Atheroma*, *Steatoma*, & *Meliceris* ad *ſtrumas* recte referantur, quod Lang. *l.* 3. *ep* 4. fecit, ut & Caſtellus, de eo adhuc dubito, quandoquidem in *ſtrumis* ipſæ glandulæ ſecundum totam ſubſtantiam indurantur, in illis abſceſſibus materia prorſus alia à parte, in qua generantur, notatur. Quod Helmont. negarit, Tartarum eſſe cauſam *ſtrumarum*, non videtur à veritate alienum, dummodo aliam quoque veriorem majori perſpicuitate propoſuiſſet. Verum & hic quoque mancus & obſcurus eſt, quando nutritium ſuccum in petroſum excrementum permutari virtute aquarum, tali efficacia propria Archeali & vitali præditarum, docuit *tr. Tartarus non in potu num.* 11. *ſeqq.* An *ſtrumæ* curari poſſint ſolo attactu Regum Angliæ & Galliæ, fides ſit penes Autores. Legatur Dieter. *n.* 924.

STRUTHIO, *Struthiocamelus*, ςρουθὸς, ςρουθοκάμηλος, nomen avis exoticæ maximæ, de qua referunt, quod ferrum devorare non ſolum, ſed & concoquere valeat, id quod & Lang. confirmat *l.* 1. *ep.* 12. & *Eph. Nat. Cur. A. III. O.* 37. negat vero C. Rejes *C. El. q.* 58. *n.* 41. Hujus hiſtoriam, vires & uſum prolixius tradidit Aldrov. *l.* 9. *Ornith. cap.* 2. Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 68. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

STRYPHNOS, ςρυφνὸς, Latine *Acerbus* dicitur: & accipitur vel Proprie, vel Improprie. Proprie denotat qualitatem guſtatilem, quando res acerba linguam noſtram quaſi contrahit, deſiccat & in profunditatem exaſperat, ſicut pyra ſylveſtria, immatura, & ſimilia. Differt ab *Auſtero* ſola intentione, vel gradu majori, Galen. *l.* 1. *de S. F. c.* 37. Conſiſtit in portionibus terreſtribus, crudioribus adhuc, & ſalinis ſiccioribus mixtis prævalentibus, & ſpirituoſis, oleoſis, vel activis inſufficientibus, vel deficientibus. E Carteſianis principiis *Acerbi humores* deſcribuntur, quod conſtent particulis rectangulis ſtridenti & acutiori ſerræ aſſimilantibus. Dolæus *Encyclopæd. Med. l.* 1. *c.* 11. §. 11. *p.* 165.

Medi-

Medicamenta στρυφνὰ, *acerba*, opponuntur ſolutivis; quia valide adſtringunt, Gal. *l.* 8. *M. M. cap.* 2. *Urinæ acerbæ*, στρυφνὰ οὖρα, leguntur apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. XV.* 19. & exponuntur, quod cineris ſpeciem referant, ita ut ſiccæ quaſi videantur, & haud dubie ſaporem quoque *acerbum* præbeant. Per tranſlationem vero etiam prædicatur de corpore, ejusque partibus ſolidis ſiccioribus & denſioribus, ap. Hippocr. v. g. στρυφναὶ mulieres, *l. de A. L. & Aq. VII.* 1. ubi ſteriles intelliguntur, i. e. ſiccæ, *acerbæ*, aridæ, *l. de nat. mul. I.* 5. ubi Lind. συφρότεραι poſuit, cerebrum στρυφνὸν, id eſt, *adſtrictum*, ſiccum, *l. de morb. ſacr. XIII.* 3. oſſa στρυφνὰ, i. e. *compacta*, *arida*, *l. de Carnib. IV.* 3. Jung. Foëſ. *p.* 592.

STUDIUM, σπουδὴ, ἐπιτήδευμα, quid ſignificet, jam ante ex Lexicis notum eſt. *Studioſi* pertinent etiam ad ſubjectum Medicinæ, cum ratione valetudinis tuendæ, tum recuperandæ: quia *ſtudia* præ aliis laboribus corpus afficiunt & labefactant. Helmont. *tr. Jus Duumvirat. n.* 27. *de febr. cap.* 13. *n.* 5. Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 111. Quæ igitur illis ſint obſervanda, vide apud Jul. Alex. *l.* 28. *Sal. c.* 3. Rolf. *d. t. l.* 14. *ſect.* 3. *c.* 20. Dieter. *Iatr. p.* 1040. *ſeqq.*

STULTITIA, ἄνοια, παραφροσύνη, μώρωσις, idem, quod *Amentia*, *Dementia*, de quibus vocabulis jam ſuo loco dictum eſt. Vide & *Delirium*. Quis vocetur *Stultulus Hermeticus* ænigmatice in Lapidis Philoſophici negotio, legatur apud Libav. *T. II. Op. pag.* 330.

STUPEFACIENS, ναρκωτικός. Vide *Narcoticus*.

STUPHA, idem, quod *Balneum Laconicum*, vel *Sudatorium*, dicitur & *Vaporarium*; Morell. *l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 6. Laudantur & à Foreſt. *l.* 32. *Obſ.* 6. *Schol. & O.* 13. *Schol.* Vide *Balneum*.

STUPIO, id eſt, *Stannum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

STUPOR, *Stupiditas*, νάρκη, νάρκωσις, vide *Narce*. *Stupor dentium* poſt eſum immaturorum & acerborum proprie in homine dicitur αἱμωδία, Galen. *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 16. *Stupor mentis* eſt ipſa *Fatuitas*, Gr. μώρωσις. Vide *Fatuitas*.

STUPPA, vel *Stupa*, στύπη, ἡ στύππη, στυπεῖον, vocatur particula diſtracta lini, aut cannabis, qua utuntur Chirurgi vel ad obturandum, vel etiam pro Epithematibus ad frontem, nucham, item in fracturis.

STURIO, nomen piſcis, nonnullis & *Oxyrinchus*, ab acuto roſtro. Quamvis hoc nomen poſterius etiam tribuatur piſci cartilagineo Bos dicto, de quo ſupra in BO. Vid. Aldrovandi locum ibi allegatum. De Græco nomine certo non conſtat. An γαλλαρίας? Neotericis tamen ἔγερξ dici, vult Aldrov. Hujus deſcriptio legitur, cum uſu in cibis & Medicina, apud dictum Autorem *l.* 4. *de piſc. c.* 12. J. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 1. Bruyerin. *de re cibar. l.* 20. *c.* 22. Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 89. *Accipenſer* veterum nonnullis etiam dicitur.

STURNUS, ψάρ, nomen avis notiſſimæ, quod cicuta veſcatur abſque noxa. Cujus hiſtoriam, cum uſu in cibo & Medicina, prolixe lege apud Aldrov. *l.* 16. *Ornith. c.* 19. J. Alex. *l.* 13. *Sal. c.* 8. Bruyer. *d. l.* 15. *c.* 42.

STYGIA, epitheton Aquæ *cauſticæ*, ſive *corroſivæ*, & præſertim *Regiæ*, cujus deſcriptio habetur in Diſpenſatoriis, & apud Schroder. *l.* 3. *c.* 23. Jung. Libav. *l.* 8. *S. A. Ch. c.* 30.

STYLISCOS, στυλίσκος. Vide *Priapiſcos*.

STYLOCERATOHYOIDEI dicuntur Muſculi; qui aliis *Stylohyoidei* vocantur, & os Hyoides una cum Lingua ad latera movent Barthol. *l.* 3. *An. c.* 12. *p.* 546.

STYLOGLOSSI vocantur Muſculi linguam retrorſum ducentes, *d. l. c.* 13. *p.* 549.

STYLOIDES, στυλοειδὴς. Vide *Graphioides*.

STYLOPHARYNGEI ſunt Muſculi Gulam ampliantes Id. *l.* 2. *An. c.* 12. *p.* 449.

STYLOS, στῦλος, dicitur de diverſis inſtrumentis Chirurgicis oblongis, plerumque teretibus & acuminatis, qua explicationi, qua intruſioni, aliisque operationibus deſtinatis, de quibus quære *in Indice* Operum Hildani, ut & Sculteti *Arm. Chirurg. Indice primo. Stylus* etiam ad Pharmaciam tranſlatus legitur, quando apud Mynſicht. *Armament. ſect. IX. Styli dentifricii* leguntur deſcripti.

STYMMATA, στύμματα, dicuntur *ſpiſſamenta*, quæ oleis adduntur, vel odoris gratia, vel ut confecta diutius immunia permaneant, Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. cap.* 2. Hinc & στύμματα ita vocabantur *unguenta ſpiſſiora*, ſolidiora, & corpus habentia, ſimulque odorata, vel ſuaveolentia. Differebant ἀπὸ τῶν ἡδυσμάτων, quod liquida eſſent hæc: illa vero ſolida, Caſtell. Gorr. Paulo aliter Lind. expoſuit, ſcribens, *Stymmata* vocari, quæ conſiſtentiam, ſeu corpus dant unguentis: *hedyſmata* vero ſuccos, quibus ea exciperentur. *Ex. X.* §. 77. Schroderus ita deſcripſit: *Stymma eſt ſpiſſamentum* ſeu craſſamentum rerum, (florum, rerumque aliarum) quod remanet, dum in oleis maceratæ exprimuntur, *l.* 1. *c.* 3.

STYMPHALIDES, dicuntur avium ſpecies quædam maxime feræ, quarum hiſtoriam vide apud Aldrov. *l.* 10. *Ornithol. c.* 3.

STYPHELIZO, στυφελίζω, ſignificat apud Hippocr. exagito, vexo, aſperius tracto, 3. *de fract t.* 33. Foëſ. *p.* 592.

STYPHON, στύφον, στύψις. Vide *Adſtringens*.

STYPTERIA, στυπτηρία. Vide *Alumen*.

STYPTICON, στυπτικὸν, idem, quod στύφον, *adſtringens*. Vide ſuo loco. Adde Diet. *n.* 795.

STYRAX, στύραξ. Vide *Storax*.

SUAVIS, ἡδὺς, vide *Hedys*, *Jucundus*, quibus adde, quod *ſuavia* guſtu aliis inſuavibus ejuſdem licet bonitatis, ſint præferenda, utpote ventriculo gratiora. Galen. *l.* 2. *de Al. Fac. c.* 26. Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 3. *h. tit. c.* 19.

SUB, ὑπὸ. Vide *Hypo*.

SUBACTIO, χείρωσις, dicitur tractatio rei cujuſdam

juſdam manibus facta, & dicitur de miſtione & emollitione Emplaſtrorum, ceræ, & ſimilium maſſarum, manibus vel in mortario cum piſtillo facta, vide Rhod. *in Lexic. Scribon. p.* 446. Verbum eſt *Subigo*, χειρέω, καταργάζομαι.

SUBALARIS, idem, quod *Axillaris* vena, vel *Baſilica*, aut *Mediana*. Caſtell. e Galen. *ſpur. l. de Anat. vivor.*

SUBAMARUS, ὑπόπικρος, Gal. *l.* 7. *de S. Fac.* §. *Crambe agreſtis*, & *alibi*.

SUBBILIOSUS, ὑπόχολος. Vide *Hypocholos*.

SUBBUTEO, ὑποτριόρχης, vel γυποτριόρχης, nomen avis, *buteone* paulo minoris, cujus deſcriptio videatur apud Aldrov. *l.* 5. *Ornith. c.* 8.

SUBCARTILAGINEUM, ὑποχόνδριον. Vide *Hypochondrion*.

SUBCAVUM, ὑπόκοιλον. Vide *Hypocœlon*.

SUBCINGENS, ὑπεζωκώς. Vide *Hypezocos*.

SUBCLAVIUM, κατακλεὶς. Vide *Catacleis*. *Venæ* & *Arteriæ Subclaviæ* occurrunt in Anatomicis, in ſpecie apud Bartholin. *libell.* 1. & 2. *pag.* 638. & 652. præſertim *Vena ſubclavia* celebrata eſt propter inſertionem ductus lactei Thoracici Pecquetiani, ut & Lymphatici peculiaris *d. libell.* 1. *c.* 6. Dicitur & Muſculus Thoracem dilatans *Subclavius*. Id. *l.* 4. *An. c.* 4. *p.* 565.

SUBCRUENTUS, ὕφαιμος, ſignificat colorem quodammodo ſanguinis colori reſpondentem, Hipp. 5. *aph.* 23. Dieter. vero exponit per ſanguine vel cruore perfuſum, *n.* 881.

SUBCUTANEUS dicitur de omni illo, quod ſub cute locum ſuum obtinet, ſive naturale fuerit, ſive præternaturale. De *ſubcutaneis* abſceſſibus (ad quos etiam parotides referuntur) legatur M. A. Sever. *l. de nov. obſ. abſceſſ. cap.* 15.

SUBDITUM, πρόθετον. Vide *Proſtheta*.

SUBDUCTIO, ὑπαγωγὴ, ὑποχώρησις, idem, quod *Dejectio* per alvum, Gal. 2. *aph.* 18. In Chymicis quoque *Subductio* vocatur abſtractio, quæ fit per inferna; & eſt duplex: *Filtratio* & *Clepſydria*. Rul. & Iohnſ. de quibus ſuis in literis. Peculiarem *ſubductionis* ſignificationem tribuit D. Laur. Bellini, ita vocans arteriarum ſyſtolen, ſive motum introrſum, quando poſt dilatationem in priſtinam ſedem redeunt, & ita tangentis ſeſe *ſubducunt* manibus, in operis nuperrime editi *Membr. II. de Pulſ. p.* 72.

SU'BETH, Arab. idem, quod *Carus*, vel *ſomnus p. n.* Foreſt. *l.* 7. *obſ* 7 *Schol.* Valeſc. de Tarant. *Philon. Pharm. l.* 1. *c.* 10. Walth. *Sylv. Med. p.* 376.

SUBETH SAHARA, *Coma vigil*, denotat Arculano, apud For. *d. l.* 6. *obſ.* 38. & *l.* 10. *obſ.* 34. *Schol.* Walther. *d. l.*

SUBFASCIATIO, idem, quod *Subligatio*, ὑπόδεσμις. Vide *Hypodeſmis*.

SUBFRONTALIS eſt epitheton Suturæ Cranii Oſſis frontis partem internam mediam cum maxillæ ſuperioris oſſibus tranſverſo primum, mox oblique verſus orbitam oculorum ductu conjungens. Blaſ. *Univ. Med. p.* 105.

SUBHUMERATIO, κατωμισμὸς. Vide *Catomiſmos*.

SUBJECTUM, ὑποκείμενον, eſt potius terminus Philoſophicus, & denotat in Medicina *corpus humanum*, in quo ſanitas vel conſervari, vel reſtaurari debet. Eſtque duplex: *Mas* & *Fœmina*. Dieter. *Iatr. p.* 43. De *ſubjecti* Medici natura, & attributis, vide paſſim Inſtitutioniſtas, ut & Dogmata noſtra Medicinæ Generalia, *in prælim. dogm.* 3. *p.* 5. *P. I. c.* 2. *p.* 18. *ſeqq. P. II. c.* 2. *p.* 114. *ſeq.* Rolf. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 1. *ſeqq.* De *ſubjecto Chymicorum* vide *Th. Chym. Vol. I. p.* 508. *Lapidis Philoſophici*, ſive Tincturarum, quod eſt *Mercurius corporalis*, *d. l. p.* 520. & 535.

SUBINTRANTES febres dicuntur, quarum paroxyſmus poſterior invadit, antequam prior deſinat, Laur. Bellin. *de febrib. in Operib. Medic. p. m.* 253.

SUBJUGALE, ὑποζύγιον, idem, quod *Jumentum*. Vide *Hypozygion*.

SUBLIGACULUM, idem quod Amiculum vel Semicinctia Gymnaſtarum Rhod. *diſſ. de Acia p.* 85. vide *Amiculum*. *Semicinctia*.

SUBLIGAMEN, ὑπόδεσμις, idem, quod *ſubfaſciatio*, vide *Hypodeſmis*. *Subligaculum* in ſpecie vocat Hildan. illud, quod hernioſis applicatur. *Cent.* 6. *obſ.* 69. Et ſimile mulieribus conveniens in procidentia uteri deſcriptum monſtrat Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XLIII. fig.* 9.

SUBLIMAMENTUM, ἐναιώρημα. Vide *Enæorema*.

SUBLIMATIO, *Sublimatum*, μετεωρισμὸς, ὕψωσις, ἔπαρσις, terminus eſt Chymicis uſitatus, ſed ambiguæ ſignificationis. Vel enim idem notat, quod *Elevatio*, *Exaltatio*, quando res quædam per operationem artificialem exaltatur. Vel ſtricte *ſublimatio* appellatur ſicca elevatio, in qua partes ſiccæ, ſubtiliores, ſpirituoſæ, concretiles, à fundo elevantur, excitatæ in ſublime tolluntur, ibique conſiſtunt, inſtar nubis pendentis, & capitello adhærent, in minimas atomos redactæ, Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 2. Quæ hoc modo tractantur & præparantur, vocantur *ſublimata*, & hoc nomen tum aliis mineralibus & metallicis tribuitur, v. g. Flores quoque ſulphuris inter *ſublimata* pertinent; tum ſtricte de *Mercurio ſublimato* uſurpatur. Quære *ſublimata* varia in Libavii *Indice Tom. I.* De *ſublimatione* etiam plura invenire licet *in Theatr. Chymic. Vol. IV. p.* 525. 853. 855. &c. Obiter Paracelſus & *ſublimationis morboſæ*, vel morbiferæ microcoſmicæ, mentionem facit, *Paramir. l.* 2. *c.* 4. *Sublimatorium* vocatur locus, & inſtrumenta, quibus *ſublimatio* perficitur, Libav. *d. l.*

SUBLIMIS, μετέωρος. Vide *Meteoros*. De *ſublimatione Medica*, vide ſupra in *Hyperoche*. *Sublimis* Muſculus Carpi vocatur, qui alio nomine Perforatus

tus dicitur, ad differentiam *Perforantis* infra illum ſiti, & propterea *Profundus* dicti. Barthol. *l.* 4. *An. c.* 9. *pag.* 575.

SUBLIMITORIUM, ὑπαλειπτήριον. Vide *Hypaleiptron*.

SUBLINGUALIS, ὑπογλώσσιος, epitheton eſt etiam Glandularum ad latera linguæ ſitarum, quarum deſcriptionem vide apud Bartholin. *l.* 3. *An. c.* 13. *pag.* 550.

SUBLIVIDUS, ὑπόπελιος, *liquidum colorem remiſſum* ſignificat, & legitur 4. *de artic. t.* 64.

SUBLUXATIO, παράρθρημα, διακίνημα. Vide *Parathrema*, *Diacinema*.

SUBMERSUS, καταδὺς, καταποντισθεὶς, dicitur, qui in aquam marinam projicitur, quod laudat tanquam remedium in Hydrophobia Helmont. *tr. Demens Idea n.* 47. 48. *&c.* ob hanc rationem, quod experientia teſtetur, *ſubmerſos* vitam diutius ſervare, etſi ad ſenſum videantur plane mortui. *ibid. n.* 50. *&c.*

SUBMISSIO, diverſimode accipitur. Interdum pro *remiſſione*, ceu quarto morborum tempore, Gr. διάλειμμα, ἄνεσις dicto, Gal. *l. de morb. temp. cap.* 6. Vide *Aneſis*, *Dialeimma*. Interdum pro arteriæ *ſubſidentia*, ſive *ſyſtole*, Græc. συστολή. Ægin. *l.* 2. *c.* 11. Vide *Syſtole*.

SUBORTUS, ὑπόφυσις, dicitur ſpecies vel differentia quædam τῆς τριχώσεως, ſive caſus pilorum in palpebris. Gal. *in def med.*

SUBPALLIDUS, ὕπωχρος. Vide *Hypochros*.

SUBPURGATIO, ὑποκάθαρσις, à verbo ὑποκαθαίρειν, ſubpurgare, quod ſignificat leni medicamento, aut leviter purgare, aut ea doſi, quæ dari in periculum nequeat. Linden. *Ex.* 12. §. 69.

SUBRUBER, ὑπέρυθρος. Vide *Hyperythros*.

SUBRUFUS, ὑπόπυρρος, dicitur de urinæ igneo colore, diluto, & remiſſiore. Galen. *l.* 1. *de Criſ. c.* 12.

SUBSCAPULARIS, vide *Immerſus*.

SUBSICCUS, ὑπόξηρος. Vide *Hypoxeros*.

SUBSIDENTIA, idem, quod *Sedimentum*, ὑπόστασις, vide *Hypoſtaſis*. *Subſidere*, verbum, Græc. dicitur καθίσταμαι, de quo vide Linden. *Ex. XVI.* §. 147. Accipitur & pro *Conſidentia*, συνίζησις. Charlton. *Exerc. X. Pathol.* §. 42.

SUBSIDIUM, idem, quod *Auxilium*, βοήθημα, Vide *Auxilium*, *Remedium*.

SUBSOLANUS, idem, quod *Eurus*, ventus dicitur, ab ortu æquinoctiali flans, & opponitur *Favonio*, ab occaſu æquinoctiali prodeunti. Gal. *c.* 3. *de Hum. c.* 17.

SUBSPADONES, ὑποσπαδιαῖοι. Vide *Hypoſpadiæos*.

SUBSPLENETICUS, ὑπόσπληνος, vide *Hypoſplenos*. Extat Latina vox apud Proſp. Martian. *in annot. ad Hipp. p.* 149. *c.*

SUBSTANTIA, οὐσία. Vocabulorum Latini & Græci ſignificatio aliunde, vel e Logicis, Metaphyſicis, aut Phyſicis jam nota eſſe debet. In foro Medico accipitur pro uniuſcujusque rei perfectione eſſentiali. Gr. ὕπαρξις dicta, Gal. *l* 7. *de Hipp. & Pl. decr. c.* 1. Unde *à tota ſubſtantia* agere nihil aliud eſt, quam qualitate propria rerum ſubſtantiam vel eſſentiam neceſſario comitante operari. J. Alex. *not. in Gal. l.* 5. *de S. Fac. c.* 17. vel potius agere ex *toto*, ex omnibus qualitatibus primis, ſecundis, tertiis, una cum *ſubſtantia* conſideratis. Vide C.Hofm. *Apol. pro Galen. l.* 3. *c.* 42. *a. e. & c.* 46. *b. c. alibique in ſcriptis paſſim*. Et hoc non ſolum de quibuſdam ſaltem medicamentis recte dicitur, ſed etiam de omnibus, imo & de alimentis, quamvis non adeo in eminentiori gradu. Nam omnia, quæ in corpus noſtrum aſſumuntur, debent mutari in ejus *ſubſtantiam*: Ergo etiam *à tota ſubſtantia* agere & pati debent. Coincidit hæc *tota ſubſtantia* cum ἰδιοσυγκρασίᾳ, de qua ſupra in ID.

SUBSTILLUM, idem, quod *Stillicidium ſanguinis* e naribus, Gr. στάξις, Heurn. *l. de morb. ocul. aur. &c. c.* 10. Foreſt. *l.* 6. *obſ.* 48.

SUBSTITUTUS, ἀντιμβαλλόμενος, dicitur de medicamentis, quæ in alterius locum ſurrogari queunt, de quibus Galen. integro libell. *de ſubſtitutis Medicis*, Æginet. *l.* 7. *cap.* 28. Dicuntur & Latine *Succedanea* in *Proleg. Iſagog. Diſpenſatorii Auguſt. c.* 2. item apud Weker. *l.* 4. *A. G. c.* 11. ubi & *Qui pro Quo* vocatur. Jung. Diſpenſator. Univerſale I. D. Horſtii *in Inſtit. Pharmac. lib.* 4. *c.* 15. *p.* 73.

SUBSULTIO, idem, quod *Palpitatio*, παλμός. Vide *Palmos*.

SUBSULTUS *ſpaſmodicus* vocatur affectio in febribus malignis, & ſcorbuticis familiaris, pertinens ad motus convulſivos, quando ægri artus, manus & pedes continere nequeunt, ſed coguntur ob materiæ elaſticæ in partibus nervoſis accretionem & copulam modo extendere, modo huc illucve agitare, varie transferre, imo interdum illorum œſtra curſu, ſaltu, aliisve motibus, durisque laboribus ſubigere; in febricitantibus vero ſpaſmi creberrimi minores obſerventur. Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 13. *obſ.* 4. *p.* 257. *& l.* 2. *ſ.* 8. *Obſ.* 40. *Schol. p.* 668. Alias & *Subſultio* uſurpatur pro palpitatione muſculorum & cutis commotione in facie à flatulento craſſoque ſpiritu dependente apud Joh. Stephan. *Paraphr. in Avicen. l.* 3. *fen.* 2. *c.* 18. *p.* 154.

SUBSURDITAS, βαρηκοΐα, δυσηκοΐα, idem, quod Obauditio, de quo ſupra. Extat apud Blaſ. *Med. Un. p.* 395.

SUBTILIATIO, λέπτυνσις, eſt terminus Chymicus, diciturque diſſolutio, partes ſubtiliores à craſſioribus ſeparans, & habetur duplex: Μικροχρονική, & μακροχρονική. *Illa* eſt, quando corpora brevi temporis ſpatio diſſolvuntur. Eſtque iterum duplex: *Elevatio* vel *Deſcenſio*. Hæc dicitur, quæ tempore longiore res diſſolvit. Eſtque *Exaltatio*, & *Digeſtio*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Rolf. *Chym. l.* 2. *c.* 2.

SUBTRAHO, ὑποςέλλομαι. Vide *Hypoſtellomai*.

SUBUBERES, vocantur infantes, qui adhuc ſub uberibus matris vivunt, *Sugentes*. Quibus opponuntur *Exuberes*, ἀπογάλακτοι. Keuchen. *ad Samm. pag.* 206.

SUBVENTANEUS, ὑπηνέμιος. Vide *Hypenemios*.

SUBVERSIO, ἀνατροπή. Vide *Anatrope*; quamvis Latinum non exacte reſpondeat Græco. Proprie enim Gr. ὑποςροφή dicitur *ſubverſio*. Vide *Hypoſtrophe*. *Subverſio volvuloſa ſtomachi*, εἰλεώδης τῦ ςομάχυ ἀνατροπή, vocatur fortis & σύντονος, contentioſus vomitus, nam quemadmodum in Ileo ſubverſiones fiunt cum magna contentione & violentia, adeo ut ſtercus etiam evomant: ſic etiam alios vomitus violentiores concitatos quis appellare volvulos poſſet. Gal. *l.* 8. *de C. M. S. L. cap.* 3. Caſtell. Jung. Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p. m.* 328.

SUBVIRIDIS, ὑπόχλωρος. Vide *Hypochloros*.

SUBVOLA, ὑπόθεναρ. Vide *Hypothenar*.

SUCCEDANEUS, idem quod *Subſtitutus*, de quo p. a. *Succedentia* ſigna vocantur Bellino, quæ aliis *Supervenientia*, ἐπιγινόμενα dicuntur; quæ una cum Antecedentibus & Conjunctis erudite collegit in Opere noviſſime edito, *de Urin. Pulſib. &c.*

SUCCENTURIATUS, vel *ſubcenturiatus* (Domin. de Marchett. *Anat. c.* 5.) epitheton eſt *Glandularum Renalium*, quas Caſſerius *Renes ſuccenturiatos* appellavit. Quorum hiſtoriam vide in Anatomic. præſertim Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.*

SUCCESSIO, *Succeſſus*, διαδοχή, proprie dicitur de motu locali poſteriori, priorem inſequente, Helm. *tr. tempore n.* 40. Deinde etiam accipitur pro *eventu* alicujus rei bono, & ita Græco reſpondet τύχη, ἐπιτύχημα.

SUCCESSIVUS eſt epitheton morborum, qui ſemper opus habent cauſſa continente, qua ceſſante ſtatim etiam ceſſant. Th. Rod. à Veiga *Oper. p. m.* 200. Opponuntur *Permanentibus*.

SUCCIDUS, οἰσυπηρός, epitheton *Lanæ*. Vide *Erion*, *Lana*, *Oeſypos*.

SUCCINEUS, idem quod *Succinatus*, dicitur de eo, quod e ſuccino conſtat. Ita totius Pruſſiæ fundum totum *Succineum* affirmare non dubitavit D. Phil. Jac. Hartmannus de Succino Pruſſico, uti legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1700. *M. Jul. p.* 333.

SUCCINGENS, *Succinctura*. Vide *Hypezocos*, *Diaphragma*.

SUCCINUM, ἤλεκτρον. Vide *Electrum*. Chymici nomen *Succini* quoque dederunt Vitris e metallis & mineralibus paratis: v. g. *Succinum* vel Vitrum Antimonii, Mercurii, Saturni. D. Joh. Michael *in Notis ad Schroder. Pharmac. l.* 3. ubi aliquoties occurrit.

SUCCOLATA, vide *Chocolata*.

SUCCOTRINA, dicitur ſpecies *Aloes*, ſucci illius purgantis amari, ita dicta, quaſi *ſucco citrina*, quod pulvis ejus coloris citrei ſit: vel pro *Soccotrina*, ab Inſula *Soccotra*, ubi copioſe creſcit. Eſtque puriſſima ſpecies Schroder. *l.* 4. *cl.* 3. *n.* 442.

SUCCUBUS, dicitur ſpiritus nocturnus muliebris, illudens inter dormiendum, ac ſi rem haberent Veneream, quemadmodum Maſculus ſpiritus vocatur *Incubus*, Dorn. Rul. & Iohnſ. e Parac. *l.* 3. *de orig. morb. inviſib.* Cauſam ad ſolam imaginationem refert. Vide *Ephialtes*.

SUCCUS, Gr. χυλὸς, χυμὸς, ὀπὸς, (vide *Chylus*, *Chymus*, *Opos*) quid communiter ſignificet, notius eſt, quam ut opus ſit explicatione. Nimirum idem eſt, ac *Humor*, *Liquor*. Interdum tamen, & præſertim in Pharmaceuticis, ſtrictius ſumitur pro liquore in vegetabilibus potiſſimum contento, & artis beneficio diverſimode inde elicito & collecto. Tria vero vel quatuor in unoquoque *ſucco* concurrunt: *Materia aquea*, vel liquida, *propria* uniuscujusque *eſſentia* & *natura ſpecifica*, & tandem *portiones excrementitiæ*, quarum aliæ tenuiores in ſegregatione ſupernatant; aliæ craſſiores fundum petunt, *fecum* nomine venientes. Vide Jul. Alex. *l.* 16. *Sal. c.* 3. Ad duo priora ſaltem reſpexiſſe videtur Ruland. deſcribens *ſuccum*, quod ſit eſſentia proxime e corpore conſiſtentia chyliformi extracta, quem, uti in aliis omnibus, ita & hic ſecutus eſt Iohnſonus. De *ſuccis Officinalibus* medicamentoſis, & eorum modo præparandi & colligendi vario, videantur Weker. *A. G. l.* 1. *c.* 8. *Spec. l.* 1. *ſect.* 15. 16. Schroder. *l.* 2. *c.* 17. & 82. item Diſpenſatoria varia, Auguſtan. Norimb. &c. Porro vocabulum *Succus* ab Anatomicis etiam tranſlatum ad Liquorem *Nutricium*, *Nervoſum*, *Fermentativum*, in ventriculo, uti paſſim ex illorum ſcriptis obſervari poteſt. Stricte pro *Chylo* & *ſucco nutritio* accepit Linden. quando non modo *ſuccum* dixit partem eſſe meliorem chyli; verum etiam e Donato ad Terentium addidit, quod *ſuccus* ſit humor in corpore, quo abundant bene valentes. Et quod *ſuccus* proprie dicatur quaſi *ſugus*, quod eum ſibi ex alimentis quaſi membra ſugant, ut ſe repleant atque reficiant eo, *Ex. III.* § 282. *Succum* pro *Lacte* accipi, teſtatur Keuchen. *ad Sammon. p.* 159. *Succus albus* Chymicis vocatur *Argentum vivum*, Rul. & Iohnſon.

SUCCUSSATIO, vel *Succuſſio*, Gr. σεισμὸς, ὑποσεισμὸς, τιναγμὸς, ὑποτιναγμὸς, idem fere, quod *Concuſſio*, quid ſignificet, aliunde notum eſt. Refertur vero à nonnullis inter remedia Apoplecticos in paroxyſmo revocandi. Enimvero non ſemper eſſe ſecurum notavit Foreſt. *l.* 10. *obſ.* 14. *Concuſſionem* vocans. Profuiſſe autem *Succuſſationem* & ad inceſſum coactionem teſtatur Wepfer. *de Apoplex.* & ex hoc Bonet. *Mercur. Compit. l.* 1. *p.* 22.

SUCTIO, *Suctus*, μύζησις, proprie dicitur de infantum e papillis matrum lactis expreſſione & extractione. Tranſlatum poſtea ad naturam famis explicandam, quam etiam Galenus *ſuctionem* quandam eſſe, expreſſe.

expreſſe dixit, *l.* 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 7. quamvis fortaſſis ad trutinam veritatis examinata res illa non ita ſeſe habeat. Hinc Linden. ſaltem more vulgi *ſuctum* appellari famem, ſcripſit. *Ex. XIII.* §. 93. *ſeqq.*

SUCULA, proprie diminutivum eſt *Suis.* Per tranſlationem ita dicitur Inſtrumentum Chirurgicum, quod alias *Aſellus*, ὀνίσκος, vocatur. Galen. 2. *de fract. t.* 49. *& c.* 3. *t.* 40. quamvis in Græco textu non occurrat.

SUDAMINA, ἱδρῶα. Vide *Hidroa.*

SUDARIUM, σουδάριον, in N. T. dictum, vocatur *linteum*, quo abſtergitur ſudor. Helmont. affinxit virtutem magneticam naturalem *Sudario S. Pauli*, qua ſanavit ægros, *tr. de magnet. vuln. cur. n.* 46.

SUDATIO, ἵδρωσις, proprie dicitur ipſa actio, qua ſudor per poros cutaneos excernitur. Communiter tamen cum *ſudore* confunditur.

SUDOR, ἱδρώς. Vide *Hidros.*

SUDORIFERUM, *Sudorificum*, ἱδρωτικόν, διαφορητικόν. Vide *Diaphoreſis.* Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 6. *ſect.* 1. *c.* 1. *ſeqq. Sudorifica* vocavit Jul. Alex. *l.* 26. *Sal. c.* 11. *Sudorifici maximi* P. I. Fabri meminit Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. p.* 255. D. Henr. à Deventer Pilulas *ſudoriferas* per experientiam ceu univerſalem quandam medicinam magnopere extollit *Lum. Nov. Obſtetric. c. XXVI. p.* 204. *ſeqq.*

SUFFERSURÆ, vulgo vocantur Exanthemata, vel puſtulæ, quæ pueris ex calore ſolent evenire, interdum humidiores. For. *l.* 6. *Obſ.* 42. *Schol.*

SUFFIMENTUM, *Suffitus*, θυμίαμα, θύμα, ὑποκάπνισμα, ὑποκαπνισμὸς, (quæ vocabula proprie dictam ſuffumigationem exprimunt, quando v. g. puerperis talis ſub matrice paratur per ſuppoſitionem materiæ prunis injectæ) ὑποκαπνισμὸς, vocatur medicamentum ſimplex, vel compoſitum, quod prunis injectum & incenſum odorem ſuum fundit. Vocatur & *ſuffumigatio.* Horum deſcriptionem & catalogum vide apud Weker. *Antid. Gen. l.* 1. *c.* 53. Morell. *l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 9. (& *Spec. l.* 2. *ſect.* 49.) *Suffimentum* ab *Odoramento* differt, quod hoc etiam ſine igne odorem emittat. Hipp. *ſuffimentorum* paſſim etiam meminit 5. *aph.* 49. & *in libris de morb. mul.* quæ loca Fœſ. collegit. Jung. Dieter. *n.* 396. *Suffimenta* à rebus fœtidis, ridiculis facta, dæmonem fugare creduntur non ſine ratione plauſibili, quam dedit Caſp. Rejes *C. El. q.* 28. *n.* 14.

SUFFLUXIO, ὑπόῤῥυσις. Vide *Hyporrhyſis.*

SUFFO eſt *Panis porcinus.* Dorn. Rul. & Iohnſon.

SUFFOCATIO, idem, quod *Strangulatio*, πνὶξ, πνιγμὸς. Vide *Pnigmos*, *Pnix.*

SUFFRICARE, i. e. *leniter fricare*, Rhod. *in Lex. Scribon.* Græce dici poſſe: ὑποτρίβειν.

SUFFUMIGATIO, *Suffumigium*, idem, quod *Suffimentum*, de quo p. a.

SUFFUSIO, ὑπόχυμα. Vide *Hypochyma*, *Catatacta. Suffuſio auriginoſa* idem, quod *Icterus.* Dolæus *Encyclopæd. lib.* 3. *cap.* 8. §. 1. *pag.* 475.

SUFUFF dicuntur pulveres compoſiti, qui alias in Officinis *Species* vocantur, Libav. *S. A. Chym. l.* 4. *c.* 1. ex Sylvio. *Sufuff æthereum* eſt figmentum Paracelſicum, cujus meminit *l.* 1. *Philoſ. Sagac.* §. *quid ſit Philoſophia adepta.*

SUGGILLATIO, *Suggillatum*, ἐκχύμωμα, ὑπόσφαγμα. Vide *Ecchymoma. Hypoſphagma*, Hipp. 2. *de fract. t.* 30. *ſeqq.* aliquoties meminit ἐκχυμωμάτων.

SUGITIVUM dicitur medicamentum, quod abſumere valet ſeroſitates hydropicorum. Avicen. *l.* 5. *ſum.* 2. *tr.* 6.

SULFUR, *Sulphur*, θεῖον, communiter vocatur ſuccus mineralis, vel pinguedo terræ, vitriolacea aciditate impprægnata, h. e. conſtans copia puri ſulphuris ingenti, modica ſalis acidi quantitate, & tantillo ſpiritus, aquæ & terræ, Schroder. *l.* 3. *c.* 28. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. loc.* Dividitur in *Nativum*, ſive *Foſſile*, & *Factitium.* Ad *nativum* pertinet illud, quod *gleboſum* eſt, & ἄπυρον, Latine *Vivum* vocatur, optimumque habetur, Keuchen. *ad Samm. p.* 97. *Sulphuris* prolixiorem hiſtoriam, vires, uſum, præparandi medicamenta ex eodem modum, vide apud Galen. *l.* 9. *de S. Fac.* §. *Theion.* Dioſc. *lib.* 5. *c.* 124. Schroder. *l.* 3. *c.* 28. Fr. Hofm. *Clav. ad h. l.* Ferr. Imperat. *Hiſt. nat. l.* 15. *c.* 1. 2. 3. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 2. *p.* 169. *ſeqq.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Rhod. *ad Scrib. n.* 78. Iunk. *Chym. Exper. Cur. Part. I. ſect.* 1. *cap.* 1. *p.* 24. *ſeq. & ſect.* 4. *c.* 6. *p.* 290. *Sulphur factitium* fieri e mineralibus, vel aliis quibuſcunque ramoſis, v. g. ex oleo Vitrioli & Antimonio, it. ex oleo Vitrioli & ol. Terebinthinæ, ſcribit Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. c.* 13. *p.* 153. Præter hanc ineptam ſignificationem Spagyricis & Chymicis *Sulphur* dicitur *Pars lapidis Philoſophorum*, principium & pater metallorum, & vocatur *Sulphur Philoſophorum.* Principium metallicum deſcribitur, quod nihil aliud ſit, quam purus ignis occultus in Mercurio, qui longo ſucceſſu in mineris excutitur, atque movetur motibus corporum cœleſtium, digeritque frigiditatem & humiditatem in Mercurio, pro varietate graduum decoctionis & alterationis in diverſas formas, plumbi, ſtanni, cupri, ferri, argenti, auri, &c. *Theatr. Chymic. Vol. I. p.* 700. Quære de *Sulphure* plura in illo & reliquis V. Tomis dicti Theatri, & multa reperies. Præterea etiam *Sulphuris* nomen multis compoſitionibus Chymicis tribuitur, v. g. *Sulphur auratum* Antimonii, cujus varias deſcriptiones vide apud Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſ.* 9. *c.* 2. *ſeqq.* Sunt etiam, qui *Sulphur* pro univerſali principio corporum naturalium accipiunt. In qua ſignificatione Rulandus deſcripſit, quod ſit principium formativum, aëreum partim, partim igneum, & æthereæ naturæ particeps, per quod virtus eſt, & vita rebus ineſt; quare & *Balſamus naturæ* appellatur. Ita *ſal* terminator eſt, *ſulphur* informator, vim plaſticam habens; *Mercurius* vapor

unctuoſus

unctuoſus eſt, qui ab illis patitur. Formam eſſentialem Chymici relinquunt Phyſicis conſiderandam. Carteſiani tribuunt illi corpuſcula ramoſa, quæ facile ſibi invicem & aliis implicantur. Continet hoc principium ſub ſe olea omnia, & ſpiritus ardentes dictos. An Acidum inſit *Sulphuri*, hodieque valde controvertitur inter Chymicos. An diſtinguendum inter *Sulphur* mixtum, ſive compoſitum, cui ſal acidum concedi poteſt, & ſulphur ſimplex ſive principium *ſulphureum*, cui adjungere Acidum, quod implicat contradictionem: Alii ita principia iſta deſcribunt; Quævis viva, mobilis, & ſpirituoſa ſpecies, quæ in halitum attenuari poteſt, eſt *Mercurius*. Sicca & conſervans & acuens eſt *Sal*. Urens, calida & puriſſima eſt *Sulphur*. Plura de *ſulphure*, ceu primo & ſubſtantiali, vide apud Willis *de ferment. c.* 1. & 2. Beker. *Oed. Chym. Tit.* 2. & 3. Tribuitur etiam aliis mineralibus, v. g. *Sulphur rubeum*, i. e. *Arſenicum*, vel *Operimentum*. *Sulphur vitriolatum* eſt *ſulphur* à vitrioli decoctione tractum per aquam communem, cui innatat. Rol. & Iohnſ.

SUMA, i. e. *Tartarus*. Rul. *in Lex.*

SUMBI, id eſt, *Acetoſus*, & *crocus*, Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

SUMEN, ἦτρον, ὑπογάστριον, pars ima ventris. Vide *Etron*, *Hypogaſtrion*.

SUMMITAS, *Summus*, ἀκρότης, ἄκρος. Vide *Acron*. *Summa operatio* ſiderum in homine, quæ fit noctu. Rul. *Summitates* etiam dicuntur herbarum cacumina, v. g. *ſummitates* Abſinthii, Centaurii minoris.

SUMTIO, λῆμμα. Vide *Lemma*.

SUPERBIA, *Superbus*, quid ſignificet, aliunde notum eſt. Idem, quod *Arrogantia*. Vitium morale, à quo etiam Medicus ſeſe cavere debet. *Superbus* alias eſt Epitheton Muſculi oculum attollentis, Bartholin. *l.* 3. *An. c.* 8. *p.* 513.

SUPERCILIUM, ὀφρύς. Vide *Ophrys*.

SUPERCOMPOSITIVA, ἐπισυνθετική, vocatur ſecta Medica, quam Agathinces Lacedæmonius inveniſſe dicitur, nonnulli vero ἑκτικὴν, *habitualem*, alii vero ἐκλεκτικὴν, *electivam* appellarunt. Gal. *in def. med.*

SUPEREXCRETIO, ὑπερέκκρισις, idem, quod ὑπέρκρισις. Vide *Hypercryſis*.

SUPERFICIES, ἐπιφάνεια, proprie dicitur, quod longitudinem & latitudinem tantum habet, Galen. *l.* 1. *M. M. c.* 4. eſtque idem, quod περιφέρεια, *circumferentia* exterior corporis. Quæ læſa conſtituit ſpeciem morborum organicorum, quæ dicuntur *Morbi in ſuperficie* vel *aſpera* vel *levi*, Gal. *de diff. morb. c.* 7. Jung. Inſtitutioniſtæ, & inter hos *Dogm. noſtra Med. Gen. P. II. c.* 4. *cl.* 5. *p.* 127. *ſeq. Superficies* etiam dicitur *Album ovorum*. Rul.

SUPERFLUITAS, *Superfluus*, περίττωμα, περιττός, idem, quod *Excernendum*, *Abundans*. Vide *Excrementum*. *Superflua materia* omnis vel eſt talis ratione quantitatis, vel qualitatis, Galen. *l. de cauſſ. morb. cap.* 6. & indicat ſui remotionem.

SUPERFOETATIO, ἐπικύησις. Vide *Epicyema*.

SUPERGEMINALIS, vide *Epididymis*.

SUPERGENUALIS, ἐπιγονατίς. Vide *Patella*, *Epigonatis*, *Mola*.

SUPERHUMERALIS, ἐπωμίς. Vide *Epomis*.

SUPERIMPLASTRARE, i. e. emplaſtrum ſuperimponere, Joh. Dav. Ruland. *de Stercor. & Urin. p.* 60. Ad cancrum ſuccus ſtercoris vaccini in jure vel vino injiciatur, & fimus *ſuperimplaſtretur*. Ex Theſ. Pauper.

SUPERIMPRÆGNATIO, idem, quod *Superfœtatio*. Vide *Epicyema*.

SUPERIORES *partes*, τὰ ἀνώτερα, dicuntur in reſpectu ad *inferiores* τὰ κατώτερα, & quidem vel ratione ſitus, vel etiam ratione vicinitatis cum corde. Gal. *l.* 3. *de dignot. pulſ. c.* 2.

SUPERLIGAMEN, ἐπίδεσμος. Vide *Epideſmos*.

SUPERLIGULA, ἐπιγλωττίς. Vide *Epiglottis*.

SUPERMONICUM, i. e. *Ænigmaticum*. Dorn. *in Dict. Parac.*

SUPERNA *medicina*, cum purum ab impuro, i. e. virtus à ſubſtantia ſeparatur. Rul. *in Lex.*

SUPERNATANTIA, terminus hodieque in Medicina uſitatus & emphaticus, denotans talem exceſſum vitioſitatum cacochymicarum, qui urget excretionem. Quemadmodum enim non omnis abundantia ſive plethora ſanguinis ſtatim poſtulat ſui excretionem; ſed illa ſolum, quæ turget: Ita nec omnis cacochymia indicat purgationem, ſed quæ *ſupernatat*. Legatur elegans libellus Anton. Ponce Santacrucii *de imped. magn. auxil. l.* 2. *cap.* 4. & 5. Jung. etiam Caſp. Bravo *Reſolut. Medic.* aliique.

SUPERNE, ἄνωθεν. Dicitur de partibus, quæ *ſuperne* deorſum feruntur, ad differentiam aliarum, quæ *inferne*, κάτωθεν, ſurſum feruntur, de quibus Gal. *l.* 8. *de V. P. c.* 1.

SUPERPURGATIO, ὑπερκάθαρσις. Vide *Hypercatharſis*.

SUPERSCAPULARIS, vide *Infraſpinatus*.

SUPERSTITIO, δεισιδαιμονία, ſignificat in Medicina vanam & imaginariam virtutem occultam, quam quis aſſenſu ſuo & fiducia tribuit citra rationem naturalem alicui rei, ſive naturali, ſive factitiæ, quin & ipſis characteribus, verbis, ſignaturis, cum ad generationem morborum, tum ad eorundem curationem. Quæ non ſolum apud veteres fuit frequentiſſima, ſed & (proh dolor!) hodieque adhuc viget, & fovetur; quamvis multi clariſſimi viri ſerio dehortati ſint. Imprimis vero Medicus probus ſibi caveat ab omnibus curationum *ſuperſtitioſarum* modis, monente Dieter. *Iatr. p.* 723. *fin.* Linden. *Ex. II.* §. 33. 34. Jungatur & C. Rejes *q.* 97. *per totum*, Rhod. *ad Scrib. num.* 152. Braſavolus quoque

quoque

quoque in *Indice* ſuo *Galenico* plura exempla vanæ *ſuperſtitionis* collegit. Et profectò etiam mirum, quod Paracelſus ipſe tam ſerio dehortatus ſit à *ſuperſtitionibus*, expreſſis verbis ſcribens: Nemo audeat, per *ſuperſtitiones* alteri vel morbos inferre, vel etiam eos auferre, cum illi oriantur quamplurimi e cauſſis naturalibus, ſcil. vitiatis: hoc vero fieri poſſit etiam mediis naturalibus rite cognitis, *l.* 5. *de morb. inviſibil. gener. & l. principiorum, ſivè de myſter. vermium, c.* 6. quamvis reapſe multa ſuperſtitioſa admiſerit. Vide etiam in vocabulis *Character*, *Divinum*, *Amuletum*, &c.

SUPERVACUATIO, ὑπέρκρισις. Vide *Hypercryſis.*

SUPERVACUUS, idem, quod *Superfluus.*

SUPERVENIENS, ἐπιγινόμενον. Vide *Epigennema.*

SUPERVOMITUS, ὑπερέμετος, vide *Hyperemeo.* Adde Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 1. *O.* 5. Hoc termino Latino uſus eſt M. Aurel. Severin. ſtatuens à venarum *ſupervomitu* dependere quorundam abſceſſuum ſanguifluorum generationem & originem, *l. de noviſſ. abſceſſ. c.* 7.

SUPINATORES Muſculi ſunt duo ſuppoſiti *pronatoribus* manus. Bartholin. *l.* 4. *Anat. c.* 8. *pag.* 574.

SUPINUS, ὕπτιος, *Supinitas*, ὑπτιασμός. Vide *Hyptiaſmos.*

SUPPASCENS, idem, quod *Depaſcens*, Gr. ὑπόνομος. Vide *Hyponomos.*

SUPPEDANEA vocantur à D. D. Joh. Lud. Apino Archiatro Solisbacenſi & Polyatro Hersbruccenſi *in Hiſtorica febris Epidemicæ relatione.* 7. 39. *p.* 63. medicamenta topica plantis pedum applicanda; atque ita coincidit cum ſeq. vocabulo *Supplantalia.*

SUPPLANTALIA vocantur medicamenta externa, quæ plantis pedum ſupponuntur, v. g. Maſſa farinacea fermentata mixta cum ſinapi, ſale, ſapone, nitro, & aliis. Blancard. *in Lex.* quamvis in alio Autore vocabulum illud nondum legerimus.

SUPPOSITIO, ὑπόθεσις, vide *Hypotheſis. Suppoſitum* etiam accipi poteſt pro ſubdito.

SUPPOSITORIUM, idem, quod *Glans*, βάλανος. Vide *Glans.*

SUPPRESSIO, generaliter idem, quod *Retentio*, ἐπίσχεσις. Vide *Epiſcheſis.* Communiter vero de *ſuppreſſione urinæ*, quæ *Iſchuria* alias dicitur, ἰσχουρία, & de *ſuppreſſione menſium* uſurpari ſolet.

SUPPURATIO, ἐκπύημα, idem, quod *Purulentia.* Vide *Ecpyema. Empyema.*

SUPPURATUS, ἔμπυος. Vide *Empyos.*

SUPRASPINATUS. Vide *Infraſpinatus.*

SURA, γαστροκνημία, & γαστροκνήμιον. Vide *Gaſtrocnemia. Suralis Vena & Arteria* quæ dicatur Anatomicis, vide apud Barthol. *libell.* 1. *c.* 9. *p.* 645. *& libell.* 2. *c.* 6. *p.* 658.

SURDITAS, *Surdus*, κωφότης; κωφός. Vide *Cophoſis.*

SURRECTIO, ἀνάστασις, eſt motus corporis cum elevatione, notior, quam ut multis opus ſit verbis.

SURRECTORIUM vocatur inſtrumentum Chirurgicum manum pendulam ex læſione erigens & erectam ſervans apud Paræum *l.* 22. *Chir. c.* 10.

SURSUM, ἄνω. Vide *Ano.*

SUS, ὗς, idem, quod *Porcus.* Vide ſupra in PO.

SUSCEPTIO ſpecialiter dicitur de inteſtini portione anguſtiore in aliam ampliorem portionem inſinuatione vel ingreſſu, ceu cauſa ſingulari Ilei, apud D. Ruyſch *Cent.* 1. *Obſ. Anat. Chir. O.* 91. Vide etiam *Ingreſſus.*

SUSINUM, σούσινον, epitheton unguenti, vel olei *liliacei*, h. e. ex liliis confecti, quod & κρίνινον, & αἰγύπτιον λευκὸν vocatur. Meminit hujus Hippocr. *de nat. mul. XXIX.* 98. *LXIIX.* 4. *LXXX.* 2. Gal. *l.* 3. *de C. M. S. L. c.* 1. Junge Foëſ. *Oec. p.* 577. Keuchen. *not. ad Sammon. p.* 216.

SUSPENDICULUM, κρεμαστήρ. Vide *Cremaſteres.*

SUSPENSUS, æquivocum eſt in Latino, dum vel dicitur de illis, qui pœnis capitalibus afficiuntur, & vel cruci affiguntur, vel hodieque de patibulo *ſuſpenduntur.* De poſterioribus differit Helmont. quod diſcontinuitas, id eſt, ſeparatio luminis vitalis in arteriis facta, ſcil. per conſtrictionem arteriarum jugularium faciat, ut uno momento in ſuſpenſis pereat facultas princeps cerebri, *tr. Blas hum. num.* 24. *& tr. Ignota actio regim. num.* 48. Gr. κρεμαστοὶ, & κατακρεμασθέντες vocantur, vel dicitur de *contento in urinæ medio*, vel ſuperiori parte occurrente, & Gr. dicitur ἐναιώρημα. Vide *Enæorema*: vel idem eſt, quod *elatus*, μετέωρος. Vide *Meteoros. Suſpenſores muſculi* ſunt κρεμαστῆρες. Vide *Cremaſteres.*

SUSPICIO, ὑποψία, dicitur mentis quædam comprehenſio tacita, ſuper alia re, vel alium hominem, in dubium vocans, quod ita ſeſe habeat, quemadmodum de iis dicitur. Hujus nullum eſſe ſolatium, dixit Galen. *libr. de diff. reſp. cap.* 11. *à princip. Suſpectus*, ὕποπτος, vocatur. Ita *medicamenta ſuſpecta* dicuntur, de quorum efficacia adhuc poteſt dubitari, vel ratione ſecuritatis, vel etiam ratione perfectionis. Aliam quoque ſignificationem obtinet vocab. *Suſpectus*, quando ſumitur pro *Expectatus*, apud Scribon. *n.* 209. notante Rhodio *in Lexic.*

SUSPIRIUM, *Suſpirioſus*, idem, quod *Anhelitus*, *Anheloſus*, *Aſthma*, *Aſthmaticus*, ἆσθμα. Vide *Aſthma*, *Dyſpnœa*, *Orthopnœa* &c.

SUTOR, σκυτοτόμος, ῥαπτής, opifex eſt, calceos conficiens. De his Galen. ſcripſit, ut & de aliis opificibus illiberalibus, quod jam ſuo tempore auſi ſint, proprio artificio relicto, in artis Medicæ opera inſilire temere. Quare non mirum, ſi & hodieque tale quid contingat; quamvis in perniciem potius

ſalutis humanæ; quam commodum, *lib.* 1. *M. M. c.* 1. *fere ad fin.*

SUTORIUM, *Atramentum*, χάλκανθος. Vide *Vitriolum.*

SUTRATAR Paracelſo dicitur remedium aliquod ſplenicum, aut ex ſplene paratum, quod deſcripſit *l.* 2. *de virib. membr. c.* 8.

SUTURA, ῥαφή. Vide *Rhaphe.*

SYAGROS, σύαγρος, *Aper*, ſive *porcus ſylveſtris* vocatur. Lang. *l.* 1. *ep.* 61.

SYALI, σύαλοι, vocantur *ſues vetulæ*, ultra perfectionis terminum progreſſæ, & ita ad alendum minus idoneæ, quin omnium peſſimæ, Gal. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 102. Jul. Alex. *l.* 11. *Sal. c.* 5.

SYALISMUS, perperam & vitioſe legitur pro *Sialiſmus*, σιαλισμὸς, i. e. *Salivatio.* Vide *Salivatio.*

SYCHNOS, συχνὸς, idem, quod πυκνὸς, *denſus*, confertus, cujus emphaſis conſiſtit in copia cum continuitate. Uſurpatur ab Hipp. *l.* 5. *Epid XIII.* 21. *VIII.* 21. *l.* 7. *Epid. XXXIIX.* 9. Jung. Erot. *Onom. p. m.* 98. *b.* ubi plura adhuc occurrunt loca ex Hipp. adducta. Foëſ. *Oec. p.* 602.

SYCIÆ Cucurbitulæ. Joh. Zechius *conſil. de lateris dolore p.* 76.

SYCION, συκῖον, dicitur *decoctum ſiccum* aridarum, ſive caricarum. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. XXIIX.* 8. *XXX.* 7.

SYCITES, συκίτης, epitheton *vini ex caricis*, aut ficubus maceratis parati, cujus meminit Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L. c.* 3. quamvis vitioſe legatur σικύτης. Dioſcoridi dicitur κατορχίτης, *Catorchites vinum*, *l.* 5. *c.* 41. Jung. Foëſ. *p.* 448.

SYCON, σῦκον. Vide *Ficus.*

SYCOSIS, σύκωσις, *Ficatio.* Vide *Ficus.*

SYCOTOS, συκωτὸς. Vide *Ficatus.*

SYDERATIO, vide *Sideratio.*

SYDIA, id eſt, *Luna.* Rul. & Iohnſ.

SYDUS, ſæpe legitur pro *Sidus*, quod idem eſt, ac *Aſtrum.* Vide *Aſter.*

SYLETUM Paracelſo dicitur compoſita Medicina ex tribus ſalibus, Sale gemmæ, Colchotar, ſciſſo, cujus deſcriptio gemina legi poteſt de Tartaro, *l.* 2. *tract.* 2. *c.* 5.

SYLLOCHIA, συλλοχία, ſignificat *coacervationem*, collectionem, congregationem, & legitur apud Hipp. *l. de Octimeſtri part. IV.* 19. ubi συλλοχία ſcribitur, quam tamen ſcriptionem vitioſam judicavit Foëſ. *p.* 594. Vide *Xyllogos.*

SYLLOGISMUS, συλλογισμὸς, quid ſit proprie; jam ex Logicis Medico conſtare debet: Cujus uſus adeo neceſſarius, ut non modo Gal. eum aliquoties inculcaverit, v. g. *l.* 1. *de Elem. c.* 4. *l.* 2. *de S. Fac. c.* 16. ſed & J. Alex. negaverit cordate, Medicum eſſe poſſe verum Rationalem & Dogmaticum, qui non calluerit ratiocinandi demonſtrandique ſcientiam, h. e. Logicam, & *Syllogiſmorum* doctrinam, *not. ad h. Gal. locum.* Specialiter Hippocrati συλλογισμοὶ dicuntur *ratiocinationes* de morbis, & eorum remediis, item *conſultationes*, & *diſputationes* de iiſdem, uti patet ex *l. de dec. ornat. IX.* 2. quod alibi κοινολογίαν vocavit, *l. Præcept. VII.* 4. aut ξύλλογον θεραπείης, *ibid. X.* 12. notante Foëſ. *pag.* 594. Imo ſi rem accuratius conſideremus, ipſa *Methodus* conſervandi & curandi, quæ fit per indicationes debitas, nihil aliud eſſe videtur, quam *Syllogiſmus Medicus Practicus.*

SYLO dicitur *totus mundus.* Dorn. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

SYLPHES vocantur *Pygmæi*, *Spiritus terræ.* Dorn. Rul. & Iohnſ. e Paracelſ. *Philoſ. Tr.* 4.

SYLVA, ὕλη, quid ſignificet, in trivio jam innotuit. Metaphorice dicitur de *capillorum congerie.* Keuchen. *ad Sammon. p.* 108.

SYLVANI, *Sylveſtres*, dicuntur Paracelſo *aërei homines*, aut *ſpiritus aërei. Sylveſtres* quoque homines vocantur nemora, deſertaque loca ſylvarum inhabitantes, nobis ſtatura multo proceriores & robuſtiores, & loqui neſcii, &c. Dorn. Ruland. & Iohnſon. Flatus quoque hodie vocari ſpiritus *Sylveſtres*, patet ex Diſputationibus Medicis, quos Tachenius *peregrinos* nominavit.

SYMAR, id eſt, *Viride Romanum*, vel *viride æris*, Rul. & Iohnſ.

SYMBEBECOS, συμβεβηκὸς. Vide *Accidens.*

SYMBOLE, συμβολὴ, Attic. ξυμβολὴ, *Commiſſuram*, connexionem, & conjuncturam ſignificat, apud Hipp. *l.* 5. *Epid. III.* 1. & 4. *de artic. t.* 64.

SYMBOLISMUS, συμβολισμὸς, Chymicis quibuſdam late vocatur *Conſenſus partium.*

SYMBOLOGICA, συμβολογικὴ, dicitur pars Pathologiæ tertia, quæ morborum accidentia ſive ſigna recenſet à Joh. Ant. Lindeno *Manuduct. ad Medicinam* à Gunth. Schelhammer. *Introduct. Conring. annexa p.* 81. quamvis nominis hujus applicatio ad illam partem non ſit adeo manifeſta. Hinc D. D. Wedelio placuit vocare *Symptomatologiam* in *Pathologiæ Dogmat. proœmio. p.* 3.

SYMBOLUM, σύμβολον, etiam ſumitur pro *commercio* & *conſpiratione* diverſarum rerum & corporum ad unum effectum. Ita *ſymbolum Elementorum* deſcribitur *in Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 119. ubi & *Retinaculum* elementorum vocatur. Alibi vero dicitur *Symbolizatio*, *Vol. II. p.* 96. *Symbolizare* quoque in malam partem legitur acceptum ab Helmont. *tr. Tumul. Peſtis*, §. *Præparata ſedes:* quando ſcil. Tartarus cruoris peſte ſubactus non paret amplius vitæ legibus, ſed priſtinæ obedientiæ ſuæ pœnitens, furoris libertatem effrenem ſibi arrogat, eoque nos truculentius infeſtat, quo fidentius ſemel abdita intus Archei conſilia receperit. Hoc dicit vocare Scholas *Symbolizare.*

SYMMETRIA, συμμετρία, eſt temperies, vel *contemperatura*, ſeu debita convenientia, proportio & conſenſio inter ſe, cum ſimilarium partium, tum inſtru-

inſtrumentalium; in compoſitione; numero; magnitudine, & figura, (adde & connexione, vel unitate) Gal. *l.* 1. *de tu. ſan. c.* 1. Hujus vero harmoniæ & convenientiæ primaria cauſſa eſt humorum, & ex his ſanguinis & ſpiritus animalis mutuus conſenſus, & debita ad partes ſolidas diſtributio & reciprocatio, cujus beneficio vitale temperamentum his competit, ut functiones ſuas rite perficere & præſtare queant. Alias in genere & abſolute σύμμετρον eſt, quod nulli collatum medium eſt & *moderatum*, & omnis temperiei, cum activarum, tum paſſivarum qualitatum norma conſtituitur, Gal. *l.* 1. *de Temp. c.* 6. An tale vero in rerum natura corpus detur, non immerito adhuc dubitatur. Non abſolute vero, ſed reſpective σύμμετρον vocatur, quod collatum cum aliis facit, ut reliqua dicantur intemperata. Ita Galen. inter omnia animalia Hominem conſtituit σύμμετρον; & inter homines eum, qui τετράγωνος, & quadratus vocatur, *d. l.* & ex hoc Caſtell. *Symmetron Individuale* nihil aliud eſt, quam ipſa ἰδιοσυγκρασία. *Symmetrum medicamentum* eſt, quod & ſimilis temperamenti eſt cum eo, cui admovetur, & medii temperamenti omnium primarum qualitatum, Gal. *l.* 5. *de Simpl. Fac. c.*27. Junge & Jul.Alex. *not. ad Galen. de diff. morb. c.* 22. Vide *Moderatus*. Diet. *n.* 798.

SYMMYO, συμμύω. Vide *Conniveo.*

SYMMYSTA dicitur *Collega Sacerdotii*, & uſurpatur de illis, qui eandem profitentur ſcientiam vel artem, v. g. *Symmyſta Philoſophiæ adeptæ*. Helmont. *de Lithiaſ. c.* 8. *n.* 6.

SYMPARATAXIS, συμπαράταξις, vocatur *naturæ conflictus cum morbo*, deſumto vocabulo e re bellica, ubi acies inſtructæ & collocatæ confligantur. Uſurpatur vero ab Hippocr. de *conflictatione* inter morbum, naturam, & alimenta, *l. de vet. medic. XXXVII.* 24. Jung. Foëſ. *p.* 595.

SYMPARATERESIS, συμπαρατήρησις, dicitur *indicatio apparentium*, quæ non ex ſeipſis, verum ex aliis ſignis comprehenduntur. Vocabulum eſt Empiricorum proprium. Gorræus.

SYMPASCHO, συμπάσχω. Vide *Sympathia.*

SYMPASMA, σύμπασμα, idem, quod διάπασμα, καταπάσμα, h. e. id, quod corpori inſpergitur. *Aſperſio.* Aurelian. *l.* 2. *acut. c.* 38. *& l.* 3. *tard. paſſ. c.*7. *l.*5. *c.*2. notante Foëſ. *d. l.* Vide *Catapaſma.*

SYMPATHETICUS, συμπαθητικὸς, in genere dici poteſt de omnibus rebus ſive naturalibus, ſive præternaturalibus, inter quas conſenſus vel compaſſio quædam, ſive *ſympathia* intercedit. Specialiter vero dicitur de medicamentis quibuſdam ſingularibus, quibus peculiaris quædam occulta virtus ad diſtans etiam ſeſe extendens, qualia ſunt *Unguentum armarium*, *Pulvis Sympatheticus Dygbæi*, &c. Quorum efficaciam Helmont. omnibus viribus conatus eſt à magiæ illicita ſuſpicione liberare, & rationem referre vel in magneticum *ſympathiam* aut *antipathiam*, vel in occultam virtutem à *Magnali magno* dependentem; quod eſt ſpiritus quidam in univerſo latens, uti videre eſt *in tract. de Magnet. vuln. curat.* Hanc plures adhuc ſequuntur Sectatores Helmontii; neque etiam inter eos, qui Dogmatici audiri cupiunt, deſunt hujus opinionis defenſores. Ita & Dolæus *in Encyclopæd. Med. l.* 2. *c.* 4. §. 17. p. 313. 314. curas illas *ſympatheticas* defendere & cum Commenio approbare videtur. Enimvero quam frivolis hypotheſis illa nitatur argumentis & phænomenis, jam alibi publice à nobis fuit oſtenſum. Nemo ergo vitio nobis vertat, ſi cum Naudæo, Jordano, Dieterichio, aliisque Medicis veris Dogmaticis & Chriſtianis curationem per hujuſmodi medicamenta, ſive unguentum, ſive Pulverem *ſympatheticum*, qua vanitatis, qua falſitatis arguamus & inter curationes illicitas, Magicas, Diabolicas referamus. Vide Dieter. *Iatr. pag.* 736. Hinc etiam placet nobis S. Blancardi candor, qui de pulvere *Sympathetico* hoc dedit judicium, per experientiam una cum aliis edoctus, quod illius laudatores ſint fabularum Scriptores. *Chimiæ vernaculæ c. XVII.* §. 21. *Atramenti Sympathetici* deſcriptio ex Jac. le Mort traditur in Morley *Coll Chym. Leid. c.* 78.

SYMPATHIA, συμπάθεια, vide *Conſenſus.* Opponitur & τῇ ἰδιοπαθείᾳ & τῇ ἀντιπαθείᾳ. Quando illi opponitur notat *Morbos per conſenſum* dictos, ad differentiam eorum, qui primario & per ſe oriuntur. Quando vero huic opponitur, ſignificat naturæ quandam convenientiam corporis naturalis cum altero. Ita & *Sympathia Microcoſmica* dicitur, quando quodlibet ſidus cum ſuo flore in terra *ſympathiam* habet. *Theatr. Chymic. Vol. V. p.* 379. Plura vide in Iohnſ. *Lex. l.* 1. Verum neque hoc diſſimulandum, multa concurrere figmenta in *Sympathiæ* & *Antipathiæ* exemplis ab Autoribus adductis, quæ cum veritate non concordant. *Sympathiam* quoque morborum dari inter fratres & ſanguinis vinculo conjunctos, vult Th. Bartholin. uti patet ex *Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſ.* 38. *p.* 105.

SYMPEPSIS, σύμπεψις, idem, quod πέψις. Lat. *Concoctio.* Vide *Coctio.* Legitur apud Galen. *c.* 3. *progn. t.* 23. ubi denotat eam naturæ *concoctionem*, qua craſſis & crudis humoribus & concoctu difficilibus providet per abſceſſum; calidioribus vero & tenuioribus per excretionem. Caſtell.

SYMPEXIS, σύμπηξις, *Coagmentatio* vocatur. Legitur apud C. Hofm. *not. ad Gal LL. de V. P. n.* 658.

SYMPHLAN, συμφλᾶν, ξυμφλᾶν, ſignificat *confringere*, colliſidere. Hipp. *l.* 5. *Epid. XXIIX.* 16.

SYMPHONIA, *Symphonos*, συμφωνία, σύμφωνος, idem eſt, ac *Harmonia*, *Conſenſus.* Specialiter vero σύμφωνος eſt nomen medicamenti ad tuſſim optimi, cujus meminit Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 2. *fin.* ubi & *Lexopyretos* vocatur, quia & febrem ſedat. Deſcribitur & ab Aët. *l.* 8. citante Gorræo.

SYMPHORANEUROS, συμφορανευρος, dicitur ex mente Foreſti paſſio illa, quando videlicet in acutis

tis febribus tam gravis tremor fit, ut mentes etiam hebetentur, atque deprehenditur in ſtrictura, vel in fluxu hæmorrhoidum, vel ſanguinis fluxu, & hunc fluxum inhibere oportet, *l.* 7. *Obſerv.* 18. *Schol.* Alias vocabulum hoc nuſpiam reperire licuit.

SYMPHYSIS, σύμφυσις, ξύμφυσις. Vide *Coaleſcentia.*

SYMPHYTON, σύμφυτον, *connatum*, idem, quod *Emphyton.* Vide *Connatus.*

SYMPIAZESTHÆ, συμπιάζεσθαι, ſignificat *comprimi*: & legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. XXXVI.* 7. Adde Foëſ. *p.* 595.

SYMPLESIASMOS, συμπλησιασμὸς, Latine dici poteſt *Conjunctio*, appropinquatio, quo Græco vocabulo veteres modeſte appellarunt actionem generationis, vel officium procreandi liberos, ut eſt apud Rolfink. *de part. gen. P. I. c.* 1.

SYMPNOEA, σύμπνοια, ξύμπνοια, *Conſpiratio.* Vide *Confluxio.*

SYMPORSYNO, συμπορσύνω, proprie ſignificat *cooperor*, concilio, una præparo, & diſpono ad aliquid, à verbo πορσύνω, quod eſt poëticum, & ſignificat *præparo.* Compoſitum vero legitur apud Hippocr. 1. *de artic. t.* 73.

SYMPTOMA, σύμπτωμα, vocabulum in Medicina notiſſimum, cujus variam ſignificationem ipſe Galenus optime expedivit, *l. de diff. ſympt. c.* 1. *&* 2. quod ſcil. & *late* & *ſtricte*, accipiatur: *Late* omne id notans, quicquid præter naturam homini accidit, ſive morbus, ſive cauſſa morbifica, ſive ſuperveniens accidens p. n. fuerit. *Stricte* vero tertiam ſaltem ſpeciem rerum præter naturam, hoc eſt, *Conſequens morborum* & cauſſarum ſignificat, exceptis cum morbis, tum cauſſis; & hoc ſenſu nihil aliud eſt, quam affectus præter naturam, qui morbum ſequitur, velut umbra corpus. Et hujus iterum tres numerari ſolent communiter differentiæ, vel ſpecies: *Actio læſa*: *Excretorum vitium*, & *Qualitatum externarum corruptio.* De quibus omnibus paſſim prolixe apud Inſtitutioniſtas videre eſt. Si placet, legantur Dogmata noſtra *P. II. c.* 10. *& ſeqq.* Jung. Lind. *Ex. VI.* §. 62. *Ex. XIII.* §. 40. *ſeqq. Symptomata* uti ſunt effecta morborum, ita & indicia vel ſigna, *Ex. IX.* §. 12. Idem etiam ſano ſenſu *ſymptomata* ipſos eſſe morbos, ſtatuit. *Ex. IV.* §. 18. *XII.* §. 68. *XIII.* §. 20. Non inepte quoque Helmont. *ſymptomata* vocat fructus morborum, *tr. Ignot. Hoſp. Morb. pag.* 73.

SYMPTOSIS, σύμπτωσις, ξύμπτωσις, Latine *Collapſio* dicitur, & *Concidentia*, & uſurpatur vel de totius corporis imminutione & contabeſcentia, ubi opponitur διόγκωσις. Vide *Dioncoſis.* Galen. *l. de opt. ſect. c.* 28. In qua ſignificatione & Hipp. uſus, *de hum. III.* 52. vel de vaſorum *concidentia*, Hipp. 1. *aphor.* 3. *l.* 2. *Epid. ſ. I.* 41. *l.* 4. *Epid. XXVII.* 5. vel de faciei *collapſu*, ibid. *XXI.* 20. de oculorum *collapſione*, ibid. *XXVII.* 10. de temporibus *collapſis*, *ſ.* 1. *Prog. t.* 7. Jung. Foëſ. *p.* 596. Vide & *Collapſus.*

SYNACTICOS, συνακτικὸς, i. e. *vim contrahendi habens.* Fernel. *Therap. l.* 5. *c.* 2.

SYNÆSTHESIS, συναίσθησις, q. d. *Conſenſio*, uſurpatur de ſenſu, quem æger ipſe percipit ex morbo, v. g. ex tenſione partis inflammatæ, Galen. *l.* 13. *M. M. c.* 1. Cerebrum quoque dicitur habere non αἴσθησιν, ſenſum, ſed συναίσθησιν. C. Hofm. *ad Galen. LL. de V. P. n.* 592. 594.

SYNÆTION, συναίτιον. Vide *Concauſſa.*

SYNAGELASTICOS, συναγελαστικὸς, *non congregabilis.* Dicitur de piſcibus, qui ſegregatim degunt, non tantum inimici, ſed adeo etiam, ut ne ſuæ quidem ſpeciei parcant, ſed bellum faciant valentiores imbecillioribus, hosque devorent. Linden. *Ex. XI.* §. 87.

SYNAGMA, σύναγμα, *concretio* materiæ, vel contenti alicujus in urina vocatur. Hippocr. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 15. Vide Foëſ. *p.* 596.

SYNAGRIS, συναγρὶς, vocatur Piſcis, differens à *Synodonte*, fere adhuc ignotus, & deſcribitur ab Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 13.

SYNALLAGMA, συνάλλαγμα, *commercium*, contractus, commutatio proprie dici poſſet. Ita Medico cum ægrotis eſſe συναλλάγματα, dixit Hippocr. *de Medico*, *l.* 33.

SYNANASTOMOSIS, συναναστόμωσις, hoc eſt, *diverſorum vaſorum ſanguineorum connexio*, & legitur apud Oliger. Jacobæum *de Ran. & Lacert. c.* 3. *p.* 53.

SYNANCHE, συνάγχη. Vide *Angina.*

SYNANDROTHENÆ, συνανδροῦσθαι, ſignificat *una cum virili ætate increſcere* & augeri, uſurpaturque de morbis, qui poſt pueritiam ad virilem ætatem uſque perdurant, v. g. Epilepſia. Hippocr. *l.* 2. *Prorrhet. XVI.* 1.

SYNAPTO, συνάπτω, *contingo*, *pertingo.* Hipp. 2. *aph.* 25. Adde Dieter. *n.* 800.

SYNARTHROSIS, συνάρθρωσις. Vide *Abarticulatio.*

SYNATHROESMOS, συναθροισμὸς, proprie *Coacervationem*, Accumulationem, Congeſtionem ſignificat, ceu cauſſam tumorum. Quod vero D. D. Wedelius reſtrinxerit ad tumorum frigidorum generationem & fiendi modum, quemadmodum ῥευματισμὸν ad calidos *Pathol. Dogm. Sect. II. c.* 10. *p.* 349. nulla apparet ſufficiens ratio, cum in neutro vocabulo Græco illius reſtrictionis emphaſis deliteſcat, verum abſque vitio συναθροισμὸς & de calidis inflammatoriis, ſicut etiam ῥευματισμὸς de frigidis lente licet obortis applicari & dici queat. Vide *Congeſtio.*

SYNCAMPE, συγκαμπὴ, vocatur *flexura*, hoc eſt, locus, ubi committitur Brachii pars inferior cum ſuperiore, & ad hanc inflectitur. Hipp. *l. de Ven. XII.* 12. Lind. *Ex. XIII.* §. 414.

SYNCATANASIPHAGOS, συγκατανασιφάγος, dicitur

dicitur *ad nutum manducans*, hoc eſt, coëpulans aliis & ſimul annuens dictis omnibus hoſpitis ſui, ſolius ventris cauſſa. Linden. *Ex. IX.* §. 130.

SYNCAUSIS, σύγκαυσις, Lat. *Combuſtio* dicitur, & uſurpatur de excrementis per calorem internum febrilem veluti combuſtis, Gal. *cap.* 4. *de R. V. I. A. t.* 113. Linden. σύγκαυσιν per *tacitum incendium* vertit, & ad ſanguinem ipſum quoque retulit. *Ex. XIII.* §. 401.

SYNCEPHALÆOSIS, συγκεφαλαίωσις, dicitur *connumeratio* vel collectio ſententiarum in mente facta, Gal. *c.* 1. *de iis*, *q. in medic. t.* 3.

SYNCERUS, ἄκρητος, ſcribitur aliquando pro *Sincerus*.

SYNCHONDROSIS, συγχόνδρωσις, vocatur ea unitionis oſſium ſpecies, quæ fit interveniente quadam cartilagine. Gal. *l. de Oſſib. proœm.* Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 1. uti fit in oſſibus maxillæ inferioris, & pubis.

SYNCHRISMATA, συγχρίσματα, vocantur *Inunctiones* accpæ apud Ægin. *l.* 7. *c.* 19. Meminit & Gal. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 16. *fere ad fin.* Jung. Rhod. *ad Scribon. num.* 175.

SYNCHYSIS, σύγχυσις, in genere *Confuſio* vocatur. In qua ſignificatione uſus Hipp. *l.* 6. *Epid. ſect.* 3. *t.* 1. In ſpecie vero notat *oculi vitium*, *confuſis* ſecum ejus *humoribus*: id, quod accidit utplurimum ex vehementiori plaga, interdum ex uveæ tunicæ inflammatione, ruptis vaſis, effuſoque eorundem humore. Inde pupilla diſcolor & turbida evadit, & principio quidem major cernitur, tandem vero contabeſcit, minorque re ipſa apparet. Gorr. & Caſtell. & Gal. *in defin. Medic.*

SYNCIPUT, vide *Sinciput.*

SYNCLEISIS, σύγκλεισις, *concluſio*, vel *occluſio* dicitur. Uſurpatur de venis, Hippocr. *l. de morb. ſacr. XIIX.* 131. Adde Foëſ. *p.* 593.

SYNCOMISTOS, συγκομιστὸς, ξυγκομιστὸς, dicitur de *pane*, qui & αὐτόπυρος vocatur. Vide *Autopyros.* Galen. *in exeg.* interpretatur ſordidum, ita dictum, quod omnia commiſta ſunt, nulla ſecretione facta. Porro τὰ συγκομιστὰ quoque appellantur in cibis, quæ ex toto ſunt collata, & cum ſucco, non ſicca, Hipp. *l.* 2 *de diæt. XXXIII.* 27. De pane vero uſurpavit, *l.* 3. *III.* 7. Vide & Foëſ. *d. l.*

SYNCOPE, συγκοπὴ vocatur *præceps virium lapſio*, Galen. *l.* 12. *M. M c.* 5. *ſolutio naturæ* vocatur ab Aurel. *l.* 2. *Acut c.* 3. eſtque animi deliquium fortius & periculoſius, quam *Lipóthymia.* Conſequuntur *ſyncopen* duo præcipue ſymptomata: *frigiditas totius corporis*, ob exolutum calorem nativum; & *ſudor* frigidus, qui & *ſyncopticus* vocatur; Pulſus defectio, & ſenſus motusque privatio concomitantur. Gorræus. Caſtell. Jung. Lind. *Ex. XIII.* § 470. *ſeqq.*

SYNCRIMATA, συγκρίματα, *concretiones* dicuntur corporum ſimplicium & elementorum *confuſiones* & *concretiones*. Gal. *libr.* 5. *de S. F. c.* 25. item *animantium corpora*, quaſi ex atomorum corpuſculorum miſtura conflata, *lib. de diff. morb. c.* 5.

SYNCRISIS, σύγκρισις, *Concretio*, *Contemperatio*, proprie dicitur Gal. *libr. de marcor. c.* 4. idem, quod *Miſtio*, à verbo συγκρίνεσθαι, *compingi*, *commiſceri*, quod legitur apud Hippocr. *lib.* 6. *Epid. ſ.* 1. *t.* 45. & Gal. *l.* 4. *M. M. c.* 4. ubi opponitur τὸ διακρίνεσθαι, *diſſolvi.* Chymicis quoque σύγκρισις, *concretio* vel *coagulatio*, eſt rei liquidæ ad ſolidam ſubſtantiam per humidi privationem redactio ſpontanea & violenta. De utraque vide Rolfink. *Chym. l.* 2. *c.* 4.

SYNCRITICA, συγκριτικὰ, medicamenta non dicuntur Methodicis Relaxantia medicamenta, (uti perperam & contra textum manifeſtum expoſuit Caſtellus & Blancardus) ſed potius illis oppoſita, Compingentia, *Coagmentantia*, Conjungentia. Gal. *l.* 3. *Anat. Adm. c.* 2. De *Syncriticis* integrum librum ſcripſiſſe Theſſalum, notavit idem *l.* 1. *M. M. c.* 2.

SYNCYRIA, συγκυρία, dicitur *caſus*, quod forte accidit, contingens, quod & συγκύρημα appellatur, Hippocr. *l. de vet. med. XIIX.* 10. Verbum συγκυρεῖν quoque ſignificat *contingere*, evenire caſu, idem, quod τυγχάνειν, & legitur *l.* 1. *Epid. ſect.* 2. *t.* 68.

SYNDESIS, σύνδεσις, ſignificat *colligationem*, *coarctationem*, connexionem, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. Foëſ. *pag.* 597.

SYNDESMOS, σύνδεσμος. Vide *Ligamentum.*

SYNDESMOSIS, συνδέσμωσις, Spigelio dicitur ea oſſium connexio, quæ alias συνεύρωσις vocatur, *l.* 1. *de H. C. F. c.* 3.

SYNDIACRISIS, συνδιάκρισις, dicitur à Dan. Ludov. *Diſſ.* 1. *Pharmac. pag. m.* 352. de illa operatione Chymica, quæ adhibetur in præparatione præcipitati Diaphoretici e Cinnabari Hartmanni per principiorum Cinnabaris ſeparationem & novam compoſitionem. Deſcriptio videatur apud Schroder. *l. III. Pharm. Med. Chym. c.* 16. Jungantur *Notæ* D. Etmulleri *ad Ludov. locum.*

SYNDIDONÆ, συνδιδόναι, apud Hipp. eſt *remittere*, laxare, 3. *de iis*, *q. in med. t.* 31. Galen. *in comm. ad hunc locum.*

SYNDROME, συνδρομὴ, Latine *Concurſus* dicitur; & ab Empiricorum ſecta introducta hæc vox ad exprimendam congeriem, vel *concurſum* ſymptomatum. Hinc aliquoties Galen. deſcripſit, quod ſit ἄθροισμα, *acervatio*, cumulus, *collectio ſymptomatum*, v. g. *comm.* 2. *in* 1. *Prorrh. t.* 52. *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 62. *l.* 62. *M. M. c.* 4. *& alibi.* Specialiter *ſyndrome plethorica* dicitur *concurſus ſymptomatum*, morbos *à plethora* obortos conſequentium, *l. de plenit. c.* 9. *& de cur. rat. per S. M. c.* 9. Ita etiam dici poſſet *ſyndrome Cacochymica*, & in ſpecie *ſyndrome Cholerica*, *Phlegmatica*, &c. Imo juxta Gorr. adhuc ſpecialiores excogitari poſſent *ſyndromæ*

v. g. *ſyndrome pleuritica*, *epileptica*, &c. Quamvis vero ab Empiricis hic artis terminus dicatur inventus, non video tamen fonticam rationem, cur Gal. illam *ſyndromen* adeo impugnaverit; cum potius omnino neceſſarium ſit, & Hippocr. & ipſius Galeni præceptis conforme, ut ſignorum & ſymptomatum conſideremus *concurſum*, nec uni ſaltem temere fidamus.

SYNDYASMOS, συνδυασμὸς, conjunctionem proprie duorum ſignificat, *combinationem*. Sumitur vero ſpecialiter pro *coitu maris & fœminæ*, & conjunctione Venerea, apud Hippocr. *libr.* 2. *de morb. mul.* XL. 13.

SYNECCHYMOO, συνεκχυμόω, ſignificat *Coeffundo*, una vel ſimul e vaſis effundo, h. e. naturam evacuantem una adjuvo. Galen. *c.* 2. *in l.* 6. *Epid. c.* 9. Jung. Foëſ. *p.* 597.

SYNECHES, συνεχὴς, *Continuus*. Vide *Continuitas*.

SYNECTICON, συνεκτικὸν, *Continens*. Epitheton cauſſæ proximæ, quæ alias & *Conjuncta*, & *Contentiva* dicitur, quæ ſemper cum morbo conjuncta manet. Vide *Continens Cauſſa*. Lang. *l.* 1. *ep.* 15.

SYNEDREUONTA, συνεδρεύοντα, Lat. *Aſſidentia*. Vide *Aſſidens*.

SYNEILEMMENOS, συνειλημμένος, *coarctatus* dicitur, qui adſtricta eſt alvo. Lind. *Ex. IV.* §. 99.

SYNENDEICNYMENA, συνενδεικνύμενα. Vide *Coindicantia*.

SYNENOMENA, συνηνωμένα, vocantur *Unita*, ſimul conjuncta, idem, quod τὰ συνόντα, Gal. *in Ex. dict. Hipp.* Foëſ. *p.* 599. Gorr.

SYNEREIDO, συνερείδω, ſignificat *conſero*, inter ſe collido. Uſurpatur de dentibus *conſertis*, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LXXIX.* 2. *LXXXII.* 4. & de maxillis, *l.* 5. *Epid. XXIIX.* 24. Adde Foëſ. *p.* 595.

SYNEREPHIS, συνηρεφὲς, i. e. *obvolutum*, contentum, à verbo συνερεφέω, *inumbro*, obtego, Gal. *in Ex. dict. Hipp.* Foëſ. *p.* 599.

SYNERGASMA, συνέργασμα, *Cooperationem* ſignificat. In ſpecie Libav. *Synergaſmata Chymica* recenſet *Tom. II. Oper. p.* 131. dividens *Synergaſtica* in ἐνεργητικὰ, quæ efficaci vi prædita ſunt, & σκευαστικὰ, *præparatoria*. *Alchym. Pharm. c.* 3.

SYNERXIS, σύνερξις, h. e. *Concluſio*, Copulatio. Idem, quod σύλληξις, Gal. *in Ex. voc. Hipp.* Foëſ. *p.* 597.

SYNESTECOS, συνεστηκὼς, ξυνεστηκὼς, *conſiſtens*, conſtans, compactus. Uſurpatur de excrementis alvi, *conſiſtentiam* ſuam cohærentem habentibus & coactis. Hippocr. *Prognoſt. ſect.* 2. *t.* 13. *Coac. t.* 601. alibi vero συνεστεμμένα διαχωρήματα vocantur, & opponuntur ἐξυγρασμένοις, *liquidioribus*, *Coac. t.* 613. Adde Foëſius *dict. loc.*

SYNETHES, συνήθης, i. e. *Conſuetus*. Vide *Conſuetudo*.

SYNIDROSIS, συνίδρωσις, vocatur *ſudatio* cum alio affectu *concurrens*, à Nono *de M. P. C. c.* 155. v. g. quando cum fœtore alarum jungitur.

SYNISTAMENOS, συνιστάμενος, *conſiſtens*, idem, quod συνεστηκὼς. Foëſ. *p.* 599.

SYNIZESIS, συνίζησις, i. e. *Conſidentia*. Vide ſupra in eo.

SYNNEUROSIS, συννεύρωσις, q. d. *Connervatio*, eſt ſpecies unitionis oſſium, interveniente aliquo tendine, vel ligamento παχηλῶς nervo dicto. Galen. *l. de oſſib. in proœm.* Bartholin. *libell* 4. *Anat. c.* 1. uti fit in oſſe coxendicis cum femore. Spigelius vero ſubſtituit duas alias, συνδέσμωσιν & συντένωσιν.

SYNNEUSIS, σύννευσις, uſurpatur hoc vocabulum à Gal. *libr. de trem. palpit. c.* 6. tribuiturque calori nativo, quando æqualibus & liberis tranſitum viis utitur, tempore & menſura motus in ſe inclinans, deinde iterum ſe explicans. Unde & Latine *Inclinatio*, & oppoſitum ἐξάπλωσις, *explicatio* caloris vocatur. Videtur autem intelligi per hæc duo vocabula ſanguinis veluti quies, in diaſtole cordis, & impulſus in ſyſtole.

SYNNOMA, σύννομα, proprie dicuntur *ſimul paſcentia*, vel iiſdem paſcuis utentia, Gorr. quamvis alii per τὰ συννόντα, unita, explicent.

SYNOCHOS, σύνοχος. Vide *Continens*.

SYNOCOCHE, συνοκωχὴ, Lat. *Commiſſura*, connexio, & cohærentia dicitur, legiturque apud Hipp. *l. de Venis X.* 8. Junge Foëſ. *p.* 599.

SYNODON, συνόδων, vel συνοδοὺς. Vide *Dentes*.

SYNOPSIS, σύνοψις, i. e. *Compendium*, Galen. *l. de nerv. diſſ. cap.* 7. Ita & librum ſcripſit titulo: *Synopſis de pulſibus*. Vide *Compendium*. Idem, quod ὑποτύπωσις.

SYNOVIA, Paracelſicus terminus, ſed diverſimode ab eodem ſumtus, interdum Phyſiologice, interdum Pathologice. In illo ſenſu dicitur *Synovia* nutrimentum partis ſuæ, (ſive ſuccus nutritius parti appropriandus) & conſervatio virtutis recentivæ, & motivæ virtutis ex viribus virtutis digeſtivæ. Ita liquor nutritius in articulis, vel potius nervis ad articulos excurrentibus dicitur *Synovia*, gluten articulorum album; alias *Hydarthros*, *Meliceria*, vide *Meliceria*. Ita quoque *Synovia* in renibus, in cerebro, in hepate, corde, &c. ex mente Paracelſi habetur. In ſenſu vero Pathologico *Synovia* dicitur morbus articularis, vel etiam aliorum membrorum morbus, ubi ſuccus nutritius proprius corruptus in cauſa eſt. Vide *Paragraph. l.* 7. *c.* 1. *& tract. de podagra in princ.* ut & *alibi*. Hildan. *de Ichor. & Melic. c.* 3. Helmont.) ut & Dorn. & Ruland. vocat *Synoviam*, deſcribens, quod ſit mucilago quædam pellucida, ſpermati ſimilis, qualis vitulo mactato amputatis pedibus e tibiis extillat, inter ligamentorum capſulas, oſſiumque contactus effuſus liquor. *tr. Volupe viventium morbus, &c. n.* 15. 20.

SYNTAXIS,

SYNTAXIS, *σύνταξις*, *Contentio*, vel *Tentio*, aut *Tenſio*, oppoſita eſt, *τῇ χαλάσει*, *laxitati*, & contingit in cute & articulis, & reſiccatis aut induratis, in cute vero potiſſimum, cum muſculi inter ipſam quovis modo augeſcunt, tum maxime ex carnis copia & abundantia, ut & in utre pleno aqua & tympania, quod Galenus in pluribus Methodi libris teſtatur, Gorr. & Caſtell. Hinc & *συντατικὰ* medicamenta dicuntur *tendentia* & *ſiccantia*, quæ opponuntur *χαλαστικοῖς*, *relaxantibus*. Galen. *l.* 4. *M. M. c.* 7.

SYNTAXIS, *σύνταξις*, Lat. *Coordinatio*, dicitur, id eſt, mutua compoſitio & connexio, Gal. *libr. de oſſib. in proœm.* Nam in ſpecie de oſſium naturali *coordinatione* uſurpatur, vocatur & *σύνθεσις*, & *ὁμιλία*, Gorr.

SYNTECMÆROMÆ, *συντεκμαίρομαι*, Latine *Conjicio*, *Conjecturam facio*, Hippocr. 1. *aphor.* 9. quamvis majorem emphaſin adhuc in ſe hoc verbum contineat, quam prolixius expoſuit Libautius *in Schol. ad h. aph.* Vide Dieter. *n.* 803.

SYNTENOSIS, *συντένωσις*, eſt ſpecies *Syneuroſeos*, à Spigelio excogitata, quando duo oſſa per *tendinem* conjunguntur. Ita Oſſa Seſamoidea digitorum oſſibus nectuntur: Patella femori & tibiæ, *l.* 1. *de H. C. F. c.* 3. Barth. *libell.* 4. *c.* 1.

SYNTERETICE, *συντηρητική*, i. e. *Conſervatoria*, ſcil. *methodus* eadem, quæ *ὑγιεινή*. Blancard. *in Lex.*

SYNTEXIS, *σύντηξις*, *συντηκτικός*. Vide *Colliquatio.*

SYNTHENA, Paracelſo dicitur ſpecies epilepſiæ, vel caduci, aut apoplecticæ affectionis, cum doloribus in ſtomacho, torminibus, eſtque fere lethale ſymptoma, quod ſi unum paroxyſmum ſubſtinuerint ægri, & poſt illum evigilantes noſcant adſtantes, magis in paralyſin, quam in ſyncopen incidunt. *Paragr. l.* 3. *c.* 1. §. 3.

SYNTHESIS, *σύνθεσις*, idem, quod *σύνταξις*, *oſſium compoſitionem* & connexionem ſignificat. Vide *Syntaxis*. Quamvis & alius morbus nec periculo nec facie diſſimilis Phthiſi hoc nomine veniat apud Plin. ſecund. *l.* 1. *de Medicina c.* 62. qui tamen ſolus inter tam multos ita ſcripſit. *Syntheſis* quoque dicitur medicamentum compoſitum à Q. Sereno *c.* 30. Vide Keuchen. *not. p.* 210.

SYNTHETISMUS, *συνθετισμός*, vocatur D. D. Bohnio in Chirurgicis *repoſitio fracturarum* quatuor comprehendens operationes miniſtras, *Extenſionem*, *Coaptationem*, *Deligationem* & *Repoſitionem.*

SYNTHETOS, *σύνθετος*, *Compactus*, *Compoſitus.* In ſpecie vero Hipp. uſurpavit de excrementis durioribus & *compactis*, *Coac. t.* 110.

SYNTIMOREO, *συντιμωρέω*, *Coadjuvo*, Galen. *c.* 1. *de R. V. I. A. t.* 39. Vide *Timoreo.*

SYNTOMOS, *σύντομος*, *conciſus*, ſuccinctus, *velox*, & adverbium *συντόμως*, *brevi*, celeriter, quod legitur Hippocr. 3. *aph.* 12. Vide Dieter. *n.* 805. Nomen vero adject. occurrit *Coac. t.* 160. Jung. Foëſ. *pag.* 600.

SYNTONIA, *συντονία*, *contentio*, robur & firmitas dicitur, Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 67. Gal. *in comm. ad h. l.* *Σύντονος* quoque ſignificat *vehementum* dolorem, *Coac. t.* 160. Jung. Foëſ. *d. l.*

SYNTROPHOS, *σύντροφος*. Vide *Connutritus.*

SYNULOTICON, *συνουλωτικόν*, idem, quod *ἐπουλωτικόν*, *cicatricem inducens*, Gal. *l.* 13. *M. M. c.* 5. Vide *Epuloticum.*

SYNYMENSIS, *συνύμενσις*, Spigelio vocatur ſpecies Oſſium duorum conjunctionis, per aliquam *membranam* qua ratione in recens natis oſſa ſyncipitis cum oſſe frontis junguntur, *l.* 1. *de H. C. F. c.* 15. Barthol. *libell.* 4. *c.* 1.

SYPHAR, idem, quod *Exuviæ*, *λεβηρίς*, Caſp. Rejes *C. El. q.* 26. *n.* 1. Vide *Exuviæ.*

SYPHILIS, dicitur Fracaſterio *lues Venerea*, vel *Morbus Gallicus*, unde & libros tres metricos ſuos de morbo hoc inſcripſit *Siphilidem.* Rationem hanc dedit C. Rejes, quod indicet nomen hoc quaſi concordiæ & amicitiæ Venereæ partum, *q.* 59. *num.* 1. quaſi dic. *σὺν* & *φιλία*. Aliis placet nomen hoc originem ſuam accepiſſe à Poëtarum commento fabuloſo, Paſtorem quendam hoc nomine appellatum & primum hac lue inquinatum fuiſſe fingentium. Nicol. de Blegn. *Obſervat. in Luem Vener. c.* 1. Meminit & hujus nominis Waltherus *in Sylv. Med. p.* 14. 28. Idem vult quoque Fallop. *tr. de morb. Gal. c.* 2. *Tom. I. Op. p.* 684. Hoc nomine quoque uſus M. A. Severin. *l. de noviſſ. abſceſſ. c.* 23. non inepte deſcribens in genere, quod ſit impreſſura prodiens ab inquinabulo impenſe putri craſſoque & à tota ſubſtantia expugnante temperamentum humanum ad partes ſpermaticas primum ſpectante, mox alias etiam acris fermenti facultate ac auræ virulentæ inſtar pervadente.

SYPHON, idem, quod *Fiſtula*, *σύριγξ*, *cannula*, pertinet ad inſtrumenta Chirurgica, Hild. *in Ciſt. milit. claſſ.* 19. *Syphon rectus* dicitur *ἰθύτρητος*, Gal. *l.* 5. *M. M. c.* 7.

SYRENÆ, *Syrenes*, ſunt monſtra marina ex Nymphis nata, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Commentum Paracelſicum *in Paragran. & alibi.*

SYRIACON, *συριακόν*, epitheton *Unguenti*, quod & *Commagenum* vel *Comagenum* vocatur. Vide *Comagenum.* *Lapis* quoque *Judaicus* dicitur *Syriacus.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 298. *Ulcus Syriacum* quid ſit, vide *Tonſillæ.*

SYRICON, *συρικόν*, vel idem eſt, quod *Sandyx*, i. e. *Ceruſſa uſta*, ſi credimus Aëtio *lib.* 7. citante Gorræo & Ægineta *l.* 7. *c.* 3. vel eſt miſtum quid ex *Ceruſſa uſta*, & *Sinopide* juxta Plinium, æqualibus quidem portionibus, allegante eodem Gorræo. Vel eſt

eſt nomen *Collyrii* ἀδήκτυ, & ἀπαλῦ, apud Aët. *l.* 7. Gorr.

SYRINGA, idem, quod *Syrinx*, σύριγξ, vide *Fiſtula.*

SYRINGOTOMUM, συριγγοτόμον, inſtrumentum dicitur recurvum, in acutum deſinens inciſorium, cultellus ad fiſtulas incidendas comparatus, Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 4. Figuræ *Syringotomorum* videantur apud Aquapend. Scultet. aliosque Chirurgiæ Scriptores.

SYRINX, σύριγξ. Vide *Fiſtula.*

SYRIUS, vocatur *Pulvis* purgans fortior, ex Scammonio præparatus, eſtque nihil aliud, quam hujus *Extractum*, ſive *Reſina* & *Magiſterium.* Schrod. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 468. Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſ.* 2. *c.* 16. *ſeqq.*

SYRIZO, συρίζω, ſignificat *ſibilum edo*, qualem edit ſputum viſcidum & craſſum in gutture, Hippocr. *l.* 2. *de morb. XLVI.* 6. Legitur & ὑποσυρίζειν. Vide *Hypoſyrizo. Sibilus.*

SYRMA, σύρμα, idem, quod ἀπόσυρμα, *abraſum*, deſquammatum. Vide *Apoſyrma.* Leguntur vero σύρματα apud Hipp. *l.* 4. *Epid. XIX.* 24.

SYRMÆA, συρμαίη, nomen eſt plantæ alicujus, ſive *Raphanus* fuerit, ad vomitum concitandum idoneus, qui & *Sadicula* dicitur, ſive alia herba *Selino* ſimilis. Deinde etiam ita dicitur edulium quoddam ex adipe & melle, quod veluti præmium certaminis cujuſdam exhibebatur Lacedæmone, quod ejuſdem erat quoque nominis. Porro hoc nomine etiam vocabatur potio ex ſale & aqua purgatione idonea, Foëſ. *p.* 601. ipſam etiam purgationem per alvum moderate factam apud Hippocratem ſignificare notat Gal. *exeg.*

SYRMAISMOS, συρμαϊσμὸς, mendoſe συρμισμὸς, *purgatio per vomitum* aut alvum, minorativa, lenis, mitior. Hipp. 2. *de art. t.* 50. Gal. *in comm.* Lang. *l.* 2. *ep.* 48. *fin.* C. Hofm. *com. in Galen. LL. de V. P. n.* 277. Conf. Erotianus in ἀπὸ συρμαϊσμῦ.

SYRONES, vide *Sirenes.* Vocantur & *Pedecelli.* Arab. *Aſſoabat.*

SYRRHOEA, *Syrrhun*, σύῤῥοια, σύῤῥυν, *Confluxile*, idem, quod ξύῤῥοια, ξύῤῥυς. Vide *Confluxile*, *Confluxio.*

SYRUPUS, ab Arabico Sirab, quod eſt potio. Joan. Henric. Hottingerus *de uſu linguæ Arab.* Vide *Sirupus.*

SYSSARCOSIS, συσσάρκωσις, dicitur *conjunctio* oſſium, mediante carne, q. d. *Concarnatio*, ut in oſſe hyoide cum ſcapula. Ita caro gingivarum dura dentes oſſibus maxillarum connectit. Gal. *l. de oſſib. in proœm.* Barthol. *libell.* 4. *c.* 1. Gorr. Deinde & συσσάρκωσις dicitur ratio curandi vulnera præſertim capitis ad cranium pertingentia, ubi interſtitium non poteſt ſuppleri contractione labiorum, ſed opus eſt concretione carnis, vel *concarnatione*, de qua curandi ratione egit Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 1. & Jul. Alex. *in not. ad h. l. T. II. Op. p.* 795. *fin. & p. ſeq.* Denique συσσάρκωσις Pathologice dicitur carnis intra vaſa & tunicas teſtium ſcroti p. n. generatio, unde *Hernia carnoſa*, vel σαρκοκήλη oritur. Ægin. *l.* 6. *c.* 63.

SYSTASIS, σύστασις. Vide *Conſiſtentia.*

SYSTATHMOS, σύσταθμος, idem, quod ἰσόσταθμος, *ejuſdem ponderis*, Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* Foëſ. *p.* 602.

SYSTEMA, σύστημα, idem, quod σύστασις, *collectio*, *conſtitutio*, coitio, J. Alex. *not. in Galen. l.* 4. *de L. A. c.* 9. In ſpecie ſumitur etiam pro ſedimentorum in urina *concretione*, Hipp. *lib.* 7. *Epid. XLI.* 7.

SYSTEMATICOS, συστηματικὸς, epitheton *inæqualitatis* in pulſibus pluribus *collectivæ*, Gal. *l.* 1. *de diff. pulſ. c.* 30. Jul. Alex. *cit. loc.* Hujus ſunt tres, Διαλείπων, *intermittens*, παρεμπίπτων, *incidens*, & μύυρος, *myurus.* Caſtell. Gorr.

SYSTOLE, συστολὴ, *conſtrictio*, *contractio*, proprie dicitur cordis motus, quo in anguſtum contrahitur, ut ſanguis e ventriculis cordis in arterias, qua pulmonalem dextro, qua aortam ſiniſtro cohærentem, exprimatur. In qua contractione apex cordis verſus coſtas & ſterni regionem ſiniſtri lateris attollitur. Qui vero & Arteriis *ſyſtolen* attribuunt, illi minus accurati ſunt in vocum applicatione; ſiquidem proprie non contrahuntur, ſed ſaltem ſubmittunt; unde & à nonnullis *Submiſſio* appellatur, quando tempore Diaſtoles cordis arteriæ à diſtenſione remittunt, & paululum conſidunt. Enimvero nunquam inaniuntur, aut revera contrahuntur, quemadmodum Cor coarctatur. Igitur vera *Syſtole* dicenda non erit; quemadmodum nec vera *Diaſtole* cordi attribui poterit, cum non vere diſtendatur, ſed ſaltem à contractionis motu ad priſtinam naturalem figuram & magnitudinem recurrat. Vide *Diaſtole.* Adde Bartholin. *l.* 2. *An. c.* 6. ut & alios Anatomicos.

SYSTREMMA, σύστρεμμα, idem, quod συστροφή.

SYSTROPHE, συστροφή, Latin. *Convolutio* dicenda eſſet, verum vocab. Græcum apud Hippocr. denotat *Tuberculum*, *Duritiem*, humorum concretiones, & tumores, 3. *de artic. t.* 9. 16. *l. de humid. uſu XI.* 12. quamvis & generaliter uſus ſit de morborum collectionibus, *de R. V. I. A. t.* 21. Quemadmodum & verbum συστρέφεσθαι de humorum collectione ſumitur, 5. *aph.* 50. *& alibi.* Junge Foëſ. *p.* 602. Diet. *n.* 806. Ionſton. *in Not. ad Coac. l.* 280. etiam ſcripſit, quod συστροφή apud Hippocr. ſignificet & humorum collectionem, & eorundem concretionem tumoremque. συστροφή etiam *Globus* vertitur à Lind. *Ex. V.* §. 50.

SYZEUXIS, σύζευξις, idem, quod συζυγία, id eſt, *Conjugatio.*

SYZYGIA, συζυγία. Vide *Conjugatio.*

T.

Ταῦ. De hac litera notavit Galen. quod conjuncta cum litera R, reddat difficiliorem ſæpe pro-

pronunciationem, ſi lingua non ſatis ſeſe ampliat, & prioribus dentibus innitatur, Galen. *c. 6. aph. 32.* Paracelſus vero neſcio quam peculiarem characteriſticam & magicam efficaciam tribuit lit. T. *l. 2. Philoſ. Sagac. cap. 4.* Sed revera ſunt nugæ!

TABACUM, *Tabacca*, proprie nomen eſt plantæ, quæ alias *Nicotiana*, *Pætum*, vocatur, de qua conſulantur Botanici, & Schroder. *l. 4. cl. 1. p. 229.* Communiter vero accipitur vocabulum pro fumo ex accenſis illius herbæ foliis exiccatis vel per ſe, vel cum aliis rebus permiſtis, per tubulos varios ore attracto, hodieque notiſſimo & uſitatiſſimo, quamvis etiam quampluribus nocentiſſimo; quam noxam veriſſime non minus, quam ſevere inculcavit Lind. *Ex. IX.* §. 59. Inter mortis occaſiones & impedimenta retulit Helmont. ob hanc rationem, quod propter occultum virus late ſerpens, vires vitales proſternat, *tr. Mortis occaſiones*, & in ſpecie quod ejus uſus nimius Apoplexiæ initium afferat, ob ſulphur anodynum inebriativum, & ſi in gradu, numero, & quanto exceſſerit, apoplecticum, *tr. de Lith. c. 9. n. 76. 86.* Impotentiam quoque generandi promovere, legitur *in Eph. Nat. Cur. A. III. obſ.* 41. Ex uſu *fumi Tabaci* olfactum læſum fuiſſe, teſtatur obſervatio apud Bonet. *An. Pract. l. 1. ſ. 20. obſ. 6.* vomitum nimium lethalem obortum, *l. 3. ſ. 8. obſ. 63. &c.* Sunt & nonnulli, qui maſticatione illius herbæ contortæ & exiccatæ adeo capiuntur, ut, ſine hac ſeſe vivere non poſſe exiſtiment. Habet vero inſignem vim apophlegmatizantem. Tribuitur porro vocabulum *Tabaci pulveribus Sternutatoriis* vel *Ptarmicis*, haud dubie ob hanc cauſſam, quod plerasque deſcriptiones & pulvis *Nicotianæ* ingrediatur, in quorum pulverum uſu etiam exceſſu à multis hodieque peccatur.

TABAISIR, Arabice eſt *Spodium*. Ruland. Iohnſon.

TABANUS, μύωψ, οἶστρος. Vide *Oeſtrus*.

TABARZET, epitheton *ſacchari albiſſimi*, & depurati, quod ſæpius lixivio calcis vivæ deferbuit, Helmont. *tr. Pharmac. & Diſp. Modern. n. 67.* Legitur & in Arabic. vocab. antiq. expoſitione operibus Avicennæ addita.

TABELLA, δέλτος. Vide *Tabula*.

TABERGETA, id eſt, *albificans*. Rul.

TABERNA, οἴκημα, ἐργαστήριον, idem, quod *Officina*, πωλητήριον. *Tabernam aromatariam* diu occluſam & poſt apertam cauſſam fuiſſe graviſſimæ peſtilentiæ teſtatur ex Fallopio Caſp. Rejes *C. El. q. 65. num. 29.*

TABES, φθόη, φθίσις. Vide *Atrophia*, *Phtiſis*. *Tabida febris*, μαρασμώδης. Vide *Maraſmus*. Dicitur & *Tabitudo*. Augen. *Tom. III. p.* 142.

TABULA, *Tabella*, homonymon eſt ap. Latinos. Vel enim notat aliquod inſtrumentum ligneum, aut lapideum, rotundum, aut quadratum, cui aſſidemus; & reſpondet *menſæ*; in qua ſignificatione legitur apud Lang. *l. 2. ep.* 43. & Græc. dicitur τράπεζα, πίναξ. Vel aliud inſtrumentum latum, cui aliquid inſcribitur, aut inſculpitur, Gr. δέλτος πίναξ. Ita veteres ægros remedia ſua, quibus ſani facti ſunt, *tabulis* inſcripſiſſe teſtatur e Plinio & Galeno C. Rejes *C. Elyſ. q. 3. n. 9.* Huc pertinet *Tabula Smaragdina Hermetis*, à Chymicis adeo ſummis laudibus decantata, quæ videri poteſt *Th. Chym. Vol. I. p.* 362. Unde & ipſi libri *Tabulæ* quandoque appellantur: nec non *Tabula marmorea*, Ægyptiis literis & characteribus conſignata, quam exhibet Chioccus *Muſ. Calceolar. ſ. 3. p.* 293. Vel denotat inſtrumentum ferreum, aut etiam cupreum, cui aliquid infunditur, v. g. Rotulæ, Morſuli, Trochiſci. Ita *Tabula ferrea* eſt inſtrumentum ſcrobibus hemiſphæricis, ſeu acetabulis compunctum, ad excipiendum probationum effuſiones, Rul. Tandem ſignificat *Tabula confectionem ſaccharatam*, plana forma paratam, quæ vulgo *Morſellus*, *Morſulus*, dicitur; quamvis & *Rotulæ* hoc nomine comprehendantur. Weker. *A. G. l. 1. c.* 42. Morell. *l. 1. ſ. 3. c.* 4. Vide *Morſulus*, *Rotula &c.* Hujuſmodi Confectiones ſiccæ ut & *Trochiſci* recte dici poſſunt Electuaria ſolida, ſiquidem pulveres diverſi excipiuntur ramoſis viſcoſisque corporibus, Jac. le Mort *Pharmaceut. Med. Phyſ. cap. 24. pag. 279. 186.*

TABULATUM, etiam æquivocum eſt. Vel enim ſignificat partem ædificii, quando ex aſſeribus & lignis pars ſuperior ab inferiori diſcernitur, eſtque idem, quod *Contignatio*. Ad cujus ſimilitudinem & *Tabulata* vocatur diſpoſitio ramorum, quos vitis uſque ad ſummum aſcendit: item *Stratura* intercedens, vel *ſtratum ſuper ſtratum* hoc nomine venit. Rhod. *in Lex. Scrib. p.* 449. Græc. ὑπερῷον, συνίδωμα. Vel idem eſt, quod *Confectio* in *Morſulis* aut *Rotulis*. Weker. *d. l.* Vide *Tabula*.

TABUM eſt ſanies tenuis e malo ulcere exiens. Blancard. *in Lex.* Quomodo *Tabum* à pure differat, egregie docuit D. D. Wedel. *Patholog. ſect. II. c.* 13. *pag.* 421. docens, Tabum eſſe effectum putrilaginoſæ reſolutionis citra calorem vitalem concurrentem & νέκρωσιν conjunctam habere; pus vero eſſe effectum reſolutionis maturativæ concurrente calore vitali nativo, ita ut pus ſit in parte gangrænoſa ſignum vitæ reſurgentis. Quod vero laudatus A. in maſculino poſuerit *Tabus*, me ratio fugit: Certe in meis Lexicis ſemper in Neutro genere legitur. Nicol. Perottus *in Cornucop. ad Martialem p.* 269. *Tabo* poſuit, dicens eſſe cruentum illud, quod tuſſi rejicitur, ſimul ſcribens in ablativo ſaltem *Tabo* apud Virgilium reperiri. Atque ita perinde fuerit, num *Tabus* vel *Tabum* in nominativo dici quis crediderit.

TACAMAHACA dicitur gummi reſinoſum exoticum,

cum, e nova Hiſpania huc deveniens, cujus vires & uſus deſcribuntur à Schroder. *lib.* 4. *cl.* 4. *n.* 407. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* De *Tacamahaca liquida* lege *Eph. N. Cur. A. III. O.* 296.

TACEROS, τακερὸς, i. e. liquefactus, *colliquatus.* Unde & *macilentum* à nimia *Colliquatione* ſignificat. In qua ſignificatione legitur apud Moſch. *de morb. mul. c.* 87.

TACHYGLOSSOTEROS, ταχυγλωσσότερος, Hippocr. dicitur, qui *petulantiori linguæ incontinentia* & volubilitate præditus eſt, uti in ebriis obſervatur, *l.* 4. *Epid XXV.* 2.

TACHYS, ταχύς. Vide *Celer.*

TACHYTHANATOS, ταχυθάνατος, dicitur, qui *celeriter moritur*, vel potius, qui pronus eſt ad repentinam mortem. Minime tamen cum Brevitate vitæ confundenda hæc diſpoſitio, ſed ſaltem exprimit mortis ſpeciem contrariam lentæ. Hippocr. 2. *aph.* 44. Jung. Dict. *n.* 817.

TACITURNITAS, σιγὴ, idem, quod *Silentium.* Vide *Sige.*

TACTILIS, ἁπτὸς, dicitur ſpecies qualitatum, in ſenſus incurrentium, ut ſunt, calor, frigus, humiditas, ſiccitas, aſperitas, lævitas, Galen. *l.* 1. *de Elem. c.* 9.

TACTUS, ἀφὴ, ἅψις, ſubſtantivum eſt notiſſimum, vide *Hapſis.* Jung. Malpigh. *Ex. de Tactus organo.* Barthol. *l.* 1. *An. c.* 2. Adjectivum *Tactus* ſumitur pro *Tractatus*, *Contrectatus.* Ita Epiphora medicamento *tacta* legitur apud Scribon. *n.* 20. aqua calida *tactus*, *n.* 130 *Tangere* enim corpus eſt externis medicamentis perducere corpus, ſive tractare & fovere, Keuch. *ad Sammon. p.* 107. De *tactu ſalutari*, ſive curatione per *tactum*, vide *Struma.* Curare morbos viſu aut *tactu*, Divinum quid eſt. C. Rejes *C. El. q.* 24. *n.* 29. Inter recentiores Doctores Medicos D. Henricus Deventer *in Lum. nov. pro obſtetricant. c. XIII. & ſeqq.* aliquot nomen *tactus* & verbum *tangere* reſtrinxit ad prægnantes, deſcribens, quod *tangere* gravidam nihil aliud ſit, quam duos priores digitos alterutrius manus pinguedine, butyro, vel oleo junctos per mulicbria in vaginam uteri intromittere, iisque attingere os, ſive oſtium uteri (per quod interius intelligit) ad explorandam ipſius formam, undique idem contrectando, ut innoteſcat, quidnam ex *tactu* illo ſcire liceat.

TÆDA, æquivocum eſt, & habet 1. ſignificationem Botanicam, qua notat *Pinus ſpeciem*, Gr. πεύκη. Vide Gal. *l.* 8. *de S. Fac.* Latine *Picea.* Deinde ſignificationem Pharmaceuticam, & notat paſtam quandam, vel ad ſuffitum, vel ad ſupponendum utero paratam, Gr. δαΐς. Vide *Das.*

TÆNIÆ, ταινίαι, dicuntur *Lumbrici lati*, alias κειρίαι, πλατεῖαι. Vide *Helminthes*, *Lumbrici.* Gorr. Lang. *l.* 2. *ep.* 42. Aldrov. *l.* 6. *de Inſect. cap.* 2. Keuchen. *ad Sammon. p.* 208. Refertur hoc nomen etiam ad diverſos piſces à diverſis autoribus, & quidem vel ad marinum, qui *Soleæ* ſpecies habetur in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 43. vel ab Ariſtotele ad piſciculum, qui deſcribitur ab eod. *l.* 3. *c.* 30. *Tænia* alias proprie *vittam muliebrem* ſignificat, aut *faſciam.* Hinc & *Tænia ſulphurata* dicitur, qua vina conſervantur in doliis, à Boneto *Anat. Pr. l.* 1. *ſect.* 15. *O.* 6. *in Schol.*

TAGENITIS, ταγηνίτης, idem, quod τηγανίτης, vocatur panis quidam, vel potius *placenta ex ſolo oleo cum farina triticea* mixta, & in ſartagine ſuper ignem fumo expertem frixa, apud Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 3. Jung. J. Alex. *in not. ad h. Gal. loc.*

TAIACU, nomen *Apri Mexicani Moſchiferi*, cujus Anatomiam tradidit Eduardus Tyſon Medicus Londinenſis, & ejus mentio fit *in Actis Eruditorum Lipſienſibus A. C.* 1685. quod excerpta ſit *ex Philoſ. Tranſactionibus Anglicis menſis Novemb. Anno* 1683. *Num.* 183.

TAL, i. e. *lutum pavorum*, vel Alkali. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TALÆPORIA, ταλαιπωρία, Hippocrati vocatur *labor immoderatus cum defatigatione*, unde opponitur huic ἀναπαυσις, *quies*, *l. de nat. hum. ſ.* 2. *t.* 1. Galen. *in comm. ad h. l. l.* 2. *Prorrhet. IX. aliquoties*, ubi & verbum ταλαιπωρέω, *laboro*, occurrit, *l. de int. aff. XXVII.* 2. *XXXIV.* 13. *XXXVI.* 11. *XXXVII.* 12. *ſect.* 3. *de art. t.* 194. Alias ταλαιπωρία, *miſeriam*, *egeſtatem* quoque ſignificat, 4. *de R. V. I. A. t.* 111. Jung. Foëſ. *Oecon. pag.* 602.

TALC, id eſt, *vinum coctum.* Rul. & Iohnſ.

TALCUM, *Talk*, eſt materia pellucida ſplendens, & clara, unionum ſimilitudine, tenuiſſimis foliis compacta, & ſciſſilis, cujus ſunt quatuor ſpecies: alba, flava, nigra, rubra, Dorn. Rul. & Iohnſ. Alii inter lapides referunt, & quidem ſpeculari lapidi ſimilem dicunt, Schrod. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 20. Fr. Hofm. *in Clav. ad hunc loc.* qui & vires, uſumque deſcripſerunt. In *Muſ. Calc. ſ.* 4. *pag.* 458. *ſeqq.* Maſcul. genere legitur *talcus* foſſilis. E recentioribus ita deſcribi poteſt: *Talcum rubrum* eſt fluor mercurialis metallicus rubedinem à Sulphure Auri participans. Hinc etiam nonnulli Chymici per aquam Regiam rubedinem extrahentes & ſolutionem denuo præcipitantes pulverem conficiunt, quem pro Croco Solis commendare non dubitant. Vide Dan. Ludov. *Diſſ. I. Pharm. pag.* 320. *ſeq.* *Talcum album* eſt corpus ex mineralibus fixiſſimis & igni reſiſtentibus nec menſtruis quibuſcunque domandum, niſi quod Borace addito per Ignis gradum fortiſſimum in crucibulo fuſile reddatur. Præparationes *olei talci* pleræque ſunt commentitiæ, nec adeo neceſſariæ. Ludov. *d. l. p.* 791. Jungi poterunt Notæ, quibus

earum copia eſt, ad dictum Autorem D. Etmulleri hactenus nondum editæ: ut & Iunken. *Chym. Exp. Cur. Part I. ſect.* 4 *c.* 9. *p.* 330. *ſeqq.* Meminit & aliquoties in ſcriptis ſuis Paracelſ. Aliquando & abuſive tranſtulit ad aquam & Microcoſmum, fingens *Talkaquæ*, & *Microcoſmi*, *Paramir. l.* 2. *c.* 2. *Talcum* quoque refertur inter nomina *Lapidis Philoſophici*, quæ recenſentur *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 727.

TALEA, *Taleola*, σχίζα, σκυτάλη, proprie dicitur *præſegmen lignorum*, particula ligni tabellata. Ita *talea fraxinea* apud Seren. *c.* 12. Junge Keuchen. *in not. ad h. l p.* 130. Legatur & Rhod. *ad Scrib. n.* 122. Transfertur tamen etiam ad alias res ſciſſiles, v. g. Cornu Cervi in *taleolas* diſſectum.

TALENTUM, τάλαντον, nomen ponderis majoris, pendentis ſexaginta minas. Quia vero *Minæ* pondus variat in diverſis locis, (vide *Mina*) J. Alex. *not. ad Gal. l.* 1. *de C. M. P. G. c.* 15. igitur & *talenti* pondus variare neceſſe eſt. *Talentum Atticum* pendere libras Romanas 62. & uncias ſex, vel Marcas Colonienſes 87. lotones 8. momenta 4. docet Linden. *Exerc. V.* §. 81.

TALIÆ, vocantur *folliculi* ceparum, allii. Keuch. *ad Samm. p.* 133.

TALISMANICA, ſpecies *Magiæ Diabolicæ*, quæ alias *Gamaheu* vocatur. Vide *Gamahei.* Refertur & ab Helmont. inter Paganorum remedia, quæ pro peſte abigenda adhibuerunt. *Tumul. Peſtis.* §. *Zenexton.*

TALPA, σπάλαξ, ἀσπάλαξ, homonymon eſt; proprie dicitur mus terrenus, ſub terra fodiens, & quaſi ſerpens, acutiſſimi auditus, cruribus breviſſimis, cujus peniorem deſcriptionem, cum uſu in Medicina, vide in Aldrov. *l.* 2. *de quadrup. dig. vivip. cap.* 16. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 25. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Eph. N. Cur. *A. II. O.* 57. Metaphorice *Talpa* dicitur Tumor cutis capitis proprius, interdum albam materiam continens, & ſerpendo cuniculos, inſtar *talpæ*, ſub cute efficiens. Dicitur & *Teſtudo.* Aldrov. *d. l.* Caſtell. De hoc affectu legatur ex noviſſimis Bonet. *Medic. Septentr. libr.* 1. *ſ.* 1. *cap.* 9. *pag.* 13. *ſeqq.*

TALUS, ἀστράγαλος. Vide *Aſtragalus.*

TAMISON, τάμισον, idem, quod πητύα, *coagulum.* Vide ſupra in eo. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. LXX.* 8.

TANGE, ταγγή, apud Hippocr. *tumorem* putreſcentem ſignificat, *l.* 2. *Epid. ſect. I.* 49. Alias ταγγή & ταγγὸς etiam *rancorem* notat. Unde ἔλαιον ταγγὸν *oleum rancidum* vocatur, Foëſ. *d. l.* Gorr.

TANGIBILIS, ἁπτὸς, idem, quod *Tactilis.* Gal. *l.* 2. *de L. Aff. c.* 8.

TANTALUS, vocatur ænigmatice in negotio lapidis Philoſophici *Mercurius*, ſive *Argentum vivum.* Theatr. Chym. *Vol. IV. pag.* 721. 725.

TAPEINOSIS, ταπείνωσις, *Humilitas.* Vide *Humilis.*

TAPHIUSIUS, vocatur quarta ſpecies lapidis Aëtitis, à loco natali *Taphiuſa*, juxta Leucadem, apud Plin. *l.* 36. *H. N. c.* 21. quem lapidem nobis incognitum dixit Schroder. *l.* 3. *c.* 8.

TAPHNEUS, dicitur Paracelſo ſpecies terræ, ex qua illa producuntur, quæ non mutant ſuam naturam, reverberando, calcinando, *de grad. & comp. cap.* 1. Vel *Taphneus* eſt medicina mundata, *Scholiis ad l.* 7. *de grad. & comp. c.* 9.

TARACHE, ταραχή. Vide *Taraxis.*

TARACHODES, ταραχώδης, Lat. *Turbulentus.* Dicitur ab Hippocr. de iis, qui, qui ſine ratione perturbantur, quod eſt delirantis & male affectæ mentis indicium, *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 1. *c.* 4. Vide Gal. *in comm. ad h. l.* Hinc & νοσήματα ταραχώδεα, morbi *turbulenti*, *d. l. t.* 32. & in ſpecie febres ταραχώδεις, *turbulentæ*, *Coac. t.* 550. ſomni ταραχώδεις, *d. l.* 151. & γνώμη, ſententiæ mentis, *t.* 308. Junge Foëſ. *p.* 611.

TARANTISMUS vocatur morbus ille ſaltatorius, qui à morſu & veneno *Tarantulæ* inducitur. *Med. Septentr. l.* 1. *ſect.* 16. *c.* 1. *p.* 150.

TARANTULA, nomen eſt phalangii, vel *Aranei* exotici, in Apulia & Perſia frequentioris, cujus morſus peculiaria ſymptomata convulſivorum motuum non ſolum excitat, veluti ſaltantium, verum etiam curationem peculiarem per Muſicum inſtrumentalem concentum poſtulat. Hujus deſcriptio accurata & depicta reperitur in *Itinerario* Ad. Olearii. Morbi vero Convulſivi à *Tarantulæ* morſu excitati ideam & curam deſcripſit Willis *Pathol. cerebri c.* 7.

TARAXIS, τάραξις, in genere idem, quod ταραχή, *Perturbatio.* Et hoc poſterius vocabulum legitur de alvi fluxu, Hipp. 1. *aph.* 2. à verbo ταράσσω, turbo, *perturbo*, commoveo, agito, Diet. *num.* 815. In ſpecie vero τάραξις vocatur oculi vitium, cum oculus ex compreſſione, vel attritu, aut mora in fumo aut alia re offendente, conturbatus conſpicitur, Gal. *Iſag. c.* 18. Ægin. *l.* 3. *c.* 22. eſtque inflammationis, vel ophthalmiæ initium, *cap.* 5. *in l.* 6. *Epid. t.* 3. Jung. Rhod. *ad Scrib. n.* 19.

TARBASON, vox ficta à Scheunemanno, notans *Stibium*, vel *Antimonium*, pro *Larbaſon*, quem propterea falſe perſtrinxit Libav. *in defenſ. contra illum*, *p.* 28. *ſeqq.*

TARDA eſt nomen Avis, quæ & *Otis* dicitur. Vide *Otis.*

TARDITAS, *Tardus*, βραδύτης, βραδὺς, quid ſignificet, notum eſt. Dicitur de pulſu, *l.* 1. *de diff. pulſ. cap.* 7. *Tarditatem* in curatione ſæpe noxiam eſſe, patet ex Hipp. 1. *aph.* 3. Vide Diet. *n.* 161.

TARFATI, *Tarfe*, Barbar. idem, quod *Ecchymoma*, ſive *Sugillatio* in oculo. Foreſt. *l.* 11. *Obſ.* 4. *Schol. l.* 6. *Chirurg. Obſ.* 45. *Schol.*

TARGAR, id eſt, *Oleum juniperinum.* Rul. & Johnſ.

TARICHOS, τάριχος. Vide *Salſamentum.* Inde προταριχεύειν. Vide *Protaricheuo.*

TARITH, id eſt, *Mercurius*, *Ruſcias* idem. Rul. & Iohnſ.

TARSUS, ταρσὸς, diverſis pollet ſignificationibus, inter quas receptiſſima eſt, quando *Tarſus* vocatur pars pedis anterior poſt calcem, plana ac lata, quæ inter talos eſt, & plantam & carpo, manus reſpondet, qui uti Celſo prima palma dicitur, ita & *Tarſus* prima planta, *l.* 8. *c.* 1. Gal. *l.* 3. *de V. P. c.* 8. *l. de Oſſib. c.* 24. e quatuor oſſiculis conſtare ſcribit, ſed Barthol. ſeptem attribuit, *libell.* 4. *c.* 21. Deinde ταρσοὶ dicuntur *extremitates palpebrarum oculi*, e quibus pili emicant, quamvis alii ipſos *pilos* ταρσοὺς vocari potius exiſtiment, cum Ruffo. Gorr. Caſtell. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *cap.* 10. §. 87. Ταρσὸς quoque dicitur omne id, quod *dilatatum eſt*; unde verbum τεταρσωνται, *dilatata*, Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* Erot. *Onom. p.* 111. *c. d.* Hinc ταρσὸς, *expanſio alarum*, & pennarum productio proprie dicitur, nec non *remorum planities*: item vaſa, in quibus caſei exponuntur, ut eſt apud Suidam in ταρσὸς. *Tarſus* etiam dicitur marmoris duri & candidi ſpecies, quæ in Tuſcia & ſubter ac ſupra Florentiam alibique in Italia naſcitur, & præbet elegantius vitrum, quam ulla alia arena. Anton. Neri *in Arte Vitrar. l.* 1. *c.* 2. *p. m.* 8. *&* 9. *& c.* 8. *p.* 22.

TARTARHAN, Scheunemanno notat *Tartari ſpiritum*, ſed inepte & barbare, judicio Libav. *in Defenſione Tom. III. p.* 19.

TARTARUS, *Tartarum*, τάρταρος, in Medicina non notat *infernum*, ſed eſt uſitatiſſimum hodieque & varias ſignificationes admittens vocabulum. Proprie *Tartarus* dicitur terrea portio vini, coagulata in duritiem lapideam ad peripheriam doliorum. Unde & Paracelſus, & alii *calculum vini*, vel lapidem lateribus vaſorum vinaceorum adhærentem vocarunt, quod quidem Fr. Hofman. *in clavi ad Schr.* improbat, ob hanc rationem, quod nullus lapis in aqua liqueſcat, hæc tamen de *Tartaro* ſcimus. Enimvero hæc ſubtilitas in Medicina non obſervatur, uti patet de *Lapide Corroſivo*, *Medicamentoſo*, & aliis, qui omnino etiam liqueſiunt. De *Tartari vini* hiſtoria, viribus, & uſu, cum medicamentis inde paratis, legantur paſſim Rei Medicæ ſcriptores, præſertim Schroder. *l.*4. *cl.*2. *n* 408. Fr. Hofmann. *ad h. l.* Helmont. *Tartari*, *& Tartari vini hiſtoria*: Angel. Sala *in Tartarologia.* Rolfink. *Chym. l.* 5. *ſect.* 1. *art.* 1. *c.* 6. Freitag. *Aur. Med. l.* 2. *c.* 10. Iunken. *Chymic. Exp. Cur. Part. I. ſect.* 3. *c.* 10. *p. m.* 215. *ſeqq.* aliisque. Egregiam quoque deſcriptionem medicamentorum e Tartaro paratorum à D. Friderico Zobelio Archiatro Duc. Holſat. collectam edidit Dn. D. Wedelius. Linden. *Tartari* hujus beneficio tribuit vim purgantem vino, ex Hippocrat. *l.* 2. *de diæt. Ex. V.* §. 78. Ad ſimilitudinem *Tartari e vino* vocabulum hoc tribuitur etiam aliis ſalibus e vegetabilibus extractis Chymiæ opera, quæ ſalia *Tartaros eſſentiales* vocat Rolfink. *d. l.* Ita & *Tartarum Philoſophicum* ex aqua pluviali à Cloſſæo paratum huc pertinet apud Schroder. *l.* 3. *c.* 3. Præter hanc Pharmaceuticam & Chymicam ſignificationem tranſtulerunt vocabulum *Tartari* ad Pathologicam; alii nimis extendentes ad omnem pene cauſam & materiam morbificam internam, ſicuti Paracelſus, qui integros libros de *Tartaro*, & de *Tartareis morbis* conſcripſit, accipiens pro omni alimentorum excremento, & vitioſa materia; quam latam acceptionem reprobavit Helmont. *tract. integro.* Inventio *Tartari* in morbis temeraria; quamvis, ſi cum aliis ſuis ſcriptis conferatur, non ſemper ſibi conſtet. Nos ſalvo aliorum judicio arbitramur, omnino *Tartari* ſignificationem Pathologicam congruam eſſe, ob egregiam comparationem vini cum ſanguine, ita, ut & in ſanguine feculentæ terreæ, & coagulativæ portiones aliquando colligantur, & peccent, quæ variorum morborum intemperiei materialis, qua Organicorum generationi favent.

TASIS, τάσις. Vide *Tenſio.*

TASSUS, id eſt, *Lumbricus.* Dorn. Ruland. Iohnſ.

TAUROCOLLA, ταυροκόλλα, vocatur *gluten* optimum, quod ex auribus taurorum & genitalibus paratur. Verum accipitur etiam generaliter pro *glutine.* Gal. *l.* 5. *de C. M. P. G. c.* 12. Ægin. *l.* 7. *c.* 3. *lit. T.* Vide *Colla.*

TAURUS, ταῦρος, homonymon eſt. Vel enim notat *Bovem Maſculum.* Vide *Bos.* Vel *Taurus* dicitur inferior penis pars, ejusque ſutura, in longitudinem vergens, uſque ad ſedem porrecta, Galen. *Introd. c.* 10. Linden. *Med. Phyſ. l.* 2. *cap.* 7. §. 63. Leuchen. vocavit *Suturam teſtium*, *not. ad Sammon. pag.* 136.

TAXATIO, *Taxa*, vocatur valor medicamentorum, qua ſimplicium, qua compoſitorum, ſive pretium pecuniæ numerandum pro medicamentis, & legitur paſſim apud Weker. *in Anat. Gen.* nec non *in Diſpenſatoriis Norimbergenſi & Auguſtano.* In hoc pretio conſtituendo & exigendo Pharmacopœi interdum conſcientiæ non adeo exactam habent rationem, teſte experientia. De qua re videatur D. Ludov. *Diſſert. II. Pharmaceutica.*

TAXIS, τάξις. Vide *Ordo.*

TAXUS, Græco dicitur carere proprio nomine; quamvis Schroder. μήλις poſuerit. Verum non video, quid obſtet, quo minus & τάξος vocari poſſit, ad imitationem aliorum e Latino ad Græcum translatorum. Animal dicitur quadrupes, digitatum, vel biſulcum, pedibus varians, dum aliud canum pedes imitatur, & *Taxus caninus*, aliud porcorum, & *Porcinus* dicitur; utriusque hiſtoriam cum uſu in Medicina prolixe

prolixe vide ap. Aldrov. *l. 2. de quadr. dig. vivip. cap.* 11. Jung. Schroder. *l.* 8. *cl.* 1. *n.* 36. De articulatione peculiari maxillæ in *Taxo* accurata mentio fit in *Eph. Nat. Cur. A. II. Obſ.* 12. *Taxus* quoque nomen arboris, de qua videantur Botanici.

TECHELLICA *Philoſophia* Paracelſo dicitur ab autore *Techello* Judæo, quem monumenta ſingularia magica ſcripſiſſe laudavit *de Peſtilit. tract.* 1. *in princ. & l. principior. ſeu de myſteriis verm. cap.* 5. *&* 6. Verum omnino ſalutare nobis eſt, quod talia ſcripta interierint.

TECHNE, τέχνη. Vide *Ars.*

TECMARSIS, τέκμαρσις, in genere dicitur *cognitio conjecturalis* per ſigna ſyllogiſtica, Galen. 1. *de R. V. I. A. t.* 3. *c.* 2. In Medicina igitur τέκμαρσις vocatur conjecturalis cognitio, quæ ſub ſe comprehendit totam fere artem Medicam cognitionem, dignotionem, prænotionem, & curationem, ſiquidem omnes hæ partes conjectura artificiali nituntur, præſertim quoad reſpectum ad particularia, imo ſingularia ſubjecta. Nam præcepta & theoremata Artis univerſalia pleraque poſſunt eſſe demonſtrativa. Lege Foëſ. *exegeſ. Oec. p.* 613. Vide *Conjectura.*

TECMERION, τεκμήριον, vocatur *ſignum determinatum* ſyllogiſticum, certis conjecturis nitens. Vide Foëſ. *d. l.* & Rolfink. *O. M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 3.

TECNOPOEIA, τεκνοποιΐα, idem, quod τεκνογονία, *Generatio ſobolis.* Rolfink *de part. gen. P. I. c.* 1.

TECOLITHOS, τηκόλιθος. Vide *Judaicus.*

TECOMÆ, τήκομαι. Vide *Colliquatio.*

TEGANISTOS, τηγανιστός, *in ſartagine frixus.* Vide *Frixus.* Lind. *Ex. V.* §. 99. Τηγανίτης, *panis frixus.* Vide *Ibid.*

TEGULA, κέραμος, vocatur vas aliquod ad tegendum deſtinatum. Rul. ita deſcripſit: *Tegula* eſt vas terreum, ventilabris & oſtio pervium, oblongum, ad *tegendum* catillos, ne operæ polluantur favillis, utque calor eo temperatius materiam elaborare poſſit, formatum. Quidam hanc tegulam cum fundo connectunt; alii fundum ab illo ſegregatum faciunt, id quod in cujuſlibet poſitum arbitrio. Iiſdem verbis more ſuo & Iohnſon. deſcripſit.

TEGUMENTUM, σκέπασμα. Vide *Scepe.*

TEINESMOS, τεινεσμὸς, Latine communiter *Teneſmus*, C. Hofm. *in Inſtit. l.* 3. *cap.* 150. urget, τινασμὸν, *Tinaſmum*, eſſe ſcribendum, quemadmodum & *in Apol. pro Galen. l.* 3. *c.* 244. *lit. A.* ubi addidit rationem, quam ſi ſuo tempore vidiſſet Dieter. fortaſſis non improbaſſet novationem Hofmanni, *Iatr. n.* 818. Deſcribi vero poteſt, miſſis aliorum deſcriptionibus, quod ſit aſſiduum fere per alvum excernendi deſiderium urgens, cum dolore, præcipue in extremo ano, cum excretione pauca, mucoſa, cruenta, aut purulenta, proveniens à reliquiis portionum acrium vitioſarum, intra inteſtinum rectum, & ad ſphincterem hærentibus & exulcerantibus. Comitatur plerumque dyſenteriam. Meminit Hippocr. 7. *aph.* 27. Gal. *in comm. ad h. l.* Alias legi quoque poſſunt Foëſ. *p.*613. Foreſt. *l.*22. *O.*40. *ſeqq. cum Schol.* River. *l.* 10. *c.* 7. *Sylv. l.* 1. *prax. c.* 13. §. 9. 27. 58.

TELA, ὕφη, ὕφος, quid ſignificet, ex aliis Dictionariis notum eſt. *Tela aranei* quem habeat uſum Medicum, vide ſupra in *Aranea.* Quomodo *Telis araneorum* comparari poſſint Aſtrologi, oſtendit ex Ambroſio Helmont. *tr. Aſtra non neceſſ. ſed incl. n.* 46. Tela etiam ſumitur pro linteo utrinque emplaſtrato, ſive *Sparadrappa*, de quo vocabulo ſupra. Legatur P. Morell. *in method. præſcrib. formulas l.* 11. *Sect. V. c.* 12. *p.* 248. *ed. Blaſian.*

TELAMONES, τελαμῶνες, dicuntur *lintea concerpta*, quæ vulneribus accommodantur, vel faſciolæ potius, quibus oblæſa membra deligari ſolent. Gorræus.

TELCHINÆ, idem, quod Lamiæ, *Sagæ*, *Striges*, Strigones, i. e. homines, qui cum Diabolo ad artem aliquam, vel potius ad præſtigias exercendas pactum iniverunt. C. Rejes *C. Elyſ. q.* 97. §. 9.

TELEIOS, τέλειος. Vide *Perfectus.*

TELEO, τελέω, ſignificat *perficio*, *conſumo.* Uſurpatur crebro, ab Hipp. de *conſumtione* ciborum, *l. de Affect. XXVII.* 7. ubi tamen Linden. reddidit per *expetere*, *XLI.* 9. *XLII.* 4. Vide Foëſ. *p.* 614.

TELEPHIUM, τελέφιον, idem, quod *Chironium.* Epitheton ulceris maligni, & difficulter curabilis, à *Telepho*, qui vulneratus ab Achille, unde talo ulcus malignum conſecutum. Dicitur & Ἀχίλλειον, teſte Keuchen. *ad Samon. p.* 259. Vide *Chironium.*

TELEUTAO, τελευτάω, non ſignificat apud Hippocr. *l.*7. *Epid.* 30. 5. *exitum nanciſci*, aut finire, uti Foëſ. expoſuit *d. l.* ſed, uti Lindenus reddidit, ἐτελεύτησεν, h. e. *mortuus eſt.*

TELLINÆ, τελλῖναι, dicuntur *Conchæ minores* marinæ & fluviatiles, quarum deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 72. Meminit & Gal. *c.* 2. *S. Fac.* §. *Tellinæ.*

TELLURICA Philoſophia Paracelſo quæ ſit, non conſtat ex ipſius ſcriptis. Meminit vero *tr.* 1. *de Peſtilit. in princ. & l.* 2. *de Podagricis*, §. *Necromantia.*

TELMA, τέλμα, dicitur, vel ea pars pedis, qua terram contingimus, aut calcamus, vel ſolidum, denſum & durum, ac pilis etiam nudum, pedis veſtigium, Gal. *l. de muſc. diſſect. c.* 33. Alias in Lexicis aliis *locum cœnoſum* ſignificare legitur. Vide Foëſ. *d. l.*

TELMATODES, τελματώδης, dicitur de *locis uliginoſis*, *cœnoſis*, apud Hipp. *de glandul. II.* 10. Vide iterum Foëſ. *d. l.*

TELON dicitur *ignis*, tanquam *telum.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TELOS, τέλος, *finis*, *perfectio*, terminus.

TELUM, βέλος, idem, quod *Jaculum.* Vide

 Sagitta.

Sagitta. Telum quoque vocari *Pleuritidem* patet ex Sereni *Medicina metrica c.* 23. ad quem locum vide *not.* Keuchen. *p.* 171. 172.

TEMACHOS, τέμαχος, *fruſtum ſectione ablatum*, aut *tomaculum* ſignificat, ſed præcipue de *piſcium fruſtis* reſectis uſurpatur, Hipp. *l. de affect. XXXIX.* 11. *de int. affect. XIII.* 35. *LII.* 26. Τεμάχιον Dimin. *fruſtulum piſcis* vocatur, Foëſ. *d. l.* Jul. Alexandrinus hallucinatus videtur, quando τεμάχη *ſalſamenta* ſignificare opinatus eſt, *not. in Gal. de puer. epil. cap.* 4. *& libr.* 15. *Sal. cap.* 9.

TEMERITAS, idem quod *Audacia*, *Incogitantia*, προπέτεια, τόλμη, quæ Medico eſt vitanda in verbis & factis. De verbis vide locum Gal. *l.* 2. *de mot. muſc. cap.* 5. & ſupra in *Propetes.* In factis præceptum legitur apud Hipp. *l. de Arte XX.* 22. *& lib. 6. Epid. ſ.* 2. *t.* 25. In ſpecie *Temeritas* eſt in morbis permittere, quod non poteſt conferre. P. M. de Calderia *Tom. I. Oper. p.* 414. *fin.*

TEMPERAMENTUM, *Temperatura*, *Temperies*, κρᾶσις. Vide *Craſis.*

TEMPERANTIA, σωφροσύνη, quid ſit ex Ethicis conſtare debet. Vocatur Noverca Medicorum, quia præcavet à morborum inſultibus. Lang. commendavit, quod ſit dux omnium virtutum, & omnium virtutis bonorum diſpenſatrix, *libr.* 1. *epiſt.* 55.

TEMPERATUS, σύμμετρος, vide *Symmetria. Temperamentum* eſt omne, quod propriam naturam domat, frænatque aliam admittendo, uti eſt vinum aduſtum, vel aqua ardens. Dorn. Rul. Iohnſ.

TEMPERIES, κρᾶσις, vide *Craſis. Temperamentum.*

TEMPESTAS, ὥρα, χρόνος, κατάστασις. Vide *Cataſtaſis*, *Hora*, *Chronos. Tempeſtas* etiam idem valet, quod ventus, ac cœli ratio, apud Celſ. *l.* 2. *c.* 2. notante Fantino *in not. ad h. l. p.* 155.

TEMPESTIVUS, ἐγκαιρος, idem, quod *Opportunus.* Vide *Cæros.*

TEMPLUM, ναὸν, σηκὸς, quid ſit, pueris etiam notum eſt. Olim in *Templis* gentilium curationes Empiricas fuiſſe ſuſpenſas; unde Hippocr. primus collegiſſe dicitur, legimus paſſim in Medicorum monumentis. Metaphorice quoque vocatur ſpecies quædam faſciæ, vel deligationis *templum Soſtrati*, alia *templum parvum Apollonii Tyrii.* Galen. *de faſc. num.* 79 98.

TEMPORA, κρόταφοι. vide *Crotaphe.* Hinc *Temporales muſculi*, κροταφῖται, vide *Crotaphitæ*; & *Temporales ſuturæ*: vide *Lepidoeides.*

TEMPORARIUS, ὡραῖος, idem, quod *Maturus*, *Bonus.* Vide *Horæos.*

TEMPUS, χρόνος, καιρὸς, & hujus vocabuli ſignificato jam aliunde innotuit, aut innoteſcere debuit, præſertim e Phyſicis. Quæ vero in ſpecie *tempora morborum* dicantur, vide apud Galen. *l. de morb. tempor.* item *in Inſtitut. paſſim.* Suntque potiſſimum quatuor: *Principium*, *Augmentum*, *Status* & *Declinatio.* De quibus ſingulis ſuo loco. *Tempus* quoque obſervandum in collectione medicamentorum ſimplicium rectiſſime urget Wekerus & alii. Ita & in aſſumendis & retinendis remediis certo *tempore* opus eſſe per experientiam conſtat. Quod vero ſuperſtitioſam *temporum* obſervationem attinet, v. g. mediæ noctis, aut ipſius momenti, quo ſol, vel punctum æquinoctii, vel ſolſtitii, alicujus ingreditur, vana ſunt talia, & nullius pretii.

TEMULANTIA, idem, quod *Ebrietas*, μέθη. Vide *Ebrietas. Temulentus* etiam vocatur οἰνωθεὶς, Galen. *l.* 2. *de Temper. c.* 2.

TENACITAS, γλισχρότης, *Tenax*, γλισχρὸς, idem, quod *Lentus*, vide *Gliſchros. Tenacitas glutinis* eſt reſina mineralis, uti Reſina abietis, Terebinthina laricis. Dorn. Ruland. Iohnſ. *in Lex.*

TENACULA vocatur inſtrumentum Chirurgicum, inſtar forcipis, quo aliquid tenetur, cujus varias delineationes vide apud Chirurgiæ Scriptores, in ſpecie apud Hildan. *Cent. I. Obſ.* 4. *& l. de Lichotom. Veſic. cap.* 16. 22. 26. & duas quoque diverſas, aliam cum, aliam ſine Terebello delineavit Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. XVI. fig.* 1. *&* 3. quamvis in Textu *Tenaculas* non appellavit, ſed ſaltem in Indice.

TENCHA, vide *Tinca.* Schroder.

TENCTA, τεγκτὰ, vocantur ea, quæ humore perfuſa eundem per meatus vel poros admittunt, humidiora indeque fiunt & molliora, ut lana, terra. His opponuntur ἄτεγκτα, quæ non admittunt intra ſe humorem; ut æs, ſal, nitrum, Gorr. à verbo τέγγειν, *madefacere*, humectare. Vide *Tenxis.*

TENDENTIA, τένοντα, dicuntur remedia, quæ cutim expandunt, & diſtendunt, & opponuntur χαλαστικοῖς, *relaxantibus*, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 11.

TENDO, τένων, vocatur ἀπονεύρωσις, ſive *extremitas muſculorum* nervoſa, vel potius fibroſa & ligamentoſa, ita dicta, quod ejus actio præcipue in tenſione, vel contractione conſiſtat. Gal. 2. *de art. t.* 5. Barthol. *l.* 1. *Anat cap.* 5.

TENEBRÆ, σκότος. Vide *Scotos.*

TENEO, ἴσχω, κατέχω, quid communiter ſignificet, notum eſt. Eſt vero in Medicina verbum emphaticum, præſertim in Pathologicis, quam emphaſin notavit Lind. *Ex. XIII.* §. 21. 23. 29. ubi Morbus *tenere* dicitur hominem, quando tanta ejus eſt vehementia, ut non ſinat hominem intereſſe rebus ſuis, ſed lecto affigat, aut quando non facile abſiſtit affligere, ſed moras nectit. Et *teneri* dicuntur ægri à morbo, qui cum vehementia ægrotant, & longiori mora. Unde & apud Scribon. *tenere* pro *hærere*, *durare* ſumitur. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.*

TENERITUDO, *Tener*, ἁπαλότης, ἁπαλὸς, i. e. *mollities* recens. *Tenerum ceratum*, i. e. liquidius, molle. Scribon. *n.* 173. *Tenera folia*, id eſt, mollia, *n.* 137.

TENESMUS, τεινεσμὸς. Vide *Teineſmus.*

TENON, τένων. Vide *Tendo*, *Tendentia.*

TENONTAGRA, τενοντάγρα, dicitur ſpecies arthritidis, quando tendines majores occupat v. g. in nucha ligamenta illa tendinoſa. Legitur apud C. Aurel. *l. V. Tard. paſſ. c* 2. *p. m.* 513.

TENONTOTROTI, τενοντότρωτοι, dicuntur, qui in tendinibus ſunt vulnerati. Galen. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 2.

TENOR, τόνος, *Tonus*, æquivocum eſt, Anatomicam, Phyſiologicam & Pathologicam habens ſignificationem. Apud Hippocr. plurimis in locis accipi pro nervis, ſive à cerebro, ſive à ſpinali medulla proveniant, oſtendit Foëſ. *pag.* 619. Sufficiat, unum adduxiſſe, *l. de artic. t.* 47. *ſeq.* Hunc ſecutus Gal. non modo *in comm. ad text. dict. Hipp.* ſed & *l.* 1. *de muſc. motu c.* 1. Deinde *Tenor membrorum* quoque dicitur recta conſtitutio, ordo particularum in iis, & ſeries, vide Keuchen. *ad Samon p.* 81. Pathologice vero τόνος *contentionem*, h. e. vim intendendi & contrahendi per genus nervoſum. *Coac. t.* 643. *ſeq.*

TENSIO, τάσις, διάτασις, idem, quod *Diſtenſio.* Vide *Diataſis*, *Ectaſis.* Ita & τονώδης διάθεσις, *tenſiva diſpoſitio*, quæ eſt ſignum plethoræ, Galen. *l. de multit. c.* 10. Τάσις vocatur, *l.* 4. *de L. A. c.* 3.

TENSIVUS, τονώδης, Epitheton doloris, qui provenit à flatibus vel ſpiritibus. Gal. *l.* 3. *de L. A. c.* 9.

TENTA, μοτὸς, λημνίσκος, idem, quod *Licinium*, *Penicillus*, *Turunda.* Vide *Licinia.* Apud Paracelſ. vocatur *Tenta Magiſtralis*, *Paragraph. l.* 3. *c.* 4. §. 1. *Not.* At *in fragment. ad h. l.* vocatur *Tentum magiſtrale.*

TENTHRENIODES, τενθρηνιώδης, *cavernoſus*, *antroſus.* Uſurpatur de pulmone ab Hipp. *l. de re ſect. I.* 10. à τενθρήνη, & τενθρηδὼν, quid ſignificat inſectum aculeatum veſpæ ſimile; Foëſ. *p.* 613. Alii legunt cum Corn. τενθρηνιώδης.

TENTIGO, πριαπισμὸς. Vide *Priapiſmus.*

TENTIO, τάσις, idem, quod *Tenſio.* Sumitur & in ſpecie pro *Teneſmo.* Gal. 7. *aph.* 27. ex interpretatione Leoniceni.

TENUANS, *Tenuatio*, idem, quod *Attenuans*, *Attenuatio* λεπτύνω, λεπτυσμὸς. Vide *Attenuans.*

TENUIS, λεπτὸς. Vide *Leptos.*

TENXIS, τέγξις, i. e *humectatio*, madefactio, cui opponitur ξηρότης, *ſiccitas.* Legitur apud Hippocr. *libr.* 6. *Epid. ſ. VIII.* 36 *vel t.* 25. à verbo τέγγειν, *humectare*, quod occurrit *l. de ulcer. in princ. l. de cap. vuln. XX.* 5. *&c.* Jung. Foëſ. *p.* 612. *ſeqq.*

TEPHRA, τέφρα. Vide *Cinis.*

TEPHRICON, τεφρικὸν, idem, quod σποδιακὸν. Vide *Spodiacon.*

TEPHRION, τέφριον, *Collyrii* nomen, hauddubie à colore cinereo, quod etiam κύθιον appellant. Deſcribitur ab Aët. *libr.* 7. citante Gorræo, & aliter à Celſo *l.* 6. *cap.* 6. Meminit & Rhod. *ad Scribon. n.* 26.

TEPIDARIUM dicebatur Balnei pars apud veteres, in quo veſtes exuendo prius paululum ſudabant, Gr. ἀποδυτήριον. Celſ. *l.* 1. *c.* 4. Jung. Pantini *not. ad h. l.* vide & ſupra *Apodyterium.* add. Ant. Fumanell. *libell. de Balneis in princ.*

TEPIDUS, χλιαρὸς. Vide *Chliaros.*

TERAGOLINICA, eſt *manu confecta.* Ruland. & Iohnſ. *l.* 2.

TERAS, τέρας. Vide *Monſtrum.*

TEREBELLA, *Terebra*, τρύπανον, τρίπτρον, vocatur inſtrumentum, quo oſſa forantur, non ſolum capitis, ſed & alia, v. g. thoracis. Unde variæ ejus ſunt differentiæ, v. g. recta & acuta *terebra*, quæ περιτρίεον vocatur Galen. *in Exeg. voc. Hipp.* alia *ſerrata*, cava, & teres, quæ πρίον appellatur. Vide *Priſis.* Huc pertinet *Abaptiſton Trepanum.* Vide ſupra *Abaptiſtos.* Adde Aquapend. *in Chir. Operat.* ubi prolixius deſcribitur. Diverſarum *Terebrarum*, v. g. *Terebræ triformis* & *triplois* in cranii vulneribus & juncturis uſitatæ, item *Trepani Abaptiſti*, nec non *Terebelli* Maggii pro globulis extrahendis delineationem cum modo utendi tradidit Scultet. *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. II. fig.* 3. 45. *T. III. fig.* 1. *&* 3. *T. XVI. f.* 6. *T. XXXVII. f.* 1. *T. XXIIX. fig.* 3. *&* 4. Huc pertinent *Tenaculæ* cum *Terebello*; vide *Tenacula.* Iterum alia, quæ τρύπανον τρωγλοδυτήριον Hippocr. vocatur, qua coſtæ perforantur, *l. de int. aff. XXV.* 19. Operatio ipſa dicitur *Terebratio*, Græc. τρύπησις, idem *Terebratus*, Rhod. *in Lex. Scribon. p.* 451. Hildan. *Cent. II. Obſ.* 4. *ſeqq.* Bonet. *l.* 4. *Anat. Pract. ſ.* 3. *Obſ.* 8. *p* 1583. *ſeqq.*

TEREBINTHINA, τερμινθίνη, dicitur *Reſina* liquiduſcula, balſamica, oleum craſſiuſculum referens, colore ex albo flaveſcens, ſapore paulo acris, conſiſtentia lenta, & tenax, propria ex arbore *Terebintho*, vulgaris e *Larice* arbore collecta, cujus hiſtoriam & uſum Medicum vide apud Dioſcor. *l.* 1. *cap.* 91. Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 398. Fr. Hoffmann. *in Clav. ad h. l.* Viribus antecedit omnes alias reſinas. Rhod. *ad Scribon. n.* 262.

TEREBOTIN, idem videtur eſſe, quod *Terebinthina*, apud Paracelſum, qui ſcribit, eſſe reſinam arboris ſuæ, differentem à Balſamo, *l.* 1. *de Tart. Tract.* 4. *c.* 2. *in expoſ.* nec non *in fragm. ad h. l.*

TEREBRA, vide *Terebella.*

TEREDO, τερηδὼν, homonymon eſt. Vel enim ſignificat *vermem*, vel potius vermiculum, *ligna erodentem*, quem deſcriptum vide apud Aldrov. *de Inſect. l.* 6. *cap.* 5. Uſum etiam monſtrat Schroder. *l.* 5. *cl.* 6. *n.* 117. Vel τερηδὼν, *oſſis eroſio*; quæ alias Latine *Caries* vocatur. Vide ſupra *Caries.*

TEREN-

TERENGIBIL, idem, quod *Manna*, *Tereniabin.* Schroder. *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 446.

TERES, στρογγύλος, κυλινδροειδὴς, dicitur de corporibus longis & rotundis. Eſtque Epitheton *vermium.* Vide *Strongylos*, *Helminthes.* *Teres* quoque cognominatur Muſculus Radii, qui alias *Rotundus* dicitur. Vide ſupra *Rotundus.*

TERESIS, τήρησις. Vide *Obſervatio.*

TERETRON, τέρετρον, id eſt, *Terebra*, τερέτρειον, *Terebella.* Vide p. a.

TERGUM, νῶτον, idem, quod *Dorſum.* Vide *Noton.* *Dorſum* ſignificat poſteriores corporis partes, quæ collo ſubjacent. Gal. *Introd. c.* 10.

TERGUS, λοπὸς, vide *Lopos.* Sumitur & in genere pro *corio*, Gr. σκῦτος. Vide *Corium*, *Scytos.*

TERMA, τέρμα, vocatur *finis* & *terminus*, in palæſtra meta, in qua ſubſiſtebant curſores, quemadmodum initium, βαλβὶς, *carcer* dictum fuit. G. Hofm. *Comm. in Gal. LL. de V. P. n.* 480.

TERMINTHOS, τέρμινθος, eſt homonymon. Proprie denotat arborem, quæ Lat. *Terebinthus*, unde reſina *Terebinthina* colligitur, quæ ſignificatio ſpectat ad Botanicos. Per metaphoram vero dicuntur τέρμινθοι tumores, vel cutis eminentiæ plerumque in tibiis vel cruribus obortæ, colore ex nigro & viridi, rotundæ, fructui *Terebinthi* ſimiles. Legitur apud Hippocr. *l.* 2. *Ep. ſ. II.* 13. *l. de humor. XI.* 1. Explicarunt Gal. *in Exeg. dict. Hipp.* item *com.* 3. *de Hum.* Ægin. *l.* 4. *c.* 24. Aët. *l.* 2. *tetrab.* 4. *c.* 63. Foëſ. *Oecon. pag.* 615. 616. M. Aur. Severin. *l. de Epinyctid. P. II. controv.* 3. Aliquando & per Th. ſcribitur, v. g. apud Lind. *in d. Hipp. loc. de Humor.* Caſtell. Cauſa horum tuberculorum nulla alia eſſe poterit, quam ſtagnatio portionum ſeroſarum putreſcentium, cum acerbitate aliqua atrabiliaria, & indurativa, unde haud inepte inter Symptomata Scorbuti, ut & Luis Venereæ referri poſſunt ac debent, licet in ſpecie Autores de Scorbuto nullam feciſſe mentionem, quod mirum, notaverim. Arab. dicuntur *Albotin*, vel *Albotis.* Fallop. *l. de morb. Gall. c.* 5. *Tom. I. p.* 686.

TERMINUS, τέρας, τέλος, quid ſignificet, notum eſt. Videlicet extremum, in quo aliquid deſinit. *Terminare*, τελευτᾶν, legitur apud Galen. *c.* 3. *de art. t.* 33. Morbi *terminari* dicuntur, vel ad ſalutem, vel ad mortem. An *Terminus vitæ* à Deo præfixus Medicinæ uſum excludat, egregie ventilavit C. Rejes *C. El. q.* 18.

TERNA, idem, quod *Impetigo*, *Mentagra.* Fallop. *de Ulcer. c.* 25. *Tom. I. Oper. p.* 615.

TERNARIUS, τριὰς, numerus in Medicina etiam ad ſuperſtitionem uſque myſticus, ita, ut non ſolum Hippocr. *tres* corporis noſtri ſubſtantias ſtatuerit, continentes, contentas, & impetum facientes; & poſteriores Medici *tres* res ſecundum & præter naturam conſtituerint; ſed & Chymici Paracelſum ſequentes *Tria* Principia excogitaverint: *Sulphur*, *Mercurium*, & *Salem*, quæ Moſen in capite ſecundo per *Sahab*, *Bdola*, & *Schoham* indicaſſe, vult Iohnſon. *l.* 2. ita, ut *Sahab*, aurum ſignificans ſit perfectiſſimus & abſolutiſſimus Mercurius: *Bdola* Margarita, ſeu Unio, optimus & præſtantiſſimus ſuccus, ſeu oleagineus, Sulphur denotans, & *Schoham* Lapis concretus craſſioris inter principia Salis concreti ſignaculum exiſtat. (quis non rideret vana hæc nugamenta?) Unde & *Ternarium numerum* conſummatiſſimum dixerunt, imo conſummationem omnis numeri, & patrem reliquorum, quemadmodum *binarius* mater parium & femininorum, *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 481. Imo, quod omnino deteſtandum, ſummum *Trinitatis* myſterium non verentur applicare omnibus rebus naturalibus, quemadmodum expreſſe legitur *d. l. p.* 454. Ea, quam in Divinitate colimus ſummo decore, atque fatemur, *Trinitas*, in unoquoque naturaliter producto rerum omnium, quæ creatæ ſunt ab eadem, illis, qui ſecreta naturæ perquirunt abditiſſima, ſui ſpeciem atque figuram ob oculos ponit. Ita in corpore humano *tria* ſunt, quæ requiruntur ad ejus ſanitatem conſervandam, vitæque longæ tuitionem, utpote *Sol*, *Jupiter* & *Luna* Phyſice-Spagyrica. O impiam confuſionem figmentorum Ethnicorum cum myſterio ſanctiſſimo *Trinitatis!* Tædet me plura allegare e dicto loco. Quid? quod ipſe Galen. improbaverit has circa numeros nugas, *libr.* 3. *de dieb. critic. c.* 11. vocans ψυχρολογίας, ἠλιθιότητες, λήρήματα. Nec hodieque exolevit ritus ſuperſtitioſus Chirurgaſtrorum, in deligationibus, ad ſectionem venæ inſtituendam, ad vulnera, ternarium obſervare, imprimendo ter faſciam, numerum; imo non deſunt etiam, qui veterum gentilium imitentur morem *ter* deſpuendi, vel in vulnera, vel in terram, vel quando urinam reddiderunt. Lege Keuch. *ad Sammon. p.* 235. Ita in uſu medicamentorum *ternarius* numerus obſervatus legitur apud Scribon. *n.* 58. 71. 159. Vide & Rhod. *ad eund. n.* 71. Cæterum quod *ternarius* numerus etiam in morbis, v. g. febre tertiana, & in conatibus naturæ Criticis pro morborum ſolutione obſervetur, illud non fit propter aliquam myſticam & peculiarem numeri illius virtutem & efficaciam; ſed dependet unice à materiæ turgeſcentia intra illud temporis ſpatium collecta. Unde etiam ſæpe contingit, ut terminus ille, interveniente aliquo obſtaculo, vel anticipetur, vel prorogetur.

TERNIABIN, *Tereniabin.* Vide *Manna.*

TERNIO, *Ternus.* Vide *Ternarius.*

TERPNOS, τερπνὸς, ſignificat *Gratum*, ſuave, *delectabile.* In ſpecie τερπνὸν nomen eſt medicamenti compoſiti, quod deſcribitur ab Aëtio *l.* 6. *c.* 91. citante Gorræo.

TERRA, γαῖα, γῆ. Vide *Ge.*

TERREUS, *Terrenus*, *Terreſtris*, γαιώδης. Vide *Gaodes.*

TERRELATI,

TERRELATI, ſunt ſpiritus corporei, in terra degentes. Dorn. Rul. & Iohnſ.

TERRICLA, χάραξ, *ſudis*, *Redica*, ſic dicta, quod terreant hoſtes, aut beſtias ingreſſuras. Linden. *Ex. XI.* §. 75.

TERRIFICATIO, legitur apud Caſp. Cramerum *Colleg. Chym. Diſſert. I. c.* 4. §. 3. quando nimirum in fermentationis actu portiones terreſtres coëunt & concreſcunt.

TERROR, φόβος, affectus eſt, & animi perturbatio fortior, *timori* affinis, & ejus quaſi exceſſus. Pertinet inter res non naturales, & fit aliquando cauſſa morborum, præſertim lipothymiæ, epilepſiæ, imo & mortis, procatarctica; aliquando vero ſalutaris, & vice remedii prodeſt. Utrumque docuit Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 2. *ſ.* 3. *c.* 105. *& l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 12. Jung. C. Hofm. *Inſt. Med. l.* 5. *c.* 39. §. 1. In ſpecie *terrorem* præcordia afficere, & omnem eſuriem tollere, vult Helmont. *tr. Jus Duumvir. n.* 25. Eſt etiam occaſio peſtis *Terror.* Idem in Tumulo peſtis.

TERSOMÆ, τέρσωμαι, ſignificat apud Hipp. *ſiccor*, idem, quod ξηραίνομαι, *l.* 1. *de morb. mul. XXIII.* 5.

TERTHRON, τέρθρον, proprie dicitur *artemo* & funis, quo utrinque velum trahitur, antennæ ſummum extremumque jugum, & ita ad rem nauticam pertinet. Ab Hippocr. vero ſumitur vel pro ſummo & *extremo morbi* ex mente Foëſii; vel pro *ſoliditate* morbi, uti reddidit Linden. *in verſ. Lat.* Locus eſt *l.* 2. *de morb. mul. XVII.* 2. Jung. Foëſ. *p.* 615.

TERTIANA, τριταῖος, vocatur febris, quæ de tertio in tertium exacerbatur, eſtque vel *Intermittens*, in qua integra dies intermedia eſt libera ab omni febrili efferveſcentia; vel *continua*, ubi quidem nulla intermiſſio, ſed continuus animadvertitur fervor, nihilominus ejus vehementia major de tertio in tertium ſentitur. Cauſſa utriusque conſiſtit in ſanguinis bilioſi, hoc eſt, ſulphureo-ſalinis portionibus ſcatentis efferveſcentia & fermentatione p. n. Intermittentis quidem, ob fermentum crudum extraneum ſucci nutricii corrupti accedentis. Continuæ vero, ob copiam ſulphurearum portionum à cauſſa quadam externa ad accenſionem & agitationem irritatarum. Dividitur in *Legitimam*, & *Spuriam*. *Febris Tertianæ* utriusque veram ideam deſcripſerunt, ex recentioribus, Willis *de febribus cap.* 4. Sylvius *Prax. Med. libr.* 1. *c.* 30. 31. Piens *de febr. Tract. ſpec. cap.* 6. *&* 11. quamvis non in omnibus conſentiant, quæ tamen fortaſſis facile conciliari poſſent. Non inconcinne etiam de hoc argumento ſcripſit nuperrime D. D. Dolæus *in Encyclopæd. l.* 4. Febrium in genere eſſentiam & rationem formalem in turbata ſanguinis mixtione conſiſtere ſtatuens, & poſtmodo ſingulis primariis ſpeciebus, ita etiam Tertianæ, applicans. *c.* 8. Quales ſententias & hypotheſes poſt dictos autores alii adhuc recentiores de hac febris ſpecie & reliquis foverint & propoſuerint, quos inter nobis arridet D. D. Chriſt. Gunth. Schelhammeri *Tract. de Febrium curatione*, non eſt noſtri inſtituti, nec loci ratio concedit, prolixius examinare. Jung. & D. D. Stahlius *in ſuis Diſſertationibus.*

Caſtelli Lexic. Med.

TERTIUM Chymicis dicitur medium inter duo extrema, & eſt medium inter durum & molle, eſt quoque medium conjungendi Tincturas, & intelligitur *Sal*, quod merito dicitur medium inter corpus & ſpiritum, *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 96. *ſeq.* Alias & Chymicis *Sal Tertium* eſt, quod *Salſum* dicitur & *Enixum* ex alcali & acido junctis reſultans. Vide *Enixum*, *Salſum.*

TERTIUS, τρίτος, quid ſignificet, jam ante conſtat. In Medicina uſitata eſt phraſis *ad tertias*, vel ad *duas tertias* decoquere, & vel indicatur decoctio tanta, ut reſidua maneat una tertia pars liquoris, vel quod uſitatius videtur, ut una ſaltem tertia pars decoquendo conſumatur. Vide Rhod. *in Lexic. Scribon. p.* 451.

TESSA eſt vocabulum plane obſcurum noviſſime à D. Helwigio, quantum nobis quidem conſtat, *in Introitu ſuo in Phyſicam inauditam* in lucem productum; Si juxta nonnullorum opinionem Arabica vox eſt, ſignificat *Occultavit*, *ſpoliavit*, privavit, &c. D. D. Matthias Schefferus exiſtimat eſſe nomen Caballiſticum, cujus literæ ſingularem contineant ſenſum. Significare vero Sal Aſtrale, ſeu Aëris eſſentiam, & eſſe idem cum Mercurio, Chalybe, Fœmina, Aquila, Columba &c. Attrahi vero per Magnetem, id eſt, Sal centrale, cujus modus in literis hujus vocabuli Caballiſtice continetur, *in epiſt. defenſor. introitus Helvvigian. pag.* 21. *ſeqq.* Enimvero an non hic rurſus ad hæc ænigmata licebit exclamare: Nihil apprehende, & fortiter tene! vel cum Carneade, in Rob. Boyle *Chymiſta ſceptico* ſciſcitari; In Diſquiſitionibus ejuſmodi ſpeculativis, ubi ad nudam veritatis cognitionem primario collimamus, quid, quæſo, ille me docet gratiis dignum, qui ſi poteſt, conceptum ſuum mihi non reddit intelligibilem, ſed terminis Myſticis, phraſibusque ambiguis obſcurat, quod dilucidare debebat?

TESSARACONTA, τεσσαράκοντα, *Quadraginta.* Vide *Quadrageſimus.*

TESSARES, *Teſſara*, τέσσαρες, τέσσαρα. Vide *Quatuor.*

TESTA æquivocum eſt apud Latinos. 1. ſignificat *vas figulinum*: deinde & ob ſimilem duritiem *cruſtam* animalium *aquatilium*: utrumque dicitur Græc. ὄστρακον, vide *Oſtracon.* Unde & *Teſtacea animalia* vocantur ὀστρακόδερμα. Vide *Oſtracodermon.* Tertio *Teſta* dicitur *rotunditas capitis humani*, Keuchen. *ad Sammon. p.* 92. Gr. πόλος, κορυφή. Hinc & Paracelſus generaliter pro globo cœli & terræ ſumſit, *l. de caduco matric.* Denique *Teſta* corporis humani *pellis* eſt. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TESTAMENTUM, διαθήκη, terminus Juridicus, proprie denotans *diſpoſitionem facultatum* ſuarum omnium, Galen. *libr. de cogn. & cur. omn. anim. peccat. cap.* 5. Tranſlatum vero à Spagyricis ad Hierogly-

 phica,

phica, vel myſtica, aut ænigmatica ſcripta potiſſimum de *Lapide Philoſophorum*, v. g. Arnoldi Villanovani *Teſtamentum*, Gallico primum idiomate deſcriptum, poſtea in Latinum tranſlatum, quod legitur *in Th. Chym. Vol. I. pag.* 783. *& Vol. IV. p.* 446. *ſeq.* Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *cap.* 2. Nicolai Melchioris Cibinenſis Tranſilvani *Teſtamentum Artis*, quod extat apud Libav. *Tom. II. Oper. p.* 350. Fr. Baſilii Valentini *Teſtamentum ultimum* vernacula lingua ſcriptum, Argentorati 1667. typis excuſum. Hadr. à Mynſicht *Teſtamentum metricum* ſcriptis ejus additum, &c.

TESTICULI, *Teſtes*, ὄρχεις, δίδυμοι. Vide *Didymi*, *Orcheis*, *Ovarium*.

TESTIMONIUM, μαρτύριον, quid ſignificet, notum eſt. Proprie alterius quoque affirmationem ejus, quod alius ſtatuerat. Hinc Gal. dicit alicubi, ex *teſtimonio* veritatem dogmatum æſtimari, *l. quod an. mot. ſeq. temp. corp.* 5. Sumitur vero ab Hipp. etiam μαρτύριον, *teſtimonium*, pro ſigno, 2. *de art. t.* 31. Gal. *in comm. ad h. l.*

TESTUDINATUM, αἰέτωμα. Vide *Aetoma*.

TESTUDO æquivocum eſt, χελώνη. Vide *Chelone*, *Camara*, *Talpa*. *Teſtudo* quoque dicitur *ſpuma maris*, item *Limax*, anacium album & rubeum. Rul. & Iohnſ.

TETAGMENOS, τεταγμένος. Vide *Ordinatus*.

TETANOS, τέτανος, accipitur aliquando late pro omni *Convulſione* & rigiditate corporis, vel membrorum. Proprie vero & ſtricte ita dicitur ſpecies *Convulſionis* graviſſima, quando totum corpus erectum & rigidum manet ſine motu, ſicut lignum, aut trabs, Dieter. *n.* 825. Vide *Convulſio*, Gal. 4. *aphor.* 57. De *Tetano* alias agitur apud Hipp. *l.* 3. *de morb. XIII.* 1. *ſeqq. l. de int. affect. LIX.* 1. *ſeqq. l. de dieb. judic. V.* 1. *ſeqq.* Jun. Foëſ. *p.* 616.

TETANOTHRA, *Tetanomata*, τετανώθρα, vel τετανώματα, vocantur medicamenta *erugatoria*, ſive, quæ rugas emendant. Gorr.

TETARTÆOS, τεταρταῖος. Vide *Quartana*.

TETARTEMORION, τεταρτημόριον. Vide *Quadrans*.

TETARTOS, τέταρτος. Vide *Quartus*.

TETHALASSOMENOS, τεθαλασσωμένος, idem, quod θαλασσίτης, marinus. Epitheton *vini aqua marina mixti*, cui opponitur οἶνος ἀθάλασσος, cui non eſt admixta aqua marina. Illius meminit Galen. 4. *de R. V. I. A. t.* 1. *& l.* 4. *de ſan. tu. cap.* 4. Hujus vero *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. Vide Foëſ. *p.* 448.

TETHELOS, τεθηλὸς, dicitur Hipp. *mollis*, laxus. Uſurpatur de figuris, *l. de vet. med. XXXIX.* 16. rectius tamen *floridum* ſignificat, *ibid. XLI.* 9. à θάλλω, *floreo*. Vide Foëſ. *p.* 266.

TETHRENIODES, τενθρηνιώδης. Vide *Tenthreniodes*.

TETHYION, τήθυον, dicitur *Zoophyton ruber*, cujus deſcriptionem pleniorem vide cum uſu in cibis & Medicina apud Aldrov. *de Zoophyt. l.* 4. *c.* 5. Chiocc. *Muſ. Calc. ſect. I. p.* 87.

TETOCYIA, τετοκυῖα, Latine *Puerpera*, quæ jam peperit, Hippocr. 5. *aphor.* 39. Junge Dieter. *n.* 828.

TETRADRACHMON, τετράδραχμον, *pondus quatuor drachmarum*, h. e. *uncia dimidia*, quæ & *Stater* dicitur, Gal. *de pond. & menſur.* Vide *Stater*.

TETRAGNATHUS, τετράγναθος, ſpecies eſt juxta Aëtium *Phalangii*, vel aranei ſubalbida, pedes ſcabros habens, & juxta caput eminentias duas: unam rectam, alteram latam, ut exiſtimes, eum ora habere duo, maxillas quatuor, & lineam per os æqualem. Ejus venenum Scorpii veneno ſimile, Foreſt. *l.* 30. *Obſerv.* 12. *Schol.*

TETRAGONON, τετράγωνον. Vide *Quadrangulum*. Τετράγωνον alias apud Hippocr. vocatur medicamentum, quod caput purgat, *l. de int. aff. XLIIX.* 14. *& LII.* 18. per quod nonnulli intelligunt vel ipſum Stibium, vel Cruſtas, quæ circa illud reperiuntur, Foëſ. *p.* 616. Rhod. *ad Scribon. n.* 23.

TETRAMOS, τέτραμος, idem, quod τρόμος, *Tremor*. Erot. *in Onom. p.* 113. *b.*

TETRAMYRON, τετράμυρον, i. e. *quatuor unguentis confectum*, vocatur *Acopum* linimentum, cujus deſcriptio & vires habentur apud Galen. *l.* 7. *de C. M. P. G. c.* 12.

TETRAO, τέτριξ, ὄρταξ, nomen avis montanæ majoris, quæ Latinis *Urogallus* dicitur, cujus deſcriptio videatur cum uſu apud Aldrov. *l.* 13. *Ornithol. c.* 6. ubi ſimul demonſtrat, non eſſe eandem avem cum Otide.

TETRAPHARMACON, τετραφάρμακον, in genere dicitur medicamentum compoſitum ex quatuor ſimplicibus. Tribuitur vero diverſis compoſitionibus, v. g. *Emplaſtro*, quod alias βασιλικὸν vocatur, Gal. *adv. Lyc. c.* 7. *l.* 1. *de S. Fac.* §. *Pinguedo*, *Stear*. Vide Rhod. *ad Scrib. n.* 211. & ſupra in *Baſilicum*. Deinde & *Antidotus* ita vocatur, quæ alias μυστήριον dicitur, & in officinis *Theriaca Diateſſaron*; vide *Myſterion*. Denique & nomen cibi cujuſdam eſt *Tetrapharmacon* apud Spartianum in Adriano, conſtantis ex faſiano, ſumine, perna, & cruſtula, allegante Rhod. *d. l.* Meminit & Paracelſ. *Tetrapharmaci l. de Icteritiis c.* 3. & videtur intellexiſſe Antidotum.

TETROBOLON, τετρώβολον, *pondus quatuor obolorum*, h. e. ſcrupuli duo. *Gramma* enim in duos obolos dividitur. Gorr.

TETROROS, τέτρωρος, Latine *Quatrio*. Veſal. *l.* 1. *de H. C. F. c.* 33. dicitur ab Oribaſio & Ruffo *pars Aſtragali* vel tali ſuperior & ſurſum vergens. Gal. *de Oſſib. c.* 24. vel juxta Ingraſſiam *c.* 23. cujus commentarium *vide p.* 264. *ſeq.* quamvis & totus *aſtragalus* ita aliquando dicatur à quatuor lateribus, dextro, ſiniſtro, anteriore & poſteriore. Gorr.

TETTIGOMETRA, τεττιγομήτρα, dicitur fœtus

c

e terra cadens, e quo exit cicada. Aldrovand. *de Inſect. libr.* 2. *c.* 13.

TETTIX, τέττιξ. Vide *Cicada.*

TEUCHOS, τεῦχος, duplicem apud Hipp. habet ſignificationem: 1. ita dicitur *totum corpus l. 6. Epid. ſ. II. t.* 4. Galen. *in comm. ad h. l.* 2. notat *vaſculum*, *l. de ſterili*, *XII.* 25. 26. *l. de loc. in hom. II.* 6. *XXXVI.* 7. & plenius explicat Erotianus, quod ſit vas auditorium carne & nervo cinctum.

TEUTHIS, τευθὶς. Vide *Loligo.*

TEUTLOPHACE, τευτλοφακῆ, nomen cibi alicujus conſtantis ex *beta* & *lente*, à τεῦτλον, *beta*, & φακῆ, *lens*. Id edulii genus Heraclidem Tarentinum non modo ſanis, ſed & ægrotantibus dediſſe ſcribit Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 18. *fin.* Gorr.

TEXTURA, proprie ὕφανσις, ad opificium pertinet, quod *ars Textoria* dicitur, de qua & Gal. *l. ad Thraſybul. cap.* 16. & 21. Per tranſlationem vero Latine etiam uſurpatur de *organica ſtructura corporis*, & partium, & reſpondet Græco κατάστασις, κατασκευὴ, Galen. 2. *aph.* 28. & *c. de R. V. I. A. t.* 47.

TH, θ. ϑ. Θ. ſignum eſt & nota *mortis*, θανάτου, apud Hipp. *in libris Epidem.* notante Gal. *com.* 1. *in l.* 3. *t.* 13. & *alibi*, quemadmodum Τ. ſignum ſanitatis, *ibid.*

THACOS, θᾶκος, *ſedile*, ſedes, idem, quod θῶκος. Legitur apud Hipp. *l.* 7. *Epid. XXVI.* 22.

THAIS, θαὶς, duo ſignificat: I. *Ceratum Coſmeticum*, quo faciei rubor conciliatur, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 3. *c.* 25. II. *Vinculi genus*, quod capiti adhibetur, ubi ſummum caput & quod inter ipſum frontemque eſt, vincire convenit. Ejus tres ſpecies recenſet Galen. *l. de faſciis n.* 9. 10. 13.

THALAME, θαλάμη, dicitur *cubile*, & piſcium latibulum, *forulus*, pe ˑetrale. Legitur apud Hippocr. *de Arte XIX.* 9. Vide Foëſ. *Oecum. p.* 265.

THALAMUS, θάλαμος, præter vulgarem & propriam ſignificationem ex aliis Lexicis petendam tropice Galenus vocavit *l. XVI. de V. P. c.* 3. locum illum, e quo nervi optici egrediuntur, quem locum Bartholin. *Libell. III. Anatom. c.* 2. *p.* 672. magnas cerebri eminentias vocavit cum Riolano. D. G. Bidloo vero *Thalamos* opticos nominare non dubitavit, *Anat. Tab. IX.* & *X.*

THALASSERON, θαλασσηρὸν, dicitur *Collyrium Hermophili*, accommodum ſuffuſionibus & hebetudini viſus, cujus deſcriptio habetur apud Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. Ægin. *l.* 7. *c.* 16.

THALASSITES, θαλασσίτης, idem, quod τεθαλασσωμένος. Vide *Tethalaſſomenos.*

THALASSOMELI, θαλασσόμελι, dicitur medicamentum compoſitum ex aqueis portionibus aquæ marinæ, mellis, & aquæ pluviæ defecatis, & in picato vaſe per dies caniculares inſolatis, vim habens purgatoriam. Gorr. e Dioſc. *l.* 5. *c.* 20. Jung. Keuchen. *ad Samonic. p.* 201.

THALEROS, θαλερὸς, i e. *floridus*, à θάλλω, *floreo*, dicitur de ſpiritu vegeto magno & concitato; Gal. *c.* 2. *in* 1. *Prorrhet t.*4. & 60. quamvis in textu Hipp. legatur θολερὸν, de quo infra in *Tholeros.* In *exegeſi* autem Hipp. θαλερὸν πνεῦμα exponit Galenus per calidum inſtar ſolis, atque derivat vocem à θέρεσθαι, calefacere.

THALLIA, & *Thallos*, θαλλία, θαλλὸς, dicitur *germen* omne, ſed præcipue *olivæ*. Ægin. *l.*3.*c.*66 Gorræus. Rhodius expoſuit per *ramum olivæ*, ex quo diebus feſtis coronæ texebantur, *ad Scribon. n.* 142.

THALPOS, θάλπος, idem, quod θερμότης, *Calor, æſtus*. Legitur apud Hippocr. 3. *aphor.* 1. & 5. à θάλπω, foveo, calefacio. Jung. Dieter. *n.* 383.

THALPSIS, θάλψις, *fotum*, *fomentum* ſignificat. Legitur apud Moſch. *l. de morb. mul. c.* 126.

THAMATICA, pro *Thaumatica*, ars dicitur, per quam inveniuntur machinæ, quæ vel aëre, vel aquis impelluntur, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

THAMES, *Thaminos*, θαμὴς, θαμινὸς, *frequens*, & adverb. θαμέως, *frequenter*. Sæpe occurrit apud Hipp. *l.*2. *de morb. mul. LIII.* 4. *l. de fiſtul. III.* 1. *l. de ſuperfœt. X.* 11. & *alibi* notante Foëſ. *p.* 266. *ſeq.*

THAMNA, θάμνα, idem quod *Lora*, vinum à vinaceis aqua maceratis factum. Vide *Lora.* Lind. *Ex. X.* §. 200.

THANASIMOS, *Thanatodes*, θανάσιμος, θανατώδης. Vide *Lethalis.*

THANATOS, θάνατος. Vide *Mors.*

THAPHNEUS eſt *medicina mundata & repurgata.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

THAUMA, θαῦμα, in genere *Miraculum* ſignificat. Vide *Miraculum.* Specialiter ſumitur pro *machinis* αὐτομάτοις, mechanicis, qualibus utuntur hiſtriones etiam in ludis. Tandem & pro ipſis *præſtigiis* accipitur: unde θαυματουργοὶ ἢ θαυματοποιοὶ, qui talia opera ſeria, jocoſa, impudica, pudica, exercebant & oſtendebant in circulis otioſorum hominum, quæſtus cauſſa. C. Hofm. *comm. in Gal. LL. de V. P. num.* 979.

THECA, θήκη, vocatur *Receptaculum*, in quo aliquid aſſervatur. Ita *Theca inſtrumentorum Chirurgicorum* deſcribitur ab Hildan. *in Ciſta militari Claſſ.* 19. ſine quali nunquam accedere debet ægros Chirurgus, quod laud. Autor etiam ipſe obſervavit. Joh. Rhodius etiam ex Martiali probare conatur *Thecam* accipi pro Fibulæ ſpecie, pudendis non ſolum libidini, verum etiam verecundiæ conſulendo uſurpata. *Diſſert. de Acia p.* 88.

THEE eſt nomen plantæ Japonicæ & Chinenſis, hodieque etiam apud nos uſitatæ, & magnopere commendatæ, de cujus hiſtoria & uſu vide Schroder. *in Append. p.* 8. *ſeqq.* & Fr. Hofmann. *in Clav. ad l.* 4. *ſ.* 1. *num.* 348. *ſeqq.* Licet vero utilitas inſignis negari non debeat, attamen an non excedatur in encomio uſus hujus plantæ, ob novitatis pruritum, aliis judi-

judicandum relinquimus. Videatur & Cl. D. Pechlini Archiatri Cimbriæ Ducis *Dialogus inſcriptus Theophilus Bibaculus, ſive de Potu Theæ*, & multa aliorum neotericorum, qua Latina qua vernacula ſcripta. Mirandum etiam, quod licet variæ fallaciæ jam detectæ ſint circa illius herbæ collectionem, & adulterationem, nihilominus ſint, qui ejus uſu non abſtineant.

THEETRICOS, θεητρικὸς, proprie *ſpectabilis* dicitur, h. e. *ad oſtentationem* & ſpectaculum *factus*. Uſurpatur ab Hippocr. de deligationibus concinnis & ad oſtentationem ſaltem paratis, quæ nihil juvant, *l. de Medico IV.* 8.

THEILOPEDON, θειλόπεδον, dicebatur *locus*, ubi *inſolantur* & exiccantur uvæ. Hinc θειλοπεδευθεῖσα σταφυλὴ, *uva inſolata* dicitur. Linden. *Ex. X.* §. 92. Gorr. ſcripſit θηλόπεδον.

THEION, θεῖον, duabus gaudet ſignificationibus. Significat enim & *Divinum* & *Sulphur*, de quibus Latinis vocabulis jam dictum ſub ſuis literis initialibus. Vide *Divinum. Sulphur.*

THELE, θήλη. Vide *Papilla. Mamma.*

THELEMA, θέλημα. Vide *Voluntas.*

THELOPEDON, θηλόπεδον. Vide *Theilopedon.*

THEMON, θημὼν, idem, quod σωρὸς, vocatur *acervus* & *cumulus*, v. g. frumenti, tritici, Gal. *in Ex. voc. Hipp.* Foëſ. p. 269. Gorr.

THENAR, θέναρ, accipitur late, ſtricte & ſtrictiſſime: Late pro cavitate omni interiori manuum & pedum; quarum illa dicitur alias *Vola*; hæc vero *Planta*; ſuntque carnoſæ portiones ſub digitis manuum & pedum. Quod enim etiam de plantis *pedum* uſurpetur, patet ex Hippocr. *l. 2. de morb. mul. IX.* 19. Stricte pro *vola manus* tantum, ſive palma, h. e. parte manus interna eminente & carnoſa à digitis uſque ad carpum protenſa, qua percutere ſolemus, à θένειν percutere. Gal. *c.* 1. *de fract. t.* 20. Strictiſſime θέναρ, dicitur Ruffo *ſpacium carnoſum inter pollicem & indicem*, ſub quo manus cavitas ſita eſt; ὑπόθεναρ vero, quod reliquis quatuor digitis ſubtenditur. Foëſ. p. 267. *ſeq.* Linden. *Med. Phyſiol. l. 2. c.* 14. §. 85. Muſculus etiam unus ex abducentibus pollicem vocatur θέναρ, Barthol. *l. 4. An. c. 9. p.* 579.

THEODORETOS, θεοδώρητος, *Antidotus* vocatur, quæ alias διακαρδίων appellatur, ad frigidas capitis affectiones, cujus deſcriptio legitur apud Æginet. *l.* 1. *c.* 11. & Aet. *l.* 13. citante Gorr. Meminit & Foreſt. *l.* 21. *O.* 12. *Schol.*

THEODORICON, epitheton eſt medicamentorum *in Antidotario Nicolai* apud Meſuen *in operib. fol.* 393. *b. c. & f.* quorum unum dicitur *Theodoricon* Hyperichon, quaſi à Deo datum & expertum (uti in textu exponitur) & valde commendatur contra affectus capitis, hemicraniam, vertiginem &c. Alterum *Theodoricon* anacardinum ab Anacardiis ingredientibus, & pariter pro memoria corroboranda laudatum fuit.

THEODOTIA, θεοδότια, vocantur diverſa *Collyria*, ab Autore *Theodoto* inventa & excogitata, ad diverſas oculorum affectiones, quorum deſcriptiones habentur apud Aet. *l.* 7. allegante Gorræo & Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Meminit & in genere Gal. *l. Introduct. c.* 14. *circa fin.*

THEOPEMPTOS, θεόπεμπτος, h. e. à *Deo miſſa*, ſcil. *Antidotus*. Quo epitheto exornata legitur *Tinctura* quædam *Antimonii*, cujus deſcriptio habetur apud Schroder. *l.* 3. *c.* 17. quamvis neque hæc, neque reliquæ pompoſis ibidem & hyperbolicis titulis inſcriptæ magis aliquid habeant in receſſu, quam Tinctura vulgaris Antimonii, D. Ludovic. *Diſſert. I. Pharm. p.* 335.

THEOPHILION, θεοφίλιον, vocatur *Collyrium* τραχωματικὸν, & deſcribitur apud Aet. *lib.* 7. allegante Gorræo.

THEOPHRASTICI, iidem, qui Paracelſiſtæ dicuntur, *Paracelſi ſectatores*. Vide *Paracelſus.*

THEOREMA, θεώρημα, idem in genere, quod ἀξίωμα, *ſententia*, aphoriſmus. Vide *Aphoriſmus. Speculatio.*

THEORETICA, *Theorica*, θεωρικὴ, θεωρητικὴ. Vide *Speculativa. Practica.*

THEORETOS, θεωρητὸς, *Contemplabilis*, ſpectabilis; vel conſideratione & obſervatione dignus. Dicitur de diebus Medicis ſive Criticis, ſive Criſin antecedentibus, quales ſunt *Indices*, ἐπίδηλοι. Hippocr. 2. *aph.* 24. Gal. *in comm. ad h. l.* Dieter. *n.* 391.

THEOROS, θεωρὸς, vocatur Hippocr. qui oraculorum conſulendorum cauſſa ad Deos mittebatur, notante Erotian. *Onom. p.* 53. *e.* Foeſ. *p.* 269.

THEOS, θεὸς, Latine *DEUS*. Vide *Deus, Dii.*

THERÆUS, θηραῖος, epitheton certum vini alicujus, quod in Creta inſula naſcebatur, dulce, nigrum, craſſumque & citra adſtrictionem. Meminit ejuſdem Galen. *de bon. & mal. ſucc. c.* 11. & *l.* 4. *de S. Fac.* 8. Jung. Gorræus.

THERAPEIA, θεραπεία, Lat. *Curatio*, *Medela*, *auxilium*. Hipp. 1. *aph.* 6. de quibus vocabulis vide ſuis in literis. Complecti vero & curam veram, h. e. qua morbus revera profligatur; & palliativam, ubi ſaltem ejuſdem vehementia mulcetur, teſtatur Gal. 6. *aph.* 38. & confirmat Linden. *Ex. XII.* §. 93. Adde Foeſ. *p.* 268. Deſcendit vero à verbo θεραπεύω, *curo*, medeor, miniſtro, quod legitur 6. *aph.* 38. Eſtque valde emphaticum verbum, exprimens illud axioma Hippocraticum: Medicum, dum *curat*, eſſe & debere eſſe ſaltem naturæ *miniſtrum*. Unde & θεραπεύοντες, Hippocr. dicuntur *miniſtri*, qui ea, quæ ad curationem neceſſaria ſunt, adminiſtrant. 3. *de R. V. I. A. t.* 44. Adde Foeſ. *dict. loc.*

THERAPEUTICE, θεραπευτικὴ, vocatur pars Medicinæ *Curatoria*, Methodus Medendi. Vide *Curatoria Methodus.*

THERENOS, θηρῆνος, epitheton *vini Aſiatici dulcis*,

dulcis, ſimul atque pallidi, uti ſcribit Gal. *l.* 5. *de ſan. tu. cap.* 5. Gorræus vero fortaſſis mendoſe θήειvos poſuit *in deſinit.*

THERIACA, θηριακὰ, dicuntur medicamenta, quæ *ferarum morſibus* medentur, Gal. *c.* 6. *in l.* 6. *Ep. t.* 5. *circa fin.* Duplicia vero ſtatuiſſe Nicandrum, docet Gorr. quorum alia animalium morſus præcavent, ſive illitu, ſive ſuffitu, ſive inſtratu; alia, quæ morſum jam inflictum curant, & innoxium reddunt. *Theriaca*, θηριακὴ, vocatur in ſpecie *Antidotus* efficaciſſima ad venena omnia, imprimis vero ad morſus viperarum, cum θηρίον viperam κατ᾽ ἐξοχὴν ſignificet. Vel etiam ita dicta eſt illa compoſitio, quæ *Andromachi* habetur, quod carnes viperarum recipiat. Tranſlatum tamen vocabulum poſtea ad alias quoque *Antidotos*, quamvis non recipiant carnes viperarum, quales fuerunt Ælii Galli, Antiochi Philometoris, Euclidis, Zenonis &c. & hodieque adhuc *Theriaca Diateſſaron*, *in Offic.* De hujuſmodi compoſitionibus vide Gal. libros *de Antidotis*, de *Theriaca* ad Piſonem, & ad Pamphilianum. Junge Rhod. *ad Scrib. n.* 165. In ſpecie de *Theriaca Calceolaria* Chiocc. *in Muſ. ſ. VI. p.* 704. & alios v. g. Marantam de *Theriaca*, Sylvaticum, Bonſinium, Jul. Alex. *h. tit.* Videantur & Diſpenſatoria, Norimbergenſe, Auguſtanum, item Pharmacopœa Collegii Londinenſis &c. Chymici cum viderent fortaſſis intricatiſſimam ſimplicium & inconcinnam miſturam *Theriacarum*, præſertim Andromachi, conſulere voluerunt artificioſa extractione, hinc ortæ ſunt *Theriaca cœleſtis*, *Eſſentia* vel *Extractum Theriacæ* &c. de quibus videatur Schroder. *l.* 2. *c.* 57. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Tucken *Chymic. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1. *cap.* 5. *p.* 499. *ſeqq.* Iohnſonus quoque ſcribit *Lex. l.* 2. *Theriacarum* varia genera Chymica & Galenica inveniri *in Pharmacopœa Spagyrica* Mylii *p.* 349. *ſeqq.* Tranſlatum porro *Theriacæ* vocabulum ad *medicamenta Mercurialia*, v. g. Sublimatum, Corallinum album &c. legitur, & quidem hyperbolice vocando *Theriacam Theriacarum*, apud Libav. *Apocalypſ. Hermet. part. prior. c.* 6. Verum ne permittant ſibi imponi ab hujuſmodi laudibus hyperbolicis Medici Juniores, cum uſus horum ſit ſuſpectus, imo periculi pleniſſimus. In Lapide quoque Philoſophorum & *Theriacam* & venenum latere, docetur *in Theatr. Chym. Vol. V. p.* 631. *ſeqq.* ubi tamen mendoſe ob ignorantiam Græcæ linguæ Spagyricis maxime familiarem *Thyriaca* legitur.

THERINOS, θερινὸς, i. e. *æſtivus.* Ita θερινὴ ὥρα legitur, h. e. *æſtivum* tempus, apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 1. θερινοὶ πυρετοὶ, febres *aſtivæ*, 2. *aph* 25. Vide *Æſtas.* Dieter. *n.* 387. Vocatur & Collyrium *Therinum*, i. e. *æſtivum*, *l.* 4. *de C. M. S. L. cap.* 7.

THERIODECTOS, θηριοδήκτης, hoc eſt, *à feris morſus.* Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 1.

THERIODES, θηριώδης. Vide *Ferinus.*

THERIOMA, θηρίωμα, idem, quod Hipp. θηρίον, ſignificat *ulcus teterrimum*, *ferinum & ſumme malignum*, cum ex ſe naſcens, tum alii morbo ſuperveniens, ut refert Celſus, colore lividum, nigrum, odore fœdum, multo mucoſo humore repletum, quod inflammatio, febris, prurigo & dolor comitatur, à quo ſanguis interdum fluit, ſerpit & exedit partes finitimas, atque ob id aliqui Herpetem exedentem nominant, *lib.* 5. *c.* 28. Quamvis alii ſint, qui θηρίωμα ad *ſola pulmonum ulcera* maligna reſtrinxerint, teſte Gal. *c.* 2. *in* 6. *Epid. t.* 24. Ita & Heurn. phthiſin vult appellari θηρίωμα, *l. de morb. pect. c.* 7. Cauſſa indubitato in ſanguinis ichoreſcentia cauſtica & putrefactione conſiſtit. Θηρίον vero pro tali ulcere ſumi apud Hipp. patet ex *l. de Loc. in hom. XLI.* 1. Jung. Foëſ. *p.* 270. Erotian. *Onom. p.* 109. *a.* Gorr. Caſteli.

THERION, θηρίον, proprie ſignificat *beſtiam*, *ferum animal;* quemadmodum & ſimplex θήρ. Vide *Fera.* Adde Linden. *Ex. XI.* §. 115. 119. In ſpecie etiam accipi pro *vermibus* & animalculis in inteſtinis natis, nonnulli Interpretes Hippocr. volunt, ita explicantes *Coac. text.* 285. 467. 468. *& l.* 6. *Epid. ſ. VII.* 55. Jung. Foëſ. *d. l.* Ionſton. vero duos textus poſteriores Coacos per ulcera ferina expoſuit, *in not. ad h. l.* ſiquidem p. a. ad *Theorioma* notavimus, credens Hipp. etiam *ulcera ſumme maligna* appellaſſe θηρία. Galenus *exegeſi Hipp.* duo hæc præcipue ſignificare apud Hippocratem monet, *vermes* & *ferina ulcera*, quæ oriri aſſerit, quando ichor diffluit & ſurſum deorſum partes putredine inficit, præterea vero etiam ipſam ad phthiſin habitudinem ita appellaſſe Hippocr. docet.

THERIOTOME, θηριοτομὴ, idem, quod ζωοτομὴ, vide *Zootome.*

THERMÆ, θερμαὶ, proprie vocantur *Aquæ actu calidæ minerales ſponte natæ*, h. e. quas Natura e liberali ſinu terræ magna Dei benedictione affatim ſuppeditat ad ſanitatem, qua tuendam, qua recuperandam, quarum uſus non ſolum eſt externus ad lavandum, ſed etiam quandoque internus ad potum, Gal. *l.* 6 *de ſan. tu. c.* 9. Dieter. *n.* 508. Quænam vera cauſſa ſit fervoris nativi *Thermarum*, pertinet inter intricatiſſima Naturæ occulta; licet plures fuerint, qui ingenia ſua in hac rimanda exacuerint, inter quos & Jul. Alex. *l.* 7. *Sal. c.* 4. Lang. *lib.* 2. *ep.* 52. Nobis placet opinio Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. l.* 3. *c.* 3. *p. m.* 145. non tam peculiari ſulphure accenſo, quam à continua lucta particularum inter ſe pugnantium dependere, ſtatuentis; quamvis duratio illa per ſecula annorum admiranda magis, quam rimanda ſit. Hiſtorias vero *Thermarum* cum uſu vero & abuſu plures propoſuerunt Autores. Sufficiat allegaſſe Baccium de *Thermis*, Tabernamont. in libell. Germanic. dicto *Theſaurus aquarum*, vulgo Waſſer-Schatz. Weker. *Antid. Spec. l.* 1. *ſect.* 3. Hildan. *de Thermis Leucenſibus & Piperinis.* Sommer. *de Carolin.* Rolfink. *O. & M. M. Spec. l.* 6. *ſ* 2. *c.* 2. De *Thermis*, Helvetiæ Joh. Jac. Wagnerus Hiſtor. Helvet.

Helvet. *Cur. ſect. III. art. 7. p.* 87. *ſeqq.* ut & de Balneis *art. 9 p.* 106. *ſeqq.*

THERMANTERION, θερμαντήριον, vocatur arula, vel foculus, qualibus in menſa ſolemus uti, ad recalefaciendos cibos à diuturniori mora refrigeratos. C. Hofm. *in Gal. LL. de V. P. n.* 210.

THERMANTICOS, θερμαντικὸς. Vide *Calefaciens.*

THERMASIA, θερμασία, idem, quod θερμότης, *Calor.* Legitur apud Hipp. 5. *aph* 63.

THERMASMA, θέρμασμα, ſignificat *fotum*, qui adhibetur per calefacientia, v. g. in pleuritide. Hipp. 2. *de R. V. I. A. t.* 1. *&* 2. Deſcendit à verbo θερμαίνω, *calefacio*, & θερμαίνομαι, *calefio*, quod frequenter occurrit apud Hipp. notante Foëſ. *p.* 268. Dieter. *n.* 388.

THERME, θέρμη, *calorem* notat *exceſſivum*, intemperatum, apud Hipp. unde & Gorræus non veritus eſt, per *febrem* exponere; quamvis nullam video neceſſitatem, ob quam omnis *calor excedens* ſtatim febris dici debeat. Legitur vocab. apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXVII.* 4. in quo loco quidem *febrilem calorem* notare connexio docet, & *l.* 5. *Epid. XXXV.* 8. ad quem locum vide Linden. *Ex. IV.* §. 53.

THERMEMERIA, θερμημερία, dicitur *tepor diurnus*, qualis eſſe ſolet tempore verno, Hipp. 1. *de nat. hum. t.* 33. Jung. Foëſ. *p.* 269.

THERMOCOELIOS, θερμοκοίλιος, vocatur Hipp. qui *intemperate calido præditus eſt ventriculo.* Legitur *l.* 6. *Epid. ſ. IV. t.* 25. Foëſ. *d. l.*

THERMOLE, θερμωλὴ, idem, quod θέρμη, & *calorem exceſſivum* notat. Hipp. *l. de L. I. Hom. XXXI.* 13. *XXXIIX.* 5. *XLIV.* 7. *&c.* Erotianus vero ſolam febrem, nunquam calorem in communi dici ab Hippocrate aſſerit θερμωλήν.

THERMOLOGISTA dicitur Georg. Thomſono *in Explicatione Terminorum Artis Acui Magneticæ præmiſſa* is, qui principaliter calidum tractat, neglectis proprietatibus eſſentialibus. Huic opponitur Pſychrologiſta, qui frigidum principaliter tractat. Utrumque adverſus Galenum ejusque ſectatores excogitatum fuit.

THERMOMETRUM, θερμόμετρον, eſt menſura caloris, tum cujusvis, tum caloris humani naturalis per pulſum dijudicanda. Plura de *Thermometris* variis videantur apud laudatiſſimum Dn. Sturmium *in Collegio Experimentali Curioſo ejusque Auctario*, loca quærantur in Indice.

THERMOPOLIUM, θερμοπωλεῖον, vocatur *taberna*, ubi confectæ dulcesque potiones veneunt, quas calidas bibere ſolitas ex Turnebo teſtatur Lind. *Ex. X.* §. 158. & hodieque potus Thee & Caffe in quibuſdam celebrioribus urbibus etiam Germaniæ ita venales habentur.

THERMOPOSIA, θερμοποσία, hoc eſt, *Aquæ calidæ potus*, in quo ſenſu uſus hoc vocabulo D. Pechlin. *l.* 1. *Obſ. Phyſ. Med. O.* 97. *p.* 178. contra Scorbuticam etſi valde variantem commendans, qua ſimplicis, qua medicatæ *aquæ calidæ potum.*

THERMOPRAGMATICUS, θερμοπραγματικὸς, idem eſt quod Thermologiſta, apud Thomſon.

THERMOS, θερμὸς, vide *Calidus.* Significat & *Lupinum*, ut eſt apud Galen. *l.* 6. *de S. Fac.* §. *Thermus*, quod pertinet ad Botanicos.

THERMOSCOPIUM, θερμοσκοπεῖον, fere idem ſignificat, quod Thermometrum, de quo p. a. Legitur *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1700. *m. Jul. p.* 316.

THERMOSPODIA, θερμοσποδία, h. e. *calidus cinis.* Legitur apud Dioſcorid. *l.* 2. *&* 5. alibique.

THEROLEXES, θηρολέξης, idem, quod ὀνοματοθήρας, *aucupator verborum* & dictionum, cujus omne ſtudium in vocularum obſervationibus & novationibus poſitum, Linden. *Ex. XVI.* §. 146.

THEROS, θέρος. Vide *Æſtas.*

THESAURINELLA *cœleſtis* dicitur Paracelſo *Necromantiæ ſpecies*, quæ occulta ſcripturæ rimari & intelligere docet, *l.* 2. *Philoſ. ſagac.*

THESAURUS, θησαυρὸς, quid proprie ſignificet, ex aliis Lexicis conſtare poteſt ac debet, videlicet *Divitias copioſas abſconditas*, vel occultas. Per translationem etiam aliis tribuitur. Ita Studium Veritatis & Philoſophiæ dicitur *Theſaurus* pretioſiſſimus, *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 238. Talis *Theſaurus* eſt in homine, non extra ipſum, *p.* 274. Ita Lapis Philoſophicus dicitur *Theſaurus*, Vol. IV. *p.* 786. *ſeq.* *Theſaurus aurei velleris*, Vol. V. *p.* 247. Adde Libav. *Tom. II Oper. p.* 189.

THESIS, θέσις, ſignificat *Poſitionem* partium corporis naturalem, vide *Situs*, quamvis Galen. quoque velit ſignificare *connexionem* cum proximis partibus, & reſpectum, *com.* 2. *de fract. t.* 8. Alias *Theſis* quoque *ſententiam* aliquam, quæ in arte etiam Medica fundamenti loco ponitur, ſignificare poteſt, uti ex Logicis patet.

THESPIANA, vel *Theſpeſiana*, θεσπιανὴ, ἢ θεσπεσιανὴ, vocatur Confectio quædam Apollonii, cujus deſcriptio habetur apud Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 3. Gorr.

THESSALICUS, θεσσαλικὸς, idem, quod *Methodicus*, ab autore *Theſſalo*, qui ſectam Methodicam primus introduxit. Vide *Methodicus.* Fuit vero Theſſalus Trallianus, ſub Neronis principatu Medicus arrogantiſſimus, ita ut rabie quadam incitatus cuncta majorum placita & Medicorum ſententias delere conatus ſit, teſte Plinio *l.* 29. *H. N. c.* 1. nec veritus vocare ſeſe ἰατρονίκην, h. e. Medicorum victorem, nomenque hoc monumento ſuo in via Appia inſcribere, ſicut ſcribit Andr. Tiraquellus *de Nobilitate chart.* 108. *n.* 64. Alias *ſedile Theſſalicum* legitur apud Hippocr. 1. *de artic. t.* 22. & deſcribitur à Gal. *in comm. ad h. l.*

THEU CHEIR, θεοῦ χεὶρ, i. e. *Manus Dei.* In genere Herophilum omnibus medicamentis attribuiſſe; ſi recte adhibita fuerint, patet ex Gal. *l.* 6. *de C. M. S. L.*

S. L. c. 3. In ſpecie eſt nomen *Antidoti* ex hircino ſanguine præparatæ, quæ nephriticis, calculoſisque præſenti remedio eſt, & deſcribitur ab Aëtio *l.* 11. citante Gorræo. Vide *Manus*.

THEURGIA, θεεργία, dicta fuit Græcis ſacratior Magiæ ſpecies, fuitque per ſacroſancta nomina & precationes angelorum & bonorum ſpirituum imploratio, ut eſt apud Lang. *l.* 1. *ep.* 34.

THEXIS, θῆξις, vocatur *punctio per acum*, à θήγω, quod *acu transfigo* ſignificat. Hinc cura κατὰ θῆξιν vocatur Chirurgica operatio, quando vulnera per ſuturam acu factam conjunguntur, cujus meminit Archigenes apud Gal. *l.* 2. *de C. M. S. L. c.* 2. Jung. Foëſ. *pag.* 269.

THISMA eſt minerarum ductus & *venæ ſubterraneæ*. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

THLASIAS, θλασίας, dicitur *Eunuchus* factus *per compreſſionem*, κατὰ θλᾶσιν teſtium, quem modum deſcripſit Ægin. *l.* 6. *c.* 68. *Thlaſiæ* dicuntur, quorum teſtes ſunt attriti, ſicut é *l.* 138. *ff. de V. S.* notavit P. Aman. in *Irenic. p.* 136.

THLASIS, θλάσις, θλᾶσμα, *contuſio*, *colliſio* violenta dicitur. Eſtque ſpecies ſolutionis continui, Galen. *l. de cauſſ. morb. c.* 11. Jung. Foëſ. *pag.* 271. in *exegeſi* vero *Hippocr.* inſtrumentum Chirurgicum, quo fœtus extrahitur, alias ἐμβρυοθλάστην, vel πίεστρον dictum, ita appellari monet.

THLIBIÆ, θλιβίαι, vocantur, quorum teſticuli ſunt colliſi (wie ein Klop-Hengſt) P. Amman. *d. l.*

THLIPSIS, θλίψις. Vide *Compreſſio.*

THOCOS, θῶκος, *ſedile*, *ſella*. Legitur apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. XLII.* 29. *&* in *Epiſt. ad Damagetum* de Democrito ſedente ſuper ſella lapidea, 29. Foëſ. *pag.* 275.

THOLÈROS, θολερὸς, *turbidus*, turbatus, *turbulentus*, Lat. dicitur & uſurpatur de rebus diverſis, v. g. de ſpiritu, vel aëre, Hipp. *l. de humor. III.* 18. *Coac. t.* 49. 186. 1. *Prorrhet. cap.* 2. *t.* 4. *&* 60. de urina *l.* 1. *Epid. cap.* 2. *t.* 31. *lib.* 2. *ſ. III.* 91. de alvi excrementis *ibid.* 99. de menſtruis *l.* 1. *de morb. mul. XXIV.* 12. de ſputo, *ibid. LXIX.* 13. Vide Foëſ. *p.* 271.

THOLOS, θόλος, æquivocum eſt. Primo ſignificat in genere *limum*, vel *lutum*; unde θολερὸς, *turbidus*, in ſpecie ſuccum illum *turbidum*, quem habent *polypi* ac *ſepiæ*, in peculiari mytide, quemque fundentes aquam turbant & collutulant. Hippocr. *l.* 2. *de morb. LXXI.* 5. Junge Lind. *Ex. V.* §. 8. Deinde etiam ita dicitur *faſciæ genus*, quod Calvariæ adhibentur. Galen. *de faſciis num.* 8. *Tholus* quoque, vel quibusdam etiam *Tholum*, dicebatur lucus Æſculapio ſacer, in quo ſacellum vel ædificium rotundum, ſex columnis ſuffultum, marmore candido incruſtatum erat, quod proprie *Tholum* vocabant, ut legere eſt apud Lang. *l.* 2. *ep.* 2. & Caſp. Rejes *C. El. q.* 3. *num.* 4.

THORAX, θώραξ, Medicis communiter vocatur totum illud corporis ſpatium, quod duodecim coſtis utrinque circumſcribitur; pertinet anteriore quidem parte ad pectorale os & ſeptum tranſverſum: declinat vero poſteriore ad ſpinam duodecim vertebris circumſcriptam, Galen. *l. de oſſib. cap.* 13. *& lib.* 6. *de V. P. cap.* 2. Dieter. *num.* 397. Jungatur Lind. *Med. Phyſ.* 2. *cap.* 6. §. 3. Barthol. *lib.* 2. *Anatom. in princ.* Dicitur & alias *Medius Venter.* Vaſa quoque ſanguinea, Venas & Arterias, quæ ad Thoracem excurrunt, vocari *Thoracica*, patet ex Bartholin. aliisque Anatomicis. Sic & Medicamenta affectibus pectoris dicata *Thoracica* dici, e Practicis conſtat.

THOREXIS, θώρηξις, Hippocr. dicitur *vini*, præſertim meri & *generoſioris*, potus. 2. *aphor.* 21. Jung. Dieter. *num.* 398. Aliquando vero immoderatum vini potum & *inebriationem*, vel ebrietatem ſignificat apud eundem, *libr.* 2. *de morb. VI.* 16. *XXII.* 1. *XLIIX.* 41. *LI.* 28. Vide Foëſ. *pag.* 275. quemadmodum & verbum θωρῆξαι & θωρήσσεσθαι, *inebriari*, accipitur, *lib.* 2. *Epid. ſ. V.* 24. *lib.* 2. *Prorrh. IIX.* 1. *lib.* 4. *de morb. XXXI.* 14. Notetur, apud Linden. ſemper in medio ſaltem Iota inveniri contra Lexicographorum, ut & Foëſii, ſcriptionem, eleganter Erotianus primum commeſſationes quaſi dici οἰνοποσίαν, poſt θώρηξιν & minimum ἀκροθώρηξιν. Vide θωρῆξαι. Galenus per οἴνωσιν & μέθη explicat vinolentiam & ebrietatem *in exegeſi Hipp.*

THOROS, θορὸς, idem, quod γόνος, *ſemen genitale*, genituram ſignificat, Hippocr. *libr.* 2. *de morb. XLIX.* 8. Galen. cum aliis hoc nomine ſemen actu ipſo excretum, vel excretionem ſeminis indicari, voluit. Vide Foëſ. *p.* 272.

THORYBOS, θόρυβος, *tumultus*, *perturbatio*, turbulenta commotio. Uſurpatur vel de humoribus, & in ſpecie ſanguine, eſtque idem, quod ἄραδος. Vide *Arados*. Vel de animo, ſive mentis *perturbatione*, deſipientia, in qua ſignificatione ſæpius ab Hippocr. ſumitur, v. g. 1. *Progn. t.* 28. quamvis Gal. *in comm.* de omni periculoſo ſtatu expoſuerit, *Coac. t.* 282. unde & *mens* θορυβώδης legitur, i. e. *perturbata*, *libr.* 2. *Prorrh. XX.* 3. riſus θορυβώδης, *libr.* 5. *Epid. XXXIV.* 2. Verbum θορυβέειν occurrit *in Epiſt. ad Philopœmenem num.* 16. *&* θορυβεῖσθαι, *perturbari*, *l.* 7. *Epid. XXI.* 28. Jung. Foëſ. *p* 272. *ſeq.*

THRACIUS, θράκιος, epitheton *Lapidis graveolentis*, cujus meminit e Nicandro Galen. *l.* 9. *S. Fac.* §. *Gagates.* Caret uſu Medico.

THRANOS, θρᾶνος, *ſcabellum*, *ſella*, ſedes, idem, quod δίφρος, Gal. *in Exeg. voc. Hippocr.* Non vero video, cur Foëſ. Galenum legiſſe exiſtimet θρᾶνον pro θῶκον.

THRASOS, θράσος, *Thraſys*, θρασὺς, *audaciam* & *ferociam*, nec non *audacem* & *ferocem* ſignificat & exprimit. Uſurpatur ab Hippocrat. de delirio & de

de oculis, *l.* 1. *de morb. mul. LXX.* 12. *l.* 1. *Prorrh. ſ.* 2. *t.* 52. *Coac. t.* 85. 155. Jung. Foëſ. *p.* 273.

THRASYDEILOS, θρασύδειλος, *audacem* & *timidum ſimul* ſignificat ab Ariſtotele in Ethicis viro forti applicatum. Verum egregie etiam tribuitur Medico prudenti à D. Pechlino *l.* 1. *obſ. Phyſ. Med. O.* 71. *p.* 193. ad præceptum Hippocratis ne ſit temerarius, neque etiam plane timidus, ſed mediocritatem inter utrumque extremum in praxi adhibeat & obſervet.

THRAUSMA, θραῦσμα, vocatur ſpecies una *Ammoniaci*, quod in minutas glebas veluti in fruſta fractum eſt, & facile friatur. Gorr.

THRAUSTOS, θραυστὸς, idem, quod ψαθυρὸς. Vide *Friabilis.*

THREPSIS, θρέψις. Vide *Nutritio. Facultas* etiam *nutritiva* vocatur δύναμις θρεπτικὴ, eſtque ſpecies ſanitatis, ſingulis membris & toti corpori competens.

THRINCOS, θριγκὸς, *ſepimentum*, vallum ſignificat, & uſurpatur ab Hipp. tropice de dentibus, *in Epiſtol.* citante Foëſ. *p.* 273.

THRISSA, θρίσσα. Vide *Aloſa.* Ita dictus piſcis, quod multis ſpinulis inſtar *ariſtarum* refertus ſit, Lind. *Ex. XI.* §. 228.

THRISSEIN, θρίσσειν, exponitur ab Erotiano per *furere*, animo alienari, *Onom. p.* 53. *c.*

THRIX, θρὶξ, vide *Pilus.* Præter hanc receptam ſignificationem Græcum vocabulum etiam ſignificare *partem hepatis ſuperiorem*, juxta quam fibræ inter ſe dividuntur, vult Gal. *in Exeg. voc.* ſcribi vero monet Galenus & alias τρὶξ, & in voce Ἕλιξ idem adnotat: ſed nihil horum omnium invenit in lectione Hippocratis Foëſius, & hinc τοῦ ἥπατος σύριγξ videtur ipſi orta eſſe in libro περὶ γυν. φυσ.

THROMBOS, θρόμβος, *Thromboſis*, θρόμβωσις. Vide *Grumus*, *Grumeſcentia.*

THRONOS, θρόνος, ex *excelſa ſedes*, aut in ſublimi poſita. Legitur apud Hipp. *l. de dec. orn. XI.* 4. ubi elatiorem decubitus ægrorum locum ſignificat. Θρόνος μαρκέλλιος, *Thronus Marcellius* quoque vocatur Trochiſcus, cujus deſcriptio habetur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 12. & Aët. *l.* 9. citante Gorræo.

THROSCO, θρώσκω, h. e. *ſalio.* Uſurpatur de Corde apud Hipp. *l. de Corde IX.* 6.

THRYMMA, θρύμμα, *fragmentum*, *fruſtum*, v. g. ſcoriæ, Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. CI.* 4. 5. Jung. Foëſ. *pag.* 274.

THRYPTICOS, θρυπτικὸς, *vim frangendi habens.* Hinc λίθων θρυπτικὰ, medicamenta *calculos frangentia*, dicuntur, Gal. *l.* 5. *de S. F. c.* 2.

THUNNUS, θύννος, item *Thynnus*, dicitur Piſcis marinus grandior non ſquamoſus, cujus caro quidem dura, variat tamen ratione ætatis, Gal. *l.* 3. *de Al. fac. c.* 31. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 9. Prolixius deſcribitur, cum uſu vario ab Aldrov. *l.* 3. *de Piſc. c.* 18. Bruyerin. *de re cibar. l.* 22. *c.* 5. ubi *Thimnus* vocatur. Meminit & Lang. *l.* 1. *ep.* 63.

THUREÆ Glandulæ quæ dicantur, vide *Tolle.*

THUS, λιβανωτὸς, Vide *Libanotos.*

THYA, θύα, θύη, vocatur *pila*, aut *mortarium*, apud Hipp. *l.* 1. *de morb. mul. LXXIII.* 19. *l.* 2. *LXVII.* 8. Galenus exponit per thyamata & aromata *in exeg. Hipp.*

THYEMA, θύημα, aromata ad mentem Hippocratis dici thyemata docet Erotianus.

THYITES, θυΐτης, nomen *Lapidis viridis Jaſpidi ſimilis* in Æthiopia, cujus deſcriptio cum uſu Medico habetur apud eundem *l.* 5. *c.* 154. Galen. *lib.* 9. *S. F.* §. *Dioſcorides Thyites.* Rulandus hodieque nobis incognitum eſſe, exiſtimat. Aldrov. ad marmor ſerpentinum viride una macula ſignatum refert, *l.* 1. *Hiſt. ſerp. & drac. c.* 1. *p.* 51. *a. ed. Bonon.*

THYLACOS, θύλακος, θυλάκιον, i. e. *ſaccus*, *ſacculus.* Diminutivum uſurpatur de chorii portione protuberante cum liquore in conatibus partus in matricis cervice, quem digito rumpendum eſſe monet Moſchion. *de morb. mul. c.* 52.

THYMA, θῦμα, *puſtulam pruriginoſam* ab æſtu excitatam ſignificat, idem, quod ἔκθυμα. Vide *Ecthyma.* Lind. *Ex. XI.* §. 189.

THYMALLUS, θύμαλλος, nomen piſcis fluviatilis, nobiliſſimi, cujus deſcriptio cum uſu in cibis & Medicina traditur ab Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 14. Bruyer. *de re cib. l.* 22. *c.* 10. ubi & *Thymus* dicitur.

THYMIAMA, θυμίαμα. Vide *Suffimentum*, *Suffitus.*

THYMION, θύμιον, vocatur *verruca minor*, ſuper corpus eminens in cute, ut *Acrochordon*, tenuis, ſupra latior, ſubdura & in ſummo peraſpera. Idque ſummum colorem *Thymi* repræſentat floris, à quo denominatur, habet magnitudinem fabæ Ægyptiæ. Modo unum, modo plura naſcuntur in palmis, talis, & plantis pedum; peſſima ſunt in obſcœnis partibus, maxime, ubi ſanguinem fundunt. Cauſſa in ſalinis corruptis maligne & coagulativis portionibus ſucci nutricii ponenda videtur. Vide Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 10. *Schol.* Celſ. *l.* 5. *c.* 28. Foëſ. *Oec. p.* 274. Dieter. *n.* 299.

THYMOEIDES, θυμοειδὴς, *facultas iraſcibilis*, quæ cordi attributa motus animi in nobis gignit & animi perturbationes. Gorr.

THYMOS, θύμος, *Thymus*, dicitur *eminentia quædam carnoſa & verrucoſa*, modo rubens, modo alba, plurima ex parte indolens, *Thymi* corymbos referens, nunc in glande, nunc in præputio creſcens. Ægin. *l.* 6. *c.* 58. & 71. Gal. *in def. med.* in ano & ſede fieri ſcripſit *l.* 14. *M. M. c.* 13. quin & Hipp. ipſe *de Alim. IV.* 10. Cauſſa eadem, quæ *Thymii.* Differunt enim ſolum magnitudine. Suntque alii mites, qui exigui, ſcabri, candidi, dolore carentes, & hos ſecundum naturam vocaſſe arbitror Hipp. *d. l.* alii maligni, lividi, dolorifici, ampliores, ut in morbo Gallico. *Thymus* quoque

quoque vocatur glandula jugulo adnata inter diviſiones arteriarum & venarum ſubclavium thoracis ſumma parte ; pars in vitulis eſui expetita ob mollitiem lacteam ; cujus deſcriptionem vide apud Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 4. Hanc à Plauto vocari *Glandium* ſcribit Joh. Riolanus *Anthropogr. l.* 3. *c.* 13. De oſſe *tibiæ* ſponte elapſo & callo reſtituto legi poterit admirabilis Obſervatio *in Act. Hafn. Vol. III. obſ.* 1. Warthonus & Charltonus glandulæ huic peculiarem uſum elaborationis ſucci nutricii attribuerunt. Ille in *Adenograph. c.* 16. hic *Oec. An. Ex. X.* §. 16. Enimvero nobis nondum videtur res indubitatæ veritatis, ob ineptitudinem nervorum ſuccum illum nutricium, ſi in glandula elaboraretur, ad cerebrum, ceu organon diſpenſationis, revehentium ; ne dicam de aliis inconvenientiis hanc hypotheſin adhuc conſequentibus.

THYMOS, θυμὸς. Vide *Animus. Ira.* Θυμὸς etiam apud Hippocratem ſignificat *inanem tuſſiendi cupiditatem*, in qua nihil excernitur, teſte Foëſ. *in Oeconom. Hipp. p.* 275.

THYNNUS, θύννος. Vide *Thunnus.*

THYROARYTÆNOIDEI vocantur Muſculi Laryngem exacte claudentes, ita ut iidem inflammari faciant Anginam lethalem, Bartholin. *l.* 2. *Anat. c.* 11. *p.* 442.

THYROIDES, θυρεοειδὴς. Vide *Cartilago ſcutiformis. Scutiformis* Glandulæ quoque binæ inferiori laryngis regioni adſtantes *Thyroideæ* vocantur Warthono, *Adenograph. c.* 18. *p.* 107. Vide Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 11. *p.* 445.

TIBENUM, τιβηνὸς, epitheton *vini* cujuſdam à loco natali *Tiba* ita dicti, cujus virtutem explicat Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c.* 11. *& l.* 1. *de Antid. c.* 3.

TIBERIANUM *tormentum* vocatur *Colica*, apud Linden. *Ex. IV.* §. 12.

TIBIA, κνήμη, eſt tota cruris pars inter talum & genu in interiori parte ſita, cujus tibiæ pars anterior tenuis, & carnis expers *Ocrea* appellatur, Gal. *l. de oſſib. cap.* 22. 4. *de art. t.* 28. *& alibi.* Gr. ἀντικνήμιον, poſterior carnoſa pars *Sura* γαστροκνήμιον dicitur, *l.* 16. *de V. P. c.* 8. Jung. Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 21. Muſculi *Tibiæ* affixi pedem flectentes vocantur *Tibiæi antici & poſtici*, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 13. *p.* 581. De oſſe tibiæ ſponte elapſo & callo reſtituto legi poterit admirabilis obſervatio *ex Actis Hafn. Vol. III. Obſ. I.*

TIBURO vocatur piſcis quidem maximus, & truci aſpectu, vitam in mari Indico ducens, adeo inſigni corporis robore, ut hominem ictu dentis ſecet medium & devoret. Lapis ex ejus capite extractus utiliſſimus fertur nephriticis & urinæ difficultate laborantibus, Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 104. Deſcribitur & à Rondelet. *lib.* 16. *de piſc. c.* 26.

TIBURTINUM, τιβουρτῖνος οἶνος, etiam nomen *vini*, à loco natali, cujus vires iterum Gal. propoſuit. *dd. ll.*

TICHUS, nomen piſcis marini, ad oſtia fluminum intrantis apud Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. cap.* 1. quamvis neque apud Aldrov. neque apud Rondelet. ejus deſcriptio habeatur.

TICTO, τίκτω, ſignificat *pario.* Vide Foëſ. *p.* 618. *ſeq.* Dieter. *n.* 831.

TIFACOUM, h. e. *argentum vivum.* Rul. *in Lex.*

TIFATUM, idem, quod *Tin*, i. e. *Sulphur.* Rul. & Iohnſ.

TIGALA, epitheton certum *Sacchari* Arabicum ; de quo diſſeruit Jul. Alex. *l.* 18. *Salmon. c.* 14.

TIGRIS, τίγρις, animal eſt ferum, quadrupes, crudele, homines devorans, cujus hiſtoriam cum uſu vide ſis apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. dig. vivip. cap.* 4.

TILMATA, τίλματα, *vulſa* dicuntur, & idem ſignificant, quod σπάσματα, fiuntque, cum muſculorum fibræ nimis diſtentæ rumpuntur. Gal. *cap.* 3. *de iis q. in med. f. t.* 30. quamvis in Græco legatur τίλιγματα. Verum ſubſtituerunt τίλματα Comes Montanus, Felicianus, Cornarius, Foëſ. notante C. Hofmann. *in MMSS. not. ad h. l.* Τίλμα quoque vel τιλμάτιον vocatur *linamentum concerptum.* Hippocr. *l. de dec. orn. VII.* 21. Gal. *de C. M. S. L. c.* 2.

TILMOS, τιλμὸς, ſignificat *vellicationem*, evulſionem, vel proprie dictam, qualem exercent ſæpe deliri, & phrenitici, dum floccos legunt, aut pilos evellunt ; vel improprie partium nervoſarum *lancinationem*, ab humorum acrium & corroſivorum ſubſiſtentia, Hipp. *l. de Hum. II.* 24. *& l.* 1. *Epid. ſect.* 3. *t.* 1. ad quem locum videatur Galenus *comm.* Jung. Foëſ. *pag.* 618.

TILTON, τιλτὸν, *linamentum concerptum.* Gorr. Foëſ. *d. l.*

TIME, τιμὴ. Vide *Honor.*

TIMIDITAS, *Timor*, idem, quod *Metus*, Gr. φόβος, δειλία. Vide *Metus.*

TIMIDUS, φοβερὸς, quid ſignificet, jam ante ex aliis Lexicis notum eſt. *Timidi* Muſculi qui vocentur Anatomicis, videatur apud D. Bidloo *Anat. Tab. IX.*

TIMOREO, τιμωρέω, ab Hippocr. ſumitur in valde bona ſignificatione, quatenus notat *opem ferre*, juvare, auxiliari, 1. *de R. V. I. A. t.* 31. *&* 39. unde & τιμωρία, *auxilium*, adjumentum ſignificat, *ibid. t.* 41. Gal. *in com. ad hæc loca.* Jung. Foëſ. *p.* 618.

TIN, id eſt, *Sulphur.* Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

TINA vocatur Balneum magni juvamenti in dolore Colico, Avic. *l.* 3. *fen.* 16. *tr.* 4. *c.* 10.

TINCA, *Tincha*, de Græco vocabulo non certo conſtat, quamvis Schroder. addiderit σκόρπιος, eſt piſcis in ſtagnis & lacubus frequentior, quam in fluminibus, cujus hiſtoriam cum uſu in cibis & Medicina tradidit Aldrovand. *l.* 5. *de piſc. c.* 45. Jung. Jul. Alex. *l.* 5. *Sal. c.* 7. Bruyer. *de re cib. l.* 22. *c.* 12. Schr. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 92.

TINCONES vocantur *Bubones*, ſive tumores in

 inguinibus,

inguinibus, Fallop. *de morb. Gallic. c. 90. Tom. I. Oper. p.* 738.

TINCTURA, βαφὴ, terminus in Medicina hodieque uſitatiſſimus, ambiguæ tamen ſignificationis. Sumitur enim aliquando vel active, in qua deſcripſit Dorn. & Rul. *Tinctura* dicitur, quod colore ſuo penetrat & tingit alia corpora, ut crocus in aquam injectus. Et hæc dicitur Gal. βαφὴ δυσεκπλυτος, *tinctura ineluibiliter imbuens. l. 2. de diffic reſp. c. 4. in princ.* Vel paſſive, & ita in genere hoc nomine appellari ſolet *Extractum liquidum* coloratum, ſeu color à miſto ſeparatus. In ſpecie vero *Tinctura* eſt portio aliqua ſubſtantiæ propriæ corporis, ex quo extrahitur, cum concentratione virtutis & coloris in centro ſedem habentis, differens à reliquis corporis partibus, idoneo menſtruo ſoluta & exaltata, eaque potiſſimum ad rubrum vergens, Rolfink. *Chym. l. 3. ſ. 3. c. 1.* Differt ab Extracto, quod in hoc menſtruum rurſus ſit ſeparatum. Harum *Tincturarum* Catalogum vide apud laud. Rolf. *d. l. cap. ſeqq.* Schroder. *l. 2. cap.* 85. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Diſpenſatoria Norimb. Auguſtan. Anglicum, & alia. De *Tincturis mineralium*, & metallicis vide Libav. *S. A. Ch. l. 8. c. 16.* Schroder. & Fr. Hofm. Specialiſſime vero & Spagyrice accipitur *Tinctura* active & paſſive pro arcano quodam Philoſophico ſpecifico, quod cum eſſentia qualitatibusque formalibus etiam colorem rei habet, ut in ſui ſimilem naturam *tingere* poſſit alia non modo, ad qualemqualem tranſmutationem, ſi non veram, ſaltem apparentem; unde & apud Paracelſ. variæ leguntur *Tincturæ* ad album & rubrum; ſed etiam ad valetudinis humanæ conſervationem, reſtaurationem, ob validam etiam renovandi virtutem ipſis attributam, Rolfink. *d. l.* Rul. & Iohnſon. Plura de *Tincturis* quæ & legi poſſunt *in Th. Ch.* per omnes Voluminum Indices.

TINEA, σὴς, diverſis gaudet ſignificationibus (1) notat inſectum, veſtes e lana & pellibus paratas rodens, de qua videatur Aldrov. *l. 6. de Inſect. c.* 7. (2) ſignificat ſcabiem cutaneam capitis Achoribus ſimilem, aliquando etiam maligniorem & ſicciorem; de qua legatur Heurn. *de Morb. capit. c.* 7 (3) Vermiculos quoque capillos rodentes & depaſcentes, *Tinea capillorum;* Sennert. *Pr. Med. l. 5. part. 3. ſect. 2. c.* 5.

TINESMUS, vel *Tineſmus*, vel *Tenaſmus*, de quo ſupra.

TINKAR, id eſt, *Borax*. Dorn Rul. & Iohnſ.

TINNITUS vocatur Sonus quidam præternaturalis, qui in auribus percipitur inſtar tintinnabuli. Vide *Sonus. Sibilus.*

TINNUNCULUS, κέγχρις, idem, quod *Cenchris*, nomen avis, cujus duo genera: Mas & fœmina. Deſcribitur ab Aldrov. *l 5. Ornith c 6.*

TINTINNABULUM, vocatur *Uva*, ſive *Gargareon*, apud Veſal. *l. 6. H. C. F. c 6.*.

TIPSARIA, id eſt, *aqua hordei*, ex *Ptiſana*, Rul. & Iohnſ. vero ſcripſit *Taſſaria.*

TITACAZENUM, τιτακαζηνὸς οἶνος, epitheton vini *Aſiatici*, de quo legatur Gal. *l. de bon. & mal. ſucc. c. 11. l. 1 de Antid. c.* 3.

TITANOS, τίτανος, Lat. *Calx*, aut *cinis lixivus* ex calce eliquatus. Erot. *Onom. p.* 110. Gal. *l. 1. de C. M. S. L. c.* 5. Adde Foëſ. *p.* 618. *Titanos* dicitur *calx* ex gypſo. Rul. *in Lex.*

TITIANOS, τιτιανὸς, vocatur *peſſus* emolliens ad uterum. Deſcribitur ab Aëtio, *l. poſtr. ad uterum ſcirrho induratum*, & Ægin. *l. 7. c.* 24.

TITILLARES *venæ* dicuntur venæ circa Ilia ſitæ; quas in Gallia tundi & propterea *Iliacas* vocari vel *Titillares*, dextram quidem in hepatis, ſiniſtram in lienis morbis teſtatur P. M. Schlegelius *de ſaluberr. venarum ſecand. delectu θ.* 22.

TITILLATIO, γαργάλη, γάργαλος; γαργαλισμὸς. Vide *Gargale*, quid proprie ſit, ſenſu melius percipitur, quam ut verbis exprimi poſſit.

TITILLICUM, vocatur fovea vel cavitas illa ſub axilla, à titillatione, quæ facile ibi percipitur. Joh. Anglic. *Roſ. Angl. p.* 1060. In hanc foveam imponitur pila durior ad diſlocati oſſis humeri repoſitionem.

TITTHOS, τιτθὸς, idem, quod μαστός. Vide *Mamma.*

TMETICOS, τμητικὸς. Vide *Incidens.*

TMOLITES, τμωλίτης, vinum celebratiſſimum fulvum, odoratum, ſimile prorſus *Falerno*, Gal. *l. de atten. diæt. c. 12. l. de bon. & mal. ſucc. cap.* 11.

TOCOS, τόκος. Vide *Partus.* Dieter. *n.* 834.

TOLERANTIA, eſt æquivocum apud Latinos. Vel enim reſpondet Græco εὐφορία. Vide *Euphoria;* vel reſpondet alteri vocabulo ὑπομονή. Vide *Patientia.*

TOLLES, *Toles*, *Tolæ*, idem, quod *Tonſillæ*. Keuchen. *ad Samon. p.* 151. Quod nomen fœminas ad ipſos abſceſſus glandularum in artubus tranſtuliſſe notavit M. Aurel. Severin. *in libr. de recondita abſceſſuum doctrina. tract. de pernionibus p. m.* 186. Vulgo *Glandulæ Thureæ* etiam vocantur, item *Tulei*, *ibidem.*

TOLME, τόλμη, *Audacia*, & τολμηρὸς, *audax*, dicitur, quæ ſi cum temeritate fuerit conjuncta, Medico vitanda, ex præcepto Hipp. *de Arte XX.* 3. Vide *Temeritas.* Quod ſi debita confidentia nitatur, præcipitur de eodem, imprimis ægris, 1. *Prognoſt. t.* 3. Jung. Foëſ. *p.* 618.

TOLUTANUS, epitheton à loco deſumtum Balſami cujuſdam nativi, de quo videatur Schroder. *l. 4. cl. 2. n.* 374. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.*

TOMACULUM, ἄλλας, genus *farciminis*, quod deſcribitur inter alimenta à J. Alex. *l.* 19. *Salmon. cap.* 11.

TOME, τομή. Vide *Sectio.* In ſpecie etiam pro *Venæſectione*, vult Gal. *c. 2. de nat. hum. t* 9.

TOMEION, *Tomeus*, τομεῖον, τομεὺς, vocatur *inſtrumentum inciſorium*, vel ſector, inciſor, Foëſ. *ex Heſych. p.* 619.

p. 619. τομεῖς quoque vocantur *Denteſ Molareſ*, vide *Inciſor*.

TOMENTUM, γνάφαλον, pertinet ad Chirurgica inſtrumenta in deligationibus quandoque applicanda, Ægin. *l.* 7. *c.* 3. *Gnaphalion.* Adde Rhod. *ad Scribon. n.* 121.

TOMICOS, τομικὸς, idem, quod τομεὺς, dicitur de dentibus *Inciſoribus*. Caſtell. Gorr.

TOMOTOCIA, τομοτοκία, idem, quod ὑστεροτομία; quamvis ubi illud vocabulum occurrat, nobis haud conſtet. Reperitur tamen apud Scultetum *Arm. Chirurg. Part. I. Tab. XLII.*

TONICOS, τονικὸς, vel τονωτικὸς, vel dicitur de medicamentis, quæ extrinſecus illinuntur partibus nervoſis, ad robur illis conciliandum, Gal. *l.* 13. *M. M. c.* 22. vel hodieque latius de internis & externis ſpecificis, quæ tonum hujus vel illius partis intemperie, conformatione, poris, ita roborant, ut actioni deſtinatæ præeſſe melius queant, verbis D. D. Wedel. *Amœn. Med. l. I. ſect. III. c.* 1. *p.* 120. *ſeq.* vel uſurpatur de *motu muſculorum*, qui exercetur imprimis à corpore laborante *Tetano*, duabus contrariis virtutibus, muſculorum oppoſitorum inter ſe quaſi pugnantibus, *l.* 1. *de mot. muſc. c.* 8. *&* *l.* 2. *c.* 1. Jul. Alex. *not. ad Gal. loc. prior.*

TONITRU, βροντὴ, quid ſit, e Phyſicis conſtare debet. Refertur inter res non naturales, & ita ad cauſſas ſanitatis & morborum. In ſpecie mutationes aquarum etiam facere, patet ex Hippocr. *l.* 6. *Epid.* 4. *t.* 19. ubi ὕδωρ βροντιαῖον, *aqua tonitrualis*, exponitur. Vide Gal. *in comm.* Inter cauſſas terroris & Epilepſiæ referenda, Gal. *de pu. epil.* Vide *Fulmen. Tonitruum* cauſſam in aëris fermentativo motu majori cum cohæſione & preſſione aliqua ſolidiorum particularum conſiſtere, plauſibiliter quidem ex phænomenis Chymicis deducere conatur Jac. le Mort *Chym. Med. Phyſ. c.* 9. *pag.* 91. verum an ex aſſe ſatisfaciat omnino ſciendi cupido, dubitatur. Blancard.

TONOS, τόνος, homonymon eſt. Vel enim ſignificat *Nervum*, & quidem frequenter apud Hippocr. *l. de Ven. XVI.* 1. *de artic. t.* 47. *l.* 2. *Epid ſ. IV.* 18. *& alibi.* Vide Foëſ. *p.* 619. vel tenorem partium & vigorem. Erotianus plenius deſcribit, quod ſit extenſum corpus in carne, uti venæ, nervi & ſimilia; aliqui ad nervos ſolos applicant; alii vero etiam ad membranas. Vide *Tenor.*

TONSILLÆ, παρίσθμια. Vide *Pariſthmia. Tonſillæ peſtilentes* vocatur Anginæ ſpecies peſtilens & lethalis, de qua obſervationem notavit ex Severini *tr. de Abſceſſibus* Bonet. *Anat. Pract. l.* 1. *ſect.* 13. *obſ.* 3. *p.* 380. Dicitur *Ulcus Syriacum*, *Laqueus Gutturis*, *Carbunculus Gutturis peſtilens.*

TONSOR, κουρεὺς, hodieque etiam refertur inter Chirurgos; quemadmodum & apud Gal. legitur, quod *Tonſor*, κουρεὺς, Bithymenſis habuerit egregium Emplaſtrum ad ſplenicos, hydropicos, & iſchiadicos. *l.* 9. *de C. M. S. L. c.* 3. Utinam vero *Tonſores* hodierni artem Chirurgicam probe addiſcerent, & rite exercerent, neque temere irruerent in fines ipſius Medici, contra ſcientiam & conſcientiam.

TONSURA, κουρὰ, κουρή. Vide *Cura.* De *tonſura* ſtrictiori lege Rhod. *ad Scribon. n.* 10.

TOPAZIUS, *Topaſius*, τοπάζιον, *Apoc.* 21. gemma dicitur, vel lapis pretioſus, primum in Inſula Chiti Arabiæ inventus, cujus deſcriptio cum viribus habetur apud Chiocc. *Muſ. Calceol. p.* 244. *ſeqq.* Confunditur cum *Cryſolitho*, ita ut veterum Chryſolithus ſit hodiernorum gemmariorum *Topacius*, & viceverſa, Schroder. *l.* 3. *c.* 5. *Topacium* ex cœlo Martis & Solis terra conſtare, legitur *in Th. Chym. Vol. I. pag.* 487. Factitium fieri ex natura duplici argenti vivi in ſpeciem aëris, docetur *Vol. IV. p.* 191. De differentia *Topazii veri & ficti* vide Libav. *S. A. Ch. l.* 7. *c.* 21.

TOPHUS, *Toſus*, πῶρος, vocatur materia dura calculoſa, vel potius gypſea & calci ſimilis, qualis ſolet proprie ſubſidere ac accreſcere in æneis vaſis, in quibus aqua coquitur. Keuchen. *ad Samon. p.* 139. Ita tales producuntur & adhærent paſſim in aquis mineralibus, præſertim Thermis, v. g. Carolinis Bohemiæ, Aponitanis Italiæ, &c. Hujuſmodi *tophorum* ſpecies quam plures recenſet Rul. *in Lex. Tophorum* quoque nomine venit illa materia in articulis Arthriticorum quandoque concreta, Linden. *Ex. V.* §. 31. item materia calculoſa in renibus & veſica concreta, de cujus generatione Gal. *c.* 1. *in l.* 6. *Epid. t.* 6. Ita & materia dentibus accreſcens *tophus* dicitur paſſim à Medicis. De *topho* ſub lingua concreto, vide Obſervationem *in Eph. Nat. Cur. A. III. O.* 43.

TOPICOS, τοπικὸς. Vide *Localis.*

TOPINARIA, idem, quod *Talpa*, de quo vocab. ſupra. Vel plane ſimilem affectum ſignificat. Senn. *M. Pr. l.* 5. *p.* 1. *c.* 36.

TOPOS, τόπος. Vide *Locus.*

TORCULAR, ληνὸς. Vide *Lenos.*

TORMENTUM, quoque vocatur morbus gravior dolorificus & acutus, quo nomine Colica *Tormentum* dicitur acutum, Linden. *Ex. IV.* §. 12. Vide Celſum *l.* 7. *cap.* 4. *&* 11. Scribon. *n.* 9. ubi pro dolore ſumitur, Rhod. *in Lex. Scribon.* Vel potius Ileus hoc nomine venire debet juxta Cœl. Aurelian. *l.* 3. *Acut. morb. c.* 17. *p. m.* 210.

TORMINA, στρόφος. Vide *Strophos.* 5. *aph.* 41. Gal. *in comm. & alibi &c.* Dieter. *n.* 794.

TORNA *Solis* vocatur ſpecies Tincturæ e Spina cervina ſive infectoria, ejusque baccis perfecte maturis

 paratæ,

paratæ; cujus parandi modum e Parckinſon *Theatr. Botanic.* deſcripſit Fr. Hofm. *in Clav. ad Schr. l. IV. p. m.* 430. quamvis ſimul ibidem e Dodonæi *Pempt.* 1. referat Gallicum *Tourneſol* parari e ſucco Heliotropii Tricocci, & Ferrant. Imperatus *l. IV. Hiſt. Nat. c.* 45. e violis fieri ſcripſerit: Il Tornaſole è colore utile al colorimento purpureo di carte, fatto di viole ammaſſate &c. Ol. Wormius peculiarem rarioris *Tornæ Solis* ſpeciem, quam Bezettam rubram vocat, e Cochinellæ granis parari *in Muſeo l. II. c.* 34. tradit.

TORNATA urina vocatur, quando obſcuratur & obtenebratur, propter coagulationem; differt à conturbata, quæ adhuc eſt perſpicua. Joh. Angl. *R. A. p.* 11.

TORNEUMA, τόρνευμα, *ramentum*, quod torno decutitur, ſcobes, idem, quod ξύσμα. Ita accepit Dioſcor. de ramentis fraxini *l.* 1. *cap.* 109. & hodieque *Cornu cervi raſura torno* etiam fieri ſolet. De *tornatis* poculis medicis vide Keuchen. *ad Samm. p* 172.

TOROSUS, idem, quod *Craſſus*, *Corpulentus*, παχὺς, Dieter. *n.* 664.

TORPEDO, νάρκη. Vide *Narce.*

TORPOR, νάρκη, νάρκωσις. Vide *Narce.*

TORQUES, vel *Torquis*, idem, quod *Catena*, ὁρμαθὸς, vel ὁρμάθιον. Talem *catenulam* ex Jaſpide viridi applicavit cum ſucceſſu Gal. *l. 9. de S. Fac.* §. *Jaſpis viridis.*

TORQUILLA, ἴυγξ. Vide *Jynx.*

TORREFACTUS, idem, quod *Toſtus*, πυρούμενος, πεπυρωμένος, adhibetur in quibuſdam medicamentis. Ita Rhabarb. *toſtum* in dyſenteria laudatur, quamvis fortaſſis præter meritum. Caſtorei *torrefacti* in aurium affectibus meminit Galen. *de fac. parab.*

TORRIDUS, κάτοπτος, accipitur etiam pro *Torrefacto* vel *Toſto*, Keuchen. *ad Sammon. p.* 144. *Torrida tabes* dicitur μαρασμώδης, quæ febrem ardentem ſequitur. Foreſt. *l.* 4. *Obſerv.* 9. *Schol.*

TORSIO, στρόφος, apud Paracelſum idem eſt, quod *Cruciatus* ventris & inteſtinorum, *Tormina* Dolores vehementiores, *l.* 2. *de Tartar. tr.* 1. *c.* 4. *& in Fragmentis. Torſio* etiam dicitur nervorum affectus & durities, quæ accidit à verberatione aut caſu, & quando premitur, ſentitur ſtupor. Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 4. *c.* 7.

TORTA, dicitur Jul. Alexandr. idem, quod *Artocreas*, ἀρτίκρεας, cujus varias ſpecies deſcripſit *l.* 20. *Sal. c.* 14. Hodieque Confectiones Saccharatæ, quædam ad ignem piſtæ hoc nomine etiam venire ſolent.

TORTIO, στρέμμα. Vide *Stremma.*

TORTUALIS Arabib. dicitur *facies* ægrotorum cadaveroſa, quæ alias *Hippocratica* nominari ſolet, notante Joh. Henr. Meibomio *in Diſp. Inaug. de Phthiſi* §. 29. quam Cœl. Aurelian. *Mortuoſam* vocaſſe ibidem notavit.

TORTURA, βασανισμὸς, communiter dicitur inquiſitio ſeverior delicti capitalis cum cruciatibus variis corporis. An ejuſmodi tortura poſſit eſſe loco remedii Podagricis? quæſtionem movet & ſolvit P. Ammen. *Irenic. p.* 174. In Medicina ſumitur pro *ſpaſmo*, præſertim particulari, v. g. oris, faciei. Valeſ. de Tarant. *Philon. Pharm. l.* 1. *c.* 30. Foreſt. *l.* 10. *Obſ.* 124. *cum Schol.* Paracelſ. *Paragraph. l.* 3. *c.* 1. §. 3. *Tortura Noctis* eidem eſt ſpecies *Nigromantiæ*, *Philoſ. ſagac. lib.* 1. §. *quid ſit Nigromantia &c.* Meminit & *Torturæ noctis* Helmont. *tr. Catarrhi deliramenta*, *n.* 67. *& tr. Retenta.*

TORUS, πρασιά. Vide *Praſia.*

TORUSCULA, id eſt, gutta, ut *toruſcula* pini pro reſinæ gutta ex pino vel abiete, toto pro parte ſumto. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TORYNE, τορύνη, vocatur inſtrumentum, quo aliquid in olla agitatur, aut teritur inter coquendum, ut ſunt *cochlearia* lignea, *rudicula*, ſpathæ, unde verbum τορυνᾶν, τορυνεῖν, agitare, *radicula terere*, quod legitur apud Hippocr. *l. de int. aff. XLVII.* 29. Junge Foëſ. *p.* 620.

TORYNETUM, τορύνητον, vocatur pulticula confecta. Cœl. Aurel. *l.* 1. *Tardar. paſſ. c.* 1. *p. m.* 246.

TOSTIO, στάπτυσις, vel στάθευσις, idem, quod *Torrefactio.* Convenit fere cum *Aſſatione*, de quo ſupra ſuo loco. Quædam medicamenta *Toſtione* veluti caſtrantur. Ita Rhabarbarum *toſtione* ſpoliari creditur vi ſua laxativa, & ſquilla *toſtione* fraudari ſuo ſale volatili inciſivo. Chymici quoque mineras metallorum ignobiliorum exploraturi, cum ſalibus dum tentant mediante igne, nunquid metalli nobilioris contineant, laborem illum vocant *Toſtionem*, uti patet ex Jac. le Mort *in Metallurg. contract. Chymiæ annexa p.* 269.

TOTUS, ὅλος, quid ſignificet, nomen eſt. Opponitur Parti. Sumitur & aliquando pro *conferto*, accumulato, ἀθρόος, 7. *aph.* 35. Gal. *in comm. Tota ſubſtantia* agere quid ſit, vide *Subſtantia.* Alias in Chymicis *Tota ſubſtantia* dupliciter accipitur, 1. pro *toto miſto*, quod conſtat ex Elementis (ceu materia) & eſſentia (ceu forma) 2. pro *Extracto eſſentiali*, quod elaboratum ſecretumque præbet oleum, aquam, ſalem, tincturam & alia pro modo elaborationis &c. Libav. *Tom. II. Oper. p.* 112.

TOXEUMA, τόξευμα, idem, quod βέλος, *Sagitta*, *Telum*, *Jaculum.* Legitur apud Hippocr. *l.* 5. *Epid. XX.* 1. Foëſ. *d. l.*

TOXICON, τοξικὸν, proprie dicitur *venenum deleterium*, quo ſagittæ tinctæ fuerunt. An ſpecies peculiaris fuerit, quæ hoc nomine venerit, dubium eſt. Accipitur etiam aliquando pro omni veneno lethali, etiam intra corpus ſumto. Gorr. Keuch. *ad Sammon. p.* 263. *ſeq.* Lang. *l.* 1. *ep.* 68. *l.* 2. *ep.* 20. *in fin.* Rhod. *ad Scrib. n.* 176. Τοξικὸν quoque quibuſdam eſt Ladani ſpecies in Syria & Africa naſcentis. Idem.

TRABES,

TRABES, δοκὸς, *Trabecula*, δοκὶς. Vide *Docos*.

TRACHEA, τραχεῖα, vide arteria *aſpera*. Sæpe in Anatomicis occurrit *Trachea*, ſine addito ſubſtantivo *Arteria*.

TRACHELAGRA, τραχηλάγρα, vocatur ſpecies Arthritidis particularis cervicem ſive collum occupantis, Paræus *l.* 17. *Chir. c.* 1. Alias vocabulum hoc vel ex ignorantia Græcæ linguæ vel ex incuria mutavit in *Trochleagrum* Jac. Iœpſerius *in Manuduct. ad vitam long. Part. III. c.* 1. *de Arthritid. p.* 434.

TRACHELOS, τράχηλος, vide *Cervix. Collum.* τράχηλοι quoque vocantur Cochleæ quædam de genere Purpurarum, uti videre eſt apud Keuchen. *ad Samon. p.* 155.

TRACHEOTOMIA, τραχειοτομία, idem eſt, quod *Bronchotomia*, quæ vocabula à recentioribus accuratiora habentur, quam Laryngotomia, ſiquidem inciſio non ſit in larynge, ſed in trunco aſperæ arteriæ.

TRACHOMA, τράχωμα, vocatur *aſperitudo* palpebræ in parte interna. Provenit ſæpe ex mala curatione, propter longiorem uſum Collyriorum. Poteſt etiam excitari ob diuturniorem defluxionem humoris non mordacis. Coincidit cum δασύμματι. Vide *Daſymma*. Quamvis Aët. δάσυμμα inæqualitatem palpebræ ſuperficiariam exponat & cum rubore: τράχωμα vero majorem ſtatuat aſperitatem, ſeminum milii aut granorum ervi inſtar, cum dolore & gravitate. Tandem degenerat quandoque in σύκωσιν, & τύλωσιν, de quibus vocabulis ſuo loco. Vide *Sycoſis. Tyloſis*. Gorr. Caſtell.

TRACHOMATICON, τραχωματικὸν, vocatur medicamentum oculare vel ophthalmicum, ſive *Collyrium*, quod deterget, tollendis oculorum aſperitatibus efficax, Gal. *l.* 14. *M. M. c.* 19.

TRACHSAT, eſt *metallum in ſua minera adhuc exiſtens*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

TRACHURUS, τράχουρος, piſcis vocatur, qui perperam cum Sauro confunditur, cujus deſcriptio cum uſu in cibis videatur in Aldrov. *l.* 2. *de piſc. c.* 52. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 9. Bruyerin. *l.* 19. *de re cib. cap.* 32. Galen. refert inter piſces duræ carnis, *l.* 3. *de Al. Fac. c.* 31.

TRACHYS, *Trachytes*, τραχὺς, τραχύτης, vide *Aſper*, *Aſperitas*.

TRACTATIO, *Tractatus*, æquivocum eſt. Vel enim ſumitur pro opera manuaria, & Gr. dicitur χείρηξις, vid. *Cheiriſma*, *Cheirixis*. Vel *tractare* idem eſt, quod palpare, & palpando, vel contrectando explorare, Gr. μάττειν, vide *Matto*. Vel in ſpecie *Tractare* idem eſt, quod *fricare*, unde *Tractatrix*, *fricatrix*, vocatur Keuchen. *ad Samm. p.* 91. Vel *Tractatio*, *Tractatus*, idem quod *Liber*, *Scriptum*, Elaboratio Autoris de certa materia, uti paſſim hoc occurrit. Gr. ἐργασία.

TRACTIO, ἕλξις, ὁλκή. Vide *Attractio*.

TRACTON, τρακτὸν dicitur de formis quibuſdam in panificio, ita ut coincidat vel parum differat à ſpiris, ſcriblitis, placentis, quemadmodum e Lexico Græco Latino Budæi patet, nec non ex Ill. Aldrovand. *l.* 1. *de Inſect. c.* 3. *p.* 159. *ed. Bonon.* Dicuntur & καπύρια vel καπυρίδια, Latine & *Capyridia. ibid.*

TRACTOS, τρακτὸς, tractatus dicitur de *Cera* ita tractata, ut alba evaſerit, Keuchen. *ad Sam. pag.* 101.

TRADUCTIO, vel ſumitur Pathologice & Gr. dicitur μετάστασις. Vide *Metaſtaſis*. Vel Chirurgice, & Gr. dicitur μοχλεία, i. e. *traductio* offis ad naturalem ſitum, Gal. *in def. med.*

TRAGACANTHA, τραγάκανθα, vocatur lachryma vel gummi mucaginoſum, quia in aqua ſolutum mucilaginem exhibet, pellucidum, album, ſubdulce, leve ac ſincerum, granulis plerunque fragmentisve contortis conſtans, à radice plantæ ejuſdem nominis, vel ſponte, vel vulnerata profluens, vim refrigerandi, humectandi, emolliendi, leniendi habens. De quo legatur Gal. *l.* 8. *S. Fac.* §. *Tragacantha.* Schrod. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 410. Fr. Hofm. *in Clav. ad h. l.* Dicitur & in neutro genere frequenter *Tragacanthum*, Rhod. *in Lexic. Scribon.*

TRAGASIUS, τραγάσιος, epitheton *ſalis* ex *aquis* ſtagnantibus *Tragaſiis* non procul à *Smintho* collecti, reſpondentisque marino, cujus meminit Gal. *l.* 11. *de S. Fac.* §. *Sal.*

TRAGEA, *Tragema*, τράγημα, olim idem fuit, quod *Bellarium*, πέμμα, *menſa ſecunda*, vocabatur, olim omne id, quod poſt cœnam, voluptatis inter bibendum excitandæ gratia, aſſumebatur. Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 34. Jul. Alex. *l.* 8. *Sal. c.* 9. Lang. *l.* 1. *ep.* 56. Hodieque vero uſitate ſignificat *Tragea* pulverem aromaticum ſaccharo plerunque ad pondus omnium, imo etiam in majori quantitate conditum, ventriculi corroborandi, flatusve diſcutiendi gratia uſurpandum. Weker. *A. G. l.* 1. *c.* 27. Schrod. *l.* 2. *c.* 77.

TRAGELAPHUS, τραγέλαφος, qſ. *Hircicervus*, animal quadrupes hirco & cervo ſimile, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 1. *de quadrup. biſulc. c.* 29.

TRAGOMASCHALOS, τραγομάσχαλος. Vide *Hircus*.

TRAGOS, τράγος. Vide *Hircus*.

TRAGUM, *Tragus*, τράγος, τράγος σιτώδης, eſt cibi frumentacei genus, quamvis non adeo certo conſtet, qualem proprie denotet. Meminit Plin. *l.* 18. *H. N. c.* 7. & 10. & Celſus inter boni ſucci cibos refert *lib.* 2. *c.* 20. ad quem locum notavit Pantinus *p. m.* 303. *Tragum* fieri ex Olyra generoſiſſima decorticata: Olyra vero vel eſt ipſa Zea, vel Zeæ aut Tritico optimo reſpondet, ut ita Tragum ſit idem, quod Ptiſana, quæ alias ſtricte ex Hordeo parari dicitur. Convenire nobis videtur cum noſtro vernaculo **Grieß**. Jung. Bruyerin. *de re cibar. lib.* 5. *cap.* 15.

TRAHA, terminus metallurgorum; vernacule per inſtrumentum attollens hebezeug expreſſus, apud Baſil. Valentin. *Teſtam. ult. libr.* 1. *cap.* 41.

TRAHENS, idem, quod *Attrahens*, ἑλκτικὸς, vide *Helcticos. Attractio.*

TRAMIS, τράμις, vocatur Ruffo *l.* 1. *de part. corp. hum. nominibus c.* 12. *linea* per medium genitalis ad anum uſque diſcurrens, quæ & ὄῤῥος appellatur. Erotian. *Onomaſt. p.* 111. *d.* Foëſ. *p.* 622.

TRANQUILLITAS, æquivocum eſt. Vel enim de corpore uſurpatur, & ita idem eſt, quod *Quies*, ἡσυχία. Vide *Heſychia.* Dieter. *n.* 381. vel de aëris ſerenitate, & dicitur εὐδία. Vide *Eudia.* Vel de mari, & dicitur γαλήνη. Vel etiam de animo quieto, & dicitur εὔνοια.

TRANSCENSIO, μετάβασις, idem, quod *Transgreſſio*, *Tranſitio.* Vide *Metabaſis.*

TRANSCOLATIO, idem, quod *Colatio.* Gr. διυλισμὸς. Vide *Diyliſmos.*

TRANSFIGURATIO, vel *Transfigurativa*, vocatur ſpecies *Magiæ*, quæ docet formare corpora viventia magice, apud Paracelſ. *l.* 1. *Philoſ. ſagac.*

TRANSFORMATIO, μεταμόρφωσις, idem, quod *Transfiguratio* vel *Transmutatio*, de quo vocab. paulo inferius.

TRANSFUSIO; quid in genere ſignificet, notum eſt, Gr. διάχυσις dici poteſt, vel potius μετάχυσις, i. e. liquoris ex uno vaſe in aliud fuſio. Specialiter ſumitur de ſingulari artificio transmittendi per certos canales vivum ſanguinem, vel animalis, vel hominis alterius in aliud animal, vel alium hominem; quæ operatio uti non ita pridem inventa fuit, ita mox exolevit: nec immerito ſuſpecta, minimeque in uſum vocanda nobis etiam videtur. Hujus artificii inventores primi dicuntur fuiſſe Angli, quamvis ob metum periculi circa vitam humanam & pœnarum legis, quæ ſtricte in illo regno obſervantur, Experimentum hoc non aggreſſi ſint in hominibus, quod tamen Galli poſtea fecerunt, videantur *Acta Philoſophica Societatis Regiæ Anglicæ* Oldenburgii de An. 1667. quamvis & in aliis locis (quæ in Indice dicti Autoris haberi poſſunt) de hoc argumento lectu digna occurrant.

TRANSGLUTITIO, καταπόσις, idem, quod *Deglutitio.* Vide *Catapoſis.*

TRANSITUS, μετάβασις. Vide *Metabaſis.*

TRANSLATIO, μεταφορὰ, in Rhetoricis tropus eſt notiſſimus, quo etiam aliquando uſum eſſe Hippocr. teſtatur Gal. 3. *de fract. t.* 44. Alias vero docenti vitanda *translatio*, *l.* 3. *de diff. pulſ. c.* 7. Accipitur etiam pro *Transmutatione*, Libav. *T. III. Oper. p.* 193. *Translativus motus* Gr. dicitur μεταληπτικὴ κίνησις. Vide *Metalepticos.*

TRANSMISSIO, διαπομπὴ, παραπομπὴ, idem quod *Emiſſio.* Dicitur de ſemine effuſo, à verbo παραπέμπω; *transmitto*; quod hac in ſignificatione accipitur ab Hipp. 5. *aph.* 63. Vide Diet. *n.* 651.

TRANSMUTATIO, μεταβολὴ, μεταλλαγὴ, μεταμόρφωσις, idem, quod *Mutatio.* Vide *Metabole.* Hodieque terminus eſt receptiſſimus in Chymicis, quando ſumitur de artificio converſionis metallorum imperfectiorum in perfecta. De qua *Transmutatione* evolvi poterunt varia ſcripta Spagyricorum antiqua & nova, v. g. Theatrum Chymicum, Paracelſus, Libavius & alii. Nobis placet candida ἐπίκρισις & dehortatio Rolfinkii *Chymiæ l.* 6. *c.* 13.

TRANSNATURALIS, μεταφυσικὸς, alias *Supranaturalis*, dicitur de iis, quæ nulla ratione dependent effective à natura, neque etiam proprie præternaturalia dici poſſunt, quia non directe naturæ adverſantur aut eam lædunt: quamvis etiam *Morbi* quidam *transnaturales* appellentur, quorum cauſſæ aliunde, quam à natura petendæ, quales fortaſſis ſunt Morbi à faſcino, vel incantatione. Terminus hic occurrit apud Libav. *Tom. III. Oper. p.* 4.

TRANSPARENS, διαφανὴς. Vide *Diaphanes.*

TRANSPIRATIO, διαπνοὴ. Vide *Diapnoe.*

TRANSPLANTATIO, μεταφυτεία, proprie dicitur plantæ alicujus de loco in alium locum plantatio, apud Theophr. *lib.* 2. *hiſt. c.* 17. Quam Chymici *Transplantationem* naturalem vocent, videatur prolixius apud Senn. *de Conſenſ. & diſſ. Chymicor. cap.* 12. Alias peculiaris quædam curandi ratio Paracelſica nomine *Transplantationis* venit, quando morbus hominis, ceu Microcoſmi, transfertur in aliud Macrocoſmi ſubjectum, vel vegetabile, vel animale; quam commendavit Paracelſ. *tr. de phthiſ. in fin.* Jungantur *Epiſtolæ* D. Joh. Ludov. Hanmanni & D. Th. Bartholini de hoc argumento *in Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 107. *p.* 226. *ſeqq.* Enimvero quod ſuſpecta ſit talis cura de Magicis præſtigiis, jam alii notarunt, unde & Libav. eandem improbavit *Tom. III. Oper. p.* 4. & 8. Merito igitur admirandum, quod & hodieque inter Medicos, qui Dogmatici volunt haberi, & vere Chriſtiani, nonnulli ſint, qui hanc curandi rationem approbant, & in uſum vocare non verentur. Latius hoc vocabulum ſumſit Pathologice & Therapeutice per varias ſignificationes exponens D. Hermannus Grube peculiari tractat. de *Transplantatione morborum.*

TRANSPOSITIO, μετάθεσις, idem, quod *Translocatio.* Vide *Metatheſis.* Sumitur & pro *Transmutatione* metallorum *in Th. Chym. Vol. I. p.* 564.

TRANSSUDATIO, Gr. dici poſſet διίδρωσις, in Chymicis vocatur, ſi in deſtillatione deſcenſoria eſſentia prolecta transſudat, guttatimque in receptaculum defertur, calore ſupra admoto. Focus enim ſupra eſt circa ergaſtulum, unde & igne circulari agi dicitur. Furno fit deſcenſorio. Balneo deſcenſorio, arena deſcenſoria & ſimili arte. Rul. & Iohnſ.

TRANS-

TRANSSUMTIVUS, μεταληπτικὸς. Vide *Metalepticos*.

TRANSVERSALES, vocantur Muſculi duo in dorſo ſiti, cervicem extendentes & in poſteriora flectentes. Barthol. *l.* 4. *An. c.* 6. *p.* 568.

TRANSVERSUS, ἐγκάρσιος. Vide *Encarſios*. *Tranſverſaria machinarum*, διαπήγματα. Vide *Diapegmata*. *Tranſverſi* alias etiam cognominantur diverſi Muſculi v.g. Abdominis, Barthol. *l.* 1. *c.* 6. *p.* 56. Humeri *Tranſverſus brevior*, qui & Rotundus minor dicitur, *l.* 4. *c.* 2. *p.* 651.

TRANSUO, dicitur de operatione Chirurgica Galeno κατὰ θῆξιν dicta, vide *Thexis*. quo verbo notatur integra perforatio acu & filo facta, quod Celſus vocat *l. V. c.* 26. corpus acu *tranſuere*. Rhodius *in Diſſ. de Acia c. XII. p.* 165.

TRAPETOS, τραπητὸς, epitheton vini primarii, quod uvis calcatis ſeu pede preſſis effluit; *Vinum preſſum* vocatur. Lind. *Ex. X.* §. 181.

TRAPEZA, τράπεζα. Vide *Menſa*.

TRAPEZIUS, τραπέζιος. Vide *Cucullaris*.

TRARUMES, dicuntur umbrarum & ſpectrorum inviſibiles, auditæ tamen actiones. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TRAULOS, τραυλὸς, τραυλότης. Vide *Balbuties*. Dieter. *n.* 837.

TRAUMA, τραῦμα, idem, quod τρῶμα. Vide *Vulnus*. Dieter. *n.* 838.

TRAUMATICOS, τραυματικὸς, Lat. *Vulnerarius*. Dicitur de medicamentis, quæ alias κολλητικὰ, *glutinatoria*, item *conſolidativa* vocantur. Galeno etiam ἔναιμα, vi adſtrictoria prædita. Gorr. De decocto *Traumatico*, vel *Vulnerario* vide Hildan. *de Ichor. & Meliceria c.* 7. *Vulnerariorum* virtus medicamentoſa ex ſententia recentiorum videtur conſiſtere non in pure ſubſtantia volatili, neque in fixa, ſed in media quadam inter volatilem & fixam, & ita in ſale quodam Eſſentiali plus minus Tartareo-Nitroſo; unde fit, ut partim polleant facultate ſordium deterſiva, partim conſolidativa.

TRECHEDEIPNOS, τρεχέδειπνος, vocatur *patinarum aſſectator*, h. e. qui ad convivia accurrit, etiam non vocatus. Lind. *Ex. XVI.* §. 226.

TRECHYSMA, τρήχυσμα, pro τράχυσμα, Ionic. *Aſpredinem* ſignificat, & idem eſt, quod τράχωμα. Vide p. a. *Trachoma*. Legitur vero apud Hippocr. *l.* 2. *Epid. ſ. III.* 21. item τρηχυσμὸς, *exaſperatio* inteſtini 5. *de R. V. I. A. t.* 36.

TREMA, τρῆμα, Latine *foramen* dicitur. Linden. *Ex. V.* §. 37. h. e. locus apertus *forando*. Gal. *l. de cauſſ. morb. c.* 11.

TREMOR, τρόμος, eſt motus convulſivus, conſiſtens in impedita vel imbecilliori cauſſæ vel materiæ contractivæ, nihilominus indefinenter urgentis virtute. Cauſſa ejus non materia quædam craſſior, ſed tenuis eſſe poteſt, videlicet aura vel vapor quidam aciditate quadam volatili & ſubtili ſpiritus animales irritans, œſtri inſtar exercens, partes nervoſas vellicans, & ad contractionem, ſed inſufficientem, continue inſtigans. Species ejus ſunt *Tremor* Cordis, Oculorum, Labiorum, Artuum, aliquando & totius corporis, &c. Plura de *Tremore* legi poſſunt apud Gal. paſſim, imprimis *lib. de trem. & palpit. &c.* & apud Willis *Pharm. Rat. I. ſ.* 6. *c.* 3. ubi egregie *Tremoris* naturam expoſuit. Τρεμώδης, *tremulus* dicitur, & ſæpe uſurpatur apud Hippocr. de ægris, de febribus, manibus, &c. quæ loca videantur apud Foëſ. *Oec. p.* 623. Jung. & Dieter. *n.* 844.

TREPANUM, τρύπανον. Vide *Terebella*.

TREPIDATIO, partim de corpore dicitur, & ita idem eſt, quod *Tremor*, τρόμος, partim de animo, & ita coincidit cum *Metu* ac *Pavore* vehementiori, cum animus conſternatus eſt, & abjectus, Jul. Alex. *l.* 22. *Sal. c.* 3. *Trepidum* morbum incurabilem dixit Paracelſ. *de morb. Ament. tr.* 2. *cap.* 6.

TREPONDO, i. e. tres *libræ*. Legitur apud Scribon. *n.* 165. 271. Rhod. *in Lex. Scrib.*

TRIÆNA, τρίαινα, Lat. *Tridens*, vocatur inſtrumentum triplici acie dentata conſtans, unde τριαινοειδὲς καυτήριον, *tridentiforme cauterium*, actuale ſive ferrum ignitum, legitur apud Ægin. *l.* 6. *cap.* 48.

TRIANGULARIS, dicitur in genere de omni corpore, quod figuram *Trianguli* repræſentat. Ita Muſculus Thoracis, vel potius Sterni proprius hoc venit nomine, Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 4. *p.* 566. & alius, quem in cubito ſe obſervaſſe ſcribit idem *d. l. c.* 8. *p.* 574. Ita & *Deltoides Muſculus Triangularis* Humeralis appellatur, *d. l. c.* 2. *pag.* 560. Oſſiculum quoque inter ſuturam lambdoideam & ſagittalem ſitum, Triangulare, aliis *Triquetrum* vocatur, ad Epilepſiam peculiari virtute conducere vana perſuaſione creditum, quamvis & præter hoc alia adhuc oſſicula *triangularia Cranii* in ſutura lambdoidea inventa ab Olao Wormio ſcripſerit idem Barthol. *libell.* 4. *c.* 5. *p.* 704.

TRIANGULUS, τρίγωνος, *Trigonus*, quid ſit, ex Mathematicis cognoſci debet. Tranſlatum vero vocabulum à Spagyricis myſtico ſenſu ad ſuas hypotheſes & commenta de triplicitate vel trinitate principiorum, de quo *Triangulo* vide *Th. Chym. Vol. IV. p.* 609. Aliud vero *Triangulum* legitur ex terra, fimo & cineribus conſtans, *Vol. I. pag.* 431. Vide etiam *Trinitas*. Alias apud Gal. quoque τρίγωνα medicamenta quædam narcotica ad torporem præſentem inducendum mitiora, ex ſeminibus compoſita, Gal. *l.* 12. *M. M. c.* 1. & in ſpecie *Paſtillus* quidam τρίγωνος vocatur, non ex numero ingredientium, cum quatuor ſint, ſed à figura triangulari, qua fingebatur: Olim celebris ad ſiſtendos dolores. Deſcribitur diverſimode à Gal. *l.* 7. *de C. M. S. L. c.* 5. Ægin. *l.* 7. *c.* 12. ubi & *Diaſpermaton* vocatur, Gorr. Caſt. *Trigonum* quoque Aſtrologorum figmentum vocatur ſpirituum aſtrorum tranſmutatio

quadruplex

quadruplex juxta numerum quatuor Elementorum; quorum unumquodque regere ac durare dicitur 200. annos. Ut cum *Trigonum igneum* incipit, ſuperni Planetæ ſuam conjunctionem habent in igneo ſigno, donec igneum hoc durabit, & ſic de reliquis, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TRIAQUATUOR, τριατέτταρα, non videtur eſſe nomen medicamenti compoſiti totius apud Galen. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 13. uti voluit Jul. Alex. *not. ad h. l.* ſed potius nomen ponderis proxime præcedentis, videl. Terebinthinæ pondo ſeptuaginta quinque, (quod *triaquatuor* inſcribitur) quemadmodum & in eadem compoſitione pondo centum *Mina* vocatur.

TRIAS, τριάς. Vide *Trinitas.*

TRIATETTARA, τριατέτταρα. Vide *Triaquatuor.*

TRIBE, τριβή, Latin. *Exercitatio* dicitur, idem, quod ἄσκησις. Vide *Exercitatio.* Hinc τριβική experientia dicitur Gal. quaſi jam *trita*, quam ab experimentali diſciplina ductam ſoli artifices uſu exercent, Gal. *l. de ſubfig. empir. c.* 2.

TRIBOS, τρίβος, proprie *viam tritam* & hominum calcatam veſtigiis ſemitam & callem ſignificat. Tranſlative vero *pro loco*, uſu & conſuetudine *attrito* aut calloſo ſumitur, teſte Gal. *c.* 1. *de artic. t.* 21. Legitur & *in Mochlico XXIV.* 21. item *in* 2. *de iis*, *q. in medic. t.* 9. ubi videtur notare ipſam partem membri, qua vel inflexum, vel intentum, vel in latus moram faciens operatur, exponente Galen. *in comm.* quales ſunt plantæ pedum in ambulantibus, nates in ſedentibus, occiput in decumbentibus, Foëſ. *p.* 622.

TRICA, πλόκαμοι, ſignificat proprie implicatas connexiones in naſſis & retibus. Galen. *in Timæo Plat. t.* 13. Uſurpatur & de omni intricata re, vel oratione.

TRICAUDALIS, epitheton muſculi in aure externa. Vide *Bicaudalis.*

TRICEPS eſt epitheton Muſculi triplici principio ab oſſe pubis & coxendicis ad femoris lineam aſperam inſerti, Barthol. *l.* 4. *Anat. c.* 11. *p.* 579.

TRICHES, τρίχες, *Capilli*, *Pili.* Vide *Pilus. Capillus.*

TRICHIASIS, τριχίασις, quemadmodum in genere certum eſt, hoc vocabulum ſignificare *Pilarem affectum*, vel *Pilare malum*, ita non ſtatim conſtat, quam ejus ſpeciem denotet. Dicitur enim τριχίασις morbus, quando cum craſſa urina veluti pili una exeunt, ex Hippocr. 4. *aph.* 76. qualia corpora à ſedimento craſſo & viſcoſo poſſunt concreſcere. Vide Linden. *Ex. XVI.* §. 20. *ſeqq.* Deinde *Trichiaſis* vocatur affectus palpebrarum, quando pili inutiles & pungentes iiſdem innaſcuntur, Galen. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 8. vide & *Phalangoſis.* Tandem τριχίασις quoque vocatur *mammarum dolor*, quem pilus aliquando movet in poculo forte hauſtus. Is autem non ſedatur, donec pilus, vel preſſus ſponte exeat, vel cum lacte exugatur. Ludov. Bonaciolus *Muliebrium lib.* 1. & extat inter Gynæciorum ſcriptores *p. m.* 632. Id mali genus etiam τριχίαν vocant, Foëſ. *p.* 623. Gorr. Caſtell. Erotianus ſimpliciter definit λαπίδοσιν affectum vel abſceſſum in mammis.

TRICHISMOS, τριχισμὸς, dicitur *fracturæ ſpecies tenuiſſima* & veluti pilaris, ita ut ſenſum fere effugiat, hinc etiam mortis aliquando cauſſa eſt, quia non ſe facile prodit, Ægin. *l.* 6. *c.* 90. Gorr. Latine etiam *Capillatio* vocatur in latina editione Obſervationum Medico-Chirurgicarum Jobi à Mekren *c.* 1. *p.* 15.

TRICHOLOGEO, τριχολογέω, *floccos lego*, vel vello. Signum phreniticorum pernicioſum apud Hippocr. *l.* 3. *Epid. ægr.* 3. *poſt. ſtat. peſtil.* Foëſ. *d. l.*

TRICHOPHYES, τριχοφυὲς, vocatur medicamentum *ad pilos generandos* faciens apud Nonum *de P. M. C. c.* 19. *p. m.* 13.

TRICHOSIS, τρίχωσις, idem, quod τριχίασις; *affectus pilaris* palpebrarum, Hippocr. 4. *de R. V. I. A. t.* 123.

TRICHOTON, τριχωτὸν, vocatur pars ea capitis, quæ capillis tegitur, *Capillitium.* Gorr.

TRICONGIUS, olim dicebatur, qui uno impetu epotavit *tres congios vini*, quemadmodum & *Bicongii*, qui duos epotare potuerunt congios. C. Hofmann. *Not. ad Galen. LL. de V. P. n.* 222. Foreſt. *lib.* 24. *Obſerv.* 1. *Schol.*

TRICOR, id eſt, *Aurum.* Rul. *in Lex.*

TRICOTYLOS, τρικότυλος, menſura dicitur *capiens tres heminas*, vel cotylas, Linden. *Ex. XVI.* §. 106. 107.

TRICUSPIDES, τριγλωχῖνες, vocantur membranulæ, vel valvulæ cordis ante oſtia venæ cavæ & venæ pulmonalis foris intus ſpectantes, quæ admittunt ſanguinem in cor. Galen. *l.* 6. *l.* 7. *de An. Admin. c.* 9. Bartholin. *l.* 2. *Anat. c.* 7. Latine etiam *Triſulcæ* appellantur.

TRIDUANUS, *Triduum*, διάτριτος. Vide *Diatritos.*

TRIENS, τρίτον τῆς λίτρας, i. e. *unciæ quatuor*; Gal. *l.* 4. *de C. M. P. G. c.* 14. De *Triente aurivoro* vide ex Plin. *l.* 34. *c.* 13. Libav. *S. A. Ch. lib.* 5. *c.* 5.

TRIFERTES, Paracelſo dicuntur ſpiritus ignem inhabitantes, Paracelſ. Philoſ. ad Athen. *l.* 2. *text.* 15. Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

TRIFURCATUS, vide *Bifurcatus.*

TRIGEMINUS partus ſive fœtus, vocatur, quando tres proles naſcuntur, quod naturali ordine factum fuiſſe aut fieri poſſe negat P. Amman. *Irenic. p.* 52. ſed portentoſum eſſe ſtatuit.

TRIGLA, τρίγλη. Vide *Mullus.*

TRIGLOGINES, τριγλωχῖνες. Vide *Tricuſpides.*

TRIGONOS, τρίγωνος. Vide *Triangulus.*

TRIMAMMIA;

TRIMAMMIA, i. e. tres habens Mammillas; quod vocabulum legitur *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 83.

TRINITAS, τριὰς, hoc vocabulum, ſacratiſſimum Perſonarum trium in Divina eſſentia Myſterium, exprimens, abuſive tranſlatum à Spagyricis ad triplicitatem ſuorum principiorum, ita ut non ſolum paſſim in eorum ſcriptis legatur, *Trinitatem* ineſſe omnibus, *Th. Chymic. Vol. I. p.* 454. *Trinitatem* eſſe naturalem *ibid. p.* 357. ſed & ſimul myſterium illud Deitatis ſanctiſſimum applicatum illi operi fallaciſſimo de Lapide Philoſophico, *Trinitatem unitatis* eſſe faciendam, quæ ſit certiſſima proportio. Riplæus *in axiom. Vol. II. p.* 111. Jung. & *Vol. V. p.* 338. O deteſtandam catachreſin! Vide *Ternarius.*

TRIOBOLON, τριώβολον, *pondus trium obolorum*; h. e. *drachma dimidia*, idem, quod ἡμίδραχμον. *Drachma* enim *ſex obolos* continet. Gorr.

TRIOMPHYLLON eſt nomen medicamenti compoſiti, ita dicti à recentibus rutæ foliis, & deſcriptum legitur in *Antidotario* Nicolai *Oper. Meſuæ fol.* 193. *b.*

TRIORCHIS, τριόρχις, proprie vocatur, qui *tribus teſticulis* præditus eſt, Rolfink. *de part. genit. P. I. c.* 11. Ob eandem rationem & ſpecies Accipitris vocatur *Triorchis*, τριόρχις, Lat. *Buteo*, cujus deſcriptionem vide apud Aldrov. *l.* 5. *Ornithol. c.* 7.

TRIPES, *Tripus*, τρίπους, proprie dicitur inſtrumentum, tribus pedibus innitens, quo utimur ad vas aliud recipiendum, ut ignis ad calefaciendum ſupponi poſſit. Rul. Dicitur & de ſcamno, vel ſella *tres pedes* habente; qualis *tripes* fuit ante oſtium Speluncæ Apollinis Pythii; unde proverbium ortum: *Ex tripode dictum.* Eraſm. *Adag. Chil.* 1. *cent.* 7. *n.* 90.

TRIPOLIS, τρίπολις, eſt terra coloris citrini intenſe, ſpeciesque videtur *Ochræ.* Uſus ejus nullus aut rarus in Medicina. Ad ſordes metallicorum præſertim orichalceorum vaſorum vulgo adhibetur. Schroder. *l.* 3. *c.* 2. *fin.*

TRIPSIS, τρίψις, vide *Frictio. Anatripſis. Tritio.*

TRIPUDIUM, idem, quod *Saltatio*, χορεία, *Chorea.* Pertinet ad Exercitationes corporis. Vide *Chorea. Tripudiorum* varia genera recenſuit Jul. Alex. *l.* 6. *Sal. cap.* 5.

TRIQUETRUM, vide *Triangulare.*

TRISCA, *Triſcha*, *Triſſia*, idem, quod *Muſtella*; vocatur piſcis fluviatilis, maxime lubricus, cujus hepar in deliciis habetur. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 2. Vide *Muſtela.*

TRISMOS, τρισμὸς, vel τριγμὸς, idem, quod τρίσις, *Stridor.* Vide *Stridor.* Gal. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. Scribitur & per Υ, ſed perperam. Deſcendit enim à verbo τρίζω, *ſtrideo.*

TRISPASTRUM, τρίσπαστρον, dictum fuit Machinamentum, quod excogitarunt Apellides & Archimedes Medici, & deſcribitur ab Oribaſ. *de machin. c.* 26.

Caſtelli Lexic. Med.

TRISPERMON, τρίσπερμον, *Cataplaſmatis* nomen eſt, ſic dictum à tribus ſeminibus, quibus componitur, cumino, baccis lauri, & apii ſemine. Valet contra Colicum dolorem. Gorr.

TRISTITIA, idem, quod *Mœror*, Gr. λύπη. Vide *Lype.*

TRISTO, Paracelſo dicitur ignis materialis, qui continetur in omnibus quatuor elementis, & operatur ad effectus cujusque elementi proprios. *l.* 2. *Philoſ. Tract.* 1. *de Elemento Ignis. c.* 1.

TRISULCÆ, vide *Tricuſpides*, τριγλώχινες.

TRITÆOPHYES, τριταιοφυὴς, dicitur *febris ad tertianæ naturam accedens*, non vero exacte typum tertianæ per omnia obſervans. Ita ut omnes febres, quæ tertio die invadunt, poſſint in genere appellari τριταιοφυεῖς. Galen. *c.* 2. *in l.* 6. *Epid. c.* 23. Jung. Foëſ. *p.* 622. C. Hofmann. applicavit ad *continuas tertianæ* typum ratione exacerbationis obſervantes. *Apol. pro Gal. l.* 3. *c.* 311. *D. E. F.* quemadmodum & Linden. *Exerc. XV.* §. 15. 16. Eodem modo deſcripſit C. Rejes *C. El. q.* 68. *n.* 9. confer. omnino Erotianus.

TRITÆOS, τριταῖος. Vide *Tertiana.*

TRITARII, idem, quod *Diatritarii.* Vide *Diatrite.*

TRITICUM, πυρὸς. Vide *Pyros.*

TRITIO, *Tritura*, τρίψις, vocatur modus redigendi corpora craſſiora ſicca in pulverem, & miſcendi diverſos pulveres in unum. Meminit Gal. *l.* 1. *de Al. Fac. c.* 12. Weker. *A. G. l.* 3. *c.* 26. Vocatur & *Tritus*, de cujus circa aurum uſu mirabili & inſtrumento artificioſo D. Langelotti ſive Mola Philoſophica, vide *Ephem. Nat. Cur. A. III. Obſ.* 59. *Tritio* mineralium & Metallorum diuturnior faciliorem reddit Tincturarum extractionem. Jac. le Mort *Chymic. Medic. Phyſic. in fine pag.* 260.

TRITOMA, eſt inſtrumentum ad aures apud Albucaſim: ſi vero ſurditas adfuerit, fruſtra eſt omnis cura. Parac. *in Fragm. ad LL. Paragraph. in l.* 13. *&* 14.

TRITONES, vocantur *Homines marini* piſciformes, *in Eph. Nat. Cur. A. I. Obſ.* 23.

TRITORIUM, vulgo *Infundibulum*, dicitur vas tranſmittens in ſuperficie latum, & paulatim acuatum, cum manubrio annexo formatum. Rul. & Iohnſ. Parac. *de morb. ament. tr.* 2. *c.* 4.

TRITOS, τρίτος. Vide *Tertius.*

TRITURA, τρίψις. Vide *Tritio.*

TRIVIALIS, linea Paracelſi vocatur *Stratum*; ſive *ſolea terræ*, matrix ſeminibus mineralium gravida, quibus Dominus implantavit rationes, dona atque ſemina in ſeculum ſat futura. Helmont. *de Lithiaſ. c.* 1. *n.* 6.

TROCHANTERES, τροχαντῆρες, Lat. *Rotatores*, vocantur *proceſſus duo* ſuperiores *oſſis femoris*, quorum unus major, alter minor & inferior habetur, Gal. *l. de*

oſſib. c. 21. quamvis alibi *majorem* ſaltem τροχαντῆρα nominari ſcripſerit, *l.* 3. *Anat. admin. c.* 10. Vide & Barthol. *libell.* 4. *An. c.* 21. qui etiam ſaltem magnum hoc nomine indigitavit. Notetur, duos proceſſus eſſe diſtinctos ab oſſis femoris capite rotundo, quod acetabulo coxendicis inſinuatur, & quod Bartholin. proceſſibus annumeravit, atque ita tres numeravit.

TROCHILODES, τροχιλώδης, vocatur *rotunda brachii regio*, apud Galen. *l.* 2. *de V. P. c.* 15. Vide C. Hofm. *in not. ad. h. l. n.* 95.

TROCHILUS, τροχίλος. Vide *Regulus*. Verum & alia avis aquaticæ ſpecies hoc nomine indicatur, quæ deſcribitur ab Aldrov. *l.* 19. *Ornith. cap.* 65.

TROCHISCUS, τροχίσκος, Vide *Paſtillus*.

TROCHITES, τροχίτης, vocatur lapis quidam, forma ſimilis *trocho* illi, quo pueri luſitant, in gyrum agendo, in ſuperficie cinerei coloris; intus vero candidi, & ulterius deſcribitur à Chiocco *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 311.

TROCHLEA, τροχλία, proprie vocatur inſtrumentum aliquod mechanicum, quod in gyrum trahitur, ad attrahendum laqueos, & quæ illis annexa ſunt. In qua ſignificatione legitur apud Gal. *l.* 3. *de artic. t.* 25. Oribaſ. *de machin. c.* 4. Per tranſlationem quoque *Trochlea* vocatur particula cartilaginea, per quam muſculi ſexti oculum oblique moventis, *Trochlearis* propterea dicti, tendo tranſit, cujus deſcriptio habetur paſſim in Anatomicis, & inter hos Barthol. *l.* 3. *An. cap.* 8.

TROCHOIDES, τροχοειδής, epitheton eſt Articulationis, vel Commiſſuræ oſſium, quando unum axis more in alterum inſeritur, quod veluti rotæ rationem habet, uti in prima & ſecunda cervicis vertebra apparet. Latine poſſet *Axea Commiſſura* dici, Fallop. *in Obſ. Anatom. Tom.* I. *Op. p.* 359.

TROCHOS, τροχός, dicitur apud Hipp. *curſus circularis*, & opponitur recto, qui δρόμος, curſus ſimpliciter vocatur, *l. de Inſomn. V.* 4. 10. *IX.* 6. *lib.* 2. *de diæt. XLI.* 15. *lib.* 3. *XXI.* 23. *XXIII.* 5. *XXV.* 21. Jung. Foëſ. *p.* 626. Significat & ludi pueriles materiam ligneam, de quo vide *Trochites*.

TROCTOS, τρωκτὸς, idem quod τρώξιμος, dicitur de illis, quæ *cruda comedi* poſſunt, ut ſunt raphanus, lactuca, bulbi &c. Illud legitur apud Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. XI.* 21. Hoc vero *l. de int. aff. XXXIII.* 36. *XXXVII.* 3. Vide Foëſ. *p.* 628.

TROGLE, τρώγλη, vocatur proprie *foramen*, vel *caverna* eroſione facta, imo & inciſiones & fiſſuræ τρῶγλαι dicuntur. Apud Hippocr. vero τρῶγλαι appellantur *meatus*, foramina & cavitates, quæ *in carne* inſunt, in quibus humidum continetur, *l. de Carn. vel princip. X.* 7. 8. Foëſ. *d. l.*

TROGLODITES, τρωγλοδύτης, vocatur ſpecies paſſeris, imo *paſſerculi*, cujus mirabilis virtus in expellendo calculo à veteribus deprædicata fuit, & deſcribitur ab Aldrov. *l.* 16. *Ornith. c.* 3. Meminit & hujus virtutis Lang. *l.* 2. *ep.* 58. *circa fin.* Th. Chym. *Vol. II. p.* 155.

TROGLODYTICA, τρωγλοδυτική, vocatur *Myrrha* optima, à patria, videlicet *Troglodytis*, Ægypti populis. Vocatur & τρωγλῖτις. Vide Rhod. *ad Scrib. n.* 90. Gorr.

TROMA, τρῶμα, idem, quod τραῦμα. Vide *Vulnus*.

TROMOS, τρόμος. Vide *Tremor*.

TRONUS, & *Tronoſſa*, dicitur cæleſtis ros ex aëre natus, omnium dulciſſima ſpecies Mannæ, denſa, tenax, & albiſſima præ cæteris, ex Mercurio regionis mediæ generata, & ſeparata prorſus ab omni ſulphure & ſale. Vere & æſtate decidit, maneque reperitur foliis arborum adhærens, ut alia Manna. Dorn. Rul. & Iohnſ. ex Parac. *l. de Caduco matricis* §. 2. *Fragm. ad libros Paragraph. l.* 9. *de ſignat. rer. natur. l. de Melle c.* 2. Elixir e *Tronco* meminit *in Archidox. l.* 8. *Elix. n.* 3.

TROPE, τροπὴ, præter ſignificationem politicam, qua mutationem & fugam in genere denotare ex aliis Lexicis conſtat, uſurpatur etiam de Solſtitio æſtivo & hyberno, apud Theophraſt. *l.* 7. *Hiſt. plant. c.* 1. Ariſtotelem & alios, quamvis recentiores de anni mutationibus in genere uſurpaverint. v. g. Willis *Pharm. Rat. Part. II. ſect. III. c.* 1.

TROPHE, τροφή. Vide *Alimentum*, *Nutrimentum*.

TROPHEMA, τρόφημα, Lat. *Edulium*. Cibus. Hipp. *l. de fiſtul. III.* 7.

TROPHES, τρέφης, h. e. *bene nutritus*, εὔτροφος, Gal. *in Ex. voc. Hipp.* quamvis Foëſ. velit τρόφις per iota, *Oec. p.* 525.

TROPHIODES, τροφιώδης, ſignificat apud Hipp. *craſſamentum aliquod compactum* urinæ innatans, enæorema quoddam globoſum & confertum, qualia in magna crudæ materiæ copia & maligna febrium complexione, magno interno incendio, vehementi naturæ exagitatione, flatuumque & vaporum copia obſervari ſolent. Legitur *l.* 7. *Epidem. LVII.* 14. 29. 34. *Coac. t.* 578. Uſurpatur etiam de *excrementis alvi compactioribus ibid. t.* 604. Eſt vero vox ratione derivationis inter obſcuras repoſita & inſolens, dum τρέφισθαι debet πήγνυσθαι ſignificare. Vide Foëſ. *p.* 625.

TROPHOS, τροφὸς, nomen eſt medicamenti ἐμμότου, quod linteis illinitur ad replenda ulcera cava, & meminit ejus Æginet. *l.* 4. *c.* 40. *in fin.*

TROPICUS morbus, Chronicus. Arculanus *c.* 68. *in* 9. Rhaſ.

TROPOS, τρόπος. Vide *Modus*.

TROTTA, *Trocta* Æliano. Aldrov. *Amian*, ἀμίαν, vocat, eſt piſcis marinus, gaudens tamen etiam aquis dulcibus, cujus deſcriptio cum uſu in cibis videatur apud Aldrov. *l.* 3. *de Piſc. c.* 20. Jul. Alex. *lib.* 15. *Salubr. c.* 4. Bruyerin. *de re cib. l.* 22. *cap.* 15.

TROXIMOS,

TROXIMOS, τρώξιμος, idem, quod τρωκτὸς. Vide *Troctos*.

TRUNCULI, ἄκρα, dicuntur *extremæ brutorum partes*, v. g. pedes, aures, caput, quia poſt mactationem truncantur à reliquo corpore. Legitur apud Celſ. *l.* 2. *c.* 20. *&* 22. ubi ad priorem locum vide Comment. Pantini, qui ſatis accurate expoſuit. Calculum ſuum addidit Rhod. *ad Scribon. in not. pag.* 6. Sunt tamen, qui mendoſam vocem hanc habuerunt, inter quos Cæſarius ad Celſum.

TRUNCUS, στέλεχος, proprie dicitur ea arboris pars, quæ ex radice ſurgit, & poſtea in ramos dividitur. Sæpe etiam tranſlatum ſumitur ad corpus humanum, excepto capite & artubus. Ita & arteria magna e cordis ſiniſtro ventriculo, & vena cava à dextro ventriculo excurrentes vocantur *trunci*, reſpectu ramorum, qui in partes corporis reliquas diſtribuuntur, Gal. *l.* 1. *de Hippocr. & Pl. decr. c.* 7. Barthol. *libell.* 1. *An. c.* 5. 8. *libell.* 2. *c.* 2. *&* 5.

TRUPHAT vocatur Paracelſo multa virtus mineralum, quæ metallum quodvis in ſuum eſſe prædeſtinatum cogit, *l.* 1. *Philoſ. ad Athen. text.* 9. Dorn. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

TRUTES quid ſit in metallifodinis, videatur apud Baſil. Valent. *Teſtam. ult. l.* 1. *c.* 40.

TRUTTA, πυρὸς, nomen piſcis fluviatilis, inter delicias habiti, cujus deſcriptio cum uſu in cibis & Medicina, videatur apud Aldrov. *l.* 5. *de Piſc. c.* 12. Jul. Alex. *l.* 20. *Sal. c.* 11. qui cum *Trotta*, vel *Tructa* confundit, Schroder. *l.* 5. *cl.* 3. *n.* 93. ubi & *Aurata*, χρύσοφρυς dicitur. De generatione *truttarum* diſſerit & Helmont. *tr. Demonſtratur Theſis n.* 80. *ſeqq.* Aurum in *Truttis* fuiſſe repertum, legitur *in Th. Chym. Volum.* I. *pag.* 515.

TRYBLION, τρυβλίον, vel ſignificat catinum, *ollulam*, in qua aliquid aſſervatur, vel in quam materia ad ſuffitum immittitur, Hipp. *l. de Steril. XIIX.* 14. vel ſignificat certam menſuram, Latine *Heminam* dictam, *l. de int. af.* I. 51. *VII.* 36. *XIV.* 14. *XLIII.* 36. *XLIV.* 14. *XLV.* 13. *&c.* Apud Gal. quoque *de pond. & menſ. c.* 4. *Tryblium* inter menſuras refertur, & habere dicitur uncias novem.

TRYCHO, τρύχω, Emphaticum verbum apud Hipp. ſignificans *detero*, *conſumo*. Ita corpus dicitur *deteri*, *affligi*, conſumi à morbis, *l.* 2. *de morb. XXVI.* 24. *lib.* 3. *de diæt. XXIV.* 7. *l.* 1. *de morb. mul. XIV.* 10. 14. *XIX.* 8. *LXXXVII.* 36. *XCII.* 10. Et rurſus Medici debent τρύχειν, i. e. *retundere*, *proſternere* morbos, *l. de morb. ſacr. XIIX.* 32. Jung. Foëſ. *p.* 627.

TRYCHOS, τρύχος, ſignificat *pannum lacerum* & attritum, ῥάκος alias dictum. Hinc diminutivum τρύχιον *panniculum attritum* notat; idem, quod ῥακίον Quo aliquoties uſus Hipp. v. g. *l. de morb. mul. XXIII.* 3. *l.* 2. *LXXX.* 8. *& alibi.* Vide Foëſ. *p.* 628.

TRYGE, τρύγη, *fruges cereales*. Unde τρυγαβόλιον, *locus*, *in quo frumentum reconditur.* Foëſius *p.* 626.

TRYGEPHANION, τρυγηφάνιον, *ſpecies tertia Loræ*, ſive vini ſecundarii, quod *Fecatum* Catonem appellaſſe, ſcripſit Linden. ex fecibus vini expreſſum. *Ex. X.* §. 199.

TRYGODES, τρυγῶδες, vocatur ſpecies Collyriorum, τῶν μονοημέρων, & magna ex parte Acacia conſtat; Lat *Fœculentum* dixeris, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L.* Idem, quod πηλάριον. Vide *Pelarion*.

TRYGON, τρύγων. Vide *Turtur*.

TRYPANON, τρύπανον. Vide *Terebella*.

TRYPHERA, τρυφερὰ, vocantur in genere medicamenta, quæ Latine *Delicata* dici poſſent, & quidem vel ab effectu blando minusve dolorifico, vel à ſaporis ſuavitate. Ratione prioris olim dictæ fuerunt *Trypheræ duæ* apud Scribon. *n.* 230. ubi docet, curare hæmorrhoidas. Suntque medicamenta cauſtica, quæ tamen ſine dolore, & molliter exedunt & urunt, Gorræus. Ita & τρυφερὸν dicitur Collyrium, ἄδηκτον, quod nullam mordacitatem infert, Gal. *l.* 4. *de C. M. S. L. c.* 7. ad inuſtiones, puſtulas, χημώσεις laudatum. Ratione poſterioris olim *Paſtillus* vel *Trochiſcus* ad hæmoptoicos utilis τρυφερὸν dictus fuit, teſte eodem *l.* 7. *de C. M. S. L. cap.* 4. Ita & in Diſpenſatorio Auguſtano occurrunt quatuor compoſitiones Electuariorum, quorum unum purgans eſt, & *Tryphera Perſica* dicitur. Reliqua tria vero inter Antidota & compoſitiones Theriacales referuntur, dicunturque *Tryphera magna*, *minor*, & *Sarracenica*. In Pharmacopœa quoque Londinenſi noviſſimæ duæ compoſitiones hujus nominis leguntur *pag.* 272. *ſeq.* An vero à ſuavitate ita dici mereantur, alii judicent.

TRYPHONIS *Emplaſtrum*, τρύφωνος ἔμπλαστρος, cujus tria genera deſcribuntur apud Scribon. unum *ſubviride*, ſecundum *nigrum*, quod & βασιλικὸν dicitur, & tertium viride, quod & ἔνχλοον vocatur, *n.* 201. 203. 205. 220. Fuit vero *Tryphon* Chirurgus. Vide Rhod. *in Lex. Scrib.*

TRYPHOS, τρύφος, ſignificat *fruſtum*, *fragmentum*, & legitur apud Hipp. de *fruſto* amphoræ candente, cui materia ad ſuffitum imponitur, *l.* 2. *de morb. mul. LXXXVII.* 3.

TRYSMOS, τρυσμὸς, & τρύζω, idem, quod τρισμὸς, τρίζω. Vide *Triſmos*. Foëſ. *p.* 626.

TRYX, τρὺξ. Vide *Fecula. Fex.*

TUBA, σάλπιγξ, proprie inſtrumentum dicitur Muſicum, ſonorum, claſſicum, per inflationem aëris, cujus ſonus fortior refertur inter cauſſas epilepſiæ externas, Foreſt. *lib.* 10. *Obſ.* 54. *in Schol.* unde & deteſtandos monet tales ſonos, *d. l. Obſ.* 4. *Schol.* Ab Anatomicis tranſlatum hoc vocabulum *Tuba* ad canales duos graciles nerveos & candidos, ab uteri fundo ad teſtes muliebres excurrentes, *Tubæ Fallopii* dictas, hodieque ab Anatomicis pro oviductibus habitas, utpote ovulum à dictis teſtibus Ovarium potius dicendis

per ſpiritum genitalem ſeminis muſculi fœcundatum prolapſurum unum, duo vel plura ſuſpicientes, beneficio fibrarum carnearum motricium circa ovarium repertarum & per ligamenta uteri latiora ad tubarum fimbrias exporrectarum & ovario interveniente turgeſcentia genitali irritante ſeſe contrahentium & ovario proprius adducentium, ut ovum excipere queant. Harum prolixiorem deſcriptionem vide ſis apud D. D. I. M. Hoffmann. *Not. ad Horn. Microcoſm.* §. 67. p. 281. egregie etiam eas delineavit D. Goth. Bidloo *Anat. Tab. LIII.* de quibus vide Barthol. *l.* 1. *An. c.* 27. quas nonnulli hodieque pro adæquato conceptionis organo habere non dubitant. *Tubæ* quoque *aurifabrorum* exiguæ, σάλπιγγες, qua ignem inflando excitant, ad unum anatomicum tranſlatæ meminit Gal. *l.* 9. *An. adm. c.* 2. *fin.*

TUBEL, idem, quod *Squama æris*, vel metalli, Gr. λεπὶς. Vide *Lepis*, *Squama.* Rul. *in Lex.*

TUBELECH, pro *Duelech*, legitur apud Paracelſ. *l. de Tartar. morb. c.* 4.

TUBER apud Latinos æquivocum eſt. 1. habet ſignificationem Botanicam, & Gr. dicitur ὕδνον, vide *Hydnon.* Talia lapidoſa deſcribuntur à Chiocc. *in Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 411. ita & Fungi, ſive *Boleti Cervini* vocantur *Tubera* à Schroder. *lib.* 4. *cl.* 2. *n.* 415. Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. l.* Deinde etiam habet ſignificationem Pathologicam, quando *Tubera* vocantur *Tumores*, vel abſceſſus e corpore in rotundum erumpentes. Scribon. *n.* 82. Rhod. *in not. ad h. l.* Ita ſpecialiter à lue venerea oborti Tumores in capite molles, *Gummoſitates* alias dicti, vocantur *Tuberoſitates* à Foreſt. *l.* 32. *Obſ. in Schol.* Lang. *Tubera* vocavit, *l.* 1. *ep.* 42. Ita etiam diminutivum.

TUBERCULUM homonymon eſt, quod in Anatomicis tribuitur vel circulari fibroſitati Pylori inſtar muſculi Sphincteris, quam alii vocarunt *Tubercula* glanduloſa, teſte Barthol. *l.* 1. *An. c.* 9. vel proceſſibus oſſium ἀποφύσεις Græc. dictis, qui alicubi *Tubercula* oſſium vocantur. Idem *libell.* 4. *c.* 1. *fin.* In Pathologicis *Tubercula* Gr. dicuntur φύματα. Vide *Phyma. Tubercula* antroſa, veter. bubones. quia in glandulis tanquam ſpecubus latent, Reimundus Vinarius *de peſte lib.* 3.

TUBUS, *Tubulus*, σύριγξ, dicitur canalis quidam fiſtuloſus, ſive fiſtula, & quidem vel ſenſu proprio mechanico: in quo balneorum *tubuli* & *tubi* leguntur apud Rhod. *in not. ad Scrib. p.* 104. vel tralatitio eoque vel Phyſiologico, quando *Tubuli* vel *Siphunculi marini* deſcribuntur à Chiocco *in Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 56. Ita & *Tubuli lactei* vocantur canales ab ambitu mammarum ad papillarum veluti centrum coeuntes, Bartholin. *l.* 2. *An. c.* 1 *p.* 332. Ita D. Bidloo Aſperam arteriam vocat *Tubum pulmonarem* & Bronchia ejus *Tubulos*, videantur Ejus *Anatom. Tab XXIV. fig.* 8. & *Tab. XXV.* per aliquot figuras, vel Pathologico, quando Fiſtulæ, vel ulcera fiſtuloſa vocantur *Tubi*, vel *Tubuli*, Gal. *l.* 2. *de C. M. P. G. c.* 22.

TUERI, φυλάττειν, προφυλάττειν, idem, quod *Conſervare.* Hinc *Methodus tuendæ ſanitatis*, dicitur primaria Medicinæ pars, Græc. ὑγιεινή. Vide *Hygiene.* Jung. Rhod. *in Lex. Scribon.*

TUMBABA, *Tumpabar*, id eſt, *Sulphur vivum*, Rul. *in Lex.*

TUMBALUM, idem, quod *Tubel*, id eſt, *Squama metalli.* Rul. & Iohnſ.

TUMBIL, id eſt, *Terra.* Ruland. & Iohnſon. *in Lexic.*

TUMEFACTIO, διόγκωσις. Vide *Dioncoſis.*

TUMOR, ὄγκος, vide *Oncos*, *Oedos.* De *Tumoribus*, plane rebus alienis, v. g. pilis, lignis, teſtis, culicibus, repletis vide Caſp. Rejes *C. Elyſ. q.* 36.

TUMULTUS, θόρυβος. Vide *Thorybos. Tumultus* & ſtrepitus nimii quantum noceant in doloribus capitis, notavit Hildan. *Cent.* 1. *Obſ.* 20.

TUNICA, χιτών. Late idem ſignificat, quod *Membrana*, μῆνιγξ, ὑμὴν, uti vult Gal. *l.* 4. *de V. P. c.* 9. Omnino tamen aliquod diſcrimen inter hæc duo vocabula admittendum eſſe, arbitror, dum *Tunica* proprie ad uſum ſpectat in hoc conſiſtentem, quod aliud corpus tegat, operiat & involvat, & quaſi veſtiat. Dieterich. *n.* 922. *ex* 7. *aph.* 45. id quod de *Membrana*, qua tali neceſſario dici non poteſt, cujus idea conſiſtere videtur in homogeneitate, ſive ſimilari natura, & expanſione, ſive dilatatione, quamvis Bartholino aliud viſum fuerit, *l.* 1. *Anat. c.* 4. qui *Tunicæ* vocabulum ad vaſa reſtrinxit, contra Autorum uſitatam acceptionem. De *Tunicis oculi* vide eund. *l.* 3. *c.* 8.

TUPHUS, *Tufus*, pro *Typhos*, τῦφος. Vide *Typhos.* Keuchen. *ad Sam. p.* 140.

TURAS Paracelſo dicitur effectus arcanus *Aquæ*, quemadmodum *Thonus* Terræ & *Samies* Aëris ſunt effecta, *Phil. ad Athen. l.* 2. *text.* 13.

TURBA, ὄχλος, vocatur hominum multitudo inordinata, Dieter. *n.* 294. Dicitur & de rebus, *ibid. Turba* etiam idem, quod *Perturbatio. Turba* quoque pro *Turban* ponitur à Dorn. & Rul. de quo p. a. quamvis & hanc addiderint ſignificationem, quod *Turba magna* dicatur aſtrorum firmamenti innumera multitudo. *Turba Philoſophorum* vocatur ſcriptum quoddam Spagyricum, quod occurrit *in principio Volum. V. Theatri Chymici.*

TURBAN *magna* eſt figmentum Paracelſicum, pertinens ad *Eveſtrum Propheticum*, & cujus eſſentia conſiſtit in præſagio omnium eorum, quæ fiunt in quatuor elementorum mundis, *d. l. text.* 20. Dorn. Ruland. Nugæ.

TURBATIO, ταραχὴ, τάραξις, vide *Taraxis*, idem, quod *Perturbatio.* Sumitur etiam ab Hipp. pro *irritatione*, Gal. *c.* 1. *de Humor. t.* 16.

TURBEDON,

TURBEDON, Arab. nomen purgantis, quod communiter *Turbith* vocatur, de quo p. p.

TURBINATUM, κωνάριον, κωνοειδὴς, vide *Conarion*. *Turbinata* quoque vocantur certa quædam *Teſtacea*, v. g. *Buccinæ*, & alia, de quibus Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 1.

TURBITH vocatur purgans quoddam exoticum, ſimplex, vegetabile, de quo uti certum eſt, eſſe radicem quandam, ita adhuc incertum eſt, cujus plantæ proprie radix ſit dicenda. Hujus purgantis deſcriptionem, & uſum Medicum ſimplicem, & in compoſitionibus, vide apud Schroder. qui *Turpethum* vocavit, *l.* 4. *cl.* 4. *n.* 440. Fr. Hoſm. *in Clav. ad h. l.* Rolf. *de purgant. ſ.* 14. *art.* 4. *per tot.* qui *Turbedon* ſcripſit, Freitag. *Auror. Med. l.* 2. *c.* 30. Tranſlata porro vox *Turbith* & *Turpethi* ad Chymiam, ubi *Turbith* & *Turpethum minerale* vel in genere dicitur coagulum ſpecificum fixum, quod abſtractis impuritatibus, & indomita volatilitate, ſegregatis in imo vaſorum conſiſtit, & paratur maxime ex mineralibus, quorum eſſentia & vis ſpecifica potiſſimum eſt in parte conſtante, aut ſaltem, ut uſibus artificioſis ſit accommodata, in hanc formam redigitur. Vel in ſpecie vocatur *Mercurius abſque corroſivo præcipitatus* in dulcedinem, Rul. & Iohnſ. *in Lex.* Hujus uſum noxium in affectibus hepatis & viſcerum abdominis notavit Hildan. *Cent.* 4. *Obſ.* 40. Plura de *Turpethis mineralibus* vide apud Libav. *S. A. Ch. l.* 6. *c.* 19. In ſpecie de *Turpetho Antimonii*, *d. l. c.* 21. de *Turpeth Veneris*, *d. l.* 7. *c.* 15.

TURBO homonymon eſt. Vel enim denotat *ventum procelloſum*, qui Græc. λαῖλαψ dicitur. Vide *Lælaps*. Vel *Conchyliorum* certa genera, quæ *Turbines* vocantur, & deſcribuntur ab Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. cap.* 16. *ſeqq.* Græc. στρόμβοι vocantur, vide *Strombos*. Jung. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 30. *ſeqq.* Differunt à *Turbinatis*, quod *Turbines* in longiorem & acutiorem verticem deficiant, quam hæc. Legitur & apud Aldrov. *Turben.*

TURBOTUS, idem, quod *Rhombus*, de quo ſuperius ſua litera. *Muſ. Calc. ſ.* 3. *p.* 419.

TURBULENTUS, *Turbidus*, ταραχώδης, idem, quod *Perturbatus*, vide *Tarachodes*. In ſpecie Urinæ *turbulentæ* dicuntur Hipp. οὖρα ἀναπεπαραγμένα, returbatæ, *Coac. t.* 333.

TURCHOSA, *Turcois*, *Turchois*, vocatur gemma, vel lapis pretioſus elegantiſſime cœruleus, de cujus compoſitione vide *Theatr. Chym. Vol. IV. p.* 190. viribus admirandis, *Vol. V. p.* 388.

TURDUS, κίχλη, æquivocum eſt. Primum enim nomen eſt avium quarundam. Sunt enim certa genera, quæ *Turdorum* nomine veniunt, quorum hiſtoriam, cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrov. *l.* 16. *Ornith. c.* 1. *ſeqq.* J. Alex. *l.* 13. *Salm. c.* 8. Bruyer. *l.* 15. *c.* 37. Deinde nomen eſt piſcis ſaxatilis, ſquamoſi, cujus etiam plures dantur ſpecies, & deſcriptæ leguntur apud Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 3. Jul. Alex. *l.* 14. *Sal. c.* 3. Bruyerin. *l.* 19. *c.* 7.

TURGENTIA, *Turgeſcentia*, ὀργασμὸς. Vide *Orgao*, *Orgaſmos*.

TURIONES ſunt teneritates ſummitatum in arboribus, quæ ſingulis annis creſcunt, Schrod. *l.* 1. *t. c.* 2. *lit.* T.

TURPETHUM, vide *Turbith*.

TURPILOQUIUM Gr. dici poſſet fortaſſis αἰσχρολαλία, improborum vitium proprium. Non improbi bulimia *turpiloquii*, imperiti pica vaniloquii laborant. Utrumque à Medicis ſit alienum, Linden. *Ex. II. p.* 29.

TURPIS, *Turpitudo*, ἀσχημοσύνη, proprie dicitur vitium oppoſitum formoſitati, εὐσχημοσύνη, ſive pulchritudini, Galen. *libr.* 11. *de V. P. cap.* 13. Dicitur etiam de moribus, affectibus, ſermonibus, & actionibus humanis, & Gr. dicitur αἶσχος, αἰσχρὸς, *l. de cogn. & cur. an. morb. cap.* 7. *Turpitudines* Hartmannianas ſalſe perſtrictas à Libavio vide *T. IV. Oper. p.* 97.

TURREIS eſt lapis, quem Bood. & experientia, mille teſtimoniis, in caſu à fractura oſſa deſilientia conſervare docent. Iohnſ. *Lex. l.* 2.

TURRITI, πυργῖται. Vide *Pyrgitæ*.

TURSIO, φώκαινα. Vide *Phocæna*.

TURTAS, τύρτας, vocatur panis, qui conſtat ex pinguibus palmulis, farina & aqua, & coquitur ſub cineribus, Erot. *On. p.* 27. *c.*

TURTUR, τρυγὼν, æquivocum eſt. Primario ita dicitur *Columba* montana, vel ſylveſtris, de cujus hiſtoria & uſu in cibis atque Medicina, vide Aldrov. *l.* 15. *Ornith. c.* 9. Jul. Alex. *l.* 13. *Sal. c.* 7. Gal. *l. de atten. diæt. c.* 6. Bruyerin. *de re cib. l.* 15. *c.* 34. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 69. Fr. Hoſm. *in Clav. ad h. l.* Deinde eſt etiam nomen piſcis, qui *Paſtinaca* alias *marina* vocatur. Vide *Paſtinaca*.

TURVA vocatur ceſpes bituminoſus, & gleba foſſilis, quæ accenſa facit, ut quotquot adſtant, aut ab eo illuſtrantur, colore appareant ſqualido & morticino, ut mirari id ſatis rerum harum ignari nequeant, Linden. *Ex. V. §.* 122.

TURUNDA, μοτὸς, refertur inter Apparatum Chirurgicum, eſtque nihil aliud, quam linamentum, quod vulneribus inditur, Lat. Penicillus quoque vocatur, Dieter. *n.* 280. Vide *Linamentum*, *Lemniſcus*, *Licinium*, *Motos*, *Penicillus*, &c. In ſpecie de uſu & abuſu *Turundarum* in ſectione Calculi vide appendicem aliquot Epiſtolarum, apud Hildan. *Oper. p.* 762. *ſeqq.*

TUSSEDO, βὴξ, idem, quod *Tuſſis frequentior*, uti colligere licet ex 2. *progn t.* 50 ubi interpres Galen. Latinus utitur vocabulo *Tuſſedinis*: in Græco vero legitur τῶν βηχῶν.

TUSSICULARIS, epitheton eorum, quæ tuſſim mo-

vere vel excitare poſſunt, apud Cœl. Aurel. *de Tard. paſſ. l.* 2. *c.* 13. idem fere quod *Tuſſiculoſus*, βηχώδης, de quo p. p.

TUSSIS, βήξ, à Galeno ita deſcripta legitur: Eſt vehementiſſima quædam efflatio, qua plurimus ſimul celerrimeque foras actus ſpiritus ſive aër attrahit propellitque una ſecum ſuo impetu, quæ vias ſuas obſtruit, *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 4. Cum enim externus aër in aſperam arteriam trahatur, quæ cartilagineæ duræque ſunt, nec contrahi circa id, quod continent, poſſunt, incitatum hunc excogitavit ſpiritus exitum, quem vocant *tuſſim*, quo ſpiritus ſibi ipſi violenter & cum impetu delatus vias expurgat, non aliter, quam tubos & fiſtulas expurgant harum opifices, *l.* 4. *de cauſſ. ſympt. c.* 3. Quamvis vero à vero hæc non ſint aliena; recentiores tamen *Tuſſis* naturam multo clarius & accuratius deſcripſerunt, inter quos cæteris palmam præripuiſſe videtur Willis *Pharm. Rat. Part. II. S. I. c.* 4. è quo talem deſcriptionem formare libet: *Tuſſis* eſt expiratio vehemens, crebrior, inæqualis, & ſonora, cum partium muſculoſarum expirationi potiſſimum deſtinatarum, thoracis, laryngis, lumbarium, & abdominis motu ſpaſmodico, facta cum vel ſine excretione alicujus materiæ excrementitiæ, à moleſti cujuſdam objecti, aut expulſionem e pulmonibus per Tracheæ ductus urgentis irritatione proveniens. Ex qua deſcriptione ſimul eluceſcit differentia inter *Tuſſim humidam*, quæ cum exſcreatione materiæ; & *ſiccam*, qua nihil excernitur, cujus meminit Hippocr. 4. *aphor.* 54. Videatur & Dieter. *n.* 150. Sylv. *Pr. M. l.* 1. *c.* 22. *Tuſſiculoſus*, βηχώδης, dicitur, quod vocabulum legitur de Catarrhis, 3. *aph.* 31. Vide Dieter. *n.* 151.

TUTENAG, nomen Metalli Indiæ Orientalis, Europæis incogniti; cujus meminit Rob. Boyle in Experimentis de flammæ ponderabilitate, *Exper.* 12.

TUTIA, vide *Pompholyx. Tutiæ* factitiæ conſtructio legatur *in Theatr. Chymic. Vol. II. p.* 519. De *Tutiæ* præparatione *Vol. III. p.* 103.

TUTUS, ἀσφαλής, *Tuto*, ἀσφαλῶς, idem, quod *Securitas. Aſphaleia*; *Securitas*, eſt primaria proprietas veræ curationis non ſolum Chirurgicæ, ſed omnium etiam aliarum. Conſiſtit vero *tutum* hoc curationis in tribus, ut affectus percuretur, ut læſio nulla interveniat, ut ne redeat malum. Gal. *l.* 14. *M. M. c.* 13. Junge C. Hofm. *Orat. Iſag. II. p.* 112. 121. *ſeqq.* Imo in omnibus actionibus *Caute* & *Tuto*, Medicorum Symbolum ſit, Dieter. *n.* 121. id quod meliori ratione fieri vix poterit, quam ſi generale præceptum Zenonis obſervetur: videlicet ſi ita agamus, tanquam paulo poſt pædagogis rationem reddituri. Gal. *de cogn. & cur. an. morb. c.* 3.

TYLLI grana, in offic. german. nihil aliud quam Riſini minoris ſemen. Gregor. Hymman. *de Apoplex. Cap.* 39.

TYLODES, τυλώδης, τυλοειδής, Gorr. *Calloſus.* Vide *Callus.*

TYLOMA, τύλωμα, *Tyloſis*, τύλωσις, τύλος. Vide *Callus.*

TYMMA, τύμμα, ſignificat *plagam*, ictum, percuſſionem. Legitur apud Hippocr. *l.* 7. *Epid. XX.* 14. ubi apud Lind. legitur *luxatio*, cujus verſionis rationem nullam video, cum τύμμα à τύπτω, verbero, derivetur. Vide Foëſ. *p.* 628.

TYMPANIAS, τυμπανίας, τυμπανίτης, vocatur ſpecies Hydropis ſicca, in qua flatus totam abdominis, interdum & thoracis regionem tumentem faciunt, Gal. 4. *de R. V. I. A. t.* 111. Vocatur & *Hydrops ſiccus.* Keuch. *ad Sam. p.* 191. Dicitur vero ſaltem abuſive & improprie Hydrops, quia nulla peccat aqua, ſed flatus, Helmont. *tr. Ignot. Hydrops*, *n.* 43. Conſentit Willis *Ph. Rat. Part. II. ſ.* 2. *cap.* 4. qui communem Doctorum opinionem de *flatibus*, ceu cauſſa *Tympanitis*, deſerens, novam excogitavit, & quidem ſatis plauſibilem, ex principiis Phyſiologicis & Anatomicis egregie declaratam, ſtatuens, non flatus, ſed ſpiritus animales ſpaſmodico motu agitatos, & in fibras partium & viſcerum abdominis membranaceorum adactos, obque ſucci nervoſi vitioſam diſpoſitionem in receſſu impeditos tantam ventris intumeſcentiam excitare; unde & ſeq. hujus affectus conſtruxit definitionem: *Tympanites* eſt tumor abdominis fixus, conſtans, durus, æquabilis, renitens, & à pulſatione ſonitum edens, à partium & viſcerum membranaceorum inflatione σπασμώδει ortus, propter ſpiritus animales in fibras iſtas copia nimia adactos, ibidemque ſucci nervei obſtruentis vitio à receſſu impeditos, cui affectioni conſequenter flatuum in locis vacuis aggeſtio, velut complementum accedit. Paracelſus ſtatuit duplicem *Tympanitem*, unum in *Inteſtinis*, alterum in *Matrice*, *lib.* 1. *de Tartaro*, *Tr.* 2. *c.* 2. *in not.*

TYMPANUM, τύμπανον, proprie vocatur inſtrumentum Muſicum claſſicum, in quo corium fortiter expanſum ſupra concavum quoddam corpus, ſi percutiatur ligno, ſonum edit graviſſimum. Per tranſlationem vero nomen hoc quoque attributum cum cavitati, ſeu *Conchæ*, aliis pelvi in oſſibus petroſis meatus auditorii, cui membrana quædam ſonoras ſpecies tranſmittens & oſſiculis firmata obtenſa eſt, tum ipſi *Membranæ.* Vide Barthol. *l.* 3. *An. c.* 9. *& libell.* 4. *cap.* 6. Non eſſe primarium & ſimpliciter neceſſarium organon auditus illam membranam *Tympani*, vult oſtendere Bonet. per Obſervationes *in Anat. Pract. I. ſ.* 19. *Obſerv.* 4. *p.* 344. *Tympanum* quoque vocatur rotunda machina dentata, Oribaſ. *de machin. cap.* 4.

TYPHA, τύφη, vocatur *exile triticum*, & vilius, de quo plura apud Lang. *l.* 1. *ep.* 56. Foreſt. *l.* 4. *Chir. Obſ.* 3. *Schol.*

TYPHLOS, *Typhlotes*; τυφλὸς; τυφλότης; τύφλωσις. Vide *Cœcus*, *Cœcitas*, Dieter. *n.* 847.

TYPHODES,

TYPHODES, τυφώδης. Vide *Typhos*.

TYPHOMANIA, τυφομανία, vocatur miſtus affectus ex lethargo, & phrenitide, *Lethargicum delirium*, Galen. *in def. & l. de comat. c. 2. c. 1. Prorrhet. t. 1.* Cauſſa ergo complicata ex deſcriptione *Lethargi* & *Phrenitidis* petenda erit. Videatur Foëſ. *p. 629.* Meminit & Bonet. *An. Pr. l. 1. ſ.8. Obſerv. 6. Schol.* P. M. de Calderia exponit per *Coma Vigil*, *Tom. III. p. 33.* quamvis vitioſe *Tiphomania* ibidem ponatur.

TYPHON, τύφων, *ventus* vocatur, qui denſa nube incluſus, præceps in terram eliſus pulverem ſoli turbine verrit, arbores evellit & obvia quævis peſſundat. Lang. *l. 1. ep. 19.*

TYPHOS, *Typhodes*, τύφος, τυφώδης πυρετὸς, vocatur ſpecies quædam *febris ardentis*, prolixius deſcripta cum ſuis ſignis & ſymptomatibus apud Hippocr. *l. de int. aph. XLII. per totum.* Vide Foëſ. *p. 629.* Erotianus definit febrim, quæ lente oritur, & cum intenſione exiſtit. Latine redditur *Stupor attonitus*, cujus rationem ſufficientem non video. Conjuncta hæc febris plerumque cum eryſipelate alicujus viſceris interno, v. g. hepatis, C. Rejes *C. El. q. 68. n. 4.* Bonet. *d. l.*

TYPUS, τύπος, vocatur *forma*, ordo & modus *febrium*, ſecundum intentionem & remiſſionem, Gal. *l. de Typis l. 1. de Criſ. c. 3.* Vid. Diet. *n. 676.* Keuchen. *ad Samon. p. 140.*

TYRANNIS, τυραννὶς, vocatur *Antidotus*, apud Gal. *libr. 2. de Antidot. cap. 10.*

TYRBE, τυρβὴ, Lat. *Turba. Turbatio*, idem, quod ταραχή. Legitur apud Hipp. *3. de fract. t. 75.* Foëſ. *d. l.*

TYRIA apud Arabes & barbaram ſectantes Medicinam idem eſt, ac *Ophiaſis*: *Tyri* enim voce omnes ſerpentes & potiſſimum Viperæ intelliguntur, Caſtell. Vide *Tyriaſis. Tyria lepra.* Foreſt. *l. 4. Chir. O. 7. Schol.*

TYRIASIS, τυρίασις, idem, quod *Satyriaſis*, h. e. *Lepram Arabum*, *Elephantiaſis.* Hildan. *Ep. 24.* Vide *Elephas.*

TYRION, τύριον, vocatur Emplaſtrum, quod coctura calorem purpuræ *Tyriæ* adipiſcitur, & deſcribitur ab Aët. *l. 15. c. 12.* citante Gorr.

TYRO, *Tyrocinium*, εἰσαγόμενος, εἰσαγωγή. Illud dicitur de iis, qui noviter ad artem Medicam acceſſerunt, ut addiſcant ejus præcepta. Hoc de compendioſa artis & præceptorum comprehenſione, Lat. *Introductio* quoque dicta. Ita Galen. libell. *de pulſibus ad Tyrones*, *ſive eos*, *qui introducuntur*, conſcripſit, &c. Contra *Tyrocinii Chymici* ſcriptores invehitur Helmont. *de Lithiaſ. c. 5. n. 9. & c. 8. n. 9.*

TYROS, τυρὸς. Vide *Caſeus.* Unde & τύρωσις dicitur, quando lac comeſtum in *caſeoſam* materiam coagulatur, Ariſtot. *l. 3. H. A. 120.* vocat τύρωσιν *lactis in caſeum coagulationem.*

TYRRHENICON, τυῤῥηνικὸν, nomen Emplaſtri, cujus ſunt immenſæ laudes apud Aët. *l. 15. c. 14.* allegante Gorræo. Propterea & παμπαθὲς dictum eſſe, idem teſtatur.

TYRSIS, τύρσις, idem, quod πύργος, *Turris.* Legitur apud Hipp. *3. de artic. t. 23.* Gal. *in com.* Adde Foëſ. *p. 629.*

TYRUS, *Thyrus*, utrumque mendoſe & ex craſſa ignorantia Græcæ linguæ pro ſerpente vel vipera *Theriacam* ingrediente ſumitur à barbaris Autoribus, unde *Tyriaſis*, *Tyria* lepra quoque appellationem adepta ſunt. Deberet enim *Therion*, θηρίον, hoc eſt, *beſtia*, ſcribi, non per *Ty.*

V.

VACCA, ἡ βοῦς, dicitur bos fœmina. Vide *Bos.* De *vaccis citrinis Scheunemanni* per errorem in ſcripto adductis, & à Libavio acriter ſatis caſtigatis, vide *Tom. III. Oper.* Lib. *pag. 82. Vacca marina* eſt nomen piſcis, qui & *Bos* dicitur. Vide ſupra *Bos.* An vero idem piſcis ſit, e quo lapis *Vaccæ marinæ* dictus eximitur, de quo legi poterit Obſervatio *in Act. Philoſ.* Oldenburg. *Ann. 1668.* nolumus determinare, cum Aldrov. nullam lapidis mentionem in deſcriptione Bovis vel *Vaccæ marinæ* fecerit.

VACILLATIO, παραφορὰ, dicitur, cum de membris corporeis, quæ titubant, aut non ſunt fixa, v. g. *dentes vacillare* dicuntur; tum de mente, & ita inconſtantiam, vel leve *delirium* notat. Vide *Paraphora.*

VACUATIO, κένωσις, idem, quod *Evacuatio.* Vide *Cenoſis.*

VACUUS, κενὸς, κενός. Vide *Cenos.* Ardua adhuc hodieque eſt inter Philoſophos diſputatio: an detur *vacuum* in rerum natura? Peripatetici vel Ariſtotelici negant, ut & Galen. *l. 3. de diff. pulſ. c. 6.* item *in Th. Chym. Vol. I. p. 198.* Recentiores vero Helmontium ſecuti aſſerunt, variis conati demonſtrare phœnomenis. Videatur Helmont. *in pecul. tract. inſcripto Vacuum Naturæ.* Vide & Marc. Marci *Phil. vet. reſt. Part. III. ſect. 2. ſubſ. 3.* Noſtri jam non eſt inſtituti, hanc controverſiam dirimere; quamvis tam diu inhæreamus illi ſententiæ: dari quidem vacuum in rerum natura, ſed non naturale, ſaltem violentum. Quid Democritus & Aſclepiades per *vacuum* intellexerint, vide apud Galen. *l. de Theriac. ad Piſon. c. 11.* In foro Medico non ita ſtricte accipitur, ſed ſaltem pro ſpatio, in quo præter aërem nihil continetur, *dict. de diff. pulſ. loco. Vacuus* pulſus vero allegorice dicitur, qui arteriæ elevationem quaſi facit bulloſam, ut digitorum impreſſioni egreſſus per vacua occurrat. Verum ineptam eſſe appellationem docuit Gal. *d. l.*

VAGINA, ἔλυτρον, tribuitur etiam aliis partibus ob ſimilitudinem. Ita *Capſula communis* in hepate Venæ

portæ

portæ truncum involvens vocatur *Vagina Portæ*, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 14. *p.* 136. Uteri collum dicitur *Vagina*, quia penem recipit inſtar vaginæ. *Id. l.* 1. *c.* 30. *p.* 280. Hanc duplicem in uno ſubjecto obſervavit *Cent.* 3. *Obſ.* 2. allegantibus *Ephem. N. Cur. A. I. Obſ.* 110.

VAGINALIS, ἐλυτροειδής. Vide *Elytroeides.* Glandulas *vaginales* invenerunt Joſephus de Verney & Caſp. Bartholinus, ſicut e Peieri *Exerc. p.* 97. notavit Th. Janſ. de Almelov. *R. I. On. p.* 31.

VAGITUS, βαβασμὸς, βάβαξις, vocatur *ejulatus* & ploratus *infantum*; qui ſi adhuc in utero fiat, merito habetur pro malo omine. Vide Guldenklee *l.* 4. *Caſ. Med.* 24. Ephem. Nat. Cur. *A. I. Obſ.* 62. *& A. III. Obſ.* 164. ubi quidem augurium illud fallax eſſe, oſtendere conatus eſt D. Segerus, quo & inclinare videtur Gualter. Nedham *Diſquiſ. de format. fœtus*, *c.* 3. *circa finem*, ſtatuens *vagitus* cauſſam naturalem conſiſtere in aëre contento in conceptaculis, ſive membranis fœtum involventibus, adjungitque exemplum de Matronæ cujuſdam filia, quæ *vagitum* in utero edidit, & vita nihilominus ſalubri fruitur. Hujus vero aëris producti cauſſam refert in liquorem ſpirituoſum, in membrana pro formatione fœtus neceſſarium, & exhalationum copiam producentem.

VALEO, *Valetudo*, eſt vocabulum μέσον, & ancipitis ſignificationis. Sumitur enim & in bonam, & in malam partem. In illa accipitur pro *Sanitate*, pro *Robore* & *virtute*, Gr. ὑγιαίνω, ἔρρωμαι, ὑγεία, vide *Hygieia*, *Hygiæno*, *Errhomæ.* Adde Lind. *Ex. IX.* §. 26. *XIII.* §. 491. *XV.* §. 108. qui ſemper de robore expoſuit. Quære etiam in Rhod. *Lex. Scribon. p.* 455. In hac pro *morboſa diſpoſitione*; quamvis plerumque additum ſit adjectivum, adverſa, mala, ſiniſtra &c.

VALETUDINARIUS, νοσώδης, ſemper in malam partem ſumitur de eo, qui morbis vivit ſemper obnoxius. Vide Dieter. *n.* 577. Tales vocari in militia *Cauſſarios* & *Sonticos*, docet Caſp. Hofm. *Apol. pro Gal. l.* 3. *c.* 10. *lit. M.* ſuntque, qui utuntur incerta fallacique valetudine, e Gal. *l.* 5. *de ſan. tuend. cap.* 4.

VALGUS, βλαισὸς, βλαισσός. Vide *Blæſus.*

VALIDUS, idem, quod *Valens*, ἐρρωμένος, ἔντονος; *Robuſtus.* Dicitur de corpore & membris robuſtis, quæ optime ad opera ſtrenua ſunt diſpoſita, Gal. 2. *de nat. hum. t.* 5. Alias & *validum* ſumitur pro *acido.* Scribon. *n.* 41. ubi Granata mala vocantur *valida*, quæ Itali *garbi* vocant. Vide Rhod. *in not. ad h. l.*

VALIGA, idem eſſe, quod Gialappa, aliis Rhabarbarum nigrum dictam infuſam in ſpiritu vini, vel quod melius, cum ſpiritu citri, & ſic bene percolatam adhiberi, interdum etiam pauco cum croco tingi, ſcribit Michaël *in Apparatu Formul. c.* 2. Idem eſſe igitur videtur cum *Phalaja* Rolf. *tr. de purgant. ſect.* 2. *art.* 3. *c.* 15. niſi forſan error in Orthographia deliteſcat.

VALLUM, χάραξ, ἔρκος, quid ſit, ex Architectura militari conſtare poteſt; nimirum ſpecies munimenti exterioris circa urbem, aut arcem, aut caſtrum. Per metaphoram *vallum* quoque vocatur oculorum tegumentum, ſive *Supercilium.* Keuchen. *ad Samon. p.* 230. Per ſimilitudinem quoque ſpecies *Faſciæ* hoc nomine venit, Galen. *de faſc. n.* 52.

VALRAT, id eſt, *folium. Ulcat*, idem. Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

VALVA eſt quaſi parva janua, uti deſcribitur à Gal. *c.* 1. *de art. t.* 23.

VALVULA vocatur in Anatomicis membranula quædam in vaſis quibuſdam & cavitatibus una ſaltem parte adhærens, in hunc finem parata, ut retrocedenti liquori poſſit reſiſtere, fluxum vero naturalem admittere. Talis occurrit ſatis magna in Inteſtino Colo & craſſa, de qua vide Barthol. *l.* 1. *An. c.* 11. *p.* 92. Hild. *Ep.* 88. 89. Aliquot in corde *l.* 2. *c.* 7. *p.* 402. *ſeqq.* & quamplurimæ in ramis venæ cavæ, *libell.* 1. *An. cap.* 2. ubi prolixiorem *Valvularum* deſcriptionem invenies.

VANELLUS nomen eſt avis, quæ & *Capella*, αἴγωπος, item *Pavo agreſtis*, ταὼς ἄγριος, dicitur, & deſcribitur cum in cibis & Medicina ab Aldrov. *l.* 20. *Ornithol. c.* 63.

VAPOR, ἀτμὸς, ἀτμὴ, ἀτμὶς, proprie dicitur humor in auram reſolutus, humor extenuatus, qualis per ſpiracula cutis naturaliter quotidie exhalat. Vide *Atmos. Exhalatio. Halitus.* Nec differt deſcriptio Libavii dicentis: *Vapor* eſt aër rudior proxime ex aqua reſoluta factus, *Tom. IV. Oper. p.* 241. Si præternaturaliter ſeſe habuerint, fiunt quoque fuliginoſi, fumoſi *vapores*, quorum meminit Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 5. *fin.* Contra *vapores* craſſos, ceu cauſſas morborum hyſtericorum & convulſivorum, acerbius ſcripſit Helmont. negans, ſe unquam vidiſſe, tales dari *vapores* craſſos, & eſſe contradictionem in adjecto, *tr. Jus Duumviratus n.* 17. *tr. de Lithiaſ. c.* 9. *tr. Ignota Actio regiminis n.* 36. In Chymicis tamen dari quoque vaporem *unctuoſum*, qua naturalem, qua artificialem, qui nihil aliud eſt, quam *primum Ens Mercurii*, quod incipit conſiſtere in vena argenti vivi, aut ex ipſo extrahitur per ſublimationem artificioſam, de quo *vapore* legatur Libav. *T. II. Op. p.* 303. *&* 368. Quin & ipſe *Lapis Philoſophicus* vocatur *Vapor potentialis metalli*, *d. l. p.* 421. Alias non negandum, in nonnullis veteres hallucinatos eſſe in accuſandis *vaporibus* & eorum viis, quod tales e ventriculo adſcendant, & capitis dolorem excitent, uti recte hoc notavit Willis *de febrib. c.* 10.

VAPORARIUM, ἀτμιστήριον, idem, quod *Balneum Laconicum*, ſive *Sudatorium.* Vide *Balneum.* Quamvis & *Sella ſingularis perforata* vaporationi deſtinata hoc nomine veniat, docente Rhodio *ad Scrib. n.* 193.

VAPORATIO dicitur *fermentatio* vel fotus, qui fit mediante

mediante vapore aquæ calidæ. Frequenter legitur apud Celſ. *l.* 7. *cap.* 7. 9. *l.* 8. *c.* 4. Vide rurſus Rhod. *in Scribon. p.* 455.

VAPPA, ὄξίνης, vide *Oxines.* Vinum vocatur omnibus portionibus ſpirituoſis privatum, quadantenus aceſcens. Hæc vini corruptio hodieque optime quoque applicari poteſt, ad ſpeciem corruptionis ſanguinis, quando eſt in ſtatu defectionis, qualis eſt in ſanis poſt nimios labores & in morboſa diſpoſitione quartana laborantium, cachecticorum, ſcorbuticorum. Vide Willis *de febrib. c.* 2. *6. &c.*

VARENI, idem, quod *Vari*, ſymptoma ſcorbuticum, quod alias *Arthritis vaga* vocatur, conſiſtens in dolore vago, nervoſas partes circa articulos affligens, proveniens à liquoris nervoſi, vel lymphæ ſereſcentis acida acrimonia maligna, & ob tenuitatem facili mobilitate & vaporoſitate. De quo ſymptomate integros libellos ſcripſerunt Drauwiz & Möllenbroccius. Meminit hujus nominis Walther. *Sylv. Med. p.* 1464. Verum D. D. Joh. Michaelis vocabulum *Vareni* de alio affectu à Varis prorſus diſtincto expoſuit *in Praxi Chir. ſua Speciali Caſ. XIX.* nimirum de Flatu furioſo, cujus deſcriptio videatur ſupra in *Ambulo.*

VARICOSUS, κιρσοειδὴς, dicitur de diverſis vaſorum plexibus circa partes genitales, præſertim virorum. Nam *vaſa præparantia pyramidalia* vocat *corpus varicoſum*, Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 21. *p.* 203. & *vaſa deferentia* ejusque principium *Paraſtatas variciformes*, *d. l. c.* 23. *p.* 223. Vide *Pyramidalia. Pampinus. Paraſtatæ.*

VARICULA, i. e. *Varix parva*, vocantur à M. A. Severino intumeſcentes venulæ in adnata oculi tunica ab atri ſanguinis diſtentione procreatæ, *l. de noviſſ. obſ. abſceſſ. c.* 9. §. 6.

VARIOLÆ, *Varioli*, terminus antiquis ignotus Pathologicus, denotans peculiare genus Exanthematum puſtuloſorum, cum febre conjunctorum, & ita deſcribi poſſunt ac debent: *Variolæ* ſunt puſtulæ, vel papulæ majores minoresve, ab initio ſub forma macularum rubentium in toto corpore, aut plurimis ejus partibus erumpentes, cum febre acuta Epidemica, in augmento ſeſe elevantes, & ſub ſtatu materiam viſcidam quodammodo puri ſimilem continens, interdum & aqueam, tandem in declinatione degenerantes in cruſtam, poſt exiccationem decidentem, cum variis ſymptomatibus per diverſa totius morbi tempora variantibus & ſupervenientibus, genitæ à coagulativis crudioribus in peculiari fermento ſanguinis connato deliteſcentibus portionibus, per contagium virtuale, aut corporale excitatis, in corporis ſuperficie ſubſiſtentibus, & per fermentationem coagulativam prorumpentibus. Qui meliorem hac dare poterit hujus morbi deſcriptionem, ei minime erimus adverſi. Legatur Willis *de febrib. cap.* 15. Piens *tit. eod. tract. ſpec. cap.* 8. & alii Autores, quos vide allegatos à Walthero *in Sylv. Med. pag.* 1466. *ſeqq.* E recentioribus adhuc non inepte quoque & ſuccincte deſcripſit Iunken *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 797. *ſeqq. Variolus* & *Variola* quoque dicitur piſcis, alias *Trutta* & *Aurata* dictus, apud Schroder. *l.* 5. *cl.* 4. *num.* 93. Vide *Trutta.*

VARIUS, ποικίλος, ſumitur adjective, & ſubſtantive. Illa ſignificatio ex aliis Lexicis jam nota eſt. Subſtantive *Varii* & *Variæ* dicuntur, qui & quæ maculas & papulas in facie diſtinctas habere ſolent, notante Keuch. *ad Sam. p.* 125.

VARIX, κιρσὸς, in genere ſignificat omnem *venam dilatatam*, Gal. *l. de tum. p. n. c.* 16. Æginetæ ἀνεύρυσις φλεβὸς, *dilatatio venæ*, vocatur *l.* 6. *c.* 82. Proprie & accuratius deſcribi poteſt, quod *Varix* ſit tumor p. n. mollis, inæqualis, nodoſus, indolens in ima ventris parte ſub umbilico, in ſcroto, circa teſticulos, & frequentius in cruribus, occurrens, proveniens à venarum ſubcutanearum propter ſanguinem feculentum & ſeroſum ſubſiſtentem & collectum nimia diſtenſione & contortione. Vid. Dieter. *n.* 465. Foëſ. *p.* 338. *ſeqq.* Bartholinus in valvularum diſtenſionem cauſſam refert *libell.* 1. *cap.* 2. *p.* 594. Plures Autores de hoc affectu reperies apud Walther. *in Sylv. Med. p.* 1464. *ſeqq.* Diminutivum *Varicula* vide p. a.

VARUS æquivocum eſt, apud Latinos. Vel enim idem eſt, quod *Vareni*, & notat affectum *Arthriticum vagum ſcorbuticum*, in plurali *Vari* dictum, de quo p. a. Vel *Varus* dicitur tumor exiguus durus, plerumque in facie obortus, ut & in dorſo non infrequens, Græc. ἴονθος, vide *Ionthos.* Vel denique adjectivum *Varus* notat vitium crurum in figura, oppoſitum *Valgis*, & Gr. dicitur ῥαιβὸς. Vide *Rhæbos.*

VAS, ἀγγεῖον, ſumitur Phyſiologice, & Mechanice. In Phyſiologia *vaſa* vocantur canales omnes liquorem aliquem vehentes, & ita comprehenduntur hoc nomine *arteriæ* & *venæ.* Hinc paſſim leguntur *vaſa* ſpermatica, præparantia, deferentia, *vaſa* lactea, *vaſa* lymphatica, *vaſa* adipoſa, &c. Vide plura apud Bartholin. *in Indice.* Diminutivum eſt *Vaſculum*, v. gr. *Vaſcula buccarum*, h. e. glandularum in buccis. Leguntur apud eundem *l.* 3. *An. c.* 11. *p.* 536. ſudoris *vaſcula* in cuticula, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 19. Κατ᾽ ἐξοχὴν etiam *Vas* ἀγγεῖον vocatur membrana fœtum involvens Chorion dicta, apud Moſchion *l. de morb. mul. c.* 36. 38. & ratio datur, quia fœtus in eo tanquam in vaſe convertitur. Mechanice vero *Vaſa* & *Vaſcula* dicuntur varia Inſtrumenta intus cava, in quæ liquidæ præſertim materiæ (quamvis ſolidæ etiam indi ſoleant) recipiuntur, quorum uſus eſt in Diæteticis, præſertim re Coquinaria, Pharmaceutica, Chymicis, & Chirurgicis. Suntque fictilia, lignea, metallica. In ſpecie catalogum & apparatum *Vaſorum Chymicorum* lege apud Rolfink. *Ch. I. A. F. R. lib.* 2. *cap.* 18. Quare etiam in Theatri Chymici, ut & Libavii

Libavii Indicibus. *Vaſculum oculare* Chirurgicum Aquapendentis egregie delineavit modumque applicandi monſtravit Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. VIII. fig.* 11. *& T. XXXI. f.* 6.

VASTUS, idem, quod *Magnus*, *Grandis*, μέγας. Dicitur de corporibus naturalibus, v. g. Muſculi *Vaſti*, Barthol. *l.* 4. *An. c.* 12. *p.* 581. Tumores *vaſti*, Dolores *vaſti*. Vide Rhod. *in Lex. Scribon.*

VASUM, pro *Vas*, legitur apud Scribon. *n.*64. Vide *not.* Rhod. *ad h. l.*

VATA, οὔατα, pro ὦτα, Lat. *Aures*; in ſingul. οὖς, *auris*. Vide *Aures*. Sumitur & ab Hippocr. pro *inflammationibus aurium*, vel etiam aliis morbis gravioribus, *l.* 6. *Epid. ſ. VI.* 28.

VATES, *Vaticinium*; μάντις, μαντεία. Vide *Mantice.*

VATICANUS, nomen proprium collis non procul à Tiberi, quemadmodum ex aliis Lexicis conſtat. Cur v. hoc epitheton tributum fuerit Pilulis quibuſdam aromaticis ſimulque purgantibus *Pilulæ Vaticanæ Londinenſes* D. dictis, me quidem & forſan alios fugit. Deſcriptio vero habetur in D. D. de Spina *Lex. Pharm. pag.* 710.

UBERA, μαστοὶ, idem, quod *Mammæ*; quamvis vocabulum *Ubera* alias brutis potius attribui ſoleat, quam fœminis. Vide *Mamma. Maſtos.*

UDOR, ab *udus* vel *uvidus* dicitur de materiæ vaporoſæ humidæ per inſenſibilem tranſpirationem excretione e poris cutaneis ad differentiam ſudoris, ceu madoris manifeſti, vel humoris, apud Wedel. *Amœn. Med. l. II. ſect. II. c.* 6. *p.* 343.

UDOS, οὐδὸς, Latine *Limen* dicitur, h. e. lignum, vel ſaxum in ima januæ parte, qua intratur. Legitur apud Hipp. 4. *de artic. t.* 64. Vide Foëſ. *p.* 466.

VECTIO, ὄχησις, refertur inter motus corporis, & ita inter facienda, Gal *l. de ſan. tu. c.* 15. Ejus vero ſignificatio pueris jam nota eſt e Dictionariis.

VECTIS, μοχλός. Vide *Mochlia*. Inde liber Hipp. *Mochlicus*, q. d. *Vectiarius*. Refertur & inter inſtrumenta ad metallifodinas neceſſaria à Rul. *in Lex.* Diverſorum *vectium* Chirurgicorum deſcriptionem vide apud Scultet. *Arm. Chir. Part. I. Tab. III. fig.* 2. *&* 4. *& T. X. fig.* 6. *ſeqq.*

VEGETABILE, φυτὸν, φυτικόν. Dicitur 1. de anima, vide *Phyſice*; deinde de *plantis* & *herbis*, quæ generali nomine vocantur *vegetabilia*, unde pars Medicinæ illa tractans vocatur *Phytologia*, de qua etiam ſuperius ſuo loco. In hac ſignificatione deſcribuntur à Dorneo, Rulando, & Iohnſono *vegetabilia*, quod ſint viridantia radicem in terra defixam habentia, truncum & ramos in aëre, ut ſunt herbæ, plantæ & arbores. Hæc omnia e ſola conſtare aqua vult Helmont. *tr. Complex. atque Miſtion. El. figm. n.* 12. 30. 32. Calculum ſuum addidit Beccher. *in Metallurgia*. De *vegetabilibus* vide plura *in Theatr. Chym. Vol. I. p.* 205. 206. Eorum vis & potentia conſiſtere dicitur in ſpiritu vegetativo, & eſt proprie ignis naturæ, *Vol. II. p.* 104. *ſeqq. Vegetabilia* non ſufficere in Medicina, neque etiam carere omni noxa, ſcripſit Rolfink. *Chym. l.* 1. *c.* 1. De *lapide Philoſophico vegetabili*, vel ex *vegetabilibus* parando vide *Th. Chym. Vol. III. p.* 53. *ſeqq.*

VEGETATIO, nomen hodieque Phyſicis & Medicis frequentiorem in uſum vocatum, & in genere ita vocatur proprie actio illa naturalis, qua omnia corpora vere viventia gaudent, dum à primo ortu nutriuntur, & augmentantur, debitamque magnitudinem adepta in vigore proprio vitali conſervantur. Quæ functio naturalis ſub ſe comprehendit plures ſubordinatas actiones, rarefactionem, condenſationem, filtrationem, imbibitionem, concoctionem, aliaſque plures ſimiles. Quamvis vero hæc *vegetatio* primo plantis competat, propterea *vegetabilibus* dictis, hinc & eruditam ſcripſit Diſſertationem Kenelm. Dygbæus *de Plantarum vegetatione*, à D. Olfredo Dappeto ex Anglico Latinitate donatam, in qua præter alia inſigne *vegetationis* auctæ exemplum legitur *p. m.* 65. de planta hordei à Patribus Chriſtianæ doctrinæ Pariſienſibus aſſervata 249 culmos, qui omnes ex una radice aut grano originem duxerunt, 18000 hordei grana offerentes, continente: Facile tamen & reliquis corporibus viventibus, puta animalibus & homini applicari etiam poterit, quin & ipſis mineralibus atque metallis attribui, cum videamus & hæc non ſolum per appoſitionem, ſed etiam per ſucci appropriati intrinſecam mutationem in ſubſtantiam mineralem & metallicam gigni, augeri, & conſervari.

VEGETATIVUS, φυτικός, idem, quod *Vegetabilis*. Hanc virtutem quoque ineſſe metallis legitur in *Th. Ch. Vol. IV. p.* 158. nec fortaſſis abſque ratione, cum ſenſuum fide conſtet, non in quibuſvis fodinarum venis quodvis generari metallum, ſed in iis ineſſe principium quoddam ſpecificum determinatum. Verum hæc ad Phyſicam potius pertinent.

VEGETUS, ἀκμάζων, dicitur partim de corpore, & Gr. εὐεργὸς etiam vocatur, partim de animo; Et qui *vegetus* animo eſt, Gr. dicitur πρόθυμος, quamvis hoc vocabulum de utroque accipiatur. Vide *Prothymia.*

VEHEMENS, σφοδρός, vide *Sphodros. Vehementia* morbi σφοδρότης eadem eſt, quæ *magnitudo*. Gal. *l.* 1. *de criſ. c.* 3. *Vehemens* pulſus idem cum *Forti.*

VEHICULUM, ὄχημα, vide *Ochema. Vehiculum* quoque in Pharmaceuticis dicitur liquor, in quo olea & arcana Chymica ad gratiorem guſtum, vel faciliorem exhibitionem ægris præbentur. Iohnſon. *in Lex. l.* 1.

VELAMENTUM, σκέπασμα, idem, quod *Tegumentum*. Vide *Scepaſma*. Tribuitur quoque illud nomen interiori inteſtinorum tunicæ, præſertim tenuium, quæ alias *Cruſta membranea*, Pecqueto *Periſtoma* rugoſum,

ſum, Bilſio *Muſcus villoſus* dicitur. Horne vero *velamentum bombycinum*, appellavit Barthol. *l.* 1. *An. cap.* 10. *p.* 81.

VELLE, ἐθέλειν, θέλειν, βȣ́λεσϑαι, apud Hipp. aliquando accipitur pro *Poſſe*, 3. *de artic. t.* 106. Adde Gal. *in comm. ad h. l.*

VELLICATIO, τιλμὸς. Vide *Tilmos.*

VELLUS *aureum*, δέρας. Vide *Deras. Vellus aureum* quoque fit ex rore collecto menſis Maii, ex tritico ante ortum Solis, cœlo ſereno, loco aperto expanſo linteo, & in diſcum expreſſo, inque vas fictile incluſo, Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 2.

VELOCITAS, *Velox*, τάχος, ταχὺς, idem, quod *Celeritas*, *Celer*, de quibus ſuperius in CE.

VENA, φλέψ. Vide *Phleps. Vena medena.* Vide *Medena.*

VENÆ *ſectio*, φλεβοτομία. Vide *Phlebotomia.*

VENATIO, *Venator*, κυνηγία, κυνηγὸς, κυνηγέτης, quid ſignificet, aliunde notum eſt. Merito refertur inter exercitia, quæ & corpus fatigare, & animum delectare poſſunt, quo etiam potiſſimum utuntur Magnates: quamvis haut raro in exceſſu peccent. Meminit Gal. *de parv. pil. exercit. cap.* 1. Interdum Metonymice *Venatio* accipitur pro *carnibus ferarum*, notante Rhodio *ad Scrib. n.* 134. ex Sidonio Apollinar. *l.* 4. *ep. ad Induſtrium.* Ita apud Celſ. *libr.* 2. *cap.* 18. *ſeqq.* aliquoties ſumitur.

VENEFICA, *Veneficus*, *Veneficium*, quid ſignificet, ex aliis Lex. jam notum eſſe debet. Pertinent hæc inter cauſas morborum tranſnaturales, ut & remedia trans vel ſupra naturalia, à quibus Medicus Chriſtianus ſibi cavere debet, conſcientiæ ſuæ conſulturus. Vide Dieter. *p.* 977. Jung. Caſp. Rejes *C. El.* 97. *n.* 12. *ſeqq.* Sennert. *l.* 6. *M. Pract.* 9. *per totum.*

VENENUM, φάρμακον, hujus quoque Latini vocabuli ſignificatio nota eſt, dum proprie & uſitate nunc ſignificat omne id, quod corpori noſtro quomodocunque communicatum illius univerſas, aut particulares quaſdam, easque principes ac vitæ ſumme neceſſarias functiones incomprehenſo modo atque ferocia indomita adoritur & lædit, ſpiritus & humores, præſertim ſanguinem & balſamum nervorum, corrumpit, coagulat, profligat, pervertit, & deinde partium quoque ſolidarum ſubſtantiæ corruptelam ocyus tardiusve inducit, & ita in ſummum vitæ diſcrimen conjicit, Charlton. *Ex. X. Patholog.* §. 23. Willis *de febrib. c.* 12. Dogm. noſtr. Medic. *Gen. P. II. c.* 8. *p.* 232. *ſeqq.* ubi & differentias *venenorum* legere licet. Alias etiam vocabulum *Veneni* fuiſſe μέσον, & indifferens, ita ut in bonam partem quoque ſumtum fuerit, patet *ex l.* 236. *ff. de V. S.* in quem locum & Theophilus Paraphraſtes Græcus ſcripſit: τῶν μέσων ἐςὶ τὸ ὄνομα τȣ͂ φαρμάκȣ. Qui *venenum* dicit, adjicere debet, utrum malum & bonum. Confirmat hoc Linden. *Ex. XIII.* §. 316. Paracelſus quidem ſtrictius ſumſit; nihilominus tamen latius, quam propria ſignificatio admittit, dum omne id, quod naturæ noſtræ quoquomodo adverſum eſt, *venenum* appellavit, *Paramir. Tract.* 2. *de Ente veneni*, *c.* 8. & *alibi*, quam ſententiam & Helmont. *in ſcriptis ſuis* videtur amplexus eſſe. Et ex recentioribus Richard. Mortonus in ſua pyretologia, quando omnium febrium etiam intermittentium cauſſam venenum eſſe ſtatuit ſpiritus animalis immediate afficiens atque agitans. Jung. *Acta erudit. Lipſ. A.* 1693. *in April. p.* 150. *ſeqq.* In Chymicis *Mercurius* quoque dicitur *venenum*, qui tamen & *Theriaca* & *fermentum* vocatur, Rul. *in Lex.* Junge *Th. Chym. Vol. I. p.* 721. *Vol. IV. p.* 891.

VENER, id eſt, *Mercurius.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

VENEREUS, ἀφροδισιακὸς, vel dicitur de hominibus *libidinoſis*, & ſalacioribus, vel etiam eſt Epitheton morbi ex impuro coitu orti, qui alias & *Morbus Gallicus*, *Lues Venerea* vocatur. Vide *Gallicus.* Uſurpatur etiam de ipſo actu conjunctionis maris & fœminæ, qui dicitur *Actus Venereus.* Exempla harum ſignificationum paſſim occurrunt apud Scriptores Medicos Latinos.

VENETICUS, *Venetus*, ἐνετὸς, denotat colorem glaucum, vel dilute cœruleum. Unde *oculi Venetici* vocantur, qui ſuffuſione ſunt affecti, fiuntque tales duobus modis, vel propter aquam, ſi nimium fuerit coagulata, vel propter ſiccitatem, quam patitur cryſtallinus humor, Gal. *l. de ocul. part.* 4. *c.* 12. *Venetum* contentum in urina quid ſignificet, legatur apud Joh. Lummium *l.* 3. *obſerv. Medic. p. m.* 362.

VENOSA *Arteria* olim dicebatur vas illud ſanguinem e pulmone ad auriculam cordis ſiniſtram, & mediante hac ad ſiniſtrum ventriculum revehens, ex falſa hypotheſi, quod e ſiniſtro cordis ſinu tantum arteriæ prodeant, quemadmodum e dextro ſolum venæ, cum tamen revera ex utroque diſtinctum per vaſorum, arteria & vena producantur, & revera *venoſa* illa *arteria* dicta ſit vena quoad ſtructuram organicam & uſum, neque pulſus, qui fortaſſis à nonnullis animadvertitur, arteriarum pulſui reſpondet. Vide Bartholin. *l.* 2. *An. c.* 7. *p.* 404. Rectius vero dicitur *Vena pulmonalis.*

VENTER, κοιλία, multifariam accipitur. Late à recentioribus Anatomicis, quibus *Ventres* dicuntur inſignes cavitates, in quibus nobile aliquod continetur viſcus. Hinc totum corpus dividitur in tres *Ventres*, *Infimum*, qui vulgo *Abdomen* dicitur: *Medium*, *Thorax* dictum, & *Supremum* ſeu *Caput.* Vide inter alios Barthol. *Anat. procem. p.* 8. 9. Paulo ſtrictius accepit Hippocr. quando vocab. κοιλίας aliquando uſus pro *thorace* & *abdomine* excepto capite. Ita *l. de affect. VII.* 1. *ſeqq.* ubi morbos thoracis recenſet, item *l.* 2. *de morb. XLIV.* 15. *XLV.* 33. unde & ad differentiam interpretum *Thorax*, ἡ ἄνω κοιλίη, venter ſuperior, & *abdomen* ἡ κάτω κοιλίη, eidem vocatur. 7. *aph.* 38. (Gal.

in comm. ad h. l.) *l.* 1. *de morb.* X. 2. 3. XI. 1. 2. *&c.* Stricte vero accipitur frequentius *Venter*, κοιλία, pro *abdomine* ſive regione ſub diaphragmate uſque ad genitalia. Neque opus eſt exemplis hoc demonſtrare; cum paſſim occurrant. Strictiſſime tandem pro *Ventriculo*: de quo p. p. interdum & ſola *Inteſtina*, præſertim ubi Hippoc. ſermo eſt de ventris, vel alvi laxitate, aut adſtrictione, quæ affectiones magis ſpectant ad inteſtina, imprimis craſſa: unde & ſunt, qui *Colon inteſtinum* duntaxat *ventrem* inferiorem vocarunt, Gal. 4. *de R. V. I. A. t.* 112. *& com.* 7. *aph.* 38. In Græco & vocab. κοιλία pro *excremento alvi* acceptum legitur apud Hipp. *lib.* 4. *Epid.* XIII. 18. Jung. Foëſ. *pag.* 344. *ſeqq.* Hoc etiam in Latino locum habere, vult Keuch. *ad Sammon. pag.* 206. In Chymicis *Venter* dicitur Terra. *Th. Ch. Vol. I. pag.* 201. 378. *Venter Equi* vocatur *fimus equinus.* Ruland. & Iohnſon. hoc eſt ignis *ventris equi* inſtrumentum ſolutionis corporum, & fit in duobus vaſis, quorum in uno eſt aqua, in altero fimus equi, ubi eſt phiala cum medicina, ſtatque in furnulo, & deſuper comburitur levis ignis, ut aqua tantum evaporet, & non bulliat, ibique eſt canalis, per quem additur aqua, quando minuitur. Proprietas hujus caloris vel *ignis* eſt, quod non deſtruat oleum, ſed augmentet propter ſuam humiditatem; nam alii deſtruunt propter ſuam ſiccitatem. Et uti puer ex calido & humido augmentatur, ſic equi ignis augmentat oleum ſua humiditate. *Ignis equi* non fundit, neque comburit, ſed domat & humidum augmentat. Hæc Iohnſ. de ventre equi, *Lexic. l.* 2.

VENTININA Paracelſo dicitur ars vaticinatrix ex vento, quomodo ſeſe habeat cœli & aſtrorum curſus erga hominem, ratione boni vel mali effectus. In altera explicatione Aſtronomiæ. Rectiſſime vero artibus incertis annumerat, cum nihil aliud ſint, quam Nugæ.

VENTOSÆ vocantur *Cucurbitæ*, abſque ſcarificatione appoſitæ. Unde & Italis *le ventoſe* dicuntur. Foreſt. *l.* 29. *O.* 22. *Schol.* Eſt etiam *Ventoſa* epitheton morbi, qui Avic. *Spina ventoſa* vel *Spinæ ventoſitas*, vocatur, eſtque nihil aliud, quam carioſa oſſium affectio cum putrilagine conjuncta. De quo affectu maligno lege apud Avic. *l.* 4. *fen.* 4. *tr.* 4. *c.* 9. Lang. *l.* 1. *ep.* 42. Pandolfinum integro tract. de hoc affectu, *ſpinæ ventoſitate*, cum notis D. D. Merclini, Amici noſtri honorandi, elegantiſſimis edito. Imprimis vero integro etiam libro hunc affectum deſcripſit libro de *Pædarthrocace* M. A. Severinus. *Ventoſitas* alias ſæpe ponitur pro *Flatulentia*, ſive *Affectibus flatulentis*, φυσώδεσι. Unde & *apoſtemata ventoſa* dicuntur *tumores flatulenti.* Foreſt. *l.* 3. *Chir. Obſ.* 3.

VENTRALIS *diſpoſitio*, κοιλιακὴ διάθεσις. Vide *Cœliaca.*

VENTRICOSUS, *Ventriculoſus*, vel dicitur qui magnum habet ventrem, μεγαλόκοιλος. Vide *Megalocœlos*: vel qui laborat affectione Cœliaca. Rhod. *ad Scrib. n.* 95. Vide *Cœliaca. Ventriculatio.*

VENTRICULATIO, idem, quod *Ventriculoſa paſſio*, ἡ τῶν κοιλιακῶν διάθεσις. Legitur apud Aurelian. *l.* 3. *Acutor. c.* 17. allegante Foëſ. *in Oec. pag.* 346. quamvis incertum ſit, qualis morbus hoc nomine veniat, propter variam ſignificationem vocabuli Græci κοιλίας. Unde & Celſus plane peculiarem attribuit acceptionem vel pro Tympanite, vel Colica flatulenta, *l.* 4. *c.* 15.

VENTRICULUS, κοιλία, proprie dicitur, in quem primum animalia cibum protrahunt, Gal. *l.* 6. *An. adm. cap.* 2. Dictus quaſi *parvus venter*, eſtque pars organica, in infimo ventre ſita, ſtatim ſub diaphragmate; Chylificationis officina. Ejus hiſtoriam paſſim vide in ſcriptis Anatomicis, præſertim inter hos Barth. *l.* 1. *An. c.* 9. In brutis pennatis quidem duos eſſe, in ruminantibus quatuor, præter Ariſtotelem *in LL. de part. an. & alibi.* Videatur & Gal. *d. l. cap.* 3. & Barthol. *d. l.* Tranſlatum porro *Ventriculi* vocab. ad alias cavitates, v. g. *Cordis* ſinum dextrum ampliorem, & ſiniſtrum anguſtiorem, qui vocantur *Ventriculi.* Barthol. *l.* 2. *c.* 7. *p.* 398. *ſeq.* Ad *Cerebri* cavitates, quarum alii tres, alii duas, alii quatuor, Barthol. unam ſaltem numerarunt, *l.* 3. *p.* 490. *ſeqq.*

VENTRILOQUI, ἐγγαστρίμυθοι, vocantur ariolatores & vates præſtigioſi, qui plebi perſuadentes imponunt, dæmonem aliquem ab ipſorum ventre voces emittere, ſpiritum ſcil. peculiari quadam arte intus attrahendo, quo fit, ut voces videantur non ab ipſis edi, ſed ab alio intra ipſis latente, cum tamen ab ipſis ſaltem egredi videantur. Nam ſi id non advertas, putabis, ea à loco aliquo diſtanti proficiſci, *Ephem. N. Cur. A. I. Obſ.* 35. *p.* 20. Jung. Libav. *T. IV. Oper. p.* 27.

VENTUS, ἄνεμος, quid ſit, ex Phyſicis notum eſſe debet. Quod vero *Ventorum* cognitio, quam quiſque habeat naturam, proprietatem, & virtutem, Medico ſit neceſſaria, Hipp. paſſim inculcavit in ſcriptis ſuis, *de Diæta, Aer. L. & Aq. in Aphoriſm.* & confirmarunt hoc plerique Interpretes, præſertim Diæt. *n.* 578. & Charlton. *Ex. Pathol. V.* §. 12. Apud Spagyricos *Ventus* quoque de diverſis rebus dicitur, v. g. *Ventus albus* eſt Mercurius: *Rubeus*, Auripigmentum rubeum: *Citrinus* Sulphur. Rul. & Iohnſ. *Venti* quoque ſunt *ſpiritus.* Imo dictus Iohnſ. *lib.* 2. adhuc ſubtilius vult philoſophari, dicens: *Venti Chymici* ſunt Theſauri naturæ; nec eſt aliquid in tota natura *ventis* ipſis pretioſius & nobilius. Vita ſiquidem & anima rerum omnium *ventis* deportatur ad res omnes. Eſt enim *ventus ſpiraculum* vitæ temporalis, quod alio vehiculo deferri non poteſt rebus omnibus, niſi *ventis.* Et *ventus* nihil aliud eſt, quam tenuiſſima & ſubtiliſſima hujus materiæ pars, quam Ignis naturæ, ſeu lumen cœleſte, quod huic materiæ ineſt, ſurſum elevat, & fit

vapor

vapor & *ventus*; qui ſummopere cuſtodiendus eſt; alioquin tota Alchymia eſſet inutilis. Cuſtoditur autem *Ventus* ille & vapor, ſi in vaſis vitreis, perquam optime obturatis, dum erit, à materia ſua & corpore continuatur, nam frigiditate vaſis & aëris in vaſis concluſi *Ventus* ille & vapor fit tandem aqua, & pluvia Chymica, quæ terram ſuam irrigando fœcundat; non ſecus, ac in magno mundo vapores & *venti*, qui calore naturali terræ ſurſum in aërem pelluntur, frigiditate aëris & ipſius humiditate convertuntur in pluviam & aquam, quæ ſuper terram decidat, & ſuo irroratu ipſam fœcundat, quia tenuiſſima & ſubtiliſſima inferioris elementi pars, qua reliquorum Elementorum vires & energias in ſe coercet. Hactenus Iohnſ. An non vero hic iterum Galeni adagium commode applicare liceret: Nihil apprehende, & fortiter tene? Quod & ipſe *Lapis Philoſophicus Ventus Hermetis* dicatur, legi poterit apud Libav. *Tom. II. Oper.* p. 428.

VENUCULA eſt *nomen Uvæ*, quæ alias *Apiana*, *Scirpula*, Sticula, Stacula *Moſchatella*, vocatur, Lind. *Ex. X.* §. 99.

VENULA, φλεβίον, diminutivum *Venæ*, q. *Parva vena.* Sumitur ab Hippocr. pro *Arteria*, *l. 6. Epid. ſ. 6. t. 2.* Jung. Gal. *in comm.*

VENUS, ἀφροδίτης, æquivocum eſt. Tribuitur enim hoc nomen Planetæ circa Solem locum ſuum obtinenti, qui pro diverſo poſitu ante ortum ſolis *Lucifer*, poſt occaſum apparens *Heſperus* nominatur. Deinde ita vocatur Dea gentilium ex ſpuma maris nata credita, *Cupidinis* mater, *Cypris* vel *Cypria* dicta, omnis laſciviæ & ſalacitatis dux & regina. Hinc tranſlata vox *Veneris* à veteribus & recentioribus Medicis ad ipſam Generationem; ut *Venus* nihil aliud notet, quam congreſſionem maris & fœminæ, licitam & illicitam. Ita inter alios Linden. de licita ſcripſit. *Venus* conceſſa hominibus eſt cum boni alicujus conſequendi gratia, tum mali averruncandi, *Ex. XV.* §. 87. Jung. Dieter. *n.* 140. Tandem & à Chymicis *Venus* vocatur *Cuprum*, ſive *æs*, de quo ſuo loco. *Venus aurea* dicitur Minera cuprea fulminea, quæ una cum fulmine quondam decidit A. 1677. menſe Majo prope Haynam oppidum, ſicut prolixius deſcripſit D. Chriſtian Adolph. Balduinus S. R Imp. Nat. Curioſ. Collega Hermes dictus in ſpecial. Tractatu de *Venere aurea.* Vid. *Ephemerid. Nat. Curioſ. Decad. I. Ann. VIII* *Veneris gradus* eſt mitis atque dulcis naturæ, viridis vitæ, Dorn *in dict. Paracelſ.*

VENUSTAS, idem, quod *Formoſitas*, *Pulchritudo*, κάλλος. Leporum ſu *venuſtatis* decorem in ſeptimum aut nonum diem prorogari, fabuloſum omnino videtur, Lang. *l. 1. ep.* 67.

VER, ἔαρ. *Vernus*, ἐαρινός. Vide *Ear.*

VERATRUM, ἐλλέβορος, idem, quod *Helleborus*; de quo ſupra in HE.

VERBERA, πληγαὶ, quid ſint, pueri norunt, idem, quod *Plagæ*, *Percuſſiones.* Pertinet inter cauſſas quandoque morborum, quandoque & inter remedia. De hoc teſtatur Rolf. quod Empiricus quidam maniacos & melancholicos ſolis flagris & *verberibus* curaverit, *O. & M. M. Sp. l.* 14. *ſ.* 3. *c.* 17.

VERBUM, λόγος, ῥῆμα. Ejus ſignificatio notior eſt, quam ut opus ſit *verbis.* An *verbis* quædam inſit virtus Medica prolixe ventilavit C. Rejes *C. El. q.* 22. Et quomodo Paracelſiſtæ abutantur & pervertant ſententiam illam: *Verbum Dei* ſanat omnia, docuit Libav. *Tom. IV.* p. 7. *ſeqq.*

VERDETUM vocatur color viridis ex vapore forti aceti æneas laminas perfundentis. Vital. *de Furno c.* 267. *p. m.* 224.

VERECUNDIA, αἰδὼς, αἰσχύνη, idem, quod *Pudor.* Vide in PU.

VEREDARII *vermes.* Vide *Cutambuli.*

VERETRUM, idem, quod *Penis*, membrum virile, de quo vocabulo vide Rolf. *de part. genit. P. I. c.* 43.

VERGILIÆ, πλειὰς, πληϊάδες. Vide *Pleias.*

VERGO, ῥέπω. Vide *Rhepo.*

VERITAS, ἀλήθεια, eſt ens reale *verum*, uti recte vocavit Helmont. *tr. Venatio ſcient. n.* 27. Hanc etiam Medicum ſectari debere, docet Gal. *l. de Art. Med. conſt. c.* 7. & *alibi ſæpius.* Et quis contra *veritatem* hiſcere poteſt? Scrib. *n.* 84. & *veritas* favori anteferenda. Amicus Galenus, amicus Hippocrates, amicus Ariſtoteles; magis amica *veritas. Verum Spagyricum* eſt rerum à natura productarum centrum, in quo virtus omnis & ejuſdem rei *veritas* atque potentia deliteſcit, per hanc artem ad actum deducenda, *Th. Chymic. Vol. V.* p. 410. Enim vero modo negotium non magis imaginatione vana & opinione niteretur, quam ente reali! Alias rectiſſime Rolfink. *veritatem* Medicam duplicem fecit: aliam *ad amuſſim talem*, quæ infallibilem infert certitudinem, & aliam, quæ *ut plurimum talis.* Ad primam pertinent nonnulla Theoremata Phyſiologica; Ad hanc Prædictiones ſalutis & mortis. *O. & M. M. Sp. l.* 3. *ſ.* 2. *c.* 3.

VERMES, ἕλμινθες, idem, quod *Lumbrici.* Vide *Helminthes.*

VERMICATA, vocantur à nonnullis *Lentigines*, Fallop. *de Ulcer. c.* 23. *Tom. I. p.* 612.

VERMICULANS, σκωληκίζων. Vide *Scolecizon.*

VERMICULARIS, σκωληκοειδὴς, idem, quod *Vermiformis.* Vide *Scolecoeides.*

VERMICULUM, id eſt, *Elixir*, *Tinctura.* Rul. & Iohnſ. in quo *Vermycilum* legitur.

VERMIFORMIS, σκωληκοειδὴς, vide *Scolecoeides.* Dicitur & Vermis cerebri. Caſtell.

VERMILION, id eſt, *Cinabrium*, vel *Minium.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

VERMINA, *Verminatio*, *Verminoſus*, στρόφος, στροφούμενος. Vide *Strophos.* Alias *Verminoſus* propie dicitur

dicitur de materia, in qua *vermes* generantur. Ita & ſanguis *verminoſus* hodieque paſſim legitur, in ſpecie in Boneti *Medic. Septentr. l. 2. ſect. 21. c. 1. p. 493.* Dicitur & ibidem *Verminans.* Affectus etiam talis *Verminatio* appellatur. Plura de hominibus *verminoſis* & *verminatione* continua legantur apud eundem *d. l. l. 3. ſect. 16. c. 1. ſeqq. p. 626. ſeq.*

VERNACULUS, ἔνδημος, Vide *Endemos.*

VERNICE, id eſt, *Vernix gummoſa ſicca.* Rul. & Iohnſ.

VERNISIUM, idem, quod *Vernix*, *Sandaraca* alias vocatur, vel *Gummi Juniperinum*, & ita *Vernix ſiccus*, vel liquor ex hoc gummi paratus, eſtque *Vernix humidus.* Schroder. *l. 4. cl. 1. n. 179. Verniſium* vero legitur apud Helmont. *tr. de Lith. c. 3. n. 7.* De *Vernicis* variis ſpeciebus vide Morley *Coll. Chym. Leid. c. 504. ſeqq. Vernix* etiam vocatur maſſa balſamico-oleoſa e pulveribus aut gummi Copal cum oleo Terebinthinæ coctis parata metallis laminatis obducenda, ut tranſpareant, ne color alteretur. Formulæ videantur etiam apud Iunken *in Corpor. Art. Pharmaceut. ſect. III. c. 4. in fin. p. 227.*

VERNUS, ἐαρινὸς, dicitur vel de ipſo tempore, & ita idem eſt, quod *Ver.* Vide *Ear.* Vel de morbis, qui *vere* ſolent eſſe frequentiores, & *morbi verni*, ſive *vernales* vocantur, quorum Catalogum recenſet Hipp. 3. *aphor.* 20. Jung. Dieter. *n.* 228.

VERRES, vocatur *Sus mas*, quemadmodum & *Aper Verres ſylvaticus.* Lang. *l. 1. ep. 61.* Schrod. *l. 5. cl. 1. n. 3. & 34.*

VERRICULARIS, ἀμφιβληστροειδὴς, *Amphibleſtroides*, vocatur tunica oculi propria, quæ à cerebro ad oculos profecta humorem vitreum & cryſtallinum ambit, cujus tunicæ figura in latum diffuſi atque expanſi nervi *verriculo* ſimilis apparet. Vocatur & *Retina* vel *Retiformis*, quod reti etiam ſit ſimilis. Gal. negat, eſſe veram tunicam, ſed potius cerebri portionem quandam exemtam, *l. 10. de V. P. c. 2.* Confirmat hanc ſententiam ſuo calculo Barthol. *l. 3. An. cap. 8. p. 518.* ſtatuens, eſſe medullaris ſubſtantiæ mucum.

VERRISTA, vocatur Paracelſo ſummum arcanum in Epilepſia, una cum *Granagranis*, *de caduco matricis* §. 8. Quid vero ſint, non explicat.

VERRUCA, Græcum nomen non occurrit generale. Sunt vero *verrucarum* ſpecies duæ: *Acrochordon*, ἀκροχορδὼν, & *Myrmecia*, μυρμηκία, de quibus vide ſuis in literis, Gal. *l. 2. M. M. c. 2. Verrucoſa ulcera* vocantur dura, quæ alias ὀχθώδη dicuntur. Vide *Ochtodes.*

VERSIO, τροπὴ, *Chymica* vocatur formarum manifeſtarum in occultas, & ſit corruptione formæ ſpecificæ, generationeque generalioris formæ, videlicet Elementorum decompoſitorum in compoſita, & impurorum in pura converſione, *Th. Chym. Vol. I. p. 199.*

VERSUS, στίχος, ἔπος, μέτρον, Theriaca *verſibus* deſcripta hanc habere utilitatem dicitur, quod facilius memoriæ mandetur, nec à ſuo ordine perverti poſſit, Gal. *l. 1. de Antidot. c. 16. princ.* Q. Serenus Sammonicus etiam ſuam Medicinam metrice, ſive *verſibus* conſcripſit. Ita & Scholæ Salernitanæ Medici; quamvis non ſuſtineant verſus illi regulas Poëticas.

VERTEBRA, σπόνδυλος. Vide *Spondylos. Vertebratus Muſculus*, dicitur, cujus utraque extremitas *vertebris* continua eſt, Barthol. *l. 4. Anat. c. 7. p. 569.*

VERTEX, κορυφὴ. Vide *Coryphe.*

VERTIBULUM, ſignificat caput oſſis globoſum, quod alterius ſinui ad articulationem inſeritur, Hieron. Fab. Aquap. *de Oſſ. Dearticulat. part. 2. p. m. 179.*

VERTICELLI *marini*, σπόνδυλοι θαλάττιοι, vocantur *Zoophyta* tuberoſa, quæ & *Vertibula*, alias *Tethyia*, nuncupantur, de quibus vide Aldrov. *de Zoophyt. l. 4. c. 5. Verticillum* vel *Verticulum* etiam dicitur quodlibet Os Dorſi i. e. *Vertebra.* Veſal. *l. 1. de H. C. F. c. 3. Verticillum* ani etiam dicitur M. Aurel. Severino tuberculum in extremo ano obſervatum *verticillo*, quod mulieres fuſo adjungunt, ſimile *l. de noviſſ. obſervatis abſceſſib. §. 18. p. m. 55.*

VERTIGO, δῖνος, σκοτόδινος, ἴλιγγος. Vide *Dinos.*

VERTO vocatur quarta pars libræ. Dorn. Rul. & Iohnſ.

VERTUMNUS, vocatur inventum quoddam D. Chr. Ad. Balduini in *Hermete ſuo curioſo Invento 3.* delineatum.

VERVA vocantur apud Scribon. *num. 16. armillæ*, amuleti loco geſtatæ, quamvis Rhod. legendum exiſtimet *Virias* aut *Variolas* eboreas, Gr. ψέλια & βραχιάλια dictas. Aut *Vercula* vel *Verucula. Not. ad h. l. p. 55.*

VERUCLA, vide *Verva.*

VERVEX, id eſt, *Aries caſtratus.* Schrod. *l. 5. cl. 1. n. 30.*

VERUM, ἀληθὲς. Vide *Veritas.*

VESANUS, *Veſania*, in genere, idem, quod *Inſanus*, *Amens*, Delirus, *Furioſus*, παράφρων, παραφροσύνη, μανία &c. Ita *Amor veſanus* vocatur delirium ex nimio amore erga fœminam obortum, de quo Foreſt. *l. 10. Obſ. 29. cum Schol.* Paracelſus vero diſtinxit inter *veſanos* & *inſanos.* Hoc deſcribens, quod ſint amentes à nativitate & hereditario malo; *Veſanos* vero, qui per victum aut medicamenta forinſecus advenientia, *de morb. am. Tract. 1. cap. 5.*

VESCOR, idem quod *Edo*, *Comedo.*

VESICA, κύστις, vide *Cyſtis.* In Pharmaceuticis & Chymicis *Veſica* vocatur Vas metallicum ex cupro, in forma veſicæ, vel ovi, duorum aut trium pedum altitudinis, convenientisque latitudinis, formatum, & circa faſtigium apertum, ut intra ſinum ſuum convenientem alembicum recipere poſſit, qui adeo cum orificio *veſicæ* quadrare debet, ut tam apte invicem concludatur, ne minimum inde exſpirare queat.

queat. Impoſitum capitellum e ſuo vertice canalem duum aut trium pedum altitudinis emittere debet, qui in ſummitate aliud capitellum ab alieno aliquo ſemper frigidum continente, qua ſpiritus in alembicum elevati refrigerari & condenſari poſſint, circundatum ſuſtinet. Ex hoc capitello Epiſtomium ſeu canalis procedit, qui vapores condenſatos guttatim in vas ſuppoſitum deducit. Hujus *veſicæ* uſus in vegetabilibus non eſt negligendus. Hæc Rul. & Iohnſ.

VESICATIO vocatur ſymptoma ſuperveniens combuſtioni ex aqua vel igne, de quo plura videantur apud Valeſc. de Taranta, *Philon. Chirurg. c.* 22. & ex hoc Foreſt. *l.* 2. *Chir. Oper. Obſ.* 17. *Schol.* Unde & effectus veſicatorii remedii *Veſicatio* dicitur Blaſio, *Med. Univ. p.* 44.

VESICATORIUM vocatur *Cauterium* quoddam *potentiale*, & eſt ſpecies *Sinapiſmi* fortioris, quo ut plurimum virtute cantharidum, aut alterius medicamenti cauſtici veſicæ in cuticula excitantur. De his vide paſſim in Practicis. Deſcripſit Schroder. *l.* 2. *cap.* 44. *fin.* Morell. *de Form. Rem. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 14. Vocantur à Dioſcor. διὰ κανθαρίδων ἐκδόρια, *l.* 3. *c.* 63. à Rolfink. *Veſicantia*; quorum hiſtoriam tradidit *O. & M. Sp. l.* 4. *ſ.* 7. *p.* 3. *cap. unic.*

VESICULA, κύστιγξ, diminutivum *Veſicæ*. Frequenter uſurpatur de folliculo fellis. Vide *Cyſtis*.

VESPA, σφὴξ, ἀνθρήνιον, dicitur inſectum api ſimile, aculeatum, cujus hiſtoriam cum uſu & noxa recenſet Aldrov. *de Inſect. l.* 1. *c.* 6. Ex cadavere equino putreſcente generari, teſtatur Lang. *l.* 1. *ep.* 14. *Veſparum* puncturam quandoque eſſe periculoſiſſimam, confirmant *Obſ.* Hild. *Cent* 4. *O* 78. *ſeqq.*

VESPERA, *Veſper*, ἑσπέρα. Vide *Heſpera.*

VESPERNA vocabatur quarta cibationis diurnæ pars, merendam ſequens, & legitur apud Franc. Bonamicum, *de Aliment. l.* 3. *c.* 40.

VESPERTILIO, νυκτερὶς, eſt animal bipes, alatum & volans, ſed non pennatum, muribus plerumque ſimile, viviparum, cujus hiſtoriam cum uſu tradidit Aldrov. *l.* 9. *Ornith. cap.* 1. Galen. *l.* 10. *S. F.* §. *Sanguis nycteridos.*

VESTIGIUM, ἴχνος. Vide *Ichnos.*

VESTIMENTUM, *Veſtis*, ἱμάτιον, εἷμα, ἐσθὴς, quid proprie ſignificet, aliunde conſtat. Metaphorice etiam tribuitur *telæ* aranearum & *teſtis*, Keuchen. *ad Samon. p.* 279. Abuſive vero, & valde incongrue ignis Divinus & Sal *veſtium* nomine veniunt, *in Theatr. Chym. Vol. VI. p.* 16. *Veſtimentalis* liquor qui Mynſichto dicatur, vide *in ejus Armam. ſect.* 10.

VETERANA vocatur à Gilberto *Morbillus*, uti ſcribit Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 44. *Schol. fin.*

VETERASCENS, παλαιούμενος, dicitur de pinguedinibus, quæ progreſſu temporis acrimoniam & rancorem acquirunt, Galen. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 5. *circa fin.*

VETERINARIA, κτηνιατρικὴ, vocatur ars, quæ tractat curationem morborum in jumentis & pecudibus. *Veterinarius*, κτηνίατρος. Quamvis vero ratione finis & intentionis cum arte Medica convenire videatur, ob ſubjecti tamen inſigne diſcrimen, quo homo nobiliſſima creaturarum multis paraſangis antecedit bruta, ut & ob maximam differentiam inter eos, qui exercent *Veterinariam* & veram Medicinam, minime conjungendas eſſe, rectiſſime judicant ii, qui dignitati ſuæ melius conſulunt, contra Plempium *in Fund. Med.* & Bonetum *Anat. Pract. l.* 1. *ſ.* 13. *Obſ.* 32. *Schol. p.* 272. Conſcripſit talem Medicinam Publ. Vegetius appellans *Mulo-Medicinam*, in quo ſcripto plura occurrunt vocabula Latino-barbara, quæ etiam Lexico huic inſeri potuiſſent, v. gr. Morbus ſubtercutaneus, farciminoſus, ſubrenalis, ſtrophoſi, epiſtomici, Appioſi, Pullaria &c. niſi nefas duxiſſemus, artem noſtram ἐπιφανεστάτην *veterinariis* terminis ſordidare.

VETERNUM, aqua intercus, Servio apud Hadrian. Jun. *in nomenclat.*

VETERNUS, λήθαργος, *Veternoſus*, ληθαργικός. Vide *Lethargus.*

VETUS, παλαιός. Vide *Palæos.*

VEXO, λυπέω. Sumitur in Medicina in malam partem, & ſignificat *moleſtiam affero.* Diciturque de morbis, uti explicavit emphaſin hujus verbi Linden. *Ex. XV.* §. 79. Rhod. quoque *vexari* explicat per *graviter affligi*, raptari huc & illuc, diſtrahi, *Lexic. Scribon. p.* 457. Cujus vero autoritate *Vexationem* pro cutis ſugillatione accipi ſcripſerit Blancard. *in Lexico*, nobis non conſtat, cum in nullo, qui ad manus fuerunt, Autore invenire potuerimus. Alias *Vexatio* etiam ſumitur pro paroxyſmo doloris Arthritici à Joh. Thom. Minadoo, *l. de Arthritid. c.* 33. *p. m.* 79. *ſeqq.*

VIA, ὁδὸς, quid proprie ſignificet, non pertinet ad Medicinam. Nihilominus per tranſlationem frequenti in uſu eſt vocabulum hoc, dum ſumitur pro *Ratione*, vel modo aliquid *tractandi* aut perficiendi. Ita accipitur à Galen. *c.* 3. *in* 6. *Epid. t.* 20. Ita *Via* veritatis vocatur Philoſophia. Ita *Via* ad ſanitatem eſt *via* rectiſſima ad Deum, Linden. *Ex. III.* §. 19. *Via* quoque duplex *humida* & *ſicca* dicitur eſſe in negotio Lapidis Philoſophici, quarum illa facilior, hac difficilior habetur, *Th. Chym. Vol. VI. p.* 529. 540. *ſeq.* *Via* ſtomachi & Veneris vocatur *Oeſophagus*, apud Barthol. *l.* 1. *An. c.* 12. *p.* 447. *Primæ Viæ* dicuntur Oeſophagus, Ventriculus & Inteſtina cum appendicibus eorundem, in quibus non tantum purgantia & vomitoria, ſed & alia medicamenta intus aſſumta virtutes ſuas exerunt, ut operationes ſuas poſtmodo determinate edere poſſint, Willis *Pharm. Rat. Part. I. ſect.* 1. *c.* 2. Nonnulli etiam Vaſa Meſaraica inter *primas vias* referre non dubitant.

VIBICES, μώλωπες. Vide *Molops.*

VIBRATIO, κλόνος, eſt agitatio & motio corporis & membrorum

membrorum involuntaria, ut conquieſcere non liceat, etiamſi ſtrenue renitaris, Gal. *l. de trem. c.6.* Vide *Clonos.*

VIBRISSÆ vocantur Pili in naribus, quas Blaſius Can ex errore *Vibriſcos* nominavit, *Med. Univ. in proleg. p.* 2. *&* *p.* 157. illud vero habetur apud Barthol. *Anatom. p.* 530.

VICINITRAHA, aut *Vicinitractus*, reſpondet Græco ἐγγυτήπλας, & illud Felicianus excogitavit, hoc Ingraſſias. Vide hujus Schol. *in Gal. de Tum. p. n. Schol.* 24.

VICTICELLÆ *liquor*, aut *Viticellæ*, dicitur Paracelſo *genus vini*, & legitur *in Scholiis ad Libell. II. de Tartaro.*

VICTUS, δίαιτα. Vide *Diæta.*

VIGESIMUS, εἰκοστή, ſcil. ἡμέρα. Refertur ab Hipp. 2. *aphor.* 23. inter dies Criticos. Huncque fortiorem eſſe ſtatuit, quam *vigeſimum primum*, *l.*3. *de dieb. Critic. c.*9.

VIGILANTIA, *Vigilia*, ἀγρυπνία, ἐγρήγορσις, opponitur ſomno, eſtque res non naturalis, & cauſſa ſanitatis morborumque procatarctica, conſiſtens in exercitio ſenſuum & motus, à ſpirituum animalium activitate expedita dependente. Jungatur Charlton. *Ex. VII. Pathol.* §. 4. & Dogm. noſtra *P. V. c.* 4. Dieter. *num.* 5. & ſupra vide *Egregorſis.*

VIGOR, ἀκμή, vide *Acme.* Adde Linden. *Ex. XII.* §. 85. 86.

VILLI, idem, quod *Fibræ*, ἶνες. Vide *Fibræ. Villi* à Laurent. Bellini in *præfat. Operis de Pulſ. Urin. &c.* reſtringuntur ad fibras muſculorum in tendinem coeuntes. *Villoſa cruſta* quid ſit apud Willis, vide ſupra *Cruſta.*

VILTRUM *Philoſophorum* eſt *Alembicus.* Abſolute tamen poſitum eſt *manica lanea*, in modum Hippocraticæ, velut *lingula*, per quam liquores clarificantur, Dorn. Ruland. & Iohnſ. At communiter per F ſcribi ſolet in hac ſignificatione, *Filtrum.* Vide ſupra *Filtratio.*

VINACEI, vel *Vinacea*, στέμφυλα. Vide *Stemphyla.*

VINCULUM, δεσμός. Vide *Deſmos. Vinculum Seſtrati* deſcripſit Galen. *de Faſciis n.* 81. & ex hoc Scultet. delineavit, *Arm. Chirurg. P. I. Tab. XXXV. fig.* 6.

VINDICTA, ἀντιτιμώρησις, eſt acceſſorium iræ, non hujus eſſentia, Gal. *l.* 2. *de ſan. tu. c.* 9. Dicitur & *Ultio.*

VINOSUS, φίλοινος, *amans vini*, qui non expectare poteſt commodum tempus ad bibendum vinum, Linden. *Ex. XVI.* §. 224. *Vinoſus* liquor ſine vino quid ſit, vide *Liquor.*

VINUM, οἶνος. Vide *Oenos.*

VIOLENTUS, βίαιος, ſignificatio hujus nota eſt, & dicitur de eo, quicquid à vi & impetu quodam dependet. Opponitur *ſpontaneo*, ἑκουσίῳ. *Violentam mortem* facere cadaver flaccidum, ſcribit Helmont. *de flat. n.* 14.

VIPERA, ἔχις, ἔχιδνα, vide *Echidna.* De *Vino viperino* vide Libav. *T. II. Oper. p.* 168. *Viperæ caudiſonæ* Anatomiam ſcripſit Eduard. Tyſon. Medicus Londinenſ. uti patet ex *Act. Erud. Lipſienſ. Anno* 1684.

VIR, ἀνήρ, recte dixit Linden. eſſe nomen *Sexus*, *ætatis*, *ſtatus*, *&* *dignitatis*, *Exer. XIII.* §.9. *ſeqq.* Prima ſignificatio frequentiſſima eſt, quo pertinet quæſtio illa: An *viri* poſſint in fœminas mutari, & vice verſa? Id quod affirmare videtur Lang. *l.* 1. *ep.* 70. Rectius tamen negat C. Rejes *C. El. q.* 57. *n.* 19. dicens, eſſe talia exempla vel pro fabulis & figmentis Poëticis habenda, vel utrumque ſexum habuiſſe uno præ altero ſupereminente, vel dæmonis vafricie contigiſſe. Ad primam ſignificationem pertinent & Derivata: *Virilis*, *Virilitas.* Ita *Virile membrum* vocatur *Penis*, ad diſcrimen *Pudendi muliebris. Virilitas*, ἀνδρεία, ἀῤῥενότης, opponitur θηλύτητι, *fœmineæ naturæ*, Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 15. Altera ſignificatio eſt præ reliquis emphatica, magis denotans *marem mediæ ætatis*, qui neque juventæ calore, neque ſenectutis frigore infeſtatur, Celſ. *l.* 2. *c.* 1. Et in hac ſignificatione ſumſiſſe Hippocr. *l.* 5. *Epid. II.* 7. vult Linden. *d. loc.* §. 15. In tertia *Vir* idem eſt, quod *Maritus*, de quo ſuperius in MA. Quarta Rhetoribus & JCtis magis, quam Medicis uſitata, & exprimit *vigorem corporis & animi*: Unde proverbialis locutio: *Virum* ſe præſtare. Vide Lind. *Ex. III.* §. 28. *Vir* quoque dicitur in negotio Lapidis Philoſophici illud *metallum*, vel ejus metalli ſemen, quod jungitur *Argento vivo*, tanquam fœminæ. Libav. *T. II. Op. p.* 142.

VIRAGO, ἀνδρώνειρα, epitheton olim *Amazonum*; vocatur fœmina quoad ſexum, quoad vires vero corporis & animi maſcula. Tales non eſſe facile obnoxias morbis hyſtericis & muliebribus, ſcripſit C. Rejes *C. El. q.* 46. *n.* 15.

VIRES, ἰσχύς, δύναμις, idem, quod *Facultas*, *Virtus*, *Vis.* Vel dicitur de ipſo corpore humano, & indicat ſui conſervationem, Galen. *l.* 9. *M. M. c.* 13. Suntque vel *Naturales*, ſub quibus & *Vitales* comprehenduntur, & *Animales*, de quibus videatur Lind. *Ex. XIV.* §. 40. *ſeqq.* vel dicitur de Medicamentis. De his vide Schrod. *l.* 1. *c.* 30. & plures alios. Quære etiam in *Dynamis.*

VIRGA, ῥάβδος, proprie quid ſignificet, ex aliis jam conſtat Lexicis. Videlicet *bacillum*, præſertim arboris viridis, æqualem & longiuſculum. Tribuitur vero poſtmodo & aliis rebus, v. g. Plantæ, quæ eſt ſpecies conſolidæ, & dicitur *Virga aurea*, alias *Conſolida Saracenica.* Deinde *bacillis*, qui applicantur in fracturis, apud Hippocr. 3. *de fract. t.* 29. Junge Galen. *in Comm. ad h. l.* Porro Membrum virile quoque in Anatomicis vocari *Virgam* à Medicis, notiſſimum eſt ex antiquis & recentioribus Scriptoribus. Ita & Clitoris *virga muliebris* appellatur, Barthol. *l.* 1. *Anatom. c.* 34. *in princ.* Diminutivum Latinum eſt *Virgula*, & ad propriam ſignificationem pertinet *virgula bifurcata metallica*, vel *divinatoria*, qua indagantur diverſa metalla, & eorum venæ; de cujus virtutibus, præparandi & utendi modo legi poterit Baſ. Valent. *in Teſtam. ultim. P. I.* ubi variarum meminit *Virgularum*, *lucentis*, *candentis*, *ſaliæ*, *furcillæ*, *trepidantis*, *cadentis*, *obviæ*, *cap.* 22. *ſeqq. ad* 28. Theatr. Chym. *Vol. IV. p.* 242. 322. Libav. *T. III. p.* 260. Fr. Hofm. *in Clav. ad Schroder. l.* 4. *cl.* 1. *n.* 108. *p.* 454. *ſeqq.*

VIRGATA dicitur ſutura Cranii, quæ alias Sagittalis & Jugalis vocatur, Bartholin. *libell.* 4. *Anat. c.* 5. *p.* 705.

VIRGINITAS, παρθενία, κορεία, quid ſignificet, jam ex aliis Lexicis conſtat. An vero infallibilia ſigna ejus haberi poſſint etiam per inſpectionem, ventilatam & deciſam hanc quæſtionem videſis apud P. Ammann. *Irenic. p.* 123. *ſeqq.*

VIRGO, *Virgineus*, παρθένος, παρθένιος, vide *Parthenos.* Spagyrice quoque *Virginis* nomen tribuitur *Mercurio*, Libav. *T. II. Oper. p.* 351. Et Aqua alba Mercurialis vocatur *Virgo habens uber unicum*, Th. Chym. *Vol. III. p.* 22. *Virginale clauſtrum* vocatur *Hymen*, de quo vocabulo ſupra in HY. *Virginalis* adſtrictio Mercato dicitur Matricis poſt nimiam e partu diſtenſionem factam in priſtinam anguſtiam reductio, *l.* 5. *de Mul. effect. c.* 14. *p.* 65.

VIRGULTUM, idem, quod *Virga.* Hinc Dorn. deſcripſit *Virgulta foſſorum*, quod ſint theſaurotum indices virgæ, *in Diction.* & haud dubie reſpexit Paracelſi locum, *l.* 2. *Philoſoph. ſagac.* §. *Quid ſit Necromantia cœleſtis?* cujus duæ ſpecies recenſentur, *Adech plumbeus*, & *Virgulta directa*, quæ aperiunt occulta.

VIRIÆ, *Viriolæ*, idem, quod *Vervæ*, vel *Veruclæ.* Vide *Verva.*

VIRIDELLUS eſt æquivocum: Tribuitur enim Vitriolo ab Hartmann. *Prax. Chymiatr. Tom. I. Operum in Fol. p.* 75. deinde morbo Epilepſiæ vel caduco à Paracelſo, quia Viridellus Vitriolum ſignificans morbum hunc curat. *Paramir. l.* 1. *c.* 6.

VIRIDIS, χλωρὸς, χλωρὸς, proprie vocatur *Color herbaceus*, olerum, arborum, plantarum, Gal. *comm.* 2. *in libr.* 6. *Epid. t.* 16. Hinc etiam per tranſlationem *viride* quoque dicitur, quod vitalem adhuc continet vigorem. Tribuitur vero etiam aliis rebus metallicis: Ita *Viride æris* vocatur *Ærugo*, de quo ſuperius in *Ærugo. Viriditas ſalis* eſt liquor, aut oleum ejus *viride*, Dorn. Ruland. Iohnſon. *Viridis Leo* quid ſit, vide apud Libav. *Tom. II. p.* 278. *Viriditas æris* eſt ejuſdem perfectio, & magnis extollitur laudibus, *Th. Chym. Vol. IV. p.* 535.

VIRILITAS, ἀρρενότης, ἀνδρεία. Vide *Vir.*

VIROSUS proprie dicitur id, in quo ineſt *virus*, id eſt, *venenum*, maligna qualitas, deleteria. Aliquando tamen etiam de graveolenti, aut ſaporis teterrimi materia prædicatur, apud Scribon. *num.* 103. 163. 245. notante Rhod. *in Lex. p.* 448.

VIRTUS æquivocum eſt. Accipitur enim vel de potentiis naturalibus, & ita coincidit cum vocibus *Facultas*, *Vires*, *Potentia*, Græc. δύναμις, vide *Dynamis*: vel de habitu mentis per crebras actiones morales bonas acquiſito. De quibus virtutibus, præſertim moralibus, Galen. dixit, quod adeo connexæ ſint, ut qui unam habeat, habeat & reliquas, quaſi ex uno fune revinctæ, *l. quod opt. Medic. ſit optim. Phil. Gr.* ἀρετή.

VIRULENTUS, idem, quod *Viroſus*, ἰοβόλος. Ægin. *l.* 5. *c.* 1.

VIRUS proprie dicitur *Humor fluens.* Hinc etiam uſurpatur pro *ſemine*, Gr. γόνος dicto à Sereno, *c.* 9. vide Keuch. *in not. p.* 123. Enimvero uſitatior eſt acceptio in malam partem, qua idem ſignificat, quod *Venenum*, ſive malignam & deleteriam qualitatem. Ita & *Ichor* ex ulcere fluens maligno vocatur *Virus*, notante Foreſto, *l.* 7. *Chir. Obſ.* 2. *in Schol.* Et ita opponitur puri craſſo, quod dicitur *Sordities.* Vide *Sordities.*

VIS in genere eſt modus vovendi. Accipitur vero vel de modo naturali, & inde coincidit cum *Viribus*, Facultate, *Virtute.* Ita *vis animi*, corporis, morbi, veneni, medicamenti, paſſim legitur. Junge Keuchen. *p.* 117. vel de modo violento, extrinſeco, & inde coincidit cum *Violentia*, diciturque Græce βία. Vide *Violentus.*

VISCALEUS eſt viſcus ramoſus, arboribus innaſcens, ut viſcus quercinus, malorum, &c. Dorn. Iohnſ. *in Lexic.*

VISCERA, σπλάγχνα, vide *Splanchna.* Verum & in ſingulari *viſcus* in uſu eſſe, rectiſſime monuit Keuchen. *ad Seren. p.* 251. Adde Dieter. *n.* 782.

VISCEROSUS, μεγαλόσπλαγχνος dicitur. Vide *Megaloſplanchnos.*

VISCIDUS, *Viſcoſus*, γλισχρὸς, περίγλισχρος, idem, quod *Lentus*, Tenax. Vide *Gliſchros*, *Periglischros*, *Viſcoſa* Philoſophorum aqua quid ſit, vide *in Th. Chym. Volum. I. p.* 529. *ſeq.* Libav. *T. II. Oper. p.* 142. Hodieque ſunt, qui inter principia Compoſitorum corporum referre non dubitant, dicentes *Corpus Viſcoſum* eſſe, quod particulas obtinet plurimas aqueas in paucis ramoſis & terreſtribus inſtar veſicularum inflatis contentas in aqua & aquoſis menſtruis diſſolubiles, quemadmodum prolixius hæc principia proponuntur à Jacobo le Mort *in Pharmac. Medico-Chymica c.* 2. 3. *ſeqq.*

VISCILAGO, Mucilago, Tagault. *lib.* 5. *c.* 4.

VISCUM, ἰξὸς, vide *Ixos.* Adde Galen. *l.* 6. *de S. Fac.* §. *Ixos. Viſcus* quoque dicitur Pix decocta ex rimis vel locuſtis arborum. *Viſcus ſecundæ generationis* eſt cruor, qui deſcendit à ſalibus, Dorn. Rul. & Iohnſ. Apud Libav. *Viſcum* quoque vocatur *Mercurius*, vel liquor viſcoſus, ſive Aqua viſcoſa, *Gluten* quoque dicta, *S. A. Ch. l.* 3. *cap.* 1. *circa fin.*

VISCUM Damaſcenum in Syria ex myxis viſcoſis paratur. Hieronym. Gabucinius *de lumbricis*, *c.* 24.

VISCUS apud veteres, quidquid inter cutem eſt, & oſſa; & quidquid ſub corio. Salmaſ. *in Solin.*

VISIBILIS, ὁρατὸς, dicitur de qualitate externa, qualis eſt color, Gal. *l.* 2. *de L. A. c.* 8.

VISIO apud Latinos homonymon eſt. Vel enim idem eſt, quod *Viſus*, ὄψις. Vel ſignificat apparitionem, φάσμα, v. g. in ſomno. Vide *Opſis.*

VISITATIO, ἐπίσκεψις, vocatur *Medici ad ægros ingreſſus*, cum cognoſcendi morbum, tum ordinandi & remedia præſcribendi gratia. Dicitur quoque de aliis *Inſpectionibus*, v. g. Officinarum Pharmaceuticarum, in quibus omnibus Medicus prudentiam & peritiam ſuam demonſtrare

monſtrare debet. De *Viſitatione* Obſtetricum pro cognoſcenda virginitate an admittatur de Jure, legatur Augen. *Tom. II. Epiſt. & Conſ. Med. pag. m.* 334. *ſeq.*

VISORIUS, ὀπτικὸς, vide *Opticus.*

VISUS, idem, quod *Viſio*, ὄψις, vide *Opſis.*

VITA, βίος, ζωὴ, quid proprie ſit, magis ad Phyſicos, quam Medicos ſpectat. Quam varie vero poſſit ſumi & explicari *Vitæ* vocabulum, videatur inter alios Kerger. *in tract. ſuo de ferm. ſ.* 1. *c.* 3. & 5. Non minus late etiam ſumſit Schroder. *Vitam eſſentialem* dicens rei uniuſcujuſque actum vel ἐντελέχειαν, *l.* 1. *c.* 5. quod vero negat Fr. Hofmann. *in Clav. ad h. loc. n.* 8. Nobis hoc videtur animadvertendum, pace aliorum, hodieque in ſcriptis recentiorum non accurate diſtingui inter *vitam* Phyſice & Metaphyſice, vel Hyperphyſice conſideratam, dum non verentur non ſolum inanimata naturalia, ſed etiam Deum *viventem*, Corpus Chriſti in Cœna Dominica immiſcere, uti apud dictum Kerger. Marc. Marci, &c. videre licet. Profecto hujuſmodi confuſiones limitum non pariunt veram ſcientiam, quin potius deſtruunt, & ab barbariem, imo graviora intellectus vitia, ſeducunt. Nobis hæc deſcriptio haud incongrua videtur, quam e recentioribus tradidit D. Bernardus Conor Anglus Medicus Regius *in Tentamine Epiſtolari de Secretione animali ad D. Eduardum Southvvel, addito Evangelio Medici*, ita ſcribens: Vita eſt mutuus partium ſolidarum in fluidas & fluidarum in ſolidas partes influxus & commercium. An vero Anima rationalis ſive ſpiritus cogitans à vita hominis ſecundum Autoris opinionem ſeparandus ſit, aliorum doctiorum ulteriori ventilationi relinquimus, quamvis nobis non ita ſe habere videatur. Tantum!

VITALIS, ζωτικὸς, dicitur partim de *Spiritu*, qui nullus alius eſt, quam *Calidum nativum*, *Flamma vitalis*; partim de Actionibus *vitalibus*, quæ Sanguini, & illi dicto principio *vitali* attribuuntur: ut ſunt *Reſpiratio*, & *Motus ſanguinis*, à corde in totum corpus, & ejuſdem e corpore ad cor refluxus, cum aliis connexis functionibus. Quo pertinet & *Temperamentum vitale*, Nutritio, &c. Vide *Calidum*, *Flamma*, *Temperamentum*, &c.

VITELLUS, λέκυθος, vide *Lecythos. Vitellum poli*, id eſt, *Alumen*, Ruland. *Vitellina bilis*, i. e. flava, ξανθὴ Vide *Bilis.*

VITILIGO, ἀλφὸς. Vide *Alphus.*

VITISALTUS, idem, quod *Chorea S. Viti*, C.Rejes *C. El. q.* 97. *n.* 3. vide *Chorea.* Paracelſ. vocat *Vitiſtam*, ſive *Choream laſcivam*, *de morb. ament. Tr. c.* 3.

VITIUM, in genere idem, quod *Erratum*, *morbus*, ἁμάρτημα, νόσος. Alii vero diſtinguunt inter *vitium* & *morbum*: *vitium* dicentes perpetuum corporis impedimentum; *morbum* vero temporalem corporis imbecillitatem, *l.* 101. *ff. de V. S.* ubi Theophilus Paraphraſtes in Græco *vitium* expreſſit per πάθος. Jung. Rhod. *ad Scrib. p.* 18. Verum illa diſtinctio raro obſervatur.

VITREUS, ὑαλώδης, ὑαλοειδὴς. Vide *Hyalodes.*

VITRIFICATIO, Chymicis dicitur artificium parandi vitra vel ſuccina ex metallis & mineralibus, antimonio, ſtanno, ferro &c. Legitur paſſim in eorum ſcriptis, v. g. apud D. Iunken *Corp. art. Pharm. P. I. Sect. I. c. IV. p.* 19. &c.

VITRIOLUM, χάλκανθος, χάλκανθον, *Chalcanthum*, *Atramentum ſutorium*, item *Zeg*, eſt ſuccus mineralis concretus, isque duplex: Nativum & factitium. Ratione coloris tres ſpecies recenſentur: 1. *Cœruleum*, quale *Hungaricum*, quod & *Cyprium* vocatur; 2. *Viride*, quale Goslarienſe, & Suecicum. 3. *Album*, quod & λευκὸν. Hujus hiſtoriam, cum uſu, & variis ex eodem præparatis medicamentis, vide Schroder. *l.* 3. *c.* 26. Fr.Hofm. *in Clav. ad hunc locum.* Adde Rul. *Lex. Chym.* Atramentum ſutorium, Libav. *S. A. Ch. libr.* 8. *c.* 40. & *T. II. p.* 273. Iunken. *Chym. Exper. Cur. Part.* 1. *ſect.* 4. *c.* 3. *p.* 270. *ſeqq. Vitriolum Chymicorum* factitium ex ſcoriis ferri legitur *ibid. Vitriola* quoque ex aliis parari poſſunt metallis, ut *Vitriolum Solis*, *Lunæ*, *Martis*, de quibus Libav. *d. Synt. loc. c.* 41. Schroder. Rolfink. & alii conſuli poſſunt. Quod vero etiam laudes *Vitrioli*, ſint in quibuſdam hyperbolicæ, non eſt dubitandum. *Vitriolum liquefactum aut Vitriolatum*, eſt *Vitriolum* ex minera tractum & liquidum, quod coagulari nequit amplius, vel à minera æris tractum *Chalcanthum. Vitriolum novum* eſt *Vitriolum album. Romanum* dicitur, quod maxime viret, Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

VITRUM, ὕαλος. Vide *Hyalos.*

VITTA proprie dicitur *Reticulum*, quod capitibus mulierum imponitur. Per tranſlationem quoque portio *Amnii tunicæ*, quæ capiti infantis quandoque adhæret, ſi fœmella fuerit, *Vitta* vocatur, ſicuti in Maſculis Galea, Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 36. *p.* 303.

VITULUS, μόσχος, proprie dicitur *Vaccæ Proles;* unde *Bos juvenis* appellatur, Galen. *libr.* 11. *S. Fac.* §. *Medulla.* Inter carnes *vitulina* habetur pro delicatiori, Bruyerin. *lib.* 13. *de re cib. c.* 5. De uſu *vituli* Medico lege Schroder. *lib.* 5. *cl.* 1. *n.* 38. Per tranſlationem, à ſimilitudine quadam deſumtam, piſcis quidam etiam vocatur *Vitulus marinus*, qui alias *Phoca* appellatur. Vide *Phoca.*

VIVENS, ζῶον, idem, quod *Animatum;* quomodo à *non vivente* differat, docet Galen. *l quod ſang. nat. in art. cont. c.* 8. videlicet non corporis mole, ſed facultate agendi.

VIVERRA, ἰκτὶς, idem, quod *Muſtela ſylveſtris*, vide *Ictis.* Adde Foreſt. *l.* 19. *Obſ.* 15. *Schol.*

VIVIPARUM, ζωοτόκον, eſt epitheton animalium quandam differentiam exprimens, quando multiplicationem ſuæ ſpeciei productione novi animalis vivi ſibi ſimilis præſtant, ad differentiam Oviparorum, de quibus ſupra. Interea naturam aliquando extraordinarie quid præſtare & ovipara quoque fieri *vivipara*, patet ex Obſervatione Mich. Lyſeri, de gallina *vivipara*, quæ ſex pullos conformatos uno partu excluſit, ſecuta matris propria morte, *in Obſervat. Cultro Lyſeri Anat. additis Obſ. I. p.* 193.

ULCUS, ἕλκος, dicitur & *Hulcus*. Vide *Helcos*.

ULE, οὐλή. Vide *Cicatrix*.

ULNA, πῆχυς, idem, quod *Cubitus*, ὠλέκρανον. Vide *Cubitus*, *Olecranon*, *Focile*.

ULOMELIA, οὐλομελία. Vide *Solimembria*.

ULON, οὖλον, Lat. *Gingivæ*, de quo vocabulo etiam ſupra in GI. Quod vero etiam τὰ οὖλα *inflammationes gingivarum* ſignificat apud Hipp. *libr. 2. de morb. XI.* 4. vana eſt Foëſii imaginatio, & pugnat cum ipſo textu.

ULOPHONOS, οὐλοφόνος, idem, quod *Ixia*, planta venenata, teſte *Ægin. l.* 5. *c.* 47.

ULPHA, *Lapſatura*, recrementum cotis. Rul. *in Lex.*

ULRACH, id eſt, *Sanguis Draconis*. Rul. & Iohnſ.

ULTIMUS, ἔσχατος, idem, quod *ſummus*, vel *extremus*, vide *Eſchatos*. De *materia ultima* paſſim in Paramiro, & aliis ſcriptis ſuis, differit Paracelſus, ſtatuens, eam eſſe Tartarum, Coagulationem, Putrefactionem, ut nihil certi exinde liceat colligere. At in Theatr. Chym. *ultima rerum materia* dicitur ſumma perfectio, quæ jubilat in exaltatione ſua, ſicut aurum ab aliis duobus ſeparatum gloriatur in igne, vitrumque. *Vol. I. p.* 175.

ULTIO, ἀντημώρησις, idem, quod *Vindicta*, de quo paulo ſuperius.

ULTRAMARINUM vocatur Magiſterium quoddam e *Lapide Lazuli* paratum, pictoribus imprimis uſitatum, ſive pulvis impalpabilis eleganter ſecundum diverſos elegantiæ gradus cœruleus, cujus parandi modum e Zwolfero perſpicue propoſuit Iunken. *in Chym. Exper. Cur. Part. I. ſect.* 4. *c.* 9. *p. m.* 329. *ſeq.*

ULULA, αἰγωλιός, ὀλολυγών, eſt ſpecies *Noctuæ*, ejusque deſcriptio, cum uſu Medico, habetur in Aldrov. *l.* 8. *Ornith. c.* 6.

UMBELLÆ ſunt ſummitates plantarum ſinuoſæ, inſtar nidi avis formatæ, Schroder. *l.* 1. *c.* 2. Unde & plantæ *Umbelliferæ* vocantur.

UMBILICUS, ὀμφαλός, vide *Omphalos*. Præter illam ſignificationem Anatomicam tribuitur quoque ob formæ ſimilitudinem aliis corporibus naturalibus, v. gr. (1) *Plantæ* cuidam, *Umbilicus Veneris* dictæ, de qua conſulantur Botanici. (2) *Cochleæ*, de qua legatur Aldrov. *l.* 3. *de Teſtac. c.* 35. 36. (3) *Lapidi* vel gemmæ marinæ, quæ *Umbilicus Veneris* dicitur, coloris interdum rubri, interdum candidi, aut purpurei. Dicitur autem *Umbilicus Veneris*, quia ab altero, ejus latere, cum ſit plana, ab altero, quo elevatur duabus lineis (velut in domunculis cochlearum) ventrem rotundum, quaſi pomum & *umbilicum* puellæ formoſæ refert. Verum Germani magis reſpicientes ad formam ejus, quam refert à latere elevato, propemodum fabæ magnæ; deinde ad patriam, ubi reperitur, vocant vernacule *Fabam Maris*. Reperitur enim inter cochleas in littoribus. Dicitur conciliare gratiam puellis, & plurimum facere ad formam & amorem, deinde ad morbos puellarum. Hæc Rul. & Iohnſ.

UMBLA, nomen piſcis lacuſtris qui & à colore *Rubeculus* à nonnullis vocatur, cujus deſcriptio, cum uſu in cibis, videatur in Aldrovand. *libr.* 5. *de piſc. cap.* 47.

UMBRA, σκιά, æquivocum eſt: Propria ſignificatio nota, qua caliginem notat, quod ex denſitate corporea provenit luminis, radiorum Solis vel candelæ penetrationem non admittente. Hinc *umbroſus*, σκιερός, σκιώδης, id eſt, *caliginoſus*, vocatur *autumnus*, ap. Hipp. *l.* 3. *Epid. ſ.* 3. *t.* 3. Deinde *Umbra* vocatur piſcis fluviatilis, & marinus, qui & *Sciana*, σκίαινα, σκιαινὶς vocatur, quorum hic deſcribitur cum uſu in cibis ab Aldrov. *libr.* 1. *de piſc. cap.* 17. Jul. Alex. *l.* 20. *Sal. c.* 4. Bruyer. *de re cib. l.* 19. *c.* 24. Ille vero apud Aldrov. *l.* 5. *de piſc. c.* 15. Bruyer. *l.* 22. *c.* 16.

UMBRAGINES dicuntur *Pygmæi*. Rul. & Iohnſ.

UMBRATILES, aut *Umbratilia corpora* tranſmutata, ſunt in hominum conſpectum ab aſtris & ſuis adſcendentibus occultis oblata, quæ non ſecus ac lemures apparent oculis; idque per magicam (imo diabolicam) efficaciam. Rul. & Iohnſ.

UNCAM, id eſt, *Argentum vivum*. Rul.

UNCIA, οὐγγία, nomen ponderis Romanum, ſed & à Græcis receptum, pendens drachmas octo, vel ſcrupulos viginti quatuor. Dioſc. & Gal. *de pond. & menſur.* & ex his Gorræus. Eſt vero *uncia* duodecima portio libræ. Galen. *l.* 3. *de C. M. P. G. c.* 3.

UNCINUS, idem, quod *Uncus*, ἄγκιστρον, *hamulum*, vel *hamum* ſignificat. Vide *Hamus*.

UNCTIO, χρῖσις, ἄλειψις. Vide *Inunctio*.

UNCTUARIUM, ἀλειπτήριον, dicitur locus & pars certa balnei temperati caloris, quod in ea homines ante & poſt ſudorem & lotionem pro diverſa corporis habitus ratione inungebantur, Lang. *l.* 1. *ep.* 50.

UNCTUOSITAS, λιπαρότης, quando ad contactum, vel guſtum pinguedo quædam externa percipitur, Gal. *l.* 3. *de S. Fac. c.* 36. in princ. *Unctuoſa* humiditas deſcribitur à Libav. hoc modo, quæ non quidem adhæret, ut *viſcoſa* ſeu glutinoſa, ſed tamen *unguine* prædita eſt, unde quaſi *uncta* & *ungens* appellatur. Talis eſt aqua, quæ ex argento vivo ſublimato deſtillatur, ut videre eſt, cum Mercurium vitæ faciunt, qui liquor *unctuoſus* poteſt olei conſiſtentiam aſſumere, ut & in pulverem niveum præcipitari, &c. *T. II. Oper. p.* 420. Alia *Unctuoſitas Mercurii* deſcripta legitur *in Th. Chym. Vol. IV. p.* 426.

UNCUS, ἄγκιστρον, idem, quod *Hamus*, vide *Hamus*. *Uncos* pro calculo & fœtu extrahendo deſcripſerunt Aquapendens *in Iconibus ad Opera Chirurg.* & Scultet. *Arm. Chir. P. I. Tab. XVII. fig.* 9. & 10. & *T. XXII. f.* 1. Pertinent & *Unci* inter Machinas, Oribaſ. *h. tit. c.* 4.

UNDA, idem, quod *Aqua*, ὕδωρ. Vide *Aqua*.

UNDATIO dicitur motus cordis præternaturalis, ubi quædam & lateralis inclinatio ſecundum ductum ventriculi dextri quaſi leviter ſeſe contorquentis fit, ſicut in equo potante, uti deſcripſit ex Harvæo Barthol. *l.* 2. *Anat. c.* 6. *p.* 371.

UNDECIMUS, ἑνδέκατος, eſt dies index decimi quarti in Criſibus, Hippocr. 4. *aphor.* 24. Galen. *l.* 4. *de dieb. Crit. c.* 8.

UNDÆ, vel *Undenæ*, dicuntur Paracelſo homines

aërei, terrenique ſpiritus, Dorn. *in Diction. Paracelſ. 9.* *de ſign. rer. nat.* qui Lemuribus aſſociavit.

UNDIMIA vocatur Paracelſo *Tumor œdematoſus*; cujus materia eſt mucilaginoſum congelatum, glutinoſum, ut clarum ovi. Conſtituit idem quatuor ſpecies: *Rocham*, *Sciſſam*, ex *Glacie*, vel *Nitro*. *Paragraphor. l.4. c. 1.* per totum. Waltherus etiam ad *Oedemata* retulit. *Salv. Med. p.* 1132.

UNDOSUS, id eſt, fluctuans, κυματώδης, epitheton pulſus inæqualis, Galen. *de pulſib. ad tyron. c. 8.* vide *Cymatodes*. *Undoſa* quoque nonnullis vocantur quorumvis animalium excrementa, Dorn. Ruland. & Iohnſ. quamvis hic legat *Ungoſa*, & fortaſſis rectius.

UNGARICUS, *Hungaricus*, vocatur febris Epidemica maligna, plerunque cum nimio capitis dolore, delirio, aut angina periculoſiſſima invadens: aliquando cum petechiis ſive maculis pulicaribus, vide *Petechiæ*. Ruland. integr. libellum ſcripſit *de morbo vel lue Hungarica*, quia *Hungaris* frequens eſſe ſolet. Jungatur Hildan. *Cent. 6. Obſ.* 31. Libav. non inepte *Cauſum Hungaricum* vocavit *Tom. II. Oper. p.* 292. ubi lapidem prunellæ maxime commendavit.

UNGOSA, vide *Undoſus*.

UNGUEN, *Unguentum*, μύρον, vide *Myron*. Junge Keuchen. *ad Sammon. p.* 98. De *Unguento armario* Paracelſi vide veriſſimum judicium B.Rolfink. *Chym. l.5.ſ.14. c. 5.* *Unguentum croceum* dicitur *Elixir*. Rul. & Iohnſ.

UNGUENTARIUS, μυροποιὸς, μυρεψὸς, μυροπώλης, vide *Pigmentarius*. Jung. Rhod. *ad Scribon. n. 66.*

UNGUIS, ὄνυξ, vide *Onyx*.

UNGULA, idem, quod *Unguis*, ὄνυξ πτερύγιον. Alias de brutorum unguibus potiſſimum dicitur.

UNICORNU, μονόκερως, vide *Monoceros*.

UNIO, æquivocum eſt apud Latinos. Vel enim idem eſt, quod *Unitio*, *Unitas*, & Græc. dicitur ἕνωσις, pertinetque ad tertiam Sanitatis differentiam eſſentialem, vel ſpeciem, quæ & *Continuitas* vocatur, de qua ſupra in eo. Gr. etiam συνέχεια vocatur. Vel denotat *gemmam*, quæ alio nomine *Margarita* & *Perla* appellatur. Vide *Margarita*, *Perla*. Ad priorem quoque ſignificationem referri ſano ſenſu poteſt Spagyrica & Myſtica ſignificatio *Unionis naturæ*, de qua *in Theatr. Ch. Vol. IV. p.* 120. & *Unionis animarum exuberatarum* cum terris ſuis calcinatis, de qua *Vol. VI. p.* 245.

UNITAS, vel idem, quod *Unio*, *Unitio*, ἕνωσις: vel Gr. dicitur μονὰς, & denotat *Unarium* numerum Spagyricum & Myſticum. Vide *Monas*, quamvis proprie non ſit numerus, *Th. Chymic. Vol. I. p.* 388.

UNIVALVIS, μονόθυρος, eſt epitheton quorundam teſtaceorum, quorum teſta in dorſis data ſaxis adhæret, ad differentiam *Bivalvium*. Ad priores pertinet Patella, λεπὰς. Vide *Patella*.

UNIVERSALIS, vel dicitur de morbis, & ita idem, quod *Communis*, & Gr κοινὸς, πάγκοινος. Vide *Cœnos*. Vel de medicamentis, Gr. dicuntur καθολικά. Vid. *Catholicus*.

UNQUASI eſt *Argentum vivum*. Dorn. Iohnſ.

VOARCHADAMIA, dicitur *Metallorum Caballa*; eſtque ars ænigmatica, in qua auri per cœmentationes, & alios modos, exaltationes & præparationes proponuntur, & quidem per literas Hebraicas, occultam & peculiarem habentes ſignificationem. De qua arte, & ejus principii materia, prolixius tractatur *in Theatr. Chym. Vol. II. pag.* 500. *ſeqq. pluribus.* Meminit & Libav. *T. II. Oper. pag.* 122. nec non Morhof. *in epiſtola de tranſmutatione metallor. ad Langelottum.*

VOCABULUM, ὄνομα, λέξις, idem, quod *Nomen* generaliter ſumtum, *Dictio*, *Vox*. *Vocabula* clara & perſpicua olim vocata fuiſſe à Rhetoribus *civilia*, docet Gal. *c. 3. in l. 3. Epid. t. 22.* *Vocabulorum* abuſu artem non debere confundi, cum teſte Hippocr. ὀνόματα ſint νομοθετήματα, recte colligit Libav. *T. III. Op. p.* 97.

VOCALIS vel ſumitur Grammatice pro litera per ſe ſonata; & Græc. dicitur φωνῆεν, Gal. *l. 1. M. M. cap.* 3. vel dicitur de partibus corporis organicis, ad vocis formationem pertinentibus. Græc. φωνητικὸς. Ita *Vocales nervos* ſe inveniſſe ſcribit idem, quod φωνητικὰ νεῦρα vocavit, *l. 1. de L. A. c. 6.*

VOCIFERATIO, βοὴ, ἀναφώνησις, μεγαλοφωνία, idem, quod *Clamor*. Vide *Clamor*, *Megalophonos*, *Anaphoneſis*.

VOLA, θέναρ. Vide *Thenar*.

VOLANS, idem, quod *Volatilis*. Chymicis *Volans* idem, quod *Unquaſi*, h.e. *Argentum vivum*. Dorn.Iohnſ. *in Lex.*

VOLATICA, λειχὴν, idem, quod *Impetigo*, *Lichen*: Vide *Impetigo*. Alias *Volaticam ſcorbuticam* vocavit D. J. L. Hanmannus dolorem vagum cum tumore, modo hanc, modo aliam partem invadentem, uti videre eſt *in Act. Hafnienſ. Vol. II. obſ.* 112. *p.* 277.

VOLATILIA, πτηνὰ, idem quod *Volucres*, ὄρνιθες, vide *Aves*. Adde Bruyer. *l.* 15. *de re cibar. per tot.* Inter volatilia perdices præ omnibus extulit Galen. *lib.* 8. *M. M. cap.* 2. *Volatiles molæ* quid ſint, vide *Mola*. Alias in Chymicis *Volatile* dicitur in genere leviſſima quævis & facile ſurſum lata materia, ut cinis, pulvis, & ſimilia. Opponitur *Fixo*. Unde in hoc Ænigmatico Canone involutum eſſe dicitur negotium Spagyricum, præſertim circa lapidem Philoſophicum. Fac *fixum volatile* & rurſus *volatile fixum*, & totum habebis Magiſterium, *Theatr. Chym. Vol. I. p.* 382. Imprimis vero Salium quorundam differentiam conſtituit *volatile*, dum *Salia volatilia* dicuntur, quæ ignem non tolerant, ſed cum ſpiritu & oleo elevantur, & alembici parietibus adhærent, roſtrum etiam interius incruſtant, de quibus vide Rolf. *libr. 5. Chym. ſect 1. art. 1. c. 1. ſeqq.* Imo transfertur etiam vocabulum hoc *Volatilis* ad cauſſas morbificas, quatenus nonnullæ *Volatilem* habent naturam, & celeriter moventur, præ aliis fixioribus & magis impactis. De *volatilitate* acidi in ſalſo vide Helmont. *tr. Sextupl. dig. n* 9.

VOLATUS, πτῆσις, πτῆ, eſt motionis ſpecies, quando

animalis

animalis tranſlatio fit de loco in locum per liberam & mediam aëris regionem. Joh. Alph. Borellus *de motu animal.* P. 1. c. 1.

VOLEMA dicuntur quædam *Poma*, vel *pyra orbiculata*, fortaſſis ita dicta, quod *volam* manus impleant, Rhod. *ad Scribon. n.* 104. *p.* 174.

VOLSELLA, λαβὶς. Vide *Labis.*

VOLVA vocatur *integumentum*, ſive cortex pomorum, apud Scribon. & Rhod. p. a. *d. l.*

VOLUCRIS, πτηνὸν, ὄρνις, idem, quod *Avis.*

VOLUNTARIUS, κατὰ προαίρεσιν, ἑκούσιος, dicitur de omni eo, quod eſt in noſtra poteſtate, ut fiat, vel non fiat. Ita *motus voluntarius* deſcribitur, quem, ſi libet, poſſum ſedare, aut, ſi nondum eſt, perficere, Gal. *l.* 2. *de mot. muſc. c.* 5. Dicitur & ἑκούσιον, voluntarium. Ita *Lachrymæ voluntariæ*, δάκρυα ἑκούσια. Hippocr. 4. *a.* 52. Junge Dieter. *n.* 718.

VOLUNTAS, θέλημα, vocatur actio hominis propria, ab ipſa anima profluens, & directe dependens. Charlton. *Ex. Pathol. VIII.* §. 6. Williſio dicitur animæ rationalis aſſecla, ab intellectu procedens, eſtque ſpecies appetitus rationalis, quemadmodum appetitus ſenſitivus imaginationi cohæret, & animæ corporeæ manus procuratrix perhibetur, *de An. Brut. P.* 1. *c.* 7. Helmont. *Blaſ. hum. n.* 9. vocat *voluntatem* principium operativum motus, & primum movens.

VOLUPTAS, ἡδονή, vide *Hedone. Voluptas* ſi licentius progreditur, & ſine modo, in detrimenta, pericula graviſſima, interitum ipſum ducit, recte docente Dieter. *n.* 545. *circa finem. Voluptas dolorifica* vocatur *pruritus* ab eodem *n.* 467.

VOLVULUS, εἰλεὸς, idem, quod *Ileus*, *Chordapſus.* Vide *Eileos.*

VOMER, ὕνος, vel ὕννος, dicitur Oſſiculum ſextum Naſi in medio poſitum proxime attingens ſeptum narium, Jo. van Horne *Microcoſm. p.* 9. Barthol. *libell.* 4. *cap.* 10. *p.* 721. *fin.* Jung. D. D. *Diſſ. Anat. ad Horn. d. l. p.* 23.

VOMICA, idem, quod *Apoſtema ſuppuratum*, *Abſceſſus* cum ſuppuratione, *Sinus.* Ita *vomica pulmonis* legitur apud Lang. *l.* 2. *ep.* 40. Hinc & *Vomici* dicuntur in adjectivo, qui pulmonum *vomica* laborant, Anton. Muſa *de Vetonica n.* 8. Jung. *commentar.* Gabr. Humelbergii *ad h. loc. p. m.* 12. Abuſive *vomica liquoris æterni* dicitur *Argentum vivum.* Iohnſ. *Lex. Chym. l.* 2.

VOMILIUM dicitur *Mercurius vitæ*, ab effectu, Libav. *S. A. Chym. l.* 6. *c.* 19. & *Aurum vitæ*, *cap.* 20. Extenditur vero etiam ad alia vomitoria, ita ut *vomilia* eadem ſint cum *vomitoriis. Tom. II, Op. p.* 168.

VOMITIO, vide *Vomitus.*

VOMITORIA, ἐμετικὰ, dicuntur medicamenta, quæ ſurſum per os purgant. Dicuntur & *Vomitiva*, item *Vomilia.* Catalogum horum & modum præparandi vide apud Rolfink. *O. & M. M Sp. l.* 5. *ſect.* 8. *per tot.* Willis *Ph. Rat. P.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 1. Quod vero Thomſon. *in Epilog. Chym. Obſ.* 8. *p.* 4. nihil ad futuram ſalutem acquirendam magis conducere; nobis vult perſuadere, quam *Emeticum lene*, in principio oblatum, illud, niſi cum grano, quod dicitur, ſalis accipiatur & ad quoſdam duntaxat morbos applicetur, ac quidem magna cum prudentia, hyperbolicum eſt Encomium, quamvis eidem quoque ſubſcripſerit Iunken *Chym. Exp. Cur. Part. II. ſect.* 1. *cap.* 3. *p.* 475. *ſeq.* 1. magis univerſalia dicens *vomitoria* Purgantibus Catotericis.

VOMITURIO, ἐμετιάω, i. e. *frequenter vomo.* Dieter. *n.* 278. Hinc & *Vomituritio* dicitur continuus ad vomendum conatus abſque effectu, qualem lethalem fuiſſe, ex Velſchio refert Bonet. *Med. Septentr. l.* 3. *ſect.* 4. *c.* 2. *p.* 526.

VOMITUS, ἔμετος, item *Vomitio.* Vide *Emetos. Vomitus* etiam in Antidotario Nicolai apud Meſuen *fol. m.* 394. ſumitur pro ipſo medicamento Vomitorio, unde deſcriptiones *Vomitus* noſtri h. e. Nicolai & *Vomitus* Patriarchæ ibidem leguntur.

VOPISCUS, dicitur alter e geminis, qui retentus in utero, altero interemto ab ortu naſceretur, Roder. à Caſtro *l.* 4. *de nat. mulier. c.* 2. *p. m.* 178.

VORACITAS, ἀδδηφαγία. Vide *Addephagia.*

VOX, apud Latinos æquivocum eſt. Vel enim idem eſt, quod *Dictio*, *Vocabulum*, *Nomen*; vel Gr. dicitur φωνὴ, de qua ſignificatione vide ſupra *Phone.*

UPUPA, ἔποψ, avis dicitur ſpuria, ſtercore humano gaudens, cujus deſcriptio cum uſu in Medicina habetur in Aldrov. *l.* 17. *Ornithol. cap.* 11. Schroder. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 70.

URACHOS, οὐραχὸς, Latin. etiam *Urachus*, item *Urinaculum.* Gal. *l.* 15. *de U. P. c.* 5. *circa fin.* Dicitur vas aliquod, vel ligamentum, à veſicæ fundo exortum, intra vaſa umbilicalia excurrens, in tunicam Allantoidem deſinens, ubi urina colligitur; in hominibus vero ad umbilicum terminum ſuum habens. De hujus ſtructura legantur Anatomici, & inter hos Barth. *l.* 1. *An. c.* 37. *p.* 319.

URÆON, οὐραῖον, Gal. dicitur *extremitas oſſis*, in ſpecie *ſacri*, *c.* 4. *de R. V. I. A. t.* 83.

URAGION, οὐράγιον dicitur mucro, vel *apex cordis*, apud Hippocr. *l. de Cord. IV.* 12. ubi quidem Linden. habet οὐραγὸν. Eſt vero οὐραγὸς proprie extremi agminis ductor, veluti caudæ; & poteſt tranſlatio admitti. Rectius tamen legitur οὐράγιον, quod vocabulum etiam calculo ſuo approbavit C. Hofmann. *in Comm. ad Galen. LL. de Uſ. Part. n.* 336.

URANÆ, οὐρᾶναι, idem, quod οὐρητῆρες, de qua voce poſtea. Gorr.

URANIOS, οὐράνιος, *Cæleſtis.* Sumitur tamen etiam pro *aëreo* apud Hippocr. *l.* 1. *Epid. ſ.* 3. *t.* 1. Alias οὐράνιον etiam nomen eſt Collyrii ἀδήκτου, apud Ægin. *l.* 7. *c.* 16. Gorr.

URANISCOS, οὐρανίσκος, id eſt, *parvum cælum*, dictum fuit *Palatum*, pars oris ſuperior, à cœli ſimilitudine nomen accipiens, quod in cœli modum camera-

 tam

tum ſit.' Unde & οὐρανὸς *Cœlum* quoque dictum; Gal. *in def.* Gorr. & Caſtell.

URANOS, οὐρανός. Vide *Cœlum.*

URANOSCOPOS, οὐρανοσκόπος, nomen piſcis, qui & καλλιώνυμος dicitur. Vide *Callionymos.*

URCEUS eſt menſura liquidorum, in diverſis tamen locis diverſam quantitatem recipiens. In Pergamenſi agro continet uncias 12. aut 15. Vini. Fallop. *l. de Therm. aq. & metall. c.* 11. *Tom. I.*

UREDINES vocantur vires metallorum, virtute Solis communicatæ, de quibus lege Baſil. *Teſt. ult. l.* 1. *c.* 16. Plinius *l.* 20. *H. N. c.* 18. Uredinem vocat Rubiginem frugum. Vide *Rubigo. Uredo* etiam dicitur dolor capitis graviſſimus ardensque, cui ſanando folia Palmæ Chriſti applicata plurimum contulerunt ex obſervatione Doct. Stubles in *Act. Philoſ. Anglic. m. Jun.* 1668. excerpente Theoph. Boneto *Med. Septentrion. l.* 1. *Sect. V. c.* 22. *p.* 78.

UREMA, οὔρημα, idem, quod οὖρον, *Urina.* Legitur apud Hipp. *de nat. hum. t.* 19. *&* 20.

URENS, id eſt, *urendi vi præditus*, καυστικὸς, πυρωτικὸς. Vide *Cauſticos.*

URESIS, οὔρησις, vide *Mictio.* Adde *Coac. t.* 263. 348.

URETERES, οὐρητῆρες, vocantur *meatus urinarii*, vel *canales oblongi*, teretes, à pelvi renum prodeuntes, & ad veſicam *urinariam* obliqua inſertione definentes, urinam à ſanguine in renibus ſegregatam tranſmittentes. Gal. *l.* 5. *de V. P. c.* 5. Barthol. *l.* 1. *An. c.* 19. *p.* 194. *ſeqq.*

URETHRA, οὐρήθρα, *canalis urinarius*, ſive *fiſtula urinaria*, in maſculis per penem excurrens, urinæ reddendæ accommodatus. Legitur apud Hipp. 4. *aph.* 82. *&* 7. *aph.* 57. *l. de int. aff. XV.* 6. Gal. *l.* 1. *d. L. A. c.* 1. Dieter. *n.* 634. Barthol. *d. l. c.* 34. *p.* 238. *ſeq.*

URETICOS, οὐρητικὸς, *urinam promovens.* Uſurpatur vel de meatibus & canalibus, qui vocantur οὐρητικοὶ πόροι, *meatus urinarii*, hoc eſt, *ureteres.* Vel de medicamentis, & ita idem ſignificat, quod *Diureticus*, Galen. *l.* 5. *de S. F. c.* 20. de quo ſupra in DI. Vel etiam de homine, qui *facile urinam reddit*, & quidem in ſuperlativo, apud Hippocr. οὐρητικώτατος, 4. *de R. V. I. A. t.* 111. Vel denique de Morbis, v. g. de Febre quadam ſymptomatica, quæ *Febris Uretica* dicitur, comitem habens Diabeten, Dolæus *Encyclopæd. Med. l.* 4. *c.* 10. §. 1. 2. *ſeq.*

UREUS, οὐρεὺς, Ion. pro ὀρεὺς, i. e. *mulus*, ἡμίονος. Erot. *Onom. p.* 80. *d.*

URIAS, οὐρίας, *fiſtula urinaria*, quæ in cervice veſicæ fieri ſolet, Gorr.

URINA, οὖρον, dicitur excrementum ſeroſum in renibus, à ſanguine ſegregatum, per meatus urinarios ad veſicam tranſlatum, & per urethram excretum. Dicitur & *Lotium.* Ejus conſideratio ſeſe extendit per plures Medicinæ partes, v. gr. In Phyſiologia & Pathologia, tanquam cauſſa, vel conſequens ſanitatis, aut morborum. In Semiologia, ut ſignum Diagnoſticon & Prognoſticon ſec. vel p. n. In Pharmaceuticis tanquam remedium, de qua conſideratione legatur Schroder. *l.* 2. *c.* 35. *& l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. Junge Fr. Hofm. *in Clav. ad h. loc.* vide & Foëſ. *p.* 468. *ſeq.* ubi plures *urinæ* p. n. ſeſe habentes differentias propoſuit, Dieter. *n.* 636. A Chymicis *Urina* dicitur *Sal cruoris*, Theatr. Chym. *Vol. I. pag.* 578. vel: *Urina* eſt Sal reſolutum generatum in hepate (in quo falluntur) per ſuum emunctorium, ut ſuperfluum excrementum ſalis à natura pulſum, Dorn. Rul. & Iohnſon. *in Lex.* Quomodo *urina* generetur & ſecernatur, legi poterit Bartholin. *l.* 1. *Anat. c.* 17. *p.* 186. *Urinam* in ſua principia reſolutam, cum uſu diagnoſtico & prognoſtico, tradidit inter alios eleganter Willis *Exerc. de Urinis.* Et noviſſime Laurent. Bellini Profeſſ. Piſan. *in Operis Membr. I. de Urinis.* Abuſive *Urinæ* vox tribuitur aliis liquoribus, v. g. *Urina vini* eſt *acetum*, & uſurpatur pro hominis urina, vinum aſſidue bibentis, Dorn. Rul. & Iohnſ. In negotio lapidis Philoſophici *Aqua alba prima*, antequam corpus album in ea ſolvatur, nominatur *urina puellarum*, & *aqua rubea*, *urina virorum.* Utraque autem *urina infantum*, Th. Chym. *Vol. III. p.* 22. Nugæ!

URINACULUM, οὐραχὸς. Vide *Urachus.*

URINARIUS, οὐρητικὸς. Vide *Ureteres*, *Ureticos.* Membranam *urinariam* fœtus corpuſculum ambientem mediam inter Chorion & Amnion ſitam fibrillis placentæ uterinæ adhærentem aliquoties delineatam exhibet quidem D. Gothofr. Bidloo *Anat. Tab. LV. ſeqq.* An vero fortaſſis Alantoides dicta aliorum huc referenda ſit, quo inclinare videtur D. P. Wedel *Phyſiol. Reform. CXVI. p.* 600. aut an ſuperflua ſit ſubtilitas cultri Anatomici, quemadmodum hoc nomine aliis Anatomicis ſuſpecta eſt, noſtrarum non eſt partium arbitrium facere.

URINATOR, κολυμβητὴς, dicitur, qui ſub aquis natare aut vivere poteſt. Vocatur & *Merſor in Act. Philoſoph.* Oldenburg. *An.* 166⅞. *m. Januar.* De *urinatorum* reſpiratione vide Boneti *Anatom. Pr. l.* 2. *ſect.* 2. *O.* 168. De *urinatoria campana* lege Cl. Sturmii *Colleg. Experim. Curioſ. Tentam. I.* ut & Bonetum *Med. Septentr. l.* 2. *ſect.* 17. *c.* 11. *p.* 444. Machinam quoque & Navem *Urinatoriam* tradidit Borellus in *Opere poſthumo*, *parte altera*, vid. *Acta Erudit. Lipſ.* 683.

URINOSUS eſt epitheton ſalis alcalici volatilis; urinæ odorem ferme ſemper referentis, ad differentiam Lixivioſi. Videantur paſſim recentiorum Chymicorum ſcripta.

URNA, οὔρνα, nomen menſuræ liquidorum majoris, ſed variantis, dum continet *dimidiam amphoram*, h. e. vini libras 40. olei libras 36. mellis libras 54. Galen. *l. de pond. & menſ. c.* 2. quamvis Soranus Epheſius ſcripſerit integram amphoram continere, & cum Cado confuderit, docente Rhod. *ad Scribon. n.* 105. Alias *Urna* quoque vaſculum dictum fuit, in quo veteres gentiles defunctorum crematorum cineres aſſervarunt, ut videre eſt apud eundem *n.* 37. De *Urna Chymicorum myſteriorum* Patavii reperta vi de *Th. Chymic. Vol. I. p.* 29.

UROCRISIA, οὐροκρισία, vel οὐροκριτήριον, dici poteſt

teſt judicium de urina & de morbi indole ex urinæ inſpectione. Signa ex urina deſumta appellare etiam licet οὐροκριτικά. Ita Johannes Rhenanus Medicus & Chymicus ſuam rationem Chymiatricam exacte judicandi urinas e tribus principiis activis & uno paſſivo hactenus neglectis Aphoriſtice traditam inſcripſit *Urocriterium Chymiatricum.*

UROGALLUS, idem, quod *Tetrao*, τέτραξ, οὔραξ. Vide *Tetrao.*

UROMANTES, οὐρομάντης, dicitur *ex urina Divinator*, ſumiturque plerumque in malam partem, de eo, qui ex ſolo urinarum judicio de eſſentia & cauſſa ægritudinis ob vile pretium perfricta fronte nugari (divinare, ignoſce, dicere volebam) non erubeſcit, Lang. *l.* 2. *ep.* 23. Alias οὐρομαντεία vera, quæ & οὐροσκοπία dicitur apud Helm. *de Lithiaſ. cap.* 3. *num.* 34. quomodo inſtitui debeat, docet præter Foreſt. *de fallac. urin. jud.* & alios ipſe Willis *de urin. c.* 6. In Helmontio perperam legitur *Uronoſcopia*, *Uronomantia.*

URON, οὖρον. Vide *Urina.*

UROPYGION, οὐροπύγιον, vide *Orrhopygion.*

UROSCOPIA, οὐροσκοπία. Vide *Uromantes.*

URSA, *Urſus*, ἄρκτος, vocatur animal quadrupes ferum, lumbis robuſtiſſimis, capite imbecillo, laſcivum, ſomnolentum, cujus prolixiorem deſcriptionem, cum uſu in cibis & Medicina, vide apud Aldrovand. *l.* 1. *de quadr. digit. vivip. c.* 5. Adde Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 40. Anatomicas etiam circa ſtructuram obſervationes lege in Oldenburg. *Actis Philoſoph. An.* 1669. *m. Jul.* De *Urſorum* ſuctione digitorum extremorum in pedibus anterioribus legatur Caſparis Bartholini Thom. F. Obſervatio Anatomica *in Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 21. *p.* 34. *ſeq.* Eſt & nomen ſyderis duplicis, circa Septentrionalem polum occurrentis; qui *Polus* propterea *Arcticus* vocatur, quorum ſyderum alterum vocatur *Urſa major*, à ruſticis noſtris *Currus* vel *Plauſtrum*, apud Galen. *Urſa ſeptiſtella*, ἑπτάστερος, *l.* 3. *de dieb. crit. cap.* 11. dicta; alterum *Urſa minor.*

URTICA, ἀκαλήφη, æquivocum eſt. Primo enim eſt nomen plantæ notiſſimæ, de qua vide Botanicos. Deinde ita dicitur *Zoophyton marinum*, ſive *plantanimal*, quod deſcribitur cum ſuis ſpeciebus, uſque in cibis & Medicina, ab Aldrov. *l.* 4. *de Exang. c.* 1.

URTICATIO, (fortaſſis Græc. ἀκαληφισμὸς dici poſſet) eſt operatio Chirurgica, qua membra corporis *urticis* recentibus percutiuntur, ad revocandum calorem. Ejus meminit ex Celſo *lib.* 3. *c.* 28. Rolfink. *O. & M. M. Sp. l.* 4. *ſ.* 9. *p.* 2. *unic. in fin.*

URUMENA, οὐρούμενα, dicuntur Hippocr. vel *ipſæ urinæ*, vel quæ cum *urina mejuntur.* Legitur *Coac. t.* 596. & *l.* 7. *Epid. XV.* 44. Foëſ. *p.* 467.

URUS vocatur βοῦς ἄγριος, *Bos ferus ſylveſtris*, cujus deſcriptio habetur apud Aldrov. *l.* 1. *de quadr. biſulc. c.* 2.

US οὖς, *Auris*, Plur. τὰ ὦτα, vel τὰ οὔατα. Vide *Aures.*

USFIDA eſt *Scoria auri.* Rul. & Iohnſon. *in Lex.*

USIA, οὐσία. Vide *Eſſentia*, *Subſtantia.*

USNEA, βρύον, generaliter Arabibus *Muſcum* ſignificat, Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 220. Fr. Hofmann. *in Clav. ad hunc locum.* Ephem. N. Cur. *A. II. Obſ.* 51. *Schol.* Hodieque tamen reſtrictius accipitur de *Muſco* in *Cranio hominis* interemti, aërique expoſiti nato, quod ſpecificum habetur certiſſimum in omnibus hæmorrhagiis, à quacunque cauſſa ortis; de qua *Uſnea* legatur Schrod. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 23. Fr. Hofmann. *in Clav. pag.* 508. Ephem. N. C. *d. l.* Beker. *Microcoſm. Med. l.* 2. *c.* 5. Alias *Uſnea* Paracelſo dicitur *Tartarus tenuiſſimus* & ſpongioſus, qualis generatur in hepate, ſtomacho, renibus, veſica, *l.* 1. *de Tartaro tract.* 1. *c.* 1. *item in fragm. ad h. l.*

USRUB, vel *Urſub*, eſt *Saturnus.* Ruland. & Iohnſ. *in Lex.*

USTIO, καῦσις, dicitur operatio vel Pharmaceutica, vel Chirurgica. In illa medicamenta ſimplicia *comburuntur*, vel ut in cinerem redigantur, uti fit in ſalibus vegetabilium parandis; & huc pertinet *Incineratio*, vel ut exiccentur, ut in pulverem redigi poſſint, v.gr. Cornu Cervi &c. quæ *uſtio* fit in vaſis & fornacibus figulinis. De hac *Uſtione* vide Weker. *Antid. Gen. l.* 3. *c.* 19. *Uſtio* metallorum eadem eſt cum *Cæmentatione*, Theatr. Chym. *Vol. III. p.* 470. Rolfink. vocat *Combuſtionem*, *Chym. l.* 2. *c.* 3. Hæc fit *cauterio* actuali, hoc eſt, inſtrumento ignito, quo pars tangitur & uritur. Dicitur *Cauteriſatio*, vide *Cauterium.* & Caſp. Rejes *C. El. q.* 56. *n.* 9. *ſeqq. Uſtio* quoque Pathologice ſumitur pro *Uſto*, Græce καῦμα vel κατάκαυμα dicto, Lang. *l.* 2. *ep.* 4.

USTULATIO dicitur, quando medicamenta tantum humoris non habentia, ut coqui poſſint, fruſtulatim inciſa laminis ferreis impoſita, aut tegulis torrentur, ut partes externæ exiccentur. Eadem cum *Toſtione* aut *Torrefactione*, Weker. *d. l. c.* 18.

USTUS, καυθεὶς, κεκαυμένος, dicitur de medicamentis igne *calcinatis.* Unde & Libav. *imperfecte calcinata* vocat, *Tom. II. p.* 147. Talium *uſtorum* meminit paſſim Galen. *l.* 11. *Simpl. Fac. & alibi*; quamvis in nonnullis vis vera medicamentoſa hujuſmodi uſtione potius pereat, & ſaltem vis ſiccans & adſtringens inferatur.

USUALIA dicuntur medicamenta ad oppoſitionem Exoletorum, quæ adhuc in uſu ſunt, ſive ſimplicia fuerint, ſive compoſita. Coincidere igitur videntur cum *Officinalibus.* Vide *Dogm. noſt. Med. Gen. P. VI. c.* 4. *d.* 6. *p.* 753.

USURAT, hoc eſt, *Stannum.* Rul. *in Lex.*

USURPATIO, χρῆσις, idem, quod *Utendi modus*, ſive medicamentorum adminiſtratio vel adhibitio, de qua Schroder. l. 1. *c.* 30. Apud Weker. & alios etiam *Uſus* dicitur.

USUS, χρῆσις, χρεία, diverſam obtinet ſignificationem. Vel enim modum utendi denotat, & ita coincidit cum *uſurpatione*, vel idem eſt, quod *Utilitas*, *Officium*, *Auxilium*, Efficacia alicujus vel Partis & Membri in corpore, vel medicamenti. Ita Galen. ſcripſit prolixos libros de *Uſu partium.* Sunt tamen ex recentioribus, qui *uſum* reſtringentes ab actione partium diſcernant, deſcribentes, quod *uſus* ſit auxilium, quo partes minus præ-

cipuæ,

cipuæ cenferant; ut pars præcipua functionem edat; Barthol. *in Anat. proœm. p.* 2.

UTENSILIA, χρειώδη, vocantur res ad varios uſus commodæ, vel utiles, apud Rhod. *ad Scrib.* ita de *Utenſilibus*, quæ ſecum afferat obſtetrix, ſive ruri ſive in urbe fuerit, ſcripſit Henr. Deventer Medicus *in Novo Lumine pro Obſtetricantibus c. XXVI. p.* 83.

UTERARIA, minus uſitate apud Latinos dicitur, uſitatius *Hyſterica*, *Gr.* ὑστερικὴ, vide *Hyſtericus.* Alias & *Uterinus* in uſu eſt apud Latinos.

UTERUS, ὑστέρα, idem, quod *Matrix*, *Vulva.* Vide *Hyſtera. Uterus Spagyricus* eſt *Furnus Athanor.* Theatr. Chym. *Vol. I. p.* 503. *ſeq.*

UTILIS, *Utilitas*, χρειώδης, χρεῖα, idem, quod *Uſus.* Significatio horum vocabulorum aliunde nota eſt. Vide & *Opheleo.*

UTRIFORMIS abſceſſus, idem, quod *Oedemoſarca*, de quo vocab. vide ſupra *ſuo loco.* Legitur & hoc nomen apud eund. Severin. *cit. ibid. loc.*

UTRIS, ἀσκὸς, vide *Aſcos. Utriculus* etiam pro *Utero* & Locis Muliebribus aliquando ſumitur, Barthol. *l.* 1. *An. c.* 28. *p.* 260. *Utricularii* dici quoque poſſunt in ſtatu p. n. ii, qui *Aſcite hydrope laborant.* Caſtell.

UVA, σταφυλὴ. Vide *Staphyle.* Quibus addi debent, quod & *Inſectum* vel *Zoophyton* detur, dictum *Uva marina*, apud Aldrov. *l.* 1. *de Inſect. c.* 17. & *Uvina quercina* ſit, quæ veteribus fuit ignota concretitium quoddam in forma uvæ ad radices quercuum ſub terra tempore veris ex humore forſitan radicum ſuperfluo genitum, ſaporis omnino ſtyptici, calore foras purpureo, intus candido, & quaſi lactifero. In æſtate perit, & veluti ſit lignea. Debet ergo tempore veris colligi, & ſiccari umbra, deinde pulveriſari. Quo pulvere nihil eſt præſentius in dyſenteria, & in omni fluxu ſanguinis, Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

UVÆ fabriles, quæ in officinis fabrorum furno ſiccabantur. Aurelian. *l.* 4. *c.* 3. *Chron.*

UVATIO, σταφύλωμα. Vide *Staphyloma.* Capivaccio dicitur *Uveatio*, *l.* 1. *Pract. c.* 34.

UVEA, *Uviformis*, ῥαγοειδής. Vide *Rhagoides.*

VULCANUS, ἥφαιστος, nomen Deaſtri gentilium. A Paracelſo, ejusque aſſeclis tranſlatum cum ad *Ignem*, qua *Naturalem*, qua *Artificialem*, imo & ad *Aſtralem.* Ita *Vulcanus Firmamenti majoris & minoris mundi Microcoſmus*, paſſim in ſcriptis ejus legitur. Ita & Helmontius ſcripſit: In univerſa natura unum eſſe *Vulcanum*, *de Lithiaſ. c.* 4. *n.* 5. Jung. *Theatr. Chym. Vol. V. p.* 344. *Artificialis* vocatur *Caſtigator Mercurii* à Baſil. de lapide Philoſophor. tum ad *Ignis Magiſtros*, qui etiam duplices: *Naturalis*, qui eſt *Stomachus*, *fragm. libror. Paragraphor. & alibi. Artificiales* ſunt *Coquus* Chymicus, Spagyricus. Tales artifices vocantur *Vulcanii*, vel *Vulcanici*, id eſt, operarii, vel artifices, ſemper circa ignem verſantes, cudendo, liquefaciendoque. Dorn. Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Vulcanii* vel *Vulcanales* Paracelſo dicuntur ſpectra ignea, hominis formam repræſentantia, *Philoſ. ſagac. l.* 1.

VULGARIS, idem, quod *Communis*; κοινὸς; πάγκοινος, vide *Cœnos*, *Pancœnos*; item & *Epidemius.* Ita etiam Interpretes Hippocr. ejus libros *Epidemiorum* verterunt per libros de *morbis vulgaribus. Vulgares Medici* dicuntur, qui vulgi gratiam aucupantur, Galen. *l. de præcogn. ad Poſthum. c.* 1. *princ. Vulgaris curandi ratio*, φαύλη, Hippocr. dicta, opponitur *accuratæ*, *C.* 4. *de artic. n.* 35.

VULGUS, ὄχλος, id eſt, *multitudo imperitorum hominum*, Galen. *l.* 1. *de Elem. c.* 4. cujus nota eſt ſocordia in attendendo, indiligentia in obſervando, negligentia in memorando, ruditas denique in narrando; Lind. *Ex. XIII.* §. 5.

VULNERARIUS, τραυματικὸς, vide *Traumaticos.*

VULNUS, τραῦμα, τρῶμα, quamvis ſint, qui ex Galen. & aliis diſcrimen faciant inter hæc duo vocabula Græca, τρῶμα accipientes pro omni læſione gravi, à cauſſa externa violenta facta, *c.* 5. *in l.* 6. *Epid. t.* 12. *& alibi.* Vide Foëſ. *p.* 628. Magis tamen placet ſententia Dieterichii cum Heſychio pro Synonymis habentis, *Iatr. n.* 838. Ita & Latinum vocabul. *Vulnus* late & ſtricte accipitur. Late pro omni plaga externa, præſertim vero cum *Ulcere* ſæpe confunditur, & vice verſa, *c.* 3. *de iis, q. in med. f. t.* 30. Stricte *Vulnus* dicitur ſolutio continui facta inſtrumento ſecante, vel pungente, in parte carnoſa & membranacea, Gal. *l.* 3. *M. M. c.* 1. *& alibi.* Videantur Chirurgiæ ſcriptores.

VULPANSER, χηναλώπηξ, dicitur Avis, vulpinis moribus formam anſeris habens, quæ deſcribitur cum uſu in cibis & medicina ab Aldrov. *l.* 19. *Ornith. c.* 19.

VULPES, ἀλώπηξ, dicitur animal quadrupes, digitatum, viviparum, doloſum, vel aſtutum, naturæ caninæ quodammodo particeps, cujus prolixa deſcriptio habetur cum uſu in cibis, medicina, & aliis, in Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 1. Jung. Schroder. *l.* 5. *cl.* 1. *n.* 41. In ejus cauda quoſdam pilos violaceum ſpirare odorem, teſtantur *Acta Hafnienſ. Vol. I. Obſ.* 58. *& Vol. III. Obſ.* 21. Diminutivum dicitur *Vulpecula.* Porro nomen *Vulpis* & *Vulpeculæ*, *Græc.* ἀλώπηξ, tribuitur etiam piſci marino, qui & *Galeus vulpinus* vocatur, & deſcribitur ab Aldrov. *l.* 3. *de piſc. c.* 39. *Vulpina Tuſſis* dicitur, quæ ex cauſſa ſalſa, acri, bilioſa in aſperam arteriam defluente excitatur, Joh. Steph. *Conſil. Med. Dec. III. Conſ. I. in Op. pag.* 319.

VULPISIMIA, vide *Marrippon.*

VULSIO, *Vulſum*, idem, quod *Divulſio*; σπάσμα. Vide *Convulſum.*

VULTUS, idem, quod *Facies*, πρόσωπον. Vide *Facies.*

VULVA, μήτρα, ὑστέρα, idem, quod *Matrix*, vide *Hyſtera.* Quamvis uſitatius ſaltem de externo *Pudendo muliebri* accipiatur, Rolfink. *de part. genit. Part. II. c.* 32. Conſentit Barthol. *l.* 1. *Anat. c.* 32. *p.* 287. Linden. *in Medic. Phyſiolog.* penitus omiſit propter obſcœnitatem, *l.* 2. *c.* 7. §. 136. *ſeqq.* Alii vero licentius talia fœda vocabula uſurpantes etiam ad cerebrum tranſtulerunt, non modo Nates, Teſtes, penem demonſtrantes in illo,

ſed

ſed & *Vulvam* vocantes foveam aliquam inter eminentias oblongam, Bartholin. *l.* 3. *c.* 6. *p.* 494.

VULTUR, γύψ, vocatur avis rapax acuto odore prædita, cujus variæ ſpecies habentur, quæ omnes in genere & ſigillatim prolixe deſcribuntur cum uſu ab Aldrov. *l.* 3. *Ornith. c.* 1. *ſeqq.* Jung. Schrod. *l.* 5. *cl.* 2. *n.* 71.

UVULA, γαργαρεὼν, κίων, σταφυλή. Vide *Columella.*

UXOR, ἄκοιτις, γαμετὴ, quid ſignificet, notum eſt. De Myſtica Spagyricorum ſignificatione vide in *Fœmina*, *Maritus.*

UZIFIR, id eſt, *Cinnabaris.* Dorn. Rul. Vocatur & *Uſifur.* Th. Chym. *Vol. II. p.* 436. Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 8. *Schol.*

W.

WARNAS, id eſt, *Acetum Philoſophicum.* Dorn. Rul. & Iohnſ.

WISMAT eſt leproſum, *non tractabile*, vel malleabile, rude *ſtannum.* Rul. & Iohnſ.

X.

X, ξ, quemadmodum Litera hæc apud Latinos numerum denarium ſignificat, ita aliquando etiam ponderis denarii notam eſſe teſtatur Rhod. *ad Scribon. n.* 32. *&* 141. Ita etiam Græca litera ξ, apud Græcos non ſolum numeri ſexageſimi nota, ſed etiam in nonnullis ſcriptis Medicis uſurpatur pro charactere ponderis, nimirum *unciæ*, uti videre eſt in Sylva Medica *Anonymi* à C. Hofm. edita & aliis.

XANTHOS, ξανθὸς, generaliter ſignificat Coloris ſpeciem, quæ *Flava* dicitur: vide ſupra *Flavus.* Specialiter ξανθὸν, vel ξανθὴ, eſt nomen medicamenti ξηρῶ vel aridi, aëris ad inducendam cruſtam, ſanguinemque ſiſtendum, cujus meminit Ægin. *l.* 4. *c.* 43. *&* 53. & deſcribitur *l.* 7. *c.* 13.

XELSES, apud Paracelſum vocatur *Stella*, de qua ſcribit, quod non deorſum, ſed ſurſum luceat. *Fragm. de Anat. Ocul.* §. *Declaratio Rotunditatis.*

XENEXTON, aliis *Zenexton*, *Xenechton*, vocatur Paracelſo, Helmontio & aliis horum aſſeclis *amuletum*, ſive *periapton*, h. e. præſervativum externum contra peſtem collo appenſum, ut argentum vivum avellanæ concluſum, & ſimilia. Dorn. Rul. Iohnſon. *in Lex.* & ex profeſſo Rolf. *Chym. lib.* 5. *ſect.* 14. *c.* 2. Meminit & Libav. vocans *Xenechdon*, *Synt. A. Ch. lib.* 7. *c.* 31. Jungatur Helm *Tumul peſtis tit. Zenexton.* Meminit & *Zenexton*, *tr. Nat. Contr. neſc. n.* 45. & in ſpecie *Xenexton Sapphiri*, *tr. de Magn. Vuln. Cur. n.* 37. *Succini*, *d. l. n.* 145.

XENINEPHIDEI ſunt ſpiritus, quibus jucundum eſt atque pro deliciis habent, deliteſcentis naturæ proprietates occultas hominibus aperire, quibus etiam eſt conceſſum, Dorn. Rul. *in Lex.*

XENOPREPES, ξενοπρεπὲς, vox eſt Hippocratica, quam Scapula penitus in Lexico ſuo omiſit. Duplicem vero videtur habere ſignificationem: primam, quando denotat *Jus Hoſpitii*, vel id, quod Hoſpitibus convenit, *l. Præcept.* §. IV. 17. Vel ſignificat remedium *peregrinum ignotum*, de cujus virtute non conſtat, 1. *de fract. t.* 6. Jung. Foëſ. *pag.* 437. Cur vero Erotianus verterit per *Mutatum eſt*, non video rationem, *Onom. p. m.* 78. *F.*

XENOS, ξένος, *Hoſpes*, Lat. *Peregrinus* dicitur. Uſurpatur ab Hipp. in ſuperlativo de aëris inſpiratione, vel influxu *maxime peregrino*, ξενοτάτη, *de Nat. hum. com.* 2. *t.* 4. Foëſ. *d. l.*

XERALEIPHO, ξηραλείφω, q. d. *ſicce inungo*, i. e. *ſicca frictione utor*, & opponitur τῷ χυτλῶμαι, quod ſignificat cum oleo & aqua perfundor. Legitur apud Galen. *l.* 2. *de Sim. Fac. c.* 25. Vide etiam *Chytlon.*

XERAPHION, ξηράφιον, vocatur ſpecie aliqua ξηρῶ medicamenti adverſus capitis & menti exanthemata utilis, quod deſcribitur ab Æginet. *l.* 3. *c.* 3.

XERASIA, ξηρασία, in genere idem, quod ξηρότης, *ſiccitas* vel *exſiccatio.* In ſpecie vero vocatur *vitium capillorum*, cum ſimiles lanugini apparent, perinde ac ſi pulvere conſperſi eſſent, Gal. *in def.* Species Alopeciæ videtur eſſe, quæ ita dicta ſit propter nutrimenti defectum & ariditatem cutis, Gorr.

XERION, ξηρίον, vocatur *medicamentum aridum ſiccum*, quod in pulveris modum inſpergitur, unde & alio nomine κατάπασμα appellatur. Exempla habentur apud Ægin. *l.* 7. *c.* 13.

XEROCOLLYRION, ξηροκολλύριον, i. e. *Collyrium ſiccum*, vel aridum. Vide *Collyrium.*

XERODES, ξηρώδης, in ſpecie dicitur, qui *areſcit*, *exuccus eſt*, *c.* 3. *in* 1. *Prorrhet. t.* 25. quamvis alii βηχώδεις legant, notante C. Hofmann. *in not.* ἀντικρίτους *ad h. l.* alii χολώδεις. Ita & Foëſ. dixit occurrere *in Coac. t.* 445. verum Linden. poſuit πνίζοντες, ex putredine difficulter ſpirantes. Alii legunt ξηρώσει, ut Jacotius & Iohnſon. i. e. ex *ſiccitate* difficulter ſpirantes. Verbum ξηραίνω ſignificat *exicco*, *ſicco*, de quo videatur Dieterich. *num.* 584.

XEROMYRON, ξηρόμυρον, h. e. *Unguentum ſiccum.* Eſt compoſitio odorifera, ſiccis aromatibus conſtans, ad ſuffitus, ad amuleta, ad exiccationem fluxionis, contra hircoſum odorem corporis & axillarum, Gorr. ex Aët. *l.* 6. *&* 16.

XEROPHTHALMIA, ξηροφθαλμία, h. e. *Ophthalmia ſicca*, *ſicca Lippitudo*, Rhod. *in Lex. Scrib.* in qua oculi non fluunt, ſed rubent tantum, cujus cauſſa haud dubie in ſanguinis inflammantis ſicciori ſalina diſpoſitione p. n. ponenda eſt. Vide *Ophthalmia.* Quomodo differat à σκληροφθαλμία, vide *Sclerophthalmia.*

XEROTES, *Xeros*, ξηρότης, ξηρός. Vide *Siccitas*, *Siccus.*

XEROTRIBIA, ξηροτριβία, i. e. *ſicca frictio.* Legitur apud Gal. *l.* 8. *M. M. c.* 2. *in fin.*

XESTES, ξέστης. Vide *Sextarius.*

XIPHIA, ξιφίας, ξίφος. Vide *Gladius.*

XIPHOEIDES, ξιφοειδὴς, *Enſiformis*, epitheton *Cartilaginis*

tilaginis in ſterno, quæ & *Mucronata* dicitur. Vide *Cartilago*, *Enſiformis*.

XIR dicitur *Mercurius*, in omni diſpoſitione ſua. In Leone inceratus fit *Ixir* in terra: in fermento inceratus fit *Elixir*, *Th. Ch. Vol. V. p.* 490.

XISINUM, *Xiſium*, dicitur *Acetum*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

XYLALOE, ξυλαλόη, *Lignum Aloës*, quod alias *Agallochum* dicitur, de quo videatur Schrod. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 13. De peculiari *Xylaloe* Obſervationem Velſchii vide *in Eph. N. Cur. A. I. O.* 151.

XYLARION, ξυλάριον, vel ξυλήριον, dicitur *Lignum parvum*, apud Hippocr. *l. de Steril. IIX.* 25. quamvis Linden. ξύλον εἰρίοισι poſuerit, quæ lectio mihi non videtur commoda. Alias *lignum parvum* eidem quoque vocatur ξυλήφιον, & occurrit *l. de Steril. XVII.* 3. 11. 13. 14.

XYLEPHION, ξυλήφιον. Vide *Xylarion*.

XYLLAMBANO, ξυλλαμβάνω, pro συλλαμβάνω, ſignificat *Concipio*, & legitur apud Hippocr. 5. *aph.* 46. Jung. Dieter. *n.* 586.

XYLLOGOS, ξύλλογος, pro σύλλογος, *Collectitius*. Uſurpatur de *Conſultandi* vel *Collegiandi ratione* ap. Hippocr. *in Præcept. X.* 12.

XYLOBALSAMON, ξυλοβάλσαμον, dicitur *frutex*, vel *ſarmentum*, vel ſurculus *Balſami*. Amputabatur ab incolis & venibat propterea, quod eo decocto in unguentis vice *Opobalſami* multi uterentur, etiamſi ex toto balſamo minima illi ineſſet odoris gratia, Gorr. ex Plin. *l.* 12. *H. N. c.* 25. Videatur & Rhod. *ad Scribon. num.* 110. Chiocc. *Muſ. Calc. ſ. V. p.* 559. Meminit & Fr. Hofm. *in Clav. ad Schroder. p. m.* 419. Succedaneum *Xylobalſami* fuiſſe *Lignum Aloës*, teſtatur Jul. Alex. *not. ad Gal. l.* 1. *de Antid. p.* 777.

XYLOCINNAMOMUM, ξυλοκιννάμωμον, eſt *Lignum Cinnamomi* cortice ſuo multo ignobilius, ſiquidem in faſtidio eſt propter Origani, quod redolet, acrimoniam, Gorr. Meminit hujus Gal. *l. de Ther. ad Piſ. c.* 12. Dioſc. *l.* 1. *c.* 13. Scribon. *n.* 271. Rhod. *ad h. l.* Chiocc. *Muſ. Calc. ſ.* 8. *p.* 572.

XYLOCOLLA, ξυλόκολλα, idem quod ταυρόκολλα, vel κόλλα ſimpliciter. Vide *Gluten*.

XYLOGUAIACUM, id eſt, *Lignum Guajacum*, vel *ſanctum*, ἁγιόξυλον, ita legitur apud Paracelſ. *tr. de trib. eſſent. c.* 5.

XYLOHEBENUM, *Lignum hebenum*, Paracelſ. *d. l.*

XYLON, ξύλον, vide *Lignum*. Vocatur etiam *Scamnum* Hippocr. ξύλον, quod alias βάθρον dicitur, Gorr. Vide *Bathron. Scamnum*.

XYLOPHTHOROS, ξυλοφθόρος, vocatur inſectum, veluti in feſtucis deliteſcens, mirabilis ſtructuræ, deſcriptum ab Aldrovand. *lib.* 4. *de inſect. c.* 11.

XYMBOLE, ξυμβολή. Vide *Symbole*.

XYMMERI, ξύμμηροι, dicuntur femora *inter ſe juncta*, pro σύμμηροι, vel qui contractis ſunt femoribus, Hippocr. 4. *de artic. t.* 61. Foeſ. *Oecon. p.* 438.

XYMMYO, ξυμμύω, pro συμμύω. Vide *Conniveo*.

XYMPATHESIS, ξυμπάθησις, pro συμπάθησις; idem, quod συμπάθεια, *Conſenſus*, vel ſtrictius *Affectio per Conſenſum*. Vide *Sympatheia. Conſenſus*. Legitur vero apud Hipp. *in Præcept. XIII.* 1.

XYMPHERO, ξυμφέρω, pro συμφέρω, vide *Conferens*, quod Gr. dicitur, ξύμφορος, 1. *aph.* 21.

XYMPHYSIS, ξύμφυσις, pro σύμφυσις. Vide *Coaleſcentia*.

XYMPTOSIS, ξύμπτωσις, pro σύμπτωσις. Vide *Symptoſis*.

XYN, ξὺν, pro σὺν, præpoſitio nota ex Grammaticis Lat. *Cum*. Ad hanc notetur, quod compoſita ab illa præpoſitione, quæ hac litera X non occurrunt, ſint quærenda in *Syn*, & quæ in S non reperiuntur, hic occurrant, quia indifferenti in uſu eſt ξὺν & σὺν.

XYNAGOGES, ξυναγωγὴς, *Adducens*. Dicitur de muſculis adſtrictoriis, qui alias σφιγκτῆρες vocantur, Hipp. *de Venis XXI.* 5. Foeſ. *p.* 438.

XYNALTHASSOMÆ, ξυναλθάσσομαι, *curor*, *ſanor*: ab ἀλθεῖν, *curare*, mederi. Legitur apud Hipp. 2. *de fract. t.* 12.

XYNAPOTHNESCO, ξυναποθνήσκω, *commorior*. Uſurpatur de morbis uſque ad ſenium & mortem durantibus, Hippocr. 2. *aph* 39. & 5. *aph.* 7. vide Dieter. *n.* 591. Idem, quod ξυγκαταγηράσκω, *conſeneſco*, de quo p. p.

XYNARACHNUMÆ, ξυναραχνοῦμαι, *tenuibus venulis intertexor*, vel obducor. Uſurpatur de uteri cervice, Hippocr. *l.* 2. *de morb. mul. LIV.* 3. Foeſ. *p.* 439. Verum Lind. legit ξυναρθροῦται.

XYNAULISTHENÆ, ξυναυλισθῆναι, i. e. *congregari*, quaſi in unum ſtabulum revocari, Hipp. *l. de Præcept. II.* 28.

XYNCATAGERASCO, ξυγκαταγηράσκω, hoc eſt *conſeneſco*, idem fere, quod ξυναποθνήσκω, *commorior*. Legitur apud Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. IX.* 21. Dicitur alias, ξυγγηράσκω, *l. de int. aff. XXIX.* 43. Jung. Hadrian. Spigel. *l. de lumbr. lato c.* 14. *p. m.* 40. 41.

XYNCECAUMENOS, ξυγκεκαυμένος, *Combuſtus*. Dicitur de excrementis, *l.* 3. *Epid. ægr.* 2.

XYNCHORIA, ξυγχωρία, *Conceſſionem*, indulgentiam ſignificat, quæ alias χάρις, τὸ ἐνδεχόμενον dicitur. Legitur apud Hipp. *Præc. XI.* 6.

XYNCLERIA, ξυγκληρία, vocatur *Commercium*, vel conſenſus morborum, conſortium. Differt à συμπαθείᾳ, quod hæc etiam dicatur de morbis conſequentibus: Illa vero vox uſurpatur de eodem tempore concurrentibus apud Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ. VII. n.* 40.

XYNEREISIS, ξυνέρεισις, *Colliſionem* dentium. Hipp. *l.* 7. *Epid. XIII.* 4. Vide *Synereido*.

XYNEXERCHOMÆ, ξυνεξέρχομαι, ſignificat *unà exeo*. Legitur in Hipp. 4. *aph.* 76. Diet. *n.* 592.

XYNGENES, ξυγγενὴς. Vide *Connatus*.

XYNGERASCO, ξυγγηράσκω. Vide *Xyncatageraſco*.

XYNISTHEMI, ξυνίϛημι, ſignificat Hippocr. *denſare*, ſpiſſare; *cogere*. Vide *Syneſtecos*. Foëſ. *pag.* 439.

XYNNOSEO, ξυννοσέω, una *agroto*. Hipp. 2. *aph.* 15. Dieter. *n.* 593.

XYNODOS, ξύνοδος, *congreſſum*, *communicationem* per meatus ſignificat, Hipp. *l. de Glandul. X.* 16.

XYNOMOLOGEO, ξυνομολογέω, h. e. *conſentio*, conſpiro, convenio. Hipp. *l.* 6. *Epid. ſ. VIII.* 84.

XYNTASIS, ξύντασις, pro σύντασις. Vide *Syntaſis*.

XYNTHALPO, ξυνθάλπω, i. e. *confoveo*, *concalefacio*. Dicitur de ventriculo cibos calefaciendo concoquente, Hipp. *de ſal. diæt.* 25.

XYNTITÆNO, ξυντιταίνω, idem, quod ξυντείνω, *contendo*, *una diſtendo*. Vide *Syntaſis*. Legitur in Hipp. *l.* 2. *de morb. mul. l.* 20.

XYRRHOEA, ξύῤῥοια. Vide *Confluxio*.

XYSIS, ξύσις, *Raſionem*, *Raſuram* ſignificat, vide *Raſura*. Legitur apud Hipp. 3. *de R. V. I. A. t.* 36.

XYSMA, ξύσμα, vide *Ramentum*. *Strigmentum*.

XYSME, ξυσμὴ, ξυσμὸς, vide *Raſura*. Illud occurrit *l.* 2. *de morb. LII.* 22. Hoc ibid. *LVI.* 6. & *alibi*. Foëſ. *pag.* 441.

XYSTER, ξυϛὴρ, dicitur *ſcalpellus raſorius*, quo os raditur ad dignoſcendum oſſis vitium, quod conſpectui non patet, Hipp. *l. de cap. vuln. XIX.* 8. Gal. *l.* 6. *M. M. c.* 5. & 6. Deinde ξυϛὴρ dicitur *Collyrium* contra aſperitates palpebrarum apud Ægin. *l.* 7. *c.* 16.

XYSTICOS, ξυϛικὸς, dicebatur *Athleta*, qui in *xyſto*, Gr. ὑπαίθρον, h. e. ambulatorio vel porticu ſub tecto tempore hyberno pugnabat, Dieterich. *Iatr. num.* 169. Meminit Galen. *l.* 7. *de C. M. P. G. cap.* 12.

XYSTOS, ξυϛὸς, dicitur *linamentum raſile*, materia linteolorum deraſa, Gal. *Introduct. cap.* 17. *Xyſtus* etiam dicta fuit porticus in palæſtra ampliſſima, in qua hyberno tempore athletæ exercebantur, *Xyſtici* dicti. Lang. *l.* 1. *ep.* 58.

XYSTRA, ξύϛρα, vide *Scalprum*, *Strigil*.

XYSTROPHYLAX, ξυϛροφύλαξ, dicitur *theca ſtrigilis*, Rhod. *ad Scrib. n.* 39.

Y.

Y Litera hæc apud Hippocr. in Epid. notat ὑγίειαν, *ſanitatem*, quemadmodum Θ θάνατον, *mortem*, Gal. *cap.* 2. *in* 3. *Epid. t.* 4.

YARIN, *Yaria*, i. e. *flos æris*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

YCAR, id eſt *Medicamentum*. Rul.

YDRARGYROS, *Ydrocerum*, id eſt *Argentum vivum*. *Hydrargyros*. Rul. & Iohnſ.

YELION, *Yalos*, i. e. *vitrum*, pro Græco ὕαλος, vide *Hyalos*. Rul. & Iohnſ.

YERVA, idem, quod *Contrayerva*, radix Indica Bezoartica, vel Alexipharmaca contra malignum virus, Schroder. *l.* 4. *cl.* 1. *n.* 103.

YETTUS eſt lapis ſanguinei coloris, durus & obſcurus & interdum vices lapidis Lydii ſubit. Vid. Ludovic. Dulcis.

YGROPISSOS, pro ὑγρόπισσος, i. e. *pix liquida*. Rul. & Iohnſ.

YLECH, vide *Ilech*.

YLEIDUS, *Yliadus*, vide *Iliadus*.

YLIASTER, *Yliaſtrum*, vide *Iliaſter*.

YO, *Yo*, *bonus*. Rul. & Iohnſ.

YOMO, *Yos*, *Yn*, id eſt, *viride æris*. Rul. & Iohnſ.

YPSILOGLOSSI, vide *Baſiogloſſi*.

YPSILOIDES, rectius dicitur, quam *Hyoides*. Vide ſupra in HY. Unde *Muſculi ypſiloidei* dicuntur, qui alias Baſiogloſſi audiunt. Vide *Baſiogloſſi*.

YRCUS, (Rul. & Iohnſ. *Yrius*,) eſt *Cuniculus magnus*, cujus ſanguine vitra molleſcere putantur, & ſilices, modo rebus diaphoreticis impaſtetur, Dorn. *Dict. Parac.* quod hirci ſanguini alias adſcribitur. Dicitur & ab aliis *Daſypus*, *Lagis*, Gr. λαγὶς, δασύπους, κόνικλος. Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. c.* 24. Vide *Cuniculus*.

YRIDIS, vel *Yride*, id eſt, *Auripigmentum*. Rul. & Iohnſ.

YRIS, h. e. *ferrum*. Iid.

YSAMBRA, vocatur venenum toxicum Hiſpanum ex *helleboro* paratum, vel ipſe etiam *Helleborus*, qui & *Pedigambra* appellatur, Lang. *lib.* 1. *ep.* 68.

YSIR, eſt *pulvis*, vel *Lapis Philoſophorum ſiccus* potandus cum aqua Mercurii: *Nigredo in fundo*, Rul. & Iohnſ.

YSOPUS, *Yſopaica*, veteribus dicitur *Ars ſeparandi* in Spagyrica, Parac. *l. de reb. natur. c.* 7. *de Sulphure*. Rul.

YSPAR, idem, quod *Yſir*. Rul.

YXIR, id eſt, *bona medicina*. Rul. & Iohnſ.

Z.

Z Litera hæc olim quoque ponderis varii notam fuiſſe docet Rhod. *ad Scribon. n.* 145. ita ut quibuſdam ſignificavit *ſeſcunciam*, pleriſque octavam unciæ partem ſive *denarium*, h. e. *drachmam*, vel *ſemiſicilium*. Ex veteri quadam tabella ænea conſtat, *Duellam* ſignificaſſe, quæ tertiæ unciæ pars octonis ſcrupulis terminatur. Hæc ex Rhodio.

ZZ. duplex hæc litera apud Veteres Medicos *Myrrham*, σμύρνην notavit, uti obſervavit Hermol. Barbar. *l.* 1. *Corollarior.* propterea quod ζμύρνη perinde ac σμύρνη. Nunc tamen vulgo per duplex ZZ. omnes *Zingiber* vel *Zinziber* intelligunt, magno & perículoſo errore. Gorr.

ZAAR, Arab. & Perſis *venenum* ſignificat. Hinc *Belzaar* pro Bezoar, dicitur *Dominus*, vel *Rex venenorum*, C. Rejes C. *El. q.* 67. *n.* 36.

ZAARA vocatur Avicennæ Vigilia morboſa, teſte Capivaccio, *l.* 1. *Pract. c.* 20.

ZACCHARUM, pro *Saccharum*, legitur apud Foreſt. *l.* 16. *O.* 21. & 55. *alibique*. Dicitur & *Zuccarum*, Salmaſ. *de Manna & Saccharo*. quam lectionem *Zuccari* etiam approbat D. Velſch *in Notis ad Marcelli Cumani Obſ. CXXI. p.* 50. *in Sylloge*.

ZACYNTHIUS, ζακύνθιος, epitheton à loco

datum *bitumini liquido* apud Gal. *l.*4. *de C. M. P. G. c.*13. in compoſitione Inda Tharſei.

ZADURA, ζάδουρα, nomen barbarum eſt, ſed tamen à Græcis recentioribus receptum. Denotat *radicem exoticam* teretem colore Zingiberis ex India ad nos delatam, valet adverſus peſtilentiam. Gorr. An fortaſſis convenit cum *Contrayerva?*

ZAFFABEN, *putea*, *putta*. Rul. *in Lex.*

ZAFFRAMEN, i. e. Crocus, ita enim Marinus Sanutus, *l.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. æs, ſtagnum ſeu ramum, zaffamen, coralla, &c.

ZAFRAN, *Zaffran*, *Crocum* primum, deinde & *Ochram*, vel Ocram ſignificat. Ruland. & Iohnſon. *in Lex.* vide & Libav. *S. A. Ch. l.* 5. *c.* 20. *in princ.*

ZAHIR vocatur Arab. fluxio ventris dyſenterica; quæ eſt ab inteſtino recto cum dolore extenſivo & abraſivo, Avicenn. *l.* 3. *fen.* 16. *tr.* 1. *c.* 2. *ſeqq.*

ZAIBAC, *Zaibach*, *Zaibar*, id eſt *Argentum vivum*, *Mercurius*, idem quod *Azoch* vel *Azoth*. Dorn. Ruland. & Iohnſ. *in Lex. Schroder. l.* 3. *c.* 15.

ZAIDIR, h. e. *Venus*, aut *Viride æris*. Dorn. Rul. & Iohnſ.

ZALE, ζάλη, ſignificat *turbinem*, procellam. Legitur apud Moſchion. *de morb. mulier. cap.* 78.

ZAMIÆ vocantur Nuces Pinus arboris, quæ ſe jam diviſerunt, & niſi detrahantur, cæteras nondum plene maturas lædunt, notante Plin. *H. N. l.* 16. *c.* 26.

ZANDIK, *aqua foliata*. Rul. & Iohnſ. *in Lexic.*

ZAOCEL, id eſt, *Taxus*. Iid.

ZAPHARA, *Zaffara*, vocatur materia mineralis ex *Biſmutho*, ad *Smaltha* vel *Amauſa* pertinens, quæ tingit vitrum cæruleo colore, unde & figuli utuntur ad tincturam cœruleam. Cæſalpin. lapidem dixit, alii terram. Chr. Merettus ſcribere non veritus: quid Zaffera ſit, apud nullum autorem invenio, & pauci mentionem ejus faciunt. *Not. ad Ant. Neri Art. Vitrar. l.* 1. *c.* 12. *p.* 317. An ergo Libavium non legit? Nonnulli *Lazurium ex Biſmutho* dixerunt. Vide Libav. *S. A. Ch. l.* 2. *c.* 24. *l.* 6. *c.* 4. *& l.* 7. *c.* 21.

ZAPHIRUS pro *Saphiro*, legitur in Franciſc. Indiæ dialogo *de febribus malignis.*

ZARAS, i. e. *Aurum*. Rul. & Iohnſ.

ZARATHAN dicitur Tumor Mammarum durus, inæqualis, cum dolore moleſto non quidem plane continuo, & ardore ſimilis pene cancro, unde & *Cancer ſpurius* appellatur. Ejus cauſſa in ſanguine ichoroſo aduſto & acido quærenda. Plura de hoc affectu vide apud P. M. de Calderia *Tom. IV. p.* 228. *ſeqq.*

ZARDA eſt morbus equorum, h. e. quædam æſtuatio ad modum ovi, vel major, vel minor, quæ tam in parte interiori, quam exteriori naſcitur in garectis. Ita Petrus de Creſcentiis *l.* 9. *de agricult. c.* 10. *&* 35.

ZARFA, h. e. *Stannum*. Iid.

ZARNEG, *Zarnek*, *Zarnich*, id eſt, *Auripigmentum*. Iid.

ZATANEA, id eſt, *Flos agni caſti*. Dicitur & *Zucecajar*. Iid.

ZAUHIRON, id eſt, *Crocus orientalis*. Iid.

ZEA, vel *Zeia*, ζεία, dicitur & *Spelta*, frumenti genus eſt tritico ſimillimum. Ex hac olim fiebat *Alica*, ſicut *Far* ex frumento, Galen. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 6. Jul. Alex. *in not. ad h. l.* Hic Autor ſe ignoraſſe fatetur, quod ex *Zea* panis fieret triticeo candidior, id vero edoctus ab Imperatore Ferdinando I. uti legere eſt *l.* 8. *Sal. c.* 6. Hodieque præſertim hic loci in territorio Norimbergenſi *Zea* uſitatior ipſo etiam tritico pro pane ſimilagineo & placentis parandis. Gal. mediæ facultatis inter hordeum & triticum eſſe exiſtimat, *lib.* 6. *de S. F.* §. *Zecha*. Legatur de hac Bruyer. *de re cib. l.* 5. *c.* 13. Deodatus *Panth. Hyg. l.* 1. *c.* 27. *tit. Zea.*

ZEBD, id eſt, *Butyrum*. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ZEBEB, hoc eſt, *Stercus*. Dicitur & *Chara*. Iidem.

ZEC, i. e. *Traganthum*, vel Tragacanthum. Rul. & Iohnſ.

ZEDOARIA eſt radix exotica vi alexiteria & anticolica ſingulari pollens, de qua Jacob. de Vitriaco *in Hiſtor. Hieroſol. cap.* 85. Sunt & aliæ arbores, ſcribit, quarum radices ſunt Zinziber, Galanga & *Zedoaria*, quæ vulgariter *Citovart* appellatur.

ZEFR, i. e. *Pix*. Iid.

ZEGI, i. e. *Vitriolum*. Dicitur & *Zetus*, *Zezi*. Iid.

ZEHERECH, *flos æris*. Dicitur & *Alkas*. Iidem.

ZEIA, ζεία. Vide *Zea*.

ZEITRABRA, i. e. *fluxile*. Rul. & Iohnſ.

ZELOTUM, eſt *Mercurius Lapideus*. Dorn. Ruland.

ZELOTYPIA, ζηλώσις, eſt affectus animi vehementior, & ita inter cauſſas morbificas referendus, quando conjugum alteruter alterum ſuſpectum habet de adulterio. Hanc cauſſam fieri poſſe dementiæ, ſingulari exemplo cujuſdam piſtoris, qui teſtes ſibi amputavit, ne uxor, quam fruſtra ſuſpectam habuit de adulterio, ſi conciperet, ex ſe concepiſſe indicare poſſet, docuit Martin. Akakia *in Gal. art. parv. p. m.* 189.

ZELPHA, vide *Zenda*.

ZEMA, ζέμα, id eſt, Juſculum, Decoctum, Gallice *Bouillon* dicitur. Ita Apitius *l.* 8. *de re cul. c.* 1. Et mittitur in *Zema*, quod eſt Decoctum, & *c.* 6. Et bullienti *Zema*, quod eſt Decoctum, cum modico ſalis ſubmittetur. Legitur Gr. ζέμα apud Dioſcorid. *l.* 6. *c.* 7.

ZEMASARUM, i. e. *Cinabrium*, vel *Cynobrium*. Rul. & Iohnſ.

ZEMECH, h. e. *lapis Lazuli*. Iid.

ZENDA, figmentum Paracelſicum, denotans generationes extraneas, & qui creſcunt ſine ſemine, quemadmodum, *Perenda*, vel *Perunda* aut *Perundis*; monſtroſam generationem hominum, qui & cum ſemine creſcunt. In animalibus vero hujuſmodi Generatio & Anatomia Monſtroſa dicitur *Zelpha*: Vide Autoris fragmenta Anatomiæ. Uno verbo. Nugæ!

ZENEXTON, idem, quod *Xenexton.* Vide Lit. præced. XE.

ZENEXTOR vocatur *Mercurius*, Paracelſ. *de Peſtilit. Tract. II.*

ZENGIFUR, idem, quod *Zemaſarum*, h. e. *Cinabaris.* Rul. & Iohnſ.

ZENICON, ζενικὸν, nomen *veneni* Celtis Gallis uſitati, *Venenum cervarium* dicti, tantæ & tam præſentis efficaciæ, ut quamprimum cervus, vel fera ſagitta hoc veneno tincta læſa conciderint, confeſtim accurrere venatores neceſſe habuerint, antequam virus penitus diſpergeretur, aut putreſceret, carnemque telo virulento ſauciatam exciderint, ad ſpithami circa vulnus latitudinem. Hujus antidotum, vel antipharmacum eſſe dicitur *Folium quercus* vel *fagi*, aut folium *Coracinum.* Hæc ex Ariſtotele & aliis Lang. tradidit *libr.* 1. *ep.* 68.

ZENITH, proprie Mathematicis vocatur *punctum verticale.* Cui opponitur e directo *Nadir.* Improprie vero & plane ænigmatice tranſlatum vocab. *Zenith* ad *Sanguinem menſtruum virginum* & quidem primum, C. Rejes C. *El. q.* 53. *n.* 11.

ZEON, ζέον, *fervens*, à ζέω, ferveo, *efferveſco.* Linden. *Ex. XIII.* §. 211.

ZEOPYRON, ζεόπυρον, vocatur *frumenti genus*, quod *medium* eſt inter *Zeam* & *Triticum*, & naſcitur in Bithynia. Meminit Gal. *l.* 1. *de Al. fac. c.* 13. Gorr.

ZEPHENUM, *Zephena*, Paracelſo dicitur omnis extremitas, vel foramen externum & peripheria, v. g. aurium, labiorum. Hæc ſi anguſtatur in rotunditatem aliquam præternaturalem, conſtituit primum ſignum lepræ, Paracelſ. *Paragraph. l. 6. c.* 1. §. 2. *& c.* 3. §. *unic. in not.* Non ergo penitus mentem percepiſſe videtur Paracelſi Dorn. & ex hoc Iohnſon. quando in deſcriptione ſaltem ad circulos extremitatum labiorum in auribus reſtrinxerunt. Apud Ruland. legitur, *Zepheni* ſunt circuli extremitatum labiorum & aurium.

ZEPHYRUS, ζέφυρος, vide *Favonius. Zephyria ova* eadem, quæ ὑπηνέμια, ſive *ſubventanea.* Vide *Hypenemios.* Foreſt. *l.* 24. *Obſerv.* 3. ex Plin. *l.* 10. *c.* 60. Mola quoque dicitur *Zephyrius fœtus* Hartmanno *Prax. Chymiat. Part. poſter. c.* 159. *pag.* 700. *edit. Cardeluc.*

ZERCI, hoc eſt, *Vitriolum.* Ruland. & Iohnſ.

ZERICUM, i. e. *Arſenicum.* Iid.

ZERIFARI, h. e. *Aqua caſei.*

ZERNA dicitur *Impetigo ulcerata.* Dorn. Ruland. & Iohnſon. Legitur & *Zerma*, i. e. *Lepra* vel *Impetigo*, P. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. l.* 2. *tit.* 3. *q.* 6. *n.* 13.

ZEROS eſt nomen Gemmæ tranſlucidæ & alii, quæ *Iris* dicitur, ſimilis, alba nigraque macula diſtinguente ipſum cryſtallum, Plin. *lib.* 37. *H. N. c.* 9. *ad fin.*

ZERTA eſt nomen piſcis partim marini, partim fluviatilis, Geſnero propterea *Capito anadromus* dictus, quod e mari fluvium, Albim ingrediatur, ibidemque etiam ſe multiplicet. Laudatur ab Aldrovando *l. IV. de Piſcib. c.* 7. *p.* 513. Meminit ejus etiam Timæus de Guldenklee inter piſces boni ſucci per C. exprimens *Certas l. III. caſ.* 51.

ZERZERA, pro *Querquera*, epitheton febris cujuſdam, vide *Querquera.*

ZESTOLUSIA, ζεστολουσία, idem fere, quod ζεστὸν ὕδωρ, ſignificat vel aquam ferventem, vel quia illa non uti poſſumus commode ad lavandum, notat *lotionem aquæ calidæ*, quatenus opponitur τῇ ψυχρολουσίᾳ, lotioni cum aqua frigida. Illud legitur apud Gal. *l.* 3. *de ſan. tu. c.* 8. ubi Interpres Latin. male per ferventem aquam reddidit, quando enim hoc eſſet remedium laſſitudinis?

ZETÆ dicta ſunt veteribus *vaporaria* & conclavia, quibus hypocauſtum ſuberat, in cujus pavimentum calida aut frigida pro temporis ratione aqua diffuſa, illius vapor per meatus & tubulos parieti incluſos *Zetas* calefaciebat aut refrigerabat, Lang. *l.* 1. *ep.* 50.

ZETÆ vel *Zeteculæ* vocantur propria calorum in balneis & ædibus conclavia, ubi lectuli eſſent ad delicias & amores. Andr. Baec. *de Therm. l.* 7. *c.* 16. *p. m.* 470. ex Plinio.

ZETEMA, ZETESIS, ζήτημα, ζήτησις, vide *Quæſtio.*

ZEUS vocatur piſcis, qui alias *Faber* vocatur, de quo ſupra in *Faber.* Legitur apud Plin. *l.* 9. *H. N. c.* 18. Heſych. Græce ζαιὸς vocavit, notante Aldrov. *l.* 1. *de piſc. c.* 25.

ZIAZAA eſt lapis à loco natali nomen habens, e tot coloribus mixtus, ut nullus verus appareat. Geſtantem litigioſum facere dicitur, ac in ſomno videre terribilia. Vid. Ludovic. Dulcis.

ZIBACH, idem, quod *Zaibar*, h. e. *Argentum vivum*, vel *Mercurius*, Schroder. *l.* 3. *c.* 15.

ZIBELLINA, Epitheton *Muſtelæ*, quæ vulgo *Sobela*, vel *Zobela*, dici ſolet, cujus pellis inter precioſas numeratur, magnæque habetur æſtimationis apud *Sarmatas*, & *Ruſſos*, ſive Moſcovitas. Deſcribitur ab Aldrov. *l.* 2. *de quadr. dig. vivip. cap.* 19.

ZIBETHUM, ζίβετον, dicitur excrementum fragrantiſſimum ex genitalibus cati cujuſdam exotici vel felis, *Civetta* dictæ, depromtum. Vide *Catus.*

ZIBIBIÆ, vel *Zibebæ*, dicuntur uvæ paſſæ majores digitorum acinis propemodum ſimiles, unde & *Dactyli* dictæ, carnis multæ, ſucci pauciſſimi, *Damaſcenæ* quoque vocatæ, Jul. Alex. *l.* 10. *Sal. cap.* 14. Schroder. *lib.* 4. *cl.* 1. *n.* 360.

ZIGIR, ζίγιρ, epitheton Caſſiæ aromaticæ purpureæ nigricantis melioris notæ & odoris, apud Dioſcor. *libr.* 1. *cap.* 7. quamvis alii legant *Gicir*, γίζιρ. Videantur Notæ Sarracen. *ad illum loc.*

ZIMEX, *Viride æris.* Rul. *in Lex.*

ZINARIA Arab. eſt epitheton Bilis vitioſæ & præternaturalis, quam alias *Æruginoſam* vocarunt antiqui Medici, acris & aduſta apud Zacut. Luſitan. *Prax. admir. l.* 1. *Obſ.* 40.

ZINDULUS, nomen piſcis fluviatilis, quem valde com-

commendat à carnis teneritudine & friabilitate Jul. Alex. *l.* 15. *Sal. c.* 5. *in fin.* Apud Aldrovand. vero nomen hoc non occurrit. An fortaſſe ſubeſt menda, ut legendum ſit *Fundulus?*

ZINETUS, eſt ſpecies *Marcaſitæ*, quæ æmulatur æs, vel cuprum, Paracelſ. *Archidox. libr.* 3.

ZINGAR, id eſt, *viride æris*, vel *flos æris*. Rul. & Iohnſ.

ZINGIBER, vel *Zinziber*, ζίγγιβερ, vel ζιγγίβερι, Aroma vel radix Aromatica candicans, acris ſapore, & calidæ virtutis. Hodieque frequentiſſimo in uſu eſſe ſolet etiam ad Coquinariam. De hoc aromate vide Galen. *l.* 6. *de S. Fac.* Alex. *l.* 18. *Sal. c.* 19. Bruyerin. *de re cib. l.* 10. *c.* 10. ubi *Gingiber* appellat Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 367. Fr. Hofmann. *Clav. ad h. l.* Paracelſ. ſtatuit *Zinziberi* ineſſe Sal ſtypticum, *l. de trib. prim. eſſent. cap.* 2. Hinc & ſtiptica pontica vocat *Zinziberata*, *l.* 2. *de Tartaro Tract.* 1. *c.* 5.

ZINGNITES, alias *Zingrites*, ſecundum Albertum eſt lapis vitrei coloris, qui geſtatus in collo valet contra nyctalopiam, & ſanguinem ſiſtit, mentis alienationem repellit, & ſi teneatur ad lignum accenſum, extinguitur flamma ejus. Vid. Barthol. Anglicus *de genuin. rer. propriet. lib.* 9. A Ludov. Dulci vocatur hic lapis *Zirites*. A plerisque vero Phyſicis hic lapis pro fabuloſo habetur, quod & nobis præſertim quoad ejus virtutem ita videtur.

ZINIAR, eſt *viride æris*, Dorn. Ruland. & Iohnſ. Jung. & Foreſt. *l.* 30. *Obſ.* 8. *Schol.* quamvis *Zimar* ibi legatur. Adde Libav. *S. A. Ch. l.* 4. *c.* 12. *l.* 5. *c.* 23. Dicitur Latine *Ærugo*.

ZINIAT, eſt *fermentum*. Rul. & Iohnſ.

ZINK, eſt *Zinkum*, *metallica marcaſita*, & mixtura quædam naturalis ex quatuor metallis immaturis, *cuprea* potiſſimum apparens, Dorn. Ruland. & Iohnſon. Adde Libav. *S. A. Ch. libr.* 2. *c.* 24. Paracelſus vocavit *Zinetum*. Eſt ſolubiliſſimum volatileque minerale, ita ut beneficio ignis facile totum in flores abeat, quemadmodum adjectione picis in Regulum. An vero flores illius, ideo quod non ſint corroſivi, ſed dulces, ſtatim ad internos uſus juxta unius vel alterius Alchemiſtæ opinionem vocandi ſint, valde dubitamus, libentius longo uſu comprobatis inhærentes remediis.

ZINZALA, id eſt, parva muſca, ſive culex. Videatur Agutio celebris Vocabuliſta. Inde *Zinzalarium*, i. e. conopeum ad parvas muſcas arcendas. Idem.

ZINZIBER, vide *Zingiber*.

ZINZIFUR, idem, quod *Zengifur*, *Cinabrium*. Libav. *d. l. l.* 7. *c.* 25.

ZINZILLA, idem, quod *Zona* vel *Zoſter*. Vide infra *Zona*. Rhod. *ad Scribon. num.* 63. Helm. *de magn. vuln. cur. n.* 50.

ZIRBUS dicitur Arab. *Omentum*, de quo ſupra ſuo loco. Unde *Hernia Zirbalis* dicitur, quando omentum prolabitur in umbilicum, vel ſcrotum. Galeat. de J. Sophia ad Rhaſ. *l.* 9. *c.* 89. *fol. m.* 83. *b.*

ZIZANION, ζιζάνιον, idem, quod *Lolium*, quæ ſignificatio ſpectat ad Botanicos. Paracelſ. vero etiam non eſt veritus *Zizania* attribuere Aſtris, vel Stellis, cometas & alias Stellas novas ita appellans, *de Peſtilitate Tract.* 1. & 2.

ZIZERIUM ponitur pro *Gigerium*, quo nomine Latini appellant Gallinarum inteſtina, & quæ cum iis coquuntur, Apitius *l.* 5. *de re culin. cap.* 3. Jecinora & Zizeria pullorum in cacabum mittes.

ZIZIBI vel Zizibæ legitur apud Mart. Ruland. *Cent. X. Curat. Empir. Obſ.* 79. an vero Jujubas velit intellectas, aut an paſſulas majores Zibebæ dictas, non adeo manifeſtum eſt, quamvis poſterius mihi veroſimilius videatur, ideo quod Jujubæ ſicciores ad nos perveniant, nec multum pulpæ præbeant.

ZIZIPHA, idem, quod *Jujubæ*, ζίζιφα, fructus arboris *Ziziphi*, ſaporis dulcis, magnitudine olivas æmulantes, inter Pectoralia medicamenta pertinentes, Lang. *l.* 1. *ep.* 66. J. Alex. *l.* 10. *Sal. c.* 8. Gal. Serica dictæ, vide ſupra *Sericum*. Schrod. *l.* 4. *cl.* 1. *num.* 178.

ZMILACES vocatur gemma, vel lapis marmori Proconneſio ſimilis in Euphrate fluvio repertus, colore medio glauco, uti deſcribitur apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. *H. N.*

ZODIACUS, ζωδιακὸς, quid ſit, ex Aſtronomia vel doctrina Sphærica diſcendum: Videlicet portio cœli, vel orbis ille, ex & ſub quo perpetuo verſantur Planetæ, ita ut in ejus medio via Solis ſive Ecliptica ſit, & qui ſecundum longitudinem dividitur in duodecim ſigna, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, &c. Videantur Tabulæ Stirii & Cl. Sturmii Aſtronomicæ vel Sphæricæ: Verum Paracelſus finxit *Zodiacum* in Homine, uti patet aliquoties ex Paragrano ejus, de Aſtronomia. Verum ſicut auſu temerario, ita fructu nullo.

ZOE, ζωὴ. Vide *Vita*.

ZOEPHILOS, ζωήφιλος, nomen *Arcani cujuſdam* Chymici ex Antimonio à Quercetano excogitati ſatis pompoſum & jactabundum, modo effectus reſponderet, de quo vide Libav. *Tom. III. Oper. p.* 71. Enim vero cum ipſum Antimonium vix habeat aliquid vitale, dignum nomine, ita in reſpectu ad hominem, an illud, quod ipſum non habet, alteri poſſit ſubminiſtrare, alii judicent, glaucomate præconceptæ opinionis non occœcati. Vide etiam Schroder. *l.* 3. *cap.* 17. ubi deſcripta quoque occurrit. Verum eadem eſt epicriſis de hac, quæ de aliis ſimilibus habetur apud D. Ludovici *Diſſert. I. Pharm. p.* 335.

ZOMOPOEUS, ζωμοποιὸς, *qui callet jura eſculenta bona parare*, ut eſt apud Marcell. & Ruell.

ZOMOS, ζωμός. Vide *Jus*.

ZONA, ζώνη, æquivocum eſt: (1) Phyſiologice ſignificat locum, vel regionem corporis ſcil. ſub coſtis, qua cingimur,

cingimur, ſive ad quam cingulum applicamus, Erot. *in Onom. p.* 50. & Foëſ. *p.* 259. (2) Pathologice *Zona* eſt *Herpetis ſpecies*, quæ occupat regionem illam mediam, ad quam homo cingi ſolet; unde & ab aliis *Circinus* appellatur; uſitatius vero ζωςὴρ vocatur, item *Zincilla*, vel *Zincillis*. Scrib. *n.* 63. Rhod. *not. ad h. l.* Ephem. N. Cur. *A. III. Obſ.* 4. Keuch. *ad Samon. p.* 246. *ſeq.* Singulares quoque de hoc morbo obſervationes communicavit D. Joh. Henr. Brechtfeld. *Actis Hafnienſibus. Vol. I. Obſ.* 108. *p.* 198. *ſeq.* Jungatur & M. Aur. Sever. *l. de nov. obſ. abſceſſ. c.* 9. §. 10. (3) Mechanice notat *Cingulum*, item *Marſupium*, vel Peram cingulo annexam, qua uſi ſunt milites, & pecuniam aliaque neceſſaria recondiderunt. Huc pertinet Proverb. *Zonam perdidit*, h. e. pecuniam amiſit & perdidit. Vide C. Hofm. *com. ad Gal. L. L. de U. P. n.* 479. Et quia etiam novæ nuptæ *Zona* quadam, vel cingulo cinctæ olim fuerunt. (4) Allegorica hinc nata ſignificatio, qua *Zona*, pro *Hymene* poſita, & phraſis Poëtica, *Zonam ſolvere*, i. e. virginem corrumpere, C. Rejes C. *El. q.* 39. *n.* 12. Ad artificiales alias quoque pertinent *Zonæ Chirurgicæ*, qualia *Cingula* ab Aquapendente & Hildano inventa exhibet Scultetus *Arm. Chirurg. P. I. Tab. XXII. fig.* 2. *& T. XXXVII. fig.* 6.7. Denique (5) neque excludenda penitus e foro Medico ſignificatio Aſtronomica vel Sphærica, quando globus cœleſtis & terreſtris in *Zonas*, vel *certas plagas* dividitur à Mathematicis: duas temperatas, duas frigidas & unam torridam; quarum *Zonarum*, & præſertim *temperatæ*, meminit Gal. *in com. ad* 3. *aph.* 14.

ZONITIS, ζωνῖτις, dicitur ſpecies *Cadmiæ*, quæ in fornacibus colligitur *Zonarum* ſimilis, Gorr.

ZONNETTI ſunt *Gnomorum corpora* phantaſtica, Dorn. Rul. & Iohnſ.

ZOOGONIA, ζωογονία, i. e. *animalium perfectorum generatio* univoca, Galen. *de conſtitut. art. cap.* 13.

ZOOLOGIA, ζωολογία, vocatur Schroder. & Fr. Hofm. *pars Pharmaceuticæ medicamenta ex animalibus* deſumta recenſens. Videatur *l.* 5. *Pharm. ut & Clavis ad h. l.*

ZOOMINERALIA vocantur ab Andr. Caſſio in *Cogitatis de Auro c. VI. p.* 67. margaritæ, conchilia & teſtacea omnia, quia de animalium & mineralium natura participare videntur. Verum vocabuli compoſitio inepta videtur.

ZOON, vide Ζῶον, *Animal*.

ZOOPHTHALMOS, ζωόφθαλμος, i. e. *oculi brutalis formam habens*. Epitheton Aizoi, ſive ſemper vivi majoris apud Plin. *l.* 25. *H. N. c.* 13.

ZOOPHYTON, ζωόφυτον, vocatur corpus naturale exangue, quod nec perfectam animalis, nec plantæ naturam, ſed mediam ex utroque & veluti tertiam habet, ἐπαμφοτερίζον φυτῷ καὶ ζώῳ, uti loquitur Ariſtot. Horum hiſtoriam & ſpecies vide integro libro apud Aldrov. *l.* 4. *de Exanguibus*. Chiocc. quoque attigit *Muſ. Calc. ſ.* 1. *p.* 86. Helmontius lienem habere vitam *Zoophyti* vult *tr. Jus Duumvirat. n.* 5. *Plantanimal* dici poſſet.

ZOOSOPHIA, ζωοσοφία, apud Helmont. dicitur illa ſcientia de animalium ſingulorum natura & proprietatibus, quam habuerunt Parentes Protoplaſtæ, imprimis Adam; *tr. Nat. contr. neſc. n.* 7.

ZOOTOME, ζωοτομὴ, vocatur diſſectio Animalium ſive *Anatomia Brutorum*, quo nomine inſignivit M. Aurel. Severinus librum Anatomicum comprehendentem ſtructuram animantium generalem; quando vocatur *Zootome Democritea*. Legitur & apud eundem *Theriotome*, θηριοτομή.

ZOPHOS, ζόφος, tenebras & *caliginem*, vel obſcuritatem, denotat idem, quod σκότος. Unde ζοφερὸς, *caliginoſus*, obſcurus, quod legitur apud Hipp. 4. *de R. V. I. A. t.* 48. *& l. de Virgin. morb. II,* 24. Item ζοφώδης, *obſcurus*, caliginoſus. Uſurpatur de Urina, *Coac. t.* 581. vel ζοφοειδὴς; quod dicitur de menſtruis *l.* 1. *de morb. mul.* notante Foëſ. quem tamen locum reperire non potui; de viſu, *d. l. LIX.* 18. Adde Foëſ. *Oec. p.* 258.

ZOPISSA, ζώπισσα, vocatur *pix navalis*, cum cera à navibus maritimis jam *deraſa* vim diſſipandi habet ob vires ſalis marini. Dicitur & quibuſdam ἀπόχυμα, Ægin. *l.* 7. *c.* 3. in Apochyma. Gorr. Schroder. *l.* 4. *cl.* 2. *n.* 396. Commendantur & Pilulæ ex illa coctæ in cacabo navalium paratæ à Marcell. Cuman. *Obſ. XXXIIX.* apud Velſch. *in Syllog. p. m.* 62.

ZOPYREO, ζωπυρέω communiter ſignificat fomitem ignitum reddere, à ζώπυρον, *ſuſcitabulum*, *fomes*. Verum majori cum emphaſi uſurpatur de ignitione vel *igneſcentia vitali*, uti expoſuit Lind. *Ex. XIII.* §. 222.

ZOPYROS, ζώπυρος, vel ζωπύρειος, nomen eſt *Antidoti*, quam dicitur *Zopyrus* regi Ptolemæo compoſuiſſe atque *Ambroſiam* nominaſſe, ut ſcribit Celſus *l.* 5. *cap.* 23. ubi etiam deſcribitur & commendata legitur ad dolores Colicos, alvi inflationes, hydropem incipientem & venena. Jungatur & Galen. *l.* 2. *de Antid. cap.* 8. *&* 16. & Æginet. *l.* 7. *cap.* 11. Alia vero deſcriptio *Antidoti Zopyri* reperitur apud Scrib. Larg. ad lethalia venena & ictum ſerpentum efficacis, *comp.* 169. Junge Rhod. *notas ad h. l.* & *in Lex. Scribon.*

ZORABA, id eſt, *Vitriolum*. Rul. & Iohnſ.

ZORONISIOS dicitur gemma vel lapis, qui in flumine Indo naſcitur, & magorum gemma eſſe narratur, Plin. *l.* 37. *H. N. c.* 10.

ZOROTERON, ζωρότερον, i. e. *meracius*, cui nihil aliud admixtum eſt. Dicitur de cibo, & potu: de illo quidem apud Hipp. *l. de nat. mul. LXIV.* 2. 3. quamvis Lind. tranſpoſuerit ad vinum. De hoc *l.* 1. *de morb. mul. LII.* 3. Legitur & εὐζωρότερον, *bene meracius*, *l. de exſectione fœtus. II.* 4. Jung. Foëſ. *pag.* 259. Ζωρὸς ſignificat *vinum merum*. Unde ζωροπότης *meribibus* vocatur ab Heſychio.

ZOSTER, ζωςὴρ, idem, quod *Zona*, in Pathologica ſignificatione. *Herpetis* ſpecies. Vide *Zona*.

ZOTICOS, ζωτικὸς, vide *Vitalis*. Zoticus eſt

etiam

etiam epitheton medicamenti Chymici; quod vocatur *Mercurius Zoticus Calomelanos*, cujus deſcriptio habetur apud Hartman. *in Miſcell. Medicis & Chymicis.*

ZUB, *Zubd*, id eſt, *Butyrum crudum.* Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ZUCCAIAR, idem, quod *Zatanea.* Flos *agni caſti.* Iid.

ZUCCARUM, vide *Zaccharum.*

ZUITTER, vel *Zitter*, eſt *Marcaſita.* Dorn. Rul. & Iohnſ. *in Lex.*

ZULAPIUM, ζουλάπιον, idem, quod *Juleb*, *Julapium.* Vide *Juleb.*

ZYGÆNA, ζύγαινα, Gazæ *Libella*, nomen piſcis monſtroſo plane capite, cujus deſcriptio cum uſu habetur apud Aldrovand. *lib. 3. de piſc. cap.* 43.

ZYGIA, ζυγία, epitheton *reſinæ acernæ*, apud Æginet. *l.* 7. *cap.* 18. in deſcriptione Malagmatis βαῦ.

ZYGOMA, ζύγωμα, id eſt, *Os jugale.* Vide *Jugale.*

ZYME, ζύμη. Vide *Fermentum.*

ZYMOMA, ζύμωμα, idem quod ζύμη, *Fermentum.*

Caſtell. & Gorr. quamvis accurate loquendo hæc duo vocabula differant, ut cauſſa & effectus. Ζύμη enim notat *fermentum*, quod aliam materiam fermentat. Ζύμωμα vero vocari debet illa ipſa materia & *maſſa fermentata*; vi verbi tranſitivi ζυμοῦμαι, *fermenteſco*, à quo derivatur.

ZYMOSIS, ζύμωσις, vide *Fermentatio*, à verbo ζυμοῦσθαι, *fermentari.* Dicitur & de *tumore hepatis*, à flatibus veluti diſtenti, apud Hippocr. *lib.* 4. *Epid. III.* 24. Jung. Foëſ. *p.* 259.

ZYNAR, aliis *Zymar*, item *Zymſer*, id eſt, *Viride æris.*

ZYTHOGALA, ζυθόγαλα, ſignificat liquorem *e cereviſia & lacte mixtum* & ſine dubio coctum. Legitur apud Thom. Sydenham *in Obſ. de morb. acut. p. m.* 39. & commendatur poſt vomitorium pro acrimonia obtundenda & torminibus præcavendis. Legitur & apud Joh. Pechet *Angl. Promptuar. Prax. Med. CXX. p. m.* 102.

ZYTHOS, ζῦθος. Vide *Cereviſia.* Dicitur & in neutro *Zythum.* Jung. Galen. *libr.* 6. *de S. F.* §. *Zythos.*

ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ!

MANTISSA

MANTISSA
NOMENCLATURÆ MEDICÆ
HEXAGLOTTÆ,

VOCABULA LATINA, ORDINE ALPHABETICO,
CUM ANNEXIS ARABICIS, HEBRÆIS, GRÆCIS,
GALLICIS ET ITALICIS, PROPONENTIS,

CURA ET STUDIO

JACOBI PANCRATII BRUNONIS,
PHIL. ET MED. D. HUJUSQUE IN UNIVERS.
ALTDORPH. PROF. PUBL. ET LIB. IMP.
REIP. NORIMB. MEDICI.

P R Æ F A T I O.

DE *hac Mantiſſa ſcias*, Mi Lector, *eam non eſſe editam alicujus oſtentationis gratia, cum non diſſimulem meam præſertim in Arabica ignorantiam, nec non in reliquis exteris linguis inſufficientem peritiam; Verum annectendi anſam arripui ex* Serie addita præcipuarum vocum Arabicarum, *quibus Græcæ & Latinæ reſpondere debeant ad* Castelli Lexicon *ab* Adriano Ravenſteinio *curatum, &* Roterodami 1665. *editum, in qua nihil ineptius me legiſſe memini, quam illud, quod ſæpe in columna Arabicarum legantur Latina, aut Græca, v. g. ſtatim in prima* Abortus, Accidens, Aduſtiva, *& ita in reliquis omnibus. In columnis Græcarum etiam pure Latina, v. g.* Summitas, Emulgentes, Ocrea, Sura, *&c. ut ita nemini vitio verti poſſet, ſi ſtatueret, Editorem vel non intellexiſſe voces, vel plane perfunctorie & inconſiderate adjeciſſe; Igitur loco illius Seriei, ne hac in parte deficeret* Castellus renovatus, *præſertim cum librorum neceſſariorum mihi copia fuerit, in gratiam eorum, qui delectantur ſynonymis exoticis, quandoque etiam publicis eruditionis ſpeciminibus inſerendis,* Nomenclaturam *illam conſcribere placuit; in qua* Arabicas voces *deſumtas ſcias partim* e Syllabo Arabicorum nominum *Avicennæ editioni additorum, & ab* Andrea Bellunenſi *explicatorum, nec non Opuſculis inſigniorum Arabum,* Serapionis *&* Rhaſis, *Argentorati quondam typis excuſorum, partim e* Valentini Schindleri Lexico Pentaglotto, *ubi & latinis literis expreſſa pronunciatio plerunque appoſita legitur; quam retinui, haud ſollicitus, num recte ſeſe habeat, nec ne? præſertim cum alias pronunciationem maxime variam obſervari à linguæ hujus peritioribus intellexerim.* Hebræa *Synonyma e* Joh. Buxtorfii Lexico *& prædicto* Schindlero *collegi; Literam* Beth abſque puncto *per* bh *alios imitatus exprimens, quemadmodum &* Pe abſque puncto *per* ph *aut* f. Tau *per* T *aut* Th. Tſade *vel* Zade *per* Ts, Ds, *aut* Z, *imitatus hac in re* J. Megiſeri Lexicon Polyglotton. *Vocabula Gallica & Italica ſuppeditarunt mihi, præter* Philippi Gisberti Médecin Charitable, *&* Ferrantis Imperati Hiſtoriam Naturalem, *Dictionaria in illis linguis hodieque uſitatiora. Vale,* Mi Lector, *&, ſi libet, his fruere; ſi uti nolueris, haud in malam partem conatus noſtros interpretare.*

ABDOMEN,

A.

ABDOMEN, *Arabice*, Tenur. Mirach. *Hebraice*, Beten. Gahon. Kerebh. *Græce*, ἦτρον, γαστὴρ, ὑπογάστριον. *Gallice*, Ventre, bas ventre, ventre inférieur ; la partie du ventre ſous le nombril. *Italice*, Graſſo ventre.

ABLACTATIO, *Ar.* Nacal. *Hebr.* Higgamel (*eſt Infinitivus*) *Gr.* ἀπογαλακτισμὸς. *Gal.* Sévrement d'enfant, lors qu'on lui ôte la mammelle. *It.* Slattazione. Dislattazione.

ABLATIO, *Arab.* Zivil. Tazvil. *Hebr.* Zivil. *Gr.* ἀφαίρεσις. *Gal.* Décharge. *Ital.* Levazione, Torvia.

ABLUTIO, *Arab.* Igtiſel. *Hebr.* Rachaz.Rachza. *Gr.* ἀπόνιμμα, κλύσμα. *Gal.* Lavement. *Ital.* Lavamento.

ABORTUS, *Arab.* Sict. Selt. *Hebr.* Nephel. *Gr.* ἄμβλωσις, ἀποφθορά. *Gal.* Avortement. *Ital.* Parto acerbo, Diſperſione, Sconciamento.

ABSCESSUS, *Arab.* Dubellati, Dubellet. *Hebr.* Achaſſat. *Gr.* ἀπόστημα. *Gal.* Abſcès. Apoſtume. *Ital.* Poſtema. Apoſtemazza.

ACCIDENS, *Arab.* Varid. Ica. Vacaah. *Hebr.* Trun. Gediſcha. Hovah. Meara. Keri. *Gr.* συμβεβηκὸς. *Gal.* Accident. *Ital.* Accidente.

ACERBUM, *Arab.* Hamid. Mar. Marir. *Hebr.* Mar. (quamvis proprie Arab. & Gebr. amarum ſignificent) *Gr.* στρυφνὸν. *Gal.* Apre, revêche, aigre, comme du fruit non meur. *Ital.* Acerbo, Aſpro.

ACETUM, *Arab.* Humida. Chal. Meſus. *Acetum ſtillititium Arab. dicitur* Choilolohaceb. *Hebr.* Chamez. *Gr.* ὄξος. *Gal.* Vinaigre. *Ital.* Aceto.

ACHLYS, *Arab.* Ketamon. Adhasfue. Adus. Agildis. *Hebr. caret. Gr.* ἀχλὺς. *Gal. & Ital. deſunt.*

ACHOR, vel ACHORES Plur. *Arab.* Ameda. Saaphati. Sagrum *vel* Zagrum. Sirengi. Sehedie. *Hebr. deficit. Gr.* ἀχὼρ, ἀχῶρες. *Gal. & Ital. deficiunt.*

ACIDITAS, ACIDUS, *Ar.* Athaib. Muchallal. Chalala. Humuda. Muhamid. *Hebr.*Chamez. *Gr.* ὀξύτης. ὀξὺς. *Gal.* Aigreur. Aigre. *Ital.* Agrezza. Agre. Acetoſo.

ACROCHORDON, SPECIES VERRUCÆ. *Arab.* Acruharad. Aforcan. Afrochon. Afrochoon (Ingraſſ.) *Hebr. Proprium nomen deficit : Exprimi vero poteſt generali nomine* Jabbeleth, *quod* Verrucam *ſignificat. Gr.* ἀκροχορδὼν. *Gal.* Verrue *dite* Acrochordon. *Ital.* Porro delle mani. Acrocordone.

ACTIO, *Ar.* Hetifati.Ketf.Faal. *Hebr.*Katef.Maaſeh. *Gr.* ἐνέργεια. *Gal.* Acte. Action. Beſogne. *Ital.* Azzione.

ACUS, *Arab.* Ibra. Chiac. *Hebr.* Magac. *Gr.* βελόνη. *Gal.* Aiguille. *Ital.* Ago. NB. Acus, *qua oculus perforatur in ſuffuſione Arab. dicitur* Almuhe. Alechidu.

ACUTUS, *Ar.* Mahdud. Chod. Harif. *Hebr.*Chadda. Charif. Schanun. *Gr.* ὀξὺς. *Gal.* Aiguiſé. Aigu. Pointu. *Ital.* Acuto. Pontuto.

ADAMAS, *Arab.* Diama. Almas. Almes. (*Si ſcribitur per Sin abſque tribus punctis ſuper hanc, monente Andr. Bellunenſi*) Mis. *Hebr.* Jachalom. Schamir. *Gr.* ἀδάμας, *Gal.* Diamant. *Ital.* Diamante.

ADDITIO, *Ar.* Zieda. *Hebr.* Toſephad. Toſephdad. *Gr.* πρόσθεσις. *Gal.* Addition. Action d'ajouter. *Ital.* Aggiunta. Aggiunzione.

ADEPS, *Arab.* Saham. Sacham. Gilla. Vadaq. *Hebr.* Chelef. *Gr.* στέαρ, πιμελὴ, ἀξούγγιον. *Gal.* Graiſſe. *Ital.* Graſſo. Aſſongia.

ADOLESCENTIA. ADOLESCENS, *Arab.* Hadathe. Gülam. *Hebr.* Naar. Neer. Elem. *Gr.* μειράκιον. *Gal.* Adoleſcence. Jeuneſſe. Jouvenceau. Jeune homme. *Ital.* Giovane creſcente.

ADSTRINGENS, ADSTRICTIO, *Arab.* Daic. Daduc. Daat. *Hebr.* Zok. Mazok. *Gr.* στύφον, στύψις. *Gal.* Aſtringent. Etreinte. *Ital.* Stringente. Strettura. Virtù di ſtagnare il ſangue.

ADUSTIO, *Ar.* Auſume. Alſicume. *Hebr.*Charchür.Mochdah. *Gr.* ἐπίκαυμα. *Gal.* Brûlure. *Ital.* Bruſciamento.

ÆGER. ÆGROTUS, *Ar.* Alcuttab. Alil. Alem. Alaleme. i. e. *membra infirma. Hebr.* Cheri. Anuſch. *Gr.* νοσερὸς. νοσώδης. *Gal.* Malade. *Ital.* Ammalato. Infermo.

ÆGILOPS, *Arab.* Garabe. Haſcilus. *Hebr. deficit. Gr.* αἰγίλωψ. *Ital.* Egilope.

ÆGRITUDO, vide MORBUS.

AER, *Arab.* Hevah. Naſim. *Hebr.* Schachak. Ripion. *Gr.* ἀὴρ. *Gal.* Air. *Ital.* Aëre. Aria.

ÆRUGO, *Ar.* Zenziar. Ziniar. *& in ſpecie ferri*, Sada alhadid. *Hebr.* Nechuſtah. *Gr.* ἰὸς χαλκοῦ. *Gal.* Rouillure de Cuivre, de Fer. *Ital.* Ruggine di Rame, Ferro.

ÆS. CUPRUM, *Arab.* Ahas. Achabruſe. *Hebr.* Nechaſeth. *Gr.* χαλκὸς. *Gal.* Cuivre. Airain. *Ital.* Rame.

ÆS USTUM, *Arab.* Ruſaſtech. Nucham mucharak. *Hebr. deficit. Gr.* χαλκὸς κεκαυμένος. *Gal.* Cuivre brûlé. *Ital.* Rame brucciato.

ÆSTAS, *Arab.* Kaid. *Hebr.* Kaiz. Chom. *Gr.* θέρος. *Gal.* Eté. *Ital.* Eſtate.

ÆSTUS, *Arab.* Umed. Hur. *Hebr.* Chom. Chari. Sehareth. *Gr.* καῦμα. *Gal.* Ardeur, Ferveur. Grande Chaleur. *Ital.* Calore eſtremo. Ardore. Fervore.

ÆTAS, *Arab.* San. *plural.* Asnan. *Hebr.* Dor. Cheled. *Gr.* ἡλικία. *Gal.* Age. *Ital.* Età.

AFFECTIO. AFFECTUS, *Arab.* Adib. *Hebr.* Haſchachah. *& in ſpecie Animi*, Zeavah. *Gr.* πάθος. *Gal.* Paſſion. Diſpoſition. Accident. *Ital.* Affetto. Affezzione.

AGALLOCHUM, *Arab.* Agalugen. Agalugi. *Hebr. deficit. Gr.* ἀγάλλοχον. *Gal.* Bois d'Aloës. *Ital.* Agallocho.

AGARICUM, *Arab.* Garichun. *Hebr. deficit. Gr.* ἀγαρικὸν. *Gal.* Agaric. *Ital.* Agarico.

AGITATIO, *Ar.* Tabſchir. Dagdaga. *Hebr.* Tirjah. Zeadah. *Gr.* δίνησις. *Gal.* Agitation. Mouvement. Branlement du corps. *Ital.* Commozione. Movimento.

ALA. AXILLA, *Arab.* Gienaha. Ibr. Ganah. *Hebr.* Eber. Abrah. Azil. *Gr.* μασχάλη, πτέρυξ. *Gal.* Aile. Aiſſelle. *Ital.* Ala. Aſcella.

ALABASTRUM, *Arab.* Karurah. *Hebr.* Schetopha. *Gr.* ἀλάβαστρος. *Gal.* Albâtre. *Ital.* Alabaſtro.

ALBUGO, *Arab.* Coloma (*Rhaſ.*) *Hebr. def. Gr.* λεύκωμα. *Gal.* Tache blanche en l'œil. *Ital. non occurrit.*

ALBUMEN, ſcil. OVI, *Arab.* Buini Zenbach. Rachich. *Hebr.* Chalbaz. *Gr.* λευκὸν ὠϛ̃. *Gal.* Blanc d'œuf. *Ital.* Albume, Chiaro d'ovo.

ALBUS, ALBEDO, *Arab.* Abiad. Tabarzet. Caldicum. *Hebr.* Laban. *Gr.* λευκὸς, λευκότης. *Gal.* Blanc. Blancheur. *Ital.* Bianco. Bianchezza

ALEMBICUS, *Arab.* Alnabic. Allutel.Catara. *Hebr. deficit.* *Gr. non extat.* *Gal.* Alembic. *Ital.* Alembico.

ALIMENTUM, *Arab.* Cut. Machal. Mechel. Rizq. *Hebr.* Uchel. Mazon. *Gr.* τροφή. *Gal.* Nourriture. *Ital.* Nutrimento.

ALIPTES, *Arab.* & *Hebr.* Dahin. *Gr.* ἀλείπτης. *Gal.* Celui qui oignoit les athlétes. *Ital.* Chi onge i lottatori.

ALOE, *Arab.* Sabat. Saber. *Hebr.* Ahaloth. *Gr.* ἀλόη. *Gal.* Aloë. *Ital.* Aloe.

ALOPECIA, *Ar.* Altigiaris. Tyria. *Hebr.* Neſchirah. *Gr.* ἀλωπεκία. *Gal.* Alopécie. Chute des poils. *Ital.* Alopecia. Cadimento di peli.

ALPHUS, *Arab.* Guada. Grada. *Ingraſſ.* *Gr.* ἀλφός. *In reliquis Linguis non occurrit.*

ALTERATIO, *Arab.* Tahvil. *Hebr.* Hiſchtannuth. *Gr.* ἀλλοίωσις. *Gal.* Altération. *Ital.* Alterazione.

ALTOR. ALTRIX, *Arab.* Razzaq. *Hebr.* Omeneth. *Gr.* τρόφιμος. *Gal.* Nourriſſier. Nourriſſe. *Ital.* Nutritore. Nutrice.

ALTUS, *Arab.* Simmah. *Hebr.* Gabhah. Gebhah. *Gr.* ὑψηλός. *Gal.* Haut. Sublime. *Ital.* Alto.

ALUMEN, *Arab.* Alume. Altalch. Cales. Seba. *Hebr.* Alum. Zaripha. *Gr.* συπτηρία. *Gal.* Alun. *Ital.* Alume.

AMARUS. AMARITUDO, *Ar.* Marr. Marir. *Hebr.* Mar. Memer. Memiroth. *Gr.* πικρὸς, πικρότης. *Gal.* Amer. Amertume. *Ital.* Amaro. Amaritudine.

AMBRA, *Arab.* Hanbar. *Hebr.* Caphat. *Græcum non extat, niſi quis eam velit vocare* ἤλεκτρον. *Gal.* Ambre. *Ital.* Ambra.

AMBULATIO, *Arab.* Gaib. Meſchia. *Hebr.* Hica. Helech. Halicha. *Gr.* βάδισις. *Gal.* Allée. Promenade. *Ital.* Spaſſeggiamento.

AMBUSTIO, *Ar.* Ahtarac. *Hebr.* Jikedah.Screphah. *Gr.* πυρίκαυμα, πυρίκαυστος. *Gal.* Brûlure. Embraſement. *Ital.* Scottatura. Abbruſciamento.

AMENS. AMENTIA, *Ar.* Humc. & *Adject.* Ahmak. *Hebr.* Schigganon. Meſchüggah. *Gr.* ἄνοια, ἄνες. *Gal.* Folie. Fou. Forcénement. Forcené.Sot. *Ital.* Pazzia.Pazzo.

AMMONIACUM, *Arab.* Aſſach. Uſach. Turſie. Alaſceum. *Hebr. non habetur.* *Gr.* ἀμμωνιακὸν. *Gal.* Ammoniac. *Ital.* Ammoniaco.

AMNIOS, *Arab.* Abgas. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἄμνιος. *Gal.* & *Ital.* Amnios.

AMOR. *Arab.* Hub. Hubba. Iſchqua. *Hebr.* Acheb. Achabhah. Jediduth. Dod. *Gal.* Amour. *Ital.* Amore.

AMPHORA, *Arab.* Fagdun. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀμφορεύς. *Gal.* Un Seau. Un vaiſſeau à vin. *Ital.* Anfora.

AMULETUM, *Ar. non occurrit.* *Hebr.* Kameah. Nechaſchim (*plur.*) *Gr.* περίαπτον. *Gal.* Préſervatif ou Fermaillet qu'on pend au col. *Ital.* Medaglia, che ſi porta al collo.

AMYGDALA, FRUCTUS, *Ar.* Lauzi. *Hebr.* Schekedim. *Gr.* ἀμύγδαλα. *Gal.* Amande. *Ital.* Mandola.

AMYGDALÆ GULÆ, ſeu TONSILLÆ, *Ar.* Gavoni. Geuze. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀντιάδες, παρίσθμια. *Gal.* Glandes de la gueule. *Ital.* Ghiande della bocca.

AMYLUM, *Arab.* Neſaſtengi. Elueſſe. Neſa. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἄμυλον. *Gal.* Amidon. *Ital.* Amito.

ANASARCA, ſeu LEUCOPHLEGMATIA, *Ar.* Halahami. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀνασάρκα, λευκοφλεγματία. *Gal.* Anaſarc. *Ital.* Anaſarca.

ANATOMIA. ANATOMICUS, *Ar.* Tasrich.Batot. *Hebr.* Chacmathannituah. *Gr.* ἀνατομία. ἀνατομικός. *Gal.* Anatomie. Anatomique. *Ital.* Anatomia. Anatomico.

ANCYLOSIS, *Ar.* Alachad. Alzemena. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀγκύλωσις. *Gal.* & *Ital. deſunt.*

ANGINA, *Ar.* Dabh. Ichtinac. Canchuaraich. *Hebr.* Schinuck. Taſchnik. Machanak. *Gr.* συνάγχη. κυνάγχη. *Gal.* Squinancie. *Ital.* Squinancia.

ANGOR, *Ar.* Madio.Corba.Cahra. *Hebr.* Zarah. *Gr.* ἀδημονία, ἀπορία. *Gal.* Angoiſſe. *Ital.* Angoſcia. Anſietà.

ANGULUS. ANGULI, *Ar.* Almachiu. Almecheni. *Hebr.* Zavioth. Attick. Attikim. Akas. *Gr.* κανθὸς. κανθοί. *Gal.* Angle. Coin. Coins de l'œil. *Ital.* Cantone.Angolo.

ANGUSTIA, *Ar.* Carb. Akah. Dſic. Dica. *Hebr.* Zeruvjah. Zok. Zokah. Mazok. Mezucah. *Gr.* στενοχωρία. *Gal.* Détroit. *Ital.* Anguſtia. Strettezza.

ANHELITUS, *Arab.* Fetirat. Nacata. *Hebr.* Neſama. *Gr.* δύσπνοια. *Gal.* Haleine. Difficulté de reſpirer. *Ital.* Reſpirazione con difficoltà.

ANIMA, *Arab.* Naſima. Nefs. *Hebr.* Neſeſch. & *in ſpecie vegetativa.* Hazomechet, Brutalis Habachamit. & Sapientiæ ſeu Rationalis. Hachacmah, vel Maskelet, aut Haſaklit. *Gr.* ψυχή, φυσική, αἰσθητική, λογική. *Gal.* Ame. *Ital.* Anima.

ANIMAL, *Arab.* Haivan. *Hebr.* Chajah. *Gr.* Ζῶον. *Gal.* Animal. Bête. *Ital.* Animale.

ANIMALIS FACULTAS, *Ar.* Alceſſenie.Nafsani. *Gr.* δύναμις ψυχική, αἰσθητική καὶ κινητική. *Gal.* Faculté de ſentir, de ſe mouvoir. *Ital.* Facultà di ſentire, e moverſi.

ANIMUS. *Vide* Mens. *Arab.* Dſamir. Nafs. *Hebr.* Neſeſch.Levavh. *Gr.* νοῦς. *Gal.* Cœur.Courage. *Ital.* Animo.

ANNULARIS. *Arab.* & *Hebr. non extant.* *Gal.* κρικοειδής. *Gal.* Fait en anneau. *Ital.* Sembiante d'anello.

ANNULUS. *Arab.* Tabi. *Hebr.* Tabbaath. *Gr.* δακτυλίδιον. *Gal.* Anneau. *Ital.* Anello.

ANNUS. *Arab.* Sanah. Ohm. *Hebr.* Jamim. Schanah. *Gr.* ἔτος, ἐνιαυτός. *Gal.* An. Année. *Ital.* Anno.

ANTHRAX. *Arab.* Althoni. Thaun. Bathara. Gamra. *Hebr.* Reſchef. *Gr.* ἄνθραξ. *Gal.* Antrach. Charbon. *Ital.* Carbone. Carboncello.

ANTICIPATIO, *Arab.* Taqdim. Taqdema. *Hebr.* Hacdaman.

Hacdaman. *Gr.* τὸ προλαμβάνειν. πρόληψις. *Gal.* Anticipation. Prévention. *Ital.* Anticipazione.

ANTIMONIUM. *Arab.* Alenut. Efieret. Atemet. Cohol. Aitmad. *Serap. Hebr.* Puk. *Gr.* στίβι, στίμμι. *Gal.* Antimoine. *Ital.* Antimonio.

ANTIPATHIA. *Arab.* Muchalafa. Ichtilef. Hef. Hefech. *Gr.* ἀντιπάθεια. *Gal.* Antipatie. *Ital.* Contrarietà. Repugnanza.

ANUS, PODEX, *Ar.* Dubar. Charc. *Hebr.* Parſchedonah. *Gr.* πρωκτός. *Gal.* Trou du Cul. *Ital.* Culo.

ANUS fœmina. *Arab.* Kehel. Scheabh. *Hebr.* Dſekenah. *Gr.* γραῦς. *Gal.* Vieille femme. *Ital.* Vecchia.

AORTA. ARTERIA. *Arab.* Orichi. *Hebr.* Schir jan. *Gr.* ἀορτή. *Gal.* Artére aorte. *Ital.* Arteria grande.

APERIENS. APERTIO. *Ar.* Fataha, *à verbo* Fatah. Fagar. *Heb.* Pitahon. Miphtach. *Gr.* ἀναστομωτικὸν, ἀναστόμωσις. *Gal.* Qui ouvre. Ouverture. *Ital.* Apertura. Apriente.

APHTHA, *Arab.* Alcola. *Hebr. deficit. Gr.* ἄφθη. *Gal.* Enlevure dans la bouche.

APOPLEXIA. *Arab.* Sacrah. Maſcut. *Hebr.* Schetuk. Baal. haſchituc. *Gr.* ἀποπληξία. *Gal.* Apoplexie. *Ital.* Apopleſſia. Male detto il cadere della goccia.

APOSTEMA, *Arab.* Hacar. Dubellati. Alcosbat. Alliatan. Veram (*& plura alia.*) *Hebr.* Buah. Bach. Safachat. Chaburah. Schechin. *Gr.* ἀπόστημα. *Gal.* Apoſtume. *Ital.* Poſtema.

APPENDIX. *Ar. deficit. Hebr.* Zan. Zin. *Gr.* ἐπίφυσις. *Gal.* Acceſſoire. Dépendance. *Ital.* Giunta.

APPETITUS. *Arab.* Temeni. *Hebr.* Chemed. Chemedah. Teſchucah. Taapvah. *Gr.* ὄρεξις. *Gal.* Appetit. Convoitiſe. *Ital.* Appetito. Brama.

APPOSITIO. *Vide* Additio.

APPREHENSIO. *Arab.* Achdah. *Plur.* Achdet. *Hebr.* Sig. Tiſſo. *Gr.* ἀντίληψις. *Gal.* Appréhenſion. *Ital.* Preſa per mano.

APPROPRIATIO. *Ar. deficit. Hebr.* Jichud. *Gr.* προσοικείωσις. *Gal.* Appropriation. *Ital.* Appropriazione.

AQUA. *Arab.* Ma. *Hebr.* Maim. *Gr.* ὕδωρ. *Gal.* Eau. *Ital.* Acqua.

AQUATILE. *Arab.* Mei. *Hebr. Pl.* Memi. *Gr.* ἔνυδρον. *Gal.* Aquatique, qui vit dans l'eau. *Ital.* Acquatico.

AQUEUS. AQUOSUS. *Arab.* Mai. Mamavi. *Hebr.* Memi. *Gr.* ὑδατινος. *Gal.* Plein d'eau. *Ital.* Acquoſo.

ARANEUS *Arab.* Anchabuta. Hanchebut. Ratla. Anquib. *Plur. Hebr.* Habbaviſch. Matvajaah. Semamit. *Gr.* ἀράχνη. *Gal.* Araignée. *Ital.* Aragno. Ragno.

ARCANUM. SECRETUM. *Arab.* Chafi. Chafiat. Sirr. Sarra. *Hebr.* Raz. Sod. Lot. Laot. *Gr.* ἀπόρρητον μυστήριον. *Gal.* Secret. *Ital.* Secreto.

ARCHIATER. *Arab.* Mudevi rajs, *vel* Mutequadim. *Hebr.* Rabb. Afe, Meaſſe. *Gr.* ἀρχίατρος. *Gal.* Premier Médecin. *Ital.* Archiatro. Prencipe di Medici.

ARDOR. *Arab.* Hammi Vaed. Taucad. *Hebr.* Jecod. Chari. Charon. *Gr.* καῦμα. *Gal.* Ardeur. Ferveur. *Ital.* Ardore. Caldo grande.

AREA. *Arab.* Tyria. Bidad. *Hebr.* Goren. Iddar. *Gr.* ὀφίασις. *Gal.* Chauveté. *Ital.* Area.

ARENA. *Ar.* Horeb. Ramal. *Hebr.* Chol. *Gr.* ψάμμος. ἄμμος. *Gal.* Sable. Gravier. *Ital.* Arena. Rena. Sabbia.

ARGENTUM. *Arab.* Fada. *Hebr.* Keſef. Syma, *Syr. Gr.* ἄργυρος. *Gal.* Argent. *Ital.* Argento.

ARGENTUM VIVUM. HYDRARGYRUM. *Arab.* Agricos. Zibach. Zevec. *Hebr. deficit. Gr.* ὑδράργυρος. *Gal.* Argent vif. *Ital.* Argento vivo.

ARGILLA. *Arab.* Thin. Tina. *Hebr.* Chafaf. Tinah. Melet. Chamar. *Gr.* ἄργιλλος. *Gal.* Argille. *Ital.* Creta.

ARIDITAS. ARIDURA. *Ar.* Debul. Fonſmos. Dimbelez. Jubs, Jubiſa. *Hebr.* Jabeſch. Jibbaſcha. *Gr.* ξηρότης. *Gal.* Aridité. Sécherefſe. *Ital.* Aridità. Secca. Secura.

ARMENIUS LAPIS. *Arab.* Hagiar. Harmeni. *Hebr.* Eben. Cardu. *Gr.* λίθος ἀρμένιος, ἀρμενιακόν. *Gal.* Pierre d'Arménie. *Ital.* Pietra Armellina.

ARMILLA. *Arab. deficit. Hebr.* Ezadah. Zamid. Mancatah. Toteſeth. *Gr.* ψέλιον. *Gal.* Braſſelet. *Ital.* Braccialetto. Maniglio.

AROMA. *Arab.* Alfegin. Tanguebil. Darira. *Hebr.* Beſem. Sam. *Plur.* Samim. *Gr.* ἄρωμα. *Gal.* Eſpicerie. Eſpice. *Ital.* Speciaria.

ARS. *Arab.* Choila. Hicma. Chusſeban. *Hebr.* Chacmach. Cheſebbon. *Gr.* τέχνη. *Gal.* Art. *Ital.* Arte.

ARSENICUM. *Ar.* Zarnich. *Hebr. deeſt. Gr* ἀρσενικόν. *Gal.* Arſenic. *Ital.* Arſenico.

ARTERIA. *Arab.* Sarjan. *Hebr.* Schirgan. Arkim. *Gr.* ἀρτηρία. *Gal.* Artére. *Ital.* Arteria.

ARTERIA ASPERA. *Ar.* Zumara. Mazamar. Halc. *Hebr.* Gargeret. *Gr.* ἀρτηρία τραχεῖα. *Gal.* Artére du poulmon. Artére aſpre. *Ital.* Arteria aſpra, arteria del polmone.

ARTHRITIS. *Arab.* Vaga aluqued. *Hebr.* Beebh. Happerakim. *Gr.* ἀρθρῖτις, *Gal.* Goutte. *Ital.* Gotta del piede, della mano.

ARTICULUS. *Ar.* Ucde. Uqued. *Pl.* Fenna. *Hebr.* Scheri. Scherejan. *Gr.* ἄρθρον. *Gal.* Arteuil. *Ital.* Articulo.

ARTIFEX. *Arab.* Hacim Muallim. *Hebr.* Charaſch. Choſchebh. Ammon. Amian. Sicli. *Gr.* τεχνίτης. *Gal.* Artiſan. Ouvrier. *Ital.* Arteſice.

ASCIA. *Arab. deficit. Hebr.* Azad. Mazad. *Gr.* ἀξίνη. *Gal.* Coignée. Hache. Doloire. *Ital.* Aſcia. Pola.

ASCITES. *Arab.* Cebli. *Hebr.* Godi. *Gr.* ἀσκίτης. *Gal.* Hydropiſie. *Ital.* Hydropiſia. Aſcite.

ASELLUS. ASINUS. *Arab.* Himar. *Hebr.* Chamor. Air. *Gr.* ὀνίσκος. ὄνος. *Gal.* Ane. Petit Ane. *Ital.* Aſino. Aſinello.

ASPERSIO. *Arab.* Nazach. Nadvah. Raſchaſch. *Hebr.* Havajah. Reſchaſch. *Gr* ῥαντισμός. *Gal.* Aſperſion. Arroſement. *Ital.* Spargimento. Sbroſſamento.

ASPHALTUM. BITUMEN. *Arab.* Chefer aliheud. Cafra & Cafra alhud. *Hebr.* Chamor. Chofer. *Gr.* ἄσφαλτον. *Gal.* Bitume dit Aſphalte. *Ital.* Aſfalto.

ASSATIO. ASSUM. *Ar.* Habab. Harea. Saſid. *Hebr.* Hibbubh.

Hibhubh. Zali. Zeli. *Gr.* ὄπτησις. *Gal.* Rôtir. Rôti. Rôt. *Ital.* Arroſtimento. Arroſto.

ASSIMILATIO. *Arab.* Iſtimbre. Tamtila. Taqtib. *Hebr.* Dimuon. Maçchel. *Gr.* ὁμοίωσις. *Gal.* Simulation. Reſſemblance. *Ital.* Aſſimiglianza. Aſſimigliamento.

ASSIUS LAPIS. *Arab.* & *Hebr.* *deficit.* *Gr.* λίθος ἄσσιος. *Gal.* Pierre Aſſius. *Ital.* Aſſia pietra.

ASTHMA. DIFFICILIS RESPIRATIO. *Arab.* Bahar. *Hebr.* Genichah. *Gr.* ἆσθμα. *Gal.* Difficulté d'haleine. Aſthme. *Ital.* Reſpirazione con difficoltà.

ASTRAGALUS. TALUS. *Arab.* Chahab. *Hebr.* Karſol. *Gr.* ἀστράγαλος. *Gal.* Talon. *Ital.* Aſtragalo. Talone.

ASTRUM. STELLA. *Arab.* Nagam. *Hebr.* Bocabh. *Pl.* Bokevim. *Gr.* ἄστρον. *Gal.* Aſtre. Etoile. *Ital.* Aſtro. Segno celeſte.

ATHEROMA. *Ar.* & *Hebr.* *non occurrit.* *Gr.* ἀθέρωμα. *Gal.* Athérome. *Ital.* Atheroma.

ATOMUS. *Arab.* Habba. Munbata. *Hebr.* Pirur. *Gr.* ἄτομος. *Gal.* Atome. *Ital.* Atomo, coſa indiviſibile per eſſer troppo picciola.

ATRAMENTUM. *Arab.* Ariegi. Medad. Ezegi. Zagi. Deja. Devia. Hibar. *Hebr.* Dejo. Charta. Schigor. *Gr.* μελαντηρία. *Gal.* Encre. *Ital.* Inchioſtro. Tinta.

ATROPHIA. *Vide* Macies.

ATTENUATIO. *Arab.* Kozra. Kozar. Taclib. Tarcic. *Hebr.* Muc. Rakik. *Gr.* λέπτυνσις. *Gal.* Diminution. Amoindriſſement. *Ital.* Sminuità. Attenuazione.

ATTRACTIO. *Arab.* Garra. *Hebr.* Gara. Tipra. *Gr.* ἑλκή, ἑλκυσμός. *Gal.* Attraction. Attirement. & *adject.* Attractif. *Ital.* Maneggiamento.

AUCTIO. AUGMENTUM. *Arab.* Zieda. Tacrir. *Hebr.* Marbit. *Gr.* αὔξησις, ἐπακμή. *Gal.* Augmentation. Accroiſſement. *Ital.* Accreſcimento. Augmento.

AUDITUS. *Arab.* Samaſ. *Hebr.* Schemuah. Miſchmah. Haſchmaoth. *Gr.* ἀκοή. *Gal.* Ouïe. *Ital.* Udito.

AURA. *Arab.* *deficit.* *Hebr.* Hebhel. *Gr.* πνεῦμα. *Gal.* Vapeur. Petit vent. *Ital.* Venticello piacevole. Aura.

AURES, *Ar.* Sama. Alſamach. *Hebr.* Ozen. Oznaim. *Pl. Gr.* ὦτα, οὔατα. *Sing.* οὖς. *Gal.* Oreilles. *Ital.* Orecchii.

AURIPIGMENTUM. *Vide* Arſenicum. *Gal.* Orpiment.

AURISCALPIUM. *Ar.* Munacca aludnei. *Hebr. defic.* *Gr.* ὠτογλυφίς. *Gal.* Cure-oreille. *Ital.* Cura-orecchie.

AURUM. *Ar.* Deeb. Deheb. *Hebr.* Dſahab. *Gr.* χρυσός. *Gal.* Or. *Ital.* Oro.

AUXILIUM. *Arab.* Jgatha. *Hebr.* Jeſchah. Ezer. Sia. Suah. *Gr.* βοήθημα. *Gal.* Secours. Aide. *Ital.* Ajuto.

AXILLA. *Vide* Ala.

AXUNGIA. *Vide* Adeps.

B.

BACULUS. *Arab.* Sabt. Aza. Uquis. *&c.* *Hebr.* Choder. Makkel. Matteh. Schefet. *&c.* *Gr.* βακτηρία, βάκτρον. *Gal.* Bâton. *Ital.* Baſtone. Baſtoncello.

BALBUTIES. BALBUS. *Arab.* Magbus (*adject.*) *Hebr.* Illeg. Gamgum. Megambem (*adject.*) *Gr.* ψελλότης, ψελλός. *Gal.* Béguayement. Bégue. *Ital.* Balbutizzamento. Balbo.

BALNEUM. *Arab.* Hammim. Geſal. *Hebr.* Abhta. Rachaz. Rachza. Meſoth. *Gr.* λουτρόν. *Gal.* Bain. *Ital.* Bagno.

BALSAMUS. *Arab.* Mochel. Hanut. *Hebr.* Panach. *Gr.* βάλσαμος. *Gal.* Baume. *Ital.* Balſamo.

BARBA. *Arab.* Dakan. *Hebr.* Dſacan. *Gr.* πώγων. *Gal.* Barbe. *Ital.* Barba.

BDELLIUM. *Arab.* Mumdilimon. Mudemada. *Hebr.* Bedolah. *Gr.* βδέλλιον. *Gal.* Bdellium. Gomme Bdellion. *Ital.* Bdellio.

BELLARIA. *Arab.* Nuola. *Hebr.* Kinnuach. Segudah. *Gr.* τραγήματα. *Gal.* Deſſert. *Ital.* Confezzoni e frutti doppo paſto.

BENEDICTUM. *Arab.* Mubaraca. *Hebr.* Barak. *Gr.* εὐλογιστόν. *Gal.* Bénit. *Ital.* Benedetto.

BENIGNUM. *Ar.* Hanin. Hannan. Tib. Taib. *Hebr.* Baſim. Tobh. *Gr.* εὐηθές. *Gal.* Benin. *Ital.* Benigno.

BENZOI. *Arab.* Benzoi. *Hebr.* *non extat.* *Gr.* *deficit.* *Gal.* Benjoin. *Ital.* Benzoe.

BEZOAR. *Arab.* Bezard. *Hebr.* & *Gr.* *deficit.* *Gal.* Bezoard. *Ital.* Bezoar.

BILIOSUS. *Ar.* Zafravi. *Hebr.* *caret.* *Gr.* χολερικός. *Gal.* Bilieux. *Ital.* Colerico. Coleroſo.

BILIS. FEL. *Arab.* Marra. Merara. *Hebr.* Merora. *Gr.* χολή. *Gal.* Bile. Fiel. Colére. *Ital.* Bile. Colera.

BILIS FLAVA ET NIGRA. *Arab.* Marra Zafra & Seudi. *Arab.* Merara. *Gr.* χολὴ ξανθὴ καὶ μέλαινα. *Gal.* Bile jaune & noire. *Ital.* Bile gialla e nera.

BISCOCTUM. *Arab.* Tortellæ. *Hebr.* *deficit.* *Gr.* δίπυρον. *Gal.* Biſcuit. *Ital.* Biſcotto.

BITUMEN. *Vide* Aſphaltum.

BLATTA. TINEA. *Arab.* Egette. Sus. *Hebr.* Sas. *Gr.* σίλφη. *Gal.* Teigne. *Ital.* Tarma.

BOLUS. *Arab.* Lezma. Lacma. Cuthaira. *Hebr.* Patbag. Pat. *Gr.* βῶλος. *Gal.* Bouchée. Morceau. *Ital.* Boccone. Bolo.

BOLUS, *idem quod* Lutum. Argilla.

hinc BOLUS ARMENA. *Arab.* Albin. Alarmen. *Hebr.* Timah. Çardanun. *Gr.* βῶλος ἀρμένιος. *Gal.* Bol d'Arménie. *Ital.* Bol Armeno.

BONUM. *Arab.* Tib. Taib. *Hebr.* Tobh. *Gr.* ἀγαθόν. *Gal.* Bon. Bien. *Ital.* Buono.

BORAX. *Arab.* Tincar. Borraca. Luzara. Aldeheb. *Hebr.* *deficit.* *Gr.* χρυσοκόλλα. *Gal.* Borax de Veniſe. Borras. *Ital.* Borace.

BRACHIUM. *Arab.* Hadab. Hadan. Alſahad. Said. Dara. Dira. *Hebr.* Derah. Ezeroah. Hazadh. *Gr.* βραχίων. *Gal.* Bras. *Ital.* Braccio.

BRACTEA. LAMINA. *Arab.* Varâca. Zafaha. *Hebr.* Ziz. Tas. *Gr.* ἐλασμός. *Gal.* Feuille de métal. *Ital.* Foglio di metallo.

BREVITAS. BREVIS. *Arab.* Ichtiſar. Muchtaſar. Cazir. Cazar. *Hebr.* Cazer. Cozer. Cuz. *Gr.* βραχύτης, βραχύς. *Gal.* Briéveté. Bref. *Ital.* Brevità. Breve.

BRODIUM.

BRODIUM. JUSCULUM. *Ar.* Marac. Marca. *Hebr.* vel *Chald.* Retaf. *Gr.* ζωμὸς. *Gal.* Broüet. *Ital.* Brodo.

BUBO, Tumor glandularum in inguine. *Ar.* Burules. Thaun. Barachien. *Hebr. deficit. Gr.* βȣ́βων. *Gal.* Boſſe chancreuſe. *Ital.* Tartufalo.

BUCCA. *Ar.* Dücam. Sadek. *Hebr.* Peh. *Gr.* βȣ́κκα. *Gal.* Bouchée. *Ital.* Boccone.

BUFO. *Ar.* Naraqua. Tallun. Tauluna. *Hebr.* Zabh. *Gr.* μύοξος. *Gal.* Crapaud. *Ital.* Roſpo. Ranocchio.

BUFONITES, *Arab.* Hagiar alnaraqua. *Hebr. deficit. Gr.* μυοξονίτης λίθος. *Gal.* Crapaudine. *Ital.* Pietra che naſce nel roſpo.

BULIMUS. FAMES NIMIA, *Arab.* Goï. *Hebr.* Ulzana. Caſan. Raabh. *Gr.* βȣ́λιμος. *Gal.* Faim grande, inſatiable. *Ital.* Gran fame.

BULLA, *Arab.* Malchabara. *Hebr.* Kezafah. Abhabbuah. *Gr.* βȣ́λλα. *Gal.* Bulle. Bouteille. Bouillon ſur l'eau. *Ital.* Bolla. Gonfiatura ſopra l'acqua.

BUTYRUM. *Arab.* Zedb. Seman. *Hebr.* Chemeah. *Gr.* βȣ́τυρον. *Gal.* Beurre. *Ital.* Butyro.

C.

CABALA, *Arab.* & *Hebræum eſt vocabulum, ſignificans traditionem vel doctrinam per traditionem à majoribus acceptam.* Vid. Schindler. Lexic. Pentaglott. pag. 1578. ſeq. *Gr. deficit. Gal.* Cabale, Cabaliſte. *Ital.* Cabala, *quamvis fortaſſis verius dici poſſet* Gabbaglia, *vel* Gabbamento.

CACABUS. SARTAGO, *Arab.* Kadra. *Hebr.* Cacab. Machabath. Marcheſeth. Patur. *Gr.* κάκκαβος. *Gal.* Chauderon. *Ital.* Caldaja.

CACATIO, *Ar.* Charia. *Hebr.* Chari. *Gr.* ἀφόδευσις. *Gal.* Action de chier. *Ital.* Cacazione. Cacarella.

CACHEXIA, *Arab.* Thebegi. Therel. Terbel. *Hebr.* Nepichah. *Gr.* καχεξία. *Gal.* Cachexie. *Ital. deeſt.*

CACOCHYMIA, *Ar.* Chiltradi. *Hebr.* Laſchad rai, Laſchad merah. *Gr.* κακοχυμία. *Gal.* Cacochymie. Mauvaiſe humeur. *Ital.* Humore cattivo.

CADAVER. *Arab.* Giſm. Guttah. *Hebr.* Nephelah. Mappelah. Pegar. *Gr.* νεκρὸν, πτῶν σῶμα. *Gal.* Cadavre. *Ital.* Corpo morto.

CADMIA, *Arab.* Climia. Vaſara. *Hebr. def. Gr.* καδμεῖα. *Gal.* & *Ital.* Cadmia.

CALCANEUS. *Ar.* Chaa. Achabalium. Aldip. *Hebr.* Akkebh. *Gr.* πτέρνα. *Gal.* Talon. *Ital.* Calcagno.

CALCEUS, *Ar.* Naala. *Hebr.* Naal. Maſan. *Gr.* ὑπόδημα. *Gal.* Soulier. *Ital.* Scarpa.

CALCINATIO. *Ar. deeſt. Hebr.* Scherefahfid. *Gr.* τέφρωσις. *Gal.* Calcination. *Ital.* Calcinazione.

CALCULUS, Lapis. *Ar.* Dil. Haſa al celia (*renum*) Haſa almethene (*veſicæ.*) *Hebr.* Chazaz. *Gr.* λιθίασις, λίθος. *Gal.* Gravelle. Pierre. *Ital.* Pietra.

CALEFACTIO. CALEFACIENS. *Ar.* Daſia. Daſi. Miſchan. Suchanna. Hammi. *Hebr.* Michammem. Chom. Habluth. *Gr.* θερμαίνων. θέρμανσις. *Gal.* Chauffant. Echauffant. Chauffement. *Ital.* Riſcaldamento. Riſcaldante.

CALIDUS. *Ar.* Haar. *Hebr.* Cham. *Gr.* θερμὸς. *Gal.* Chaud. *Ital.* Caldo.

CALIGO. *Ar.* Dalam. Ateme. *Hebr.* Ophel. Aphela. Araphel. Habhirah. *Gr.* ζόφος. *Gal.* Obſcurité. Eblouïſſement. *Ital.* Caligine.

CALIX, *Arab.* Cas, *plur.* cavas. Acvas. *Hebr.* Cos. Aſchiſch. *Græc.* κύλιξ. *Gal.* Calice. Coupe. Taſſe. *Ital.* Calice. Bicchiere.

CALLUS. *Arab.* Desbot. Desbet. Alcheſtir. *Hebr.* Spiecha. *Gr.* τύλος. πῶρος. *Gal.* Cal. Durillon. *Ital.* Callo. Durezza delle mani, ò piedi.

CALOR. CALIDITAS. *Arab.* Harara. Har. Lehib. *Hebr.* Chamma. Chom. Scharaf. *Græc.* θερμότης. *Gal.* Chaleur. *Ital.* Caldo. Calore.

CALVARIA. CRANIUM. *Arab.* Gamgama. Quahaf. *Hebr.* Gilgoleth. Cadra. Tekhhambach. *Gr.* κρανίον. *Gal.* Crane. Teſt. *Ital.* Oſſo della teſta.

CALVITIES, CALVUS. *Ar.* Charha. Alcharha. Azla. Zala. *Hebr.* Kereah. Gabachat. Gibbeach. *Gr.* φαλακρότης, φαλακρὸς. *Gal.* Chauveté. Chauve. *Ital.* Calvezza. Calvo.

CALX, *Arab.* Shearagi. Sehergi. Mura. Almora (*calx extincta*) *Serap. v. vult.* Al mura *ſignificare calcem vivam. Hebr.* Gir. Schid. *Gr.* τίτανος, κονία. *Gal.* Chaux. *Ital.* Calcina. Calce.

CAMPHORA, *Arab.* Dhafür. Ariage. Alefek. *Hebr.* Cofer. *Gr.* κάφουρα. *Gal.* Camphre. *Ital.* Canfora.

CANALIS, *Arab.* Gedeguil. Mugari. *Hebr.* Zinor. Schiket. Teaiah. *Gr.* σωλὴν. *Gal.* Canal. *Ital.* Canale.

CANCER, Morbus. *Ar.* Ikila. *Hebr.* Ikul. *Gr.* καρκίνωμα. *Gal* Chancre. *Ital.* Cancaro. Canchero.

CANCER, Animal. *Ar.* Acrabb. *Hebr. deeſt. Gr.* καρκῖνος. *Gal.* Ecrevice. *Ital.* Cancro.

CANINI, *Ar.* Kelbiin. *Hebr.* Calibim, *Gr.* κυνικοὶ. *Gal.* de Chien. *Ital.* Canini.

CANIS, *Arab.* Kelh. *Hebr.* Kelebh. Nibhchads. *Gr.* κύων. *Gal.* Chien, Chienne. *Ital.* Cane.

CANITIES, CANUS. *Arab.* Schib. Siboh. *Hebr.* Schebh. Schabh. *Gr.* πολιά, πολιὸς. *Gal.* Blanchiſſure des Cheveux. Chenu. Gris. Blanc. *Ital.* Canutezza. Bianco. Canuto.

CANTHARIDES. *Ar.* Dararich. Daruch. *Hebr. caret. Gr.* κανθαρίδες. *Gal.* Cantharide. *Ital.* Verme Cantarella.

CAPILLUS. *Arab.* Saar. Shar. Samaf. *Hebr.* Sear. Cenath. Revüzoth. (*plural.*) *Gr.* θρὶξ, τρίχες. *Gal.* Cheveu, (*plur.*) Cheveux. *Ital.* Capello.

CAPRA, *Arab.* As. Ans. Anſi. Maas. *Hebr.* Esh. *Gr.* αἴξ. *Gal.* Chévre. *Ital.* Capra.

CAPSA, CAPSULA. *Arab.* Oron. *Hebr.* Aron. Arggas. *Gr.* κάψα. καψάκιον. *Gal.* Coffre. Caiſſe. Caſſetin. *Ital.* Caſſa. Caſſetta.

CAPUT. *Arab.* Ras. *Hebr.* Roſch. Gulgoleth. *Gr.* κεφαλὴ. *Gal.* Tête. *Ital.* Teſta. Capo.

CARBUNCULUS. GEMMA. *Ar.* Baric. *Hebr.* Barketh. Puk. Gemur. *Gr.* ἄνθραξ. *Gal.* Eſcarboucle. Gros rubis. *Ital.* Carbonchio.

CARBUN-

CARBUNCULUS, Morbus; *Ar.* Dumel. Demenul. Maſmar. *Hebr.* Ekkedah. *Gr.* ἄνθραξ. *Gal.* Charboncle. *Ital.* Carbonchio.

CARDIACA. CARDIALGIA. *Arab.* Naquia. *Hebr.* Ziſcha. delibba. *Gr.* καρδιακή. καρδιαλγία. *Gal.* Cardialgie. Mal de cœur. *Ital.* Cardiaca. Cardialgia.

CARICÆ. *Arab.* Dibal. Armeniſi. *Hebr.* Debelah. *Gr.* ἰσχάδες. *Gal.* Figues ſéches. Figues de cabas. *Ital.* Fichi ſecchi.

CARIES. *Ar.* Suſa. *Hebr.* Racabh. Schabas. *Gr.* περίδειν. ἰνεῶς. *Gal.* Pourriture d'os. *Ital.* Caruolo. Tarlo.

CARMINATIVUS. *Arab.* Naſiſch. *Hebr. deficit. Gr.* ξαντικὸς, διαξαντικὸς. *Gal.* Carminatif. *Ital.* Scardaſſante. Spinazzante.

CARO. *Arab.* Giſm. Laham. *Hebr.* Baſar. Scheer. *Gr.* σὰρξ. κρέας. *Gal.* Chair. *Ital.* Carne.

CAROTIDES. *Arab.* Subeteni. *Hebr. deeſt. Gr.* καρωτίδες. *Gal.* Carotides. *Ital.* Carotidi.

CARPUS, *Arab.* Alkef. *Hebr.* Raſech. *Gr.* καρπὸς. *Gal.* le Poignet. *Ital.* Bracciale, Giuntura della mano.

CARTILAGO. *Arab.* Gazruf. Abadun. Zudra. *Hebr.* Schagus. Adilini, *pl.* Haſcechuſim. *Veſal. An. p.206. Gr.* χόνδρος. *Gal.* Cartilage. *Ital.* Cartilagine.

CARUS, *Arab.* Subeth. Masbat. (*æger habens carum.*) *Hebr.* Tarddemah. *Gr.* κάρος. *Gal.* Léthargie. *Ital.* Caro.

CASEUS. *Arab.* Gieben. Giaben. Gabna. Acad. *Hebr.* Gebinah. Schephoth. Cherizim. (*pl.*) *Gr.* τυρὸς. *Gal.* Fromage. *Ital.* Formaggio.

CASSIA LIGNEA. *Arab.* Seleguai. Salihacha. Chajakſandar. Caſchſchar. Alſalichach. Dakia. *Hebr.* Kidda. Keziah. *Gr.* κασσία. *Gal.* Caſſe. *Ital.* Caſſia.

CASTOREUM. *Arab.* Gien. dedeſtar. Giendibiteſtar. Gendbitaſter. Hezalmar. *Hebr. deeſt. Gr.* καστόριον. *Gal.* Caſtorée, *ou* Caſtoreum. *Ital.* Caſtorio.

CASTRATIO. CASTRATUS. *Arab.* Hikian. Chaiſi. Mochz. Mucappan. *Hebr.* Saris. Meſoras. & *in plur.* Ganchin. (*Caſtrati.*) *Gr.* ἐυνουχισμὸς, ἐυνοῦχος. *Gal.* Châtrement. Châtré. Eunuque. *Ital.* Caſtramento. Caſtrato.

CASUS, LAPSUS. *Arab.* Alnattar. Succot. Sakita. *Hebr.* Mot. Mappalah. vel Mappelah. *Gr.* πτῶσις. *Gal.* Ruine. Chute. *Ital.* Caduta. Rouina.

CASUS, *id eſt*, CONTINGENS. *Item* HISTORIA. *Arab.* Ica. *Hebr.* Kareh. Keri. Irion. Airoth. *Gr.* συμβεβηκὸς. ἱστορία. *Gal.* Cas. Aventure. *Ital.* Caſo. Auvenimento.

CATARRHUS, *Arab.* Nazla. *Hebr.* Nezilah. *Gr.* κατάῤῥος. *Gal.* Catarre. Défluxion. *Ital.* Catarro.

CATOCHE. CATALEPSIS. *Arab.* Sachos. Saccos. *Hebr. deeſt. Gr.* κατοχὴ. κατάληψις. *Gal.* Catalepſie. *Ital.* Catalepſia.

CAVA VENA. *Arab.* Anguf. *Hebr.* Hagabubh. *Gr.* κοίλη φλέψ. *Gal.* Veine cave. *Ital.* Vena cava.

CAUDA. *Arab.* Danab. Deneb. *Hebr.* Dſauabh. *Gr.* οὐρά. *Gal.* Queue. *Ital.* Coda.

CAVITAS. *Arab.* Guf. Tagvif. Chava. Chavi. Nacra. *Hebr.* Bavobh. Chalit. *Gr.* κοιλότης, κοῖλον. *Gal.* Creux. Caverne. *Ital.* Concavità. Caverna.

CAUSA. *Arab.* Sebeb. *Pl.* Asbib. *Hebr.* Sibbah. Ella. Illa. *Gr.* αἰτία, αἴτιον. *Gal.* Cauſe. Raiſon. *Ital.* Cauſa. Contagione. Ragione.

CAUSTICUM. *Arab.* Kavi. Muharic. *Hebr.* Micva. *Gr.* καυστικὸν. *Gal.* Cauſtique. *Ital.* Cauſtico.

CAUSUS, *id eſt*, FEBRIS ARDENS. *Ar.* Faricos. Harca. Hamia vel Humi muharrica. *Hebr.* Charchür. Kaddachat. Dhalkelet, à *dhalac, accenſus fuit. D.D.Faſch. Diſp. Inaug. de Cauſo cap.* 1. *Gr.* καῦσος. *Gal.* Fiévre chaude. *Ital.* Febre ardente.

CAUTERIUM. *Arab.* Ki. Mucauvi. (*Cauterizatus.*) *Hebr.* Charac. *Gr.* καυτήριον. *Gal.* Cautére. *Ital.* Cauterio.

CELERITAS. CELER. *Ar.* Zihani. Ichtelis. Chiffa. Chafif. *Hebr.* Mechera. Cal. Col. Chiſch. Chuſch. *Gr.* ταχύτης, ταχὺς. *Gal.* Légéreté. Leger. Promtitude. Promt. Viteſſe. Vite. *Ital.* Celerità. Celere. Preſtezza. Preſto.

CEPHALALGIA. *Arab.* Soda. Vaga. alras. Alchude. *Hebr.* Azbah. *Gr.* κεφαλαλγία. *Gal.* Douleur de tête. *Ital.* Cefalalgia. Dolore del capo.

CEPHALICUM MEDIC. *Arab.* Alteſum. *Hebr. deeſt*, *vel* Reaſcha, *aut* Maraſcha uſurpari poteſt. *Gr.* κεφαλικὸν. *Gal.* Céphalique. *Ital.* Cefalico.

CERA. *Arab.* Mum. Kir. *Hebr.* Donnag. *Gr.* κηρὸς. *Gal.* Cire. *Ital.* Cera.

CERATUM, vel CEROTUM, *Arab.* Zeft. *Hebr. deeſt. Gal.* κηρωτὸν. *Gal.* Cerot. *Ital.* Cerato.

CEREBELLUM, CEREBRUM. *Ar.* Damaga. Dimaga. Demag. Much. Michach. *Hebr.* ἐγκεφαλὶς. ἐγκέφαλος. *Gal.* Cervelle. Cerveau. *Ital.* Cervello picciolo. Cervello.

CEREVISIA. *Ar.* Fuca. Curmi. Foca. *Hebr. non extat. Gr.* ζῦθος. *Gal.* Cervoiſe. Biére. *Ital.* Cervoſa, bevanda.

CERUSSA, *Arab.* Siddavi. Cholcotar. Anach. Raſis Afrelegi. *Hebr.* Puch. *Gr.* ψιμύθιον. *Gal.* Ceruſe. Fard. *Ital.* Biacca.

CERVUS, *Arab.* Ail. *plur.* Ailil. Atud. *Hebr.* Ajal. *Gr.* ἔλαφος. *Gal.* Cerf. *Ital.* Cervo.

CHALYBS. *Arab.* Fuiad. *Hebr.* Nechalcheth. *Gr.* χάλυψ. *Gal.* Acier. *Ital.* Acciajo.

CHARACTER. *Arab.* Aja. Nadar. Riſam. *Hebr.* Ketem. Cacca. Navaſin. (*plur.*) *Gr.* χαρακτὴρ. *Gal.* Caractére. Signe. Forme. *Ital.* Carattere.

CHARTA. *Arab.* Varaca. Cagad. Nagid. Zhafa. *Hebr.* Megilla. Gillajon. Kelef. *Gr.* χάρτον, πάπυρος. *Gal.* Carton. Papier. *Ital.* Carta.

CHIRURGIA. CHIRURGUS. *Arab.* Gartachis. *Hebr.* Raphuat hajad Chobeſch. *Gr.* χειρουργία. χειρουργὸς. *Gal.* Chirurgie. Chirurgien. *Ital.* Chirugia. Cirurgo. Chirugico.

CHOLERA, *Ar.* Zafra. Zafravi. *Hebr.* Aromah. *Gr.* χολέρα. *Gal.* Colére. Colérique. *Ital.* Colera. Colerico.

CHORION, *Arab.* Chabas. *Hebr. deeſt. Gr.* χόριον. *Galli & Itali retinent Latinum.*

CHOROIDES, *ſeu* Retiformis, *Arab. deeſt. Hebr. dici poteſt* Sarag. Reſcher. *Gr.* χοροειδὴς. *Gal.* Fait en maniére de rezeau. *Ital.* Fatto à modo di rete.

CHRY-

CHRYSOLITHUS. *Ar. non occurrit. Hebr.* Barcket. Tharſchiſch. *Gr.* χρυσόλιθος. *Gal.* Chryſolite. *Ital.* Chriſolito.

CHYLUS, CHYLIFICATIO, *Arab. non occurrit. Hebr.* Iccul. *Gr.* χυλὸς, χύλωσις. *Gal.* Chyle. Chylification. *Ital.* Chilo. Chilificazione.

CHYMOSIS. *Ar.* Guardenigo. *Hebr. caret. Gr.* χύμωσις. *Gal. & Ital. non occurrunt.*

CIBUS. CIBARIUM. *Ar.* Macal. Makela. Matam. Dabhah. &c. *Hebr.* Okel. Makeleth. Bag. Birjah. Barut. Berot. Medſon. Zijun. &c. *Gr.* σῖτος. βρῶμα. *Gal.* Viande. *Ital.* Cibo.

CICATRIX. *Arab.* Athara. Garah. Raſam. *Hebr.* Reſem. Ruſcham. Samiah. *Gr.* οὐλή. ὠτειλή. *Gal.* Cicatrice. *Ital.* Cicatrice.

CILIA. *Arab. deficit. Hebr.* Keridſin. *Gr.* βλεφαρίδες, ὀφρύες. *Gal.* Sourcils. *Ital.* Ciglii ſopra l'occhio.

CINGULUM. *Arab.* Gabbid. Algilala. *Hebr.* Azor. Atmeth. Zerads. &c. *Gr.* Ζώνη. *Gal.* Ceinture. *Ital.* Cingolo. Centura.

CINIS, *Arab.* Kali. Gobar. Ramed. Chamad. *Hebr.* Epher. Deſchen. Kitam. *Gr.* τέφρα. σποδὸς. *Gal.* Cendre. *Ital.* Cenere.

CINNABARIS, *Ar.* Zenginfer. Uzifur. Sedech. *Hebr.* Schachar. *Gr.* κιννάβαρι. *Gal.* Cinnabre. *Ital.* Cinabrio.

CINNAMOMUM, *Ar.* Durfini. Paralfini. *Hebr.* Darzin. (*& in ſtricta ſignif.*) Kelef. *Gr.* κιννάμωμον. *Gal.* Cinnamome. *Ital.* Cinamomo. Canella.

CIRCULATIO. GYRATIO. *Arab.* Dauran. Tahlica. *Hebr.* Kafef. *Gr.* κύκλωσις. *Gal.* Circulation. Circuit du Sang. *Ital.* Giramento. Ravolgimento.

CIRCULUS. *Ar.* Halac. Mazda. *Hebr.* Chug. Mechuga. *Gr.* κύκλος. *Gal.* Cercle. *Ital.* Cerchio.

CLAMOR. *Ar.* Nida. Zajah. *Hebr.* Dſaca. Zevachah. Schua. Srhevah. *Gr.* βοὴ. κλαυγή. *Gal.* Clameur. Cri. *Ital.* Plauſo. Grido.

CLAUDICATIO. CLAUDUS. *Arab.* Vuca. Oroga. Arag. *Hebr.* Piſſcagh. Zela, Zolah. *Gr.* χαλασμὸς, χωλὸς. *Gal.* Boiteux. Boitement. Clochement. Clochepied. *Ital.* Zoppicamento. Zoppo.

CLAVICULA. *Ar.* Alchiab. Althenduc. Caab. *Hebr.* Scechem. *Gr.* κλειδίον. κλεὶς. *Gal.* Petite Clé. *It.* Chiavicina.

CLAVUS. *Ar.* Meſemar. Vatad. Maſmar. *Hebr.* Raear. *Gr.* γόμφος, ἧλος. *Gal.* Clou. *Ital.* Chiodo.

CLOACA. *Ar.* Mugari. *Hebr.* Beth gelalim. *Gr.* λύπατος. *Gal.* Latrine. Retrait. *Ital.* Neceſſario. Cacatoio.

CLYSTER. *Ar.* Mahcana. *Hebr. deficit. Gr.* κλυστὴρ, ἔνημα. *Gal.* Cliſtére. *Ital.* Criſterio.

COAGULATIO. COAGULUM. *Ar.* Acquid. Alec. Anthac. Anſhaa. *Hebr.* Kepuah. Kippaon. *Gr.* πῆξις, πητύα. *Gal.* Caillée. Figement. Caillé. *It.* Coagulazione. Taglio.

COCHLEARE. *Ar.* Maliaca. Magrafa. *Hebr.* Bagizni. *Gr.* κοχλιάριον. διδὺξ. *Gal.* Cuillier. *Ital.* Cocchiaro, Cucchiaro.

COECITAS. COECUS. *Ar.* Avar. Umi. *Hebr.* Iwaron. Iwar. Sanver. *Gr.* τυφλότης, τυφλὸς. *Gal.* Aveuglement. Aveugle. *Ital.* Cecità. Cieco.

COELESTIS. *Arab. non extat. Hebr.* Schemine. *Gr.* οὐράνιος. *Gal.* Céleſte. Du ciel. *Ital.* Celeſte.

COELUM. *Arab.* Elzama. *Hebr.* Schammaim. *Gr.* οὐρανὸς. *Gal.* Ciel. *Ital.* Cielo.

COENA. *Arab.* Aſchi. *Hebr.* Achſchemu. *Gr.* δεῖπνον. *Gal.* Souper. *Ital.* Cena.

COITUS. *Arab. non extat. Hebr.* Miſchgal. Miſchgâla. *Gr.* συνουσία. ὀχεία. *Gal.* Compagnie du mari & de la femme. Action vénérienne. *Ital.* Coito carnale.

COLICA. *Arab.* Vaga alchazira. Haida. *Hebr. deficit. Gr.* κωλική. *Gal.* Colique. *Ital.* Colica.

COLLUM. *Arab.* Ank. Cafa. *Hebr.* Garon. Zawar. *Gr.* τράχηλος. *Gal.* Col. Cou. *Ital.* Collo.

COLLYRIUM. *Ar.* Alcohol. Alcofol. Schiuf. Sief. *Hebr.* Retijah. *Gr.* κολλύριον. *Gal.* Collyre. Médicament pour les yeux. *Ital.* Collirio.

COLON, *Arab.* Chazira. *Hebr. caret. Gr.* κῶλον. *Gal.* L'inteſtin, ou grand boyau. *Ital.* Coio.

COLOR. *Arab.* Cohol. Laven. Zibag. *Hebr.* Zebhah. *Gr.* χρῶμα. *Gal.* Couleur. *Ital.* Colore.

COLUM. *Arab.* Zec. Zucuc. *Hebr.* Sanan. *Gr.* ἠθμὸς. *Gal.* Couloir. *Ital.* Colatojo.

COLUMELLA. GURGULIO, UVULA. *Ar.* Halc. *Hebr. deficit. Gr.* σταφύλη. *Gal.* Luette. *Ital.* Colonella. Campanella. Ugola.

COMA. *Ar.* Subet, & *in ſpecie*, Coma vigil, Subet aſari. *Hebr. deficit. Gr.* κῶμα. *Gal. generaliter omnis Somnus p.n. dicitur* Léthargie. *Ital.* Sonnolenza. Sonno profondo.

COMMISSURA. *Ar.* Seren. Doren. Taulif. Taciil. Rabta. *Hebr.* Debec. Chobereth. Machberet. *Gr.* συναρμογή. *Gal.* Jointure. Conjonction. *It.* Incaſtramento. Giuntura.

COMPLEXIO, *ſive* DISPOSITIO *&* NATURA, *Arab.* Tabi. Mizig. *Hebr.* Mezeg. *Gr.* κρᾶσις. συμπλοκή. *Gal.* Complexion. *Ital.* Compleſſione.

COMPOSITIO, *Ar.* Taalif. Nadm. Taabia. *Hebr.* Muakah. Tarkibah. *Græc.* σύνθεσις. *Gal.* Compoſition. *Ital.* Compoſizione.

COMPOSITUM. *Ar.* Mundam. Muallaf. *Hebr.* Murcabh. *Gr.* σύνθετον. *Gal.* Compoſé. *Ital.* Compoſto.

CONCEPTIO. CONCEPTUS. *Arab.* Habila. Haml. *Hebr.* Heron. Herajon. Maadit. Batna. *Gr.* κύησις, κύαμα. *Gal.* Conception. Conçu. *Ital.* Concezzione. Concetto.

CONDIMENTUM. *Ar.* Hanut. Tabch. *Hebr.* Recach. Chanat. Mirachet. Tebhul. *Gr.* ἄρτυμα. *Gal.* Confiture. *Ital.* Conciatura.

CONDITUM. *Arab.* Muraba. *Hebr.* Memaddema. *Gr.* κονδῖτον. *Gal.* Confit. *Ital.* Condito.

CONFECTIO. *Ar.* Maagun. *Hebr.* Recach. *Gr.* ἥδυσμα, ἄρτομα. *Gal.* Confection. Confiture. *It.* Confezzione.

CONFORTANS. *Ar.* Gabir. Miſad. *Hebr.* Michajelan. *Gr.* κρατυντικόν. *Gal.* Confortatif. *Ital.* Confortatorio.

CONGELATIO. *Arab.* Agmid. *Hebr.* Achud. *Gr.* σύμπηξις. *Gal.* Congélation. Gélement. Gelure. *Ital.* Gelamento.

CONGLUTINATIO. *Arab.* Tabcit. Talzic. *Hebr.* Debhek. *Gr.* συγκόλλησις. *Gal.* Colement. Conglutination. *Ital.* Legatura.

CONSOLIDATIO. *Ar.* Galc. *Hebr. deficit. Gr.* ὁλοκλήρωσις. *Gal.* Conſolidation. *Ital.* Raſſodatione.

CONSUETUDO. CONSUETUS. *Ar.* Manhag. Ada. (*adject.*) Maſtaaved. *Hebr.* Ajada. Davaſch. Derec. Chalaca. *Gr.* ἔθος, ἐθισμὸς, ἠθισμένος. *Gal.* Coûtume. *Ital.* Conſuetudine.

CONTAGIUM. *Arab. non extat. Hebr.* Tumcah. *Gr.* ἀπόρροια. μίασμα, συνάφεια. *Gal.* Contagion. Maladie contagieuſe. *Ital.* Contagio.

CONTENTUM. *Arab. deficit. Hebr.* Niclal. *Gr.* ἰχόμενον, *Gal.* Content. *Ital.* Contento.

CONTINUITAS. CONTINUUS. *Ar.* Tizul. (*adject.*) *Hebr.* Temida. Tamid. Mitdabek. *Gr.* συνέχεια. συνεχὴς. *Gal.* Continuité. Continu. Continuel. *Ital.* Continuità. Continuo.

CONTRACTIO. CONTRACTURA. *Arab.* Achd. Tafac. Alzemena. *Hebr.* Kehah. Kalut. *Gr.* συστολή. *Gal.* Contraction. Contract de nerfs. Accourciſſement. *Ital.* Incortazione. Incortato.

CONTUSIO. *Arab.* Rad. Murad. Sadach. *Hebr.* Holem. Mekicha. *Gr.* θλᾶσις, θλάσμα. *Gal.* Contuſion. Pilement. *Ital.* Piſtamento.

CONVULSIO. SPASMUS. *Arab.* Chalda. (*adject.*) Machlud. Taſnag. & in ſpecie Spaſmus cynicus, Chadr. *Hebr.* Kephiah. *Gr.* σπασμὸς. *Gal.* Convulſion. Spaſme. *Ital.* Spaſmo.

COR. *Arab.* Calb. *Hebr.* Lebabh. Lebh. *Gr.* καρδία. *Gal.* Cœur. *Ital.* Cuore.

CORALLIUM. *Arab.* Baſad. Beſed. Beſd. Breſilis. Lulu. Morgan. Margi. *Hebr.* Ramoth. *Gr.* κοράλλιον, κόραλλος. *Gal.* Corail. *Ital.* Corallo.

CORIUM. *Arab.* Geld. Gelde. *Hebr.* Zarad. Schalchi. Callacha. *Gr.* δέρμος. *Gal.* Cuir. Peau. *Ital.* Cojo. Cuojo.

CORNU CERVI. *Ar.* Kurru alail. *Hebr.* Keren ajal. *Gr.* ἐλαφόκερας. *Gal.* Corne de cerf. Ramure. *Ital.* Corno di Cervo.

CORPULENTUS. *Arab.* Galal. Galil. *Hebr.* Gabh. *Gr.* παχὺς μεγαλοσώματος. *Gal.* Corpulent. Charnu. *Subſt.* Corpulence. *Ital.* Corpolento. Graſſo. Corpolenza.

CORRECTIO. *Arab. non extat Hebr.* Tiraz. Tiruz. Ticcun. Toccachat. *Gr.* ἐπανόρθωσις. *Gal.* Correction. Redreſſement. *Ital.* Correzzione.

CORROSIO. *Ar* Takil. Nachar. Chaichaluf. *Hebr.* Pecheterh. *Gr.* διάβρωσις. *Gal.* Corroſion. Corroſif. *Ital.* Roduto Roſicazione.

CORRUPTIO. *Ar.* Tacharic. Taſſed. Fiſad. Faſuda. *Hebr.* Chebhel. Schachat. Jaſchah. *Gr.* φθορά. *Gal.* Corruption. *Ital.* Corruzzione.

CORTEX. *Arab.* Gieft. Cocior. Kerfe. Quiſchſchara. *Hebr.* Kelifah. Schichaphah. *Gr.* λέπος, φλοιός. *Gal.* Ecorce. Croûte. *Ital.* Scorza.

CORYZA. *Ar.* Zachema. Zukem. Tarviha. Tarcam. *Hebr. caret. Gr.* κόρυζα. *Gal.* Rhume. Catarrhe. Défluxion du cerveau. *Ital.* Catarro. Sceſa d'humore cattivo.

COS. *Ar.* Meſen. Hagar. Almeſen. *Hebr.* Miſchachan. *Gr.* ἀκόνη. *Gal.* Queux. Pierre à aiguiſer. *Ital.* Pietra d'agguzzare. Cote.

COSTA. *Arab.* Dala. *Hebr.* Zela. *Gr.* πλευρά. *Gal.* Côte. *Ital.* Coſta.

COXA. COXENDIX. *Arab.* Iſarc. Alhaſegi. Fachad. Sak. *Hebr.* Schok. Miphſaah. *Gr.* ἰσχίον. *Gal.* Cuiſſe. Hanche. *Ital.* Coſcia.

CRANIUM. *Ar.* Gumgama. Quahaf. *Hebr.* Gülgoleth. *Gr.* κρανίον. *Gal.* Crane, Os de la tête. *Ital.* Oſſo della teſta.

CRASSITIES. CRASSUS. *Arab.* Gilad. Chaſchan, *vel* Chaſchin. Chaſchuna. Choſn. *Hebr.* Abh. Abi. Maebheh. Gas. Gaſud. *Gr.* παχύτης. παχὺς. *Gal.* Epaiſſeur. Groſſeur. *Ital.* Groſſezza. Groſſo.

CREPITUS Ventris. *Arab.* Rihia. *Hebr.* Dſemorah. *Gr.* πορδή. *Gal.* Pet. *Ital.* Peto.

CRETA. *Arab.* Tafla. Torab. Tarab. *Hebr. deficit. Gr.* κιμώλια γῆ. *Gal.* de la Craye. *Ital.* Creta.

CRIBRUM. *Arab.* Crib. *Hebr.* Rebharah, Mibhar. *Gr.* κόσκινον. *Gal.* Crible. Tamis. Bluteau. *Ital.* Cribro. Crivello.

CRISIS, CRITICUS. *Arab.* Buchran. Buchrani. *Hebr.* Gebhul. *Gr.* κρίσιν, κριτικὸς. *Gal.* Jugement. Judicature. Jugé. Jour de criſe dans les maladies. *Ital.* Giudicio. Giudicatura. Giudicante.

CROCUS. *Ar.* Zardach. Zardagi. Zafran. *Hebr.* Safra. Saffran. *Gr.* κρόκος. *Gal.* Safran. *Ital.* Zafarano.

CRUDITAS. CRUDUS. *Ar.* Nei. Fag. *Hebr.* Chai. Na. *Gr.* ὠμότης, ὠμὸς. *Gal.* Crudité. Cru. *Ital.* Crudezza. Crudo.

CRURA. *Arab.* Acra. Ragla. Raglin. *Pl. Hebr.* Regel. Raglim. *Gr.* σκέλη. *Gal.* Jambes. *Ital.* Stinchi. Gambetti.

CRUSTA. *Ar.* Giſchi. *Hebr.* Karam. Kelifa. *Gr.* ἐσχάρα. *Gal.* Croûte. *Ital.* Croſta. Scorza.

CRYSTALLUS. *Ar.* Gabiſch. *Hebr.* Gaviſch. Kerah. *Gr.* κρύσταλλος. *Gal.* Criſtal. *Ital.* Criſtallo.

CUCUPHA. PILEOLUS. *Arab.* Gubbe. Molôta. *Hebr.* Peir. Coba. *Gr.* πιλίδιον. *Gal.* Coeffe. Coife. *Ital.* Capello. Capelletto.

CUCURBITULA. *Ar.* Oabel. akara. Chaelie Hagama. Higema. *Hebr.* Carna. Keſil. *Gr.* σικύα. *Gal.* Ventouſe. *Ital.* Ventoſa. Zucchetta.

CUCURBITA DESTILLATORIA. *Arab.* Cara. Chara. Harahah. *Hebr. deficit. Gr.* σικύα. *Gal.* Alembic. *Ital.* Zucca.

CULTER. *Ar.* Chidmi. Seken. *Hebr.* Sakin. Maakelet. *Gr.* μάχαιρα. *Gal.* Couteau. *Ital.* Coltello. Coltellino.

CUNEIFORMIS. *Ar.* Maſil alliziz. *Hebr. deficit. Gr.* σφηνοειδὴς. *Gal.* Fait en forme de coin. *Ital.* Conforme a cugno.

CUNEUS.

CUNEUS. *Arab.* Liziz. *Hebr.* Agûda. *Gr.* σφὴν. *Gal.* Coin. *Ital.* Cugno, Cogno.

CURA, SOLLICITUDO. *Arab.* Hamam. Hemm. Himma. Carb. *Hebr.* Belilut. Caſchaſcha. Iizfa. *Gr.* μελέτη. *Gal.* Cure. Soin. Souci. *Ital.* Cura. Penſiero. Travaglio.

CURA. CURATIO. SANATIO. *Ar.* Tadvia. Ileg. Sifa. *Hebr.* Gehah. Iehabh. Teruſa. Rifoth. Rephuah. *Gr.* θεραπεία, ἴασις. *Gal.* Cure. Guériſon. *Ital.* Curazione.

CURTUS. *Arab.* Cazir. *Hebr.* Cazar. Cazer. *Gr.* κολοβὸς. *Gal.* Court. Petit. *Ital.* Corto.

CURVUS. CURVITAS. *Ar.* Chava. Chavi. Inchine. Munchani. Mochni. Tacicaa. Mucaac. *Hebr.* Cores. Schechuach. *Gr.* καμπύλος, καμπυλότης. *Gal.* Courbé. Courbe. Courbure. *Ital.* Piegatura. Incurvatura. Piegato.

CUSPIS. *Arab.* Malchas. *Hebr.* Ibhchah. *Gr.* αἰχμὴ. *Gal.* Pointe. *Ital.* Punta.

CUTICULA. *Arab.* Gulcida. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἐπιδερμὶς. *Gal.* Petite peau. *Ital.* Pelle picciola. Coticella.

CUTIS. *Ar.* Geld. Gelde. Macala. *Hebr.* Geled. Or. *Gr.* δέρμα. *Gal.* Peau. *Ital.* Cortica. Cotenna.

CYATHUS. *Arab.* Analaſat. Keſat. *Hebr.* Kiſſeta. *Gr.* κύαθος. *Gal.* Gobelet. Coupe. *It.* Bicchiere. Gotto.

D.

DAMNUM. *Arab.* Chiſarah. *Hebr.* Nedſek. Raah. *Gr.* βλάβη, πῆμα. *Gal.* Dommage. Perte. *Ital.* Danno.

DEBILITAS. DEBILIS. *Arab.* Mashud. Teſchut. *Hebr.* Choli. Chelch. Chalaſch. *Gr.* ἀσθένεια. *Gal.* Débilité. Foibleſſe. Débile. Foible. *Ital.* Debolezza. Debità. Debole.

DECLINATIO MORBI. *Ar.* Nacs. Nekida. Alruie. Mefetet. *Hebr.* Ieridah. *Gr.* παρακμὴ. *Gal.* Déclin. Déchet des maladies. Amoindriſſement. *Ital.* Declinazione.

DECOCTIO. DECOCTUM. *Ar.* Tabcha. Mutbuch. *Hebr.* Nazid. Tabhſchila. Tufin. *Gr.* πέψις, ἕψημα. *Gal.* Décoction. *Ital.* Decozzione. Decotto.

DENIGRATIO. *Ar.* Savida Sevida. *Hebr.* Cadruth. *Gr.* μελασμὸς. *Gal.* Noirciſſure. Noirceur. *Ital.* Annegramento.

DENS. DENTES; *Arab.* Dars. *plur.* Adras; & Adaris. Dars cudumi, in *ſpecie* Dens inciſorius, *ſive anterior.* *Hebr.* Schen. *plur.* Schinaim. *Gr.* ὀδὼν, ὀδόντες. *Gal.* Dent. *plur.* Dents. *Ital.* Dente. *plur.* Denti.

DENSITAS. DENSUS. *Arab.* Ab. Abia. *Hebr.* Abh. Abhi. Maabhah. Aboth. Gas. *Gr.* πυκνότης. πυκνὸς. *Gal.* Gras. Graſſe. Epais. Epaiſſeur. *Ital.* Denſo. Denſità.

DENTIFRICIUM. *Arab.* Sunun. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὀδοντότριμμα. *Gal.* Poudre, ou autre choſe propre à frotter les dents. *Ital.* Cura-denti.

DENTISCALPIUM. *Ar.* Munacca. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὀδοντογλυφὶς. *Gal.* Curedent. *It.* Cura-denti. Scalza denti.

DENTITIO. *Ar.* Nubit. alamanan. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὀδαξισμὸς, ὀδοντίασις. *Gal.* La venue des dents. *Ital.* Dentigazione.

DEPILATIO. DEPILATORIUM. *Arab.* Tamrit. Mantuf. Alſchaar. *Hebr.* Carcha. Merut. *Gr.* ψίλωθρον. *Gal.* Dépilatoire. *Ital.* Pelamento rimedio.

DEPRESSIO; *Arab.* Alchafad. *Hebr.* Ieſchach. Ieſchaca. Nimicat. Schifla. *Gr.* ταπείνωσις. *Gal.* Dépreſſion. Preſſurée. *Ital.* Depreſſione.

DESPUMATIO, *Ar.* Tazfia. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀποαφρισμὸς. *Gal.* Action d'écumer. *Ital.* Deſpumazione.

DESQUAMMATIO, *Arab.* Taqſchira. *Hebr. deeſt.* *Gr.* ἀπολέπισις. *Gal.* Action d'écailler. *Ital.* Scagliazione. Scagliamento.

DESTILLATIO. *Ar.* Taqtir. Hatla. *Hebr.* Tencifa. Nofet. Delef. *Gr.* καταλειβὴ. *Gal.* Diſtillation. *Ital.* Deſtillazione.

DESTILLATORIA INSTRUMENTA. *Arab.* Catara. Catarat. *Hebr.* Keli hatenufa. *Gr.* ὄργανα καταςαλακτικὰ. *Gal.* Inſtrumens diſtillatoires. *Ital.* Inſtrumenti diſtillatorii.

DIÆTA. *Ar.* Tadbir. Vidi. Ratab. Tartib. *Hebr.* Nehagah. *Gr.* δίαιτα. *Gal.* Diéte. Régime de vivre. *It.* Dieta.

DIAPHRAGMA. Septum tranſverſum. *Arab. deficit.* *Hebr.* Peder. Dakim. Dakin. *Gr.* διάφραγμα. *Gal.* Diaphragme. *Ital.* Diaframma.

DIARRHOEA, *Arab.* Guri bikai. Darab. Dabaren. *Hebr. deficit.* *Gr.* διάῤῥοια. *Gal.* Flux de ventre. *Ital.* Fluſſo di ventre.

DIASTOLE. *Arab. non extat.* *Hebr.* Halpaſchter. *Gr.* διαστολή. *Gal.* Diaſtole. *Ital.* Diaſtole.

DIES. *Arab.* Iaom. Nahar. *Hebr.* Iom. *Gr.* ἡμέρα. *Gal.* Jour. *Ital.* Di. Giorno.

DIGESTIO. *Ar.* Hadma. Ihdam. Inhidam. Andaga. *Hebr.* Icul. *Gr.* ἀνάδοσις. *Gal.* Digeſtion. *Ital.* Digeſtione.

DIGESTIVUS. DIGERENS. *Arab.* Hadim. *Fœm.* Hadima. *Hebr.* Mebaſchelet. *Gr.* ἀναδοτικὸς. *Gal.* Digeſtif. *Ital.* Digeſtivo.

DIGITUS. *Arab.* Izba. *Hebr.* Ezebba. *pl.* Hezbaoth. *Gr.* δάκτυλος. *Gal.* Doigt. *Ital.* Dito.

DISJUNCTIO, *Ar.* Baad. Tabaid. *Hebr.* Machloketh. *Gr.* διάζευξις. *Gal.* Séparation. Disjonction. *Ital.* Diſgiunzione. Separazione.

DISLOCATIO. *Ar.* Fagdun. Cholah. Anchola. *Hebr.* Schemitah. *Gr.* ἐξάρθρωσις. *Gal.* Diſlocation. *Ital.* Diſlocazione. Snodazione.

DISSOLUTIO. *Arab. deficit.* *Hebr.* Niſpah. Mas. Maſa. *Gr.* διάλυσις. *Gal.* Diſſolution. *Ital.* Diſſoluzione.

DOCTOR, *Ar.* Muedib. Muhadi. Faquch. Alfachi. *Hebr.* Aluf. Rabh. *Gr.* διδάσκαλος. *Gal.* Docteur. *Ital.* Dottore.

DOLOR. *Ar.* Vaga. Alin. Alem. Anin. &c. *Hebr.* Chebel. Chil. On. Ezeb. Keeb. Macobh. Zirim. (*plur.*) *Gr.* ὀδύνη, ἄλγος, ἄλγημα. *Gal.* Douleur. *It.* Dolore. Doglia.

DORMITORIUM. *Arab.* Marcad. *Hebr.* Beth madmecah. Miſchabh. Cheder. Aliiah. *Gr.* δωμάτιον. κοίτη. *Gal.* Dortoir. *Ital.* Dormitorio.

DORSUM. *Ar.* Dahar. Zulb. *Hebr.* Gev. Gubh. Schechem. *Gr.* νῶτος. *Gal.* Dos. *Ital.* Schena.

DOSIS. *Eſt Græcum vocabulum, per ſynecdochen dici poſſet,*

poſſit, *Ar.* Cavas. *Hebr.* Cos. *Gr.* δόσις. *Gal.* & *It.* Doſe.

DRACHMA. *Arab. deficit. Hebr.* Adarbon. Darkemon. Zuz. *Gr.* δραχμή. *Gal.* Dragme. *Ital.* Dragma. Dramma.

DROPAX. *Ar.* Tanguia. Thafal. *Hebr. deficit. Gr.* δρῶπαξ. *Gal.* Dropas. *Ital.* Dropace.

DULCEDO. DULCIS. *Ar.* Gud. Gaid. Hulic. Haliut. Hali. *Hebr.* Matoc. Motek Arebh. *Gr.* γλυκύτης, γλυκύς. *Gal.* Douceur. Doux. *It.* Dolcezza. Dolcitudine. Dolce.

DYSENTERIA, *Arab.* Halfah. Zachia. Adereb. *Hebr.* Chadra. Chali. meaim. *Gr.* δυσεντερία. *Gal.* Dyſenterie. *Adj.* Dyſenterique. *Ital.* Diſenteria.

DYSPNOEA. *Ar.* Albehar. Alrabu. *Hebr. deficit. Gr.* δύσπνοια. *Gal.* Aſthme. Difficulté d'haleine. *Ital.* Difficultà di reſpirazione.

E.

ECSTASIS. *Ar.* Tamanina. Faza. Subet. Sucos. *Hebr. deficit. Gr.* ἔκστασις. *Gal.* & *Ital. deficiunt.*

ECTROPION. *Ar.* Alſathere, Xatrati. *Hebr. deficit. Gr.* ἐκτρόπιον. *Gal.* Inverſion des paupiéres. *Ital.* Riverſamento delle palpebre.

EFFECTUS. *Ar. deficit. Hebr.* Maaſeh. Maaſiat. Miphal. *Gr.* ἔργον. ἐνέργημα. *Gal.* Effet. *Ital.* Effetto.

EFFERVESCENTIA. EBULLITIO. *Ar.* Taglia. Galajen. Rahs. *Hebr.* Diceul. Nabhuga. *Gr.* Ζέσις. *Gal.* Echaufement. Bouillonnement. *Ital.* Bollimento.

EFFICACIA. *Arab.* Inquiham. *Hebr.* Coah. Tebha. *Gr.* δύναμις, ἐνέργεια. *Gal.* Efficace. Vertu. *Ital.* Sforza. Efficacia.

EFFLUVIUM. *Ar.* Mübacchor. *Hebr. non occurrit. Gr.* ἀπόῤῥοια. *Gal.* Ecoulement. *It.* Scolamento. Eſſalazione.

EFFUSIO. *Ar.* Herq. Ihtiraq. Zabb. Inzabib. *Hebr.* Schefek. Eſched. Meſchad. *Gr.* ἔκχυσις. *Gal.* Effuſion. *Ital.* Spargimento.

ELECTRUM. *Arab.* Haur. Carabe. *Hebr. deficit. Gr.* ἤλεκτρον. *Gal.* Ambre. *Ital.* Elettro.

ELECTUARIUM. *Arab.* Alguarized. Looh. Laaca. Maagun. *Hebr. deficit. Gr.* ἔκλειγμα. *Gal.* Electuaire. *Ital.* Elettuario.

ELEMENTUM. *Ar.* Uſtaaſis. Recan. (*plur.*) Arcan. *Hebr.* Ieſod. (*plur.*) Ieſodoth. *Gr.* στοιχεῖον. *Gal.* Elément. *Ital.* Elemento.

ELEPHANTIASIS. *Ar.* Hali alphil. Dialphil. *Hebr. deficit. Gr.* ἐλεφαντίασις. *Gal.* Lépre. Ladrerie. *Ital.* Lepra. Elefantia.

ELIXATIO. *Arab.* Rahs. *Hebr.* Biſchul. Baſchel. *Gr.* ἕψησις. *Gal.* Action de bouillir. *It.* Aleſſazione. Leſſazione.

ELIXIR. *Arab.* Elixir. Alexir. *Hebr. deficit. Gr.* non habetur. *Gal.* Elixir. *Ital.* Eliſſiro.

EMBAMMA. *Arab.* Dars. Darſa. Tadris. *Hebr. deficit. Gr.* ἔμβαμμα. *Gal.* Sauſſe. Saupiquet. *Ital.* Salſa. Saporetto. Guazzetto.

EMBROCHA. EMBROCATIO. *Ar.* Natula. Tantil. Non hilec. *Hebr. deeſt. Gr.* ἐμβροχή. *Gal.* Découlement goutte à goutte. *Ital.* Gocciamento.

EMOLLIENS. EMOLLITIO. *Ar.* Tartib. Marattab. *Hebr. deeſt. Gr.* μαλακτικός. μάλαξις. *Gal.* Amolliſſant. Amolliſſement. *Ital.* Mitigante. Mitigazione.

EMPIRICA. EMPIRICUS. *Ar.* Tagariba. Mugarrab. *Hebr. deeſt. Gr.* ἐμπειρία. ἐμπειρικός. *Gal.* Expérience. Empirique. *Ital.* Eſperimento. Empirico. Vide *Experientia.*

EMPLASTRUM. *Ar.* Maran. Dichen. Malzam. Admada. *Hebr.* Tealah. Tachboſchet. *Gr.* ἔμπλαστρον. *Gal.* Emplâtre. *Ital.* Empiaſtro.

EMPYEMA. *Arab.* Taquia. *Hebr. deeſt. Gr.* ἐμπύημα. *Gal.* Poſtume intérieure. *Ital.* Poſtema intrinſeco.

ENTEROCELE. *Ar.* Odra alama. *Hebr. deeſt. Gr.* ἐντεροκήλη. *Gal.* Rompure ou hernie inteſtinal. *Ital.* Rottura, Crepatura inteſtinale.

EPIALA FEBRIS. *Ar.* & *Hebr. non occurrunt. Gr.* ἠπίαλος. *Gal.* Epiale. *Ital.* Epiala.

EPICAUMA. *Arab.* Alſicume. Aufume. *Hebr. deficit. Gr.* ἐπίκαυμα. *Gal.* Embraſement. *Ital.* Bruſciamento.

EPIDEMIUS. *Arab.* & *Hebr. non occurrit. Gr.* ἐπιδήμιος. *Gal.* Epidémique. Maladie populaire. *Ital.* Epidemio.

EPIGLOTTIS. *Arab.* Galſamac. Changiar. *Hebr.* Labhtebah. Schiſiucobah. *Gr.* ἐπιγλωττίς. *Gal.* Epiglotte. Luette. *Ital.* Epiglottide.

EPILEPSIA. *Ar.* Nocta. Zara. *adject.* Mazru. *Hebr.* Caſia. Tiſul. Choli hannuſel. *Gr.* ἐπιληψία. *Gal.* Epilepſie. Mal caduc. Haut mal. *Ital.* Mal caduco.

EPITHEMA. *Arab.* Lahale. Atlia. *Hebr.* Retiah. *Gr.* ἐπίθεμα. *Gal.* Epithéme. *Ital.* Impoſto.

ERRATUM. ERROR. *Arab.* Talaf. Chata. Chatia. *Hebr.* Miſge. Chete. *Gr.* ἁμάρτημα. *Gal.* Erreur. Faute. Abus. *Ital.* Errore.

ERRHINUM. *Ar.* Alniſuchat. Alshauthat. *Gr.* ἔῤῥινον. *Gal.* Errine. *Ital.* Errino.

ERUCTATIO. *Arab.* Geben. Gaſa. *Hebr. deficit. Gr.* ἐρυγή. *Gal.* Rot. Action de roter. *It.* Rotto. Rottamento.

ERYSIPELAS. *Ar.* Maſere. Meſſire. Gedem. Hamra. *Hebr. non occurrit. Gr.* ἐρυσίπελας. *Gal.* Feu S. Antoine. Feu volant. Feu ſacré. *Ital.* Fuoco di S. Antonio.

ESSENTIA. *Arab.* Schai. Schiath. Aſchia. *Hebr.* Tuſchiah. Naviah. Hajut. Ezem. *Gr.* οὐσία. *Gal.* Eſſence. *Ital.* Eſſenza.

EVACUATIO. *Ar.* Chala. Iſtifrig. *Hebr.* Buc. Buca. Mebuca. Characa. *Gr.* κένωσις. *Gal.* Evacuation. Vuidange. *Ital.* Evacuazione.

EVAPORATIO. *Arab.* Buchar. *Hebr. deficit. Græc.* ἀναθυμίασις. *Gal.* Evaporation. *Ital.* Evaporazione.

EUEXIA. *Arab.* Tabi. Tibh. *Hebr. deeſt. Gr.* εὐεξία. *Gal.* Bon état du corps. Corps de bonne complexion. *Ital.* Buona coſtituzione. Buono habito.

EUPHORBIUM. *Arab.* Farbum. *Hebr. deficit. Gr.* εὐφόρβιον. *Gal.* Euphorbe. *Ital.* Euforbio.

EVULSIO. *Arab.* Cala. *Hebr.* Maſſach. Gazit. *Gr.* ἔκσπασις. *Gal.* Evulſion. Arrachement. *It.* Eſtirpazione.

EXCREMENTUM. *Arab.* Codora. Codora ageſed. *Hebr.* Galal. Gelel. Zeh. Tſeah. Zefiah. Pereſch. *Gr.* περίττωμα. *Gal.* Excrément. Ordure du corps. *Ital.* Eſcremento.

EXHALATIO. *Ar.* Buchar. *Hebr.* Hebel. Kitor. *Gr.* ἀναθυμίασις, ἐκθυμίασις. *Gal.* Exhalaiſon. Exhalation. *Ital.* Eſalatione.

EXPERIENTIA. EXPERIMENTUM. *Arab.* Tagrib. Tagariba. Burhan. Garaba. *Hebr.* Niſa. Niſajon. *Gr.* πεῖρα, ἐμπειρία. *Gal.* Expérience. Epreuve. *Ital.* Eſperienza. Eſperimento. Prova.

EXSANGUIS. *Arab.* Naquis aldem. *Hebr.* Chaſardam. *Gr.* ἄναιμος, λείφαιμος. *Gal.* Sans ſang. Qui n'a point de ſang. *Ital.* Eſſangue.

EXSICCANS. *Arab.* Mujabbis. Mauſchat. *Hebr.* Iabeſch. *Gr.* ξηραντικός. *Gal.* Séchant. Qui fait ſécher. *Ital.* Seccante.

EXSICCATIO. *Arab.* Iubiſa. Iubs. Debul. Niſchaf. *Hebr.* Ieboſchet. *Gal.* Séchement. Séche. Sécheresſe. *Ital.* Secca. Seccagine.

EXSPIRATIO. *Ar. deficit.* *Hebr.* Mappech. Geriah. *Gr.* ἐκπνοή. *Gal.* Exhalaiſon. Haleine. *Ital.* Eſpirazione.

EXSPUITIO. *Ar.* Badſacoh. Buſac. Antifath. *Hebr.* Rekikah. *Gr.* πτύσις. *Gal.* Crachement. *Ital.* Sputamento.

EXTENUATIO. EXTENUATUS. *Ar.* Ambaſati. Debul. Tazhul. (*adject.*) Mazhul. Taqzif. *Hebr. deficit.* *Gr.* λέπτυνσις. *Gal.* Exténuation. Amoindriſſement. Exténué. *Ital* Eſtenuazione. Eſtenuato. Indebolito.

EXTINCTIO. EXTINCTUS. *Arab.* Intifa. Itfa. Mutfi. *Hebr.* Kibhu. Kabhe. *Gr.* σβέσις. σβεννύμενος. *Gal.* Eteignement. Eteint. *Ital.* Eſtinzione. Eſtinto.

EXTRACTIO. *Arab.* Achragg. Inticad. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἐξολκή. *Gal.* Extraction. *Ital.* Eſtrazzione.

EXTRACTUM. *Arab.* Chaluz. Charrag. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἐξελχθέν. *Gal.* Extrait. *Ital.* Eſtratto.

EXULCERATIO. EXULCERATUS. *Arab.* Naquia. Munqui. Tacra. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἕλκωσις. *Gal.* Exulcération. Bleſſure. Entamure de peau. *Ital.* Impiaghatura.

F.

FACULTAS. POTENTIA. *Ar.* Taca. Cudra. *Hebr.* El. Iecolet. Coach. Harſchaah. *Gr.* δύναμις. *Gal.* Faculté. Puiſſance. Pouvoir. Force. *Ital.* Poſſanza. Facoltà.

FAMES. *Arab.* Goi. *Hebr.* Caſan. Raabh. Reabon. Sacfa. *Gr.* λιμός. *Gal.* Famine. Faim. *Ital.* Fame.

FAR. *Arab* Catnia. *Hebr. deeſt.* *Gr.* χόνδρος. Ζεία. *Gal.* Epautre. *Ital.* Farra.

FARINA. POLENTA. *Ar.* Daccic. & Daccac. Camh. *Hebr.* Kemach.Solet.Calit.Pericah. *Gr.* ἄλευρον, ἄλφιτον. *Gal.* Farine. *Ital.* Farina.

FASCIA. *Ar.* Lafafa Faiga. *Hebr.* Chitul. Chetulah. Miſgereth. *Gr.* δεσμὸς σπάργανον. *Gal.* Bande. Bandelette. *Ital.* Faſcia. Banda.

FASCINATIO FASCINUM. *Arab.* Sihr. Sahara. *Hebr.* Chaſchaph. Lachaſch. Lathaſ. Roten. *Gr.* βασκανία. βάσκανον. *Gal.* Enchantement. Sorcélerie. *Ital.* Stregaria. Stregamento.

FASTIDIUM. *Arab.* Bôgda. Beſchem. Melel. *Hebr.* Goal. Tſara. Deraon. *Gr.* ναυτία, βδέλυγμα. *Gal.* Dégoût. *Ital.* Faſtidio.

FAUCES. *Arab.* Halch. Halchu. Sahafati. Natqu. *Hebr.* Loa. Chulcus. Cheth. *Gr.* φάρυγξ. *Gal.* Gorge. *Ital.* Foce, canna della gola.

FAVILLA. *Arab.* Ramad. *Hebr.* Piach. Kidod.Zick. *Gr.* αἰθάλη. *Gal.* Flaméche. Cendre chaude. *Ital.* Favilla.

FAVUS. *Morbus & apum opificium.* *Arab.* Shud. Sahafati. Sirengi. *Hebr.* Suf. Nofet. *Gr.* κηρίον. *Gal.* Rayon de miel. *Ital.* Favo.

FEBRIS, *& eminenter ardens.* *Arab.* Humi. Humia. *Hebr.* Dalleket. Chaſchur. Caddachat. *Syr.* Eſcheta. *Gr.* πυρετός. *Gal.* Fiévre. *Ital.* Febre. Febretta.

FEMUR. *Arab.* Pachad. *Hebr.* Jarch. *Gr.* μηρός. *Gal.* Cuiſſe. *Ital.* Parte fuor della coccia.

FERMENTATIO. *Arab.* Chamar. *Hebr.* Bezeket. Chiimzach. *Gr.* Ζύμωσις. *Gal.* Fermentation. *Ital.* Levitamento. Levitazione.

FERMENTUM. *Ar.* Chamir. Chlamita. *Hebr.* Seor. *Gr.* Ζύμη. *Gal.* Levain. *Ital.* Levito. Lievito.

FERVOR. FERVIDUS. *Arab.* Taglia Gali. *Hebr.* Diceul. Retach. Ratach. *Gr.* καῦμα. ζέσις. θερμός. *Gal.* Ferveur. Fort ardent. *Ital.* Fervore. Bollente. Fervente.

FEX. FECULA. *Arab.* Dar. Dardi. Thefal. Taluch. *Hebr.* Schemer. *Gr.* τρύξ. ὑπόστασθμη. *Gal.* Lie. Fondrille. *Ital.* Feccia.

FIBRA. FIBRÆ. *Arab.* Arac. *pl.* Uruc. *Hebr.* Pethillim. Maphthilim. *Gr.* ἶν. *pl.* ἶνες. *Gal. pl.* Petits filets des nerfs. *Ital. pl.* Fili dei nervi ò nervoſi.

FIBULA. *Arab.* Bizim. *plur.* Abzam. Cabal. *plur.* Arbal. *Hebr.* Chach. Cabat. Cane hagaton. *Gr.* περόνη. *Gal.* Boucle, *ou* agraffe. In *Anat.* Os de la Jambe. *Ital.* Fibbia. Fibula.

FICUS, MORBUS. *Arab.* Albir. *Hebr. deficit.* *Gr.* σύκωσις, σῦκον. *Gal.* Fic. *Ital.* Fico.

FIRMITAS. FIRMUS. *Arab.* Amanach. Baki. Damam. Adman. Zahid. Vataca. &c. *Hebr.* Amana. Emuna. Næeman. Chezac. Jazuc. &c. *Gr.* βεβαιότης, βέβαιος. *Gal.* Fermeté. Ferme. *Ital.* Fermezza. Firmo.

FISSURA. *Arab.* Filla. Zada. *Hebr.* Bedec. Chagava. Scheſa. Arods. Schac. Schaca. *Gr.* σχίσις. σχίζα. *Gal.* Fente. Crevaſſe. *Ital.* Feſſura.

FISTULA. *Arab.* Zumara. Mazamar. Macalachar. *Hebr.* Necafa. Anbub. Chalil. *Gr.* σύριγξ. *Gal.* Fiſtule. *Ital.* Fiſtola.

FIXATIO. FIXUS. *Arab.* Irtichaz. Marcaz. *Hebr.* Kebhiah. *Gr.* πῆξις. πηκτός. *Gal.* Fixation. Fixe. *Ital.* Fiſſazione. Fiſſo.

FLAMMA. *Ar.* Lahib. Lahlaha. Lama. Marig. Sab. *Hebr.* Laabh. Lehabhab. Laebhet. Labhat. Maſſaah. *Gr.* φλόξ. *Gal.* Flamme. *Ital.* Fiamma.

FLATUS. *Arab.* Nafcha. Nafima. Roh. Rih. Riah. *Hebr.* Ruach. Neſama. Nephicha. Neſchibat. *Gr.* φύσα. πνεῦμα. *Gal.* Souffle. *Ital.* Fiato.

FLETUS. *Arab.* Buki. *Hebr.* Beki. Bekah. Demah. *Gr.* κλαυθμός. *Gal.* Pleur. Action de pleurer. *Ital.* Pianto.

FLOS. FLORES. *Ar.* Zahar. *plur.* Ahzar. (Zar atuhas. *Flos æris.*) *Hebr.* Nizanim. Perach. Ziz. *Gr.* ἄνθος. *plur.* ἄνθα. *Gal.* Fleur. Fleurs. *Ital.* Fiore. Fiori.

FLUCTUATIO. FLUCTUS. *Arab.* Haul. Haule. Ahuel. (*plur.*) Mauga. Tamuig. *Hebr.* Gal. Miſchbar. *Gr.* κλυδὼν. κύμαινσις. *Gal.* Flot. Vague. Flottement. Agitation. *Ital.* Fluttuazione. Ondeggiamento.

FLUOR. FLUXUS. *Arab.* Guri. (*v. g.* Guridem. *ſanguinis.* bikai *cum vomitu.*) Dob. Dabaren. Silan. Sil. *Hebr.* Helek. Dabh. Zobh. Zirma. Gar. *Gr.* ῥοῦς. ῥεῦμα. *Gal.* Fluxion. Coulement. *Ital.* Fluſſo.

FOETOR. FOETIDUS. *Arab.* Nachar. Natan. Nutana. Natin. Mantin. *Hebr.* Neelab. Baeſch. Boeſch. Zemora. Mac. *Gr.* δυσωδία. δυσώδης. *Gal.* Puanteur. Puant. *Ital.* Fetore. Fetido.

FOETUS. *Ar. deficit. Hebr.* Ill. Olel. Schagav. Scheger. Ober. *Gr.* τόκος, γονή. *Gal.* Fruit & portée d'une femme. *Ital.* Parto.

FOMES. *Arab.* Locſcha. *Hebr.* Schüal. *Gr.* ζώπυρον. *Gal.* Drapeau du fuſil. Allumette. *Ital.* Eſca.

FORCEPS. *Arab.* Culib. *Hebr.* Machtah. Malcacha. Zebhat. *Gr.* πυράγρα. σμίλη. *Gal.* Tenaille. Pincette. *Ital.* Tenaglia.

FORFEX. *Arab.* Machagad. Michad. *Hebr.* Miſparah. Meliachah. *Gr.* ψαλίς. τομίς. *Gal.* Ciſeau. *Ital.* Forfice.

FORMA. *Ar.* Zora. Sebeb alzori. Nava. *Hebr.* Zura. Toar. Matconet. *Gr.* μορφή. εἶδος. *Gal.* Forme. *Ital.* Forma.

FORMATIO. *Arab.* Gabla. *Hebr.* Jezira. *Gr.* πλάσις. *Gal.* Formation. *Ital.* Formazione. Fazzione.

FORNAX. *Arab.* Atun. Forn. *Hebr.* Tanur. Macben. Atun. Kibſchan. *Gr.* κάμινος. *Gal.* Fournaiſe. *Ital.* Fornace. Forno.

FRACTURA. *Arab.* Caſar. Caſra. *Hebr.* Tenua. Schebher. Miſchbar. Maſchber. Pegima. Pagma. *Gr.* κλάσμα. ἄγμα. κάταγμα. *Gal.* Fraction. Fracture. Rupture. *Ital.* Rottura.

FRIGIDITAS. FRIGUS. FRIGIDUS. *Arab.* Tabrid. Buruda. Barid. Gumid. Gemeda. Gumuda. (*adj.*) Gimid. *Hebr.* Cor. Cara. Car. Kerir. Dſinna. *Gr.* ψύχος. ψυχρός. *Gal.* Froidure. Froid. *Ital.* Freddo.

FRONS. *Arab.* Gebhe. *Hebr.* Metſach. *Gr.* μέτωπον. *Gal.* Front. *Ital.* Fronte.

FRONTALE. *Arab. deficit. Hebr.* Mitſcha. *Gr.* ὑπερμετώπιον. *Gal.* Fronteau. *Ital.* Frontale.

FRUCTUS. *Arab.* Fuache. *Hebr.* Peri. Nibh. Tenubha. *Gr.* καρπός. *Gal.* Fruit. *Ital.* Frutto.

FULIGO. *Arab.* Vaſara. Dachan. Dochen. Aſech. *Hebr.* Icrum. *Gr.* λιγνύς. αἰθάλη, καπνία. *Gal.* Suye. *Ital.* Fuliggine.

FUMUS. *Arab.* Dachan. Buchar. *Hebr.* Achan. Kitor. Calil. *Gr.* καπνός. *Gal.* Fumée. *Ital.* Fumo.

FUNGUS, Morbus, *Arab.* Fatar. Fatera. Futurati. Muqq. Hatar. Acar. *Hebr. deficit. Gr.* μύκης. *Gal.* Champignon. Potiron. *Ital.* Fongo.

FURFURES. FURFURATIO. PITYRIASIS. *Ar.* Nocale. Nacale. Alebreati. Hucha. Hucala. Cuſear. Haziz. *Hebr.* Mappal. Netec. Moz. Peſole. Dſarid. *Gr.* πίτυρον. πιτυρίασις. *Gal.* Son. Bran de farine. *Morb.* Petites ordures blanches ſur la tête. *Ital.* Cruſca. Semola.

FUROR. MANIA. *Arab.* Gienun. Gin. (Magnun. *adject.* Maniacus) Gadab. *Hebr.* Zahaph. Hebrah. Charon, &c. *Gr.* μανία. *Gal.* Fureur. Furie. Folie. *Ital.* Furore. Furia.

FURUNCULUS. DOTHIEN. *Arab.* Dumel. *plur.* Aldemenul. Demamil. *Hebr.* Tali. *Gr.* δοθιήν. *Gal.* Furoncle. Clou. *Ital.* Adronaccio.

FUSIO. LIQUATIO. *Ar.* Ihtiraq. Herq. *Hebr.* Muzaket. Muzak. Neſec. Maſſeca. Haduc. Hindica. *Gr.* χύσις. *Gal.* Fuſion. Fonderie. Action de fondre. *Ital.* Liquefazzione. Fuſione.

G.

GAGATES. *Ar.* Zabaga. Gagathi. *Hebr. deficit. Gr.* γαγάτης. γαγγίτης. *Gal.* Gagat. *Ital.* Gagate.

GALACTITES, *Ar.* Alazar almeres. Hagiar lebenic, *vel* Lebeni. *Hebr. deficit. Gr.* γαλακτίτης. *Gal.* Pierre blanche comme lait. *Ital.* Galattite.

GALBANUM. *Arab.* Chenechalbebi. Halcherina. Barzard. Bezard. Beliataligma. Hazad. &c. *Hebr.* Chelbenach. *Gr.* χαλβάνη. σταγωνίτης. *Gal.* Galbanon. *Ital.* Galbano.

GALEA. *Ar. deficit. Hebr.* Michbaah. Cobah. Culas. Maclas. Caſſida. *Gr.* κράνος, κόρυς, περικεφαλαία. *Gal.* Heaume. Caſque. *Ital.* Celata. Elmo.

GANGLION, *Arab.* & *Hebr. deficiunt. Gr.* γάγγλιον. *Gal.* & *Ital. retinetur* Ganglion. Ganglio.

GANGRÆNA. *Arab.* Ganaga. *Hebr. deficit. Gr.* γάγγραινα. *Gal.* Gangréne. Chair morte par ulcére & inflammation. *Ital.* Carne morta di una piaga.

GARGARISMUS, *Arab.* & *Hebr. deficiunt. Gr.* γαργαρισμός. *Gal.* Gargariſme. *Ital.* Gargarizamento.

GARUM. *Arab.* Muri. Scenem. Marc almalah. *Hebr. deficit. Gr.* γάρον. *Gal.* Saumure de poiſſons. *Ital.* Salamaja.

GAUDIUM. *Arab.* Farch. Farcha. *Hebr.* Simſach. Saſon. Cheduah, Alizath. *Gr.* χαρά. χάρμα. *Gal.* Joye. *Ital.* Allegrezza.

GEMMA. LAPIS PRECIOSUS. MARGARITA. *Ar.* Gauhara. *pl.* Gauhar. Gavahir. Jacuta. *pl.* Jacut. *Gr.* μαργαρίτης. *Gal.* Pierre précieuſe. *Ital.* Gemma.

GENA. MALA. MAXILLA. *Arab.* Ilgene. Chad. Lahia. *Hebr.* Lechi. Laſa. Pag. *Gr.* γένυς. γνάθος. *Gal.* Joüe. *Ital.* Guancia.

GENERATIO. *Arab.* Naſal. Gil. Dahar. Tavaruth. Con. Tacoin. *Hebr.* Dor. Moledet. Chavijah. Toleda. *Gr.* γένεσις. *Gal.* Generation. *Ital.* Generazione.

GENITALIA. PUDENDA. *Arab.* Zubub. (*ſing. Zubb. pro utroque ſexu*) Aurat. (*per antiphraſin*) Ducura. *Hebr.* Ervah.

Ervah. Mebuſchim. Pot. *Gr.* αἰδοῖα. *Gal.* Parties génitoires, honteuſes. *Ital.* Parti naturali, genitali.

GENU. *Arab.* Rocba. *pl.* Rocab. Rocbatini. *Hebr.* Berec. Arcübbah. *Gr.* γόνυ. *Gal.* Genou. *Ital.* Gionocchio.

GIALAPPA. JALAPPA. *Arab.* & *Hebr. deficit. Gr.* γιάλαππα. *Gal.* Jalap. *Ital.* Jalappa.

GIBBOSITAS. GIBBUS. GIBBOSUS. *Arab.* Hadube. Haddubi. Muhaddab. *Hebr.* Gabh.Gibben.Dabbeſchet. *Gr.* κύρτωσις, κύφωσις, κυφὸς, κυρτὸς. *Gal.* Boſſe. Boſſu. *Ital.* Gobbo.

GINGIVÆ. *Arab.* Alderazi. Algemur. Latach. *Hebr.* Chincaim. *Gr.* οὖλον, οὖλα. *Gal.* Gencive. *Ital.* Gengiva.

GLABRICIES. GLABER. *Arab.* Hali. Haloa. *Hebr.* Chilec. Chalac. Scheiuth. *Gr.* φαλακρότης, φαλακρὸς, ψιλὸς. *Gal.* Pelure. Pelé. *Ital.* Pelamento. Spelamento. Pelato. Spelato.

GLANDULA. GLANS. *Ar.* Geuze. *pl.* Geuz. Sala. Bolota. *Hebr. deficit. Gr.* ἀδὴν, βάλανος. *Gal.* Gland. Petite glande. *Ital.* Ghianda. Ghianda picciola.

GLANS PENIS. *Arab.deficit. Hebr.* Roſch hagevijah. *Gr.* βάλανος, κύτταρος. *Gal.* Tête de la Queue. *Ital.* Capezzolo della Coda.

GLAREA, GLAREALIS. *Ar.* Mahgara. Muhagar. *Hebr. deficit. Gr.* ψηφὶς, ψάμμος, ψηφίδων ἐμπλέως, ψαμμώδης. *Gal.* Gravier. Gravois. Plein de gravois. *It.* Ghiara. Ghioroſa.

GLAUCOMA. *Arab.* Zarca. *Hebr. deficit. Gr.* γλαύκωμα. *Gal.* Aveuglement. Tache en l'œil. *Ital.* Accecamento.

GLUTEN. *Arab.* Dabac. Dabc. Halc. Ilc. Giri. *Hebr.* Debhec. *Gr.* κόλλα. *Gal.* Colle. Glu. *Ital.* Colla.

GONAGRA. *Arab.* Vaga al rocba. Alm. arocbatin. *Hebr.* Chebel haberec. *Gr.* γόναγρα. *Gal.* La Goutte au genou. *Ital.* Gotta del ginocchio.

GONORRHOEA. *Ar.* Aludi. Almeracha. *Hebr.* Zebha. Zob. Mikkerehlajelab. *Gr.* γονόῤῥοια. *Gal.* Gonorrée. Flux de ſemence. *Ital.* Gonorrea.

GOSSYPIUM, *Arab.* Cotin. *Hebr.* Zemer. *Gr.* γοσσύπιον, ἐριόξυλον. *Gal.* Cotton. *Ital.* Cottone. Bombaggia.

GRANUM. *Arab.* Zara. Habbat. *Hebr.* Gargar. Peret. *Gr.* κόκκος. *Gal.* Grain. *Ital.* Grano.

GRAVEOLENTIA. GRAVEOLENS. *Arab. caret. Hebr.* Baoſch. Beoſch. Tſachanah. Namac. *Gr.* δυσωδία, δυσώδης. *Gal.* Mauvaiſe odeur. *Ital.* Puzza. Cattivo odore.

GRAVIDA. *Ar. deeſt. Hebr.* Harah. Battana. Meadjah. *Gr.* ἐγκύμων. *Gal.* Femme groſſe, enceinte. *Ital.* Gravida.

GRUMUS. GRUMESCENTIA. *Arab.* Gerf. *Pl.* Agraf. *Hebr.* Regebh. Guſch. *Gr.* θρόμβος, θρόμβωσις. *Gal.* Caillée. Caillé. *Ital.* Condenſato.

GUAIACUM. *Ar.* & *Hebr. deficiunt. Ind.* Guajacan. *Gr.* ἁγιόξυλον. *Gal.* Bois de Gayac. Bois ſaint. *Ital.* Guajaco. Legno ſanto.

GULA. ŒSOPHAGUS. *Ar.* Meri. Anhar. *Hebr.* Loach. Biliah. *Gr.* οἰσόφαγος. *Gal.* Gueule. Goſier. *It.* Gola.

GUMMI. *Arab.* Zamach. Samag. *Hebr.* Dſamag. *Gr.* κόμμι. *Gal.* Gomme. *Ital.* Gomma.

GUMMI ARABICUM. *Arab.* Samag. Alarabi. *Hebr.* Althartuc. *Gr.* κόμμι ἀραβικόν. *Gal.* Gomme Arabique. *Ital.* Gomma Arabica.

GUTTURNIUM. *Arab. deficit. Hebr.* Miſchcabh. *Gr.* ἀρύταινα, πρόχοος. *Gal.* Goutteron. *Ital.* Bacilo. Bacile.

GYPSUM. *Ar.* Gies. Gips. Gipſin. Tali. *Hebr. deficit. Gr.* γύψος. *Gal.* Gips. Plâtre. *Ital.* Geſſo. Gipſo.

H.

HÆMATITES. *Ar.* Sedenegi. Sedine. *Hebr. caret. Gr.* αἱματίτης. *Gal.* Hematite. Pierre ſanguinaire. *Ital.* Hematite.

HÆMOPTYSIS. *Arab.* Naſth aldam. Nazaf aldam. *Hebr.* Roc dam. *Gr.* αἱμόπτυσις. *Gal.* Crachement de ſang. *Ital.* Sputo di ſangue.

HÆMORRHAGIA. *Arab.* Guri dem Nazalaldem. *Hebr.* Dabh, vel Zobhdam. *Gr.* αἱμοῤῥαγία. *Gal.* Flux de ſang. *Ital.* Fluore del ſangue.

HÆMORRHOIDES. *Ar. deeſt. Hebr.* Apholim. Techorim. *Gr.* αἱμοῤῥοΐδες. *Gal.* Hémorrhoïdes. *Ital.* Hemorroide.

HALITUS. *Arab.* Naſima. Habba. *Hebr.* Neſchama. *Gr.* πνεῦμα, ἀτμὸς, ἐκπνοή. *Gal.* Haleine. *Ital.* Halito. Spirito.

HEBETUDO VISUS. *Arab.* Alſedar. Atabalbazar. *Hebr. deeſt. Gr.* ἀμβλυωπία. *Gal.* Foibleſſe. Débilité de vûe. Vûe trouble. *Ital.* Debilità del viſo.

HECTICA. *Ar.* Hami aldac. Meſelet. Mucalif. *Hebr.* Hadacia. *Gr.* ἑκτική. *Gal.* Fiévre Hectique, Etique. *Ital.* Hectica. Hettica febre.

HEPAR. JECUR. *Arab.* Kebd. Bebib. *Hebr.* Cabed. *Gr.* ἧπαρ. *Gal.* Foye. *Ital.* Fegato.

HEPATICUS. *Ar.* Makbud. Alorſingen. Siagemalace. *Hebr.deeſt. Gr.* ἡπατικός. *Gal.* Hépatique. Mal de foye. *Ital.* Fegatoſo. Mal di Fegato.

HERMAPHRODITUS. *Arab.* Chunte. *Hebr. deeſt. Gr.* ἑρμαφρόδιτος. ἀνδρόγυνος. *Gal.* Hermaphrodite. Garçon fille, qui eſt mâle & femelle. *Ital.* Ermafrodito.

HERNIA. RAMEX. *Arab.* Luſe. Buri. Odra. Adar. Nafsch. *Hebr. deficit. Gr.* κήλη. *Gal.* Rupture. Hernie. Crevure. *Ital.* Crepatura. Rottura. Ernia.

HERPES. *Ar.* Alchaichaluf. in *ſpecie* exedens. *Hebr.* Jecul (etiam *exedens.*) *Gr.* ἕρπης, & quidem ἐσθιόμενος, & ἕρπης κεγχρίας. i. e. *miliaris. Gal.* Herpete. Loup des Allemans, & Male dartre. *Ital.* Herpete. Lupo.

HIRUDO. SANGUISUGA. *Ar.* Alag. Aleca. *Hebr.* Alucah. *Gr.* βδέλλα. *Gal.* Sangſue. *Ital.* Sanguettola. Sangueſuga.

HOMO. *Arab.* & *Hebr.* Adam. *Gr.* ἄνθρωπος. *Gal.* Homme. *Ital.* Huomo.

HORROR. *Ar.* Takim. Azügub. Palazut. *Hebr.* Charadab.

radab. *Gr.* φρίκη. *Gal.* Effrayement. Frayeur. *Ital.* Horrore.

HUMECTATIO. *Ar.* Bal. Abtlal. *Hebr.* Tartibh.Ratbot. *Gr.* ὕγρανσις, ὑγρασμὸς. *Gal.* Humectation. Mouillure. Moiteur. *Ital.* Bagnamento. Inhumidità.

HUMERUS. *Ar.* Ketf. Mancab. *Hebr.* Kteph. Schebhet. *Gr.* ὦμος. *Gal.* Epaule. *Ital.* Spalla. Humero.

HUMOR. HUMIDUS. *Arab.* Chilt. Nadvah. (*plur.* Nadvit.) Munedi, (*adject.*) Rutuba. Ratab. *Hebr.*Leach. Lechah. Leſchad. Teria. Ratobh. *Gr.* ὑγρασία, ὑγρὸς, ἰκμὰς. *Gal.* Humeur. Humide. *Ital.* Humore. Humido.

HYACINTHUS. *Ar.* Jacuta, *quod etiam* Gemmam *in genere ſignificat. Hebr. deeſt. Gr.* ὑάκινθος. *Gal.* Hyacinte. *Ital.* Iacinto.

HYDATIS. AQUULA. *Ar.* Sarnac. Schernac. Aximath. *Hebr. deeſt. Gr.* ὑδάτις. *Gal.* Bourgeon, *ou* Ampoule d'eau. *Ital.* Acquetta. Broffola piena di aqua.

HYDROPS. HYDROPICUS. *Ar.* Jarcan. Muallal. Baliarcan. Haben. Naſch albatan. (*adject.*) Manfuch. *Hebr.* Nodi. Schiccu. *Gr.* ὕδρωψ. ὑδρωπικὸς. *Gal.* Hydropiſie. Hydropique. *Ital.* Hidropiſia. Hidropico.

HYEMS. *Arab.* Schiti. Schetva. *Hebr.* Kon. *Gr.* χειμὼν. *Gal.* Hyver. *Ital.* Inverno.

HYPOCHONDRIA. *Ar.*Meſemen. *Hebr.*Chomeſch. *Gr.* ὑποχόνδρια. *Gal.* Hypochondres. *Ital.* Tela, che ſta intorno al cuore.

HYPOCHONDRIACUS. *Arab.* Seraſif. *Hebr.* Chamuſch. *Gr.* ὑποχονδριακὸς. *Gal.* Hypochondriaque. *Ital. deficit.* (*Poſſet tamen uſurpari* Hippocondriaco, *ad imitationem* Hippocrita, i. e. *Hypocrita.*

I.

JASPIS. *Ar.* Hagar. Jaſpe. *Hebr.* Jàſchpe. *Gr.* ἴασπις. *Gal.* Jaſpe. *Ital.* Pietra Jaſpe. Jaſpide.

ICTERUS. ICTERITIA. *Arab.* Jarcan. *Hebr.* Jeracon. *Gr.* ἴκτερος. *Gal.* Jauniſſe. *Ital.* Itteritia. Icteritia.

ICTUS. PERCUSSIO. *Arab.* Galdah. *Hebr.* Paam. Makkeh. Maccab. *Gr.* πλῆξις, πληγὴ. *Gal.* Coup. Frappement. Action de frapper. *Ital.* Colpo. Percoſſa. Ferita.

JEJUNUM. Epitheton Inteſtini. *Arab.* Aiſain. Dſain. *Hebr. deficit. Gr.* νῆστυ. *Gal.* Jeun. *Ital.* Digiuno.

ILIA. *Arab.* Hazarti. *Hebr.* Keſalim. Daphe. *Gr.* λαγῶνες. *Gal.* Flancs. *Ital.* Fianchi.

ILIACA. ILEUS. *Arab.* Vaga almaa. *Hebr. deficit. Gr.* εἰλεὸς, εἰλιακή. *Gal.* Iliaque paſſion. *Ital.* Iliaca.

IMPETIGO. LICHEN. *Arab.* Cuba. Scere. Uſag. Haziza. *Hebr.* Chazaz. Chaziz. Jallephet. *Gr.* λειχὴν. *Gal.* Galle. Gratelle. Feu volage. *Ital.* Volatica.

IMPRÆGNATIO. *Arab.* Haml. *Hebr. deeſt. Græc.* ἐγκυμοσύνη. *Gal.* Engroſſement des femelles. *Ital.* Ingravidazione. Impregnazione.

IMPURITAS. IMPURUS. *Ar.* Chaceſa. *Hebr.*Tumcah. Tame. Tinufa. Tanuf. *Gr.* ἀκαθαρσία, ἀκάθαρτος. *Gal.* Ordure. Sâleté. Sâle. *Ital.* Sporchezza. Sporco.

INCISIO. *Ar.* Lachat. *Hebr.* Seret. Sareta. *Gr.* τομή, διαίρεσις. *Gal.* Inciſion. *Ital.* Taglio. Tagliatura.

INCRASSANS. INCRASSATIO. *Arab.* Tegill. *Hebr.* Maebheh. *Gr.* παχυντικὸν, παχυσμὸς. *Gal.* Epaiſſiſſement. *verb.* Epaiſſir. *Ital.* Ingroſſamento. Ingroſſante.

INCUBUS. EPHIALTES. *Arab.* Gatum. Chanic. Kibus. Kabus. Alantiſac. Altatum. Alcatum. &c. *Hebr.* Kabuds. *Gr.* ἐφιάλτης. *Gal.* Coche-mare. *Ital.* Incubo. Incubito.

INEDIA. *Ar.* Goi. *Hebr.deficit. Gr.* νηστεία. *Gal.* Faute de boire & de manger. *Ital.* Aſtinenza. Dieta.

INFANTIA. INFANS. *Arab.* Tofula. Tofolia. Tiſl. *Hebr.* Jancuth. Jeleth. Naar. Elem. Taph. Pirchak. *Gr.* βρέφος. *Gal.* Enfance. Enfant. *Ital.* Fanciulezza. Fanciullo. Bambino.

INFLAMMATIO. *Arab.* Tahab. Acaſus. *Hebr.* Gargur. Beherah. *Gr.* φλεγμονή. *Gal.* Inflammation. Embraſement. *Ital.* Inflammazione.

INFLATIO. *Ar.* Naſch. *Hebr. deeſt. Gr.* ἐμφύσημα. *Gal.* Inflation. Enflure. *Ital.* Infiatura. Infiazione. Gonfiamento.

INFLUXUS. *Arab.* Mazhaca. *Hebr. deficit. Gr.* ἐπίρροια. *Gal.* Influence. *Ital.* Influſſo.

INFUSIO. INFUSUM. *Ar.* Naca. Naka. Muntaca. Zabb. *Hebr.* Jetſica. Muzak. *Gr.* ἔγχυσις, ἔγχυτον. *Gal.* Infuſion. Infus. *Ital.* Infuſione. Infuſo.

INGENIUM. *Ar.* Gil. Hadâca. Chiel. *Hebr.* Sechel. Haskel. Binad. *Gr.* νοῦς. διάνοια. εὐφυΐα. *Gal.* Naturel. *Ital.* Ingegno.

INGREDIENTIA. *Arab.* Dachila. *Hebr. deficit. Gr.* εἰσερχόμενα. *Gal.* Entrants. Ingrediens. *Ital.* Entranti.

INGUEN. *Arab.* Haleb. *pl.* Halebetein. Arbut. Arbitin. *Hebr. deficit. Gr.* βουβῶνες. *Gal.* Aine. *Ital.* Inguinaglia.

INQUIETUDO. *Ar. deficit. Hebr.* Reſcha. *Gr.* ἀλυσμὸς. ἄση. *Gal.* Inquiétude. *Ital.* Inquietudine.

INSANIA. INSANUS. *Ar.* Beleh. Ebleh. Vaſuſo. Vaſuſ. *Hebr.* Schiggaon. Meſchügga. *Gr.* ἄνοια. μανία. μωρὸς. ἐμμανὴς. *Gal.* Furie. Rage. Inſenſé. Hors de ſens. *Ital.* Pazzia. Pazzo.

INSIPIDUS. INSIPIDITAS. *Arab.* Zehema. Biletib. Maſich. Miſcha (*ſubſt.*) *Hebr.* Cheſil. Nabal. Evil. *Gr.* ἄποιος. ἀποιότης. *Gal.* Qui n'a point de ſaveur. *Ital.* Senza ſapore.

INSPIRATIO. *Arab.* Taufas. Habba. *plur.* Hubub. *Hebr. deficit. Gr.* ἐμπνοὴ. *Gal.* Inſpiration. *Ital.* Inſpirazione.

INSPISSATIO. *Arab.* Tacatf. Mucattif. (*adject.*) *Hebr. deficit. Gr.* πύκνωσις. *Gal.* Epaiſſiſſement. *Ital.* Iſpeſſimento.

INSTRUMENTUM. *Ar.* Alach. *& in ſpecie Chirurgicum* Gamedui. *Hebr.* Keli. *Gr.* ὄργανον. *Gal.* Inſtrument. *Ital.* Inſtrumento.

INTEL-

INTELLECTUS, *Arab.* Binah. Aql. *Hebr.* Sechel. Haskel. *Gr.* διάνοια. *Gal.* Intellect. Entendement. *Ital.* Intelligenza. Intendimento.

INTEMPERIES. *Ar.* Ifrat. *Hebr. deficit. Gr.* ἀκρασία. *Gal.* Immodération. Intempérance. *Ital.* Immoderazione.

INTESTINUM. *Ar.* Batan. *pl.* Bavatin. Dachil. Mazran. *plur.* Mazarin. *Hebr.* Kerebh. *plur.* Kerabhim. *Gr.* ἔντερον, ἔντερα. *Gal.* Entrailles. Inteſtins. *Ital.* Entraglie. Interiori.

INUNCTIO. *Arab.* Tamarich. *Hebr. deficit. Gr.* χρίσμα. χρίσις. ἄλειμμα. *Gal.* Onction. *Ital.* Onzione. Unguento.

IRRIGATIO. *Arab. deficit. Hebr.* Zarzif. Ri. Schikú. *Gr.* ἐμβροχή. ὑδρεία. *Gal.* Arroſement. *Ital.* Adacquamento. Inacquamento.

IRRITATIO. *Ar.* Magadbah. *Hebr.* Regaz. Razga. Argzot. Naatſa. Neatſa. *Gr.* ἐρεθισμός. *Gal.* Irritation. *Ital.* Irritazione.

ISCHIATICA. ISCHIAS. *Arab.* Itq aluiſa. *Hebr.* Beebh. jajerek. Gid hannaſeh. *Gr.* ἰσχιάς, ἰσχιαδικὸς νόσος. *Gal.* Goutte ſciatique. *Ital.* Sciatica.

ISCHION. vide COXA. *Ar.* Neſaa. *Hebr.* Naſeh. Jerek. *Gr.* ἰσχίον. *Gal.* Cuiſſe. Hanche. *Ital.* Coſcia. Anca.

ISCHURIA. *Arab.* Zeiba albeule. Achia alhiraca. Ihtibes albeule. Ihtecin albeule &c. *Hebr.* Achjut halchtana. Azira haſchenim. *Gr.* ἰσχουρία. *Gal.* Iſchurie. *Ital.* Iſcuria.

JUGULARIS VENA. *Arab.* Guidem. *Hebr. deficit. Gr.* σφαγῖτις φλέψ. *Gal.* Veine de la gorge. *Ital.* Vena del gozzo, della gola.

JUGULUM. *Arab.* Lebe. *Hebr.* Zippor. *Gr.* αὐχὴν, κλεὶς, δειρή. *Gal.* Goſier. Gorge. *Ital.* Gola. Gozzo della gola.

JULEP. *Ar.* Julep. *Hebr. deficit. Gr.* ἰούλεπος. *Gal.* Julep. *Ital.* Giuleppo.

JUMENTUM. JUMENTA. *Ar.* Behime. *pl.* Beheim. *Hebr.* Beir. Cudna. *Græc.* κτῆνος. *Gal.* Bête ſervant à tirer, ou à labourer. *Ital.* Beſtiame. Beſtia da ſoma. Giumenta.

JUS. JUSCULUM. *Arab.* Marac. Mana. *fœm. Hebr.* Marac. Rathaph. *Gr.* ζωμίδιον. *Gal.* Bouillon. Potage. *Ital.* Brodo. Potaggio.

L.

LABIUM. LABRUM. *Arab.* Sopha. *Hebr.* Saphah. *Gr.* χεῖλος. *Gal.* Lévre. Lippe. *Ital.* Labbro.

LABOR. *Arab.* Chidma. Chotob. *Hebr.* Torach. *Gr.* πόνος. μόχθος. *Gal.* Labeur. Travail *Ital.* Fatica.

LABORATORIUM. OFFICINA. *Ar.* Dar. Zinaa. Hanut. *Hebr. deficit. Gr.* ἐργαστήριον. *Gal.* Ouvroir d'un Apoticaire. *Ital.* Bottega.

LAC. *Arab.* Leben. Lahan. *Hebr.* Chalaph. *Gr.* γάλα. *Gal.* Lait. *Ital.* Latte.

LAC COAGULATUM ACETOSUM. *Arab.* Raib. Rab. Maſt. Meſt. Machid. *Hebr. deficit. Gr.* ὀξύγαλα, γάλα πηκτός. *Gal.* Lait aigre. Lait caillé. Caillebote. *Ital.* Latte acetoſo, agro.

LACCA. *Arab.* Luch. Ancaſal. *Hebr. deficit. Gr.* κάγκαμον. *Gal.* Lacque. *Ital.* Lacca.

LACRYMA. *Arab.* Dama. *Hebr.* Dama. Dima. *Gr.* δάκρυον. *Gal.* Larme. *Ital.* Lagrima.

LACTANS. *Arab.* Mardaa. *Hebr.* Meneket. *Gr.* γαλακτίζουσα. *Gal.* Allaitant. *Ital.* Lattante.

LACTEUS. *Ar.* Mulabban Labani. *Hebr. deficit. Gr.* γαλακτικός. γαλακτώδης. *Gal.* Blanc comme lait. De lait. *Ital.* Di latte.

LADANUM. *Arab.* Laden. Leden. *Hebr. deficit. Gr.* λάδανον. *Gal.* Ladanum. *Ital.* Ladano.

LÆSIO. *Arab.* Garha. Mod. *Hebr.* Nezek. Chebhel. Chathal. Negâ. *Gr.* βλάβη. *Gal.* Bleſſure. *Ital.* Offeſa. Nocumento.

LAMINA. *Vide* Bractea.

LANA. *Ar.* Suf. Zuf. in *ſpecie* Lana ſuccida. Zuf hile mavil. *Hebr.* Itſemer. *Gr.* ἔριον. *Gal.* Laine. *Ital.* Lana.

LANGUOR. *Ar.* Sacam. *Hebr.* Ajephut. *Gr.* ἀσθένεια. *Gal.* Langueur. *Ital.* Languore. Languidezza.

LAPIS. *Arab.* Hagiar. Hagar. Alazar. *Hebr.* Ebhen. Chatſaz. Keph. *Gr.* λίθος. *Gal.* Pierre. *Ital.* Pietra.

LAPIS LAZULI. *Ar.* Scerbac. Lazuard. Lazivard. *Hebr. deeſt. Gr.* κύανος. *Gal.* Pierre Lazuli. *Ital.* Pietra Lazuli.

LAQUEUS. *Arab.* Arva. Habel. Machnaca. *Hebr.* Chebhel. Mokeſch. Pach. *Gr.* βρόχος. παγίς. *Gal.* Laqs. *Ital.* Laccio.

LARDUM. *Ar.* Sadif. alchanzir. Semen. *Hebr. deeſt. Gr.* ὕειον στέαρ ἢ λίπος. *Gal.* Lard. *Ital.* Lardo.

LARYNX. *Arab.* Natq. *Hebr. deeſt. Gr.* λάρυγξ. *Gal.* Gorge. *Ital.* Gozzo della gula.

LASSITUDO. *Arab.* Ajoch. Vaga. *Hebr.* Jaga. Jagia. *Gr.* κόπος. *Gal.* Lâcheté. *Ital.* Stanchezza.

LATUS. *Subſtant. Ar.* Gunb. *plur.* Agnab. Det. *plur.* Devet. *Hebr.* Jarcah. Ketef. Peah. Tſad. Tſela. &c. *Gr.* πλευρόν. *Gal.* Côté. *Ital.* Lato. Fianco.

LENIENS. LAXATIVUM. *Arab.* Melin. *Hebr.* Marpa. *Gr.* χαλαστικόν, ὑπήλατον. *Gal.* Laxatif. *Ital.* Solutivo del ventre.

LENTIGO. *Ar.* Alhadeſiab. Namaſcha. *Hebr. deficit. Gr.* φακός. *Gal.* Lentille. Tache rouſsâtre au viſage. *Ital.* Lentigine.

LEPRA. LEPROSUS. *Arab.* Baraz. Abraz. Gedem. Magdum. Garaba. Mugarrab. *Hebr.* Tſaraat. Tſara. Miſpach. *Gr.* λέπρα. *Gal.* Lépre. Ladrerie. *Ital.* Lepra. Mal di S. Lazaro.

LETHARGUS. *Arab.* Nuſien (*adject.*) Munſi. *Hebr. deficit. Gr.* λήθαργος. *Gal.* Létargie. *Ital.* Letargo.

LIBIDO. *Ar.* Zin. Techavil. *Hebr.* Zenuth. Agbah. *Gr.* λαγνεία ὁρμή. *Gal.* Volupté deſordonnée. Paillardiſe. *Ital.* Libidine. Voglia frenata. Luſſuria.

LIBRA. *Ar.* Muaſin. Miſin. Mizin. Ratal. *Hebr.* Mané, Tecal. *Gr.* λίτρα. *Gal.* Livre, poids. *Ital.* Libra.

LIEN. SPLEN. *Arab.* Tahal. *Hebr. deeſt. Gr.* σπλὴν. *Gal.* Râte. *Ital.* Milza.

LIENTERIA. *Arab.* Zalik almazarin. *Hebr.* Chalaclacoth. Chalek hameaim. *Gr.* λειεντερία. *Gal.* Flux de ventre. *Ital.* Lienteria.

LIGAMENTUM. LIGATURA. *Ar.* Hacab. Aſar. *Hebr.* Eſur. Abhac. Moſar. Ketar. *Gr.* σύνδεσμος, δεσμός. *Gal.* Lien. Liaiſon, Ligature. *Ital.* Legamento. Legatura. Legame.

LIMATURA. SCOBS. *Arab.* Baruda. Bural. *Hebr.* Neſoret. *Gr.* ῥίνημα. *Gal.* Limure. Limaille. Sciure. *Ital.* Limatura.

LINGUA. *Arab.* Liſſ. Liſna. *Hebr.* Laſchon. *Gr.* γλῶσσα, vel γλῶττα. *Gal.* Langue. *Ital.* Lingua.

LINIMENTUM. *Arab.* Latuch. Atlia. *Hebr.* Miſchchach. *Gr.* ἄλειμμα. *Gal.* Liniment. *Ital.* Onguento.

LIPOTHYMIA. ANIMI DELIQUIUM. SYNCOPE. *Arab.* Iſtifrag. *Hebr. deficit. Gr.* λειποθυμία. *Gal.* Pamoiſon. Evanouïſſement. Défaillance de cœur. *Ital.* Mancamento di cuore. Eccliſſe. Difetto.

LIPPITUDO. OPHTHALMIA. *Arab.* Umuſcha. Ramad. Guardenegi. *Hebr. deficit Gr.* ὀφθαλμία, λήμη. *Gal.* Chaſſie. Débilité de vûe. Mal des yeux. *Ital.* Lippitudine.

LIQUEFACTIO. LIQUATIO. *Ar.* Tadiib. Adiba. Dubian. Hetebet. *Hebr.* Mas. Maſa. Temes. *Gr.* τῆξις. *Gal.* Fonte. Liquation. *Ital.* Liquefazzione.

LIQUIDAMBRA. STORAX LIQUIDA. *Arab.* Miha ſaila. *Hebr. deeſt. Gr.* στύραξ. *Gal.* Styrax liquide. Liquidambre. *Ital.* Liquidambra.

LITHARGYRIUM. *Arab.* Merdaſengi. *Hebr.* Martech. Badil. *Gr.* λιθαργύριον. *Gal.* Litharge d'or, *ou* d'argent. *Ital.* Litargirio.

LUBRICITAS. LUBRICUS. *Arab.* Zalac. Zalic. Muzalic. Mulaſa. Amals. Mamlaſa. *Hebr.* Chilek. Cheleca. Chalac. *Gr.* γλισχρότης, γλισχρός. *Gal.* Grillant. Gliſſade. Gliſſement Gliſſant. *Ital.* Lubrico. Lubricità. Sdrucciolamento. Sdrucciolofo. Sbricciolofo.

LUCTA. LUCTATIO. *Ar.* Inzira. Munzara. *Hebr.* Naphtulah. *Gr.* πάλη *Gal.* Lutte. Luttement. *Ital.* Lotta Combattimento.

LUMBAGO. *Arab.* Vaga alchatin. *Hebr.* Chebel hachalazim. *Gr.* ὀσφύος ἄλγημα. *Gal.* Douleur de reins. *Ital.* Dolore de' lomb.

LUMBI. *Ar.* Chatim. Caavin. *Hebr.* Chalazim. Matenaim. *Gr.* ὀσφύες. *Gal.* Reins. *Ital.* Lombi.

LUMBRICI, VERMES. *Ar.* Caratin. Suffara. *Hebr.* Birza. Barzim. *Gr* ἕλμινθες. *Gal.* Vers. *Ital.* Vermi.

LUSCIOSUS. LUSCUS. *Arab.* Ahval. Avar. *Hebr.* Overr. *Gr.* μύωψ. *Gal.* Qui a la vûe courte. *Ital.* Loſco. Di corta viſta.

LUXATIO. *Arab.* Algaacnu. Alheven. Feqq. Facea. *Hebr.* Nacal. Naſeh. *Gr.* ἐξάρθρωσις, ὀλίσθημα. *Gal.* Diſlocation de membre. *Ital.* Snodazione. Snodato.

M.

MACERATIO. *Arab.* Bal. Abtlal. Dars. Darſa. Tadris. *Hebr.* Miſchrah. *Gr.* ὕγρανσις. *Gal.* Amolliſſement. *Ital.* Macerazione.

MACIES. MACILENTUS. *Arab.* Hazal. Tazhil. Mazhul Tacdif. Cadif. *Hebr.* Caſchah. Razah. Razi. Dalla. Dal. Patran. Patranot. *Gr.* ἰσχνότης. ἰσχνός. *Gal.* Maigreur. Maigre. *Ital.* Macilenza. Magrezza. Magro.

MACIS. *Ar.* Besbaſe. Besbeſi. Taliſafar. *Hebr. deficit. Gr.* μάκερ. *Gal.* Macis. Fleur de Muſcade. *Ital.* Macis.

MAGNES. *Arab.* Hagar. almes. Magnatis. *Hebr. deficit. Gr.* μαγνήτης. *Gal.* Aimant. *Ital.* Calamita.

MALLEOLUS. Anat. *Arab. deficit. Hebr.* Carſol. *Gr.* σφυρίον. *Gal.* Martelet. *Ital.* Martellino.

MALLEUS. *Arab.* Matraca. Daſar. *Hebr.* Halmuth. Arzob. Mappets. Pattiſch. Mepiz. &c. *Gr.* σφύρα. *Gal.* Maillet. Marteau. *Ital.* Martello.

MAMMA, MAMILLA. *Arab.* Muche. *plur.* Muchit. Thad. *pl.* Thadi. *Hebr.* Dad. Schad. Bizzi. *Gr.* θηλὴ, μαζὸς, μαστός. *Gal.* Mammelle. Teton. *Ital.* Tetta. Poppa. Poccia. Manna, Zinna.

MANCUS. MUTILUS. *Arab.* Mabtul. Mucallam. *Hebr.* Paſchig. Calut. *Gr.* πηρός. *Gal.* Manchot. *Ital.* Mancino.

MANDIBULA. MAXILLA. *Arab.* Chud. *pl.* Chudud. Lehia. Pak. *pl.* Pakin. *Hebr.* Lechi. Pak. *Gr.* γνάθος, γένυς. *Gal.* Mâchoire. *Ital.* Maſcella.

MANIPULUS. *Ar.* Bachat. Chazam. Chuzma. Chuzem. Galla. *Hebr.* Glem. Alumma. Amir. Tſachat. Comets. *Gr.* χειρόβολον, ἄμαλλα. *Gal.* Javelle. Poignée. *Ital.* Manipolo.

MANNA. *Ar.* Man. Terniabin. *Hebr.* Man. *Gr* μάννα. *Gal.* Manne de Calabre. *Ital.* Manna.

MARCHASITA. *Arab.* Marcaſita. Alruſenai. *Hebr. deficit. Gr.* μαρκασίτη. *Gal.* Marcaſite. *Ital.* Marcheſita.

MARCOR. MARCIDUS. *Arab.* Indibel. Madbul. Nachar. Indebul. Madbul. *Hebr.* Kemat. Kemit. *Gr.* μαρασμὸς, μαρασμώδης. *Gal.* Maigreur. Maigre. *Ital.* Magrezza. Magro.

MARGARITA. *Arab.* Gauhara. *pl.* Gavahir. Darra. Jacuta. Jacut. *Hebr.* Peninim. Marganit. *Gr.* μαργαρίτης. *Gal.* Perle. *Ital.* Perla.

MASSA. *Arab.* Gabla. Agn. Agne. *Hebr.* Bazek. Molem. Muſch. Kikkar. *Gr.* μάζα. *Gal.* Maſſe. *Ital.* Maſſa.

MASTICATIO. *Arab.* Magd. *Hebr.* Leiſah. *Græc.* μάσησις. *Gal.* Maſtication. *Ital.* Maſticazione.

MASTIX. MASTICHE. *Arab.* Maſtiche. *Hebr.* Lot. Lut. *Gr.* μαστίχη. *Gal.* Maſtic. *Ital.* Maſtica.

MATERIA. *Arab.* Gabla. Madad. Mida. *Hebr.* Chomer. *Gr.* ὕλη. *Gal.* Matiére. *Ital.* Materia.

MATRIX. UTERUS. *Ar.* Ziſac. Cis. Ruham. *Hebr.* Rechem. Maſchper. Em. Harah. *Gr.* μήτρα. *Gal.* Matrice. *Ital.* Matrice.

MATURATIO. *Arab.* Alandaga. *Hebr.* Biſchul. *Gr.* πεπασμός. *Gal.* Maturation. *Ital.* Maturezza.

MEATUS. *Arab.* Bartac. Magarl. Manſad. *Hebr.* Nacabh. Rachat. *Gr.* πόρος. *Gal.* Veine. Paſſage. Iſſue. *Ital.* Meato. Poro.

MECHOACANNA. *Arab.* Mechoacan. *Hebr. deficit.* *Gr.* μηχοακάννη. *Gal.* Mechoacan. *Ital.* Mechoacanna.

MEDIASTINUM. *Arab. deficit.* *Hebr.* Rakim. *Gr.* μεσοτύχιον. *Gal.* Médiaſtin. *Ital.* Mediaſtino.

MEDICAMENTUM, REMEDIUM. *Ar.* Devi. *pl.* Advia. *Hebr.* Aruca. *Gr.* φάρμακον. *Gal.* Médicament. Médecine. *Ital.* Medicamento.

MEDICINA. *Ar.* Tadvia. Tab. *Hebr.* Aſut. Aſia. Schipha. Rephuah. *Gr.* ἴασις, ἰατρική. *Gal.* Médecine. *Ital.* Medicina.

MEDICUS. *Ar.* Mudevi. Tabib. *pl.* Atibbe. Alfachi. Saſi. *Hebr.* Aſe. Meaſſe. Ropheh. Schaphi. *Gr.* ἰατρός. *Gal.* Médecin. *Ital.* Medico.

MEDIUM. *Ar.* Haſa. Vaſat. Tavaſit. Naſif. *Hebr.* Tavec. Chazi. Mecheza. Kerebeth. *Gr.* μέσον. *Gal.* Milieu. Moyen. *Ital.* Mezzo.

MEDULLA. *Arab.* Moch. Much. *Hebr.* Moach. *Gr.* μυελός. *Gal.* Moüelle. *Ital.* Midolla.

MEL. *Ar.* Aſel. Karatan. Alces. *Syr. Hebr.* Debhaſch. *Gr.* μέλι. *Gal.* Miel. *Ital.* Miele.

MELANCHOLIA. MELANCHOLICUS. *Arab.* Sevid. Seudi. *adj.* Seudavi. *Hebr. deficit.* *Gr.* μελαγχολία, μελαγχολικός. *Gal.* Mélancholie. Mélancholique. *Ital.* Maninconia. Malinconia. Malinconico.

MEMBRANA. *Arab.* Race. *Hebr.* Keleph. *Gr.* ὑμήν. *Gal.* Membrane. Petite peau. *Ital.* Membrana.

MEMBRUM. *Ar.* Ucde. Quatra. *Hebr* Hadam. Netach. *Gr.* μέλος. *Gal* Membre. *Ital.* Membro.

MEMORIA. *Arab.* Dihen. Dihn. Hifd. Ilthem. *Hebr.* Zicron. Zicaron. *Gr.* μνήμη. *Gal.* Mémoire. *Ital.* Memoria.

MENSTRUUM. *Ar.* Hayda. Niz. *Hebr.* Nidda. Vaſat. Sautha. Richuc. Subhan. *Gr* ἐμμήνια, καταμήνια. *Gal.* Menſtrue. Fleurs ou Mois des femmes. *Ital.* Menſtruo, fluſſo di ſangue delle donne.

MENSURA. *Ar.* Kil. Maſah. *Hebr.* Medad. Midda. Madon. Saſſeah. Meſurah. *Gr.* μέτρον. *Gal.* Meſure. *Ital.* Miſura.

MENTAGRA. *Arab.* Haziza ſal lahia. *Hebr.* Hazaz. *Gr.* μεντάγρα. *Gal.* Dartre. *Ital.* Volatica.

MENTUM. *Ar.* Dacan. Lahiah. *Hebr.* Lechi. Sapham. *Gr.* γένειον. *Gal.* Menton. *Ital.* Mento. Barboccio.

MERCURIUS. *Vide* ARGENTUM VIVUM. *Arab.* Cattab. *Hebr.* Cocabh. *Gr.* ἑρμῆς. *Gal.* Mercure. *Ital.* Mercurio.

MERIDIES. *Arab.* Vaſit. al nahar. *Hebr.* Tzahoraim. *Gr.* μεσημβρία. *Gal.* Midi. *Ital.* Mezzodi.

MESENTERIUM. *Arab.* Marhard. Maraad. *Hebr.* Sebhacat. *Gr.* μεσεντέριον. *Gal.* Méſentére. *Ital.* Meſenterio.

METACARPUS. *Ar.* Alſelanaut. *Hebr.* Maſrech caph hajad. *Gr.* μετακάρπιον. στῆθος χειρός. *Gal.* Dos de la main. *Ital.* Doſſo della mano.

MINIUM. *Arab.* Afrengi. *Hebr. deficit.* *Gr.* μίλτος. *Gal.* Vermillon. *Ital.* Minio.

MORBILLI. *Ar.* Alureſchin. Haſaſin. Algidra. Alhasba. Foreſt. *l.* 6. *Obſ.* 41. *Schol. Hebr.* Chazabim. *Gr.* ἐξανθήματα ἐρυθρά. *Gal.* Rougeole. *Ital.* Roſſettoli.

MORBUS. *Ar.* Dil. Caaba. Marad. *pl.* Amrad. *Hebr.* Chali. Machalat. Carah. Caran. &c. *Gr.* νόσος. νόσημα. *Gal.* Maladie. *Ital.* Malatia. Male. Morbo.

MORS. *Arab.* Maut. Mita. Fani. *Hebr.* Mavet. Mut. Met. &c. *Gr.* θάνατος. *Gal.* Mort. *Ital.* Morte.

MORSULI. *Arab.* Lezmit. *Hebr.* & *Gr. deficit.* *Gal.* Morceaux. Tablettes. *Ital.* Tavoletti.

MORSUS. *Ar.* Maldug. Lezma. Naſchab. Had. Hadah. Maad. *Hebr.* Neſchek. *Gr.* δῆξις. δῆγμα. *Gal.* Morſure. *Ital.* Morſo.

MORTARIUM. *Ar.* Haven. Maharas. Caſan. *Hebr.* Metocah. Macteſch. Aſitah. *Gr.* ὅλμος, ἴγδη. *Gal.* Mortier. *Ital.* Mortaro.

MOSCHUS. *Ar.* Moſch. Mech. *Hebr.* Boſem. Beſem. Beſam. *Gr.* μόσχος. *Gal.* Muſc. *Ital.* Muſchio.

MUCILAGO. *Ar.* Lahab. *Hebr.* Rir. *Gr.* μύξα. *Gal.* Mucilage. *Ital.* Mucilagine.

MUCOR. *Arab.* Chamg. Afin. Afuna. *Hebr.* Iphuſch. *Gr.* εὐρώς, ἀυχμός. *Gal.* Moiſiſſure. *Ital.* Muffa.

MUCRONATUS. *Arab.* Alchangiri. *Hebr.* Exem bedelii rachaibh. *Gr.* ξιφοειδής. *Gal.* Aigu ou formé comme une épée. *Ital.* Come una Spada.

MUCUS. *Ar.* Maihta. Moq. *Hebr.* Nija. Rir. *Gr.* μύξα. *Gal.* Morve. Excrément ſortant du nez. *Ital.* Moccolo.

MULIER. MULIERIS. *Arab.* Niſivi. Niſi. *Hebr.* Iſcha. *Gr.* γυνή. γυναικεῖος. *Gal.* Femme. De femme. *Ital.* Femina. Donna. Di femina.

MULSUM. *Arab.* Antabad. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὑδρόμελι, aliis οἰνόμελι. *Gal.* Vin miellé. *Ital.* Acqua melata. Vino melato.

MUMIA. *Arab.* Mumiai. *Hebr.* & *Gr. deficiunt.* *Gal.* Momie. Mumie. *Ital.* Mumia.

MURIA. *Arab.* Muri. Marc almalah. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἅλμη. *Gal.* Saumure. *Ital.* Muria. Sala mora.

MUSCULUS. *Ar.* Mulch. *plur.* Amlach. Adlah. *Hebr. deficit.* *Gr.* μῦς. *Gal.* Muſcle. *Ital.* Muſcolo.

MUSTUM. *Arab.* Moſtar. Aſira. *Hebr.* Tiroſch. Aſis. *Gr.* γλεῦκος. *Gal.* Moût. *Ital.* Moſto.

MUTATIO. *Ar.* Abdil. Tabdil. *Hebr.* Chaliphah. *Gr.* μεταβολή. μεταλλαγή. *Gal.* Changement. *Ital.* Mutamento. Mutazione.

MYROBALANI. *Arab.* Dulegi. Bendelegi. *Hebr. deficit.* *Gr.* μυροβάλανοι. *Gal.* Myrobalans. *Ital.* Mirobalani.

MYRRHA. *Ar.* Mura. Mor. *Hebr.* Mor. *Gr.* σμύρνα. *Gal.* Mirrhe. *Ital.* Mirra.

MYSTAX. *Arab. dici poteſt* Dacan. *Hebr.* Sapam. Gr.

Gr. μύσαξ πρoπωγώνιον. Gal. Mouſtache. Ital. Baſetto. Barbocci.

N.

NAPHTHA. Ar. Naft. Hebr. deficit. Gr. νάφθα. Gal. Naphthe. Ital. Bitume.

NARCOTICUM. STUPEFACIENS. Arab. Michdar. Hebr. deficit. Gr. ναρκωτικὸν. Gal. Narcotique. Ital. Narcotico.

NASUS. NARES. Ar. Mancbar. pl. Mancharin. Hebr. Aph. Negirim. Chotem. Gr. ῥὶν, ῥῖνες. Gal. Nez. Narines. Ital. Naſo. Narice.

NATES. Arab. Aijatin. Liatin. Maciada. Hebr. Schet. Iggabhot. Gr. γλουτοὶ. Gal. Feſſes. Ital. Natiche.

NATURA. Arab. Geuhar Tabi. Gariza. Hebr. deeſt. Gr. φύσις. Gal. Nature. Ital. Natura.

NATURALIS. Arab. Tabai. Garizi. Hebr. deeſt. Gr. φυσικὸς. Gal. Naturel. Ital. Naturale.

NAUSEA. Ar. Zarà. Chobal. Beſchem. Cudd. Tachmach. Hebr. Zara. Mazor. Baſchem. Deraon. Gr. ναυτία. Gal. Envie de vomir. Dégoût. Ital. Nauſea. Inclinazione a vomito.

NEPHRITIS. Arab. Vaga alkelitin. Hebr. deeſt. Gr. νεφρῖτις. Gal. Mal ou douleur des reins. Ital. Dolore di reni. Nefritide.

NERVUS. Arab. Vatar. plur. Autar. Atſab. Hebr. Etſeb. Metar. plur. Metarim. Gid. Gr. νεῦρον. Gal. Nerf. Ital. Nervo.

NEUTRUM. NEUTER. Ar. Lazmum. Hebr. deficit. Gr. οὐδέτερος. Gal. Ni l'un ni l'autre. Ital. Neutrale. Ne l'uno ne l'altro.

NITRUM. Ar. Baurach. Malh. Barud. Hebr. Nether. Gr. νίτρον, λίτρον. Gal. Nitre. Salpêtre. Ital. Salnitro. Salpietra.

NOVACULA. Ar. Sifra. Hebr. Maſpar. Taar. Morah. Izmel. Gr. ξυρὸς. Gal. Raſoir. Ital. Raſoio.

NOX. Ar. Leile. Hebr. Lail. Gr. νὺξ. Gal. Nuit. Ital. Notte.

NUTRITIO. Arab. Tagdia. Hebr. Tarbia. Amenah. Amanah. Gr. θρέψις. Gal. Nourriture. Ital. Nutrimento.

NUTRIX. Ar. Nena. Rabbaia. Mardaa. Hebr. Omeneth. Meneketh. Gr. θηλάστρια. τιτθή. Gal. Nourrice. Ital. Nutrice. Nena.

NYCTALOPIA. Ar. Gifiha. Algihar. Alchar. Hebr. deficit. Gr. νυκταλωπία. Gal. & Ital. deficiunt.

O.

OBESITAS. OBESUS. Arab. Bari. Gilad. Galid. Hebr. Abah. Abhih. Maabheh. Taphaſch. Græc. πιότης. Gal. Graiſſe. Gras. Rengé. Ital. Graſſezza. Graſſo.

OBSTIPITAS. OBSTIPUS. Arab. Mudellibiraſ. Hebr. deeſt. Græc. καπάστροφις. Gal. Courbure. Courbé. Qui a la tête de travers, le cou tors. Ital. Storto di collo.

OBSTRUCTIO. OPPILATIO. Arab. Schidda. Tacah. Hebr. deficit. Gr. ἔμφραξις. Gal. Bouchement. Obſtruction. Opilation. Ital. Opilazione.

OCCIPUT. Arab. Alchafa. Cnamudue. Hebr. Oreph. Os occipitis. Ezemhaoreth. Gr. ἴνιον. Gal. Le derriére de la tête. Ital. Occipitio.

OCULUS. Arab. Bizar. plur. Abzar. Ajin. Hebr. Aijn. Gr. ὀφθαλμὸς. Gal. Oeil. plur. Yeux. Ital. Occhio.

ODOR. Arab. Buhar. Tib. Facha. Raiha. Hebr. Reah. Zeker. Gr. ὀσμή. Gal. Odeur. Ital. Odore.

ODORAMENTUM. Arab. Atara. Schemumat. Hebr. Baſam. Beſem. Gr. ὄσφρημα. Gal. Odeur. Parfum. Ital. Odoramento.

ODORATUS. OLFACTUS. Arab. Scham. Hebr. Reah. Gr. ὄσφρησις. Gal. Odorat. Ital. Odorato.

OEDEMA. Arab. Undimia. Trehel. Hebr. deeſt. Gr. οἴδημα. Gal. Enflure phlegmatique. Ital. Enfiatura flemmatica.

OLEUM. Arab. Dun. Den. Hebr. Jizher. Schemen. Meſcha. Gr. ἔλαιον. Gal. Huile. Ital. Oglio.

OMENTUM. Arab. Zirbus. Zorab. Hebr. Chelebh. Mecaſſe. Gr. ἐπίπλοον. Gal. Coife qui couvre les inteſtins. Ital. Zirbo.

OPHTHALMIA. Arab. Afluen. Guardenigi. Ramad. Hebr. Kezira. Gr. ὀφθαλμία. Gal. Maladie des yeux. Ital. Lippitudine.

OPIUM. Arab. Offien. Afiun. Marcad. Hebr. Ofi. Gr. ὄπιον. μηκώνειον. Gal. Suc de pavot. Ital. Opio.

OPOBALSAMUM. Arab. deficit. Hebr. Zeri. Zarah. Gr. ὀποβάλσαμον. Gal. Opobalſame. Suc du Baume. Ital. Opobalſamo.

ORIFICIUM. OS, ORIS. Ar. Ducm. Ducam. Fe. Hebr. Phe. Phi. Pum. Adi. Gr. στόμα. Gal. Orifice. Embouchure. Bouche. Ital. Bocca.

ORIFICIUM VENTRICULI. Arab. Ducam almiede. Hebr. Pe hagagon. Pum habetem. Gr. στόμα τῆς κοιλίας; eſtque duplex, στόμαχος, & πυλωρὸς. Gal. Orifice de l'eſtomac. Ital. Bocca dello ſtomacho.

OS. OSSIS. Ar. Anamel. Anemel. Adam. Hebr. Gerem. Etſem. Gr. ὀστέον. Gal. Os. Ital. Oſſo.

OS SACRUM. Ar. Hadam alhagiazi. Alhavis. Hebr. deficit. Gr. ὀστέον ἱερὸν. Gal. Os ſacré, ſaint. Ital. Oſſo ſacro.

OVUM. Ar. Beid. Baid. plur. Alde. Hebr. Betſa. Betſim. Gr. ᾠὸν. Gal. Oeuf. Ital. Ovo.

OXYMEL. Ar. Scheniabin. Hebr. deficit. Gr. ὀξύμελι. Gal. Oxymel. Ital. idem.

P.

PALATUM. Ar. Chanq. Halc. Natque. Hebr. Chek. Malcochaim. Magier. Gr. ὑπερῷον. Gal. Palais de la bouche. Ital. Palato della bocca.

PALINDROMIA. Arab. & Hebr. deficiunt. Græc. παλινδρομία. Gal. Palindromie. Ital. Palindromia. Ritorno degli umori.

PALLOR. PALLIDUS. Arab. Bilaleun. Nihula. Nahil.

Nahil. *Hebr.* Jeracon. *Gr.* ὠχρὸς. *Gal.* Pâleur. Pâle. *Ital.* Pallidezza. Pallido.

PALPEBRÆ. *Arab.* Agſin. *Hebr.* Aphaphaim. Ichemüroth. *Græc.* βλέφαρα. *Gal.* Paupiéres. *Ital.* Palpebre.

PALPITATIO. *Arab.* Alucbe. Ichtelig. *Hebr. deficit.* *Gr.* παλμὸς. *Gal.* Palpitation. Treſſaillement du cœur. *Ital.* Palpitazione.

PANARITIUM. REDUVIA. *Arab.* Dahaſas. Dagga. Abuhalac. *Hebr. deficit.* *Gr.* παρωνυχία. *Gal.* Panaris. *Ital.* Panariccia.

PANCREAS. *Arab.* Pancharas. Encharas. *Hebr.* Totereth. *Gr.* πάγκρεας. *Gal.* Pancreas. *Ital.* Pancreate.

PANDICULATIO. *Arab. deficit.* *Hebr.* Gichuk. *Gr.* σκορδινισμὸς. *Gal.* Baaillement, lors qu'on étend les bras & tout le corps. *Ital.* Diſtirarſi. Diſtenderſi.

PAPILLA. *Arab.* Muchaicha. Dharah. *Hebr.* Pitmu. Patmat. *Gr.* θήλη. *Gal.* Bout de la mammelle. *Ital.* Capezzuelo della poccia, mammella.

PARACENTESIS. PERFORATIO. *Ar.* Bat. Batâ. Tucbah. *Hebr.* Tucbah. *Gr.* παρακέντησις. *Gal.* Paracentéſie. *Ital.* Paracenteſia. Forazione con la trivella. Sbucazione.

PARALYSIS. *Arab.* Butlan. Lacvach. Lacua. Alzamene. *Hebr.* Palig. Pilug. *Gr.* παράλυσις, πάρεσις. *Gal.* Paralyſie. *Ital.* Paraliſia.

PAROTIS, *Arab.* Vaga albadani. Fugille. *Hebr. deficit.* *Gr.* παρῶτις. *Gal.* Apoſtume qui vient aux oreilles. *Ital.* Poſtema dietro d'orecchia.

PAROXYSMUS, *Arab.* Neuba. *Hebr.* Onah. *Gr.* παροξυσμὸς. *Gal.* Accès de maladie. Paroxiſme. *Ital.* Paroſſiſmo. Accreſcimento. Acerbazione.

PARS. *Arab.* Gihe. *Hebr.* Chelc. Chelca. *Gr.* μέρος, μόριον. *Gal.* Part. *Ital.* Parte.

PARTUS, *Arab.* Tavalid. Mavlad. Muchuzah. Nafas. *Hebr.* Ledah. *Græc.* τόκος. *Gal.* Enfantement. *Ital.* Parto.

PASSIO, *Arab.* Alm. Inſial. *Hebr.* Hiphaalut. Chaſchaſcha. *Gr.* πάθος. πάθημα. *Gal.* Paſſion. *Ital.* Paſſione.

PASSULÆ. *Arab.* Zibib. *Hebr. deficit.* *Gr.* σταφίδες. *Gal.* Paſſules. *Ital.* Uva paſſa. Zibibo.

PASTILLUS. TROCHISCUS. *Arab.* Areſſatu. Caraz. *Hebr. deficit.* *Gr.* τροχίσκος. *Gal.* Trochiſque. *Ital.* Paſtella. Paſtillo.

PATELLA, *Arab.* Alraſaſe. Alreſſatu. Raſga. Radafah. *Hebr.* Heyn au maghen haharcuba. *Gr.* μύλη. *Gal.* Palette du genou. *Ital.* Padella.

PECTUS, *Arab.* Zadar. Alcas. *Hebr.* Chadi. Chadio. Chazech. Naah. Jenaah. *Gr.* στῆθος. *Gal.* Poitrine. *Ital.* Petto.

PELLIS. CUTIS, *Arab.* Giela. Gelde. Geld. Chabi. Quiſchſchara. *Hebr.* Gelad. Or. Dac. Doc. &c. *Gr.* δέρμα. *Gal.* Peau. *Ital.* Pelle.

PENIS, MEMBRUM VIRILE, *Arab.* Dacar. Deneb. *Hebr.* Gid. Ammah. Schapheca. Zanah. *Gr.* κέρκος. *Gal.* Verge de l'homme. *Ital.* Coda. Cazzo.

PERIPNEUMONIA. *Arab.* Det alriah. Itrif. Soſati. Birſen. Ghajana. *Hebr. deficit.* *Gr.* περιπνευμονία. *Gal.* Péripneumonie. Inflammation des poulmons. *Ital.* Peripneumonia.

PERITONÆUM. *Arab.* Siphac. Berbetinem. Beriteron. *Hebr. deeſt.* *Gr.* περιτόναιον. *Gal.* Péritonée. *Ital.* Peritoneo.

PES. PEDES. *Arab.* Kiarach. Kadam. Ragla. Raglin. Sak. Sakin. *Hebr.* Regel. Peamim. *Gr.* πȣ̃ς. πόδες. *Gal.* Pied. Pieds. *Ital.* Piede. Piedi.

PESSUS. PESSARIUM, *Ar. deficit.* *Hebr.* Cophal. Manul. Abbar. *Gr.* πεσσὸς. *Gal.* Peſſaire. *Ital.* Chiaviſtello. Peſſario.

PESTIS. PESTILENTIA. *Arab.* Barathien. Alencatan. Itrama. Vabi. Maut. Mita. *Hebr.* Deber. Mevet. Negaph. Kereph. Katoph. *Gr.* λοιμὸς. *Gal.* Peſte. *Ital.* Peſte. Peſtilenza.

PESTILENS, *Ar.* Vabij. Maſmam. Mufaſſida. *Hebr.* Dibri. *Gr.* λοιμώδης. *Gal.* Peſtilentieux. *Ital.* Peſtilente.

PETECHIÆ, *Arab.* Alutelchin. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἐξανθήματα λοιμώδη. *Gal.* Macules Peſtilentielles. *Ital.* Petechie. Macchie peſtilentiali.

PETROLEUM, *Arab.* Naſth. *Hebr. deficit.* *Gr.* πετρέλαιον. *Gal.* Huile de pierre. *Ital.* Petroglio.

PHAGEDÆNA. *Ar.* Ikila. *Hebr.* Icul. *Gr.* φαγέδαινα. *Gal.* Sorte d'ulcére. Farſin. *Ital.* Fagedena.

PHARMACOPOEUM, PHARMACOPOLIUM, *Arab.* Maagena. Maagin. *Hebr. deficit.* *Gr.* φαρμακοπώλειον. *Gal.* Boutique d'Apoticaire. *Ital.* Bottega di Speciale.

PHARMACOPOLA, *Arab.* Aggin. *Hebr. deficit.* *Gr.* φαρμακοπώλης. *Gal.* Apoticaire. *Ital.* Speciale.

PHILTRUM, *Arab.* Sihr. Sahara. *Hebr. deeſt.* *Gr.* φίλτρον. *Gal.* Philtre. Poiſon pour faire aimer. Breuvage d'amour. *Ital.* Veleno per farſi amare.

PHLEBOTOMIA. VENÆSECTIO. *Arab.* Bazag. Fazd. *Hebr.* Hecazah. *Gr.* φλεβοτομία. *Gal.* Saignée. *Ital.* Sanguigna.

PHLEBOTOMUS, *Arab.* Mibazag. Fazzad. *Hebr.* Kizai. *Gr.* φλεβότομος. *Gal.* Lancette. *Ital.* Lancetta.

PHLEGMA. PITUITA, *Arab.* Cham. *Hebr.* Lebhanah. *Gr.* φλέγμα. *Gal.* Phlegme. *Ital.* Flemma.

PHLEGMAGOGUM, *Arab.* & *Hebr. deficiunt.* *Gr.* φλεγμαγωγὸν. *Gal.* Phlegmagogue. *Ital.* Flemmagogo.

PHOENIGMUS. *Arab.* Ahmar. *Hebr. deficit.* *Gr.* φοινιγμὸς. *Gal.* Faire rouge. *Ital.* Fare roſſo.

PHRENITIS. *Arab.* Birſen. Sirſen. Carabitus. *Hebr. deficit.* *Gr.* φρενῖτις. *Gal.* Phrénéſie. *Ital.* Freneſia.

PHTHIRIASIS MORBUS PEDICULARIS. *Arab.* Camla. Mucammal. Kimlin. *Hebr. deficit.* *Gr.* φθειρίασις. *Gal.* Maladie pédiculaire. *Ital.* Pidocchioſità.

PHTHISIS. PHTHISICUS. *Arab.* Zell. Mazlul. Sall. Maſſul. Illat aſſel. Alil aſſel. *Hebr.* Tſimec. Schachaph.

chaph. *Gr.* φθίσις. *Gal.* Phthiſie. Ulcération des poulmons. *Ital.* Tiſichezza. Tiſico.

PIA MATER. *Ar.* Maſchimi. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὑμὴν λεπτός. *Gal.* Membrane mince du cerveau. *Ital.* Pia Madre.

PILULÆ. *Arab.* Habbat. *Hebr. deficit.* *Gr.* καταπότια. *Gal.* Pilules. *Ital.* Pilole.

PILUS. *Ar.* Vabra. Saar. *Hebr.* Saar. Scarah. Schear. *Gr.* θρὶξ. *Gal.* Poil. *Ital.* Pelo.

PINGUEDO. PINGUIS. *Arab.* Gilla. Gallil. Daſuma. Daſem Vadaq. Mavadaq. *Hebr.* Deſchen. Daſchen. Cheſebh. Schemen. Schamea. Duhen. Dahen. *Gr.* λίπος, λιπαρότης. λιπαρὸς. *Gal.* Graiſſe. Gras. *Ital.* Graſſezza. Graſſo.

PISTILLUM. *Arab.* Marzaba. Mudacca. Jed. almaharas. Gras. *Hebr.* Madoc. *Gr.* ὕπερος. ὕπερον. *Gal.* Pilon de mortier. *Ital.* Piſtello da mortajo.

PITUITA. *Vide* Phlegma.

PIX. *Arab.* Char. Chir. Zeft. Alkitran. Churrut. *Hebr.* Zephet. Copher. *Gr.* πίσσα. *Gal.* Poix. *Ital.* Pece.

PLACENTA. *Ar.* Caach. *Hebr.* Chalah. Ugah. Uggah. Geritſah. Lebhibah. *Gr.* πλακοῦς. *Gal.* Gâteau. Tarte. *Ital.* Foccaija. Torta.

PLANTA. *Arab.* Benat. Nebat. Gars. Nulita. Nacla. *Hebr.* Bannat. Natah. Schetilim. *plur.* *Gr.* φυτόν. *Gal.* Plante. *Ital.* Pianta.

PLANTA PEDIS. *Arab.* Alſelament. *Hebr.* Caph. Maſrek haregel. *Gr.* πέλμα. πέδιον. *Gal.* Plante du pié. *Ital.* Pianta del Piede.

PLENITUDO. PLENUS. *Ar.* Imb tili. Mali. *Hebr.* Melo. Male. *Gr.* πλῆθος. πληθώρα. *Gal.* Plénitude. Plein. *Ital.* Pienezza. Pieno.

PLEURITIS. PLEURITICUS. *Ar.* Birſen Soſati. Vaga algenb. Hubivaga algenb. Schafzaa. *Hebr.* Ghebel. Hazad. *Gr.* πλευρῖτις. πλευριτικὸς. *Gal.* Pleuréſie. *Ital.* Pontura di fianchi.

PLICA. *Arab.* Farda. Taja. Tachbil. alſchaar. *Hebr. deficit.* *Gr.* πλοκή. *Gal.* Pli. Pliement. Pliſſure. *Ital.* Piega. Creſpa.

PLUMBUM USTUM. *Ar.* Merdeſengi. *Hebr. deficit.* *Græc.* μόλυβδος κεκαυμένος. *Gal.* Plomb brûlé. *Ital.* Piombo bruſciato.

PODAGRA. *Vide etiam* ARTHRITIS. *Ar.* Salaâ. *Hebr. deficit.* *Gr.* ποδάγρα. *Gal.* Goutte aux piés. *Ital.* Podagra. Gotta.

POLLEX. *Arab.* Buhan. *Hebr.* Bohen. Alion. Gudal. Zecapha. Ezebba hagam. *Gr.* ἀντίχειρ. *Gal.* Pouce. *Ital.* Dito graſſo. Pollice.

POLLUTIO NOCTURNA. *Ar.* Heis Ihtelem. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἐξονείρωξις. *Gal.* Flux de ſemence de nuit. *Ital.* Fluſſo del ſeme notturno.

POLYPUS. *Arab.* Alarhab. Arbiam. Caſſanum. Arnaban. *Hebr. deficit.* *Gr.* πόλυπος. *Gal.* Polpe. Poupe. Polype. *Ital.* Polpo. Polpa del naſo.

PONDUS. *Arab.* Alſacrugia. Vazan. Mizin. Tecal. Ticle. *Hebr.* Miſchgal. Netel. Manch. Maſah. *Gr.* σταθμὸς. βάρος. *Gal.* Poids. Peſanteur. *Ital.* Peſo.

POPLES. *Ar.* Rocba. Rocube. *Hebr.* Berek. Arcuba. *Gr.* ἰγνὺς. ἰγνύη. κώληψ. *Gal.* Jarret. *Ital.* Garleto. Piegatura della gamba.

PORPHYRITES LAPIS. *Arab.* Rachâma ahmar. *Hebr.* Bahat. *Gr.* πορφυρίτης. *Gal.* Marbre rouge, ou rougeâtre. *Ital.* Porfido.

POTUS. *Ar.* Tardia. Secu. *Hebr.* Schikkni. *Gr.* πόμα. *Gal.* Boire. Boiſſon. *Ital.* Coſa da bere.

PRÆFOCATIO MATRICIS. *Arab.* Comac. Ichtinac alraham. Machnaca alzifac. *Hebr.* Machanac harechem. *Gr.* πνὶξ ὑστερική. *Gal.* Suffocation de la matrice. *Ital.* Affocamento della matrice.

PRÆPUTIUM, *Arab.* Arla. Calfa. *Hebr.* Arelatah. Merachak. *Gr.* πόσθη. *Gal.* Prépuce. Bout de la peau du membre viril. *Ital.* Punta della pelle del membro virile. Prepuzio.

PRÆSERVATIO, *Arab.* Charaz. Tichraz. Ahtiras. *Hebr. deficit.* *Gr.* προφυλακή. *Gal.* Préſervation. *Ital.* Preſervazione.

PRIAPISMUS. SATYRIASIS, *Arab.* Feriſmus. Therſinus. Samus. *Hebr. deficit.* *Gr.* πριαπισμὸς. σατυρίασις. *Gal.* Priapiſme. Satyriaſie. *Ital.* Priapiſmo. Satiriaſia.

PROGNOSTICUM, *Ar.* Hiſeb. Cahin. Ichan. Nubuah. *Hebr.* Nebuah. *Gr.* προγνωστικόν. *Gal.* Pronoſtic. Prédiction. *Ital.* Pronoſtico.

PRURITUS, *Arab.* Sare. Hacc. Hacac. Ukil. *Hebr. deficit.* *Gr.* κνησμὸς. *Gal.* Démangeaiſon. *Ital.* Pizzicore. Voglia di grattarſi.

PTISANA HORDEI, *Ar.* Kiſch. Akeſcen. Diſchiſchmin. Scheir. *Hebr.* Gefire. Scheorim. *Gr.* πτισάνη. *Gal.* Ptiſane, *ou* Tiſane d'orge. *Ital.* Ptiſana, Sugo d'orzo colla ſcorza.

PUBES. OS PUBIS, *Ar.* Rachaba. Zub. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἥβη. ὀστέον ἥβης. *Gal.* Poil, qui vient aux parties honteuſes. *Ital.* Lanugine, e peli delle parti vergognoſe.

PUDENDA, *Ar.* Zubub. Aurat. *Hebr.* Mebuſchim. Erevah. Bachatin. *Gr.* αἰδοῖα. *Gal.* Parties honteuſes. *It.* Parti vergognoſe.

PUDOR. VERECUNDIA, *Ar.* Tahfar. Chiſchma. *Hebr.* Boſcha. Boſchet. Buſchna. Baſchena. Tſenua. *Gr.* αἰδὼς. *Gal* Honte. *Ital.* Vergogna.

PUERPERA, *Arab.* Veleda. *Hebr.* Joida. *Gr.* λεχώ. *Gal.* Accouchée. *Ital.* Donna di parto.

PULMO, *Arab.* Rihe. Ria. Kich. *Hebr. deficit.* *Gr.* πνεύμων. *Gal.* Poulmon. *Ital.* Polmone.

PULS. PULMENTUM. *Arab.* Idim. Hariſa. Tabich. Sahina. *Hebr.* Nazid. *Gr.* κρίμνον, ἀθάρα. *Gal.* Fait de Farine. Bouillie. *Ital.* Pulte. Meneſtra.

PULSUS. *Arab.* Nahad. Nafd. *Hebr.* Paam. Dephek. *Gr.* σφυγμὸς. *Gal.* Pouls. *Ital.* Battimento.

PULVIS, *Arab.* Suffuf. Ugitur. Darira. Gobar &c. *Hebr.*

Hebr. Avak. Aphar. Gulch. Schahat. *Gr.* κόνις. *Gal.* Poudre. Pouſſiére. *Ital.* Polvere.

PUMEX, *Ar.* Chaiſur. Faoec. Hagaralhamin. *Hebr. deeſt.* *Gr.* κισσηρὶς. *Gal.* Pierre ponce. *Ital.* Pumice.

PUPILLA, *Arab.* Hadac alain. *Hebr.* Bavah. Charuds. Gilgul. Iſchon. *Gr.* κόρη. *Gal.* Prunelle de l'œil. *Ital.* Pupilla dell'occhio.

PURGANS. *Arab.* Munaqui. *Hebr. deficit.* *Gr.* καθαρκτικὸν. *Gal.* Purgeant. Médicament qui purge. *Ital.* Medicamento purgante.

PURGATIO. *Arab.* Mushil. *Hebr.* Tohar. Kenniſcha. *Gr.* κάθαρσις. *Gal.* Purgation. *Ital.* Purgazione.

PURIFICATIO. *Arab.* Tathir. Tanquia. *Hebr.* Bar. *Gr.* καθαροποίησις. *Gal.* Purification. *Ital.* Purificazione.

PURPURA, *Arab.* Iſtabac. *Hebr.* Argaman. Margaman. *Gr.* πορφύρα. *Gal.* Pourpre. *Ital.* Porpora.

PUS. *Ar.* Midda. Sadid. *Hebr.* Magla. *Gr.* πύον. *Gal.* Boue. Ordure. *Ital.* Marza. Lordura.

PUSTULA. PAPULA. *Arab.* Bothor. Sahafati. Balchiati. *Hebr.* Saphahat. Bohac. Cathita. *Gr.* φλυκτὶς. φλύκταινα. *Gal.* Puſtule. Ampoule. *Ital.* Broſſola.

PUTREDO. *Arab.* Tacrich. Afuna. Taafin. *Hebr.* Racath. Ricathon. *Gr.* σηπεδὼν. *Gal.* Pourriture. *Ital.* Putredine.

PUTREFACTIO. *Arab.* Chamg. Taafin. *Hebr.* Iphuſch. *Gr.* κατάσηψις. *Gal.* Putréfaction. *Ital.* Putrefazzione.

PYXIS. *Ar.* Schatipha. *Hebr.* Ichuſphan. *Gr.* πύξις. *Gal.* Boite. Caſſette. *Ital.* Buſſetta. Boſſoletta.

Q.

QUARTANA FEBRIS. *Ar.* Rabbâ. *Hebr.* Rebiah. *Gr.* τεταρταῖος πυρετός. *Gal.* Fiévre Quarte. *Ital.* Quartana.

QUIES. *Arab.* Hudna. Razane. Sucum. Tafschal. *Hebr.* Dam. Manoah. Schabbaton. Scheket. *Gr.* ἡσυχία. *Gal.* Repos. *Ital.* Quiete. Repoſo.

QUOTIDIANA FEBRIS. *Ar.* Humi aljaum. jaum. Antar telhos. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἀμφημερινὸς πυρετός. *Gal.* Fiévre qui prend tous les jours. *Ital.* Quotidiana. Cotidiana.

R.

RABIES. *Arab.* Rialcalbe. *Hebr. deficit.* *Gr.* λύσσα, λύττα. *Gal.* Rage. *Ital.* Rabbia.

RADIX. *Arab.* Baragen. Afis. *Hebr.* Schereſch. Icar. *Gr.* ῥίζα. *Gal.* Racine. *Ital.* Radice.

RANA. *Arab.* Dafta. Althaheul. *Hebr.* Zab. Maſcar. *Gr.* βάτραχος. *Gal.* Grenouille. *Ital.* Ranocchio. Rana.

RANCIDUS. *Ar.* Mutarrac. *Hebr. deficit.* *Gr.* σαπρὸς. *Gal.* Ranci. Chanſi. *Ital.* Rancio. Rancido.

RASURA. *Arab.* Guraga. Neſare. Halſa. *Hebr.* Garera. Taſporeth. *Gr.* ξυσμὸς. *Gal.* Raclure. *Ital.* Raſura.

RAUCEDO. RAUCUS. *Ar.* Tabahboh. Mubabbah. *Hebr.* Bichah. *Gr.* βράγχος. βραγχώδης. *Gal.* Enrouement. Enroué. Rauque. *Ital.* Raucità. Rauco.

RECIDIVA, *Ar.* & *Hebr. deſunt.* *Gr.* ὑποστροφή. *Gal.* Récidive. Rechute de maladie. *Ital.* Ritirata.

REMEDIUM. *Ar.* Devi. *plur.* Advia. Tab. On. Un. Muana. *Hebr.* Rephuah. Aruc. Afut. Afu. Asjah. *Gr.* βοήθημα, ἄκος. *Gal.* Reméde. *Ital.* Remedio. *Vide etiam* Auxilium. Medicina.

RENES. *Arab.* Kulie. Kelit. Kelitin. *Hebr.* Kelajoth. Tuchot. *Gr.* νεφροί. *Gal.* Reins. Rognons. *Ital.* Reni. Rognoni.

RESPIRATIO. *Arab.* Raha. Iſtirah. *Hebr.* Revach. *Gr.* ἀναπνοή. *Gal.* Reſpiration. *Ital.* Reſpirazione.

RESTAURATIO. RESTITUTIO. *Arab.* Giemar. Chileſa. Radd. Radda. *Hebr.* Schubhah. Teſchubhah. *Gr.* ἀνασκευασμὸς. *Gal.* Reſtauration. Reſtitution. *Ital.* Reſtaurazione. Riſtoro. Reſtituzione.

RETE. RETICULUM. *Arab.* Nasba. Facheh. Medſida. Sabaca. Thorab. Tharb. Zirbus. *Hebr.* Reſcheth. Micmar. Macmor. Madſud. Mokeſch. Leked. Malcodath. Cherem. Naſchubh. &c. *Gr.* δίκτυον. *Gal.* Rets. Filets. *Ital.* Rete. Reticello.

RETIFORMIS. *Arab.* Reſcheth. *Hebr. deficit.* *Gr.* δικτυοειδής. χοροειδής. *Gal.* Fait en façon de rets. *Ital.* Retiforme.

RHABARBARUM. *Arab.* Raveno. Ravedſeni. *Hebr. deeſt.* *Gr.* ῥαβάρβαρον. *Gal.* Rhubarbe. *Ital.* Rabarbaro.

RHEUMATISMUS. *Vide* DESTILLATIO. *Arab.* & *Hebr. deeſt.* *Gr.* ῥευματισμὸς. *Gal.* Rhume. *Ital.* Fluſſo. Catarro.

RUBINUS. *Arab.* Jacuta hamar. *Hebr.* Jahar. Cadcod. Samcan. *Gr.* ἄνθραξ. *Gal.* Rubi. Rubis. *Ital.* Rubino.

RUBRICA. *Arab.* Magra. *Hebr.* Migra. Sammanim. *Gr.* μίλτος, σινωπὶς. *Gal.* Terre rouge. *Ital.* Rubrica. Terra roſſa.

RUGÆ. *Arab.* Abagdan. Tacmiſch. *plur.* Tacmiſcha. Curiſcha. Curiſch. *Hebr.* Kematim. *Gr.* ῥυτίδες. *Gal.* Rides. Plis. *Ital.* Ruge. Falde.

RUPTURA. *Ar.* Fecha. Tahzima. Mahzam. Chazaq. Tachariq. *Hebr.* Bedek. Temacah. Perets. *Gr.* ῥῆγμα. *Gal.* Rupture. *Ital.* Rottura.

S.

SACCHARUM. *Ar.* Succhar. Tabarzet. *Hebr. deficit.* *Gr.* σάκχαρον. *Gal.* Sucre. *Ital.* Zuccaro.

SAL. *Arab.* Garab. Safaf. Melah. Melech. *Hebr.* Melach. *Gr.* ἅλς. *Gal.* Sel. *Ital.* Sale.

SALACITAS. SALAX. *Ar.* Liab. Laib. *Hebr.* Hogebh. *Gr.* λαγνεία, λαγνὸς. *Gal.* Paillardiſe. Paillard. *Ital.* Salacità. Salace.

SALIVA. *Ar.* Lahab. Bezac. Biſac. *Hebr.* Rir. Roc. *Gr.* σίαλος. *Gal.* Salive. *Ital.* Saliva.

SALSEDO. *Arab.* Almuri. Barachia. Scenem. *Hebr.* Melichud. *Gr.* ἁλμυρότης. *Gal.* Goût du ſel. Liqueur ſalée. *Ital.* Salatura.

SALSUS.

SALSUS. *Ar.* Mumallah. *Hebr.* Maloch. *Gr.* ἁλμυρός. *Gal.* Salé. *Ital.* Salato. Salſo.

SALTUS. *Ar.* Quaſza. *Hebr.* Dilug. Raph: ruph. *Gr.* πήδησις. *Gal.* Saut. *Ital.* Saltó.

SALUS. SANITAS. *Ar.* Mochliz. Afia. Ziha. *Hebr.* Jeſchah. Teſchuah. Aſd. Asjon. *Gr.* σωτηρία. *Gal.* Salut. Santé. *Ital.* Salute. Sanità.

SANDARACHA. *Ar.* Sandarac. Zarnic. *Hebr. deficit.* *Gr.* σανδαράχη. *Gal.* Sandarac. *Ital.* Sandaraca.

SANGUIS. *Ar.* Dem. *Hebr.* Dam. *Gr.* αἷμα. *Gal.* Sang. *Ital.* Sangue.

SANUS. *Arab.* Beri. Afia. Zhahah. Cawi. *Hebr.* Aſi. Chalum &c. *Gr.* ὑγιής. ὑγιεινός. *Gal.* Sain. *Ital.* Sano.

SAPA. *Arab.* Schulila alaſal. Tille. *Hebr. deficit.* *Gr.* ἕψημα, σίραιον. *Gal.* Vin cuit. *Ital.* Vino cotto.

SAPO. SMEGMA. *Arab.* Sabun. *Hebr.* Bor. Borith. Ahala. *Gr.* σάπων. σμῆγμα. *Gal.* Savon. *Ital.* Sapone.

SARCOCOLLA. *Arab.* Azarot. Anzarut. *Hebr. deeſt.* *Gr.* σαρκοκόλλα. *Gal.* Sarcocolle. *Ital.* Sarcocolla.

SCABIES. *Ar.* Garab. *in ſpecie*, exulcerata Alkenebi. Serap. *Hebr.* Garab. Jalepheth. Miſpachath. *Gr.* ψώρα. *Gal.* Galle. Rogne. *Ital.* Rogna. Scabbia.

SCALPELLUM. *Arab.* Mubazag. Sifra. *Hebr.* Taar. Darban. *Gr.* μαχαιρίδιον. *Gal.* Caniſ. Petit burin. *Ital.* Scarpello.

SCALPRUM. *Arab.* Magrad. *Hebr.* Cherebh. Tſipporen. *Gr.* ξυστήρ. *Gal.* Burin. Racloir. *Ital.* Raſparola. Scarpello.

SCAMMONIUM. *Arab.* Mahmuda. *Hebr. deeſt.* *Gr.* δακρύδιον. *Gal.* Scammonée. *Ital.* Scammonea.

SCAPULÆ. *Ar.* Ketf. *pl.* Actaf. *Hebr.* Koteph. *plur.* Kephot. Ketephim. *Gr.* ὠμοπλάται. *Gal.* Palerons. Derriére des épaules. *Ital.* Pallette.

SCARIFICATIO. *Ar.* Schatrad. *Hebr.* Garda. Rabhda. *Gr.* χαρασμός. *Gal.* Scarification. *Ital.* Fare i tagli o picchi.

SCIRRHUS. *Ar.* Sephiros. Futratiz. *Hebr. deficit.* *Gr.* σκίῤῥος. *Gal.* Enflure dure. *Ital.* Scirro. Durezza ſenza dolore.

SCORBUTUS. *Ar.* & *Hebr. ignotus.* *Gr.* σκορβοῦτος. *Gal.* Scorbut. *Ital.* Scorbuto.

SCORIA. *Ar.* Tubel. Chabt. Chabat. *Hebr.* Sig. *Gr.* σκωρία. *Gal.* Ecume & ordure des métaux. *Ital.* Sciuma di metallo.

SCORPIUS. SCORPIO. *Arab.* & *Hebr.* Acrab. *Gr.* σκορπίος. *Gal.* Scorpion. *Ital.* Scorpione.

SCRUPULUS. *Ar.* Bachila. Garmia. Kermet. *Hebr.* Tſur. *Gr.* γράμμα. *Gal.* Scrupule. *Ital.* Scrupulo.

SECTIO. *Ar.* Bat. Bata. Fazl. *Hebr.* Bether. Chetek. Chaticah. Natuah. Perek. *Gr.* τομή. *Gal.* Coupure. Taillure. *Ital.* Segamento. Intacco di taglia.

SECUNDINÆ. *Arab.* Chalas. Abras. Maſchima. Furfus. *Hebr.* Schiljah. *Gr.* δευτερεῖα, ὕστερα. *Gal.* Arriére-faix. *Ital.* Pelli di fanciulli.

SEDES. *Ar.* Maglas. Arſch. *Hebr.* Moſchab. *Gr.* ἕδρα. *Gal.* Siége. Selle. *Ital* Sedia.

SEDIMENTUM. *Arab.* & *Hebr.* Raſubh. Miſchcah. *Gr.* ὑπόστασις. *Gal.* Affaiſſement ou Ordure d'urine. *Ital.* Sedimento.

SEMEN. *Arab.* Dariah. Zara. Naſal. *Hebr.* Zerah. Zarah. Mizrah. *Gr.* σπέρμα. *Gal.* Semence. *Ital.* Seme. Semenza.

SENSUS. *Arab.* Halm. His. *Hebr.* Regath. Tuam. *Gr.* αἴσθησις. *Gal.* Sens. Sentiment. *Ital.* Senſo.

SERICUM, *Arab.* Harir. Sadus. *Hebr.* Meſchi. *Gr.* σηρικόν. *Gal.* Soie. *Ital.* Seta. Armoſino.

SERPENS. *Arab.* Haja. Afhai. *Hebr.* Nachaſch. Tanin. Zochel. *Gr.* ὄφις. *Gal.* Serpent. *Ital.* Serpente.

SERUM. *Arab.* Maſal. Magra. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὀῤῥός. *Gal.* Lait clair. Petit Lait. *Ital.* Scolo di latte.

SESAMOIDEA OSSA. *Arab.* Alſemſemanie. *Hebr.* Heltheſaminiath. *Gr.* σησαμοειδῆ ὀστᾶ. *Gal.* & *Ital. deficiunt*, & *Latina retinentur.*

SICCITAS. SICCUS. *Ar.* Baal. Geſef. Geſaf. Jubs. Jubiſa. Jabis. *Hebr.* Chorebh. Charebh. Zachzacheth. Zajon. *Gr.* ξηρότης. ξηρός. *Gal.* Sécheresſe. Sec. *Ital.* Siccità. Secco.

SIGNUM. *Arab.* Aja. Bend. Nadar. *Hebr.* Oth. Tav. *Gr.* σημεῖον. *Gal.* Signe. *Ital.* Segno.

SILEX. *Arab.* Serax. Serachs. Hagar alzenet. *Hebr.* Chalamish. *Gr.* πυρίτης. *Gal.* Caillou. *Ital.* Selce.

SILIGO. SIMILAGO. *Arab.* Hertaman. Aſeleth. Samid. *Hebr.* Salet. *Gr.* σεμίδαλις. *Gal.* Sorte de froment. Fleur de farine. *Ital.* Amito. Amido.

SIMITAS. SIMUS. *Arab. deficit.* *Hebr.* Charum. *Gr.* σιμότης. σιμός. *Gal.* Camus. Nez tortu, aquilin. *Ital.* Schiacciato naſo.

SINGULTUS. *Arab.* Faah. Favaq. *Hebr.* Anakah. *Gr.* λύγξ, λυγμός. *Gal.* Hoquet. Sanglot. *Ital.* Singolto. Singiozzo.

SITIS. *Arab.* Taman. Atſch. Atſchi. Taatiſch. Ach. *Hebr.* Dſama. Dſimmaon. Tſima. Tſichvan. *Gr.* δίψα. *Gal.* Soif. *Ital.* Sete.

SITUS. *Arab. deficit.* *Hebr.* Matſabh. Matſucah. *Gr.* θέσις. *Gal.* Situation. *Ital.* Sito. Situazione. Poſto.

SMARAGDUS. *Arab.* Zmarad. Feruzegi. *Hebr.* Barket. Barcath. Nopek. Pitdba. Cachali. Jarcan. *Gr.* σμάραγδος. *Gal.* Emeraude. *Ital.* Smaraldo.

SMIRIS. *Arab.* Meſu. Hagar ſumbidig. Sumbedegi. *Hebr. deficit.* *Gr.* σμύρις. *Gal.* Emeril. *Ital.* Smeriglio.

SOLUTIO CONTINUI. *Arab.* Chadeſſan. *Hebr.* Peruk. *Gr.* λύσις τῆς συνεχείας. *Gal.* Solution de continuité. *Ital.* Soluzione della continuità.

SOLUTIO VENTRIS. *Arab.* Darab. Ashal. *Hebr. deficit.* *Gr.* ὑποχώρησις. *Gal.* Flux de ventre. *Ital.* Fluſſo di ventre.

SOMNIFERUM. *Arab.* Almaneumat. (*plur.*) *Hebr. deficit.* *Gr.* ὑπνωτικόν. *Gal.* Qui fait dormir. *Ital.* Che fà dormire. Vide *Narcoticum.*

SOPOR. *Arab. deficit. Hebr.* Tarddemah. *Gr.* κῶμα. *Gal.* Sommeil. *Ital.* Sonno.

SORBITIO. *Arab.* Tagria. Haſchua. *Hebr.* Bela. *Gr.* ῥόφημα. *Gal.* Action d'humer, d'avaler. *Ital.* Sorbimento.

SPECILLUM. *Ar.* Tarſuſa. Munefid. Targis. *Hebr. deficit. Gr.* μηλωτὶς. μήλη. *Gal.* Eprouvette de Chirurgien. Touche Chirurgique. *Ital.* Taſta per curar piaghe.

SPHACELUS. *Arab.* Aſchachilos. *Hebr. deficit. Gr.* σφάκελος. *Gal.* Sphacéle. *Ital.* Sfacelo.

SPINA DORSI. *Arab.* Seuche. Simonia. *Hebr.* Ethem. Schedarah. *Gr.* ῥάχις. *Gal.* Epine du dos. *Ital.* Spina del doſſo.

SPODIUM. *Arab.* Tabaſir. *Hebr. deficit. Gr.* σποδίον. σποδὸς. *Gal.* & *Ital.* Spodium. Spodio.

SPONGIA. *Arab.* Sefengi. Asfengi alchar. Gafiſa. *Hebr.* Ekebbah. *Gr.* σπόγγος. *Gal.* Eponge. *Ital.* Sponga.

SPUMA. *Arab.* Coſſore. Zabd. Zebed. *Hebr.* Chelcah. Ketſeph. *Gr.* ἀφρὸς. *Gal.* Ecume. *Ital.* Schiuma. Spuma.

SPUTUM. *Arab.* Buſac. Nafth. *Hebr.* Roc. Racuc. Rir. *Gr.* πτύελον, πτύσμα. *Gal.* Crachat. *Ital.* Sputo.

SQUAMA. *Arab.* Quiſchſchara. *Hebr.* Kaskeſchet. Keliph. *Gr.* λεπὶς. *Gal.* Ecaille. *Ital.* Scaglio.

STAPHYLOMA. *Arab.* Muſaragi. Sacaruli. Debani, &c. *Hebr. deficit. Gr.* σταφύλωμα. *Gal.* Maladie de la luette. *Ital.* Stafiloma.

STERCUS. *Arab.* Bhar. Zebel. Char. Cara. Tabraz. Haſa, &c. *Hebr.* Aſchpoth. Dabh. Domen. Tſeah. Pereſch, &c. *Gr.* κόπρος. *Gal.* Bourbier. Merde. Fange. *Ital.* Lordura. Sterco.

STERILITAS. *Arab.* Godabb. Aquam. Aquima. *Hebr.* Acar. Acara. *Gr.* ἀγονία, ἄγονος, ἀτεκνία, ἄτεκνος. *Gal.* Stérilité. Stérile. *Ital.* Sterilità. Sterile.

STERNUM. *Arab.* Caſſi. *Hebr.* Ezem hehace. *Gr.* στέρνον, στῆθος. *Gal.* Os de la Poitrine. *Ital.* Cartilagine di petto.

STERNUTATIO. *Arab.* Nachara. Utas. Utſa. Naatis. *Hebr.* Abiſchah. *Gr.* πταρμὸς. *Gal.* Eternuement. *Ital.* Starnuto.

STERNUTATORIUM. *Arab.* Mutattis. *Hebr. deeſt. Gr.* πταρμικόν. *Gal.* Qui fait éternuer. *Ital.* Chi fa ſtarnutare.

STIGMA. *Arab.* Alguaſſem. Garha. Chatta. *Græc.* στίγμα. *Gal.* Signe, marque d'une playe. *Ital.* Segno. Bollatura.

STILLA. STILLICIDIUM. *Arab. deficit. Hebr.* Deleph. Tiph. Lipha. *Gr.* στάξις, στάλαγμα. *Gal.* Goutte. Gouttiére. *Ital.* Gocciolatoio.

STOMACHUS. *Arab.* Batan. Fuad. Geuf. *Hebr.* Beten. Maſas. *Græc.* στόμαχος. *Gal.* Eſtomac. *Ital.* Stomaco.

STORAX. *Arab.* Miah. Micha. Lebeni. Miah ſielle. (*liquida.*) *Hebr. deeſt. Græc.* στύραξ. *Gal.* Styrax. *Ital.* Stirace.

STRABISMUS. STRABO. *Arab.* Aſtarac. *Hebr. deeſt. Gr.* στραβισμὸς, στραβὼν. *Gal.* Bigle. Loûche. *Ital.* Loſco. Guercio.

STRANGULATIO. *Arab.* Itfa. Intiſa. Chanca. Schanuk. Taſchnik. *Hebr.* Machanac. Schanuk. Chenek. *Gr.* στραγγαλισμὸς, ἄγχη. *Gal.* Etranglement. *Ital.* Strangolazione.

STRANGURIA. *Arab. deficit. Hebr.* Hataphah. Haſchetem. *Gr.* στραγγουρία. *Gal.* Difficulté d'uriner. *Ital.* Difficultà d'urinar.

STRUMA. *Arab.* Chanzira. *Hebr. deficit. Gr.* βρογχοκήλη, χοιρὰς. *Gal.* Ecrouelle. *Ital.* Scrofola. Gonfiazione della gola.

STUPA. *Arab. deficit. Hebr.* Neoreth. *Gr.* στυππίον. *Gal.* Etoupes de lin ou de chanvre. *Ital.* Stoppa di lino ò di canape.

STUPOR. *Arab.* Chauf. Chauſa. Chadr. *Hebr.* Schamah. Meſchammah. Timmahon. *Gr.* νάρκη. *Gal.* Stupidité. Etonnement. *Ital.* Stupidità.

SUCCINUM. *Arab.* Abra. Ambar. Karabe. *Hebr. deficit. Gr.* ἤλεκτρον. *Gal.* Ambre. *Ital.* Succino.

SUCCUS. *vide* LIQUOR. HUMOR. *Arab.* Rob. Halliq. *Hebr.* Aſis. Leſchad. *Gr.* χυμὸς, χυλὸς, ὀπὸς. *Gal.* Suc. *Ital.* Succo. Sugo.

SUCTIO. *Arab.* Rida. Tardia. *Hebr.* Janicut. Henicah. *Græc.* μύζησις. *Gal.* Succement. *Ital.* Succhiamento.

SUDAMINA. *Arab.* Nazef. *Hebr. deficit. Gr.* ἱδρῶα. *Gal.* Echaubouillures. *Ital.* Broggie da ſudore.

SUDOR. *Arab.* Arac. Harc. *Hebr.* Jezah. Zehah. *Gr.* ἱδρὼς. *Gal.* Sueur. *Ital.* Sudore.

SUFFIMENTUM, SUFFITUS. *Arab.* Buchar. *Hebr.* Azcarah. Ketorah. Mictar. Mictereth. *Gr.* θυμίαμα. *Gal.* Parfum. *Ital.* Profumo.

SUFFUSIO. CATARACTA. *Arab.* Anuſmuma. Gubiſch. Umuſcha. *Hebr.* Teballul. *Gr.* ὑπόχυμα. *Gal.* Cataracte en l'œil. *Ital.* Cataratta.

SUGILLATIO. *Arab.* Tardid. Alfac. *Hebr. deficit. Gr.* ἐκχύμωμα. *Gal.* Tache noire, *ou* meurtriſſure. *Ital. deficit.*

SULPHUR. *Arab.* Kabric. Quibrit. Cribtit. Albaphar. Ser. *Hebr.* Gapherit. *Gr.* θεῖον. *Gal.* Scuphre. *Ital.* Zolfo. Zolfore.

SUPERCILIUM. *Arab.* Geſn. *pl.* Agfin. Hagib. *pl.* Hagivib. *Hebr.* Gabh. *Gr.* ὀφρὺς. *Gal.* Sourcil. *Ital.* Ciglio.

SUPPOSITORIUM. GLANS. *Arab.* Humula. *Hebr. deficit. Græc.* βάλανος. *Gal.* Suppoſitoire. *Ital.* Ghianda.

SUPPURATIO. *Arab.* Dubeleti. Dubelati. Taquir. *Hebr.* Miſpach. Miſchpachat. *Gr.* ὑποπυισμὸς, ἐμπύημα. *Gal.* Suppuration. *Ital.* Poſtema.

SURA; *Arab. deficit. Hebr.* Cabak. *Gr.* γαστροκνήμιον. *Gal.* Gras de la jambe. *Ital.* Polpa della gamba.

SURDITAS. SURDUS. *Arab.* Guacce. Zumuma. Zuzamum. Azam. *Hebr.* Chereſch. *Gr.* κωφότης, κωφὸς. *Gal.* Surdité. Sourd. *Ital.* Sordità. Sordo.

SUTURA. *Arab.* Chajata. Chaita. Machut. *Hebr. deficit. Gr.* ῥαφή. *Gal.* Suture. Couture. *Ital.* Cucitura.

SYMMETRIA. *Arab.* Adorem. *Hebr. deficit. Gr.* συμμετρία. *Gal.* Symmétrie. *Ital.* Concordanza.

SYMPATHIA. *Arab.* Hanna. Nod. *Hebr.* Schaphaca. *Gr.* συμπάθεια. *Gal.* Sympatie. *Ital.* Compaſſione.

SYNCIPUT. *Arab.* Iſce. Iafuc. *Hebr. deficit. Gr.* βρέγμα. *Gal.* Devant de la tête. *Ital.* Parte dinanzi de la teſta.

T.

TABES. *Arab.* Ebdul. Impedul. *Hebr.* Daabhach. Daabhon. *Gr.* φθίσις. *Gal.* Maladie par laquelle on devient ſec & étique.

TACTUS. *Arab.* Tamis. Gas. Lams. *Hebr.* Miſchſchuſch. *Gr.* ἁφή. *Gal.* Attouchement. *Ital.* Tatto. Toccamento.

TALUS. *Arab.* Chahab. Alſechi. *Hebr.* Karſol. Arcom. *Gr.* ἀστράγαλος. *Gal.* Talon. *Ital.* Calcagno.

TAMARINDI. *Arab.* Tamarindi. *Hebr. deeſt. Gr.* φοινικοβάλανοι. *Gal.* Tamarinde. *Ital.* Tamarindi.

TARSUS. *Arab.* & *Hebr.* Raſegh. *Gr.* ταρσὸς. *Gal.* Talon. *Ital.* Tarſo.

TARTARUS. TARTARUM. *Arab.* & *Hebr. non occurrunt. Gr.* τάρταρον. *Gal.* Tartare. Pepins qui ſont au marc du vin. *Ital.* Tartaro.

TELEPHIUM ULCUS. *Arab.* Balchie. *Hebr.* Icul. *Gr.* τηλέφιον. *Gal.* Ulcére corroſif. *Ital.* Piaga Telefia maligna.

TEMPERAMENTUM. TEMPERIES. *Arab.* Mizig. *Hebr.* Mezeg. *Gr.* κρᾶσις. *Gal.* Tempérament. Température. *Ital.* Temperamento.

TENASMUS. TENESMUS. *Arab.* & *Hebr. non occurrunt. Gr.* τεινασμὸς, τενασμὸς. *Gal.* Téneſme. *Ital.* Tineſmo.

TEREBELLA. TREPANUM. *Arab.* Barrina. Marzaba. *Hebr.* Makkebheth. *Gr.* τρύπανον. *Gal.* Trépan. Tariére. *Ital.* Trepano. Trevellino. Trivella.

TEREBINTHINA. *Arab.* Chalambat. Ucalambat. Halchalambat. Albotin, &c. *Hebr. deeſt. Gr.* ῥητίνη τερεβινθίνη, λαρικίνη. *Gal.* Térébentine. Tormentine. *Ital.* Terebintina.

TERRA SIGILLATA. *Arab.* Tin machtun. *Hebr. deeſt. Gr.* γῆ σφραγῖτις. *Gal.* Terre ſigillée. *Ital.* Terra ſigillata.

TERTIANA FEBRIS. *Arab.* Humi mutelit. Neub. *Hebr. deficit. Gr.* τριταῖος πυρετὸς. *Gal.* Fiévre Tierce. *Ital.* Febre Terzana.

TESTA. *Arab.* Chazuf. Fachar. *Hebr.* Chereſch. Keliſ. *Gr.* ὄστρακον. *Gal.* Coquille. Coque. *Ital.* Conca. Guſcio.

TESTACEUM. *Arab.* Camfeties. Gaugiel. Guadam. *Hebr. deficit. Gr.* ὀστρακόδερμον. *Gal.* Poiſſon à coquille, ou à écailles. Moule. *Ital.* Peſce con guſcio.

TESTICULUS. TESTES. *Arab.* Chazi. Surethun. Baid. Madcar. *plur.* Madakir. *Hebr.* Eſchek. Pechadim. *Gr.* ὄρχις, ὄρχεις. *Gal.* Couillon. Couillons. Teſticule. *Ital.* Teſticolo. Teſticoli. Coglioni.

TETANUS. *vide* SPASMUS. *Arab.* Cuzez. Cuzem. *Hebr. deeſt. Græc.* τέτανος. *Gal.* Tétane. *Ital.* Tetano.

THERIACA. *Arab. deficit. Hebr.* Tſori. *Gr.* θηριακή. *Gal.* Thériaque. *Ital.* Teriaca.

THERMÆ. *Arab.* Hammat. Hammiah. Machararah. *Hebr.* Dimſiu. Mukin. Udna. *Gr.* θερμή. *Gal.* Thermes. Bains chauds. Etuves. *Ital.* Stuffe. Bagno.

THROMBUS. *Arab.* Dam gamid. Alca. *Hebr.* Dam hacaphah. *Gr.* θρόμβος. *Gal.* Sang figé. *Ital.* Sangue groſſo.

THYMUS, Morbus. *Arab.* Haſce. *Hebr. deficit. Gr.* θύμος. *Gal.* Thym. *Ital.* Timo.

TIBIA. *Arab.* Zumara. *Hebr.* Chaill. Schok. NB. *Metaphoricè debent ad Anatomiam applicari.* Cane hagadol. *Gr.* κνήμη. *Gal.* L'Os de la jambe. *Ital.* Oſſo della gamba. Tibia.

TINCTURA. *Arab.* Chadab. Zibag. Zabgah. *Hebr.* Zebah. *Gr.* βαφή. *Gal.* Teinture. *Ital.* Tintura.

TINEA, Morbus. *Arab.* Alarde. Sahafat. Sagrum. *Hebr. deeſt. Gr.* ἀχὼρ. *Gal.* Teigne. *Ital.* Tignolo.

TINNITUS. *Arab.* Ten. *Hebr.* Tſalil. *Gr.* ἦχος. *Gal.* Tintement. *Ital.* Riſonanza nell' orecchie.

TITILLATIO. *Arab.* Dagdaga. Tacaluc. *Hebr. deficit. Gr.* γαργαλισμὸς. *Gal.* Chatouillement. *Ital.* Movimento. Far gatticiole.

TONSILLÆ. *Arab.* Gavoni. Geuze. *Hebr. deeſt. Gr.* παρίσθμια, ἀντιάδες. *Gal.* Glandes. *Ital.* Strangoglioni. Ghiandole.

TOPASIUS. *Arab.* Iacura. *Hebr. deeſt. Gr.* τοπάζιος. *Gal.* Topaze. *Ital.* Topazzio.

TOPHUS. *Arab.* Hagar muramal. *Hebr. deeſt. Gr.* πῶρος. *Gal.* Tuf. Tufeau. *Ital.* Callo. Tofo.

TOPICUM MEDICAMENTUM. *Arab.* Devi barrani. *Hebr. deeſt. Gr.* τοπικὸν. *Gal.* Reméde extérieur. *Ital.* Topico.

TORMINA. *Arab.* Vaga. *Hebr. deeſt. Gr.* στρόφος. *Gal.* Trenchée de ventre. *Ital.* Tormento di ventre.

TOXICUM VENENUM. *Arab.* Tuſom. Zachari. *Hebr. deficit. Gr.* τοξικὸν. *Gal.* Poiſon. Venin fort promt. *Ital.* Toſſico.

TRACTIO. *Arab.* Garra. *Hebr. deficit. Gr.* ὁλκή; ἑλκυσμὸς. *Gal.* Tirade. Tirement. Trainement. *Ital.* Tratto. Tiramento.

TROCHISCUS.

TROCHISCUS. *Arab.* Acraz. *pl. Hebr. deeſt. Gr.* τροχίσκος. *Gal.* Trochiſque. *Ital. non occurrit.*

TRUNCUS. *Arab. deficit. Hebr.* Scheled. Gezah. *Gr.* στέλεχος. *Gal.* Tronc. *Ital.* Tronco.

TUBERCULUM. *Arab.* Afech. *Hebr.* Scheth. *Gr.* φῦμα, ὄγκος. *Gal.* Enflure. Boſſe. *Ital.* Gonfiatura.

TUMOR. *Arab.* Naſch.Intafach. *Hebr.* Scheeth.Saon. *Gr.* ὄγκος παρὰ φύσιν. *Gal.* Enflure. Tumeur. *Ital.* Gonfiatura.

TURCOIS. TURCESIUS. *Arab.* Feruca. Farazegi. *Hebr. deficit. Gr.* κυάνεος. *Gal.* Turquoiſe. *Ital.* Turchina gemma.

TUSSIS. *Arab.* Tabahboth. Saal. *Hebr.* Scheol. *Gr.* βήξ. *Gal.* Toux. *Ital.* Toſſe.

TUTIA. *Arab.* Succudus. Tutia. *Hebr. deficit. Gr.* πομφόλυξ. *Gal.* Tutie. *Ital.* Tutia.

TYMPANITES. *Arab.* Zachi. *Hebr. deficit. Gr.* τυμπανίτης. *Gal.* Tympanite. *Ital.* Tympanita.

V.

VACUATIO. *Arab.* Chala. *Hebr.* Characah. *Gr.* κένωσις. *Gal.* Vacuation. *Ital.* Vacuazione.

VACUITAS. VACUUS. *Arab.* Chava.Chavi.Parge. *Hebr.* Bahah. Bohu. *Gr.* κενότης, κενός. *Gal.* Vacuité. Vuide. *Ital.* Vacuta. Vacuo.

VAGINA. *Arab. deficit. Hebr.* Taar. Nedhen. Nadan. *Gr.* κολεός. *Gal.* Gaine. Fourreau. *Ital.* Vagina. Guaina. Fodro.

VAPOR. *Arab.* Buchar. *Hebr.* Ed. Itra. Neſchiim. *Gr.* ἀτμίς. *Gal.* Vapeur. Exhalaiſon. *Ital.* Vapore.

VARIOLA. VARIOLI. *Arab.* Botor. Gadri. Hamiea. Alhumere. *Hebr. deficit. Gr.* ἐξανθήματα. *Gal.* Verole. *Ital.* Variole.

VARIX. *Arab.* Dovali. *Hebr.* Kiljah. Delijah. *Gr.* κιρσός. *Gal.* Veine pleine de ſang épais, ou ſang mélancholique. *Ital.* Varice.

VAS. VASCULUM. *Arab.* Ana. Inia.Mata.Abarich. *Hebr.* Kelî. Mân. *Gr.* ἀγγεῖον. *Gal.* Vaſe. Vaiſſeau. Vaiſſelle. *Ital.* Vaſo. Mendel.

UBERA. *Arab.* Muchit. *Hebr.* Daddim. *Gr.* μαστοί, οὖθαρ. *Gal.* Mammelle. Tetins d'une bête. *Ital.* Poccie. Mamelle.

VENA. *Arab.* Magari aldem. Varid. *Hebr.* Varid. *Gr.* φλέψ. *Gal.* Veine. *Ital.* Vena.

VENEFICIUM. VENEFICUS. VENEFICA. *Arab.* Sihr. Sâhara. Sahir. Sabâra. *Hebr. deficit. Gr.* φαρμακεύσις, φαρμακεύς, φαρμακὸς, φαρμακεύτρια. *Gal.* Empoiſonnement. Empoiſonneur. *Ital.* Incanto. Incantatore. Incantatrice.

VENENUM. *Arab.* Tſadid. *Hebr.* Chema. Eres. *Gr.* φάρμακον δηλητήριον. *Gal.* Venin. Poiſon. *Ital.* Veleno.

VENEREUS. *Arab.* Laib. *Hebr. deficit. Gr.* ἀφροδισιακός. *Gal.* Vénérien. *Ital.* Venereo.

VENTER. VENTRICULUS. *Arab.* Kars. Kers. Cres. Krephs. Miada. Chuanas. Batan. Keniſa. *Hebr.* Beten. Chuba. *Gr.* κοιλία, γαστήρ. *Gal.* Ventre. *Ital.* Ventre.

VENTUS. *Arab.* Havah. *Hebr.* Ruah. Suphah. *Gr.* ἄνεμος. *Gal.* Vent. *Ital.* Vento.

VENUS. *Arab.* Algol. *Hebr.* Abjonah. Nogach. *Gr.* ἀφροδίτη. *Gal.* Vénus. Paillardiſe. *Ital.* Venere.

VERMES. *Arab.* Duaida. *plur.* Duaidit. *Hebr.* Recheſch. Taccak. Toalim. *Gr.* ἕλμινθες, σκώληκες. *Gal.* Vers. Vermine. *Ital.* Vermi.

VERRUCA. *Arab.* Chalam. Atnal. Kalim. Luteeſula. Borruca. *Hebr.* Iabbeleth. *Gr.* ἀκροχορδὼν, μυρμηκία. *Gal.* Verrue. *Ital.* Verruca.

VERTEBRA. VERTEBRÆ. *Arab.* Charaz.Charza. *Hebr.* Chamukim. Choljoth. *Gr.* σπόνδυλος, σπόνδυλοι. *Gal.* Vertébre. *Ital.* Oſſi delle ſpalle.

VERTEX. *Arab.* Alema. Alchema. Hic. *Hebr.* Kadcod. Roſch. *Gr.* κορυφή. *Gal.* Sommet de la tête. *Ital.* Sommità della teſta.

VERTIGO. *Arab.* Sedere.Duar. *Hebr.* Sibub haroſch. *Gr.* δῖνος, ἴλιγγος, σκοτόδινος. *Gal.* Vertige. Tournement de tête. *Ital.* Stornimento di teſta. Vertigine.

VESICA. *Arab.* Metene. Calla. Mabuela. (*in ſpecie veſicam urinæ ſignificat*, à Beule, *Urina*) Ziphac. *Hebr.* Zephec. Murcah. *Gr.* κύστις. *Gal.* Veſſie. *Ital.* Veſica.

VESICA FELLIS. *Arab.* Kis almarra. *Hebr.* Kis hamara. *Gr.* κύστις χοληδόχος. *Gal.* Veſſie du fiel. *Ital.* Veſica della colera.

VESICATIO. VESICATORIUM. *Arab.* Tanaft. *Hebr. deficit. Gr.* καυστικὸν, ἐσχαρωτικόν. *Gal.* Véſicatoire. *Ital.* Veſicatorio.

VIGILIA. *Arab.* Zaara. *Hebr.* Schaharah. *Gr.* ἀγρυπνία. *Gal.* Veille. *Ital.* Veghia.

VIPERA. *Arab.* Alfahai. *Hebr.* Tſchoah. Ephealk. *Gr.* ἔχις, ἔχιδνα. *Gal.* Vipére. *Ital.* Vipera.

VIRES. *Arab. deficit. Hebr.* On. Chail. Toaphoth. *Gr.* σθένος, δυνάμεις, ἰσχύς. *Gal.* Vertu. Forces. *Ital.* Forze.

VIRIDE ÆRIS. *Arab.* Zimar. Ziniar. Zar alnhas. *Hebr. deficit. Gr.* χαλκοῦ ἄνθος. *Gal.* Couperoſe. Rouille d'airain. Verdet. *Ital.* Verde di rame.

VISCERA. *Arab.* Dachil. Achſæ. Ama. *Hebr.* Meaim. Gava. *Gr.* σπλάγχνα. *Gal.* Entrailles. *Ital.* Viſcere. Budelle.

VISUS. *Arab.* Bazar. Mandar. *Hebr.* Rai. Reî. Rauth. Marê. *Gr.* ὅρασις, βλέψις, ὄψις. *Gal.* Vûe. *Ital.* Viſta.

VITA. *Arab.* Haja. *Hebr.* Chaijm. *Gr.* ζωή, βίος. *Gal.* Vie. *Ital.* Vita.

VITELLUS. *Arab.* Muchalbaiz. Fas. *Hebr.* Chalamuth. *Gr.* λέκυθος, χλωρὸν τοῦ ὠοῦ. *Gal.* Jaune, Moyeu d'œuf. *Ital.* Torlo. Roſſo d'ovo.

VITILIGO. *Arab.* Baras. *Hebr. deeſt. Gr.* ἀλφός.

Ggggg 2 (*vide*

(*vide* Alphus) *Gal.* Tache blanche ſur le corps. *Ital.* Macchie bianche.

VITRIOLUM. *Arab.* Chalcant. Zag. Zegi. Colcothar. *Hebr. deficit.* *Gr.* χάλκανθος. *Gal.* Vitriol. Couperoſe. *Ital.* Vitriolo.

ULCUS. *Arab.* Garha. Acar. Hacul. *Hebr.* Mazor. Chabbura. Nega. Schechin. *Gr.* ἕλκος. *Gal.* Ulcére. *Ital.* Ulcera. Piagha.

UMBILICUS. *Arab.* Tanbur. Sarrha. *Hebr.* Boar. Tabur. Schor. Scharar. *Gr.* ὀμφαλός. *Gal.* Nombril. *Ital.* Ombelico.

UNCIA. *Arab.* Sacros. Satil. Avac. Vacia. *Gr.* οὐγγία, οὐγκία. *Gal.* Once. *Ital.* Oncia.

UNCUS. *Arab.* Vav. Mazlag. Machtaf. Zannara. *Hebr.* Vav. Choach. Mazileg. *Gr.* ἄγκιστρον. Croc. Crochet. *Ital.* Uncino. Rampino.

UNGUENTUM. *Arab.* Duhen. Leden. *Hebr.* Miſchcha. Rocach. Rikuach. Schemen. *Gr.* ἄλειφα, ἄλειμμα. *Gal.* Onguent. *Ital.* Onto. Unguento.

UNGUIS. *Arab.* Calcateron. Dafar. Tafar. Tafra. *Hebr.* Tafar. Tſipporen. *Gr.* ὄνυξ. *Gal.* Ongle. *Ital.* Unghia.

UNICORNU. *Arab.* Diſon. Vahid alcara. Alcherchеden. *Hebr.* Reem. Rem. Karash. *Gr.* μονόκερως. *Gal.* Licorne. Unicorne. *Ital.* Licorno. Unicorno.

VOLA. *Arab.* Achmas. *Hebr.* Caph. Exeph. Choven. Schaal. *Gr.* θέναρ, κοῖλον χειρὸς καὶ ποδὸς. *Gal.* Paume de la main. *Ital.* Palma.

VOLATILIA. *Arab. deeſt.* *Hebr.* Oph. *Gr.* πτηνά. *Gal.* Volaille. *Ital.* Volatili.

VOMITORIUM. *Arab.* & *Hebr. non extat.* *Gr.* ἐμετικόν. *Gal.* Vomitoire. Vomitif. *Ital.* Vomitorio.

VOMITUS. *Arab.* Cudd. Cadf. Cai. Ki. *Hebr.* Ki. Ke. Pacta. *Gr.* ἔμετος. *Gal.* Vomiſſement. *Ital.* Vomito.

URETERES. URETHRA. *Arab.* Haloen. *Hebr. deficit.* *Gr.* οὐρητῆρες. *Gal.* Canal de l'urine. *Ital.* Canale dell'orina.

URINA. *Arab.* Baul. Beule. Gau. Hirâca. *Hebr.* Schain. *pl.* Schenim. *Gr.* οὖρον. *Gal.* Urine. Piſſat. *Ital.* Orina. Piſcio.

USTIO. *Arab.* Vaed. Taucad. *Hebr.* Kui. Kevajah. Serephah. *Gr.* καῦσις. *Gal.* Brûlure. Brûlement. *Ital.* Bruſciamento.

VULNUS. *Arab.* Garah. Guazi. Darb. Dârba. *Hebr.* Mazor. Mecha. Machaz. Makkeh. *Gr.* τραῦμα, τρῶμα. *Gal.* Playe. *Ital.* Piaga. Ferita.

Z.

ZINGIBER. ZINZIBER. GINGIBER. *Ar.* Zingibil. Lengibel. *Hebr. deficit.* *Gr.* ζιγγίβερι, γιγγίβερι. *Gal.* Gingembre. *Ital.* Gengivo. Gengevero.

ZONA. *Arab.* Tahzim. Mantaca. *Hebr.* Abneth. Zon. Ponda. Kumer. *Gr.* ζώνη. *Gal.* Zone. Ceinture. *Ital.* Zona. Cintola.

FINIS.